2. 4. 91

XXXIV
Bont. 2

REVERENDI PATRIS
GAUDENTIJ
BONTEMPI
ORDINIS CAPUCINORUM,
CURSUS THEOLOGICUS
ad mentem Sancti Bonaventuræ,
in ſeptem Tomos diviſus.


R. P. GAVDENTIVS BRIXIENSIS. ORD. MIN. CAPVCIN. S. THEOL. PROFESSOR. ÆTAT. SVÆ Anno LX. RELIG. XLII.
P. Pinchard Sculp.
cum Priuil. Reg. et Super. permissu
Aurea SERAPHICI stupuêre Volumina cuncti
Tentarunt pauci: multi tetigêre, sed inde
Gazas quisque sibi student cumulare perennes
Huius at innumeros iurare in uerba Lycęos
Vnus ad extremas curat GAVDENTIVS aras.
Post duo quem Sixtus proclamat sæcula Sanctum
Hic probat Authorem quatuor post sæcula sanum
Ingenio celsus, celebris pietate, superna
Mente & more MINOR, sapido sed Dogmate maior
Dum BONAVENTVRAM uitâ calamoq; tuetur,
Itala Seraphicis succendit Pulpita flammis,
Et doctos totum radios diffundit in Orbem.
Cuncta docenda docet, propugnat Purpura pauper,
Cui uixit DIVO rediuiuus uiuit in IPSO.
Fr. Ioan Franciscus a Brixia Concion. Capucin.

REVERENDI PATRIS
GAUDENTIJ
BONTEMPI, BRIXIENSIS,
ORDINIS CAPUCINORUM
Sacræ Theologiæ Profeſſoris.

PALLADIUM THEOLOGICUM,
SEU
TOTA THEOLOGIA SCHOLASTICA
In ſeptem Tomos diſtributa.

AD INTIMAM MENTEM D. BONAVENTURÆ
SERAPHICI DOCTORIS.

Cujus eximiæ Doctrinæ raptæ reſtituuntur, ſententiæ impugnatæ propugnantur.

In qua diuinæ Sapientiæ Theſauri, dudum depoſiti, jam recèns effoſſi, erutique, mundo elucent.

Tomus Primus. De Deo Uno.



LUGDUNI,
Sumptibus LAURENTIJ ARNAUD, PETRI BORDE, IOAN. & PETRI ARNAUD.

M. DC. LXXVI.
CUM PRIVILEGIO REGIS.

AUGUSTISSIMO REGUM

LUDOVICO XIV.

MAGNO,

GALLIÆ, ET NAVARRÆ

MAXIMO MONARCHÆ.

MIRUM ſanè, inter caſtrorum choros, inter armorum tubarumque clangores, inter reboantes bellicorum tormentorum mugitus; dùm claſſico pondere preſſum fremit Æquor, dùm innumero exercitu concuſſa gemebunda tremit Tellus, dùm vterque Polus æquiſſima LUDOVICI REGIS alternis vocibus reſonant, recinuntque Prælia, proclamant Victorias, propalant Triumphos, propagantque Trophea : Mirum (inquam) interìm ſtridulæ Cicadæ importunum opportuniùs à tanto Monarcha audiri ſuſurrum; Mirabile! otiantis Palladis ab intonante Marte ocyùs exaudiri voculam; Sed propè exultante veritate, procùl exulet admiratio. Hæc ab alio acta, non tàm mira eſſent,

quàm miracula; verùm iſta LUDOVICUS DEO-DATUS; Aſtrea itidem Proles natalitio jure in vſum ſibi vindicavit, dùm capaciſſimo, & lucidiſſimo mentis ſinu validi Martis negotia cum placidæ pacis otio facilè componit, cujus terribiles caſtrorum acies, plurimaſque militum turmas; dubius an dixero mobiles, & portatiles vibes, an fixum & immobilem orbem, vbi Pythagoreas SAPIENTISSIMI REGIS aures non tàm inter æſtuantes, quàm ſilentes Sirij latratus æquè eloquentis Minervæ ſilentia, ac fulgurantis Bellonæ tonitrua occupant, & oblectant: atquè inter tumultuares copias voculam placido murmure expiratam libentiùs excipit. Ille nimirùm MONARCHA, qui ineunte adhùc tenellus ætate, graſſantibus vndique Bellorũ furoribus, non tàm in munitiſſimis expugnandis Oppidis, quàm florentiſſimis in excolendis gymnaſiis Bellatricem Minervam fæcundo concepit cerebro, facundo peperit eloquio, fauſtoque provexit Imperio. Sagaciſſimus vtiquè ille Catholicæ Sapientiæ Mæcenas (cujus Regalis geneſis ſæculorum plena, exordij neſcia ſpecioſum exhibet æternitatis ſpecimen) qui inter domeſtica feraciſſimæ Sorbonæ germina non eſt paſſus, ſilveſtres expullulare ſurculos, ſed ſacerrimo Petri gladio Romana ab Arce fulminato citiùs excidit, Innocentio Pontifice Maximo tantam REGIS vim, & vigilantiam ad extaſim vſquè ſtupente; non patietur inter Theologica hæc Viridaria ſpinoſa calumniantium, & contradicentium excreſ-

cere

cere dumeta, ſed tanquàm firmiſſimum cœleſtis Scientiæ propugnaculum argutiſſima in veritatis impugnatores jaculaturum ſpicula, Zelantiſſimus REX validiſſimo ſuæ protectionis munimine circumuallabit, effuſiſſimo ſui Nominis oleo ſacrabit immortalitati, illuſtrabit poſteritati.

Iuſtum Parentem Iuſtiſſima Soboles in ſe redivivum abundantiùs exhibens, hæreditaria clementia renaſcentem Seraphici Doctoris Theologiam dignabitur. Qui gyrivagos errorum turbines, & circumeuntes, vt devorarent, erronũ turbas in Lethæum æquiſſimis legibus profugavit flumen, & ad internecionem vſquè profligavit. Qui immaniſſimam Hydram è plurium ſæculorum monſtris totiès detruncatis enaſcentem Herculea decollavit manu; cæleſtis illius Sagittarij D. BONAVENTVRÆ pharetram ſuis turgidam ſagittis, hactenùs diſperſis, & imperito plurimorum vſu obtuſis, at modò in vnum collectis, & acuta cuſpide in corda inimicorum Regis caſuris, inter ſacra Regiæ pietatis monumenta reponi, non aſpernabitur. Non alium, quàm tantam Majeſtatem Patronum zelat redivivus Doctor, qui etſi Hetruriâ oriundus; in veſtro tamen Imperij centro REX CHRISTIANISSIME ſummam vitæ ſanctimoniam, & Sapientiam Pariſiis auſpicatam, Lugduni fælicitèr conſummavit, nec minori affectu adhùc puero Genethliaca prognoſtica cecinit Hetruria, quàm viro jàm perfecto Angelica Paranymphea cantavit Lutetia, Cœleſtiaque Epicedia

canonizato occinit Lugdunum : Quidni ? non priùs enim ortus nativo Solo Sol ille fulgentiſſimus, quàm meridiano fervore, & occiduo fulgore Gallias perluſtrans, eas miris operum fœcundavit fructibus, & Cheru-Seraphicis voluminum exornauit radiis; cui & Ipſe Spiritus teſtimonium in vniverſo perhibuit mundo, dùm inenarrabilem ejus proceſſionem è duabus Perſonis in vnitate originis (quantùm fas eſt humanæ eloquentiæ) in vniverſali enarraverat Synodo; cujus elogia Divino pronuntiata oraculo, Pontificio confirmata reſponſo, ſi audax nimis muſſitarem, neſcio, an rutilanti Phœbo inferendi, an auferendi lucem, inanis audaciæ emererer cenſuram. Pro multis gemini illi Pontifices ſufficiant Sixtus IV. & V. vno ore loquentes,quo Mare hoc mixtum igne, aut Solem Oceani tractus pervolantem mirificè extollunt; quaſi intimis ſenſibus ac mentibus illabentem divinitùs adeò locutum, vt aureo ori, & calamo Spiritus Sanctus perpetuò aſſidens in eo locutus videatur. Conſcripta igitur Sancti Doctoris ſapientia è longa malæ fidei præſcriptione vindicata, è pluriumque contradictionum nubibus nunc tandèm effulgens, Glorioſiſſimi Regis ſeſe obſignat manibus, ſupplexque imparis Scriptoris oratio ſe Potentiſſimi Monarchæ obvolvit pedibus, vt Seraphici Doctoris, cujus Empyreum ſanctiſſimam Animam, cujus Gallia ſacratos poſſidet cineres, Galliarum Sapientiſſimus Moderator ſacros poſſideat The-

ſauros,

ſauros, vtpotè tanti viri inter Cœlum & Terram æmulatione quadam diviſi, indiviſam & propè potiorem partem. Nec immeritò radiantiſſimi hujus Apollinis Chriſtianiſſimus mundi Arbiter benigniores ſuſcipiet influxus, arridentiores ſuſpiciet aſpectus: Lugdunenſi etenim effulſit climate, ſeque mortalium occubuit oculis Seraphico ſuccenſus ardore per Leonem altiùs tranſlucens; vndè gemina Borbonia Aſtra, cætera quæque ſcintillanti ſplendore offuſcantia, fixo prælucent Firmamento, è quorum germano & reflexo lumine binæ exortæ Sereniſſimæ Stellæ progenetrici Luci in dies aſſimilantur: Magnum planè myſterium, & à ſæculis abſconditum; in his etenim tot annorum millibus MAIESTATEM VESTRAM, & Germanum Ducem Aurelianenſem cum bina clariſſima prole Sereniſſimo Delphino, & Valeſienſi Duce provida præfiguravit, & præſtolata eſt natura. Non defuit gratia ſuperna naturæ laboranti, quâ glorioſus Pater jàm natus oculos & palmas ad Cœlos trina vice elevans præſaga demonſtratione edocuit, Borboniam Sobolem Cœlo enaſci, & occidere: Victrici gratiæ ſuæ mox ſucceſſerant victoriæ, Victorique invictiſſimo LUDOVICO XIV. nondùm in quinquennium provecto pro capillis ſuccreverant Lauri; ſubitò ac longævi & nutantis Imperij propè excuſſum clavum ſpecioſus arripuit Infans, in Palmas revireſcens ſilveſcebat Gallia. Hunc (poſtquàm rapidiſſimo victoriarum torrente

exoticas obundaverit terras) in Regem ſuper populum cœlifluo vnxerunt oleo Sadoc Sacerdos, & Nathan Propheta; noſtrum nimirùm Salomonem vnxit Epiſcopus Sueſſionenſis, Archiepiſcopi Rhemenſis vicem gerens, magnâ Parium Franciæ ſtipante turmâ. Interim in celeberrima illa feſtivitate Rhemenſi, Regali ſolemnizata Sacramento, ſplendidâ Pontificum, Procerumque ſilente catervâ, dulciſoni cecinere chori, dùm Gladio ſancto, præ reliquis infulis, Bellicoſi Avi, & Belligeri Parentis Belliſſima Proles accingitur, *Accingere gladio tuo ſuper femur tuum, potentiſſime; ſpecie tua, & pulchritudine tua intende, proſperè procede, & regna*; conclamante in vnum populo, *Vivat Rex in æternum.* Adfuit & vox Domini in magnificentia, nimirùm illa, non ore, ſed opere prolata: *Inimicos eius induam confuſione, ſuper ipſum autem efflorebit ſanctificatio mea*; non enim inter pacis delicias, vt juſtus Parens, nec inter plurimas rerum experientias, vt veteranus Avus, ſed inter diſcordes Regnorum fremitus Puer egregiæ formæ, armis licèt inſuetus, hiſce tamen viam Tibi ad Thronum aperuiſti. Nec priùs è ſacra vnctione Imperiali fronti tremendæ Majeſtatis affulſit fulgor, quàm Atrebatenſem Metropolim à plurium exercituum obſidione liberandam alta mente revolviſti; imminenſque fatum præſentiens hoſtis, levi impetu diſperſus exceſſit, erupit, quâ datâ portâ ruens ocyùs evaſit: mox Provincias atquè vrbes ad æquiſſimam deditionem

nem revocatas pacatiſſimo Sceptro compoſuiſti; adverſos Proceres ſuppliciter decumbentes Regiâ munificentiâ in proſcriptos honores ſublimaſti. Non poſtulaſti Borboniæ Proles pietatis inimicorum animas, ſed ſuperni Flaminis afflatu infinitum, *Qui numerari, & ſupputari non poteſt præ multitudine*, populum æqua lance moderandum: ſed addidit Deus, *ultra quæ poſtulaſti*, Gazas & gloriam, vt nullus ante Te ſimilis Tui fuerit, nec poſt Te ſurrecturus ſit. Aſt gloria, quæ ab intus lucet omnem mentis ſuperat captum: ſileant ergo hominum linguæ, non exprimant inexpugnabilem Cardinalium Virtutum turrim, Auguſtâ in mente hujuſce Salomonis quadrangulari ſitu ſuſtentatam; venerentur omnes, non loquantur, triumphantem in Te gratiam cum ſequacibus donis; mirentur, non muſſitent, orbiculare divinorum chariſmatum gazophylacium; ſuſpiciant tandèm in Te flumen lætificans civitatem Dei è circulante Trinitatis fonte jugiter promanans; claudat deniquè orationem meam divino ſuo epiphonemate Clemens IX. Romanorum Pontificum Phœnix, *Magnus Ludovicus, Mundo Major, Mundi Regum Maximus, Theſauris Opulentiſſimus, ſtrenuiſſimis Caſtris circumſpectus, in limine Imperij totius Europæ, gentium Patre exorante, enſem repoſuit, ut Arma, atque Imperia Religioni devoveret.* Si hacce tempeſtate in extremis mundi dominaretur inclyta Sabæorum Regina Dedalys (& vltrà) alis ad tanti Elogij advolaret

ſamam, accedenſque Evangelicâ clamaret emphaſi: *Ecce pluſquàm Salomon hic.* Lilia verò Gallica ſuaviolenti vbique odore fragrantia à longè perodorans inferret: *Amen dico vobis, nec Salomon in omni gloria ſua veſtiebatur, ſicut vnum ex iſtis.* Sit vnus iſte vel Rex, vel Glorioſus Delphinus, Regiſve Frater, Aurelianenſis Dux, ſeu Almum germen Valeſianum, nuperrimè licèt è Borbonio Lilieto expullularit. Sed ſi Majeſtatem veſtram propiùs aſpiceret, armis, triumphis, & ſpoliis per vniverſum orbem rutilantibus glorioſiſſimè triumphantem, ſtabilem nec minori ſtudio terrarum moliri quietem, quàm nobilem ſui ipſius machinari victoriam, vltimò demirans, non haberet vltrà ſpiritum.

Erubeſcant modò pallentes paganorum Cæſarum cineres, & ſanguinolentam tyrannidem, & jactabundas vires affuſo teſtentur rubore. Contremiſcant itidèm lividi tenebrarum Principes, dum Magnanimam CHRISTIANISSIMI LUDOVICI REGIS humilitatem (ſi licet) ſuſpiciunt, obviis Imperiis, & magnificis occurrentibus trophæis Summi Pontificis preces longè præponentem; etenim poſtulante Pontifice dimittuntur exercitus, remittuntur auxiliares opes, vt Catholica Pax bellum Chriſti hoſtibus conterendis cieret; quibus attritis, mox ad Gallorum Regis aſpectum, in cujus Bellici cantus pulſantem ſonum totus conſurgit orbis, ſubſidunt ab alto volatu Romanæ Aquilæ, Liliacea parant Palæſtina palmeta,

meta, ſua Cyprij ornant laureta, Ottomana deficit Luna, ſeſeque lugubri nube recondit. Venit olim Cæſar, vidit, & vicit, ſed Cæſareos faſtus faſtidit Chriſtiana virtus, dùm Ludovico Iuſto ad Italiæ libertatem advolanti è Belgij, Germaniæ, Hiſpaniæ, Italiæque finibus ſtipati decantabant chori. Vidit Ludovicus Rex Europam ſibi ſubditam iri, vidit, ſed nec venire voluit, nec vincere; ita Chriſtianiſſimus victor ſui victoriam mundi prætulit triumpho. Verùm attollit inſuper cantum, & AUGUSTISSIMUM REGEM LUDOVICUM XIV. æmulus Oriens, modò caſtrenſibus accreſcit vocibus, quibus obſurdeſcentes erigunt Catadupi aures, & reſpondent: Cogitet, & vincet. Interim non otiatur Bellator invictiſſimus, Bellum hæreſibus infert, eaſque ne Regnum perturbent, è Regno deturbat, ſimul & ſanctiſſimas intemeratæ Regnorum Fidei conſervandæ applicat leges; ſed ne obrepentis veneni vicinitate Imperij pertabeſcerent fines, peregrino Bello domeſticam pertulit pacem, & truces Batavorum victimas pro publica libertate immolat Gallicus Enſis, vixque aderat LUDOVICUS ILLE MAGNUS, *cùm vnus is innumeri militis inſtar erat*, bellique quodam miraculo vrbium & Provinciarum portæ ſe ſua reſerabant ſpontè, tenacemque Batavorum anchoram diù immobilem in momento fluctuare fecit Terræ Dominator, & Vndæ, vndè obtumeſcentem Hollandorum carinam, vel nativo ſepultam Æquore, vel Galliæ proſcrip-

tam iri littore, non ambigit orbis. Intereà Deo exercituum litantur ſacrificia laudis, redit diù relegata Religio, vnguntur Altaria, legitimoque cultui conciliantur, & reſacrantur Eccleſiæ. Quid immoror, REX CHRISTIANISSIME? Tu firma Fidei Columna, Tu ſolidum pietatis fundamentum: Hinc fiducialitèr audebo Scholaſticam D. BONAVENTURÆ Theologiam, vtpote tremendum hæreticorum flagellum, veſtræ Majeſtati tutò conſecrare. Audeo MAIESTATI VESTRÆ ab incunabulis devotiſſimus, vnaque me Celſiſſimo decumbens Throno Veſtro tributulum hoc exhibere. Animant propemodùm exanimem Sancti Doctoris merita, cujus & Cathedra in veſtra Regia colitur, & oſſa in veſtro Regno adorantur; Tanti, ſupplex obſecro, Viri merita mea redimant demerita. Ità Cæleſtes Charites veſtræ arrideant, affluant applaudantque æternæ felicitati, Nominis immortalitati, Regnorumque proſperæ, perpetuæque incolumitati; ſic ex intimis precatur præcordiis,

SACRÆ M. V.

Devinctiſſimus Devotiſſimuſque ſervus
F. GAUDENTIUS Capucinus,
à Brixia.

IN DEDICATIONE

POTENTISSIMO,

ATQUE CHRISTIANISSIMO GALLIARUM MONARCHÆ,

LUDOVICO XIV.

Sacræ Theologiæ in Divum Bonauenturam, à R.P. Gaudentio Capucino Brixienſi elaboratæ.

ELOGIUM.

AD Triumphales adoreas, ad Coronaria LILIA
GALLICI THRONI
Ite GAUDENTES LIBRI.
Ad REGEM Florum, ad Florem Regum
Ite Gaudentiana mentis Liberi immortales.
Non titulus minio, non cedro charta notetur,
Aureus Doctrina acervus, AVREIS vallandus LILIIS fuit.
Clypeatis his LILIIS, LILIATIS his clypeis
Hujus Templi facies ornanda.
Exquiris Lector, quodnam hoc templum ſit?
DIVUM BONAVENTVRAM novis his Commentariis illuſtratum, dum legis,
In Fanum te Bona Fortuna recentèr ornatum incidiſſe, tibi gratulare,
Qui benè ſapit, non aliud numen Bona Fortuna præter ſapientiam agnoſcit.
Aude modò, interna doctrina, & dulcedinis ſanctiora hac adyta penetrare.
ARCAM vel hìc invenies, vbi LEX, & MANNA ſervantur.

Deerat

Deerat CHERVBVS ARCAM protenſis pennis obumbrans :
GAVDENTI TV CHERVB extentus, & protegens.
Quot condidiſti volumina, tot Cherubicas alas ſuper HANC ARCAM expandiſti.
Tu ſignaculum ſimilitudinis, exactè referens opificem, & exemplar.
Tu Sigillum vndequaque ſua commenſuratum Idea.
SAPIENTIA PLENVS, ET DECORE PERFECTVS,
Dum ſcripta Seraphico lumine, & ardore ſuccenſa excutis, diſcutis, verſas, reverſas,
In medio lapidum ignitorum TE ambulaſſe, quis neget?
Quin ille SERAPH fortunati nominis ad te volaſſe, mihi eſt viſus,
Et arrepto de COELESTI ARA carbunculo, vbi ignis nutritur pyropis,
Calamum attigiſſe tuum, vt totus gemmeus factus, non niſi gemmas exindè redderet.
Verùm dùm in ſimilitudinem SERAPHICI illius fulguris coruſcantis,
Eleuatis in ſublime pennis diſcurris,
A noſtris oculis, heù vt fulgur SCIENTISSIME CHERVB euolaſti.
Quo nobis heù mœrore relicto ad vera gaudia evolaſti GAVDENTI?
Nempè incongruum erat, vt qui DEI vehiculum, & ſedes in Cœlo CHERVBVS eſſe ſolet,
Pro ſolo pedum ſcabello ei acclinaretur in terra.

Sic applaudebat Nobilis & R^mus D. CAROLVS FRANCISCVS CERESOLVS Protonotarius Apoſtolicus, & Verdelli Præpoſitus.

LECTORI BENIGNISSIMO.

HABES hìc, Amice Lector, quod magis mireris, quàm legas, hoc eſt ampliſſimum ex reconditioris doctinæ fodinis erutum theſaurum ADM.R.P. GAUDENTII fulgentiſſimi in Seraphicæ Religionis Cœlo luminis. Vix credibile eſt, quanro labore pernox, ac perdius tantum opus, tot voluminibus diſtinctum, tot materiis conſperſum, tot myſteriis conſpicuum, aduerſaria in primis valetudine, ad exitum tandèm perduxerit. Singulare benigni Numinis beneficium eſto, vt evulgentur in omnium lucem, quæ in vnius ſapientiſſimi viri pectore, quaſi in graphide, altiſſima myſteria recondebantur. Gaude Lector, & tantas tibi diuitias exponi, & offerri, quibus mentem tuam ditiſſimè fœcundes, æternæ tribuas humiliter prouidentiæ. Ac ſi cujuſlibet artis operi dignitatem, ac pretium auctoris nomen impertit, quantum authoritatis, ac ponderis his ex voluminibus conſurget à tanto Patre tàm operosè elaboratis? Laudem ſonat nomen ipſum, iis enim dotibus, ac virtutibus eminebat, vt gaudium vbique diffunderet, ac veluti Phœbus omnium mœrores ſuaui jucunditate ſolaretur, & noxarum laqueos in animarum perniciem inſidiosè paratos, diuini eloquij induſtriâ diſſolueret. Si prædicem in Superiores obedientiam, in omnes humilitatem, ſummam paupertatem; ſi animi pietatem, maximè in Divum Bonauenturam, cujus doctrinam aiebat diuino incendio inflammare, ſicuti Angelicam illuminare: Si memorem victus aſperitatem, honorum contemptum, ſpiritus eleuationem, orationis ſtudium, & præcipuè Dominicæ Paſſionis, cujus jugi æſtuabat amore, contemplationem, hæc fortaſsè vulgaria videbuntur; quis enim hæc non præſtet ſtudioſus Seraphicæ Religionis profeſſor? Ita profectò eſſet, ſiquidèm hæc in illo fuiſſent vulgaria: ſed in ſummo nihil vulgare, in quo vno eminebant ſingula, & tanquàm in multiplici lychno, tùm ad imitationem, tùm in admirationem prælucebant. Veriſſima hæc Opus ipſum commonſtrabit, quod in lucem gentium virtutum omnium radios liberaliſſimè diffundet, & nullus profectò erit, qui in hiſce doctrinis inſudet, vel tam impius, quem pietas non expiet, vel tàm excors, qui ad cor non redeat. Ac ſi quid deſideratum videris, quæ tui ingenij celſitudo eſt, quâ ſoles benignitate, excuſa libentèr; Author enim immaturè, & quaſi ſubito laterum dolore correptus, dùm prædicationis munere fungebatur, non potuit, quæ currens profuderat, diligentiùs recolligere, & ad limam reuocare: prodigij enim eſſet adinſtar, ſi in tot tantiſque rebus feſtinâ manu collectis, omnium animos inuaſiſſet. Neque verò mihi fas erat admouere manum, ne Cœlo tot ſideribus diſtincto tenebras obducerem, & Evangelicum illud paruipenderem: *Non eſt diſcipulus ſupra magiſtrum.* Si autem ſcire cupis, cur hæc evulganda curauerim, hæc habeto. Primò quia hæc eſt Superiorum voluntas, qui cùm omnia adamuſſim peragant, eorum me nutibus non adaptare, ſummæ eſſet impudentiæ, & non

facilè diluendi criminis notæ: Deinde vt grati animi ſignificationem aliquam teſtarer in Lectorem meum, à cuius pectore pro captu hauſi myſteria, à cujus ore delibaui mella, cui ideò quid vnquàm par referam? *Magiſtris enim piis, ac parentibus non poteſt reddi æquiualens*, inquit Ariſt. *Ethic. lib. 9.* Tùm vt Auctori gloriam aliquam, quam vocant accidentalem, conciliarem; ſpero enim fore, vt ex hac Seraphica Doctrina, quaſi ex ſemine, pretioſiſſimi, & vberrimi fructus ad ingeniorum cultum, & animarum ſalutem producantur: Prætereà vt clariùs eniteret Divi Bonauenturæ Doctrina; non enim alius illius tanti Doctoris myſteria profundiùs, aut mentem ſubtiliùs penetrauit, vt videretur potiùs illius audiſſe vocem, quàm ſcripta legiſſe: Deniquè vt omnes,& maximè noſtræ Religionis filij Seraphica dogmata ſequerentur, quibus cùm ſeipſos in lectione,ac ſtudio, tùm alios in prædicatione Seraphico accenderent amore, quo hæc inania contemnentes, & per deuia tuto greſſu incedentes in diuinarum rerum contemplatione tandèm conquieſcerent. Hæc de Authoris vita, & de mea pro edendo Opere induſtria ſat ſint.

Verùm adhùc paucis te affari habeo, erudite Lector, vt te etiam Operis ratio, ſeù primitùs incepti,ſeu nunc feliciter conſummati, non lateat. Neſcit nemo,eum eſſe non rarò Librorum exitum,hoc noſtro præſertim ſæculo Scriptorum fetaciſſimo,vt è prælo quaſi in prælium prodeuntes in ipſo ortu, quot innixi cenſorum oculis,tot ſucuſſi telis prææmaturè ſuccumbant; vel ſi nonnunquàm mitiùs excipiantur,obliuionis ciſternæ, aut erroris Ægyptio venditantur: Ea eſt, vt opinor, ratio potiſſima, quæ omnium temporum Authores impulerit, vt ad Lectorem Operis exordium inſcriberetur. Veritas enim quantumvis ſpectabilis, dum è tenebris, quibus diù latebat, emergit, nouitatis ſuæ ſuſpicione intuentium aciem ad cæcutiendum vſqueadeò aliquandò ferit, vt lictorem, non lectorem offendat: Verùm hæc ratio cum in ipſa Operis inſcriptione ſat vindicetur, & inſuper abundè ſuppleatur in Authoris Epiſtola ad Ordinis noſtri litterarum cultores, vti & in apparatu infra præfixo, ad nihil hìc præfandum impellit; ſolumque ſcitu nonnihil neceſſarium præmonere libet, quo pleniùs ab initio illuceſcat, ſi quid obſcurius in Operis progreſſu ſcrupulosè ſuſpicetur.

Opus itaque iſtud extremæ ſenectutis partum, edidit verus Iſraëlita, in quo non erat dolus. Premebant plures, penes quos pari pietatis,& doctrinæ famâ increbreſcebat, vt in publicæ vtilitatis campum fœtum ſuum,adhuc licèt tenellum, dimitteret,quo ſcilicèt exploraret, quid antiquiores agerent Fratres Scriptores, dùm Seraphici Bonaventuræ, eximij Eccleſiæ Doctoris, inclyta dogmata paſſim referrent. Aſt fato functus, dùm quædam præliminaria in Operis ſui ornamentum concinnare conaretur,omnium vota ſuſpenſa diſtulit; idque eo Dei fortè conſilio actum eſt, vt maiorem poſthuma proles, quàm vivo patre pietatem experiretur, quamquàm in ſe id poſſideat, quod probè perſpectum, omnium oculos non difficilè alliciat. Nouit propemodùm huius Operis Author, eam eſſe in omni genere luxuriantem librorum copiam, quæ ſanioribus etiam ſtomachis nauſeam jugitèr procreat: Novit quoque, ſe facilè more aliorum excuſatum iri,quòd in gazophylacium Domini, vbi groſſiotes priùs jacti ſunt nummi, denarium ſuum cum vidua conjiciat; quòd etiam è Firmamento Cœli non ideò ſtellulæ ſunt abigendæ, quia innumera & ſplendidiora aſtra inibì colluceant; nec ideircò matutina ſidera veſpertinis ſunt præferenda, quia hæc ſerò lucent, nam & etiam conſtantiùs rutilant: Potiora itaque, non priora, novit præponderanda: His rationum momentis inſiſtunt meritò, qui non diſpari ab aliis argumento elucubrata opera ſub noua methodo tardiùs in lucem proferunt: Verùm cùm ratio huiuſce edendi Operis non fuerit, vt noua veteribus conſuerentur, nec vt prima Cathedra inter tot, & tantos hujus ævi Doctores ambiretur, his licèt aliàs ſat ſpecioſis, ſuperſedere non piget:

Id

AD LECTOREM.

Id vnicum mente & manu moliri ſtuduit PATER GAVDENTIVS, vt planè & plenè Seraphicum Doctorem vindicaret, vindicatum reſtitueret, reſtitutum polimitâ reinduceret tunicâ, indutumque poſteris fortunatiùs, quàm priſtinis ſæculis obſequendum proponeret. Idipſum alij, qui ad finem apparatus citantur, ſategere, ſed non peregere: Vel enim Thomiſtarum, Scotiſtarumvè Scholis primitùs edocti, ſuum in Seraphico ſenſum indagabant, & in profundo huius Doctoris Oceano obliquis expiſcantes hamis, quicquid apprendere valebant, ad aliena trahebant littora, vt ſingulis in Tomis paſſim patebit: Vel diem ſuum non opportunè obeuntes, imperfectum, incultumve opus reliquerant: Diuina verò id præſtitit prouidentia, vt contra hæc PATER GAUDENTIus Brixienſis omni in opiniones, ſeù ſuas, ſeù alienas affectu exutus, tempeſtiuè S. Doctorem perluſtrandum aggrederetur, & ad ſeptem ejus Tomos totidem maturè componeret, nullumque non intenderet neruum, vt ſingulorum Authorum placita ad pondus Sanctuarij librando, quid D. BONAVENTVRA in vnoquoque haberet, certiùs referret; ità ſaniorem cujuſque ſenſum emedullando, vbiquè ſapidam, & ſecuram Theologiæ medullam deguſtandam digeſſit. Authores verò, quos citare oportuit, ita poſt primarias ſententias communitèr diſtribuit, vt nimiâ cumulati farragine mentem non diſtrahant, ſed quorum ſcire velis Authorum, ſeù ſenſa, ſeù nomina, vno omnia opere facilè conſtabunt. Vbi verò obviant, quæ modicè controuertuntur, indicat loca è Sacris Scripturis, Patribus, Iuriſtis, aut Scholaſticis, vndè probentur. Textus verò ipſe breuitatis ſtudio omittitur; quæ enim vtplurimùm in diſſuetudinem abiere, prolixiùs relata faſtidio vertuntur: Illas autem quæſtiones, quæ noſtra tempeſtate accuratiùs agitantur, diligentiùs, & paulò fuſiùs pro materiæ dignitate diſcutit. Quæſtiunculas itèm, quæ poſterioribus ſæculis Theologiæ continuò accreuere, (quæ in maiorem ſemper ſurgit molem,) vbi à DIVO BONAVENTURA fuere indicatæ, vel in fundamentis ſuppoſitæ, juxta Thomiſtarum methodum demonſtrat, eaſque inſuper ad ejus mentem dilucidat, nec quidquam vllibi deeſſe permittit, quo integerrimam Summam abſoluat. Porrò cùm præcipuè ſtuduerit, vt illam affectuum pietatem, quam Seraphici Doctoris opera vbique redolent, ad ſtrictiorem Scholæ normam temperaret, ea quæ pio potius ſapore, quàm Scholaſtico tenore tractari debent, ad ipſum fontem remittit, vt ibi pleniùs & ſapidiùs deguſtentur: Cæterùm, erudite Lector, Septitomum hoc Opus plurium annorum elaboratiſſimum partum, ſuſcipe tanquàm ſeptem vbertatis annos, quorum fruges, vt in vnum congregaret horreum, Litterarios omnium regionum incolas circuiuit vir Litteratiſſimus. Si quid duriuſculè dictum obtingat, non idcircò ſub duriori putamine puriorem nucleum deliteſcere non dubites: Quod cæteris caput eſt, facilè perſpectum habes, quanta doctrinarum ſcena illis, qui eminentiora ſtudent, aperiatur, & quanto bono publico opulentiſſima penaria cella pretioſiſſimorum eduliorum appetentibus recludatur. Benè itaque tibi ſit, ſtudioſiſſime Lector, & quos benigno tibi animo labores exhibeo, tu quoque grato excipe, & Vale.

Dat. Lugduni Calend. Novemb. anno 1676.

F. IOANNES FRANCISCVS
à Brixia, Concionator Capucinus, & Fideliſſimus Authoris Alumnus.

AD SACRARUM SCIENTIARUM
IN SERAPHICO CAPUCINORUM ORDINE PROFESSORES

Præmonitoria Authoris Epiſtola.

CVM Theologicam Scholam, vt Caſtrorum aciem ordinatiſſimam, non ſemèl ab ineunte ferè ætate ſuſpicerem, Lectores erudıtiſſimi, atque hâc tot doctiſſimas Theologorum turmas ſub illuſtri D. Aquinatis nomine fortiter dimicantes, illác verò magnum Scotiſtarum commeatum tanto velut numine tutum, per medias acies ſubtiliùs penetrantem viderem, gratum quidem ſpectaculum; à gaudio tamen ita mihi facilè temperâram, vt Seraphici Bonaventuræ vices non difficilè indolerem; Qui quamvis vniverſo Minorum Ordini diù Præpoſitus, Militantem Eccleſiam tot inſignibus inſuſæ, innatæque ſapiëntiæ monumentis propugnaret, & quicquid mortalium indoli ſit ſcibile, ſcitiſſimè deſcriberet, vel non ſcribendum modeſtiſſimè ſuaderet; vbi tamen in Scholaſtico campo meritiſſimus hic Franciſcanæ Familiæ, nedum litterariæ militiæ Præfectus caſtrametatus ſit, nemo ferè noſtrûm, neſcio quo fato, veſtigium retulerit. Huiuſce dolendæ propè deſertionis cauſam apud memet multùm cogitabundus penſitaram, nec aliam reperi, quàm quòd (quantùm conjectare licet) eâ ſcripſerit pietate, quæ Scholaſticæ diſceptationis rigori minùs arrideret; vel forſan ita ſuam obiret diem, vt nullus ab inteſtato ei ſuccederet, qui partas multo labore egregias opes, nec dum in tuto ſat poſitus, vindicaret; quam ob rem Orbis litterarij incolæ, eas primò occupantium poſſe fieri arbitrantes, in proprios fundos tranſtulêre, ac quodam vſucapionis iure ſibi adaptarunt: cum tamen nulla temporis præſcriptio veritatem (perennis quippe dominij) proſcribere poſſit, iſtud ego lubentiùs crederem, cum infinita propè Modernorum volumina, non aliorum relatu, ſed oculorum ſuffragio comprobarem, in quibus Seraphicum Doctorem id ipſum mille loquentem modis perſpexeram; Authorem ferè nullum, quin D. Bonaventurâ plenum, vidi; velut tamen nullibi gentium eſſet, Authorum faſtis vix memoratur. Hanc Mortalium viciſſitudinem dum tacitus mecum revoluerem, R. P. M. Antonius à Carpenedulo, notiſſimum nedùm noſtri Ordinis, ſed & ſuæ tempeſtatis Oraculum, repetitis me vicibus eò perpulit, vt Seraphicam D. B. Doctrinam Scholis conciliarem, & quicquid ſuis, vel alienis etiam ſcriptis ſenſerit, fidus ad Scholæ rigorem recenſerem, quo molimine, dum fauſto, dictos duos offenſionis lapides remouerem, ſicque Seraphicum inoffenſo adire pede, cuique liceret. Pœnituit me penè priſtinæ illius cogitationis, quæ tantam mihi provinciam (quo neſcio nuncio) accivit. Verùm à præfato noſtro P. Generali nullâ ſecutâ gratiâ, quæ huiuſce mihi oneris remiſſionem indulgeret, illud ipſo auſpicante Seraphico Bonaventurâ, & aſpirante in primis Deipara Virgine, adorſus ſum: omnis mihi interim pœna in ſolatium, implexaque tot librorum ſeges, quos die, noctuque per plura luſtra legere oportuit, in ſubſidium ceſſit, vt dignum obedientiæ fructum in opere redderem abſolutiſſimo, quo tandem Ordo noſter non minùs morum, quàm doctrinæ imitatione Seraphicum illum Authorem ſibi ſequendum præſtituat. Ipſe à nobis id obſequij exigit, qui quamquam Cardinalitij culminis eminentiâ, & Pontificij muneris honore feliciter diu fungeretur, eò

tamen

tamen potiſſimùm gauiſus eſt, quòd noſter eſſet. Noſtrum ergo gaudium ſit, vt ſimus illius mutuâ, non mutilâ relatione. Hoc penes vos Opus eſt, viri eruditiſſimi, quo Religioſa totius Ordinis juventus erudienda creditur: Summam habetis hic Theologicam, vnde Omne Meum & Tuum *procul abigitur, totaque eſt ad intimos Seraphici ſenſus, Humanarum, Divinarumque rerum ſcientiam omnem, quantùm par eſt, complectens. Ideo non Summulam manibus geſtandam, ſeu perulis portandam exhibere volui, licèt iſtam non paucis profundiora dogmata faſtidientibus, aut propria ſcripta explicare nolentibus, gratiorem non dubitem. Verùm cùm vos, Lectores Sapientiſſimi, his anguſtiis minimè premi ſciam, fuſiora vobis ſata nunc metite, propriâque in areâ detrita in ſapidum ſtudentibus panem digerite. Idcò quicquid Scholaſtica, Moralis, & Poſitiuæ eſt Theologiæ, ſeu etiam Philoſophia, abundè ad S. Doctoris noſtri mentem debitâ hic methodo deduxi; ideo etiam ſingulorum Authorum ſenſus & copiam fidiſſimè retuli, vt nihil extrà haurire neceſſe ſit; ideo denique totum ipſum Opus ſeptenario Tomorum numero, abſoluto quippe Perfectionis ſymbolo, concluſi.*

FACVLTAS REVERENDISSIMI PATRIS GENERALIS.

NOS F. Stephanus à Cæſenna totius Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci Capucinorum Generalis Miniſter, licèt immeritus, virtute, & tenore præſentium concedimus, vt ſeruatis ſeruandis, Typis Mandetur Opus, cui titulus: PALLADIVM THEOLOGICVM *ſeu tota Theologia Scholaſtica ad mentem D. Bonauenturæ*, à R. P. GAVDENTIO BONTEMPO, ex Prouincia Brixienſi, olim Ordinis noſtri Concionatore, & Sacræ Theologiæ Prælectore compoſitum, & in ſeptem Tomos diſtributum: Opus quippè ad ſtateram reuiſionis per aliquos Theologos à nobis deputatos, ita ſedulò appenſum, & approbatum, vt nihil ſit minus habens inuentum; quinimò Seraphicam Doctrinam, præclarè elucidatam, omnium oculis objicere cenſeatur: In quorum fidem, his ſolito noſtro ſigillo firmatis, manu propria ſubſcripſimus.

Datum Pariſiis in Conuentu noſtro Aſſumptionis, die 20. *May* 1674.

F. STEPHANVS MINISTER Generalis.

Approbationes Theologorum Ordinis.

QVæ in Tomo de *Deo Vno* pro juſtè reddenda Seraphico Bonauenturæ à variis, nec vulgaribus, Theologis arrepta doctrina, maturè & neruosè digeſſit R. P. GAVDENTIVS BONTEMPVS à Brixia, Concionator Capucinus, ac Sacræ Theologiæ Profeſſor, legi ego, & perpendi de juſſu Reuerendiſſimi Patris noſtri Generalis; Tantique Operis Authorem ad inſtar peruigilis Draconis in Heſperidum viridariis aurea obſeruantis Poma, puramque doctrinam vbique exhibentem animaduerti; ea propter librum hunc, citra vllam prorſus lituram, publici præli applauſui dicandum cenſeo; cum totus Orthodoxus ſit, & ſanis moribus nullibi refragetur; ſed ſacrâ vbique eruditione refertus, Authoris ſui non minùs arduum ingenium, quàm indefeſſum ſtudium mirificè prædicat ad maiorem Dei optimi maximi gloriam, ad genuinæ Doctoris Seraphici Doctrinæ reſplendentem æternitatem, ad ſingulare Religionis noſtræ ornamentum, & ad omnium, potiſſimùm ſtudioſorum, vberrimum fructum, & profectum: ſit itaque legentibus Almus hic Gaudentij Bontempi Partus in perennis Gaudij, bonique temporis Augurium. Sic cenſeo.

Dat. Tranſchery die 27. *Auguſti* 1671.

F. BARTHOLOMÆVS A BERGAMO, Concionator Capucinus, ac in Prouincia Brixienſi Guardianus, & Definitor.

APPROBATIO.

NOs ſubſignati, Ordinis Minorum S. Franciſci Capucinorum Theologi à R. P. Stephano à Cæſenna, eiuſdem Odinis Generali Miniſtro demandati ad Operis reuiſionem, cui titulus: PALLADIVM THEOLOGICVM, *ſeu tota Theologia Scholaſtica, ad mentem D. Bonauenturæ, Doctoris Seraphici:* Authore R. P. GAVDENTIO BONTEMPO, Brixienſis Prouinciæ Concionatore Capucino, & Sacræ Theologiæ Prælectore; Teſtamur, totum præfatum Opus, ſingulosque eius Tractatus, ſingulari à nobis ſtudio perlectos, veritatem Orthodoxam, & Chriſtianam Pietatem munitiſſimis Sacræ Scripturæ, Sanctorumque Patrum locis & ſententiis, ſelectiſſimis Theologorum argumentis, ac firmiſſimis Conciliorum Decretis, conſtantiſſimè propugnare, nihilque illis, vel in minimo diſſonum obtendere. Quare vt in Chriſtiani & litterarij orbis Firmamentum ſimul ac ornamentum, Tomus hic primus de *Deo Vno*, cum cæteris quàm primum prælo affigatur, noſtri eſſe calculi cenſere, ducimus; Hinc etenim Lector ſatis ſuperque ſibi proſpectum habebit, vnde Hæreticam prauitatem retundat, vnde Chriſtianam probitatem recognoſcat, vnde ſibi & aliis abſolutam hauriat eruditionem, propriamque pietatem, quod cæterorum ſumma eſt, promoueat: ſic indubitanter judicamus.

Dat. Pariſiis in Conuentu noſtro Aſſumptionis, die 7. *May* 1674.

F. CYPRIANVS GAMACHÆVS Concionator Capucinus, olim Sereniſſimæ Britanniarum Reginæ Matris à Sacris.

F. FRANCISCVS COSSIN Pariſinus Capucinus, Sacræ Theologiæ Lector.

APPROBATIO.

COmmiſſa nobis reuiſione Tomi hujus primi de *Deo Vno*, à R. P. Stephano à Cæſenna, totius Ordinis Capucinorum Generali Miniſtro, fidem facimus, Opus eſſe omnibus numeris abſolutum, nec Fidei, nec moribus ullatenus diſſonum, ſed Seraphicum Bonauenturam eximiè, eruditè, & nitidè ad communem captum, & genuinum tanti Doctoris ſenſum elucidare. Quare non dubitamus futurum vrbi & orbi gratiſſimum, quod, prælo parturiente, in publicam lucem edatur, vt ſit in Orthodoxæ veritatis propugnaculum, Scholarum decus, Religionis Seraphicæ ornamentum, & commune litterarum omnium ſubſidium. Ita teſtamur & ſignamus.

Dat. Bergomi die 20. *May, anno Domini* 1672.

F. FRANCISCVS A RVMANO, Concionator Capucinus, & Sacræ Theologiæ Profeſſor.

F. CALIXTVS BVRGENSIS, Concionator Capucinus, & Sacræ Theologiæ Profeſſor.

Tocius Operis ad apicem librata Cenſura.

TOtum Opus Theologicum, à R.P. Gaudentio Bontempo, Brixienſis Prouinciæ Concionatore Capucino, & Sacræ Theologiæ Prælectore Sapientiſſimo, eximiè contextum, cui appoſitè præfulget titulus : PALLADIVM THEOLOGICVM, quippè diuinâ propè Palladis arte conſtructum, legi ego, & lnſtraui, non ſolum ſemel, aut itetum, ſed accreſcenti ſemper admiratione, terque, quaterque ; nec leui qoodam tranſitu, vel per tranſennam, ſed ſingulorum ſenſus, & ipſiſſima verba ad Sanctuarij pondus ſcrupuloſiùs librando ; id mibi muneris ſpecialiùs demandante Reuerendiſſimo Patre Stephano à Cæſenna, totius Ordinis Mioorum S. Franciſci Capucinorum Generali Miniſtro ; cui muneri vt debitum afferam teſtimonium, omni procul abeunte aſſentatione, non tam totum iſtud Opus integerrimè approbandum, quàm Lectori, cui offertur, planè applaudendum cenſeo : Habet enim hîc vniuerſum ſcibile vno opere ſcitè & ſapidè diſcuſſum ; babet copioſam quamque materiam, in medullatum & mellitum compendium digeſtam ; habet itidem fulgidam facilemque verborum affluentiam, nullibi implexam : occurrit graue ſententiarum pondus, grauans nuſquam, gratum vbique obuiant, mentemque, vt veritas prodeat, obſident ſelectiora Scbolarum dogmata, Sacræ Scripturæ, Canonumque ſuffragiis paſſim ſuffulta : Trahit in Fidei obſeqninm principiorum, concluſionnm, & obiectionum ordinatiſſima ſeries, adinſtar triplicatæ catenæ, aureis annulis intertextæ : nibil indeciſum, indiſcuſſumqne nihil offenditur. Ita omnibus omnia pandit, vt qnod de Lugdunenſi oppido opulentiſſimo cecinit olim Scaliger, non incongruè de Gaudentij Opere abſolutiſſimo nunc legatur:

Quod nolis, alibi quæras ; hîc quære quod optas:
Aut hîc, aut nuſquam vincere vota potes.

Non enim eſt Opus oppido diſſimile ; nec Lugdunenſis præli partus erit degener, ſi fortè in vrbe iſta edatur, cùm non minùs Lugdunum ſit orbis negotiatorij, quàm Opus illud ſit orbis litterarij emporium : Hoc ipſo tomorum ordine comprobatur, quorum tres primi omne Sciendum, totidem alteri Agendum omne, alter verò de mediatore Cbriſto, vtriuſque medium, & nexum fœliciſſimè complectitur : mitto Authoris validam, & capaciſſimam, nec minùs moderatam indolem, obſcura quæque loca velut perpendiculari luce perfundentem ; prætereo perpetuum eius in orthodoxâ veritate, & pietate tum tuendâ, tum fouendâ zelum & ſtudium ; claſſicum item omitto ſtylum, non ſiccum, ſed ſucculentum ; lynceamque librorum indaginem, nil vlli auferendo, ſed cuique, quod ſuum eſt, referendo, dùm Seraphicum Bonauenturam ex omnium Autborum placitis recolligendo reſtituit : Opus itaque iſtud improbo plurium luſtrorum labore probè ſuperatum & elaboratum, in quo humana exultauit induſtria, prælo in Fidei & morum præſidium, quibus promouendis vbique conſonat, quamprimum committendum cenſeo ; ſic enim fiet, vt ampla munitiſſimæ doctrinæ ſuppellex, in aperto orbis litterarij Theatro diſpoſita, Fidei propugnatoribus armandis, Scholis ornandis, Hæreticis arguendis, Concionatoribus locnpletandis, cunctiſque ſuppetat erudiendis ; ſic ſentit, & ſignat

Datum Lugduni in Conuentu noſtro S. Andreæ, die 10. Octobris 1673.

F. ANDRÆAS NVGENTIVS ab Hybernia,
Concionator Capucinus.

Summa Priuilegij Regis Chriſtianiſſimi.

CAutum eſt Authoritate Regis, ne quis in ſuo regno, aliiſvè locis ſuæ ditioni ſubditis, intra decem proximos annos, librum, qui inſcribitur : PALLADIVM THEOLOGICVM, *ſeu tota Theologia Scholaſtica*, ad mentem Diui Bonauenturæ Doctoris Seraphici, Authore R. P. GAVDENTIO BONTEMPO, Brixienſis Prouinciæ Concionatore Capucino, & Sacræ Theologiæ Lectore, abſque LAVRENTII ARNAVD, PETRI BORDE, JOANNIS, & PETRI ARNAVD, Bibliopolarum Lugdunenſium permiſſu, imprimat, aut diuendat, à die publicationis horum exemplarium. Qui ſecùs fecerit, pœna indicta, prout amplius in Regio Diplomate continetur, mulctabitur. Datum Verſalliæ die 16. Martij, anno Domini 1674. De mandato Regis. Signatum LE NORMANT.

Prima editionis prælum ceſſauit die prima Nouembris, anno 1676.

SUMMARIA
TOTIUS OPERIS
DIVISIO,
ET ARGUMENTUM.

CVM hoc Opere aggrediendo, id mihi præcipuè eſſet in votis, vt nouam, & vſquequaque integram THEOLOGIÆ SVMMAM ex omnibus D. BONAVENTVRÆ ſcriptis eruens, Seraphici huius Doctoris mentem, methodumque Angelici commodè conciliarem; inſtitui ita tripartitam D. Thomæ diuiſionem admittere, vt D. BONAVENTVRÆ Tomorum numerum non dimitterem. Porro hunc totum ſuum Opus ſeptem Tomis; illum verò totam ſuam Summam tribus concluſiſſe partibus, in vrbe, & in orbe notiſſimum eſt. Itaque cùm initium omnis rei, ſiue creandæ, ſiue diſputandæ, à DEO ſit deſumendum: In prima parte huius Theologiæ Summæ agemus per tres Tomos de Deo ſub triplici conſideratione; vt eſt ſcilicet vnus eſſentiâ, & trinus Perſonis, & Creaturarum cauſa: Hoc enim eſt argumentum primæ partis D. Thomæ. Secundam autem Partem, cùm ob multam rerum, & difficultatum ſeriem ſubdiuiſerit Angelicus Doctor in primam ſecundæ, & ſecundæ ſecundam; id ipſum nos quoque præſtabimus. Igitur prima ſecundæ vnico tantùm tomo Deum, vt finem noſtrum vltimum, reſpiciemus, vbi generatìm omnia media ad hunc finem tendentia complectemur, diſſerendo de Humanis Actibus, tum bonis, tum malis: de Habitibus, tam prauis, quàm probis: de Legibus denique, & Gratiâ. Secunda verò ſecundæ tomo item vnico diſputabitur de virtutibus Theologicis, & Cardinalibus; vbi fusè de contractibus, aliiſque humanæ neceſſitudinis commerciis; vti & de diuerſis hominum ſtatibus tractabitur. Tertiâ poſtremò parte, in duos diuiſa tomos, Deum Hominem, ſeu VERBVM carnem factum, vt homines, quos fecit, reficeret, contemplabimur: Et hoc argumentum prior & penultimus ſibi tomus vindicabit: In poſteriori autem, qui & vltimus erit, agetur de ſeptemfluis illis gratiarum rivulis, è cœlo per nouæ Legis Sacramenta exuberantibus, quibus homo ad ſalutis portum ſecundo Flatu fæliciter euehitur. Hic pariter ordo, ſicut & totius Operis Tractatuum, ac Diſputationum Index liquidiùs è ſequenti pagina patebit. Cæterùm ſolitum habeo, in ſingulæ quæſtionis veſtibulo vtrumque S. Doctorem, Seraphicum ſcilicet, & Angelicum, citatos præmittere, vbi concordi ſententiâ idem vterque aſſerit, ſecus ſi vel diuerſa ſenſerint, vel alter tantùm inſtitutam materiam diſcuſſerit. In componendis autem Scholaſticorum diſſidiis, neminem à propria opinione, ad alienam, vi vllâ diuellam: Sat enim erit præclara Seraphici BONAVENTVRÆ dogmata ſartatecta ſeruare, cùm id inſtituti noſtri ſit ratio potiſſima.

INDEX

INDEX SVMMARIVS
TRACTATVVM, ET DISPVTATIONVM,
Quæ continentur in tota hac

THEOLOGIÆ SVMMA,

In ſeptem Tomos diuiſa,

ET AD ANGELICI DOCTORIS METHODVM DIGESTA.

PRIMA PRIMÆ
Tres continet Tomos, & Tractatus decem.

PRIMA SECVNDÆ
Tomum vnicum, & Tractatus quinque complectitur.

SECVNDA SECVNDÆ
Tomum pariter vnicum, & Tractatus habet ſeptem.

TERTIA verò PARS
Duos concludit Tomos, & Tractatus duodecim.

TOMVS PRIMVS PRIMÆ PARTIS
Tractatum habet vnicum

DE DEO VNO.

Diſputationes Proœmiales erunt Septem.

DISPVT. I. DE ipſa Scientia Theologiæ, Lociſque Theologicis in genere.
II. De Scriptura Sacra.
III. De Traditionibus.
IV. De Conciliis.
V. De Authoritate Summi Pontificis.
VI. De conſenſu Patrum, & Theologorum.
VII. De Ratione.

De eiuſdem Tomi, & Tractatus materia,

Diſputationes erunt Vigintiquinque.

DISPVT. I. DE Eſſentia Dei.
II. De quidditate Dei.
III. De ſimplicitate Dei.
IV. De perfectione Dei.
V. De bonitate Dei.
VI. De infinitate Dei.
VII. De immenſitate Dei.
VIII. De immutabilitate Dei.
IX. De Æternitate Dei.
X. De vnitate Dei.
XI. De cognitione Diuinitatis.
XII. De diuinis Nominibus.

XIII. De Scientia Dei.
XIV. De ideis Diuinis.
XV. De eſſentia rerum in Deo.
XVI. De voluntate Dei.
XVII. De amore Dei.
XVIII. De cæteris actibus diuinæ voluntatis.
XIX. De diuina iuſtitia, & miſericordia.
XX. De Prouidentia Dei.
XXI. De Prædeſtinatione.
XXII. De Reprobatione.
XXIII. De Libro Vitæ.
XXIV. De Omnipotentia Dei.
XXV. De Beatitudine Dei.

TOMVS SECVNDVS PRIMÆ PARTIS,

Tres exhibet Tractatus.

I. DE DEO TRINO.
II. DE CREATIONE.
III. DE ANGELIS.

Diſputationes Tractatus primi de SS. TRINITATE, erunt quindecim.

DISPVT. I. DE cognoſcibilitate huius Myſterij.
II. De emanationibus diuinis.
III. De relationibus diuinis.
IV. De notionibus diuinis.
V. De Perſonis in communi.
VI. De Perſonis diuinis in particulari.
VII. De numero Perſonarum diuinarum.
VIII. De perſona Dei Patris.
IX. De perſona Filij Dei.
X. De Spiritu Sancto.
XI. De perſonis relatis ad eſſentiam.
XII. De perſonis diuinis comparatis ad relationes.
XIII. De perſonis comparatis ad actus notionales.
XIV. De æqualitate, & ſimilitudine Perſonarum.
XV. De Miſſione Perſonarum Diuinarum.

Tractatus ſecundus de CREATIONE vnicam habet Diſputationem,

De Natura ſcilicet Creationis.

Diſputationes Tractatus tertij de ANGELIS, erunt quindecim.

DISPVT. I. DE ſubſtantia Angelorum.
II. De intellectu Angelorum.
III. De voluntate Angelorum.
IV. De creatione Angelorum.
V. De gratia Angelorum.
VI. De gloria Angelorum.
VII. De malitia Angelorum.
VIII. De pœna dæmonum.
IX. De loco Angelorum.
X. De motu Angelorum.
XI. De potentia Angelorum.
XII. De Miſſionibus ſanctorum Angelorum.
XIII. De cuſtodia Angelorum.
XIV. De infeſtatione dæmonum.
XV. De menſura Angelorum.

TERTIVS TOMVS PRIMÆ PARTIS,

Sex profert Tractatus.

I. DE OPERIBVS Sex Dierum, ſiue Hexaëmeron.
II. DE COELIS.
III. DE ELEMENTIS.
IV. DE CORPORIBVS MIXTIS.
V. DE ANIMA.
VI. DE PRIMIS PARENTIBVS.

Diſputationes Tractatus primi de HEXAEMERONE, erunt viginti ſupra vnam, per quas varia diuerſorum generum ſyſtemata Syderum, & Elementorum ſitum indicantia, diſpertiuntur.

DISPVT. I. DE principiis internis rerum corporearum.
II. De materia prima.
III. De forma.
IV. De priuatione.
V. De vnione.
VI. De compoſito.
VII De natura.
VIII. De cauſis.
IX. De quantitate.
X. De infinito.
XI. De motu.
XII. De loco.
XIII. De vacuo.
XIV. De duratione.
XV. De tempore.
XVI. De motu locali.
XVII. De mobili.
XVIII. De mouente.
XIX. De generatione.
XX. De alteratione.
XXI. De inceptione rerum, & deſitione.

Diſputationes Tractatus ſecundi de COELO, erunt duæ.

DISPVT. I DE Cœlo Empyreo.
II. De Cœlis mobilibus.

Diſputationes Tractatus tertij de ELEMENTIS erunt quatuor.

DISPVT. I. DE Elemento Terræ.
II. De Aqua.
III. De Aëre.
IV. De igne.

Diſputationes Tractatus quarti de CORPORIBVS MIXTIS erunt quinque.

DISPVT. I DE corporibus mixtis in genere.
II. De corporibus animatis.
III. De corpore humano.
IV. De Anatomia corporis humani, per plura capita, &c.
V. De phyſionomia hominis.

Diſputationes Tractatus quarti de ANIMA erunt vndecim.

DISPVT. I. DE Anima in genere.
II. De potentiis animæ.
III. De anima vegetatiua.
IV. De anima ſenſitiua.
V. De ſenſibus externis.
VI. De ſenſibus internis.
VII. De appetitu ſenſitiuo.
VIII. De potentia locomotiua animalis.
IX. De anima rationali.
X. De anima ſeparata.
XI. De Somno.

Diſputationes Tractatus ſexti de PRIMIS PARENTIBVS erunt tres.

DISPVT. I. DE priuilegiis primi Hominis.
II. De lapſu primorum parentum.
III. De ſtatu Filiorum Adæ.

PRIMÆ SECVNDÆ

Tomus Vnicus, & Quartus in ordine,
Quinque Tractatus amplectitur.

I. DE ACTIBVS HVMANIS.
II. DE HABITIBVS.
III. DE PECCATO.
IV. DE LEGIBVS.
V. DE GRATIA.

Diſputationes Tractatus primi de ACTBVS HVMANIS erunt decem & octo.

DISPVT. I. DE fine in genere.
II. De Beatitudine.
III. De voluntario, & inuoluntario.
IV. De circumſtantiis humanorum actuum.
V. De his, quæ ſint volita.
VI. De motiuo voluntatis.
VII. De fruitione.
VIII. De intentione.
IX. De electione.
X. De Conſilio.
XI. De conſenſu.
XII. De vſu.
XIII. De imperio, & actibus imperatis.
XIV. De bonitate, & malitia actuum humanorum.
XV. De bonitate, & malitia actus interni.
XVI. De bonitate, & malitia actus externi.
XVII. De conſcientia, vbi de Alexandri VII. Decretis, quibus plures erroneæ conſcientiæ opiniones communes cum Brutis damnantur, & per quadraginta tres ſectiones diſcutiuntur.
XVIII. De actibus hominis.

Diſputationes Tractatus ſecundi de HABITIBVS erunt quinque.

DISPVT. I. DE habitibus in genere.
II. De Virtutibus.
III. De donis Spiritus Sancti.
IV. De Beatitudinibus.
V. De vitiis.

Diſputationes Tractatus tertij de PECCATO erunt quinque.

DISPVT. I. DE peccato in genere.
II. De peccato mortali, & veniali.
III. De cauſis peccatorum.
IV. De peccato originali.
V. De effectibus peccatorum.

Diſputationes Tractatus quarti de LEGIBVS erunt vndecim.

DISPVT. I. DE Legibus in genere.
II. De Lege Æterna.
III. De Lege naturæ.
IV. De jure gentium.
V. De Lege humana ſcripta.
VI. De Lege ciuili.
VII. De Lege Canonica.
VIII. De conſuetudine.
IX. De priuilegiis.
X. De Lege veteri.
XI. De Lege noua.

Diſputationes Tractatus quinti de GRATIA erunt quatuor.

DISPVT. I. DE Auxiliis per Chriſtum.
II. De gratia habituali.
III. De juſtificatione.
IV. De merito.

SECVNDÆ SECVNDÆ

Tomus Vnicus, & Quintus in ordine.

Septem Tractatus complectitur.

I. DE VIRTVTIBVS.
II. DE CONTRACTIBVS.
III. DE RELIGIONE.
IV. DE VOTIS.
V. DE FORTITVDINE.
VI. DE TEMPERANTIA.
VII. DE VARIIS HOMINVM STATIBVS.

Diſputationes Tractatus primi de VIRTVTIBVS erunt triginta quinque.

DISPVT. I. DE Fide.
II. De infidelitate.
III. De Hæreſi.
IV. De Spe.
V. De timore.
VI. De deſperatione.
VII. De præſumptione.
VIII. De Charitate.
IX. De effectibus internis Charitatis, Gaudio ſcilicet, Pace, & Miſericordia.
X. De effectibus externis Charitatis.
XI. De odio.
XII. De acedia.
XIII. De inuidia.
XIV. De diſcordia, & contentione.
XV. De Schiſmate.
XVI. De Bello.
XVII. De rixa, & ſeditione.
XVIII. De ſcandalo.
XIX. De dono Sapientiæ.
XX. De prudentia.
XXI. De dono Conſilij.
XXII. De vitiis prudentiæ contrariis.
XXIII. De iuſtitia.
XXIV. De reſtitutione.
XXV. De acceptione perſonarum.
XXVI. De homicidio.
XXVII. De furto, & rapina.
XXVIII. De judice.
XXIX. De reo.
XXX. De teſtibus.
XXXI. De Aduocato.
XXXII. De Notario, & Tabellione.
XXXIII. De contumelia.
XXXIV. De detractione.
XXXV. De ſuſurratione, irriſione, & maledictione.

Diſputationes Tractatus ſecundi de CONTRACTIBVS erunt duodecim.

DISPVT. I. DE contractibus in genere.
II. De acquiſitione Dominij in perſonas, & res alias, &c.
III. De promiſſione.
IV. De donatione.
V. De emptione, & venditione.
VI. De vſura.
VII. De cenſibus.
VIII. De cambiis.
IX. De contractu Societatis.
X. De emphyteuſi, Locatione, conductione, & Feudo.
XI. De teſtamentis.
XII. De legatis.

Diſputationes Tractatus tertij de RELIGIONE erunt ſex.

DISPVT. I. DE Religione in genere.
II. De deuotione.
III. De Oratione.
IV. De Adoratione.
V. De Sacrificio.
VI. De decimis.

Diſputationes Tractatus quarti de VOTIS erunt quindecim.

DISPVT. I. DE Voto in genere.
II. De Votis ſolemnibus, ſeu de ſtatu Religionis.
III. De Voto obedientiæ.
IV. De Voto paupertatis.
V. De Voto Caſtitatis.
VI. De juramento.
VII. De adjuratione.
VIII. De diuinis laudibus.
IX. De obſeruatione feſtorum.
X. De ſuperſtitione.
XI. De tentatione Dei.
XII. De perjurio.
XIII. De ſacrilegio.
XIV. De ſimonia.
XV. De cæteris virtutibus.

Diſputationes Tractatus quinti de FORTITVDINE erunt duæ.

DISPVT. I. DE fortitudine.
II. De virtutibus fortitudini adjunctis.

Diſputationes Tractatus ſexti de TEMPERANTA erunt duæ.

DISPVT. I. DE virtute Temperantiæ.
II. De vitiis oppoſitis virtuti Temperantiæ.

Diſputationes Tractatus ſeptimi de VARIIS HOMINVM STATIBVS, erunt quatuor.

DISPVT. I. DE ſtatibus, & perfectione in communi
II. De Statu Epiſcoporum.
III. De Statu Prælaturæ Regularis.
IV. De ſtatu vitæ activæ, & contemplativæ.

TERTIA PARS

Duos complectitur Tomos

Sextum, & Septimum in ordine.

I. DE INCARNATIONE.
II. DE SACRAMENTIS.

Tomus Primus Tertiæ Partis, Tractatum habet vnicum

DE INCARNATIONE.

Diſputationes hujus Tractatus de INCARNATIONE erunt quadraginta tres.

DISPVT. I. DE exiſteotia Incarnationis.
II. De conuenientia Iucarnationis.
III. De neceſſitate Iocarnationis.
IV. De fine Incarnationis.
V. De formali ratione Incarnationis.
VI. De ratione formali morali Incarnationis.
VII. De cauſa efficiente Incarnationis.
VIII. De perſona aſſumente.
IX. De natura Aſſumpta.
X. De ordine voionis.
XI. De gratia ſingularis Perſonæ Chriſti.
XII. De virtutibus, & donis Chriſti.
XIII. De gratia Chriſti Capitis.
XIV. De ſcientia animæ Chriſti.
XV. De potentia animæ Chriſti.
XVI. De defectibns Corporis Chriſti.
XVII. De defectibus animæ Chriſti.
XVIII. De communicatione idiomatum.
XIX. De vnitate eſſentiæ.
XX. De pluralitate voluntatum Chriſti.
XXI. De meritis Chriſti.
XXII. De ſubjectione Chriſti.
XXIII. De oratione Chriſti.
XXIV. De Sacerdotio Chriſti.
XXV. De Filiatione Chriſti Divina.
XXVI. De Prædicatione Chriſti.
XXVII. De adoratione Chriſti.
XXVIII. De B. Virgine Deipara.
XXIX. De Conceptione Chriſti.
XXX. De Natiuitate Chriſti.
XXXI. De legalibus circa puerum Ieſum.
XXXII. De vita Chriſti ad annum trigeſimum.
XXXIII. De Baptiſmo Ioannis.
XXXIV. De ratiooe vitæ Chriſti.
XXXV. De tentatione Chriſti.
XXXVI. De doctrina Chriſti.
XXXVII. De miraculis Chriſti.
XXXVIII. De Transfiguratione Chriſti.
XXXIX. De Paſſione Chriſti.
XXXX. De deſcenſu Chriſti ad Inferos.
XXXXI. De Reſurrectiono Chriſti.
XXXXII. De Aſcenſione Chriſti.
XXXXIII. De Iudicio extremo.

TOMVS SECVNDVS.

Tertiæ Partis, & Septimus in ordine

Vndecim profert Tractatus.

I. DE SACRAMENTIS IN GENERE.
II. DE SACRAMENTO BAPTISMI.
III. DE SACRAMENTO CONFIRMATIONIS.

IV. In

IV. In duas Partes dividitur.
Pars prima, de SANCTISSIMO EVCHARISTIÆ SACRAMENTO.
Pars ſecunda, de SACROSANCTO MISSÆ SACRIFICIO.
V. DE SACRAMENTO POENITENTIÆ.
VI. DE SACRAMENTO EXTREMÆ VNCTIONIS.
VII. DE PVRGATORIO.
VIII. DE INDVLGENTIIS.
IX. DE CENSVRIS.
X. DE SACRAMENTO ORDINIS.
XI. DE MAGNO MATRIMONII SACRAMENTO.

Diſputationes Tractatus primi de SACRAMENTIS in genere, erunt ſex.

Dispvt. I. DE eſſentia Sacramenti.
II. De neceſſitate Sacramentorum.
III. De cauſa efficiente Sacramentorum.
IV. De Gratia, vt effectus Sacramentorum.
V. De Charactere.
VI. De recipientibus Sacramenta.

Diſputationes Tractatus ſecundi de BAPTISMO, erunt ſex.

Dispvt. I. DE eſſentia Baptiſmi.
II. De neceſſitate Baptiſmi.
III. De cauſa efficiente Baptiſmum.
IV. De effectibus Baptiſmi.
V. De recipientibus Baptiſmum.
VI. De cæremoniis Baptiſmi.

Diſputationes Tractatus tertij de CONFIRMATIONE, erunt quinque.

Dispvt. I. DE Confirmationis natura.
II. De cauſa efficiente Confirmationis.
III. De effectibus Confirmationis.
IV. De recipientibus Confirmationem.
V. De cæremoniis Confirmationis.

Diſputationes primæ partis Tractatus quarti de SS. EVCHARISTIÆ Sacramento, erunt vndecim.

Dispvt. I. DE eſſentia hujus SS. Sacramenti.
II. De neceſſitate Euchariſtiæ.
III. De materia Euchariſtiæ remota.
IV. De forma hujus Sacramenti.
V. De præſentia Chriſti in Euchariſtia.
VI. De accidentibus Sacramentalibus.
VII. De effectibus Euchariſtiæ.
VIII. De ſuſceptione Euchariſtiæ.
IX. De præceptis Communionis.
X. De cultu hujus SS. Sacramenti.
XI. De miniſtro hujus Sacramenti.

Diſputationes ſecundæ partis ejuſdem Tractatus de SACRIFICIO MISSÆ, ſunt duodecim.

Dispvt. I. DE exiſtentia Sacrificij Miſſæ.
II. De eſſentia Sacrificij Miſſæ.
III. De offerentibus Miſſam.
IV. De his pro quibus offertur Miſſa.
V. De effectu, & valore Miſſæ.
VI. De tempore Miſſæ.
VII. De loco Miſſæ, & cæteris circumſtantiis.
VIII. De ritibus Miſſæ.
IX. De defectibus Miſſæ ſupplendis.
X. Pro quibus ſit Miſſa applicanda.
XI. De miniſtrante Sacerdoti.
XII. De præcepto audiendi Miſſam.

Diſputationes Tractatus quinti de POENITENTIÆ Sacramento, erunt duæ.

Dispvt. I. DE virtute Pœnitentiæ.
II. De Pœnitentiæ Sacramento.

De quo fusè per plures agitur ſectiones.

Diſpu

Diſputationes Tractatus ſexti de EXTREMÆ VNCTIONIS Sacramento, erunt quinque.

DISPVT. I. DE exiſtentia,& eſſentia hujus Sacramenti.
II. De effectu, & fine hujus Sacramenti.
III. De ſubjecto hujus Sacramenti.
IV. De Miniſtro hujus Sacramenti.
V. De præceptis, & ritibus hujus Sacramenti.

Diſputationes Tractatus ſeptimi de PVRGATORIO, erunt quatuor.

DISPVT. I. DE Purgatorij exiſtentia.
II. De Purgatorij pœnis.
III. De ſtatu gratiæ Animarum Purgatorij.
IV. De ſuffragiis.

Diſputationes Tractatus octaui de INDVLGENTIIS, erunt duæ.

DISPVT. I. DE eſſentia Indulgentiarum.
II. De natura Indulgentiæ.

Diſputationes Tractatus noni de CENSVRIS, erunt octo.

DISPVT. I. DE cenſuris in genere.
II. De excommunicatione.
III. De ſingulis excommunicationibus.
IV. De ſuſpenſione.
V. De degradatione.
VI. De interdicto.
VII. De ceſſatione à diuinis.
VIII. De irregularitate.

Diſputationes Tractatus decimi de ORDINIS Sacramento, erunt quinque.

DISPVT. I. DE exiſtentia, & eſſentia Ordinis.
II. De effectibus Sacramenti Ordinis.
III. De miniſtro Ordinis.
IV. De ſuſcipiente hoc Sacramentum.
V. De obligationibus adnexis Ordinibus Sacris.

Diſputationes Tractatus vltimi de MATRIMONIO, erunt decem.

DISPVT. I. DE ſponſalibus.
II. De eſſentia matrimonij.
III. De conſenſu clandeſtino.
IV. De conſenſu coacto.
V. De conſenſu conditionato.
VI. De donationibus mutuis ſponſorum.
VII. De impedimentis matrimonij.
VIII. De diſpenſationibus.
IX. De coniugali debito.
X. De diuortio.

Finis Indicis ſummarij.

INDEX

DISPVTATIONVM, ET QVÆSTIONVM,

Quæ in hoc Primo Tomo, & Tractatu

DE DEO VNO

HABENTVR.

DISPVTATIO PRIMA,

PROOEMIALIS.

De ipſa Scientia Theologiæ, lociſque Theologicis in genere.

QVÆST.I. AN neceſſe ſit exiſtere Theologiam Scholaſticam. pag.9
II. An Theologia ſit ſcientia. 10
III. An Theologia ſit ſubalternata. 13
IV. An Thologia ſit vna. 14
V. An Theologia ſit practica, vel ſpeculatiua. 15
VI. An Theologia ſit Sapientia nobilior omnibus ſcientiis. 19
VII. Quodnam ſit Theologiæ ſubiectum. 20
VIII. An Theologia noſtra maneat in Patria. 22
IX. An poſſint validè probari à Theologo rationibus principia noſtræ Theologiæ. ibid.
X. Quænam ſint loca Theologica vnde ſumantur argumenta pro noſtra fide. 24

DISPVTATIO II.

De Scriptura Sacra, primo loco Theologico.

QVÆST.I. QVid ſit Scriptura Sacra. pag.26
II. Quæ ſit Scriptura Sacra; vbi etiam per plures Paragraphos agitur de Libris Canonicis apud Hæreticos in controuerſiam vocatis. 28
III. An editio Hebraica originaria extet. 36
IV. De editionibus cæteris peregrinis. 37
V. De Latinis editionibus. 38
VI. De editionibus Scripturæ vulgaribus. 41
VII. An Scriptura ſit per ſe clara, an verò egeat explicatione. 42
VIII. An Scriptora ſub eadem littera claudat plures ſenſus. 44
IX. An Scriptura vel Eccleſia adhibeat ſenſus aliquos per accommodationem. 47
X. An idem locus Scripturæ plures habeat ſenſus litterales. 48
XI. Apud quem ſit authoritas exponendi Scripturam. 49

DISPVTATIO III.

De ſecundo loco Theologico.

QVÆST.I. QVid ſit Traditio, & quotuplex. pag.54
II. An dentur Traditiones neceſſariæ, & ad dogmata confirmanda. 55

Index Diſputationum & Quæſtionum.

DISPVTATIO IV.

De Conciliis, tertio loco Theologico.

QVÆST.I. QVæ ſint Concilia approbata, & quæ non. pag.59
II. An ſint neceſſaria Concilia. 61
III. Cujus ſit adunare Concilia. ibid.
IV. Quinam ſint ad Concilium vocandi. 62
V. An Epiſcopi in Concilio ſint judices, an ſolùm diſcuſſores. 64
VI. Quis præſidere debeat in Concilio generali. 65
VII. An Concilia generalia ſint infallibilia in Decretis. 67
VIII. An Concilium ſit ſupra Pontificem. 69

DISPVTATIO V.

De authoritate ſummi Pontificis, quarto loco Theologico.

QVÆST.I. AN optimum regimen ſit Monarchia. pag.73
II. An Eccleſiaſticum regimen ſit Monarchia. 75
III. An Petrus fuerit Eccleſiæ Monarcha. 80
IV. An Romanus Pontifex ſuccedat Petro in Eccleſiaſtica Monarchia. 86
V. An certum ſit Romani Pontificis de rebus Fidei judicium. 94

DISPVTATIO VI.

De conſenſu Sanctorum Patrum, & Theologorum.

QVÆST.I. QVam authoritatem obtineat vnanimis conſenſus SS. Patrum. pag.95
II. Quam authoritatem obtineat vnanimis conſenſus Theologorum. 96

DISPVTATIO VII.

De Ratione.

QVÆST. VNICA. QVo pacto naturalis ratio Theologo deſeruiat. pag.96

SEQVVNTVR

DISPVTATIONES, ET QVÆSTIONES

DE MATERIA EIVSDEM

TOMI PRIMI.

DISPVTATIO PRIMA.

De exiſtentia Dei.

QVÆST.I. AN exiſtentia ſit de eſſentia Dei. pag.1
II. An ſolius Dei ſit proprium verè exiſtere. 3
III. An eſſe Dei ſit ſimpliciter neceſſarium. 4
IV. An hæc propoſitio: *Deus eſt*, ſit per ſe nota. 6
V. An Deum eſſe ſit demonſtrabile. 9

DISPVTATIO II.

De quidditate Dei.

QVÆST.I. AN eſſe Dei totam includat ejus quidditatem. pag.12
II. Quid ſit Deus. 13
III. Quæ ſit ratio per ſe primò conſtitutiua diuinæ eſſentiæ. ibid.

DISPVTATIO III.

De ſimplicitate Dei.

QVÆST.I. AN Deus ſit corpus. pag.15
II. An in Deo ſit compoſitio ex materia, & forma. 16

III. An

III. An Deus ſit in aliquo Prædicamento. ibid.
IV. An in Deo ſint accidentia. 19
V. An Deus veniat in compoſitionem aliorum. ibid.
VI. An Deus ſit ſummè ſimplex. ibid.
VII. An ſimplicitas ſit Dei propria. 21
VIII. Quo pacto multitudo perfectionum eſſentialium Dei, non obſit diuinæ ſimplicitati. ibid.
IX. An attributa diuina ſint de conceptu diuinæ eſſentiæ, & è contra, & idem de ipſis inter ſe comparatis dicendum ſit. 34

DISPVTATIO IV.

De Perfectione Dei.

QVÆST. I. AN Deus ſit perfectiſſimum ens. pag. 34
II. Vtrum in Deo perfectiones omnium rerum reperiantur. 36

DISPVTATIO V.

De Bonitate Dei.

QVÆST. I. AN ſolus Deus ſit bonus per eſſentiam. pag. 37
II. An creata addita Deo faciant maius bonum. 39

DISPVTATIO VI.

De Infinitate Dei.

QVÆST. I. AN Deus ſit infinitus ſecundùm ſuam eſſentiam. pag. 40
II. Vtrum poſſit à Deo produci ad extra infinitum. 43

DISPVTATIO VII.

De Immenſitate Dei.

QVÆST. I. AN Deus ſit in omnibus rebus. pag. 50
II. An ex operatione Dei inferatur eius immenſitas. 51
III. An Deus ſit in mundo localiter. 55
IV. An Deus poſſit dici localis. 56
V. An eſſe vbique ſit proprium Dei. 57
VI. An eſſe vbique conueniat Deo. ibid.
VII. Vtrum Deus ſit in ſpatiis imaginatiis. 58
VIII. An Deus ſit in omnibus rebus per præſentiam, eſſentiam & potentiam. 62
IX. Vtrum Deus ſit vniformiter in omnibus rebus. 63
X. De variis effectibus cauſatis à Deo in rebus. 64

DISPVTATIO VIII.

De Immutabilitate Dei.

QVÆST. I. AN Deus ſit immutabilis. pag. 65
II. An immutabilitas ſit propria Dei. 67

DISPVTATIO IX.

De Æternitate Dei.

QVÆST. I. DE nomine, & acceptione æternitatis. pag. 68
II. Quid ſit æternitas. ibid.
III. An æternitatis eſſentia ſit tota realis, & quæ 70
IV. Vtrum differat Æuum ab æternitate per ſucceſſiones. 73
V. Quibus omnino modis differat æternitas ab Æuo, & tempore. 83
VI. An Deus ſit æternus. 84
VII. An ſolus Deus ſit æternus. 85

DISPVTATIO X.

QVÆST. I. AN vnitas in Deo, & in ſe ſit aliquid poſitiuum. pag. 85
II. An ſit tantùm vnus Deus. 87

DISPVTATIO XI.

QVÆST.I. VTrum poſſit aliquis intuitiuè Deum cognoſcere. pag 90
II. An Deus videatur à Beatis media ſpecie impreſſa. 94
III. An poſſit dari ſpecies intelligibilis clarè Deum repræſentans. 96
IV. An Beati videndo Deum produeant Verbum. 100
V. Vtrum viſio fiat proximè ab intellectu videntis. 102
VI. An Deus vniatur intellectui beato in modum ſpeciei. 103
VII. An poſſit diuina eſſentia, videri ab oculo corporeo. 106
VIII. An poſſit intellectus creatus viribus naturæ videre Deum. 108
IX. An poſſit creari intellectus, cui ſit connaturalis viſio Dei. 109
X. An ad viſionem Diuinæ eſſentiæ nunc infundatur habitus luminis gloriæ. 114
XI. Quo munere fungatur lumen gloriæ. 117
XII. An abſolutâ Dei potentiâ valeat Beatus videre diuinam eſſentiam abſque habitu luminis. 121
XIII. An viſio beata ſit connaturalis intellectui lumini gloriæ. 123
XIV. An viſio Dei ſit ſcientia perfectiſſima. 124
XV. An viſio beata hominum, & Angelorum ſit ejuſdem ſpeciei. 125
XVI. An viſio Dei ſit intenſionis inæqualis in Beatis. 126
XVII. Vndenam proximè oriatur inæqualitas viſionis in Beatis. 130
XVIII. An viſio poſſit eſſe inæqualis, eò quòd vnus videat eſſentiam cum omnibus attributis: alius verò non omnia attributa videat. 133
XIX An videntes Dei eſſentiam neceſſariò videant etiam perſonas. 134
XX. An poſſit videri vna perſona non viſis aliis. 138
XXI. An poſſit aliquis eſſe beatus videndo diuinam eſſentiam, non viſis attributis, & perſonis: vel è contra. ibid.
XXII. Vtrum omnes Beati videntes Deum videant decreta Diuinæ voluntatis. 140
XXIII. An, & quomodò Beati videant in Deo creaturas. ibid.
XXIV. An Beati neceſſariò videant in Verbo creaturas omnes poſſibiles. 144
XXV. An Beatus videre queat omnia futura. 148
XXVI. Quæ res videantur à Beatis in Verbo. 150
XXVII. An, & quomodò videntes Deum, illum non comprehendant. 152
XXVIII. An aliquis Viator viderit Deum. 155
XXIX. An Deus ſit cognoſcibilis per creaturas. 158
XXX. An cognitio Dei per creaturas conueniat homini pro omni ſtatu. 159

DISPVTATIO XII.

De Diuinis Nominibus.

QVÆST.I. AN Deus ſit infallibilis. pag.161
II. An dentur plura nomina Deo conuenientia; & quæ. 164
III. Vtrum aliquod nomen de Deo ſubſtantialitèr dicatur. 165
IV. Vtrum aliqua nomina dicantur de Deo. 166
V. An nomina, quæ de Deo in tempore dicuntur, dicantur per ſe: an per accidens. 167
VI. An nomina, quæ dicuntur de Deo in tempore, dicant in eo realem relationem ad creaturas. ibid.
VII. Vtrum nomina dicantur de Deo propriè. 172
VIII. An nomina dicantur vniuocè de Deo, & creaturis. 174
IX. Vtrum hoc nomen DEVS, ſit nomen naturæ. 178
X. An nomen DEVS ſit communicabile creaturis. 179
XI. An nomen DEVS, & QVI EST, & TETAGRAMMATON, ſint nomina diſtincta. ibid.

DISPVTATIO XIII.

De Scientia Dei.

QVÆST.I. AN Deus habeat ſcientiam propriè. pag.183
II. An, & quomodò Deus intelligat ſeipſum. 186
III. An Deus cognoſcat alia à ſe. 187
IV. Vtrum Deus omnia alia à ſe diſtincta intelligat. 189
V. Quomodò Deus videat entia poſſibilia. 190

VI. An

V I. An Deus cognoſcat futura ex reali eorum præſentia in Æternitate. 198
V I I. Quo pacto Deus cognoſcat certò futura contingentia. 203
V I I I. An futura contingentia ſint determinatæ veritatis. 215
I X. Vtrum ſcientia Dei ſit cauſa futurorum. 217
X. Vtrum potentia Dei ſit cauſata à rebus. 219
XI. Quomodò præſentia Dei ſtet cum futurorum contingentia. ibid.
XII. An detur in Deo ſcientia media. 227
XIII. Vtrum Deus cognoſcat actu infinita. 242
XIV. Vtrum Deus cognoſcat non entia, & quomodò. 243
X V. An Deus cognoſcat malum culpæ in bonitate ſua; an in bonitate virtutis. 245
X V I. Vtrum ſcientia Dei ſit compoſita, & diſcurſiua. 246
X V I I. Vtrum ſcientia Dei ſit immutabilis. 247

DISPVTATIO XIV.

De Ideis.

QVÆST. I. AN dentur ideæ in diuino intellectu, & quid ſint. pag. 249
II. An ideæ ſint res creatæ objectiuè in mente diuina; an verò ipſa Dei eſſentia. 251
III. An plures ſint ideæ diuinæ, & quomodò. 259
I V. Quarum rerum dentur ideæ. 260
V. Quot ſint ideæ. 263
V I. An ideæ ordinem habeant. 264

DISPVTATIO XV.

De exiſtentia rerum in Deo.

QVÆST. I. VTrum res fuerint ab æterno in Deo. pag. 147
II. Vtrum res ſint in Deo ratione eſſentiæ, vel ratione perſonarum. 268
III. An omnia creata ſint in Deo vita. ibid.
I V. An res ſint veriùs in Deo quàm in proprio genere. 26[illegible]

DISPVTATIO XVI.

De voluntate Dei.

QVÆST. I. VTrum in Deo ſit voluntas. pag. 270
II. An Deus velit omnia à ſe; & an neceſſariò. 271
III. Quid ſit velle liberum Dei, & quo pacto ſtet cum diuina immutabilitate. 274
I V. Vtrum euidenter probari queat, Deum extra operari voluntate, non natura. 284
V. Vtrum voluntas Dei ſit cauſa rerum propinquior, & immediatior, quàm intellectus. 286
V I. An detur aliqua cauſa diuinæ voluntatis. 290
VII. An, & quomodò rectè aſſignetur Ordo inſtantium, & ſignorum in actibus diuinis. 292
VIII. Quotuplex ſit voluntas Dei. 295
I X. An Deus voluntate beneplaciti velit omnes ſaluos fieri. 297
X. An voluntas antecedens ſit abſoluta, vel conditionata. 299
X I. Quæ ſint diuinæ voluntatis ſigna. 300
XII. Vtrum Deus velit mala pœnæ. 301
X III. An Deus velit malum culpæ. ibid.
XI V. An permiſſio peccati ſit actus Dei poſitiuus. 316
X V. An Deus ab æterno decreuit ſingulas actiones liberas. 317
X V I. An actus liberi boni ſint prædefiniti ante vſum libertatis. 320
X V I I. An Deus prædeterminauerit entitatem phyſicam culpæ annexam ante liberum arbitrium. 321
X V I I I. An poſtquam Deus decreuit aliquid, habeat potentiam phyſicam, vt illud non ſit. 326
XIX. An omnem voluntatem Dei neceſſe ſit impleri. 328
XX. An Deus ſemper neceſſariò velit id, quod eſt optimum. 329

DISPVTATIO XVII.

De Amore Dei.

QVÆST.I. AN Deus amet ſeipſum amore propriè ſumpto. pag. 330
II. An ſit in Deo amor erga creaturas. 331
III. An Deus amet creaturas amore concupiſcentiæ. 332
IV. Vtrum Deus dilexerit creaturas æternaliter. 333
V. An Deus omnia diligat generalitèr. 334
VI. An Deus æqualitèr omnia diligat. ibid.
VII. Vtrum Deus magis diligat hominem, quàm Angelum. ibid.
VIII. Vtrum Deus magis dilexerit totum genus humanum, quàm Chriſtum Dominum. 335
IX. Vtrum Deus dilexerit magis Petrum, an Ioannem. ibid.

DISPVTATIO XVIII.

De cæteris actibus Diuinæ voluntatis.

QVÆST.I. AN in Deo ſit odium propriè. pag. 336
II. An ſit in Deo deſiderium, & fuga. ibid.
III. An in Deo poſſit eſſe ſpes. 337
IV. An Deo conveniat gaudium, ſeu delectatio. ibid.
V. An ira Deo conveniat. ibid.
VI. An actus voluntatis deliberatæ Deo conueniat. ibid.
VII. An ſit in Deo actus virtutum. ibid.

DISPVTATIO XIX.

De Iuſtitia, & Miſericordia.

QVÆST.I. AN inter Deum, & nos intercedat iuſtitia commutatiua. pag. 338
II. An ſit in Deo iuſtitia diſtributiua. 345
III. An ſit in Deo iuſtitia generalis. 349
IV. Vtrum ſit in Deo miſericordia. 350
V. An in aliquo Dei opere ſit miſericordia, & veritas. ibid.
VI. An in eodem opere Domini ſit miſericordia, & veritas. 351
VII. An in omni opere maximè iuſtificationis, ſit miſericordia, & veritas inſeparabilitèr ibid.
VIII. Vtrum Deus juſtiùs agat cum vno, quàm cum alio. 352
IX. Vtrum Deus miſericordiùs agat cum vno, quàm cum alio. ibid.

DISPVTATIO XX.

De Prouidentia Dei.

QVÆST.I. AN Prouidentia ſit actus intellectus, vel voluntatis. pag. 353
II. An rerum omnium Deus habeat Prouidentiam. 354
III. Quæ Prouidentia ſit Dei circa mala. 357
IV. Vtrum ſufficiat Prouidentiæ ordinare res in finem: An verò debeant finem ipſum conſequi. 360

DISPVTATIO XXI.

De Prædeſtinatione.

QVÆST.I. AN detur Prædeſtinatio Dei. pag. 362
II. Quid ſit prædeſtinatio. ibid.
III. An prædeſtinatio ſit actus immanens æternus. 363

IV. An

IV. An prædeſtinatio ſit Deo libera. 364
V. An prædeſtinatio ſit actus intellectus vel voluntatis. ibid.
VI. An prædeſtinatio ſit electio. 365
VII. An electio ad gloriam ſit primus actus prædeſtinationis: an verò priùs ſit præuiſio meritorum. ibid.
VIII. An ſaltem aliqui, eximiè dilecti Sancti, aut Angeli, fuerint ad gloriam electi ante præuiſa merita. 384
IX. An electio hominum, & Angelorum ad gloriam fuerit determinata ad tales perſonas, & ad tot gradus gratiæ, & gloriæ. 385
X. An omnes homines ſimul cum Angelis fuerint electi. 386
XI. An totius prædeſtinationis detur cauſa meritoria. 389
XII. An detur ratio congrua motiua totius prædeſtinationis. 396
XIII. An prædeſtinatio noſtra facta ſit ex meritis Christi. 414
XIV. An Chriſti prædeſtinatio ſit cauſa finalis, & exemplaris. 419
XV. An prædeſtinatio noſtra iuvari poſſit meritis Sanctorum. 420
XVI. An prædeſtinatio habeat aliquos effectus. 421
XVII. Quæ conditiones requirantur, vt aliquis ſit effectus prædeſtinationis. 422
XVIII. An vocatio, juſtificatio, & glorificatio ſint tres effectus prædeſtinationis. ibid.
XIX. An bona naturalia, & moralia arbitrij, atque permiſſio peccati poſſit eſſe effectus prædeſtinationis. 424
XX. An, & quomodò ex prædeſtinatione non temeretur noſtra libertas. 427
XXI. An, & quomodò prædeſtinatio ſit certa. 437
XXII. An poſſit aliquis in hac vita ſcire an ſit prædeſtinatus. 439

DISPVTATIO XXII.

De Reprobatione.

QVÆST. I. AN detur reprobatio diuina. pag. 440
II. Quid ſit reprobatio. 441
III. An detur reprobis cauſa reprobationis. ibid.
IV. Quo pacto obduratio ſit culpa, vt à reprobo; & ſit pœna vt à Deo. 451
V. An Deus omnibus paruulis prouiderit media neceſſaria ad ſalutem. 454
VI. An Deus prouiderit omnibus reprobis adultis media ſufficientia ad ſalutem. 455

DISPVTATIO XXIII.

De Libro Vitæ.

QVÆST. I. AN Liber Vitæ ſit Dei notitia circa prædeſtinatos. pag. 459
II. An in Libro vitæ omnia ſcribantur. 460
III. An aliquis deleatur de Libro Vitæ. ibid.

DISPVTATIO XXIV.

De Omnipotentia Dei.

QVÆST. I. AN præter voluntatem neceſſaria ſit Deo potentia ad operandum. pag. 462
II. An potentia Dei ſit infinita. 467
III. An Deus poſſit in omne agenti creato impoſſibile. 470
IV. An Deus poſſit facere, vt præteritum ſit præſens. 471
V. Quâ ratione Deus ſit omnipotens. ibid.
VI. An poſſit Deus alia producere in infinitum. 473
VII. An Deus potuerit facere mundum ſubſtantialitèr meliorem. 475
VIII. An Deus poſſit facere hunc mundum in accidentibus meliorem. 476
IX. An Deus potuerit mundum facere

re meliorem, quoad ordinem partium. 477
X. An potuerit Deus facere mundum antiquiorem. 478
XI. An poſſibile, & impoſſibile dicatur ſecundum cauſas ſuperiores; an inferiores. ibid.
XII. An formalis radix contingentiæ ſit operatio Dei. 480

DISPVTATIO XXV.
De Beatitudine Dei.

QVÆST. I. AN Deus ſit Beatus. pag.483
II. An Deus ſit Beatus ſecundùm eſſentiam. ibid.

Finis Indicis Diſputationum, & Quæſtionum Tomi Primi.

APPARATVS SVMMÆ THEOLOGICÆ S. BONAVENTVRÆ.

QVI in hoc mundo obſurdeſcente, Pythagoreis auribus admirabilem concentum è mutua doctrinæ cum Virtutibus harmonia concinnatum aliquando exaudierit, veram inter huius vitæ tempeſtates, ſonanteſque procellas fœlicitatem prægustabit. Abeant inſani in corporis voluptate, aut indolentia, ſeu etiam opibus, & honoribus, quæ imperitum vulgus ad inſaniam propemodùm demiratur, beatitatem immeritò collocantes. Hæc enim ſi ad vngues interſecueritis, illud profectò comperietis, tantùm abeſſe, vt vllam animi tranquillitatem, nedum ſolidam, perfectámque fœlicitatem nobis valeant afferre, vt animum primò ancipiti cura fluctuantem ſexcentis potiùs diſtrahant cogitationibus; tum horribili, ſubitáque impotentium cupiditatum oborta tempeſtate, clauo (vt cum nautis loquar) rationi penitus extorto, per ſummam crudelitatem deplorandæ calamitatis agant in profundum. Siccine voluptatum illecebræ, brutorum titillamenta; corporis robur, tragœdiarum argumentum; coapta membrorum forma pulchritudinem compingens, muliercularum crepundium; diuitiarum copia, incendiorum eſca; honorum iactantia, ruinarum pondus, veræ fœlicitatis nomen tyrannicè vſurpant? Æſtimentur ſanè. Vtinam mortales in meridiana luce ita cæcutientes ſemel intuerentur, & erecto ad ſidera vultu ad lucem reſpirarent; hoc dubio procul experti in animum iuducerent, nullam homini fœlicitatem elucere, quandiù teterrimo huiuſce corporis ergaſtulo clauſus, ſupremum illud vitæ fatum ſolicitus expectat, quo curarum omnium vinculis exſolutus, omníque labe omninò expurgatus ad cæleſtia illa euolet domicilia, ſéque cum illis Beatorum cœtibus coniungens bonorum omnium affluentibus, veram illam numeris omnibus abſolutam beatitudinem arripiat, quæ in ſummo Bono contemplando, atque adamando poſita eſt, ac conſtituta. Eam ſanè propterea ſummis labiis prælibauero, ſi Virtutes cum eruditione intimè coniungens, geminum illud

Delphico olim templo deſcriptum auro præceptum intimis excuſſero præcordiis. *Noſce : Sequere Deum.* Ea enim eſt mutua eruditionis, atque virtutum coniugalis fœta complexio, ſapientiæ mater, vt eruditio ſine virtute embryon informis; virtus ſine eruditione, ſpiritus vadens, & non rediens iure, ac meritò cenſeatur. Hinc priſci illi quinque Græciæ Sapientes Argolicam voculam ΕΙ auguſtis Delphicæ Ædis impreſſere valuis, vt littera illa E, quintum inter litteras locum obtinens, ac quinarium reddens inter numeros, primúmque è paribus, & imparibus contextum, ſacrum propterea coniugium meritò acclamatum mortalibus, immortalitati relinqueret conſignatum, ſapientiam è ſcientiæ cum ſacro amore coniugio enaſci, geminóſque propterea Reges Cleobolum, & Periandrum in delitiis enatantes, è numero ſeptenario Sapientum eradendos.

Equidem non renuero, Virtutes abſque eruditione præcipuis ſaltem ornamentis expoliatas. Ecquis enim Prudentiam Virtutum omnium moderatricem, ſine multiplici, ac varia diſciplinarum intelligentia conſequatur? Hæc ſingula debet intueri, proſpicere, præcauere, præſcribere quid expetendum, quid fugiendum. Hæc modum, atque rationem rebus omnibus imponit. Hæc animum ancipiti diſtractum cura conſiliorum expeditione confirmat. Hæc denique denſiſſimam errorum omnium caliginem virtutis ſplendore propulſat, atque in meridiana luce conſtituit, vt in iudiciis de re qualibet ferendis, nuſquam labi, nuſquam errare valeamus. At quis tam magna, támque neceſſaria munera ſuſtinere, atque aliquâ cum laude colere vnquam poterit, qui in multiplici, variáque lectione, in primis verò hiſtoriæ, Theologiæque morum, vitæque humanæ ducis, atque magiſtræ, non fuerit diu, multúmque volutatus? Neminem profectò comperiemus vllo vnquam tempore extitiſſe honorifico prudentiæ nomine decoratum, à quo ſimul perfectiſſima illa diſciplinarum omnium encyclopedia nequaquam fuerit abſoluta. Fortis verò, iuſti, ac temperantis laudem ecquis vnquam ſibi audeat arrogare, qui iuris peritiæ, moraliſque Theologiæ penetralia nunquam fuerit ingreſſus; nunquam reconditas illas leges, quibus ius, & æquum continetur, fuerit perſcrutatus, nunquam ſaluberrima illa dogmata, quibus ad honeſtatem, ad laudem, ac virtutem, ad omne decus, vitæque ſanctitatem informamur, cupidè perluſtrauerit, auidiùs hauſerit, ſtudioſiſſimè verò retineat, ac ſine vlla intermiſſione meditetur? Virtutem omnem cognitio, cognitionem eruditio, eruditionem vna diligens, ac perfecta librorum parit lectio ſempiterna. Valeant igitur zelores amari cydoniaco zelo dentibus ſtupidi, qui virtutem acerbiùs deguſtantes, ſcientiarum omnium chorum aſpernantur. Optimum quidem (ſi eos audias) expetunt, ac ſolertiſſimè inſequuntur; rationem verò, qua illud facilius conſequantur, non perſpiciunt, vel per ſummam imprudentiam ſtultiſſimè auerſantur. Cùm enim quælibet virtus vel in agendo poſita ſit, vel certè in contemplando; nulla autem actio abſque rei gerendæ cognitione perfici poſſit, nec rei vllius ſit abſoluta cognitio, quæ nullis omnino innitatur argumentis; quis non videt, virtutem à diſciplinarum

omnium

omnium fœdere ſeiungi non poſſe, vel eximio ſaltem decore deſtitutam? Vt enim aër à circumfuſo lumine ſummum accipit ornamentum; haud aliter à ſcientiis, ac diſciplinis Virtus exornatur, atque in ſummam, admirandamque extollitur pulchritudinem. Fateor, præcellentes vitæ ſanctitate, abſque litterarum ſtudiis, aliquando in Eccleſiæ firmamento præfulſiſſe.

Vnus nobis ſit inſtar omnium Seraphicus Patriarcha. At quis ignorat, eorum mentibus inditam diuinitus anagogicam, ac myſticam Theologiam, quæ ſcientiarum munere perfuncta, eorum animos illuſtrauit? At cœleſtium luminum influxus homuncio quiuis non expectet. Illud igitur ſtatutum, eruditionem ad vitam beatè traducendam plurimùm conferre. Illemet homo beatitudinem appetens, teſte Philoſopho, ob id ſcire deſiderat. Verum enim verò, dum litterarum ſtudiis tantum tribuo, quantùm vos ipſi intelligitis; ne tamen arbitremini, me tanti illa facere, vt ſi contractam cum virtute ſocietatem temerè confringant, nihilominus cenſeam adhuc exoptanda. In ea enim ſententia perpetuò fui, quantùm ad beatam vitam confert pulcherrima cognitio litterarum, cùm animus diſciplinarum ſplendore illuſtratus, debitum virtuti obſequium præſtat, neque ab illius incorruptis legibus tranſverſo quidem vngue recedit; tantundem etiam obeſſe, atque eo maius exitium importare, cùm voluptatum illecebris delinitus animus ab hac auguſtiſſima honeſtatis Regina deſciſcit, ſéque teterrimæ tyrannidi cupiditatis omnia auidè faſtidientis, tanquam vile mancipium ſponte ſubmittit. Vtinam ſcientiæ omnes, ac diſciplinæ non ita pudorem quandoque proſtituerent, vt ad homines impuriſſimos, atque omni è ſcelere conflatos non confugerent; vel ſi confugerent, non eos tanto furore incenderent, tot opibus inſtruerent, tantáque potentia obarmarent? Non eſſet profectò cur hoc tempore tam luculentas plagas ab his conſceleratiſſimis Catholicæ Eccleſiæ illatas viri ſanctiſſimi lamentarentur, ac ſine vlla intermiſſione deplorarent. Quid enim mali, quid ſceleris, quid flagitij in Chriſtianam Monarchiam non inuexere peſtes illæ, inferorum furiæ Lutherus, Caluinus, Eraſmûs, Zuuinglius, aliáque huiuſcemodi tot, ac tanta portenta, quæ noſtra hæc ætas nimis malorum ferax vel vidit, vel potiùs in lucem protulit? Nonne iſti veræ virtutis ſtudia, morúmque ſanctitatem deſpicientes, ſola qua præſtabant eruditione inflati, ac de mentis ſtatu deturbati, omnia propemodum humana, atque diuina per ſummam Chriſtiani nominis ignominiam ſuſdéque verterunt? Teſtis Germania, quæ accenſis iſtorum facibus ſemiuſtulata tantùm, excitatum incendium prouinciarum deuaſtatione, ſanguinum colluuie non valuit extinguere. Teſtis Gallia nobiliſſima, quæ in propugnanda olim fide perpetuò diſtenta innumeros de barbaris reuexerat triumphos, ſanctum Crucis vexillum ſuper arces, ſuper aras infidelium erexerat, defixerat, gloriam ſibi pepererat immortalem; mox diſſidentibus ſectariorum nebulonum opinionibus dilacerata, de propria ſalute coacta eſt decertare, atque identidem ſeditioſis occurrere, vt partam olim in triumphis bellicæ virtutis laudem, in propriis ciuibus contrucidandis coacta

ſit oſtentare. Teſtis Anglia, templum ſanctitatis, ac pietatis olim illuſtre domicilium, quæ quò maius ſtudium, operámque ſolebat in præpotentis Dei cultum, Diuorúmque venerationem tuendam, atque amplificandam conferre, eò magis videtur omnes corporis neruos, animæque contentionem ad Religionem proculcandam, exterminanda Sacramenta, Chriſtiani nominis monumenta obliteranda conuertiſſe. Quid ita? Nimirum hoſtes illi Virtutis infenſi, litterarum oſtentatores, à recto tramitis curſu deflexi per auia aberrantes, tandem præcipites corruerunt. Enſis quidem viro forti, ac peritiſſimo gladiatori perutilis, magnum belli ſubſidium, ac pacis ornamentum; at maniaco furiarum ſtimulis agitato exhibitus, ad ipſius, aliorúmque internecionem arripitur. Haud abſimili ratione doctrina, & eruditio, ſi homini nefario contingat, heu quantum import t exitium! At ſi viro virtute prædito, exinde illa reſultat periucunda, quam Tullius non pulchritudinem, ſed harmoniam nuncupauit. Sed ea eſt mortalium miſerrima conditio, vt admirabilem hanc ſymphoniam pauci admodum perſenſerint; quamquam non omnium tamen aures ita obſurduerunt, vt ſuauiſſimum melos aliquando non ſenſerint. Non recenſeo Archimedem vſque adeò Geometricis lineamentis abſorptum, vt non Romani exercitus incurſum, non militis inſolentis clamores, non vulnera perſenſerit, ac ſanguineo circulo perfectionem huius veritatis conſignarit. Non affero Carneadem adeò abſtractum, vt ſui etiam non rarò immemor, cibum illum vnicum caperet, quem mulier, eius non oblita, in os coniiceret. Neque aduoco è paluſtri ſolitudine Cratem; non è remotiſſimis, atque vltimis terris, quas incredibili contentione propterea peragrarunt, Pythagoram, Democritum, Platonem. Adeò hos omnes, alióſque innumeros concentus ille demulſit, vt rebus omnibus vale dicerent, patriæ commodis, domeſticorum conſuetudini, ac infœliciora climata incolerent, craſſiorem aërem dulciter vorarent, vt corporis intemperie animus temperatus virtutem cum eruditione arctiùs amplecteretur. Excipite Nazianzenos, Baſilios, Chryſoſtomos, Auguſtinos, Hieronymos, Bernardos ad æſtuantes ſolitudines, ad rigentia deſerta, prærupta, & ſalebroſa, inter æterna hominum ſilentia, ſolis ferarum vlulatibus reſonantia, conuolantes, vt theologicam audirent ſymphoniam. Periucundum ſanè non negauerim cœleſtium orbium conuerſiones contemplari; tot, ac tanta prodigia, quæ in aëris, cælorúmque regionibus conſpicimus peruagari; terrarum campos ad puluiſculum dimetiri; ampliſſimos Oceani tractus percurrere ſedendo; ampliſſima quæque, atque admiranda naturæ arcana comprehendere; ſtelliferos ipſos orbes otioſè percurrere, imò tranſgredi; ſubſtantias illas ab omni concretione ſegregatas contemplari; earundem præſentiam ſumma cum admiratione venerari, Deum ipſum Optimum Maximum indagare, naturæ, gratiæ, & gloriæ Authorem demirari, quid dulcius, quid iucundius iuſto; quid cordis fibras amabiliùs attrahens, atque demulcens? Non immeritò Theologicam ſcientiam Seraphicus noſter Bonauentura affectiuam, ſeu affectuum (dixerimne raptricem, an verò moderatricem?) iure, ac meritò compellat. Quò me ſuauitatis iſtius dulcedo tranſverſum agit? Fingite animis, quid nobis vllam animi iucunditatem afferre poſſit: id totum profectò in eo vno adinuenietis, qui admirabilem hanc ſemel perceperit harmoniam. Mare, terráſque peſ-

ſundat,

ſundat, Ætnam ſuperat, & Caucaſum; Cælos penetrat, Deum, Cæliteſque ipſos conuenit, diuina à ſenſibus remotiſſima ob oculos intuetur, & adamat, iucundiſſimè oblectatur, iamque aggregatum illud bonorum omnium æmulatur. Nolo v:bes ampliſſimas, nolo florentiſſima regna percenſere, quæ quidem, quàm diù tantum virtutis, eruditioniſque concentum exaudiêre, otio, ac tranquillitate perfruentes, nihil præterea, quod ad ſummam perfectámque fœlicitatem exoptarent, perſpexêre; at diſſolutá, ac diſſonante ſymphoniâ, omnia funditus euerſa abyſſus abſumpſit, dilapidauit, obliguriuit. Nolo tam funeſta hiſtoriarum enarratione animis mœrorem inducere. Memorabili Platonis epiphonemate, cum Seraphico obſignabo, tum demùm ciuitates fore beatas, cùm ſapientes regnare inceperint. Quæ cùm ita ſint, ecquis vnquam laboribus impoſterum parcet, lucubrationibus indormitabit? Ecquis non omnes animi neruos intendet, vt virtutem cum erudi:ione componens, ad eam valeat ſibi fœlicitatem vias præmunire? Tramitem profectò plurimi intentarunt. Angelos vidimus plurimos viæ ſectatores: vnus ferè inter omnes Seraphicus Doctor Sanctus Bonauentura adeò eruditionem virtuti aſſociauit, vt docendo moueat, inflammet; tantò melior Angelis effectus, quantò differentius Seraph egregium nomen, præ illis hæreditauit. Teſtes inuoco Pontifi:es maximos elogij huius authores: Sixtum V. qui Sanctum hunc Catholicæ Eccleſiæ Doctorem acclamauit, eiúſque mira opera ferè conſepulta in lucem reuocauit. Clementem I V. S. Bonauenturæ doct:inâ mirificè delectatum.

Plato lib. 5. de Rep. apud D. Bonau. Proem. in Sap.

Teſtes ſapientiſſimi viri Thomas Aquinas, qui ſanctum, adhuc in viuis, ſcriptorem aſſeruit. Antonius Florentiæ Præſul, qui aurea hæc verba deprompſit. *Bonauentura, ſicut in luminibus ſcientiarum, & maximè in Scripturis ſanctis videbatur mirâ capacitate proficere; ita & in deuotionis gratia continuum ſumebat gratiæ incrementum. Siquidem omnem veritatem, quam percipiebat intellectu, ad formam orationis, & diuinæ laudis reducens, continuo ruminabat affectu.* Præclarus ille Abbas Trithemius, qui miro eloquio panegyrim de illo contexuit. *Euſtachius, qui & Bonauentura, dicitur de Balneo Regio natus, Ordinis Fratrum Minorum Miniſter Generalis, ac deinde Epiſcopus Albanenſis, & ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis; Alexandri de Ales quondam auditor, ac diſcipulus; vir in Diuinis ſcripturis eruditiſſimus, & in ſæculari Philoſophia nobiliter doctus, ingenio ſubtilis, & clarus eloquio, vita, & conuerſatione deuotus, atque ſanctiſſimus: cuius ingenium, dotem naturæ, & vitæ puritatem præceptor eius Alexander contemplans, dicere ſolebat: In Fratre Bonauentura Adam non peccaſſe videtur. Scripſit multa, & profunda, & deuotiſſima opuſcula, quibus ardentia verba proferens non minus affectum legentis in Chriſti amore accendit, quàm intellectum doctrinis ſanctis illuminat. Omnes enim ſui temporis Doctores vtilitate operum facilè precellit, ſi ſpiritum Diuini amoris, & Chriſtianæ deuotionis in eo loquentem attendas. Profundus eſt, non verboſus: ſubtilis, non curioſus: diſertus, non vanus: flammantia, non inflantia verba proferens; vnde*

& ſecuriùs legitur, faciliùs ab amante intelligitur, vtiliùs frequentatur, dulciùs, & fructuoſius retinetur. Multi doctrinam proferunt, deuotionem prædicant multi; pauci ſcribendo libros docuerunt vtramque. Bonauentura autem, & multos ſuperauit, & paucos, dum eius doctrina deuotionem, deuotio inſtituit doctrinam. Si ergo & doctus vis eſſe, & deuotus, illius opuſculis eſto intentus.

Audite diuinum Sixti V. termaximi oraculum Decreto, quo Sanctum Bonauenturam Sanctorum faſtis adſcripſit. *Exulta & lauda habitatio Sion, quia magnus in medio tui Sanctus. Præcipue verò exultet Pontificum cœtus Beatorum, & ſacra Doctorum concio, qui fulgent in cœlo, tanquam ſtellæ in perpetuas æternitates, quos inter S. Bonauentura, tanquam nouum ſidus emicuit. In medio Eccleſiæ aperuit os eius, & impleuit eum Dominus ſpiritu ſapientiæ. Quem Deus dedit cunctis populis in gloriam, & honorem; cuius memoria in benedictione eſt. Ea namque de diuinis rebus ſcripſit, vt in eo Spiritus Sanctus loquutus videatur. Ita piè, religiosè, & ſanctè vixit, vt ſcriptis vita congrueret, & quod ſcribebat, doceret exemplo. Religionem B. Franciſci, quæ per ardua tendit, ingreſſus, tantùm ſedula lectione, & aſſidua oratione profecit, vt cum Sapiente meritò dicere poſſet: Optaui, & datus eſt mihi ſenſus; & inuocaui, & venit in me*
Sap. 7. *ſpiritus ſapientiæ. Incredibilem ſcientiam conſequutus, magnus doctrinâ, nec minor humilitate, & vitæ meritis: quem Alexander de Ales Doctor clariſſimus, cui ſe in diſciplina S. Bonauentura tradiderat, tantæ innocentiæ, ac columbinæ ſimplicitatis expertus eſt, vt dicere ſolitus fuerit, ſibi videri, quòd in eo Adam nunquam peccaſſet. Legimus Sancti huius diuina ſcripta, quibus poſtquam per ætatem aliquid ſapere licuit, ſemper fuimus delectati. Conſiderantes quanta ab hoc ipſo S. Bonauentura ratione ſcientiæ, & ſanctitatis vitæ Sancta Romana Eccleſia ſuſceperit incrementa, quantámque idem Sanctus cum B. Thoma de Aquino commagiſtro ſuo ſpiritualem coniunctionem ſeruauerit; quos in hoc ſæculo iunxit charitas eadem, & in cœlo præmia credimus conſequutos, præſens Eccleſia pari veneratur honore.* Loquar & ego puluis, & cinis. Contemplanti opera S. Bonauenturæ occurrit mare illud cryſtallinum igne mixtum, ex vna Sporadum inſularum Ioanni, in Mediterraneo redundans. Sapientia enim, quæ ſapida eſt ſcientia, mare videtur exuberans ſale conditum. O quam ſapida Doctoris ſancti ſapientia! nitore cryſtallina, fæces omnes ad littora repellens! Igne verò, ô mirum! diuinitus admixta, ebibentes mirificè inflammans. Mare profectò, ad quod flumina ferè omnia ſapientum reuertuntur, ac licèt inſipida, ſaporem cœlitus accipiunt: neque tamen hoc mare ſuperfluit. Hinc innumeri erumpunt murmure placido fluuij, vnde è gentibus variis Doctores exhauriunt; ſed argenteas defluentes inſipidas propinant. Hinc ſuccedentibus ſæculis poſt tertiamdecimam ætatem, quâ Glorioſiſſimi Bonauentura, & Thomas vias ſanctas percalcarunt, omnes ferè ex Oceano iſto ſapientiæ fluenta deriuarunt, ac theſauris ſunt ditati. Hinc enim Henricus Gandauenſis,

Ioannes

Ioannes Scotus, Durandus, aliíque ferè innumeri: poſtremò ſapientes Societatis Ieſu doctrinarum præcellentium fluuios deduxere, eíſque affluenter Eccleſiæ campos irrigarunt.

Omnes exhauriunt per abditiſſimos terræ ſinus aquas, eáſque ſibi identidem adſcribunt. Equidem non miror; flumina enim è mari emanántia, maris nomine oblita, ſuis vndis baptizata, nomen aliud peregrinis à terris accipiunt. Inſonant Academiæ, Licæi Scotiſtarum, ac Thomiſtarum, necnon Ieſuitarum argumenta; eruditiones perſtrepunt inter ſapientum coronas, tot voluminum moles è Seraphici Doctoris alueo; at ſapientum Thales conticetur. Ad ſonoras Nili erumpentes, atque grauiter cadentes catadupas incolæ obſurdeſcunt.

Erigite aures obſecro miſerrimi mortales, & grauiter attendite. Illud profectò comperietis, grauiores ſententias, ſubtiliora argumenta è Seraphico Bonauentura defluxiſſe. Vtinam Theologorum libri denuò diſcuterentur; illud ſanè authoribus obiicerem, ac meritò, quod celebris Pictor Michaël Angelus Bonarota cuidam ſemi-Apelli oſtentanti ſibi faſtu ingenti imaginum prægrandium in tela petampla cohortem, è quibus hanc ex Mureto, illam detraxerat è Lactantio. Caue tibi (ait) amice à die iudicij, quo reſtituenda ſunt ſingula; tunc nuda tibi primituris exarata tela remanebit. O quot ſemi-authores libros magno ſui nominis ornamento maiuſculis characteribus exornant, titulis decorant, qui Seraphico ablata reſtituere compulſi, nudas paginas ſibi remanere intuerentur, eáſque pallore nimio furta ad quæſtionem confitentes! O quot prela rerum ereptarum pondere ingemuerunt! Hanc eis vicem intimis ferè præcordiis acriter indoleo, nullum adhuc de illorum ſalute ſolicitum, ante nouiſſimum diem reſtituenda ſuadere; & quod me vehementiùs excruciat, nullum adhuc in hac florentiſſima Minorum Congregatione Diuiniſſimi huius Doctoris opera elucidaſſe, eruditiones expoſuiſſe, ſententias propugnaſſe. Omnes Scotum acutum, ſubtilem, Theologorum Principem inclamant; idcóne D. Bonauentura obliuiſcendus? è cuius fonte puriorem lympham hauſerat. Inter cuius ſcripta ſubtiliorem auram ſpirauerat, vt in operis progreſſu patebit.

Scripſere de Deo vno in D. Bonauenturam Petrus Trigoſius Capulius. De Deo Trino Zamortus, Corilianus; ſed loris pertrahunt Seraphicum ad Scoti, aliorúmque exterorum placita ſectanda. Vnum ſanè Theodorum vidi Foreſtum magiſtrum meum fidum Interpretem; ſed indigeſtum arcani helluonem in extrema ſenectute de vita decertantem. Ergóne vermiculus repens opus Atlantibus intolerabile exantlabit? Video equidem. At etiam Dauid vermiculus è ligno tenerrimus ſedens in cathedra vno ictu octingentos dicitur occidiſſe.

Summam igitur Theologicam ad os, ac mentem Seraphici aggredior. Quoniam vero S. Doctor Eccleſiæ Alcides feſſo ſeneſcenti Pontifici coadiutor mundo regendo humeros ſupponens, grauiſſimis curis diſtentus ad ſua opera ordinanda otium non inuenit; elaborabo, vt ad methodum ferè Angelici tractatus, diſputationes, ac quæſtiones ſuccedant. Non apponam ſeorſim commentaria, ne eadem cogar refricare. Sed in quæſtionibus diſcutiendis ſententiam è corpore eruam, argumenta, ac fundamenta ſolidabo; imò iam ſolida exponam; argumentis verò ad op-

poſitum reſpondebo. Quoniam autem S. Bonauentura in dicendo conciſus vno verbulo multa claudit, eius rationes dilatabo; aduerſantium opiniones modeſtè confutabo, rationes retundam; ac S. Doctoris argumenta, quæcumque tandem enixi fuerint alij, vt infirment, pro viribus confirmabo.

Excipe, Glorioſiſſime Doctor, pios conatus, ac mihi ſpiritus tui dotes impertiri ne renuas, vt arcanos tuæ diuinæ mentis elucidem ſenſus. Adſis tu quoque mihi, Glorioſiſſime noſter Antoni, in cuius fauſto die ſolenni opus aggredior. O lingua benedicta Seraphici ore decantata, tu meo calamo adeſto; tu Arca teſtamenti theſauros ſapientiæ depromas, vt ad poſtremam lineam fœliciter deducam manum trepidam, de mea eruditione deſperantem.

TRACTATVS PRIMVS
PRIMÆ PARTIS THEOLOGIÆ:
DE DEO VNO.
DISPVTATIO PRIMA PROOEMIALIS.

An neceſſe ſit exiſtere Theologiam Scholaſticam.

QVÆSTIO PRIMA.

D. Bonau. q. 2. prolog. 1. ſent.
D. Thom. 1. p. q. 1. art. 1.

1 THEOLOGIÆ nomen, à Græcis oriundum, ſonat de Deo ſermonem: Thaos enim Deus Logos eſt ſermo. Eſt autem Theologia, de qua diſſerimus Scholaſtica, quæ è principiis Fidei deducit concluſiones. De hac ſcrutabor Exiſtentiam, Quidditatem, Qualitatem, & Finem, iuxta regulas Ariſtot. 2. *Poſter. text.* 1.

2 NOTANDVM verò ex Ariſtot. 5. *Metaph. text.* 6. neceſſarium eſſe duplex; aliud abſolutè, vt Deum eſſe; aliud ad finem, vt cibus ad vitam animalis. Et hoc dupliciter; vel ſimpliciter, vt reſpiratio homini ad viuendum; vel ſecundum quid, vt equus ad iter claudicanti. Rurſus, aliud eſt neceſſarium ſingulis, vt vegetatio: aliud eſt neceſſarium ſpeciei, ſeu communitati, vt generatio.

3 Suppono autem, homini neceſſariam ad finem ſupernaturalem beatitatis aliquam cognitionem ſupernaturalem; quam Scotus dicit eſſe Fidem, vt refert Fauentinus *in* 1. *diſp.* 1. *cap.* 6. at Caietanus in hoc articulo vocat cognitionem reuelatam à Deo, vt abſtrahit à Fide, & Theologia. Molina verò 1. *p. q.* 1. *diſp.* 2. & Vaſquez *ad art.* 1. *D. Thomæ*, aiunt eſſe doctrinam ſacram, ſeu Theologiam, quæ dicit habitum conflatum ex principiis reuelatis, & concluſionibus inde erutis.

In hoc probando inſumit Faber Fauentinus laxam diſputationem. Neruus verò rationum, quibus nititur Scotus *quæſt.* 1. *prolog. ad primum ſent.* eſt D. Thomæ *hîc*, D. Bonauenturæ *proœmio in Breuiloquium,* §. 1. *in fine, & cap.* 1. *Breuiloquij*. Agenti per cognitionem neceſſaria eſt diſtincta cognitio finis, *ex* 2. *Phyſ. textu* 49. Sed homo eſt agens per cognitionem ad finem ſupernaturalem beatitudinis: ergo debet illum diſtinctè cognoſcere, vt illum agendo aſſequatur. Finis verò ſupernaturalis cùm ſit obiectum ſupernaturale, non poteſt cognitione naturali, quæ eſt ordinis inferioris, agnoſci. Hæc ratio ſupponit, hominem ad finem ordinari supernum, quod agitur 1. 2. *d.* 2. *q.* 11. & cognitionem naturalem non ſufficere, quippe inferioris ordinis. Non rectè igitur eam carpunt.

Noſtra quæſtio hîc eſt de habitu concluſionum ex principiis reuelatis deductarum. Hunc Theologiam dicimus Scholaſticam.

ASSERENDVM, neceſſariam eſſe aliqua ratione Theologiam Scholaſticam. Hoc aſſertum Sectariis horum temporum hæreticis eſt inuiſum, qui Theologorum argumentis confuſi acriter in eos conclamant, vt notat Arriaga *diſp.* 1. *ſect.* 4. & paſſim Bellarminus.

Probatur à D. Bonau. primò ex prima D. Petri, *c.* 3. 4
vbi ait debere nos eſſe paratos rationem reddere poſcentibus dogmatum Fidei. Sic & Paulus Tito *cap.* 1. dicit, debere Epiſcopum eſſe potentem exhortari in doctrina ſana, & eos, qui contradicunt, arguere. Sed hoc vix poteſt fieri abſque Theologia Scolaſtica. Ergo, &c.

Secundò probatur ab eo ex Sanctis PP. qui contra hæreticos ſtylo ſcholaſtico diſputarunt. Imò id præſtitit Apoſtolus Romanis, Galatis, Hebræis. Ideò in Concilio Conſtantiæ *ſeſſ.* 8. damnantur hæretici Theologiam noſtram explodentes. Hi enim ipſummet Chriſtum explodunt, qui non ſolùm argumentis ex authoritate Scripturarum vtebatur ad ſuam doctrinam comprobandam, dicens: *Scrutamini ſcripturas*; ſed etiam Theologicis rationibus. Sic *Lucæ* 11. arguit: *Si ego in Beelzebub eiicio Dæmonia*, ita vt vnus 5
Dæ non potentior alium pellat, & potentiſſimus Lucifer alios inferiores; ſequitur, eum tendere ad ſui regni deſolationem. Sed hoc non admitteretis. Ergo. Probatur ſequela: *Omne regnum diuiſum deſolabitur*, vt habet Salluſtius de bello Iugurtino. Hoc adnotat Vaſquez *art.* 8. *primæ quæſt. D. Thomæ*, poſt D. Bonauenturam *ad* 11. *Lucæ*.

Proba-

6 Probatur tertiò à D.Bonau. *in corpore*. Finis imponit neceſſitatem his, quæ ſunt ad finem. Sed Theologia eſt aliquo modo neceſſaria ad promouendam Fidem. Ergo. Maior eſt Ariſtot. 1. *de part. animalium*, c.5. Serra v. g. eſt dentata ad ſecandum; ſubula acuta ad perforandum. Minor probatur ex D. Auguſt. 1. *de Trin. c. 2. tom. 3.* vbi ait: *Aduerſus garrulos ratiocinatores elatiores magis, quam capaciores, rationibus catholicis, & ſimilitudinibus congruis ad defenſionem, & aſſertionem Fidei vtendum.* Deinde rationes theologicæ validæ ſunt etiam ad roborandos Infirmos. Sic Apoſtolus teſtatur, ſe inſtruxiſſe Galatas, Hebræos. Tertiò valet ad delectandum perfectos, vt ait D. Bernardus *lib.5. de conſider. poſt initium tom. 2.* Ad hæc verò ſuppetere ex Theologia validiſſima argumenta, probat S. Bonauent. ex Richardo Vict. *lib.1. de Trin. c.4.* vbi ait: *Credo ſine dubio, ad quamlibet explanationem neceſſe eſſe non modò probabilia, ſed etiam neceſſaria argumenta non deeſſe, licèt contingat noſtram induſtriam latére.* Confirmat ſecundò, quia omnes veritates aliæ, quæ rationibus impugnantur, rationibus etiam propugnantur. Ergo magis veritates catholicæ, quæ innituntur primæ Veritati, habent argumenta veriſſima, quibus confirmentur. Quamuis enim Fide nitantur, quæ eſt obſcura; attamen multa naturalia habent fundamenta, & multa è ſupernaturalibus ſenſibilia argumenta, qualia ſunt ſcripturarum conſonantia, prophetiæ verificatæ, miracula patrata; demùm rationabilitas eorum, quæ in noſtra Fide continentur; & abſurditas omnium aduerſantium ſectarum, quæ latè proſequar cum D.Bonauentura *quaſt.9.* Hinc Seraphicus concludit vltimo fundamento, his mediis prima ætate Eccleſiam infantem ſartamtectam ſeruatam à calumniis, & aſtu inimicorum, atque ita his temporibus ſuſtineri valdè poſſe.

7 Obiicit primò S.Bonau. Scripturas. Iſaiæ 40. *Deus dat ſecretorum ſcrutatores, quaſi non ſint.* Prouerb.25. *Scrutator Maieſtatis opprimetur a gloria.* Eccleſiaſt.3. *Altiora te ne quæſieris.*

Reſpondet, eas authoritates intelligi de ſcrutatione curioſa, non de ſtudioſa; nam & Chriſtus Ioan.5. Iudæos hortatur: *Scrutamini ſcripturas.* Scrutari autem dicit res abditas inquirere. Scilicet Scripturæ ſanctæ cæleſtium venæ theſaurorum ſunt, è quibus præclaræ eruuntur eruditiones, vt obſeruat D. Bonau. ad eum locum ex D. Chryſoſt. *homil. 40. in Ioannem*, vbi hæc latiùs proſequitur; & Baſilio *hom. de hum. Chriſti gener.*

Obiicit ſecundò: Modus procedendi debet eſſe proportionatus materiæ de qua, vt dicitur 1. *Ethicorum, cap. 3. & lib. 2. cap.2.* Sed materia huius doctrinæ eſt credibile, quod eſt ſupra rationes. Ergo.

Reſpondet, materiam eſſe ſupra rationem merè ordinis naturalis, non ſupra rationem è Fide erutam, & ea innixam, aut ſupra rationem agnitam per donum ſcientiæ, & intellectus.

8 Obiicit tertiò: Modus agendi debet eſſe conueniens fini, ad quem ordinatur ſcientia; at rationes Fidem non promouent, ſed euacuant, vt ait S.Gregor. *homil. 26. in Euang.* Vnde D. Hieronymus *ad Pammachium de diuina hiſt. c.7.* ait perbellè: *Tolle argumenta cùm de Fide agitur; Paſtoribus, & Piſcatoribus creditur, non Dialecticis.*

Reſpondet, rationes non induci, vt virtute illarum credere ſuperna principaliter debeamus, hoc enim modo SS. PP. aiunt Fidem minui; ſed vt virtute illarum redarguamus incredulos, infirmos ſolidemus, & eruditos conſolemur.

Ex his habes, Theologiam Scholaſticam non eſſe ſingulis neceſſariam, hoc enim ſupra vires eſſet; ſed toti Eccleſiæ. Ita etiam Bannes *ad art. cit. D. Thom.* Zagaglia *d. 1. ſect. 2.* Quæ verò contra Theologiam obiiciunt hæretici, friuola ſunt apud Vaſquez *ad articulum 8. D. Thomæ, & diſp.5.*

An Theologia ſit Scientia.

QVÆSTIO SECVNDA.

D. Bonau. q.3. procem.
D. Thom. q.1. art.2.

Dvplici ſenſu accipi poteſt Theologia. Primò abſtractè à ſubiectis, in quibus eſt, purà Deo, Angelis, hominibus viatoribus, vel beatis.

Secundò vt eſt in his. Non eſt quæſtio de Theologia abſtractè, ſed vt eſt in Viatoribus tantùm; hæc enim eſt Theologia noſtra Scholaſtica, quæ ex Fidei principiis ſuas infert concluſiones.

Prima opinio eſt, eam eſſe propriè ſcientiam. Ita D. Thom. hîc; vbi Caietanus, Bannes, ac reliqui Thomiſtæ recentiores: Zumellus *quaſt. 2. concluſ. 3.* Granad. *diſp.4. ſect.6.* Cano *de locis theologicis c.2.* Faſol. *dub.* 14. Ex antiquis Theologis Henricus *in ſumma art. 6. quaſt. 1. & quodl. 12. quaſt. 2.* Franciſcus etiam de Marchia apud Ocham *q. 3. prologi*, Gregorius *q. 1. art. 4.* Allegatur etiam S. Bonauent. *hîc, & part.1. Breuil. c.1.* à Marco Baudun. *q 1.* Vaſq. *diſp.4. cap. 5.* Trigoſio *q. 1. art.1. dub. 1.* & à pluribus Alenſis *p. 1 quaſt. 1. art. 1.* Subſcribit Petrus à S.Ioſeph Falienſis *procemio*, P.Macedo *coll.2. diſp.4. ſect.1.*

Secunda ſententia eſt negatiua. Ita Scotus *quaſt.4. prologi, & in 3. diſt. 24. q. vn.* ibi Mairo, Lichetus, Bargius. Faber *diſp.5.* Smiſing. *q.3.* Brancaſius *diſp.1. q.2.* Vulpes *diſp.2.art.7.* Rada *p.1. contran. 2.* E Nominalibus Ocham *in prol. q.3.* Aureolus *ibidem, art.3*, Gabriel *q.2.* Rubion *q. 8.* Richar. *q.2.* Heruæus *q. 1.* Maior *q 4* Durand *q.1.* Marſil. *q 2. art.3.* Gregorius *ſuprà.* E Recentioribus Amicus *in ſuo curſu, d.1. q.1.* Arriaga *diſp.1, ſect.2.* Vaſq. *d.4. c.6.* Tanner. *d.1.q.2.* Val *d.1.p.3.* Gillius *lib.1.tract.4.c.8.* Arrubal *d.2. c.6.* Ribas *d.4.c.2.* Adducitur à nonnullis & D.Thomas.

Sententia D. Bonauenturæ è multis locis colligitur. Primò quidem *quaſt.1. prol. ad vlt.* dicit, Theologiam noſtram ſupra veritatem Fidei, & authoritatem Scripturæ addere rationem probabilitatis. Vult dicere, Theologiam noſtram eſſe nixam veritate certiſſima, atque adeò veriſſimam eſſe ex hoc capite. Quod verò præciſum eſt rationis ſuperadditæ, qua 9
poteſt ab ea probari veritas Fidei, addit (quod idem hîc ſonat) eſſe probabilem, nilquè habere ampliùs, quàm certitudinem in principiis innixam eo modo, quo in ipſis eſt, nempe ineuidentem in ſe; nam *in 3. diſt.23. q. 4* ex quinto argumento concedit Theologiam Fide inniti. Quæſtione tertia vocat eam ſcientiam ordinatam ad res Fidei cognoſcendas, & conuenire in obiecto cum fide, ordinatámque vt boni fiamus, eámque mutato nomine ſcientiæ, vocat ſapientiam, ſeu ſcientiam affectiuam, mediam inter ſpeculatiuam, & practicam. Quæ omnia innuunt, non eſſe propriè ſcientiam, cùm ex Fide oriatur, & ad eam ordinetur, neque in aliquo membro contineatur ſcientiæ, quæ diuiditur in Practicam, & Speculatiuam ab Ariſtot. vt notat Faber *diſp.9. num. 38.* In tertio autem, *diſt. 23. q. 4.* teſtificat, ſcientiam eſſe debere euidentem.

dentem. Sic *fundam*. 3. *&* 4. vbi propterea illam opponit Fidei, quæ eſt obſcura Idem habet *diſt*. 31. *art*. 2. *q*. 3. *ad quartum*. Sic & 1. *parte Breuil. c*. 1. dicit, Theologiam ſolùm eſſe ſcientiam perfectam ex parte fundamenti, quia à primo principio incipit, & terminat ad vltimum finem edocendum; attamen omnia ſumere ex credibili, & illud conſiderare, vt eſt intelligibile per rationes. Quapropter è ſuis fundamentis negare debet, eſſe propriè ſcientiam, quæ eſſe debet euidens.

10 Asssro, Theologiam non eſſe propriè ſcientiam.

Probatur primò fundamento D. Bonauenturæ. Omnis ſcientia ex intrinſeco debet eſſe euidens. Theologia non eſt euidens. Ergo non eſt ſcientia. Maior eſt Ariſtot. 2. *Poſt. c*. 2. & communis Philoſophorum conſenſus. Ideò definiens Philoſophus Demonſtrationem, quæ eſt inſtrumentum ſciendi, ait conſtare ex notioribus. Minor probatur ex S. Bonau. quia tota nititur principiis Fidei, quæ obſcura ſunt, vt inquit Apoſtolus 1. *Corinth*. 13. maximè verò poſt peccatum, vt docet Seraphicus 1. *diſt*. 3. *p*. 1. *q*. 3. *corpore*. Hoc argumento vtitur Scotus, & ferè omnes.

Reſpondet Argentina *q*. 1. *prol*. Cano, Zumel, Faſol. Fulienſ. euidentiam non eſſe de intrinſeca ratione ſcientiæ, ſed ſolam certitudinem; quia finis ſcientiæ eſt firma adhæſio ipſi veritati. Hæc per certitudinem habetur.

Reſponſum impugnat Meldula *diſp*. 1. *q*. vn. *art*. 1. *num*. 17. ex D. Bonau. *in* 3. *d*. 23. *q*. 4. Claritas eſt intrinſeca perfectio cognitionis; quod patet, cognitio enim ex ſe euidens perfectior eſt, quàm obſcura; nam perficit actum intellectus ſecundùm naturalem eius exigentiam, quæ talis eſt, vt aſſenſum ſuum præbere conetur ex proprio, non ex alieno teſtimonio rem in ſeipſa cernendo. Vnde de re certiſſima ineuidenti intellectus dubius ab intrinſeco eſt; è contra verò de re ex obiecto inferiori, ſed euidenti eſt certus. Hoc ſenſu ait Ariſtot. 2. *Metaph. textu* 16. maiorem eſſe certitudinem Mathematicæ ſcientiæ, quàm Diuinæ, non ex parte obiecti, ſed ex parte intellectus, qui ad manifeſtiſſima naturâ ſe habet vt oculus noctuæ, vt docet idem Ariſt. *loc. cit. text*. 1. & notat D. Bonau. *ad ſextum*. Confirmatur ex S. D. *locis ſuprà adductis*. Nam conditio accidentalis non diſtinguit ſpecificè habitus inter ſe; at euidentia eſſentialiter diſtinguit ſcientiam à fide, vt omnes fatentur communiter. Ergo non eſt conditio accidentalis.

Reſpondent Auerſa *quæſt*. 26. *Log*. & 1. *part. quæſt*. 1. *ſect*. 2. Ruuius *tract. de ſcientia*, *q*. 2. Morcian. *diſp*. 12. *Log*. *q*. 1. ſcientiam quidem naturalem ad Ariſtot. normas intrinſecè euidentem eſſe, non autem ſcientiam conſideratam vniuerſaliter, vt abſtrahit à naturali, & ſupernaturali.

11 Hæc tamen eſt vilis fuga, debemus enim eſſentiam rerum philoſophicarum definire iuxta regulas Philoſophorum; non excogitare nouas naturas, vt argumenta euitemus, alioqui nunquam aliquid ſtabile nobis erit, maximè ad moralia, vt grauiter admonet Meldula *num*. 18. Vaſquez paſſim, cum D. Bonau.

Reſpondent apparentiùs D. Thomas, & aſſeclæ, Theologiam noſtram ſubalternari Theologiæ Beatorum, & in ea ſubalternante habere euidentiam; quod ſufficit. Sic enim & Perſpectiua habet euidentiam ſuorum principiorum in Geometria, cui ſubalternatur.

Verùm euidentia principiorum ſcientiæ ſubalternantis debet elucere ſcientiæ ſubalternatæ, alioqui nil illam iuuant, vt dicatur euidens. Sicuti ſi videns ducat cæcum tutò, licèt hic rectâ via vadat, non tamen eſt videns, vt notat Brancaſius; non enim via eſt cæco euidens, ſed ductori. Iam verò principia Theologiæ, licet euidentia ſint Beatis, tamen Viatori communicantur in Fide, quæ eſt obſcura, atque adeò non adiuuat, vt ſit euidens; debet enim euidenter innoteſcere. Hinc Ariſtot. 1. *Top. cap*. 1. ait, demonſtrationem eſſe eam, quæ procedit ex primis, vel iis, quæ per prima, & vera fidem faciunt; ideſt, quæ ex aliis euidenter notis nobis fidem aſtruunt, ſiue aſſenſum emulcent. Vnde malè hunc locum vſurpant aduerſarij, vt notat Vaſquez *cap*. 5. Sic redarguit Meldula *n*. 21. Arriaga *n*. 19. contra Granadum. Id innuit S. Bonauentura *quæſt*. 2. *prologi*, *ad quartum*.

Alij reſpondent, nos habere euidentiam illationum.

Verùm hoc non ſufficit; debet enim euidentia eſſe in præmiſſis, *ex* 1. *Poſter*. Deinde illatio, quoad formam, poteſt eſſe vera, & tamen ratione materiæ falſa, atque adeò aliena à ſcientia, vt hæc. Aſinus eſt homo: ergo riſibilis. Itaque cum principia Fidei obſcura ſint, deducantque obſcuras conſequentias ex vi materiæ, ſeu obiecti, nil facit, etiamſi iuxta regulas Logicæ concludant.

Probatur ſecundò à Nominalibus apud Vaſquez 12
diſp. 4. *cap*. 7. Scientia propriè dicta eſt de vniuerſalibus, non de ſingularibus, ex Ariſtotel. *Poſter. text*. 46. *&* 62. & 3. *Metaph*. 12. ea enim debet eſſe de iis, quæ non poſſunt aliter ſe habere; ſingularia autem aliter ſe poſſunt habere. Sed Theologia noſtra eſt de ſingularibus, vt de myſterio Incarnationis, & aliis contingentibus, quæ ſola Dei voluntate fiunt. Sic arguunt Gregorius *q*. 1. *prol*. Aureolus apud Capreolum *q*. 1. *prol*. *art*. 2. & ex parte Baſſol. *q*. 5. *prol. art* 3. arguens non ex ſingularitate, ſed contingentia.

Hoc tamen argumentum multis non probatur: inter hos Faber *diſp*. 6. *cap*. 1. Brancaſius *n*. 17. & Smiſing. *n*. 57. & ex parte Vaſquez *loc. cit*. reſpondent, ideò Ariſtotelem negaſſe ſcientiam de ſingularibus, quia ſingularia iſta ſunt corruptibilia, non æterna: at ſi ſingularia vel in ſe, vel in alio eſſent incorruptibilia, non negaret de illis eſſe ſcientiam. Hæc verò ſingularia, Incarnatio, mors Chriſti, & alia, licèt in ſe ſint contingentia, tamen in Deo reuelante ſunt æterna, ſiue ita certò cognita, ac ſi eſſent æterna, & in eſſentia diuina vt perpetua manent.

Hanc reſponſionem affert S. Bonau. *in* 3. *d*. 24. *q*. 1. *ad* 3. eamque refellit, quia non datur aliquod contingens, quod Deus certò, & immutabiliter non præuiderit, ſi euenturum eſt; neque tamen præuiſio aufert contingentiam obiecti, atque adeò non poteſt de illis eſſe ſcientia, alioqui eſſe poſſet de omnibus incertis. Requiritur ergo neceſſitas non modò notitiæ, ſed ex parte etiam obiecti: quod fruſtra negat Faber, vt notat Meldula *num*. 8. cum Rada, & Vulpe *loc. cit*. nam ſcientia ſemper eſt ſcientia certa vbique in ſe, *ex* 7. *Metaph*. 53. & ita certitudo eſt intrinſeca ipſi habitui, vt aduertit D. Bonau. *loc. cit. in* 3. & *diſt*. 23. *q*. 4. & *in* 1. *diſt*. 39. *q*. 2. vbi allegat etiam Boëtium id aſſerentem.

Obiicies primò Scripturas, quæ nomine ſcientiæ 13
Theologiam noſtram decorant. Prima Corinth. 13. *Siue ſcientia deſtruetur*. Et cap. 12. *Alij datur ſermo ſcientiæ*. Sap. 7. *Det mihi Deus eorum, quæ ſunt, veram ſcientiam*. Sap. 10. *Dedit illi ſcientiam ſanctorum*. Hierem. 3. *Dabo paſtores, qui paſcant vos ſcientia*. Malach. 2. *Cuſtodient ſcientiam*. Lucæ 11. *Tuliſtis clauem ſcientiæ*.

Ad primum reſpondetur cum D. Bonau. *in* 3. *diſt*. 31. *art*. 2. *q*. 3. Apoſtolum ibi loqui in genere de ſcientia, quæ euacuabitur quoad modum ſcrutatorium diſcurſiuum, quia omnia vno ſimplici aſpectu cognoſcent obiecta,

obiecta, vt oſtendam 2. 2. *tract. de fide*, *q.* 5. *diſp.* 1. manebit igitur habitus. Vnde S. Hieronymus ad Paulinum ait: *Diſcamus in terris, quorum ſcientia perſeueret nobiſcum in cœlis.* Pondera, dici: *Quorum ſcientia*, ideſt habitus cognitionis circa idem obiectum. Ex qua reſponſione vides, S. Bonauenturam ſupponere in ſcientia euidentiam, alioqui diceret, euacuandam ſcientiam ſaltem quoad obſcuritatem. Deindè non computare noſtram Theologiam, quæ tota fide obſcurâ nititur, inter ſcientias. Prætereà habes, falsò Meldulam *num.* 54 interpretari per ſcientiam euacuandam, fidem perfectam; nam Apoſtolus luce clariùs fidem à ſcientia diſtinguit, illam vocans ænigma.

Ad ſecundum Apoſtoli reſpondet D. Bonau. 3. *p. Centil. ſect.* 45. & *in* 3. *diſt.* 35. *q.* 1. loqui de dono Spiritus ſancti, quod ſupernaturaliter datur, quod dicitur ſcientia, quatenùs eſt cognitio rerum terrenarum; ad differentiam ſapientiæ, quæ eſt rerum æternarum, non autem ratione euidentiæ neceſſariæ ad ſcientiam.

Ad locum *Sapientiæ* 7. reſpondet S. Bonau. vocari ſcientiam, ob certitudinem. Ad illum *Sap.* 10. reſpondet in eodem commentario ſcientiam ſanctorum vocari cognitionem, & inſtructionem rerum ſacrarum datam Iacob.

Ad locum Hieremiæ reſpondetur, vocari ſcientiam, eruditionem ſacram, & doctrinam. Sic accipitur etiam illud Malachiæ 2. ex D. Bonau. 1. *p. de Eccleſiaſtica Hierarchia*, *cap.* 1. § *Octaua gratia*, & *cap.* 3; ſic exponit etiam illud Lucæ in commentario.

Obiicies ſecundò: Theologia eſt habitus intellectualis, non principiorum, ſed concluſionum deductarum è principiis Fidei; neque eſt prudentia, quia non verſatur circa agibilia hic, & nunc; neque eſt ars, quia non verſatur circa factibilia: ergo eſt ſcientia, vel ſapientia, vt probatur ex ſufficienti habituum intellectiuorum numeratione, è ſexto Ethicæ.

Reſpondet D. Bonau. *quæſt.* 3. *prologi*, Theologiam eſſe habitum ſingularem è principiis Fidei ortum, atque adeò non comprehenſum inter habitus intellectiuos, quos Ariſtoteles diuidit. Poteſt tamen dici ſcientia ob certitudinem obiecti, & ſuarum concluſionum; & ſapientia, quatenus eſt de prima, & altiſſima cauſa. Idem reſpondit S. D. locis initio allegatis, & cum eo Meldula *num.* 54.

Obiicies tertiò: Euidentia facit ad nobilitatem ſcientiæ; at Theologia eſt ſcientia nobiliſſima, ex D. Bonauentura *cap.* 1. *Breuil.* Ergo.

14 Reſpondet S. D. *in* 3. *diſt.* 3. *q.* 4. *ad* 6. Theologiam in ſe non vilificari, quia eſt certiſſima, & euidentiſſima, & de obiecto nobiliſſimo; quod verò obſcuriùs cognoſcatur, venit ex imperfectione intellectus quidem, ſed ad perfectionem meriti; imò ex alio capite eſt nobiliſſima, vt in nobis eſt, quia nobilius, & perfectius eſt cognoſcere iſta, quæ de Deo cognoſcit, quàm omnia alia inferiora, de quibus tractant ſcientiæ aliæ; nam ſecundum Ariſtotelem *de animalibus* magis expedit cognoſcere pauca, & minùs etiam certò de ſuperioribus, quàm multa, & certiùs de ignobilioribus. Ita reſpondet Baſſol. *loc. cit.* Meldula *num.* 54.

15 Obiicies quartò: Scientia, vel debet eſſe ex euidentibus in ſe, vel euidentibus nobis? Si ſecundum: Ergo metaphyſica non eſt ſcientia, quia ſæpè procedit è principiis obſcuris nobis, licet notis naturâ ſuâ. Si primum: Ergo Theologia noſtra eſt vera ſcientia, quia ex notiſſimis naturâ ſuâ procedit.

Reſpondet Rada 1. *p. contron.* 2. *art.* 2. Ariſtotelem velle, ſcientiam conſtare ex euidentibus in ſe; nam demonſtratio propter quid debet conſtare ex principiis per ſe notis ex terminis, vel ſaltem reducibilibus ad principia per ſe nota. Cæterùm, vt aliqua ſcientia ſit mihi ſcientia, neceſſe eſt, vt cauſetur ex principiis per ſe notis, & quòd mihi ſint nota ex terminis. Licet autem principia noſtræ Theologiæ eſſent ſecundùm ſe nota ex terminis, tamen non eſt ſcientia, quia non cauſatur ex principiis nobis euidenter notis.

Faber *diſp.* 6. *cap.* 2. ait Ariſtotelem velle præmiſſas debere eſſe ſemper euidentes quoad nos, ſiue in demonſtratione *Propter quid*, ſiue in demonſtratione *Quia*; tamen in prima demonſtratione, qua procedimus à cauſa ad effectum, dicitur proceſſus à notis naturâ, quia cauſæ cùm ſint vniuerſales, & à ſenſibus remotiores, quàm effectus, dicuntur notæ naturâ: effectus verò, qui ſenſibiliores, dicuntur notiores nobis. Omnes verò ſcientiæ humanæ habent ſuorum principiorum euidentiam vel in ſe ex terminis, vel ex ſenſibilibus per experientiam, quod non poteſt dici de Theologiæ principiis.

Verùm cùm Ariſtoteles dicat 1. *phyſ.* 5. & 1. *Poſt. cap.* 5. non eſſe eadem nota nobis, & naturâ, oportet reſpondeant, an principia Theologiæ ſint nota naturâ, an nobis; & tunc redeunt oppoſitiones factæ in argumento, vt notat Meldula: nam dum reſpondent, principia nota naturâ debere eſſe nota nobis, ſupponunt eadem eſſe nota nobis, & naturâ.

Reſpondet ergo Meldula, tam eſſe notum nobis, quàm naturâ, ſumi in ordine ad nos, & cognitionem noſtram. Nota naturâ dicuntur, quæ ſunt nota nobis in ſtatu ſcientiæ, quia in cognoſcendo imitamur ſtatum, quem ſeruat natura in eſſendo, à cauſis ad effectus, à partibus ad compoſita: quæ verò ſunt nota in ſtatu ignorantiæ, dicuntur nota nobis, quia in cæcitate ignorantiæ procedimus per ordinem confusè cognoſcendi à ſenſibilibus ad minùs ſenſibilia, ab effectibus ad cauſas. Itaque Ariſtoteles non vult, idem non poſſe eſſe notum ſimul nobis, & naturâ; ſed infertur, hæc ſenſibilia ita eſſe inter ſe diuerſa, vt ſemper fundent diuerſos proceſſus, & diuerſum ordinem cognoſcendi: nam nota nobis fundant proceſſum à poſteriori, & ordinem confusè cognoſcendi: nota verò naturâ fundant proceſſum à priori. Quando Ariſtoteles dixit, ſcientiam eſſe ex euidentibus, intelligit diſiunctim. Si enim ſcientia eſt parta per demonſtrationem *Quia*, hæc debet procedere ex præmiſſis notis nobis per ſenſum, & experientiam; ſi verò eſt parta per demonſtrationem *Propter quid*, debet procedere ex notis ſecundùm ſe, & quoad naturam. Quoniam verò principia noſtræ Theologiæ non ſunt nobis nota per ſenſum, & experientiam, neque ex terminis, ideò ſcientia dici non poteſt.

Verùm hæc reſponſio videtur cæteris deterior in eo, in quo diſcrepare conatur; nam Ariſtoteles diuidit obiecta, non autem cognoſcentis ſtatum; & aſſerit, non eſſe eadem nota nobis, & naturâ. Ideò monet, in ſcientia capeſcenda incipiendum à notioribus nobis, ad notiora naturâ, *loco citato* 1. *Phyſ.* Vocat verò nota naturâ ſuâ, quæ multùm habent entitatis, atque adeò perfectionis, & conſequenter cognoſcibilitatis; & hæc ideò nota quidem naturâ, ſed ita nobis adeò ignota, vt ad ea intellectus noſter ſe habeat ſicut oculus noctuæ ad ſolem, quia à noſtris ſenſibus, per quos hauritur cognitio, ſunt remotiſſima, vt habetur 2. *Metaph. text.* 1. De reliquo incidit ferè in reſponſionem aliorum.

Reſpondetur ergo ex D. Bonau. *in* 2. *diſt.* 39. *q.* 2. 16
vbi explicat propoſitionem per ſe notam, eam eſſe

non

non quæ eſt cognita nobis, ſed quæ eſt in ſe euidens, ita vt cognitis terminis appareat compoſitio eorum vera, vt hæc: *Omne totum eſt maius ſua parte*; ſi cognoſcatur quid ſignificet *Totum*, quid *Pars*, illicò percipietur verum, partem eſſe minorem ſuo toto. Propoſitiones igitur theologicæ non ſunt tales; ſi enim dicas: *Deus eſt vnus, & trinus*; tantum abeſt, vt cognitis terminis, *Vnus*, & *Trinus*, eos capias componi, & aſſeri de Deo, vt videantur implicare, etiamſi addas *Vnus in eſſentia*, & *Trinus in Perſonis*; quia quæcumque natura perfecta babet perfectam ſubſiſtentiam; & ſi eſt natura rationalis, vna perſona tantùm eſſe poteſt. Hæc autem obſcuritas oritur ex natura obiecti ipſius abſtractiſſimi, & ſuper intellectus viatoris vires, qui cum ſit tanquam tabula raſa, omnem cognitionem haurit per ſenſus. Hinc neque in ſtatu ignorantiæ poteſt has propoſitiones theologicas capere, vt patet; neque in ſtatu ſcientiæ, quæ tota per ſenſus cum ſit, non percipit hæc ſupernaturalia, quæ cum natura non habent euidentem connexionem, vel relationem. Cùm ergo principia Theologica neque natura ſua ex terminis ſint nota, vt poſſint parere nobis cognitionem claram; neque à poſteriori valeant clarè cognoſci, ſequitur non poſſe parere ſcientiam euidentem, ad quam Ariſtot. requirit alterutram euidentiam, ſiue ex ſenſibilibus, ſiue ex vi terminorum: quæ vtraque cognitio licet ad nos terminetur, tamen altera, quæ eſt ex vi terminorum, ſumitur originaliter ex natura ipſius, quæ per accidens contrahit obſcuritatem ad nos, quatenùs per lumen Fidei obſcurum eam habemus, & ita differt ab ea, quæ per ſe ad nos refertur.

An Theologia ſit ſubalternata.

QVÆSTIO TERTIA.

D. Bonau. q. 2. prol. ad 4.
D. Thom. q. 1. art. 2.

QVi negant nobiſcum, Theologiam eſſe ſcientiam, facilè ſunt expediti ab hac quæſtione; nam ſubalternatio, ſi ſtrictè capiatur, eſt ſubordinatio ſcientiarum.

Caietanus *hic, ad articulum D. Thomæ*, Ægid. *1 p. principali prol. art. 2.* tenent, noſtram Theologiam ſubalternari Theologiæ Beatorum. Allegant etiam D. Thomam, ſed ille non dicit, ſcientiam Beatorum eſſe ſubalternantem, ſed eſſe ſuperiorem; ideò non conuincitur huius ſententiæ, vt notat Vaſquez *diſput. 6. cap. 2.*

Secunda ſententia eſt negatiua. Ita Scotus *poſt q. 3. prologi, in q. 4. & 5. later.* Henricus *in ſumma, art. 7. quæſt. 5.* Argent. *quæſt. 2. prol. art. 3.* Durandus *quæſt. 7. prol.* Vaſquez *vbi ſuprà*, Faber *diſp. 7.* Brancaſ. *diſput. 1. quæſt. 6.* Amicus *diſp. 1. ſect. 7.* Arriaga *diſp. 1. ſect. 2.* Meldula *diſp. 1. q. 1. art. 3.* & Nominales paſſim. Fulienſis *proœm.*

Seraphicus hîc aſſerit, Theologiam noſtram aliqualiter ſubalternari Scripturæ ſacræ; & videtur proinde negare, ſubalternari ſcientiæ Beatorum.

17 Fundamentum vnicum, quod ſupponit S. Doctor: Non licet nobis de ſubalternatione, & cæteris philoſophicis nouas eſſentias confingere ab iis, quas peritiſſimi Philoſophi aſſignarunt, alioqui nil ſtabile vnquam è Philoſophia obtinebimus. Sic poterimus Deo adſcribere iram, pœnitentiam, & in ſimilia errata offendere, vt notat Vaſquez *diſp. 6. c. 1.* in quo labitur Ægidius *loco citato*, quem carpit Meldula *n. 37.* dicens, id eſſe vocabulis abuti, & iure cerebrotico diſputare.

Quatuor verò conditiones ex Ariſtot. *1. Poſt. c. 13. text. 69.* & alibi ad ſcientiam ſubalternatam exiguntur. Prima eſt, vt ſcientia ſubalternata habeat obiectum à ſubalternante. Sic Muſica agit de numero, qui eſt Arithmeticæ obiectum. Secunda conditio eſt, vt ſcientia ſubalternata addat ſupra ſubalternantis obiectum nouam differentiam, alioqui eſſet eadem ſcientia; nam ſcientiæ ſecantur ſicuti res, vt ait S. Bonau. *quæſt. 1. prol. arg. 2.* ex Ariſtot. *3. de anima, text. 38.* Tertia conditio eſt, vt differentia addita ſit extra eſſentiam, & proprietates obiecti ſubalternantis. Quod idem eſt, ac dixit D. Bonau. *hic*, eſſe conditionem diſtrahentem, id eſt trahentem extra rationem eſſentialem, & extra rationem paſſionum obiecti: nam hæc pertinent ad eandem ſcientiam, ad quam pertinet obiectum, & ab ea demonſtrantur, vt habet Ariſtotel. *1. Poſt. c. 5.* Ita Perſpectiua ſubalternata Geometriæ agit de linea, vt viſualis eſt, non vt recta, vel obliqua, quia viſuale eſt accidens lineæ extrinſecum. Sic & Muſica ſubalternatur Arithmeticæ agens de numero, non vt par, vel impar, vel ſimile; ſed vt eſt ſonorus, quod eſt accidens numero, vt aduertit D. Bonau. *hic*. Vbi etiam notat, debere conditionem eſſe talem, vt poſſit fundare noua principia ipſius ſcientiæ ſubalternatæ: quod alij etiam docent. Quarta conditio eſt, vt ſcientia ſubalternata accipiat ſua principia à ſubalternante probata, & euidentia. 18

ASSERENDVM primò, Theologiam noſtram non ſubalternari propriè Theologiæ Beatorum.

Probatur à nonnullis ex defectu conditionum requiſitarum. Nam Theologia noſtra eſt eiuſdem obiecti cum Theologia Beatorum, non addens nouam differentiam. Hinc deficit ſecunda, & tertia conditio. 19

Reſpondet Caietanus, noſtram addere, eſſe obiectum reuelatum.

Inſtant, nam hoc ſumitur ex parte luminis; at conditio ſcientiæ ſubalternatæ debet ſumi ex ipſo obiecto, quia ſcientiæ ſecantur vt res ipſæ, id eſt, ex parte rerum, ſeu obiectorum, vt ſunt res (vt ait Ariſtot. *3. de anima, textu 38.* & obſeruat S. Bonau. *quæſt. 1. prologi, & in 3. diſt. 35. dub. 1. lit.*) Cùm autem eſſe reuelatum, vel clarè viſum ſit ratio extrinſeca obiecto, ſoláque relatio rationis, & ens rationis; non poſſunt eſſe conſtitutiua nouæ ſcientiæ realis, qualis eſt Theologia. Hæc tamen ſolutio nobis non admodum probatur. Sed hæc explicabo *quæſt. 4.*

Probatur etiam ex defectu quartæ conditionis, quia non dependet à Theologia Beatorum accipiendo ab ea ſua principia euidentia, vt vidimus *quæſt. 2.* ſed accipit à fide obſcura, vt notat D. Bonauent. *locis allegatis ibi.*

ASSERO ſecundò, Theologiam aliqualem ſubalternationem habere ad Scripturam ſanctam.

Probatur à Seraphico, quia accipit à Scriptura obiectum credibile, & illud conſiderat, vt eſt intelligibile per rationes ex natura ſui obiecti. Non eſt tamen propria ſubalternatio, quia non accipit ſua principia probata, & euidentia in Scriptura, ſed authoritate ſuppoſita, etiam ex fide ænigmatica. Ideò S. D. dicit, reduci, non vt ſubalternatam, ſed per modum cuiuſdam ſubalternationis ad Scripturam. 20

Nota, Propoſitiones Theologicas dupliciter deduci è Scriptura, vel alia reuelatione, putà traditionum, Conciliorum. Primò immediatè. Sic ex hac concluſione: *Chriſtus eſt homo*, deducitur hæc: *Ergo habet*

voluntatem humanam; & tales propoſitiones dicuntur reuelatæ mediatè, & virtualiter, & pertinent ad Fidem, ſúnique eiuſdem certitudinis cum præmiſſis, ex quibus inferuntur. Al æ ſunt rationes probabiles, quæ à nobis adducuntur ad confirmanda ea, quæ ſunt Fidei, & tales ſunt theologicæ meræ.

Obiicies primò, Theologia noſtra accipit obiectum à ſcientia Dei, & Beatorum per reuelationem; neque obſcuritas obeſt, quia etiam Medicus ſubalternatur Phyſico, cui credit principia, quæ debent eſſe clara in ſola ſcientia ſubalternante, in qua ſupponit illa probata.

Reſpondetur cum D. Bonau. requiri etiam alias conditiones. Quoad hanc verò non accipit Theologia noſtra à Beatis ſua principia per continuationem, ita vt obtenta altera, poſſimus etiam alteram habere; neque accipit ea demonſtrata ſibi. Quid enim iuuat ad euidentiam neceſſariam, eſſe viſa à Beatis, & non communicari euidentiam? vt dixi quæſtione ſecunda.

Obiicies ſecundò, conditio addita, nempe intelligibile, eſt ens rationis. Ergo non conditio requiſita ad ſubalternatam, quæ debet eſſe ex parte obiecti.

Reſpondetur, talem conditionem eſſe ex obiecto, ſicut & viſuale eſt conditio lineæ ad Perſpectiuam ſubalternandam.

An Theologia ſit vna.

QVÆSTIO QVARTA.

D. Bonau. q. 1. prol. ad 4.
D. Thom. q. 1. art. 3.

THEOLOGIAM vnam eſſe negant Ocham *quæſt. 3. prolog.* ibidem Ariminenſis, Gabriel *quæſt.* 8. Durandus *q. 4. prol.* & alij, qui aiunt, vnam eſſe tantùm vnitate ordinis. Sequitur Ribas *d. 6. c. 1.* Granad. *d. 8.* videtur Molin. *art. 3. diſp. 3.*

Sententia verò S. Bonauenturæ, & S. Thomæ hîc eſt, eſſe vnam. Idem ſenſere Albert. Magn. *1. part. ſumma, q. 3. art. 2.* Henricus *ſumma art. 6. q. 3.* Richardus *q. 3. prol.* & alij aſſerentes, eſſe vnam ſpecie atoma. Sequuntur Caietanus *ad art. cit.* Vaſquez *diſp. 7.* Valentia *diſp. 1. quæſt. 1. puncto 3. §. 3.* & alij.

21 NOTANDVM, vnitatem ſcientiæ ſumi ab vnitate formali obiecti; ratio autem formalis obiecti eſt duplex: altera, quæ dicitur ratio *qua*; & eſt ea, quæ per ſe primò reſpicitur à ſcientia in ſuis materialibus obiectis ſecundùm aliquam habitudinem ipſius ad illa. Talis in Theologia eſt Deitas. Deus enim, vt Deus, eſt obiectum eius: alia verò eſt ratio formalis *ſub qua*, id eſt per quam, velut per medium, ſcientia infert concluſiones. Talis in Theologia eſt eſſe reuelatum ratione intelligibile. Ita diſtinguunt S. Bonauentura obiectum Theologiæ *quæſt. 1. proœmij, ad 4.* & *q. 3. fundam. 2.* D. Thom. *hic, art. 3.* Caietan. Bannes, & omnes diſcipuli. Adde Bacconium *prol. 1. ſent. q. 3. art. 2.* Gregorium de Valent. *loc. cit.* contra Scotum *q. 4. prol.* Fabrum *diſp. 4. n. 28.* Vaſquez *diſp. 8. cap. 3.* & alios.

Probatur autem, hanc rationem formalem obiecti, in eſſe ſcibilis, facere rationem formalem, qua ſcientiæ diſtinguuntur, exemplo noſtræ Theologiæ, quæ eſt eadem in obiecto materiali, & formali ex parte rei cum Theologia Dei, & Beatorum. Et in hoc ſolùm differt, quia illi reſpiciunt Deum, vt Deum clarè viſum: nos autem Deum, vt Deum per reuelationem cognitum, & per rationes inde hauſtas intelligibilem. Similiter differt à Metaphyſica, quia illa naturaliter conſiderat Deum; nos autem ſupernaturaliter manifeſtabilem.

Reſpondet Fauentinus, hanc eſſe differentiam genericam ex parte ſcientiæ eſſentialem, quâ Theologia diſtinguitur ab aliis ſcientiis non reuelatis; non autem rationem formalem obiecti.

Contra verò eſt. Primò, quia illud eſt obiectum formale, ſub quo tale ens eſt ſcibile. Sed Deus, vt Deus, in quantùm reuelatus ratione intelligibilis, eſt ratio formalis, ſub qua Deus eſt nobis intelligibilis. Ergo. Minor negata à Fabro, probatur, quia debet aſſignare rationem, ſub qua Deus eſt nobis obiectum ſcibile. Profectò nullam aliam dabit, vt dixi. Deinde vnitas ſcientiæ ſpecifica venit ab vnitate formali generica, quæ per ſuas differentias deſcendit in ſpecificam; at hæc venit primò à natura ipſius ſcientiæ, & completur, vt reſpicit ſuum obiectum. Habitus enim completè ſpecificantur per actus, & obiecta. Igitur differentia hæc, quam eſſentialem, & genericam concedit, habet in obiecto complementum. Fallitur verò Fauentinus putans, reuelabilitatem obiecti Theologiæ, eiuſque intelligibilitatem per rationes, ſe tenere ex mero lumine, & ſola potentia, nam tenet ſe ex parte obiecti, quod talis naturæ eſt. Et ideò hæc conditio rectè ex hoc capite ſubalternare poteſt Theologiam Sacræ Scripturæ, ſicut viſualitas lineæ eſt conditio ex parte ſubiecti potens ſubalternare Perſpectiuam Geometriæ, vt notat D. Bonau. *quæſt. 1. ad quartum.* Quid enim eſt aliud viſualitas lineæ, niſi id, quod eſt Deo reuelabilitas, & intelligibilitas? nam quantùm linea viſibilis eſt, eſt obiectum ſenſus viſûs, qui fertur in rem quidem viſibilem, non tamen reduplicatiuè vt viſibilem, quia eſt viſibilis à viſu: ſicut nec ſcientia fertur in ſcibile, vt iam ſcibile eſt; ſed ad rem ipſam, quæ ſcitur, & eſt obiectum ſcibile in actu proximo; ſic nec fit talis per reſpectum ad ſcientiam, vt docet Ariſt. 3. *Metaph. text.* 20. vbi non vult dicere, non ferri in rem ſcibilem, vel rem viſibilem, vt malè intellexit Vaſquez *diſp. 8. c. 3.* & Faber *diſp. 4.*
num. 28. qui multa obiiciunt alia ex Ariſtot. malè in- 22
tellecta, præcipuè illud 2. *de anima, textu* 38. *Scientiæ ſecantur vt res.* Quaſi verò ſola materialitate obiectorum diuidantur ſcientiæ ad modum truncorum ſecuri, & aſcia.

Sanè diuiduntur ſecundùm diuiſionem formalem obiectorum, vt exponit S. Bonauent. *quæſt. 1. prologi, fundam. 2.* & *in 3. diſt. 35. dub. 1.* Ratio verò formalis à nobis aſſignata ſe tenet ex obiecto; nam per hanc eſſentialiter diſtinguuntur habitus, qui ex obiectis diſtinctionem eſſentialem completam accipiunt, licèt primariam habeant à ſeipſis, vt oſtendit Pater Galitius *dial. lib. 2. tract. 3. c. 3.* Deinde per hoc obiectum potentiâ intelligibile fit actu ſcibile. Quod verò Faber ait, hanc eſſe differentiam extrinſecam, cùm tamen eam fateatur eſſe primam rationem formalem diſtinguentem, atque formam eſſentialem, non video quo pacto omninò cohæreat. Quis enim primam rationem formalem eſſentialem diſtinctiuam, extrinſecam concedat?

ASSERO ergo, Theologiam eſſe vnam ſcientiam.

Probatur à SS. DD. hoc argumento, quod plus habet ſoliditatis, quàm quicquid in oppoſitum obiiciant aduerſarij. Vnitas ſpecifica potentiæ, vel habitus conſiderari debet ſecundùm vnitatem rationis formalis obiecti. Sed omnia, quæ tractantur in Theologia, conueniunt in ratione formali obiecti, ſiquidem omnia conſiderantur in Theologia, vt ſunt diuinitus reuelata, non ſimpliciter (hoc enim eſt obiectum Fidei,) ſed vt intelligibilia rationibus, vt notat Va-

lentia

lentia poſt D. Bonauent. *loco citato, quæſt.* 2. *ad* 4. Ergo.

Vnum mihi reſtat argumentum, quod vrgent Faber, Vaſquez, & alij. Eſſe reuelatum non dicit nouum medium demonſtrationis, vt fundet nouam ſcientiam; ſed ſolam relationem rationis, quatenus illa veritas conſpicitur vt terminus reuelationis.

Reſpondet Valentia, licet ita ſit relatio rationis, tamen eſt medium dans nouam firmitatem propoſitionibus.

Reſpondetur ſecundò, illam rationem cognoſcibilitatis ex reuelatione dicere aliquid etiam in obiecto, quod tale eſt, vt per reuelationem ſit hoc modo rationibus diſcurribile, quo fit, vt Theologia non ſit ſcientia rationalis, ſed realis: tum quia agit de obiecto materiali *Quod*, & ratione formali *Qua* reali, vt dicam *quæſt*. 7. tum quia ratio formalis ſub qua habet primum eſſe ab obiecto, licet per rationem actu compleatur, more aliarum ſcientiarum realium. Per hoc verò non rectè inferunt, nos facere obiectum Theologiæ ens rationis, vt dixi etiam q 3.

An Theologia ſit practica, vel ſpeculatiua.

QVÆSTIO QVINTA.

D. Bonau. q 3 prol.
D. Thom q. 1. art. 4.

23 CELEBRIS eſt diuiſio ſcientiæ in Speculatiuam, & Practicam, eſtque Ariſtot. familiaris. Quamuis autem nos, qui negamus, Theologiam eſſe ſcientiam, non cogamur eam concedere ſpeculatiuam, vel practicam ſub Ariſtotelica diuiſione, quam etiam ex alio capite effugere poſſumus, quia ipſe diuidit ſcientias naturales; Theologia autem eſt habitus è ſupernaturalibus principiis Fidei ortus, quem Ariſtot. non agnouit; tamen, vt omnium ſententiæ diſcutiantur, qui Theologiam vel ſpeculatiuam, vel practicam aſſerunt, oportet videre quid Practicum, quid Speculatiuum ſonet. Praxis Græcè ſignificat operationem: Theoricum verò idem ſonat, quod ſpeculatiuum, quod eſt contemplatiuum.

Differunt autem habitus iſti primò in fine, ſeu in obiecto, vt habet rationem finis. Ita Ariſt. 3 *de anima, text.* 49. & 2. *Metaph. text.* 2. & 3. vbi ex fine eos diſtinguit. Sumit autem finem, vt coincidit in obiectum, vt patet 6. *Ethica*, & 6. *Metaph.* Igitur Theorica contemplatur ſuum obiectum definiendo, diuidendo, & ibi quieſcit, non ordinando ad opus, etiamſi daremus eſſe ordinabile. Ita Ariſtot. 6. *Metaph. initio*. Itaque eſt gratiâ ſuæ contemplationis, & hoc eſt poſitiuum, ex quo ſequitur negatio, vt non ordinetur ad opus; in qua negatione Lichetus *quæſt.* 1. *prol.* ponit eſſentiam ſcientiæ ſpeculatiuæ, & differentiam à Practica, quæ ordinatur ad opus. Sed fallitur; eſt enim negatio fundata in poſitiua ordinatione ad ſe, in quo poſitiuè, & eſſentialiter ſtat differentia à Praxi, quæ eſt ad opus. Differunt ſecundò in modo procedendi; nam habitus practicus procedit modo compoſitiuo, docendo modum operandi, deliberandi: ſpeculatiuus verò, modo reſolutorio, reducendo concluſiones, & rerum proprietates in principia, & definitiones earum.

Altercantur autem Doctores in definiendo naturam Praxis. Aliqui enim volunt, eſſe actum intellectus dirigentis eum ad veritates omnes cognoſcendas. Ita Bacconius *q.* 4. *prol.* Ruuius *q.* 3. *Log.* poſt alios Nominales. Hoc tamen eſt falſum, vt probat S. Bonau. *diſt.* 3. *p.* 1. *dub.* 7. *litt.* nam veritas mouens intellectum ad aſſenſum eſt finis intelligentiæ ſpeculatiuæ, vt docet Ariſtot. 2. *Metaph. text.* 3. Quod ſi actiuitas, quam intellectui aſcribit Ariſtot. etiam 3. *de anima, text.* 49. ad veritates omnes aſſerendas, & inueniendas, eſſet praxis, iam omnes ſcientiæ ſpeculatiuæ, quæ circa verum ſuum aſtruendum inſudant, eſſent practicæ.

Alij dicunt duo. Alterum eſt, Praxim eſſe actum voluntatis: alterum, Practicos habitus eſſe in eadem voluntate. Sed hoc ſecundum eſt contra Ariſtot. *loc. cit. de anima*, vbi docet, intellectum ſpeculatiuum extenſione fieri practicum. Ex quo textu habemus primò, intellectum eſſe ſubiectum ſcientiæ practicæ, qua perficitur, vt ſit regula directiua operationum potentiæ, quæ dirigitur, quæ eſt voluntas: nam intellectus ſpeculatiuus, & practicus ex Ariſtot eſt idem ſolâ extenſione differens, vt acutè aduertit Faber *loc. cit.* ex D. Bonau. *in* 2. *diſt.* 39. *q.* 1. *in corpore*. Adde, omnem ſcientiam eſſe intellectus, vt arguit S. Bonauent. *ibi, fundam.* 3. Secundò habemus, praxim, quæ eſt operatio practica executiua, eſſe in voluntate: nam intellectus fit practicus extenſione, ſeu dum extra extenditur actu dirigente; actus enim intellectus non egreditur. Praxis autem extra cognitionem practicam eſt; nam ſi eſſet in ipſamet cognitione, ſeu eſſet ipſa cognitio practica, ſcientia non fieret practica per extenſionem, vt benè inſert Faber *diſp* 9 *n.* 2.

Eſt ergo habitus practicus in intellectu dirigente potentiam vtique poſteriorem ſe, quæ eſt ſola voluntas, ad praxim. Itaque praxis eſt in voluntate directa ab intellectu. Ita Scotus *q.* 4. *prol.* & omnes diſcipuli poſt S. Bonauent. *q.* 4. *prolog.* & *in* 2. *diſt.* 39. *quæſt.* 1. & *in* 4. *ſent. diſt* 6. *p.* 2. *art.* 2. *q.* 2. ex quo Scotus decerpſit quicquid de praxi, & ſcientia practica diſſeruit, vt notat P. Galitius *lib.* 2. *dialect. tract.* 2. *cap.* 5. *num.* 7.

Praxim igitur non eſſe potentiarum, quæ ſunt intellectu priores, nempe vegetatiuæ, & ſenſitiuæ, probatur. Nam per rationes ſupponit directionem intellectus; potentia autem directa eſt poſterior dirigente, non prior.

Quod verò praxis non in intellecto, ſed in voluntate ſit; probatur ex Ariſtot. 3. *de anima*, 6. *Metaph.* & 6. *Ethic.* vbi vult, primam praxim eſſe in voluntate, prout dirigitur ab intellectu; & electionem eſſe veram praxim. Hoc totum intendit S Bonauent. *in* 2. *diſt* 24 *p.* 1. *art.* 2. *q* 1. *ad ſecundum*, vbi explicans illud effatum Ariſtot. *Intellectus ſpeculatiuus extenſione fit practicus*; ait id dictum, quia ille idem intellectus, & eadem potentia, quæ dirigit in conſiderando, poſtmodùm regulat in operando voluntatem. Ideò Ariſt. 6. *Ethic. c.* 5 ait, artificem egere virtute, id eſt arte, ad rectè agendum. Quando autem dicit *cap.* 3. negationem eſſe practicam, non loquitur de negatione intellectus nuda, ſed de definitione, quâ intellectus decidit, hoc non eſſe faciendum, & dictat voluntati, quæ praxim exercet, fugiendum ab ea re. 24

Dices, poteſt aliquis actus intellectus eſſe à voluntate imperatus. Ergo erit praxis in intellectu.

Reſpondetur negando conſequentiam; nam praxis debet eſſe actus extenſus extra intellectum, nam intellectus fit practicus extenſione; omnis autem actus intellectus eſt immanens in intellectu. Quoniam igitur in illo actu non eſt rectitudo, vel malitia formaliter, ſed ſola veritas, vel falſitas, non poteſt eſſe praxis, ſecundùm regulas Ariſtot. Benè quidem ipſa

imperatio erit praxis, & ſic etiam illa intellectio erit practica, non quantùm eſt intellectio, ſed quantùm imperata; & in hoc multi Recentiorum impingunt.

25 Ex dictis habes, practicum, & ſpeculatiuum differre eſſentialiter, contra Scotum, atque Fabrum *diſput.9. c.7.* ſecum pugnantes. Probatur: nam ex Scoto abſolutum, & relatiuum differunt eſſentialiter. Sed Speculatiua eſt abſoluta: Practica eſt relatiua, id eſt ad aliud. Ergo. Maior eſt Ariſtot. *in prædicamentis*, qui ideò relationem à prædicamentis abſolutis diſcriminat, éſtque hoc certum apud Scotum, & aſſeclas. Minor probatur ex Licheto *q.7. prol.* vbi ait: *Practica ſcientia eſſentialiter conſtituitur per relationem ad praxim: at ſpeculatiua eſt gratiâ ſui.*

Fruſtra autem reſpondit Lichetus dicens, ſpeculatiuam conſtitui per negationem, vt non ſit ad aliud ordinata cognitio; at negationem non poſſe dare eſſentialem differentiam.

Contrà enim eſt, quia negatio illa fundatur in priori poſitiuo, vt ſit gratiâ ſui; & hoc conſtituit eſſentialem ſpeculatiuam; negatiuum enim ad affirmatiuum reducitur, tanquam ad ſuum principium, non è contra. Cùm ergo hoc poſitiuum, *eſſe propter ſe*, conſtituat ſpeculatiuum, ſequitur eam diſtinguere à practica, quia idem eſt principium conſtitutiuum, & diſtinctiuum.

Nec valet alia reſponſio Licheti *loc. cit.* Guidonis *contradict.* 15. Fabric. *cap.7. num.*48. ſenſum Scoti eſſe, has ſcientias ſecundùm eſſe genericum ſcientiæ non differre eſſentialiter per relationem. Contrà enim eſt, nam Scotus loquitur de illis, vt ſunt ſcientiæ, altera Speculatiua, altera Practica, vt definiat, an Theologia ſit in ſpecie Speculatiui, an Practici.

Itaque Faber, qui cum Scoto vrget, non poſſe Theologiam eſſe ſimul practicam, & ſpeculatiuam, quia ſunt differentiæ eſſentiales oppoſitæ, ſecum pugnat, & ex eius doctrina ſoluitur argumentum, negando opponi.

26 Colliges etiam potes ex dictis, ſcientiam habere eſſe practicum intrinſecè ab intellectu vt dirigente rem naturâ ſuâ talem ad praxim, vt practica Medici oritur è directione conſideratæ ſanitatis ad opus: extrinſecè autem ab obiecto, à quo habet extenſionem; ab obiecto, inquam, vt habet rationem finis, *ex* 2. *Metaph. &* 3. *de anima citatis*, vbi ex fine diſtinguit has ſcientias. Deus, v.g. qui eſt obiectum Theologiæ, eſt finis vltimus omnium operationum. De hoc pronunciatur eſſe bonum; & quia omne bonum eſt diligendum, deduco: Ergo Deus diligendus. Hæc propoſitio, *Deus eſt bonus*, practica eſt, quia reſpicit Deum, vt diligibilem, & dirigit voluntatem. Id ſignificat S. Bonau. *quæſt.*1. *prol. ad* 3. & *q.*3. *corpore.*

Aduerte autem, non ſumi naturam ſcientiæ à fine, qui eſt extra obiectum, putà qui imponitur à ſciente; nam ex hoc capite poteſt quilibet ducere omnem ſpeculatiuam ad praxim, putà lucrandi, & reddere practicam, quod eſt falſum; nam eſſentia ſcientiæ eſt immutabilis. Igitur ſumi debet ex fine intrinſeco ſcientiæ, ex Ariſt. 2. *Metaph. c.*3.

27 Sequitur denique ex dictis, non poſſe eidem ſcientiæ conuenire Practicum, & Speculatiuum formaliter: nam ſunt differentiæ oppoſitæ diuidentes immediatè ſcientias, ex Auicenna 5. *Metaph.* & Auerroë 5. *Ethic. com.*1. & eruitur ex Ariſtot. 4. *Metaph.* non poſſunt autem differentiæ oppoſitæ eidem conuenire, v.g. rationale, & irrationale, vt docet D. Bonauent. 2. *diſt.*41. *quæſt.*2. poſſunt tamen conuenire eminenter. Sic rationale continet in ſe eminenter perfectionem eſſentialem etiam irrationalium. Cùm igitur Theologia ſit ſapientia, eminenter continet perfectiones Speculatiuæ, & Practicæ, id eſt habet perfectionem, vt ſit propter ſe; & tamen, vt ad opus ordinari queat: neque enim ſpeculatiua intrinſecè dicit repugnantiam, vt ordinetur ad opus, vt putat Vrinenſis, & alij. Hoc vberrimè proſequitur S. Bonau. *in proœmio ad primum Sent.* vbi Theologiam fluminibus comparat, mari adæquat immenſo, cuius infinitum obiectum continet innumeras nobiliſſimas veritates ſcrutandas propter ſe; eas tamen ad fidem nutriendam, charitatem fouendam, praxim denique ſanctam ordinari poſſe; atque adeò Speculatiuum, & Practicum eminenter continere. Hæc eſt doctrina, quæ à Neotericis ſoli Caietano acclamatur, quáque ſe ab argumentis Scoti expediunt.

Prima igitur opinio eſt, Theologiam eſſe merè ſpeculatiuam. Ita Henricus *in ſumma art.* 8. *q.*2. *quodl.* 8. *q.* 9. & alij apud Scotum *quæſt.*4. *prolog.*

Secunda opinio eſt, eſſe Practicam. Ita Scotus *loc. cit.* & diſcipuli, è quibus Macedo *coll.*3. *diff.*1. & latè Faber *diſp.*9. & ante omnes Albertus Magnus *Summa p.*1. *tract.*1. *q.*3. *n.* 3. Richard. *q.* 4. Ariminenſis *q.* 5. *art.*4.

Tertia opinio eſt, eſſe ſimul practicam, & ſpeculatiuam. Ita D. Thom. hic, quem ſequuntur diſcipuli. Valentia *diſp.* 1. *q.*1. *p.*3. §.4. Vaſquez 1. *p. diſput.*8. Fulienſ. *proœm.* Ribas *d.*6. *c.*2. dicens, eſſe Theologis communem. Fuit Heruæi *q.*4. *prol.* Capreol. *q.*2. Bouer. *d.*4. *ſymb. art.*19.

Qvarta ſententia D. Bonauent. *hic*, aſſerit, Theo- 28
logiam habere eſſe practicum, & ſpeculatiuum, magis verò propriè dici affectiuam, quia ſpecialem praxim habet, vt non ſolùm det regulas ad opus, vel ad actus quoſdam ordinarios elicitos, in quibus etiam ſtat praxis; ſed quia exhibet ſtimulos ad affectum nobiliſſimum diuini amoris. Eſt igitur practica, & ſpeculatiua eminenter, dicta affectiua, vnde ait, eſſe magis affectiuam, quàm ſpeculatiuam; ex quo vide, non excludi praxim: quod etiam agnouit Scotus *loc. citat.* eam referens, & Faber *cap.*6. Quod ſi Ariſtot. ad hanc ſpecialem praxim non aduertit, nil mirum. Miror à viris Religioſis non agnoſci, & impugnari. Idem ſentire Alenſis *quæſt.*1. *prol.* Ægid. *quæſt. vlt. prol.* & alij apud Durandum *q.*6. *prol.* qui ſimul cum Vaſq. hanc opinionem non benè impugnant; quaſi ponat Theologiam ita mediam affectiuam, vt non practicam, nec aliquo modo ſpeculatiuam rationem habeat. Aſſerit enim Seraphicus Doctor in corpore, Theologiam complecti vtramque, id eſt ſpeculatiuam, & practicam; eſſéque eminenter ſpeculatiuam, & practicam; praxi verò eminenti ad charitatem fouendam, atque adeò ab actu nobiliori affectiuam vocari, quia inter affectus amor, & inter amores charitas eminet. Non coget tamen nos regulis arctis Praxis, & theoricæ ſcientiæ eam alligare, quia cùm non ſit propriè ſcientia, neque alligatur ſpeciebus ſcientiæ, vt aduertit Valentia *ſuprà*. Vnde mirum, Scotum, & aſſeclas inſudare ad eam Practicam ad amuſſim comprobandam. Enim verò Poſnanienſis *q.*5. & alij Scotum ad D. Bonau. docunt.

Aſſero primò, Theologiam non eſſe merè ſpeculatiuam.

Probatur à D. Bonau. Primò, doctrina, quæ eſt de his, ſine quibus non poteſt rectè aliquis viuere, non eſt merè ſpeculatiua. Talis eſt Theologia. Ergo. Maior eſt euidens; nam recta vitæ inſtitutio eſt optima praxis. Minor probatur, quia noſtra Theologia eſt ad cognitionem, & declarationem noſtræ Fidei, ſine qua impoſſibile eſt placere Deo, vt habetur *Heb.*11.

Probatur ſecundò à D. Bonau. Omnis doctrina, 29
quæ conuenit cum virtute in obiecto, recedit à ſim-

plici ſpeculatione : at Theologia conuenit cum fide in obiecto, quia eſt de credibili. Ergo. Maior eſt certa; nam omnis virtus eſt ad praxim. Minor infrà probabitur ex Patribus.

Probatur tertiò à S. D. Illa doctrina, quæ ſuum obiectum habet, & reſpicit vt finem vitæ ſtudioſæ, atque beatæ, non eſt merè ſpeculatiua. Talis eſt Theologia. Ergo. Maior probatur, quia à fine ſumuntur principia practica. Minor probatur. Cuius dilectio principaliter intenditur extra genus cognitionis, eius cognitio principaliter intenditur intrà genus cognitionis : at per Henricum, dilectio principaliter intenditur extra genus cognitionis theologicæ. Ergo cognitio finis principaliter intenditur intra genus cognitionis ſacræ Theologiæ. Hæc ratio eſt contra Henricum ad hominem, quâ nituntur Faber *num.* 19. & alij Scotiſtæ, licèt nimium malè intendant, vt infrà.

Probatur quartò à Seraphico in corpore, ſupponendo voluntatem noſtram errare poſſe circa finem in particulari oſtenſum. Hoc concedit Henricus *quol.* 30 4.q.11. Illa doctrina, quæ dirigit voluntatem, ne aberret circa finem in particulari, recedit à merè ſpeculatiua. Talis eſt Theologia noſtra, quæ eſt directiua voluntatis, ne erret circa finem particularem, quoad circumſtantiam actus, in quo poſſet errare. Ergo. Hoc argumento nititur Scotus *loc. cit.* Faber *num.* 19. & alij Scotiſtæ, qui tamen non ſatis hinc probant, Theologiam eſſe merè practicam, quia non eſt tota de cognitione finis formaliter vt proſequendi, vel appetibilis, ſicuti ſupponit Scotus; ſed de fine materialiter, vt infrà.

Asserο ſecundò, Theologiam non eſſe merè practicam, contra Scotum.

Probatur primò à D.Bonau. Ea doctrina, quæ in illa eſt in ſolis abditis, arcaniſque veritatibus propter ſe ſimpliciter pandendis de Deo, non eſt merè practica. Talis eſt Theologia. Ergo Maior probatur; nam hæc eſt definitio ſcientiæ ſpeculatiuæ. Minor probatur à S. D ex Magiſtro *in Proœmio* teſtante, ſuum intentum eſſe, abdita aperire inquiſitionum de Deo, ſeu theologicarum. Quod enim intellectu diuino, vel memo- 31 riâ generetur Filius; quod ex ſola eſſentiæ cognitione, non perſonarum, vel creaturarum; quod relationes in Diuinis non dicant perfectionem; quod nullum detur motiuum prædeſtinationis; quod Spiritus ſanctus diſtingueretur à Filio, etſi ab eo non procederet; quod merita Chriſti finita ſint, & innumera ferè, quibus Scotiſtarum volumina complentur, non video ad quam praxim voluntatis directiua ſint, vt Scotus prætendit. Quod ſi hæc ad Dei amorem dirigunt, ſanè oppoſitæ ſententiæ, quæ ſunt plurimorum, habebunt oppoſitum effectum.

Neque video, quomodo his Scotiſtarum peregrinis ſententiis à ſanctorum piiſſima Theologia aberrantibus proponatur praxis dilectionis Dei, vel proximi, vt clamant Scotiſtæ cum ſuo Magiſtro.

Probatur ſecundò à D. Bonau. Illa doctrina ſacra, quæ eſt merè practica, eſt ad mores : at Theologia eſt ad plurima, quæ ſunt credita, ſolùm diſcurſu intelligenda. Ergo non eſt merè practica.

Probatur tertiò à S. D. alio argumento, quo vtuntur D. Th. Caietanus, & alij. Omnis ſcientia practica eſt de his, quæ ſunt ab opere noſtro, ſeu de aliquo opere faciendo : at Theologia non eſt tota de opere faciendo. Ergo. Maior eſt Ariſtot. 2. *Met* 3. vbi vult practicæ finem eſſe opus.

Reſpondet Fauentinus *n.* 48. ſi in maiori per opus factibile intelligatur opus potentiarum inferiorum voluntate ſolùm, falſam eſſe; nam etiam actus eliciti à voluntate ſunt praxis. Ad minorem dicit, Theologiam eſſe de praxi, prout dicit actus elicitos voluntatis ordinatos ad Deum amandum, atque ad vltimum finem proſequendum. Ex quibus vides, eum aſſerere cum D. Bonau. Theologiam eſſe affectiuam.

Probatur quartò à Seraphico *in corpore*, argumento, quo vtitur Scotus contra Henricum. Rationalis potentia, quæ poteſt errare circa proprium obiectum, eget directiuo : at intellectus poteſt errare circa veritates multas à fide per diſcurſum eductas, & has ſpeculatiuas. Ergo eget habitu ſpeculatiuo Theologico dirigente, qui habeat etiam rationem ſpeculatiuam. Quod verò poſſit intellectus errare circa ſpeculationes ſimplices, patet in opinionibus innumeris ſpeculatiuis theologicis, in quibus multi aberrant; quæ ſi ad trutinam reuocentur, nil inſeruiunt ad praxim. Plurimas videmus in Durando, Scoto, Nominalibus, & aliis, quæ ſanè ordinem non habent ad aliquam praxim; neque enim oſtendunt Deum, vel proximum, vt amabilem, vt patet legenti. Neque ſufficit ſi aliquo modo praxis affectus ex eis ſequatur, vt fatentur Scotus *loc. cit.* & Fauentinus *c.*5. *n.*36. alioqui tota Metaphyſica erit practica; nam poteſt affectus ex obiecti conſideratione in Dei amorem accendi.

Asserο tertiò, Theologiam participare de Speculatiuo, & Practico.

Probatur à Valentia, & Vaſquez ratione Seraphici *in corpore*; quia Theologia includit aliqua ſpeculabilia, vt diuinam eſſentiam; alia practica, vt amorem à Deo erga nos exhibitum in Incarnatione. In quo decepti ſunt Vaſquez, & Valentia, putantes ideò 32 eſſe magis ſpeculatiuam, quia magis de ſpeculatiuis agit, vt de Incarnatione, & ſimilibus; nam Incarnatio, & propoſitiones eius, vt Filium Dei factum eſſe hominem, paſſum, mortuum pro nobis, ex ſe pectora etiam ferrea accendunt; non ſic merè ſpeculatiua, vt : *Circulus vincit diametrum*, vt Seraphicus Doctor aduertit in corpore.

Asserο quartò, Theologiam poſſe dici affectiuam.

Probatur primò à D. Bonau. *fundam.* 3. & *in corpore*, argumento, quo nititur Ariminenſis *q.*5. *prol. art.* 4. Eiuſdem ordinis, & rationis eſt Theologia, ac eſt ſcriptura, cui ſubordinatur; at ſcriptura eſt ad charitatem, & ſanctitatem ordinata. Ergo & Theologia. Probatur minor *Matth.* 22. vbi Chriſtus aſſerit, in dilectione Dei, & proximi poſitam eſſe legem vniuerſam, & Prophetas. Et *Rom.* 13. dicitur : *Plenitudo legis eſt dilectio.* Et 1. *Timoth.* 1. dicitur : *Finis præcepti eſt charitas.* Et *cap.* 3. *Omnis ſcriptura diuinitus reuelata vtilis eſt ad docendum, vt perfectus ſit homo, ad omne opus bonum inſtructus.* Et *Sap.* 10. & *Prou.* 9. dicitur hæc ſcientia ſanctorum, & prudentium, ideſt eorum, qui rectè vitam inſtituunt. Et D. Auguſt. *lib.* 1. *de doctrina Chriſt. c.* 11. ait : *Omnium, quæ dicta ſunt, hæc ſumma eſt, vt intelligatur ſcripturarum plenitudo, & finis eſſe Dei dilectio. Et cap.* 35. *&* 36. ait, quod *vniuerſa Theologia in dilectione Dei poſita eſt.* Et *lib.* 2. *c.*27. *Scripturarum* (inquit) *diuinarum ſtudioſus nihil in eis aliud eſt inuenturus, quàm diligendum eſſe Deum, & proximum : Deum propter ſeipſum; & proximum propter Deum.* Et *lib.* 14. *Trin. c.* 1. Theologiam vocat pietatem, Dei cultum, ſapientiam authoritate ſcripturæ probatam. Et addit, ſe ſuprà diſſeruiſſe de Theologia quoad creaturas, & illud tantummodò tradidiſſe, quo fides ſaluberrima, quæ ad veram beatitudinem ducit, gignitur, nutritur, defenditur, roboratur. Et ſubdit, quod cùm de hac ſcientia ſuprà loqueretur, ipſam præcipuè fidem commendare curauit, à temporalibus æterna breuiter diſtinguens. Æterna verò in hunc librum diſtulit,

fidem quoque de temporalibus rebus, quas pro nobis Æternus fecit, & paſſus eſt in homine, quem temporaliter geſſit, atque ad æterna prouexit, ad eandem æternorum adeptionem prodeſſe, ait ſe diſſeruiſſe; & pergit diſſerere de Trinitate ad fidem, & dilectionem fouendam. Quæ eſt ad litteram ſententia D. Bonauen-
33 turæ, non nouitas quædam, vt alij clamant.

Tandem idem S. Auguſt. *opuſc. de laudibus charitatis*, ſententiam profert ſeraphicam: *Ille ſcit totum, quod patet, & latet in ſacris voluminibus, & ſermonibus, qui charitatem tenet in moribus.*

Et D. Gregorius *homil. 10. in Ezech.* ait: *Ad hoc ſolùm nobis Deus per ſcripturam loquitur, vt nos ad ſui, & proximi amorem trahat.*

Reſpondet Gregorius de Valentia, ex his teſtimoniis ſolùm colligi, praxim diligendi Deum, & proximum, vitamque rectè inſtituendi, debere eſſe finem diſcentis Theologiam; non autem eam praxim eſſe finem per ſe ipſius Theologiæ proprium. Neque Ariſtotelem 2. & 6. *Metaph.* docuiſſe, ex fine ipſius ſcientiæ metiendam eſſe rationem ſcientiæ ſpeculatiuæ, aut practicæ; ſed ex fine immediato per ſe ipſius ſcientiæ.

Verùm ſi authoritates illæ ſaltem è limine ſalutentur, aſtruere cognoſcentur, Theologiam, atque Scripturam talem eſſe ex natura, & fine proprio.

34 Probatur ſecundò à D. Bonau. *in corpore*, argumento, quod adhibet Argentina *q. 4. prol.* Nobiliſſima ſcientia, quæ eſt ſapientia, à nobiliſſimo fine eſt denominanda. Theologia eſt ſapientia. Ergo à nobiliſſimo fine, qui eſt charitas, eſt denominanda.

Ex his habes, Scotum à D. Bonau. ſuam ſumpſiſſe ſententiam, vt notat Durandus *q. 6. prol.* Scotus enim vocat Theologiam practicam, quia eius finis eſt amor Dei. Et ita quidam modernus Scoti interpres ait, Scotum cum D. Bonau. conuenire. Tamen non eſt negandum, etiam aliquid ſpeculatiui habere, vt dixi.

Obiicies primò cum prima ſententia. Scientia, quæ agit de obiecto, ad quod efficiendum non poteſt ordinari, illa eſt merè ſpeculatiua. Talis eſt Theologia, quæ agit de Deo, quod eſt obiectum non producibile à ſcientia. Ergo. Maior probatur ab Arriaga *diſp. 7. ſect. 3.* ſcientia practica ex Philoſophis eſt, quæ ordinatur ad efficiendum ſuum obiectum.

Reſpondetur cum D. Bonau. *in corpore*, ſcientiam illam, quæ ex parte ordinatur ad ſpeculatiuum, partim ad ſuum obiectum operandum, præcipuè verò ad amorem proſequendum, eſſe ſpeculatiuam, & practicam ſimul, & ſingularem affectiuam. Talis eſt Theologia, quæ multa reſpicit merè ſpeculatiua; pluríma, quæ ipſe Theologus operatur, vt ſunt actus humani, virtutes; præcipuè verò ad ſuum obiectum principale amandum, & illud ſibi acquirendum, vt finem tendit; & ideo eſt affectiua. Quare ipſe Arriaga *n. 34.* fatetur, Theologiam ex parte practicam; & tandem *num. 38.* Seraphico dat dexteram.

Obiicies ſecundò cum Scoto: Quandocunque aliquod commune diuiditur per differentias oppoſitas, eſt impoſſibile vtramque differentiam inueniri in altero membro diuiſionis, alioqui idem corpus erit animatum, & inanimatum: at ſcientia in communi, primò diuiditur in ſpeculatiuam, & practicam. Ergo non poteſt aliqua vtramque differentiam obtinere.

Reſpondetur primò, differentias ſpeculatiui, & practici eſſe differentias ſcientiæ propriè dictæ, ad ſummum, vt fatetur Scotus, & Faber *hic*: at Theologia non eſt ſcientia, vt ipſi concedunt, & nos oſtendimus *quæſt. 2.* Quare non eſt cur hoc argumentum vrgeant.

Reſpondetur ſecundò cum D. Bonau. Theologiam 35
eſſe ſapientiam, quæ eminenter continet perfectiones practici, & ſpeculatiui; habet enim obiectum ſuum infinitæ perfectionis, continens ſpeculatiuum, & practicum.

Inſtat Faber: Non poteſt etiam eminenter idem eſſe rationale, & irrationale.

Reſpondetur, rationale continere etiam perfectiones irrationales; & ideò eminenter vtrumque complecti.

Obiicies tertiò cum Scoto: Contradictoria nequeunt de eodem vera eſſe. Sed ſcientia practica, & 36
ſpeculatiua ſunt contradictoriæ. Ergo. Maior probatur ab Ariſt. 1. *Perihermenias*, & 4. *Metaph.* Minor probatur, quia practica ordinatur ad opus; ſpeculatiua verò non. Hanc eſſe demonſtrationem clamat Faber.

Reſpondetur cum Seraphico, Theologiam eſſe ſapientiam, quæ ſecundùm nomen ſuum eſt de infinito obiecto, permanentem vſque ad conſpectum Dei, vt dicitur *Eccl. 6. & 3.* poſſeque continere ſpeculationes, quæ ſunt propter ſe; & alias principaliter ordinatas ad praxim voluntatis per charitatem. Neque verò contradictoria ſunt obiectum ſpeculatiuæ, per quod poteſt eſſe propter ſe, & ſecundùm aliqua ad ſolam ſpeculationem ordinatur; & obiectum ſecundùm alia ordinatum ad praxim: hoc enim habet obiectum ſapientiæ, quod eſt infinitum; vnde non eſt contradictio, quia non eſt ſecundùm idem, iuxta regulas Ariſtotelis ſuprà allegatis locis.

Deinde reſpondetur, poſſe eminenter contineri in altero etiam contradictoria; hoc enim nil aliud eſt, quàm perfectiones vtriuſque complecti. Sic Deus continet eminenter eſſe animatum, & inanimatum, rationale, & irrationale.

Quod verò nequeat eſſe ſapiens, & non ſapiens, vt vrget Faber, non eſt ad rem; nam non ſapiens non dicit perfectionem aliquam, quæ eminenter poſſit deputata conuenire; è contra ordinari ad opus, dicit perfectionem medij; non ordinari, dicit perfectionem finis, & vtraque poteſt conuenire, ſicuti conuenit Deo, cuius ſapientia eſt propter ipſam; & tamen ordinatur etiam ad opus. Ita & noſtra Theologia, quæ eſt mare continens omnium ſcientiarum perfectiones. Ita S. Bonau. *in prol.* quem ſequutus eſt Caietanus ab omnibus ferè plauſu exceptus.

Addo, illas contradictorias oriri ex natura ſcientiæ propriè dictæ practicæ & ſpeculatiuæ, ex Ariſt. at Theologia noſtra apud Scotum, & aſſeclas, & apud nos non eſt ſcientia. Itaque demonſtratio illa his innixa, eſt fallax.

Poſſem etiam dicere probabiliter, ſcientiam non diuidi in ſpeculatiuam, & practicam, tanquam per differentias eſſentiales, ſed per accidentales, vt notat Valentia *hic*, cum Capreolo *q. 2. prol.* & ideò poteſt extendi & ad ſpeculabilia, & ad practica abſque contradictione; non enim hæc accidentia ſunt contraria, vt album, & nigrum; aut contradictoria, vt album, & non album; ſed diſparata, quatenus & propter ſe eſt, id eſt tantæ perfectionis, vt in ſua ſpeculatione ſatis quieſcere valeat; & tamen diuinâ ordinatione extendatur etiam ad praxim amoris Dei, & hoc ſatis eſt. His ſolues rationes Zagagliæ è Baccono, quæ ſupponunt affectiuopracticum excludi.

An

An Theologia ſit ſapientia nobilior omnibus ſcientiis.

QVÆSTIO SEXTA.

D. Thom. q. 1. art. 5. & 6.

37 NOTA ex D. Bonauentura *de ſeptem itineribus Æternitatis, itinere 3. diſt. 4. art. 3. in fine*, & *opuſculo de ſeptem donis, de dono ſapientia cap. 1.* quem ſequitur Valentia *diſp. 1. q. 1. p. 4.* ſapientiæ nomen tripliciter accipi. Primò pro quodam dono ſancti Spiritus. Secundò pro quadam ſcientia inter ſcientias præſtantiſſima, id eſt pro Metaphyſica, quam etiam Ariſt. *lib. 1. Metaph.* ſapientiam appellat, & eodem nomine decorat alibi, maximè 6. *Eth.* Tertiò ſignificat aliquem habitum intellectualem inſignem, atque præcellentem, cuiuſque generis, qui per cauſas certiſſimas, & maximè vniuerſalea in ſui obiecti cognitione verſetur. Sic accipitur etiam à D. Thom. *art. 6* Sic excellentiſſimum in aliqua ſcientia appellamus ſapientem.

Et quidem donum illud Spiritus ſancti definit S. D. *opuſculo myſtica Theologia, c. 3. particula 1. & 4.* cum D. Dionyſio *c. 7. de diuinis nominibus*: Sapientia eſt Dei digniſſima cognitio per ignorantiam cognita ſecundùm vnionem, quæ eſt ſupra mentem, quando mens à ſe recedens ſuper ſplendentibus radiis profundo ſapientiæ ſplendore illuſtratur. Hæc eſt illa ſapientia Chriſtianorum, & totius Trinitatis, infuſa, & deificâ diffuſione diuinitus illapſa fidelibus. Hæc idem eſt, ac myſtica Theologia. Vide S. Bonau. *ibi*, arcanam hanc Theologiam reſerantem. Hanc verò ſapientiam ſimul & acquiſitam, ſiue Philoſophorum more, Metaphyſicam de ente; ſiue Theologorum de Deo diſcurrentem, more chriſtiano diſtinguit *loc. cit. de Donis*, & *3. parte Centil. ſect. 45.* Dicit ergo, ſapientiam communiter acceptam eſſe cognitionem generalem rerum diuinarum, & humanarum, ſecundùm Auguſtinum *lib. 14. de Trin. c. 1. tom. 3.* & Ariſtotelem *lib. 1. Metaph. c. 2.* Sapientiam verò minùs communiter, eſſe cognitionem rerum æternarum. Vnde Apoſtolus *1. Corinth. 12. Alÿ datur ſermo ſapientiæ*; & dicit propriè ſignificare cognitionem, quâ Deus colitur, de qua 28. Iob: *Pietas ipſa ſapientia.* Magis propriè ait ſignificare cognitionem Dei experimentalem, & eſt vnum è donis Spiritus Sancti, cuius actus conſiſtit in deguſtanda Diuina ſuauitate, quam pluribus locis in opuſculis paſſim diſcurrit Seraphicus, & nos ſecunda ſecundæ.

ASSERO Theologiam noſtram eſſe ſapientiam, nobiliſſimam ſcientiarum.

38 PROBATVR primò à Valentia argumento S. Bonau. *q. 3. prol. in corpore*, quia Theologia in ſuo genere conſiderat res diuinas certiſſimè, & per altiſſimum, ac maximè vniuerſale principium, per reuelationem ſcilicet Diuinam. Ergo eſt ſapientia. Probatur conſequentia à D. Bonau. ex notificatione ſapientiæ, quam tradit Eccleſiaſticus *c. 6. Sapientia enim doctrina ſecundùm nomen eſt eius, & non eſt multis manifeſta; quibus autem cognita eſt, permanet vſque ad conſpectum Dei.* Sic & 1. Corinth. 2. *Sapientiam loquimur inter perfectos.* His nititur Fulienſis *proœmio*, Ribas *d. 8. n. 3.*

PROBATVR ſecundò à Valentia argumento S. Bonauent. in præfatione 1. *Sentent.* & *in Compend. Theologica veritatis.* Ille habitus meretur nomen ſapientiæ, qui habet has quinque conditiones, ex Ariſtotele 1. *Metaph.* Prima conditio eſt, vt eo ha- 39
bitu quodammodò cognoſcantur omnia in vniuerſali. Secunda, vt verſetur circa difficillima, à ſenſibúſque remota. Tertia eſt, vt ſit certiſſimus habitus, procedens è certiſſimis principiis. Quarta, vt ſit cauſa ſui, non alterius ſcientiæ. Quinta, vt ab alia ſcientia non dirigatur, ſed ipſa dirigat alias, & iudicet. Sed hæ conditiones conueniunt noſtræ Theologiæ. Ergo. Probatur prima conditio à D. Bonau. quia docet cognoſcere Deum, quo omnia cognoſcuntur ex natura rei, vt arguunt & Scotus, & Faber *diſp. 5. prol.* Sic enim Deus in ſe omnia nouit, aliàs qui ſcientiam reciperet ab alio. Docet noſſe creaturas, vt relatas ad Deum per creationem, conſeruationem, ſanctificationem, & virtutum omnium cumulum, ipſâque charitate adipiſci finem beatitudinis. Secunda conditio probatur, quia eſt veluti radius ſupernæ ſapientiæ, repræſentans Deum ipſum prædeſtinantem, Trinitatem ſanctiſſimam, Incarnationem, de quibus illud *Iob 25.* exponitur: *Profunda fluuiorum ſcrutatus eſt, & abſcondita produxit in lucem.* Et id Rom. 11. *O altitudo diuitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei!* & aliæ ſcripturæ, quas egregiè proſequitur S. Bonau. *loco cit.* Tertia probatur ab ipſo, quia ex reuelatione Dei procedit, de quo poteſt intelligi id *Apoc. 22. Oſtendit mihi fluuium aquæ viuæ procedentem de ſede Dei.* Quarta conditio probatur, quia altiſſimum, & vltimum finem habet pro obiecto. Quinta, quia aliæ ſcientiæ, veluti pediſequæ miniſtrant, ſicuti minutula naturalium; ipſa verò obiectum ſuum habet eminentiſſimum, ex quo aliarum ſcientiarum certitudo pendere debet; non enim eſt recta Philoſophia, quæ Theologiæ repugnet, quæ eſt fidei interpres; ideò omnia iudicat. Hæc lautè exponit S. D. *opuſc. cui tit. Reductio artium ad Theologiam.*

PROBATVR tertiò à D. Bonau. *1. p. Breuil. c. 1.* Illa eſt ſapientia, quæ attingit à principio & fine ad finem. Talis eſt Theologia. Ergo. Minor probatur. Nam agit de primo principio Deo in ſe, & quatenus eſt principium, & finis noſtræ naturæ, gratiæ, gloriæ, & vnionis hypoſtaticæ; & à fine naturæ diſcurrit ad finem beatitudinis, & æternæ miſeriæ.

QVOD verò ſit nobiliſſima omnium, conſtat ex dictis, & confirmatur vtraque ratione S. Doctoris. Præſtantia alicuius ſcientiæ ſpeculatiuæ duabus rebus continetur, certitudine ſcilicet, & nobilitate obiecti. Sed his antecellit Theologia omnibus ſcientiis ſpeculatiuis. Ergo. Probatur minor, quia eſt de Deo, & nititur reuelatione diuina. Similiter ſcientiæ practicæ nobilitas ex eo eruitur, quia fines aliarum Practicarum ad eam ordinantur; at ipſa ad nullius alterius finem ordinatur: at Theologia eſt ad finem charitatis, & beatitudinis veræ, ad quem omnes ſcientiarum fines diriguntur; & iſti finis ad alios non ordinatur. Ergo. Hæc argumenta latè proſequitur S. Bonau. opuſculo *Principium ſacra Scriptura.*

Obiicies primò. Theologia ſumit ſua principia à ſcientiis naturalibus, & earum concluſionibus nititur, vt præmiſſis ad ſuas concluſiones educendas.

Reſpondet Valentia ex D. Bonau. *Prologo compendij Theologia*, Theologiam ſumere de aliis ſcientiis ſolùm aliqua principia, quibus quidem ſibi viam ſternat ad faciliùs ſuum obiectum dignoſcendum; attamen ipſa non pendet ab illis omninò, neque quoad principale; ideò neque tanquam à ſuperioribus, ſed ex diuinæ illuſtrationis, ac ſuperni ſplendoris lumine. Scientia autem huiuſmodi non ob id inferior probatur.

Obiicies ſecundò. Scientia euidens eſt nobilior, quàm obſcura. Scientiæ naturales ſunt euideotes: hæc autem eſt obſcura. Ergo.

Reſpondetur ex D. Bonau. toto illo opuſculo, *Reductio artium ad Theologiam*, vbi latè id pertractauit, & reſpondit, omnes artes, & ſcientias lumine Theologiæ noſtræ, ſcilicet obſcuro, inferiores eſſe; quia earum euidentia eget ductu Fidei, & noſtræ Theologiæ, quamuis ſubobſcuræ, vt fines ſuos perfectè aſſequantur. Hoc autem per omnes ſcientias, & artes latè excurrens S. Bonau. induſtrius probat.

Dices: Metaphyſica eſt de ente vniuerſaliter. Reſpondetur, agere quidem de vniuerſalibus entis conditionibus, ſed non de tot rebus, vt nos. Ita S. Bonau. *opuſc. cit.* & *ſerm. 9. Hexaemeronis*. Subſcribunt his Arrub. *diſp. 5. c. 9.* Gill. *lib. 1. tract. 6. c. 3. n. 11.* Granad. *diſp. 7.* Ribas *cit. n. 4.*

Quodnam ſit Theologiæ ſubiectum.

QVÆSTIO SEPTIMA.

D. Bonau. q. 1. prol.
D. Thom q. 1. art. 7.

MVLTI obiectum ſcientiæ, & ſubiectum hîc fruſtra diſtinguunt.

Non loquor de ſubiecto, in quo eſt ſcientia, ſed de ſubiecto, quod tractatur, & obiecto propoſito: hæc autem idem ſunt. Ideò S. D. titulum apponit, *Quodnam ſit Theologia ſubiectum*; & in re-
41 ſponſione ad ſecundum, materiam *circa quam*, vocat obiectum; catenus enim eſt ſubiectum ſcientiæ, quatenus obiicitur intellectui. Et ſubiectum ſcientiæ communiter vocatur obiectum formale *Quod*, quia eſt illud, quod primò reſpicit ſcientia. Neque magis propriè accipitur obiectum pro conclusionibus; & ſubiectum id, de quo deducuntur, vt putat Trigoſius *ad art. 2. D. Bonauentura*, Valentia *diſp. 1. q. 1. p. 3. §. 5.* cum Durando *q. 5. prol.* nam ita nunquam altero titulo ſatisfieret, dum quærimus de ſubiecto, vel obiecto, quod tractatur, adæquato ſcientiæ, quia neque id ſolùm, ex quo eruuntur ſcientificæ concluſiones, neque ſolæ concluſiones adæquant ſcientiam.

Suppono autem obiectum duplex, materiale, & formale, vt dixi *quæſt. 4.*

PRIMA opinio eſt Magiſtri *initio primi Sentent.* qui cenſet, ſubiectum eſſe res, & ſigna; id eſt res, & ſigna ſacra, ſeu arcana, & ſacramenta noſtræ fidei reuelata, vt tranſeunt in eſſe intelligibile per rationes, & referuntur ad Deum. Sic explicat illum D. Bonau. *in corpore, & ad 3.* ex mente D. Auguſt. *lib. de doctrina Chriſt. cap. 2.* vt fatetur Faber *diſp. 4. n. 13.*

SECVNDA opinio eſt Hugonis Victor. *Prol. de Sacramentis Chriſtianæ Fidei, cap. 2.* ſubiectum eſſe Deum, vt Saluatorem. Idem in re ſenſit Durandus *loco citato*. Idem ſenſere Gabr. *q. 9. art. 2.* Ocham *q. 3.* Citatur etiam Alenſis *1. part. q. 1. memb. 3.* Pro hac Fauentinus, & Poſnanienſis adducunt D. Bonau. *hîc*. Non diſtat Albert.

TERTIA docet, Deum, vt principium, & finem, eſſe ſubiectum, ſeu vt glorificatorem, vt vult Ægid *q. 3.* & Gregor. Arim. *q. 3. prol.* Memento tamen, Nominales, præcipuè Ocham, & Gabrielem, non ponere vnum adæquatum ſubiectum, ſed tot, quot res, de quibus in Theologia aliqua concluduntur.

QVARTA opinio eſt Linconienſis apud Caietanum, & Valentiam, ſubiectū eſſe totum corpus Chriſti myſticum vnà cum ſuo Capite; id eſt Chriſtum, & Eccleſiam. Quam ſententiam Scotus adſcribit etiam Caſſiod. & Gregor. de Valentia attribuit ex parte Seraphico.

QVINTA opinio eſt Henrici, apud Marginiſtam Scoti, Deum ſub ratione entis, vel entis infiniti, eſſe ſubiectum Theologiæ.

SEXTA opinio eſt Scoti apud Fauentinum *diſp. cit. 1.* ſubiectum Theologiæ noſtræ, quæ res tractat neceſſarias, eſſe Deum ſub hac ratione, vt eſt hæc eſſentia; ſi verò conſideretur in ordine ad intellectum noſtrum, eſſe Deum, vt ens infinitum: at Theologiæ contingentium in ſe nullum dari ſubiectum continentiæ; tamen dari ſubiectum primum in ordine, & hoc eſſe diuinam eſſentiam, vt eſt hæc: Theologiæ verò contingentium quoad nos, ſubiectum eſſe ens infinitum. Ita & alij diſcipuli.

SEPTIMA eſt diſtinguens ſubiectum ab obiecto, vt ſubiectum ſit, de quo proprietates, aliáque demonſtrantur; & in Theologia eſſe omne id, de quo aliquid concludi poteſt ex aliquo principio reuelato: præcipuum verò eſſe Deum. Ita Ludouicus de Riba *d. 2. c. 1.* afferens D. Thom. *q. 1. prol. ſent. art. 4* idem inferre viſus, rationes bene non tetractans, vt putat Gonzal *hîc, d. 7.* Ideò conſentiunt Caiet. Ban. Zumel *ibi*, Arrubal *1. p. diſp. 6.* Gillius *lib. 1. comp. Theol. tr. 3. c. 4.* plures afferens. Obiectum verò, ait Ribas eſſe id, quod ſcitur; & in Theologia eſſe omnem propoſitionem deducibilem è principio reuelato; & hoc eſſe materiale: formale verò, ſeu motiuum, eſſe principia reuelata diſcurſu naturali coordinata. Adducit Arrubalem *c. 1.* & *2.* Gill. *c. 9.* Hi ad Magiſtri opinionem accederent.

Non abeſt P. Ioſeph Zagaglia *d. 2. ſect. 3.* Bacconi aſſertor, dicens, obiectum materiale adæquatum, res eſſe omnes reuelatas principale Deum, vt ſunt cognoſcibiles Fide & ratione. Sequitur Lezana eiuſdem Ord. Carmeli *1. p. d. 1. q. 8.* Lallemandet *d. 1. q. 3. reſol. 2.*

GENVINA fertur opinio D. Th. *hîc*, Deum eſſe ſubiectum Theologiæ, &, vt exponunt Caiet. *hîc*, Capreolus *q. 4. prol.* ſub ratione deitatis, vt reuelatum. Idem ſenſit *in 1. ſent. art. 4. 1. q. prol.* vbi ait, Ens diuinum, vt inſpiratione cognoſcibile, eſſe ſubiectum huius ſcientiæ. Idē enim eſt dicere, Ens diuinum, & Deum, vt aduertit Nazarius *ibi, concl. 4.* Et quidem, Deum eſſe ſubiectum materiale, atque ſub ratione Deitatis rationem formalem *quæ*; vt autem reuelatum, & intelligibilem per rationes, eſſe formalem rationem *ſub qua*, ſentiunt fidi Thomiſtæ, è quibus Nazarius *concl. 3.* Valentia verò *hîc*, & *in noſtra q. 4.* vbi alios adduxi tenentes eſſe rationem formalem obiecti *ſub qua*. Fulienſis *in Proœm.*

S. BONAVENTVRA, quâ præditus eſt modeſtiâ, conatus eſt grauiorum Doctorum ſententias conciliare, non ſanè craſſiori differens Minerua, vt carpit Faber *num. 17.*

Diſtinguit autem ſubiectum, ſeu obiectum tripliciter. 42
Primò enim ſubiectum dicitur, ad quod omnia reducuntur, ſicut ad principium radicale, quale in Grammatica ſunt litteræ, quæ ideò dicuntur à Priſciano elementa, quia in has compoſitio Grammaticalis vltimò reſoluitur. Tale eſt etiam in Geometria punctus, in quem omnia Geometrica reſoluuntur vltimò, & terminantur. Secundo modo accipitur ſubiectum, in quod omnia reſoluuntur, ſicut in totum integrale. Tale ſubiectum in Grammatica eſt oratio congrua, & in Geometria corpus, quod continet in ſe omne genus dimenſionis. Tertiò modo ſumitur ſubiectum, ad quod omnia reducuntur, tanquam ad totum vniuerſale. Tale in Grammaticis eſt vox articulata ordinabilis ad ſignificandum; & in Geometria eſt quantitas continua immobilis.

Dicit igitur, ſic applicari. Subiectum, ad quod omnia reducuntur vt ad principium, eſſe Deum, qui eſt veloti punctus, ad quem omnes lineæ Theologicarum quæſtionum reducuntur; nam Tractatus de Deo Vno, & Trino ipſum Deum dicit, ad quem tractatus de Creaturis, tanquam ad principium reducitur. Similiter & de Incarnatione, de Sacramentis, & cæteris. Et hoc modo Alexandrum Magiſtrum ſuum exponi. Subiectũ verò integrale continens omnia, poſſe dici Chriſtum, quia continet naturam Diuinam, & Perſonam diuinam, ad quam referuntur etiam Pater, & Spiritus ſanctus; alter vt principium, alter vt terminus. Similiter creaturæ omnes ad Deitatem, à qua productæ ſunt, referuntur. Similiter Incarnatio, quæ naturam humanam hypoſtaticè vnitam continet, vnde emanant gratia, & ſacramenta meritoriè, ſicut phyſicè ab ipſo Deo
43 ſunt. Vbi aduerit, ſe non ſumere totum integrale ſola compoſitione, vel attributione, tanquam ad principium; nam Pater non refertur ad Filium tanquam ad principium; neque Spiritus ſanctus ad Chriſtum, vt componens. Quare falluntur Scotus, & aſſeclæ enitentes, ſubiectum integrale debere continere omnia virtualiter, ita vt ſint ipſum compoſitum, vel pars eius; ſufficit enim, vt ratione, vel ordine referantur, & includantur. Alioqui neque Theologia contingentium erit ſpectans ad obiectum, & ita Tractatus de Creatione, de Creaturis, de Gratia, de Iuſtificatione, de Merito, de Legibus poſitiuis, de Incarnatione, de Sacramentis, & cæteris non ſpectabunt ad Theologiam; vel ſi ſpectant, cùm non includantur in Deo velut pars, vel vt Deus ipſe, falſum erit, Deum eſſe obiectum adæquatum Theologiæ. Itaque ſufficit cõntinentia virtualis ſecundùm ordinem, vt notat S. Bonau. & ita explicari poſſe ait ſuum Magiſtrum Alenſem, qui pro hac ſententia allegatur: ſimiliter & alios, vt Magiſtrum Hugonem, quem plurimi facit.

Tandem ait *in corpore, & ad* 4. res, & ſigna poſſe dici ſubiectum vniuerſale, non quidem in genere ſumpta, ſed vt dicunt res noſtræ Fidei, & Sacramenta, aliáque ſacra ſigna reuelata per fidem, vt tranſeunt in rationem intelligibilis per rationes; & ita exponi Magiſtrum, quem fruſtra impugnat Faber *n.* 14. craſſiùs obiiciens, futurum, vt deberet Theologia agere de Medicina, de Statuaria, Pictura, & cæteris: nam omnia ſunt res, & ſigna. Iam enim patet, quæ res, quæ ſigna ſint obiectum vniuerſale Theologiæ; & idem à D. Bonauent. reſponſum fuerat. Ex quibus etiam patet, fruſtra Vaſquez *cap.* 4. obiicere, hanc non eſſe rationem adæquatam, ſub qua tractantur omnia in Theologia. Reſpondetur enim reuelatum, vt intelligibile ratione, adæquare omnia, vt notat S. Bonau. *in corpore, & ad quartum*, quem ferè ſequitur Arriaga *diſp.* 1. *ſect.* 1. dicens, obiectum totale Theologiæ eſſe ea omnia, quæ pertractantur; obiectum verò attributionis eſſe Deum.

Verum, propria Seraphici ſententia *hic* eſt, Deum ſub ratione Deitatis eſſe ſubiectum materiale, & formale *Quod* Theologiæ, vt notat Coriolanus *quæſt.* 1. *art.* 2. & ferè ſentit Faber *loc. cit.* Idem aſſerit S. Bonauent clarè *initio Breuiloquij*, & *lib. de Myſtica Theologia*, & aliis locis. Conſentiunt Albertus 1. *p. ſummæ, tract.* 1. *q.* 3. Henricus *in ſumma, art.* 6. *q.* 3. *& quodl.* 12. *q.* 1 Richard. *q.* 3. *prol.* Capreol. *ibi, q.* 4. Caietan. *hic*, Valentia *loc. cit.* Adde verò, Deitatem, vt eſt finis noſter, eſſe rationem obiecti vltimam huius ſcientiæ, quæ eſt affectiua. Rationem verò formalem, *Sub qua*, eſſe reuelationem ratione explicabilem, docent allegati initio quæſtionis, & *quæſt.* 4.

Assero primò, res Fidei, & ſigna ſacra, vt ſuprà explicui, relata ad Deum poſſe dici ſubiectum Theologiæ vniuerſale.

Probatur à S. Bonauentura. Illud eſt ſubiectum ſcientiæ, quo conſtituitur, & diſtinguitur à reliquis; ſed res Fidei, & ſigna, vt reuelata tranſeunt in eſſe intelligibile per rationes, ſunt huiuſmodi. Ergo. Maior eſt certa. Minor probatur *ex quæſt.* 4. Falsò igitur ait Faber *num.* 13. nullam pro ſententia Magiſtri extare rationem.

Assero ſecundò, Chriſtum poſſe dici ſubiectum 44
integrale Theologiæ, modo ſuprà explicato à S. Bonauentura.

Probatur à Seraphico. Illud eſt ſubiectum integrale, quod omnia continet. Talis eſt Chriſtus. Ergo. Minor probatur ex dictis in referenda Seraphici ſententia.

Assero tertiò, Deum ſub ratione Deitatis eſſe ſubiectum continentiæ, & attributionis, ad quod omnia referuntur.

Probatur primò à D. Bonau. argumento primo. Illud eſt ſubiectum ſcientiæ, quod continet, & adæquat omnia, quæ in ea tractantur; & ad quod omnia reducuntur. Talis eſt Deus. Ergo. Maior eſt certa; nam hæ ſunt conditiones ſubiecti ab omnibus admiſſæ.

Probatur ſecundò. Illa ſcientia habet pro obie- 45
cto Deum, quæ eſt abſtractiſſima, nobiliſſima, & prima, ex Ariſtot. 6. *Metaph. text.* 6. & *primo de anima, text.* 1. Talis eſt Theologia. Ergo. Hæc eſt ratio D. Bonau. *in proœmio* 1. *ſent.* & *in Præfatione Compend. Theologicæ veritatis*, quam aſſumit Faber *loco citato*, Trigoſius *q.* 1. *art.* 2. *dub.* 1.

Assero quartò, Deum ſub ratione Deitatis eſſe ſubiectum Theologiæ, prout eſt finis vniuerſalis hominis.

Probatur. Sub ea ratione debet Deus conſiderari, quæ eſt perfectiſſima, conſtituens ſcientiam eminenter ſpeculatiuam, & practicam. Talis eſt Deus, vt Deus, vltimúſque finis. Ergo. Minor probatur; nam Deitas in ſe eſt nobiliſſima: eſſe verò noſtrum ſummum, bonum, & vltimum finem, eſt optimum nobis.

Miror, Fabrum *num.* 8. ſolam rationem Deitatis ponere pro obiecto formali conſiderandam, cum aſſerat, Theologiam practicam ordinatam ad actus elicitos, & imperatos, & ad finem conſequendum beatitatis; Praxim autem ab obiecto intrinſecè ſumi aſſeuerauerit cum Scoto, & condiſcipulis, vt dixi *q.* 5.

Assero quintò, rationem formalem, *Sub qua*, eſſe Deum vt reuelatum, ratione intelligibilem.

Patet ex dictis *quæſt.* 4. Neque obeſt, quod alia ſit 46
reuelatio Trinitatis, alia Incarnationis, vt putat Arriaga *ſubſect.* 3. *num.* 15. Nam ſingulæ reuelationes ſunt ex vnitate obiecti formalis, quod vnificatur ſpecificè, ad vnam rationem *Sub qua* conſtituendam ordinatæ. Neque eſt ratio formalis extrinſeca ex parte rationis noſtræ, vt putat Faber confutatus *quæſt.* 4. ſed ſe tenet ex parte obiecti, vt talis naturæ, tranſiens in eſſe intelligibile ex reuelatione, vt notat D. Bonau.

Probatur ergo aſſertio primò. Illa eſt ratio formalis obiecti, *Sub qua*, ratione cuius eſſentialiter ſcientia diſtinguitur à cæteris genericè, & ſpecificè. Talis hæc. Ergo. Maior probatur à D. Bonauent. *ex* 3. *de anima, text.* 38. Scientiæ ſecantur, vt res; quod explicaui *quæſt.* 4 vbi etiam minorem probaui. Eſt autem conditio tertia ſubiecti admiſſa etiam à Scoto *quæſt.* 5. *Prologi*, & alia, vt notat Trigoſius *ad textum*, cum D. Thom. *quæſt.* 4. *Prol.*

Confirmatur Illa eſt ratio formalis ſpecifica, quæ vltimò diſtinguit eſſentialiter ſcientiam. Talis eſt hæc; nam Theologia etiam Beatorum reſpicit Deum, ſub ratione

ratione Deitatis, vt finis; & in hoc diſcriminatur, quia hæc eſt ea reuelatio intelligibilis per rationes; ſi autem hæc ratio formalis eſſet generica, non diſtingueret vltimò has Theologias, ſed deberent per hanc conuenire, & diſtingui in obiecto formali: quod tamen eſt falſum.

Argumenta aliqua congerit Faber ex Scoto contra tertium aſſertum, quæ inferunt: Si Chriſtus eſſet ſubiectum integrale, iam tractatus de Patre, & Spiritu Sancto eſſet extra rationem eſſentialem ſubiecti. Si-
47 militer & Patris miſſiones, &c. Creatio, &c. Similiter ſequeretur, Chriſtum eſſe priorem Patre, quia ad Chriſtum reduceretur per attributionem. Idem vrgent Poſnan. q 3 & alij.

Hæc, & ſimilia oriuntur ex mala explicatione continentiæ virtualis obiecti Scotica; neque enim neceſſe eſt, vt contineat tanquam principium, vel pars, vt notat D. Bonau. *in corpore*; ſed ſufficit, vt contineat ratione vnionis, vel ordinis. Iam verò Pater, & Spiritus ſanctus habent ordinationem ad Chriſtum: alter vt ad Filium: alter, vt ad Spiratorem. Imò addo, ipſum Patrem reduci ad Deitatem, quam includit Chriſtus, tanquam ad fontem; nam ex eſſentialibus notionalia oriuntur; eſt enim Deitas fons, & in via Scoti perfectio tota Sanctiſſimæ Trinitatis. Reliqua ſunt facilia.

Obiicies contra quartum Aſſertum. Materia nunquam coincidit cum fine, *ex 2. Phyſic. text*, 70. quia materia dicit primum incompletum; finis vltimum complementum. Sed Deus eſt finis Theologiæ Ergo.

48 Reſpondet D. Bonau. materiam *ex qua*, non coincidere cum fine, ſed bene materiam *circa quam*; & hoc videmus etiam in obiecto virtutum Theologicarum: nam obiectum, & finis Fidei, eſt Verbum Diuinum: Charitatis eſt Deus propter Deum.

Obiicies contra quintum Aſſertum. Scientia, & virtus ſunt diuerſi habitus. Sed credibile eſt obiectum virtutis Fidei. Ergo non eſt obiectum ſcientiæ Theologicæ. Textus mendoſus S Bonauent. legit: Scientia, & *veritas* ſunt diuerſi habitus.

Reſpondet S. Bonau. credibile eſſe obiectum virtutis Fidei (textus mendoſus legit *veritatis*) quatenùs eſt à prima veritate; ſicuti eſt obiectum ſcripturæ, quatenùs prima veritas nititur authoritate: at verò quatenùs ſupra rationem primæ veritatis, & authoritatis addit rationem probabilitatis, ſeu intelligibilis per probationes rationum, ſpectat ad Theologiam noſtram.

An Theologia noſtra maneat in Patria.

QVÆSTIO OCTAVA.

D. Bonau. d 1. dub 8. litt.
& in 3. d. 31. art. 2. q. 3.

PRIMA opinio eſt negatiua. Ita Capreolus *quæſt. 1. prol.* Caietanus 1. *Corinth.* 13. vbi etiam Theophylact. Valentia *q. 1. p. 3. §. 2.* Trigoſius *q. 1. art. 1. dub. 3.*

SECVNDA ſententia eſt affirmatiua. Ita Caietanus 1. *p. q* 1. *art. 2.* D. Thom. Bannez *ibidem*, Victoria *in ſumma, initio*: Canus *lib. 12. de locis, cap. 2.*

Quoad D. Bonau. cùm teneat, obiectum formale *ſub quo*, eſſe credibile diſcurribile, quod in patria euacuatur, colligit Trigoſius, in ſententia D. Bonau. Theologiam noſtram deſtrui. ideò *dub. citato* ait, deſtruendam quoad modum docendi, & conſiderandi; ſed non quantùm ad cognitum, & rationem cognoſcendi. Vbi oportet aduotare, noſtram Theologiam non habere conditionem euidentiæ, quæ ſcientiis intrinſeca eſt; nititur enim fide obſcura, quæ cùm euacuanda ſit in patria, ſequitur euacuandam etiam eſſe noſtram Theologiam.

ASSERO, noſtram Theologiam in patria euacuandam.

Probatur fundamento D. Bonau. Deſtructa ratione 49
formali obiecti *ſub qua*, deſtruitur ſcientia. Sed illa deſtruetur in patria. Ergo & hæc. Maior probatur; nam deſtructa eſſentia perit res. Ratio formalis eſt eſſentia. Ergo. Minor probatur, quia ratio formalis eſt credibile, vt intelligibile per rationes, vt dixi *q. 4. & 7.* hæc autem deſtruetur, vt dicitur 1. *Corinth.* 13. Ergo. Id oſtendam 2. 2. *tract. de Fide, diſp. 1. q. 2.* cum D. Bonau. 3. *diſt.* 31 *art. 2. q. 1.* Vide Tractatum de Actibus Humanis, *diſp. 2. quæſt.* 10.

Argumenta in contrarium probant ſolùm de veris ſcientiis, quæ debent eſſe euidentes; non de Theologia, quæ inevidens eſt è principiis Fidei. Vide Valentiam, & Trigoſium.

D. Bonau. *de dono ſcientiæ*, refert *cap.* 1. D. Hieronymum *epiſt.* 103. dicentem: *Diſcamus in terris, quorum ſcientia remanebit nobis in cœlis.* Et ſubdit: *Valdè enim indignum eſſet, quod tantum laborarem circa ſcientiam, ſi deſineret in morte.* Et hoc intellige modo ſopradicto.

An poſſint validè probari à Theologo rationibus Principia noſtræ Theologiæ.

QVÆSTIO NONA.

D. Bonauent. q. 2.
D. Thom. q. 8. ad 2.

SVPPONO primò, principia Theologiæ eſſe è Fide deprompta, vt ſuprà oſtendi; quæ quidem ex Fide ipſa, cùm ſint obſcura, nequeunt ex hoc capite euidenter vera probari; ſed ſolùm euidenter eſſe credibilia, quatenùs reuelatio, vnde effluunt, multis argumentis probatur credibilis, quia certâ veritate nixa, iuxta id Pſal. 92. *Teſtimonia* 50
tua credibilia facta ſunt nimis, vt exponit Trigoſius *quæſt. 1. art. 3. dub. 1.* poſt Seraphicum Doctorem ad eum pſalmum.

SVPPONO ſecundò, aliqua myſteria noſtræ fidei 51
habere naturalia, & grauiſſima fundamenta. Sic, quia datur eſſe per participationem ab alio, infertur oportere, vt detur etiam eſſe per ſe independens. Quia dantur dominantes aliis, egentes diſcretione, oportet vt detur ſupremus Dominus. Quia omne ens habet aliquam potentiam, & mouetur ad actum aliquem, ab alióque mouetur, oportet, vt detur primum ens immobile, iuxta argumentum Ariſt. 6. *Phyſic. text.* 1. Quia dantur multæ veritates, oportet, vt detur vna prima veritas cæterarum baſis. Sic de Iuſtitia, & cæteris attributis, vt latè proſequitur S. Bonau. opuſculo, cui titulus *Principium Scripturæ ſacræ, tom.* 6. & nos infrà. Sunt tamen alia myſteria, quæ nullum habent in natura fundamentum, vt myſterium Trinitatis, Incarna

carnationis; atque hæc non habent argumenta à naturalibus.

Asserο, Theologiam habere multa argumenta ad probandum, teſtimonia noſtræ Fidei eſſe euidenter credibilia.

Multa refert Trigoſtus *ſuprà citato loco*, remittens ad D. Thom. 1. *contra Gentes*, *cap*. 6. & ad Scotum *q*.2. *Prologi*, egregias rationes adducentes; nec remittit ad D. Bonauent. qui præclariores affert rationes in aureo illo opere Hexameronis, maximè *ſerm*.8. 9. 10. & in opuſculo, cui titulus, *Principium Scripturæ*, & alibi.

52 Exponens igitur verba illa Geneſis 1. *Vocauit Deus Firmamentum cælum*; hoc interpretatur eſſe Fidem noſtram tot principiis firmiſſimis, veluti ſtellis confixam.

53 Primvm igitur, ac præcipuum eſt teſtimonium Chriſti, de cuius excellentia, & firmitate multa poſſunt adduci. Primò quidem, quia teſtimonio Ioannis viri ſanctiſſimi, imò & voce è cælo delapſa, ac tonitru mirabili reſonante fuit confirmata. Secundò ex vita eius ſanctiſſima, ex miraculis innumeris editis in teſtimonium veritatis Fidei, quam nobis prædicauit; & ex multis aliis argumentis, quæ proſequar 3. *parte*, *tract. de Incarnatione*, *diſp*.36. *q*. 2. *& ſequenti*. Vide etiam Tannerum 2. 2. *diſp*.1. *quæſt*.2. *dub*.4.

Præterea ex omnibus, quæ infrà referam, ſiue prophetiis, ſiue miraculis, ſiue aliis, quæ ad ipſum Chriſtum referuntur. Ideò ponitur noſtræ Fidei primum fundamentum 1. *Corinth*.3. *Iſaia* 28. 1. *Petri* 2. *Epheſ*.2. vt latè proſequitur Bellarminus *tom*.1. *contron*

E præcipuis igitur noſtræ Fidei argumentis aliqua indicabo, quæ duodecim præcipuè apponuntur à D. Bonauent. iuxta duodecim fundamenta Ciuitatis ſupernæ, *Apoc*. 21. Primum eſt, quia lex vmbratica legis Chriſti data fuit à Deo in Exodo, & Leuitico tot ſignis, & portentis, vt ipſi Iudæi timentes iam flagitarent, ne eis amplius Deus, vel Angeli loquerentur. Quo argumento vtitur Apoſtolus Hebræis ſcribens, maximè *cap*. 2.

54 Secvndvm præcipuum, quod vrget S. Bonau. eſt prophetiarum multitudo. Profectò cùm exitus prædictiones innumeras de noſtra Fide comprobarint, & in Chriſto, ac noſtro Euangelio conſenſerint, argumentari debemus, à Deo eſſe, qui ſolus futura certò prænuntiat; vnde Iſaias infidos ſubſannans, *cap*.41. ait: *Annunciate quæ ventura ſunt, & ſciemus, quia Dij eſtis vos*. Hoc argumento vtitur D. Bonau. cum Apoſtolo Hebr. 1. *Multifariè, multiſque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis, nouiſſimè diebus iſtis loquutus eſt nobis in Filio, &c*. Et Rom. 1. *Paulus ſegregatus in Euangelium Dei, quod antè promiſerat per Prophetas in Scripturis ſanctis de Filio ſuo*. De quo latè agunt Euſebius *de Demonſt. Euang*. S. Proſper. *de prædictionibus Patriarcharum*. Imo D. Petrus 2. c.1. ait: *Habentes firmiorem propheticum ſermonem, &c*. Prophetias autem impletas fuiſſe oſtendit D. Bonau. poſt D. Auguſt. *lib*.14. *de ciuitate*, *cap*. 15. Neque poſſunt dici Chriſtus, vel Apoſtoli ſubornaſſe Prophetas, vt ſic dicerent, quia multis antè ſæculis obierant. Cùm ergo plurima contingentia firmiter prædixerint, eáque euenerint, non potuere, quàm à prima veritate aſſeri.

55 Tertivm eſt firmitas Eccleſiæ noſtræ inter tot tempeſtatum procellas, inter Vniuerſi potentiam impugnantem; propugnatores verò infirmi, pauperes, illiterati, nullo præſidio, mundi peripſema. Hoc argumentum proſequitur S. Auguſt. 22. *de Ciuitate Dei*, *cap*. 5. Et quidem, ſi alta mente recolamus antiquos Aſſyriorum, Perſarum, Medorum, Ægyptiorum, Syrorum Reges; ſi Paganos Cæſares, ſi hæreticos, & ſchiſmaticos recolamus, quos paſſim recenſet Bellarminus *in præfationibus controuerſiarum*, & *de notis Eccleſiæ*, videbimus grandi miraculo inconcuſſam permanſiſſe Eccleſiam, aduersùm quam portæ inferi diras omnes, & monſtra euomuerant. Si enim non eſſet à Deo, iam eſſet Eccleſia diſſoluta, vt arguebat Gamaliel *Actorum* 5.

Dices: Manent Mahumetici. Reſpondetur, diſſolui, eoſque à 600. tantùm cœpiſſe anno Incarnationis. Vide Burgeoſem *ad fin. Apoc*.

Qvartvm eſt victoria ipſa Eccleſiæ de tot monſtris, de Monarchis, quòd piſceuenduli Imperatores ſuis pedibus proſtrauerint: iam euerſa Synagoga, iam idololatria ſepulta; quæ magno illo Regis Babel coloſſo exprimebatur, contrito à lapillo, ſine manibus è monte diuinitùs delapſo. 56

Qvintvm eſt teſtificantium notitia certa, qualis fuit Thomæ palpantis, *Ioan*. 22. Pauli ad tertium cælum rapti, 2. *Corinth*. 12. Ioannis prima, capite 1. *Quod vidimus, & manus noſtræ contrectauerunt de Verbo vitæ*. Eorundem fama præclara; nam Patriarchæ, Prophetæ, Apoſtoli, ſancti Pontifices, Martyréſque, & cæteri fuere famâ præclari, ſanctitate, & ſapientiâ diuinitus perfuſi innumera edidere miracula; vt patet legenti antiquum, & nouum Teſtamentum; fecerunt enim mirabilia in terra Cham, terribilia in mari rubro, vt refertur *Pſal*.77. *Eccli*.44. *& ſequentibus*, vbi: *Laudemus* (exorditur) *viros glorioſos parentes noſtros*: & in nouo Teſtamento luce clarius eſt meridiana. Negare verò, facta eſſe miracula, nemo poteſt, vt inquit S. Auguſt. 22. *de ciuit*. *cap*.35. quia ſi ſine miraculis fuiſſet propagata fides, hoc fuiſſet ſummum miraculum, vt homunculi, femellæ tot coronatos legibus Euangelij ſubiecerint. Cùm autem miracula à ſolo Deo fieri valeant, non eſt credendum, voluiſſe Deum decipere patrando miracula ad confirmandam falſitatem. Vnde Richard. 1. *de Trin*. *cap* 2. ait: *Domine, ſi eſt error, à te decepti ſumus*. Neque dicas, & Antichriſtum patraturum miracula; nam non erunt vera. 57

Sextvm fuit tot Martyrum mira in tormentis fortitudo (dixerim *hilaritas*,) fœlicitatis ſenſus, à pœnis, quandocumque voluiſſent, inſenſibilis ſenſus. Hoc argumentum proſequitur Apoſtolus *ad Hebr*. 11. Et quod caput eſt, tot inter tormenta patrauere mirabilia, vt populi conclamarent: *Magnus Deus Chriſtianorum*, a qu conuerterentur. 58

Septimvm fuit teſtificantium concordia plena omnes enim ſcriptores Canonici multis ſæculis varij, vnanimiter dogmata Fidei tradidere. Vnde vetus, & nouum Teſtamentum magnâ loquuntur conſonantiâ. Similiter & ſancti Patres, atque Doctores. De qua re S. Bonauent. explicat illud Iob 38. *Concentum cæli quis dormire facit?* Et illud: *Qui facit concordiam in ſublimibus*; cum D. Gregorio 25. *Moral*. *cap*.2. D. Auguſt. *lib*.8. *de ciuitate Dei*, *toto*. E contra verò Philoſophi pugnaces in auia aberrauerunt, vt latè proſequitur S. Bonau. *ſerm*.4. *Hexaemer*. Sic igitur arguit S. D. In his, quæ non ſunt euidentia ex terminis, neque ex principiis euidentibus educuntur, non poſſunt conuenire multi diuerſimodè diſpoſiti, niſi à cauſa ſuperiori Deo intellectus eorum dirigantur: at ſcriptores ſacræ paginæ fuerunt variè diſpoſiti variis temporibus; & tamen in rebus Fidei, atque Theologicis, quæ nullam habent euidentiam, ex terminis conuenere. Ergo neceſſe eſt dicere, intellectum illorum à Deo dirigi, & illuſtrari. Hoc argumentum pertractat diffusè S. Auguſt. *lib*.18. *de ciuitate Dei*, *cap*.41. vnde D. Bonau. illud deſumpſit, & ex vtroque Scotus, ac Faber *diſp*.1.c.3. 59

Sed

Sed aliquis dicet, ſcriptores noſtros non pugnaſſe inuicem, quia priores habuere pro Magiſtris, & illis contradicere noluerunt.

Contrà. Vt oſtendit ibi S. Auguſt. Philoſophi aliis præcedentibus Magiſtris contradixerunt, vt Ariſtoteles Platoni; at Scriptores Canonici firmiter vniformes extitere, ſiue eodem tempore ſcripſerint, vt Hieremias in Iudæa, & Ezechiel Babylone; ſiue diuerſis temporibus, vt Moyſes, Samuël, Eſdras, & multi alij. Idem deducit S. D. ex firmitate, qua ſacra Concilia ſtatuerunt decreta Fidei, & confirmauerunt præcedentium, vt quæ in Concilio Nicæno ſtatuta ſunt, poſtea confirmata ſunt in aliis ſequentibus. Sic de aliis, niſi alia noua eſſent addenda pro varietate temporum, locorum, ſtatuum. Idem probat de ſanctis Patribus Græcis, & Latinis.

60 Octavvm argumentum ſumitur ex inconcuſſa firmitate rerum, quæ in Fide noſtra traduntur; ea enim argumentis aduerſariorum concuti nequeunt, eáque adeò rationabilia, vt nequeant reprehendi, vt proſequitur D. Auguſt. *lib. 2. de ciuitate, cap. 28.* vbi ait: *Nihil turpe, aut flagitioſum ſpectandum, imitandúmque proponitur, vbi veri Dei aut præcepta inſinuantur, aut miracula narrantur, aut dona laudantur, aut beneficia poſtulantur.* Quid enim rationabilius præceptis charitatis diligendi Deum propter ipſum, & proximum propter Deum? in quibus vniuerſa lex pendet, & Prophetæ, vt dicit Matth. *c. 22.* Hæc enim ſunt duo principia practica, è quibus alia eruuntur præcepta, & conſilia legis Chriſtianæ, quæ ſunt explicatiua legis noſtræ inſitæ, & ſcriptæ in cordibus, vt dicitur *Rom. 2.* Siue ergo credenda, ſiue agenda, rationabilia ſunt adeò, vt neque illa falſitatis, neque hæc turpitudinis argui vnquam potuerint. Speculatiua enim docent de Deo ſentire altiſſimè, piiſſimè (vt ratio dictat) & optimè. Practica verò rationabilia ſunt, quia dirigunt ad optimum vltimum finem, in quo ſumma fœlicitas poſita eſt, ac conſtituta; & Doctores noſtri oderunt iniquitates, & iniquos odio habuere, vt teſtatur Dauid *Pſal. 118.* & Elias 3. *Reg. 21.* vbi Regem Acab inimicum conteſtatur, quia (ait) *venundatus eſt, vt faceret malum.* Hæc eadem habet S. Bonauent. etiam opuſculo *Principium ſacræ Scripturæ*, ante medium, vbi honeſtatem omnium præceptorum, & conſiliorum noſtræ legis comprobat; ea enim patientiam prædicat, humilitatem laudat, ſpem tribuit, ſuperbiam accuſat, eleemoſynas ſuadet. Hæc S. Bonau. ex Caſſiodoro *lib. de diuinis lectionibus, cap. 16.*

61 Nonvm, è regione autem tot ſectæ aduerſantes noſtræ religioni, falſitates, impietates, ineptitudines profundunt; ſic enim Pagani ſtatuas, dæmones coluere, adorauere homines, qui omnia vitia admittebant, & committebant latrocinia, libidines etiam ſpurciſſimas, ac in ipſis Diis miſeriam admittunt, vt videre eſt apud eorum Theologos Heſiodum, Homerum, Orpheum. De quo vide Euſebium *lib. de præpar. euang.* Sic Philoſophi politias fœcatas vitiis tradunt, vt legere eſt apud Porphyrium, Marcum Varronem, Ariſtot. qui 2. *Polit.* quaſi cacabus ſartagini, cæteris inclamat, & multa ipſe contra Platonis Rempublicam inſana admittit. Reſpice hæreticos fœdiſſimos, Mahumetanos fœdiſſimè conſpurcatos.

62 Decimvm eſt fructus, qui ex hac legis ſanctitate euenit, vt tot gentes ad peccandum pronæ à vitiis reuocentur, ad virtutes inducantur, adeóque ardeant, vt dicant: *Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? Tribulatio? an anguſtia? an fames? an nuditas? &c.* Hanc proſequitur S. Auguſt. *lib. de vtilitate credendi, cap. 8.* Tot non modò populi, ſed Reges, & Sapientes alieniſſimi colla iugo Euangelij ſubdidere, ac plurimi mundo vale dicentes, Deo inſeruiunt in Religionibus, in ſolitudinibus, in montibus, & ſpeluncis, & cauernis terræ, egentes, &c.

Vndecimvm eſt teſtimonium alienorum; nam Ioſephus *lib. 18. antiq.* fatetur, doctrinam Chriſtianorum eſſe veram. Prophetiæ extant Sibyllarum, quæ multa de Chriſto dixere veriſſima, vt refert S Auguſt. *lib. 18. de ciuit. Dei, cap. 23.* propriè verò Erythrææ, quam atteſtatur Marcus Varro, author celeberrimus *lib. de natura Deorum.* Porphyrius etiam Philoſophus hoſtis Chriſtianorum infenſiſſimus *lib. aduerſus Chriſtianos*, acriter conqueritur, quòd poſtquam Ieſus cœpit adorari, nihil vtilitatis à Diis ſuis conſequebantur: contra quem loquitur Euſebius: *Porphyri, ſi Dij veſtri ſunt Dij, quare, cùm plures ſint, & Ieſus non ſit Deus, non inſurgunt aduerſus Ieſum, & eum deprimunt?* Vide etiam D. Auguſt. 19. *de ciuitate, cap. 23.* Tandem multi ſapientes priùs inimici, conuerſi atteſtantur, vt Paulus, Dionyſius, Cyprianus, Auguſt & alij, de quibus deceptio, aut fraus non eſt præſumenda. Quod ſi fides noſtra eſſet incredibilis, vt dicunt hæretici, quo pacto ſapientes crederent? 63

Duodecimvm argumentum eſt exitus infauſtus omnium Eccleſiæ noſtræ hoſtium. Hoc argumentum indicat S. Bonauent. in Acab, & Iezabel, 3. *Reg. 21.* deſtinatis in paſtum canibus: ſic enim & Antiochus, & Herodes doloribus excruciati, vermibus depaſti; Cæſares perſecutores miſerrimè interfecti, quos recenſet Bellarminus de notis Eccleſiæ. Sexaginta Imperatores veri, centúmque tyranni à Iulio ad Conſtantinum imperarunt. Detractis decem, cæteri venenis, ferro, igne, laqueo ſunt perempti, vt refert P. Inglaris *veritate quinta.* Nonaginta duos Principes apoſtatas refert Bonzius, omnes infœlices. Argumenta ſanè aduerſariorum poſitiuè eluere non valemus, ſed quidem negatiuè, oſtendendo nihil probare: cùm enim noſtra principia obſcura ex fide ſint, quæ naturaliter nequeunt, vt plurimùm poſitiuè demonſtrari, neque poſſunt aduerſarij euidenter falſitatis conuinci. Negatiuè verò poſſunt, quatenùs non poteſt veritas fidei eſſe falſa, & ideò nequit verum probari, quod eſt ei contrarium; quia verum non contradicit vero, vt ſæpè refricat S. Bonauent. 64

In noſtris autem argumentis egemus recurrere ſæpè ad principia reuelata è Scriptura, quæ cùm ſubalternantis vicem gerat, probata habet principia, non euidenter quidem, ſed in authoritate, vt notat D Bonauent. *quæſt. 2.* Allata argumenta latè proſequitur Tanner. 2. 2. *diſp. 1. q. 2. dub. 4.*

Quanam ſint Loca Theologica, vnde ſumantur argumenta pro noſtra Fide.

QVÆSTIO DECIMA.

VT valeat Theologus ſuas propoſitiones confirmare, aperiuntur ei quædam promptuaria, quaſi loca communia, inſtar topicorum Ariſtot. De his multi egregiè, & inter hos Melchior Cano, qui decem loca theologica recenſet. Nos ſequuti Seraphicum, loca ab eo aſſignata variis in locis colligemus, quæ diligentiùs examinabo, vt præſtitutum mihi ſcopum controuerſias Fidei cum

hæreticis

hæreticis latiùs proſequendi , quæ viro Theologo eſſe debent cordi , magis quàm nonnullæ ſubtilitates parui ponderis.

65 QVONIAM verò loca theologica authoritate nituntur , a ſtuetur S. Bonau. in opuſculo,cuius titulus *Principium ſacræ Scripturæ*, magnam eſſe vim authoritatis horum locorum , quæ ex fonte diuinorum ſinuum emanant, vt comparentur fluuio illi ſcaturienti è ſede Dei, & Agni , viſo *Apoc.* 22. Sicut enim in cognoſcibilibus , quod authoritate non nititur , eadem facilitate contemnitur, quâ adducitur , vt ait D. Hieronymus 23. *Matth.* niſi fuerit euidenti ratione ſuffultum; ita etiam in agendis. Quamuis autem locus ab authoritate inartificialis dicatur , eo quòd externo fundamento vtatur arguens , vt docet Boëtius 2. *Top. c.*5. tamen authoritate proborum faciliùs ratio præbet aſſenſum credulitatis , quàm diſputatione communi, vt docet Tullius 2. *Rhet.* Et hoc in notitia fidei manifeſtum eſt , vbi , cùm ratio veriſſima profundiſſimè lateat , ſecundùm Richardum 1. *p. lib.*1. *de Trin c.* 1. & 4. ipſa tamen vis authoritatis ad aſſentiendum inclinat. Quia *quod ſcimus, & intelligimus, rationi ; quod verò credimus, debemus authoritati*, vt docet D. Auguſt. *lib. de vera religione*, *c.* 24. *tom.*1. Sic & in operabilibus ſolet euenire, vt pondus authoritatis inclinet ad actum, præcipuè ſi arduum ſit , quod præcipitur , vel ratio præcepti legis occulta ſit ; aut cùm voluntas informanda per legem eſt à legis manuductione remota. Et hoc quidem apparuit in legis veteris diuinæ præceptis , quæ erant grauiſſima , & multis videbantur extra rationem. Ex alio etiam capite ceruices Iudaicæ erant duriſſimæ , & corda rebellia ; & ideò neceſſarium fuit authoritatis magnum pondus , vt notat D. Bonau. *loc. cit.* qui *in ſerm.*9. *Hexaëmer.* adducit prodigia , & miſſiones Angelorum, quibus legis antiquæ latio authoritatem haberet; vt ignis in rubo non comburens , montis Sinæ portenta, apertio maris , pluuia mannæ , eductio aquæ è ſilicibus, ſtatio , & retroceſſus ſolis , &c.

Primus igitur locus Theologicus eſt Scriptura Sacra, ſeu Verbum Dei ſcriptum, de qua latiùs Valentia *in Analyſi* , Bellarminus *tom.* 1. Cano *loco primo* , & alij. Hunc locum recenſet primum S. Bonau. *quæſt.*2. *proœm. ad* 4. & opuſculo, cui titulus *Principium Scripturæ*, & *ſermonibus Hexaëmer.* maximè nono. Eſt autē Scriptura Sacra Verbum Dei ſcriptum , de quo infrà.

Secundus locus eſt traditio Apoſtolica , quæ eſt doctrina non ſcripta , à Deo , vel Apoſtolis tradita, vel Spiritu Sancto Eccleſiæ dictata.

Tertius locus eſt Concilium , quod eſt congregatio Præſulum Eccleſiæ ad dogmata ſancienda.

Quartus eſt Decretum ſummi Pontificis è cathedra definientis dogmata Fidei.

Quintus eſt communis conſenſus ſanctorum Patrum, & Eccleſiæ Doctorum in rebus Fidei.

Sextus eſt communis , & vnanimis conſenſus Doctorum Scholaſticorum.

Septimus eſt veritas naturalis certa , cui adiungitur alia veritas ex alio loco Theologico ; & ita ex vtraque præmiſſa educitur concluſio. Hæc ſunt loca propria Theologorum. Sunt verò alia loca extrinſeca, vt ratio naturalis probabilis, authoritas Philoſophorum , & Iuriſperitorum. Quare hæc loca vocantur extranea à D. Thoma *art.* 8. *ad* 2.

VERVM enim verò, quia mihi ſtat alta mente defixum , Opus hoc Theologicum ad vtilitatem Catholicæ Eccleſiæ elaborare , atque adeò quæſtiones cum hæreticis maximè ſectariis excutere , & veritatem Catholicam triumpho euehere ; loca hæc Theologica ſingula diſtinctè diſcurram , vt mihi ſint fundamenta diſputationibus ſubſtrata ; quamuis multa in ſecundam ſecundæ protrahere cogar. Laconicè Procemialia percurri , iam enim nouus eruditus Carmelita Ioſeph Zagaglia ex his tomum contexuit.

Vnum cum illo corollarium ex dictis indico , de quo apud illum longiori agunt Doctores contentione, in quo ordine habituum Theologia noſtra ponatur?

Sanè cùm baſibus Fidei , vt vidimus ; innitatur, aliqua ratione ſapit ſupernum , vt notat Lallemandet *d.*2. *q.*2. *corol.*

Aliqui volunt eſſe ſupernaturalem quoad modum. Ita Coninch *de moralit. d.* 4. *dub.* 6. Morand. *q.* 4. *corol.*5. Merac. *d.*2. *ſect.*3. Arrubal. 1. *p. art.* 5. *d.* 5. *c.*3. Auerſa *q.*1. *ſect.*2. Lezana *d.*1. *q.*2.

Alij eam acclamant ſupernaturalem quoad ſubſtantiam. Fonſeca 6. *Met. c.*1. *q.*6. *ſect.*8. Molina, & Gillius apud Faſolum *q.*2. *art.*2. *d.* 13. Addunt tamen , eſſe non infuſum , ſed acquiſitum, & ordinis naturæ quoad modum. Sic & Durand. Henriquez , & Ioan. de Neap. apud Faſol. Amic. *d.*1. *q.*4. Tanner. *q.* 3. *d.*1; Zagaglia *d.*3. *q.*1. §.2. Quod ſit ſubſtantialiter ſupernus , probant ; quia nititur principiis Fidei. Quod acquiſitus , patet.

Vt hoc definias , præſcire oportet , aliquos ponere Theologiam eſſe Fidem. Cenſetur Scoti relatio *q.* 1. Tamen eam aſſeruiſſe diſtinctam aiunt Faber *d.* 7. *c.*2. Maſtrius *tom.*3. *d.*6. *q.*12. *num.*333. Addit *n.* 316. id verum, ſi eruatur diſcurſus ex vna de Fide, & ex alterâ naturæ , vt : *Omnis homo eſt rationalis* : *Chriſtus eſt homo* : *Ergo*. Nam in his , quæ præmittuntur de fide, diſcurſus ad Fidem reducitur , vt in hoc : *Quæ Deus reuelat , ſunt certa. Deus reuelauit , Chriſtum eſſe hominem : ergo*. Poſſe verò per diſcurſum elici aſſenſum Fidei , dicunt S. Bonau. Scotus cum Schola , & aliis, apud Maſtr. *num.* 307. nam reuelatum creditur propter reuelationem actibus diſtinctis. Fateor cum Patribus fidem non niti rationibus , vt tales ſunt, ſed vt eliciuntur ex Fide.

Alij volunt differre à Fide accidentaliter. Sic apud Maſtrium *d.*345. Faſolum *q.* 1. *art.* 2. *dub.* 12. Lallemandet 1. *p. d.*1. qui alios referunt dicentes , differre eſſentialiter.

Ex his habes , Theologiam eſſe aliqua ratione ſubſtantialiter ſupernam.

DE SCRIPTVRA SACRA,
PRIMO LOCO THEOLOGICO.
DISPVTATIO II.

QVIA Theologus Fidei baſibus inſudat, quibus Seraphicus inter alios faber eximius aſtitit, quaſi præuidens infelicis huius ætatis peſsimos oppugnatores, ea proſequar, quæ propugnanda, vbi optima moderni inuenere, vt mirer Gaulter. in ſua tabula, in ſæculo 13. duas hæreſes à S. D. ſolas referat confutatas.

Quid ſit Scriptura Sacra.

QVÆSTIO PRIMA.

SERAPHICVM imitabor, qui Theologiæ Breuiloquio, & Sent. præmittit proœmium de Scriptura. Primò quidem videndum, quid ſit, & cuius præſtantiæ, & naturæ; an ſcilicet ſit verum Dei Verbum, quod eſt Fidei fundamentum.

1 Porrò, Scripturam ſic deſcribit S. Bonau. opuſculo Principium Scripturæ. *Eſt ſcientia diuina de rebus ſimpliciter, reuelatis, & inſpiratis, litteris conſcripta.* Eodem ferè modo eam deſcribit proœmio Breuiloquij. Dicitur *Scientia*, ſeu *doctrina diuina*, quia à Deo participatur Eccleſiæ, quæ alioqui ignoraretur etiam à ſapientibus mundi, quia acies humanæ cognitionis in nobiliſſima illa ſuperna reuelata figi non poſſet, vt ait D. Auguſt. *lib. 1. de Trinit. cap. 2. Intellectus enim noſter ſe habet ad manifeſtiſſima naturæ, ſicut oculus noctuæ ad iubar*, vt ait Philoſophus 2. *Metaph. text. 1.* Dicitur verò *de rebus ſupernè, ſimpliciterque*

2 *reuelatis*; quia nulla humana diligentia interuenit in reuelatione, ſicut interuenire ſolet in Conciliis, & Pontificum decretis aſſolet; ſed tota supernè aduenit. Ideò aſſimilatur fluuio illi cryſtallino procedenti e ſede Dei, *Apoc. 22.* quod probat S. Bonau. ex ſecunda Petri 1. *Simon Petrus iis, qui coæqualem nobiſcum ſortiti ſunt fidem; gratia vobis, & pax adimpleatur in cognitione Dei, & Chriſti Ieſu, quomodo omnia nobis diuinæ virtutis ſuæ, quæ ad vitam, & pietatem donata ſunt, per cognitionem eius, qui vocauit nos propria gloria, & virtute. Non indoctas fabulas ſecuti notam facimus vobis Domini noſtri Ieſu Chriſti virtutem, ſed ſpeculatores facti illius magnitudinis. Accipiens enim à Deo Patre honorem, & gloriam, voce delapſa ad eum huiuſcemodi à magnifica gloria: Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipſum audite. Et hanc vocem nos audiuimus de cælo allatam, cum eſſemus cum ipſo in monte ſancto. Et habemus firmiorem propheticum ſermonem, cui benefacitis attendentes, quaſi lucernæ lucenti in caliginoſo loco, donec dies elucescat. Hoc primum intelligentes, quòd omnis prophetia Scripturæ propria interpretatione non fit. Non enim voluntate humana allata eſt aliquando prophetia; ſed Spiritu ſancto inſpirati locuti ſunt ſancti Dei homines.*

Dicitur tandem *litteris conſcripta*, vt diſtinguatur à traditione, quæ non eſt ſcripta. Hæc (ait S. Bonau.) dictante Spiritu ſancto conſcripta eſt, iuxta illud pſalmi: *Lingua mea calamus ſcribæ velociter ſcribentis.* Eam verò ex omnibus generibus cauſarum excellentiorem omnibus doctrinis naturalibus probat S. Bonauentura.

Et quidem Metaphyſicam, propter vniuerſalitatem 3 materiæ, vel ſubiecti, nobiliſſimam acclamant cum Ariſtotele 4. *Metaph. text. 2. & ſeq.* & *lib. 6. text. 3. & 4.* Scientiam Mathematicam, propter certitudinem modi. Scientiam de anima, propter ſubiecti nobilitatem, vt dicitur 1. *de anima, text. 1.* & 10. *Ethica, cap. 7.*

Verùm Scriptura ſacra eſt de primo ente Deo omnibus modis conſiderato, & in ſe, & in ordine ad effectus, modo perfectiſſimo; & quidem hoc primum Ens non eſt ſubiectum Metaphyſicæ, quia inquiritur, vt habetur 12. *Metaph. textu 29.* De ſubiecto autem in ſcientia præcognoſcendum quid ſit, quod dicitur per nomen, & quia eſt; & nullo modo debet inquiri, vt dicitur 1. *Poſt. textu 2.* & notat S. D. opuſculo *Principium ſacræ Scripturæ.* Igitur Ens primum eſt ſubiectum Scripturæ, eſtque nobiliſſimum eius ſubiectum, quia Deus Trinus, & Vnus, cum omnibus attributis, relationibus, emanationibus conſideratur principaliter. Proinde verò diuina eius opera penſitantur.

Quoad practicas, Moralis videtur nobiliſſima, 4 ratione finis, qui eſt beatitudo, ſed creata, ſed miſera: at finis Scripturæ eſt beatitudo ſupernaturalis perfectiſſima. Formam quoque, ſeu rationem formalem, ſub qua, nobiliſſimam probat, quia ſubiectum ſuum reſpicit, vt diuinitus reuelatum à prima veritate; vnde certitudinem inexpugnabilem continet. Igitur eſt omnium ſcientiarum nobiliſſima.

Omitto (ait S. Bonau.) ſcientias illicitas, quæ non ignobiles modò, ſed infandæ, vt magicæ, ſiue Pyromantia, ſiue Hydromantia, ſiue Aëromantia, ſiue Geomantia, &c. quorum profeſſores anathematizati iure Canonico *de ſortil. cap. 1. 2. 3. 26. quæſt. 1. & ſequentibus*, & *Exodi 22. Leuitici 20.* ac demùm aliis decretis Sanctæ Inquiſitionis: quas innuit S.D. opuſc. *Declaratio terminorum Theologiæ.*

Scientiarum verò licitarum alia Logica, alia Phy- 5 ſica, alia Ethica, ex D. Hieronymo *homil. 3. in Cant. tom. 16.*

*tom.*8. & Auguſt. *tom.* 3. *epiſt.* 3. *non procul à fine.* Scientia Logica, ſeu de ſermone, alia Grammatica, alia Dialectica, alia Rhetorica; & quidem duæ primæ, cùm ſint potiùs modi ſcientiarum, quàm ſcientiæ, fundamentaliter faciunt ad intelligentiam diuinorum. Rhetorica verò cum buccis tumentibus plus eſt inflatrix intellectuum, quàm illuminatrix. Scientia verò Phyſica extenſo nomine, alia Naturalis, alia Methematica, alia Metaphyſica. Scientia Naturalis motuum inſtabilitatem tractat: Mathematica magnitudines aridas: Metaphyſica nudas quidditates, quæ nec ſatiant, nec habent ſaporem. Vnde Ariſtoteles eorum inuentor, vel amplificator, apud Euripum, ignorans fluxus ſeptemplicis illius, & refluxus cauſas, in profundum ſe maris demerſit. Scientia verò Ethica, 6 alia eſt monaſtica, alia œconomica, alia politica, & iſtarum finis eſt beatitudo creata, plena miſeriis. Contra iſtorum inſipientiam inuehitur Hieremias cap. 2. *Et nunc quid tibi eſt in via Ægypti, vt bibas aquam turbidam?* Vnde D. Auguſt. *de vera Religione cap.* 11. ait: *Omiſſis, & repudiatis nugis theatricis, & poëticis, in diuinarum ſcripturarum conſideratione, & tractatione ponamus animum, atque potemus vana curioſitatis fame, & ſiti feſſum, & æſtuantem, & inanibus phantaſmatibus, tanquam pictis epulis, fruſtra refici, ſatiarique cupientem.* Hæc D. Auguſt. Hæc enim de rebus cæleſtibus diuinos exhibet ſapores, & ad beatitudinem perfectiſſimam ducit, atque ad Sapientiam, idest ſapidam ſcientiam. Hæc igitur teſtimonio immediato Diuino primæ veritatis maxam maximam præſefert authoritatem inter omnia loca Theologica: nam licèt Eccleſia eam declaret canonicam; declarata tamen ſummam authoritatem etiam inter decreta Eccleſiæ obtinet. Itaque quidquid in Scriptura ſacra continetur, ſiue ad fidem ſpectet, ſiue ad mores à Scriptura ipſa aſſertum, eſt de fide. Eſtque primum principium ſupponendum, vt ait D. Baſilius *in Pſal.* 115. Itaque pro firmiſſimo fundamento haben- 7 dum, Scripturam ſacram eſſe veriſſimam, vt repetit D. Bonau. & hoc velle probare, eſſe ſummam dementiam notat Alphonſus de Caſtro *lib.* 1. *hæreſ. cap.* 2. Quamquam iam bonum temporum calamitas attulit, vt ad retundendos inſolentiſſimos homines id cogamur facere; nam Gaſpar Svuenckfeldius, & Libertini, ſacram Scripturam reſpuunt; tanquam litteram occidentem, ſoloque ſpiritu interno contentos nos eſſe iubent. Eos referunt, & refellunt Zelotes Caluinus *lib. cont. Anabapt. initio*, Lutherus *lib. de Conciliis, & Eccleſia*; vbi eum errorem Romanæ Eccleſiæ adſcribere auſi ſunt. Vtrorumque verò temeritatem longè anteà præuidit, atque exploſit S. Bonau. *locis citandis.*

Itaque ſtatuit, libros Scripturæ iuxta mentem Eccleſiæ Catholicæ, olim in Concilio Carthaginenſi tertio, & nunc in Tridentino explicitam, verum eſſe Verbum Dei, & regulam fidei firmiſſimam. Hoc autem multis probat argumentis, quæ collegit Bellarminus *lib.* 1. *de Verbo Dei, cap.* 2.

Primvm Seraphici argumentum eſt, quia regula fidei debet eſſe certa, & nota. Talis eſt Scriptura ſacra. Ergo. Maior probatur, quia ſi nota non ſit, non poteſt eſſe regula nobis: ſimiliter neque ſi ſit incerta; ignotum enim, & incertum non poteſt eſſe regula notitiæ, & certitudinis, quia nemo dat, quod 8 non habet. Minor probatur à D. Bonau. opuſculo *Principium Scripturæ*, vbi aduertit, ideò comparari fluuio illi, de quo *Apoc.* 22. *Oſtendit mihi Dominus flumium aquæ viuæ ſplendidum, tanquam cryſtallum, procedentem de ſede Dei, & Agni. In medio plateæ eius, & ex vtraque parte fluminis lignum vitæ.* Vbi fluuium ſplendidum, & in medio plateæ, tanquam communiſſimum, notiſſimum exponit. Et *ſerm.* 8. & 9. *Hexæmer.* Firmamento ſtellis cælato, ſeu exſculpto, omnibus patenti comparauit: quæ eſt expoſitio Patrum.

Probat autem, notam eſſe, antiquo gentium con- 9 ſenſu; nam multæ leges, quæ ſunt iuris ciuilis, editæ à Numa Pompilio Romuli ſucceſſore, continent, & ſanciunt multa ex lege Moyſis. Fuit autem Romulus mille ferè annos poſt Moyſen. Vide Iſidorum *lib.* 5. *initio*, & *cap.* 29. Signum eſt ergo, Scripturam etiam apud Gentes fuiſſe magnæ authoritatis, & famæ.

Certissimam autem eſſe Scripturam, probat S. Bonau. *ibi*, & *ſerm.* 9. *Hexaëmer.* Primò ex authoritate ſcriptorum, quorum primus Moyſes, qui tot miraculis, & prodigiis ſua volumina Pentateuchi confirmauit, flagellis vexans portentoſis Ægyptum, quibus nec Magi ſimilia edere, vel illis reſiſtere valuerunt: aperuit mare: eduxit aquas de Petris; de aëre manna: deduxit quadraginta annos populum infinitum per arida deſerta, nec vnquam aliquis ægrotauit, nec defecerunt neceſſaria, nec ſunt attrita veſtimenta, vel calceamenta eorum. Idem argumentatur S. Bonau. de aliis ſacris Scriptoribus relatis *Eccli. cap.* 44. *& ſeq.* ab illis verbis: *Laudemus viros glorioſos parentes noſtros imperantes populis ſanctiſſima verba. In peritia ſua requirentes modos muſicos, & narrantes carmina ſcripturarum. Sapientiam ipſorum narrent populi, & laudes eorum nunciet Eccleſia.* Vide ibi omnia.

In nouo autem Teſtamento Chriſtus, qui & vita, & miraculis, & teſtimoniis cœleſtibus, probatur eminentiſſimus à D. Bonau. opuſculo *Principium Scripturæ*, & *ſermone* 1. *& ſequent. Hexaëmer.* hunc in omnibus libris Teſtamenti veteris præfiguratum, eoſque omnes impletos in eo, egregiè oſtendit Seraphicus Doctor *opuſc. Principium ſacræ Scripturæ, ſinem verſùs.* Is fuit author Euangeliorum, & omnium librorum noui Teſtamenti.

Probat igitur hinc ſecundò certitudinem Scripturæ ex veritate vaticiniorum; quo argumento vtitur etiam D. Auguſt. 12. *de ciuitate Dei, cap.* 9. Si enim vera exitu comprobata, ſunt vaticinia Scripturarum, vera fuere etiam aſſerta. Igitur 2. *Reg. cap.* 23. Dauid verè ait: *Spiritus Domini locutus eſt per me.* Lucæ 1. Zachi *Sicut locutus eſt per os Sanctorum, qui à ſæculo ſunt Prophetarum eius.* Petrus 2. *cap.* 1. *Spiritu ſancto inſpirati locuti ſunt ſancti Dei homines*: & Paulus 2. Timoth. 3. *Omnis Scriptura diuinitus inſpirata* Verum denique id, quod Prophetæ dicebant: *Hæc dicit Dominus.*

Probat tertiò *ſerm.* 9. ex vnanimi concordia Scri- 10 ptorum. Hanc concordiam admiratus Iob *cap.* 38. exclamat: *Concentum cæli quis dormire facit.* Et: *Qui facit concordiam in ſublimibus.* Itaque Theodoretus *Præf. in Pſalm.* & S. Gregorius *Præf. in Iob*, dicunt, ita conueniſſe, vt agnoſceretur, fuiſſe calamus eorum Spiritus Sancti manu ductus, de quo Pſal. 44. *Lingua mea calamus ſcribæ velociter ſcribentis*; vt docet D. Bonau. initio opuſculi *Principium Scripturæ.* Vide S. Auguſt. *lib.* 18. *de ciuitate Dei, cap.* 41. Ex his aliud deducitur à D. Bonau. argumentum *ſerm.* 9. ſumptum ex colligatione veteris cum nouo Teſtamento. Nam & Chriſtus, & Apoſtoli ſæpè vtebantur Scripturis veteris Teſtamenti, ad infidos redarguendos, vt *Ioan.* 3. 6. *& ſequentibus. Lucæ* 3. & aliis, vt in commentariis latè proſequitur S. Bonau. Tandem ad Scripturas mittebat; dicens: *Scrutamini Scripturas*, Ioan. 5. Sic etiam Apoſtoli *Act.* 17. 2. *Petri* 1. 2. *Timoth.* 3. & ſæpè Euangeliſtæ allegant Scripturas, vt probat S. D. *ſerm.* 9. Similiter Ioannes Baptiſta allegat Iſaiam, vt notat ibi Seraphicus Doctor. Quid plura? ex decreto Dei Moyſes *Deuter.* 17. lites iuxta Scripturam definiendas tradit; eamque ediſcendam ſolicitè. Sic

loquitur Iſaias *cap.* 8. Malachias *cap.* 4. Dauid *Pſal.* 118. & ipſe Dominus *Ioſue* 1. ait: *Non recedat volumen legis huius ab ore tuo; ſed meditaberis in eo diebus, ac noctibus.*

Plurima cùm in Ægypto iam edita volumina colerentur ſapientum, Cadmi, Orphei, Lini, Muſæi, Dyctis, & aliorum; vnum proponitur ſacræ Scripturæ.

Id verò ſigillis ſeptem obſignatum ab Agno aperitur. *Apoc.* 5. Hæc eſt Scriptura ſacra, vt notant DD. Hilar. *prol. in Pſ.* Hier. *in* 22. *Iſai.* & alij apud Boner. *d.* 5. *ſymb. art.* 2. cum D. Bonau. *in Dieta, tit.* 10. *c.* 6.

Datur autem Agno aperiendus in Eccleſia ſponſa. Hinc D. Auguſt. *lib.* 13. *cont. Fauſt. cap.* 5. & *lib.* 11. *cap.* 5. & *lib.* 23. *cap.* 9. & *lib.* 1. *de doctr. Chriſt. cap.* 8. & *ſerm.* 191. Eccleſiæ authoritate libros canonicos diſcerni aſſerit, & alij PP. ac Concil. Senonenſe *decreto* 4. Sanè *Eccleſia eſt columna, & firmamentum veritatis*, 1. Timoth. 3. Ei promiſit aſſiſtentiam, ne erret, *Matth. vlt. Luca* 22. *Ioan.* 14. & 16. vt ibi S. D. ideò S. Auguſt. *prol. de doctr. Chriſt.* ſpiritui particulari non fidendum ait, eumque ſathanicum iudicat. Ait verò, & Paulum, etſi miraculosè à Chriſto in via Damaſci edoctum, & ad Paradiſum raptum, miſſum ad Eccleſiam, vt primò ab Anania, mox ab Apoſtolis, maximè à Petro inſtrueretur; cui contulit, quæ docebat, vt ipſe Galatis ſcribit. Quonam enim pacto ſcimus, hos eſſe libros ſcriptos à Moyſe & Euangeliſtis?

Voluit autem Deus, modo humano ſenſibili, flumio iſto Scripturarum nos cælitùs irrigare, vt omnia ſcienda aptè ſciremus, vt notat D. Bonau. *loc. cit. opuſculi*, poſt D. Auguſtinum *lib.* 22. *de ciuit. cap.* 3. & *epiſt.* 3. & *lib.* 1. *de doctrina Chriſtiana, cap.* 41. *ſub finem*, ibi: & *lib.* 3. *cap.* 10. *de vera Religione, cap.* 51. *lib.* 2. 14. & 22. *cont. Fauſtum*: & *lib.* 1. *contra Aduerſarium legis*, & *lib.* 2. *confeſſ. cap.* 5. & *in Geneſ. lib.* 5. *cap.* 3. S. Dionyſius *epiſtola ad Titum*, S. Hieronymus *epiſt.* 22. Baſilius *in Hexaëm. homil.* 3. Gregorius *in Dedicatoria lib. Moral. ad Leandrum, cap.* 4. & *lib.* 6. *moral. cap.* 9. & *lib.* 20. *cap.* 1. & *homil.* 6. *in Ezech.* S. Damaſcenus *lib.* 4. *de fide, cap.* 18. Caſſiodorus *in Pſal.* 95. & 144. & *de Diuinis lect. cap.* 16. & alij Patres apud D. Bonauenturam *opuſc. Principium ſacra Scriptura*, vbi præclara videbis.

Libertini obiiciunt nobis illud Apoſtoli: *Littera occidit*, 2. Corinth. 3.

12 RESPONDET Bellarminus *lib.* 1 *de Verbo Dei, cap.* 3. ex D. Bonau. *in* 3. *diſt.* 40. *quæſt.* 2. per literam intelligi legem veterem, vt patet ex ſequentibus verbis; nam cùm dixiſſet: *Idoneos nos fecit miniſtros noui Teſtamenti, non littera, ſed ſpiritus; littera enim occidit, ſpiritus autem viuificat*; ſubdit continuò: *Quod ſi miniſtratio mortis litteris deformata in lapidibus, fuit in gloria, ita vt non poſſent intendere filij Iſraël in faciem Moyſi propter gloriam vultus eius, quæ euacuatur; quomodo non magis miniſtratio ſpiritus erit in gloria?* Quibus verbis nullus relinquitur dubitandi locus, quin per litteram occidentem; lex in lapidibus deſcripta intelligenda ſit. Itaque idem intelligit Paulus per litteram, & ſpiritum, quod Ioannes *cap.* 1. per legem, & gratiam, vt habetur ex D. Auguſt. *lib.* 15. *contra Fauſtum, cap.* 8.

Dicitur autem Lex Moyſis littera, quia nil præter litteras attulit inciſas lapide, & ideò ſi conferatur cum gratia, dicitur littera, quia Chriſtus, per quem gratia facta eſt, ſpiritum dilectionis, non litteras attulit.

Cur autem lex dicatur occidere, eleganter oſtendit Bellarminus ex D. Bonau. *loc. cit.* & D. Auguſt. *de ſpiritu, & littera cap.* 4. vocari occidentem, non quia effectiuè occidat, ſed occaſionaliter; quia cùm vires non porrigat ad ſui obſeruantiam, occaſionem dat ad præuaricationem: & hoc ait D. Paulus Rom. 4. *Lex iram operatur; vbi enim non eſt lex, nec præuaricatio.* Deinde, quòd in ipſa probibitione concupiſcentiam auget: nam, vt ille rectè ait: Nitimur in vetitum ſemper, cupimuſque negata. Ideò Apoſtolus *Rom.* 7. ait: *Occaſione accepta peccandi, per mandatum operatum eſt in me omnem concupiſcentiam.* De hoc 1. 2. *Tract. de legibus, diſp.* 11. *quæſt.* 3. agam.

Quæ ſit Scriptura Sacra.

QVÆSTIO SECVNDA.

{ D. Bonau. opuſculo Principium Scripturæ.

IN CONCILIO Tridentino definitum eſt iam, quæ ſit Scriptura ſacra, ſeu qui libri Scripturæ canonici.

NOTANDVM ex D. Bonau. *in proœmio Breuiloquij*, & 3. *p. Centiloquij, ſect.* 32. Scripturam ſacram diuidi in Teſtamentum vetus, & nouum. Teſtamentum vetus diuiditur in libros quinque legales, decem Hiſtoriales, quinque Sapientiales, ſex Prophetales; & ita omnes ſunt vigintiſex. Legales ſunt, Geneſis, Exodus, Leuiticus, Numeri, Deuterononium. Hiſtoriales ſunt, Ioſuë, Iudicum, libri quatuor Regum, Paralipomenon duo, Eſdræ duo, Tobiæ, Iudith, Eſther, Iob, & duo Machabæorum. Sapientiales ſunt, Prouerbia, Eccleſiaſtes, Cantica, Sapientia, Eccleſiaſticus. Prophetales ſunt, Iſaias, Hieremias, Ezechiel, Daniel, Pſalmi, & libri duodecim Prophetarum minorum. 13

TESTAMENTVM nouum habet libros Teſtamento antiquo reſpondentes; ideſt legalibus, quatuor Euangelia: hiſtorialibus, Acta Apoſtolorum: ſapientialibus Epiſtolas Apoſtolorum; Prophetalibus, Apocalypſim.

Eos recenſet D. Bonau. *opuſculo citato*, hoc ordine. Geneſis, Exodus, Leuiticus, Numeri, Deuteronomium, Ruth: Quatuor libri Regum: Duo Paralipomenon: Liber Eſdræ, & Nehemiæ: Libri Iob, Tobiæ, Iudith, Eſther: Pſalmi centum quinquaginta: Duo libri Machabæorum: Prouerbia, Eccleſiaſtes, Cantica, Sapientia, Eccleſiaſticus. Quatuor Prophetæ maiores, quibus adnectitur Baruch, & duodecim Prophetæ minores. E Teſtamento nouo, quatuor Euangelia, Acta Apoſtolorum, Epiſtolæ Pauli quatuordecim, geminæ Petri, vna Iacobi, tres Ioannis, vna Iudæ, & Apocalypſis. Et ſunt libri vigintiſeptem.

Alio modo numerat S. Bonau. *præfat. in Pſalterium*, 14 cum D. Hieronymo *præfatione in libros Regum*, Teſtamenti antiqui libros ſecundùm litteras vigintiduas Hebræorum, eoſque in tres ordines cum Hebræis diuidit: Legem, Prophetas, & Agiographa. Legem Moyſi, quæ Thorah hebraïcè dicitur, in quinque volumina diſtinguunt Hebræi; & hic eſt primus ordo. Primus igitur liber, Bereſcith eſt, ſeu Geneſis: ſecundus Velle Schemoth, ſiue Exodus: tertius Vaiicra, ſiue Leuiticus: quartus Vaiedabaer, ſiue Numeri: quintus Elleh Haddebarim, ſiue Deuteronomium. Ecce Pentateuchus. Secundi ordinis primus liber eſt Iehoſua Bennum, qui & latinè Ieſu Naue; nam binominis fuit, & pater, & Filius. Secundus Sophetim, ſiue Iudicum: tertius Samuel, qui eſt primus Regum: quartus Malachim, qui eſt Regum: quintus Iſaias: ſextus Hieremias: ſeptimus Ezechiel: octauus

octauus *Thire Hiſſer*, ideſt duodecim Prophetæ minores, qui pro ſui breuitate in vno rediguntur. Tertius ordo Agiographorum, in quo ſunt nouem libri. Primus eſt Iob: ſecundus Pſalterium, quod præ manibus habemus: tertius Miſchle, qui eſt Prouerbiorum Salomonis: quartus Coheleth, qui Eccleſiaſtes: quintus Scithaſcirim, quod eſt Canticum canticorum: ſextus Daniël: ſeptimus Debreiamin, ideſt verba dierum, ſiue Paralipomenon: octauus Eſdras: nonus Eſther. Collecti ergo de primo ordine quinque, vnde & Pentateuchus dicitur à Pente, quod eſt *quinque*: & *teuchus*, quod eſt *volumen*: nam *theta* poſitio eſt. De ſecundo verò, octo: de tertio, nouem: ſimiliter ſunt viginti duo: & omnes reuerà ſunt Agiographi, ideſt ſacra Scriptura. Sed ad vltimum ordinem appropriatum eſt vocabulum; ſicut & hoc nomen, *Angelus*, cuilibet de nouem ordinibus conuenit, ſed inferiori ordini appropriatum eſt. Similiter & hoc nomen, *Confeſſor*, cuilibet Sanctorum conuenit, ſed ſpecificatur ad illos ſolos, qui non Apoſtoli, nec Martyres. Hi igitur libri in duas claſſes diuiduntur. Prima eſt eorum, de quorum authoritate nunquam fuit dubitatum: hi ſunt Pentateuchus Moyſis, liber Ioſue, Iudicum, Ruth, Regum quatuor; Paralipomenon duo; Eſdræ, & Nehemiæ duo; Iob, Pſalterium centum quinquaginta pſalmorum, Prouerbia, Eccleſiaſtes, Cantica, Prophetæ maiores quatuor, Prophetæ minores duodecim; Euangeliorum libri quatuor, Epiſtolæ Pauli tredecim (omiſſa illa ad Hebræos,) Epiſtolæ canonicæ duæ, Petri vna, Ioannis altera. Ita teſtantur omnes ſummi Pontifices, omnia Concilia, omnes PP. qui quacumque de cauſa libros enumerare ſtuduerunt. Vide ex Pontificibus Innocentium primum *epiſtola 3. ad Exuperium, cap. vlt.* Gelaſium primum *in decreto de libris ſacris*, quod extat *tom. 2. Conciliorum.* Ex Conciliis Laodicenum *can. 59.* Carthaginenſe tertium *can. 47.* Florentinum *in inſtruct. Armenorum*, Tridentinum *ſeſſ. 4.* Patres vide in Bellarmino *tom. 1. lib. 1. cap. 4.*

Secvnda claſſis eſt eorum, de quibus aliquando dubium fuit, an eſſent Canonici. Hi ſunt Eſther, Baruch, Daniëlis pars, Tobias, Iudith, Sapientia, Eccleſiaſticus, Machabæorum primus, & ſecundus: Marci, Lucæ, Ioannis partes aliquæ: Epiſtola ad Hebræos, Epiſtola Iacobi; poſterior Petri; ſecunda, & tertia Ioannis, & particula etiam primæ: Epiſtola Iudæ, Apocalypſis.

Poſtremò ſunt aliquæ ſcripturæ, quæ à nonnullis viris clariſſimis inter ſacra volumina comparatæ, publico tamen Eccleſiæ iudicio nunquam approbatæ ſunt, nempe Oratio Manaſſe: tertius, & quartus liber Eſdræ: tertius, & quartus Machabæorum: Pſalmus 151. Appendix libri Iob, & libri Eſther: Additio Eccleſiaſtici: Præfatio in Threnos: liber Hermæ diſcipuli B. Pauli.

Non defuêre tamen hæretici, qui libros etiam primæ claſſis auſi ſunt reſpuere, è quibus nonnullos recenſet S. Bonauentura *opuſculo citato.*

15 Primi fuêre, qui legentes in veteri Teſtamento, Deum punire vſque ad quartam generationem peccata Patrum in filios, *Exodi* 20. & ideò, dentes filiorum obſtupuiſſe ob eſum vuæ acerbæ voratæ à Patribus, *Ezech.* 18. atque ſimilia; auſi ſunt dicere, legem antiquam iniquiſſimam, & à Deo malo conditam. Ita Marcioniſtæ, Cerdoniani, Manichæi, Albigenſes, & noſtro ſæculo aliqui Anabaptiſtæ Miniſtri. Eos omnes confutant ſanctiſſimi Patres, præſertim Epiphanius *in hæreſi Manich.* Auguſt. *in lib. contra Fauſtum Manicheum, & duobus libris contra Aduerſarium legis.*

Eos refellit D. Bonauent. primò, quia tam in nouo, quàm in veteri Teſtamento iuſtitia, & ſanctitas legis veteris commendatur, Eccleſiaſtici 24. *Legem mandauit Moyſes in præceptis iuſtitiarum.* Et *Sap. 6.* dicitur: *Lex Iuſtitia.* Et Rom. 7. *Lex quidem ſancta.* Lucæ primo teſtatur Zacharias, Dominum Deum Iſraël locutum per os Sanctorum Prophetarum. Et ſanè mirum eſt, eos hæreticos, qui nouum Teſtamentum venerabantur, contemnere potuiſſe Libros veteris Teſtamenti, cùm hi ab illis plurima ſuæ authoritatis habeant teſtimonia, vt Lucæ 4. *Hodie impleta eſt hæc ſcriptura in me.* Lucæ vltimo: *Neceſſe eſt impleri omnia, quæ ſcripta ſunt in lege Moyſi, Prophetis, & Pſalmis de me.* Idem habes *Lucæ* 11. *Ioan. 1. 2. 12. 19.* vt latè proſequitur S. Bonauent. *in eorum commentariis. Rom. 1. Galat. 4. Hebr. 1.* & aliis plurimis locis. 16

E quibus ruit etiam error Ptolomæi apud Epiphanium *hæreſi* 33. qui nullam partem legis antiquæ diuinam confitebatur.

Similiter error Theodori Mopſueſtiæ Epiſcopi, qui negabat, Prophetas aliquid vnquam de Chriſto prædixiſſe, vt refertur in quinta Synodo, *collatione* 4.

Deinde verò ſanctitas antiquæ legis probatur à Seraphico, argumento Origenis *in Numer. cap. 27.* 17
Leges enim humanæ à Diuina lege deriuantur. Humanas verò populi omnes recipiunt, ac venerantur. Confirmat, quia multæ leges veteris Teſtamenti tanguntur iure ciuili. Leges autem Romanorum inceperunt à Numa Pompilio, qui ſucceſſit Romulo fundatori vrbis, vt refert Iſidorus *lib. 5. initio*, & *cap. 19. in fine.* Fuit autem Romulus 1000. ferè annos Moyſe poſterior, vt refert *loc. cit.* Iſidorus. Concordat autem iſti ſententiæ, quòd plurimæ veterum legum, in quibus multa legi Dei fuere contraria, iam abrogatæ ſunt à Conſtantino, deinde Theodoſio Imperatoribus, vt refert *ibidem* Iſidorus. Hoc autem ſignum eſt, quòd ius Ciuile ſecundùm legem Diuinam regulatur, & ordinatur; quamuis adhuc aliqua reperiantur in eo, quæ à iure Diuino diſcordant, ſicut de vſuris, & concubinis, & quibuſdam aliis paucis, ſecundùm quòd patet in Canone. Quæ omnia vel abrogata ſunt, vel abroganda; quia lex, quæ obuiat ſacræ Scripturæ, & decretis Papæ, & moribus bonis, nulla eſt, vt habetur *diſt. 10. cap. Lege Imperatorum: diſt. 12. cap. Non licet.* Hæc S. Bonauentura.

Secvndvs error fuit contemnentium ſtylum Scripturæ, quaſi inſipientem. Ita Ethnici, maximè Græci, vt indicat Apoſtolus 1. *Corinth.* 1. dum ait: *Iudæi ſigna petunt, & Græci ſapientiam.* Eos imitatus eſt Iulianus Apoſtata, Porphyrius, & alij. Tripliciter autem inſipientiam in libris Scripturæ, veluti nodos in ſcirpo, quæritant. In rebus, in verbis, in modo. In rebus, quia de rebus vilibus diſſerit. De iugulatione pecorum, de lepra, de genealogiis, & aliis quæ parum, aut nihil ad ſapientiam, aut bonitatem conferre videntur; cùm tam ars, quàm virtus conſiſtant circa arduum. Similiter verborum ſtomachantur inelegantiâ. 18

Talem ſe Auguſt. ante ſuam conuerſionem fatetur *lib. 3. confeſſ. cap. 5.* eique non abſimilis S. Hieronymus in iuuentute, vt ipſe fatetur *epiſtola* 22. referens ſuum ante Chriſti Tribunal ſupplicium. Vide D. Bonauenturam *loco citato.*

Tandem etiam modum tractandi reprehendunt, 19
quaſi ſine artificio.

Et quidem altitudinem rerum, ſeu ſubiecti ſanctæ Scripturæ admirari debemus; ſiquidem Deus eſt,

& eius præclara opera; ſunt verò aliqua myſteriis plena, quæ in ſe materialiter vilia, neque tamen contemnenda; alioqui deſpiciant etiam litteras Ægyptiorum, & ſigna hieroglyphica. Omnia veritatis, & ſapientiæ genera, in ſcriptura reperiri, concludit D. Bonau. ex D. Auguſt. *lib.2. de doctrina Chriſtiana, cap.41.* qui *epiſtola* 3. Omnia genera ſcientiarum in Scriptura reperiri probat. Idem probat S. Bonau. ex Iſidoro *lib.2. Etymol. cap.24.* & Caſſiodoro *in pſal.95. & 144.* & *in Prologo Scripturæ.* Vide Seraphicum.

20 Quoad verba, occurrit S. D. ex D. Auguſt. *lib.4. de doctrina Chriſtiana, cap.6.* vbi, nil eloquentius Scriptura ſacra inueniri, probat. Eloquentiam autem, non troſſulam, ſed ſolidam; non adoleſcentum, ſed ſapientum virorum aſſerit. Et concludit: *Poſſem quidem, ſi vacaret, omnes virtutes, & ornamenta eloquentiæ, de quibus inflantur iſti, qui linguam ſuam, auctorum noſtrorum lingua, non magnitudine, ſed tumore præponunt, in litteris diuinis oſtendere.*

Modum verò, & artificium admirandum probat S. Bonau. primò *ex 19. Eccl.* vbi dicitur: *In omni ſapientia diſpoſitio legis:* & non immeritò, quia in diſpoſitione Angelorum eſt data, vt habetur *Actorum* 7.

Et quidem librum Iob mirantur S. Hieronymus *epiſt.103. tom.3.* Caſſiodorus *de diuinis lect. cap 6.* qui teſtantur, artificioſe ſanctum virum argumentari ita, vt hinc Dialectica emanarit; de rebus altiſſimis ſapientiſſimè, aptè, & concinnè diſſerere. Quæ latè explicat eruditus Pineda. Ibi enim diſputationes eruditiſſimæ perleguntur Iobi cum amicis ipſius: & amicorum cum Deo.

Mentitur autem Lutherus in ſermonibus conuiualibus, titulo de Patriarchis, dicens, vera non eſſe, quæ in libro Iob narrantur; & titulo de libris veteris, & noui Teſtamenti, dicens, eſſe fabellæ argumentum. Iob enim verè ſanctum fuiſſe, colligit Bellarminus *loc. cit.* cum D. Bonau. *de Eccleſiaſtica Hierarchia 1.p. cap.1. ad finem*, ex illis verbis Ezech.14. *Si ſteterit in medio Noe, Daniel, & Iob, ipſi in iuſtitia ſua liberabunt animas ſuas.* Quo teſtimonio etiam Thalmudiſtæ *ord.4. tract.3.* conuincuntur.

Multa arte Logica apprimè concinnata, colligit in D. Matthæo Nazarius *queſt.1. art.3. controu.2.* Plura D. Bonau. *ad Euangelia Lucæ, & Ioannis*, quæ identidem in dogmatibus probandis attingam. Multa etiam ex Apoſtolo, præſertim *epiſtola ad Romanos*: quod probat hic ex Iſidoro *cap.2. Etymol. cap.9.* vbi ait: *Apoſtolus ſæpè proponit, aſſumit, confirmat, atque concludit.* Vniuerſum verò id confirmat ex Caſſiodoro viro doctiſſimo *in Pſal. cap.15.* vbi ait: *Scriptura multis modis genera ſua locutionis exercet, definitionibus ſuccincta, ſchematibus decora, verborum proprietate ſignata, ſyllogiſmorum complexionibus expedita, diſciplinis irrutilantia.*

21 Præter modum autem ſcientialem, habet Scriptura modum proprium cœleſtem, quem D. Gregorius *lib.20. Moral. cap.1.* & D. Auguſt. *lib.5. in Geneſ. cap 3.* deſcribunt apud D. Bonauenturam.

Tertius error præcipuus in Scripturam ſanctam, eſt eorum, qui inhoneſtatis notam ei temerè inurunt. Præcipuus fuit Fauſtus Manichæus, apud D. Auguſtinum *lib.22. cap. 2. tom. 6.* Mouebantur, quia de rebus immundis, de peccatis ſpurciſſimis ibi agitur. Ex his ferè Nicolaitæ, & Gnoſtici apud D. Philaſtrium *catalogo Hæreticorum*, *cap.* 127. reprehendentes Pſalmos Dauid, tanquam prophanos. Eos imitatus Martinus Lutherus *in ſerm. conuiualibus, tit. de libris veteris, & noui Teſtamenti*, vituperat Eccleſiaſten, quaſi de voluptatibus agentem. Is ſectatus eſt illos hæreticos, qui librum hunc a Salomone inter libidinum æſtus compoſitum latrant. His ſimiles fuere, qui librum Canticorum Cupidinis, non Spiritus Sancti afflatu contextum vlulant, vt refert D. Philaſtrius *cap.133.*

Verum enim verò honeſtatem Scripturæ ſanctæ tuetur D. Bonauentura *loco citato*, cum Radulpho Flau. *in Leuit. lib.13. cap.4. lib.14. cap.6.*

Probat autem primò ex illo *Ezech.3.* vbi Deus 22
illi præcepit, vt omnia, quæ in Scripturæ ſacræ libro erant, ediſceret, & auidè voraret. *Omnia ergo, quæ in volumine Legis inuenies, comede.*

Secundò, quia Scriptura vocatur *Lex diſciplinæ.* Eccleſiaſtici 45. & cap. 44. *Sanctiſſima verba.* Ibi autem loquitur de omnibus ſcriptoribus ſacræ paginæ.) Et ſecundo *Machab.* 6. dicitur *ſanctiſſima, & grauiſſima.* Deinde remittit D. Bonauent. ad D. Auguſtinum *lib. 2. cont. Fauſtum, cap.60. & 61.*

Duo autem præclara aduertit S. Bonau. alterum eſt, Scripturam, cùm turpium meminit, circumlocutionibus, & metaphoris vti, ac circuitu verborum fœditatem euitare, ſecundùm D. Iſidorum *lib.1. cap.20. de Tropis.*

Alterum ex Rabbano, Idioma Hebræorum vo- 23
catum ſanctum, quia in eo non inuenitur nomen aliquod ſignificans fornicationem, & ſimilia, aut membra pudoris; ſed de eis loquitur per verba tranſumpta, & accommodata; & hac de cauſa vocari *ſanctiſſimam Scripturam*, 2. Machab. 6.

Quoad Pſalmos Dauidis, defendit rectè illos S. Bonauent. *præfatione in Pſalterium.* Primò, quia Dauid, inter cæteros, Propheta egregius fuit, vt habetur 2. *Reg.23.* vbi dicitur: *Hæc ſunt nouiſſima verba, quæ locutus eſt Dauid filius Iſai: Dixit vir, cui conſtitutum eſt de Chriſto Dei Iacob, egregius Pſaltes Iſraël. Spiritus Domini locutus eſt per me, & ſermo eius per linguam meam.*

Deinde, quia egregiè de Chriſto diuinauit, vt dicitur *Actorum* 13. Imò perfectiùs tractat de Chriſto, quàm alij; nam deſcribit apertè generationem æternam, & temporalem, atque reſurrectionem, *Pſal.* 2. vnde allegatur etiam *Actorum* 4. Prædicit Paſſionem, *Pſal.* 21. in & cæteris agit de omnibus Chriſti myſteriis, vt diſcurrit S. Bonauentura in Pſalterio.

Confirmat S. D. quia Chriſtus *Matth.22. & Lu-*
ca 20. vtitur medio termino, *ex Pſal.*109. ad redar- 24
guendos Iudæos, qui eum hominem merum agnoſcebant. Interrogauit enim: *Quid vobis videtur de Chriſto, cuius Filius eſt?* Reſponderunt: *Dauid.* Tunc Chriſtus arguit: *Quomodo ergo Dauid vocat eum Dominum, dicens: Dixit Dominus Domino meo, ſede à dextris meis? Si ergo eſt Dominus Dauid, quomodo eius Filius?*

Quoad Eccleſiaſten, & Cantica rectè S. Bonau. *proœm. in Eccleſiaſten*, eos defendit. Nam Eccleſiaſtes docet contemptum rerum mundanarum, exordiens: *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas.* Idem elucet in altiſſimis documentis, quæ tradit ſingulis ferè capitulis, & eleganter ibi oſtendit S. Bonauent. & cum eo Bellarminus *lib.1. de Verbo Dei, cap.5.*

Obſeruat autem S. Bonauent. Salomonem hic repræſentare multorum eloquia ſapientum, & etiam inſipientum; vt inde veritatem educat, vt obſeruat etiam Diuus Gregorius *libr. 4. Dial. cap. 4.*

Obſeruat ſecundò, rectè de mundi vanitate diſcurſum, à Deo dictatum ore Salomonis, qui vanitates

mundi

mundi expertus in diuitiis, & voluptatibus, poterat fidem facere, dum ea omnia vanitates vanitatum confitebatur. Probabile autem eſſe ait cum D. Hieronymo in Ezech. *cap.* 43. *& Eccleſiaſt.* 1. Salomonem iam pœnitentem hæc docuiſſe. Idem ſentiunt antiqui Hebræi. Itaque potuit eſſe efficax Eccleſiaſtes, id eſt, Concionator.

25 Verum enim verò, ſi à Salomone peccatore editum eſt opus, neque tamen (ait S. Bonau.) contemnendum, quia donum ſapientiæ cum eo perſeuerauit, vt ait cap. 2. *Sapientia quoque perſeuerauit mecum.* Sæpè enim mali prophetant, quod probat S. Bonau. *ex* 23. *Num.* exemplo Balaam, & illo Matth. 23. *Quodcunque dixerint vobis, ſeruate, & facite: ſecundum verò opera eorum nolite facere.* Vnde hæretici ex hoc capite nil lucrantur.

Profectò videtur iam expertus eloqui, dum ait: *Nec prohibui cor meum, quin omni voluptate frueretur;* vt obſeruat Seraphicus Doctor *cap.* 2. Quod non aduertit Bellarminus, Salomonem ante amores ſuos voluptuoſos, & immundos Eccleſiaſten contexuiſſe, dicens. Quod probare conatur, quia nil de eis dicit, vbi ſuas recenſet vanitates. Imò (vt oſtendit S. Bonau.) amores ſuos erubeſcens hic colligit; ſicuti amator ille, qui orabat amaſiam, vt verecundos amores alto ſepulchro in angulo mundi remotiſſimo ſepeliret, vt refert Taſſus. Reliqua Bellarmini argumenta ex dictis iacent.

Quod verò opponit *in lib.* 3. *Reg. & Eccleſiaſtico, cap.* 47. priùs recenſeri libros eius, quàm amores; falſum eſt: nam 3. *Reg.* 11. recenſentur laſciuiæ Salomonis, & in fine: *Reliquum autem verborum Salomonis, & ſapientia eius ſcripta ſunt in libro verborum dierum Salomonis.* Et ſubdit: *Dormiuitque Salomon cum Patribus ſuis.*

26 Quoad Cantica, aduertit S. Bonau. ibi de ſpirituali amore Chriſti erga Eccleſiam agi, vnde animæ inflammentur ad cæleſtium amorem; non enim Filia Regis pharaonis, ruſtica paſtorula poſt greges abiens fuit. Propter hoc Salomon, qui in cæteris libris nomen ſuum titulo apponit, hoc opuſculum abſque titulo ſui nominis componit, vt ſcirent, Epithalamium hoc eſſe ſpiritualis amoris Chriſti cum Eccleſia, vel Anima.

27 Tandem pro honeſtate Scripturæ affert D. Bonau. auream D. Auguſt. ſententiam, *lib.* 2. *contra Fauſtum, cap.* 60. *&* 61. vbi exemplo ſpeculi, quod ex oſtenſis ibi monſtris, aut deformibus, non deturpatur, non deformatur; & exemplo lucis, quæ digitos radiorum pandens ad deformia, ſordida, turpia, non contaminatur, præclarè oſtendit, Scripturam Sanctam ex obiectis turpibus, putà libidinum, homicidiorum, non conſpurcatam; ſed tanquam ſpeculum ea nobis apponere, vt horreamus; veluti luce pandere, vt timeamus, atque fugiamus pœnas inde irruentes.

28 Quartus error eſt aliorum, ſuperfluitatem dicendi Scripturæ Sacræ adſcribentium. Hic error multiplex eſt. Aliqui enim quaſdam partes Scripturæ reſpuunt, vt repetitiones eiuſdem hiſtoriæ, genealogias replicatas in Geneſi, in Paralipomeno. His ſimiles fuere, qui quatuor Euangelia reiiciunt, ex quibus aliqui ſolùm Matthæum, vt Ebion apud Irenæum *lib.* 1. *cap.* 26. alij ſolùm Marcum admittunt, vt Cerinthus apud Irenæum *lib.* 3. *cap.* 11. alij ſolum Lucam, vt Marcion, vt refert Irenæus *l. c.* & Tertullianus *lib. de præſcript.* alij ſolùm Ioannem, vt Valentinus apud eundem Irenæum ibi: ad quem errorem propendet Lutherus *præfat. in nouum Teſtamentum.* Alij aliquas epiſtolas reiiciunt; alij Acta Apoſtolorum; alij alios libros, vt infrà. Alij totum Teſtamentum nouum, quia *Deuter.* 4. dicitur: *Non addetis ad verbum hoc.* Vide D. Bonau. *præfatione in D. Ioannem.*

Verùm enim verò S. Bonau. ad priſcos Patres remittit confutantes, è quibus Rabbanus *in Geneſ. c.* 171. *&* 181. Gregorius 6. *Moral. c.* 9. qui id conuincit eo Matt. 5. *Iota vnum, aut vnus apex non peribit à lege, donec omnia fiant.* Subtiliſſimè quidem, & eleganriſſimè Hieronymus *epiſtola* 103. Caſſiodorus *de diuinis lect. c.* 16. Baſilius ad ea verba: *Fecit Deus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam.* Geneſ. 2. vbi ait, eſſe blaſphemiam muſſitare, aliquid in Scriptura eſſe ſuperfluum S. Auguſt. *lib.* 3. *de doct. rina Chriſtiana*, & alij.

Quoad quatuor Euangelia, oſtendit S. Bonau. *Præf. in Lucam, & Ioannem*, & *cap.* 1. *Ioannis*, non fuiſſe plura, quàm quatuor, vt Lutherus dicebat *l. c.* ſecutus Baſilidem, & Apellem, quos refert Gloſſa Bedæ; neque pauciora fuiſſe. Et probat primò argumento, quo vtebantur Sancti Patres. Hieronymus in *Matth.* Auguſt. *lib.* 1. *de conſenſu Euang. cap.* 6. & *Tract.* 36. *in Ioan.* Gregor. *lib.* 31. *Moral. cap.* 19. *& homil.* 4. *in Ezech.* nam hoc ſignificatum eſt *Ezech.* 1. *Apoc.* 4. illis quatuor animalibus famoſis. Homine, Leone, Boue, & Aquila. 29

Probat ſecundò *in eadem præf. in Ioannem*, fuiſſe multa, ex Chryſoſtomo *homil.* 1. *in Matth.* quia multiplicitas Euangeliorum, quæ ſcripta cùm ſint à diuerſis, variis in locis, teſtantur veritatem. Sic enim in ore plurium teſtium ſtat omne verbum. De Apoſtolis enim dicitur Iſaiæ 43. *Vos eſtis teſtes mei.* Hi diuerſa narrant, ne ſuperflua ſint; & conſonant, ne contraria. 30

Probat tertiò, ratione D. Auguſt. *ſerm.* 11. *de verbis Domini.* Sic enim Deus ordinauit, vt Euangeliſtæ eadem, non eiſdem verbis dicerent, nec eodem modo; vt diſcamus verba rebus; non res verbis inſeruire: & in loquente quærendam voluntatem, cui verba inſeruiunt.

Probat quartò alia ratione Diui Auguſt. *lib.* 1. *de conſ. Euang. c.* 2. Vide D. Bonau. qui per hæc reſpondet obiectis.

Deinde contra Paganos, qui dicebant, debuiſſe ipſum Chriſtum ſcribere Euangelia, quia ſapientiſſimus; arguit S. Doctor *proœm. in Ioannem.* Primò, quia vnde ipſi norunt, Chriſtum ſapientiſſimum fuiſſe? Sanè ex Euangeliis. Ergo credunt.

Secundò, ratione acuta S. Auguſt. *lib.* 1. *de conſ. Euang. c.* 7. *&* 8. nam Philoſophi nobiliſſimi nihil de ſe ſcripſere, vt Pythagoras, & Socrates. Ergo neque diſcipulis, qui de eis ſcripſere, eſt credendum? Ita auffertur Fides rerum multarum antiquarum, quas ſapientiſſimè quique credunt. 31

Idem infert S. D. cum D. Auguſt. *lib.* 32. *contra Fauſtum, c.* 16. *&* 21. *lib.* 33. *cap.* 7. contra Manichæos inſipientes, qui negabant Euangelia, quia ab Apoſtolis contexta; & tamen allegabant pro ſe teſtimonia ex Euangeliis Chriſti. Si totius antiquitatis conteſtatio non ſufficit, vt credamus, ſicuti hucvſque creditum eſt, Euangelia ab Apoſtolis compoſita; iam omnium fere librorum fides pereat, neceſſe eſt. Siquidem Hippocratis, Platonis, Ariſtotel. Ciceronis volumina, vndenam conſtat eſſe ipſorum? Quibus argumentis vtitur & Bellarminus *loc. cit.* Vide D. Bonau. mirà ibi dicentem.

Probat verò S. Bonau. *in Ioan. loc. cit.* argumento S. Auguſt *lib.* 32. *contra Fauſtum, c.* 3. *tom* 6. admittendum eſſe totum Teſtamentum nouum. Scientia illa eſt magis neceſſaria, & admittenda, quæ eſt figurata, atque figurarum impletiua; quàm illa, quæ eſt figurans. Tale eſt Euangelium reſpectu legis veteris. Ergo

Probat ſecundò. Illa ſcientia, quæ eſt ſuppletiua alterius, eſt magis neceſſaria. Talis eſt ſcientia Euangelica, reſpectu legalis, vt dicitur Matth.5. *Non veni ſoluere legem, ſed adimplere.* Ergo.

32 Probatur tertiò argumento S. Auguſt. *lib.* 16. *de ciuit. c.*25. Illa ſcientia eſt magis vt canonica admittenda, quæ propiùs ducit ad finem intentum veræ beatitudinis. Tale eſt nouum Teſtamentum. Ergo. Minor probatur, quia lex ad imperfectum ducebat, promittens vtplurimùm bona temporalia; at nouum Teſtamentum ducit ad beatitudinem æternam.

33 Tandem id probat ex authoritate authoris doctrinæ Euangelicæ, qui eſt Chriſtus. E ſubiecto, qui eſt ipſemet Chriſtus, eiuſque alta myſteria. Ex ratione modi procedendi Euangelij, qui eſt celſior.

Obiicies primò. *Deuter.*4. dicitur: *Non addetis ad verbum, quod ego loquor vobis.* Reſpondet S. Bonau. *proœmio in Ioann.* cum D. Auguſt. *lib.* 16. *de ciuit. c.* 26. Nouum Teſtamentum non eſſe additionem extraneam contra Teſtamentum vetus; ſed reuelationem ad impletionem eius. Ad idem ait S. Bonau. ſpectare id, quod ait Apoſtolus ad Galat. 1. *Si quis euangelizauerit, præterquam quod euangelizatum eſt à me, anathema ſit*; ideſt modo alieno, vt latiùs explicabo *diſp.*3. *q.*2. *ad primum.*

Obiicies ſecundò: Neceſſitas finis impotuit neceſſitatem his, quæ ad finem ſunt: ſed lex vetus ducebat ad finem beatitudinis, vt dicitur Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata.* Ergo.

Reſpondet S. Bonau. legem deducere ad beatitudinem in fide operante per charitatem, & gratiam, quæ datur in Euangelio, vt dicitur *Ioan.*1. Ergo lex Euangelica non eſt ſuperflua.

Quod verò obiicit Eraſmus ex D. Auguſt. *lib.*3. *de conſenſu Euang. c.* 7. aliquando ex inaduertentia nomen vnum pro alio Euangeliſtis calamo delapſum
34 eſſe, vt *Matth.*27. Hieremias, pro Zacharia, falſum eſt; nam vt S. D. ait, id Spiritu ſancto mouente eſt factum, vt dicam *tertia parte, tract. de Incarnatione, diſput.* 38. vbi de venditione Chriſti, *quæſtione* 5.

Reliquum iam eſt, vt libros Scripturæ ſecundi ordinis initio recenſitos, de quibus aliquando dubitatum eſt, Canonicos oſtendamus.

DE LIBRO ESTHER.

Atqvi librum Eſther Canonicum eſſe, teſtantur Concilia, & Pontifices relati initio. Loquuntur autem de libro Eſther, provt antiquitùs legebatur in Eccleſia. Vtebatur autem tunc editione Vulgata, in qua ſunt omnia illa, etiam capita ſeptem vltima, quæ in Hebræo non ſunt inuenta; & ita allegantur illa ſeptem capita à ſanctis PP. relatis à Bellarmino *lib.* 5. *de verbo Dei, cap.* 7. & inter hos eſt etiam S. Bonau. *prologo in primum Sententiarum*, & in multis opuſculis.

Sufficiat decretum Concilij Tridentini *ſeſſ.* 4. vbi definit, accipiendos Libros iſtos cum omnibus ſuis partibus, provt in Eccleſia legi conſueſcunt. Iam verò quis neſcit, feria quarta poſt Dom.2. Quadrageſimæ, lectionem in Miſſa decantari ex capite 13. Eſther, & de eo capite legi in Miſſa contra Paganos? Et rurſum, orationem Eſther, quæ habetur *cap.* 14. recitari Dominica 21. poſt Pent. poſt Euangelium, & Symbolum?

Hinc refellitur opinio quorumdam ante Concil. Tridentinum, & poſt Concilium Sixti Senenſis *lib.*1. & 8. *Biblioth. ſancta*, repellentium vltima ſeptem capita libri Eſther.

35 Obſerua autem primò cum Origene *ep. ad Iulium Africanum*, non ideò refellendos hos libros, quia textus Hebræi ad nos non peruenerint, quia probabile eſt, etiam iſta capita in Hebræo fuiſſe, deinde caſu aliquo excidiſſe. Certè Ioſephus *lib.* 11. *antiquitatis, c.* 6. duas epiſtolas Aſſueri, & Orationem recenſet Mardochæi.

Obſerua ſecundò, partes illas, quæ ſeparatim leguntur, eo quòd non ſint in Hebræo, non eſſe poſtremas, ſed aliquas ad prima capita pertinere, vt probatur tum ex textu Græco, tum ex adnotationibus S. Hieronymi *ad cap. decimum, & vndecimum.* Sic inſidiæ Aſſuero attentatæ ſpectant ad caput ſecundum, & factæ ſunt anno ſeptimo Aſſueri, vt dicitur *cap.*2. non autem anno ſecundo, vt videtur colligi *ex cap.* 11. ſiquidem verba illa *anno ſecundo*, non debent extendi vſque ad inſidiarum narrationem; ſed ſolùm ad ea, quæ eo capite narrantur, ideſt ad ſomnium Mardochæi, ante nuptias Eſther.

Quæ verò aliquam redolent varietatem, pendent ex Chronico Regum Perſarum, de quo tractant Expoſitores, maximè Lyranus. Vide & Bellarminum *c.*7.

DE LIBRO BARVCH.

Librvm Baruch Canonicum negant Caluinus *lib.*3. *c.*10. §. 8. Kemnitius *in exam. quarta ſeſſ. Concilij* 36
Trid. Attamen Canonicum eſſe aſſerimus cum Concilio Trident. *ſeſſ.*4. hunc enim allegant ad authoritatem ſancti Patres. Cyprianus *lib.*2. *contra Iudæos*, & *ſermone de oratione Dominica.* Hilarius *præf. in Pſal.* vbi ponit in Canone epiſtolam Hieremiæ. Cyrillus *lib.*10. *in Iulianum*, Clemens Alex. *lib.* 2. *Pædag. c.*3. Ambroſius *lib.*1. *de fide, c.* 2. Theodoretus exponens hunc librum, *c.* 2. vocat eum diuinam Scripturam. Euſebius *lib.*6. *demonſt. Euang. c.*19.

Cur autem Concilia antiqua non meminerint Baruch, eſt quia continetur ſub opere Hieremiæ, cuius erat notarius. Sic à multis Patribus citatur, & à D. Bonau. imò à Xyſto Papa I. *epiſtola ad fideles*: Felicè IV. *epiſtola ad Petrum Antioch.* Pelagio I. *epiſtola ad Vigilium.* Itaque non poteſt repudiari, quin repudietur Hieremias. Vnde S. Bonau. *in Dieta, tit.*3. *c.*1. ad ea verba capitis 3. *Hic eſt liber mandatorum Dei*; ait, eſſe Scripturam indelebilem, editam in Conſiſtorio ſanctiſſimæ Trinitatis.

DE QVIBVSDAM CAPITIBVS Danielis.

Ivdæi reprobant Hymnum trium puerorum, *cap.*3. 37
hiſtoriam Suſannæ *c.*13. Hiſtoriam Draconis *c.* 14. Conſentiunt Porphyrius *lib.*12. Kemnit. *loc. cit.* & Anabaptiſtæ.

Ea nos recipimus cum S. Concilio Trid. *ſeſſ.* 4. vbi iubet, recipi libros provt in Eccleſia leguntur. Sanè Hymnus trium puerorum legitur Sabbatho Quatuor temporum, & in Laudibus feſtorum. Hiſtoria Suſannæ legitur Sabatho ante Dominicam quartam Quadrageſimæ. Hiſtoria Draconis legitur in Miſſa feriæ tertiæ poſt Dominicam quintam Quadrageſimæ. Et hoc fiebat etiam ante annos 1200. vt Ruffinus teſtatur *lib.*2. *aduerſus Hieronymum.*

Probatur etiam teſtimoniis Patrum. Ignatius *epiſtola ad Magneſianos*, citat hiſtoriam Suſannæ *ex cap.* 13. *Danielis.* Eandem citat Tertullianus *lib. de corona militis.* Cyprianus de oratione Dominica producit Hymnum trium puerorum, ac dicit Scripturam eſſe diuinam. Idem habet *ſerm. de Lapſis*: *lib.* 1. *ep.* 8. adducit hiſtoriam Suſannæ: *lib.* 4. *ep.* 6. hiſtoriam Draconis: & eandem *lib.* 3. *epiſtola* 1. *lib.*1. *ep.*4. & *ſerm.*

ſerm. de oratione Dominica, citat hiſtoriam prandij allati ab Habacuch. D. Baſilius *lib. de Spiritu ſancto, c.*30. Epiphanius *in Ancorato*, Chryſuſtomus *homil.*4. *ad populum*, citant Hymnum, vel hiſtoriam trium puerorum. Is *ſerm. de tribus pueris*, *ac ſermone de Suſanna*, vocat Scripturam diuinam. Theodoretus *in comment. Danielis*, hæc etiam amplectitur, vt partes. Amb. *lib.*3. *de Spiritu ſancto*, *c.*7. hiſtoriam Suſannæ vocat Scripturam diuinam, vt ſunt aliæ partes eiuſdem Prophetæ.

D. Auguſtinus *de natura boni*, *c.*16. vtitur Hymno trium puerorum ad redarguendos Manichæos, & probandum res corporeas eſſe bonas; ibi enim lux, & tenebræ laudant Deum. Epiſtola 121. citat orationem Azariæ in Fornace: & *tract.*36. *in Ioannem*, adducit hiſtoriam Suſannæ.

Origenes *homil.* 1. *in Leuit.* & *epiſtola ad Iulium Africanum*, has partes defendit. Athanaſius *in Synopſi*, eas partes allegat non rarò, & D. Bonau. *in opuſculis*.

Præterea credibile eſt, vetera Concilia, Laodicenum, & Carthaginenſe tertium, & priſcos Patres, qui Græcâ editione vtebantur, cumque Librum Danielis Scripturam Sacram aſſerunt, loqui de codice, qui in vulgatis Græcis habebatur. In Græcis autem omnes iſtæ partes habebantur, vt ex ſynopſi Athanaſij, & commentario Theodoreti colligitur, & ex præfatione Hieronymi *in Danielem*.

Obſerua autem, illas partes vocari nullius fidei, & fabulas à Diuo Hieronymo *in præfatione Danielis*, & *præf. commentary in Danielem*; ſed ipſe reſpondet *apologia in Ruffinum*, ſe dixiſſe ibi, quid Iudæi dictitent, non quid ipſe ſentiat. Idem colligitur ex eius præfatione in Danielem.

DE LIBRO TOBIÆ.

38 IVDÆI omnes hunc Librum reiiciunt, vt teſtatur D. Hieronymus *in Prologo Galeato*. Horum ſententiam ſecuti ſunt hæretici horum temporum. Magdeburg. *lib.*1. *centur.*1. *c.*4. *col.*51. Martinus Kemnitius *exam. ſeſſ. quarta Concilij Trident.* qui ſolos libros recipiunt receptos à Iudæis. Ioannes Brentius *in confeſſione Vuirtembergenſi*, *c. de Scriptura ſacra*, eos ſolus recipit, de quibus nunquam eſt dubitatum, qui ſunt ij ſoli, qui à Iudæis recipiuntur. Caluinus *in Antidoto Concilij Trident*, *ſeſſ.*4. hunc librum reſpuit. Denique Lutherus, & Zuinglius *in præfatione Bibliorum*, hunc refellunt.

Hunc tamen Librum in Canone tenemus cum Concilio Carthag. tertio, *can.*47. Tridentino *ſeſſ.*4. Innocentio I. *epiſtola ad Exuperium*. Gelaſio I. *de libris Eccleſiaſticis*, *decreto ſtatuto cum ſeptuaginta Epiſcopis*.

Sanctus Cyprianus *ſermone de eleemoſyna*, ait in hoc locutum Spiritum Sanctum. Calixtus Papa I. *ep.* 2. dicit, eſſe ſacram Scripturam. S. Ambroſius *lib. de Tobia*, *c.*1. librum hunc propheticam ſcripturam eſſe dicit. S Baſilius *oratione de Auaritia*, ſententiam è Tobia deſcriptam, diuinum præceptum appellat. S. Auguſt. *in ſpeculo præfat.* ex canonicis libris ſe ſententias collecturum promittit; nec tamen omittit Tobiam. D. etiam Bonauentura ſæpe hunc librum, tanquam canonicum allegat.

DE LIBRO IVDITH.

39 QVI librum Tobiæ refellunt, reſpuunt etiam hunc. E contra verò, eiſdem teſtimoniis Conciliorum, & Pontificum, quæ primo loco pro Tobiæ libro adduxi, probatur etiam iſte.

Præclarum teſtimonium habemus ex Concilio Nicæno primo, vt teſtatur S. Hieronymus *præfat. in Iudith*; nam quamuis liber iſte aliquando dubius fuerit apud multos, & ita non eſſet definitus canonicus; tamen poſtea ſtatutus eſt à magno Concilio Nicæno, tanquam Fidei diuinæ, vt teſtatur D. Hieronymus. Vnde obſtruitur os Kemnitij, & aliorum ſectariorum, qui arguunt, libros illos, qui initio Eccleſiæ fuere dubij, debere eſſe dubios etiam poſteà. Quod ſi id concedatur, obſecro, cur hi recipiunt alios libros, de quibus anteà dubitatum eſt? Neque dicimus nos, Papam, abſque teſtimoniis fide dignis, ad libitum facere libros Canonicos, etiam fabulas Æſopi, vt Kemnitius attrita fronte latrat. Et quidem de his, qui fuere libri dubij, extitere teſtimonia grauiſſima eorum authoritatis.

Neque verò torqueat aliquem, ſi audiat *cap.* 5. hanc hiſtoriam accidiſſe poſt regreſſum populi è Babylone; & tamen *cap.*1. dici, eo tempore Nabuchodonoſor pugnaſſe contra Arphaxat Regem Medorum; cum tamen in regreſſu populi è Babylone, non Nabuchodonoſor Rex Aſſyriorum, ſed Darius, aut Cyrus Aſſyriis, Perſis, ac Medis imperaret.

Reſpondetur enim, hoc eueniſſe poſt reuerſionem Manaſſe è Babylonis captiuitate; quo tempore regnabant Aſſyriorum Reges Niniue, vt probatur 4. *Regum* 19. & *Tobia c.*1. Credibile eſt autem, eum qui hic dicitur Nabuchodonoſor, alio nomine dictum Merodac Baladan, qui fuit etiam Rex Babylonis, & ad ſe traxit Regnum Aſſyriæ. Vide Bellarminum *cap.*12.

DE LIBRO SAPIENTIÆ.

EISDEM hæreticis inuiſus eſt Liber iſte, in quem adeò Caluinus debacchatur *lib.*1. *Inſtit. c.*31. §.8. vt mendacij arguere non timeat. 40

Eſſe autem Canonicum, aſſerimus cum Conciliis Laodiceno, & Carthag. ſuprà citatis; cum Sardicenſi *epiſtola ad omnes Epiſcopos*, cuius meminit Theodoretus *lib.*1. *hiſt. cap.*8. & Toletano ſecundo *cap.*1.

Eundem Librum Canonicum profitentur Patres, Dionyſius *c.*4. *de Diu. nominibus*, Melito Aſianus *ep. ad Oneſimum*, Cyprianus *lib. de habitu virginum*, Cyrillus *lib.*2. *in Iulianum*, Auguſtinus *lib.*1. *de prædeſt. cap.* 14. cuius textum ſubdolè detruncatum affert Kemnitius, ea omittens, quæ fidem faciunt.

Adde, hunc Librum à toto antiquitatis choro aſſeri Salomonis opus, vt notat D. Bonau. *proœmio in Sapientiam*: ex quo manifeſtè ſequitur eſſe Canonicum: quod aſſertum deſumpſit S. Bonau. ex Euſebio *lib.* 4. *hiſt. cap.* 22. Id aſſerunt Egeſippus, & Irenæus apud eundem: Tertullianus *de præſcript.* Cyprianus *ſerm. de mortalitate*, Hilarius *in pſal.*127. Ambroſius *ſerm.*8. *in pſal.* 118. Baſilius *lib.*5. *con. Eunomium*, Epiphanius *hæreſi Anomæorum*.

Aduertit verò S. Bonau. ex Hieronymo *præfat. in lib. Salomonis*, hunc librum putari à multis eſſe Philonis; nam Philo quidem compilauit has ſententias, quæ verè Salomonis ſunt, vt patet *ex cap.*9. vbi Auctor loquitur: *Tu elegiſti me Regem populo tuo, & dixiſti me ædificare templum in monte ſancto tuo*; vt obſeruat D. Bonau. *ibi*, & cum eo Bellarminus *c.*13. Hunc autem Philonem compilatorem, putat Bellarminus eſſe antiquiorem illo, qui tempore Apoſtolorum vixit: at D. Bonau. illum eundem aſſerit, referens Euſebium *lib.*2. *hiſt. c.*5. Nicephorum *lib.*2. *c.*9. qui ſanè à ſapientia dictus eſt *Philo*.

Ioannes Caluinus *lib.*1. *inſtit. c.*11. §.8. falſum ait, quod dicitur *c.* 14. inuentores Idololatriæ fuiſſe eos, qui charis ſuis demortuis ſtatuas erexere, & adorarunt:

jam

iam enim antè, ait, idola erant in vſu, vt refertur in Geneſi de Rachele, quæ furata eſt idola patri; quaſi iam idola eſſent in vſu. At tunc non erant imagines hominum: ergo prima idola non fuere hominum ſimulachra.

Verum falſo nixus fundamento ita loquitur, vt oſtendit ibi D. Bonau. nam ante Rachelem fuere idola, quæ homines repræſentabant, vt refert Sapientia. *Pater primùm dolens filij deperditi mortem, ei ſtatuam erexit.*

Hic videtur fuiſſe Syrophanes Ægyptius opulentiſſimus, qui Filio opes affluentiſſimas coaceruarat; ſed morte peremptum idolo honorauit priuatim: dicitur enim idolum Græcè εἴδωλον, quæ eſt ſpecies doloris. Hic demortui ſibi ſimulachrum in ædibus inſtituit, vt refert S. Fulgentius *lib. 1. Mythologicarum:* at publicè incepit Ninus, demortui patris Beli ſtatuam compingens, & populis adorandam publicè exponens. Fuit autem Belus ante Rachelem, imò ante Abrahamum, vt refert Euſebius *initio Chronica*; & Syrophanes ante Belum. Ex quo etiam conciliatur diuerſitas apparens, quomodo Sapientia dicat, primum idolorum exſtructorem fuiſſe patrem ſculpentem filio erepto imaginem; & tamen primus iduli inuentor dicatur Ninus Filius, idolum Patris exſculpens? Reſpondetur enim, primum fuiſſe Patrem filij ſtatuam adorantem, & hunc cenſeo Syrophanem; ſed hic in ædibus priuatim, vt refert Fulgentius: poſteà inualeſcente vſu priuato, Tyrannos iuſſiſſe hoc, vt indicat Sapientia; Ninum autem Regem, Beli patris idolo publicè honores primùm imperaſſe. Ita indicat etiam Bellarminus *lib. 1. de verbo Dei, c. 13.* ex D. Ambroſio *in primum caput ad Romanos*, ſi ipſe eſt author: & D. Cyrillus *lib. 3. in Iulianum.*

Quod verò Caluinus ait, idola Rachel non fuiſſe imagines hominum, refellitur; nam vox Hebræa habet תְּרָפִים, *Theraphim*, quod ſignificat idolum hominis figuram referens, & quod arte diaboli loquebatur. Idem nomen habetur illius ſimulachri humani, quod Michol poſuit loco Dauidis, 1. *Reg.* 19. Porrò prima idola fuiſſe imagines humanas, teſtantur Cyprianus *lib. de idololatria vanitate, initio*: Chryſoſtomus *homil. 87. in Matth.* Egeſippus apud Hieronymum *lib. de viris illuſtribus*, & alij.

Reſpondetur etiam ſecundò, ſapientiam ponere initium idolorum in morte alicuius cari, quem ſuſcitare in monumentis volebant; nominare verò filium, quia inter omnes, chariſſimus eſt filius vnicus. Ponitur ergo tanquam primum analogatum: & hanc reſponſionem indicat ſecundò S. Bonauentura.

Porrò ſtatua (apud Calepinum *hominis ſimulachrum*) refertur facta non modò *cap. 31. Geneſ.* pro fœdere; ſed etiam *cap. 35.* pro Rachele.

DE LIBRO ECCLESIASTICI.

42 Evm acriter mordet Caluinus *lib. 2. Inſti. cap. 5.* §. 18. & *in Antidoto* ait, fæces indè hauriri; odit enim ſacra dogmata, quæ hinc hauriuntur.

Nos cum Conciliis Laodiceno, & Carthaginenſi allegatis ſuprà, cum Clem. Alex. *lib. 7. ſtromatum*, Cypriano *lib. 3. ep. 9.* Epiphanio *in hæreſi Anomæorum*, Ambroſio *lib. 4. de fide, c. 4.* Auguſt. *lib. ad Oroſium*, Clemente, & Cypriano ſuprà citatis, Xyſto II. *ep. ad Gratum*, Damaſo *ad Epiſcopos Italiæ*, Baſilio *lib. 4. in Eunominum*, Ambroſio *in cap. 7. primæ Corinth.* Hieronymo *in cap. 10. Eccleſiaſt.* Gregorio *lib. 10. Moral. c. 14.* qui hunc librum Salomonis aſtruunt, dicimus eſſe Canonicum; nam de libris Salomonis nunquam dubitatum fuit, quin eſſent Canonici.

Quod verò Epiphanius *loc. cit.* authorem facit Ieſum Sirach, ſicut de libro Sapientiæ dicit D. Auguſt. *lib. 2. de doctrina Chriſtiana, c. 8.* intellige, vt dicebat S. Bonau. fuiſſe compilatorem.

DE LIBRIS MACHABÆORVM.

Libros duos Machabæorum execrantur hæretici. Lutherus *aſſert. art. 37.* Caluinus *lib. 3. Inſtit. c. 5.* §. 8. & alij. 43

Nos cum ſacris Conciliis Laodiceno, & Carthaginenſi tertio ſuprà allegatis, eos Canonicos dicimus, & cum Tridentino *ſeſſ. 4.*

Idem ſentiunt Cyprianus *lib. de exhortatione martyrij, c. 11.* Nazianzenus *orat. de Machabæis*, Ambroſius *lib. 2. de Iob, c. 10.* qui eos honorificè allegant. Item Cyprianus *lib. 1. ep. 3. ad Cornelium*, Iſidurus *lib. 6. etymol. cap. 1.* vocant eoſdem libros Scripturam Diuinam. Et D. Auguſt. *lib. 18. de ciuitate, c. 36.* ait: *Libros Machabæorum, non Iudæi, ſed Eccleſia pro canonicis habet.* Et *lib. 2. contra epiſtolas Gaudentij, c. 53.* idem profitetur.

Obiicit Caluinus, authorem laudare zelum præpoſterum Iudæ, qui ſuffragia obtulit pro his, qui mortui erant in peccato mortali; nam inuenta ſunt eis donaria idolorum.

Reſpondetur, ſuppoſuiſſe piè, eos in morte contritos; ſic enim de fidelibus præſumendum: & hoc ſignat dicens: *Quia conſiderabat, quod hi, qui cum pietate dormitionem acceperant, optimam haberent repoſitam gratiam.* Hæc reſponſio eſt D. Bonauenturæ.

Obiicit ſecundò, authorem petere veniam erratorum.

Reſpondetur, petere veniam nuditatis loquendi, ſicut ferè idem facit Apoſtolus 2. *Corinth.* 11. Reliquas obiectiones vide ſolutas in Bellarmino.

DE QVIBVSDAM PARTIBVS LIBRORVM Marci, Lucæ, Ioannis.

Vltimvm caput Marci antiquitus aliquid habebat ſuſpecti, vt refert S. Hieronymus *ad Hedibiam*: erant enim inſerta verba quædam à Manichæis, vt indicat S. Hieronymus *lib. 2. contra Pelagianos.* 44

Nunc dubium euanuit, & hoc confitentur Beda *in expoſitione*, Gregorius *homil. 21. & 29. in Euang.* Athanaſius *in ſynopſi*, Auguſt. *lib. 3. de conſenſu Euang. cap. 24.* Ipſe etiam Caluinus ſubſcribit *lib. 1. Inſtit. cap. 17. §. 47.*

E XXII. Capite Lucæ, quidam in dubium reuocant ſudorem ſanguineum. Sed Athanaſius *lib. 6. ad Theophilum*, anathema dicit negantibus hoc. Similiter Epiphanius *in Ancorato*, & S. Auguſt. *lib. 3. de conſenſu Euang. cap. 4.* hunc locum Lucæ agnoſcit. Fateor Hieronymum, & Hilarium monere, non in omnibus codicibus ſuo tempore fuiſſe. Hunc locum ex Gloſſa, & D. Gregorio probat S. Bonau. *in commentario.* De hoc dicam *tertia parte, tract. de Incarn. diſp. 38. q. 6.*

In capite VIII. Ioannis, hiſtoriam adulteræ multi refellebant.

Eam tamen agnoſcunt Ammonius Alex. *in ſuo Euangelio Monſt.* Athanaſius *in ſynopſi, in compend. Euangelij Ioannis*, Chryſoſt. *homil. 60. in Ioannem*, Ambroſius *ep. 58. lib. 7.* Hieronymus *lib. 1. contra Pelagium*, Auguſt. *tract. 33. in Ioannem*, qui *lib. 2. de adulterin. coniugiis, cap. 7.* eam hiſtoriam ait ab hoſtibus veræ fidei raſam. Hoc tenebatur aduertere Beza, qui eam negat, & eradendam ait. Refert autem S. Bonau. Chryſoſtomum relinquere hunc locum inexpoſitum, quia humanus merè euentus ſit.

Eraſmus

Eraſmus dubitandum dicit de verbis capitis vltimi epiſtolæ primæ Ioannis: *Tres ſunt, qui teſtimonium dant in cælo.* At ea recipiunt Cyprianus *lib. de ſimplicitate Prælatorum*, Athanaſius *lib. 1. ad Theophylum*, Ioannes Papa II. *ad Valerium*, Hieronymus *prologo Epiſtolarum Canonicarum.*

DE EPISTOLA AD HEBRÆOS.

45 MARCION, teſte D. Hieronymo *Præfat. epiſtola ad Titum*, & Arius, teſte Theodoreto *præfat. in hanc epiſtolam*, eam refelhunt. Eos ſecuti ſunt Lutherus *in prologo ad hanc epiſtolam*, Brentius *in confeſſ. Vvitemberg.* Kemnitius, & Magdeburgenſes *ſuprà*. Caluinus tamen *Inſtit. impreſſa anno* 1554. *cap.* 8. §. 216. eam admittit vt canonicam; dubitat tamen de authore.

Eam tamen canonicam, & Pauli, teſtantur Clemens I. Papa *in epiſtola ad Corinth.* apud Euſebium *lib. 3. cap. 38.* Innocentius I. *epiſtola 3. ad Exuperium*, Gelaſius I. *in Concilio ſeptuaginta Epiſcoporum*: & ponitur in Canone ſacrarum Scripturarum Pauli à Conciliis Laodiceno *can.* 50. Carthag. 3. *can.* 47. Trident. *ſeſſ.* 4. Imò à Concilio Nicæno primo, vt teſtatur D. Th. *hic*, agnoſcitur Pauli, & ab Epheſino primo, & Chalced. approbantibus duodecim capitula Cyrilli, quorum decimum tale eſt: *Pontificem, & Apoſtolum confeſſionis noſtræ factum eſſe Chriſtum, Diuina Scriptura commemorat.* Etiam & ab Arauſicano ſecundo *can. vlt.* vbi dicitur Apoſtoli eſſe, & Scriptura ſacra.

PATRES Græcos, & Latinos huius epiſtolæ receptores reperimus antiquiſſimos; & ſunt Dionyſius Areopagita *epiſt. ad Titum*, Clemens Romanus *ſuprà*, & Clemens Alexandrinus *apud Bellarminum*, Origenes *apud Euſebium*, *lib. 6. cap. 18. hiſt.* & ipſe Euſebius *lib. 3. cap. 3.* Gregorius Nazianzenus *carmine de canon. Scripturæ.* Athanaſius *in ſynopſi*, Epiphanius *hæreſi* 76. E Latinis verò Hilarius *lib. 12. de Trinitate*, Ambroſius *lib. 2. de Cain*, *cap.* 2. Hieronymus *epiſt. ad Dardanum*, Auguſt. *lib. 2. de doctrina Chriſtiana*, *cap.* 8. Ruffinus *in Symbolum.* Hinc habes, falsò dixiſſe Magdeburgenſes: *Prudens vetuſtas de hac epiſtola dubicauit.*

46 Obiiciunt adhuc. Auctor *cap.* 2. ponit ſe in numero eorum, qui ab Apoſtolis conuerſi ſunt, dicens: *Quomodo nos effugiemus, ſi tantam neglexerimus ſalutem, quæ cùm initio cœpiſſet enarrari per Dominum ab eis, qui audierunt, confirmata eſt in nos, conteſtante Deo ſignis, & virtutibus.* At Paulus *Galat.* 1. teſtatur, ſe non accepiſſe ab homine, ſed à Chriſto Euangelium.

Reſpondetur, Apoſtolum recepiſſe doctrinam à Chriſto, vt dicitur *Galat.* 1. ſed miraculis, & virtutibus Apoſtolorum confirmatam, vt dicit *ad Hebræos* 2.

Obiiciunt tertiò. Author huius epiſtolæ probat *cap.* 1. Chriſtum eſſe Filium Dei, ex illis verbis 2. Reg. cap. 7. *Ego ero illi in Patrem*; quæ intelliguntur ad litteram de Salomone. Ex ſolo autem litterali ſenſu eruuntur argumenta firma. Ergo vel iſte author non eſt Paulus, vel non arguit ſolidè.

Reſpondetur ſimiliter argumentari *Rom.* 10. & 1. *Corinth* 9. Igitur argumentum eius eſt ſolidum, quia Hebræi, ad quos ſcribit, ſupponebant Salomonem figuram Chriſti, vt probat S. Auguſt. *de vnitate Eccleſiæ capite* 8.

47 Obiiciunt quartò. Author epiſtolæ pugnat cum doctrina Chriſti, Matth. 11. *Venite ad me omnes*: hic autem excludit eos, qui ſemel peccauerunt, *cap.* 6. & 11. & Eſau non inueniſſe locum pœnitentiæ, aſſerit *cap.* 12.

Reſpondet Bellarminus *cap.* 17. ex D. Bonau. *In 4. diſt. 14. part. 2. quæſt. 2.* id dicere primò, quia viribus humanis non poteſt aliquis reſurgere; imò etiam diuino auxilio ordinario difficilè reſurgunt, qui ex malitia contra Spiritus ſancti illuminationes peccant, vt dicitur etiam *Matth.* 12. quia hi directè reſiſtunt gratiæ.

Reſpondet ſecundò ex eodem D. Bonau. priorem locum capitis 6. vbi dicitur: *Impoſſibile eſt eos, qui ſemel ſunt illuminati, iterum renouari ad pœnitentiam*, exponi à Chryſoſtomo, Theodoreto, Oecumenio, Theophylacto, Anſelmo, Sedulio, & ferè cæteris *ad eum locum*, atque Auguſt. *in fine expoſitionis inchoatæ epiſtolæ ad Rom.* de renouatione ad pœnitentiam, quæ fit in Baptiſmo; non ad eam, quæ fit in reconciliatione poſt Baptiſmum. Quod enim de Baptiſmo loquatur Paulus, ſatis indicant verba illa: *Non rurſum iacientes fundamentum Pœnitentiæ Fidei Baptiſmatum, &c.* Et illa: *Eos, qui ſemel illuminati ſunt.* Nam apud Dionyſium *cap. 2. de Eccl. Hierarchia*, & alios veteres, Baptiſmus dicitur illuminatio, quia eſt ſacramentum Fidei; & ideò dicitur, *rurſum renouari*, quia Baptiſmus eſt renouatio, vt *loco citato* ait S. Auguſt. Denique ea verba: *Rurſum crucifigentes Filium Dei*, id exprimunt; nam in Baptiſmo repræſentamus Chriſti mortem & ſepulturam, vt dicitur *Rom.* 6. & ſicut ſemel Chriſtus mortuus eſt; ita ſemel baptizari poſſumus. Beatus igitur Paulus arguit contra Fidei deſertores, proteſtans, non poſſe per ſecundum Baptiſmum renouari.

Eundem ſenſum habet ſecundus locus, *cap* 10. *Non relinquitur hoſtia pro peccato*, vt notat S. Bonauentura, quia cùm vnum Baptiſma Chriſtus ſanguinis ſui, & mortis ſuæ holocauſto meruerit, iam non relinquitur noua hoſtia pro ſecundo Baptiſmo. 48

Reſpondet ſecundò S. Bonau. *in Confeſſionali*, *cap. 3. particula* 4. voluntariè peccantibus, id eſt in voluntate peccati permanentibus, non relinqui hoſtiam, vt ait Gloſſa.

Ad locum capitis 12. reſpondet Bellarminus ex D. Bonau. *loc. cit. quæſt. 3.* duobus modis non inueniſſe Eſau locum pœnitentiæ. Primò ad recuperandam benedictionem hæreditatis. Secundò apud Deum, quia verè non pœnituit, ſed quærebat vindictam de fratre, vt notat Chryſoſtomus.

Obiiciunt quintò. Author epiſtulæ, *cap.* 9. dicit, in Arca fuiſſe Vrnam, Virgam, & Tabulas; & tamen 3. *Reg. cap.* 8. dicitur, ſolas tabulas in ea fuiſſe. Ergo contradicit Canonicæ Scripturæ.

Reſpondet Bellarminus, Paulum aſſerere in Arca ſuo tempore fuiſſe illas res, etſi potuiſſent tempore Salomonis eſſe ſolæ tabulæ; quod videtur innuere author libr. Regum, dicens: *In Arca autem nil erat aliud, niſi duæ tabulæ.* Quibus verbis innuere videtur, fuiſſe ſic tempore Salomonis; ſed ſuo tempore aliquid aliud fuiſſe in illa. Hebræus habet, vt legit Pagninus, אין בארון רק שני לחות. *Non in arca tantùm duæ tabulæ*; nempe quo tempore hæc ſcripta ſunt. 49

DE EPISTOLA IACOBI.

LVTHERVS *in Prol.* Brentius, Kemnitius, & Centuriatores hanc epiſtolam reſpuunt. 50

Verùm in canone ponitur vnà cum epiſtolis Petri, Ioannis, & Iudæ, à Conciliis Laodiceno, Carthag. tertio, Florentino, & Tridentino *ſuprà*: ab Innocentio, & Gelaſio ſuprà citatis: ab Origene

homil. 7.

homil.7. in Ioſue, Epiphanio *hereſi* 76. Athanaſio *in Synopſi*, Hieronymo *epiſtola ad Paulinum*, Auguſtino *lib.2. de doctrina Chriſtiana, cap.* 8. Ruffino *in Symbolo*.

Porrò hanc ſpeciatim epiſtolam ad confirmandum dogma affert Concilium Meliuitanum *can.7.* eandem citat D. Dionyſius *cap.4. de diuin. nominibus*, Cyprianus *ad Nouatianum*.

Dolent Lutherani, neceſſitatem operum hîc iniungi: at D. Auguſt. eam defendit *lib. de fide, & operibus, cap.*14. & *in Pſal.*31. vbi probat, non pugnare cum Paulo, qui primam quidem iuſtificationem adſcribit Fidei, ſine operibus, *Rom.*3. Iacobus autem de ea, quâ fit iuſtior, loquutus eſt, vt oſtendam *p.2. tract.5. d.3. quæſt.*11.

DE EPISTOLA IVDÆ.

IAM vidimus eam canonizatam cum Epiſtola Iacobi, & eam allegat S. Dionyſius *ſuprà*, & alij.

Quod verò obiiciunt eâ allegari librum Henoch apocryphum, nil obeſt; nam vt teſtantur B. Hieronymus *in cap.1. ad Titum*, Auguſt. *lib.*15. *de ciu. cap* 23. & *lib.* 18. *cap.*38. & D. Bonau. *in* 4. *d.*28. *quæſt. vlt.* etiam in apocryphis eſt aliquid veri: & hoc Iudam attuliſſe aiunt, nec tamen totum librum approbaſſe, ſicuti & Paulus *Actorum* 7. 1. *Corinth.* 1. *ad Titum* 1. profert teſtimonium ex Ethnicis Poëtis, Arato, Menandro, & Epimenide; nec tamen Poëtas illos conſecrauit.

DE EPISTOLA SECVNDA PETRI.

51 EAM iam vidimus canone ſacratam: & citatur eius nomine ab Hygino Papa *epiſt.*2. Gregorio *in Ezech. homil.*18. & aliis paſſim, & confirmatur; nam meminit Transfigurationis Chriſti à ſe viſæ.

DE EPISTOLA SECVNDA, ET TERTIA Ioannis.

VTRAMQVE iam canone ſacratam vidimus: & præterea ſeconda citatur à Cypriano *lib.2. ſent.* & Concilio Carth. & tertia etiam à Dionyſio, *cap.3. cœleſtis Hierarchiæ*.

DE APOCALYPSI.

52 MARCIONISTÆ apud Tertullianum *lib.4. contra Marcionem*; Alogiani, & Theodotiani, teſte Epiphanio *hereſi* 51. *&* 54. reſpuebant hunc librum. Ex nouis Lutherus *in prol.* dicit, ſe in eo aliquid deſiderare, cùm eos dicat beatos, qui ſeruant verba libri, qui tamen reconditus eſt. In præfatione verò antiquiore Teſtamenti noui hunc reſpuit, cui ſubſcribunt Brentius, & Kemnitius.

Attamen Canonicam dicimus cum Conciliis Ancyrano *can. vlt.* Carthag. tertio *can* 47. Romano ſub Gelaſio I. & Toletano 4. *can.*16. Idem ex Patribus Græcis, & Latinis habetur, quos refert Bellarminus *cap.*19. tametſi Caius neget, & aliqui Græci dubitarint.

Ad Lutherum dico, multa ibi haberi clara, & ideò ſeruari poſſe.

DE LIBRIS APOCRYPHIS.

53 APOCRYPHVM ſignificat occultum. Eccleſiaſtici ſcriptores, non eodem modo libros apocryphos accipiunt. Aliqui enim eos ſic vocant, qui incerti ſunt, an ſint diuini. Ita Hieronymus *in prol. Galeato*; alij eos ſic vocant, qui habent admixtos errores. Ita Origenes *homil.* 1. *in Cant.* Hieronymus *ad Lætam*, Auguſtinus 15. *de ciuitate, cap.*23.

Enumerantur multi libri apocryphi à Gelaſio, vt habetur *diſt.*15. *can. Sancta Romana*, ab Innocentio I. *epiſtola tertia*. Vide Bouerium *dem.* 5. *Symb.*

Ex his, qui extant, ſunt Oratio Manaſſe, quæ nectitur libris Paralipomenon: & Pſalmus 151. Appendix libri Iob: libri tertius, & quartus Machabæorum: ſimiliter tertius, & quartus Eſdræ.

Nota, apud Clementem *can.*84. *Apoſtolorum*, recenſeri tertium Machabæorum inter canonicos.

Verùm aduertit Zephyrinus Papa *epiſtola* 1. ſolùm ſeptuaginta fuiſſe canones Apoſtolorum. Hinc propter multos additos Gelaſius poſuit eos inter apocrypha. Vide Bellarminum *cap.*20. *lib.*1. *de Verbo Dei*. Bouer. *loc. cit.* Scias etiam in Libris apocryphis multa eſſe vera, vt monet S. D. *in* 4. *d.* 28. *q. vlt. in corporis calce*.

An editio Hebraica originaria extet.

QVÆSTIO TERTIA.

PRIMO aliqui dixere, editionem originalem 54
Moyſis, & Prophetarum, combuſtam in captiuitate Babylonica, ſed poſtea ab Eſdra contextam. Ita videtur ſentire Baſilius *ad Chilonem*, & alij. Nituntur ſolo teſtimonio 4. *Eſdræ, cap.*14. apocrypho.

SECVNDA ſententia eſt, Eſdram reſtituiſſe libros ſacros, non iterum contexendo, ſed ordinando libros collectos, & aliquos errores illapſos abſtuliſſe. Ita Theodoretus *in pſal.* Irenæus *lib.*3. *c.*25. Tertullianus *lib. de habitu mulierum*, & Clemens *lib.* 1. *ſtromatum*.

B. Hieronymus *in prol. Galeato* ait, Eſdram inueniſſe nouas litteras Hebraïcas; de noua autem editione Eſdræ nil aſſerit, vt videatur, nouam non eſſe Eſdræ editionem. Idem videtur tenere S. Bonau. *præf. in pſal.* & *ad pſal.*118. Addit verò Seraphicus Doctor, litteras ab Eſdra inuentas, non ſcribi à ſiniſtra ad dextram, vt fertur in Gloſſis *ad prol. D. Hieronymi*; ſed more aliarum Hebraïcarum, à dextra ad ſiniſtram: ſic enim aduertit, etiam nunc ſcribere Hebræos. Verùm res ita ſe habet. Cùm antea ſolis vigintiduabus conſonantibus vterentur, à Moyſe deſcriptis, è quibus aliquæ (cùm ſingulæ pro pluribus vocalibus deſeruirent) incertè ſignificabant; Eſdras inuenit decem puncta, quæ vocales litteras reddunt, quinque breues, & reliquas longas. Hæc ſanè puncta non habent figuram Hebraïcorum characterum ſiniſtrorum, ſed tantùm ſequuntur modum legendi Hebraicum: & hoc voluere forſan Gloſſæ. Quamuis Bellarminus in Grammatica Hebræa, *cap.*2. probabilius cenſeat, inuenta puncta poſt Chriſti aduentum, anno 476. At Francus ionuit, eſſe coæua litteris ipſis, *lib.*1. *c.* 5. Et quidem 55
Eſdram non dictaſſe nouiter libros ſacros, argumento eſt, quod id feciſſet linguâ Chaldæâ, quæ poſt captiuitatem erat vſui, quáque ſcripti ſunt libri ipſi Eſdræ, & Danielis: at certum eſt, libros ſanctos Hebraïcè ſcriptos; quod probatur ex nominibus ipſis, quæ nunc in Bibliis recipiuntur. Hoc vnicum argumentum apponam. Nomina ſanctorum Patrum, quæ Hebraïca ſunt, & eo pacto adumbrant Chriſtum, vt latè proſequitur

ſequitur S. Bonau. *opuſculo Principium Scripturæ*, & *ad 3. Luca.* Sic Adam, Abel, Noë, quorum nominum etymologia Chriſtum ſignificans, in alia lingua ferè non inuenitur. Igitur ſolùm reparauit Scripturam ſparſam, vt innuit S. Bonauentura *ſerm.14. Hexaemer.*

56 Eam verò linguam, quâ ſcribuntur libri ſacri, primam à Deo fuiſſe inſtitutam, argumento ſolidiſſimo D. Bonauenturæ *loc. cit. opuſc.* conuinco ex honeſtate huius idiomatis, de qua dixi quæſtione præcedenti.

Iam verò quæſtio eſt, an editionis Hebraicæ nunc exiſtentis fons ſit putus, an conſpurcatus.

Hæretici ſectarij, editioni Hebraicè omninò ſtandum aiunt. Ita Caluinus *in Antidoto*, Kemnitius *in in exam.* Georgius Maior *præfatione in Pſalmos.*

Hi tamen ſuo iudicio conuincuntur; nam ſæpè editionem Hebræam falſam conclamant. Sic Caluinus *Inſtit. cap.6. §.11.* vt *Iſaia 9. Hierem.23.* de quibus dicam *tertia Parte, tract. de Incarnatione, diſput.1. quæſt.1.* Aliqui verò Catholici, nimio zelo, textum Hebræum deprauatum clamant à Iudæis, odio Chriſtianorum. Ita Cano *lib.2. cap.13. de locis.*

57 Hoc autem falſum eſſe, probatur argumento Origenis *lib.8. in Iſaiam*, vt refert D. Hieronymus *in 6. Iſaia.* Hæc deprauatio non eſt facta ante Chriſti aduentum. Ideò enim Chriſtus *Matth. 23.* præcepit: *Omnia quæcumque dixerint vobis, ſeruate, & facite*; vt notat D. Bonau. *in 2. diſt.44. art.3. quæſt.2.* quia ea, quæ ad legem veterem ſpectant, erant illibata: quod probat D. Bonau. quia *Ioan. 5.* ait Chriſtus: *Scrutamini Scripturas.* Et Paulus *Rom.1. & 2.* & *2. Corinth. 3.* allegat Prophetas: & Actorum 10. *Huic omnes Prophetæ teſtimonium perhibent.* Nempe quia adhuc fidei veritas erat in eis pura, etiam temporibus poſt Chriſtum.

Probatvr ſecundò, Scripturas non eſſe vniuerſaliter falſatas ab Hebræis, quia in his, quæ eis obſunt, & aduentum Meſſiæ, eiuſque diuinitatem aſtruunt, adhuc incorruptæ ſunt, vt dicam *tertia parte, loco citato.*

58 Probatvr tertiò argumento efficaciſſimo D. Bonau. *opuſculo Principium Scripturæ*; nam vetus, & nouum Teſtamentum inuicem correſpondent, ita vt ſit veluti rota in medio rotæ, ſicut vidit Ezechiel primo, cùm vidit quatuor animalia ſignificantia quatuor Euangelia. Igitur nouum Teſtamentum eſt expoſitio ſpiritualis antiqui. Quare ſingulari Dei prouidentiâ, quæ vult nouum Teſtamentum manere incorruptum, quod dependet à veteri in multis figuris, & vaticiniis; credendum eſt ſeruatum vetus in eſſentialibus incorruptum. Hinc (ait D. Bonau.) *Apoc.22.* fluuius ille egrediens è ſede Dei, erat cryſtallinus, quia fons Scripturarum adhuc ſuam retinet certitudinem perſpicuam, vt myſteria è cælo deriuata nobis communicentur.

Non nego tamen, aliquos irrepſiſſe errores in textus Hebræos, vel culpâ librariorum, vel ignorantiâ Rabbinorum, qui puncta immutant; vel ex litteris Hebraïcis, maximè in ſimilibus, vnam pro alia nonnunquam aſſumentes, in quibus facile eſt errare.

De Editionibus cæteris peregrinis.

QVÆSTIO QVARTA.

Offert ſe primò Chaldaïca editio, quâ ſcripti ſunt libri Tobiæ, & Iudith, & ex parte libri Eſdræ, & Danielis. Præterea tota Scriptura vetus tranſlata eſt paraphraſticè ex Hebræo in Chaldæum, quam paraphraſim ipſi Targum vocant.

Hæ paraphraſticæ tranſlationes magnæ ſunt apud Iudæos authoritatis, & idcircò nobis vtiles, vt illis conuincamus Hebræos. Apud nos verò ſunt paruæ auctoritatis; nam eâ exceptâ Pentateuchi, quam dicunt eſſe Onkeli, ſunt fabulis plenæ.

Sequitur editio Syriaca. Eſt autem Syriaca lingua proles Hebraïcæ, & Chaldaïcæ, quas intermixtas habuere Iudæi è Chaldæa reuerſi in Syriam.

E Testamento antiquo nullus liber à primo auctore eſt Syriacè conſcriptus: è Teſtamento autem nouo probabile eſt, Euangelium Matthæi, & Epiſtolam ad Hebræos, Syriacè ſcripta, vt probat Albertus Vvitmeſtadius. 59

Seqvvntvr editiones Græcæ, è quibus prima eſt Septuaginta Seniorum, iuſſu Ptolomæi Philadelphi; vt ſcribit Ariſtæus, qui editioni affuit. Ioſephus *lib.12. antiq. cap.2.* Philo *lib.2. de vita Moyſis*, Tertullianus *in apol. cap.18.* Athanaſius *in ſynopſi*, Epiphanius *de menſuris*; qui dicit fuiſſe anno ducenteſimo nonageſimo primo ante Chriſti natalia. 60

Hi verterunt totum Teſtamentum, vt ſcribunt Iuſtinus *dialogo in Tryphonem*, Irenæus *lib.3. cap.25.* Clemens Alex. *lib.1. ſtrom.* Epiphanius *ſuprà*, Euſebius *lib.8. cap.1. præpar.* Sic Apoſtoli vſi ſunt Græca verſione in eis citandis, quo tempore ſola verſio Septuaginta extabat.

Et hoc voluit dicere Ariſtæus *loc. cit.* cùm ait, eos traduxiſſe Legem. Sic enim ſolet à lege totum Teſtamentum nominari, vt patet, & frequenter loquitur S. Bonau. *locis ſuprà allegatis.*

Hi igitur congregati apud Pharum Ægypti, ſiue in cellulis ſeparatim, vt aliqui volunt; ſiue in eadem Baſilica, ſpatio ſeptuagintaduorum dierum Scripturam ex Hebræo in Græcum tranſtulerunt. Et quidem id omnes ſimul congregatos præſtitiſſe, narrat Ariſtæus, qui affuit.

Eos verò Spiritu ſancto afflante, hoc opus præſtitiſſe, docent communiter Patres. Scio, ſanctum Hieronymum aliquando reprehendere hanc verſionem; ſed non vt facta eſt à Septuaginta Senibus, ſed vt viciata eſt: ſic *præf.2. in Paral.* teſtatur, eos Spiritu ſancto afflante locutos

Extare autem editionem illam, conſtat ex allegationibus Patrum, quas adhuc habemus; attamen violatam teſtatur D. Hieronymus *præf. in Paralip. in Eſdram, & alibi.*

Extant etiam aliæ editiones Græcæ. Prima Aquilæ Pontici, ſub Adriano Imperatore. Fuit autem Aquila primò Gentilis, deinde Chriſtianus, mox ab Eccleſia pulſus, tanquam ſuperſtitioſus iudiciarius. 61

Secvnda Theodotionis, Commodo Imperatore. Hic ex hæretico Marcioniſta Iudæus proſelytus factus eſt.

Tertia Symmachi, tempore Seueri. Fuit autem Symmachus primò Ebioniſta, deinde ſe Iudæis adiunxit, & iterum circumciſus eſt.

6 Qvarta

QVARTA Origenis, quæ eo tempore approbatiſſima fuit. Alias vide in Bellarmino *lib.2. cap 5.*

Reliquum eſt, vt editionem Græcam Teſtamenti noui recenſeamus. Et quidem omnes Apoſtuli, & Euangeliſtæ, qui titulo numina ſua apponunt, Græcè ſcripſeruot, excepto Matthæo, & Marco, & Paulo ad Hebræos.

Græcos autem codices aliquo in loco eſſe corruptos, conſtat 1. *Corinth.7. & 15. ad Romanos* 12.

De Latinis Editionibus.

QVÆSTIO QVINTA.

INNVMERÆ Latinæ editiones extabant ante tempora D. Hieronymi, vt ſcribit S. Auguſt. *lib.3. Doctrina chriſtiana, cap.*11. & S. Hieronymus *præfatione in Ioſue.*

Vna tamen erat communis, & cæteris præſtantior, quæ vetus, & vulgata dicebatur, vt patet ex D. Gregorio *Præf. in libros Moral. cap.5.* & D. Hieronymo
62 *in cap.14. & 49. Iſaiæ.* Et hæc videtur illa editio Itala, quam D. Auguſt. *lib.2. Doctrinæ Chriſtianæ, cap.15.* omnibus Latinis præfert. Lege Bonerium *demonſtr.5. Symb. art.6.*

Hæc, quam nos habemus, videtur mixta ex illa veteri, & noua, edita à D. Hieronymo, vt ſentiunt Driedo *lib.2. cap.1. de Eccl. dogm.* Sixtus *lib.8. Bibl.* Bellarminus *lib.2. cap.2.* Eâ vſi ſunt antiqui, & Græci, vt refert Sophron. *lib.1. diuin. offic. cap.12.*

Hinc noſtram editionem impugnant hæretici paſſim, Lutherani, & Zuingliani. E Lutheranis Kemnitius, è Zuinglianis Caluinus acriter in quartam ſeſſionem Sanct. Concilij Tridentini inuehuntur, vbi vulgata Canonica definitur, & contra eam examina coaceruant maligna; non antidota, ſed venena coagmentant.

63 VERVM enim verò Scriptura, quâ vtimur, firmiſſimo argumento comprobatur à D. Bonau. *ſerm.9. Hexaëmer.* quo vſum eſt Concilium Trident. nam Eccleſia vniuerſa à temporibus D. Auguſt. & Hieronymi, & multò magis S. Gregorij, eandem lectionem probatur adhibuiſſe; omnes Concionatores eam explanarunt; omnia Concilia ex hac editione teſtimonia protulerunt, ad Fidei dogmata confirmanda, ita vt debuerit Eccleſia, vel totis millibus annis aberrare, cùm tamen ſit columna, & firmamentum veritatis, 1. *Timoth.3.* vel dicendum ſit, hanc eſſe legitimam Scripturam. Imò vrget S. Bonau. etiam è Patribus antiquioribus vſque ad Dionyſium, ex Græcis; & ex Latinis ad primos, Ioſtinum, & Irenæum, ſemper vniformi editione, quoad ſenſum, vſam eſſe Eccleſiam ea lectione concordi. Et ſanè non eſt credendum, Eccleſiam, quam etiam hæretici verum fatentur, tot ſæculis Scripturæ concordiâ caruiſſe; & ex concordi ſanè intelligentia, & lectione ſatis colligitur: ſicuti è regione innumeri, & contrarij ſenſus, qui hoc ſolo, & præcedenti ſæculo inter hæreticos excreuere, falſitatem fidei ſectariæ probant, cùm vna ſit fides. Hanc diuerſitatem deplorat Lutherus *lib. cont. Zuinglium, de veritate Corporis Chriſti in Euchariſtia.*

64 SECTARII obiiciunt Patres, qui ſæpè aduertunt, recurrendum ad editionem Hebraicam pro antiquo Teſtamento; & ad Græcam pro nouo. Ita D. Hieronymus *contra Heluidium*, & *ad Marcellam*, quæ incipit: *Poſt priorem epiſtolam*; & *in cap.8. Zachariæ.* D. Auguſt. *lib.2. de Doctrina Chriſtiana, cap.11. 12. & 15.* & *epiſtola 59. & alibi.* Et quod mirabilius, ipſo iure Pontificio, *diſt.9. can. Vt veterum*, dicitur: *Vt veterum librorum fides de Hebræis voluminibus examinanda eſt, ita nouorum veritas Græci ſermonis normam deſiderat.*

RESPONDETVR, recurrendum ad fontes Hebraïcos, & Græcos. Primò, quando in noſtris codicibus apparet error librariorum. Ita Sap.12. *Ipſum, qui non debet puniri, condemnas; & exteram æſtimas a tua virtute corrigendum*; putat Bellarminus cum Louanienſibus, ſic eſſe: *Ipſum, qui non debet puniri condemnaſſe, exterum putas a tua virtute.* Attamen D. Bonau. *in Commentario*, cum D. Gregorio *lib.3. Moral. cap 11.* priori modo exponit, & aptè, vt patet legenti.

Talem ait Bellarminus eſſe Pſal.41. *Sitiuit anima mea ad Deum fortem viuum*; pro quo antiquitus legebatur, *fontem.* Sic paſſim legit in opuſculis etiam S. Bonau. neque eſt error. Licèt enim in Hebræo habeatur אֵל, quod eſt nomen Dei, ſignificans fortem; tamen præmiſſo, *ſitiuit*, poteſt ſequi nomen Dei, & in metaphora fontis perſiſti, pro ſubiecta materia. Et eò magis, quò ſequitur, *viuum*, ſeiunctum; ſic, ad Deum, ad fortem viuum.

Sic in Miſſali emendato habemus id Ioan.19. *Ac-* 65
cepit eam in ſua; cùm antea diceret, *in ſuam.* Verùm hæc prior lectio fuit Chryſoſtomi peritiſſimi inter Græcos, *homil.84. in Ioan.* poſterior verò D. Auguſt. *tract.119. in Ioannem*, & vtraque apta eſt, vt oſtendit S. Bonau. *in commentario.* Illud etiam emendandum Bellarminus ait, Eccleſiaſtici 24. *Ego quaſi fluuius Doryx.* Ait verò, dicendum *Fluuij*, ex Græco; quia nullus eſt talis fluuius. Tamen S. Bonau. *in proœmio primi Sent.* legit *fluuius*, qui myſterium accinit in nomine, licèt Rabbanus dicat, eſſe fluuium hunc in Armenia. Quod ſi non exiſtit, adhuc in ſingulari ſignificat optimè foſſam à flumine deductam ad irrigandum, & magis conſonat ſingulari *Ego.*

Fateor tamen, aliquando irrepere librariorum incuriâ aliquos errores, vt monet D. Hieronymus *in cap.2. Matth.* Sic loco *Bethleem Iuda*, irrepſit *Iudææ.*

SECVNDO, recurrendum ad fontes Hebraicos, & 66
Græcos, quando Latini codices variant, vt ſtatui nequeat, quæ ſit vera editio vulgata. Sic *Luca* 1. quidam codices habent: *Redemptionem plebis ſuæ*; quidam, *plebi ſuæ*: & hæc videtur verior ex Græco. Et S. Bonauentura, licèt relinquat textum frequentiùs vſitatum *plebis*; tamen aduertit alludere ad illud Pſalmi 110. *Redemptionem miſit populo ſuo.*

TERTIO quando ſenſus in Latino videtur anceps. 67
Sic *Geneſ.3.* id: *Maledicta terra in opere tuo*; poteſt intelligi in opere, ideſt labore tuo, vt intelligit cum multis Patribus S. Bonau. *3.p. Breuil. cap.4.* vel in opere, ideſt peccato tuo; & hoc in Hebræo habetur, vbi legitur *propter te*; ideſt, propter peccatum tuum. Potuit tamen, mutatione litteræ Daleth, in Reſch, quæ ſunt ſimiles, variatio fieri, & legi hoc ſecundo modo.

Ancipitem ait Bellarm. & textum Lucæ 1. *Et in* 68
terra pax hominibus bonæ voluntatis. Sonat enim, aut bonam voluntatem hominum, aut ipſius Dei, vt ſenſus ſit: Pax bonæ voluntatis Dei erga homines; & hunc ſecundum ſenſum è Græco excerpſit: nam εὐδοκία plerumque ſignificat bonam voluntatem Dei erga homines.

Verùm hæc eſt ſubtilitas vitioſa; nam ſic inducit deformitatem hyperbaton in litteram interrumpendo. Quod verò ſubdit de voluntate Dei, oritur ex inconſideratione, voluntatem noſtram bonam, eſſe Dei amantis effectum, vnde metonymiam effectus inducet; tametſi non ſit hoc neceſſarium, nam illud nomen ſolam voluntatem bonam indicat, & ita explicatur à D. Bonau. cum D. Bernardo *ſerm.4. de Nat. Domini.* Sic & pax illa dicitur Dei, *Philip.4.* & ipſe Chriſtus

dicitur

dicitur pax noſtra, *Epheſ.* 2. vt oſtendit S. Bonau. *in commentario.*

69 QVARTO licet recurrere ad fontes, ad energiam, & proprietatem vocabulorum intelligendam. Sic illud Exodi 1. *Ædificauit illis domos*, intelligimus ex Hebraica phraſi, ſignificare fœcunditatem, & filiorum copiam, de quo D. Bonauentura *in* 3. *diſt.* 38. *dub.* 1. & innuit ad Pſalmum 112. in ea verba: *Qui habitare facit ſterilem in domo matrem, &c.* Vbi obſeruat, *habitare in domo*, ſignificare ſicut & ædificare domos, permanens habitaculum, ſtabile etiam ſucceſſioni.

Obiiciunt primò Kemnitius, & alij multa loca, quæ deprauata dicunt in Vulgata.

70 PRIMVS eſt Geneſis 3. *Ipſa conteret caput tuum*; cùm legendum ſit, *Ipſum conteret*, id eſt ſemen eius conteret; ſicuti omnes veteres legunt.

Reſpondetur cum Seraphico Doctore *in* 3. *diſt.* 3. *part.* 1. *artic.* 2. *quæſt.* 1. Sanctos Patres eruditiſſimos legere, *Ipſa*, & exponere de Beata Virgine. Ita Chryſoſtomus *homil.* 17. *in Geneſ.* Auguſt. *lib.* 2. *de Geneſ. contra Manichæos*, *cap.* 18. & *lib.* 11. *de Geneſ. ad litt. cap.* 36. Ambroſius *lib.* 2. *de fuga ſæculi*, *cap.* 7. Gregorius *lib.* 1. *Moral. cap* 38. Claudius Marius Victor *lib.* 1. *in Geneſ.* Alcuinus Auitus *lib.* 3. *carm. cap.* 6. Eucherius, Rupertus, Beda, Rabbanus, Strabus, Lyranus *in hunc locum*, & Bernardus *ſermone* 2. *in Miſſus eſt*; & meritò: nam aliæ editiones habent הוא, *Ipſa*: & ſanè remotis punctis ſonat, *Ipſa.*

Dices, verbum *conteret*, eſt maſculinum: igitur non refertur ad illam.

Reſpondetur, ſæpè verbis generis maſculini coniungi pronomina fœminina. Sic Ruth primo, *verſ.* 8. Eſther primo, *verſ.* 20. Eccl. 12. *verſ.* 15.

71 SECVNDVS locus eſt Geneſis 6. *Cuncta cogitatio cordis intenta eſſet ad malum omni tempore.* Quem locum Kemnitius vult, eſſe corruptum, perſtrepens ad extenuandum peccatum originale, vt habeat: *Figmentum cordis eius tantum malum omni die.*

Reſpondetur cum D. Bonauentura *in* 2. *diſtinct.* 30. *quæſt.* 1. idem ſignificare ſenſum, & cogitationem, non quidem malam in omnibus actibus, ſed pronam ad malum.

72 TERTIVS locus eſt Geneſis 14. *Melchiſedech Rex Salem proferens panem, & vinum; erat enim ſacerdos Dei Altiſſimi.* Vbi ait, nos vertere: *Offerens panem*, vt Miſſam confirmemus.

Reſpondetur, hoc Miſſam confirmare; nec tamen legere *offerens*, vt oſtendam *tertia parte*, *tom.* 1. *tract. de Incarnatione*, *diſp.* 24. *q.* 4. & *tom.* 2. *tract. de Miſſa*, *diſput.* 1. *quæſt.* 1.

73 QVARTVS locus eſt *Numer. vltimo*, vbi nos legimus: *Omnes viri ducent vxores de tribu, & cognatione ſua; & cuncta fœminæ de eadem tribu maritos accipient.* Hunc locum vrget Oſiander *in annotatione ad harm. Euang.* Hoc verò præceptum non fuiſſe à iuſtis ſeruatum, conſtat. Ioſabet enim filia Regis Ioram de tribu Iuda nupſit Ioiadæ Pontifici de tribu Leui, 2. *Paralipomen.* 22. Ruth Moabitis fuit vxor Booz de tribu Iuda, *Ruth* 4. Michol de tribu Beniamin fuit vxor Dauid de tribu Iuda, 1. *Reg.* 18. & Beata Virgo è tribu Iuda, erat cognata Elizabeth de tribu Leui, *Luca* 1.

Reſpondetur, legem eſſe, vt cùm mulier eſt hæres, non poſſit nubere alicui, qui non ſit de tribu ſua; & nullus vir poſſit eam accipere, niſi ſit de eius tribu. Itaque datur lex viris, & mulieribus; ſed tamen propter mulierum bona. Probatur ex fine legis, ne commiſceantur hæreditates; & tranſeant de vna tribu ad aliam. De hoc *tertia parte*, *tomo primo*, *tract. de Incarnatione*, *diſputatione* 28. *quæſt.* 7.

QVINTVS eſt Iob 5. *Voca, ſi quis eſt, qui tibi reſpondeat, & ad aliquem Sanctorum accelera.* Hunc locum deprauatum ait Kemnitius, ad inuocationem Sanctorum tuendam. 74

Reſpondetur, in Hebræo idem haberi. *Voca nunc, ſi eſt reſpondens tibi, & ad aliquem de Sanctis reſpice.*

SEXTVS eſt Eccleſiaſtis 9. *Neſcit homo, an amore dignus ſit, an odio.* Nam Hebræus habet: *Amorem, & odium non eſt ſciens homo, ſed omnia ante faciem ipſorum.* 75

Reſpondet Sanctus Bonauentura *ad eum locum*, aliis etiam roborari. 1. Corinth. 4. *Nihil mihi conſcius ſum, ſed non in hoc iuſtificatus ſum.* Eccleſiaſtici 5. *De propitiato peccato noli eſſe ſine metu*; ſeu de propitiatu peccati, vel propitiatione. Itaque fruſtrà hunc etiam locum obiicit Kemnitius.

SEPTIMVS locus eſt Eccleſiaſtici 16. *Miſericordia faciet locum ſecundùm meritum operum ſuorum.* Græcus enim non ait meritum. 76

Reſpondetur, Græcum habere nomen, quod Latinè ſignificat meritum, vt dicam *parte* 2. *tract. de Gratia*, *diſp.* 4. *quæſt.* 1.

Alia loca friuolè obiicit, quæ ſoluit Bellarminus *cap.* 12.

OCTAVVS eſt Micheæ 5. *Et tu Bethleem Ephrata paruulus es in millibus Iuda; ex te mihi egredietur, qui ſit dominator in Iſraël.* Vbi Oſiander *loc. cit.* vult pro nomine *paruulus*, legendum eſſe *parum eſt*; & imperitum Interpretem non aduertiſſe, Hebræos carere neutro, & pro eo vſurpare maſculinum, vel fœmininum: proinde licèt צעיר, ſit maſculini generis, tamen debere verti in neutro *Parum*; alioqui, quod ſequitur, *ex te mihi egredietur, &c.* non rectè cohæret. 77

Reſpondeo ſic verti à Chaldæo, & Græco, atque Hieronymo. Confirmatur à D. Bonau. *ad* 2. *Luce*, quia Matthæus *cap.* 2. ſic allegat dicens, *minima es*, non *parum eſt*; neque ſemper vtuntur aliis generibus pro neutro. Optimè autem cohærent omnia, ſi præcedentia legantur cum interrogatione, vt legit Matthæus, qui propterea vertit negatiuè: *Nequaquam minima es*; quia legerat *paruula es.*

Alia Caluinus *in Antidoto venenata*, multa è pſalmis obiicit, quæ in noſtra editione ait deprauata legi.

PRIMVS locus eſt Pſalmo 2. *Apprehendite diſciplinam.* Hebræus enim habet: *Oſculamini Filium.* 78

Reſpondetur cum D. Bonauentura, ibi Dauid hortari, vt colamus Filium Dei, & in eo Patrem, & Spiritum ſanctum; & ideò hortari ad charitatem, quæ oſculo exprimitur; & ad diſciplinam, ſeu ad verè ſeruandam legem eius, quia probatio amoris, exhibitio eſt operis. *Spiritus enim ſanctus diſciplinæ effugiet fictum*, vt dicitur *Sap.* 1. Cæterùm vertunt nobiſcum, Chaldæus, Græcus, & omnes veteres Græci, & Latini.

SECVNDVS locus eſt Pſalmo 4. *Filij hominum vſquequò graui corde.* At in Hebræo eſt: *Gloria mea ad ignominiam.* 79

Reſpondetur mutato כ in ב, cum punctis legi nobiſcum: ſic legunt Septuaginta, quorum verſionem omnes Patres Græci, & Latini ſecuti ſunt, ex-

cepto Hieronymo, qui legit *inclyti mei*; quod idem exprimit.

80 Tertivs locus eſt pſal. 131. *Conuerſus in ærumna mea, dum configitur ſpina.* in Hebræo: *Succus meus ſine humore, & vigor meus verſus eſt in ſiccitates æſtiuas.* Deinde eodem pſalmo: *In chamo, & freno maxillas eorum conſtringe.* Vbi Caluinus: *In lupato, & freno ora eorum ad coërcendum.*

Reſpondetur, noſtrum Interpretem tranſtuliſſe de Græco in Latinum, & benè cohærere. Videntur autem Septuaginta paulò aliter legiſſe textum Hebræum, quàm nunc ſe habeat; proinde eſſe errorem ſcribarum Hebræorum.

Alter locus à Septuaginta, à B. Hieronymo *in Pſalterio ad Sophronium*, ab omnibuſque Patribus legitur noſtra verſione; & Hebræa verba, vt nunc habent, poſſunt ſic verti. Et ideò abſque controuerſia ſic legendum ſupponit S. Bonauentura in Dieta, *titul.* 1. *cap.* 8.

81 Qvartvs Pſal. 67. *Qui habitare facit vnius moris in domo.* Caluinus ait legi: *Vnicos in domo.* Et infrà: *Qui habitant in ſepulchris*, legi: *In ſiticuloſo loco.* Et infrà: *Dominus dabit verbum Euangelizantibus virtute multa. Rex virtutum dilecti dilecti, & ſpeciei domus diuidere ſpolia. Si dormiatis inter medios cleros, penna columbæ deargentata, & poſteriora dorſi eius in pallore auri.* Hunc locum præ cæteris vexat Caluinus dicens, nos inuoluere ænigmata, quæ nullus Oedippus ſoluat.

Reſpondetur, non poſſe carpi Interpretem, qui vertit fideliſſimè, quod in Græco reperit, de quo vide S. Bonauenturam præclarè ex parte exponentem. Vide etiam Bellarminum.

82 Qvintvs Pſal. 131. *Viduam eius benedicens*, &c. nam ibi eſt, *Victum.*

Reſpondetur cum D. Bonauentura *in ſpeculo Beatæ Virginis*, *lect.* 15. ita legendum cum Ambroſio, Hilario, Auguſtino, Chryſoſtomo, Proſpero, Caſſiodoro, & aliis. Aſſerit etiam Hilarius, ante Chriſti aduentum *Viduam*, lectum fuiſſe. Hanc autem varietatem aduertere Chryſoſtomus, Hilarius *hic*, Hieronymus *quæſt. in Geneſim*, Caietanus, Titelmanus, & alij: & mentitur Caluinus dicens, neminem id aduertiſſe. Deinde etiam mentitur dicens, aliquem luſcioſum ſacrificulum corrupiſſe; nam hæc varietas ex Græco eſt orta.

Sectarij ſcientes vnitatem Scripturæ ad fidei vnitatem conducere, & ad errores abigendos, varietatem optant, quâ inuehant nouatores ſenſus, & confundant.

83 Multa alia è nouo obiiciunt Teſtamento. Primo Matth. 9. *Non veni vocare iuſtos, ſed peccatores.* Vbi, ait Kemnitius, deeſt in Latino, *ad pœnitentiam.*

Reſpondetur, in quibuſdam codicibus haberi; attamen etiam ſine illis verbis ſatis eſt, & ſubintelligitur.

84 Secvndvs locus eſt: *Spiritus ſanctus ſuggeret vobis omnia, quæcunque dixero vobis.* Ioan. 14. In Græco enim (ait Kemnitius) eſt, *dixi.* Vnde, non poſſe nos deducere præſentiam Spiritus ſancti *in futuro* noſtris Conciliis.

Reſpondet D. Bonauentura ad eum locum, ex D. Auguſt. & aliis Patribus, ſenſum eſſe: Spiritus Sanctus docebit, & ſuggeret, quæ ego nunc dixero vobis; id eſt ea, quæ nunc à me auditis, commemorabit.

85 Tertivs eſt Rom. 1. *Qui prædeſtinatus eſt Filius Dei*; cùm habeatur *declaratus.*

Reſpondetur cum D. Bonauentura *in* 3. *diſt.* 11. *quæſt.* 1. hoc verbum eſſe Theologiæ peculiare, vt ſupponit ex primo Sentent. *diſtinct.* 40. in dubiis litteralibus, & quæſtionibus eius; & *diſtinct.* 47. *dub.* 1. cum D. Dionyſio *cap.* 5. *de diuinis nominibus*; & ſignificat vbique ſtatuere, decernere, non declarare, vt patet *Actorum* 2. 4. 17. *Roman.* 8. *Epheſ.* 1. Et quoniam definitio Dei eſt æterna, ideo Interpres vertit, *prædeſtinatus.* Sic legunt omnes Latini. Irenæus *lib.* 3. *contra Valentinum*, *capite* 32. Hilarius *lib.* 7. *de Trinitate*, Ambroſius, Sedulius, & alij *in hunc locum.* Auguſtinus *lib.* 2. *de prædeſtinatione*, *capite* 15. & *tractat.* 105. *in Ioannem.* Tertullianus *lib. contra Praxeam*, legit, *Definitus.* Tandem Concilium Toletanum vndecimum, *cap.* 1. legit, *Prædeſtinatus.* Neque volumus, Verbum Dei incepiſſe eſſe Filium Dei, vt ſtolidè putat Caluinus; ſed vt homo ille, qui factus eſt ex ſemine Dauid, ſit Filius Dei: quod explicat Auguſtinus, & Concilium Toletanum, & nos 3. *parte*, *tom.* 1. *diſp.* 26. *quæſt.* 3. cum D. Bonauentura 3. *diſtinct.* 7. *artic.* 2. *quæſt.* 1.

Qvartvs eſt *Romanorum* 1. vbi habetur: *Qui cùm iuſtitiam Dei cognouiſſent, non intellexerunt, quoniam qui talia agunt, digni ſunt morte, non ſolùm qui ea faciunt, ſed etiam qui conſentiunt facientibus.* Hunc locum Kemnitius, Valla, Eraſmus, Iacobus Faber, & alij corruptum dicunt. Primò, quia in Græco non habetur illud, *Non intellexerunt*; deinde illud *qui*, cùm dicitur: *Qui ea faciunt.* Deinde videtur falſum, cognouiſſe, & non intellexiſſe. 86

Reſpondetur cum D. Bonauentura *in Speculo animæ*, *capite* 3. *poſt medium*, bonum eſſe noſtrum ſenſum, vt qui conſentit, minùs peccet; & tamen participet de peccato committentis. Græcus verò contrarium ſonat, quod eſt abſonum. Sic nobiſcum legunt Cyprianus *lib.* 1. *epiſtola* 4. Ambroſius, Sedulius, Haymo, Anſelmus, & alij Latini *hic.* Eſychius *lib.* 6. *in Leuit.* Symmachus Papa *in Apologetica contra Anaſtaſium.* Neque repugnat, aliquos cognouiſſe, ſed in praxi non intellexiſſe, obcæcatos paſſionibus.

Qvintvs eſt *Rom.* 4. Vbi dicitur *Abraham non eſſe iuſtificatus ex operibus.* Hic conqueritur Kemnitius, nos addidiſſe *Legis.* 87

Reſpondetur, in noſtris ferè omnibus illud, *Legis*, omitti; ponitur quidem apud D. Ambroſ.

Sextvs eſt Romanorum 11. *Si gratia, non ex operibus; alioqui gratia iam non eſt gratia.* Kemnitius ait, abraſum eſſe: *Si autem ex operibus; non amplius eſt gratia; alioqui opus, iam non eſt opus.* 88

Reſpondetur, haberi quidem in Græcis codicibus quibuſdam, & à Theophylacto exponi; tamen à nullis aliis agnoſci. Imò Eraſmus, ad quem Kemnitius remittit, eam ſuperfluam vocat.

Septimvs eſt Epheſ. 5. *Sacramentum hoc magnum eſt.* Dolet Kemnitius, quia Græcus habet *Myſterium*; nos autem *Sacramentum* ſcribere, vt Matrimonium Sacramentum ponamus. 89

Reſpondetur cum D. Bonauentura *in* 4. *diſt.* 26. *quæſt.* 2. ita legi in Eccleſia; nam ſancti Patres Latini pro eodem cognoſcunt Latinè Sacramentum, quod Græcè myſterium, vt oſtendam 3. *parte*, *tom.* 2. *tract.* 1. *diſput.* 1. *quæſt.* 1.

Octavvs locus ad Hebræos 13. *Talibus hoſtiis promeretur Deus.* Dolet Kemnitius, ſupponi nomen meriti. 90

Reſpondetur,

Reſpondetur, Latinè dici rectè, benè aliquem mereri de aliquo, cui aliquid acceptum facit.

91 Nonvs locus eſt Iacobi 5. *Infirmatur quis in vobis, inducat presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, vngentes eum oleo in nomine Domini: & oratio fidei ſaluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus.* Vbi Kemnitius legendum ait, ἐγερεῖ, *eriget.*

Reſpondetur ex D. Bonau. *in 4. diſt.* 22. effectum alleuiandi oppreſſum morbo, & mœſtitia, rectè exprimi per hæc verba, vt legunt ſancti Patres; & hoc modo indicat, vt textus Græcus, *eriget*: ſic verò oppreſſus mœſtitia dicitur alleuiari, imò aliquid ampliùs ſignificat *erigi.* Vnde Catholici non vertetunt *alleuiabit*, ad Sacramentum Extremæ vnctionis amplificandum, vt malè ſectarij intelligunt.

De editionibus Scripturæ vulgaribus.

QVÆSTIO SEXTA.

Hæretici prætendunt, Scripturam imprimendam linguâ vulgari vernaculâ cuique regioni, & omnibus concedendam. Ita Brentius *in confeſſ. Virtemb. c. de horis canonicis*, Caluinus *lib.3. Inſtit. c.20. §. 33.* Kemnitius *in exam. quarta ſeſſ.* & idem alij ſectarij volunt.

At Eccleſia concedit quidem lectionem Bibliorum vulgarium his, qui vtiliter poſſunt ediſcere, vt patet ex Indice librorum prohibitorum, Regulâ quartâ; & Concilio Trident. *ſeſſ.22. c.8. & can.9.* Prohibetur tamen, ne omnibus in Eccleſia vulgari idiomate legatur, aut canatur: ſed vult, contenti ſimus illis tribus linguis, quibus primò editæ ſunt Scripturæ, quibuſque etiam Pilatus Chriſtum expoſuit, vt docet etiam D. Hilarius *præf. in Pſalmos*, & indicat S. Bonauentura *ad 19. Ioannis*, & *in collat. eiuſdem capitis.*

92 Assero tamen cum Eccleſia, ſatis prouiſum eſſe, vt Scripturæ his linguis edantur.

Probatvr argumento validiſſimo S Bonau. *opuſculo Principium ſacræ Scripturæ* inſcripto. Scriptura, fidelibus quippè neceſſaria, debet eſſe communicata ſufficienter omnibus, quoad ea, quæ neceſſaria ſunt: at Eccleſia ſatis hoc modo communicat: Ergo. Maior probatur à D. Bonau. ex lege charitatis. Minor probatur ab eo, *Apoc.* 22. vbi fluuius ille, qui à Ioanne viſus eſt, ſignificans Scripturas ſanctas, dicitur è throno Dei, & Agni erupiſſe in terram, & per plateam Eccleſiæ Militantis percurriſſe, vt omnibus eſſent communiſſimæ. Dicunt autem egredi è Throno Dei vetus Teſtamentum; è Throno Agni nouum.

Iam verò ſatis fuiſſe communem Scripturam, etiamſi non eſſet vulgari omnium gentium idiomate deſcripta:

93 Probatvr quidem à tempore Eſdræ. Nam lingua vernacula Iudæorum erat, non Hebraïca, ſed mixta ex Chaldæa, quam adhibuerant Septuaginta annis captiuitatis; & ideò 2. *libro Eſdræ, cap.8.* cùm legeretur Scriptura Hebraïca populo, egebat Interprete Nehemia, Eſdra, & Leuitis, vt eam intelligeret. Ideò enim prudenter eam legebant explicando, vt notat D. Bonauentura ad ea verba pſalmi 118. *Reuela oculos meos, & conſiderabo mirabilia.* Addo alia verba habuiſſe eos à Perſis, inter quos fuerant mixti. Ideò nomen *Gazophylacium*, Perſicum eſſe aduertit S. Bonauentura.

Ita colligitur ex verbis Chriſti, & Euangeliſtarum, v g. *Paſcha*, eſt Syriacum; nam Hebraice diceretur פסח. Sic *Gabbatha*, eſt Syrum. Sic *Talitacumi*, *Golgotha*, & alia. Quod ſi D. Bonauentura *in capite 15. & 19. Ioannis*, vocat hæc nomina Hebræa, intelligit eſſe vernacula Hebræa, hoc eſt Syriaca. Sic loquuntur etiam alij Patres apud Bellarminum *lib. 2. de Verbo Dei.*

Colligitur etiam ex ſeptimo Ioannis, vbi dicitur: *Turba hæc, quæ non nouit legem.* Vbi adnotauit S. Bonauentura, multos non intellexiſſe legem: ſignum ergo, fuiſſe illis peregrinam linguam Scripturæ.

Similiter Scriptura noua, è Thronò Agni emanans, edita eſt ſolùm Græcè. & Latinè; & epiſtola ad Hebræos forſan, & Matthæi Euangelium Hebraïcè; cùm tamen Apoſtoli in toto orbe Eccleſiam fundauerint, vt dicitur *Rom.* 10 *Coloſſ.* 1. & *Marci vltimo*: & refert Irenæus *lib.1. cap.* 3. Nullum autem extat veſtigium Scripturæ nouæ editæ aliis linguis, quæ tamen plurimæ erant, vt dixère Iudæi ex orbis prouinciis congregati Hieroſolymis in Pentecoſte, *Actorum* 2.

Probatvr deinde ex vſu Eccleſiæ communi, contra quem inſurgere, inſolentiſſimæ inſaniæ eſt, vt ait S. Auguſt. *epiſt.* 118. Vniuerſa porrò Eccleſia ſemper his tantùm linguis vſa eſt in publico vſu Scripturarum; cùm tamen iam deſierint eſſe vulgares. Ita docet D. Auguſtinus *lib. 2. de doctrina Chriſtiana, cap.* 11. harum tantùm linguarum cognitionem neceſſariam eſſe, ad intelligendas Scripturas. 94

Igitur ſaltem primis 400. annis, quando ſectarij concedunt fuiſſe veram Eccleſiam, non legebatur Scriptura linguâ vulgari. Erat autem Græca editio in toto Oriente vſitata, vt teſtatur Sanctus Hieronymus *præfatione in Paralip.* & tamen variæ erant linguæ vernaculæ tot nationum. Similiter in Africa; dum ibi fuere Chriſtiani, ſemper fuit Scriptura editionis Latinæ, vt colligitur ex D. Auguſtino *lib. de doctrina Chriſtiana, cap.* 13. & *de Bono perſeuerantiæ, cap.*13. & Cypriano *de oratione Dominica.*

In florentiſſimo Galliæ Regno, Eccleſiæ ſanctæ, ac Chriſti primogenito, Scripturæ Latino idiomate adhibitæ ſunt, quando Gallis non erat lingua Latina vulgaris, vt colligitur ex Albino Alcuino Magni Caroli Magiſtro, *lib. de Diu. Offic.* & Amalario *de Offic. Eccl.* Iam verò ante hunc, Franci Gallias adepti proprium idioma habebant, vt indicat D. Hieron. *in vita Hilarionis*, & *præfat. lib.2. in ep. ad Galat.*

In Hiſpania idem ſeruatum eſt, vt teſtatur D. Iſidorus *de Diuin. Offic.* & Concilium Toletanum quartum *cap.* 2. ante annos 960. celebratum. Et tamen ante 1100. annos à Romano Imperio ſeparata, ſubiecta fuit Gothis, & Mauris diuerſi idiomatis, vt de Gothis docet Hieronymus *ad Suniam, & Fretellam.*

In Anglia teſtatur Beda *lib. 1. hiſt. ſuæ gentis*, quatuor fuiſſe linguas vulgares; tamen Latinam fuiſſe communem omnibus, ob ſcripturas ſanctas, quibus omnes vtebantur. Idem poſteà ſeruatum ait Vualdenſ. *tom.3. de ſacr. tit.3.*

In Germania idem teſtatur Raban. Epiſc. Moguntin. *lib. 2. de inſtit. Cler.* Rupert. *lib. 1. de diu. offic.* Germanis verò Latinum idioma nunquam fuiſſe germanum, monet D. Hieron. *ad Suniam*, & patet.

Denique in Italia claret; nam Ordo Romanus Diu. Officij idem eſt nunc, qui Eccleſiâ infante fuit. Hinc Iſidorus *lib.1. de off. c.15.* aſtruit à D. Petro exorſum hunc Officiorum ordinem, quo vtitur Romana Eccleſia. Eum auxit Gelaſ. Pont. vt habes *in decreto, diſt. 1. can. ſancta Romana*: & D. Greg. *lib. Sacramentorum.* Certum eſt autem, à quingentis annis deſiiſſe in Italia linguæ Latinæ vſum in populis, vt narrat *lib. 2. de geſt. Friderici, c. 70.* Radeuicus, qui anno 1670. florebat.

Porrò tria illa idiomata, Hebraicum, Græcum, & Latinum, ſatis fuiſſe ad nomen Chriſti mundo euulgandum, colligit S. D. *ad 19. Ioan.* & *collat. 84. eius,* è facto Romani Præſidis, qui Imperatoris authoritate, *Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum*, cruci inſcripſit, vt omnibus innoteſceret. Hoc verò Deo iubente præſtitiſſe, probat è D. Auguſt. *tr. 117. in Ioannem.* In Paſcha quidem variæ gentes eò conueniebant.

95 Accedat argumentum D. Bonauenturæ: Nam conuenit omninò Eccleſiæ vnitati, vt vſus Scripturæ ſit in aliqua lingua communiſſima, vt ſtet communicatio Eccleſiarum, vt fiant Concilia generalia, & Patres in doctrinarum communicatione vniformes conueniant communicantes, vt arguit Seraphicus Doctor etiam *ſerm. 9. Hexaëmer.* Hæc eſt ratio, cur Apoſtoli omnia ferè Græco idiomate ſcripſerint, quia tunc lingua Græca erat omnium communiſſima, vt Marcus Tullius teſtatur *oratione pro Archia*, dicens: *Græca leguntur in omnibus ferè gentibus: Latina ſuis finibus exiguis ſanè continentur.* Deinde autem conuerſæ ſunt Scripturæ in Latinam, quia creſcente imperio Romano, deſiit Græca lingua eſſe communis in Occidente, vbi nunc etiam ſola communis eſt Latina, è receſſiis.

Adde, Scripturam in lingua vulgari non fore intelligendam, ſed inde ſcandala naſcitura, ſi Cantica, ſi Oſeam, ſi facinora deſcripta legerent. Neque decet, omnes abſque delectu ſcripturas tractare, vt admonet S. Hieronymus *ad Paulinum de ſtudio ſcripturarum,* dicens: *Quod Medicorum eſt, promittunt Medici; tractant fabrilia fabri; ſola ſcripturarum ars eſt, quam ſibi paſſim omnes vendicant. Scribimus indocti, doctique poemata paſſim; hanc garrula anus, hanc delirus ſenex, hanc ſophiſta verboſus, hanc vniuerſi præſumunt, lacerant, docent antequàm diſcant.* Hinc D. Baſilius reprehendit quendam aulicum, qui aliquid de ſcripturis attulit, his verbis: *Tuum eſt de pulmentis cogitare, non dogmata diuina decoquere*; vt refert Theodoretus *lib. 4. hiſt. cap. 17.*

Hoc maximè vitium inoleuit in Germania, & Rhetia, vbi audiui agricolas, agaſones, mulierculas velle de Scriptura diſputare, loca interpretari.

Obiiciunt primò illud 1. *Corinth.* 14. vbi Apoſtolus docet, publicas Eccleſiæ orationes facien-
96 das linguâ vulgari; ſic enim ait: *Etenim ſi incertam vocem det tuba, quis parabit ſe ad bellum? Ita & vos per linguam, niſi manifeſtum ſermonem dederitis, quomodo ſcietur id, quod dicitur? Eritis enim in aëra loquentes.* Et infrà: *Si orem linguâ, ſpiritus meus orat; mens autem mea ſine fructu eſt. Quid ergo? Orabo ſpiritu, orabo & mente: pſallam ſpiritu, pſallam & mente. Cæterùm, ſi benedixeris ſpiritu; qui ſupplet locum idiota, quomodo dicet Amen, ſuper tuam benedictionem? quoniam quid dicas, neſcit.*

Reſpondetur, agi magna ex parte hîc de collationibus ſpiritualibus, in quibus duo, vel tres deſtinati erant ad loquendum, quos Prophetas appellat, vt exponunt multi Patres. De reliquo agit de canticis ſpiritualibus, quæ Chriſtiani componebant ad laudandum Deum, & ſubleuandos animos, vt vſui erat in Eccleſia, ex Euſebio *lib. 2. hiſt. cap. 17.* Dionyſio *cap. 3. de Diuinis nominibus*, Tertulliano *in apolog. cap. 39.* & ideò Apoſtolus *Epheſ. 5. Coloſſ. 3.* hortatur, vt in pſalmis, hymnis, & canticis ſpiritualibus commoneant ſeipſos: hæc enim volebat fieri linguâ vulgari. Simili modo Dauid 1. *Paralip.* 25. deſtinauit ordinatè aliquos ad canendum muſicis inſtrumentis, qui prophetarent in cytharis, & pſalteriis, & cymbalis, vt innuit S. Bonauentura *de ſex alis Seraphim, cap. 8. circa medium*, vbi affert & vltima verba huius loci Apoſtoli: *Omnia ordinatè fiant.*

Obiiciunt ſecundò: Ex oratione non intellecta fructus non capitur, Iſaiæ 29. Matth. 15. *Populus hic labiis me honorat.* Et prima Corinth. 14. *Si orem linguâ, ſpiritus meus orat; mens autem ſine fructu eſt.*

Reſpondetur negando aſſumptum; orat enim Eccleſia etiam pro his, qui nolunt, nec fruſtrà. Et *Leuit.* 16. præcipitur, vt dum Sacerdos intus oraret pro eo, populus foris ſtaret. Id verò *Matth.* 19. carpit eos, qui ore precantur, ſed corde iniquo. In altero loco ſolùm dicitur minorem fructum haberi, cæteris paribus; at rationes reddunt impar.

An Scriptura ſit per ſe clara; an verò egeat explicatione.

QVÆSTIO SEPTIMA.

Lvtherus *præfatione articulorum*, & *lib. de ſeruo arbitrio*, aſſerit, eſſe Scripturam clariſſimam, nec interpretatione indigere. Addit verò primò, licet alicubi ſit obſcura, tamen alibi ſeipſam explicare: deinde eam reconditam ſuperbis. Subdit Brentius *prologo contra Petrum à Soto,* eam obſcuram ob phraſes alienæ linguæ, id eſt Hebraïcæ, & Græcæ.

Assero tamen, ſcripturas non eſſe claras, vt per ſe poſſint intelligi, etiam à iuſtis.

Probatvr à D. Bonau. *ad pſal.* 118. ex illo: *Re-* 97
uela oculos meos. Vbi Dauid, qui humilis, & ſanctus erat, fatetur ignorantiam. Præcipuè verò id probat illo verſu: *Da mihi intellectum, & ſcrutabor legem tuam.* Vbi ait: *Arduum enim eſt legis ſcrutinium, ad quod non ſufficit humanum ingenium, ſed coëxigitur diuinum beneficium.* Confirmat autem illo Iob 36. *Ecce Deus excelſus, & nullus ei ſimilis in legiſlatoribus. Quis poterit ſcrutari vias eius?* Sic & D. Ambroſ. *ſerm. 8. in pſal.* 118. & *ſerm. 10.* arguit: Si Dauid poſtulat intellectum, quis arrogans? Et ex illo verſu: *Faciem tuam illumina ſuper ſeruum tuum, & doce me iuſtificationes tuas.* Illuminationem verò (ait S. Bonau.) petit expoſitiuam, de qua Eccli. 24. *Doctrinam quaſi antelucanum illumino.*

Quare S. Hieronymus *epiſtola ad Paulinum,* tractans hæc verba, ait: *Si tantus Propheta tenebras ignorantiæ confitetur, quâ nos putas paruulos, & penè lactentes, inſcitia nocte circundari?* Lutherus ipſe *præf. in pſal.* confitetur ingenuè, multa in Scriptura eſſe obſcuriſſima, præſertim in pſalmis.

Centuriatores *centuria prima, cap. 4. col. 52.* fatentur, quod ſenſerunt Apoſtoli, Scripturas non poſſe intelligi ſine Spiritu ſancto, & interprete. Itaque ſubſcribunt rationi allatæ à D. Bonauentura. Et ſanè de Pauli epiſtolis id aſſerit D. Petr. *epiſt. 2. cap. 3.* Iren.

lib. 3.

*lib.*3. *cap.*7. Orig. *in epiſt. ad Rom.* De Apocalypſi ipſe Ioan. De vtroque D. Hier. *epiſt.*13.*&* 103.

Probatvr ſecundò à D. Bonau. *ad vltimum Lucæ,* vbi Chriſtus interpretabatur Scripturas, quæ de ipſo erant, & multas ibi S. Doctor enumerat; & ſubdit 98 cum D. Auguſt. 12. *contra Fauſtum, cap.*7. *tom.*6. multa in eis ænigmatica eſſe, obſcuraque; & Chriſtus non omnia, ſed faciliora quædam afferens, interpretabatur. Certè diſcipuli erant Hebræi, neque profectò ſuperbi.

Probatvr tertiò à D. Bonau. *ad cap.*5. *Ioannis*, vbi Chriſtus ait: *Scrutamini Scripturas*; vbi ponderat ex D. Chryſoſtomo *homil.*40. *in Ioan.* verbum, *Scrutamini*. Ibi verò ait Chryſoſtomus: *Chriſtus Iudæos ad Scripturarum non ſimplicem, & nudam lectionem, ſed ad inueſtigationem perquàm diligentem relegauit. Non dicit, Legite Scripturas; ſed, Scrutamini. Diuina enim ſummâ indigent diligentiâ. In vmbra enim maioribus illis locutus eſt, idcircò effodere profundiùs iubet, vt quæ altè deliteſcunt, inuenire poſſimus. Non enim rem in ſuperficie, & in promptu poſitam effudimus, ſed quæ tanquam theſaurus profundè reconditur. Qui enim huiuſmodi quærit, niſi ſummam adhibeat diligentiam, & laborem, nunquam quæſita inueniet.* En quàm lucidè Chryſoſtomus, quem ferè ſolum nobis obiicere ſolent hæretici, locutus ſit, qui *homil.*3. *de Lazaro*, & *homil.*3. *in ſecundam ad Theſſal.* ad excutiendum torporem aliquorum amplificando ait, poſſe addiſcere Scripturas.

99 Confirmat autem ibi S. Bonau. difficultatem Scripturarum, illo Iob 28. *Profunda fluuiorum ſcrutatus eſt, & abſcondita produxit in lucem.* Quem locum de Scripturis exponit etiam *proœmio primi Sententiarum.*

Probatvr quartò à D. Bonau. opuſculo, cui titulus, *Principium ſacræ Scripturæ*, circa medium, ex D. Gregorio *homil.*6. *in Ezech.* vbi ait: *Sacra eloquia viſioni maris ſimillima narrantur, quia in eis ſunt magna volumina ſententiarum, & cumuli ſenſuum. Niſi enim eam ſimilem mari Propheta cerneret, non diceret Iſaiæ* 11. *Repleta eſt terra ſcientiâ Domini, ſicut aquæ maris operientis.* Vbi ait etiam: *Magnæ vtilitatis eſt ipſa obſcuritas eloquiorum Dei, quia exercet ſenſum, vt fatigatione dilatetur, & exercitatus capiat, quod capere non poteſt otioſus. Habet quoque maius aliud, quia ſi Scripturæ ſacræ intelligentia in cunctis eſſet aperta, viluiſceret, quæ in quibuſdam locis obſcurioribus tantò maiori dulcedine inuenta reficit, quantò maiori labore fatigat animum quæſita.* Sic è D. Auguſt. *de vera Relig. cap.*17. & *epiſt.*119. *cap.*21. Orig. *hom.*27. *Numer.*

Probatvr quintò à Seraphico *loc. cit.* ex D. Auguſt. epiſt. 3. ad Voluſianum: *Tanta eſt Chriſtianarum profunditas litterarum, vt in eis quotidie proficerem, ſi eas ſolas ab ineunte pueritia vſque ad decrepitam ſenectutem maximo otio, ſummo ſtudio, meliore ingenio conarer addiſcere.* Similia habet *epiſtola* 109. *cap.*21. & *lib.*2. *doctrina chriſtiana, cap.*6. vbi aliqua fatetur etiam clara, vt opponunt aduerſarij: *& lib.*12. *confeſſ. cap.*14. Vide & D. Hier. *epiſt.*103. & *ad* 7. *Iſai.* coaſſertorem.

100 Probatvr ſextò à D. Bonau. *loc. cit.* è Scripturis, quæ Scripturas fluminibus, marique comparant ob profunditatem imperſcrutabilem. Ideò comparantur flumini illi, quod in quatuor capita diuiſum irrigat totam terram, *Geneſ.*2. Sic enim Scriptura quatuor ſenſus habet, quibus Eccleſiam alluit. Comparatur fluuio illi rapido è Throno Dei erumpenti, *Danielis* 7. Illi, de quo Iob 22. *Fluuius ſubuertit fundamentum eorum.* Et Pſal. 45. *Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei.* Et Cant. 4. *Fons hortorum, puteus aquarum viuentium, quæ fluunt impetu de Libano.* Sic Ezech. 1. Iſaiæ 11. mari comparatur. Quare D. Ambroſius epiſt. 44. *Mare eſt Scriptura diuina, habens in ſe ſenſus profundos, altitudinem propheticorum ænigmatum.* Similia habent Origenes, Irenæus, & alij apud Bellarminum *lib.*3. *de Verbo Dei, cap.*1.

Multa de hoc mira affert S. Bonau. in ſermonibus Hexaëmeronis, præcipuè octauo, & nono, quos oporteret de verbo tranſcribere. Ibi ſcripturæ abundant, vt flumina redundantia.

Probatvr ſeptimò à S. Doctore *locis adductis*, 101
& *in præf. Pſalterij*, & *proœm. primi Sent.* argumento validо. Duo enim in Scripturis poſſunt conſiderari, nempe res, quæ dicuntur; & modus, quo dicuntur. Si res conſideres, oportet fateri Scripturas obſcuriſſimas; ſiquidem tradunt diuina myſteria de Diuina Trinitate, de Incarnatione Verbi, de Sacramentis cæleſtibus, de natura Angelorum, de operibus Dei, de æterna prædeſtinatione, & reprobatione, deque aliis rebus arcanis, & ſupernaturalibus, quæ non ſine diuino afflatu, magno labore, & ſtudio inueſtigantur. Certè ſi ſcientia Metaphyſica difficillima eſt, quæ de ente in genere agit; difficilior erit Scriptura, quæ de rebus diuinioribus agit. Addit S. Bonau. *proœmio Breuil.* multa in Scripturis eſſe, quæ ſupponunt cognitionem aliarum ſcientiarum, Phyſicæ, Mathematicarum, &c. Ideò *ad Pſal.*118. ad verſum: *Reuela oculos meos, & conſiderabo mirabilia de lege tua*; ait S. Bonau. opus eſſe diuinâ reuelatione, quia mirabilia opera Altiſſimi, & glorioſa, & abſconſa, vt dicitur *Eccli.*11.

Si verò modum conſideres, multa ſunt difficillima (ait S. D. *opuſc. citato.*) Primò, quia apparent non iuſta, vt Ezech. 18. *Patres comederunt vuam acerbam, & dentes filiorum obſtupeſcunt.* Et Exodi 20. *Ego ſum Deus fortis, & zelotes, viſitans iniquitates patrum in filios vſque in tertiam, & quartam generationem.* Cùm tamen Ezechielis *loc. cit.* dicatur: *Filius non portabit iniquitatem patris.* Secundò aliqua recondita, & ambigua, vt illud Ioan. 8. *Principium, qui & loquor vobis.* Hæc ſententia eſt obſcuriſſima, præcipuè in Græco, vbi *Principium* eſt generis fœminini, vt aduertit S. Bonau. *in Commentario*; & eſt caſûs accuſatiui, vt notat Bellarm. *loc. cit.* Vide S. Bonau. *loc. cit.* quàm altè, atque profundè proſequatur huius loci recondita.

Præterea ſunt phraſes reconditæ, ſunt tropi, figuræ abſque numero. Quæ cùm ita ſint, mira eſt aduerſariorum temeritas. His mediis exagitat hæreticos Bellarminus cum D. Bonauentura.

Obiicies primò id Deuter. 30. *Mandatum, quod* 102
ego præcipio tibi hodie, non ſupra te eſt, neque procul poſitum, nec in cælo ſitum, neque trans mare. Itaque ait Brentius, non eſt neceſſe montes peruadere, & ire Romam pro Scripturarum expoſitione.

Reſpondet D. Bonau. *ſerm.*1. *de decem præceptis,* & *in* 2. *diſt.*28. *quæſt.*3. loqui ibi de facilitate obſeruantiæ præceptorum, cum Dei auxilio: quod eſt contra omnes Lutheranos, qui præcepta Dei aſſerunt inobſeruabilia. Ita exponit Tertull. *lib.*4. *contra Marcionem*, Origenes, Ambroſius, Chryſoſtomus, & alij *in cap.*10. *ad Rom.* Auguſt. *lib. de perfectione iuſtitiæ, reſponſione penultima.*

Obiicies ſecundò, *Pſal.*18. dicitur: *Præceptum Do-*
mini lucidum illuminans oculos. Et Pſal. 118. *Lucerna* 103
pedibus meis verbum tuum. Et: *Declaratio ſermonum tuorum illuminat.* Prou. 6. *Mandatum lucerna eſt, & lex lux.*

Reſpondetur cum D. Bonau. *ad Pſal.* 18. & de

 ſeptem

ſeptem donis, de dono conſilÿ cap.4. & 1.*p. cæleſtis Hier.cap.*1. *ante medium*, vocan præceptum Dei lucidum, quia dono cæleſtis gratiæ, vel intellectus perceptum mentem illuminat. Ideò & ſubdit: *Lex Domini immaculata conuertens animas, teſtimonium Domini fidele ſapientiam præſtans paruulis.* Ibi enim conatur oſtendere, Deum quidem è creaturis eius enarrantibus gloriam cognoſci; attamen neceſſarium eſſe diuinum auxilium ad cognitionem, & obſeruantiam eorum, quæ ad ſalutem ſunt neceſſaria.

Similiter dicitur in aliis locis: *Lucerna pedibus verbum Dei*; quia lumine fidei agnitum oſtendit viam, cauet ab offendiculis, & ſcandalis. Vel dic, de præceptis loqui naturalibus, quæ propè nos ſont, & lumine naturæ nota; quibus ſi addas explicationem, ſicuti à Moyſe explicata erant, poterat dici: *Propè eſt ſermo, &c.*

Obiicies tertiò. Apoſtoli ſunt lux mundi, *Matth.*5. Ergo claræ ſunt eorum doctrinæ.

Reſpondet D. Bonau. *in Dieta, tit.*10. *cap.*6. *poſt medium*, vocari lucem, quia luce honeſtæ vitæ illuminant, ardore charitatis inflammant. Secundò reſpondet *opuſc. de ſex alis Seraph. cap.*7. Prælatos Apoſtolos cognitione, diſcretioneque à Deo accepta, ducere ſubditos; ſicuti de Salomone dicitur 3. *Regum* 3.

104 Reſpondet tertiò 1. *p. Eccleſiaſt. Hierarch. cap.*2. *ante medium*, Apoſtolos, & alios ſupremos Eccleſiæ Rectores eſſe veluti Seraphim, qui inferiores ſuo lumine à Deo accepto illuminant, vt ait D. Dionyſius *de cæleſti Hier. cap.*7. Ideò *Philip.*2. ait: *Inter quos lucetis, tanquam luminaria.* Et Dan.12. *Docti fulgebunt ſicut ſplendor firmamenti.* Eodem modo explicat *pars.*4. *de Eccl. Hier. cap.*3. *ſub initio.*

Obiicies quartò 2. Petri 1. *Habemus firmiorem propheticum ſermonem, cui benefacitis attendentes, tanquam lucernæ lucenti in caliginoſo loco.*

Reſpondetur ex D. Bonau. ſuprà, eodem modo ſermonem propheticum eſſe lucernam, quia Dei lumine agnitum illuminat. Addit D. Bonau. *ad* 5. *Ioan.* ad ea verba: *Ille erat lucerna ardens*; nempe, Prophetas eſſe illuminatos, ſcientià tamen ſubobſcuros; quia poſſunt accendi, & extingui, vt ait S. Auguſt. *tract.*23. *in Ioan.*

105 Obiicies quintò 2. *Corinth.*4. vbi dicitur: *Quod ſi opertum eſt Euangelium noſtrum, in iis, qui pereunt, eſt opertum: in quibus Deus huius ſæculi excæcauit oculos infidelium, vt non fulgeat eis illuminatio gloriæ Chriſti.* Igitur fidelibus Scriptura eſt facilis.

Reſpondetur ex D. Bonau. *in* 3. *diſt.*19. *quæſt.*3. loqui Apoſtolum, non de intelligentia Scripturarum, ſed de fide in Chriſti Sacramenta, quæ ſuprà diſtinxerat à Sacramentis veteribus, obſcuris, figuralibus; nunc adimpletis in Incarnatione, & operibus Chriſti, iam nobis prædicatis, & notis. Quoniam verò poterat quis dicere: Si ita eſt, cur tot adhuc non credunt poſt Euangelium promulgatum? Subdit Apoſtolus, quibuſdam eſſe opertum Euangelium, quia prauis ſunt affectionibus obcæcati, de quibus dicitur Ioan.5. *Quomodo vos poteſtis credere, qui gloriam ab inuicem accipitis?* Porrò Deus ſæculi dicitur diabolus, quia Deus infidelium. Ita S. Bonau. cum D. Auguſt. *lib.*21. *contra Fauſtum, cap.*9. & Cyrillus apud Oecumenium.

106 Obiicies ſextò. Hoc eſt diſcrimen noui, à veteri Teſtamento, quòd in nouo aperti ſunt libri Scripturæ, vt dicitur *Apoc.*5. Ideò *velum Templi ſciſſum eſt*, Matth.27. in veteri autem volumen obſignatum datur Ezechieli.

Reſpondet S. Bonau. *loc. cit.* nouum Teſtamentum aperuiſſe libros, quia myſteria Chriſti impleuere antiquas figuras; ideò etiam ruſtici intelligunt myſteria redemptionis, de quibus hîc loquitur Apocalypſis. Ita aduertit *opuſc. cui titulus Faſciculariùs, faſcic.*6. & *opuſc. Incendium amoris, cap.*3. *poſt initium*, vbi myſteria ſeptem præcipua ediſſerit noſtræ Fidei, reuelata Chriſti aduentu. Quoad ſcripturas verò, obſeruat Origenes *homil.*12. *in Exod.* & Hieronymus *ad Paulinum*, adhuc eſſe obſignatas, & ideò orandum hîc ait. *Reuela oculos meos, & conſiderabo mirabilia tua.* Quem locum ad hunc ſenſum latè, & egregiè proſequitur S. Bonau. *in commentario*; vbi ideò aduertit magnam Eſdræ prudentiam, *lib.*2. *cap.*8. *&* 9. in legenda Scriptura, vt intelligeretur. Et *Hierem.*2. dicitur: *Conſiderate vehementer.* Et *cap.*23. *Quis conſiderauit verbum illius, & audiuit?* Reliqua vide in Bellarmino, & ſunt facilia.

An Scriptura ſub eadem littera claudat plures ſenſus.

QVÆSTIO OCTAVA.

FVIT error Porphyrij apud Euſebium *lib. Hiſt. cap.* 17. proclamantis, pluralitatem ſenſuum Scripturæ Iudaica figmenta. Hic iactat ſuum Magiſtrum Origenem. Idem habet Eraſmus *epiſtola ad Imperatorem*; & Lutherus Eraſmi proles ait, Dionyſium Areopagitam luſiſſe allegoriis, quod eſſe otioſum ait.

CATHOLICA tamen ſententia eſt, Scripturas plures 107
habere ſenſus, vt non modò litteraliter, ſed etiam ſpiritualiter exponantur. Ita Patres, & Origenes ipſe *lib.*10. *in cap.*5. *epiſt. ad Rom. lib.*4. *Periarc. cap.*2. *homil.*2. *&* 7. *in Geneſ. &* 1. *in Numer.* Vide eos in Vaſquez *diſp.* 13. *cap.*2. E Scholaſticis S. Bonau. *opuſc. Reductio artium ad Theologiam, tom.*6. & *opuſc. Principium Scripturæ, tom.*1. & *ſerm.*13. *Hexaëmer.* & *in* 2. *diſt.*12. *quæſt.*2. *corpore* & *initio Breuiloquij, & Centiloquÿ.* S. Thomas *quæſt.*1. *art.*10. Caietanus, Nazarius, & alij Thomiſtæ *ibi.* Lyra *in Prol. Bibl. ſecundo, & tertio*: Burgenſis *in additionibus, ibidem*: Caſtro *lib.*1. *aduerſus hæreſ. cap.*3. Driedo *lib.*2. *de ſacra Scriptura, cap.*2. Sixtus Sen. *lib.*3. *Bibliot. initio.* Pagninus *in Iſagoge, cap.*18. Michaël Medina *lib.*6. *de recta in Deum fide, cap.*25. vbi refert, ſenſum myſticum, ſeu ſpiritualem apud Hebræos in pretio adeò fuiſſe, vt lingua ipſorum diceretur *Dabbai Gadol*, hoc eſt, Verbum grande: ſenſus verò litteralis, *Dabbai Caton*, Verbum paruum. Falluntur tamen negantes litteralem ſenſum, & ſolùm ſpiritualem retinentes; qualis Philo apud D. Auguſtinum *lib.*12. *cont. Fauſtum, cap.*39.

COMMVNITER igitur duo ſenſus diſtinguuntur, idest litteralis, & ſpiritualis. Rurſus, ſpiritualis diuiditur in Allegoricum, alludentem ad myſteria, maximè nouæ legis: Tropologicum, ideſt moralem; & Anagogicum, ideſt ſignificantem res gloriæ æternæ.

Variant autem Doctores in explicandis his ſenſibus, maximè litterali.

PRIMO igitur Lyranus *loc. cit.* dicit, ſenſum 108
litteralem eſſe eum, qui per voces ſignificatur: myſticum verò, qui per res vocibus expreſſas ſignificatur. Addit verò, aliquem locum Scripturæ ſenſu litterali carere, myſtico contentum, quoties Scriptura vtitur metaphorâ, vel parabolâ, vt dicente Chriſto

Matth.5.

Matth.5. Si manus tua ſcandalizat te, abſcinde eam. Non litteraliter profectò intelligendum, manum eſſe abſcindendam. Igitur ſenſus eſt ſpiritualis, rebus ſignificatus, non verbis; per manum enim proximus intelligitur, à quo ſeparari debemus, ſi ſcandalo nobis ſit. Igitur vult, ad ſenſum litteralem neceſſe eſſe, vt non ſolùm vocibus proximè ſignificetur, ſed requiri, vt ad aliam rem ſignificandam voces non transferantur. Quod ſi aliqua tranſlatio contingat, vult non eſſe ſenſum litteralem. Idem docet Caſſianus *collat.*8. *cap.*3. & alij Patres apud Vaſquez *diſp.*15.

Abvlensis *loc. cit.* vult, ſenſum litteralem eſſe totum id, quod ſiue per verba, ſiue per res intenditur à ſcriptore, excepto quando verba ſunt allegorica, vel parabolica; tunc enim ſenſus litteralis non eſt res ſignificata, ſed id, ad quod eſt tranſlata, vt v.g. *Oculi Domini ſuper iuſtos.* Senſus litteralis eſt, Deum habere prouidentiam iuſtorum.

Boverivs *demonſtr.5. Symb. art.*8. ait, litteralem ſenſum eum eſſe, quem Spiritus ſanctus præcipuè obtendit, ſiue is metaphoricus, ſiue allegoricus, ſiue tropologicus ſit.

Adducit D. Hieronymum *in* 3. *Abacuch*, Orig. *hom.*3. *in Pſ.*36. Littera porrò ſono conſiſtens, non dat verum ſenſum litteralem (ait.) Adducit verò Nyſſenum *de vita Moyſis*, Hieron. *in cap.*4. *ad Galat.* Aug. *lib. de mendac.* Cyrill. Alex. *lib.* 9. *cont. Iulianum.*

D. Bonaventvra, & D. Thomas eiſdem ferè verbis explicant ſuam ſententiam; ſenſum litteralem eſſe illum, qui vocibus ſignificatur ex intentione Spiritus ſancti dictantis: myſticum verò rebus ipſis denotari. Hoc enim peculiare eſſe cœleſti doctrinæ huic, aſſerunt ſancti Doctores, vt Deus non ſolùm voces, ſed etiam res ad ſignificandum accommodet. Illa ergo ſignificatio, quâ voces ſignificant res, pertinet ad primum ſenſum, qui eſt hiſtoricus, vel litteralis. Illa verò ſignificatio, quâ res ſignificatæ per voces, rurſus alias ſignificant, dicitur ſenſus ſpiritualis, qui ſuper litterali fundatur, qui dicitur myſticus, ſiue arcanus, ſub rebus, quaſi ſub vmbra latens, ſicut ſpiritus in corpore.

Oritvr autem difficultas, quo pacto ſit proprium Scripturæ, vt non ſolùm voces, ſed etiam res ſignificent. Nam hieroglyphica apud Ægyptios erant res, quæ alias res ſignificabant. Sic in ape, quæ mel, & aculeum habet, Regem exprimebant, cuius regimini debetur miſericordia, & iuſtitia. In ſerpente circuli in modum obuoluto, & caudam in os inferente, annum, qui circulatione reuolutus, in ſeipſum recurrit. Ita Pythagoras in ſuis Apologis vſus eſt rebus quibuſdam, ad res alias ſignandas.

109 Reſpondet Salmeron *prolegom.*7. res pro arbitrio confictas, fuiſſe adhibitas etiam ab Ægyptiis ad res ſignificandas: at Deum rebus verè geſtis ſignificare in Scriptura alias res gerendas, vt morte Abel mortem Chriſti. Verùm res quibus Ægyptij, & Pythagoras vtebantur ad res alias ſignificandas, non erant ad libitum confictæ, vt v. g. apis ad ſignificandum Regem, ignis iracundum, hirundo garrulum. Vnde non rectè in hoc aſſignatur hæc Scripturæ proprietas.

Svlvester in ſuo conflato dicit, res quidem etiam prophanas ſimplici expreſſione terminorum ſignificare alias res, vt bos laborem; ſed Scripturæ proprium eſſe ſignificare complexâ oratione aliquid eſſe, vel futurum eſſe tale; hoc enim eſt proprium Dei, quia homo non habet poteſtatem ſuper res, & ideò non habet facultatem accommodandi ad infallibiliter exprimendum, aut præmonſtrandum.

Contrà tamen arguit Nazarius *ad art.*10. *controu. prima*, quia & res prophanæ complexæ poſſunt aptari ad aliquid complexum, vt bellum Troianum ad futura fortia gerenda: & ex altera parte, res Diuinæ Scripturæ non ſignificant ſemper infallibiliter. Ita in ſenſu tropologico, ſiue morali, ſolùm ſignificatur quid conueniat.

Nazarius cum Caietano, & D. Thoma in hoc ponunt hanc proprietatem ſcientiæ diuinæ ſignificandi res per alias res, vt vniuerſaliter res geſtæ in tot hiſtoriis, & ad doctrinam hanc ſpectantes, in ipſa rerum generatione ſint ex ſui conſtitutione ſigna aliarum rerum; hoc autem nulli humanæ ſcientiæ conuenit.

D. Bonaventvra *ad* 15. *Lucæ*, ſolùm dicit, in Scriptura non tam voces, quàm etiam res eſſe ſigna ad manuducendum intellectum ad multorum intelligentiam diuinorum.

In procemio autem Breuiloquij, §. *De profunditate Scripturæ ſacræ*, ſic diſcurrit, vt eruat ſenſus Scripturæ ſpirituales. Deus loquitur non ſolùm per verba, 110
ſed etiam per facta; quia ipſius facere, eſt eloquutio; ſicuti ipſius loqui, eſt facere: & omnia creata ex natura ſua innuunt ſuam cauſam. Ideò in Scriptura ſacra non tantùm debent ſignificare verba, ſed etiam facta. Cùm igitur Scriptura data ſit, vt per ipſam dirigatur homo ad ſuum finem, tum in cognoſcendis, tum in agendis, vt tandem perueniat ad optata; & quia omnes creaturæ factæ ſunt, vt ſeruiant homini tendenti ad ſupernam patriam; ideò Scriptura aſſumit creaturarum ſpecies diuerſas, vt ſic per ipſas doceat nos ſapientiam dirigentem animos ad æterna. Et quia non dirigitur homo ad æterna, niſi cognoſcat verum credendum; & operatiua faciat bonum operandum; & affectiua ſuſpiret ad Deum videndum, amandum, eoque perfruendum; hinc eſt, quòd Scriptura ſacra per Spiritum ſanctum data aſſumit librum creaturæ, referendo in finem ſecundùm triplicem modum intelligentiæ, vt ſic per tropologiam habeamus notitiam agendorum moraliter; per allegoriam credendorum veraciter; per anagogiam deſiderandorum delectabiliter: vt ſic purgati per virtuoſam operationem, illuminati per radioſam fidem, & perfecti per ardentiſſimam charitatem, perueniamus ad beatitudinis brauium. In ſermone autem tertiodecimo Hexaëmer. ſic diſcurrit. Scriptura eſt vox ſublimis Dei, vt dicitur *Ezech.*1. vbi in viſione maris abundantia diuitiarum Scripturæ; in quatuor animalibus quatuor ſenſus, vt mox dicam, ſignantur. Igitur in hac non modò verba, ſed etiam res ſignificant, quia eſt doctrina ſublimis Dei, qui eſt auctor verborum, & rerum, & animarum, ſeu intellectuum; cæteræ verò ſcientiæ, cùm vnum ſenſum elegerint, non poſſunt in alio ſignificare, alioquin laborant in æquiuoco. Deus verò primò vocibus ſenſu litterali explicat; deinde quia Deus in omnibus rebus manifeſtatur ſecundùm ſubſtantiam, operationem, & virtutem; & quia per Fidem, Spem, & Charitatem peruenitur ad Deum, ideò omnis creatura inſinuat quid credendum; & en ſenſus allegoricus. Secundò quid ſperandum; & ecce anagogicus. Tertiò quid amandum; & ecce moralis, quia charitas facit operari.

Hoc diſcurſu S. Doctor egregiè ſententiam D. Thomæ amplexatam probat, nempe ideò proprium eſſe huius ſcientiæ vti rebus ad res ſignificandas, quia eſt ſcientia dictata à Deo, à quo omnia ſunt, & pendent, atque reguntur; & ideò ſicuti ab eo ſolo omnia pendent, & ab eius prouidentia diriguntur, & creaturæ cæteræ ordinantur, vt homini inſeruiant ad finem

ſupernatu

ſupernaturalem eius; Ideò eis Deus vtitur ad docendum, & dirigendum hominem ad beatitudinem, vt ſuprà explicuit. Quà doctrinà quædam Syluestri oppoſitio apud Nazarium ruit.

Igitvr ſenſus ſpiritualis tripartitus eſt: nam, vt ait Apoſtolus *Hebr.7.* Lex vetus eſt vmbra nouæ; & noua lex, vt ait Dionyſius *de Eccl. Hier. cap.5.* eſt vmbra futuræ gloriæ, & eorum, quæ nos agere debemus, ſignum.

111 Itaque ſecundùm quod ea, quæ ſunt legis veteris, nouam ſignificant, eſt ſenſus allegoricus. Quò ad ea verò, quæ à Chriſto ſunt facta, vel Chriſtum ſignificant, ſunt ſigna eorum, quæ nos agere debemus; & eſt ſenſus moralis. Prout verò ſignificant ea, quæ ſunt gloriæ futuræ, anagogicus ſenſus eſt. Anagogia enim eſt *ſurſum ductio*, vt notat D. Bonau. *loc. cit. proæmio Breuil.* Hic eſt ſenſus germanus Sanctorum Patrum. Vide Vaſquez.

Addit verò S. Bonau. *ſerm.13. Hexaëmer.* affluentia myſteria ſignificata *Ezech.1.* per viſionem maris, ſenſum litteralem expreſſum in homine, facie naturali: in facie leonis, qui habet magnificentiam, & altè rugit, ſenſum allegoricum: in facie bouis operoſi, ſenſum moralem: in facie aquilæ ſurſum euolantis, & in Solem illæſo lumine contuentis, ſeorſum anagogicum. Igitur allegoria eſt, quando per vnum factum indicatur aliud factum, vt credendum eſt: tropologia, ſeu moralitas, quando per vnum factum datur intelligi aliud, quod faciendum eſt: anagogia, quaſi *ſurſum ductio*, quando datur intelligi id, quod deſiderandum eſt, nempe æterna fœlicitas. Ita S. Bonauentura *loc. cit. Proæmio Breuiloquij.*

Assero primò, dari ſenſum litteralem in Scriptura ſacra. Eſt de Fide; in hiſtoriis enim ſenſus litteralis, vt notat D. Bonau. eſt intuendus neceſſariò.

Assero ſecundò, in Scriptura dari etiam ſenſum ſpiritualem.

112 Probatvr à D. Bonau. *ad 15. Lucæ, ſub initio.* Ideò enim Chriſtus *Matth.13. ex Pſal.77.* ait: *Aperiam in parabolis os meum.* Sic enim decebat Scripturam, in qua non tantùm voces, ſed etiam res ſunt ſigna ad ducendum intellectum ad concipiendam multiplicitatem intellectorum diuinorum, iuxta id Prou.1. *Parabola Salomonis ad ſciendam ſapientiam, & diſciplinam, ad intelligenda verba prudentiæ.* Idem obſeruat S. Bonau. *ad cap.1. Ioannis*, in illis verbis: *Ecce Agnus Dei.* Sub hac metaphora enim oſtendebatur Chriſtus, iuxta figuram Exodi 12. vbi Agnus immolabatur; & Iſaiæ 16. *Emitte Agnum, Domine.* Hoc autem (ait S. Bonau.) vt à typo ducat ad veritatem, vt ait Gloſſa. Idipſum aduertit ad ea verba Ioan.3. *Sicut Moyſes exaltauit ſerpentem in deſerto, ita exaltari oportet Filium hominis.* Denunciat enim Crucis myſterium figura ſerpentis, non clarà Crucis oſtenſione, vt oſtendat cognata eſſe myſteria veteris Teſtamenti cum nouo, & ad paſſionem ouantem Chriſtum veniſſe, & vt oſtenderet ſalutem ex Cruce, vt ait Chryſoſtomus *homil.26. in Ioannem.*

113 Latiùs proſequitur S. Doctor *ad cap 15. Ioan.* vbi Chriſtus dicit: *Ego ſum vitis vera.* Vbi cum D. Auguſt. *tract.80. in Ioannem*, obſeruat, dici etiam Petram, Agnum, Leonem, ſenſu ſpirituali. Hinc Apoſtolus *Galat.4.* allegoriam proſequitur de filiis Abrahæ, vt notat S. Bonau. *in Appendice Dieta ſalutis, Dominica quarta Quadrageſimæ.*

Probatvr verò à D. Bonau. *opuſculo Principium Scripturæ*, id factum rationabiliter. Primò, quia ſic creaturæ, quæ ſunt effectus Dei, multipliciter Deum demonſtrant, & homini omnibus modis neceſſariis inſeruiunt ad finem beatitudinis noſtræ, ob quam nobis ſunt datæ, vt ſuprà dixi. Rurſus, quia ſicut Filius Dei, Verbum, & Sapientia Patris, nobis velatus apparuit operiens infinitas ſapientiæ diuitias; ita decuit, vt nobis multipliciter reuelaretur à Spiritu ſancto, cui adſcribitur Incarnatio, & manifeſtatio diuinorum arcanorum per Prophetas, quibus ait Oſeæ 2. *Viſiones multiplicabo eis.*

Aliam eximiam huius rei cauſam Ibidem affert, nempe quia rebus, & exemplis mouetur animus noſter ad finem beatitudinis, ad quem nos vt dirigeret Deus, Scripturam ſacram dedit, vt ſuprà dixi; magis enim mouent exempla, quàm verba. Ideò non demonſtrationibus, vt plurimùm, non definitionibus vtitur; ſed oſtenſione diuini amoris. Sic ſacrificia Abel, & Abrahæ; ecſtaſis Adæ; ebrietas Noë, accenſum Chriſti in nos amorem ſignant, quo ebrius extrà ſe, veluti raptus præcordiis dilatatis, ſeipſum holocauſtum conſumptum pro nobis exhibuit, & patefacto corde, veluti Euam, è latere ſanguineo ſuam ſibi deſponſauit Eccleſiam. Vide S. Bonauenturam *ſerm.14. Hexaëmer.* & *ad 21. Lucæ*, & *19. Ioan.* & in aliis opuſculis exempla ad hoc accenſa. Hac ratione vtitur etiam Valentia *loc. cit.* quam latè ibi proſequitur S. Bonau. dicens, habere Scripturam modos ſecundùm inclinationes animorum opportunas, vt ſi quis non mouetur præceptis, moueatur exemplis, beneficiis, promiſſionibus bonorum, comminationibus pœnarum. Quæ omnia præparauit, & loco rationum dedit Scripturæ authoritatem, & infallibilitatem, vt dicitur Matth. 24. *Cælum, & terra tranſibunt; verba autem mea non tranſibunt.*

Igitvr loca Scripturæ, quæ vel dogmata continent, vel præcepta iuris naturæ, ſolo litterali ſenſu poſſunt exponi, vt illud Deuter.6. *Audi Iſrael: Dominus Deus tuus, vnus eſt. Diliges eum.* Quæ verò de Chriſto Capite, poſſunt exponi etiam tribus aliis ſenſibus: quæ verò de noſtra Eccleſia ſunt, poſſunt exponi moraliter, & anagogicè; non allegoricè, niſi impropriè: quæ verò de beatitudine, ſolùm anagogicè. Itaque non eſt neceſſe, vt omnia loca Scripturæ habeant omnes quatuor ſenſus; ſed ſatis eſt, ſi omnia habeant ſenſum litteralem, vel proprium, vel metaphoricum. Et quidem ea, quæ facta ſunt in veteri Teſtamento, omnia ferè habent tres ſenſus ſpirituales, quia antecedunt facta gratiæ, tanquam illius figuræ; *omnia enim illis in figura contingebant*, *1. Corinth.10.* & multò magis anteceſſerunt gloriam, & ad mores dirigunt. Omnes quidem quatuor ſenſus elucent *in cap.4. ad Galatas*, & in plurimis locis Scripturarum. Vide Seraphicum *in 2. diſt.12. quæſt.2.* & *ſerm.13. & 14. Hexaëmer.* vbi præclara habet de his exempla. 114

Ex his colligit D. Bonau. tres ſenſus ſpirituales conferre ad tres virtutes Theologicas fouendas. Allegoricus enim confert ad Fidem confirmandam, dum oſtendit impleta, quæ in veteri Teſtamento promiſſa ſunt. Moralis ad inflammandam Charitatem, dum præclara nobis offert motiua, maximè ex diuino amore. Anagogicus ad Spem erigendam. Ita S. Bonau. *locis adductis*, & poſt eum Valentia ad litteram, qui addit, è quatuor Doctoribus inſignem fuiſſe in ſenſu litterali Hieronymum; Gregorium in morali; Ambroſium in allegorico; Auguſtinum in anagogico. Verùm S. Bonau. *opuſculo Reductio artium ad Theologiam*, Auguſtinum acclamat in allegorico inſignem, quem imitatur Anſelmus: in anagogico Dionyſium Areopagitam, quem imitatur Richardus: in morali Gregorium, quem ſequitur Bernardus. 115

Assero tertiò: Non inuenitur in ſingulis Scripturæ locis ſenſus litteralis. Ita D. Bonau. *in Breuiloquij proæmio*,

proœmio, circa finem, regulâ tertiâ infrà adducendâ, contra Vaſq. *diſp.*16. Valentiam *diſp.*1. *quæſt.*1. *puncto* 5. §.3. Bellarminum *lib.*3. *de Verbo Dei, cap.*3.

116 PROBATVR primò à Lyrano argumento D. Bonau. *ad* 17. *Lucæ, post initium*, ad ea verba: *Væ autem homini illi, per quem veniunt.* Nam ſæpè in Scriptura, ſi littera nuda accipiatur, faciet ſenſum falſum. Matth.18. *Si oculus tuus ſcandalizat te, erue eum. Si manus, vel pes tuus ſcandalizat te, abſcinde.* Ibi enim ſi littera accipiatur, eruendos oculos, manus, pedeſque ſecandos, falſa eſt; ſed intelligi debet myſticè in ſenſu morali: ſi amicus, vel propinquus eſt tibi impedimentum ad ſalutem, remoue.

PROBATVR ſecundò à Seraphico *in tertia regula alleganda*; nam in Scriptura antiqua Sabbathum legis dicitur perpetuum fore; hoc verò litteraliter non poteſt dici, ſed anagogicè de requie gloriæ. Ibi dicitur Sacerdotium fore perpetuum; poſſeſſionem terræ fore æternam: intelligitur enim anagogicè de figurata terra æternæ fœlicitatis. Pactum circumciſionis eſſe æternum. Quæ ad ſpirituale ſignificatum referenda ſunt, & in metaphoricis eſt euidens. Nec benè reſpondet Vaſquez, ſenſus metaphoricos non eſſe occultos eo modo, quo debet eſſe ſenſus myſticus.

In parabolis multi dicunt, ſemper eſſe litteralem ſenſum, eſſeque illum, qui exprimit rem aliam in modum hiſtoriæ, putà patremfamilias, fermentum, &c. quæ aliquando facta ſunt vera, aliquando ficta. Et cùm eſt verum, dicitur potiùs exemplum, vt ait S. Bonau. *ad* 16. *Lucæ.* Applicatio autem parabolæ, ſi comparetur ad parabolam, in qua eſt aſſimilatio, dicitur ſenſus myſticus: ſi verò conſideretur in ſe, eſt ſenſus litteralis ſecundæ partis parabolæ, quæ eſt applicatio. V.g. parabola Matth.16. *Simile eſt Regnum cælorum fermento.* Litteralis ſenſus eius eſt factum mulieris, & hæc eſt prima pars parabolæ; & ita applicatio eius, quâ infertur efficacia Euangelij dantis ſaporem virtutis, eſt ſenſus myſticus, ſi comparetur ad fermentum figurans. In ſe autem conſideratus fructus Euangelij, eſt ſenſus litteralis.

Non pigeat in fine accipere documenta, quæ dat S. Bonau. *in proœmio Breuil. in fine*, ex D. Auguſtino *lib.*2. *de Doctrina Chriſtiana, cap.*7.

117 PRIMA regula eſt: Vbicumque in hac Scripturâ prima verborum ſignificatio exprimit res creationis, ſiue ſingulares actus humanæ conuerſationis, ibidem res ſignificatæ per verba, primò ſignificantur; deinde noſtræ reparationis myſteria. Vbi verò prima ſignificatio verborum exprimit fidem, ſiue charitatem; ibi nulla eſt allegoria quærenda.

SECVNDA regula: Vbi verba Scripturæ ſignificant res creationis, aut conuerſationis populi Iſraëlitici, ibi quærat ex alio Scripturæ loco, quid ibi quælibet res ſignificet; & deinde ſignificationem ſuam eliciat per verba nudè ſignificantia fidei veritatem, vel morum honeſtatem; vtpotè ſi dicatur: *Oues pariunt gemellos fœtus,* Cant.4. exprimat, quod oues oſtendunt ibi homines; & geminus fœtus geminam charitatem.

TERTIA regula eſt: Quando aliqua Scriptura habet aliquem intellectum litteralem, & ſpiritualem, debet diſcurere expoſitor, verum illa attributio conueniat hiſtorico in ſpirituali ſignificato, ſi fortè vtrique non poterat conuenire; ſi autem vtrique competit, tunc litteraliter, & ſpiritualiter debet affirmari. Si verò altero modo tantùm, tunc ſpiritualiter ſolùm debet intelligi; ſicut Sabbathum legis eſſe perpetuum, Sacerdotium æternum, poſſeſſionem terræ æternam, & pactum circumciſionis eſſe æternum: quæ omnia ad ſpirituale ſignificatum referenda ſunt.

118 Addit S. Bonau. vt ſecurè eamus per ſyluam Scripturæ, oportere noniſſe veritatem Scripturæ per verba explicata, & ita linguam, in qua Scriptura eſt deſcripta. Ita etiam Valentia *diſp.*1. *quæſt.*1. *punct.*5. §.4. Addit, non debere nos more Iudæorum, ſoli litteræ hærere. Deinde, nos ſcrutari debere initium, progreſſum, & finem illius Scripturæ, & conferre vnum locum cum alio; nam Scriptura eſt velut cythara multarum ſonum reddens chordarum. Ob id hortatur, vt mente humili, & purâ Scripturam indagemus. Hanc regulam dat etiam Valentia *loc. cit.* Sic comperiet, quo ſenſu Scriptura ibi loquatur.

Præterea, vt ſtudeat Patrum expoſitioni, Eccleſiæ determinationibus, Conciliis. Ita S. Bonau. *ſerm.*19. *Hexaemer.* & poſt eum Valentia. Addit S. D. primam diſpoſitionem ad hoc ſtudium, debere eſſe pietatis, & timoris Domini: deinde Scripturam attentè ruminandam; mox Patres adeundos, Scholaſticos, & Expoſitores cæteros: tandem iuuare etiam Philoſophorum doctrinas. Vide S. D. ibi præclarè differentem. Idem aſſerit Vaſquez *ad quæſt.*2. *D. Thomæ, ante primum articulum*, & Valentia *loc. cit.* Aduertit tamen, ne nimium humanioribus litteris fidamus, aut hæreamus, ſicuti monet S. Hieronymus *ad Euſtochium.*

VTILEM autem in primis Dialecticam, & Grammaticam neceſſariam, docet S. Bonau. *opuſculo Principium Scripturæ*, & *de reductione Artium ad Theologiam*, ex D. Auguſt. *lib.* 2. *de doctrina chriſtiana, cap.*31. 119

Præterea conſulendam ait & rationem naturalem, ne aliquid ſenſu proprio accipiamus, quod non debet, vt illud Matth. 18. *Si oculus tuus ſcandalizat te, erue eum*; vt dixi.

Denique intelligentiam Scripturarum à Deo petendam, à quo omne datum optimum, vbique locorum ſundent D. Bonau. & Valentia *loc. cit. in calce.* Vide S.D. *ſerm.*19. *Hexaemer.* præclariſſima tradentem.

An Scriptura, vel Eccleſia adhibeat ſenſus aliquos per accommodationem.

QVÆSTIO NONA.

QVÆRITVR, an adhibeantur Scripturæ per extenſionem ad rem non intentam à Diuino Scriptore, nec ſignificatam litteraliter, vel myſticè; hoc enim eſt aptare per accommodationem.

Ianſenius *in Concord. Euang. cap.*11. ait, adeò in vſu eſſe hunc ſenſum in Scriptura, vt etiam in Euangelio ipſo multa, quæ prophetica videntur, tantùm per accommodationem ſint aptabilia. Sic ait intelligi id Oſeæ 13. *Ex Ægypto vocaui filium meum.* Qui locus adaptatur Chriſto, *Matth.*2. cùm tamen de populo Iudæo tantùm dictum ſit. Idem aſſerit de loco illo *Iſaiæ* 29. relato Matth.15. *Populus hic labiis me honorat.* Et de illo Iſaiæ 6. *Auditu audietis.* Et id Pſalmi 77. *Aperiam in parabolis os meum*: quæ citat Matth. *cap.*13. & illud Hieremiæ: *Vox in Rhama, &c.* relatum *Matthæi* 2.

Multi temeritatis arguunt Ianſenium, & volunt, hæc teſtimonia ad litteram accipienda. Vide eos in Vaſquez *diſp.*14. in Arriaga *diſp.*1. *ſect.*6. *ſubſect.*1. Dicunt igitur, poſſe nonnunquam loca aliqua Scripturæ accommodatione ſolâ alteri aptari, ſicuti Eccleſia v. g. cuique ferè Pontifici, id Eccleſiaſtici: *Ecce Sacerdos magnus*, adaptat. *Apoc.*11. aptatur Eliæ, &

Henoch

Henoch illud Zachar.4. *Hi ſunt duæ oliuæ, & duo candelabra*: quod dicitur de Ieſu, & Zorobabel. Attamen ea, quæ refert Cornelius, non eſſe per ſolam accommodationem intellecta, ſed ad litteram.

Mediam ſententiam tenent communiter, illa loca recitari myſticè, eo quòd in priori illo facto figurata ſint. Ita tandem Ianſenius poſt D. Hieronymum *ad locum adductum Oſeæ*, Chryſoſtomum *homil. 8. in Matth.* Gloſſam ordinariam illius loci, quam laudat Burgenſis, vbi Theophylactus, D. Thomas, & Caietanus ſic intelligunt illud Oſeæ. Idem docet S. Bonau. *ad 19. Matth.* de illis verbis: *Os non comminuetis ex eo.* Quod probat ex Chryſoſtomo *homil.84. in Ioannem.*

120 Assero primò, falſam eſſe primam ſententiam. Probatur, quia Euangelium allegat ea loca, tanquam verificata, dicens: *Vt impleretur, quod dictum eſt per Prophetam.* Ita innuit S. Bonau. *ad 16. Lucæ*, in ea verba: *Et ait ad illos parabolam iſtam, dicens.* Ideò parabolicè Chriſtum locutum, quia *Pſalm.77.* Dauid prædixerat: *Aperiam in parabolis os meum.* Et id impletum *Matth.13.* Ergo non per accommodationem dicta ſunt. Sic etiam D. Hieronymus *ad 13. Matthæi.*

Assero ſecundò, ea non omninò litteraliter accipienda.

Probatur ex D. Bonau. *ad 19. Ioan.* quia verba illa: *Os non comminuetis ex eo*; dicta ſunt *Exodi* 12. ſolùm de Agno Paſchali. Ergo à Ioanne ſolùm in typo, ſeu myſtico ſenſu adducuntur. Ita etiam Vaſquez.

Obiicies. Euangeliſtæ vtuntur illis locis ad probandum, Chriſtum eſſe Meſſiam, prædictum à Prophetis: at ſenſus myſticus non eſt validus ad hoc conuincendum.

Reſpondet Vaſquez, Euangeliſtas ea loca adduxiſſe, non ad conuincendum, ſed merè recitatiuè. Sed perperam; nam Euangeliſtæ fruſtrà adducerent ea myſteria fuiſſe prædicta, niſi ad conuincendum Chriſtum eſſe Meſſiam ibi prophetatum, ea loca adducerent. Quorſum enim hæc narrarentur? Ex prophetiis autem grauiſſimum argumentum habemus veritatis Meſſiæ, vt dicunt communiter ſancti Patres.

Poterat meliùs, & conſonantiùs dictis *diſp.16.cap.5.* reſponderi, etiam ſenſum myſticum eſſe ex intentione Spiritus ſancti, quando ita à Chriſto, vel Euangeliſta exponitur; & ideò deſeruire ad probandam Chriſti Meſſiæ veritatem. Authoritate autem Chriſti confirmabatur, loca illa ritè adhiberi, dum tot miraculis ſe dignum fide comprobat.

121 Assero tertiò, multa ab Eccleſia adduci per accommodationem. Sic illud Eccleſiaſtici 44. *Non eſt inuentus ſimilis illi, qui conſeruaret legem Excelſi*; quod de Abraham dictum eſt, & adaptatur ſanctiſſimis Pontificibus. Et alia ſimilia loca proſequitur S. Bonauentura in ſermonibus de Sanctis.

Neque verò ſenſus per accommodationem, & myſticus ſunt confundendi; nam myſticus eſt ex intentione Spiritus ſancti, vt probat S. Bonau. *ſerm.14. Hexaemer.* ideò Moyſen *Deuter.32.* dixiſſe: *Concreſcat vt pluuia doctrina mea, & quaſi ros eloquium meum. Quaſi imber ſuper herbam.* Nempe, quia è cœlo influitur à Spiritu ſancto, ad fructum in nobis producendum. Et hoc fatetur D. Auguſt. *lib. 12. confeſſ. cap.30. & 31.* Vide Arriagam contra Vaſquez.

Fateor tamen, non omnes ſenſus myſticos eſſe ex intentione Spiritus ſancti, vt colligitur ex D. Auguſt. *epiſt.8.* Ideò non ſemper efficacia ex eis argumenta colliguntur, vt docet D. Hieronymus *ad cap.13. Matth.* E ſenſu verò litterali validè ſemper arguis, vt D. Thomas *art.10.* & D. Bonauentura *ſuprà* edocent.

An idem locus Scripturæ plures habeat ſenſus litterales.

QVÆSTIO DECIMA.

Prima opinio eſt negatiua. Ita Michaël Medina *lib.6. de recta in Deum fide, cap.25.* Nec longè abeſt Vaſquez *diſp.17.* vnicam Scripturam plurium ſenſuum litteralium agnoſcens.

Oppoſita ſententia eſt affirmatiua, cum D. Th. & D. Bonau. infrà citandis. Eos refert Vaſquez, & eſt ſententia etiam D. Aug. *lib.11. confeſſ. cap.26. lib.11. de ciuitate, cap. 19. lib.3. de Doctrina Chriſtiana, cap.27.* quem adducit, & ſequitur Bellarm. *lib.3. de verbo Dei, cap.3.* Valentia *d.1.q.1.p.5.* Bouerius *3.p. exam. cenſura 31.*

Assero cum hac ſententia.

Probatvr primò à D. Bonau. *in 2. diſt.1. dub.2.* cum D. Aug. *loc. cit.* ex Geneſis 1. *In principio creauit Deus cælum, & terram.* Hac enim ſententia litteraliter multi ſenſus clauduntur, & multi errores eliduntur, etiam à Concilio Later. *cap. Firmiter.* Primò enim dicitur, *In principio*; quod ſignificat primò creatum cælum, & terram. Hoc eliditur error quorundam, qui dixere primò creatam intelligentiam, & illâ mediâ alias; & illis mediantibus cælum, & terram. Deinde ſignificat in principio temporis; & eliditur error Ariſtotelicorum, mundum fuiſſe ab æterno. Tertiò dicitur *in principio*, intelligendo Filium, qui de ſe dixit Ioan.8. *Ego principium.* Et eliditur error Platonicorum, qui poſuerunt tria mundi principia, Deum, Materiam, & Ideas. Iisdem retunditur Manichæorum hæreſis dicentium, mundum à duobus Diis creatum, altero bono, altero malo; hîc verò dicitur: *Creauit Deus.* 122

Probatur ſecundò à D. Bonau. *in primo diſt.9. dub.9.* ex illo Pſalmi 2. *Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Qui locus efficax ad probandam Filij Dei generationem æternam, affertur à D. Paulo *Hebr.1.* Deinde etiam ſignificat generationem temporalem. Tertiò affertur etiam ad probandam Chriſti Reſurrectionem, *Actorum* 13. ab eodem Apoſtolo. 123

Reſpondet Vaſquez, verba illa: *Ego hodie genui te*, litteraliter adduci ſolùm ad probandam Reſurrectionem; at verò non adduci ad probandam æternam generationem: nam Paulus ibi hæc verba adducit, non eo propoſito, ſed ſolùm, vt partem ſententiæ. *Filius meus es tu.* Quæ aſſumitur ad probandum æternam filiationem. Paulus enim ibi non diſputat de generatione æterna, ſed de Diuinitate, oſtendens tantò meliorem Angelis, quantò differentius præ illis nomen hæreditauit.

Hæ ſanè argutiæ nihili penduntur. Et primò Apoſtoli intentum fuit oſtendere, hunc, in quo locutus eſt nouiſſimè Deus, eſſe Filium, ſplendorem gloriæ, & figuram ſubſtantiæ eius; verùm Dei Filium, de quo erat cum Iudæis controuerſia, non ſicut Angelos creatos in tempore, ſed conſubſtantialem ab æterno genitum. Et reddit rationem: *Cui enim dixit aliquando Angelorum: Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Alioqui ſi deeſſet particula, *Ego hodie, &c.* non ſatis explicaretur ratio differentiæ inter filiationem æternam naturalem Filij, & temporariam adoptionis Angelorum. Deinde, ſi Apoſtolus intendit probare æternam Chriſti filiationem, profectò intendit probare genitum ab æterno. Tertiò apponeretur ſuperfluè ſecundùm Vaſquez; quod eſt blaſphemum, vt oſtendi *quæſtione ſecunda.*

Itaque

Itaque & illud, quod ibi adducitur ex 2. Reg.7. *Ego ero illi in Patrem*, multi etiam de Chriſto ad litteram intelligunt.

Tertius locus eſt Iſaiæ 43. *Generationem eius quis enarrabit?* ſignificat enim Generationem æternam, & temporalem, apud Patres, vt notat Lyra. Malè igitur Vaſquez ad hunc locum reſtringit Scripturas habentes plures ſenſus litterales, vt notat Arriaga *diſp.1.ſect.6.ſubſect.3.*

Apud quem ſit authoritas exponendi Scripturam.

QVÆSTIO XI.

QVIA ſæpè etiam è ſenſu litterali oriuntur dubia, præcipuè, an ſint ſenſus proprij, vel metaphorici; vnde maximi errores naſcuntur, ſicuti videmus in illis verbis: *Hoc eſt corpus meum*, Matth.26. quæ Zuingliani trahunt ad ſenſum figuratum metonymiæ, ex quo hæreſis horribilis naſcitur Sacramentariorum dicentium, Corpus Chriſti ſolùm figuratè in Euchariſtia reperiri, vt aduertit S.Bonau. *in 4. diſt.10. parte 1. quæſt.4.* Ideò neceſſe eſt, vt detur, qui ſecurè nobis ad Spiritus ſancti mentem Scripturam interpretetur.

Sectarij hæretici, libertatis, & confuſionis amatores ſtatuunt, vnumquemque poſſe eſſe interpretem Scripturæ, neque fidendum Conciliorum, vel Papæ, aut Epiſcoporum interpretationi. Ita Lutherus *præfat. ſuorum articulorum*, & *art.115.* ex illis 500. collectis à Cocleo, vbi factus zelotes, negat Concilia, vel Epiſcopos valere ſibi Scripturam interpretari, cùm in morte non ſint pro eo reſponſuri Diuino Iudici.

Philippus *in locis, cap. de Eccleſia*, videtur aliquid Eccleſiæ iudicio concedere. Sed tandem iudicium priuato cuique homini tribuit. Similia habet Brentius *in confeſſ. Vuittemb. cap. de Eccleſia.*

Expreſſiùs Ioannes Caluinus *lib.4. inſtit. cap.9.* §.8. 12. & 13. priuatos homines iudices conſtituit in cauſis fidei, neque vllum relinquit Eccleſiæ iudicium. Ita etiam Kemnitius *ad quartam ſeſſionem Concilij Trident.* & cæteri huius temporis hæretici, auctoritatem interpretandæ Scripturæ ab Epiſcoporum Conciliis ad priuatorum hominum iudicium pertrahunt.

124 ASSERO tamen cum S.Concilio Trident. *ſeſſ.4.* iudicem controuerſiarum in Scriptura, & cæteris eſſe Eccleſiam, ideſt Pontificem cum Concilio; in quo Catholici omnes conueniunt virtualiter.

PROBATVR primò à D.Bonau. *opuſculo de ſex alis Seraphim, cap.7.* ex antiqua Eccleſia, *Exodi* 18. Cùm enim cœpiſſet Populus Dei redigi ad quandam formam Eccleſiaſticæ Reipublicæ, ſedebat Moyſes, vt Princeps, & caput Eccleſiæ; & ad omnia dubia exorta circa Legem Dei reſpondebat, nec remittebat ad ſpiritum aliquem reuelantem.

Quamuis autem ſeptuaginta viros elegerit, qui temporalia iudicarent, iuxta conſilium ſoceri, ne multitudine negotiorum grauaretur; tamen ipſe erat ſacrorum Iudex, iuxta etiam eiuſdem conſilium. *Eſto tu populo in his, quæ ad Deum pertinent, vt referas, quæ dicuntur, ad eum, oſtendaſque populo cæremonias, & ritum colendi, viamque per quam ingredi debeant, & opus, quod facere debeant.*

125 Deinde *Numer.4.* Aaron ſimul cum Moyſe deſtinati ad ſpiritualia opera, quæ lege præcipiebantur. Hoc autem fuiſſe præcipuè opus Pontificis, confirmat S.Bonau. *ibi*, quia ideò inter ornamenta in pectore gerebat Rationale iudicij, *Exodi* 28. In hoc ſcriptum erat: *Doctrina, & Veritas.* Sic exponit D.Hieronymus, ex Septuaginta, vt notat Bellarminus *lib.4. de Romano Pontifice, c.3.* Hoc erat pretioſiſſimum ornamentum, gemmis duodecim contextum, in quibus erant ſcripta duodecim Tribus Iſraël, catenis aureis vndequaque alligatum. Sed audiamus: *Pones in Rationali iudicij Doctrinam, & Veritatem, quæ erunt in pectore Aaron, quando ingredietur coram Domino, & geſtabit iudicium filiorum Iſraël in pectore ſuo in conſpectu Domini ſemper.* En Pontifices in pectore habebant negotium Doctrinæ, & Veritatis miniſtrandæ filiis Iſraël, vt ſic populus eſſet ſecurus in iudicio Domini, nempe quia Prælati vigilant, quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri. Ita *Hebr.13.* infert, poſt multa S.Bonau. vt Lutherum ſcrupulis liberaret, qui timuit à Diuino iudicio, ſi Eccleſiæ iudicio ſtaret. Meliùs attenderet hortationi S.Petri Chryſologi *ad Eutychen*, quæ habetur *tom.1.Concil.* vbi hortatur hunc, vt Romano Pontifici acquieſcat, apud quem eſt veritas.

Aduerte autem etiam Moyſen fuiſſe ſacerdotem, vt dicitur *pſal.98.* ne dicant hæretici, iudicium Scripturæ, & Legis Domini ad Principem Politicum ſpectaſſe.

PROBATVR ſecundò à D.Bonau. *ibi*, ex 2. c. ad Galat. *Aſcendi* (ait Apoſtolus) *Hieroſolymam cum Barnaba, & contuli cum illis Euangelium, quod prædico in gentibus; ſeorſum autem iis, qui videbantur aliquid eſſe, ne fortè in vanum currerem, aut cucurriſſem.* Qui autem fuerint, quibuſcum Euangelium contulit, aſſerit infrà, eos eſſe Petrum, Iacobum, & Ioannem. Quem locum ſic exponunt Tertull. *lib.4. in Marcionem*, S.Hieronymus *ep.89.* quæ eſt vndecima inter epiſtolas S.Aug. ipſe verò *lib.28. contra Fauſtum, c.4.* affirmat Eccleſiam non fuiſſe Paulo credituram, niſi eius Euangelium à Petro confirmatum fuiſſet. Addit verò S.Bonau. tametſi aliquis à Deo immediatè acciperet Scripturarum interpretationem, ſicut Moyſes, cui loquebatur Dominus facie ad faciem, *Exodi* 33. & Paulus, qui raptus ad tertium cælum, audiuit arcana verba, *ſecunda Corinth.12.* adhuc tamen rectè ad humilitatem facere conſulendo ſapientes, maxime verò Prælatos futuros Eccleſiæ, quam infallibilem verbi Dei interpretem aſtruunt Concil.6. generale, Conſtantin.3. *can.19.* Conc.Meldenſe *can.34.* Conc.Senon. *decr.4.* Beſſarion Nicæn. Arch. *orat. ibi habita.* Facultates Louanienſis *art.21. & 22.* Pariſienſis *art.18. & 19.* D.Clem. Pont. *lib.10. Recognit.* Conc. Carthag.3. vt allegatur in Conc.Senon. D.Hieron. in Meldenſi, Aug. *lib.2. contra Donat. c.53.* Innocentius I. & Gelaſ.I.PP. qui omnes in eo ſtant, Eccleſiam Interpretem eſſe, Patres, & Concilia cum ſummo Pontifice, iuxta promiſſa *Matth.16. & vlt. Lucæ 22. 1. Timoth.3. Ioan.14.16.* Hoc probat etiam Hilar. *ad pſ.2.* à ſimili antiquæ Eccleſiæ.

PROBATVR tertiò à D.Bonau. *in confeſſionali, c.1. particula 5.* ex Deuter.17. *Si difficile, atque ambiguum apud te iudicium eſſe perſpexeris, inter cauſam, & cauſam; lepram, & non lepram: & iudicum intra portas tuas videris verba variari, ſurge, & aſcende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus: venieſque ad ſacerdotem Leuitici generis, & ad iudicem, qui fuerit illo tempore; quæreſque ab eis, qui indicabunt tibi iudicij veritatem; & facies quodcunque dixerint, qui præſunt loco, quem elegerit Dominus, & docuerint te iuxta legem eius; ſequeriſque ſententiam eorum, nec declinabis ad dexteram, vel ſiniſtram. Qui autem ſuperbierit, nolens obedire ſacerdotis imperio, qui eo tempore miniſtrat Domino Deo tuo, ex decreto iudicis morietur.* Sanè non ad ſpiritus ſingulorum, ſed ad ſacerdotem remittuntur in dubiis, 126

vt notat D.Bonau. qui locum iſtum grauiter vrget, etiam in Apologia pauperum, *reſp.1.cap.1.*

Obiicit Brentius primò, remitti ad iudicem Politicum, & ad ſacerdotem; ſi tamen ſecundùm legem iudicent.

Reſpondet Bellarminus, quòd Iudex erat ſummus Sacerdos. Ideò ait in Hebræo: *Aſcende ad ſacerdotes, & ad iudicem*, ideſt, ſummum Sacerdotem. Et hunc ſenſum videtur ſupponere S Bonau. vbi ſacerdotes confeſſarios interpretatur. Addo, remitti etiam ad Iudicem Politicum pro punitione eorum, qui ſacerdoti reſtitiſſent, vt clarè concludit textus. Iudicium verò latum in Concilio Sanhedrin, ait Philo Iudæus.

Omnes verò iudices ſæculares dependere à iudicio ſacerdotis, aſſerit infrà, vt dicam ſtatim. Neque verò apponitur conditio aliqua, ſi docuerint iuxta legem: ſed ſupponens eum eruditurum iuxta legem. Imò verba illa ſunt tantùm in Vulgata, quam hæretici reſpuunt.

Obiicit ſecundò, remitti pro dubiis politicis.

At hoc falſum eſt; nam loquitur pro dubiis emergentibus occaſione eorum, qui adorabant Deos alienos, vt colligitur initio capitis.

127 PROBATVR quartò à Seraphico 1. *part. de Eccl. Hier. cap.2.* ex illo *Deuter.17.* vbi poſt verba præallegata oſtendit, etiam ipſos Reges, nedum iudices inferiores, debere in interpretatione Legis pendere à Sacerdote. Sic autem ait: *Poſtquam autem ſederit in ſolio Regni ſui, deſcribet ſibi Deuteronomium legis huius in volumine, accipiens exemplar à ſacerdotibus Leuiticæ Tribus, & habebit ſecum, legesque illud omnibus diebus vitæ ſuæ, vt diſcat timere Dominum Deum ſuum, & cuſtodire verba, & ceremonias eius, quæ in lege præcepta ſunt.* Conſiderent quæſo ſectarij, à Prælatis ſupernis Eccleſiæ accipere debere etiam Reges exemplaria correcta Legis, & Bibliorum; nam hi ſunt veluti Seraphim à Deo illuminati, qui illuminant inferiores, etiam ſapientes, vt infert S.Bonauentura. Hoc eſt Apoſtoli, *Rom.10.* argumentum. *Quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo audient ſine prædicante? Quomodo prædicabunt, niſi mittantur? Ergo fides ex auditu; auditus per verbum Chriſti.*

128 PROBATVR quintò à D.Bonau.1. *part.Eccl. Hier. cap.1. poſt medium*, & *cap.3. initio*, ex 2. Malach. *Labia ſacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem requirent ex ore eius, quia Angelus Domini exercituum eſt.* Sic 15. Act. *Viſum eſt Spiritui ſancto, & nobis.*

Addit verò S.Bonau. 3. *part. Pharetra, cap.1.* expoſitionem D.Hieronymi in hunc locum.

129 Confirmatur à Bellarmino, qui eiſdem vtitur teſtimoniis *lib.3.cap.4.* ex Aggæi 2. *Hæc dicit Dominus Deus exercituum: Interroga ſacerdotes legem.* Et 2. *Paral. cap.19.* vbi Rex Ioſaphat optimus hoc declarat; ſic enim loquitur ſacerdotibus. *Omnem cauſam, quæ venerit ad vos, fratrum veſtrorum, qui habitant in vrbibus ſuis, inter cognationem, & cognationem, vbicunque quæſtio eſt de Lege, de mandato, de ceremoniis, de iuſtificationibus, oſtendite eis, vt non peccent in Dominum. Amaſias autem Sacerdos, & Pontifex veſter, in his, quæ ad Deum pertinent, præſidebit. Porrò Zabadias filius Iſmahel, qui eſt Dux in domo Iuda, ſuper ea opera erit, quæ ad Regis officium pertinent.* En quàm præclarè diſtinguat officium Regis ab officio Sacerdotum, & Pontificis; & ſoli Pontifici tribuat iudicium ſupremum legis, mentem Dei ſecutus.

PROBATVR ſextò à D.Bonau. *ſerm.13. Hexaemer, poſt initium*, vbi poſtquam latè ſuprà oſtendit, ſcripturam eſſe inſtar maris profundiſſimam, vt dixi *quæſt.7.* obſeruat, ſoli Petro conceſſum ambulare pedibus ſuper mare, vt oſtenderet, omnem alium à Petro mergi in errorem. Eſt autem expoſitio D.Bernardi lib.2.de conſider. *Inſtar Domini* (ait) *gradiens ſuper aquas, vnicum ſe Chriſti Vicarium deſignauit, qui non vni populo, ſed cunctis præeſſe deberet; ſiquidem aquæ multæ populi multi.* Similia habet ibi S.Bernardus, loquens de ſimili facto, *Ioan.21.* vbi cæteris diſcipulis ad Chriſtum nauicula venientibus ad littus, ſolus Petrus miſit ſe in mare. *Quid iſtud? Nempe ſignum ſingularis Pontificis Petri, per quod non nauem vnam, vt cæteri, quiſque ſuam; ſed ſæculum ipſum ſuſcepit gubernandum. Mare enim ſæculum eſt: naues, Eccleſiæ.*

130 PROBATVR ſeptimò à S.Doctore *ad cap.21. Ioannis, collat.90.* ex illis Chriſti verbis Petro: *Paſce agnos meos; paſce oues meas.* Quibus fideles omnes numerantur; qui enim non paſcuntur à Petro, non ſunt oues Chriſti, neque agni. Significantur verò per agnos, imbelles.

Supponit autem primò S. Bonauentura, paſcere oues Dei, eſſe doctrinâ, & ſcripturarum intelligentiâ nutrire; ſic enim *Hieremiæ 3.* promiſit: *Dabo vobis Paſtores, qui paſcent vos ſcientiâ, & doctrinâ.* Et *Oſeæ 4.* dicitur: *Quia tu ſcientiam repuliſti, repellam ego te, ne ſacerdotio fungaris.* Et totum confirmat ex D.Bernardo ſerm.76. in Cant. *Paſtus ouium debet eſſe in paſcuis Scripturarum, tanquam in hæreditate Domini.* Eph.4.ait Apoſtolus impletum. *Dedit Paſtores, & Doctores.* Horum certum iudicium habes, *Ioan.14.* eùm ſit Dei. *Lucæ 10.*

Supponit ſecundò, hæc dici Petro, etiam pro ſucceſſoribus, alioqui non benè omnibus fidelibus promiſſum ſeruaſſet: *Dabo vobis Paſtores, qui paſcent vos ſcientiâ.* Vnde S. Hieronymus *epiſtola ad Damaſum*, petens à Pontifice controuerſiæ explicationem, ait: A *Paſtore præſidium ouis flagito.* Igitur doctrinæ, & legis, atque ſcripturæ miniſtratio apud Eccleſiam, maximè Pontificem reſidet; non enim paſtus doctrinæ eſt ſolùm in habendis concionibus, ſed in controuerſiis ſoluendis Dei nomine: 1. Theſſal.2. *Sicut verè eſt verbum Dei.*

131 Hoc dixit Petrus prima, cap.5. *Paſcite, qui in vobis eſt, gregem.* Et Ezech.34. *Væ Paſtoribus Iſraël, qui paſcebant ſemetipſos. Quod infirmum fuit non conſolidaſtis: quod ægrotum, non ſanaſtis: quod confractum, non alligaſtis: quod abiectum, non reduxiſtis.* Et tandem promittit Paſtorem Chriſtum. Et Ioël 1. *Plangite ſacerdotes, vlulate miniſtri altaris. Mugierunt greges armenti, quia non ſunt paſcua eis.*

132 PROBATVR validiſſimè octauò à D. Bonauentura *in 4. diſt. 19. quæſt. 1. in fine corporis*, vbi affert id Matth. 16. *Tibi dabo claues regni cælorum.* Vbi claues ſignificant poteſtatem omnem aperiendi quibuſcunque impedimentis, & difficultatibus aditum: & non ſolùm clauem poteſtatis, ſed etiam ſcientiæ, quæ data eſt ad docendum quidem Sacerdotibus antiquis; quod probat in reſponſione ad primum, ex illo *Lucæ 11.* vbi Legis peritis, qui erant Sacerdotes, ait: *Vos tuliſtis clauem ſcientiæ.* Quod latiùs proſequitur ad eum locum Lucæ: at in nouo Teſtamento perfectiùs, quia de Chriſto ait Iſaias cap.22. *Dabo clauem Dauid ſuper humerum eius*; quia primus, & principalis magiſter eſt Chriſtus, habens poteſtatem inſtituendi Eccleſiam. Sic loquitur *Matth. 23.* vt notat D.Bonau. *ad locum citatum Lucæ*; non autem, quia Eccleſiam quoque magiſtram non inſtituerit, vt putant hæretici; nam & Paulus *ſecunda Timoth. primo*, vocat ſe Magiſtrum, & Doctorem Gentium.

133 PROBATVR nonò à Seraphico Doctore *in 2. diſt. vltima, art.3. q.2.* & Matthæi 23. *Super Cathedram*

Moyſi

Moyſi ſederunt Scribæ, & Phariſæi. Omnia ergo quæcunque dixerint vobis, ſeruate, & facite. Vbi grauiſer aduertit S. Bonau. cum Cypriano *lib.4. ep.9.* Chriſtum iniungere, vt ea, quæ ad Cathedram ſpectant, obſeruemus, nempe doctrinam legis ad magiſterium Sacerdotum, & Pontificum, quos dum reprehendit, non vocat Sacerdotes, ſed ſolùm Scribas, & Phariſæos, ne Cathedram deſpectam redderet. Infert ſecundò cum D. Auguſt. *epiſtola* 165. id, quod dicitur de Cathedra doctrinæ Moſaica, multò magis verum de Cathedra nouæ Eccleſiæ. Ait autem S. Auguſt. *In illum ordinem Epiſcoporum, qui ducitur ab ipſo Petro, vſque ad Anaſtaſium, qui nunc in eadem Cathedra ſedet, etiamſi quiſquam traditor per illa tempora ſubrepſiſſet, nihil præiudicaret Eccleſiæ, & innocentibus Chriſtianis, quibus Dominus prouidens ait de Præpoſitis malis: Quæ dicunt, facite, quæ faciunt, facere nolite.*

134 PROBATVR decimò à D. Bonau. ad 22. Lucæ: *Ego autem rogaui pro te, Petre, vt non deficiat fides tua: & tu aliquando conuerſus, confirma fratres tuos.* Vbi aduertit, loqui Chriſtum de Eccleſia, quæ in Pontifice Capite eſt firmiſſima columna, & firmamentum veritatis, ita vt Pontifex è Cathedra errare non poſſit. Quod deducit S. Bonauentura ex hoc loco *hic*, & *ſerm.* 13. *Hexaëmer.* afferens etiam illud Eccleſiaſtici 26. *Fundamenta æterna ſuper firmam Petram, ſuper ſolidum cor mulieris.* Hæc mulier (ait S. Bonau.) eſt Eccleſia, quæ ſcripturas ad ſuum principium rectè deducit, & ſolidè explicat. Idem ex hoc loco Lucæ deduxerunt S. Bernardus *ep. 90. ad Innocentium*, & ante eum Lucius primus *epiſtola prima ad Epiſcopos Hiſpaniæ, & Galliæ*: Felix I. *epiſtola ad Benignum*: Marcus *epiſtola ad Athanaſium*: Leo I. *ſerm.3. de aſſumptione ſua ad Pontificatum*, qui idem deducit ex illo Matth. 16. *Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*: (ad quod alludunt verba illa D. Bonauenturæ *ſermone citato.*) Leo nonus *epiſtola ad Petrum Antioch. Patriarcham*: Agatho *epiſtola ad Conſtantinum Imperatorem*, quæ lecta eſt in ſexta Synodo, *act.4.* & deinde *act.8.* à tota Synodo approbata. Paſchalis II. in Concilio Romano, apud Abbatem Vrſpergenſem *in Chronico.* Adde Innocentium III. *cap. Maiores, de Baptiſmo.*

Si ergo Eccleſia in Pontifice docente è Cathedra errare non poteſt, profectò eius iudicio acquieſcendum.

Itaque hæreticis id *Matth.* 18. fulminatur: *Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus, & publicanus. Quia quæcunque in terris alligaueritis*, ait Chriſtus Pontificibus, *erunt ligata & in cœlis; & quæcunque ſolueritis, erunt ſoluta.*

135 PROBATVR vndecimò firmiſſimè à D. Bonau. *ſerm. 9. Hexaëmer.* quia in omnibus ſæculis omnia, quæ veniebant in dubium circa Scripturas, & Fidem, declarata ſunt à Conciliis, & Pontificibus Eccleſiæ Romanæ, & aduerſantes damnati ſunt; nunquam autem à populo, vel Principibus.

Sic primo ſæculo, ſeu prima centuria annorum, in primo Concilio Hieroſolymis ſancitum eſt decretum de legalibus abrogandis, *Actorum* 15. vbi Petrus Concilio præſidens decretum edidit, & Apoſtolorum collegium ſanciuit, vt notat D. Bonau. *in 4. diſt.9. part.2. art.2. quæſt.2.* & hoc fuit primum dubium in Eccleſia exortum.

136 Secundo ſæculo orta eſt quæſtio de celebratione Paſchæ; volentibus quibuſdam Paſcha celebrare cum Iudæis decimaquarta die primi menſis, ſiue eſſet dies Dominicus, ſiue non; aliis autem tantùm die Dominico. Conſtat autem, celebrata eſſe Concilia multa Epiſcoporum, & tandem à Victore Romano Pontifice terminatum, vt ſcribit Euſebius *lib.5. hiſt. cap.23. & 24.* Voluit enim in memoriam Reſurrectionis celebrari, vt notat S. Bonau. *in 2. diſt.14. part.2. dub.4. litt.* Tunc damnati Ebionitæ, qui legalia cum Euangelio volebant obſeruari, vt notat D. Bonauentura *ſerm.16. Hexaemeronis.*

TERTIO ſæculo orta eſt hæreſis Nouatianorum, 137
qui negabant, Eccleſiam poſſe abſoluere à peccatis eos, qui poſt Baptiſmum lapſi erant. Hæc autem declarata ſunt in Concilio Romano, cui Cornelius Papa præerat, vt refert Euſebius ex verſione Ruffini *lib. 6. hiſt. cap. 33.* Eodem ſæculo orta eſt hæreſis Anabaptiſtarum. Et quidem Cornelius decreuit, non eſſe rebaptizandos, qui erant ab hæreticis baptizati, vt Euſebius refert *lib.7. hiſt. cap.* 21. & poſteà idem ſtatuit Stephanus Papa, vt refert D. Auguſt. *lib.5. de Baptiſmo, cap.23.* & fuit S. Cyprianus correctus, vt refert etiam S. Bonau. *in 4. diſt.6. part.2. dubiis litt.* & *quæſt. vltima.*

Quarto ſæculo orta eſt hæreſis Arij, quæ per Con- 138
cilium Nicænum ſublata eſt, in quo 318. Epiſcopi fuere, inter quos Nicolaus Sanctus Myræ Epiſcopus, vt S. Bonau. adnotauit *eodem ſerm.9. Hexaëmer.* Ibi autem præerat Oſius nomine D. Syluestri Papæ.

Eodem ſæculo hæreſis Macedonij contra Spiritum 139
ſanctum condemnata eſt per Concilium Conſtantinopolitanum, quod à Damaſo confirmatum eſſe, refert Photius *lib. de ſeptem Synodis*, & innuit ibidem S. Bonau. dum quatuor Concilia præcipua ad aſſertionem noſtram probandam affert, quæ ſunt Nicænum, Conſtantinopolitanum, Chalcedonenſe, & Epheſinum, vt refert idem S. Bonau. *in primo, diſt.11. dub.1. litt.*

Quinto ſæculo hæreſis Neſtorij damnata eſt in 140
Concilio Epheſino primo, Præſide Cyrillo nomine Cœleſtini Papæ, vt Euagrius teſtatur *lib.1. cap.4.* & paulò poſt hæreſis Eutychetis in Concilio Chalcedonenſi condemnata, præſidentibus Legatis Leonis I. vt Euagrius teſtatur *lib.2. cap.4.* Hæc innuit S. Bonauentura *loco adducto.*

Eodem ſæculo damnata eſt hæreſis Pelagij; ſic enim refert S. Auguſt. lib.2. Retract. cap. 50. *Pelagiagiana hæreſis cum ſuis auctoribus ab Epiſcopis Eccleſiæ Romanæ, prius Innocentio, deinde Zozymo cooperantibus, Conciliorum Africanorum litteris conuicta, atque damnata eſt.* Et in Chronico Proſper *anno* 420. ait: *Concilio habito apud Carthaginem centum decem & ſeptem Epiſcoporum, ad Epiſcopum Zozymum ſynodalia decreta perlata ſunt, quibus probatis, Pelagiana hæreſis in toto mundo damnata eſt.* Vide etiam S. Bonauenturam *in 2. diſt.28.* in dubiis ad litteram, & quæſtionibus.

Sexto ſæculo multæ hæreſes damnatæ ſunt in quinta Synodo ab Epiſcopis.

Septimo ſæculo damnati ſunt Monothelitæ in ſex- 141
ta Synodo, cui præfuere Legati Papæ, & Imperator quidem interfuit, & ſubſcripſit poſt Epiſcopos, non definiendo, ſed conſentiendo.

Octauo ſæculo damnati ſunt Iconomachi in ſeptima Synodo, cui præfuerunt Legati Papæ. Lege Tomos Conciliorum, & Photium *de ſeptem Synodis.* Vide etiam Seraphicum Doctorem 3. *diſt.9 quæſt.2.*

Nono ſæculo controuerſiæ quædam deciſæ ſunt ab Epiſcopis in Octaua Synodo.

Decimo ſæculo nulla hæreſis nata eſt.

Vndecimo ſæculo error Berengarij damnatus eſt à Leone IX. in Concilio Vercell. & Nicolao II. in Concilio Romano, vt refert S. Bonau. 4. *d.12. part.2. art.3. quæſt.1.*

Duodecimo ſæculo damnatus eſt error Abailardi ab Innocentio II. vt apparet in epiſtolis S.Bernardi, *epiſtola* 194.

Tertiodecimo ſæculo damnatus eſt error Ioachimi Abbatis in Concilio Lateranenſi, vt refert etiam S.Bonauentura *in* 1. *diſt*.5. *dub*.4. *litt*. Et poſtcà error Græcorum in Concilio Lugdunenſi generali, cui affuit S.Bonauentura, *cap. Fideli.*

Quartodecimo ſæculo damnatus eſt error Beguardorum in Concilio Viennenſi, *cap. Ad noſtram, Clem. de hæret.*

Quintodecimo ſæculo damnati ſunt Vuicleph, & Ioannes Hus in Concilio Conſtantiæ, præſide Martino V. & rurſus errores Græcorum in Concilio Florentino ab Eugenio IV.

142 Denique hoc noſtro ſæculo damnati ſunt Lutherani in Concilio Trident. Inueniant nunc aduerſarij aliquem damnatum erroris in Eccleſia ab Imperatoribus, non à Pontificibus; aut dicant, quinam vnquam auſi fuerunt de Conciliis à Pontifice approbatis detrahere, & eorum ſententiam negare, qui non fuerint continuò agniti hæretici.

Probatvr duodecimò à D. Bonau. *loc. cit.* quia dubia in Eccleſia exorta authoritate Petri, & ſucceſſorum ſoluta inueniuntur. Sic habetur apud Damaſum *epiſtola tertia*, Innocentium primum *in epiſtolis ad Concilium Carthaginenſe, & Mileuitanum*, quæ ſunt in D.Auguſt.91. & 97. Leonem primum *ep* 84. & 89. Gelaſium *epiſtola ad Epiſcopos Dardaniæ*, Gregorium *lib*.4.*epiſtola* 52. *ad Epiſcopos Galliæ*, & ad hoc citat Iulius in epiſtola ſecunda Decretum Concilij Nicæni.

143 Idem ſenſere Imperatores, vt de Aureliano Pagano ſcribit Euſeb. *lib*.7 *hiſt.cap*.26. Conſtantino *lib*.3. *vita eius*, & D.Ambroſius *epiſtola* 32. & D. Auguſt. *epiſtola* 162. Gratianus *in Concilio Aquileienſi*, Theodoſius iunior *ad Synodum Epheſinam*, quam etiam citat Nicolaus I. *epiſtola ad Michaelem.* Valentinianus ſenior, vt ſcribit Sozomenus *lib*.6.*cap*.7. Baſilius Imperator *in octaua Synodo*. Theodoricus Rex, quamuis Arrianus, *in quarta Synodo Romana, ſub Symmacho Papa.* Vide etiam Patrem Iuglarem *veritate quinta*, & Bouerium *demonſtr*.5. *Symb.art*.10.

Probatvr tertiodecimò à D. Bonauentura loco adducto, è ſanctis Patribus.

144 Primus eſt Dionyſius *de Eccl. Hier. toto opere*, vbi ad modum cœleſtium Hierarchiarum docet, etiam Eccleſiam Militantem purgari ab ignorantia, illuminari, & accendi. Itaque ſupremi Prælati Eccleſiaſtici omnes inferiores purgant, illuminant. Vide ipſum in toto opere. Capite quidem primo ait: *Primi illi noſtri ſacerdotalis muneris Duces partim ſcriptis, partim non ſcriptis inſtitutionibus ſuis, nobis tradiderunt ſumma illa, & ſuperſubſtantialia.*

Secundus eſt Gregorius Nazianzenus in oratione, quâ ſe excuſat, quòd diu ab Eccleſiaſtica functione abſtinuerit. Admonet quindecim Iudices, qui ſunt oues, ne velint Paſtores iudicare, & ſuis Legiſlatoribus leges ferre. Et in oratione ad ſuos ciues timore perculſos, & Imperatorem iraſcentem, proteſtatur, etiam Imperatorem eſſe ſuam ouem ſubditam.

Tertius eſt Gregorius Nyſſenus *oratione catechetica magna*, & *de laudibus Theologiæ.*

Quartus eſt Damaſcenus *oratione prima*, & *ſecunda de Imaginibus.*

Quintus Baſilius *ep*.52. *ad Athanaſium*, vbi dicit, videri ſibi bonum, vt quando Synodus fieri non poterat, ſcriberent ad Romanum Pontificem, vt ipſe auctoritate ſua mitteret aliquos in Orientem, qui Acta Concilij Ariminenſis diſſoluerent.

Sextus Athanaſius *epiſtola ad ſolitarios*, vbi Conſtantium Imperatorem incuſat, tanquam abominationem deſolationis prædictam à Daniële, quia in cauſis Epiſcoporum iudicaret; & hoc dicit, Inſolens in Eccleſia eſſe.

Septimus eſt Chryſoſtomus *homil. vltima in Ioannem*, dicens, Petrum toti orbi magiſtrum à Chriſto præpoſitum.

Ex Latinis primus adducitur à D.Bonau. Hilarius 145
in cap.16. Matth. *O in nuncupatione noui nominis felix Eccleſiæ fundamentum, dignaque ædificatione illius Petra, quæ inferiorum leges diſſolueret! ô beatus cæli Ianitor.*

Secundus Gregorius *lib*. 5. *ep*. 25. vbi ait: *Dominos pios non ſe intermiſcere ſacerdotalibus negotiis.*

Tertius Auguſt. lib.1. contra Creſconium, cap.33. *Quiſquis falli metuit huius obſcuritate quæſtionis, Eccleſiam de illa conſulat, quam ſine vlla ambiguitate Scriptura ſacra demonſtrat.* Et *epiſtola* 106. loquens de epiſtolis Innocentij: *Ad omnia ille nobis reſpondit, ſicut fas erat, & oportebat Apoſtolicæ Sedis Antiſtitem reſpondere.* Et *lib. contra epiſtolam fundamenti, cap*.5. ait: *Ego verò Euangelio non crederem, niſi me Eccleſiæ Catholicæ authoritas commoneret.*

Reſpondet Caluinus, ſenſum eſſe: Ego non crederem, ideſt, non eſſem Chriſtianus, niſi Chriſtiani Eccleſiæ aliquando me commonuiſſent.

Contrà, quia loquitur de præſenti; ideò infrà ſubdit: *Quibus ergo præcipientibus credidi, his iubentibus tibi non credam?* Vide etiam aliud teſtimonium in procemio librorum de Doctrina Chriſtiana, vbi ſpiritum illum Lutheranorum particularem, vocat tentationem diaboli, vt *quæſt*.1. *poſt medium*, retuli.

Quartus Ambroſius *ep*.32. *ad Imperatorem Valentinianum*, eum admonet exemplo patris eius, qui dicebat: *Non eſt meum iudicare inter Epiſcopos.* Et inſert, tractatus de fide conferendos inter Sacerdotes, vt factum erat etiam ſub Conſtantino.

Quintus eſt Hieronymus ad Damaſum, vbi eius iudicio, & imperio quid à ſe credendum, atque dicendum circa tres hypoſtaſes Trinitatis, ſubmittit.

Multa alia teſtimonia ex his Patribus congerit Seraphicus Bonauentura 3. *part. Pharetra, cap*.11. & 12. *cap*.19. 20. & 21.

Conclvdit igitur S.D. *ſerm*. 13. *Hexaemer*. deſcendere nos debere ad mare Scripturæ in nauibus, vt alludit *Pſal*.106. nempe, non ſpiritu proprio ductos, non alio ductore, quàm Petro, & aliis Doctoribus Eccleſiæ remigantibus. Vide ipſum *ibi*, & *in fine proœmij ad Breuiloquium.*

Obiiciunt primò: *Iſaiæ* 54. dicitur: *Dabo omnes* 146
filios tuos doctos à Domino.

Reſpondet S. Bonau. *ad* 6. *Ioannis*, idem omninò ſignificare locum Iſaiæ, & Ioannis 6. *Eſt ſcriptum in Prophetis: Et erunt docibiles Dei*, ideſt, omnes recipient interiùs gratiam Spiritus ſancti, quâ inſtruantur, & moueantur ad Deum amandum. Suprà enim dixerat: *Nemo venit ad me, niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum.* Itaque non eſt ſenſus, omnes intellecturos diuinâ reuelatione omnia Scripturæ arcana; ſed tales futuros, vt non ſolum audiant exteriùs magiſtrum explicantem verbum Dei; ſed intus audiant Deum ſuadentem, vt faciant, quod audiunt. Ita D. Auguſt. *lib. de gratia Chriſti, cap*. 12. 13. & 14. Eodem modo explicat S. Bonau. *ibi*, illud Hieremiæ 31. *Dabo legem meam in cordibus eorum, & in corde eorum ſcribam eam; & non docebit vltrà vir proximum ſuum, dicens: Cognoſce Dominum,*

omnes

omnes enim ſcient me, à minimo eorum vſque ad maximum. Significatur ergo gratia noui Teſtamenti, quam Deus diffundit, vt non ſolùm ſciamus, ſed etiam impleamus diuina mandata. Ita D. Auguſt. *lib. de ſpiritu, & littera, cap. 24.* & Gloſſa adducta à D. Bonau. Idem docet S. Bonau. *in Dieta ſalutis, tit. 3. cap. 1.* Sic ſoluitur hoc ſecundum Scripturæ dubium, quod opponunt.

Obiiciunt ſecundò Ioan. 5. *Ego teſtimonium ab homine non accipio.* Ergo Scripturæ non egent teſtimonio Papæ.

147 Reſpondet D. Bonau. *ad eum locum*, ſenſum eſſe germanum, ſe non egere teſtimonio hominum ad ſuam diuinitatem confirmandam; ſed adducere, & ſinere, vt adducantur teſtimonia eis, quia ipſi ea petunt; & ita accipere teſtimonium à Ioanne, vt dicitur cap. 1. *Hic venit in teſtimonium, vt teſtimonium perhiberet de lumine.* Et *Ioan. 15.* accipere teſtimonium Apoſtolorum: *Vos teſtimonium perhibebitis, quia ab initio mecum eſtis.* Et Actorum 1. *Eritis mihi teſtes in omni Iudæa.* Addidiſſe etiam teſtimonia miraculorum: *Opera, quæ dedit mihi Pater, teſtimonium perhibent de me.* Igitur ſenſus eſt: Vos miſiſtis ad Ioannem, quem Prophetam veridicum creditis; & ipſe teſtimonium perhibuit de me, tametſi ego non indigeam humano teſtimonio propter me. Sic igitur & Scriptura in ſe veriſſima eſt; tamen quia obſcura, & profunda eſt, nobiſque ignota, eget explicatione, & Eccleſiæ teſtimonio propter nos. Ideò ſubdit: *Scrutamini ſcripturas*, ideſt lumine fidei, & teſtimoniis Ec-
148 cleſiæ.

Obiiciunt tertiò Ioan. 7. *Si quis voluerit voluntatem eius facere, qui miſit me, agnoſcet de doctrina mea, vtrum ex Deo ſit.*

Reſpondet D. Bonau. *ad eum locum*, ex D. Auguſt. *tract. 28. in Ioannem*, hortari Chriſtum eos, vt credant. Sic enim remouebitur impedimentum ignorantiæ, & cæcitatis, quia ſcriptum eſt Iſaiæ 7. *Niſi credideritis, non intelligetis.* Igitur non debetis velle intelligere, vt credatis, ſed credite, & tunc Deus illuminabit vos, remouens velamen de cordibus veſtris, vt intelligatis ea, quæ de rebus ſalutis vobis prædicantur. Hortatur autem, vt remoueant impedimenta, quæ ſuprà *cap. 5.* oppoſuerat. *Quomodo poteſtis credere, qui gloriam ab inuicem accipitis?* Itaque appetitum gloriæ humanæ, quo volebant ſapientes acclamari, docet remouendum, vt ita credant, & credendo intelligant documenta prædicata. Itaque non lo-
149 quuntur de Scriptura.

Obiiciunt quartò Ioan. 10. *Oues meæ vocem meam audiunt, & ſequuntur me.* Igitur non egemus alio Præceptore.

Reſpondet D. Bonau. *in Commentario ad eum locum*, Chriſtum loqui de prædeſtinatis, qui vocationem intus ſuſcipiunt, & documenta exteriùs prædicata audientes credunt, ſiue Chriſti, ſiue eius Vicarij, & aliorum nomine eius docentium, qui munere fun-
150 guntur Paſtorum.

Obiiciunt quintò prima Corinth. 2. *Spiritualis autem iudicat omnia.*

Reſpondet D. Bonau. 3. *part. ſtimuli diuini amoris, cap. 8.* ſpiritualem hominem iudicare omnia ſpiritualia, & temporalia, non ita, vt omnia accipias pro ſingulis generum, ideſt ſingula; ſed pro generibus ſingulorum, ideſt ex genere ſpiritualium aliqua, & aliqua è temporalibus. Itaque iudicare velle ſingula, eſſe præſumptionem, quam diabolus inducit in aliquos ſpirituales, vt ſic præcipites corruant in errores, & ruinas. Et ita non debet ipſe præſumere ſuo peculiari iudicio iudicare, è Scripturis ſuo marte apprehenſis, nos aberrare, dum Pontificis, & Eccleſiæ oracula expectamus.

Reſpondet ſecundò D. Bonau. *part. 2. de Eccl. Hier. cap. 1.* ſpirituales vocari Prælatos maiores, quia ſpirituales, & perfecti eſſe debent.

Obiiciunt ſextò prima Corinth. 12. *Hæc omnia* 151
operatur vnus, & idem ſpiritus, diuidens ſingulis prout vult. Non eſt igitur hoc donum alligatum Papæ, & Concilio.

Reſpondetur cum D. Bonau. *opuſc. de ſeptem donis, cap. 1.* ibi ſolùm innui, dona omnia Spiritus ſancti miſſione dari aliquibus, ſecundùm diuinam prouidentiam. Qui autem ſint hi, ex aliis Scripturis habemus, eſſe Pontificem, & Concilium, vt oſtendam.

Obiiciunt ſeptimò prima Ioannis 2. *Non neceſſe* 152
habetis, vt aliquis doceat vos, ſed vnctio docet vos de omnibus.

Reſpondet D. Bonau. primò *in Dieta, tit. 5. cap. 1. poſt medium*, velle dicere: Habetis iam acceptam gratiam, quæ vobis neceſſaria eſt ad ſalutem. Itaque non egetis noua audire, vel peregrina à fide; nam pignus hæreditatis habetis ex fide, quam ego vos docui, vt etiam ait Apoſtolus *Epheſ. primo*; ideò ait Ioannes: *Hæc ſcripſi vobis de his, qui ſeducunt vos.*

Reſpondet ſecundò D. Bonau. *de ſex alis Seraphim cap. 8.* Ioannem ſcribere Prælatis Eccleſiæ, quibus facta eſt promiſſio, Ioan. 14. *Ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia, quæcumque dixero vobis.*

Obiiciunt octauò Epheſ. 2. *Eſtis ciues Sanctorum,* 153
& domeſtici Dei, ſuperædificati ſupra fundamentum Apoſtolorum, & Prophetarum. Non dicit, *ſupra fundamentum Papæ* (vt fricat inſolens Caluinus.)

Reſpondet D. Bonau. *ſerm. 9. & 22. Hexaëmer.* Chriſtum eſſe fundamentum Eccleſiæ primum, & lapidem angularem, vt dicitur 1. *Corinth. 3. Iſaiæ 28. prima Petri 2. & ad Epheſ. lic.* Attamen etiam duodecim Apoſtolos dici fundamenta Eccleſiæ, *Apoc. 21.* ſic & eorum ſucceſſores Pontifices, & Concilia; atque Prælatos Eccleſiæ vnitos in vnum corde ædificium, dare Eccleſiæ firmitatem: quod latiùs proſequitur S. Doctor *ſerm. 22.* Nam Eccleſia in Conciliis, ſimiliter & Papa concordes ſupra fundamentum Chriſti, & Apoſtolorum, ac Scripturarum definiunt, decernunt, damnant; non enim nos ſciremus certò res fidei, cùm tot oriantur controuerſiæ, difficultates, & dubia etiam circa Scripturam. Hoc verò inter ſpiritus præſumptuoſos hæreticorum videmus tot gignere varietates ſententiarum, quemadmodum mihi faſſus eſt Hæreticus Vviecen, qui de veritate Eccleſiæ conuictus Tirani abiit, promittens ſe reuerſurum; quem cùm poſt menſem inueniſſem, obieci, cur ad diſputandum non rediret; ipſeque audax reſpondit: Manè veniam. Ego verò ei optionem controuerſiæ reliqui, quam cùm ſtatim de interceſſione Sanctorum elegiſſet, firmiterque probaſſem, promiſit: Si mihi in Bibliis emendatis hæc teſtimonia oſtenderis, tuam fidem amplectar. Die igitur ſequenti ad condictum reuerſus ſum, tribus cum teſtibus primoribus, qui diſputationi pridie interfuerant, eique obieci, cur ad locum certa nimis non reuerteretur. Reſpondit cœnam iam paratam. Cumque eum ſtrinxiſſem, vnus è teſtibus Illuſtriſſimus Dux Ioannes, filius Equitis Salicis, ei Germanicè replicauit: Cæteri hæc non concedunt. Reſpondit dignam ſectario Caluiniſtâ ſententiam: *Quot capita, tot ſententiæ.* Ruſus poſtridie illum aggreſſus, cùm eſſet equitaturus, oſtendi ei penè inuito loca Scripturarum; cumque eſſet conuictus, dixit placidè, ſe reuerſurum, vt commodiùs diſcurreremus, ſed nunquam reuerſus eſt.

Obiiciunt nonò. Si Papa iudicat de Scripturis, ſequitur, Pontificem, ſeu Concilium eſſe ſupra Scripturas; & ſi Scripturæ ſenſus ſine Papæ iudicio non eſt authenticus, ſequitur, verbum Dei accipere robur, & firmitatem à verbo hominum. Ergo debiliſſimo nititur fundamento.

154 Hoc argumentum, quod ab hæreticis magni æſtimatur, ſolutum fuit integro ſermone D. Bonauenturæ nono Hexaëmer. vbi Fidei, & Scripturæ firmitatem comparat firmamento cæli; & hæc primam firmitatem habet à cœlo, è teſtimonio veritatis expreſſæ per Verbum increatum, de quo Ioannes epiſtola 1. cap. 5. *Tres ſunt, qui teſtimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus; & hi tres vnum ſunt.* Et à teſtimonio veritatis expreſſæ per Verbum incarnatum, de quo pſalmo 32. *Verbo Domini cœli firmati ſunt.* Et Pſalm. 118. *In æternum Domine permanet verbum tuum.* Super hoc Verbum fundata eſt Eccleſia. Hoc eſt teſtimonium maius Ioanne, *Ioan. cap.* 3. Huius Fidei fundamentum eſt Chriſtus, vt dicitur 1. *ad Corinthios* 3. *Iſaia* 28. 1. *Petri* 2. *ad Epheſios* 2. Tertia verò firmitas habetur ex Verbo inſpirato, & hoc fuit in Prophetis, & Scriptoribus canonicis. Sic *multifariè locutus eſt Deus olim in Prophetis.* Hæc autem confirmata ſunt (vt ait idem Apoſtolus) ab eis, qui audierunt, in alios ſucceſſores, conteſtante Deo ſignis, & portentis, & Spiritus ſancti diſtributionibus, maximè in Apoſtolis, & per eos in nos: ſic allata eſt nobis Scriptura, quæ propriâ interpretatione non fit; non enim voluntate humana allata eſt, ſed Spiritu ſancto inſpirati locuti ſunt ſancti Dei homines. Hæc habuit antiquitùs teſtimonium in Eccleſia, de qua Eccleſiaſtici 44. *Laudemus viros glorioſos narrantes carmina Scripturarum.* Itaque etiam noua Eccleſia fundamentis ſolidis Scripturæ nixa definit; attamen ſi quæ dubia oriuntur, ſanè ad Eccleſiam pertinet ſoluere, non contra Scripturam, vel eam ſubiiciendo ſuis definitionibus, ſed è Scriptura, & traditionibus definiendo. Itaque Eccleſia non iudicat, an Scriptura Canonica verum dicat; ſed primò indagat quæ ſit Scriptura Canonica: & hoc etiam hæretici neceſſarium fatebuntur, qui aliquas Scripturas reiiciunt: deinde ad eius normam, & lineam definiunt. Et ſi dubia oriuntur inter nos, ad Eccleſiam pertinet ea nobis elucidare, nè omnes iudicantes, tot ſententias multiplicent, quot capita.

Hoc autem habet Eccleſia priuilegium, quia *eſt columna, & firmamentum veritatis.* Itaque Eccleſia non erigit ſe ſupra Scripturam, eam canonizando humana authoritate, ſed diuinâ ſibi promiſſâ aſſiſtente. Vide D. Bonauenturam.

Obiicit denique Caluinus *præfatione Inſtit.* ex D. Auguſtino *lib. 2. contra Creſconium, cap.* 21. Eccleſia non debet ſe Chriſto præponere, quia ipſe non poteſt falli; at Eccleſiaſtici Iudices falli poſſunt. 155

Reſpondetur, non loqui Caluinum ad rem; nam ſanctus Auguſtinus loquitur de facto, non de iure: poſſunt autem Eccleſiaſtici iudices falli in facto (ait S. Auguſtinus) verbi gratiâ, baptizantes eos, qui ficto animo accedunt ad Sacramentum; non autem de expoſitione iuris, vel interpretatione Scripturarum. Quia ergo vidit Caluinus, non facere ad rem, citat locum extra locum proprium, *capite ſecundo contra Creſconium.*

Cætera facilia vide in Bellarmino, qui eiſdem cum D. Bonauentura vtitur argumentis, vnà cum Boterio *demonſtr. 5. Symb. art. 9.*

Hoc verò epiphonemate D. Petrus priuatos Nouatorum ſpiritus explodit *ep. 2. cap.* 1. ſcientes, *quod omnis prophetia Scripturæ propriâ interpretatione non fit.* Sic exponit Beda. Sectariis clamat Ezech. cap. 13. *Væ prophetis inſipientibus, qui ſequuntur ſpiritum ſuum, & nihil vident. Vident vana, & diuinant mendacium, dicentes: Ait Dominus; cùm Dominus non miſerit eos.* 156

Concedite, vt Caluini referam confeſſionem *lib. 4. Inſt. cap. 8. §. 15. Quid enim tandem obtinebunt? non ſpernendum Eccleſiæ conſenſum, quæ nunquam, niſi in veritatem verbi Dei, conſentit.*

DE TRADITIONIBVS
SECVNDO LOCO THEOLOGICO.
DISPVTATIO III.

IAm de Verbo Dei non ſcripto agam, vt appareat, quam virtutem ad dogmata confirmanda obtineat.

Quid ſit Traditio, & quotuplex.

QVÆSTIO PRIMA.

NOTANDVM ex D. Bonauentura *in tertio, diſt. 9. quæſt. 2. in fine*, Traditionem eſſe doctrinam ab vno alij traditam, & communicatam; & hæc poteſt eſſe ſiue ſcripto, ſiue non, vt ibi innuit S. Bonauentura. Sic Exodi 17. *Scribe hoc monumentum in libro, & trade in auribus Ioſuë.* Actorum 6. *Audiuimus eum dicentem, quia deſtruet locum iſtum, & mutabit traditiones, quas tradidit nobis Moyſes.* Similiter ſignificat doctrinam non ſcripto communicatam, vt ſecunda Theſſal. 2. *Tenete traditiones, quas accepiſtis, ſiue per ſermonem, ſiue per epiſtolam.* Et hic ſecundus ſenſus eſt proprius, vt docet Irenæus *lib. 3. cap.* 2. Tertullianus *lib. de corona militis*, Cyprianus *lib. 2. epiſtola* 3. Illa ergo doctrina, quæ non eſt ſcripta à primo authore, etiamſi poſteà à ſuccedentibus, quibus communicatur, ſit ſcripta, vocatur traditio in ſenſu noſtro. Sic obſeruatio Quadrageſimæ in Apoſtolorum non legitur epiſtolis, qui eam tradidere, licèt

à

à Patribus ſcripta ſit. Dicuntur autem Traditiones Apoſtolicæ, non quæuis res dictæ ab ipſis, ſed aliquæ traditæ ad regimen Eccleſiæ, quas Spiritu Sancto afflante ipſi acceperunt.

Tria ſunt genera traditionum ex parte dantis: aliæ enim ſunt diuinæ, quæ à Deo immediatè deriuatæ; aliæ Apoſtolicæ, quæ ab Apoſtolis, vt dixi; aliæ Eccleſiaſticæ, quæ ab Eccleſia; & ſunt quædam conſuetudines Eccleſiæ antiquæ, quæ paulatim, tacito conſenſu, vim legis obtinuerunt.

Eandem verò habent vim traditiones diuinæ, ac præcepta diuina. Similiter Apoſtolicæ æqualem Apoſtolorum traditionibus ſcriptis, vt declarat Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 4. Ratio eſt, quia verbum Dei non habet vim, eo quòd in membranis ſcriptum ſit.

2 Eccleſiaſticæ verò traditiones eandem vim habent cum Decretis, & Conſtitutionibus Eccleſiæ. Vide Bellarminum *de Verbo Dei non ſcripto lib.* 4. *capite primo.* Præclaro epiphonemate D. Chriſt. ad loc. cit. Pauli. *Itaque traditionem quoque Eccleſiæ fide dignam putamus. Traditio eſt, nihil quæras amplius.*

An dentur Traditiones neceſſariæ, & ad dogmata confirmanda.

QVÆSTIO SECVNDA.

Hæretici multa dicunt, quibus traditiones impugnent. Primò docent, in Scripturis contineri omnia neceſſaria ad fidem, & mores, & proinde ſuperfluas traditiones. Ita Lutherus *in cap.* 1. *ad Galat.* Brentius *in Prologum, cap. de Traditionibus.* Caluinus *lib.* 4. *Inſtit. cap.* 8. § 8. Kemnitius *ad ſeſſ.* 4. *Concilij Trid.* Secundò fatentur Apoſtolos aliqua inſtituiſſe ad ritus quoſdam Eccleſiæ, ſed tamen hæc reliquiſſe in libertate. Ita Kemnitius *in ſeptimo genere traditionum*, Caluinus *lib.* 4. *Inſtit. cap.* 10. §. 20. Tertiò dicunt, traditiones nullas Apoſtolicas nunc extare, vt probari valeant, eſſe Apoſtolicæ. Ita Kemnitius *loco citato.*

Igitur omnes hi traditiones non ſcriptas impugnant, quibus adde Hermannum Hamelmannum, qui de hoc volumen edidit integrum: multa verò intermiſcent mendacia, calumnias; ſed mediocriter inſtructus cognoſcet è mola diaboli furfurem.

3 Assero primò cum S. Concilio Trident. paſſim, Traditiones neceſſarias eſſe.

Probatvr primò à D. Bonau. *ſerm.* 14. & 16. *Hexaëmer.* vbi de ſcripturæ origine diſſerens, obſeruat eam à Moyſe incepiſſe, quaſi ſeminarium, antea verò Eccleſia germinauit Patriarchas, & normam Fidei ſtatuit, ſecundum quam ſuccedentes fideles ab aliis fidelibus inſtructi per traditiones ſunt: certum eſt enim, vt ait S. Bonau. *ſerm.* 14. ante legem ipſos nouiſſe neceſſaria ad fidem, & ſalutem. Poſtea verò præcepta ſcripta ſuperuenerunt, quaſi luminaria. Profectò ante legem ſolis traditionibus edocebantur. Ita Geneſ. 18. *Scio* (inquit Deus) *quod Abraham præcepturus ſit filiis ſuis, & domui ſuæ poſt ſe, vt cuſtodiant viam Domini.* A Moyſe verò vſque ad Chriſtum per alia duo millia annorum extiterunt quidem Scripturæ, ſed apud Hebræos tantùm; at verò Gentes, in quibus aliqui fideles viuebant, ſola traditione vtebantur.

Porrò etiam Hebræi traditionibus vtebantur, vt colligitur Exodi 13. *Narrabis filio tuo in die illo, dicens: Hoc eſt, quod fecit Dominus.* Deuter. 32. *Interroga Patrem tuum, & annuntiabit tibi; maiores tuos, & dicent tibi* Iob. 8. *Interroga generationem priſtinam.* Pſal. 43. *Deus auribus noſtris audiuimus, Patres noſtri annunciauerunt nobis.* Pſal. 77. *Quanta mandauit Patribus noſtris, nota facere ea filiis ſuis, vt cognoſcat generatio altera. Filij, qui naſcentur, & exurgent, narrabunt filiis ſuis.* Eccleſiaſtici 18. *Non te prætereat narratio ſeniorum, ipſi enim didicerunt à Patribus ſuis.*

Cauſam autem, cur Hebræi vterentur magis traditionibus, quàm ſcripturis, colligo ex D. Bonau. *præfatione in Pſalterium*; quia Iudæi vſque ad Eſdram non habuerunt Scripturas redactas ad formam voluminum, vt facilè haberi poſſent; ſed erant diſperſæ in variis paginis: Eſdras autem poſt captiuitatem omnia collegit, & in vnum redegit. Hoc aſſerit S. Bonau. cum Theodoreto *præfatione in pſalmos.* Beda *in cap. nono libri primi Eſdræ*, quos imitatur Bellarminus *lib.* 4. *de Verbo Dei ſcripto, cap.* 4. Ex his igitur habemus traditionum neceſſitatem. Addit D. Bonauentura *ſerm* 14. aliam rationem; nam vt Hebræi reciperent legem, & Scripturas, oportuit vt ſcirent mirabilia à Deo patrata antiquitus: hæc autem per traditiones acceperant.

Quod autem Scripturæ non contineant omnia ſine traditionibus, probatur primò, quia vel totum volumen Scripturarum eſt neceſſarium, vel tantùm aliquis liber. Non primum, quia multi Libri Canonici perierunt. Ergo à 1672. annis non habemus notitiam neceſſariam.

Quod enim perierunt aliqui libri, docet Chryſoſtomus *homil.* 9. *in Matth.* & *homilia* 7. *primæ ad Corinth.* nam in Teſtamento veteri fit mentio libri Nathan, & voluminis Calad Videntis, 1. *Paral. vltimo:* & *ſecundo Paral.* 9. pariter fit mentio libri Nathan, & Ahiæ Silonitis, & Addo. Et *lib.* 3. *Reg.* 4. dicitur: *Locutus eſt Salomon tria millia parabolas.* Vbi ſunt hæc? In nouo etiam Teſtamento periit epiſtola Pauli ad Laodicenos, cuius ipſe meminit *Coloſſ. vltimo:* & alia ad Corinthios, quam ſupponere videtur *prima ad Corinthios* 5.

Neque poteſt dici ſecundum, nempe ſingulos libros ſufficere; nam alij eſſent ſuperflui. 4

Probatvr ſecundò ex D Bonau. *ſerm.* 9. *Hexaëmer. ante medium*; quia firmitas Scripturæ dependet ex reuelatione Dei facta Prophetis, ſiue aliis Scriptoribus Canonicis; quæ tamen per Apoſtolos Domini, authoritate Petri, & eius ſucceſſorum debet aſſeri, eam v. g. eſſe prophetiam Iſaiæ; illud Euangelium Marci: non enim Scriptura ſeipſa me reddit certum, eſſe Scripturam. Vnde enim ſciam, hoc eſſe Euangelium Lucæ? Quis me reddit certiorem, hoc non eſſe Euangelium ſuppoſititium, aut deprauatum.

Reſpondet Caluinus *lib.* 1. *inſtit. cap.* 7. §. 1. & 2. ſuam illam refutatam *diſp.* 2. *quæſt.* 7. cantilenam, Scripturam ſeipſa claram eſſe; attamen requiri addit §. 4. vt qui debet iudicare de illa, ſit videns, quia cæcus non iudicat de colore, & luce.

Contrà primò, quia Caluinus *cap* 9. §. 1. contendit, Apoſtolos, & primæ Eccleſiæ fideles habuiſſe verum ſpiritum; at illi iudicabant Librum Sapientiæ eſſe ſacrum, vt teſtatur S. Auguſt. *de prædeſtinatione cap.* 14. quem tamen librum, Caluinus iactans ſe habere verum ſpiritum, proclamat prophanum.

Præterea veteres teſtantur, nos è traditionibus non ſcriptis tantùm, & non aliunde habere, qui ſint Libri ſacri. Ita apud Euſebium *lib.* 6. *hiſt. cap.* 10. Serapion reiicit quædam falsò inſcripta Petro, quia per traditionem

tionem acceperat, nihil tale Petrum ſcripſiſſe. Et *cap.* 11. Clemens Alexandrinus ex traditione docet, quæ ſint vera Euangelia. Idem docet *cap.* 18. Origenes: S. Baſilius *libro de Spiritu ſancto*, *cap.* 27. docet, ſi tollantur traditiones non ſcriptæ, Euangelium paſſurum magnum detrimentum. Et S. Auguſtinus *lib. contra epiſtolam fundamenti*, *cap.* 5. apertè dicit, ſe Euangelio non crediturum, niſi Eccleſia id præcipiat.

Inſtat Caluinus: Fundamentum Eccleſiæ ſunt Scripturæ Prophetarum, & Apoſtolorum, *Epheſ.* 2. Igitur non credimus, Scripturas eſſe Diuinas ex traditione Eccleſiæ. Reſpondetur ex dictis *diſp.* 2. *quæſt. vlt. ad octauum*, Eccleſiam ſupra fundamentum traditionum Apoſtolicarum docere, quæ ſint veræ Scripturæ.

Quapropter conuicti Brentius, & Kemnitius *ſuprà*, fatentur hanc traditionem.

Assero ſecundò, dari veras traditiones. Sequitur ex dictis; ſi enim neceſſariæ ſunt, concedere tenemur eas à Deo ſuæ Eccleſiæ prouideri.

5 Probatvr ergo primò à D. Bonauentura ad ſextumdecimum Ioannis: *Multa habeo vobis dicere, ſed non poteſtis portare modò.* Loqui autem de his, quæ ſunt eis reuelata poſt Aſcenſionem, obſeruat ex D. Auguſtino *tract.* 96. *in Ioannem*, vbi ait: *Omnia enim canonica, atque authoritate conſcripta, ante aduentum Spiritus, quis audit, vel legit?* Quaſi diceret: Iſta, quæ Chriſtus promittebat, reuelatum erat in aduentu Spiritus ſancti; & hæc ex parte erant canonica, prout diſtinguuntur à conſcriptis authoritate diuina.

Profectò etenim de rebus, quas poſt Aſcenſionem Chriſtus operatus eſt, vix habemus pauculas reuelationes (excipe Apocalypſim) factas Stephano, & Paulo. Ergo illa multa, & quidem neceſſaria communicata ſunt per traditiones.

Sanè primos annos poſt Aſcenſionem commerſi ſunt ſine Euangelij ſcriptura; nam Matthæus primus ſcripſit poſt decem annos: Ioannes poſt 30. annos: Paulus a 5. annos antequam ſcriberet, prædicauit. Adde libros ſacros, primò in Concil. Carthag. 3. circa annum 398. promulgatos canonicos, cuius decreta, quippè Prouincialia, confirmata ſunt in Concil. I. Epheſino vniuerſali.

Ipſi porrò Euangeliſtæ traditiones ſcribendo ſecuti ſunt, vt ait D. Aug. *lib.* 1. *de conſenſ. Euang. cap.* 1. Illis veram Scripturæ dari intelligentiam, dicunt SS. Dionyſ. *cap.* 1. *de Celeſt. Hierar.* Clem. P. *lib.* 10. *Recognit.* Auguſt. *epiſt.* 54.

Probatvr ſecundò à D. Bonauentura *ad vltimum Ioannis*, vbi dicitur: *Sunt autem & alia multa, quæ fecit Ieſus, quæ non ſunt ſcripta in Libro hoc, quæ ſi ſcriberentur per ſingula, nec totum mundum arbitror capere poſſe eos, qui ſcribendi ſunt libros.* Vbi obſeruat cum Gloſſa D. Auguſt. *tract.* 124. plura omitti, quæ capacitate omnium hominum legentium non poſſent comprehendi; & plura colligimus omiſſa, quàm ſcripta. Et quidem, quoad miracula aduertit cum D. Chryſoſtomo *homil.* 86. *in Ioannem*, ſatis eſſe enarrata ad fidem ſtruendam, vt credamus in Chriſtum; attamen alia multa omiſiſſe infert præclara, ad Eccleſiæ regimen ſpectantia, traditione euulganda.

6 Probatvr tertiò à Seraphico *in* 3. *diſt.* 9. *quæſt.* 2. *ad vlt.* ex ſecunda Theſſal. 2. *Tenete traditiones, quas accepiſtis, ſiue per ſermonem, ſiue per epiſtolam noſtram.*

Reſpondent Kemnitius, & Hermannus primò, Apoſtolum eadem tradidiſſe, primò ſermone, deinde epiſtola.

Contrà primò, quia, vt obſeruat S. Bonau. diſiunctiuam ponit, *ſiue per ſermonem, ſiue per epiſtolam*, atque hoc notat Chryſoſt. hîc, & Damaſcen. *cap.* 17. *de imag.* Deinde Paulus totum Euangelium, & omnia neceſſaria illis prædicauerat, vt colligitur *ex cap.* 1. *&* 2. *prioris epiſtolæ*. Deberet igitur illa epiſtola continere omnia ab Apoſtolo prædicata, & totum Euangelium.

Reſpondent ſecundò, per *ſermonem* intelligere ea, quæ ipſe ſermone docuerat; attamen erant ſcripta ab aliis, vel poſtea ſcripta ſunt. Cui ſolutioni ſubſcribit etiam Brentius *loco citato*.

Contrà, quia Apoſtolus præcipit, vt obſeruent traditiones ſuas non ſcriptas, quas non dicit ab alio ſcriptas, aut ſcribendas. Ideò gratis reſpondetur.

Nostra verò reſponſio ita accipitur à Patribus, vt traditiones non ſcriptas, inde obſeruandas argumententur. Ita Baſilius *lib. de Spiritu ſancto*, *cap.* 29. Imò Chryſoſtomus hinc deducit *in commentario*, non omnia ab Apoſtolis ſcripta, ſed aliqua etiam ſolâ voce tradita. Idem ſentiunt Oecumenius, & Theophylactus *hoc loco*. Item cum Chryſoſtomo aſtruit Damaſcenus *lib.* 4. *de fide*, *cap.* 17. dicens: *Quod plurima Apoſtoli tradiderunt ſine ſcripto, ſcribit Paulus. Ergo fratres ſtate, & tenete traditiones, quas edocti eſtis, ſiue per ſermonem, ſiue per epiſtolam.* Eodem modo exponit Octaua Synodus Generalis, *actione vltima*, *can.* 1.

Hermannvs opponit alios SS. Patres, oppoſitum (ſi placet) ſentientes, inter quos numerat S. Hieronymum *ad hunc locum*; ſed illa expoſitio eſt Pelagij, non D. Hieronymi, vt notat S. Auguſt. *lib.* 3. *de peccatorum meritis*, *cap.* 1. 5. *&* 12. Sed neque Pelagius aliquid ibi contra nos docet. Cæteri verò ſunt Primaſius, qui eſt pro nobis. Ambroſius ſolùm dicit, Apoſtolum monere, vt permaneremus in doctrina Euangelij. Anſelmus eſt pro nobis. Similiter & Theodoretus malè adducitur ab Hermanno. Verba hæc ſunt: *Habetis regulam fidei, ſermones noſtros, quos prædicauimus vobis, & in epiſtola ſcripſimus.*

Non vult dicere, eoſdem ſermones tantùm prædicatione, & epiſtola, alioqui conciones Pauli de omnibus neceſſariis, quæ eis prædicauerat, in epiſtola clauderentur; ſed vult dicere: *Habetis ſermones, & quos prædicaui, & quos ſcripſi.*

Probatvr quartò à S.D. *loc. cit.* quia ex traditione Apoſtolica veneratur Eccleſia Imagines Sanctorum. 7
Hoc autem extraxit S. Bonau. ex Concilio Niceno ſecundo, *act.* 6. *Tom.* 4. *Concil.* vbi ait: *Quod autem cum multis aliis, quæ in Eccleſia obſeruantur ſine Scriptura, nobis Imaginum veneratio tradita ſit, ab Apoſtolorum temporibus latè per hiſtorias traditum eſt.* Et *act.* 7. in fine: *Si quis traditionem Eccleſiæ ſine ſcripto, ſiue conſuetudine valentem non curauerit, anathema ſit.* Idem reperitur in Concilio octauo Generali, *act.* 8. & *act. vltima*, *can.* 1. profitentur Patres ſe ſeruaturos omnes traditiones Apoſtolicas, & Eccleſiaſticas.

Probat S. Bonau. tertiò Traditionum ſanctitatem *loc. cit.* ex eo, quia Eccleſia traditiones Apoſtoli- 8
cas ſemper coluit, & obſeruauit, quæ verba breuia ſunt, ſed totum negotium concludunt. Certum eſt enim Eccleſiam non fuiſſe deceptam, *quæ eſt columna, & firmamentum veritatis*, 2. Timot. 3. Iam verò videte, quo nitatur S. Bonau. fundamento.

S. Fabianvs Papa *epiſt.* 2. *ad Epiſcopos Orientis*, decernit, Chriſma quotannis renouari, & ſubdit: *Ita à SS. Apoſtolis, & eorum ſucceſſoribus accepimus, vobiſque tenenda mandamus.*

S. Innocentivs I. epiſt. prima: *Si inſtituta Eccleſiaſtica*, ait, *vt ſunt a Beatis Apoſtolis tradita, integra vellent ſeruare Domini ſacerdotes, nulla varietas in ipſis ordinibus, & conſecrationibus haberetur.*

S. Leo *ſerm.* 1. *de Quadrageſima*, ait: *Apoſtolica inſtitutio*

inſtitutio quadraginta dierum ieiunijs impletur. Et *ſerm.2. de ieiunio Pent.* ait: *Dubitandum non eſt, dilectiſſimi, omnem obſeruantiam chriſtianam eruditionis eſſe diuinæ, & quicquid ab Eccleſia in conſuetudinem eſt deuotionis receptum, de traditione Apoſtolica, & de Sancti ſpiritus prodire doctrina.*

9 Concilivm Nicænum tanti fecit traditiones non ſcriptas, vt iis ſolis condemnauerit Arrium, vt teſtatur Theodoretus *lib.1. hiſt. cap.8.* & Athan. *in decret. Synodi Nic.* & *Act.1.* definit: *Qui Doctrinas SS. Patrum, & traditionem Catholicæ Eccleſiæ contemnit, anathema ſit.*

Beatvs Baſilius *lib. de Spiritu ſancto, cap.27. Dogmata, quæ in Eccleſia ſeruantur, ac prædicantur* (ait) *partim ex conſcripta doctrina habemus, partim ex traditione Apoſtolorum, in myſterio ad nos delata, recepimus. Quæ vtraque eandem ad pietatem vim habent, & nemo his contradicit, qui mediocrem ſaltem Eccleſiaſticorum iurium habet experientiam.* Et enumerat multas
10 traditiones non ſcriptas Apoſtolicas: neque verò ſolos ritus liberos, vt fingit Kemnitius, ſed aliqua eſſentialia, vt confeſſionem fidei in Symbolo, quod ex Apoſtolica traditione habemus, vt notat etiam S. Bonau. *ſerm.8. Hexaemer.* & *part. 3. Centil. ſect.* 38. vbi dicit cum D. Ambroſio, infrà citando, fuiſſe conditum ex traditione certa Fidei. Vide etiam *in Diæta ſalutis, tit.5. cap.3.* Affert etiam Baſilius vnctionem in Confirmatione. Similiter etiam, quæ videntur Kemnitio libera, vt, v.g. ſignum Crucis, non ſunt talia; nam ſignum Crucis in conſecratione Aquæ, Euchariſtiæ, Chriſmatis eſt neceſſarium: dicit enim S. Auguſt. tract. 118. in Ioannem: *Sine ſigno Crucis nulla Sacramenta ritè peragi.* Idem docet Chryſoſtomus *homil.55. in Matthæum.*

Brentivs reſpondet, hos eſſe errores Baſilij, & ideò, nos omnes Porcos conclamat, & filios Cham, reuelantes patris turpitudinem. Impium enim dictum, omnes traditiones, etiam rerum leuium, æquales obſeruationibus grauibus eſſe.

Vervm non dicit S. Baſilius, omnes eſſe æqualis obligationis, ſed venerationis; ita vt non minùs venerari debeamus tanquam Apoſtolicas has, quàm illas. Taceat ergo aper de ſylua, Eccleſiæ vineæ vaſtator.

Hermannus reſpondet, hæc verba inſerta in Baſilio ab aliquo nebulone.

Vervm contrà eſt; nam vt notat S. Bonau. *in 3. loc. cit.* D. Damaſcenus, Baſilij deuotus, eadem aſſeruit *lib.4. de fide, cap.17.* loquens de Imaginibus, vbi ait: *Plurima Apoſtoli ſine ſcripto tradiderunt.* Et oratione prima de Imaginibus, ſic ad verbum ait: *D. Baſilius in vigeſimoſeptimo capite illius libri, quem de Spiritu ſancto diſtinctum triginta capitibus, ad Amphylochium ſcribit, quæ in Eccleſia ſeruantur, & prædicantur inſtituta, partim ex ſcripta conſtant doctrina, partim Apoſtolorum traditione, &c.*

11 Gregorivs Nazianzenus oratione prima in Iulianum. *Ceterum maiorem, atque inſigniorem* (ideſt doctrinam) *ob eas Eccleſiæ figuras, quas traditione acceptas in hunc vſque diem ſeruamus.* Explicat autem ſe figuras Eccleſiæ vocaſſe Ordinem Eccleſiæ, rationem pſallendi, modum pœnitentiæ imponendæ, ſacraria in Templis, Monachorum Virginum Cœnobia, & alia, quæ ex ſola traditione habemus.

Chrysostomvs in 2. Theſſal. 2. *Patet* (inquit) *quòd non omnia per epiſtolam tradiderunt Apoſtoli; ſed multa ſine litteris. Eadem vero fide digna ſunt, tam iſta, quam illa.* Idem habent Theophylact. & Oecumenius.

Hinc adnotanda Kemnitij inſolentia, qui audaciæ incuſat hoc dictum Baſilij, Chryſoſtomi, & aliorum Patrum, eadem veneratione dignas aſſerentium traditiones cum verbo ſcripto: & propterea Concilium Trident. irridet.

Epiphanivs hæreſi 55. *Termini* (ait) *nobis poſiti ſunt, & fundamenta, & ædificatio fidei, & Apoſtolorum traditiones, & Scriptura ſancta, & ſucceſſiones doctrinæ, & vndequaque veritas munita eſt, vt nemo decipiatur nouis fabulis.*

Item hæreſi 61. *Oportet & traditione vti; non enim omnia à Diuina Scriptura accipi poſſunt. Quapropter aliqua in ſcripturis, aliqua in traditione, ſancti Apoſtoli tradiderunt.* Similia habet *hæreſi 75.* Notat verò, laudari eas à Paulo 1. *Cor.11.* & præcipi ibi: *Laudo vos, quòd ſicut tradidi vobis, præcepta tenetis.*

Aduerſarij contumeliis reſpondent ad Epiphanij ſcripta.

S. Cyprianvs lib.1. epiſt.12. *Vngi quoque neceſſe* 12
eſt (inquit) *eum, qui baptizatus ſit.* Et lib.2. epiſt. 3. *Admonitos nos ſcias, vt in Calice offerendo Dominica traditio ſeruetur, neque aliud fiat à nobis, quàm quod pro nobis Dominus fecit, vt Calix, qui in commemorationem eius offertur, mixtus vino offeratur.* Certum eſt autem, has cæremonias non haberi ſcriptas. Et ſic refellitur reſponſio Hermanni. At Brentij, Cyprianum eſſe duri martis, indigna eſt reſponſione contumelia.

S. Ambrosivs, *lib. de iis, qui initiantur myſteriis,* 13
cap.2. & 6. & *lib.1. de ſacram. cap.1. & 2.* explicat ritus, qui ab vniuerſa Eccleſia ſeruantur in Baptiſmo, qui non ſunt ſcripti, & referuntur in Apoſtolos authores. Et *ſerm. 25. 34. & 36.* docet, Quadrageſimam à Chriſto præceptam: *epiſt 81.* & *ſerm.38.* docet, Symbolum Apoſtolorum Apoſtolicam eſſe Traditionem.

Hermannus multas blaſphemias iaculatur in ſanctum Ambroſium.

S. Hieronymvs *epiſt. ad Marcellam, de erroribus* 14
Montani, ait: *Nos vnam Quadrageſimam ex Apoſtolica traditione, tempore nobis congruo ieiunamus.* Item *in dial. cont. Luciferianos,* Hæretico alloquenti: Multa, quæ per traditionem in Eccleſiis obſeruantur, authoritatem ſibi ſcriptæ legis vſurpauerunt. Reſpondet: *Non quidem abnuo, hanc eſſe Eccleſiarum conſuetudinem; ſed quale eſt, vt leges Eccleſiæ ad hæreſim transferas?*

S. Avgvstinvs *epiſt.* 108. ait: *Illa autem, quæ non* 15
ſcripta, ſed tradita cuſtodimus, quæ quidem toto terrarum orbe ſeruantur, dantur intelligi, vel ab ipſis Apoſtolis, vel à plenariis Conciliis, quorum eſt in Eccleſia ſaluberrima authoritas, commendata, atque ſtatuta retinerè; ſicut, quod Domini paſſio, Reſurrectio, & Aſcenſio in cælum, & Aduentus Spiritus ſancti, anniuerſaria ſolennitate celebrantur. Hermannus tandem confitetur, S. Auguſtinum eſſe nobiſcum, cum aliis Patribus.

Brentivs verò reſpondet primò, has non eſſe neceſſarias obſeruationes.

At S. Auguſt. ibidem ſubdit: *Alia verò, quæ per terrarum loca variantur, liberas habent obſeruationes.* Ergo illæ ſuprà relatæ aſtruuntur neceſſariæ.

Reſpondet ſecundò, falſum eſſe, hæc eſſe ex Apoſtolica traditione, cùm Apoſtolus arguat Galatas, *cap.4.* quia obſeruant tempora.

Vervm reſpondet S. Auguſt. *epiſt.119.cap.7.* Apoſtolum reprehendere obſeruationes temporum, iuxta regulas Aſtrologorum.

Reſpondet ſecundò *in lib. cont. Adimantum, cap.16.* Apoſtolum loqui de feſtis Iudæorum. Ita exponunt etiam Hieronymus, & Chryſoſtomus, Ambroſius verò

verò amplectitur. Iam D. Bonau. *in 4. diſt. 32. art. 4. quæſt. 1. ad 1.* dicit, Apoſtolum non reprehendere obſeruationes temporum quoad ea, quæ ſubſunt naturæ, vt ad ſeminandum, nauigandum: neque reprehendere obſeruantes tempora ſecundùm ſpiritualem Inſtitutionem in executione ſpiritualium, vt dies ad colendum Natale Domini, Reſurrectionem, vt in his ampliùs laudetur Deus; ſed eos, qui obſeruant tempora ad res ſupra naturam, quæ cum lunationibus, & ſimilibus non conueniunt, vt in his, quæ ſunt gratiæ, & liberi arbitrij.

16 RVRSVS D. Auguſt. *lib. 2. contra Donatiſtas, cap. 7.* & *lib. 4. cap. 6.* idem docet. Et *lib. 4. cap. 24.* auream profert ſententiam: *Quod vniuerſa tenet Eccleſia, nec Conciliis inſtitutum, ſed, ſemper retentum eſt, non niſi Apoſtolica authoritate traditum, rectiſſimè creditur.* Et *lib. de vnitate Eccleſiæ, cap. 19.* cùm obiiceret hæreticus, vt inueniret, vbi Chriſtus ſcriptum reliquerit, ſuſcipiendos hæreticos ad pœnitentiam. Reſpondet: *Cùm hoc nuſquam legatur, credendum eſſe Eccleſiæ, quam veracem Chriſtus teſtatus eſt.* Multa verò garrit Kemnitius, ſed inania. Vide in Bellarmino *lib. 4. c. 7.*

TANDEM Seraphicus Doctor *in 3. loc. cit.* affert alias traditiones ex Euſebio *lib. 2. hiſt. cap. 9. de Imaginibus.* Profert autem Euſebius multa aſſerta Patrum aſſeuerantium traditiones, *lib. 3. hiſt. cap. 36.* S. Ignatium *lib. 4. hiſt. cap. 8.* Egeſippum *lib. 5. cap. 20.* Polycarpum, & Irenæum, qui *lib. 3. cap. 2. 3. & 4.* multa præclara aſtruit de traditionibus non ſcriptis. Et concludit, *non eſſe aliam viam perueniendi ad veritatem, quam conſulendo Eccleſias, in quibus eſt ſucceſſio Epiſcoporum ab Apoſtolis; & conſiderando, quid ibi doceatur, & quam dicant illæ Eccleſiæ eſſe Apoſtolicam traditionem.* Quid clarius? Vide eundem Euſebium *lib. 1. de demonſtr. Euang. cap. 8.* Vſus Eccleſiæ, quo nititur S. Bonau. confirmatur. Sicut enim, vt omnes Patres teſtantur, Eccleſia traditiones magni facit, ad dogmata probanda; ita hæretici, omnibus ferè ſæculis eas recuſarunt, vt refert Bellarminus *cap. 8.* Ideo Clem. Alex. 7. *Stromat.* ait, vocari à Paulo prima Tim. 6. *depoſitum charum.* Et S. Dionyſ. *loc. cit. de Eccl. Hier. cap. 1.* idem aſſerit de Eccleſia.

17 Obiiciunt primò *Deuter. 4. & 11.* dicitur: *Non addetis ad verbum, quod ego præcipio vobis.* Et Apoc. vlt. *Si quis appoſuerit ad hæc, &c.* Et Galat. 1. *Sed licèt Angelus euangelizet vobis, præter quam quod euangelizauimus vobis, anathema ſit.*

Reſpondetur ex dictis *diſp. 2. quæſt. 2.* cum D. Bonau. *proœm. in Ioan. ante medium*, ſenſum eſſe, obſeruanda præcepta Diuina adamuſſim, ſicut ſunt tradita; nec deprauandam legem, vel ſenſum eius, falſa interpretatione: alioqui, vt acutè S. Bonau. infert, peccaſſent Prophetæ, & Euangeliſtæ multa Deuteronomio addentes.

INSTANT Brentius, Kemnitius, Caluinus, Prophetas non addidiſſe quidquam ad legem, quoad doctrinam, ſed tantùm vaticinia quædam de futuris ſcripſiſſe, & Legis doctrinam explicaſſe: Teſtamentum quoque nouum non eſſe additionem ad vetus, ſed explicationem.

VERVM teſtamentum nouum non continetur in veteri formaliter, ſed ſolùm vt in ſemine, vt notat D. Bonau. *ſerm. 16. Hexaemer.* & latè oſtendit.

Deinde reſpondet S. D. *loc. cit. proœm. in Ioan.* Euangelium addere legi veteri præcepta perfectiora, & conſilia. *Mandatum nouum do vobis. Hoc eſt præceptum meum, vt diligatis inuicem, ſicut dilexi vos.* Sic Euangelio traditur lex gratiæ, amoris, charitatis; non timoris.

Adduntur conſilia Matth. 19. *Si vis perfectus eſſe, vade, &c.* Similiter multa addit ad confirmationem veræ fidei in Deum, nedum ad maiorem explicationem. Prohibetur ergo additio contraria diuinis præceptis. Et hoc modo intelligendus Ioannes, qui aliquid erraſſet; nam ſcripſit Euangelium poſt Apocalypſin, vt ait Kemnitius *pag. 202.*

AD ILLVD *primo ad Galat.* quo maximè Brentius, & Kemnitius nituntur.

Reſpondet S. Bonau. *loc. cit. proœm. in Ioan.* prohiberi à Paulo dogmata contraria his, quæ docuit; & ita particula *præter*, ſignificat contra, ſeu alienum ab his, quæ docuerat, vt ait D. Bonau. è Gloſſ. & Patribus. Ambroſius legit, *ſi contra id.* Hier. *ſi aliter.* Chryſoſt. Oecum. & Theophylact notant, Apoſtolum illis verbis emphaticis indicere, non eos ſolos anathemate impeti, qui audent docere euidenter contraria toti doctrinæ; ſed etiam eos, qui quomodocumque, ſiue apertè, ſiue obliquè, quidlibet labefactant doctrinæ traditæ.

D. BASILIVS *ſumma morali 72. cap. 1.* docet, ex hoc loco haberi, eos recipiendos, qui conſona Scripturis tradunt: eos reiiciendos, qui aliena. Itaque perperam pro ſe eum adducit Kemnitius. Similiter D. Auguſt. *lib. 17. contra Fauſtum, cap. 3.* exponit: *Si contra.* Et *tract. 98. in Ioan.* ſic loquitur: *Non ait pluſquam accepiſtis; ſed præterquam quod accepiſtis. Nam ſi illud diceret, ſibi ipſi præiudicaret, qui cupiebat venire ad Theſſalonicenſes, vt suppleret, quæ illorum fidei defuerunt. Sed, qui ſupplet, quod minus erat, addit; non quod inerat, tollit. Qui autem prætergreditur regulam fidei, non accedit in via, ſed recedit à via.* Ex quo apparet quid ſignificare velit S. Auguſt. illo, *præterquam, quod euangelizatum eſt à me*, quo malè detorto, conatur Kemnitius abuti, ex D. Auguſt. *lib. 3. contra literas Petiliani, cap. 6.*

OBIICIVNT ſecundò Ioan. 20. *Multa ſigna fecit Ieſus, quæ non ſunt ſcripta in libro hoc: hæc autem ſcripta ſunt, vt credatis, quòd Ieſus eſt Filius Dei, & vt credentes vitam habeatis.* 18

RESPONDET S. Bonau. *ad 20. & 21. Ioan.* in fine, ex D. Auguſt. & Chryſoſtomo, loqui Ioannem de miraculis ſcriptis, & dictis Chriſti, quæ ſatis ſunt ad probandam Chriſti Diuinitatem, non de dogmatibus omnibus; & ita etiam exponit illud Ioannis vltimo, vt dixi argumento ſecundo, pro ſecunda aſſertione.

OBIICIVNT tertiò ſecunda Timot. 3. *Omnis ſcriptura diuinitus inſpirata, vtilis eſt ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iuſtitia: vt perfectus ſit homo Dei, ad omne opus bonum inſtructus.* Hic locus eſt Achilles Brentij, & Kemnitij, qui *vtilem*, ideſt ſufficientem ad omnia exponit.

RESPONDETVR cum D. Bonau. *ſerm. 13. Hexaëmer.* in opuſculo *Principium ſcripturæ*, & aliis ſuprà allegatis, & ad Eccleſiaſten *cap. vlt.* circa finem, Scripturam verè ad omnia hæc vtilem, imò neceſſariam; ſed inueniat Kemnitius Grammatulus, vbinam vtilis ſignificet ſufficientem. Traditiones verò eſſe lapidem lydium, docet *proœm. in lib. 1. de Principiis, & hom. 5. in Numer. tract. 24. in Matth.* & *ad cap. 6. Rom.* Origenes.

Obiiciunt quartò ſcripturas aliquas, quibus damnantur traditiones. 19
Iſai. 29. *In vanum colunt me docentes mandata, & doctrinas hominum.* Matth. 15. *Irritum feciſtis mandatum Dei, propter traditiones veſtras.* Galat. 1. *Æmulator exiſtens paternarum mearum traditionum.* Coloſſ. 2. *Videte, ne quis vos decipiat per inanem fallaciam, ſecundùm traditionem hominum.* Prima Petri 1. *Redempti eſtis de vana veſtra conuerſatione paternæ traditionis.*

Reſpondetur

Reſpondetur cum D. Bonau. *ad 6. Lucæ*, Chriſtum, & Apoſtolos reprehendere traditiones, non quæ acceptæ erant à Moyſe, & Prophetis, quarum vna erat de ipſis libris canonicis, qui eſſent veri, & qui non eſſent; vt colligitur etiam ex D.Bonau. *procem. in Pſalmos*: ſed quaſdam traditiones Rabbinorum quorumdam perniтioſas, cum ſcripturis pugnantes, ſuperſtitioſas. Ita reſpondet Irenæus *lib.4.cap.25.& 26.* Epiphanius *in hæreſi Ptolomei*, Hieron. *in cap. 8. Iſai, & in cap.3. epiſtola ad Titum, & in epiſt. ad Algaſiam, quæſt.* 10. & hæ vetantur etiam à Iuſtin. *Nouella* 146.

Mvlta obiiciunt Kemnitius, & alij è Sanctis Patribus. Sed iam vidimus, eos eſſe pro catholica ſententia traditionum, vt etiam ipſi fatentur. Quare teſtimonia Sanctorum ipſi mutilant, detruncant, adulterant, vt notat Bellarminus *cap.11.*

Aliquas etiam ratiunculas admiſcent, quæ digitorum confricatione in puluerem reuertuntur. Videant ipſi, quot ſuperſtitioſas ſibi traditas obſeruant cæremonias in cœnis, & quot ſacrilegos ritus, quos diſputans non ratò eis obieci.

Porro tu Caluine infande, eſca vermium, gehennæ pulmentum, qui latras vnà cum tuis concanibus: Nihil credendum, quod Scriptura non continet; vbi hoc in Scriptura oſtendis? Igitur non credendum, hoc tuum axioma.

Traditiones vobis contemnentibus anathema fulminat Concilium primum Nicænum *act.* 1. & ſecundum *act.7.* Vide præclara in P. Zacharia Bouerio noſtro *demonſtr. quinta Symboli, in fine.* Has tractat diffusè Martinus Pereſius Aiala, Guidixienſium Epiſcopus, in quo nonnulla cautiùs obſerua.

Præclare D. Irenæus lib.3.c.3. *Traditionem itaque Apoſtolorum in toto mundo manifeſtatam, in Eccleſia adeſt perſpicere omnibus, qui vera velint audire.* Alia c.4. quod ſi non eſſent ſcripturæ, oporteret traditionibus ſolis ſtare. Idem habet D.Hier. *aduerſ. Lucif.c.4.* Atque *in his rebus, in quibus nihil certè ſtatuit Scriptura, mos populi Dei, vel inſtituta maiorum pro lege tenenda*, ait D. Aug. *epiſt.*86. qui nihil frequentius vrget contra Donatiſt. *lib.7.c.53.* Fauſtum *lib.11.c.2.* Iulianum *lib.2.c.1.* Creſc. c.33.& *lib. de hæreſibus*, hoc gladio omnes confodit. Sic Origenes Celſum proſternit *tr.20. in Matth.* Athan. Arrianos *in decr. Synod Nic.* Baſil. Eunomium *lib.1.* Sabellium, & alios *hom.28.* Nazianz. alios *or.2.*

Postremo vniuerſa Concilia, hoc medio, hæreſes, quas oppugnabant, expugnarunt. Sic Romana Synodus, ſub Fabiano, *Nouatianam* iugulauit; Antiochena *Samoſatenam*, Nicæna *Arianam*, Gangrenſis *Euſtachij*, Conſtantinopolitana *Macedonij*, Aquileienſis *Palladij*; Telenſis *Iouiniani*; Mileuitana *Pelagij*, Epheſina *Neſtorij*, Chalcedonenſis *Eutychianam*, Braccarenſis *Priſcillianam*; Nicæna ſecunda *Iconomacham*. En quanti penduntur Traditiones.

DE CONCILIIS
TERTIO LOCO THEOLOGICO.
DISPVTATIO IV.

Quæ ſint Concilia approbata, & quæ non.

QVÆSTIO PRIMA.

1 Svppono primò, *Concilij* nomen idem ſignificare, quòd in Regnis Comitia, quæ ſunt conuentus Principum, vel Primorum Magiſtratuum ad res definiendas, quæ in dubium veniunt; ſic enim & in Eccleſia, cùm oritur controuerſia aliqua de Religione, conueniunt Præſules Eccleſiarum, & ſimul ſtatuunt, quod bonum videtur, vt notat D. Bonau. *ſerm. 9. Hexaemer.* circa finem.

2 Svppono ſecundò, originem Conciliorum non eſſe humanum inuentum, vt clamat Luth. *ad* 15. *Act.* Calu. *lib.4.cap.9.§.2.* nec abeſt Pigh. *lib.6. de cel. hier. c.6.* ſed Diuinum: quod multis ex locis videtur colligere S.Bonau. ad illud Lucæ 3. *Congregabit triticum in horreum ſuum.* Ibi multas à Deo congregationes adunatas enumerat. Inter has, congregationem ad ea, quæ ſunt humanæ conuerſationis, exponit ad finem congregationis in horreum Domini, de quo Matth.18. *Vbi ſunt duo, vel tres congregati in nomine meo, illic ego in medio ſum.* Quo loco demonſtrata fuiſſe à Chriſto Concilia, docent Concilium Chalcedonenſe *epiſt. ad Leonem*, & ſexta Synodus *act.17.* & Cœleſt. Papa *epiſt. ad Concilium Epheſinum.* & Concil. Toletanum tertium, non procul ab initio, Cyril. Alex. *ad Anaſt.* Damaſc. *orat.1.*

Apponit & Concilia Eccleſiæ naſcentis, *Actorum* 3
cap. 1. ad electionem duodecimi Apoſtoli, teſtante Pontifice Petro, id Deo iubente fieri, ad Spiritus Sancti prophetiam adimplendam. Secundum c.6. Ad ſeptem Diaconos eligendos. Tertium c.15. ad dogmata fidei ſancienda. Hoc à Spiritu ſancto directum, teſtantur Patres. *Viſum eſt Spiritui ſancto, & nobis.* Quod indicat Concilium Conſtantinop. 2. *collat.* 8. Vt inſanus mentiri cernatur Lutherus, negans Spiritus ſancti aſſiſtentiam in Conciliis.

Accinit S. D. & Concilia antiqua à Deo Congregata. Primum *Exodi* 19. in Sina, à quo excludit populum: Sacerdotes autem accedentes ad agendum de Lege, iubet ſanctificari. *Numer.* 11. vbi inſtituit Deus Conſilium *Sanhedrin*, 70. ſeniorum, quibus Spiritum ſanctum diſpertiri promittit. Ad hoc definitiones fidei remittit; & Præſidem Moyſen ſacerdotem deſignat hic, & ſummos Pontifices ſucceſſores, vt notat S. D. *in confeſſionali, cap.1. part.5.* & *in opuſc. Cur fratres prædicent.* Hæc ait S.D. *loc. cit. in Lucam*, exponi à Moyſe mox morituro, *Deuter.4*

At præclariùs ſuam cum Patre, & Spiritu ſancto inſtituente Concilia, aſſiſtentiam ſpondet, *Ioan.* 14. & 16. Iridem *Act.*20. Paulus in Aſia Epiſcopos congregauit, & in regimine inſtruxit, iuxta Spiritus ſancti inſtitutionem. Fuit autem Prouinciale Concilium.

Mirum

Mirum autem audere ſectarios, Spiritum ſanctum Conciliis denegare, vt omnia incerta, omnia erroribus obnoxia in Eccleſia ſinant. Eos validè conterit Bouetius *demonſtr.4. Symboli.*

Affert etiam S. Bonau. ad *Pſal* 49 quo præcepit Dominus, vt congregentur Prælati. *Congregate illi ſanctos eius, qui ordinant teſtamentum eius ſuper ſacrificia.* Vbi aduertit Seraphicus Doctor, congregari ad diſcernenda, & definienda diuina Sacramenta. Confirmatur ex 15. Actorum, vbi dicitur: *Viſum eſt Spiritui ſancto, & nobis.*

4 NOTANDVM verò, quatuor genera Conciliorum exiſtere. Aliqua ſunt Generalia, quæ ideò dicuntur Oecumenica, ideſt, totius orbis, quia Epiſcopi totius orbis eis intereſſe poſſunt, & debent. His autem ſummum Pontificem ſolum præſidere conceſſum eſt,

ALIA ſunt Nationalia, in quibus conueniunt Archiepiſcopi, & Epiſcopi vnius Regni, vel Nationis, quibus præeſt aliquis Patriarcha, vel Primas.

ALIA ſunt Prouincialia, in quibus conueniunt tantùm Epiſcopi vnius Prouinciæ, & præeſt Archiepiſcopus, ſiue Metropolitanus.

ALIA ſunt Diœceſana, quibus præeſt Epiſcopus, & conueniunt Preſbyteri Epiſcopatus. Ex Conciliis Generalibus decem, & octo ſunt approbata.

5 PRIMVM eſt Concilium Nicænum, quod fuit celebratum *ab anno* 327. *vſque ad* 330. qui fuit annus quintuſdecimus Silueſtri Papæ, & vigeſimus Conſtantini Imperatoris. In eo conuenerunt Epiſcopi pluſimi, quorum numerus verus eſt 318. licèt alij pauciores numerent. Ita ſentit Bellarminus cum D. Bonau. *ſerm.9. Hexaëmer.* & *in p.1. diſt.21. dubio primo littera.*

In eo duæ potiſſimùm controuerſiæ definitæ ſunt; altera Paſchæ; altera Diuinitatis Chriſti.

6 SECVNDVM Generale Concilium eſt Conſtantinopolitanum, celebratum contra Macedonium negantem diuinitatem Spiritus ſancti, Theodoſio ſeniore Imperatore, ac Damaſo Papa. Huic interfuere centum quinquaginta Epiſcopi. Hoc etiam D. Bonau. refert *loc. cit. Hexaem.* & *in p.1. diſt.11. dub.1.* Fuit autem celebratum circa *annum* 383. Proſpero teſte *in Chronic.*

Aduerte autem, in hoc Concilio non affuiſſe Occidentales, ſed hos Romæ cum Damaſo congregatos conueniſſe, ac ſententias coniunxiſſe.

7 TERTIVM Concil. eſt Epheſinum primum, Theodoſio iuniore Imperante, & Cæleſt. I. Papa. Hoc adunatum eſt contra Neſtorium, qui duas in Chriſto perſonas diuidebat, circa annum 434. Vide D. Bonau. ſuprà.

QVARTVM fuit Chalcedonenſe, contra Eutychen, qui vnam tantùm naturam in Chriſto ponebat poſt Incarnationem; Leone I. Pontifice, & Marciano Auguſto, Conſulatu eiuſdem Marciani, vt ipſum teſtatur Concilium, *act.* 1. Huic affuere 630. Epiſcopi. Hæc fuere quatuor principalia Concilia Patrum, quibus tanquam quatuor Euangeliis credendum, dicebat S. Gregorius Magnus *lib.1. epiſt.* 24. His quatuor reſpondebant quatuor Concilia Apoſtolorum, vt notat D. Bonau. *in p.1. loc. cit.* Primum fuit ad electionem Mathiæ, *Actorum* 1. Secundum ad electionem ſeptem Diaconorum, *Actorum* 6. Tertium ad non imponenda legalia Gentibus, *Actorum* 15. vbi grauiter proteſtantur: *Viſum eſt Spiritui ſancto, & nobis.* Quartum ad tolerandum legalia ad tempus, *Actorum* 21.

8 QVINTA SYNODVS Generalis Conſtantinopoli celebrata eſt, Vigilio Pontifice, & Iuſtiniano ſeniore Imperatore, *anno ſalutis* 553. vel 556. ſecundùm Pſellum. Ibi fuere 165. Epiſcopi. Fuit Concilium coactum contra hæreſim Origenis. Synodum Pontifex libello confirmauit, licèt non affuerit.

9 SEXTA SYNODVS Generalis coacta eſt Conſtantinopoli *anno duodecimo* Conſtantini quarti Imperatoris, teſte Paulo Diacono in vita eiuſdem, anno 681. vel 685. iuxta Pſellum. In ea fuere Epiſcopi 289. vt idem Paulus Diaconus teſtatur. Huic interfuit Pontifex Agatho per Legatos ſuos. In ea damnati ſunt ponentes vnicam in Chriſto voluntatem.

SEPTIMA SYNODVS apud Nicæam, *anno* 8. *Conſtant. & Irene*, vt ſcribunt Paulus Diaconus *lib.23. Romanarum rerum*, & Cedrenus *in compend. hiſt. anno* 781. 10
ſi Paulo Diacono credas, vel 786. ſi credis Cedreno. Huic præfuit Adrian. per Legatos, & damnauit Iconomachos. Huic interfuere 350. Epiſcopi, ſi Pſello credis.

OCTAVA SYNODVS eſt Concilium quartum 11
Conſtantinopolit. Adriano II. Pontif. & Baſilio Auguſto, *anno Domini* 870. Conuenere Epiſcopi 383. depoſitus eſt ibi Photius.

NONVM CONCILIVM eſt Lateranenſe primum, 12
Epiſcoporum 900. *anno* 1123. contra Saracenos, pro recuperanda terra ſancta, tempore Calliſti ſecundi P. & Henrici V. Imperatoris.

DECIMVM eſt Lateranenſe ſecundum, Epiſcoporum 1000. *anno* 1139 contra Antipapas, tempore 13
Innocentij II. & Lotharij Imperatoris.

VNDECIMVM eſt Lateranenſe tertium, Epiſcoporum ferè 300. pro reformatione Eccleſiæ, & contra Vualdenſes, *anno* 1180. tempore Alexandri III. & Federici I Imperatoris. 14

DVODECIMVM eſt Lateranenſe quartum, Patrum 1283. *anno* 1215. contra varias hæreſes, ſub Innocentij III. & Federici ſecundi Monarchia. 15

TERTIVMDECIMVM eſt Lugdunenſe primum, *anno* 1244. contra Federicum ſecundum Imperatorem, tempore Innocentij IV. 16

DECIMVMQVARTVM eſt Lugdunenſe ſecundum, Patrum ferè mille, *anno* 1274. contra errorem Græcorum, tempore Gregorij X. & Rodulphi Imperatoris. Huic præfuit, nomine Pontificis, Seraphicus Doctor S. Bonauentura, quo munere glorioſè perfunctus ad cælum euolauit. 17

DECIMVMQVINTVM eſt Viennenſe, Epiſcoporum 300. *anno* 1311. contra varias hæreſes, tempore Clementis V. & Henrici ſeptimi Imperatoris. 18

DECIMVMSEXTVM eſt Florentinum, *anno* 1439. 9
Patrum 141. contra errorem Græcorum, Eugenio IV. Pontifice, & Alberto Imperatore.

DECIMVMSEPTIMVM eſt Lateranenſe quintum, 26
contra ſchiſmata tempore Iulij ſecundi, & Leonis X. & Maximiliani Imperatoris: cœpit *anno* 1512. & conſummatum eſt *anno* 1517.

DECIMVMOCTAVVM eſt Tridentinum, *anno* 1545. 21
inchoatum, & 1563. finitum, contra Lutheranorum hæreſes tempore Pauli III. Iulij III. Pij IV. Carolo V. & Ferdin. Imperatoribus. In eo fuere ſex Cardinales, quatuor Legati, tres Patriarchæ, 32. Archiepiſcopi, Epiſcopi 228. Abbates quinque, Generales Ordinum Miniſtri ſeptem, Epiſcoporum Procuratores plurimi. Ita recenſet Gaſpar Villalpandus *diſp 5. de Concil. Trid.*

Hæc omnia Conſilia ſunt à Papa approbata, & à 22
Catholicis recepta. Et quidem de primis octo, patet in decreto, *diſt.* 19. can. *Sancta octo.* De nouem ſequentibus patet, quia in eis præfuit ſummus Pontifex. De vltimo patet, ex confirmatione Pij IV. Græci tantùm recipiunt prima ſeptem Concilia, vt notum eſt ex Concilio Florentino, *ſeſſ.* 5. & 6. Lutherani autem recipiunt tantùm prima ſex, vt patet ex Magdeburgenſibus *centur.8. cap.9.* & *centur.9. cap.9.* Eutychiani, qui adhuc reperiuntur in Aſia, tantùm recipiunt prima tria. Neſtoriani, qui adhuc in Oriente reliqui ſunt, ſolùm recipiunt prima duo. Trinitarij, qui in Hungaria, & Polonia nunc verſantur, nullum recipiunt. Vide Bellarminum *lib.1. de Conciliis, cap.5.*

SECVNDO

Secvndo loco ſunt recenſenda Concilia Generalia reprobata.

Primvm eſt Antiochenum, anno 345. in eo enim damnatus eſt Athanaſius.

Secvndvm eſt Mediolanenſe, anno 449. in quo Fides Catbolica damnata eſt.

Tertivm eſt Ariminenſe, anno 363.

Qvartvm eſt Epheſinum ſecundum anno 449. in quo, factione Dioſcori, occiſus eſt S. Flauianus.

Qvintvm eſt Conſtantinopolitanum ſub Leone Iſaurico, contra ſacras imagines, anno 73n.

Sextvm eſt Conſtantinopolit. ſub Copronymo Conſtantino, anno 755. vbi abolitæ imagines.

Septimvm eſt Piſanum, anno 1511. contra Iulium ſecundum.

Octavvm Concilium Vuittembergæ, præſide Luthero, anno 1536.

Tertio loco ſunt Concilia Generalia partim approbata, partim reprobata.

Primvm eſt Sardicenſe anno 351.

Secvndvm eſt Sardicenſe anno 356.

Tertivm eſt Quinſextum, in quo ſunt canones Trullani, poſt ſextam Synodum annis viginti ſeptem, vel probabilius, poſt quinque annos.

Qvartvm eſt Francofordienſe anno 794.

Qvintvm eſt Conſtantienſe 1414. inchoatum, & anno 1418. finitum.

Sextvm eſt Baſileenſe, inchoatum 1431. anno, & conſumptum 1449.

24 Qvarto loco debet numerari Concilium Piſanum anno 1409. nec approbatum, nec reprobatum.

De Conciliis particularibus vide Tomos Conciliorum, & Decretum Gratiani *diſt.16. can. Sexta Synodus.* Et *diſt.20. can. De libellis.* Vide & *Chronicum Onuphrij*, & Bellarm. *tom. 1.*

An ſint neceſſaria Concilia.

QVÆSTIO SECVNDA.

25 Conciliorvm adunatio eſt ad grauiſſima negotia terminanda. Talia ſunt hæreſes nouiter ſerpentes, non adhuc indicatas, condemnare: Schiſmata inter Romanos Pontifices extinguere: Expeditionem decernere contra hoſtes vniuerſales chriſtianorum; vel ad deponendum Imperatorem: ſuſpicioni hæreſis in Romano Pontifice prouidere: Electioni Rom. Pontificis conſulere, quando aliter non fit. Reformatio generalis abuſuum in Eccleſiam repentium; vt teſtantur C.C. Nicæt. *can.5.* & alia in Bouër. *demonſt.4. Symb.9.* Ex his habetur, vtiliſſimum eſſe Concilia aliquando celebrare, & aliquando ferè neceſſarium.

26 Assero tamen primò, Concilia Generalia, non eſſe ſimpliciter neceſſaria.

Probatvr à Bellarmino *lib.1.cap.10.* argumento, quod innuit D. Bonau. *ſerm. 16. Hexaëmer.* Nam tempus gratiæ fuit, in quo neque Concilia adunata ſunt, etiam ad ipſam fidei normam decernendam, neque decreta, vel canones ſtatuti ſunt; & tamen Eccleſia, in illis temporibus calamitoſis, quæ tempora Baptiſmi ſanguinis dici poſſunt; ob ſanguineas perſecutiones floruit; fuit enim tempus gentis electæ, vbi Eccleſia maximè effulſit inter multos errores, inter aliquas hæreſes, &c.

Assero ſecundò, aliqua Concilia Epiſcoporum, ſimpliciter eſſe neceſſaria.

Probatvr à D. Bonau. *ſerm. 9. Hexaëmer.* ſub initio ex vſu Eccleſiæ, quæ ex Conciliis habuit quæſitam firmitatem inter maximas difficultates. Ita etiam Bellarminus.

Cuius ſit adunare Concilia.

QVÆSTIO TERTIA.

Finem ob quem adunantur Concilia vidimus; nunc videamus cauſam efficientem. Conuenit inter nos, & aduerſarios, Concilia Diœceſana ab Epiſcopo; Prouincialia ab Archiepiſcopo: Nationalia à Patriarcha, vel Primate conuocanda. Ita fatentur Catholici omnes cum D. Auguſt. *epiſt.217.* Idem confitentur Caluinus *lib. 4. inſtit. cap 7. §.8.* Illyricus *centur.4. cap.7. col.534.* Controuerſia eſt de Conciliis Generalibus.

Hæretici eam authoritatem Imperatori vouent. Ita Lutherus *lib. de Conciliis pag.58.* Carolus Molinæus *in conſilio ſuo de refutando Concilio §.6.* Proteſtantes in Libello ſuo. *Cur ad Conſilium Tridentinum non conueniant.* Idem docent Caluinus, & Magdeburg. ſupra, Brentius *in Prol. contra Petrum a Soto*; & ante hos Nilus, *lib. de primatu Papæ.*

At Eccleſia Catholica fatetur, Pontificis dignitati incumbere, ita vt nullum Concilium Generale ſit legitimum, niſi decreto, aut voluntate Pontificis adunatum; vel ſaltem eius adunatio rata ab eo habeatur. 27

Probatvr primò a D. Bonau. *ſerm.9. Hexaemer.* duobus verbulis, in quibus totius aſſertionis ratio conſiſtit. Nam ex Chriſti decreto incubuit gubernatio Eccleſiæ, non Imperatori, ſed Petro, cui dixit Ioan.21. *Paſce oues meas*; qui Paſtor omnium cum ſit, habet etiam Reges, & Imperatorem in ſuo ouili regendos. Hoc infert S. Bonau. *loc.cit.* loquens de Concilio Nicæno, dicens, adunatum, & factum authoritate Petri. non quia à S. Petro adunatum fuerit, cum fuit à Syluestro coactum; ſed vult dicere, coactum, vt debuit, authoritate Pontificis Romani, cui hæc res incumbit, tanquam D. Petri ſucceſſori.

Hinc antiquiſſimus ille Canon in Eccleſia viguit. *Præter ſententiam Romani Pontificis, non poſſe Concilium celebrari.* Hunc canonem Apoſtolicum teſtatur S. Marcellus Papa ad Epiſcopos Antiochenæ Prouinciæ. Eundem renouauit Concilium Nicænum, vt teſtatur Synodus Alexandrina *epiſt. ad Felicem*; & Iulius I. *epiſt. ad Epiſcopos Orientales*, cuius meminerunt Socrates *lib.2. cap.13.* Sozomenus *lib 3. cap.9.* Nicephorus *lib.9. cap.5.* 28

Calvinvs ſupra reſpondet, ex eo canone ſolùm haberi etiam Romanum Pontificem vocandum ad Concilium, quia erat vnus ex Patriarchis.

Obſecro, cur non eſt conditus canon, ne fiat Concilium præter ſententiam Patriarchæ Alexandrini? Deindè verba illa teſtantur, non ſolùm aſſiſtere debere etiam Romanum Pontificem; ſed etiam non poſſe præter ſententiam eius, ideſt, decretum, aut ordinem adunari. Id verò teſtatur Synodus Alexandrina ad Felicem Papam declaratum in Conc. Nicæno *d. c.*

Centvriatores *col.533.* reſpondent, ſenſum eſſe; non poſſe Eccleſiam dedicari (ex Græco textu) at Marcellus, & Iulius clarè decernunt, quod nos aſtruimus. Id apertè ex epiſtola Iulij demonſtratur, qui reprehendit Orientales, quod ſine ſuo conſenſu, Concilium Antiochiæ celebraſſent; rationem autem reddens, cur eos meritò reprehendat, hunc canonem in medium affert.

Confirmatur ex Concilio Chalcedonenſi *act.*1. vbi Dioſcorus Alexandrinus iubetur, non ſedere inter Epiſcopos, eo quòd Synodum facere auſus fuiſſet ſine authoritate Apoſtolicæ Sedis, quod nunquam licuit, nunquam factum eſt.

SIMILE quid habemus in Concilio ſeptimo Generali *act.*6. vbi irritum iudicatum eſt Concilium quoddam Conſtantinopolitanum, quia ſine conſenſu Romani Pontificis, coactum fuiſſet ab Imperatore.

IDEM habetur teſtimonio Sanctorum Pontificum Leonis *epiſt.*95. *cap.*17. Pelagij ſecundi *epiſt. prima ad Orientales.* Sixti tertij, qui & Pelagium, & Leonem præceſſit; *epiſtola ad Orientales.* Adriani ſecundi *epiſt. ad Baſilium Imperatorem*, quæ lecta eſt in octaua Synodo.

29 DENIQVE Valentinianus Imperator, cùm ab Epiſcopis rogaretur, vt permitteretur eis Concilium celebrari, reſpondit, vt refert Suzomenus, *lib.*6.*cap.*7. *Mihi, qui ſum in ſorte plebis, fas non eſt taliaurioſius perſcrutari; Sacerdotes quibus iſta curæ ſunt, quocumque voluerint loco, conueniant.* Vide alios canones *diſt.*17. & Concilium Later. vltimum ſub Leone X. *ſeſſione vndecima.*

OBIICIVNT Caluinus, & Magdeburgenſes, prima Concilia ab Imperatoribus conuocata. De Nicæno primo, ait Ruffinus *lib.*1.*hiſt.* cap.1. *Tum Conſtantinus apud Nicæam Epiſcopale Concilium conuocat.* Conſtantinopolitanum primum à Theodoſio, vt refert Theodoretus *lib.* 5. *hiſt. cap.*9. Epheſinum primum à Theodoſio iuniore, vt refert Euagrius *lib.*1. *hiſt. cap.*2. Chalcedonenſe à Martiano Imperatore, vt ait S. Leo *epiſt.*43. & alij. Sardicenſe à Conſtantio Imperatore, vt ait Theodoretus *lib.*2. *cap.*4.

30 RESPONDETVR cum D. Bonau. *ſerm.*9. & 16. *Hexaemer.* Concilium Nicænum, & reliqua adunata eſſe authoritate Pontificia. Et quoad Nicænum probatur ex ſexta Synodo *act.*18. vbi dicitur: *Conſtantinum, & Syluestrum, magnam Synodum apud Nicæam congregaſſe.* Damaſus Papa quoque in Pontificali ſcribit, cum Sylueſtri conſenſu habitum eſſe in Nicæa Concilium. Et Ruffinus *lib.*10. *hiſt. cap.*1. ait: Conſtantinum, ex ſententia Sacerdotum, Concilium indixiſſe.

DE CONSTANTINOPOLITANO primo Theodoretus refert, Theodoſium non tam illud indixiſſe, quàm litteras Pontificis Damaſi, quibus Concilium indicebatur, ad Epiſcopos miſiſſe.

SYNODVS Epheſina facta eſt Cyrilli induſtria, & Cæleſtini authoritate; vt Proſper *in Chronico dicit:* Conſtat etiam ex Euagrio *lib.*1. *cap.*4. & *ex epiſt. Cæleſtini ad Cyrillum*, quæ habetur inter opera Cyrilli; & ex Photio *lib. de ſeptem Synodis*, Cyrillum profectum ad Concilium, tanquam legatum Apoſtolicæ Sedis.

31 DE CHALCEDONENSI, conſtat *ex epiſtola Martiani Imperatoris ad Leonem Pontificem*, quæ habetur ante Concilium Chalcedonenſe, in qua Imperator rogat Pontificem, vt Concilium faciat; vel ſi nolit venire, per litteras ſignificet quid agi velit. Et concludit; ſe ad omnes Epiſcopos Scripturum, vt ad certum locum conueniant. Et quæ Chriſtianorum (inquit) Religioni, atque catholicæ fidei proſint, ſicut ſanctitas tua ſecundùm Eccleſiaſticas regulas definiuit, ſua diſpoſitione declarent. Extat etiam inter epiſtolas, ad Chalcedonenſe Concilium pertinentes quædam epiſtola Epiſcoporum ſecundæ Myſiæ, ad Leonem Imperatorem; vbi ſic aiunt. *In Chalcedonenſium ciuitate multi ſancti Epiſcopi conuenerunt per iuſſionem Leonis Romani Pontificis, qui verè caput eſt Epiſcoporum.* Denique Gelaſius, in epiſtola ad Epiſcopos Dardaniæ, dicit: *Solam Apoſtolicam ſedem, vt Synodus Chalcedonenſis fieret ſua authoritate decreuiſſe.* Vbi non vult dicere, ſola authoritate Pontificis, non cooperante Imperatore factum, vt mentiuntur Magdeburg. *centur.*5. *cap.* 7. *col.* 786. Sed excludit alias Sedes Epiſcoporum, quæ Synodum illam non conuocarunt, cùm à Romano Pontifice ſit vnita; non tamen ſine ope pij Imperatoris.

DE SARDICENSI, colligitur è Socrate *lib.* 2. *cap.*16. indictum à Iulio Papa. 32

Ratio verò, cur ad hæc generalia Concilia adunanda neceſſaria eſſet etiam authoritas Imperatorum, non eſt, quia ſine horum authoritate non eſſet futurum ratum; nam vt ait S. Athanaſius de ſolitariam vitam agentibus. *Quando vnquam iudicium Eccleſia ab Imperatore authoritatem habuit?* Sed aliæ erant rationes iuſtæ.

PRIMA, quia vigebat adhuc lex prohibens conuentus frequentium hominum, ſine Imperatoris authoritate, quia metuebant ſeditiones. Vide *leg.*1. *ff. de Collegiis illicitis.* Et *leg. conuenticula, Codice de Epiſcopis, & Preſbyteris.*

SECVNDA, quia Imperatores erant Domini orbis; vnde in eorum ſtatu adunanda erant Concilia.

TERTIA, quia tunc Concilia Generalia fiebant ſumptibus publicis, vt conſtat ex *lib. tertio vitæ Conſtantini*; vbi addit Euſebius, *Toto tempore Concilij omnes Epiſcopi, expenſis Conſtantini, vixere.*

VLTIMA, quia Pontifices in temporalibus Imperatoribus ſubiiciebantur. Vide Bouerium *Demonſtr. Symb.*4. *art.*10.

Quinam ſint ad Concilium vocandi.

QVÆSTIO QVARTA.

VIDIMVS cauſam finalem, & efficientem Conciliorum; nunc de horum, veluti materia, ex qua conſtant, diſſerendum.

HÆRETICI volunt, ex omni genere hominum eruditorum debere intereſſe, & eſſe iudices, & habere ſuffragium deciſiuum. Ita Lutherus *lib. de Conciliis cap.*2. *pag.*264. Proteſtantes in Libello ſuo. *Cur ad Tridentinum Concilium non venerint.* Carolus Molinæus in ſuo conſilio *de non recipiendo Trident.* §.18. Magdeburg. *cent.*1. *lect.*2. *cap.*9. *col.*548.

Secundò dicunt, Concilia ex ſolis electis conſtare. Ita Brentius *cap. de Conciliis.*

SENTENTIA verò Catholica eſt, ſolos Epiſcopos 33 habere ius deciſiuum ordinarium; ex priuilegio autem etiam Cardinales, Abbates, & Generales ordinum. Ex Preſbyteris autem, & aliis clericis, ſolùm vocari aliquos eruditos, qui iuuent in diſputando, vel aliis miniſteriis. Principes autem vocari, tum vt Concilium defendant, tum vt teſtes, & conſcij decretorum Concilij, poſtea tranſgreſſores, & contumaces pœnis corporalibus puniant. Denique ex priuatis Laïcis tantùm vocari aliquos, qui videantur vtiles ad aliquod miniſterium.

ASSERO primò contra hæreticorum ſententiam, non eſſe ad Concilium conuocandos omnes, etiam Laïcos. Ita omnes cum S. Bonau. *ſerm.*9. *Hexaëmer.* vbi Pontificem, & Patres, ideſt, Prælatos maiores tantùm facere corpus Concilij, ait.

PROBATVR

PROBATVR à D. Bonau. *ſerm. 22. Hexaëmer.* & *p.2. de Eccl. Hier. cap. 1.2. & 3.* ex parallelis Eccleſiaſticæ, cum Cæleſti Hierarchia. In cæleſti enim ſupremi purgant, illuminant, & eleuant; non autem ab inferioribus purgantur ab ignorantia, aut illuminantur. Prælati autem ſuperiores ſunt veluti in ſuprema Hierarchiæ ſtatione Cherubini, Seraphini, Throni, Dominationes. Hinc autem infert, eos debere alios paſcere, quia Paſtores ſunt, vt dicitur ad Titum primo. *Oportet, Epiſcopum eſſe amplectentem eum, qui ſecundùm doctrinam eſt, fidelem ſermonem, vt potens ſit exhortari in doctrina ſana, & eos, qui contradicunt, arguere.* Et ad Hebr. 5. *Omnis Pontifex ex hominibus aſſumptus, pro hominibus conſtituitur in his, quæ ſunt ad Deum.* Addit *loc. cit.* Hier. illud Malach. 2. *Labia ſacerdotum cuſtodiunt ſcientiam.* Intelligit autem Prælatos, Epiſcopos præcipuè; nam agit contra primos ſacerdotes, qui erant Principes Sacerdotum, præuaricantes pactum Leui. Certum eſt autem, conſueuiſſe Deum loqui illis primis, Moyſi, & Aaron; & hos inferioribus, vt dicitur *Numer. 7. Exodi 19.* vt notat Seraphicus Doctor *p. 1. de Eccl. Hier. cap. 3.*

54 PROBATVR ſecundò à D. Bonau. *ad 10. Ioannis, & collat. 90.* & *loc. cit. Hierarchia*; nam Paſtores Eccleſiæ paſcere debent oues: paſcere autem, eſt docere ea, quæ credenda ſunt, & agenda. Hoc autem probat S. Doctor ex illo Hieremi. 3. *Dabo vobis Paſtores, qui paſcant vos ſcientia, & doctrina.* Ioan. 21. *Paſce Agnos: Paſce oues meas.* Et *prima Petri 5.* vbi Epiſcopos hortatur: *Paſcite, qui in vobis eſt, gregem; non vt dominantes in cleris, ſed forma facti Dominici gregis.*

OBSERVAT autem S. Bonau. *loc. cit. Ioan 21.* ſub nomine *ouium* intelligi potentes: ſub nomine *agnorum* imbelles. Itaque oportet aſſignare aliquos Paſtores, aliquos agnos, & oues paſcendas; atque adeò non omnes deſtinatos ad doctrinas definiendas, ſed Paſtores ſolos ordinatos ab Eccleſia, quorum ordinatio inter Sacramenta admittitur à Philippo *de locis, cap. de numero Sacramentorum*, Caluino *lib. 4. inſtit. cap 14. §. 20.* Hinc D. Gregor. Magn. *2. p. Paſtoralis, cap. 1.* adductus à D. Bonau. *lib. 1. Pharetra, cap. 19.* ait: *Tantùm debet actionem populi actio tranſcendere Præſulis, quantùm diſtare ſolet a grege vita Paſtoris, ſub cuius æſtimatione populus grex vocatur.* Ibidem allegat etiam D. Iſidorum *lib. 3. de ſummo bono, cap 35.* vbi ait, loquens de Epiſcopis: *Deſinat locum docendi ſuſcipere, qui neſcit docere: ignorantia quippe Præſulum, vita non congruit ſubiectorum.* Alludit autem ad illud Apoſtoli prima Timoth. *Oportet Epiſcopum eſſe Doctorem.* Et lib. 2. de offic. Eccl. cap. 5. *Epiſcopo* (ait) *dum conſecratur, baculus datur, vt eius iudicio ſubditam plebem vel regat, vel corrigat.* Hoc ex profeſſo oſtendit S. Bonau. *in 4. diſt 24. p. 2. quæſt. 3.* vbi etiam allegat illud Actorum 10. *Attendite vobis, & vniuerſo gregi, in quo vos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei.* Hanc autem ſupereminentiam regendi in Epiſcopis confirmat S. Bonau. *loc. cit. de Eccl. Hierarch.* ex illo primæ Petri 2. *Vos eſtis gens ſancta, regale ſacerdotium, &c.* Vbi obſeruat cum Chryſoſtomo, Regum poteſtates ſubiacere Epiſcopatui, tanquam adiectiuum ſubſtantiuo. Propter hoc enim ponitur *Regale*, adiectiuum; & *Sacerdotium*, ſubſtantiuum: ſicuti è contra in antiquis dicebatur *Regnum ſacerdotale*, Exodi 19. quia Reges deponebant etiam Sacerdotes, vt legitur 3. *Reg. 2.* Nunc autem Pontifices poſſunt amouere Reges, & Imperatores deponere, ſicut ſæpius factum eſt, quando eorum malitia hoc meruit. Cauſam huius diuerſitatis aſſignat S. Hieronymus *lib. 1. contra Pelagianos*, & *in epiſt. ad Dardanum.* Auguſt. *quæſt. 33. in Numer.* & *lib. 19. contra Fauſtum, cap. 31.* quia in veteri Teſtamento promiſſiones erant tantùm temporalium bonorum, in nouo autem ſpiritualium: ideò non mirum, ſi in veteri Teſtamento poteſtas fuit temporalis, in nouo ſpiritualis.

Huc trahit S. Bonau. illud 1. Corinth. 2. *Spiritualis omnia iudicat, & ipſe à nemine iudicatur.* Hos enim ſpirituales Pontifices vocat, qui perfecti ſpirituales eſſe debent, & ab inferioribus, ideſt laicis, non poſſunt iudicari.

TANDEM confirmatur teſtimoniis veterum, Concilia fuiſſe ex Epiſcopis collecta, non ex omni genere hominum, vt refert Euſebius *lib. 5. hiſt. cap. 23.* Cyprianus *epiſtola ad Iubaianum*, Hilarius *lib. de Synodis*, Ambroſius *epiſt. 32.* Hieronymus *lib. 2. apol. contra Ruffinum*, Auguſt. *epiſt. 119.* Leo *epiſt. 16. & ſequentibus*, Ruffinus *lib. 10. hiſt. cap 1.* Athanaſius *ad ſolitariam vitam agentes*, aliique Patres. Et hoc eſt, quod ait D. Bonau. *ſerm. 9. Hexaëmer.* vbi ex doctrina concordi Sanctorum Patrum docet, Concilia facta à Petro, vel eius ſucceſſoribus, aliiſque Patribus, ideſt Epiſcopalis dignitatis. 35

PRÆTEREA Theodoſius iunior *epiſtola ad Epheſinam Synodum*, quæ extat primo tomo eius Concil. cap. 32. *Illicitum eſt* (ait) *eum, qui non ſit in ordine Sanctiſſimorum Epiſcoporum, Eccleſiaſticis immiſceri tractatibus.* Idem fatetur Pulcheria *ad Strategum.* In Concilio Chalcedonenſi, *act. 1.* cùm ad Martinum Archimandritam mitterent, vt ſubſcriberet; reſpondit, non eſſe ſuum, ſed Epiſcoporum tantùm ſubſcribere. Et in eodem Concilio, cum pro Dioſcoro Monachi, & Laici eſſent ingreſſi, ſæpius Patres clamarunt: *Mitte foras ſuperfluos. Concilium Epiſcoporum eſt.*

CONFIRMATVR; nam in Conciliis ſoli Epiſcopi ſubſcripſiſſe leguntur, exceptis paucis, quibus ſe vltimò ſubſcribunt Imperatores in fine, non definiendo, ſed vt conſentientes: exceptis etiam Lateranenſi, Florentino, & Tridentino, in quibus etiam Abbates, & Generales Religionum ex priuilegio admiſſi ſunt.

CONFIRMATVR ratione à D. Bonau. *loc. cit. de Eccl. Hierarch.* nam ſpiritualia negotia non à ſæcularibus, ſed à perſonis Eccleſiaſticis debent pertractari; nam, vt ſuprà probauerat, Epiſcopi ſunt Paſtores, & præſides Eccleſiarum.

OBIICIVNT primò Proteſtantes in libello, cui titulus, *Cur non venerint ad Tridentinum Concilium.* Actorum 15. vbi Lucas deſcribit Concilium Apoſtolorum: *Conuenerunt Apoſtoli, & ſeniores videre de verbo hoc.* Et infrà: *Tunc placuit Apoſtolis, & ſenioribus, cum omni Eccleſia.* 36

RESPONDETVR ex D. Bonau. *in 4. diſt. 3. p. 1. art. 2. quæſt. 2.* illud decretum factum ab omnibus Apoſtolis, nec alium decreuiſſe: licèt enim conuenerint & ſeniores, ſeu Preſbyteri, ad diſentiendum; tamen ſoli Apoſtoli decreuerunt; & ſi libet, Petrus fuit, qui primò decreuit ſolus, vt notat S. Bonau. *loc. cit.* nam ipſe primus perorauit, & ſtatuit, non imponenda legalia. Mox verò locuti ſunt, & ſubſcripſere Paulus, Barnabas, & Iacobus. Mox inde dicitur ſcripta epiſtola, in qua ſuperſcribuntur Apoſtoli, & ſeniores, ideſt Preſbyteri, & dicunt: *Viſum eſt Spiritui ſancto, & nobis.* Vt enim magis confirmarentur fideles, ponitur etiam Preſbyteros ſapientes ita ſenſiſſe; attamen iam Apoſtoli decreuerant, antequam Preſbyteri aſſererent. Ipſi autem dicunt: *Viſum eſt nobis*, ſicut cùm fiunt congregationes Preſbyterorum, & ſinguli proferunt, quod eis videtur.

IN VERO, quod Centuriatores inferunt, omnes dixiſſe ſuam ſententiam, ex eo, quod dicitur: *Placuit Apoſtolis, & ſenioribus, cum omni Eccleſia*;

Miror adeò flectere Bellarminum, vt concedat, omnes dediſſe conſenſum tacitum; cùm ipſe textus clarè teſtetur, Eccleſiam totam fidelium ibi ſolùm dici, exiſtimaſſe booum, ouncios, & litteras de hoc decreto iam ſancito mittere ad Eccleſiam Antiochenam; non autem ibi conſenſiſſe in decreto: nam cùm vltimus Iacobus peroraſſet, ac ſententiam pronuntiaſſet, conſentiens Petro, fit punctum, & incipit periodus. *Tunc placuit Apoſtolis, & ſenioribus, cum omni Eccleſia, eligere viros ex eis, & mittere Antiochiam cum Paulo, & Barnaba Iudam, & Silam viros primos in fratribus, ſcribentes per manus eorum: Apoſtoli, & ſeniores fratres, his, qui ſunt Antiochia, Syria, & Cilicia fratribus ex Gentibus, ſalutem.* Vbi luce clariùs oſtenditur, laicos non inſeri decreto; nam cùm dictum eſſet, Apoſtolos cum ſenioribus, & omni Eccleſia, exiſtimaſſe nuntios illos mittendos, vt citò forſan admoniti, cautè ſcirent illi fideles longinqui, quid eſſet ſtatutum, neque à Iudæis turbarentur; mox in epiſtolæ ſuperſcriptione ponuntur Apoſtoli, & ſeniores, & omittitur Eccleſia. Quare ego arbitror cum D. Bonauent. *loc. citat.* decretum, poſt diſcuſſionem, factum à Petro ſolo, & illud dictaſſe Apoſtolis, qui omnes conſenſère.

OBIICIVNT ſecundò: Nicolaus I. epiſtola ad Michaëlem, quæ habetur etiam *diſt.* 96. *can. Vbinam*, ſcribit Imperatores Synodalibus conuentibus nunquam interfuiſſe, niſi in cauſis fidei, quæ communes ſunt.

37 RESPONDETVR ex D. Bonau. *ſerm.* 16. *Hexaëmer.* Imperatores bonos, inter quos recenſet Carolum Magnum, interfuiſſe rebus fidei ad Eccleſiam defendendam; & ita Carolus Magnus exaltauit Eccleſiam, quo tempore oppugnabatur ab his, qui eam propugnare debuiſſent. Magnum hunc Imperatorem ait D. Bonau. conuocaſſe Clericos, vt claritas doctrinæ in toto Imperio fulgeret, eoſque Bibliis conſcribendis, Fidei doctrinis edocendis diſpoſuiſſe, & Religioſos vbique collocaſſe. Multa ſimilia, ait S. Doctor feciſſe Iuſtinianum, & Theodoſium; eos tamen ſolis temporalibus legibus condendis, ac reformandis ſeipſos immiſiſſe; cùm leges ſpirituales, & canones à Romanis Pontificibus, & aliis Prælatis fuerint conditi, inter quos nominat quatuor prima Concilia inſigniora, & inter Papas Leonem, & Gregorium. Similia habet *opuſculo*, cui titulus *Principium Scripturæ ſacræ.* Hæc autem in hiſtoriis antiquis patent, quas refert S. Bonauentura in margine.

OBIICIVNT tertiò Molinæus *loc. cit.* Brentius *ſuprà*, Hermannus *lib.* 3. *Prol. cap.* 6. ſæpè vnius hominis, etiam laïci, ſententia præpoſita eſt ſententiæ totius Concilij, quia Scripturæ authoritate magis munita erat. Antecedens probatur ex Gratiano 36. *quaſt.* 2. *can. vltimo*, vbi ait: *Hieronymi authoritatem Scripturâ ſacrâ munitam toti Concilio Generali præiudicaſſe.*

SECVNDO ex Panormitano *cap. Significaſti, de electione*, vbi dicitur; *Sententiam vnius priuati præponendam ſententiæ Papæ*, ſi ille grauioribus authoritatibus ducatur. Et ex Gerſone *p.* 1. *de examine doctrinarum*, vbi ait: *Quemcunque hominem doctum poſſe, & debere toti Concilio reſiſtere, ſi videat illud errare.*

38 RESPONDETVR, in diſcuſſione præferri doctiorum ſententiam, non poſt definitionem; nam in diſcutiendo doctrina viget. Ad id de D. Hieronymo, reſpondetur primò, Gratianum non præferre Hieronymum Concilio Generali, ſed particulari.

Reſpondetur ſecundò, ea verba non inueniri in D. Hieronymo.

Reſpondetur tertiò, Gratianum falli; non enim Hieronymus repugnat Concilio. Nam Hieronymus tantùm dixit, ſecundùm legem veterem licuiſſe raptori ducere in vxorem mulierem à ſe raptam, ſi pater eius conſentiret. Concilium autem ſtatuit, vt non obſtante lege illa veteri, quæ *iudicialis eſt*, & Chriſtianos non ligat, non liceret raptori ducere mulierem raptam in vxorem.

Ad ea ex Panormitano, & Gerſone. Reſpondetur, ea vera eſſe, in diſcuſſione id poſſe euenire, dum & Papa, & Patres Concilij, vt Doctores dogmata diſcutiunt; non autem dum è Cathedra definiunt.

OBIICIT tertiò Hermannus, ſæpè cauſas Eccleſiaſticas diſcuſſas coram populis, & Principibus, tanquam iudicibus, vt patet in hiſtoriis. Addit in Nicæno Concilio interfuiſſe Laïcos doctos, vt refert Nicephorus *lib.* 8. *cap.* 14.

RESPONDETVR facilè, cauſas fidei ſæpè actas coram populis, & Principibus, non vt iudicibus publicis, ſed priuatis pro ſe, vt viderent quantùm Catholici præualerent, & ita in fide perſiſterent, vel ad eam mouerentur. Hoc ſanè tum fiebat, cùm populi, & Reges nutantes videbantur.

Ad Concilium verò Nicænum venere docti, vt diſputarent extra Concilium cum Doctoribus, quos è toto orbe conueniſſe audierant. Vide Ruffinum *lib.* 10. *cap.* 3.

An Epiſcopi in Concilio ſint iudices, an ſolùm diſcuſſores.

QVÆSTIO QVINTA.

IAM de forma Concilij agendum eſt. Hæretici huius temporis in hoc ferè omnes conueniunt, quod Concilium non ſit, niſi inquiſitio: & ita liberum eſſe vnicuique examinare decreta Concilij, eaque recipere, vel recuſare, prout recta, vel iniqua videntur. Ita Lutherus *in aſſert. art.* 29. Caluinus *lib.* 4. *cap.* 9. §. 8. *Inſtit.* Brentius *in confeſſ. Vuittembergica, cap. de Scriptura*, & *cap. de Conciliis*: Kemnitius *in* 4. *ſeſſ. Concilij Trident.* & Libellus Proteſtantium, *Cur non venerint ad Concilium Tridentinum.*

ASSERO verò, conſenſum Epiſcoporum eſſe iudicium, & eorum decreta eſſe leges neceſſariò implendas. 39

PROBATVR primò à D. Bonau. *in Confeſſionali, cap.* 1. *particula* 5. *ex Deuter.* 17. vbi præcipit Deus: *Si difficile, & ambiguum apud te iudicium eſſe perſpexeris inter ſanguinem, & ſanguinem; lepram, & non lepram, ſurge, & aſcende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus: venieſque ad Sacerdotes Leuitici generis, & ad iudicem, qui fuerit ille tempore; quæreſque ab eis, qui indicabunt tibi iudicij veritatem. Et facies quodcunque dixerint, qui præſunt loco, quem elegerit Dominus, & docuerint te iuxta legem eius, ſequèriſque ſententiam eorum: nec declinabis ad dexteram, neque ad ſiniſtram. Qui autem ſuperbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore miniſtrat Domino Deo tuo, ex decreto iudicis morietur homo ille.* Quæ verò opponunt hæretici, vide *diſput.* 2. *quæſt.* 11.

PROBATVR

PROBATVR ſecundò cum D. Bonau. *in 4. diſt. 3. part. 2. art. 2. quæſt. 2. ex 15. Actorum*, vbi in Concilio Apoſtolorum definitum eſt, non eſſe legalia ſeruanda; & ſolùm præcipitur abſtinentia à ſanguine, & ſuffocato, & immolatis. Vbi aduertit S. Bonau. *fund. 3.* non fuiſſe expoſitum examini fidelium diſcutere Apoſtolorum ſententiam; ſed eam Petrum abſuſolutè dictaſſe, vt ſcripta obſeruaretur.

40 PROBATVR tertiò cum D. Bonau. *ſerm. 9. Hexaëmer.* ex decretis Conciliorum, quæ ſemper præceperunt, & ſub anathemate, vt patet legenti Concilia. Ibi verò Epiſcopi ſubſcribunt: *Ego N. Epiſcopus N. definiens ſubſcripſi.*

Confirmatur à D. Bonau. *ſerm. 16. Hexaëmer.* teſtimonio antiquorum Pontificum, qui multos condiderunt canones, ſiue leges, & decreta; & Principes, ac Prælatos excommunicarunt, pœnas iniunxerunt varias pro grauitate tranſgreſſionum. Præcipuè refert Leonem, qui partim è quatuor Conciliis, partim à ſe leges condidit. Vide D. Bonauenturam.

OBIICIVNT, Paphnutium in Concilio Nicæno præualuiſſe toti Concilio volenti, Eccleſiaſticos non habere vxores, vt refert Socrates *lib. 1. cap. 8.* & Sozomenus *lib. 1. capit. 22.* Hoc vrget Lutherus.

RESPONDETVR, poſſe eſſe, Paphnutium contendiſſe, ſed tamen non præualuiſſe: conſtat ex Concilio, *can. 3.* vbi prohibet, ne in domo Sacerdotis ſint mulieres, præter matrem, ſororem, & amitam. Hoc fatetur Lutherus *lib. de Conciliis, p. 1.* ſibi contradicens, & clamans, ſe non intelligere Spiritum ſanctum in eo Concilio, cùm & caſtrationem prohibeat, & conſortium fœminarum.

Quis præſidere debeat in Concilio Generali.

QVÆSTIO SEXTA.

SECTARII volunt, Præſidem ordinarium eſſe Imperatorem in Concilio Generali; vel, ſi Imperator non veniat, aut mittat, debere eligi à Synodo. Ita Magdeburgenſes *centuria 4. cap. 7. col. 536.* Caluinus *lib. 4. Inſt. cap. 7. §. 1. & 2.* Carolus Molinæus *in libello de non recipiendo Tridentino, §. 4.* Hermannus Hamelmannus *lib. 3. Prol. cap. 8.* Brentius *in prologum cont. Petrum à Soto.*

41 CATHOLICI è regione ſtatuunt, Præſidem Conciliis Generalibus eſſe Romanum Pontificem per ſe, vel per Legatos.

PROBATVR primò cum D. Bonau. *ſerm. 16. Hexaëmer.* Nam Thronus Pontificis Romani, qui Petro ſuccedit, à Chriſto ſuper alios Epiſcoporum, & Patriarcharum altior eſt collocatus. Soli enim Petro dixit Lucæ 22. *Ego rogaui pro te, Petre, vt non deficiat fides tua; & tu conuerſus confirma fratres tuos.* Ex quo loco Romanum Pontificem è Cathedra non poſſe errare, deducunt D. Bernardus *epiſt. 90.* & ante eum Lucius I. *epiſtola prima ad Epiſcopos Hiſpaniæ, & Galliæ.* Felix I. *epiſt. ad Benign.* Marcus *epiſt. ad Athan.* Leo I. *ſerm. 3. de ſua aſſumpt.* Leo IX. *ad Patriarch. Antioch.* Agatho *epiſt. ad Conſtantinum Imperatorem*, quæ lecta eſt in ſexta Synodo, *action. 4.* & deinde *action. 8.* à toto Concilio approbata. Paſchalis II. in Concilio Romano, apud Abbatem Vrſpergenſem *in chron.* Innocentius III. *cap. Maiores, de Baptiſmo.*

DEINDE *Matth. 16.* ipſe eſt conſtitutus Princeps 42 totius Eccleſiæ, & Præſes. *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam. Et tibi dabo claues Regni cælorum. Quodcunque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cælis; & quodcunque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cælis.* Quo teſtimonio nititur S. Bonau. paſſim. Ita communi conſenſu Græci, & Latini Patres ſubſcribunt. Totum Chalcedonenſe Concilium 630. Patrum, *action. 3.* appellat Petrum, Petram Eccleſiæ. In Eccleſia canitur, iam annis 1300. verſus D. Ambroſij: *Hoc ipſa Petra Eccleſiæ canente, culpam diluit.* Teſtatur enim S. Auguſt. *lib. 1. Retract. cap. 21.* iam ſuo tempore cœptum cani, ex verſibus Ambroſij, Petrum eſſe petram, ſuper quam Dominus ædificauit Eccleſiam.

PRÆTEREA ex Patribus Græcis, Origenes *homil 5. in Exodum*, Athan. *epiſt. ad Felicem*, quam ſcripſit nomine ſuo, & Synodi Alexandrinæ; Baſilius *lib. 2. in Eunomium*; Nazianzenus *in oratione de moderatione ſeruanda in diſputationibus*, Epiphanius *in Ancorato*, Chryſoſtomus *homil. 55. in Matth.* & *homil. 4. in cap. 6. Iſaiæ*; Cyrillus *lib. 2. cap. 2. in Ioan.* Pſellus *in cap. 5. Cant.* Theophylact. *in cap. 22. Lucæ*, Euthymius *in cap. 16. Matthæi.*

EX LATINIS, Tertullianus *lib. de præſcript.* Cyprianus *epiſt. ad Quintum*, Hilarius *in cap. 16. Matth.* Ambroſius *ſerm. 47.* Hieronymus *in cap. 16. Matth.* Auguſt. *in Pſal. contra partem Donati*, & *ſerm. 15. de Sanctis*; Maximus *ſerm. 1. de ſanctis Petro, & Paulo*, Paulinus *epiſt. 4. ad Seuerum*, Leo *ſerm. 2. de anniuerſ. aſſumpt. ſuæ*; Gregorius *lib. 6. epiſt. 37.* Petrum vocant fundamentum Eccleſiæ.

Ex his Patribus aliqui, Sedem ipſam Petri principem locum tenere aſtruunt.

Quæ cùm ita ſint, videat quiſque, cui conueniat in Eccleſiaſticis conuentibus præſidere.

PROBATVR ſecundò cum D. Bonau. *in 4. diſt. 3. part. 2. art. 2. quæſt. 2.* nam in Concilio Apoſtolorum, 43 *Actorum 15.* primus reſedit Petrus, ſententiam tulit, atque dictauit. Idem aduertit Hieronymus *epiſtola ad Auguſtinum*, quæ eſt vndecima inter epiſtolas Auguſt.

QVOD verò etiam ſucceſſores Petri hoc priuilegio potiantur, vt arguit D. Bonau. primò probatur ex Concilio Chalcedonenſi, vbi Legati Leonis Papæ ſententiam proferunt. *Sanctiſſimus, ac Beatiſſimus Papa, Caput Eccleſiæ uniuerſalis, Leo; per nos Legatos ſuos, ſancta Synodo conſentiente, Petri Apoſtoli præditus dignitate, qui Eccleſiæ fundamentum, & petra fidei, & cæleſtis cæli ianitor nuncupatur, Epiſcopali dignitate Dioſcorum nudauit, & ab omni ſacerdotali opere fecit extorrem.* Similiter Leo *epiſt. 47.* ad Concilium Chalced. *In his* (ait) *fratribus Paſchaſino, & Lucentio Epiſcopis, Bonifacio, & Baſilio Preſbyteris, qui ab Apoſtolica Sede directi ſunt, me Synodo veſtra Fraternitas exiſtimet præſidere.*

Concilium Chalced. *epiſt. ad Leonem*, quæ habetur *action. 3.* ait: *Quibus* (ideſt Epiſcopis Concilij) 44 *tu quidem, ſicut membris caput, præeras; in his, qui tuum tenebant ordinem, beneuolentiam praeferens.* Imperatores verò ad ornandum decentiſſimè præſidebant.

RESPONDET Caluinus, in eo Concilio præſediſſe quidem Legatos Leonis, ſed ex priuilegio Imperatoris, quod extorſerat Papa ipſe. Cùm enim fieret Concilium Epheſinum ſecundum, Dioſcorus præfuit, eique

ſubiecti fuere Legati Leonis; poſtea verò, quia Dioſcorus non rectè ſe geſſit, tunc Leo occaſionem nactus petiit ab Imperatore, vt aliud Concilium fieret, cui Legati ſui præeſſent.

RESPONDETVR, totam hanc hiſtoriam à Caluino mendaciis repletam. Et quidem Dioſcorus contra fas extorſit Primatum in Concilio, vt ſcribunt Zonaras in vita Theodoſij, & Euagrius *lib.1.cap.10.* & ipſe Leo ſcribit *epiſt.24. 25. & 26. ad Theodoſium, & Pulcheriam*: vbi refert, Flauianum ab eo Concilio appellaſſe ad Sedem Apoſtolicam, & libellum appellationis tradidiſſe Legatis Romanis. Falſum eſt etiam, Leonem petiiſſe ab Imperatore præſidentiam in Concilio.

Confirmatur à D. Bonau. *ſerm.16. Hexaëmer.* ex rebus geſtis in temporibus elapſis à Leone ad Gregorium, in quibus Papæ leges toti orbi dederunt; & à Gregorio I. ad Adrianum, quod vocat ſublimis Cathedræ, quia multa geſta ſunt, in quibus comprobata eſt ſublimitas Romanæ Cathedræ ſuper cæteras.

45 His temporibus fuit Concilium ſecundum Conſtantinopolitanum, cui præſedit, non Menas, vt Caluinus mentitur, ſed Eutychius; tamen proteſtans Primatum debitum Romano Pontifici, ſi is voluiſſet intereſſe. Vnde Zonaras in vita Iuſtiniani: *Sub hoc* (ait) *quintum Concilium eſt coactum* 165. Epiſcoporum, *quorum Princeps fuit Vigilius Papa Romanus.* Et ipſe Eutychius Patriarcha ſcribit Vigilio, vt habetur in fine primæ collat. *act.5.* Synodi: *Petimus, præſidente nobis veſtra Beatitudine, de tribus capitulis quæri, & conferri.* Vnde apparet mendacium Caluini, qui dixit, in eo Concilio Menam præſediſſe; & mentiri Illyricum *centur.6. cap.9. col.509.* dum ait, Vigilium Papam noluiſſe Synodo intereſſe, ne cogeretur poſt Eutychium ſedere.

46 FVIT his temporibus etiam Concilium Conſtanſtantinopolitanum tertium, in quo Præſides fuere Legati Agathonis Rom. Pontificis, vt aſſerit Zonaras in vita Conſtantini IV. & habetur in ipſis actionibus Concilij, vbi hi ſemper primi ſubſcribunt. Præſedit quidem ibi Conſtantinus primo loco honoratiori, ſed nihil definiuit, vltimuſque ſubſcripſit.

47 FVIT etiam Concilium Nicænum ſecundum, vbi Præſides fuere Legati Adriani I. vt patet in actis Concilij, *act.1.* vbi rogati ſunt, vt oſtenderent litteras commiſſionis Papæ, vt præſiderent. Et in fine Donatus Epiſcopus Oſtienſis Legatus ita ſcribit: *Ego Donatus Dei gratiâ Epiſcopus Oſtienſis, locum obtinens Domini mei Adriani vniuerſalis Papæ, huic ſanctæ, & vniuerſali Synodo præſidens, omnia, quæ ſuperius leguntur, promulgaui, & manu propria ſubſcripſi.*

Affuit etiam Baſilius Imperator; ſed in fine Concilij apertè teſtatur, non eſſe ſuum, nec vllius hominis laici miſcere ſe Eccleſiaſticis iudiciis. Et tandem ſubſcripſit poſt omnes Patriarchas, quia tali eum honore Epiſcopi affecerunt. In reliquis etiam Conciliis videbimus, ſemper Romanum Pontificem præfuiſſe.

48 PROBATVR tandem ratione D. Bonau. *ſerm.22. Hexaëmer.* quâ vſus eſt Imperator ille Baſilius, & cæteri ab eo nominati Imperatores; quia debet in omni regimine dari in eo genere primum, ne abeatur in infinitum. Itaque cùm Epiſcopi ſint Paſtores, & Patres, atque æquales, debet dari in eo genere vnus Paſtor Paſtorum, & Pater Patrum, Papa vniuerſalis, quo terminentur omnia in Eccleſiaſticis; Imperator enim eſt extra ordinem Eccleſiaſticum: vnde ſicut non præſidet Epiſcopo ſuæ Metropolis, dum adunat Concilia, ità neque Generali Concilio præeſſe debet.

CALVINVS primò obiicit nobis Concilium Nicænum, cui ait præfuiſſe Athanaſium; Brentius verò ait præſediſſe Imperatorem; Lutherus verò, & Magdeburgenſes dicunt præſediſſe Euſtathium Patriarcham Antiochenum.

RESPONDET S. Bonau. *ſerm.9. Hexaëmer.* procul 49
dubio præſediſſe Petri ſucceſſorem Silueſtrum, cuius iuſſu prodiit Symbolum Nicænum; præfuit autem per Legatos Oſium Epiſcopum, Vitum, & Vincentium Presbyteros. Hi enim tres primi ſubſcribunt. Referunt Cedrenus *in compend. hiſtoriarum*, & Photius *in lib. de ſeptem Synodis*, Silueſtrum per ſuos Legatos Nicæno Concilio authoritatem contuliſſe. Athanaſius etiam *epiſt. ad ſolitariam vitam agentes*, confirmat id, quod dicit S. Bonau. Oſium Principem fuiſſe in eo Concilio, & ipſum compoſuiſſe Symbolum Nicænum. Iam verò cùm Oſius fuerit ſimplex Epiſcopus, ceſſiſſet Patriarchis, niſi Legatus fuiſſet Pontificis. Denique in præfatione quadam Concilij Sardicenſis, quæ habetur in primo Tomo Conciliorum, legitur, Oſium Cordubenſem in Nicæno Concilio Legatum egiſſe Romani Pontificis, qui cùm ſit Vicarius Chriſti, & caput Eccleſiæ, præeſt.

OBIICIT ſecundò Caluinus, Menam quinto Con- 50
cilio præfuiſſe, & Epheſino Dioſcorum; ſed iam reſponſum eſt. Aſſumit etiam alia Concilia, ſed fuere Nationalia, quibus non eſt neceſſe, vt præſit Papa.

BRENTIVS obiicit, in veteri Teſtamento præcipuos iudices etiam in rebus Eccleſiaſticis fuiſſe Laicos Principes, vt patet de Moyſe, Ioſuë, Dauide, Salomone, Ezechia, Ioſia.

RESPONDET primò D. Bonau. *p. 2. de Eccl. Hierarch. cap.1.* in veteri Teſtamento, Regnum in multis Sacerdotio prælatum. Vide hoc reſponſum *quæſt.3.*

RESPONDET ſecundò D. Bonau. *ſerm.1. Dom.13. poſt Pentecoſten*, Reges bonos abſque Dei mandato ſpeciali non ſe immiſcuiſſe rebus Eccleſiaſticis, vt patet 2. *Paral.* 19. in Rege Ioſaphat, vbi officia Regis ab officiis Sacerdotum diſcernit. Quod ſi aliqui ſe temerè immiſcuere, fuerunt à Deo puniti, vt patet in Ozia Rege, 2. *Paral.*26. qui cùm officium Sacerdotis vſurpaſſet, punitus eſt lepra, & manſit leproſus vſque ad mortem. Vnde concludit S. Bonau. *Timeant hoc, qui inuadunt iura ſacerdotalia, & Eccleſiaſtica.*

Quoad Moyſen verò iam clarum eſt, fuiſſe ſacerdotem, vt dicitur *Pſal.*98. Dauid verò, Ioſoë, & alij, cùm eſſent Prophetæ, & Sancti, id fecere, quod Deus faciendum illuminabat.

ARGVMENTA Hermanni ducuntur ex multis con- 51
trouerſiis, quas habuere Catholici cum hæreticis, in quibus fuêre Iudices Laici, vt Athanaſij cum Arrio, vt refert *S. Vigilius*: Silueſtri cum Iudæis, *ex Zonara*: Cæciliani cum Donatiſtis, *ex Optato Mileuitano*, & *ex Theodoſio*, qui formulas Fidei iudicauit.

RESPONDETVR S. Vigilium confinxiſſe quandam diſputationem Athanaſij cum Arrio, Photino, & Sabellio, qui non fuêre eodem tempore; vnde non fuit iſta diſputatio verè facta, ſed compoſita ad redarguendos Arrianos, vt ipſe D. Vigilius teſtatur. Diſputatio verò D. Silueſtri non eſt facta hoc pacto, & ita etiam Magdeburgenſes fatentur, *col. 694. centur.4.* Cauſa verò Cæciliani, licèt ad Imperatorem deducta ab hæreticis; hoc tamen factum eſt iniquè, exclamante ipſo Imperatore contra eos, vt refert Optatus *lib.1. cont. Parmen.* & Auguſt. *epiſt.*162. Quoad Theodoſium reſpondetur, nil vnquam tale iudicaſſe, vt habetur *epiſt.32. Ambroſij*, qui idem teſtatus eſt in Concilio Aquileienſi.

Alia quoque exempla refert hæreticorum, qui ad Imperatores hæreticos, vel violentos appellarunt, renuente Romana Eccleſia.

An

An Concilia Generalia ſint infallibilia in decretis.

QVÆSTIO SEPTIMA.

HÆRETICI nullum admittunt Concilium, quod non poſſit errare. Ita Lutherus *art.28.& 29.* & *lib. de Conciliis*; Brentius *in confeſſ. Vvitembergica, cap. de Conciliis*; Caluinus *lib.4. Inſtit. cap.9. §.8.* & in minori *Inſtit. cap.8. §.163.*

52 E REGIONE Catholici omnes aſſerunt, Concilium Generale à Papa confirmatum errare non poſſe in decretis fidei, & morum.

PROBATVR primò ex dictis *quæſt.1.* vbi oſtendimus cum D. Bonau. Concilia Eccleſiæ ad veritatem videndam, eaque definienda, quæ conuerſationem humanam, ideſt moralem ſpectant, eſſe à Deo, iuxta id Matth.18. *Vbi ſunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi ego ſum in medio eorum.* Vide & *Deuter.4.* alludens Deus ad id, quod iniunxit *Exodi* 19. vt Moyſes, & Aaron cum Sacerdotibus reciperent à Deo præcepta, eaque Populo promulgarent, ait: *Congrega ad me populum.* Sic enim in Conciliis & Laici Principes admiſſi ſunt, vt receptarent decreta, eaque populis vi coactiua pœnarum temporalium iniungerent, vt ſæpè oſtendi ſuprà.

Caluinus paruipendit hunc locum Matth. quia videtur ſequi, etiam Concilium duorum hominum eſſe infallibile.

VERVM non percipit vim illationis Chriſti; ſupra enim dixerat: *Dic Eccleſiæ. Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus.* At ne quis Eccleſiam, ſiue congregationem Prælatorum contemnendam putaret, ait: *Vbi enim ſunt, &c.* quaſi dicat: Congregatio Eccleſiæ Prælatorum me habet præſentem, etiamſi pauci eſſent. Vnde ſubdit: *Quæcumque alligaueritis, &c.* Ita hoc loco nituntur Concilium Chalced. *epiſt. ad Leon. poſt tertiam actionem*: ſexta Synodus *act.17.* Concilium Tolet. textum, non procul ab initio: Innocentius Papa ad Gratianum *diſt.20. can. De quibus*: Cæleſtinus *epiſt. ad Concilium Epheſ.* & Cyrillus *in expoſitione Symb. Niceni*, circa principium.

53 PROBATVR ſecundò à D. Bonau. *collat.72. ad 16. Ioan.* ex illis verbis: *Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem.* Hæc enim promiſſio facta eſt Eccleſiæ; quod probat S. Bonau. ex illo Epheſ.3. *Vt innoteſcat Principibus, & poteſtatibus per Eccleſiam multiformis ſapientia Dei.* Et ex illo Ioan.14. *Spiritus docebit vos omnia.*

54 PROBATVR tertiò à D. Bonau. *ſerm.1. Hexaëmer.* Initio, ex illo primæ Timoth.3. *Hæc tibi ſcribo, fili Timothee, vt ſcias quomodo oporteat te conuerſari in domo Dei, quæ eſt Eccleſia Dei viui, columna, & firmamentum veritatis.* Confirmat S. Bonau. ex metaphora columnæ, quam adhibet Apoſtolus; ſicut enim columna ducebat ſecurum Dei populum, *Exodi* 13.14. & 33. vt non errarent in via: ita Eccleſia Dei talis eſt populo Chriſtiano. Vbi aduerte, columnam eſſe populo, quia veluti oculi in capite totum corpus ducunt; ita Prælati Eccleſiæ populum, vt dicitur in Concilio Tolet. octauo, *cap.4.* In Concilio enim tota Eccleſia, veluti in capite continetur (oblatret Caluinus.) Sic 3.*Reg* 8. Eccleſia dicitur cœtus Sacerdotum Principum, qui cum Salomone conuenerant.

Confirmatur; nam Athanaſius *epiſt. de Synodis Arim. & Seleucia*, & *in epiſt. ad Epiſcopos Africanos*, Epiphanius *in fine Anchorati*, Euſeb. *lib 3. vita Conſtantini*, Auguſt. *lib. 1. contra Donatiſtas, cap 18.* & *lib.2. cap.4.* & *lib.4. cap.16.* & *lib.7. cap.73.* Gelaſius *epiſt. ad Epiſcopos Dardaniæ*, Gregorius *lib.1. epiſt.24.* & octaua Synod. *act 5.* vocant Concilium Generale conuentum orbis terræ, vel conſenſum totius Eccleſiæ: & Martinus V. in Concilio Conſtant. iubet, interrogari ſuſpectos de hæreſi, an non credant Concilium Generale vniuerſam Eccleſiam repræſentare.

PROBATVR quartò cum D. Bonau. *ad 22. Lucæ* 55
ex illo Chriſti dicto: *Rogaui pro te, Petre, vt non deficiat fides tua*: quod de Eccleſia exponit S. Bonau. cuius Caput ſucceſſor Petri non poteſt errare. Idemque ex hoc loco deducunt D. Bernardus *epiſt.90.* & ante eum Lucius I. *epiſtola 1. ad Epiſcopos Hiſpaniæ, & Galliæ.* Felix I. *epiſt. ad Benignum*: Marcus *epiſt. ad Athanaſium*: Leo I. *ſerm. 3 de ſua aſſumptione*, Leo IX *epiſt.* ad Patriarcham Antiochiæ, Agatho *epiſt. ad Conſtantinum Imperatorem*, quæ lecta eſt in ſexta Synodo, *act 4.* & recepta à toto Concilio, *act.8.* Paſchalis II. in Concilio Rom. apud Abbatem Vrſpergenſem *in chronico*, & Innoc. III. in cap. *Maiores, de Baptiſmo.*

Confirmat hoc S. Bonau. ex illo *Ioan.17.* vbi Chri- 56
ſtus ait: *Non pro eis tantùm rogo, ſed & pro eis, qui credituri ſunt per verbum eorum in me.* Hoc autem de Eccleſiæ Prælatis præcipuè intelligi oſtendit, ex ſequentibus verbis Lucæ 22. *Et tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos.* Vt enim ait Apoſtolus Rom 15. *Debemus nos firmiores imbecillitatem infirmorum ſuſtinere.* Ideò *Rom.1.* ait: *Deſidero videre vos, vt aliquid vobis impertiar gratiæ ſpiritualis, ad confirmandum vos.*

PROBATVR quintò cum D. Bonau. *ad 10. Lucæ,* 57
ex illis verbis: *Qui vos audit, me audit; & qui vos ſpernit, me ſpernit.* Hoc autem dixit Chriſtus, quia Apoſtoli ipſi gerebant perſonam Chriſti. Ideò ait Apoſtolus ſecunda Corinth.2. *Nam & ego quod donaui, ſi quid donaui propter vos in perſona Chriſti.* Et cap.13. *An experimentum quæritis eius, qui in me loquitur Chriſtus?* Et 1. Theſſal.2. *Cum accepiſſetis a nobis verbum auditus Dei, accepiſtis illud, non vt verbum hominum, ſed ſicut eſt verè verbum Dei.* Hinc S. Bonauentura infert, in auditu diſcipulorum Chriſti, Chriſtum audiri; & in contemptu contemni.

PROBATVR ſextò cum D. Bonau. *collat.90. ad 21. Ioan.* ex illis locis, vbi Prælati deſtinantur tanquam Paſtores ad paſcendum ſcientia, & cognitione certa ſuas oues. Hieremiæ 3. *Dabo vobis Paſtores, qui paſcent vos ſcientia, & doctrina.* Ideò Ioan. 21. *Paſce oues meas, agnos meos*, ait Chriſtus Petro, qui cæteris ait cap.5. primæ: *Paſcite, qui in vobis eſt, gregem.* Vide ibi alias Scripturas.

PROBATVR ſeptimò ratione D. Bonau. *ſerm.9.* 58
Hexaëmer. Ex Scripturarum enim intelligentia, & ex inſurgentibus hæreſibus ortæ ſunt multæ controuerſiæ, multa dubia, quæ non aliter ſtabili firmitate elucidata ſunt, quàm vniuerſalibus Conciliis, præcipuè quatuor. Sic enim Arrius conuictus eſt in *Nicæno Concilio*, non tam Scripturis, quàm traditionibus, & Concilij decretis ſuperadditis: Macedonius *in Conſtantinopolitano*: Neſtorius *in Epheſino*: Entyches *in Chalcedonenſi*; alioqui, quæ firmitas eſſet contra iſtorum hæreſes, vt non poſſent reclamare? Si enim Concilia poſſent errare, iam poſſent dicere Arriani, erraſſe Concilium Nicænum: Macedoniani Conſtantinopolitanum, & ſic de reliquis.

59 Præterea, ſi poſſent errare, nulla eſſet firmitas, nulla fides eorum decretis ſtatura: & tamen multa decreuere credenda; imò Symbolum, quod eſt regula fidei, ediderunt, vt arguit S. Bonau. & fidei firmitatem addiderunt. Quod ſi errare poſſent, iam temerè tot credenda firmiter propoſuiſſent.

Confirmatur à D. Bonau. *ibi*, & *ſerm.*16. & 22. ex Patribus, qui ad normam Conciliorum fidem conclamarunt, Ideò D. Auguſt. *epiſt.*162. ait, vltimum iudicium Eccleſiæ eſſe Generale Concilium. Leo *epiſt.*50. *ad Martianum*, petit, vt ſemel definita in Conciliis Generalibus non retractentur. Id quod lege ſua ſanxit obediens S. Leoni Papæ Martianus Imperator *leg. Nemo, C. de ſumma Trinit. & Fide catholica.* Gelaſius *ad Epiſcopos Dardaniæ*, idem ſanxit: & Concilium Epheſ. *circa finem*, & Concilium Chalced. *act.*5. *can. vltimo.*

60 Tandem Patres conclamant hæreticos excommunicatos, qui non obediunt Conciliis plenariis. Ita Athanaſius *ad Epiſcopos Africæ*, Nazianzenus *oratione priore ad Clidonium*, Leo *epiſt.*77. & 78. Baſilius *epiſt.*87. Auguſt. *lib.*1. *de Baptiſmo, cap.*18. Gregorius *lib.*1. *epiſt.*24. & D. Bonau. *in* 1. *diſt.*9. *dub.*1. cum Magiſtro.

Præterea docent ſancti Patres, Concilia eſſe à Spiritu ſancto dictata. Ita Conſtantinus *epiſt. ad Eccleſias*, apud Euſebium *lib.*3. *vita eius*, Nazianzenus *oratione in Athanaſium*, Cyrillus *lib.*1. *de Trin.* qui loquuntur de Nicæno. Et Leo I. *epiſt.*53. & 54. itidem de Nicæno, & *epiſt.*37. de Chalcedonenſi. D. Gregorius *lib.*1. *epiſt.*24. ait, ſe venerari quatuor prima Concilia, ſicut quatuor Euangelia. Et Nicolaus I. *ad Michaelem*, idem de omnibus Generalibus Conciliis aſſerit. Denique ipſa Concilia affirmant, in Spiritu ſancto congregata. Ita & Magiſter *in* 1. *diſt.*11. & poſt eum S. Bonauentura ibi, *dub.*1. Ideò anathema à Concilio Chalc. dicitur mutanti Nicæna decreta, vt refert Sozom. *lib.*4. *cap.*17.

Tandem Patres mortem ſubeundam prædicant pro Conciliorum fide. Ambroſius *epiſt.* 32. Hieronymus *lib. cont. Luciferianos*, loquens de Athanaſio, Hilario, Euſebio, aliiſque ſanctis Confeſſoribus, ait: *Quomodo poterant aduerſùm Synodum Nicænam facere, pro qua exilia ſuſtinuerunt?*

61 Assero ſecundò, etiam Concilia particularia confirmata à Papa eſſe infallibilia.

Probatvr primò ex locis ſuprà allegatis. Matth.16. *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam: & portæ inferi non præualebunt aduerſùs eam: & tibi dabo claues Regni cælorum. Quodcunque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cælis; & quodcunque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cælis.* Et Lucæ 22. *Ego rogaui pro te, Petre, vt non deficiat fides tua*; vt dixi argumento primo pro prima aſſertione.

Probatvr ſecundò; nam plurimæ hæreſes à ſolis particularibus Conciliis damnatæ ſunt, vt Pelagianorum, Priſcillianiſtarum, Iouiniani, & aliorum.

Præterea in ſeptima Synodo, *act.*3. & octaua Synod. *act. vlt. can.*1. dicunt Patres, ſe venerari, & recipere etiam localium Conciliorum decreta; imò in eadem ſeptima Synodo, vocantur huiuſmodi decreta diuinitus inſpirata.

62 Obicit primò Caluinus *lib.*4. *Inſtit. cap* 9. §.3. illa loca veteris Teſtamenti, in quibus omnes Paſtores, & Sacerdotes reprehenduntur. *Iſai.*56. *Oſeæ* 9. *Hierem.*6. & 14. & *Ezech.*22.

Respondetvr cum D. Bonau. Paſtores illos ab Iſaia dici neſcientes, nec intelligentes; quia cùm poſſent illuminari, ſi voluiſſent, quippè ſimiles virtutibus cœleſtibus, noluerunt; cùm tamen alij educti fuerint, vt fatetur Iſaias cap.1. *Iudicate pupillo, &c.* Itaque non omnes erant tales. Solet verò Scriptura ſæpè numerum vniuerſitatis ponere, quando plurimi ſunt. Sic Apoſtolus Philip.2. *Omnes quærunt, quæ ſua ſunt, non quæ Ieſu Chriſti.* Et tamen *cap.*3. dicit: *Imitatores mei eſtote, & obſeruate eos, qui ita ambulant.* Ita S. Doctor *part.*2. *de Eccleſ. Hierar. cap.*2.

Obiicit ſecundò Caluinus Nazianzenum *ad Procopium.*

Respondetvr ibi ſolùm conqueri, ſuo tempore non fieri Concilia legitima, propter hæreticorum violentiam.

Obiicit tertiò Auguſtinum *lib.* 2. *de Baptiſmo, cap.*3. vbi ait, Concilia priora à poſterioribus emendari. Hîc exultat Hermannus.

Respondetvr primò, loqui D. Auguſtinum de Conciliis illegitimis, quæ à poſterioribus legitimis ſunt emendata, vt accidit de Concilio Epheſ. quod in Chalcedonenſi eſt emendatum. De legitimis verò, quatenus agebatur de quæſtionibus *facti.* 63

Respondetvr ſecundò, priora Concilia emendari à poſterioribus in rebus *Morum*; non autem in dogmatibus fidei: nam in rebus morum fit mutatio pro varietate temporum, locorum, & perſonarum. Vtraque ſolutio patet ex verbis D. Auguſt. *loc. cit.* vbi ait, tunc emendari Concilia, quando experimento aliquid agitur, quod erat occultum. Experimento enim aperiuntur quæſtiones *de facto*, & *moribus*; non de dogmatibus fidei.

Obiicit Hermannus *lib.*3. *cap.*13. *Prol.* ex Iſidoro apud Gratianum *diſt.* 50. *can. Domino ſancto*; cùm Concilia inter ſe diſſentiunt, ſtandum eſſe antiquioribus omnibus, & probatioribus.

Respondetvr, eum loqui de his, quæ non ſunt adeò certæ authoritatis.

Obiicit Lutherus *lib. de Conciliis*, *pag.* 54. ex titulo decreti Gratiani: *Concordantia diſcordantiarum.*

Reſpondetur, loqui de diſcordantiis apparentibus, non veris.

Obiiciunt deinde, Conciliorum multorum errores extitiſſe.

Primo quidem Caluinus opponit Concilium 400. Prophetarum, qui omnes errauerunt, Deo immittente ſpiritum mendacem, 3.*Reg.*22. 64

Respondetvr cum D. Bonau. *in* 2. *diſt.* 37. *art.*2. *quæſt.*1. ſpiritum peruerſitatis immiſſum ad decipiendum concilium Achab, non Pontificis; Prophetarum falſorum, non verè Prophetarum, neque Sacerdotum.

Obiiciunt ſecundò Caluinus, & Brentius concilium Iudæorum, Præſide Pontifice Caïpha, in quo excommunicati ſunt, qui confitebantur, Ieſum eſſe Chriſtum; *Ioan.* 9. & poſtea Chriſtus reus mortis eſt iudicatus, *Ioan.*11.

Reſpondent aliqui, hanc fuiſſe quæſtionem *de facto*, non *de iure*, in qua poteſt ſcatere error.

At contrà eſt, quia hæc controuerſia includebat dogma fidei. An Ieſus eſſet Chriſtus Meſſias, vt obſeruat S. Bonau. *in commentario*, cum Chryſoſt. *homil.*63. *in Ioannem.*

Reſpondet D. Bonau. *loc. cit.* & *in* 4. *diſt.* 19. *dub.*1. *litt.* fuiſſe in illo Concilio, *Ioan.*11. mentem Caïphæ peruerſam, eamque iudicaſſe expediens Chriſtum mori; ſed tamen Deum eius linguam mouiſſe ad veritatem dicendam, ſicut mouit os aſinæ, & Balaami, *Numer.*22. Expediebat enim ſaluti hominum,

moti

mori Chriſtum. Ideò Euangeliſta adſcribit dignitati Pontificis, quamuis mali, vt illuſtretur à Deo. Ex quo deducit cum Chryſoſtomo *homil.* 64. *in Ioannem*, Deum aſſiſtere Prælatorum Conciliis, vt verum dicant. Idem habet S. Bonauentura *ad* 18. *Ioannis.*

Ad illud *Ioan.* 9. reſpondet S. Bonau. *in comment.* non fuiſſe malum extra Synagogam pelli, & eiici ad Chriſtum, in quo erat ſalus. Ideò licèt illi malignè agerent, non tamen errabant in opere, ſed Dei prouidentiæ mirum in modum deſeruiebant. Et cùm iam Chriſtus caput Eccleſiæ adueniſſet, non eſt mirum, ſi eorum iudicium non fuit neceſſariò infallibile; ſicuti non repugnat errare Vicarium Papæ, dum Papa iudex eſt præſens.

Ad illud Marci 14. *Blaſphemauit, reus eſt mortis.* Reſpondet S. Doctor *ad* 22. *Lucæ, circa finem*, ea dicta eſſe malignitate peruertente iudicium, ita vt Pontifex blaſphemaret Chriſtum; cum tamen ſciret, non eſſe reum mortis. Subdit autem, fuiſſe multitudinem tumultuantium ſubuerſorum; & ideò ſubdit Lucas: *Et ſurgens omnis multitudo eorum, &c.* & ita ſubuerſores falſis teſtibus ſubornatis iudicium illegitimum conſtituebant. Deinde addo, promiſſa infallibilitatis facta clariùs nouæ Eccleſiæ.

OBIICIT tertiò Lutherus *in aſſert. art.* 29. in Concilio Apoſtolorum Iacobum mutaſſe Petri ſententiam. Petrus enim decreuit, non obſeruanda legalia; at Iacobus ſubdidit, ſeruandam abſtinentiam à ſanguine, & ſuffocato, & immolatis.

65 RESPONDETVR, Apoſtolos præcepiſſe hanc abſtinentiam, non vt legis veteris, ſed vt legem ſuam, vt faciliùs Eccleſia ex Iudæis, & Gentilibus coaleſceret. Difficile enim Iudæi tuliſſent Gentilium ſocietatem, ſi hæc vidiſſent fieri. Poſtquam autem Eccleſia creuit, iam finis ille ceſſauit. Vide D. Auguſtinum *lib.* 2. *contra Fauſtum, cap.* 13. Itaque Iacobus, & alij ſecuti ſunt Petri ſententiam, vt docet D. Hieronymus epiſtola, quæ eſt vndecima inter epiſtolas D. Auguſt. Addidit verò Iacobus hæc, dum adhuc diſcutiebatur negotium, ex mente Petri.

OBIICIVNT quartò Concilium Neocæſar. receptum in Concilio Nicæno, vt dicitur in Concilio Florentino *ſeſſ.* 7. Hoc Concilium *can.* 7. prohibet ſecundas noptias, quas Paulus concedit *prima Corinth.* 7. ergo errauit.

66 RESPNDETVR, prohiberi ſolùm ſolennitatem ſecundis nuptiis, quia ſolent in Eccleſia ſolennitates fieri tantùm ſemel, vt ſcripſit Iſidorus *lib.* 2. *de offic. cap.* 19.

OBIICIVNT quintò Nicænum, quod declarat, non eſſe idoneos ſacerdotio, qui ſe caſtrauerunt. Secundò prohibet, ne Sacerdotes habeant vxores. Tertiò. iubet rebaptizari baptizatos ab hæreticis Paulianis: & tandem prohibet militiam.

RESPONDETVR, Luthero incontinenti amaram eſſe ſacerdotalem continentiam. Iubet verò rebaptizari Paulianos, quia informiter baptizabant, negantes Trinitatem ſanctiſſimam. Quoad militiam, prohibet eam, quatenus erat ſignum idololatriæ; cingulum enim militiæ, quod erat magni honoris, detrahebant Pagani Reges militibus Chri-
67 ſtianis. Ita Ruffinus *lib.* 10. *hiſtor. cap.* 20. dixit militiæ cingulum non dari, niſi immolantibus. Et *lib.* 11. *cap.* 2. ait, Valentinianum à Deo recepiſſe Imperium, quia pro eius fide, tempore Iuliani, militiæ cingulum ſpreuerat. Et ita *lib.* 10. *hiſt. cap.* 6. referens hunc canonem, ait ita poni: *Qui propter confeſſionem militiam abiecerant.* Nempe, quia poſtea reſumentes cingulum, parati erant fidem negare. Mirum eſt autem, Concilium Nicænum toti Eccleſiæ venerandum, vt ſæpe D. Bonauent. ſcribit, à Luthero vituperari; ſed non miror. Plurima alia obiiciunt hæretici, quæ rectè ſoluit Bellarminus *lib.* 2. *cap.* 8. & nobis paſſim ſoluenda erunt.

Opponunt etiam hæretici, nos præferre authoritatem Concilij ipſi Scripturæ. Ita exclamat Caluinus *lib.* 4. *cap.* 9. §. 14.

Reſpondetur cum D. Bonau. *ſerm.* 9. *Hexaëmer.* nos anteponere firmitatem Scripturæ firmitati Conciliorum, quia Scriptura eſt à Deo immediatè inſpirata, & dictata.

An Concilium ſit ſupra Pontificem.

QVÆSTIO OCTAVA.

ORTA eſt quæſtio hæc tempore Concilij Piſani, & agitata etiam tempore Concilij Conſtantiæ; at in Baſileæ Concilio efferbuit.

PRIMA quidem ſententia eſt, Concilium eſſe ſupra Papam. Ita omnes hæretici huius temporis, inter quos Hermannus Hamelmannus *lib.* 3. *Prol. cap.* 13. multis id proſequitur argumentis. Idem aſſerunt Cardinalis Cameracenſis, Gerſon, Iacobus Almainus, & alij *in ſuis tractatibus de poteſtate Eccleſiæ.* Idem Nicolaus Cuſanus *tract. de concordia Cathol. lib* 2. *cap. vlt.* Panormitanus *cap. Significaſti, extra de elect.* & ibi Magiſter eius, Cardinalis Florentinus. Abulenſis *in cap.* 18. *Matth. quæſt.* 108. & *in Defenſorio trium concluſionum.*

SECVNDA opinio eſt aliquorum Canoniſtarum, Papam eſſe quidem ſupra Concilium, & à nemine iudicari poſſe inuitum; tamen poſſe ipſum ſe ſubiicere Concilio, & dare ſuper ſe poteſtatem, & tunc ſubiectum omninò eſſe. Ita Gloſſa *in can.* 68
Nos ſi competenter, 2. *quæſt.* 7. & *in can. In Synodo, diſt.* 63.

VLTIMA ſententia ferè communis eſt, Papam adeò eſſe ſupra Concilium, vt neque ipſe poſſit ſubiicere ſe vi coactiuæ illius. Pro hac ſententia citantur à Bellarmino Scholaſtici veteres. Albertus, D. Thomas, D. Bonauentura, Richardus, Paludanus, & alij *in* 4. *diſtinct.* 19. vbi de Clauibus agitur; tametſi ex profeſſo de hac re eos non diſputaſſe dicat. Addit verò cum S. Bonau. *diſt.* 19. *quæſt. vlt.* poſſe Papam ſe ſubiicere abſolutè, & directioni alicui ſubditorum, ſi velit.

EXPRESSA autem huius ſententiæ ſunt D. Antoninus 3. *part. titul.* 22. *cap.* 10. §. 4. & 2. *part. tit.* 3. *cap.* 11. *Summa Theol.* Turrecremata *lib.* 2. *cap.* 93. *&* 104. *Summa, de Eccleſia*, & *in reſponſione ad Oratores Baſileenſes.* Aluarus *de planctu Eccleſiæ, lib.* 1. *articul.* 6. Dominicus Iacobatius *lib.* 10. *de Conciliis, art.* 7. Caietanus *in tract. de comparatione Papæ cum Concilio*, Pighius *lib.* 6. *de Hierarchia Eccleſiæ*, Ferrarienſis 4. *cont. Gent. cap.* 76. Auguſtin. de Ancona *tract. de poteſtate Eccleſiæ*, Petrus de Monte *lib. de poteſtate Papæ, & Concilij*:

Turrianus

Turrianus *de hoc*, & Canoniſtæ ferè omnes *in cap. ſignificaſti, de electione*: & *can. Si Papa diſt.* 40. Ioannes Anton. Delphinus *lib.* 2. *de Eccleſ. cap. vlt.* Thomas Campegius *tract. de poteſtate Romani Pontificis, cap.* 22. *& ſequentibus*: Sanderus *lib.* 7. *de viſibili Monarchia*: Bellarminus *lib.* 2. *de Conciliis, cap.* 15. Bouerius *demonſtratione* 4. *Symbol. art.* 55.

69 Iam oportet propoſitionem hanc probemus argumentis D. Bonau. quæ optima ſunt.

PROBATVR primò à D. Bonauent. *in* 4. *diſt.* 19. *art.* 3. *quæſt.* 1. *fund.* 4. & *in corpore.* In omnibus, ſiue rationalibus, ſiue irrationabilibus, ſiue terreſtribus, ſiue cæleſtibus, vt ſit conſonantia, oportet dari ordinem. Hunc verò maximè in Eccleſia inueniri certum eſt, quæ *Cant.* 6. dicitur: *Terribilis, vt caſtrorum acies ordinata.* Sicut autem in vnoquoque exercitu ordinato milites infimi ad Decuriones; hi ad Centuriones; & iſti ad Duces maiores; omnes verò Imperatori ſubiiciuntur, alioqui omnia malè ſonarent, vt notat D. Hieronymus *epiſt. ad Ruſticum Monachum*; & hic debet eſſe præſens: ita in Eccleſia, vt ſicut Parochiani ſubduntur Parochis, & hi Archipreſbyteris, & hi Epiſcopo, & Epiſcopi Archiepiſcopo, & hi Primari, & omnes ſimul vnico Pontifici ſummo, in quo ſit ſtatus omnis prælationis Eccleſiaſticæ. Et in hoc debet eſſe ſtatus, tanquam in vno primo, & ſimpliciſſimo, vt tanquam lineæ in centrum conueniant, qui ſummam habeat in omnes poteſtatem; quippè inſtitutus à Chriſto Paſtor omnium ouium, vt dicitur *Ioan.* 10. cui datæ ſunt claues Regni cælorum, *Matth.* 16. ita vt ſicut à centro ad circumferentiam ſit multiplicatio linearum, & virtutis diminutio, & ſumma eſt in centro vis: ita authoritas Prælatorum omnium ſimul multiplicata debilis, & diminuta ſit, & in ſolo vno centro vnita.

70 Hoc autem ita eſſe probat S. Doctor ex Inſtitutione Chriſti, *Matth.* 16. vbi Petrus dicitur PETRA, ſuper quam tota fundatur Eccleſia, *Ioannis vltimo*: vbi omnes fideles, & Apoſtoli, & alij Prælati ſimul conſtituuntur oues Petri. Et ita Petri ſucceſſoribus communicata eſſe debet eadem authoritas, vt maneat firma gubernatio à Chriſto ordinata. Et ita Romanus Pontifex dicitur Caput Eccleſiæ vniuerſalis, & Prælatorum in Conciliis. Ita loquitur Concilium Chalced. *epiſt. ad Leonem*; Concilium Lugdunenſe, vt habetur *cap. Vbi periculum, de electio n. in* 6. & definitum eſt in Concilio Florentino, & Conſtantienſi, *ſeſſ.* 15. Ob id damnat Ioannem Hus. Cùm igitur Roman. Pontifex ſit caput Eccleſiæ, quæ eſt vnum corpus vnitum; quis negabit præeſſe toti corpori ſimul?

Confirmatur à D. Bonauent. *ſerm.* 22. *Hexaëmer.* Nam cùm Eccleſia ſit domus Dei, vt ait Apoſtolus *primæ Timoth.* 3. & notat D. Ambroſius ibi infrà citandus; oportet dare vnum Patrem, ideſt Papam. Papa enim ſignificat Patrem, eo modo, quo pueri Græcè vocant, vt patet ex Philemone Comico apud Athenæum *lib.* 8. & Homero *Odyſſea lib.* 6.

71 PROBATVR ſecundò à D. Bonauent. *ibi ad* 2. alio argumento, quod eſt S. Leonis *epiſtol.* 169. Nam Chriſtus Apoſtolis dedit poteſtatem ligandi, & ſoluendi, *Ioan.* 20. *Matth.* 18. Et quidem in hoc poſteriori loco ſolùm promiſſa eſt poteſtas, quæ data eſt in vltima cœna, cùm creati ſunt ſacerdotes Epiſcopi; vel ſi datam eſſe tunc *Matth.* 18. concefferimus Luthero, & Caluino vrgentibus; tamen ſingulariter data eſt Petro ſuper omnes, Matth. 16. *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam. Quodcumque ligaueris ſuper terram, &c.* Ita Petrum, PETRAM Eccleſiæ Catholicæ, vocat Concilium Chalced. *action.* 3. D. Ambroſius in hymno Laudum, vt teſtatur D. Auguſt. *lib.* 1. *Retractationum, cap.* 21. Ita Patres communiter vocant Petrum Eccleſiæ fundamentum. Origenes *homil.* 5. *in Exod.* Athanaſius *epiſtol. ad Felicem*, quam ſcripſit etiam nomine Synodi Alexandrinæ, vbi dicit: *Super fundamentum tuum Eccleſia columna, ideſt Epiſcopi, ſunt confirmata.* Baſilius *lib.* 2. *in Eunom.* Nazianzenus *oratione de moderatione in diſputationibus*, Epiphanius *in Anchorato*, Chryſoſtomus *homil.* 55. *in Matth.* & *homil.* 4. *in cap.* 6. *Iſaia.* Cyrillus *lib.* 2. *cap.* 2. *in Ioan.* Pſellus *in cap.* 5. *Cant.* Theophylactus *in cap.* 22. *Luca.* Euthymius *in cap.* 16. *Matthei.*

E LATINIS Tertullianus *de præſcript.* Cyprianus *epiſtol. ad Quintum*, Hilarius *in* 16. *Matth.* Ambroſius *ſermon.* 47. Hieronymus *in* 16. *Matth.* Auguſt. *in Pſalm. contra partem Donati*, qui ſimul cum D. Hieronymo, non tam Petrum, quàm eius Sedem vocant fundamentum Eccleſiæ. Maximus *ſermone* 1. *de SS. Petro, & Paulo*, Leo *ſermone* 2. *de anniuerſario aſſumptionis ſuæ*, Gregorius *lib.* 6. *epiſt.* 37. Vocat autem Petrum PETRAM illam, ſuper quam fundatur Eccleſia, dicens: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram, &c.* Vbi relatiuum *hanc*, denotat eundem Petrum, qui dicitur fundamentum. Hinc habes, aliquos è Patribus allegatis, præcipuè Hilarium *lib.* 6. *de Trinit.* Ambroſium *lib.* 6. *cap.* 9 *in Lucam*, Chryſoſtomum *homil.* 55. ponere etiam fidem relatam ad reuelationem factam à Petro; ideſt, fidem à Petro docendam, non ſimpliciter, & nudè fidem, vt volunt hæretici; alioqui non diceret, *ſuper hanc*, neque *ædificabo*, quia iam ſuper fidem multos fundauerat.

Confirmatur amplius à D. Bonauent. *ibi*, ex ver- 72
bis ſequentibus: *Tibi dabo claues Regni cælorum.* Vbi aduerte, non Eccleſiæ in genere dari claues, vt fingunt Lutherus *lib. de poteſtate Papæ*, Caluinus *lib.* 4. *inſtitut. cap.* 6. §. 4. Synodus Smalchaldica *lib. de Primatu Papæ*; ſed perſonæ Petri, cui tot circumſtantiis datur poteſtas, vt inſtrumenta iuniretur. Ponit nomen eius, & Patris eius. *Simon Bar-jona. Tibi dabo claues, &c.* Ita intelligunt Patres, Hilar. *in Pſalm.* 131. Auguſtin. *lib.* 2. *cont. duas epiſtolas Gaudentij, cap.* 23. Ambroſius *lib. de Iſaac, cap.* 3. Hilarius *in cap.* 16. *Matth.* & alij.

PROBATVR tertiò cum D. Bonauent. *ad* 18. *Ioan. & ſermonibus citandis*: nam ſecundùm Scripturas Eccleſia non eſt Democratica, vel Ariſtocratica; ſed Monarchica, vt dicitur Pſalm. 2. *Ego autem conſtitutus ſum Rex ab eo ſuper Sion.* Et *loc. citat. Ioan.* Chriſtus ſe Regem fatetur ingenuè dicens: *Tu dicis, quia Rex ſum ego.* Et non dixit: Regnum meum non eſt *in hoc mundo*; ſed *de hoc mundo*, quia Regnum eius ſpirituale eſt in Eccleſia credentium deſuper eruditorum. De hoc *tertia parte, tom.* 1. *diſput.* 38. *quæſt.* 2.

IGITVR oportet aſſerere, non Concilium dominari ariſtocraticè; ſed vnum Chriſti vices gerentem, qui ſit veluti Sol inter planetas. Ideò ait S. Bonauent. *Iſai.* 19. vocari Romam ciuitatem Solis. Et ſi Eccleſia eſt Monarchia, vt Concilia, & PP. omnes confitentur, foret monſtrum tale iudicium ſine capite.

Hæc

Hæc argumenta S. Bonau. ſolidiſſimè nituntur aliis etiam Scripturis, & Conciliis aſſerentibus, Pontificem eſſe ſuper totam Eccleſiam, & Concilium: de quibus agit S. D. etiam *ſerm.9.16. & 22. Hexaëmer.* vbi aduertit, Scripturas aſtruere Romano Pontifici Monarchiam. Adducit autem illud Iſaiæ 19. *Erunt quinque ciuitates loquentes lingua Canaan, ibi altare Domini, ciuitas Solis vocabitur vna.* Hanc exponit eſſe Romam; & alias quatuor Patriarchales: Alexandrinam, Hieroſolymitanam, Antiochenam, Conſtantinopolitanam.

Obſeruat autem, eundem titulum Solis, qui ſæpè datur Chriſto, dari etiam Sedi Pontificis Romani. Ita loquitur epiſt. Adriani ad Tharaſium recepta à ſeptima Synodo *act.2.* vbi ait: *Cuius ſedes per totum terrarum orbem primatum obtinens lucet, omniumque Eccleſiarum Dei caput exiſtit. Vnde, & Beatus ipſe Petrus Dei iuſſu Eccleſiam paſcens Principatum obtinuit, atque obtinet.* Sic dicitur etiam Pontifex omnium Paſtor. Ioan. 10. ſicut ipſe Chriſtus *Ioan.10.*

73 Præcipuè verò *ſerm.16. Hexaëmer.* obſeruat, Pontifici Romano datos eſſe Epiſcopos, & Patriarchas, & Archiepiſcopos, vt eſſent eius ſemen, & Filij, & plurimos Eccleſiarum Græcarum, & Latinarum Præſules nominat. Neque ſolum ſinguli Patres, ſed etiam adunati in Conciliis Romanum Pontificem Patrem nominant: & Papa eos filios. Sic Damaſus reſpondens Epiſcopis Concilij Generalis ita exorditur. *Quod Apoſtolicæ ſedi debitam reuerentiam exhibetis vobis ipſis magno honori eſt, Filij honoratiſſimi.* Sic Concilium Antioch. Scribit ad Iulium Papam. *Domino Beatiſſimo, & honorabili Patri Iulio, &c.* & Stephanus Archiepiſcopus Carthaginenſis cum tribus Conciliis ita ſcribunt. *Domino Beatiſſimo, & Sancto Patri Patrum Damaſo, &c.* Ex hoc nomine deducit S. Bonau. *ſerm.22.* ſupremam dignitatem Romani Pontificis. Hoc enim nomine exprimitur à S. Ignatio *epiſt. ad Mariam Zarbenſem.* Concilium Chalced. *act.16.* ex Liberato *cap.22.* Stephano Archiepiſcopo Carthag. *epiſt. ad Damaſum*, nomine trium Conciliorum. Vide Bellarm. *lib.2. de Romano Pontifice, cap.21.* & Concilium Chalced. ad Leonem. *Rogamus tuis decretis noſtrum honora iudicium. Sit firmitas tua filiis; quod decet adimpleat.* At quis diceret, filios ſuper Patrem poteſtatem habere plenariam?

Hinc Lateranenſe Concilium ſub Innocentio III. in quo Græci, & Latini interfuerunt, *cap.5.* ait: *Romana Eccleſia diſponente Domino ſuper omnes alias ordinariæ poteſtatis obtinet Principatum, vtpotè Mater vniuerſorum Chriſti fidelium, & Magiſtra.*

74 Et Concilium Florentinum Græcis, & Latinis conſentientibus ita ſtatuit. *Definimus, ſanctam Apoſtolicam Sedem, & Romanum Pontificem in vniuerſum orbem tenere primatum; & ipſum Pontificem Romanum ſucceſſorem eſſe Beati Petri Principis Apoſtolorum, & verum Chriſti Vicarium, totiuſque Eccleſiæ caput; & omnium Chriſtianorum Patrem, atque Doctorem exiſtere, & ipſi in B. Petro paſcendi, regendi, & gubernandi vniuerſalem Eccleſiam a Domino noſtro Ieſu Chriſto plenam poteſtatem traditam eſſe.* Idem ſtatuunt alia Concilia; vt refert Bellarminus *lib.2. de Romano Pontifice, cap.13. in fine.* Bouerius, & alij. Affert verò S. Bonauent. duodecim præcipuos Patres, ſex Græcos, & totidem Latinos, qui Romanum Pontificem, caput, & Patrem vniuerſalem eſſe ſcripſerunt.

E Græcis Epiphanius *hereſi 68.* ait: *Vrſatius, & Valens pœnitentiam agentes vna cum libellis profecti ſunt ad B. Iulium Romanum Epiſcopum, pro ratione reddenda de ſuo errore*, nempè, quia Romanus Pontifex omnes iudicat, & à nemine iudicatur, vt declarauit Concilium Sinueſſæ. Rom. ſub Syluest. *can. vlt.* Chalced. *act.3.* Synod. 8. *act.7.* ex Romano ſub Adriano 2.

Secundus Athanaſius, in ſecunda Apologia, eoſdem Epiſcopos à B. Iulio veniam delicti petiuiſſe teſtatur. Similia habet *in lib. de Sententia Dionyſij Alexandrini*, & *in epiſtola ad Felicem Papam: Ob id vos, prædeceſſoreſque veſtros, Apoſtolicos videlicet præſules in ſummitatis arce conſtituit, omniumque Eccleſiarum curam habere præcepit, vt nobis ſuccurratis.* Idem fatetur *epiſt.* ad Marcum Papam, vocans eum vniuerſalis Eccleſiæ Papam.

Tertius eſt Baſilius *epiſt.52.* ad Athanaſium: 75
Viſum eſt (ait) *conſentaneum, ſcribere ad Epiſcopum Romanum, vt videat res noſtras, & iudicij ſui decretum interponat. Vt quia difficilè eſt, aliquos inde de Concilij ſententia mitti, ipſe authoritatem rei tribuat delectis viris, qui laborem quidem itineris perferre poſſint, lenitate verò, ac facilitate morum tam commoda, & prudenti oratione, eos qui à recta via deflexerunt monere: quique Ariminenſis Concilij acta ſecum ferant ad ea reſcindenda, quæ illic violenter acta ſunt.* Hic Baſilius adſcribens Romano Pontifici poteſtatem viſitandi Eccleſias Orientis, & ex authoritate decreta faciendi, & reſcindendi Concilia Generalia, quale erat Ariminenſe, ſupremam argumentatur poteſtatem.

Quartus eſt Gregorius Nazianzenus *in carmine de vita ſua*, vbi ait: *Romanam Eccleſiam ſemper conſeruaſſe veram de Deo ſententiam, vt decet Vrbem, quæ toti orbi præſidet.* Nec loquitur de imperio temporali, nam eo tempore Sedes imperij non Romæ, ſed Conſtantinopoli erat. Deinde aſſignat congruitatem, & rationem, ob quam ſit in ea fides Principatum profectò Eccleſiæ obtinens.

Quintus Chryſoſtomus *epiſtol. prima ad Inno-* 76
centium Papam, ad quem appellauit à Concilio, tanquam ad ſuperiorem, ait: *Obſecro, vt ſcribas, quod hæc tam iniquè facta non habeant robur; illi autem, qui iniquè egerunt pœnæ Eccleſiaſticarum legum ſubiaceant.* Et epiſt. 2. *Perpetuas vobis gratias agimus, quod paternam erga nos beneuolentiam declaraſtis.* Cùm autem eſſet Chryſoſtomus ſenior Innocentio, tamen eum Patrem agnoſcit.

Sextus Gregorius Nyſſenus frater Baſilij, qui germano per omnia concors, & Nazianzeno amiciſſimo conformis, idem ſentit, & iudicat, *oratione catechetica.*

Alios ſex Latinos præcipuos refert.

Primus Hilarius in cap. 16. Matth. *O! in nuncupatione noui nominis felix Eccleſiæ fundamentum, dignaque ædificatione illius Petra, quæ inferorum leges diſſolueret! O Beatus cæli ianitor.* Fruſtra autem Eraſmus apponit Gloſſulam. Fides Eccleſiæ fundamentum, vt ſuprà vidimus. Similia habet *ad Pſalm.131.*

Secundus eſt D. Hieronymus *epiſt.* ad Dama- 77.
ſum de nomine hypoſtaſis: *Quamquam tui me terreat magnitudo, inuitat tamen humanitas. A Paſtore præſidium ouis peto. Cùm ſucceſſore Piſcatoris, & diſcipulo Crucis loquor. Ego nullum primum niſi Chriſtum ſequens, Beatitudini tuæ, id eſt Cathedræ Petri communione conſocior, ſuper illam Petram ædificatam Eccleſiam ſcio.* Hunc fatetur etiam Eraſmus Eccleſiæ Romanæ tribuere Primatum. Claudit. *Omnes extra perire, ſicut qui extra arcam Noë diluuio*, vt ait D. Bonau. *ad 17. Lucæ.*

Tertius

Tertivs Ambroſius *in cap.3. primæ Timoth.* ait: *Cùm totus mundus Dei ſit, tamen domus eius Eccleſia dicitur, cuius hodie rector eſt Damaſus.* Plura habet aliis locis. Vide Bellarminum, *lib.2.de Rom. Pontifice, cap.14.*

Qvartvs D. Auguſt. epiſt.162. *In Romana Eccleſia ſemper Apoſtolica Cathedræ viguit Principatus.* Similiter *epiſt.92.* Scribit cum toto Concilio Mileuitano ad Innocentium Papam, vt authoritate ſua coërceat Pelagianos, qui Paleſtinam, & Africam præcipuè inficiebant. Et *epiſt.157.* Zozimum Papam eſſe ſummum Paſtorem, cui Epiſcopi obediant, confitetur.

Qvintvs Gregorius Magnus *lib.1. epiſt.72. lib.2. epiſt.37. lib.4. epiſt.56. lib.7. epiſt.63. & 64.* Eccleſias omnes, maximè Orientis proteſtatur ſubiectas Rom. Pontifici. Hunc autem virum ſanctum fatetur Caluinus *lib.4. cap.7. §.22.* Tandem *epiſt.39.* ex eo arguit, non potuiſſe fideles ſupra B. Petrum, qui authoritatem habebat in S. Eccleſiam, eò quòd eſſent illius oues.

Sextvs eſt Oroſius, ad quem S. Auguſtinus ſcribit dialogum. Cum his cæteros adducit.

78 Denique, cùm hæc controuerſia ſit inter Pontifices, & Concilia; ſi eos concordes inuenerimus, non eſt cur diſputetur. Certum eſt autem, Coocilia cum Pontifice conuenire, vt notat, & latè proſequitur S. Bonau. *ſermonibus allegatis Hexaemeronis.*

Primo igitur Concilium Sinueſſæ ſub Marcellino, qui ſe Concilij cenſuræ ſubmiſerat, declarat: *Prima Sedes à nemine iudicatur.* Pauloſt Concilium Romanum ſub Syluestro ſtatuit, can. vltimo. *Nemo iudicabit Primam Sedem.*

Deinde in Concilio Chalcedonenſi, *act.3.* leguntur multæ epiſtolæ è variis locis ad Concilium, quæ ita incipiunt: *Sanctiſſimo, & Beatiſſimo vniuerſali Patriarchæ magnæ Romæ Leoni, & ſancto vniuerſali Concilio congregato in Chalcedonenſi ciuitate.* Nullus autem Patrum muſſitauit, eo quòd Papa toti Concilio præferretur. Imò in fine illius actionis extat epiſtola Concilij ad eundem Leonem, in qua eum *Caput*, & *Patrem* ſuum agnoſcit. Et in eadem actione damnatur Dioſcorus cum tota Epheſina Synodo ſecunda, eò quòd damnare auſus fuerat Pontificem Leonem, vt etiam proteſtatur Nicolaus I. ad Michaëlem.

Idem habetur in Concilio Romano quinto ſub Simmacho, dum recipit librum Ennodij, in quo legitur: *Succeſſores Petri Iudices eſſe omnium, & à nullo iudicari.* In octaua Synodo *act.7.* in Lateranenſi ſub Alexandro III. vt habetur cap. *Licet, extrà de electione.* In Conſtantienſi in Bulla Martini V. approbante Concilio Lateranenſi vltimo ſub Leone X. *ſeſſ.11.* & in Baſileenſi.

Idem teſtantur Pontifices Leo *epiſt.48.* Gelaſius ad Epiſcopos Dardaniæ. Nicolaus I. ad Michaëlem; Gregorius *loc. cit.* Paſchalis II. vt habetur cap. *Significaſti.* Innocentius III. *ſerm. 2. de conſecratione Pontificis.*

Proaatvr vltimò ratione adducta ex *ſextodecidecimo ſermone D. Bonau. allegato Hexaemer.* Ita ſe habet Eccleſiaſtica Hierarchia, ſicut ſe habet cæleſtis; at ſignum cæleſtis Prælationis ſuper alios Angelos eſt, eos purgare; eoſque conuerti, vt purgentur, & illuminentur. Ergo etiam in Eccl. Hierarchia ſignum Prælationis eſt ſimile; at ſupremus è Seraphim omnes purgat, atque illuminat; & omnes ad eum conuertuntur, vt purgentur; nullus verò, vt eum purget. Ex quo deducitur eſſe ſupremus. Ergo à ſimili, cùm omnes conuertantur ad Romanum Pontificem, etiam Concilia, vt purgentur, & illuminentur, non vt purgent, & illuminent; ſignum eſt Prælationis. Maior eſt nota, & probatur à S.Bonau. *ex Apoc. 12. Galat.4. Epheſ.2.* & hoc omnes conclamant, poſt S. Dionyſium *de Eccl. Hierarchia.* Similitudo verò probatur quoad purgationem, tum quia, vt vidimus, etiam Coocilia ſe ſubmittunt purgationi, & illumiuationi Pontificis Romani; tum quia à Conciliis iure appellatur ab Epiſcopis ad Pontificem, vt purgentur, vt habet Gelaſius ad Epiſcopos Dardaniæ, & experimentis patet, quibus conſtat, Romanos Pontifices purgaſſe, vel abſoluiſſe, quos Concilia ipſa damnauerant. Nam Athanaſius Epiſcopus Alexandrinus, & Paulus Epiſcopus Conſtantinopolitanus à Concilio depoſiti, appellauere ad S. Iulium Papam, & ab eo in ſuas Sedes reſtituti ſunt, vt refert Sozomenus *lib.3. cap.7.* Similiter Flauianus Epiſcopus Conſtantinopolit. appellauit à Concilio Epheſino ſecundo ad Leonem, vt ipſe teſtatur *epiſt.25. ad Theodoſium Auguſtum.*

Sic & Theodoretus Epiſcopus Cyri, qui ſub ſe habebat 600. Eccleſias, appellauit ad eundem Leonem, vt patet ex *ipſius epiſtola ad Leonem*, quæ habetur in fine operum eiuſdem Leonis. Chryſoſtomus à Concilio depoſitus, appellauit ad Innocentium, vt patet *ex litteris eius*, vt teſtatur Gelaſius ſupra.

Tandem Concilia correctioni Romani Pontifi- 79
cis ſe ſubdunt, vt teſtatur idem Gelaſius ſupra, & patet ex Conciliis à Papa confirmatis, præcipuè *primo, ſecundo, tertio, quarto, ſexto.* Ipſique Pontifices ſæpè Concilia irritarunt, quod petiit Baſilius à Damaſo, vt ſcribit *epiſt.52. ad Athanaſium.* Et ipſe Damaſus illud reprobauit, vt ſcribit Epiſcopis Illyrij. Hanc eandem poteſtatem teſtantur Synod. Chalced. *act.6.* Leo *epiſt.55.* Gregorius *lib.4. epiſt.34.* Adrian.I. *ad Conſt. epiſt. lecta in Synod. Nic.2. act.2. & cap. Regula, diſt.17.*

Ex quibus alia quoque ratio eruitur cum D. Bonau. *loc. cit.* nam Eccleſia eſt ad modum fabricæ, vt habetur *Epheſ.2.* cuius fundamenta ſunt Apoſtoli, & omnium Petra Petrus, ſuper Chriſtum fundata. Certum eſt autem ædificium in ſua ſubſiſtentia pendere à fundamento; non fundamentum à culmine. Cum autem etiam in praxi Concilia eatenus ſint firma; quatenus baſi Romani Pontificis nituntur; ſequitur, ea pendere à Pontifice tanquam à fundamento, non è contra.

Obiiciunt primò Marcellinum à Concilio Sinueſ- 80
ſæ iudicatum.

Respondetvr primò, Marcellinum ſponte abiiſſe ad Concilium, ac Pontificis inſignibus depoſitis ſe eius iudicio expoſuiſſe; Concilium autem reſpondiſſe. *Prima Sedes à nemine iudicatur.* Neque enim poteſt Papa ſe Concilio ſubmittere. Primò quia eius præcellentia eſt iuris Diuini indiſpenſabilis. Secundò quia ſuperior non recurrit ad inferiorem, vt ſuperioris cauſam iudicet.

Respondetvr ſecundò, Marcellini lapſum eſſe infidelitatis, qui excipitur, & poteſt iudicari à Concilio, vt fatentur Innocentius III. *loc. cit.* & alij, quia tunc ſeipſum dignitate priuat, quæ fidem Petri ſupponit.

Secvndo opponunt Melchiadem, poſt cuius ſententiam iudicauit Epiſcopus Arelatenſis eandem cauſam, vt teſtatur S. Auguſtinus *epiſt.162.*

Reſpondetur ex D. Auguſt. *ibi*, id factum ab Imperatore, petentibus iniquè Donatiſtis. Addit verò ibi D. Auguſt. Concilium ſpeciale poſſe examinari

in

in Concilio Generali, maximè in rebus *facti*, in quibus poteſt Eccleſia errare, quia pendent ex informationibus.

Tertio opponunt Liberium ab Imperatore depoſitum, & reſtitutum; qui ab eodem iuſſus eſt admittere collegam ſuum Felicem: quod etiam iuſſit Concilium Syrmienſe.

Respondetvr Imperatorem id feciſſe tyrannicè, erat quippe Arrianus; neque Concilium Syrmienſe aliquid præcepit, ſed ſolummodò hortatum eſt Felicem, non vt Felicem vellet æqualem.

Obiiciunt ſecundò, quia Petrum alloquens Chriſtus, dixit Matth. 18. *Si te non audierit, dic Eccleſiæ.* Ergo Eccleſia eſt ſupremum tribunal, ad quod etiam Petrus deferre debet errantes.

81 Respondet primò D. Bonau. infrà cit. quando remiſit ad Eccleſiam, remittere ad ipſum Petrum ſpecialiter, & infrà etiam aliis Epiſcopis: quod probat D. Bonau. quia ſtatim ſubdit: *Quæcunque alligaueritis ſuper terram, erunt ligata & in cœlis.* Itaque & Pontifex poteſt hoc præceptum implere, vt reſpuentem correctionem fraternam poſtea, non vt pater, ſed vt iudex arguat, deferens à paterno ſuo ad Tribunal Eccleſiæ, in quo ipſe reſidet excommunicando. Ita D. Gregorius *lib. 4. epiſtola* 38. exponit.

Respondet ſecundò D. Bonauentura *in 4. diſt. 18. part. 2. quæſt 3. ad 3.* Petrum tunc non fuiſſe adhuc Pontificem, quia poteſtas promiſſa eſt, Matthæi 16. *Tibi dabo claues, &c.* & data Ioan. 20. *Paſce oues meas.*

Plura vide in Bellarmino, qui omnia ferè ſuprà relata è D. Bonauentura decerpſit, cum Bouetio noſtro.

DE AVTHORITATE PONTIFICIS, QVARTO LOCO THEOLOGICO.

DISPVTATIO IV.

An optimum regimen ſit Monarchia.

QVÆSTIO PRIMA.

CErtissimvm apud omnes eſſe debet, Chriſtum inſtituiſſe illud regimen Eccleſiæ, quod eſt optimum, & vtiliſſimum. Tres autem ſunt formæ regiminis. Monarchia, ideſt vnius Principatus, cui opponitur Tyrannis. Ariſtocratia, ideſt regimen Optimatum, cui opponitur Oligarchia, ideſt factio paucorum; & Democratia, hoc eſt populi totius Imperium, quod in ſeditiones non rarò degenerare ſolet. Id docet Plato *in Politico*, Ariſtot. *lib. 3. Polit. cap. 5.* & *lib. 8. Eth. cap.* 10. fatetur Caluin. apud Bonet. *demonſt. 3. Symb art. 2.*

1 Poſſunt verò ex his fieri quatuor aliæ formæ gubernationis mixtæ. Prima temperata ex omnibus tribus. Secunda ex Monarchia, & Ariſtocratia. Tertia ex Monarchia, & Democratia. Poſtrema ex Democratia, & Ariſtocratia.

Et quidem hæretici, inter quos vberrimè Caluinus, vt Primatum in Eccleſia funditus euertat, Monarchiam omnium regiminum peſſimum clamat, præſertim in Eccleſia. Ita *lib. 4. Inſtit. cap. 9. §. 9.* & *cap. 20. §. 8.*

Asserenovm cum D. Bonauentura locis infrà citandis, & cum D. Thoma, & reliquis Theologis, Monarchiam eſſe optimam inter tres ſimplices gubernationis formas.

Eſt ſententia omnium Scriptorum veterum. Sic Philo *lib. de confuſione linguarum*, laudans Homeri ſententiam, ait grauiter: *Multos imperitare malum eſt. Rex vnicus eſto: non ad ciuitates, & homines magis pertinet, quàm ad mundum, & Deum.*

Ex græcis S. Iuſtinus oratione exhortatoria ad gentes: *Vnius* (ait) *Principatus a bellis, diſſidiiſque ſolutus, ac liber eſſe ſolet.* Athanaſius *oratione aduerſus Idola*, ait! *Vt multitudo Deorum nullitas eſt Deorum; ita quoque neceſſe eſt, multitudinem Principum id efficere, vt nullus eſſe Princeps videatur.* (Sic Theodoret. *lib. 3 de Angelis.*) *Vbi autem Princeps non eſt, ibi prorſus diſturbatio naſcitur.* Idem ferè argumentum facit D. Bonauentura *in 1. diſt. 2. quæſt. 1.* clariùs *in 4. diſt. 19. art. 3. quæſt. 1.* Grauiter D. Chryſoſt. *hom. 2. in Ioan.* maris vorticibus populi regimine comparato, concludit: *Qui igitur ſub eiuſmodi Domino premitur, nonne omnium eſt miſerrimus?*

Ex Latinis idem docent S. Cyprianus *tract. de Idolorum vanitate.* S. Hieronymus *ep. ad Ruſticum Monachum.* & D. Thom. *part. 1. quæſt. 103. art. 3.* & *4. contra Gent. cap. 36.* Euſeb. *de laud. Conſt.*

E Philoſophis Plato *in Politico, circa medium*, Ariſtot. 8. *Eth. cap. 10.* Seneca *lib. 2. de beneficiis*, & latiùs Plutarchus ex profeſſo.

Ex Oratoribus Iſocrates in oratione, quæ dicitur *Nicocles.* Ioannes verò Stobæus *tit. ſermonis* 4. vbi aliorum teſtimonia producit.

Ex Hiſtoricis Herodotus *lib. 3.* qui *Thalia* inſcribitur.

Homerus è Poëtis *lib. 2. Iliados.* Quid plura? Spiritus ſanctus, *Prouerb. 28.* teſtatur: *Propter peccata terræ multi Principes eius.* Ex quo S. Bonauent. *ad 11. Lucæ* probat, optimum regimen eſſe vnius, qualis eſt etiam Dei.

Probatvr verò primò. Illud eſt perfectiſſimum regimen ſimpliciter, quod eſt Dei: at Dei regimen eſt Monarchia, ſimiliter & Chriſti. Ergo Maior eſt euidens. Minor patet, quoad priorem partem; quoad alteram verò probatur *ex diſput. 4 quæſt. 7.*

Probatvr ſecundò eodem medio. Illud eſt optimum regimen, quod Deus in Eccleſia veteri inſtituit: at regimen illud fuit monarchia. Ergo.

Minor probatur, nam Principes fuere primi Patriarchæ, Abraham, Iſaac, Iacob, Iudas, qui iuriſdictionem etiam in ſanguine exercuère, *Geneſ.* 14. & 38. Deinde Duces fuere Moyſes, Ioſue: tum Iudices Gedeon, Samſon, & alij vſque ad Samuelem. Mox Reges à Saule vſque ad captiuitatem ſaltem Babylonicam. Denique Principes ſimul, & Pontifices Zorobabel, & cæteri Machabæi, & alij. Hoc argumentum latè proſequitur S. Bonauentura *ſerm.* 16. & 22. *Hexaemer.* vbi etiam addit, regnum illius Eccleſiæ fuiſſe figuram Regni Chriſti, & Eccleſiæ; vnde infrà argumentabimur, *quæſt.* 2. Videat ergo Caluinus, vbi Hebræum regimen fuit Ariſtocratia, & Democratia, non autem regimen vnius Principis.

Obiicies primò: *Regum cap.* 8. reprehenduntur Hebræi, quia Regem poſtulauerant.

Respondetur, reprehendi, quia non contenti
2 Principe vno, volebant Regem, qui propria ſapientia gubernaret; & quia filij Samuelis non erant tales, petierunt alium, qui ſuprema, & independente ab oraculis Dei, à quo timebant, authoritate regeret. Ideò Deus conqueritur: *Non te abiecerunt, ſed me, ne regnem ſuper eos.* Quis autem neget, etiam Samuelem fuiſſe Principem? Ita reſpondetur cum D. Bonauentura 10. *Lucæ.*

Probatur tertiò à D. Bonauentura *in* 4. *diſt.* 19. *loc. cit.* quia omnia, etiam irrationalia, nedum rationa-
3 lia, habent ordinem ad vnum caput. Ita rex vnus eſt apibus: dux vnus in gregibus, & in armentis; vt ſcribit S. Cyprianus *in tract. de Idolorum vanitate.* Addit S. Hieronymus *ad Ruſticum*, etiam grues poſt vnum ducem ordine litterato incedere. Tandem omnia indiuidua ad vnam ſpeciem reducuntur.

Præclarè verò Monarcham Eccleſiaſticum Regi apum, qui caret aculeo, comparat S. Doctor *ad nonum Lucæ*, & *ſerm.* 1. *Rogationum.*

Ridet Caluinus *lib.* 4. *cap.* 6. §. 8. hoc argumentum; & illud retorquet, quia non eſt vnus rex omnium apum; neque vnus dux omnibus gregibus; ſed in ſingulis aluearibus ſunt ſinguli reges, independentes à cæteris; ita ergo in ſingulis Eccleſiis Epiſcopi à Papa independentes. Sed non conſiderauit, quod S. Bonauentura conſiderandum obiicit *ſerm.* 15. *Hexaemer.* vbi de Regno Chriſti agit, vnum eſſe ouile Chriſti, vnum Regnum, vnum veluti aluearium, quod indicat ibi; & clariùs probat ad Ioan. 10. *Fiet vnum ouile, & vnus Paſtor.* Et ex illo *Iſaiæ* 28. vbi dicitur ipſe lapis angularis vniens duos parietes in vnam domum, ideſt Eccleſiam. Confirmatur à D. Bonauentura *loc. cit. in* 4. quia etiam inſenſata ad vnum reducuntur. Sic omnia flumina ad mare, omnes lapides ad centrum, omnes ſcintillæ, & flammæ ad ſphæram, &c. vt notat Bouer. *demonſt.* 3. *Symb. art.* 6. omnia aſtra ad Solem.

Probatur quartò à D. Bonauentura *in* 4. *loc. cit.*
4 ratione ducta ex præcipua conditione regiminis, quæ eſt ordo: eo ſiquidem melior gubernatio eſt, quo magis eſt ordinata; magis autem ordinatam eſſe monarchiam, quàm cæteras, ſic demonſtro. Omnis ordo in eo poſitus eſt, vt alij præſint, alij ſubiiciantur; non enim inter pares, ſed inter ſuperiores, & inferiores ordo dignoſcitur. Optimus autem ordo eſt, quando omnes ſunt ordinati. Talis eſt Monarchia, in qua omnes ad vnum ordinantur Monarcham. Sic igitur optimus in Eccleſia eſt ordo, vbi plebes ſubiiciuntur Parochis; Parochi Epiſcopis; Epiſcopi Metropolitanis; Metropolitani Primatibus; Primates Pontifici Maximo, & Pontifex Maximus Deo.

In Ariſtocratia autem plebs ad Optimates ordinatur; ſed ipſi non ordinantur inter ſe, multò minùs in Democratia.

Probatur quintò à D. Bonauentura *loc. cit. in corpore*, ex aliis conditionibus regiminis optimi; nam hæ conditiones præcipuæ ſunt regiminis. Prima eſt, vt ſit maior vnio ad finem politiæ conſequendum, & arceantur diſſidia. Secunda, vt fortius ſit, atque ſtabilius, & permanentius. At tale eſt regimen Monarchiæ: ergo.

Probatur minor à D. Bonauentura. Quia maior eſt vnitas in vno ſimpliciſſimo, quàm in aggregato per accidens è plurimis; & in eo virtus eſt fortior, quia virtus vnita fortior: ſed tale eſt regimen Monarchiæ. Ergo. Confirmatur exemplo centri in circulo, in quo maximè vniuntur lineæ; ſed parallelæ abeunt ſparſæ.

Quod magis vniantur gentes ſub vno Principe, 5
probatur etiam experientiâ; nam apud Romanos ſub Regibus raræ admodum fuere ſeditiones; expulſis autem Regibus, ſub Republica ſingulis ferè annis tumultus ebulliêre, ac tandem potentiſſima illa Reſpublica ſuis ſeipſam manibus lacerauit.

Quod etiam ſit fortius, atque ſtabilius, & permanentius regimen Monarchiæ, probatur experientiâ; nam tres primæ Monarchiæ ſub Regibus auxerunt Imperium, ex quibus diutiſſimè durauit Aſſyriorum Imperium; à Nino enim vſque ad Sardanapalum, ſine interruptione perſtitit annos 1240. vt Euſebius ſcribit *in Chronico*: vel 1300. vt ſcribit Iuſtinus *lib.* 1. vel ſupra 1400. vt vult Diodorus *lib.* 2. *cap.* 7.

Regnum Scytharum aliquot annorum millibus durauit, nec ab vllo extero conteri valuit, è Iuſtino *lib.* 2.

Almum Regnum Francorum à Pharamundo ad magnum Ludouicum XIV. nunc fœliciter imperantem, cui perenne, annos 1251. ſtetit orbi inconcuſſum.

Certè potentiſſimæ Romanorum Reipublicæ à pulſis Regibus vſque ad Cæſaris Imperium ſoli 480. anni numerantur: at ſub Monarchis in Oriente, à Iulio vſque ad Conſtantinum vltimum, durauit perenne 1495. annos; in Occidente autem ab eodem Iullo vſque ad Auguſtulum, ſuper 500. & à Carolo Magno vſque ad præſentem Imperatorem Leopoldum 888. vel 871. ex Bucellenio ad 1671.

Dicas. Reſpublica Venetorum numerat annos 6
ſupra 1245.

Bellarminus reſpondet, nondum attigiſſe Imperij Aſſyrij, vel Romani ætates; nec Regnum Francorum, aut Scytharum adæquaſſe. Deinde non eſſe Ariſtocratiam admixtam Politiæ, quam laudat Caluinus; ſed Ariſtocratiam admixtam Monarchiæ, nec locum vllum obtinere ibi Democratiam. Deus eam ſeruet perennem.

Reſponſio mea eſt, Sereniſſimam Rempublicam ſingulari Dei prouidentia, tanquam Eccleſiæ propugnaculum conſeruari, ac nunquam perituram, dum Eccleſiæ perſtiterit Propugnatrix aduerſus Turcarum tyrannidem.

Reſpublicæ profectò vix euitare valent æmu- 7
lationes, diuiſiones, quia omnes quærunt quæ ſua ſunt, & publico non inſudant non tarò; omne autem regnum diuiſum deſolabitur, vt dicitur *Matthæi* 12. & *Lucæ* 11. ad quem locum S. Bonau. addit illum D. Hieronymi in regula monachorum, *cap.* 1. de pace ſeruanda, ſumptum è Salluſtio *de Bello Iugurtino*, non procul à principio. *Concordiâ paruæ*

res

res creſcunt, diſcordiâ maxima dilabuntur. Et illud Oſeæ 10. *Diuiſum eſt cor eorum, nunc interibunt.* Et Prou. cap. 28. *Propter peccata terra multi Principes eius.* Ex quo fuit illa propoſitio Caluini lib. 4. cap. 6. §. 9. *Peſſimum eſſe omnium regimen monarchia, maximè ſi vnus Princeps ſit in toto orbe terrarum.* Nam multos Principes in pœnam datos teſtatur Salomon.

8 Assero ſecundò, propter naturæ humanæ corruptionem regimen ex omnibus mixtum eſſe optimum, dummodo primum locum obtineat Monarchia: ſecundum Ariſtocratia: infimum Democratia.

Probatvr à S. Bonauentura *opuſculo de ſex alis Seraphim, cap. 7. circa medium.* Primò ex eo, quod ita fuit in Teſtamento antiquo, *Exodi* 18. vbi Moyſes, qui ſolus antè gubernabat, mox perſuaſus à ſocero, & palpo ſentiens, nimium eſſe laborem ſibi, quia non poterat omnia ſolus regere, conſtituit ſeptuaginta Optimates coadiutores. Conſilium autem fuit: *Vltra vires tuas eſt negotium. Eſto tu populo in his, quæ ad Deum pertinent. Oſtendas populo cæremonias, & ritum colendi, viamque per quam ingredi debeant; & opus, quod facere debeant. Prouide autem de omni plebe viros ſapientes, & timentes Deum, in quibus ſit veritas, & qui oderint auaritiam: & conſtitue ex eis tribunos, & centuriones, & decanos, qui iudicent populum omni tempore. Quidquid autem maius fuerit, referant ad te; & ipſi minora tantummodò iudicent, leuiuſque ſit tibi, partito in alios onere. Si hoc feceris, implebis imperium Dei, &c.* Quibus auditis Moyſes fecit omnia, quæ illi ſuggeſſerat. Igitur Monarchiæ addidit Ariſtocratiam in Optimatum aſſumptione; imò & Democratiam ſubdidit, eligens aliquos ex omni plebe: quod etiam habetur *Deuter.* 1.

Probatvr ſecundò à D. Bonauentura *loc. cit.* quia ſic & in nouo Teſtamento Apoſtoli, *Act.* 6. elegerunt ſeptem Diaconos coadiutores in temporalibus.

9 Imò, & id probat ex 12. *Lucæ*, vbi Chriſtus Princeps ſummus, gubernationem ſpiritualem tenens, noluit temporalem adminiſtrationem. Vnde ait illi homini: *Homo quis me conſtituit iudicem, aut diuiſorem inter vos.* Arduum eſt enim vni homini vbique terrarum regere; tametſi eſſet Chriſto facile.

Probatvr tertiò à D. Bonauentura *part. 2. de Eccleſ. Hier. cap. 1. circa finem*, vbi cùm Dominationibus comparaſſet Eccleſiæ Prælatos, oſtendit, optimam formam regiminis eſſe Monarchiam admixtam, exemplo adducto ex 18. *Exodi*, quod fuit exemplar, & figura regiminis Eccleſiaſtici, in quo coaſſumuntur à ſummo Pontifice, penes quem reſidet in terris ſuprema authoritas, Epiſcopi, & Cardinales: ab Epiſcopis Archidiaconi, Præpoſiti, & alij, qui ex omni ſtatu, etiam è plebe aſſumuntur, ſi apti ſint: & quidem Cardinales, & Epiſcopi verè Principes ſunt regentes ciuitates, dependenter tamen à Papa immediatè, eſto Ariſtocratiam admiſceant; ſicuti ex electione de omni populo addit Democratiæ aliquid monarchico regimini, vt mox dicam.

An Eccleſiaſticum regimen ſit Monarchia.

QVÆSTIO II.

Hæretici conſpirant, Eccleſiaſticum regimen non eſſe Monarchiam, tametſi inter ſe varij ſint. Illyricus enim *centur. 1. lib. 2. cap. 7.* totam poteſtatem Eccleſiæ in miniſtris, & in populo ſtatuit; nullum tamen præſidere (?) ait *lib. de elect. Epiſcoporum*, ſummam poteſtatem attribuit multitudini totius Eccleſiæ, & primum locum obtinere Democratiam; ſecundum Ariſtocratiam, ideſt ſeniorum congregationem.

Caluinus è contra, *lib 4. Inſtit. cap. 11. §. 6.* ſummam Eccleſiæ poteſtatem tribuit cœtui ſeniorum, quibus vult Epiſcopum præeſſe, vt Conſulem Senatui: plebi autem aliquid minùs tribuit.

Brentius *in Prol.* contra Petrum à Soto, concedit ſummam poteſtatem Principibus ſæcularibus. His Anglorum eſt error, apud Bouerium *demonſtr. 3. Symb. art. 5.*

E regione Catholici conueniunt, Eccleſiæ regimen eſſe Monarchiam, temperatam tamen, vt dixi *quæſt.* 1. Ariſtocratiâ. Ita D. Thom. 4. *cont. Gentes, cap.* 76. D. Bonauentura *locis infrà citandis*, Turrecremata *lib. 2. de Eccleſia, cap.* 2. Sanderus *in libris de viſibili Monarchia*, Bellarminus *lib. 1. de Rom. Pontifice, cap.* 6. Gregorius de Valentia *in Analyſi.*

Assero primò: Regimen Eccleſiæ non eſt populare.

Probatvr primò à D. Bonauentura *ad 21. Ioan.* & *collat.* 90. & *in 4. diſt. 19. art. 3. quæſt.* 1. ex illis verbis Chriſti ad Petrum, Ioan. 21. *Paſce agnos meos; paſce oues meas.* Vbi obſeruat, plebem pauperem, nomine agnorum: ditiores verò, nomine ouium compellari; & omnes ſub regimine Petri, & ſucceſſorum poni, vt paſcantur, ideſt regantur. Debent igitur alij eſſe Paſtores, alij eſſe greges. 10

Quod ſi gubernatio Eccleſiæ eſſet democratica, iam plebs paſceret Prælatos, & Paſtores, eos regeret, eos eligeret, leges ſtatueret, iudicaret, deponeret, ſicuti olim de Romana plebe dominante ſcribunt Liuius *lib. 2. 3. & 4.* Tullius *pro lege Manilia, & Agraria.* Id irriſit Anacharſis Athænis, vt refert Plutar. *in Sol.* Confirmatur à D. Bonauentura *lib. 1. Pharetra, cap.* 19. ex D. Gregorio 2. *part. Paſtoralis, cap. 1. initio*, vbi ait: *Tantùm debet actionem populi actio tranſcendere Præſulis, quantùm diſtare ſolet à grege vita Paſtoris, ſub cuius æſtimatione populus grex vocitur.* Sanè vulgus caret ſcientia neceſſaria regimini; eſt enim veluti grex.

Probatvr ſecundò à S. Bonau. *ad 11. Luca.* Multitudo principantium varietatem cordium ad iudicia continet; hæc verò inducit regiminis interitum. Oſeæ 10. *Diuiſum eſt cor eorum, nunc interibunt.* Hinc Prouerb. 28. *Propter peccata terra multi Principes eius.* Affert caſum ædificantium turrim confuſionis. Geneſ. 11. *Diuiſit eos Dominus, &c.* Hinc ait Chriſtus: *Omne regnum in ſe diuiſum deſolabitur.* Et D. Hieronym. *de reg. monial. cap. 1. Concordiâ parua res creſcunt, diſcordiâ magna dilabuntur,* 11

ex Salluſt. *de bello Iugurt.* Quod ſuis inſignibus adſcribunt tres Collegati Rheti popu lari regimine trepidi, vt ſibi caueant à ſeditionum, quibus frequenter quatiuntur, ruina.

Hioc reſumit S Bonau. *ſerm.*22. *Hexaëm.* Apoſtolos, Chriſto Democratiam deteſtante, & Monatchiam in Eccleſia ſtatuente, Eccleſias fundaſſe ſub vno Principe, eique Epiſcopos creaſſe, Eph. 2. *Superædificati ſupra fundamentum Apoſtolorum, &c.* Ipſi enim Apoſtoli Epiſcopos loco ſuo ſubſtituerunt, vt ordinarent, ſicuti Paulus Titum, 1. capite. *Huius rei gratiâ reliqui te Cretæ, vt conſtituas per ciuitates Presbyteros; ſicut & ego diſpoſui tibi.* Id fatentur Magdeburgenſes *cent.*1. *lib.* 2. *cap.*2. *col.* 15. ex Nauclero, aliiſque hiſtoricis. Hoc teſtantur Irenæus *lib.*3. *cap.*3. Tertullianus *de præſcript.* Euſebius *lib.* 3. *cap.* 4. Nicephorus *lib.* 2. *cap.* 41. Leo *epiſt.* 81. Beda *lib. de ſex ætatibus, in Claudio*: qui plurimos Epiſcopos recenſent, ab Apoſtolis, maximè à Petro creatos.

PROBATVR tertiò à D. Bonauentura *in* 4. *diſt.*19. *loc. cit.* & *ſexta parte Breuil. cap.*12. quia prouidentia Chriſti, atque ſapientia, illud regimen in Eccleſia profectò non inſtituit, quod eſt peſſimum. Talis eſt Democratia, vbi multitudo regit. Ergo.
12 Maior eſt certa. Minor à S. Doctore probatur, quia ſicuti ordo eſt maximè in omnibus neceſſarius; ita confuſio eſt peſſima. Sed in Democratico regimine non eſt ordo, ſed confuſio: Ergo. Minor probatur à S. Bonauentura. Ordo non eſt æqualium; ſed ſuperiorum, & inferiorum. At gubernatio Democratica omnes facit æquales: Ergo. Probatur ſecundò principalis argumenti minor; nam oppoſitorum eſt ratio oppoſita: at vnitas Principis facit Imperium indiuiſibile, fortius, permanentius, vt oſtendi *quæſt.* 1. Ergo gubernatio multitudinis reddis illud diuiſibile, confuſionibus, tumultibus, & ſubuerſionibus obnoxium. Confirmatur à S. Doctore, quia ordo ad vnum reddit virtutem fortiorem, dum eſt vnita; at recedendo ab vnitate ſemper fit multiplicatio, & virtutis infirmatio. Propter quod non eſt credendum, Democratiam inſtitutam à Chriſto, cùm ſit peſſimum omnium regiminum, vt teſtantur Plato *in Antioco*, Ariſtot. *lib.*8. *Eth. cap.*6. & Plutarchus *in Solone*, & *in Licurgo*, ex Anacharſis, & Licurgi ſenſu expreſſit. Ex noſtris verò S. Ambroſius *lib.* 5. *Hexaëmer. cap.* 21. Hieronymus *in cap.*21. *Matthæi*, Chryſoſtomus *homil.* 1. *in Ioan.* ex inſtabilitate, & perturbato modo agendi plebis, eius gubernationem vituperant. Vide Bouerium *loc. cit. art.* 1. Proinde oſtendo non eſſe Democratiam, addita ſibi Ariſtocratia, contra Illyricum *lib. de ſeru. ſacr. litt.*

13 Probatur ex multis, quæ prouidebant Apoſtoli ſine plebis conſenſu, vt legitur in Actis, & in litteris Apoſt. Quod ſi ad electiones conſenſum plebis præmittebant, id fiebat ſolùm, vt gratos proponerent, & notæ integritatis, vt habes *lib.*8. *Conſt. Ap. c.*2. & *lib.* 2. *cap* 2. Cypr. *lib.* 1 *ep.*2. inde *Act.*6.

In Conc. Laodiceno, *can.* 13. & refertur *diſt.*63. *cap. Non eſt permittendum turbis electiones eorum facere, qui ſunt ad Sacerdotium prouehendi.*

Sanè regimen inuerſum ſectarij inuehunt, vt infimi Ignari præſint ſapientibus optimatibus: quod opponit Anacharſis Soloni actum Athenis, vt legitur apud Plutarch. *in Solone.*

ASSERO ſecundò, regimen Eccleſiæ non eſſe penes Principes ſæculares.

PROBATVR primò à D. Bonau. *ſer.* 2. *Hex.* è Pſ. 44. *Pro patribus tuis nati ſunt tibi filij: conſtitues eos Principes ſuper omnem terram.* Hos Apoſtolos aſſerit cum Hier. Auguſt. *hic*, & Eccleſia *in off. Apoſt.* vel Principes Apoſtolos è Patriarchis, cum Græcis Chryſoſt. Theodoreto, & aliis.

Perſpicuum eſt ſanè, Hebræorum Synagogam, quæ fuit Eccleſiæ vmbra, ſæcularium Principum nunquam ſubiacuiſſe regimini; ſed Leuitis Pontificibus. *Numer.* 3. *Deuter.* 17. Deo ius dante, vt notat D. Bonau. *in Confeſſionali*, & opuſc. *Cur Fratres prædicent.* Item 2. *Paral.* 19. & *cap.*26. corripitur Rex, & à Deo punitur, quia ſacris ſe ingeſſerat. Sic & in Eccleſiæ regimine poſiti à Deo ſunt Apoſtoli, Paſtores, Doctores, 1. *Cor.* 12. *Eph.* 4. non Reges, vt monet S. Bonau. infrà *cit. locis*, cum Damaſc. *orat.* 1. *pro Imag.* Imò Reges, Patribus conclamantibus, excluſos ſæpè repetis S. D. *in Hexaëm.* & *de Eccl. Hierar.* D. Ignat. *ep. ad Trallianos*, Orig. *lib.*5. *in ep. ad Rom. cap.*6. Athan. *ep. ad ſolitar.* Oſius Ep. *apud Athan. ep. ad Conſtantium*, Chryſoſt. *hom.*4. *in Iſai.* Ambr. *ep.*33. *ad Valentinianum*; Damaſcen. *orat.* 2. *de Imag.* Id verò Apoſtolorum eſſe dictum, aſſerunt D. Clem. *lib.*2. *Conſt. cap.*20. Ignatius apud Driedonem *tom* 4 *cap.*9. & *ep. ad Smirn.* Ipſi etiam Luther. *com. art. Louan.* Caluin. *cap.*2. *in Amos*, id confitentur, contra Anglorum errorem, qui Regem Caput Eccleſiæ acclamant. Id latè oſtendam *quæſt.*4.

A priſcis ætatibus Pontifices conſecrant Reges, vt conſtat ex libris Regum.

Iudicia verò doctrinæ fidei, &c. Regibus interdicuntur. Sic Oſius Conſtantio apud Bouer. *demonſt. Symb.*3. Ambr. Valentiniano *ep.*32. hoc prohibuit. Id reſeruatur Sacerdotibus, *Deuter.*17. *Malachiæ* 2. vt notat D. Bonau. *loc. cit.*

PROBATVR ſecundò à Seraphico Doctore *eodem ſerm.* ex illo Heb. 5. *Omnis Pontifex ex hominibus aſſumptus*: vbi obſeruat, Pontificem ex Principe laico aſſumi, ſeu exaltari ad gradum altiorem, dum Pontifex creatur.

PROBATVR tertiò à S. Bonau. *ibidem*, & *lib.* 2. *de Eccl. Hier. cap.* 1. quia in prima Eccleſia fuere ſemper Epiſcopi, imò & Sacerdotes, prælati Principibus, vt ſicut Principes comparantur Principatibus, & Virtutibus; ita Epiſcopi, & Prælati Dominationibus, qui eſt ordo ſuperior. Adducit autem *ſerm. cit.* id, quod D. Ambroſius Valentiniano iniungere ſolebat, vt ipſe ſcribit ep. 33. *Noli te grauare, Imperator, vt putes, te in ea, quæ diuina ſunt, aliquod imperiale ius habere. Publicorum tibi mœnium ius commiſſum eſt, non ſacrorum*; vt refert Theodoretus *lib.*5. *cap.* 17. Quod innuit S. Bonau. *ibi*, dum ait, Sacerdotalem ordinem eſſe ſuperiorem, dum è Regibus aſſumuntur ad ſacras veſtes. Vide P. Inglarem *Veritate* 5. teſtimonia ferentem; & Bouerium *art.*5. 14

ADDIT verò S. Bonau. illis ſæculis fuiſſe Principes iuſtos, quos prædixit Iſaias *cap.* 1. inter quos laudat Conſtantinum, & Theodoſium: nam Theodoſius ab Ambroſio excommunicatus, & correctus humiliauit ſe; & cùm ſediſſet cum Sacerdotibus, D. Ambroſius iuſſit, eum deſcendere, & cum plebe conſiſtere: id quod ipſe libenter fecit, vt refert Theodoretus *lib.*5. *hiſt. cap.* 17. 15

CONSTANTINVS verò proteſtatus eſt, ſe de Epiſcopis iudicare non poſſe, vt qui Dij ſint; ſed ſe potiùs eorum iudicio eſſe ſubiectum, vt ſcribit Ruffinus *lib.* 1. *cap.* 1. *hiſt.*

IN CAPITE verò primo *de Eccl. Hier.* refert S. Doctor illud Zach. 6. *Sedebit, & dominabitur, & erit Sacerdos in ſolio ſuo, & erit concilium pacis inter eos*; ideſt inter Zorobabel, & Ieſum Sacerdotem. 16

Vbi

Vbi enumeratis quatuor Regnis, quaſi ventis, vt exponunt Gloſſæ omnes; mox Sacerdotem coronari in ſolio iubet, non Zorobabel Principem ſæcularem; nempe, quia Sacerdotes Dominationes ſunt reſpectu Principum, & Regum.

Probat id, & confirmat D. Bonau. *ſerm. de cœna Domini*, qui ex eo arguit, Sacerdotes ſuperiores Regibus, quia nec Regibus, nec ſæculi huius Poteſtatibus legitur attributum, vt conficiant ſanctiſſimam Euchariſtiam, habeantque poteſtatem ſuper corpus Chriſti verum. Ecquis enim Rex poteſt conſecrare, ordinare, confirmare, &c.? Aut ecquis Regum id attentauit?

Potest quidem fœmina habere gradum Regium; ſed non Sacerdotis, & conſecrare, vt teſtantur Auguſt. *hereſi* 27. Epiphanius *hereſi* 49. Idem vetitum eſt 2. *Paralip.* 26. Oziæ. Ratio eſt, quia Reges iure gentium inceperunt. Lucæ 22. *Reges gentium dominantur*, *&c.* & humanâ potentiâ: at Pontifices diuinâ; vt notat D. Bonau. & Chryſ. *hom.* 4. *in Iſai.*

Deinde affert teſtimonia Apoſtoli, qui Timotheo, & Tito iniungit, tanquam Epiſcopis, vt conſtituant Sacerdotes, vt corripiant etiam Principes.

17 Et quidem *prima Timoth. cap.* 2. ſeipſum Doctorem gentium teſtatur, & ſuæ vicis officia exercere iubet Timotheum. Et *cap.* 3. tradit conditiones requiſitas in Epiſcopo, qualis erat ipſe, vt alios etiam iniungeret; quod *cap.* 4 iubet: *cap.* 5 eum iudicem declarat presbyterorum; ſed exigit duos, vel tres teſtes. Similiter, vt ordinandos examinet. Et *cap. vltimo*, Magnatibus eum præcipere iubet.

In secunda verò epiſtola ſimilia dicit, & proteſtatur, ſe miſiſſe Epiſcopos per loca diuerſa. Iubet, vt omnes, etiam magnos, corripiat, edoceat, &c. Id notat Chryſoſt. *hom.* 33. *in Matt.*

Ad Titum *cap.* 1. vt Presbyteros, & Epiſcopos ordinet, præcipit.

Iniungit, vt moneat fideles, vt ſubditi ſint Principibus in rebus temporalibus, quaſi ipſe det vim legis huic obedientiæ. Hæc proſequitur Nazianz. *orat. ad Præf. iraſc.*

Probat tertiò præeminentiam Sacerdotum, etiam præ Regibus, ex illo *prima Petri* 2. vbi dicitur: *Regale Sacerdotium.* Vbi Sacerdotium ſubſtantiuè dicitur, & regale adiectiuum; è contra verò antiquitus dicitur *Regnum Sacerdotale*, Exodi 19 Ideò tunc Reges deponebant Sacerdotes, & Salomon depoſuit Abiatharem, 3. *Reg.* 2. E contra verò nunc Pontifices excommunicant, deponunt, depoſueréque Imperatores, & Reges, quando eorum demerita id exigunt. Sic Innocentius I. excommunicauit Arcadium, & Eudoxiam, vt patet in epiſtola Innocentij apud Nicephorum *lib.* 13. *cap.* 34. Fabianus Papa excluſit Philippum à communione Sacramenti in Paſchate, vt refert Euſebius *lib.* 6. *cap.* 25. Gregorius III. Leonem Imperatorem Græcum, vt refert Zonaras *in vita Iſauri*. Theodoſium ſeniorem Ambroſius, vt ſcribit Theodoretus *lib.* 5. *hiſt. cap.* 17. vbi etiam refert, Ambroſium præcepiſſe Theodoſio, vt legem ferret, ne ſententiæ latæ de cæde, vel bonorum publicatione ratæ eſſent, niſi poſt triginta dies à ſententiæ pronunciatione.

Deinde S. Gregorius Monaſterio S. Medardi conceſſit priuilegium, & hoc ſeruandum etiam à Regibus iubet, ſub pœna priuationis dignitatis, vt habetur in fine epiſtolarum.

18 Gregorius II. prohibuit, reddi ab Italis vectigalia Leoni Imperatori Iconomacho. Ità referunt Cedrenus, Zonaraſque *in eius vita*, qui eum vt ſanctum laudant.

Latent Centuriatores, *centur.* 8. *cap.* 10. Zacharias Childericum Regem Francorum depoſuit, & in eius loco Pipinum Caroli Magni patrem eligi iuſſit, vt patet ex Cedreno *in vita Leonis Iſauri*, Paulo Diacono *lib.* 6. *cap.* 5. *de geſtis Longobardorum*, & S. Bonifacio Epiſcopo Moguntino, *epiſtola ad Zachariam*. Et licèt Centuriatores hoc factum gratis carpant, tamen laudatur ab omnibus, Adone, Sigeberto, Rheginone *in Chronicis*.

Leo III. tranſtulit Imperium à Græcis ad Germanos, propterea quòd Græci nullum auxilium laboranti Eccleſiæ Occidentali afferre poſſent; & huius rectè facti ſignum eſt, quia Imperator iurat Papæ fidelitatem, & Papa confirmat electionem, vt habetur ex Innocentio III. cap. *Venerabilem*, *extra de elect.* & ex Clementina vnica *de iureiurando*: & hoc rectè factum probatur ex totius orbis conſenſu, vt refert Bellarm. *lib.* 5. *de Rom. Pontif. cap.* 8. Et ipſi Græci Imperatores id confeſſi ſunt ſæpe. Et cùm Irene hanc electionem audiſſet, non reclamauit; imò illi Imperatori nubere volebat, vt referunt Zonaras, & Cedrenus. 19

Deinde mortua Irene, Nicephorus Imperator, qui ei ſucceſſerat, Legatos ad Carolum, tanquam Imperatorem, miſit, vt ſcribit Ado *in chron. anni* 803. Similiter & Michaël Nicephori ſucceſſor, vt ſcribit Ado *anno* 810. & Imperator Emanuel, cùm audiſſet Alexandrum III. à Federico in anguſtias redactum, ingentia auxilia Pontifici obtulit, ſi vellet Imperium Occidentis reddere Imperatoribus Conſtantinopolitanis. Reſpondit Pontifex, ſe nolle coniungere, quod maiores ſui de induſtria diſiunxiſſent.

Neque dicant, tranſlationem factam à populo Romano, vt dicit Marſilius de Padua; nam Romanus populus nunquam ferè hoc ius habuit; ſed antiqui Imperatores, vel iure hæreditario Imperium habuerunt, vt Octauianus, Tiberius, Caius; vel ab exercitu creabantur, vt Claudius, Veſpaſianus, & alij. Et hic fuit mos ordinatius, vt refert S. Hieronymus *ad Euagrium*; vnde extat Canon *Legimus*, *diſt.* 93. Tempore autem Caroli Magni nullus fuit exercitus Romanorum, qui eum Imperatorem crearet. 20

Quod ſi aliquod Ius apud Romanos fuiſſet, profectò illud amiſere, quando Imperij ſedes Conſtantinopolim tranſlata eſt, nam toto hoc tempore per 500. annos, hoc eſt à Conſtantino Magno ad Carolum Magnum, nihil egit Romanus populus circa Imperatorum creationem.

Præterea Hiſtorici omnes Imperium à Græcis ad Germanos à Leone III. aſſerunt tranſlatum. Idem docet Innocentius III. cap. *Venerab.* citato. Ipſe etiam Carolus Magnus idem ſignificauit, quando ſcriptum à ſe teſtamentum, quo filios hæredes Imperij relinquebat, miſit ad Leonem Papam, vt ſubſcriptione ſua firmaret, vt ſcribit Ado *in Chronicis anni* 804. 21

Præterea Gregorius V. ſanctionem edidit de Imperatore eligendo à ſeptem Germaniæ Principibus, quæ ad hanc vſque diem ſeruatur, vt referunt Blondus *decade* 2. *lib.* 3. Nauclerus *gener.* 34. Platina *in vita Gregorij V.* Fatentur etiam Magdeburgenſes *centur.* 11. *cap.* 10. *col.* 546. nec audent reprehendere, ne ſuis protectoribus, nimirum Duci Saxoniæ, Comiti Palatino, & Marchioni Brandeburgenſi iniuriam inferant.

Præterea Gregorius VII. Henricum quartum Imperatorem depoſuit, & alium eligi iuſſit, vt ipſi fatentur Magdeburgenſes *centur.* 11. *cap.* 10.

Innocentius III. Othonem quartum depoſuit, vt patet ex Blondo *decade* 2. *lib.* 6.

Innocentivs IV. in Concilio Lugdunenſi, conſentientibus Patribus, depoſuit Fridericum ſecundum; & vacauit tunc Imperium *annis* 28. vt notat Palmer. *in Chron.* & patet cap. *ad Apoſtolica*, de ſententia, & re iudicata, *in* 6. Idem etiam Innocentius Quartus dedit Regi Luſitaniæ coadiutorem, qui Regnum adminiſtraret, eo quòd Regis negligentià Religio in Luſitania detrimentum pateretur, vt habetur cap. *Grandi*, de ſupplenda negligentia Prælatorum, *in* 6.

Clemens VI. Ludouicum quartum Imperatorem, à Ioanne XXII. & Benedicto XII. excommunicatum depoſuit. Vide Pighium *lib. Hierar. Ecclef.* 5. *c.* 14. *&* 15. Robertum Arboricenſem *tom.* 1. *theor.* 7.

Ex quibus omnibus iam S. Bonauentura probauit, Eccleſiaſticum regimen non ſubdi Principibus ſæcularibus, quia hi ciuilem finem promouent; at Eccleſia ſupernum, vt dicunt Patres citati.

Assero tertiò, Eccleſiaſticum regimen non eſſe Ariſtocratiam.

22 Probatvr à D. Bonau. *in* 4. *diſt.* 19. *loc. cit.* Primò, quia Eccleſiæ regimen, cum ſit à Deo inſtitutum, debet eſſe perfectè ordinatum; at in Ariſtocratia non eſt perfectus ordo. Ergo. Minor probatur, quia ordo non eſt æqualium, ſed ſuperiorum, & inferiorum; at in Ariſtocratia omnes optimates ſunt æquales. Ergo, &c.

Probatvr ſecundò à Seraphico *loc. cit.* Quia illud eſt optimum regimen, in quo eſt maior ſtabilitas, maius robur; at hæc non ſunt in Ariſtocratia, vbi virtus, & authoritas eſt ſparſa, & conſequenter debilitata. Ergo. Totum patet ex dictis *quæſt.* 1. *& diſput.* 4. *quæſt* 7.

23 Assero quartò, Eccleſiaſticum regimen eſſe monarchiam. Sequitur ex dictis: nam ſi non eſt Ariſtocratia, vel Democratia, ſequitur eſſe Monarchiam.

Probatvr primò ex dictis *quæſt.* 1. Illud regimen eſt in Eccleſia à Chriſto inſtitutum, quod inter omnia eſt optimum: at hoc eſt monarchia. Ergo.

Caluinus *lib.* 4. *cap* 6. § 9 negat, etiamſi Monarchia eſſet optimum regimen, inde ſequi, Eccleſiam debere ab vno aliquo gubernari, cùm conſtet eius Regem, ac Monarcham eſſe Chriſtum. Sed contrà arguit S. Bonau. *in* 4. *d.* 19. *loco cit.* Primò, quia ordo, qui in Eccleſis ſupponi debet, requirit vt fiat reductio inferiorum ad vnum, quod ſit primum in eo genere, & quòd ſit menſura cæterorum: v. g. in vno exercitu ſunt milites ſubditi Decurionibus: hi Centurionibus; & iſti Tribunis, & omnes vni Imperatori præſenti, viſibili, vel vices, & locum eius gerenti, vt regat in bello exercitum abſque confuſione, vt ait D. Hieron. *ep. ad Ruſticum.*

Prædixit hanc Monarchiam Oſeas primo: *Et congregabuntur filij Iuda, & filij Iſrael pariter; & ponent ſibimet caput vnum, & aſcendent de terra: quia magnus dies Iezrahel.* Sanè Iudæi à tempore Oſee ſemper diuiſi, & poſt quinque Reges diſſipati ſunt. Ideò D. Aug. *lib.* 18. *de ciu. c.* 28. & *lib.* 12. *cont. Fauſt. c.* 89. Lyranus, & alij, de vnione Iudæorum, & Gentium, quæ ponuntur nomine Iſraël, Prophetam intellexerunt; quod ſentit & D. Paul ad Rom. 9. *In vnam Chriſti Eccleſiam.* Caput etiam ab eis poſitum Monarcham eſſe oſtendit ſic: וְשָׂמוּ לָהֶם רֹאשׁ אֶחָד: vbi vides Prophetam dicere, caput illud, quod filij Iuda, & Iſraël ſibi ponent, eſſe vnum.

Micheas etiam cap. 2. *Congregatione congregabo Iacob totum te: in vnum conducam reliquias Iſraël, &c. Aſcendet enim pandens iter ante eos: diuident, & tranſibunt portam, & ingredientur per eam: & tranſibit Rex eorum coram eis, & Dominus in capite eorum.* Hîc ponit vnum Monarcham ſui gregis, præter ſe, יהוה: De ſancta verò Eccleſia exponunt è Chaldeis, & Hebræis Doctoribus priſcis multi apud Galatinum *lib.* 8. *de Arcan. cap.* 23. Id ſanè de Chriſti Eccleſia intelligitur, vt notat D. Hieronymus *hic*: & D. Thomas 3. *part. quæſt.* 57. *art.* 6. Concludit: *Tumultuabuntur à multitudine hominum.* LXX. *Exilient ex hominibus.* Hebr. מֵאָדָם, *præ Adam.* Ibi Monarchiam Sacerdotalem ſignificat, ſicut Adæ, qui fuit Sacerdos, vt ait Moyſes Barcepha, Epiſcopus Syrus, *de Paradiſo* 1. *part. cap.* 18. Succeſſere Patriarchæ in Sacerdotio ſummo. Vide Bouerium noſtrum *demonſtr. tertij Symb. art.* 10.

Iam verò Eccleſia eſt veluti *caſtrorum acies ordinata*, vt dicitur *Cant.* 6. Ergo debet dari vnus viſibilis, præſens, ſupremus Dux, Imperator, vel eius vices gerens. Talis eſt Pontifex, vices gerens Chriſti. Confirmatur à D. Bonau. quia in omnibus rebus in terra, etiam irrationalibus, datur vnum primum præſens eiuſdem generis, ad quod reducatur ordo inferiorum, vt dixi *quæſt. prima.*

Probatvr ſecundò à D. Bonau. *loc. cit. & 1. p. de Eccl. Hier. cap.* 1. *& ſequentibus*, & *ſerm.* 9. & præcipuè *ſerm.* 22. *Hexaëmer.* ex ſimilitudine noſtræ Eccleſiæ cum cæleſtibus: vbi conſiderat primò multitudinem ſtellarum inæqualium, quarum altera ab altera differt in claritate, habere ſolem eiuſdem naturæ, ad quem reducuntur. 24

Sumit S. Bonau. ſimilitudinem Eccleſiæ Militantis mortalium, cum Eccleſia cæleſti Triumphante: quam ſimilitudinem probat *ex* 4. *ad Galat.* vbi Apoſtolus ideò Eccleſiam illam matrem noſtram acclamat; & *ex Apoc.* 21. vbi dicitur: *Deſcendens de cælo*, vt notat Seraphicus Doctor, cum D. Bernardo *lib.* 3. *de conſider.* quia ad exemplum illius cæleſtis conformata ſit.

Iam verò arguit S. Bonau. cum D. Gregorio *lib.* 4. *ep.* 51. inter Angelos, præter ſummum Regem Deum, eſſe vnum, qui omnibus aliis præſit. Et hunc quidem fuiſſe Luciferum, teſtantur Tertullianus *lib.* 2. *cont. Marcionem*: S. Gregorius infrà citandus: Beda *in c.* 40. *Iob*: Iſidorus *lib.* 1. *de ſummo bono*, *cap.* 12. & D. Bonau. *in* 2. *diſt.* 6. *quæſt.* 1. qui id deducit, primò ex illo *Iob* 40. vbi Behemot primus diabolus, dicitur principium viarum Domini, ex illo Ezech. 28. *Tu Cherub extentus, & protegens*; quaſi omnibus obumbrans: & ex D. Gregorio 32. *Moral. citato*, ita exponente: & *homil.* 34. *in Euang.* Deinde quia voluit omnibus præeſſe, & eius peccatum fuit maximæ malitiæ. De quo agam 1. *part. tract.* 4. *diſp.* 7. *q.* 2. & ſequentibus. 25

Poſt caſum verò Diaboli, Michaëlem eſſe omnium Principem, colligitur ex 12. Apoc. *Michaël, & Angeli eius*, id eſt exercitus eius.

Caluinus *lib.* 4. *cap.* 6. §. 10. reſpondet, loquendum ſobriè. En perſonatus nebulo modeſtiam induit.

Probatvr tertiò à D. Bonau. *ſerm.* 9. 16. *&* 22. *Hexaëmer.* Eccleſia antiqua fuit noſtræ figura, vt dicitur 1. *Corinth.* 10. at in antiqua ſemper fuit vnum Caput, vt oſtendi *quæſt.* 1. & confitentur Magdeburgenſes *centur.* 1. *lib.* 1. *cap.* 7. *col.* 257. & Caluinus *lib.* 4. *cap.* 6. §. 1.

Respondet Caluinus primò, Iudæum populum debuiſſe habere vnum caput, vt magis vnitus ſeruaretur ab obſidentibus idololatris, ne variis religionibus diſtraheretur; at populo Chriſtiano in toto orbe diffuſo, velle dare vnum Caput, abſurdiſſimum eſt. Addit ſimilitudinem, ſicuti enim non propterea debet totus mundus committi vni homini, quia vnius ager ab vno homine colitur: ita, &c. 26

Verùm

Verùm non ſoluit, ſed magis ſtringit nodum argumenti; magis enim requiritur vnum Caput, vbi difficiliùs ſeruatur vnitas; & vbi maius periculum eſt, ne diſtrahatur Eccleſia variis religionibus; difficiliùs autem ſeruatur vnitas, quò maior eſt multitudo, vt arguit S. Bonau. *in 4. diſt. 19. art. 3. quæſt. 1.*

Ex eo igitur, quia maior eſt Chriſtianorum, quàm tunc Iudæorum eſſet numerus, & plures hoſtes habent Chriſtiani, Turcas, Mauros, Sarmatas, Hæreticorum innumeras ſectas; requiritur ex argumento Caluini, magis neceſſariò vnum Caput, ad quod omnes reducantur, & in quo omnes vniantur, veluti lineæ in centro. Ad illud de agro reſpondetur cum D. Bonau. *loc. cit. ad 1.* nos non velle vnum hominem per ſe totum mundum regere; ſed in hoc diſſimilitudinem cum populo Iudæo ponimus, vt quia tot ſunt prouinciæ Chriſtianorum, Pontifex per Epiſcopos plurimos Eccleſias tegat; non autem vnus ſolus, ſicuti agrum vnum colit vnus agricola ſolus. Sic enim & vnus Imperator per multos Præſides multas prouincias regit: & vnus diues per multos agricolas agros ſuos colit.

Respondet ſecundò, Aaronem figuram geſſiſſe Chriſti; ideò nil ad Papam pertinere.

27 At nos cum D. Bonau. *ſermonibus allegatis*, non ſolùm figuram Aaronis vrgemus, ſed totius veteris Teſtamenti. Sicut igitur in veteri Teſtamento fuit regimen Monarchicum, ita in nouo. Adde, & Aaronem fuiſſe figuram Pontificis Chriſtiani, vt docent Gregorius *de cura paſtorali part. 2. cap 4.* Cyprianus *lib. 1. epiſt. 7.* Sicut enim ſacrificia Aaron figurabant ſacrificium noſtrum Miſſæ, vt docet D. Auguſt. *lib. 10. contra Fauſtum, cap. 18. & lib. 1. contra aduerſarios Legis, cap. 18. & lib 3. de Bapt. cap. 19.* ita etiam Pontifices, & Sacerdotes illi figuræ fuerunt noſtrorum Sacerdotum, vt oſtendam *3. part. tom. 2. tract. de Miſſa, diſputatione 1. quæſt. 1.*

Addo cum D. Bonau. *ad 22. Lucæ*, Aaronem exprimere figuram Pontificis Chriſtiani, Heb. 5. *Nec quiſquam ſumat ſibi honorem, ſed qui vocatur à Deo, tanquam Aaron.*

Probatur quartò à D. Bonau. variis ſimilitudinibus, quibus noſtra Eccleſia exprimitur.

28 Prima eſt exercitus. Cant. 6. *Terribilis vt caſtrorum acies ordinata*; in vno autem exercitu ſemper debet eſſe vnus Dux ſupremus, viſibilis, vt ſuprà dixi. Hoc argumento vtitur S. Bonau. *in 4. diſt. 19. loc. cit.* Notum eſt ſanè, in quamuis grandi exercitu, vnius ſignum expectari, vt ait D. Hieron. *epiſt. 4. in 1. ad Timoth.* & arguit Bouer. *demonſt. 3. Symb. art. 8.*

Secunda ſimilitudo eſt ouilis, qua vtitur D. Bonau. *ad 10. Ioannis*, vbi Chriſtus ait. *Fiet vnum ouile, & vnus Paſtor.* Quem Paſtorem, Petrum & eius ſucceſſores etiam intelligit S. Cyprianus *lib. 1. epiſt. 6.* qui hoc argumento vtitur ad probandum, Nouatianum non poſſe eſſe Epiſcopum Romæ, cùm ſederet Cornelius. Eodem loco *in 4.* vtitur S. Bonau. alia ſimilitudine vnius domus, cuius fundamentum, & lapis angularis vniens parietes, eſt Chriſtus, vt dicitur *Iſai. 28. Epheſ. 2.* & aliis locis.

Idem colligit *ad 3. Ioan.* & collat. 14. *Nolite facere domum Patris, &c.* Similiter *Lucæ* 12. comparatur Eccleſia domui, ideſt familiæ. Vbi obſeruat S. Bonau. Chriſtum interrogatum à Petro, *Ad nos dicis?* reſpondiſſe, fidelem in domo diſpenſatorem eſſe debere, & hunc eſſe Petrum; deinde alios Prælatos, vt explicat Chryſoſtomus *lib. 2. de Sacerdotio*, & arguit Bonet. *loc. cit.*

29 Comparatur etiam naui, *prima Petri* 5. ſeu Arcæ Noë, in qua eſt vnus gubernator, vt ait Cyprianus *lib. 1. epiſt. 6.* Hunc autem Gubernatorem eſſe Petrum, & ſucceſſores, colligit S. Bonau. *ad 22. Lucæ*, illis verbis: *Ego autem rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua*; nempe, vt nauis tua non mergatur.

Comparatur etiam horto, Cant. 4. *Hortus concluſus, fons ſignatus.* Et ideò comparatur horto Eden, *Geneſ. 2.* vt notat D. Bonau. *ad 13. Lucæ.* Ergo ſecundùm Caluinum *ſupra*, habet vnum Cultorem.

Comparatur quoque areolæ, 3. *Lucæ*, vt ibi notat Seraphicus Doctor: vnde Cant. 6. *Deſcendit in hortum ad areolam.*

Colligit etiam vnitatem Gubernatoris Eccleſiæ S. Bonau. *ad 9. Lucæ*, ex eo, quòd ibi omnes Apoſtoli interrogati, quid ſentirent de Chriſto, Petrus ſolus, nomine omnium, reſpondit, *Chriſtum Dei*; & ipſe Chriſtus declarauit Petrum Pontificem ſummum, vt dicitur Matth. 16. *Et ego dico tibi, &c.* Sed de hoc *quæſt. ſequenti.* Nunc ſufficiat, Eccleſiam conſtitutam, non Ariſtocratiam, ſed Monarchiam: quod ex vnitate fidei in confeſſione Petri expreſſa, eique conſignata colligitur. Cæterùm hæc aſſertio latiùs oſtendetur quæſtionibus ſequentibus. 30

Obiiciunt primò. Contra primum aſſertum *Matth.* 18. aſtruitur primum Eccleſiæ tribunal penes multitudinem. *Si te non audierit, dic Eccleſiæ.*

Reſpondetur, iam ſatisfactum *diſput. præcedenti, quæſt. 8. in fine*, deferendum Prælato. Sic ſemper factum eſt.

Obiiciunt ſecundò. *Actorum* 1. tota Eccleſia elegit Mathiam: & *cap. 6.* eadem elegit ſeptem Diaconos. 31

Reſpondet S. Bonau. *in 1. diſt. 11. dub. 1.* illa Concilia fuiſſe quoad electionem celebrata ab Apoſtolis, vt notat Cyprianus *lib. 3. epiſt 9.* Ideò *Actor. 6.* dicunt: *Conſiderate viros boni teſtimonij ſeptem, quos conſtituimus ſuper hoc opus.* Quaſi populo datum ſit ſolùm nominare; Apoſtolis autem conſtituere.

Addo, etiamſi populus concurreret ad eligendos Epiſcopos, non tamen adhuc eſſet regimen Democraticum; ſicuti olim Imperatores eligebantur ab exercitu, & nunc à quibuſdam Principibus: & tamen retinent dignitatem Monarchæ, vt dixit Valentinianus exercitui, apud Sozomenum *lib. 6. cap. 6.*

Obiicit tertiò Cyprianum *lib 3. epiſt. 14.* Ambroſium *epiſt. 32.* qui à conſenſu populi videntur dependiſſe. Sic & Iſidorus *de off. Eccl. lib. 2. cap. 5.* ait: *Agnoſcat Epiſcopus, ſeruum ſe eſſe plebis, non dominum.* 32

Respondetur cum D. Bonau. *lib. 1. Pharetræ, cap. 19.* Epiſcopos eſſe Præſules, & populum ſubiectum, vt ait D. Iſidorus ibidem; tamen manſuetudine, pietate, humilitate, charitate in miniſtrando, ſubiici debere in reliquis, ideſt arbitrij, ſi Epiſcopus velit conſenſum à plebe. Vnde affert Auguſtinum ad Oroſium dicentem: *Sciat, ſe non eſſe Epiſcopum, qui præeſſe deſiderat, non prodeſſe.* Ita *quæſt. 65. tom. 4. & lib. 19. cap. 19. de ciuitate Dei*, vbi ait: *Epiſcopus nomen eſt operis, non honoris. Scopos enim Græcè, Latinè ſuperintendere poſſumus dicere, vt intelligat, non ſe eſſe Epiſcopum, qui præeſſe dilexerit, non prodeſſe.* Ideò S. Auguſt. & S. Gregorius paſſim ſe ſeruos vocant: & D. Bernardus *lib. 2. de conſider.* dixit Eugenio electo Papæ: *Non ad dominandum, ſed ad miniſtrandum eſſe electum*, vt notat ibi S. Bonau.

Obiicit primò Brentius, contra ſecundum aſſertum. Epiſcopi ſerui ſunt Eccleſiæ, *ſecunda Corinth. 4.* & Regum, vt dicitur *prima Petri 2.*

Reſpondet D. Bonau *part. 2. de Eccl. Hier. cap. 1.* Epiſcopos Dominos eſſe quidem, ſed debere iuxta officium ſuum ſeruire regendo, non obediendo. Sic

aduertit, Petrum *cap.5.* dixiſſe: *Paſcite gregem, non vt dominantes in Clerus; ſed forma facti, &c.*

Qvoad obedientiam debitam Principibus: Reſpondetur cum D. Bonau. *in 2. diſt. vlt. quaſt. penult.* non eſſe obediendum in omnibus; ſed reddenda; quæ ſunt Cæſaris Cæſari. De hoc *prima ſecunda, tract. de Legibus, diſp 6. quaſt.11.*

Obiicivnt primò. contra tertium aſſertum. *Actorum 15.* prima controuerſia in Eccleſia deciſa eſt, non ab aliquo vno iudice, ſed à Concilio Apoſtolorum.

Respondetvr ex dictis *diſp.4.quaſt.7.* in illo Concilio præfuiſſe Petrum, qui definiuit rem, poſtquàm primus locutus eſt. Neque id auſus fuiſſet in aliena Diœceſi, niſi fuiſſet Pontifex ſummus.

Obiicivnt ſecundò. *Actorum 20.* & *prima Petri 5.* Epiſcopi paſcere dicuntur Eccleſiam, & regere.

Verùm nil contra nos, quia paſcere dicuntur dependenter à Primo.

Proferunt etiam aliquos Patres dicentes, nolle à ſeipſis omnia iudicare, ſed expectare Concilium aliorum Epiſcoporum. Cyprianus *lib. 3. epiſt. 19.* Ita verò in primitiua Eccleſia factum, D. Ambroſius *in cap. 5. prima ad Timoth.* & Hieronymus *in cap. 1. ad Titum*, aſtruunt.

Respondetvr, Cyprianum initio Epiſcopatus voluiſſe aliorum conſilia; Ambroſium verò ſolùm velle in Eccleſia, ſicut in Synagoga, fieri Concilia: neque tamen præiudicat Monarchiæ; nam etiam Reges habent ſua Concilia. Ita Salomon 3. *Reg.12.* & Aſſuerus *Eſther primo.*

Ad D. Hieronymum reſpondetur, mutationem aliquam factam profectò tempore Apoſtolorum (ait) cùm cœperunt dicere: *Ego quidem ſum Cepha, ego Pauli*; vt ſingulis parochiis apponerentur ſingulares Parochi baptizantes, vt poſſent dicere: *Ego ſum huius ſpiritualis: ego illius.*

33 Obiicit primò Caluinus, contra primum aſſertum, *lib.4 cap.20 §.7.* ex 22. Lucæ: *Facta eſt contentio inter eos, quis eorum videretur eſſe maior.* Chriſtus autem, *Reges gentium dominantur eorum: vos autem non ſic.*

Respondet D. Bonau. diffusè ad eum locum, non remouiſſe Chriſtum Monarchiam ab Eccleſia; ſed potiùs eam inſtituiſſe, diuerſam tamen à Monarchia Regum: præcipit enim, vt qui præſidet, & maior eſt, ſit humilior; non ſicut Reges, qui extolluntur, veluti Arphaxad Rex Medorum, de quo Iudith 1. *Subiugauerat multas gentes ſuo Imperio, & gloriabatur quaſi potens.* Tales, de quibus Pſal 48. *Vocauerunt nomina ſua in terris.* Sed, vt dicitur Eccleſ. 3. *Quantò maior es, humilia te in omnibus.* Quia, vt dicitur Matth. 20. *Qui ſe humiliat, exaltabitur.* Ideò (ait S. Bonau.) monere Eccleſiaſtici 32. *Rectorem te poſuerunt, noli extolli.* Et prima Petri 5. *Neque vt dominantes.* Hoc autem magis confirmat S. D. his, quæ ſubdit Chriſtus ſuum apponens exemplum, qui profectò erat maximus. *Ego autem in medio veſtrum ſum ſicut qui miniſtrat.*

34 Obiicit ſecundò. Apoſtolus *Epheſ.4.* delineat ſtatum Eccleſiæ. *Alios quidem* (ait) *Apoſtolos: alios Prophetas*; & non dixit vnum ſummum Papam. Ibidem ait: *Vnus Dominus, vna fides*; & non ait, vnus Papa. Et ibidem: *Data eſt vnicuique gratia, ſecundum menſuram donationis Chriſti*; non autem dixit, data eſt plenitudo poteſtatis.

Respondet D. Bonau. *ſerm. 22. Hexaëmer.* Chriſtum inter Apoſtolos ordinaſſe, vt Petrus eſſet ſupremus; *hic* autem, ſicut & *cap. 2.* non deſcribitur Hierarchia Eccleſiæ, ſed ſolùm enumerantur dona. Similiter cùm ait: *Vnum corpus, vnus Dominus*; recenſetur & Petrus, qui eſt caput Eccleſiæ. Sic enim vocatur ab Optato *lib. 2.* Chryſoſtomo *homil. 55. in Matthaum.* De hoc *num.71.*

Obiicit tertiò *lib. 4. Inſtit. cap. 6. §. 9.* Chriſtus eſt caput Eccleſiæ, *Epheſ. 4.* Ergo iniuriam Chriſto infert, qui aliud caput aſtruit.

Respondet D. Bonau. *ſerm. 22. Hexaëmer.* nos 35
ponere ſummum Pontificem caput Eccleſiæ, ideſt Principem poſt Chriſtum. Sic enim ipſe Chriſtus, qui eſt fundamentum Eccleſiæ, extra quod aliud non poteſt poni, ſicit nos ædificati ſuper fundamentum etiam Apoſtolorum, vt dicitur *Epheſ.2.* Igitur ipſe Chriſtus eſt caput influens in nos, vt latè proſequitur S. Bonau. *in 3. diſt. 13. art. 2.* Ideò Eccleſiæ corpus dicitur Chriſti, non Petri; ſicuti Regnum non eſt Proregis, ſed Regis. Eſt igitur in Chriſto primitas excellentiæ, at in Vicario Petro dependens, vt notat D.Bonau. *in 4. diſt. 18. p. 2. quaſt. 1.*

Obiicivnt quartò Beza *in confeſſ. cap.5 art.5.* & Lutherus *lib. de poteſtate Papa.* Deus ſolus aptus eſt gubernare totum orbem. Ergo malè aſſignatur Papæ.

Respondet D. Bonau. *in 4. diſt.19. art.3. quaſt.1.* 36
citata, ad primum, non poſſe Papam per ſe totum orbem regere, atque adeò plurimos inſtituere Epiſcopos in ſingulis Regnis, per quos regit. Sic etiam Reges aliqui acceperunt à Deo Regna ampliſſima, quæ niſi poſſent gubernare, Deus non tradidiſſet eis. Ita *Hier.17. & Daniels 2.* dicitur: *Tu Rex Regum es, & Deus cæli Imperium dedit tibi.* Idem de Cyro dicitur, *Iſaia 45.* Hoc autem Regnum amplum fuit centum vigintiſeptem Prouinciarum. De Cæſare Auguſto dicitur Lucæ 2. *Exiit edictum à Caſare Auguſto, vt deſcriberetur vniuerſus orbis.* Hoc autem in maxima pace conſeruatum eſt à Deo, ita vt edictum emitteret, vt Chriſto deſeruiret, vt notat D.Bonau. *ſerm.16. Hexaëmer. & ad 2. Luca*, ex D. Gregorio *homil.8. in Euangel.*

Cvm igitur Orbem vniuerſum vni homini toties ſubiecerit; cur non etiam Eccleſiam? maximè cùm ſpiritualis gubernatio ſit facilior, & huic præſit modo ſpeciali Chriſtus Dominus. Difficilior ſanè eſt Democratia, vt docet D.Bonau. *in 4. loc. cit.* quia omnes in toto orbe ſparſi, nulla ratione in vnum ad aliquid conuenirent; & cùm eſſent plurimi ſparſi, magis eſſent diuiſionibus, & ſeditionibus apti, quia virtus ſparſa debilior. Neque enim eſt, vt Democratia Romanorum, vel Athenienſium, vbi dominabantur homines vnius Ciuitatis. Neque vt Ariſtocratia Venetorum, vbi Optimates ſoli Venetiarum regunt, qui congregari poſſunt; at quæſo, quo pacto omnes fideles, vel omnes Epiſcopos totius mundi adunabis? Aliqua alia minutula parui momenti obiiciunt, quæ vide in Bellarmino *lib.1. de Rom. Pontifice, cap.9.* Sanè non ſuâ vi Romanus Pontifex orbem regit, ſed illius virtute, qui vno Sole mundom illuminat, & fœcundat, vt ait S.D. *in Pſal.103.* & *ſerm.13. Hexaem.*

An Petrus fuerit Eccleſiæ Monarcha.

QVÆSTIO TERTIA.

HÆretici conclamant, negantes Monarchiam Petro collatam. Primò quidem Græci Primatum Romani Pontificis oppugnarunt, vt refert Bellarminus *Præfat. ad libros*

de

de Romano Pontifice. Deinde Vualdenſes: mox Vulclephus, & Ioannes Hus, vt apparet in Concilio Conſtantiæ, *ſeſſ.*8. *&* 15.

Nostro tandem ſæculo Martinus Lutherus, & quotquot poſt eum hæretici apparuêre, Primatum Eccleſiæ in Petro, & ſucceſſoribus Romæ Epiſcopis negant. Ita Lutherus *lib. de poteſtate Papa*, & *in aſſert. art.*25. Philippus Melancthon *lib. de regno Anti-Christi*, Ioannes Caluinus *lib.* 4. *Inſtit. cap.* 6. *& ſequentib.* Ioannes Brentius *in confeſſ. Vuittemberg. cap. de Summo Pontifice*: & *in prol. contra Petrum a Soto*: Mathias Illyricus *centur.* 1. *lib.*2. *cap.*7. *col.* 524. & *cap.*10. *col.*558. *ſequenti.*

Contra verò hunc peſſimum errorem ſcripſere multi, præcipuè ex Polonia Hoſius Cardinalis *in explicatione Symboli*, *cap.*26. *lib.* 2. *contra Brentium*, & *lib. de authoritate ſummi Pontificis.* Ex Gallia Raymondus Ruffus *lib.* 2. *contra Molinoum*, Robertus Arboricenſis *tom.* 1. *de vtroque gladio.* E Germania Ioan. Ekius *tribus libris*, Ioannes Faber *in refut. lib. Lutheri de Pontificis poteſtate*, Ioannes Coclæus *in* 4. *Philippica*, Ioannes Driedo *lib.*4. *cap.* 3. *part.* 2. *de Scripturis*, Albertus Pighius *lib.*3.*4. & 5. de Eccleſ. Hierarchia*; Ioannes à Lonanio *de perpetua Cathedra Petri protectione*, Guilielmus Lindanus *lib.* 4. *Panoplia*, & alij. Ex Anglia Thomas Vualdenſis *lib.* 2. *doctrinalis fidei*, Ioannes Roffenſ. *in refut. art* 25. Reginaldus Polus Cardinalis *lib. de Summo Pontifice*, Alanus Copus *dialogo* 1. Nicolaus Sanderus *de viſibili Monarchia.* Ex Hiſpania Ioannes Turrecremata *lib.*2. *de Eccleſia*, Alphonſus de Caſtro *lib.*12. *contra hæreticos*, Melchior Cano *lib.*6. *de locis*, Petrus Soto *in defenſione ſuæ confeſſionis*, Franciſcus Turrianus *contra Sadeelem*, Gregorius de Valentia *in ſua Analyſi*, *part.*7. *&* 8. Optime Zacharias Bouerius noſter.

Ex Italia D. Thomas *opuſculo contra Græcos*, Auguſt. Triumphus *de poteſtate Papæ*, B. Antoninus 3. *partie.* 22. Thomas Caietanus Cardinalis, & Bellarminus alios referens.

Noster Seraphicus Doctor alto ſilentio in omnibus ferè controuerſiis ſepelitur; cùm tamen optima quæque apponat, vt vidimus, ſemperque videbimus arripi à poſteris; inter quos Zachar. Bouerius noſter.

37 Asserendvm, Petro datam à Chriſto Monarchiam Eccleſiæ.

Probatvr primò à D. Bonau. *ad c.*1. *Ioan.* & *in* 4. *diſt.* 18. *part.*1. *quæſt.*1. *&* 4. & *art.* 3. *quæſt.*1. *&* 2. & *part.*2. *quæſt.*3. *&* 6. & *d.*19. *quæſt.* 1. & *ſerm.*16. *Hexaëm.* & *ad* 9. *Lucæ*, & *ſermonibus Cathedræ*, & alibi, ex mutatione nominis ſtabili: *Simon tu vocaberis Cephas*; quod interpretatur Petrus. Apud Syros, & Hebræos Cephas, Petram, ſeu rupem ſignificat, vt habes *Hierem.* 4. 24. vbi *nos rupes*, legit Hebræa כפים, *Cephim*, vt obſeruat D. Hieron. *ad cap.* 2. *Galat.* & Elias Leuites Iudæus in ſuo Lexico, in voce *Cephas*: vbi ideò vocatum à Ieſu Cepham ait, quòd futurus eſſet Capvt, & robur ſuæ fidei. Sic & Baſil. *ad* 2. *Iſaiæ.* Hinc pergit S. D. *ad* 9. *Lucæ*, ad ea verba confeſſionis Petri, quâ Primatum Eccleſiæ meruit. *Reſpondens Petrus dixit: Chriſtum Dei*; ex illa ſolenni promiſſione facta à Chriſto Simoni Petro, Matth. 16. *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam: & tibi dabo claues regni cœlorum. Quodcunque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cælis: & quodcumque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cælis.* Quæ verba ſub duabus metaphoris Petræ fundamentalis Eccleſiæ, & Clavivm, declarant Petri Principatum.

Et quidem Petrum aſtrui Petram, fundamentum, quo nititur Eccleſia, eſt communis conſenſus Patrum Græcorum, & Latinorum. Sic totum Chalcedonenſe Concilium 630. Patrum, *act.* 3. appellat Petrum, Petram, & crepidinem Eccleſiæ Catholicæ. Item in Eccleſia à mille ducentis octuaginta annis cantatum eſt illud D. Ambroſij. *Hoc ipſa Petra Eccleſiæ canente, culpam diluit.* Teſtatur enim D. Auguſt. *lib.*1. *Retract. cap.*21. iam ſuo tempore cœptum cani, ex verſibus Ambroſij, Petrum eſſe petram, ſuper quam Dominus Eccleſiam ædificauit. Præterea ex Patribus Græcis Origenes *homil.* 5. *in Exod.* Athanaſius *epiſt. ad Felicem*, quam ſcripſit nomine ſuo, & Synodi Alexandrinæ; Baſil. *lib.* 2. *in Eunom.* Nazianzenus *oratione de moderatione ſeruanda in diſput.* Epiphanius *in Ancherato*, Chryſoſt. *homil.* 55. *in Matth.* & *homil* 4 *in cap.*6. *Iſai.* Cyrillus *lib.*2. *cap.*2. *in Ioan.* Pſellus *in cap.*5. *Cant.* vt habetur *in comment. Theodoreti in Cant.* Theophylact. *in cap.*22. *Lucæ*, Euthymius *in cap.* 16. *Matth.* aſſerunt, Petrum conſtitutum Petram, & fundamentum Eccleſiæ totius.

Ex Latinis Tertull. *lib. de præſcript.* Cyprianus *epiſt. ad Quintum*, Hilar. *in cap.* 16. *Matth.* Ambroſius *ſerm.* 47. Hieron. *in cap.* 16. *Matth.* Auguſt *in pſal. contra partem Donati*, & *ſerm* 15. *de Sanctis*, Maximus *ſerm.* 1. *de SS. Petro, & Paulo*, Paulinus *epiſt.* 4. *ad Seuerum*, S. Leo *ſerm.* 2 *de anniuerſario ſuæ aſſumptionis ad Pontificatum*, Gregorius *lib.* 6. *epiſt.* 37. idem aſſerunt. Vide Bouerium *dem.*3. *art.*1.

Ex his apparet mendacium Caluini, & Eraſmi, 39
qui nouum eſſe clamant vocare Petrum Eccleſiæ fundamentum. Audi Caluine & D. Marcellum I. *epiſt.*1. & alios apud Bouer. *loc. cit.* vbi te exorcizat.

Erasmvs ait, ex Origene tract.1. in Matth. *Petram illam eſſe omnes fideles.* At Origenes loquitur allegoricè, non litteraliter, vt ſomniat Eraſmus; nam in ſenſu literali nobiſcum eſt, vt vidimus. Hoc etiam patet, quia ſoli Petro indiuiduè loquitur. *Dico tibi*: *Tu es Petrus, &c.* Deinde ſi omnes fideles ſunt fundamentum Eccleſiæ, vbi erunt parietes? vbi tectum huius ædificij? Sicuti ſi totum corpus eſſet oculus, vbi os? vbi aures? *prima Corinth.* 12.

Calvinvs per hanc Petram, ait intelligi Chriſtum, qui eſt vnicum Eccleſiæ fundamentum, 40
vt dicitur 1. *Corinth.* 3. Sic exponit D. Auguſt. *tract. vlt. in Ioan.* & *ſerm.*13 *de verbis Domini*, & *lib.*1. *Retract. cap.*21. vbi retractat, quod dixerat alicubi, ſuper Petrum ædificatam Eccleſiam, & dicit ſuper Chriſtum potiùs ædificatam, & ſic intelligendum hunc locum. Callidè verò præclara D. Cypriani verba mutilat, vt notat Bouerius.

Inſcitiæ probatur Caluinus à Bouer. dum præmium fidei Petri, quam laudat, detruncat.

Fatemvr, Chriſtum etiam eſſe Petram, & fundamentum præcellens; at Petrum authoritate Chriſti, vt diximus *quæſt.*2. Verùm hîc alloquitur Petrum, quem immediatè nominarat. *Tu es Petrus, & ſuper hanc* Petram: Chriſtus autem tunc non petra, ſed Chriſtus dictus fuerat. Itaque relatiuum proximum *hanc*, ſignificat immediatè nominatam Petram. Confirmatur, nam ait: *Dico tibi, quia tu es Petrus.* Quod ſi ad Chriſtum referretur, non diceret *ædificabo*; ſed *ædifico*: quia iam ædificabat Eccleſiam. Prætereà ibi ſe Ædificatorem Chriſtus diſtinguit à petris.

Neque D. Paulus repugnat, alioqui falleretur, dum *ſecundo ad Epheſ.* dicit, Apoſtolos eſſe Eccleſiæ fundamentum: & Ioannes, qui *Apoc.* 21. idem dicit.

Ad D. Auguſtinum reſpondetur, non retractaſſe

noſtram

noſtram ſententiam; ait enim: *Harum autem duarum ſententiarum, quæ ſit probabilior, eligat lector.*

Deinde S. Auguſt. putauit, Petrum Hebraïcè Cepham, non ſignificare Petram (non enim Hebraïca lingua calluit) ſed putauit ſignificare petrinum, vel ex petra deriuatum.

41 PORRO omnes ferè Lutherani reſpondent, ibi per petram intelligi fidem, & eius confeſſionem à Petro factam. Allegantur D.Hilarius 6. *de Trin.* Ambroſius *lib.6.cap.9. in Lucam*, Chryſoſtomus *homil.55. & 83. in Matth.* Cyrillus *lib.4. de Trin.* Neque hanc expoſitionem renuit S.Bonau. *in Dieta ſalutis, tit.5. cap.3.* Verùm *tit.8. cap.4.* egregiè oſtendit, quo pacto intelligatur à Patribus, nempe ſuper hanc confeſſionem relatam ad Petrum, & conſequenter ſuper ipſum Petrum ædificare Eccleſiam; ſi enim de fide, & confeſſione non relata ad Petrum loqueretur, non diceret *ſuper hanc*, neque *ædificabo*, quia iam ædificata erat ſuper fidem, & fundata Eccleſia in multis fidelibus. Præterea fundamentum propriè eſt eiuſdem rationis cum ædificio. Cùm igitur fabrica Eccleſiæ ex hominibus conſtet, tanquam ex lapidibus viuis, vt dicitur *prima Petri* 2. debet tale eſſe etiam fundamentum: & Petrus merito confeſſionis id meruit, vt notant Hieronymus, Chryſoſtomus, Hilarius, & alij ſuprà.

Confirmatur à D. Bonau. 22. *Lucæ.* Nam fides Petri eſt fundamentum Eccleſiæ; vnde ait illi Chriſtus: *Rogaui pro te, vt non deficiat fides tua; & tu aliquando conuerſus, confirma fratres tuos.* Et ita ſeipſos explicant Patres allegati.

INSTAT Illyricus. Si ſuper Petrum eſſet fundata Eccleſia, fuiſſet labilis, quia Petrus cecidit, negans Chriſtum. Imò *eodem cap.16.* dictus eſt ſathanas.

42 RESPONDETVR cum D. Bonau. *diſt 18. part.2. q 3. ad argumenta*, tunc non fuiſſe adhuc Petrum fundamentum, ſed hanc dignitatem tunc ei promiſſam, & datam Ioan. 21. *Paſce oues meas*; tunc enim ei data eſt Eccleſia: neque verò Petrus cùm negauit, errauit in fide. Hic obiter nota, Chriſtum non inuiſibilem, ſed humana conuerſatione Eccleſiæ aſtitiſſe; atque ideò recedentem, Vicario Petro eam conſignaſſe; ſic etenim egent homines, more humano, regi Sacramentis, verbo Dei, &c.

Hæc porrò metaphora, ſuprà PETRAM ædificari Eccleſiam, ſignificat Petrum eſſe Eccleſiæ fundamentum, vt exponunt Chryſoſtomus *homil.55. in Mattheum*, Ambroſ. *ſerm.47.* Gregorius *lib.4. epiſt.32.* & alij allati.

43 DICES, etiam alij Apoſtoli dicuntur fundamenta Eccleſiæ, *Pſal.86.* Fundamenta eius in montibus ſanctis, vt exponit D. Auguſt. & *Apoc.* 21. & *Epheſ.2.* idem habetur.

RESPONDETVR cum D. Hieronymo *lib. contra Iouinianum*, & D.Bonau. *ſerm.9.& 22.Hexaemer.* quod ſicuti, licèt Apoſtoli quoad fidem, & doctrinam fundamenta ſint Eccleſiæ, tamen nituntur Chriſto; ita poſt Chriſtum, tanquam vices gerenti Petro quoad poteſtatem nituntur ad tollenda ſchiſmata.

QVOAD ad alteram partem, quà nomine Clauium dicimus datam Petro ſummam poteſtatem, habemus adhuc aduerſarios.

LVTHERVS *lib. de poteſtate Papæ*, Caluinus *lib.4. Inſtit. cap.6. §.4.* Magdeburg. *centur.* 1. & 2. paſſim, & Liber Smalchaldicus *de primatu Papæ*, & cæteri huius temporis hæretici negant, datum eſſe aliquid peculiare Petro filio Ionæ, ſed totum datum Petro parabolicè ſolummodò, intelligendo nomine Petri totam Eccleſiam.

44 VERVM ineptiæ ſunt; nam Chriſtus alloquitur Petrum ſemper: *Et ego dico tibi, &c.* & hoc in præmium confeſſionis.

INSTAT Lutherus primò, Petrum locutum nomine omnium: *Tu es Chriſtus.* Igitur nomine omnium audiuit: *Tu es Petrus.*

RESPONDET S. Bonau. ad 9. *Lucæ*, & *ad 21. Ioan.* cum Cyrillo *lib.12. in Ioannem, cap. 64.* non reſpondiſſe Petrum nomine omnium, tanquam illorum præconem, ſed vt Principem, & caput; & vt *homil.86.in Ioan.* ait Chryſoſtomus ibi, *tanquam os aliorum omnium, & verticem.*

INSTAT ſecundò cum Caluino. Claues promittuntur *Matth.16.* & exhibentur *Matth.18.* Iam verò ibi dantur omnibus Apoſtolis: *Quæcunque alligaueritis, &c.*

45 RESPONDET primò D.Bonau. *in 4. diſt.18. part.2. quæſt. 3. ad 3.* Claues datas Petro *Matth.16.* quod reuincitur ex dicto hæreticorum. Si enim *Matth.18.* vbi dicitur: *Quæcunque alligaueritis, &c.* datæ ſunt claues: ergo & *Matth.* 16. vbi dicitur: *Quæcunque ligaueris.* Verùm cum hoc diſcrimine, quod Petro datæ ſunt ſumma poteſtate; aliis verò abſoluendi, & excommunicandi poteſtate communi prælationis; nam Petro ſoli primò datæ ſunt, tanquam Capiti, vt docent ſancti Cyprianus *epiſt. ad Iubaianum*, Hieronymus *lib.1. in Iouin.* Leo *epiſt.* 89. D.Auguſt. paſſim, quos aduerte ab hæreticis mutilos allegari, quaſi dicant, omnibus Apoſtolis ſimul datas claues; at non referunt, illos addidiſſe, Petrum tanquam omnium Principem accepiſſe poteſtatem: quod præcipuè dicunt S.Cyprianus *de vnitate Eccleſ. epiſt.40.69. 70.71. ad Quint.73. ad Iubaian. exhort. ad martyr. c.11.* & D.Auguſtin. *tract.50. & 124. in Ioan. de verb. Domini ſerm.13.cap 1.2.3.lib.qq.noui & vet.Teſt.quæſt.75. ſerm.124. de temp.* quos mutilos audet Caluinus adducere, & refert extensè Bouerius *loc.cit.*

Reſpondet ſecundò *loc.cit.* claues promitti in Matthæo *cap.18.* dari autem *Ioan.* 20. *Accipite Spiritum ſanctum: quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis.* Si enim hæretici volunt, verba illa, Matth. 16. *Quæcumque ligaueris*, nullam poteſtatem dare, ſed promittere; idem erit dicendum de illis: *Quæcunque ligaueritis.* Certum eſt enim, creatos Sacerdotes ſolùm in vltima cœna, atque adeò *Matth.18.* nullam habebant Eccleſiaſticam poteſtatem ſuper corpus myſticum Chriſti, qui ſuper verum non habebant. Petro autem ſingularem poteſtatem promiſſam *Matth.16.* & *Ioan.* 21. datam: *Paſce oues meas*, ibi ſupponit D. Bonau. vt patet legenti.

INSTAT, D. Auguſtinum *tract. vlt. in Ioan.* ſignificare, hæc dicta Petro figuratè; nam ibi dicitur Petrus ſuper omnia dilexiſſe Ieſum, & Ioannem ſuper omnes dilectum: qui autem plus diligit, plus diligetur à Deo, qui eſt iuſtus.

RESPONDETVR cum D. Bonau. *in 3. diſt.32. quæſt. vlt.* ex D. Auguſt. Petrum etiam magis dilectum, & ea, quæ dicuntur, eſſe quidem explicita ſenſu myſtico, ſed literali etiam.

VRGENT deinde Caluinus *lib.4. cap.6. § 3. & c.11. §.1.* & alij, nomine Clauium datarum Petro, non includi Principatum eius in Eccleſia, quia *per claues* intelligitur remittere peccata; hoc autem fit illuminando homines, vt reconcilientur Deo, vt dicitur 2. *Corinth.5.* Hanc autem expoſitionem ait eſſe germanam, fluentem, & obuiam.

46 RESPONDETVR, *per claues* intelligi à SS. Patribus poteſtatem in Eccleſia; ſic enim *Iſaiæ* 22. loquitur Deus, ſe depoſiturum Pontificem vnum, & alium electurum, qui etiam intelligitur Chriſtus; & dicitur: *Dabo clauem Dauid ſuper humerum eius, & aperiet,*

aperiet, & non erit, qui claudat; & claudet, & non erit, qui aperiat. Vbi poteſtas excellentiæ datur Chriſto, & Petro eius loco, vt docet D. Bonau. *in 4. diſt.* 18. *part.* 1. *quæſt.* 5. Inanis eſt autem, & violenta expoſitio illa, quam vocat Caluinus fluentem, & obuiam, quæ nunquam ſanctis Patribus occurrit; nam vt obſeruat S. Bonau. *diſt.* 18. *part.* 1. paſſim Gloſſæ intelligunt *per claues*, poteſtatem in Eccleſia. Ita Chryſoſtomus, & Cyrillus ad hunc locum *Ioan.* 20. Beda *de SS. Apoſt.* ac Hieronymus *ad Hedibiam q.* 9. intelligunt. Ipſe verò Chryſoſtomus *homil.* 55. *in Matth.* explicat *per claues*, poteſtatem ſummam in Eccleſia. Idem ſentit Chryſol. *ſerm.* 154. Gregorius *lib.* 4. *epiſt.* 32. Sic exhibentur etiam Principibus claues vrbium, in ſignum ſubiectionis. Sic Antiqui omnes exponunt apud Bouer. ſuprà citatum.

Obiiciunt Magdeburgenſes *centur.* 2. *lib.* 2. *c.* 7. *col.* 526. Si his verbis iam datus eſſet Petro, aut promiſſus Eccleſiæ Principatus, Apoſtoli non dubitaſſent poſteà, quis eorum videretur eſſe maior, *Matth.* 18. *Marci* 9. *Lucæ* 22. & Dominus reſpondiſſet, ſi id proponere auſi eſſent: *Iam dedi Petro Primatum.* At neque Chriſtus tale quid reſpondit.

47 Respondet D. Bonau. *ad* 22. *Lucæ*, Apoſtolos non adhuc ſatis illuminatos aſpiraſſe ad Primatum; at Chriſtum eorum ambitum retudiſſe innuendo etiam electionem maioris, id eſt Petri, dum ait: *Sed qui maior eſt, &c.* at verò admonuiſſe, non eſſe regnum Eccleſiæ, vt Regnum gentium, ad commoda, ad honores; ſed ad labores, iuxta id Eccleſiaſtici 32. *Rectorem te poſuerunt, noli extolli.* Et prima Petri 5. *Neque vt dominantes in cleris, ſed forma facti gregis ex animo.* Et hoc obiicit, ne amore dignitatis pelliciantur. Non planè quidem intellexerant Petri Principatum, ſed ſuſpicati ſunt inde, vt teſtantur Origenes, Chryſoſtomus, Hieronymus *in cap.* 18. *Matthæi.*

48 Iam igitur cùm viderimus, promiſſum eſſe Petro Primatum, remanet videre, quando fuerit exhibitus. Hoc autem fuit *Ioan.* 21. quando Chriſtus ei dixit ter: *Paſce agnos meos. Paſce agnos meos. Paſce oues meas.*

Et quidem, ſoli Petro dari hanc dignitatem probatur à D. Bonau. ad eum locum, illis verbis Chriſti: *Simon Ioannis Paſce oues meas.* Vbi ſingularem perſonam illam Petri alloquitur, cui iam *Matth.* 16. promiſerat Principatum. Cùm enim interrogaſſet eum: *Simon Ioannis diligis me plus his*, & ipſe aſſeruiſſet; tunc Ieſus illi eidem dixit: *Paſce oues meas.* Eum enim alloquitur indiuidualiter, quia erat os, & vertex aliorum, vt notat D. Bonau. *in comment.* cum Chryſoſtomo *homil.* 87. *in Ioan.*

Obiicit Caluinus, Petrus hortatur compreſbyteros, vt paſcant gregem. Ergo non eſt ſolus Paſtor, aut tranſtulit ſuam poteſtatem in alios.

Respondetur cum D. Bonau. *ad eum locum, & collat.* 90. dari primum locum Petro; in eo verò omnes Paſtores formam recipere prælationis, & Paſtoris; & ideò etiam Petrus primus Paſtor hortatur alios minores. Ex quo magis infertur, eum habere ſummum gradum Paſtoris, quandoquidem aliis Paſtoribus præcipit. Et hoc volunt dicere ſancti Patres, quando aiunt, id quod Petro dicitur, omnibus Prælatis dici, vt notat D. Bonau. ibi. Iubet verò epiſt. 1. cap. 5. *Paſcite, qui in vobis eſt, gregem*; proprium tantùm eorum.

49 Lutherus *lib. de poteſtate Papæ*, contendit, nullam ibi dari Petro poteſtatem, ſed ſolùm iniungi officium docendi; paſcere enim non eſt præeſſe.

At D. Bonau. *collat.* 90. *in Ioan.* probat, hîc paſcere, ſignificare prælaturam: primò ex D. Auguſt. ad hunc locum, *tract.* 123. ex D. Bernardo *ſerm.* 76. *in Cant.* vbi S. Doctor vidit, Chriſtum prima vice dixiſſe Petro: *Paſce.* Vbi Græcum originale βόσκε, quod ſignat paſtoris munus greges paſcendi. Hinc Paſtor βοσκὸς dicitur. At ſecunda vice ait ποίμαινε, *Paſce* vt Rex populos. Vnde Rex dicitur Ποιμένας, vel ποίμαν.

Hinc *Ezechielis* 34. vbi pluribus de vocatione gentium dictis, & Eccleſia quaſi grege vndique terrarum colligenda grauiter deſcripta, ſubdit: *Suſcitabo ſuper eas Paſtorem vnum, qui paſcat eas, ſeruum meum David: & ipſe paſcit eas, & ipſe erit eis in Paſtorem, & ſeruus meus Dauid Princeps.* Hebr. נָשִׂיא, quod Pagninus legit *Prælatus.* Is qui prædicitur gregis Domini, è gentibus terrarum colligendi, Princeps, Rex, Prælatus, non erat Dauid iam defunctus; ſed Petrus ſpiritualis Monarcha ſub regimine Chriſti, qui & hic promittitur Rex Summus Paſtor. Dicitur autem vous Monarcha Petrus, loco Chriſti, ſub huius regimine; vbi obſeruo nomen *vnum* abſolutum ſic proferri אחד, ſub regimine; cùm abſolutum ſcribatur אֶחָד.

Omitto Principes, vrbium huius, Paſtores in Scriptura. Ipſe etiam Chriſtus ſe Paſtorem vocat. *Paſce oues meas.* Vbi verbum Regium adhibet, vbi dat regendas oues, & arietes, qui ſunt Proceres; cùm ad agnorum puſillorum paſturam, humilem Paſtoris vocem primò adhibuiſſet. Tertia etiam vice idem repetit, vbi oues paruulas ouiculas, vt legit Syriacus, commendat Petro, qui & aliquas aliis, vt ſummus Paſtor, ſibi ſubditis commendat primò cap. 5. *Paſcite, qui in vobis eſt, gregem.* Idem oſtendit S. D. è Gloſſa. Sic & Homerus 2. *Iliad.* Regem ſæpe vocat *Paſtorem.* Et Iſai. 40. *Ecce Dominus in fortitudine veniet, & brachium eius dominabitur. Sicut paſtor gregem ſuum paſcet, in brachio ſuo congregabit agnos, & in ſinu ſuo leuabit fœtas.* Hinc Pſalm. 77. loquens de Dauide: *Et ſuſtulit eum de gregibus ouium, de poſt fœtantes accepit eum. Paſcere Iacob ſeruum ſuum, & Iſraël hereditatem ſuam.* Et 2. Reg. 5. & primo Paralip. 11. *Tu paſces populum meum Iſraël.* Michæas cap. 7. *Paſce populum tuum in virga tua.* Idem habes *cap.* 5. Ita exponunt Orig. *cap.* 6. *Rom.* Chryſoſt. *hom.* 87. *in Ioan. &* 80. *ad pop.* Ambroſ. *ſerm* 45. & *in pſalm.* 50. & *in cap.* 1. *ad Galat.* Arnob. *ad pſalm.* 138.

Lutherus *de poteſtate Papæ*, Illyricus *contra Primatum Papæ*, Magdeburgenſes, *centur.* 1. *lib.* 2. *cap.* 7. *col.* 525. Liber Smalchaldicus *de primatu Papæ*, Caluinus *lib.* 4. *cap.* 6. §. 7. negant, omnes fideles ibi Petro conſignari.

Catholicis verò compertum eſt, omnes Petro commendari fideles.

Est autem obſeruandum cum D. Bonau. *in commentario*, bis ei dici: *Paſce agnos meos*; & ſemel: *Paſce oues meas.* Vbi per agnos intelliguntur populi infirmiores: per oues intelliguntur etiam Principes, & Prælati cæteri. Sic enim *Iſai.* 40. volens Deus oſtendere vniuerſale dominium Chriſti, dicit, eum paſturum agnos, & oues, vt vidimus. Ideò enim Chriſtus dicit, *meas, meos*, vt omnes agni, & omnes oues Chriſti, etiam Apoſtoli intelligantur, & affert expoſitionem, Chryſoſtomi in hunc locum, vbi ait: *Aliis omiſſis, Petrum duntaxat affatur, fratrum ei curam committens; nam cùm magna Dominus Petro communicaſſet, atque curam orbis terrarum demandaſſet, &c.* Idem ex aliis Patribus ſupponit; nimirum Epiphanio *in Ancorato*, Ambroſio *in cap. vlt. Lucæ*, Leone *ſerm.* 3. *de aſſump. ſua*, Gregorio *lib.* 4. *epiſt.* 32. Theophylact. *in cap. vlt. Ioan.* & *in cap.* 22. *Lucæ*, Bernardo *lib.* 2. *de conſideratione*, Eucherio Lugdun. *in Vigil. S. Petri, ad litteram.*

Obiicit primò Lutherus, non dixiſſe Chriſtum *Paſce*

Paſce omnes oues meas; ſicut dixit: *Docete omnes gentes*, Math. vltimo.

50 Respondetvr, pronomen *meas*, æquipollere ſigno vniuerſali, vt ſuprà dixi. Quod ſi illud ſignum appoſuit illo loco: *Docete omnes gentes*, fuit ſpecialis cauſa, quia priùs prohibuerat. *In viam gentium ne abieritis, & in Ciuitates Samaritanorum ne intraueritis.* Nunc igitur Samaritanis, & aliis gentibus viam aperiturus, apponit ſignum, *omnes*; nullam excludens.

Obiicit ſecundò cum aſſeclis Lutherus, *ad Galat.* 2. Paulus nullam ſubiectionem Petro agnoſcit. *Qui videbantur eſſe aliquid, nulla mihi mandata dederunt; dexteram dederunt ſocietatis.*

51 Reſpondet D.Bonau. *opuſculo de ſex alis Seraphim, cap.5.* Apoſtolum ibi agere de prædicatione Euangelij, & de auxiliis etiam temporalibus ad id neceſſariis, in quibus alij Apoſtoli, præcipue Petrus, vt aliorum Prælatus, Paulo ſubminiſtrauerunt. Cæterùm ibi quoad Euangelium conatur oſtendere, ſe illud Euangelium à Deo acceptum prædicare, quod & Petrus; vt aliquos refelleret, qui alios Apoſtolos à Deo recepiſſe Euangelium aſſerebant, Paulum verò ab hominibus. Illa tamen verba, *nulla mihi mandata dederunt*, non inueniuntur, ſed dicitur: *Nihil contulerunt.* Mos eſt hæreticis verba Scripturæ apponere pro libito, vt eam ſubeant maledictionem, *Apocalypſis vltimò* eiaculatam à Chriſto.

Instant *Galat.* 2. diuiſas iure diuino nationes, atque Petro Iudæos, & Paulo Gentiles conuertendos obrigiſſe.

52 Respondetvr, diuiſionem fuiſſe non iuriſdictionis, ſed prouinciarum, ad commodiùs prædicandum Chriſti Euangelium. Nam, vt Innocentius I. *epiſt.*1. teſtatur, in tota Italia, Gallia, Hiſpania, Africa, Sicilia, Eccleſiæ à Petro, vel ab eis, quos ipſe miſit, vel à Petri ſucceſſoribus conſtitutæ ſunt. Hæ autem ſunt Gentilium. Deinde, ſi Petrus Iudæorum tantùm habebat iuriſdictionem, cur Epiſcopatum erexit Romæ, vbi erat caput gentium; non Hieroſolymæ? Præterea Paulus Iudæis etiam prædicauit, vt habetur Actorum 13.14. 17.18. & 28. & *prima Corinth.* 9. ait: *Iudæis factus ſum tanquam Iudæus, vt Iudæos lucrarer*, vt notat D. Bonauentura mox citandus.

Obiiciunt tertiò: *Eadem cap ſecundo Galat* Paulus ait, ſe *reſtitiſſe in faciem Cephæ*, quia non ambulabat ad veritatem Euangelij. Ergo illi non erat ſubiectus.

53 Reſpondet D. Bonau. *in 4. diſt.* 3. *quæſt. vlt.* cum D.Auguſt. *epiſt.*19. *ad Hieronymum*, verè Paulum reprehendiſſe factum Petri veniale, licèt maior eſſet Petrus, qui reliquit modeſtiæ exemplum. Sic enim licet ad defendendam veritatem, minores maioribus aliquid opponere. Idem habent Cyprianus *epiſt. ad Quintum*, Gregorius *homil.*18. *in Ezech.* De hoc fuſiùs *tract. de Legibus, diſp.*10 *quæſt.*7.

Obiiciunt quartò. Apoſtoli ſine vllo Petri mandato Diaconos conſtituunt, *Act.* 6. Rurſus Petrum mittunt Samariam, *Act.*8. Iterum *Act.*10. ambigit, an ſibi liceat prædicare Gentilibus; & quia id fecit, reprehenditur à cæteris, *Actorum* 11. Non ergo erat primus.

54 Reſpondetur cum D. Bonau. *ſerm.*9. *Hexaemer.* & cæteris ſuprà allegatis, Generalia Concilia etiam Apoſtolorum, quæ enumerat D. Bonau. *in* 1 *diſt.* 11. *dub.*1. *litera*, fuiſſe celebrata vel à Petro, vel ab eius ſucceſſoribus. Eſto non explicentur omnia.

Ad illvd de miſſione: Reſpondetur cum D.Bonau. *in* 1. *diſt.* 26. miſſionem non eſſe ſemper inferioris; nam & Filius miſſus eſt à Patre, cui eſt æqualis. Petrus igitur miſſus eſt, quatenus Eccleſiæ etiam placuit, vt ipſe iret, ad maiorem authoritatem facti eo ſe exhibente.

Probatvr tertiò aſſertio, & Primatus Petri ex multis eius prærogatiuis. Prima eſt, illi ſoli mutatum nomen, quod permanſerit, vt dicitur Ioan. 1. *Tu es Simon filius Iona. Tu vocaberis Cephas.* 55

Advertit autem primò S Bonau. *ad eum locum*, cum Chryſoſtomo, nomina à Deo mutari ſolùm grauiſſimis de cauſis, vt patet in Abram, qui ſignificat Patrem excelſum, & vocatus eſt Abraham, id eſt Pater multarum gentium.

Advertit ſecundò, nomen hoc eſſe notam Petri Primatus; nam Cephas Syriacè Petram ſignificat, vt ſuprà dixi, & teſtatur S.Hieronymus *in cap.*2. *ad Galatas.* Græcè autem ſignificat Capvt, vt aduertit S. D. cum Optato Mileuitano *lib.* 2. *contra Parmen.* Præterea eſt vnum ex nominibus celeberrimis Chriſti, vt patet *Iſaiæ* 8. & 28. *Danielis* 2. *Pſal.*117. *Matth.*21. *Rom.*9. *prima Corinth.*10. *Epheſ.*2. *prima Petri* 2. & alibi. Chriſtus ergo cum ſolo Petro nomen ſuum communicans oſtendit, Petrum eſſe electum Capvt, & Petram Eccleſiæ, fundamentum Chriſto innixum, vt docet Leo I. *epiſtola* 89.

Secvndvm priuilegium Petri eſt, quòd ſemper primo loco numeratur inter Apoſtolos, *Matth.* 10. *Marci* 3. *Lucæ* 6. *Actorum* 1. Obſeruat autem D. Bonau. *ad* 6. *Lucæ*, primo loco poni Petrum, qui interpretatur cognoſcens, in quo virtus prudentiæ deſignatur, quæ eſt virtus præcipuè Regum, & Prælatorum, ſicuti dicitur de Dauid 1. Reg. 18. *In omnibus viis ſuis Dauid prudenter agebat.* Et Concilium Trid. *ſeſſ.*9. *cap.* 11. non ambigit vocare illum Principem Apoſtolorum. 56

Dices 2. *Galat.* non nominatur primus.

Reſpondetur cum D. Ambroſio, Auguſtino, & Hieronymo, atque Chryſoſtomo, primò nominari Petrvm.

Tertia prærogatiua eſt *Matth.* 14. vbi ſolus Petrus cum Domino ambulat ſuper aquas. Vnde D. Bernardus lib.2. de conſider. *Inſtar Domini* (ait) *gradiens ſuper aquas, vnicum ſe Chriſti Vicarium deſignauit, qui non vni populo, ſed cunctis præeſſe deberet; ſiquidem aquæ multæ populi multi.* Et idem aduertit S. Bonau. *ad* 21. *Ioan.* vbi etiam adnotauit illud factum ibi, quando Petrus in mare ſe miſit, & venit ad Chriſtum. Mare enim ſignificat ſæculum, vnde totum ſuſcepit nauigandum, tanquam Capvt, & gubernator, vt adnotat D. Bernardus *ibi, loc.cit.* 57

Qvarta prærogatiua eſt *Matthæi* 17. vbi Chriſtus ſoluit didrachma, & tributum pro ſe, & Petro ſolo nominatim; ex quo Apoſtoli agnouerunt, Petrum cæteris prælatum, vt notant Origenes, Chryſoſtomus, & Hieronymus *in cap.*16. *Matth.* Addit Chryſoſtomus, Petrum aliis hoc facto præpoſitum; id verò noluiſſe Petrum ex humilitate à Marco, cui Euangelium dictauit, enarrari. Hanc prælationem deducit etiam Author *qq. noui, & veteris Teſtamenti, inter opera Auguſt. quæſt.*75. Aduertit autem Hieronymus erraſſe Apoſtolos, putando prælationem Petri futuram tantùm temporalem. Ita *ad cap.* 18. *Matthæi.* 58

Qvinta prærogatiua eſt, quòd Chriſtus *Lucæ* 5. cùm plures eſſent nauiculæ, intrauit in vnam, quæ erat Simonis Petri, quâ deſignabatur Eccleſia Petro commiſſa, vt obſeruat S. Bonau. *ad eum locum*, & *ſerm.*2. *Dom. quarta poſt Pent.* Ex ea nauicula docet turbas, & imperat Petro: *Duc in altum*, vt oſtendat è naui Petri haberi fidem, quæ non poteſt deficere, iuxta id Lucæ 22. *Rogaui pro te, Petre, vt non deficiat fides tua.* Petrus enim fidei fundamentum à nomine 59

Petræ

Petræ ponitur, vt monet ibi, & *Op. Cur. Fratres prædicem.* D. Bonauentura, cum Ambroſio *ſerm.* 11.

60 Sexta prærogatiua, quam obſeruat Seraphicus Doctor *ad* 22. *Lucæ*, & priùs *loc. cit. ad cap.* 5. & alibi ſæpè, eſt, quod Dominus ait: *Simon Simon ecce Sathanas expetiuit vos, vt cribraret, ſicut triticum. Ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua; & tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos:* Quibus verbis exponit, Petrum futurum Principem & Capvt fratrum ſuorum, vt exponit Leo, *ſerm.* 3. *de ſua aſſump.* Theophylactus in hunc locum, & alij.

61 Septima eſt, quod è viris, Petro Chriſtus primò apparuiſt, vt colligit Seraphicus Doctor *ad* 24. *Lucæ*, cum Ambroſio. *Surrexit Dominus verè, & apparuit Simoni*, quod idem colligitur ex *prima Corinth.* 15. vbi Chryſoſtomus, Theophylact. & alij deducunt Petri principatum.

62 Octava Petri præcellentia eſt, quod Petro primò lauantur à Chriſto pedes, vt deducit cum D. Auguſt. *Tract.* 56. D. Bonau. ex illo. *Venit ergo ad Simonem Petrum.* Ioan. 13. & aduertit S. D. Chryſoſtomum opinatum quidem, Iudæ prius lotos pedes, ſed temerè præſediſſe Principi, & vertici Apoſtolorum, tanquam impudentem. Idem habet Theophylact. nec vllum alium, præter hunc ſtultum, auſum fuiſſe id ſibi arrogare.

Nona eſt *Ioan.* 21. vbi ſoli Petro mors prædicitur: *Cum ſenueris extendes manus, &c.* Poſtea dicit ei: *Sequere me*; Prælatus, vt notat Theophylact. *hic*, & Chryſoſtomus, *homil.* 87. *in Ioan.* & cum eis D. Bonau. ad eum locum.

Alias Petri præcellentias colligere libet ex Actis Apoſtolorum.

63 Iotivr S. Bonauentura *opuſc. de ſex alis Seraph. cap.* 7. circa medium, obſeruat, Petrum officio Prælati functum reſpondere Iudæis: *Obedire oportet Deo, magis quàm hominibus*, Actorum 5. Ideò dicitur, *Petrus, & Apoſtoli dixerunt.* Et propoſuiſſe cum aliis Apoſtolis electionem miniſtrorum, *Act.* 6. Quamuis autem ibi omnes Apoſtoli numerentur, tamen ex dictis, *cap.* 5. ſupponitur Petrus Prælatus; nam in eo iudicauit Ananiam, & morte damnauit; & reſpondit pro omnibus Principi Sacerdotum, & Senatui, vt dixi ſupra.

Quod ſi hæretici aduertiſſent, non fuiſſent auſi dicere, electos fuiſſe Diaconos miniſtraturos menſis, Petro abſente, aut non præſidente.

Alias prærogatiuas Petri indicauit S. Bonauentura *ſermonibus de Cathedra illius.*

Insignis eſt celebratio ſolius Cathedræ illius. Sicut autem ſoli Petro dictum eſt Matth. 16. *Beatus es Simon Bar-Iona, &c.* (ait S. Bonauentura) *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam*, ſolus ipſe accepit perpetuum nouum nomen Cæphas, quod Græcè ſignificat Capvt. *Ioan.* 1. Solus audiuit: *Ego rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos*, Lucæ 22. Ipſe ſolus audiuit Ioan. 21. *Simon Ioannis diligis me plus his. Paſce oues meas*, Sic ipſe ſolus in Cathedra vniuerſalis Eccleſiæ conſtitutus, vt dici poſſit de eo: *Conſtituit eum ſuper excelſam terram.* Deuter. 32. *Ecce conſtitui te ſuper vniuerſam terram Ægypti*, Geneſ. 41. & *Ecce conſtitui te Deum Pharaonis.* Exod. 7. Itaque Petrus in throno altiſſimo ſuper Monarcharum omnium Sedes, ſiue Alexandri, ſiue Aſſueri, ſiue Romanorum exaltatus eſt, quippe non ſuper terram obtinuit Imperium, ſed etiam ſuper cœlum, quando dictum eſt ei: *Tibi dabo claues regni cælorum.* Sic enim claues exhibentur in ſignum ſubiectionis illi, cui offeruntur. Vide ibi Seraphicum egregiè diſſerentem, vbi diſertè nomen *Principatus, Primatus, & capitis Eccleſiæ*, Petro ex illis teſtimoniis Scripturarum colligit, Sanctos Patres imitatus.

64 Sic enim nomen *Principis Eccleſiæ*, ex illis verbis. *Beatus es Simon*, &c. colligit S. Baſilius, *ſerm. de iudicio Dei*, dicens. *Ille Beatus, qui cæteris prælatus diſcipulis fuit, cui claues Regni cæleſtis commiſſæ.* Idipſum habet Nazianzenus, *Oratione de moderatione in diſputationibus ſeruanda*, vbi argumento vſus eſt, quod poſtea deſumpſit S. Bonauentura *in* 4. *diſt.* 19. *ſupra citato loco.* Sicuti optimus ordo rerum quærit, vt omnia ad vnum ſui generis reducantur, ità in Apoſtolico ordine, factum eſſe debuit, vt omnia ad vnum Principem Petrum: Sic autem loquitur: *Vides quemadmodum ex Chriſti diſcipulis magnis vtique omnibus, & excelſis, atque electione dignis, hic Petra vocetur, atque Eccleſiæ fundamenta fidei ſuæ credita habeat; ac reliqui diſcipuli poſt haberi ſe tranquillo animo ferant.* Ex eodem loco nomen *capitis Eccleſiæ*, Petro adſcribunt. Cyrillus Alex. *lib.* 12. *in Ioan cap.* 64. Chryſoſt, *homil.* 55. *in Matth.* Theophylactus verò *in cap.* 12. *Lucæ*, nomen *Primatus* Petri colligit, ex illis verbis: *& tu aliquando conuerſus*, tum ex allatis: *Simon Ioannis diligis me plus his. Paſce oues meas.* Origenes *cap.* 6 *Rom.* Epiphanius *in Anchorato*

Ex omnibus allegatis locis Petrum Principem, & Capvt Eccleſiæ deducit Hugo Etherianus, *lib.* 3, *de Spiritu ſancto*, *cap.* 17.

65 Primatvm ſimiliter aſſerit Petro S. Cyprianus *ad Quintum*, vbi conſiderans eius modeſtiam in redargutione Pauli *Galat.* 2. admiratur, non obiiciſſe illi ſuum in Eccleſia Primatum: ſic locum Cypriani refert D. Auguſt. *lib.* 2. *de Baptiſmo, cap.* 1. & Principatum eius, eo loco *Matth.* 16. nixum ſupponens. *Super hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam* & concludit. *Ecce vbi commemorat Cyprianus, quod etiam nos in Scripturis Sanctis didicimus, Apoſtolum Petrum, in quo primatus Apoſtolorum tam excellenti gratia præeminet, &c.*

66 Primatvm Eccleſiæ Petro aſtruit idem S. Cyprianus, *lib. de vnitate Eccleſiæ* & *epiſt. ad Iubaianum*, Præcipuè autem Optatus Mileuitanus, *lib.* 2. *cont. Parmen.* ex nomine Cephas; ex Cathedra Romæ erecta Petrum Capvt, & Principem, compellat cum D. Bonau. ſupra. Similiter Ambroſius *in cap. vltimum Lucæ*, Primatum aſtruit Petro dicens: *Primatum Andreas non accepit, ſed Petrus.* Idem colligit *ſerm.* 15. ex eo, quia Dominus ſolius Petri nauem aſcendit, quod ſupra collegit S. Bonau. D. Hieronymus colligit ex iiſdem locis nomen capitis Eccleſiæ in Petro. Idem colligit S. Auguſt. *ſerm.* 124. ex illo Lucæ 22. *Conuerſus Ieſus reſpexit Petrum.* & Author *qq. veteris, & noui teſtamenti quæſt.* 75. inter opera D. Auguſt. *Tom.* 4. Petrum Capvt Eccleſiæ aſtruit. Similiter nomen Capitis Petro adſcribit D. Leo *ep.* 84. D. Proſper *lib. de Ingratis*: Arator verò *in cap.* 1. *Act.* *ex Ioan.* 21 colligit, omnes oues Petro datas & D. Gregorius *lib.* 4. *ep.* 32. ex Matth. 16. *Tibi dabo claues regni cælorum*, colligit, curam ei totius Eccleſiæ, & principatum tribui. Idem habet Beda *in vigilia S. Andreæ*, & *homil. SS. Petri, & Pauli.* Tandem S. Bernardus *ep.* 137. exemplo Ioſeph colligit Petri Primatum, quod à D. Bonau. vidimus obſeruatum.

67 Ex his luce clariùs meridiana apparet craſſum Caluini mendacium *lib.* 4. *Inſtit. cap.* 7. §. 3. vbi ait: *Certè quamdiu durauit Eccleſia vera, & pura*

facies, iſta omnia ſuperbia nomina, quibus poſtea inſoleſcere capit Romana Sedes, prorſus erant inaudita. Loquitur autem de nomine Capitis, & Primatvs. Huius inſolentiam euoterunt alij Patres, qui Primatum Petri in Eccleſia faſſi ſunt. Dionyſ. *de diu. nom.cap.*3. Theophylus Antioch. *l.* 2. *Allegor. in marcum* Hyppol. Magnus *de conſum.* Euſeb. Alex. *homil. de reſur* Petrus Alex.ſerm.de pœn. Euſeb. Cæſar. Eccl. hiſt. l.2.cap.13.& 14. Athan. *ep.ad Fæl.* Cyril. Hieroſol. *catech.*2. *&* 11. Baſil. *l.*2. *cont. Eun.* & *ad cap.*2. *Iſai.* Ephrem. *de Transfig.* Nazianz. *or.*26. Chryſoſt. *or.*5. *in Iudaos, or.in Petr. & Paul. hom.*33. *in Matth.* & 9. *de pœn.* & paſſim, Philo Carpath. *in Cant.* Caſſian. *de Incarn.* Cyrill. Alex. *l.*2.*in Ioan.cap.*12.& *l.*10. *cap.*41. & *l.*13. *cap.*64. Iſidor. Peleus *l.*1. *ep.*235. & *l.*2. *ep.*59. Sozomen. *l.*7. *cap.*4. Theodoret. *in cap.*1. *ad Gal.* Baſil. Seleuc. *ſerm* 4. *in David*, Victor Antioch. *ad cap.*3. *Marci.* Hi Græci.

E Latinis Clem. P.Martyr *ep.*1. *ad Iacob.* Tertull. *de præſcript. cap.*22. Zeno Veron. *de Circumciſ.* Melchiades *ad Epiſcopos Campan.* Iulius I. *ep.*1. *ad Epiſcopos orient.* Hilar. *ad pſalm.* 131. *& can.*16. *in Matth.* Pacian. *ep.*3. Damaſus *ep.*2. Maximus Taurin. *hom.*1. *SS.Petri, & Pauli*, Petr. Chryſol. *ſer.*78. 154. Leo Magnus *ſerm.*2. *&* 3. *aſſump.ſua.* Proſp. *de voc. gent. lib.*2. *cap.*28. Fœlix III. *ep.*1. *ad Petr.* Gelaſ *ad ep. Dard.ep.*2. Adde è Hier. alia loca *in pſ.*13. *l.*1. *in Iouin. cap.*14. Ex Auguſtino *ſerm.*5. *de SS.Petr. & Paul. De bapt. cont. Donat. l.*3. *cap.*1. & alios plurimos apud Controuerſiarum ſcriptores, qui erunt æterni tortores Caluini conſcientiæ: eos adducit paſſim D. Bonau. *loc. cit.*

Obiiciunt primo hæretici; Iacobus fuit Hieruſalem Epiſcopus, ab Apoſtolis in ſolio collocatus, vt ait Chryſoſt. *homil.*3. *in Act.* ergo Chriſto ſucceſſit.

Respondetvr cum D. Bonau. *ſerm.* 5. *de SS. Iacobo, & Philippo*, factum eſſe Iacobum Hieroſolymæ ſolius Epiſcopum, conſenſu Apoſtolorum, & hoc eſt ſolium, quod ei adſcribunt Sancti Patres; non autem concedunt Epiſcopatum ſuper alios Apoſtolos, nam & Chryſoſtomus, & Clemens Alex. vt ſupra vidimus, Primatum Petro deferunt. Vnde, & in Concilio Nicæno datur Epiſcopo Hieroſolymæ quartus locus inter Patriarchas, quoad honorariam quandam ſeſſionem; nullus autem locus, quoad veram iuriſdictionem, in quo deceptus Lutherus delirat.

68 Obiicivnt ſecundò, Paulum antonomaſticè dici Apoſtolum.

Respondet S. Bonau. *in ſermonibus conuerſionis S. Pauli*, Eum ideò vocari Apoſtolum antonomaſticè, non quia eſſet Petro ſuperior nam ipſe 1. *Corinth.* 15. ait: *Ego ſum minimus Apoſtolorum*; ſed quia gentes ferè omnes edocuit, quod munus eſt Apoſtolorum, qui ideò, *miſſi*, ſonant. Ità D.Hieronymus *in* 5. *Amos*; & Auguſt. *lib.*3. *ad Bonifacium, cap.*3.

Postremo Magdeburgenſes, *Centur.* 1. *lib.* 2. *cap.* 10. *col.* 558. *& ſeq.* multos horrendos lapſus Petro apponunt, ex quibus negatio conceditur, quæ imò ad hoc eſt permiſſa, vt ſciret compati infirmioribus, cùm eſſet ſummus Paſtor, vt ait D. Gregorius, *homil.* 21. *in Euang.* Ille verò *Galat.* 2. iam ſolutus eſt. Cætera ſunt hæreticorum blaſphemiæ, & nugæ.

An Romanus Pontifex ſuccedat Petro in Eccleſiaſtica Monarchia.

QVÆSTIO QVARTA.

Svppono, Petrum Romæ Epiſcopum 69 fuiſſe vſque ad finem. Sic teſtantur Irenæus, *lib.*3. *cap.*3. Tertullianus *de præſcript.* Cyprianus *lib.* 1. *ep.* 3. & *lib.*4. *ep.*8. Euſebius *Chron. anni* 44. Epiphanius *hæreſi* 27. Athanaſius *epiſtola ad ſolitariam vitam degentes*, Dorothæus *in ſynopſi*, Sozemenus, *lib.* 4. *cap.*14. Eulogius Alexandrinus apud Gregorium *lib.*6. *ep.*37. Optatus *lib.* 2. *cont. Parmen.* Ambroſius *lib.* 3. *de Sacram. cap.* 1. Hieronymus *de Viris illuſtribus & ep.*1. *ad Damaſum*, Auguſt. *lib.*2. *cap.*51. *contra litt. Petil.* & *ep.* 16. Prudentius *hym. de S. Laurentio*, Sulpit. *lib.* 2. *ſacra hiſt.* Petrus Chryſologus *ep. ad Eutychen*, quæ habetur ante Concilium Chalcedonenſe, Theodoretus *epiſt. ad Leonem*, Beda *de ſexta Ætate*, Freculphus *Tom.* 2. *Chron. lib.* 1. *cap.* 13. Ado *in Chron. anno* 45. & Recentiores omnes.

Accedant teſtimonia veterum Romanorum Pontificum. Clementis I. *lib.* 7. *Conſtit. Apoſtol.* vbi ait, *Petrum imminente morte ſibi reliquiſſe Romanum Epiſcopatum.* Anacleti *ep.* 3. vbi docet, Romanam Eccleſiam, propter Petri Sedem, eſſe omnium aliarum Capvt. Marcellini I. *ep. ad Antiochenos*, vbi dicit, Petri Sedem primitus apud eos fuiſſe, quæ iubente Domino, Romam tranſlata eſt. Damaſi in Pontificali, vbi ait, Petrum vigintiquinque annis vſque ad mortem Romæ Epiſcopum fuiſſe. Innocentij I. *ep.ad Concilium Mileuit.* quæ eſt 93. *inter epiſtolas D. Auguſt.* Leonis *ſerm.* 1. *de natali Apoſtolorum*; Gelaſij *ad Epiſcopos Lucaniæ, & Siciliæ*; Ioannis III. *ad Epiſcopos Germaniæ, & Galliæ*, Gregorij, *lib.*5. *ep.*33. Agathonis *ep. ad Conſtantinum*, Adriani *ep. ad Tharaſium*, Nicolai I. *ep. ad Michaëlem*, & aliorum.

Addantur Concilia. Sardicenſe Epiſcoporum 300. *can.*3. Epheſinum *Tom.*6. *cap.*6. Chalcedonenſe *act.*2. *&* 3.& *ep.ad Leonem*, & Concilium quintum, *act.*1. & Concilium ſextum, *act.*8. Addunt verò ferè omnes, Romanum Pontificem Petro ſuccedere in Romano Epiſcopatu.

Assero verò, Romanum Pontificem ſuccedere Petro in vniuerſali monarchia.

Primvm argumentum inſinuatur à D. Bonau. 70 *ad* 21. *Ioan.* & *collat.*90. illis verbis Chriſti, quibus Petro commendauit ouile animarum: *Paſce Agnos, paſce oues meas.* Hoc enim profectò dictum fertur in totam multitudinem fidelium, iuxta id Iſaiæ 40. *Sicut Paſtor gregem ſuum paſcit, in brachio congregabit agnos, & in ſinu ſuo leuabit, fœtas ipſe portabit.* Mox terræ, maris gyrum, & gentium multitudinem Deo ſubiectam regendamque proteſtatur redactam in Eccleſiam, vt ponderat S.Bonau. *ſerm.*9. *Hexaëmer.* ſub initio.

Qua verò ratione ſolus Petrus, qui obiit, potuiſſet ſemper totam Eccleſiam gubernare? Illud ſanè cogimur fateri, Deum prouidiſſe paſtores pro grege omni tempore; ſicut promiſerat Hierem. 3. *Dabo vobis Paſtores, qui paſcent vos ſcientia, & doctrina. Cumque multiplicati fueritis, & creueritis in terra*

in

in diebus illis (ait Dominus) *non dicent vltra Arca teſtamenti Domini.* , *&c.* Mox verò etiam Patrem Patrum pro eo tempore promiſit ſubdens. *Ego autem dixi Quomodo ponam te in filios, & tribuam tibi terram deſiderabilem hæreditatem præclaram exercituum gentium? & dixi, Patrem vocabis me, & à me non auertemini.* Hebræa lectio habet אָבִי תִּקְרְאִי־לִי. Patrem vocabis mihi nam לִי inſeruit Datiuo & interponit accentus macaph dictiones coniungens Promittit autem eis Deus magnum Patrem Patrum, ſuo nomini,culmi, & dignitati coniunctum, qui ſit alter Deus,vices Dei in terris gerens, & tutam in eo religionem promittit, nec fore periculum auerſionis à Diuino cultu in hoc Paſtore omnium, quem promittit Paſtorum Patrem Papam. Huic ſuam ſpondet aſſiſtentiam, qua cæteris præſit, vt ſana doctrina fideles paſcant, & rectà dirigant. Sanè hos Paſtores ſemper duraturos ad mundi conſummationem teſtatur: *Et poſt me ingredi non ceſſabis LXX. & à me non auertemini.* Id teſtatur Apoſtolus Epheſ.4. *Quoſdam dedit Paſtores.* Græcus *hos* donec occurramus omnes, &c. Quod ſi in Petro deſiiſſet Papatus iam Eccleſiæ regimen mancum eſſet, cùm pro ſolis 25. annis vitæ Petri perduraſſet. Iam ceſſaſſent Epiſcopi, qui neceſſarij ſunt, vt dicit Apoſtolus *hic*, *&* 1. *Cor.*12. & *Actor.* 20 & SS. Aug. *l.* 2. *qq. noui*, *& vet. teſt. quæſt.* 97. Clem.I. *epiſtola ad Iacobum* Anacl.I. *ep.* 2. *ad Epiſcopos Ital.* Hier. *ad Marcellam,ad Heliodor.*1. & alij omnes.

71 Spopondit Deus Ezech.37. adunare Eccleſiam: *& ſaluos eos faciam de vniuerſis ſedibus, in quibus peccauerunt, & erunt mihi populus, & ego ero eorum Deus. Et ſeruus, meus Dauid Rex ſuper eos & Paſtor vnus erit omnium eorum, & habitabunt filij eorum & filij filiorum, vſque in ſempiternum, & Dauid ſeruus meus Princeps eorum in perpetuum. Dabo ſanctificationem meam in perpetuum, in medio eorum, &c.* Quod de Chriſti Eccleſia exponendum monent Patres, vt ait Bouer.*demonſt.*3.3.*Symb.* Planè verò vnum Pontificem ſucceſſione perpetua promittit ex nobis; Dauidem nominat; iam vità ſanè Dauid erat perfunctus. Ponitur autem vox *Vnus* hebraice *ſub regimine*, in quo ſignat ſub Chriſti,myſtici Dauid tuto regimine Eccleſiam iudicaturam, & edocturam gentes è variis ſedibus, & cathedris ſectarum, ac nationum adunatas. Sicut autem per ſæcula illam duraturam promittit, ſic perpetuum ſpondet Paſtorem. Hæc innuit S.Bonau. etiam Opuſc. *Cur fratres prædicent.* Hac ſucceſſione proteſtatur D.Aug. *cont. ep. manich. cap.*4. ſe veram Eccleſiam reperiſſe. Id ipſum docet Apoſtolus Epheſ.4. *Obſecro vos, vt digne ambuletis ſolliciti ſeruare vnitatem ſpiritus, &c. Vnum corpus & vnus ſpiritus, &c. Vnus Dominus vna fides vnum baptiſmo.Vnus Deus & Pater omnium.* Græcus εἷς θεὸς καὶ πατὴρ. Vnus Deus inſuper etiam vnus Pater Patrum, nam vocula καὶ ſignat *inſuper etiam* vt habes in Lexico Græco. Ità vnum Deum habemus atque Inſuper etiam vnum Papam, qui ſignificat Pater magnus Patrum ſupra omnes, & per omnia, & in omnibus nobis dominans. Poſtea dicit *Chriſtus alios dedit Apoſtolos,alios Doctores, alios Paſtores*, vbi Græcus habet, vbique τὸν hos Paſtores, &c. *ad conſummationem*, &c. *donec occurramus*, &c. nempè vſque ad finem. Ex vnius Paſtoris iſtius negatione ortas omnes hæreſes clamat S.Cyprianus *l.*1.*ep.*3.*& l.*4. *ep.*9.

Confirmatur à D.Bonau. quia Paſtores ſunt propter Eccleſiam: ideò Deus conqueritur de Paſtoribus quærentibus ſe ipſos *Thren.*1. *Ezech.*3. *Iohel* 1. *Zachar.*11. Vnde & obſeruat è D.Auguſt. *tract.*123. *in Ioan.* Chryſoſt. *homil.* 87. *in Ioan.* Chriſtum prius quæſiiſſe à Petro: *Diligis me plus his?* quàm eum Paſtorem ſtatueret, dicens: *Paſce*, *&c.* Quod enim præpoſiti ſumus propter vos eſt, vt ait D.Auguſt. *lib. de Paſtoribus*, *cap.*1.

SECVNDVM argumentum ſumitur ex Doctore Seraphico *in* 4. *diſt.*19. *art.*3 *quæſt.*1. Lex diuinitatis eſt media per prima, & infima per media perducere ad purgationem, illuminationem, & perfectionem: ideò, ſicut videmus in omnibus ſiue rationalibus, etiam cæleſtibus; ſiue irrationalibus tam terrenis, quàm cæleſtibus: ad hoc, vt ſit concordia, & decor, oportet, vt ſit ordo, qui attenditur ſecundùm prælationem, & ſubiectionem; non ſecundum æqualitatem. Cùm igitur Eccleſia ſit ordinatiſſima, vt dicitur: *Cant.* 6. *Terribilis vt caſtrorum acies ordinata*, oportet, vt ſemper adſit, ſicut in exercitu vnus Dux viſibilis præſens, dirigens Eccleſiam, quæ eſt multitudo hominum; & prælatus ſupremus, in quo ſit ſtatus, ad quem omnes reducantur,vt Eccleſia tanquam corpus ſit vnita, & firmiſſima, ut dixi *quæſt. prima.*

QVOD autem hoc CAPVT debeat eſſe viſibile, & in terris; probatur *ex* 1. *Corinth* 12. vbi, poſtquam dixerat, Eccleſiam eſſe vnum corpus; ſubdit: *Non poteſt caput dicere pedibus; non eſtis mihi neceſſarij.*

Hoc ſanè non conuenit Chriſto, qui poteſt omnibus dicere, non eſtis mihi neceſſarij. Igitur debet dari CAPVT viſibile, locum Chriſti tenens. Confirmatur, nam in veteri teſtamento non deſiit in primo Pontifice Aaron gubernatio Monarchiæ; ſed Aaroni ſucceſſit Eleazarus. *Numer.* 20. Eleazaro Phinees *Iud.*20. & ſic de cæteris, & tunc quidem, & Deus erat Caput Eccleſiæ ab initio. Cur ergò Pontificem elegit ſummum, & ſucceſſores?

SI DICAS, non eſſe ſimile, quia nunc habemus Chriſtum hominem CAPVT Eccleſiæ, at in teſtamento veteri erat Deus ſpiritus. Quæro, cur nunc Petrum creauit ſummum Paſtorem, dum ipſe eſſet in terris, & per tot annos poſt Aſcenſionem ei commiſit Pontificatum? Certè regimen Eccleſiæ inſtitutum in Petro, debuit durare, Eccleſia durante, quæ morte Petri non eſt funditus euerſa. Ergo debuit dari Petro ſucceſſor; hic autem nunquam eſt creditus alius, quam Epiſcopus Romanus (nam Anthiochiæ Sedem reliquit) ſic enim totam antiquitatem crediditſſe oſtendam ex Conciliis, & Patribus cum Seraphico Doctore *ſermone nono Hexaëmeronis.*

PRIMO quidem Nicænum Concilium *can* 6. pro- 72
vt refertur in Concilio Chalcedonenſi, *act.*16. à Paſchaſio Epiſcopo, & ex Græco tranſlatum à Dionyſio Abbate ante annos mille, & octuaginta, vt refert Alanus. Copus, *Dial.* 1. ſic habet: *Eccleſia Romana ſemper habuit Primatum: mos autem perduret, vt habeat Alexandrinus Epiſcopus poteſtatem in tota Ægypto, Lybia, & Pentapoli; quoniam & Epiſcopo Romano talis conſuetudo eſt.*

ITAQVE præmiſſo Romanæ Sedis primatu, à quo, iam conceſſæ erant illæ Prouinciæ Alexandrino Patriarchæ, declarat Concilium, debere perdurare in eo, quia à Romano Pontifice iam conceſſum, & conſuetum eſt concedere tantam iuriſdictionem. Itaque nil definit Concilium Nicænum, circa Romanum Epiſcopum, vt obſeruat Nicolaus I. *epiſtola ad Michaëlem*; quia poteſtas eius à Deo eſt. Et Chalcedonenſe Concilium ideò, *hoc canone lecto*, *act.*16. declarat: *Perpendimus, omnem primatum, & honorem præcipuum, ſecundùm canones, antiquæ Romæ Deo amantiſſimo Archiepiſcopo, conſeruari.* Hanc expoſitionem amplectitur,

Bellarm. reiectis aliis, & eam Nicolao I. adſcribit. At Bouerius *Demonſtr.3. Symb.* aliam Nicolai, meliorem eſſe, ait, vt Nicænum Concilium ſtatuat, Alexandrinum ità eſſe Rectorem ſuarum diœceſium, ſicut Romanus totius Orbis. Hanc ipſe laudat. Sic autem loqui, ait. *Romana Eccleſia nullum ea Synodus contulit incrementum; ſed potiùs ex eius forma, quòd Alexandrina Eccleſia tribueret, ſumpſit exemplum.*

Varum enim verò in Tomis noſtris Conciliorum vulgaris legitur: *Mos antiquus perduret in Ægypto, vel Lybia, & Pentapoli, vt Alexandrinus Epiſcopus horum omnium habeat poteſtatem, quoniam quidem & Epiſcopo Romano parilis mos eſt.* Hæc verò vltima verba videntur explicare, quæ conſuetudo ſit illa, quæ in aliis voluminibus legitur, nempè, vt Alexandrinus pari ratione cum Epiſcopo Romano habeat determinatam regionem, quæcunque illa ſit; ita, vt exemplo Romani Epiſcopatus, qui nobiliſſimus eſt, præfigantur limites etiam Alexandrino; quæ verba miro ſilentio iniudicata præterit Bellarminus, cum tamen ex eis Caluinus, Illyricus, Nilus, & alij hæretici anſam arripuerint dicendi, ibi fines ſtatutos Romano Epiſcopo, quos ſuburbanas Eccleſias aſtruunt; & quod caput eſt, Ruffinus, *lib.10. hiſt. Eccl. cap.10.* idem aſſerit. Et Theodorus Balſamon, Occidentem Romano Epiſcopo ibi præfixum; ſicut Orientem Alexandrino, aſſerit. Vnde Faius recentior hæreticus *d.91.* malignatur.

Neqva Græcorum voluminum corruptionem poſſumus opponere, quoniam ità nos quoque Latini habemus in noſtris codicibus.

Alia mihi occurrit expoſitio non temnenda, ſed optima.

Pro qua, ſuppono primò, ex omnium conſenſu, ſumi regulam Alexandrinæ iuriſdictionis, ex Epiſcopatu Romano, qui nobilior eſſe dubio procul ſupponitur; quippe. *Quod eſt primum in vnoquoque genere, eſt menſura cæterorum*, ex Ariſtotele.

Svppono ſecundò, Petrum à Chriſto creatum Epiſcopum ſummum animarum, vt ſupra oſtendi; at ipſum ſibi præſtituiſſe Sedem Romanam; potuiſſet autem nullam Sedem ſibi peculiarem eligere, ſicut quinque primis annis; & tunc moriente Petro, non Epiſcopus Romanus ſucceſſiſſet, ſed is, quem Eccleſia ſibi elegiſſet: potuiſſet etiam manere Antiochiæ, & tunc Antiochenus ſucceſſiſſet. Quia verò Romæ Sedem fixit, & tenuit vſque ad mortem, inde factum eſt, vt Romanus Pontifex ei ſuccedat.

Svppono tertiò, Romanum Epiſcopatum, & Eccleſiæ vniuerſæ præfecturam non eſſe duos Epiſcopatus actu reali diſtinctos, ſed ſolùm formali; quia alter eſt iure diuino: alter iure humano in ſua origine, licèt nunc realiter vnum quid: non quia Petrus ſibi Romam adiunxerit; nam hic Epiſcopatus in ſummo Pontificatu cum cæteris clauditur, ſed quia Epiſcopatum hunc ſummum orbis Pontificatum, regulam omnium conſtituit. Habet tamen formalitates duas; alteram, vt Epiſcopatus Romanus, qui limitibus clauditur natiuis; alteram, ratione ſummæ aditæ dignitatis. Igitur Concilium Nicænum videtur vtramque rationem conſideraſſe, & ratione quidem Epiſcopatus, vt ſic Romani, determinatos habentis limites, comparare cum Alexandrino; attamen, ratione adiunctæ ſummæ poteſtatis, illum proponere, vt menſuram, & regulam omnium, & in caſu Alexandrini Patriarchatus. Quapropter ſenſus erit. Si Epiſcopatus Romæ in quo eſt prima Sedes vniuerſalis habet ſuos fines, quatenus eſt Romæ Epiſcopatus formaliter; multò magis cæteri, etiam Alexandrinus Patriarcha. Igitur editio, quæ in Chalcedonenſi Concilio continetur, idipſum exprimit, dum præmittit primatum Romanæ Eccleſiæ vniuerſalem; & poſtea ex illa dat regulas Alexandrinæ. Hæc doctrina adhibita eſt à D. Bonau. *Cur fratres prædicent, initio.* Videtur Nicolai I. ſupra.

75 Secundum Concilium Generale ad Damaſum ſcribens, vt refert Thodoretus *lib.5. hiſt. cap.9.* fatetur, ſe conueniſſe Conſtantinopoli ex mandato litterarum Pontificis, per Imperatorem ad ſe miſſarum. Et ibidem fatentur, Romanam Eccleſiam caput eſſe, ſe autem membra. Nituntur autem decreto perlecto Conc. Nicæni.

Tertivm Concilium, vt eſt apud Euagrium, *lib.1. hiſt. cap.4.* dicit, ſe deponere Neſtorium, ex mandato litterarum Cæleſtini Papæ Romani: & in epiſtola ad eundem Cæleſtinum, idem Concilium ſcribit, ſe cauſam Ioannis Patriarchæ Antiocheni, quæ magis dubia erat, quàm cauſa Neſtorij, non fuiſſe auſum iudicare; ſed reſeruaſſe iudicio ipſius Cæleſtini.

Concilium Chalcedonenſe *act.1.2.& 3.* vocat Leonem vniuerſalis Eccleſiæ Pontificem, & in epiſtola ad Leonem. *Et poſt hæc* (inquiunt) *omnia inſuper, & contra ipſum, cui vineæ cuſtodia commiſſa eſt a Saluatore, extendit inſaniam, ideſt contra tuam quoque Apoſtolicam ſanctitatem.*

Synodvs Conſtantinopolitana, quæ ante quintam Synodum in cauſa Anthimi coongregata eſt, *art.4.* per Menam Patriarcham, ita loquitur. *Nos Apoſtolicam Sedem ſequimur, & obedimus; & ipſius communicatores, communicatores habemus: & condemnatos ab ipſa, & nos condemnamus.*

Septima Synodus, *act.2.* recipit, & probat ep. Adriani ad Tharaſium, in qua hæc habentur. *Cuius Sedes per totum terrarum orbem primatum obtinet, lucet, omniumque Eccleſiarum Dei caput exiſtit. Vnde, & ipſe B. Petrus Apoſtolus Dei iuſſu, Eccleſiam paſcens nihil omninò prætermiſit; ſed vbique Principatum obtinuit, & obtinet.* Idem aſſerunt Concilium Later. ſub Innocentio tertio, in quo Græci, & Latini interfuerunt, *cap.5.* Concilium Lugduni Generale, ſub Gregorio X. & Florentinum, Græcis, & Latinis conſentientibus.

Omitto quinque alia Concilia Generalia, quæ nec à Græcis recipiuntur, cum ipſi non interfuerint; nec à Lutheranis, cùm ſint poſt *annum* 600. celebrata. Lugdunenſe ſub Innocentio IV. Viennenſe ſub Clemente V. Conſtantienſe *ſeſſ.8.* Lateranenſe ſub Leone X. *ſeſſ.11.* & Tridentinum *ſeſſ.14. cap.7.*

Probatur idem aſſertum ex litteris antiquorum Pontificum.

Tres autem veluti claſſes diſtinguuntur harum epiſtolarum. Prima continet epiſtolas eorum Pontificum, qui primis 300. annis ſederunt, in quibus fatentur hæretici primatum aſtrui; ſed eſſe confictas.

Secvnda claſſis, epiſtolas continet Pontificum, qui ſederunt ab anno 660. vſque ad noſtra tempora, ſed hos Pſeudo-Pontifices, hæretici conclamant.

Tertia claſſis continet illas epiſtolas Pontificum, qui floruerunt ab anno 300. ad 600. quorum epiſtolas, negare nequeunt & primatum aſtruunt.

Primæ claſſis ſunt Clemens *ep.1.* Anacletus *ep.3.* Euariſtus *ep. prima*, Alexander *ep.1.* Pius *ep.1. & 2.* Anicetus *ep.1.* Victor *ep.1.* Zephyrinus *ep.1.* Caliſtus *ep.2.* Lucius *ep.1.* Marcellus *ep.1.* Euſebius *ep.3.* Melchiades *ep.1.* Marcus *epiſtola prima*. Vide in Bellarm. *l.2. de Rom. Pont. cap.14.* & mentitum noſces Faium *d.91. concl.23.*

Magdeburgenſes *centur.2. cap.7. ad finem*, reſpondent, has epiſtolas eſſe nouiter excogitatas poſt tempora Caroli Magni. Verùm Iſidorus, qui 200. annis Carolum Magnum præceſſit, in procœmio

ſui Collectanei ſacrorum Canonum dicit, ſe in Concilio octuaginta Epiſcoporum collegiſſe Canones ex epiſtolis Clementis, Anacleti, Euariſti, & cæterorum Romanorum Pontificum. Et Concilium Vaſenſe, *can.6.* citat epiſtolas Clementis, vt nunc extant. Hoc verò Concilium fuit celebratum 350. annis antè Carolum Magnum.

Denique Ruffinus, qui annis 400. Caroli Imperium præceſſit, *præfat. in recognit. Clementis*, meminit epiſtolæ Clementis ad Iacobum.

IN SECVNDA claſſe ſunt Adrianus I. *ep.1. ad Tharaſium*, Nicolaus I. *epiſt. ad Michaelem Imperatorem*, Leo IX. *epiſt. ad Michaelem Epiſcopum Conſtantinopolitanum*, Paſchalis *epiſt. ad Epiſcopum Panormitanum*, quæ habetur *cap. Significaſti*, *extra de elect.* Innocentius III. *epiſt. ad Imperatorem Conſtantinopolitanum*, & habetur *cap. Solita*, *extra de maioritate.*

Reſpondent hæretici, hos Pſeudopontifices fuiſſe. Verum, ſi hæc ita ſe habent; ſequitur, Chriſtum per 1000. annos deſeruiſſe Eccleſiam, contra promiſſum *Matth.16.* Vide Bellarminum *loc. cit.* refellentem.

TERTIÆ igitur claſſis recenſeo Pontifices ſanctiſſimos, quorum epiſtolæ non negantur.

PRIMVS ſit S.Iulius I. *epiſtola ad Orientales*, quæ extat *in Apolog. ſecunda D. Athanaſij*, vbi ita loquitur: *An ignari eſtis, hanc eſſe conſuetudinem, vt primùm nobis ſcribatur, vt hinc quod iuſtum eſt, definiri poſſit? Quapropter, ſi iſtic eiuſmodi ſuſpicio in Epiſcopum concepta fuerat, id huc ad noſtram Eccleſiam referri oportuit.* Et infrà: *Quæ* (ait) *accepimus à B. Petro Apoſtolo, ea vobis ſignifico, non ſcripturus alioqui, quæ nota apud vos eſſe arbitror, niſi facta ipſa nos conturbaſſent.* His verbis S.Iulius affirmat, ad ſe pertinere officium diiudicandi cauſas Epiſcoporum, etiam Orientalium; tametſi Patriarchæ primarij eſſent (nam de cauſa S. Athanaſij Alexandrini Patriarchæ agebatur,) & hoc ius à B. Petro ſe accepiſſe, atque id omnibus notum eſſe. Tandem, non poſſe abſque Romani Pontificis authoritate conuocari Concilium, declarat; aut damnari Epiſcopos. Idem definit S. Damaſus *loc. citando.*

SECVNDVS eſt S.Damaſus *epiſtola ad omnes Orientales*, apud Theodoretum lib.5. hiſt. cap.10. *Quoniam* (ait) *Apoſtolicæ Sedi reuerentiam debitam charitas veſtra diſtribuit, vobis quamplurimùm filij chariſſimi præſtitiſtis.* Et ep.4. ad Epiſcopos Numidiæ: *Cuncta, quæ poſſunt aliquam recipere dubitationem, ad nos, cinquam ad Caput, vt ſemper fuit conſuetudo, deferre non deſinatis.*

TERTIVS eſt S. Syricius epiſtola ad Himericum Epiſcopum Tarraconenſem: *Portamus onera omnium, qui grauantur. Quinimmò hæc portat in nobis B. Petrus Apoſtolus, qui nos in omnibus, vt confidimus, adminiſtrationis ſuæ protegit, & tuetur hæredes.* Et infrà, c.15. *Explicauimus* (vt arbitror) *frater chariſſime vniuerſa, quæ digeſta ſunt in querelam, & ad ſingulas cauſas, de quibus per Filium noſtrum Baſſianum Preſbyterum ad Romanam Eccleſiam, vtpotè ad caput tui corporis, retuliſti.*

QVARTVS S.Zozimus epiſtola ad Heſichium Salonitanum Epiſcopum: *Ad te* (ait) *potiſſimùm ſcripta direximus, quæ in omnium fratrum, & Epiſcoporum noſtrorum facies ire notitiam.* Et infrà: *Sciet quiſquis hoc, poſtpoſita Patrum, & Apoſtolicæ Sedis auctoritate neglexerit, à nobis diſtrictiùs iudicandum, vt loci ſui minimè dubitet, ſibi non conſtare rationem, ſi hoc putat poſt tot prohibitiones poſſe tentari.*

QVINTVS S.Innocentius epiſtola 22. ad Epiſcopos Macedoniæ: *Aduerti* (ait) *Sedi Apoſtolicæ, ad quam relatio, quaſi ad Caput Eccleſiarum miſſa, currebat, fieri iniuriam.* Item in epiſtola ad Concilium Mileuitanum, quæ eſt inter epiſtolas D. Auguſtini nonageſimatertia: *Diligenter* (ait) *& congruè Apoſtolico conſulitis: honori, inquam, illius, quem præter illa, quæ extrinſecus ſunt, ſollicitudo manet omnium Eccleſiarum, antiquæ ſcilicet regulæ formam ſecuti, quam toto ſemper ab orbe mecum noſtis eſſe ſeruatam.* Idem ad Concilium Carthag. quæ eſt epiſtola 91. Romanam Sedem dicit eſſe *Fontem, & Caput* omnium Eccleſiarum.

Neque latrent Magdeburgenſes contra hunc S. Pontificem, compellando blaſphemè arrogantem Innocentium; nam de his duabus epiſtolis loquens S. Auguſtinus *ep.106.* ait: *Ad omnia ille nobis reſcripſit eodem modo, quo fas erat, atque oportebat Apoſtolicæ Sedis Antiſtitem.* Et *ibidem* eum beatæ memoriæ Papam appellat.

SEXTVS eſt S. Leo epiſtola 84. ad Anaſtaſium Epiſcopum Theſſalonicæ: *Sicut* (inquit) *præceſſores mei præceſſoribus tuis; ita & ego dilectioni tuæ, priorum ſecutus exemplum, vices mei moderaminis delegaui, vt curam, quam vniuerſis Eccleſiis, principaliter ex Diuina inſtitutione debemus, imitator noſtræ manſuetudinis effectus adiuuares, & longinquis ab Apoſtolica Sede prouinciis, præſentiam quodammodo noſtræ viſitationis impenderes.* Et infrà: *Vices noſtras ita tuæ credimus charitati, vt in partem ſis vocatus ſollicitudinis, non in plenitudinem poteſtatis.* Et in fine, vbi dixerat, *magna Dei prouidentia conſtitutos Epiſcopos, Archiepiſcopos, & Primates*, ſubdit: *Per quos ad vnam Petri Sedem vniuerſalis Eccleſiæ cura conflueret, & nihil vnquam à ſuo Capite diſſideret.* En Primatus Leonis in Eccleſias Græciæ. Eadem ferè habentur *ep.46. 62. & 82.* quibus præcipit Patriarchis Orientis, & *ep.87.* Africanis Epiſcopis, & *ep.49.* Synodo Chalcedoniæ.

Denique *ſerm.1. de Natali Apoſtolorum*, ait: *Per ſacram B.Petri Sedem, Caput orbis effectam, latiùs præſides religione diuina, quàm dominatione terrena.* Adde *ep.93.* teſtari, cauſarum iudicia è toto orbe ad Romanam Sedem eſſe delata.

Neque dicat Caluinus, Leonem auidum gloriæ, & multos eius ambitioni reſtitiſſe. Vtrumque enim falſum eſt, vt latè oſtendit Bellarminus *lib.2. cap.14.*

SEPTIMVS S Gelaſius epiſtola ad Epiſcopos Dardaniæ: *Cuncta per mundum nouit Eccleſia, quoniam quorumlibet ſententiis ligata Pontificum, Sedes B.Petri Apoſtoli ius habeat reſoluendi, vtpote quæ de omni Eccleſia fas habeat iudicandi, neque cuiquam liceat de eius iudicare iudicio.* Similia habet *epiſt. ad Anaſtaſium Imperatorem*, & *in tomo de vinculo anathematis in decreto de apocryphis Scripturæ libris*, Papæ primatum è Chriſti effato, *Matth.16.* aſtruit.

OCTAVVS Ioannes II. *epiſtola ad Iuſtinianum ſeniorem Auguſtum*, quæ habetur in ipſo Codice Iuſtin. tit.1. *Inter claras* (ait) *ſapientiæ, ac manſuetudinis veſtræ laudes, Chriſtianiſſime Principum, puriore luce, tanquam aliquod ſidus irradiat, quod amore fidei, quod charitatis ſtudio edocti Eccleſiaſticis diſciplinis, Romanæ Sedis reuerentiam conſeruatis, & ei cuncta ſubiicitis, & ad eius deducitis vnitatem, ad cuius auctorem, hoc eſt Apoſtolorum primum, Domino loquente præceptum eſt: Paſce oues meas. Quam eſſe omnium verò Eccleſiarum Caput, & Patrum regulæ, & Principum ſtatuta declarant, &c.*

NONVS Anaſtaſius II. ad Anaſtaſium Imperatorem: *Per miniſterium* (ait) *humilitatis meæ, ſicut eſt ſemper Sedes B.Petri in vniuerſali Eccleſia, aſſignatum ſibi à Domino teneat Principatum.*

Decimvs ſit Fœlix IV. *epiſtola* 1. ad varios Epiſcopos. *Sanctitatis veſtra ſcripta, qua ad Sedem Apoſtolicam miſiſtis, tanquam ad* Capvt, *vt inde acciperetis reſponſa, vnde omnis Eccleſia totius religionis ſumpſit exordium, gratanter ſuſcepi, &c.*

Vndecimvs ſit Pelagius II. *ep.*1. ad Epiſcopos Orientis: *Romana Sedes* (ait) *inſtituente Domino, Caput eſt omnium Eccleſiarum.*

Dvodecimvs S.Gregorius Magnus lib.1.ep.72. *Ex Concilio* (ait) *Numidia, ſi qui deſideraucrint ad Apoſtolicam Sedem venire, permittite: & ſi quilibet eorum via contradicere voluerit, obuiate.* En authoritas Gregorij in Epiſcopos Africanos.

Idem *lib.*2. *ep.*37. omnibus ſe Patriarchis præpoſitum aſſerit: & *lib.*4. *ep.*56. authoritatem exerit in Epiſcopos Græciæ, ordinans Epiſcopum Corinthiorum Archiepiſcopum. Idem *lib.*7. *ep.*63. *ad Ioannem Epiſcopum Syracuſa*, ait: *Nam de Conſtantinopolitana Eccleſia, quis eam dubitet Apoſtolica Sedi eſſe ſubiectam? Quod & Dominus piiſſimus Imperator, & frater noſter Euſebius eiuſdem ciuitatis Epiſcopus aſſiduè profitetur.* Et *ep.*64. *ad eundem*, ait: *Nam quod ſe dicit Sedi Apoſtolica ſubiici, ſi qua culpa in Epiſcopis inuenitur, neſcio quis ei Epiſcopus ſubiectus non ſit.* Quid clarius?

Respondet Caluinus *lib.*4.*cap.*7.§.12. Gregorium ſibi attribuiſſe ius, ſed paruiſſe illi eos tantùm, qui voluerunt. Sed aduertere debuit, ſe *lib.cit.* §.22. Greger. virum ſanctiſſimum aſſeruiſſe, quem & Græci vt ſanctiſſimum colunt ſolemniter. Alia Pontificum teſtimonia vide in Bouetio *demonſtr.ſertij Symb.art.*9.

75 Idem probatur à D. Bonau. ex PP. Græcis, & Latinis, quos retuli *diſput.*5. *quaſt.*8. Præcipuè verò expreſſum ex Græcis, Præſidentiæ, Primatus, Principatus, vel Capitis vniuerſalis Eccleſiæ titulum Romano Pontifici, ex Petri ſucceſſione, aſtruunt Ignatius *ep. ad Romanos*, Irenæus *lib.*3. *cap.*3. Epiphanius *hareſi* 68. Athanaſius *in ſecunda apol.* & *ep. ad Felicem Papam*, & *lib. de ſententia Dionyſij Alexandrini*; Baſilius *ep.*52. Nazianzenus *de vita ſua*, Chryſoſtomus *ep.*1.*ad Innocentium Papam*, Cyrillus *ep.*10. *ad Neſtorium*, & *ep.* 11. *ad Clerum, & populum Conſtantinopolitanum*, & *ep.* 18. *ad Cœleſtinum*, & *in lib. Theſauri*, qui non inuenitur modò, ſed citatur à D. Thoma *opuſculo contra Græcos*, & Gennadio *de primatu Romani Pontificis.* Theodoretus *ep. ad Leonem Papam*, & *ep. ad Renatum*, Sozomenus *lib.*3. *cap.*7. Acatius *ep.ad Simplicium Papam*, Epiſcopus Patarenſis, de quo Liberatus *in Breu. cap.*22. & Iuſtinianus ſenior Auguſtus *ep. ad Ioannem II.* Sic Faio ſectario os obſtruitur, qui *d.* 91. *cap.* 3. latrat, Græcos perpetuò reclamaſſe.

E Latinis Cyprianus *lib.de vnitate Eccleſia. lib.*1. *ep.*3. *ad Cornelium* & *lib.*2. *ep.*10 & *lib.*1. *ep.*8. quæ ad plebem: Optatus *lib.*3. *contra Parmen.* Ambroſius *in cap.*3. *epiſtola prima ad Timoth.* & *oratione in Satyrum*, & *lib.*3. *de Sacram. cap.*1. Hieronymus *ep. ad Agenchiam*, & *ep. ad Damaſum*, *de nomine Hypoſtaſis*; Auguſtinus *ep.*92. *ad Innocentium*, & *ep.*157. & 162. & *lib.*1. *ad Bonifacium, cap.*1. Proſper *de ingratis*, & *lib.*2. *de vocat. gent. cap.*6. B. Victor Vticenſis *lib* 2. *de perſecutione Vuandalica*, Vincentius Lirinenſis *in Commem.* Caſſiodorus *lib.* 11. *ep.*2. *ad Ioannem. Pap.* Beda *lib* 2. *hiſt. cap.*1. Anſelmus *lib. de Incarn. cap.*7. Hugo de S.Vict. *lib.*2.*part.*4.*c.*15. Bernardus *lib.*2. *de conſider.* & alij PP. apud Bouet. noſtrum *loco citato.*

Vt autem ſectariorum mendacium tumulemus, dicentium, primos Romano Pontifici Primatum Eccleſiæ adſcripſiſſe Phocam Imperat. deinde Pipinum, lubet Imperatorum, ac Regum præceſſorum opponere atteſtata, quæ latè depromit Bouet. *art.*10.

Primvs è Romanis Imperatoribus Chriſtianus, circa annum 248. apud Bouet. vel 251. vt colligit è Dei inſcripto in nummis numine, Bucellenus *in Nucleo hiſt.* Philippus Romanum Pontificem, tanquam Chriſti Vicarium veneratus, ſe ei coërcendum ſubiecit, vt ſcribunt Euſeb. Cæſar. *lib.*6.*hiſt. cap.*27. Niceph. *lib.*1. *cap.*25.

Poſt hunc Conſtantin. Magnus D.Silueſtrum vocat Petri ſucceſſorem Papam vniuerſalem, ſuis litteris.

Gratianus, Valentinianus, & Theodoſius Imperatores, Damaſum vniuerſalem Eccleſiæ Paſtorem Summum Pontificem profitentur, vt habetur *l.*4. *C. De ſum. Trin.*

Honorius Auguſtus *ad Bonifacium Papam*, Romanam Eccleſiam Apoſtolatus titulo decorat, eumque omnium reueretur Eccleſiarum Paſtorem.

Valentinianvs III. *ep.ad Theodoſ. Imper.* Romani Pontificis *Primatum* ab Eccleſiæ natali agnoſcit. Vide initio Concil. Chalc.

Martianus Imp. ad Leonem ſcribit, vt ſi ad Concilium in Orientem nolit aduenire, dignetur litteras mittere ad Epiſcopos congregandos, ad res fidei, vt ſtatuerat, definiendas; exhibet autem ſe ad eas litteras diſpertiendas.

Pvlcheria Imperatrix, *epiſtola ad Leonem*, idem precatur. Sic & Anaſtaſius Imp.ad Hormiſdam Pap.

Ivstinianvs Imp. qui Phocam præceſſit annis 70.circiter, Ioannem Pap. Capvt omnium ſanctarum Eccleſiarum aſtruit *C. de ſum. Trin.* Ad eundem ſcribens, id tanquam notum exponit *initio Authent.* & *in Auth.de Eccleſiaſticis tit. & priuil.cap.*2.

Tandem ſcribens ad Bonifacium Pap.omnes damnat, qui Romani Pontificis ius ad omnes Eccleſias extenſum audeant reſtringere. Imperatrices etiam multas refert Bellarminus. Hi omnes Phocæ præceſſores, ſectariorum conuincunt mendacium. Poſteros affert Bouet. *dem. Symb.* 3.*art.*4.

Probatvr tertiò à S. D. *ſerm. de Cathedra D.Petri*, argumento ſumpto ex illo Matth.16. *Tu es Petrus, &c.* quo Romanæ Sedis Primatum comprobarunt, non modò è Patribus Græcis, & Latinis ſuprà allatis, ſed & Iuſtinianus Imperator, *ep.cit. ad Bonif. Papam*, Maximianus Patriarcha Conſtantinop. Chryſoſtomi ſucceſſor: Ioan. Conſtantinop. Patriarcha *ep. ad Hormiſdam*: P. Sergius Cyprius *ep. ad Theodorum*: P. Theodorus Studités *ep. ad Michaelem Imp.* Ignatius Conſtantinop. Patriarcha ad Nicolaum Pap. *act.*5. 8. *Synodi*, & alij, quos allegat Bouet. *loc. cit. art.*11. vt Ant. Faio Geneuæ impio miniſtro os conterat neganti *d.*91. *loc. cit.* vllum Græcorum id ita expoſuiſſe. Conuincitur enim quiſque ex eo loco Euangelij, huius Primatvs inſtitutorem, non Phocam extitiſſe, ſed Chriſtum, ſtabile vſque ad ſupremum mundi halitum, & permanens regnum fundantem, vt dixi *quaſt.*3. Hoc idem oſtendit S.Bonau. *ſerm.*16. *Hexaemer.* & hoc S. Doctor deſumpſit è D. Gelaſio Papa in Concilio octuaginta Epiſcoporum, vbi ait: *Sancta Romana Eccleſia nullis ſynodicis conſtitutis, cæteris Eccleſiis prælata eſt; ſed euangelica voce Domini, & Saluatoris noſtri Primatum obtinuit.* Idem habet Anacletus *ep.*3. id deducens *ex Matth.*16. Quare obſeruat S.Bonau. *ſerm.*9. *Hexaemer.* etiam Concilium Nicænum authoritate Petri per Sylueſtrum celebratum fuiſſe. Cùm igitur hic Primatus non ab hominibus aduenerit, ſequitur ita à Chriſto inſtitutum.

Ex qvo ruit error dicentium, Pontificem Romanum ab Apoſtolis, vel à Concilio Nicæno poteſtatem obtinuiſſe, quos refert Turrectemata *lib.*2. *c.*39. & Bellar. *lib.*2, *cap.*17.

Quod

Quod ſi quando audieris, Apoſtolos voluiſſe Pe- Petrum ſuum Principem, vel Imperatorem aliquem edidiſſe de hoc decreta; intellige non inſtitutionem Sedis Romanæ in *Primatu*, ſed acceptationem, confirmationem, &c.

Quod verò ex decreto, *act.* 16. ſeu *can.* 28. Concilij Chalcedonenſis affertur.

Reſpondetur, illud decretum reprobatum à D. Leone *epiſt.* 51. *ad Anatolium*, & ſequentibus ad Marcianum, ad Pulcheriam, ad Maximum, ad Iuuenalem.

Rvit etiam reſponſio Caluini *lib.* 4. *c.* 7 §. 17. vbi ait, Primatum in Græcos datum Papæ à Phoca Imperatore: in Gallos autem, & Germanos primùm à Pipino; deinde à Carolo Regibus Francorum. Nam, vt obſeruat S. Bonau. *ſerm.* 16. *Hexaëm.* D. Gregor. qui ante Phocam ſumma in Cathedra ſedit, Mauritio Imperatore, ſummam exercuit poteſtatem, vt vidimus. Verè poſt D. Gregor. vt ait D. Bonau. contumaces à Phoca humiliati ſunt Imperiali potentia, quippe cenſuris Pelagij, & Gregorij non erant edomiti, è quibus Patriarcha Conſtantinop. qui ſe Papam acclamabat.

Præterea S. Leo, qui obiit anno 461. & ante Gregorium ſedit, qui obiit anno 604. poſtquam ſederat annos 13. Canones toti orbi imperauit, vt notat D. Bonau. *eodem ſerm.* vbi etiam obſeruat, Theodoſium, qui obiit anno 395. ante Phocam 215. annos; & Conſtantinum, qui obiit anno 337. Pontifici Romano ſubiectos, tanquam vniuerſali Eccleſiæ Monarchæ. Neque verò Conſtantinus hunc ei Primatum contulit, vt videntur aſſerere Marſilius de Padua, Vuiclephus, & Hus, dixi canone illo, *Conſtantinus, diſt.* 96. nam ibi ſolùm declarat ius antiquum, quo ſucceſſores Petri, qui fuit Chriſti Vicarius, habendos eſſe Eccleſiæ Principes, & Capita credidit Eccleſia, vt probat Bouer. *loc. cit.*

76 Mvlto verò magis ruit id, quod dicebat Caluinus de Pipino, & Carolo Magno; nam D. Gregorij temporibus, ante Pipinum Caroli Patrem annos 200. ſublimem Cathedram & in Gallos obtinebat, vt ſcribitur *lib.* 4. *epiſt.* 51. & S. Leo, qui Pipinum præceſſit 350. annos, Canones, & Leges edidit vniuerſales, præcipuè verò Gallis, vt habetur *epiſt.* 89. & obſeruat Doctor Seraphicus *ſerm. citato* Et S. Cyprianus, qui annos 500. ante Pipinum floruit, *lib.* 3. *epiſt.* 13. ſcribit ad Stephanum Papam, vt Epiſcopum Arelatenſem deponat. Et Irenæus 600. annis prior Pipino, *lib.* 3 *c.* 3. ad Romanam Eccleſiam, vt principalem, recurrendum ait. Erat autem ipſe Epiſcopus Gallus. Adde Chriſtum dicentem Petro: *Paſce oues meas*; quibus etiam Galli, Germani, & alij continentur, vt notat D. Bonau. *ad illum locum Ioan.* 21. Tandem Pontifex ſummus regnabat, cum adhuc in Gallia eſſent idola, & miſit ad conuertendam Franciam, vt notat Seraphicus *ſerm.* 16. *cit.*

Qvod verò addit Caluinus, verum Regem Francorum à Zacharia, & Pipino impiè Regno ſpoliatum; mentitur; hoc enim legitimè factum hiſtorici omnes aſſerunt infrà citandi, factumque concelebrant, exceptis Caluino, & Magdeburgenſibus, vt refert Bellarm. *lib.* 2. *c.* 17. Idem aſtruunt de Imperio, & Regno Italiæ collato ipſi Carolo, hoc enim factum eſt ad repellendos inſultus extranearum gentium contra Eccleſiam, vt referunt S. Bonau. *Hex e.* Eginhardus *in vita Caroli Magni*, Cedrenus *in vita Leonis Iſauri*, Paulus Diaconus *lib.* 6. *cap.* 5. *de geſtis Longobardorum*: Blondus *lib.* 10. *decadis primæ*. Rheginus *lib.* 2. *Chron.* Marianus Scotus *lib* 3. *Chron.* Ottho Friſing. *lib.* 5. *hiſt.* Ado Vien. *in Chron. ætate* 6. Abbas Vrſpergenſis *in Chron.* Sigebertus *in Chron.* Paulus Æmilius *lib.* 1. *& 2. de geſtis Francorum.*

Meritò quidem P. Zacharias Bouer. *loc. cit. art.* 10. 77 Caluini temeritatem inclamat, qui Regem Pipinum Regnorum Galliæ prædonem blaſphemet; quippe à Zacharia Romanæ Sedis ſanctiſſimo Præſule, toto orbe laudante, coronatum. Ergóne Chriſtianiſſimus Rex ille Patriarcha, tot, tantorumque Regum, Imperatorum, atque ſanctorum Antiſtitum ore infando conſpurcatur? Canis fœtens is, in cœlum latrare aſſuetus. Lupus vorax illuſtriſſimos ſanguines rictu adhuc oſtentat in Gallia abſorptos. Zelum acuit adoleſcentis adhuc Ludouici Tertiidecimi ad hoc feratum genus fugandum, hic eloquens orator. At hydram detruncatam Rupellam, huius foueam, ſolo æquatam à Iuſto Monarcha, Abilam, & Calpem non nautis in Oceano, ſed Oceano ipſi præfigente, ſi intuearis, num è cælo non exultabis? Si hæreſis cruentatæ cadauer in cineres adactum à Potentiſſimo Ludouico filio, Iuſti magna Sobole; an non tui cineres è tumulo ſpiritibus rubentes exilient.

Probatur quartò à D. Bonau. *ſerm. c.* ex poteſtate, quam Romani Pontifices perpetuò exercuere, deponendo etiam Patriarchas, ferendo leges in omnes Epiſcopos, inſtituendo, reſtituendo Epiſcopos.

Præcipvè verò S. Leonem affert, qui leges plurimas tum ex quatuor Conciliis præcipuis collegit, tum alia multa decreta edidit, vt patet in eius epiſtoſtolis, à prima, vbi ſcribit ad Epiſcopos Campaniæ, Piceni, Tuſciæ. *Omnia* (ait) *decretalia conſtituta, tam beatæ recordationis Innocentij, quàm omnium prædeceſſorum noſtrorum, quæ de Eccleſiaſticis ordinibus, & canonum ordinata ſunt diſciplinis, ita veſtram dilectionem cuſtodire debere mandamus, vt ſi quis illa contempſerit, veniam ſibi deinceps nouerit denegari.* Et *epiſt.* 81. ad Dioſcorum Epiſcopum Alexandr. duas leges præſcribit, & in vtraque his vtitur verbis: *Id quod à vobis volumus cuſtodiri.*

Quod verò Pontifices Romani excommunicauerint, & priuauerint Epiſcopos, & Imperatores, probatur Nicolaus I. *epiſt. ad Michaëlem*, enumerat octo Patriarchas Conſtantinopolit. à Papa depoſitos, inter quos vnus fuit Antimus ab Agapito depoſitus, non obſtantibus minis Imperatoris, & Imperatricis: & Gelaſius *epiſt.* ad Dardaniæ Epiſcopos: *Dioſcorum* (ait) *Secundæ Sedis Præſulem ſua authoritate Sedes Apoſtolica damnauit.* Præterea Flauianum Antiochenum Patriarcham Damaſus depoſuit, vt ſcribit Theodoretus *lib.* 5. *cap.* 23. *hiſtoriæ* Vide alios in Bellarmino *lib.* 2. *de Rom. Pontif. cap.* 18. Bouerio *demonſt. cit.*

Simili ratione Athanaſium Alexandrium Patriarcham, Paulum Conſtantinopolitanum Patriarcham, & Marcellum Ancyræ Epiſcopum reſtituit S. Iulius, vt ſcribit Gelaſius ad Epiſcopos Dardaniæ, & Sozomenus *lib.* 3. *c.* 7. & Theodoretus depoſitus à Synodo ſecunda Epheſina, reſtitutus eſt in Concilio Chalcedonenſi, decreto S. Leonis, vt habetur *act.* 1. Fuit autem Theodoretus 800. Eccleſiarum præſul in Oriente. Quod etiam depoſuerit Imperatores, oſtendi *diſp. hac, quæſt.* 2.

Probatvr quintò à Seraphico Doctore *ſerm.* 12. 78 *Hexaëmer.* ex Principatu Romani Pontificis ſuper quatuor Patriarchas, qui ſunt præcipui inter Prælatos Eccleſiæ, *Conſtantinopolitanum*, *Alexandrinum*, *Antiochenum*, *Hieroſolymitanum*; ſuper quos ſingulos, & omnes ſimul Pontifex Rom. habet poteſtatem, ſicut Sol ſuper planetas, ita vt ſit inter hos primus, vt Patriarcha eſt: at verò, vt Caput Eccleſiæ, ſuper omnes etiam alios. In quo deceptus eſt Nilus putans, Romanum Pontificem eſſe ſolùm primum, tanquam vnum è Patriarchis.

Sic D. Leo *epiſt.* 59. deſignat loca Patriarchis: & Ioannes I. Conſtantinopoli ſuper Patriarcham ſedere

 voluit,

volnit, vt refert Nicephorus *lib.* 17. *cap.*9. Ex quo conſtat, non eſſe authenticum, quod aiunt, tentaſſe aliquos in Conciliо Chalced. *act.*16. vt Patriarcha Conſtantioopolitanus paribus cum Romano Pontifice priuilegiis frueretur. Cui etiam à Legatis Papæ reclamatum fuit.

Coofitmatur primò: nam Romani Pontifices Patriarchis etiam delegarunt cauſas, vt Cœleſtinus Cyrillo Alexandrino cauſam Neſtorij Epiſcopi Conſtantinopolit. vt patet ex epiſt. Cæleſtini, *tom.*4. *operum Cyrilli.* Gelaſius Acacio Epiſcopo Conſtantinopolitano commiſit, vt deponeret Epiſcopum Alexandrinum, vt habet D. Gelaſius *epiſt. ad Epiſcopos Dardaniæ.*

Confirmatur ſecundò appellationibus. Iure enim appellari ab omni regione orbis ad Romanum Ponti-
79 ficem, decernit Concilium Sardicenſe 300. Epiſcoporum, *can.*4. *&* 7. Gelaſius *epiſt. ad Fauſtum, & ad Epiſcopos Dardaniæ*: & S. Leo *epiſt.*89. dicit, hanc eſſe antiquiſſimam conſuetudinem. Sic enim plurimi vſu confirmant. Marcion, Pio I. Pont. à ſuo Epiſcopo excommunicatus, venit anno 142. Romam, vt à Papa abſolueretur, vt refert Epiphanius *hereſi* 42.

Anno 252. Pontifice Cornelio, Fortunatus, & Felix in Africa à Cypriano depoſiti, ad Cornelium appellarunt, & Romam venerunt. Teſtis Cyprianus *lib.*1. *epiſt.*3. Nec diu poſt, Stephano Pontifice, Baſilides in Hiſpania depoſitus, ad Stephanum appellauit, vt refert S. Cyprianus *lib.*1. *epiſt.*4.

Anno 350. Iulio I. Pontifice, Athanaſius ab Orientalibus depoſitus, ad Pontificem appellauit, & ab eo reſtitutus eſt, vt refert Sozomenus *lib.*3. *c.*7. & factum eſt hoc iudicium ante Concilium Sardicenſe, vt refert ipſe Athanaſius in ſecunda Apologia, initio.

Post annum 400. Innocentio I. Chryſoſtomus à Theophilo depoſitus ad Pontificem appellauit, vt patet ex eius literis ad Innocentium. Item eodem ſæculo Flauianum habemus appellantem ad Leonem Papam, vt ſcribit Liberatus *in Breu. cap.* 12.

Post annum 500. S. Gregorius *lib.*2. *epiſt.*6. priuat ſacra communione Ioannem Epiſcopum Græcum, quòd iudicaſſet Epiſcopum Thebanum, qui ad Apoſtolicam Sedem appellarat.

Hinc mentitos videbis Caluinum *lib.*4. *Inſt. c.*7. §.9. Faium *d.* 91. *concl.*7. *& ſeq.* deridentes recurſus ad Papam ex toto orbe, titulóſque Primatus Capitis Eccleſiæ negantes, quæ ſatis oſtendi *quæſt.*8. *d.*4. præſertim ex Græcis, quibus addo Theodoret. *epiſt. ad Renatum*, Acacium Conſtantinop. *ad Simplicium Pap.* & alios apud Bouer. *loc. cit.* & Bellarm.

Stultè verò Faius dicit recurſum ad Romanam Sedem haberi, quia prima inter Patriarchales. Sanè appellatum eſt, tanquam ad omnium Eccleſiarum Caput, vt vidimus. Temerè etiam ait, eam authoritatem exercuiſſe Imperatorum fretos potentiâ. At ſanè vidimus, Romanos Pontifices in ipſos Imperatores exercuiſſe, vt refert etiam Bouer.

Opponit Faius *concl.* 53. Papam in controuerſiis cum Imperatore fateri ſe ſubiectum: & allegat caput *Si incompetenter*, 2. *quæſt.*7. At ibi Leo IV. Ludouico Pio remittit ſponte Imperatoris iudicio cauſam aliquorum, qui à ſe ad illum appellarant, vt diſcerneret, an iuſtè appellaſſent, non vt Papam iudicaret, vt ait Gloſſa & Textus.

Non negarem, ſi hæreticus fieret, ab Eccleſia iudicandum, quia non amplius eſt Caput, cùm non ſit membrum, vt ait D. Cypr. *lib.*4. *epiſt.*2. Vide Canum *lib.* 4. *de locis, c.*2. Bellar. *lib.*2. *de Rom. Pont. cap.*30.

Obiicivnt primò, Romanus Pontifex non eſt Apoſtolus, nec habet poteſtatem omnia ligandi, & ſoluendi. Ergo non eſt ſucceſſor Petri.

Respondetvr cum D. Bonau. *ſerm* 9. *Hexaëmer.* Papam eſſe ſupra dignitatem Apoſtolicam; eſt enim Pater Patrum: Epiſcopos verò locum tenere Apoſtolorum in poteſtate conſecrandi, ordinandi, &c.

Ad illud de poteſtate ligandi, reſpondetur, Petrum habuiſſe poteſtatem ea ligandi, quæ liganda ſunt; non autem illaqueandi: eandem verò habere Romanum Pontificem, vt ſuprà dixi cum D. Bonauentura.

Obiicit ſecundò Caluinus. Non ſequitur: Si Petrus initio duodecim Apoſtolis præfuit, & nunc debere aliquem præeſſe toti orbi; nam pauci facilè, & vtiliter ab vno reguntur: multa verò millia non niſi à multis gubernari valent.

Respondetvr cum D. Bonau. *ad* 21. *Ioan.* Petrum omnes oues, & omnes agnos accepiſſe à Chriſto regendos, ideſt, omnes fideles Eccleſiæ, qui quo magis creuerunt, eo magis egent vno Rectore, à quo in vnitate contineantur, vt notat S. D. *in* 4. *diſt.* 19. *art.*3. *quæſt.*1.

Obiicit tertiò. Si ideò Romæ eſt Sedes ſummi Pontificatus, quia Petrus Apoſtolus Romæ Pontificatum gerens defunctus eſt: Ergo Pontificatus Iudaici Sedes debuit eſſe in deſerto, quia ibi mortuus eſt Aaron; & Sedes Pontificatus Chriſtiani eſſe deberet Hieroſolymis, vbi Chriſtus ſummus Pontifex mortuus eſt.

Reſpondetur, non ideò Sedem Pontificis eſſe Romam, quia præcisè ibi mortuus eſt Petrus, ſed quia Petrus Romæ Epiſcopus fuit, nec vnquam aliò Sedem tranſtulit. Aaron verò non fixit ſedem in deſerto, nec Chriſtus Hieruſalem.

Obiicit quartò. Priuilegium hoc de Primatu, vel eſt locale, vel perſonale, vel mixtum. Si locale: ergo debuit remanere Antiochiæ, vbi primò Petrus Sedem poſuit. Si perſonale: ergo cùm Petrus deſiit, neque Roma aliquid in hoc habet. Si tertium: ergo non ſufficit eſſe Romanum Epiſcopum ad hoc, vt aliquis habeat Primatum. Hoc clamat Caluinus nodum Gordiæ. Sed gladio ſpiritus ſcinditur.

Reſpondetur primò, eſſe principaliter è Chriſti inſtitutione perſonale publicum, ad ſucceſſores deriuandum, & à Petro habere eſſe locale. Bouer. *dem.*3. *Symb. art.*7. dicit, etiam reale locale priuilegium admixtum, cùm Petrum Romam miſit Dominus.

Obiicit quintò. Si Romanus Epiſcopus eſt primus, quia ſuccedit Petro Apoſtolo: ergo Epheſinus, qui Ioanni Apoſtolo ſucceſſit, eſt ſecundus; & tertius Hieroſolymitanus, quia Iacobo: at ſecundus fuit Alexandrinus, qui nulli Apoſtolo ſucceſſit.

Reſpondetur cum D. Bonau. *ſerm.*22. Sedes Patriarchales ex inſtitutione Petri gradum obtinere. Idem declarant Anacletus *epiſt.* 3. Gelaſius *epiſt. ad Epiſcopos Dardaniæ, & in decreto de libris Canonicis*, Gregorius *lib.*6. *epiſt.*37. Leo *epiſt.* 53. & patet ex Concilio Niceno ſuprà allegato.

Obiicit ſextò. Si quæ dicta ſunt, Petro conueniunt, 80
& ſucceſſoribus: ergo Romani Pontifices ſunt ſathanæ; nam hoc dictum eſt Petro, *Matth.*16.

Reſpondetur, præclarè notam eſſe differentiam eorum, quæ dicta ſunt Petro, vt perſonæ ſingulari; ab his, quæ dicta ſunt, vt Paſtori: ſed inſulens Caluinus ea confundit. Cum enim Petro dicitur: *Vade retrò ſathanas: Ter me negabis*; dicitur ei ratione imbecillitatis eius: cùm verò inſtituitur Eccleſia, & ei claues promittuntur, *Matth.*16. & cura demandatur ouilis, *Ioan.*21. profectò regimen Eccleſiæ, quod debet durare vſque in finem, etiam in ſucceſſoribus firmatur.

Obiicit ſeptimò ex Concilio Chalcedonenſi, *cap.*9. *&* 17. vbi ſtatuitur vltima appellatio ad Patriarcham Conſtantinopolitanum.

Reſpondetur ex Nicolao I. *ad Michaëlem*, ibi ſanciti,

ciri, vt vltimò adeatur Primas Diœcèſeos, qui eſt Epiſcopus Romanus; vel ſi Conſtanrinopoli vicinus ſit, adeatur illius Patriarcha, quando velit eius iudicio contentus eſſe. Certum enim eſt, ounquam in Concilio Chalcedonenſi, vel alio Oecumenico admiſſum, Patriarcham Conſtanrinopolitanum eſſe Primatem totius Eccleſiæ; & ideò ſæpe à Romano Pontifice excommunicatos, qui temerè præſumebant, vt dixi ſuprà; Et Seraphicus Doctor monet *ſerm.* 16. *Hexaëmer.* Adde ex D. Leone *epiſt.* 59. ad Concilium Chalcedonenſe, confirmari ſolùm ea, quæ ad fidem ſpectant; hi verò canones, vt refert Liberatus in *Breu. c.* 12. ſtatuti ſont, abſentihus Legatis Papæ, qui alioqui Concilio præſidebant.

Obiicit octauò Cyprianum *lib.* 1. *ep.* 3. culpantem eos, qui appellauerant ad Romanum Pontificem.

Reſpondetur, reprehendi appellationem de crimine manifeſtiſſimo, non autem omnem: hoc enim abſonum eſt, quod tamen non verentur concedere Magdeburgenſes *Centuria* 3. *c.* 7. *col.* 176.

Obiicit nonò, Concilium Mileuitanum *can.* 22. vbi appellatio ad Tribunalia tranſmarina prohibetur.

Reſpondetur ex D. Auguſt. *ep.* 162. vetitum eſſe ſolùm priuatis clericis appellare, non autem Epiſcopis, quibus, licere ait appellare Romam. Ipſe autem interfuit huic Concilio; imò præfuit.

Obiiciunt decimò Magdeburgenſes, *centur.* 5. *c.* 9. Illiricus de ſex Conciliis Carthag. & Græci in Concilio Florentino, *ſeſſ.* 20. Zozimum Papam per Legatos petiiſſe ab Africanis, vt tres canones Concilij Niceni obſeruarentur, quorum præcipuus eſt de appellationibus Epiſcoporum ad Papam. Ipſi verò hos canones non inuenerunt in Concilio Nicæno; & ideò reſcripſere Pontifici, ſe non inueniſſe etiam in exemplaribus Orientalium: & ideò ne facile admitteret appellantes ex Africa. Hinc arguunt; ſi iure Diuino Papa eſt ſummus Iudex, cur nititur authoritate humana Concilij Nicæni? Deinde falsò etiam illud allegat.

81 Reſpondetur, id Pontifices voluiſſe confirmare ex Concilio Nicæno, quia faciliùs oſtendebatur non modò verum; ſed etiam conueniens ex Concilio Vniuerſali. Neque malè allegantur Canones illi, nam alij etiam deſunt, vt refert Bellarm. *lib.* 2. *c.* 25. & præterea in Concilio Sardicenſi 300. Epiſcoporum inueniuntur. Quare decepti ſunt Africani ſcribentes, in nullis decretis hos canones reperiri. Tandem ipſi Patres Africani confeſſi ſuot, codices Nicæni Concilij ex Oriente delatos, eſſe corruptos; vt teſtatur Ioannes in Concilio Florentino, ſeſſione vigeſſima. Dicuntur autem à Zozimo illi canones Nicæni, licèt eſſent Sardicenſis; quia tunc hæc duo Concilia pro vno habebantur, quia in Romana Biblior. erant coniuncta.

Obiicit vndecimo, Paulus Petrum reprehendit. Non ergo Petrus eſt ſummus Iudex.

Reſpondetur ex dictis *quæſt.* 3. Paulum ſe Petro ſubditum eſſe profeſſum, dum eum adiit, & cum eo contulit ſuum Euangelium. Hoc facto demonſtrauit, ad Sedem Petri in difficultatibus fidei accurrendum, vt notarunt Hieronym. *ep. ad Auguſtinum*, quæ eſt vndecima inter epiſtolas D. Auguſtini; Theodoretus *ep. ad Neronem*, & ſatis dixi *diſp* 2. *quæſt. vndecima*.

Quòad reprehenſionem, ibi diſcuſſi ſufficienter, non corripere tanquam ſi eſſet Petro maior, vt obſeruat S. Auguſt: *epiſt.* 19. ad Hieronymum, & Gregorius *homil.* 17. *in Ezech.*

Obiicit duodecimo, D. Gregorius, *lib.* 3. *epiſt.* 61. Et *lib.* 4. *epiſt.* 3. Imperatorem, ſuum Dominum appellat.

Reſpondetur ex Paulo Diacono, *lib.* 4. *vita eius, cap.* 58. hunc tractum humilitatis fuiſſe. Præterea cùm Imperatores dominium haberent temporale Romæ, egebat Pontifex illis.

Obiicit tertiodecimò. Ipſe Chriſtus *Ioan.* 19. Imperatoriam agnouit poteſtatem dicens Pilato Præſidi. *Non haberes poteſtatem aduerſum me vllam &c.* Cur ergo non Papa? 82

Reſpondetur, Chriſtum fuiſſe Regem, non ſubditum Romano Imperatori, vt oſtendam *tertia parte, diſp.* 24. *quæſt. vltima.* Ideò poteſtatem iuriſdictionis non habuiſſe Pilatum in illum, ſed ſolùm permiſſam à Deo. Ita Chryſoſtomus, & Cyrillus. Vel ſi poteſtatem habuit, vt volunt Auguſt *tract.* 116. *in Ioan.* & Bernardus *epiſt.* 42. hoc fuit, quia Chriſtus noluit ſuam poteſtatem adhibere, & ſe ſpontè iudicio Pilati ſubiecit, tanquam Iudæus ordinarius.

Obiicit quartodecimò. Paulus *Actorum* 25. Cæſarem appellauit & ipſe, Rom. 13. *Omnis anima* (Inquit) *poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit.* Idem docet Petrus, *prima, cap.* 2.

Reſpondet D. Bonau. *in* 2. *diſt.* 44. *q. penult.* Apoſtolos locutos vniuerſaliter Chriſtianis, vt obedirent in his, quibus tenentur temporalibus; nam in multis ſunt liberi, vt dicitur *Matth.* 17. vbi Chriſtus de ſe, & de Petro ait. *Ergo liberi ſunt filij.* Et idem Chriſtus Matth. 22. *Reddite ergo, quæ ſunt Cæſaris Cæſari: & quæ ſunt Dei Deo.* Nec mirum, Paulum ad Cæſarem prouocaſſe, quia tunc ex Imperij Romani amplitudine, & Cæſarum tyrannide cogebatur. Sic enim Ipſe ait: *Coactus ſum appellare Cæſarem.* Itaque præcipiunt Apoſtoli Chriſtianis, vt obediant Regibus, eò quòd a cenſerentur rebellionis; aiunt tamen in diuiſim, vt poteſtatibus ſublimioribus obediant, in qoibus intelligitur etiam Papa; vt exponit D. Bernardus, *ep.* 183. ad Conradum Imperatorem dicens. *Legi, omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit, quam ſententiam cupio vos cuſtodire in exhibenda reuerentia Petri Vicario, ſicut ipſam vobis vultis ab vniuerſo ſeruari Imperio.* Neque opponat Caluinus, S. Bernardum reprehendere mores Romanæ Eccleſiæ hoc enim non repugnat, cum poteſtate, vt explicat ipſe *ſerm.* 66. *in Cant.* 83

Obiicit quintodecimò. In veteri Lege Reges deponebant Pontifices, 3. *Reg.* Salomon depoſuit Abaithar, & conſtituit eius loco Sadoc. Ergo & nunc. 84

Reſpondet D. Bonau. Opuſculo *de Eccl. Hier. p.* 2. *cap.* 1. negando paritatem, nam ſacerdotium antiquum erat temporalium promiſſionum; at Pontificatus noui teſtamenti eſt ſublimiorum promiſſionum; & ideò, licèt ille Pontifex eſſet Regibus ſubditus, non ſic eſt Papa. Ita exponunt Hieronymus *lib.* 1. *contra Pelagianos*, & *ep. ad Dardanum*, & D. Auguſt. *q.* 33. *in Numer.* Et *lib* 19. *contra Fauſtum c.* 31. Obſeruat ideò D. Bonau. Sacerdotium antiquum deſcribi, veluti adiectiuum Regiæ dignitati. Sic dicitur: *Regnum Sacerdotale* Exod. 19. nunc autem Regnum ponitur adiectiuum Pontificatui, tanquam ſubſtantiuo *Regale Sacerdotium* Prima Petri 2. cum D. Chryſoſtomo *de Sacerdotio.*

Obiicit ſexto decimò. Chriſtiani Imperatores ſæpè iudicarunt Pontifices.

Reſpondetur, id factum vel impiè, vel incautè. Vide Bellarminum, *lib.* 2. *c.* 29. Et quidem Conſtantius, qui in exilium eiecit Liberium impiè egit, vt notant Athanaſios, *ep. ad ſolitarios*, Liberatus *in Breu. cap.* 22. Gregorius, *lib.* 4. *Dial. c.* 30. & indicat Doctor Seraphicus, *ſerm.* 16. *Hexaëmer.*

Similiter Iuſtinianus, qui eiecit Syluerium, Eutychianæ hæreſis luem ebiberat, vt indicat D. Bonau. *loc. cit.* Sic & Theodoricus Arrianus Ioannem. Ottho quidem Imperator Ioannem XII. eiecit, bono quidem fine, ſed incautè, neſciens ſuæ limites poteſtatis.

Obiicit decimò ſeptimo. Pontifices, qui ſe Impe- 85
ratoribus

ratoribus ſubdiderunt. Sic Gregorius apud Gratianum can. *Si quis q.* 7. Adrianus I. Papa conceſſit Carolo Magno ius eligendi Pontificem, *diſt.* 63. Idem conceſſit Leo VIII. Otthoni primo, vt habetur *eadem diſtinct.*

Reſpondetur ex D. Bonau. *ſerm. citato*, neque Gregorium, neque Adrianum ſubieciſſe ſe Imperatori; nam eorum tempus fuit ſublimia Cathedræ, vt ait S. D. abſque oppoſitione. Ibi autem Gregorius prouocat ad iudicium Dei, ad ſepulchra Apoſtolorum; neque verba à Gratiano allegata inueniuntur in D. Gregorio. Neque alij duo Papæ dedere Imperatoribus poteſtatem eligendi Papam, ſed ſolùm confirmandi, quoad temporale dominium.

Obiicit decimooctauò. Papa eſt ſubditus in foro conſcientiæ ſuo confeſſario: Ergo.

Reſpondet D. Bonau. *in* 4. *diſt.* 19. *q. vlt.* Pontificem iudicari poſſe in foro conſcientiæ à Sacerdote, quemcumque ipſe liberè elegerit; & in hoc ſuam exercere ſupremam poteſtatem, dando Sacerdotibus omnibus, licèt inferioribus poteſtatem ſuper ſe. Attamen, quia confeſſio eſt iure Diuino præcepta *Ioan.* 20. quæ etiam mere interna iudicat, & ideò etiam Pontificem includit, non vt Pontificem, ſed vt ægrotum, cui neceſſaria eſt medicina Sacramenti à Chriſto inſtituti.

Obiicit decimononò. Papa eſt ſponſus Eccleſiæ, & poteſt dare libellum ſponſæ: Ergo, & Eccleſia dare poteſt Papæ.

Reſpondetur cum D. Bonau. *in* 4. *diſt.* 20. *p.* 2. *q.* 3. ex hoc titulo *Sponſi Eccleſiæ*, fateri debere eſſe ſupra Eccleſiam, & Patrem omnium fidelium tanquam filiorum. Eſto igitur poſſit ipſe renunciare Pontificatui; non tamen poteſt à ſponſa repudiari: eſt enim euidens diſparitas.

Obiicit vigeſimò. Papa ab hominibus eligitur, & ab Oſtienſi Epiſcop. conſecratur.

Reſpondetur cum Seraphico Doctore *in* 4. *diſt.* 25. *q.* 1. *ad vlt.* Poteſtatem Pontificiam haberi à Chriſti inſtitutione hoc ſenſu, vt ille Petro ſuccedat, qui canonicè electus fuerit. Igitur Papa eligitur à Cardinalibus; at poteſtas ei confertur à Chriſto. Sic & Epiſcopus Oſtienſis ei benedicit, non poteſtatem conferens, ſed Epiſcopalem conſecrationem; atque benedicitur, licèt ab inferiori, ſed pro eo ſtatu ſuperiori deputato ad promotionem.

Hic habet Bellarminus diſputationem de Antichriſto, ſed de hoc 3. *part. diſp.* 42.

An certum ſit Romani Pontificis de rebus fidei iudicium.

QVÆSTIO QVINTA.

86 ROMANVM Pontificem ſupra iam oſtendimus ſupremum in Eccleſia iudicem, *diſp.* 2. *q.* 11. & *diſp.* 4. *q.* 5. & *ſequentibus*; & *diſp. hac q.* 1. & 2. & *ſequentibus*.

Præcipuè verò attuli, *diſp.* 2. *q.* 11. illud *Deuter.* 17. vbi Pontifex etiam in veteri teſtamento ſupremus Iudex deputatus fuit, & Ioan. 21. *Paſce oues meas*. Quare S. Hieronymus ad Damaſum. *A Paſtore* (ait) *præſidium ouis flagito, Diſcerne, ſi placet, non timebo tres Hypoſtaſes dicere, ſi iubebis*. Idem profitetur Theodoretus ad Leonem I. Proſper. *in chron. anno* 410. Gregorius *lib.* 4. *ep.* 52. & ante eum Innocentius I. ad Concilium Carthag. Leo ad Theſſal. Anaſtaſius, & alij poſtea.

Concedunt autem, poſſe Pontificem etiam cum Concilio errare in controuerſiis FACTI particularibus quæ pendent ex informatione hominum; ſimiliter etiam in quæſtiunibus vniuerſalibus fidei, vt priuatum Doctorem.

Verum enim verò, poſſe Pontificem etiam cum Generali Concilio docere hæreſim aſſerunt Lutherus, *lib.* 1. *de Conciliis*, Caluinus *lib.* 4. *Inſtit. cap.* 7. §. 28. Clarius *cap.* 9. §. 9.

SECVNDA ſententia eſt, Pontificem etiam, vt Pontificem, ſi abſque Generali Concilio definiat, poſſe hæreſim docere. Ita Nilus contra Primatum Papæ. Eandem ſecuti ſunt Gerſon, & Almainus, *lib. de poteſtate Eccleſiæ*, Alphonſus de Caſtro *lib.* 1. *cap.* 2. *contra hæreſes*, Adrianus Papa VI. *de confir.* qui omnes in Concilio Generali tantùm conſtituunt infallibilitatem iudicij de rebus fidei.

TERTIA ſententia eſt, Pontificem, etiam ſolum, non poſſe eſſe hæreticum, vel hæreſim docere. Ita Albertus Pighius, *lib.* 4. *Eccl. Hierarchiæ*, *cap.* 8.

QVARTA ſententia eſt media, Pontificem, quamuis 87
hæreticus eſſet, non poſſe definire aliquid hæreticum à tota Eccleſia credendum. Eſt communis omnium ferè Catholicorum. Ità D. Thom. 22. *q.* 1. *art.* 10. Thomas Vualdenſ. *lib.* 2. *doctr. fidei c.* 47. & 48. Turrecremata, *lib.* 2. *Summa c.* 109. Ioan. Driedo *lib.* 4. *de Eccl. dog. c.* 3. *p.* 3. Caietanus *Opuſculo de poteſtate Papæ, & Concilij c.* 9. Hoſius *lib.* 2. *contra Brentium*, Ioan. Ekchius, *lib.* 1. *de primatu Petri*, *c.* 18. Ioannes à Louanio, *lib. de perpetua Cathedra Petri protectione*, *c.* 11. Petrus à Soto, *in Apol. p.* 1. *c.* 84. & 85. Melchior Cano *lib.* 6. *c.* 7. *de Locis*. Idem ſentit D. Bonauentura locis citandis.

Atqui no, Pontificem cùm Eccleſiam docet in his, quæ ad fidem pertinent, nullo pacto errare poſſe.

PROBATVR à D. Bonau. *ad* 22. *Lucæ. Simon, Simon* (ex Græco) *Ecce Sathanas expetiuit vos, vt cribraret ſicut triticum: Ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua; & tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos.*

OBSERVAT autem S. Bonau. contra aliquos Pariſienſes, Chriſtum ſpiritualiter alloqui Simonem, tanquam Apoſtolorum Principem, nam ei dictum etiam erat. *Beatus es Simon Bar Iona* & poſtea. *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam.* Igitur (infert S Bonau) alloquitur ſingulariter Petrum, tanquam CAPVT Eccleſiæ, vt fides eius non deficiat. Hoc priuilegium hinc eruunt S. Auguſt. *lib. de correpi. & gratia*, *cap.* 8. Chryſoſt. *homil.* 83. *in Euang.* Theophylac. *in cap.* 22. *Lucæ*, Proſper. *lib.* 1. *de vocatione gent. cap. vltimo*. Hinc vrget S. Leo, vt habes cap. *Ita Dominus. diſt.* 19.

Addit D. Bonau. non modò pro fide perſonæ Petri, ſed etiam Eccleſiæ Petri rogaſſe, vt nempè Petrus, tanquam Pontifex, non doceret hæreſes Eccleſiam ſuam. Hoc priuilegium hinc eruunt Lucius Papa I. *ep.* 1. ad Epiſcopos Hiſpaniæ, & Galliæ. Felix I. *ep.* ad Benignum. Leo *ſermone* 3. *de ſui aſſumptione*. Agatho Papa *ep.* ad Conſtantinum Imperatorem, quæ lecta eſt in ſexta Synodo. *act.* 4. & *actione* 8. *approbata*. Nicolaus I. *ep.* ad Michaëlem, Leo IX. *ep.* ad Petrum Antiochenum. Innocen. III. *ep.* ad Epiſcopum Arelati; & habetur cap. *Maiores, extra de Baptiſmo*.

Præter hos Sanctos Pontifices, hoc priuilegium hinc deducunt Theophylactus *in cap.* 21. *Lucæ*, Chryſologus *epiſt.* ad Euthychem; quæ habetur ante Concilium Chalced. qui profectò ad id alludit. Clarè Bernardus, *epiſtola* 190. & alij.

PROBATVR ſecundò à D. Bonau. ibi ex Matth. 16. 88
Super hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, ex ratione autem petræ fundamentalis Eccleſiæ habetur, non poſſe concuti, aut ruere. Sic exponunt Origenes in hunc locum, & Chryſoſt. *hîc* Cyrillus apud D. Thomam *in catena huius loci*, Theodoretus *ep.* ad Renatum

Preſbyte

Presbyterum Romanum, Hieronymus *ep.* ad Damaſum, Aug. *in Pſalmo* contra partem Donati, Gelaſius *ep.* ad Anaſtaſium Imperatorem, Gregorius, *lib.6 ep.36.*

PROBATVR tertiò à D. Bonau. *ad 21. Ioan.* & *collat.90.* ex illis verbis Chriſti Petro. *Paſce oues meas.* His enim verbis, Petrus inſtitutus eſt Paſtor, & Doctor Eccleſiæ, iuxta vaticinium *Hierem.* 3. vt ſupra oſtendi, *q.* 2. Ergo tota Eccleſia eum audire tenetur; & ſi ille errauerit, tota Eccleſia errabit. Eccleſia autem errare non poteſt, quia *eſt columna, & firmamentum veritatis*, prima Timoth. 3. vt aduertit S. Bonau. *ſerm.1. Hexaem. initio.* Quæ ſemper dicitur aſcendere, vt virgula fumi, vt Aurora, & Sol, & deliciis affluens *Cant.3. 6.* & 8. vt ait Seraphicus Doctor, *ſerm.15. Hexaemer.*

Hoc argumentum roboratur, ſuppoſitis his baſibus,

PRIMA eſt, Romanum Pontificem eſſe Petri ſucceſſorem. Id teſtantur Irenæus: *lib.3.c.3.* Concil. Nicænum primum *in canonibus*, ex Arabico tranſlatis, *can.39.* Cypr. *ep.55.* Hieron. *ep.57.* Aug. *ep.* 165. vbi ſeriem
89 Pontificum recenſet, Athan. *ep.* ad Marcum P. Concil. Chalced. *act.* 16. Cyril. Alex. *L. Theſ.* Athan. cum Alexandriæ Conc. *ep.* ad Fœlic. II. Papam, allegans Conc. Nic. Anacl. Pap. *ep.3.* Sergius Cyprius, *ep.* ad Theodot. Pap. Ignat. Conſtantinop. *ep.* ad Nicolaum Papam, *act.3 Synodi* 8. quos allegat Bouetius *diſt.3. Symb.* Latiùs verò Bellar. *lib.2. à c.* 12. afferens omnia Concilia, Pontifices, & Patres, quos allegaui *d.* 2. *quaſt.11. d.4. quaſt.5.7.* & 8. & *d. hac quaſt.3.* & 4.

SECVNDA eſt; authoritatem Concilij pendere à confirmatione Romani Pontificis, vt à Capite, atque adeò Pontifex ſine Concilio valet definire; quæ eſt ratio D. Leonis I. Pap. vt habetur cap. *Ita Dominus diſt.19.* & probant Bellar. & Bouet. *loc. cit.*

TERTIA, quia non poteſt ritè Concilium congregari ſine authoritate Papæ, vt ex patet decreto primo Nicenæ Syn. quod allegatur à Concil. Alexandrino, cui ſubſcribunt ferè vniuerſi PP. qui extant apud Gratianum, *d.17.* & Bellarm. *de Concil.* & oſtendi ſuper. Ideò Concil. non ſunt credita ſine hac authoritate legitima & ſæpè Concil. à Papa ſunt reprobata, vt dixi *d.4 q.1.*

Ex his euidenter conſequitur, definitiones Romani Pontificis eſſe certas, vt arguit S. D. *ſerm.22. Hexaëm.* Ideò Sedes Petri dicitur *ciuitas Solis*, ſola, vnica, non aberrans, ſed per veritatis Eclipticam recta incedens. Cui hac Metaphora accinit *Iſa.19.*

Quæ opponunt hæretici, ſoluuntur à Bellar. Bouerio, & aliis.

Poſſe verò Pontifices Romanos condere in tota Eccleſia leges cogentes etiam conſcientias, oſtendam *part.11. Tom. de Leg. d.5.*

DE CONSENSV
SS. PATRVM ET THEOLOGORVM.
DISPVTATIO VI.

DVO vltima Loca Theologica remanent breuiſſimè indicanda; nempè, conſenſus Sanctorum Patrum, & Theologorum, in quibus firmitas noſtræ fidei apparet, vt notat Seraphicus Bonauentura, ſermone nono Hexaëmeronis.

Quam authoritatem obtineat vnanimis conſenſus Sanctorum Patrum.

QVÆSTIO PRIMA.

ASSERO cum D. Bonau. *loc. cit.* vnanimem Sanctorum Patrum conſenſum in rebus fidei, & Sacrarum litterarum expoſitione, eſſe argumentum firmiſſimum & de fide. Hæc aſſertio eſt contra Petrum Abailardum, apud D. Bernardum *ep.190.* & Ioannem Vuicleph. & contra antiquos hæreticos.

In hac re lapſus eſt etiam Caietanus, licèt Catholicus, in principium Geneſis, dicens, nouam expoſitionem ſcripturæ, etiam contrà vnanimem conſenſum Sanctorum Patrum, non eſſe repellendam. Propterea temeritatis arguunt hoc dictum Pererius in Geneſim, & alij. Eum verò refellit Bañes *p. 1. quaſt.1. art.* 8. *dub.* 5. & Pererius *loc. cit.* Ex Conciliis, maximè ex Tridentino, *ſeſſ.4.* vbi præcipit, vt nemo innixus ſuæ prudentiæ audeat Scripturam contra vnanimem conſenſum Sanctorum Patrum interpretari.

PROBATVR ratione, alioqui liceret ad libitum Scripturas torquere, vnde innumeræ pullularent hæreſes. Ex hac enim libertate plurimas hæreſes contraxerunt Sectarij noſtrorum temporum. Id vrget D. Auguſt. *epiſt.86.* & *lib.1. cont. Iulian.*

SECVNDO. Si omnes Patres errarent, iam erraſſet & Eccleſia, quia ipſi ſunt Eccleſiæ Doctores, vt dicitur *Epheſios* 4. Vide Canum *lib.* 5. *de Locis cap. tertio.* Caſtrum *lib.1. de hæreſibus cap.* 7. Bouerium *Demonſt.4. Symb. ar.* 15. vbi tamen non concedit reddere certum de fide, quia neceſſaria ad hoc eſt reuelatio infallibilis; hæc autem non apud eos ſeorſim reſidet, vnde ſi contra eos Pontifex definiret, ſtandum eſſet ei.

CÆTERVM Concilia ipſa ad os Sanctorum Patrum definiunt, vt in Conc. Conſtantinop. *act.12.* & Chalced. Gen.4 & Syn.6. *act.4.* & 10. & Nicena Syn. *act.7.* ait: *Sanctorum Patrum doctrina inſiſtentes definimus.* Ideò Athanaſ. de *decretis* Nicenæ Synodi, & D. Aug. cont. Iulian. *lib.1.c.2.* veritatem fidei è Patrum conſenſu eliciunt. Porrò, diſputantes cum hæreticis Patrum conſenſu pugnarunt. Sic D. Baſil. contr. Eon. *lib.1.* Cyrillus, & Synodus Alexand. *contra Neſt.* Synodus Trull. *can.*8. D. Hieron. contra Luciferian. *c.4 Dial.* D. Aug. cont. Fauſt. *lib.11.c.2.* cont. Iulian. *lib.2.c.1.* Ambr. *de fide lib.3.c.7.* Hanc regulam tutam ait Lyrinenſ. *aduerſ. hær.* & horum contemptores, Chriſti proclamat contemptores

temptores, eo teſtante. *Qui vos ſpernit, me ſpernit.* Id.ò ad antiquos remittit *Deuter.* 32. *Pſal.* 43. *Eccl.* 8. Id verò maximè in expoſitione ſcripturæ obſeruandum monent Athan. *de Incarn.* & alij: ac definit 6. Synod. *can.* 19. & Conc. Trid. Ideò autem Scripturas arduas dedit Deus, vt Eccleſiæ Doctores à ſe datos *Eph.* 4. & *prima Cor.* 12. conſulamus, vt habet 6. Synod. *can.* 19. & Trull. *can.* 19.

Circa traditiones etiam Patrum conſenſus conſulendus. Horum fidem ſequi oportere, ait Baſil. *epiſt.* 60. Ruffin. *lib.* 2. *hiſt. cap.* 9. è ſenſu Baſilij, & Nazianzeni.

Honorius, & Theodoſ. Imper. *lib.* 2. *C. Theodoſ.* Sanciunt, *ea, quæ circa Catholicam fidem, vel ordinauit antiquitas, vel parentum noſtrorum authoritas religioſa conſtituit, nouella ſuperſtitione remota, integra, & inuiolata cuſtodiri præcipimus.* Idem ſuadet Proclus Conſtantinop. Epiſcop. *ad Armen.* Caſſian. *collat.* 14. *cap.* 12. Hoc hominis Catholici ſignum clamat D. Cyrill. Alex. *l. Apologet. Tom.* 1. *Conciliorum*, & *ep. ad Neſtor.* Hoc fidei fundamentum aſtruit Hormiſdas *ep.* 67. Altè Concil. Lateranen. I. *conſult.* 5. declarat. *Dogmata, & ſermones SS. Patrum vno corde, & ore vnanimiter confirmamus nihil addentes, nihil ſubtrahentes ex his, quæ ab ipſis tradita ſunt nobis: ſicque credimus ſicut Patres crediderunt: ita prædicamus, quemodo docuerunt.*

Quando verò eſt ſententia alicuius Sancti Patris, vel aliquorum, faciunt tantùm argumentum probabile. Hoc vult D. Bonauentura, *quæſt.* 2. *Proœm. ad* 4. & D. Thom. *quæſt.* 1. *art.* 8. *ad* 2. Sæpè enim Sancti Patres inuicem diſputant extra res de fide; hæ enim certiſſimæ ſunt.

Quam authoritatem obtineat vnanimis Theologorum conſenſus.

QVÆSTIO SECVNDA.

ASSERO primò, communem Theologorum conſenſum in his, quæ ad fidem, & bonos mores ſpectant, facere rem certiſſimam, & de fide.

PROBATVR à D. Bonau. *ad* 10. *Lucæ* ex illis verbis 2
Chriſti. *Qui vos audit me audit; & qui vos ſpernit, me ſpernit.* Hi enim ſunt Doctores, & prædicatores Eccleſiæ, quorum verba ſumenda ſunt, vt verbum Dei, vt dicitur *prima Theſſal.* 2. Vnde & Concilia in rebus fidei decernendis conſulunt Theologos.

ASSERO ſecundò, vnanimem Theologorum conſenſum de re graui, etiamſi non ſpectet ad fidem, vel mores, facere rem adeò certam, vt ab ea recedere ſit temerarium. Sic enim etiam Concilia Theologorum ſenſui inhærent, vt patet ex Clementina vna. *de ſumma Trinitate, & fide Catholica.* Vnde Patres Concilij Viennenſis recipiunt ſententiam illam, quæ docet, in Baptiſmo infundi gratiam, & virtutes, tanquam certiorem, & magis communem, vt notat Trigoſius *part.* 1. *quæſt.* 1. *art.* 1. *dubio* 3.

ASSERO tertiò; quando Theologi Scholaſtici ſunt varij in aliqua opinione, tunc ſequenda eſt illorum ſententia, quæ magis adhæret ſcripturæ, vel rationi.

ASSERO quartò, communem conſenſum Iuriſperitorum in rebus morum eſſe ſequendum. Vide Bañes *loc. cit.* qui optimè hæc duo loca peragit.

DE RATIONE
DISPVTATIO VII.

Quo pacto naturalis ratio Theologo deſeruiat.

QVÆSTIO PRIMA.

SÆPE euenit, vt Scholaſticus arguens, ratione naturali indigeat in altera præmiſſarum: vt ad probandam in Chriſto humanam voluntatem ſic aduerſus Monothelitas. Omnis homo creatam habet voluntatem. Chriſtus eſt homo: ergo. Poſſet quidem Spiritus ſanctus hanc maiorem naturalem reuelare; tamen non propterea benè infert Ribas *d.* 9. *c.* 4. non eſſe intrinſecè pro nunc in ſcholis hunc locum Theologicum neceſſarium, qui in Theologicis multis concluſionibus requiritur; quod fatetur *d.* 7. *n.* 9. Sæpè verò ambæ præmiſſæ erunt rationes fide innixæ; concluſio verò Logica deducta erit naturalis, vt docent Corinth. *d.* 9. *de fide, n.* 94. Ribas *d.* 7. *n.* 7.

HINC habes, Theologiam eſſe habitum acquiſitum, non ſubſtantialiter ſupernum, quia reſpicit reuelata, vt deducibilia ad ſuas concluſiones, Logicis formulis ritè inferendas, etiamſi ambæ præmiſſæ ſint reuelatæ, multò magis ſi altera naturali veritate nitatur, quia concluſio debiliorem ſequitur partem. Ita cenſent Suar. *d.* 3. *de fide, ſect.* 11. *num.* 8. & *d.* 6. *ſect.* 4. *num.* 10. Vaſq. *p.* 1. *d.* 4. *cap.* 8. *n.* 23. Peſant. *quæſt.* 1. *art.* 7. *d.* 2. Lorca 22 *ſect.* 1. *d.* 3. *n.* 9. Arrub *p.* 1. *d.* 5. *c.* 4. & 6. Granad. *de nat. Theol. d.* 5. Trigoſ. *quæſt.* 1. *art.* 1. *d.* 3. *arg.* 4. Corinth. & Ribas C.C. cum D. Thom. *Prol. ſent. art.* 3. *q.* 2. D. Bonau. *quæſt.* 2. *Prol.* & quotquot aiunt, habitum hunc induſtria acquiſitum.

Quare non ritè Herueus. *quodl.* 5. *q.* 17. Molina *q.* 1. *art.* 2. *d.* 1. & *d.* 2. *ad* 4. Fonſeca 6. *metaph. c.* 1. *q.* 6. *ſect.* 8. Gillius *lib.* 1. *tract.* 4. *c.* 12. Turrian. 2. 2. *d.* 46. *dub.* 10. Faſol. *p.* 1. *q.* 1. *art.* 2. *dub.* 13. ſubſtantialiter ſupernam, & adhuc acquiſitam aiunt, nec tamen infuſam, quæ implicant; vt arguit S. D. cit. nam aſſenſus Theologicus diuerſus eſt, licèt enim reuelatis innitatur principiis, tamen, Logica ſua induſtria eruit concluſiones, in quibus ab aſſenſu fidei ſola diuina authoritate elicito differt.

ARGVMENTA oppoſita ſolum oſtendunt, materiam Theologici diſcurſus eſſe ſupernam; at is formaliter eſt naturalis, quia formatur naturali induſtria, etſi latente, vt ait S. D.

TRACTATVS PRIMVS PRIMÆ PARTIS THEOLOGIÆ, DE DEO VNO, EX DOCTRINA S. BONAVENTVRÆ.

PROOEMIVM.

QVONIAM Theologiæ noſtræ Deus eſt obiectum, decet de illo diſputationes contexere. Et primò quidem de Deo, vt Vnus eſt, Tractatum inſtituimus; poſtea verò de Sanctiſſima agemus Trinitate, quæ Diuinam ſupponit eſſentiam.

DISPVTATIO I.
De exiſtentia Dei.

D. Bonau. d. 8. p. 1. q. 1.
D. Thom. q. 2.

ANGELICVS quidem, contra Atheiſtas, quæſtionem de Dei exiſtentia inſtituit: at D. Bonauentura ſecutus Ariſtotelis ordinem, 1. *Poſter.* initio præſcriptum, non eſſe quærendum à Scientia de obiecto ſuo, *An ſit*; cùm obiectum ſupponatur Scientiæ, quærere incipit, *diſt.* 8. An *eſſe* ſit proprium Dei, quò duas reſoluit quæſtiones. Prior eſt. An *eſſe* ſit ipſa eſſentia Dei: *Nam eſſentia dicitur proprietas* 4. Topic. *An verò tantùm modus intrinſecus?* Altera verò acceptio proprietatis, quæ eſt propria paſſio, atque accidens, de qua *ibidem* Ariſtoteles, circa Deum non habet locum, vt oſtendam *diſp.* 3. *quæſt.* 4. Poſterior quæſtio, quæ hic à D. Bonauent. agitur eſt. An ſolius Dei ſit verè eſſe: de qua D. Thomas *quæſt.* 16.

QVÆSTIO I.
An exiſtentia ſit de eſſentia Dei.

D. Bonau. d. 8. q. 1.
D. Thom. q. 2. art. 1. & 1. cont. G. cap. 22. & in 1. diſt. 3. art. 1. & quodlib. 2. art. 3. & de poten. q. 7. art. 2.

NEQVIT ſanè intellectus noſter quidditatiuè in via Deum cognoſcere, vt monet D. Bonau. *diſt.* 3. *p.* 1. *art.* 1. *quæſt.* 1. ex S. Dionyſio *cap.* 5. *de Diu. nominibus*, vbi ait: *Deum neque dicere, neque intelligere poſſibile eſt.* Enim verò neceſſe eſt, aliquo modo Diuinam ſcrutari eſſentiam, vt eius perfectiones venerari, aliiſque explicare valeamus.

PRIMVM autem, quod nobis occurrit in Deo, eſt ipſum eſſe, vt docet D. Bonauent. *ſerm.* 9. *Hexaëmer.*

EST autem exiſtentia vltimus actus eſſentiæ, & ita, ſi eſt exiſtentia ſubſtantiæ, erit ſubſtantia; ſi accidentis erit de prædicamento accidentis, vt indicat Seraphicus *dub.* 8. *lit. diſt.* 8. quamuis addat, eſſe ſubſtantiale creaturæ declinare ad accidentalem quandam conditionem, quia poteſt abeſſe; nec eſt neceſſarium, ſicut eſſe Dei, vt dicam *quæſt.* 3.

Suppono autem hic, exiſtentiam Dei non differre realiter ab eſſentia eius, quod probat S. Bonau. *ſerm.* 9. & 12. *Hexaëmer.* ex 3. Exodi: *Ego ſum qui*

ſum, vt infrà oſtendam. Imò eſſentiam, & exiſtentiam, etiam in creaturis, idem realiter ponimus.

Est igitur quæſtio. An exiſtentia ſit prædicatum Dei quidditatiuum de eius eſſentia: An verò ſit attributum, eo modò, quo potentia, ſapientia, &c.

Prima opinio eſt quorundam Scotiſtarum, qui exiſtimantes, ſuum Magiſtrum cenſere, exiſtentiam Dei eſſe modum intrinſecum attributalem ipſius, idem acriter ſuſtinuere. Ita Trombetta 5. *Metaph. quæſt.*6. & in formalitatibus, Mayro 1. *diſt.*2. *quæſt.*1. *art.*2. Barghins *ibidem*, *quæſt.* 2. & Poſnanienſis *dub.* 2. *concl.*4. cum aliis modernis adductus, oppoſitum dicit apertè ſanè *tract.*1. *quæſt.*2.

Pluribus autem locis videtur Scotus hanc ſequi opinionem 1. *d.* 8. *quæſt.* 3. *ad 1. princ. infra BB.* & *in* 2.*d.*3.*quæſt.*6. & in aliis locis, quos referunt Scotiſtæ.

2 Secvnda ſententia Theologis communis eſt; exiſtentiam eſſe de quidditate eſſentiæ Diuinæ. Ita D. Bonau. *locis adductis*, cum D. Thom. & diſcipulis, & Commentatoribus.

E Societate Ieſu Suarez *p.*1. *lib.*1. *de eſſentia Dei*, *cap.* 2. & *tom.*1. *ad* 3. *p. diſp.* 11. *ſect.* 1. Vaſquez *diſput.* 24. *cap.* 3. Valentia *tom.*1. *diſput.*1. *quæſt.*2. *punct.*1.

E noſtris Trigoſius *quæſt.*3. *art.*2. *dub.*4. vbi tamen fruſtra dubitat de ſententia D. Bonau. qui clarè dicit, Deum eſſe ſuum eſſe, quo dicto conuincitur, vt aſſerat S. Bonauenturam huius ſententiæ. In eam trahunt Scotum inſigniores illius Scholæ.

E veteribus Paulus ſcriptor, Tartaret; Vallo; Sirectus, Baſſolis, Mauritius, Hybernus, Lichetus, Gratianus, Gadius.

E recentioribus autem Smiſinch. de Deo vno *diſp.*2. *quæſt.*1. Vulpes *tom.* 1. *primæ partis*, *dub.*6. *art.*1. Poncius *diſp.*2. *quæſt.*4. Sghemma *tit.*1. *quæſt.*2. Scherius de Deo, vno, & trino *diſp.*1. *quæſt.*2. Meuriſſe *lib.*1. *Met. quæſt.*25. Rada *tom.*2. *contro.*2. *art.*4. quos allegat, & ſequitur P. Bartholomæus Maſtrius de Meldula *tom.*1. *diſp.*2. *quæſt.*1. Faber Fauentinus 1. *diſp.*14. qui non benè Scotum eximit dicens; exiſtentiam ſecundùm eſſe reale, eſſe de quidditate eſſentiæ Dei; ſed non ſecundùm eſſe formale. Hæc ſanè diſtinctio inanis eſt; nam quæſtio noſtra eſt; non an diſtinguatur realiter; ſed. An formaliter, ſicut attributa ab eſſentia, neque Scotiſtæ illi primi diſtinctionem formali maiorem auſi ſunt concedere.

Fvndamentvm D. Bonauenturæ *p. diſt.*8. *dub.*6. *& 8. lit.* & *quæſt.*1. & *ſerm.*9. *Hexaëmer.* quo nititur Gregorius de Valentia eſt. Exiſtentia peculiari quadam ratione Deo ſuper creaturas conuenit. Ideò

3 dixit Dominus de ſe antonomaſticè Exod. 3. *Ego ſum qui ſum.* Imponens ſuæ eſſentiæ hoc nomen, quaſi definitionem. Et Iſaiæ 40. *Omnes gentes quaſi non ſint coram Deo.* Idem habet D. Auguſt. 1. *de Trin. cap.*2. exponens illud *Exod.* 3. & 5. *de Trin. cap.* 2. ait: *Eſſentiam Dei dici ab eſſe.* Et 12. *de ciuit. cap.*2. ait: *Deum eſſe ſummam eſſentiam, quia ſummè eſt.* Et D. Hieronymus *epiſt.* ad Marcellam; vt habetur in D. Bonau. *quæſt.*1. ex Magiſtro *diſt.*8. & *epiſt.*57. ad Damaſum dicit: *Vna eſt Dei, & ſola natura, quæ verè eſt, & ideò ſolum Deum eſſe, qui eſſentiæ nomen tenet*; hoc autem, quia ſimpliciſſima in Deo, & remotiſſima ab omni compoſitione, vt ait etiam D. Athanaſius *epiſt. ad Ortodoxos* de Synodis Arimini, & Seleuciæ, dicens: *Cùm audis. Ego ſum qui ſum non aliud quippiam, ſed ipſam ſimplicem, beatam, & incomprehenſibilem eius, qui eſt, eſſentiam intellige.* Hæc autem ſimplicitas excludit omnem compoſitionem, vt probat S. Bonau. *quæſt. citata* ex D. Hieronymo *ad Marcellam*, & D. Auguſt. *de vera religione*, *cap.*36.

Sola autem diſtinctio formalis facit in abſolutis compoſitionem, vt oſtendam *diſput.*3. *quæſt.*8. Iam verò neque in creaturis eſſentia, & exiſtentia differunt realiter, vt res, & res, ſi ſumatur eſſentia actualiter. Ideò 4
Ariſtoteles 4. *metaph. text.*3. & *lib.*5. *text.*14. & *lib.*10. *text.*8. ait. Ens, & vnum adiuncta rebus nihil aliud ſignificare; idem autem eſt ens, & exiſtens. Confirmatur, nam exiſtere, eſt quoddam tranſcendens: Ergo non ſignificat aliam rem diuerſam ab his, de quibus dicitur. Ergo vel eſt ens; vel paſſio entis. Non paſſio: ergo ens. Idem colligitur ex D. Tom. *p.p.q.*5. *art.*1. vbi ad probandum ens, & bonum ſola ratione differre, aſſumit hoc medium, quia bonum conſtituitur in eſſe boni per entitatem, nam in tantum aliquid eſt bonum (ait S. Bonau.) in quantùm eſt actu. Quo fit, vt etiam ſi eſſet paſſio, non differret realiter ab eſſentia, de qua dicitur; nec eſſentia ab exiſtentia, à qua formaliter conſtituitur in actu; nihil enim realiter differre poteſt ab eo, per quod formaliter intrinſecè conſtituitur in eſſe. Hinc fit, vt neque formaliter differre queant; alioqui daretur eſſentia formaliter actu, ſine exiſtentia, quod implicat. Itaque plurimi Orthodoxi docent, exiſtentiam creaturæ ab eſſentia eius differre ſola ratione, vt Nominales; aut ſaltem ſolùm ex natura rei; ſeu formaliter, vt Scotus *in* 4. *diſt.*13. *quæſt.*1. *art.*3. & *in* 2. *diſt.*16. *quæſt.*1. Fauentinus *Theor.*32. & ferè Suarez in Metaph. *diſp.* 31. *ſect.*1. Valentia *tom.*1. *diſp.*1. *quæſt.* 3. *punct.* 1. Vaſquez *tom.* 2. *in D. Thomam*, *diſp.*116. Et videtur eſſe D. Bonau. *loc. cit. in dubiis litt.* & *in* 2. *diſt.*7. *p.*2. *art.*2. *quæſt.*1. & *in* 4. *diſt.*43. *art.*1. *quæſt.*4. & *in* 3. *diſt.*5. *art.*2. *quæſt.*1. *ad vltimum*; vbi etiam eſſentiam in potentia phyſica ſolùm modaliter diſtinguit, quod oſtendit exemplo; nam Roſa, quæ eſt in actu, eſt eadem, quæ erat in potentia; non autem alia; & exeundo in actum, addidit modum. Imò & D. Thom. *p.* 1. *quæſt.*3. *art.*4. & de ente, & eſſentia *cap* 3. diſtinctionem realem ponit ſolùm inter eſſentiam metaphyſicè abſtractam, & exiſtentiam. Sic enim vna eſt ſine altera, quod eſt ſignum diſtinctionis realis. Quæ cùm ita ſint, minorem diſtinctionem cogimur admittere inter exiſtentiam Diuinam, & eſſentiam Diuinam ex dictis, ob ſummam ſuper creaturas ſimplicitatis eminentiam infinitam, quæ compoſitionne etiam formali temeratur; vt oſtendam *diſp.* 3. *q.* 8. maximè cum deus ſit ſuum eſſe, non ſic creatura, vt obſeruat S. Bonauentura ad *cap.*13. *Sapientiæ.*

Assero, Exiſtentiam eſſe de quidditate diuinæ eſſentiæ.

Probatvr primò à D. Bonau. *ſerm.*10. *Hexaë-* 5
mer. ex illo Exodi 3. *Ego ſum qui ſum. Qui eſt miſit me.* Hinc arguit S. Doctor. Id quod primò occurrit, & obiicitur intellectui ſapientiſſimo Diuino conſiderandum, vt res explicetur in re qualibet, eſt id, quod eſt quidditas, & eſſentia. Sed hoc tale occurrens Diuino intellectui de ſe conſideranti, & volenti declarare ſuam eſſentiam, eſt eſſe, vt patet. *Ego ſum qui ſum.* Ergo. Maior probatur: Nam intellectus Diuinus ordinatiſſimus, primò conſiderat in re, quod eſt maximè ipſius rei, & volens quidditatem exponere, profectò nouit, quo medio, quo nomine; ratio autem, quam ſignificat nomen, eſt vera definitio, *ex* 4. *Metaph. text.*28. Nomen autem Dei propriiſſimum, quo Deus ſe ipſum Pharaoni proponere intendit, vt ſuam Deitatem, ac maieſtatem repræſentaret, eſt exiſtentia: Ergo. Hac ratione vtuntur Suarez, Smiſinch. Meldula, & Scotus 1. *diſt.*22. *quæſt.*1. & *quodl.*1. *art.*1. apud hos duos, & alij cum Gill. *lib.*2. *tr.*1. *cap.*5. Riba *diſt.*1. *cap.*2.

Probatvr

6 Probatvr ſecundò à D. Bonau. *in 1. diſt.2.dub.4. litt.* Illud nomen, quod inducitur ad ſignificandam entitatem in omnimoda perfectione abſolutiſſimam, eſt quidditatiuum. Tale eſt nomen id, Exod.3. *Ego ſum qui ſum*: Ergo. Maior liquet: nam perfectio ab eſſentia primò habetur, non à proprietatibus, aut modis. Sic hominis à rationalitate. Min. patet; nam Deus hoc nomen aſſumpſit, vt tumido Pharaoni ſe Dominum Deum oſtenderet. Eſſentia enim Dei ipſum eſſe eius eſt, vt clamat Nicetas *in orat.* 32. D. Nazianz. & alij Patres allati.

7 Probatvr tertiò à D. Bonau. ex allato fundamento. Exiſtentia competit Deo excellentiſſimâ perfectione ſuper creaturas. Sed creaturis competit ſubſtantialiter, & ſolùm diſtinguitur ab eſſentia formaliter, ſeu ex natura rei, quæ diſtinctio facit aliquam compoſitionem: ergo Deo conuenit abſque illa diſtinctione formali; quia nullus in eo compoſitionis næuus poteſt apparere. Quapropter Valentia addit, videri ſibi hoc definitum in Concilio Rhemen. vt colligitur ex D. Bernardo *ſerm.*80. *in Cant.* vbi ex ſententia illius Concilij differit, omnia hæc, quæ dicuntur de Deo, eſſe idem, & ei competere per eſſentiam. Hanc rationem S. Bonauenturæ vrget Valentia.

8 Probatvr quartò à Seraphico Doctore *ad* 13. *Sap.* vbi dicitur: *Vani autem ſunt omnes homines, in quibus non ſubeſt Scientia Dei: & de his, quæ videntur bona, non potuerunt intelligere eum qui eſt.* Tunc ſic arguit. Scientia de aliquo obiecto eſt circa eſſentiam eius, quæ per definitionem explicatur; at Scientia de Deo eſt de exiſtentia eius, ſeu de eo; *qui eſt*. Ergo exiſtentia eſt eſſentialis. Ex hoc loco aliud validiſſimum eruit argumentum. Nam opponit eum, *qui eſt* Idolis gentium ſubdens. *Sed aut ignem, aut aërem, aut gyrum ſtellarum, aut ſolem, aut Lunam Deos putauerunt.* Tunc ſic. Id, quo Deus primò opponitur omnibus, quæ non ſunt Deus, eſt aliquid eſſentiale Deo; at exiſtentia eſt huiuſmodi: Ergo. Maior probatur. Nam differentia prima eſt eſſentialis conſtitutiua, & diſtinctiua à cæteris; vt patet diſcurrenti per ſcalam prædicamentalem. Minor probatur tum ex hoc loco à D. Bonau. tum ex Pſal.101. *Ipſi peribunt, & velut opertorium mutabis eos; tu autem idem ipſe es.* Et Malach.3. *Ego Deus, & non mutor.* Propter has rationes (ait S. Bonau.) Moyſi quærenti nomen eius, dixit: *Ego ſum, qui ſum.* Hac ratione nititur Suarez 3.*part. loc. cit.* qui confirmat cum D. Bonau. *loc. cit.* ex Auguſt. *tract.*5. *in epiſt. Ioan.* Hieron. *epiſt.*57. vt dicam inferius *quæſt.*4. Si enim præſcindas à Deo ipſum eſſe, erit Dei eſſentia in potentia obiectiua ad eſſe, atque adeò non actus; & imperfecta. Hanc rationem acclamat præcipuam Poſnanienſis cum Riba *num.* 5.

9 Probatvr quintò à D. Bonau. *loc. cit.* Is, qui eſt ſuum eſſe, exiſtit per eſſentiam, & habet eſſentiale ipſum exiſtere. Talis eſt Deus, vt omnes conclamant cum Sanctis PP. ſupra allegatis in fundamento, & aliis, quos ſtatim referam: Ergo.

Probatvr ſextò à Seraphico ad citatum locum ſapientiæ; & *in* 1. *diſt.*8. *quæſt.*1. Si exiſtentia Dei formaliter diſtinguitur ab eſſentia; ſequitur, reſultare ab ea: Ergo ſe habet vt potentia ad actum, & ſe habet, vt imperfectum ad perfectum; nam principium conſtitutiuum alterius, eſſe debet actu perfectum; potentia verò dicit imperfectum; at potentialitas talis abeſt à Deo: Ergo. Minor probatur ex D. Hieronymo *epiſt. citata*, vbi ait: *Deus, qui ſolus exordium non habet; veræ eſſentiæ nomen tenuit*, & è D. Aug. *loc. cit.* vbi poſtquam dixerat, Deum non noſſe, niſi eſſe, ſubdit. *Secundùm quod Deus eſt, eſſe nouit*, *quia eſt, quod eſt; eſt, quia ipſe eſt qui eſt; & nomen ſuum dixit Moyſi. Qui eſt miſit me ad vos.* Itaque eſſe Dei, purum actum aſtruit S. Auguſt. vt notat D. Bonau. Hoc argumento nititur Suarez *p.*1. *loc. cit.*

Arriaga verò *p.*1. *diſp.*2. *ſect.*8. ſub numero 64. dicit, argumentum, ſanè acutum eſſe; ſed debile, quià idem ſequeretur in creaturis, nempe exiſtentiam non manare ab eſſentia, quia hæc ſine illa non exiſtit actu, atque adeò non poteſt eſſe principium eius.

Reſpondetur tamen, diſparem eſſe rationem; nam exiſtentia creaturæ eſt ratio, vt eſſentia, quæ alioqui eſt ens abſtractum, & intellectuale ponatur in eſſe reali actu. Vnde exiſtentia non manat ab eſſentia abſtracta, ſed potius eſſentiam ponit in eſſe actu reali. Sic Roſa, quæ in hyeme erat in potentia, ponitur per exiſtentiam actu in Vere.

Faber ambabus maxillis quæſtionem mandens, ait. Non poſſe intelligi formaliter exiſtentiam eſſe de quidditate Dei; nam ſic vel eſſet genus, vel differentia, quæ non poſſunt Deo competere, niſi ponatur in genere.

Hæc tamen inania ſunt, nam eſſentia etiam Dei 10
prædicatur de Deo formaliter, neque tamen ad modum generis, ſpeciei, vel differentiæ. Sic attributa prædicantur, vt proprietates, neque tamen ſequuntur regulas prædicationum prædicamentalium; ſed ſecluſis imperfectionibus, quod luce clarius meridiana claret, & indicat S. Doctor *diſt.*8. *dub.*1. alioquì hæc propoſitio. *Deus eſt*, quæ eſt primi modi per ſe, vt docet Scotus *in* 1. *diſt.* 2. *quæſt.*2. *B.* quod idem aſſerit *quodl.*1. *ſub C.* dicens; eſſentiam, & exiſtentiam in creaturis ſe habere, ſicut quidditatem, & modum; in diuinis autem exiſtentiam eſſe de conceptu eſſentiæ, & prædicari in primo modo dicendi per ſe, vt refert Meldula *loc. cit.* hæc inquam propoſitio. *Deus eſt* eſſet prædicata vel vt genus, vel vt differentia.

QVÆSTIO II.

An ſolius Dei ſit proprium verè exiſtere.

D. Bonau. loc. cit.
D. Thom. q.16.art.1.

Ex dictis habemus, ita verum eſſe, Deum exiſtere, ſicuti verum eſt, Deum eſſe Deum, quia exiſtentia eſt eſſentialis ipſi Deo. Nunc videamus alteram quæſtionem ſupra propoſitam. An ita ſit proprium Dei in comparatione ad alia entia, vt reliqua verè non exiſtant Deo comparata.

Advertit autem D. Bonau. *in* 1. *diſt.* 3. *p.* 1. *dub.*7. & D. Thom. *hîc*. Verum tripliciter comparari poſſe. Primò ad ſubiectum, quod informat, quodque dicitur verum formaliter. Et hic eſt intellectus, qui eſt ſubiectum veritatis, & eſt formaliter verus. Secundo modo ad cauſam veritatis; & eſt res ipſa, quæ reddit verum intellectum, prout ſibi conformatur in intellectione. Tertiò comparatur ad aliquid, tanquam ſignum; & talis eſt oratio, quæ eſt ſignum explicans veritatem. Sic enim & ſanum tripliciter comparatur. Primò ad animal, quod eſt ſubiectum ſanitatis. Secundò ad medicinam, quæ eſt cauſa ſanitatis. Tertiò ad ſignum, puta vrinam vel pulſum. Hic accipit S. Bonau. verum, prout in rebus, & eſt paſſio entis. Hæc itidem triplici ratione in rebus ipſis eſt; primò formaliter, quatenus res habent eſſe hoc, vel illud, verum; puta veri auri, animalis, &c. & hæc

conſiſtit in hoc, vt habeat actu eſſe tale verè; noo autem permiatam potentiam, vt ſit; nam lapis, qui poteſt mutari in adamantem, noo eſt verus adamas; & hoc ſignificat dicens. *In comparatione ad ſubiectum dici veritatem actus, & potentia indiuiſionem.* Vnde ſubdit. *In creaturis eſt actus, & potentia indiuiſio; ſed cum diuerſitate.* Quapropter non rectè Trigoſius ita explicat; actus, & potentiæ indiuiſionem in rerum veritate, vt ita ſit actu, vt non habeat poſſibilitatem ad non eſſe: natura enim in qua S. D. ſupponit hanc indiuiſionem habet poſſibilitatem ad non eſſe, vt ſæpe iniungit.

SECVNDO, veritas eſt in rebus, tanquam in ſigno, & reſpicit principium, ideſt diuinam veritatem, quam repræſentat. Vnde S. Auguſt. *de vera relig. cap.* 36. ait: *Veritas eſt ſumma ſimilitudo principij, ſine vlla diſſimilitudine*, quia eſt aſſimilatio rei ad ſuam menſuram, quæ eſt idea ipſius in mente Diuina, ſicuti domus dicitur vera domus, tum quia eſt actu habens eſſentiam domus; tum quia conformis eſt ideæ domus, quam habuit ædificator.

TERTIO modo, res dicitur vera cauſaliter, reſpectu noſtri intellectus, quia in eo cauſat veritatem, & illum mouet; ſicuti enim color dupliciter conſideratur. Primò ſecundum ſe, & ſuum ſubiectum; & ſic definitur *lib. de ſenſu, & ſenſato*, cap.3. *Color eſt extremitas perſpicui in corpore terminato.* Secundò vt mouet ſenſum; & ſic definitur 2. *de anima*, *text.*67. *Color eſt motiuum viſus ſecundum actum lucidi.* Sic & verum ſumitur, & in ſe; & vt obiectum intellectus, vt docet S. D. *diſt.*3. *p.*1. *dub. vlt. litt.*

In ſe à D. Auguſt. dicitur: *Veritas eſt id, quod eſt:* Enim verò in ordine ad intellectum, cuius eſt obiectum, veritas dicitur ab Ariſtotele 2. *Metaph. textu* 3. *Finis intelligentia ſpeculatiua*, & dicitur à Seraphico hîc, *ratio cognoſcendi rem.*

ADVERTIT deinde S. Bonau. verùm, modis ſupradictis ſumptum, dupliciter accipi. Primò, vt à falſo diſtinguitur: falſum autem eſt, quod non eſt actu perfectè talis naturæ; neque imitatur ſuum principium: ideò neque mouere poteſt intellectum ad verum aſſenſum. Tale eſt aurum in potentia, quod adhuc eſt gleba terræ. Secundò ſumitur, prout verum opponitur permixto. Sic verum aurum, purum, opponitur mixto aliis metallis, vel rebus.

Et quidem primo, modo etiam creaturæ habent eſſe verum, quia habent eſſe tale actu verè, ac imitantur aliquo modo ideam in mente Dei, & mouent intellectum ad verum aſſenſum.

Attamen, quia habent creaturæ ita indiuiſum actum cum potentia, vt admixtam admittant potentiam, etiam ad amiſſionem ſui eſſe actualis: talem habent ſimilitudinem cum Ideis, vt in plurimo ſint diſſimiles, & imperfectè moueant intellectum ſubobſcurè; & ſolus Deus habet hoc eſſe verum impermixtum. Ideò eſſe verum, hoc ſecundo modo, vt opponitur permixto, ſoli Deo debetur.

12 OBSERVAT autem *hîc*, & *in dubiis litt.* S. Bonau. multas diſſimilitudines inter eſſe Dei, & eſſe creaturarum.

PRIMA aſſignatur *dub.*2. *litt. diſt.*8. Nam eſſe creatum habet eſſe, poſt non eſſe, & ita ex nihilo vanum, & poſſibile ad non eſſe; & ſic ſe habet ad modum accidentis, quod poteſt abeſſe: at eſſe Dei eſt independens, incommutabile, quia ſimplex, habens indiſtinctionem perfectiſſimam, actus, & potentiæ, ita vt non habeat poſſibilitatem ad non eſſe. Ideò D. Auguſt. 11. *de ciuitate Dei cap.* 10. ait: *Eſt itaque bonum ſolum ſimplex, & ob hoc incommutabile, quod eſt. Deus.* Itaque incommutabilitas eſt id, quo eſſe Dei verum eſt: ſimplicitas verò eſt id, quo redditur eſſe incommutabile, atque adeò id, quod eſt verum eſſe, eſt etiam id, quod eſt verum, vt ait S. Bonau.

Hinc *dub.*2. infert, Dei eſſe, comparatum ad noſtrum eſſe, maius; imò maximum eſſe, vt valeat antonomaſticè dicere, Exod. 3. *Ego ſum qui ſum.*

SECVNDA differentia habetur *dub.*5. & ſequitur 13
ex præcedenti; vt eſſe Dei non nouerit eſſe præteritum, vel futurum, quia nullam variationem, aut ſucceſſionem agnoſcit, vt notat idem S. Bonau. *ad* 15. *Sap. &* dixi *quæſt. præcedenti*, ex D. Hieronymo, & D. Auguſt.

TERTIA differentia ex his ſequens eſt, vt noſtrum eſſe ſit veluti nihil, comparatum ad eſſe Dei, vt notat S. Doctor *diſt.*6. & *quæſt.*1. ex D. Hieronymo ad Marcellam, vbi ait: *Solus Deus verè eſt, cuius eſſentia comparatum noſtrum eſſe, non eſt.* Quod Iſaias exprimit, cap.40. *Omnes gentes quaſi non ſint; ſic ſunt in conſpectu Dei.* Et Dauid Pſalm. 38. *Subſtantia mea*, ideſt, ſubſiſtentia mea, *tanquam nihilum ante te.*

QVARTA differentia eſt, quod eſſe noſtrum eſt 14
ſimile accidenti, tum quia à Deo pendet; tum quia habet potentiam ad non eſſe (tametſi non ſit propriè accidens, quia non pendet à Deo, tanquam ſubiecto:) eſſe verò Dei, eſt ipſa Dei ſubſtantia, & eſſentia formaliter; vt dixi *quæſtione prima.*

Hinc ait D. Hilarius de Trin. *Eſſe Dei non eſt accidens*, & eodem modo intelligit Apoſtolus ad Timoth.1. cap.6. *Qui ſolus habet* (dicens) *immortalitatem* quia implicat, Deum eſſe Deum, & amittere eſſe, vt explicat D. Auguſt. 1. *de Trin. cap.*1. & D. Bonauentura *dub.*9.

QVINTA differentia eſt conſectaria, vt eſſe Dei 15
non patiatur obſcurationem, aut viciſſitudinis obumbrationem, vt ait Iacobus. Et ideò dicitur ab Ariſtotele: *Manifeſtiſſimum natura.* Eſſe enim Dei ita verum clarè, & euidenter in ſe eſt, vt exprimat ſe perfectiſſimè, tanquam obiectum perfectiſſimum intellectui apto; at verò noſtrum eſſe, ſicuti exiſtens imperfectum, ita imperfectè intellectui obiicitur. Vide S. Bonau.

VLTIMA differentia eſt, eſſe noſtrum, particulare 16
eſt; at eſſe Dei, vniuerſale, quod quæſtione ſequenti explicabo, cum D. Bonau. *diſt.* 8. *quæſt.*2. *argumento ſexto*, & *quæſt.*4. & Opuſculo. *Princip. Scriptura.*

ASSERO igitur primò, eſſe verum, id eſt, non falſum, conuenire etiam creaturis.

PROBATVR à D. Bonau. præcipuè quia, Quod verè eſt; verum eſt. Vnde S. Auguſt. *in Solilog. lib. cap.*5. ait: *Verum eſt, id quod eſt*; at creaturæ ſunt actu: Ergo. Patet etiam ex dictis.

ASSERO ſecundò; proprium eſſe Dei verum eſſe, id eſt, non permiatum imperfectione. Patet ex dictis.

QVÆSTIO III.

An eſſe Dei ſit ſimpliciter neceſſarium.

{D. Bonau. d 8. p.1. q.2.
D. Thom p.1. q.2. art.1.

ATHAISTARVM phalanges in orbe debaccebantes perlege in Bouerio noſtro *demonſt.*1. *art.*2.

AD dedecus æternum hoc ſæculo ſerpentium Atheorum,

tum, qui Politici conclamantur, quippè qui peſſundato Religionis cultu, ſolum externum Reipublicæ regimen intuentur, illudque acephalum ſine capite, regente Deo componunt; oſtendamus, Deum neceſſariò eſſe; nihil autem magis exiſtit, quàm quod neceſſariò exiſtit.

17 PROBATVR à D. Bonau. *in 1. diſt.8. in dubiis litt.* primò. Quod eſt, & poteſt non eſſe, eſt ens actu quidem, ſed compoſitum etiam ex potentia: at Deus eſt actus ſimplex purus: Ergo non poteſt non eſſe. Ita *dub.2. littera.*

18 PROBATVR ſecundò à D. Bonau. *dub.5. litt.* & ſequentibus. Eſſe, quod non nouit præteritum, vel futurum; ſed totum ſimul eſt, independens ab omni varietate, & ſucceſſione, non poteſt mox amittere eſſe. Talis eſt Deus: Ergo. Maior probatur, quia, quod eſt huiuſmodi menſuratur æternitate; & ideò æternum. Minor probatur à S. Bonau. *ad 13. Sapientia* ex D. Auguſt. *tract. in epiſt. Ioan. tom.9.* qui in terminis id aſſerit, & ex D. Hieronymo *epiſt.57. ad Damaſum*, vbi ait: *Deus, qui ſolus exordium non habet, vera eſſentia nomen tenuit, quia in eius comparatione, qui verè eſt incommutabilis, quaſi non ſunt, quæ mutabilia ſunt, vt ſunt omnes creaturæ.* Et Pſalm.101. *Sicut opertorium mutabis eos, & mutabuntur; tu autem idem ipſe es, & anni tui non deficient*, & Malach. 3. *Ego Deus, & non mutor.* Et Exod.3. *Ego ſum qui ſum* & ex loco tandem allegato *Sap.* vbi opponitur. *Qui eſt*, diis omnibus.

Ex his authoritatibus colligitur ratio. Quod eſt primum eſſe, ad quod reducitur omne eſſe, tanquam ad perfectiſſimum, eſt eſſe neceſſarium. Tale autem debet eſſe Dei ipſius eſſe, nam omne negatiuum ad affirmatiuum; & omne imperfectum ad vnum primum in eo genere perfectum reduci debet. Ideò (ait S. Bonau. *dub.9.*) aſſeritur à Paulo. Solus habere immortalitatem; vt explicat D. Auguſt. *1. de Trin. cap. 1. tom.3.* & à D. Iacobo: *Apud quem non eſt tranſmutatio, nec viciſſitudinis obumbratio*, vt notat D. Bonau. *dub.10.* Confirmat autem *lib. 1. compend. Theol. cap.1.* Illud enim maximè neceſſarium habet eſſe, quod maximè diſtat à non eſſe. Talis eſt Deus, ex D. Anſelmo citando: Ergo.

19 PROBATVR tertiò à D. Bonau. opuſculo, cui tit. *Principium ſacræ Scripturæ.* Quod poteſt non eſſe, eſt obnoxium motui; & mutationi; at Deus eſt immobilis, immutabilis: Ergo. Maior probatur. Quidquid poteſt non eſſe pari modo debuit incepiſſe, nempè per motum, vel mutationem. Minor probatur primò à D. Bonau. ex illo Exodi. *Ego ſum qui ſum* vbi Hebræus habet. אֶהְיֶה אֲשֶׁר אֶהְיֶה. *Ero qui ero.* Quod tantùm abeſt, vt eneruet argumentum, imo illud potius mirificè ſenſu admirabili corroboret; nam ex necesſitate eſſendi; ſequitur ſemper futurum neceſſariò Deum. Probatur ſecundò illa minor à D. Bonau. *ſerm.11. Hexaëmer.* & *in 1. diſt.3. dub.4. litt.* & *cap.3. Breuil.* Omne, quod mouetur, ab alio mouetur; & omnis effectus in rerum natura eſt ab alio, cùm nihil cauſare valeat ſeipſum, neque mouere; quia quod mouet, eſt actu, & quod mouetur, eſt potentia; nihil autem poteſt eſſe ſimul actu, & potentia ad idem: Ergo vel deueniendum ad aliquem, qui à nullo ſit: à nullo moueatur; & nulli motui ſubditus ſit, vel mutationi; aut in mouentibus, & cauſis abeundum in infinitum, & tunc nulla cauſa dabitur, nullum mouens, quia nulla cauſa media agit: niſi in virtute prioris, in infinitis autem non dabitur complementum cauſæ primæ, mediæ, & vltimæ. Hæc eſt demonſtratio Ariſtotelis *7 & 8 Phyſ.* & *2. & 9. Metaph.* Hac nititur Suarez *tom.1. lib.1. c.1 num.6.* & Valentia *q.2. p.3.*

PROBATVR quartò à D. Bonau. *locis citatis.* Dantur multa entia corruptibilibus excellentiora incorruptibilia, vt Cæli: multa æuiterna, vt intelligentiæ, & animæ rationales, quæ à ſe non ſunt. Ergo ab aliquo principio: tunc ſic. Nemo dat quod non habet. Deus dat iſtis rebus immortalitatem. Ergo multò magis ipſe eſt immortalis. Subſumo. At neque à ſeipſo factum eſt hoc Principium, vt patet, neque ab alio: Ergo habet eſſe neceſſarium, & non poteſt non eſſe. Quòd verò ſit à ſeipſo, probatur à Seraphico. Qui operatur à ſeipſo, eſt à ſe ipſo. Deus operatur à ſe ipſo: Ergo eſt à ſe. Maior probatur. Quod eſt cauſa virtutis, eſt cauſa eſſentiæ; & è contra ex Damaſceno *1. de fide cap 8.* & Ariſtotele *12 Metaph. t. 28.* Ergo, qui dominatur virtute ſua, eſt etiam virtute ſua. Talis eſt Deus ex *Pſalm.65.* Ergo. Ideò dicitur: *Deus Deorum, Rex Regum, & Dominus Dominantium*, Deuter.10. *Prima Timoth.6. Apoc.9.* & alibi. Hæc D. Bonau. *loc. cit.* qui *lib.1. compend. Theol. cap.1.* id confirmat ex Dionyſio *cap.8. de Diu. nom.* vbi ait, eſſe omnium, eſt ſuperſubſtantialis diuinitas. 20

PROBATVR quintò à S. Doctore in hac quæſtione, multis argumentis. 21

PRIMVM eſt. Deus ſecundum communem animi conceptionem eſt, quo nihil maius cogitari poteſt, vt docet D. Anſelmus *in Proſologio c.2.4. & 5. tom.3.* Deum enim omnes rationales concipiunt ens maximum, perfectum, quod poſſit percipi, imò & omni intellectione infinitè perfectius ſæpè oſtendit S. Bonauentura, opuſc. *Principium Scripturæ*, & in ſermonibus *Hexaemer* & *in Breuil.* ſingulis ferè capitibus. Iam verò maius, & perfectius eſt, quod non poteſt cogitari deficere poſſe, & non eſſe; quàm quod poteſt apprehendi poſſe deficere, & non eſſe. Ergo.

SECVNDVM argumentum. Quod à natura inſitum eſt, & mentibus impreſſum, ita eſt verum, vt contrarium non poſſit eſſe, quia natura eſt recta; at mentibus rationalibus impreſſum eſt, Deum eſſe debere, ex D. Damaſceno *1. de fide cap. 1. & 3.* Ergo. 22

TERTIVM argumentum. Veritas, ex qua deriuantur veritates neceſſariæ, ſeu axiomata, quæ *dignitates* dicuntur, debet eſſe maior, firmior, & magis neceſſaria. Sed prima veritas, quæ in eſſe Diuino includitur eſt illa, vnde axiomata certiſſima deriuantur, quale eſt. Omne totum eſt maius ſua parte: quæ non poſſunt cogitari non eſſe. Ergo neceſſariò debet admitti Veritas. At hæc eſt Deus, vt dicitur Ioan.14. *Ego ſum via, veritas &c.* Ergo. 23

QVARTVM argumentum ſimile eſt ſecundo. Intellectus noſter nihil intelligit, niſi per primam lucem, & veritatem. Sed per primam lucem non immittitur cogitatio huiuſmodi, Deum poſſe non eſſe. Ergo. Maior probatur ex D. Auguſt. *lib.1. Solilog. cap.8. 13. & 15. tom.1.* Minor probatur à D. Bonau. *ſerm 11. Hexaëmer.* & *p.1. Breuil. cap.3.* ex D. Auguſt. *15. de Trin. cap 4* vbi ait: *Neque enim Diuinorum librorum tantummodò auctoritas prædicat eſſe Deum; ſed omnis, quæ nos circumſtat rerum natura proclamat habere ſe præſtantiſſimum Conditorem.* Cùm igitur cognitio illa maximè ſit à Deo. quæ ex Scripturis, & quæ ex creaturis habetur; rectè infero, Deum neceſſariò eſſe, tanquam fundamentum omnium eſſe. Id verò à Scripturis traditum eſſe nobis latiùs probat S. Bonau. *in compend. Theologicæ veritatis lib.1. cap.1* ex Pſalm 89 *A ſæculo tu es Deus.* Exod. 3. *Ego ſum, qui ſum.* Vnde colligit cum Damaſceno *lib. 1. de fide cap. 12.* Nomen: *Qui eſt*, inter cætera exprimere Dei eſſentiam, & ſubdit 24

S. Bonau. Omnes creaturas prædicare id Pſalm.99. *Ipſe fecit nos, & non ipſi nos.* Certum eſt enim, creaturas non potuiſſe creare ſe ipſas: ſic omnia pulchra teſtantur ens pulcherrimum: omnia perfecta ens perfectiſſimum. Sunt enim ſpeculum, per quod Deum videmus in via; vt innuit Apoſtolus 1. *Corinth.*13. Sicut ipſe Deus eſt ſpeculum, in quo relucent beatis creaturæ; vt dicitur *Sap.*7. Ideò ait Apoſtolus, Rom.1. *Inuiſibilia Dei, per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur.*

25 QVINTVM argumentum. Omnis veritas neceſſaria infert primam veritatem, ſed ſunt veritates neceſſariæ, vt. *Omnis homo eſt rationalis.* Ergo datur prima veritas neceſſaria. Talis eſt Deus: Ergo Deus neceſſariò eſt.

26 SEXTVM argumentum. Dantur entia particularia habentia ſuas particulares perfectiones participatas, ita vt, *hoc ſit hoc; non illud*, vel habens illius perfectiones. Ergo debet dari ens per eſſentiam ſummum, habens vniverſaliter omnium perfectiones. Sed inter entia particularia ſunt aliqua, quæ naturaliter deficere non poſſunt, vt Angelus, & anima. Ergo multò magis Deus eſt perfectiſſimè talis, & per eſſentiam talis, vt non poſſit deficere, vel non eſſe. Alia argumenta habebis *quæſt. vlt. huius diſputationis.*

27 VERVM, quia omnis ſermo, vel eſt affirmatiuus, vel negatiuus, vt dicitur 1. *Perhiermen. cap* 4. Et iam è ſermone affirmatiuo oſtendit S. Bonauent. Deum neceſſariò eſſe; idem mox negatiua etiam enunciatione ait probari à nonnullis. Hæc igitur enunciatio negatiua eſt. *Nulla eſt veritas.* Sed hæc propoſitio maximè probat neceſſariò exiſtere aliquam veritatem, vt ait D. Auguſt. *in Soliloq. lib.*1. *cap.*2. & 15. *Tom.*1. Ergo datur neceſſariò veritas. Minor probatur, quia ſi nulla eſt veritas: Ergo verum eſt nullam veritatem eſſe, quod ſi hoc eſt verum. Ergo aliquid eſt verum. Datur ergo veritas: Ergo prima maximè.

HOC idem argumentum conficit D. Thom. *quæſt.* 2. *art.* 1. ad probandum notum eſſe Deum exiſtere. Scotus verò *in* 1. *d.* 1. *quæſt.*2. *ad* 3. cum D. Bonau. in corpore hanc conſequentiam reprehendit dicens, eam peccare fallacia conſequentis à pluribus cauſis veritatis, ad vnam illarum. Tum quia, licèt valeat. *Nulla veritas eſt.* Ergo non eſt verum aliquam veritatem eſſe; non tamen valet. *Ergo eſt verum nullam veritatem eſſe*; illa enim eſt negatiua: hæc affirmatiua. Tum quia aut veritas ſumitur fundamentaliter, aut formaliter. Si nulla veritas eſt neutro modo verum eſt illam eſſe. Non fundamentaliter, quia nulla res fundans remanet; neque formaliter; quia nullus intellectus reſtare poteretur. Ergo affirmatiua non ſequitur, ſed negatiua, vt dictum eſt.

Caietanus in Commentario reſpondet, hanc eſſe optimam illationem, quod probat *ex* 1. *Perhierm. cap.*4. Omnis enunciatio aut eſt vera, aut falſa; nec datur medium, quia aſſerit, vel negat. Et ſi prædicatum ineſt ſubiecto, eſt vera; ſi autem non ineſt, eſt falſa; nec datur medium, quod nec inſit, nec non inſit. Cùm igitur hoc prædicatum exiſtentiæ non inſit alicui ſubiecto, quod dicatur veritas, ſequitur primò hanc propoſitionem eſſe veram. Veritas nulla eſt. Rationem reddit Caietanus, quia à propoſitione de ineſſe vera ad modalem ſuam de vero, ſit optima conſequentia, & è contra.

Hoc ſanè explicat Caietanus exemplo. *Sortes currit.* Ergo Sortem currere eſt verum: & è contra. *Sortes non currit.* Ergo Sortem non currere eſt verum. Ratio alia eſſe poteſt, quia antecedens. *Nulla eſt veritas*, includit ſuam contradictoriam implicite affirmatiuam. Hæc propoſitio. *Nulla eſt veritas*, vera eſt; vnde benè infertur conſequentia affirmatiua. Dato vero; Nullam veritatem eſſe, remanet fundamentum veritatis, quòd veritas non ſit, neque enim ad fundamentum propoſitionis requiritur, rem aliquam poſitiuam ſupponi, cùm enim dico, *nihil eſt nihil*, quæ obſecro res, tanquam fundamentum ſubſtituta eſt?

AT friuola ſunt hæc omnia ad eam fulciendam rationem, vt optimè arguit S. Bonau. *in fine corporis*, quia propoſitio illa deſtruit omnem veritatem; vnde ſicuti hæc propoſitio. *Nihil eſt*, tollit omnem entitatem; ita hæc, *nulla veritas eſt*, tollit omnem veritatem, omnemque propoſitionem, quod non aduertit Caietanus. Vnde tota eius ſtrues corruit; neque eſt ſimile, aut ad rem exemplum eius. *Sortes currit.* Ergo Sortem currere eſt verum; & è contra. *Non currit.* Ergo verum eſt non currere. Nam in hoc ſtat veritas, quæ per negationem non deſtruitur, cùm ſolùm negetur curſus: in caſu autem noſtro deſtruitur veritas omnis; vnde non poteſt inferri aliqua veritas, imò deſtruitur omnis veritas ſimul cum propoſitionibus omnibus eam exprimentibus, & tollitur omne fundamentum; quod non eſt ipſa res materialis, vt putat Caietanus, ſed ipſa veritas, ipſa propoſitio, vt notat S. Bonau. & poſt eum Scotus; vnde quando dico. *Nihil eſt nihil*; remanet fundamentum veritatis, & propoſitionis: non ſic in caſu noſtro.

Quod verò dicebat Caietanus de propoſitione modali, miror, nam propoſitio modalis ex Logica addit ſupra affirmationem veritatis etiam modum, poſſibile, vel impoſſibile; contingens, vel neceſſarium. Itaque hæc propoſitio. *Veritas eſt, vel non eſt*, eſt ſimplex de ineſſe; alioqui omnes propoſitiones erunt modales, quia omnes aſſerunt, aliquid eſſe verum.

Quod verò dicebatur aſſertum à D. Auguſt.

Reſpondet S. Bonau. S. Auguſt. tale argumentum non conficere approbando, ſed inquirendo.

QVÆSTIO IV.

An hæc propoſitio Deus eſt, *ſit per ſe nota.*

D. Bonau. d. 8. q. 2.
D. Thom. q. 2. art. 1.

ALTERANTVR Philoſophi, quæ ſit propoſitio per ſe nota. Dum autem audis *nota*, non ſonat cognitam, vt multi putant; ſed euidentem. Eſt igitur propoſitio per ſe nota, quæ non per aliud medium extrinſecum redditur euidens; ſed ex propriis terminis, imò, ſi nota, ſeu manifeſta ſit ex definitione propriorum terminorum, erit adhuc nota per ſe; nam definitio terminorum non eſt eis extranea; ſed mera expreſſio eſſentiæ eorum, ſine qua nequeunt perfectè agnoſci. Si enim merum quid nominis terminorum non percipias, latebit medulla notitiæ illorum. In quo deceptus eſt Scotus credens complexam definitiuam cognitionem terminorum, eſſe illis extraneam, atque adeo ex hac non reddi propoſitionem notam per ſe. Imò ſecum pugnat; cum enim dixiſſet, propoſitionem per ſe notam ex cognitione incomplexa confuſa terminorum haberi, ſubdit, hanc propoſitionem. *Deus eſt*, eſſe per ſe notam, quia ex 28

terminis

terminis diſtinctè cognitis eſt euidens. Itaque fatetur non modò etiam eam cognitionem, quæ ex terminorum diſtincta cognitione habetur, eſſe per ſe notam; vt gloſſat Faber *diſput.*14. ſed ideò eſſe propoſitionem per ſe notam, quia habetur ex diſtincta terminorum cognitione, quæ quidem per eſſentiæ definitionem nobis neceſſariò obuenit.

29 QVONIAM igitur propoſitiones cognoſcimus, quatenus terminos cognoſcimus, vt docet D. Bonau. *hic* ex Ariſtotele 1. *poſter. cap.*2. & 3. Ea erit propoſitio per ſe nota, quæ cognitis diſtinctè terminis dat euidentiam; connexio enim terminorum ex eorum euidentia eluceſcit. Ideò enim mihi euidens eſt, Petrum eſſe hominem, quia terminos hos noui; & ideò cognoſco, eos optimè connecti, vt homo prædicetur de Petro. Ipſa verò connexio exprimit hanc notitiam, quia oſtendit prædicatum eſſe de ratione ſubiecti, vel formaliter, vel virtualiter, vel proximè, vel remotè. Has alternatiu's pono cum Caietano 1. *poſter. cap* 2. & 3. Ferrar. 1. *contra gent. cap.* 11. Nazario *p.* 1. *quæſt.* 2. *art.*2. *controu.*1. quia ſufficit non modò, ſi prædicatum immediatè connectatur ſubiecto intrinſecè, vt differentia cum ſpecie, puta cùm dico, homo eſt rationalis; ſed etiam vt propria paſſio, quæ mediante eſſentia conuenit, vt homo eſt riſibilis. Itaque non omnis propoſitio, eò quòd ita dicta ſit, ſtatim erit per ſe nota; ſed neceſſe eſt, vt ex terminis habeat euidentiam, vt Seraphicus Doctor docet *in* 2. *diſt* 29. *quæſt.*2. & *hic in corpore*, & Scotus apud Fauentinum *loco citato*.

30 Neque verum præterea eſt, quod aiunt Scotus *loc. cit.* & Faber *num.* 6. demonſtrationem per ſe notam non poſſe demonſtrari; poteſt enim habere euidentiam à ſuis immediatis principiis, vt hæc. *Homo eſt animal*, quæ ſi ab inſipiente negetur, habet à primi vnde probetur ex ſenſibili; ſic. Omne ſenſibile eſt animal. Homo eſt ſenſibilis; Ergo animal. In quo errauit Rubius, 1. *Poſter. cap.* 4. *quæſt.* 2. neque erit nota per aliud, nam ſenſibile eſt animali intrinſecum, non alienum, vt putat Scotus.

HANC porrò eſſe propoſitionem per ſe notam, probatur argumento Scoti apud Lichetum 1. *diſt* 2. *quæſt.* 3. ſumpto ex D. Bonau. *loc. cit.* Nihil perfectiſſimè fit euidens, niſi cognoſcatur per eſſentiam propriam, vel per aliquid virtualiter, vel eminenter continens illam, ſaltem remotè in radice; cauſans enim cognitionem alicuius obiecti, debet illud continere aliquo ex his modis. Sed partes intrinſecæ, continentes virtute propoſitiones, ſunt termini. Ergo.

31 Addit Vriuenſis *tract.* 2. *quæſt.* 1. *ſect.*2. aliquas etiam propoſitiones contingentes latè eſſe per ſe notas ob euidentiam, quam exhibent ſenſui, vt hæ. *Nix eſt alba. Ignis eſt calidus.* Ita etiam Valentia.

Scito adhuc, ex propoſitionibus per ſe notis, aliquas conſtare ex terminis, qui adeò ſunt omnibus noti, vt ad aſſentiendum illis, nullus omnino requiratur aſſenſus prior, neque ex parte quidem diſpoſitionis, ſiue ignorantiæ intellectus, vt ſunt illæ. *Quodlibet eſt, vel non eſt. Et omne totum eſt maius ſua parte.*

SVNT autem aliæ propoſitiones, quæ difficiliùs elucent, & licèt ſint notæ per ſe; tamen non ſunt notæ nobis, abſque aliqua induſtria, & quia propoſitiones ſunt partus intellectus, & genitrices notitiæ, in eo habent ad illum relationem, quo fit, vt aliquæ ſint propoſitiones per ſe notæ, non autem nobis: aliæ verò notæ per ſe, & nobis, ita vt notitia ad nos ſit diuerſum membrum propoſitionis per ſe notæ; non quod accipiamus notum pro cognito, vt malè nobis adſcribit Fauentinus *loc. cit.* Arriaga *diſp.*2. *ſect.*1. & alij; quos ſequitur Macedo *coll.* 3. *diff* 3. De quo agam *tract.* 9. *d.* 9. *ſect.*9. *quæſt.*2. Sed quia datur aliqua propoſitio habens euidentiam per ſe in ordine ad omnes intellectus; alia verò, quæ habet euidentiam per ſe in ordine ad vnum intellectum; non ad alium; quæ diuerſitas, licet ex varietate intellectus ſumatur; non tamen omninò; ſed ex natura etiam propoſitionis, quæ eſt apta reſplendere vni intellectui, non alteri; hic autem reſpectus etiam dicit quid naturæ propoſitionis ipſius, vt dixi. Hæc tamen diſtinctio non eſt genuina Seraphico, vt video. Quare non ſum de ea admodum ſollicitus; ſed relinquo etiam Scoto probabilitatem. De hac *Tractatu citato* agam.

QVONIAM dixi, euidentiam propoſitionis haberi ex notitia terminorum, & quæſtio noſtra eſt. An hæc propoſitio *Deus eſt*, ſit per ſe euidens, ſeu nota; oportet hunc terminum. *Deus* conſiderare. 32

SCITO ergò primò, nomen Dei ab operatione ſumi, iuxta Græcum habentem θεός, quæ vox eſt à verbo θέειν, quod ſignificat *currere*, quippe qui ſua prouidentia accurrat ad omnia fouenda, vt notat Damaſcenus *lib.*1. *de fide cap.*12. vel à videndo, vt mauult Gregorius Nyſſenus *lib. ad Ablabium*, quia omnia proſpicit ideò obſeruat D. Bonauent. *lib.* 1. *Pharetræ cap.* 1. dixiſſe D. Auguſtinum epiſt. 112. *Deus totus oculus eſt; totus manus, totus pes eſt. Totus oculus eſt, quia omnia videt, totus eſt manus, quia omnia operatur; totus pes, quia vbique eſt.* Itaque hoc vocabulo audito, concipimus naturam præſtantiſſimam, efficientem, mouentem, gubernantem egregiè vniuerſum, quæ à ſe ipſa neceſſariò ſit; à nullo dependens; vt notat D. Bonau. *p.* 1. *Breuil. cap.* 3. & *in hac quæſtione*, & Opuſculo, cui titulus. *Principium Scripturæ*, & poſt eum Valentia *tom.*1. *diſp.*1. *quæſt.*2. *p.*1. Hoc explicabo ſtatim *diſp.*2. *quæſt* 1.

SCITO ſecundò, nomen Dei eſſe ſubſiſtentis, & abſolutæ naturæ, ſi enim linguæ ſanctæ luſtremus originalia, videbimus, nomen Dei præcipuè ſcribi יהוה à verbo הוה quod ſignificat, *eſſe*, vt refert Valentia *loc. cit.* & D. Bonauent. *in* 1. *diſt.*2. *dub.* 3. *litt.* vbi obiiciens. Hoc nomen *Deus*, impoſitum eſſe ab operatione, vnde dicitur ab *Æthein.* idest, *ardere*, vel *thein*, quod eſt *fouere*, vel à *theaſthe*, quod eſt *videre*, ex Damaſceno *lib.*1. *de fide*, *cap.*12. Reſpondet, imponi quidem ab operatione, tamen impoſitum eſſe naturæ ſummæ. Et *dub. ſequenti* ſubdit. Nomen proprium Diuinæ ſubſtantiæ eſſe illud. *Ego ſum qui ſum.* Significat enim entitatem in omnimoda perfectione, & abſolutione. 33

Opuſculo autem primo, cui titulus. *Principium Scripturæ*, ait. Nomen Dei ſecundùm formalem nominis impoſitionem ſignificat authoritatis præſidentiam, dicitur enim Deus Græcè ſecundùm Damaſcenum *loc. cit.* ἀπὸ τοῦ θέειν, αἴθειν, θεᾶσθαι, quod ſignificat *currere*, *vrere*, *intueri*. Et hoc quidem ex Hebraica veritate manifeſtum eſt, nam quando debebat inſinuari inexcogitabilis ſuperexcellentia veritatis diuinæ eſſentiæ, quæ nihil eſt eorum, quæ ſunt, vt ait S. Dionyſius c.1. *de diuinis nominibus*, ſed ſuper exiſtens, & ſuperidea; hoc nomen *Deus* nequaquam communibus literis ſcribebatur; ſed exarabatur illis characteribus; qui nomen Dei magnum *Tetragrammaton* efficiunt. vt docet Origenes *in Num.* c 21. *homil.*14. & Beda *in Exodum cap.*28. *tom.*4. Quod nomen tantæ

auctoritatis, tantæque venerationis erat apud Hebræos, quod ipſum nomen ineffabile dicebatur, non quod ſenſibilibus verbis exprimi non poſſet; ſed quia intellectui creaturæ, ſignificatum eius definiri non poterat. Iſtius ſanctiſſimi nominis ſignificatum incomprehenſibile tria comprehendit, ſcilicet, primitatem inprincipiabilem; vniuerſalitatem illimitabilem; & æquitatem inobliquabilem. De hoc *diſp.* 12. *quæſt* 9.

Scito tertiò, nos quærere hic. An hæc propoſitio. *Deus eſt*. Sit nota, prout *Deus* ſignificat hanc entitatem ſuis attributis explicitam relationibus Trinitatis conſtantem. Prout verò ſignificat entitatem in vniuerſum perfectam; *in quæſt. ſequenti* diſcutiam, an ſit demonſtrabile aliqua ratione euidenti.

Prima igitur ſententia eſt, hanc propoſitionem. *Deus eſt*; eſſe per ſe notam etiam viatoribus. Ita Albertus *p.* 1. *ſumma quæſt.* 17.2 *p. quæſtionis*, Antiſiodorenſis *lib.* 1. *cap.* 2. Lyranus, ad illud Exodi 5. *Neſcio Dominum*. Abulenſis, *ibi quæſt.* 2. Fuit autem antiquitus opinio Epicuri, apud Tullium *lib.* 1. *de natura Deorum*. Adducuntur etiam Gregorius Nazianzenus *orat.* 24. addita expoſitione Heliæ Cretenſis, Damaſcenus *lib.* 1. *de fide cap.* 1. Hieronymus *in* 23. *Iob* ad ea verba: *Omnes homines vident eum*, Anſelmus *lib. contra Inſipientem*, Iuſtin. *ad quæſt.* 6. Cypr. *de Idol.* Aug. *tr.* 106. *in Ioan.*

Secunda ſententia eſt dicentium, hanc propoſitionem. *Deus eſt* non eſſe per ſe notam, nec nobis. Citantur à Valentia Henricus *in ſumma art.* 22. *quæſt.* 2. Ochàm, *in* 1. *d.* 3. *quæſt.* 3. Gabriel, ibidem *quæſt.* 4. & Scotus *loc. cit.* ſed malè, nam Scotus impugnat quidem diſtinctionem D. Thomæ ſupra allatam, ſed tamen concludit, hanc propoſitionem, *Deus eſt*, eſſe per ſe notam, non autem nobis, eo quòd termini non ſunt cogniti diſtinctè. Cæteri etiam Doctores ſunt pro tertia ſententia, vt notat Vaſquez *cap.* 2. eſt tamen aliquorum Nominalium, quos ſequitur Arriaga *diſp.* 1. *ſect.* 1.

Tertia ſententia eſt ſanctorum Doctorum *hic*; hanc propoſitionem eſſe per ſe notam, non tamen nobis. Sequuntur Richard. *d.* 3. *art.* 1. *quæſt.* 2. Durand. *quæſt.* 3. & Doctores adducti pro ſecunda ſententia, ac Morandus *t.* 1. *quæſt.* 1. Ieſuitæque; Vaſquez *diſp.* 19. Valentia *diſp.* 1. *quæſt.* 2. *p.* 1. Suarez *lib.* 1. *cap.* 1. & *in Metaph. diſp.* 29. *ſect.* 3. Trigoſ. *quæſt.* 2. *dub.* 1. Petrus à S. Ioſeph, Fulienſis *libro primo de Deo Vno, capite primo*, Adam Tannerus *diſp* 2. *quæſt.* 1. Marcus noſter *quæſt.* 2. *art.* 1. Bouërius *demonſtr.* 1. *contra Ath. art.* 3.

Assero primò. Hanc propoſitionem. *Deus eſt*. Per ſe eſſe notam.

35 Probatvr à D. Bonau. *in corpore* ex conditionibus propoſitionis per ſe notæ, nam eſſe intrinſecè connexum eſſentialiter eſt cum Deo; & ex cognitione terminorum apta eſt parere euidentiam in connexione prædicati (eſt) cum ſubiecto (Deus) ſi termini rectè apprehendantur. Ita etiam Scotus apud Fabrum *num.* 5. Poſnanienſem *quæſt.* 3.

Probatvr ſecundò à D. Bonau. *ibi*. Vnumquodque eſt cognoſcibile, & per ſe notum, in quantum eſt ens, quod eſt obiectum intellectus. At Deus eſt ſummum ens. Ergo ſumma lux ſummè cognoſcibilis. Confirmatur à D. Bonau. *hic*, & *diſt.* 3. *p.* 1. *quæſt.* 1. *fundamento* 3. Quod magis habet rationem præſumitæ entitatiuæ, & obiectiuæ eſt maximè cognoſcibile, & per ſe notum. Sed Deus, vt exiſtens, eſt vbique entitatiuè, & ſumma Lux obiectiua. Ergo. Maior eſt D. Auguſtini.

36 Probatvr tertiò à S. Doctore *hic fundamento* 3. & *in corpore*, & *diſt.* 3. *fund.* 4. Quantò magis aliquid eſt verum; tantò magis eſt cognoſcibile. At Deus eſt ſumma veritas infinitè verior, quàm quælibet propoſitio axiomatica nota per ſe, puta. *Omne vel eſt, vel non eſt. Omne totum eſt maius ſua parte.* Ergo eſt magis nota per ſe. Confirmatur Maior à D. Bonau. *diſt.* 5. *loc. cit. fundam.* 4. Sicut ſe habet bonitas ad voluntatem; ita proportionaliter verum ad intellectum. Sed ſumma bonitas eſt ſummè amabilis ab affectu. Ergo ſumma veritas maximè cognoſcibilis ab intellectu.

Assero ſecundò, hanc propoſitionem. *Deus eſt*, 37
pro vt accipit Deum verum, ens infinitum, perfectiſſimum, non eſſe per ſe notam nobis.

Probatvr à D. Bonau. primò *hic in argumentis*, & *diſt.* 3. *p.* 2. *quæſt.* 1. Quia Deus lucem habitat inacceſſibilem, quæ ſolo lumine gloriæ panditur, vt colligitur ex 1. *Timoth.* 6.

Probatvr ſecundò à D. Bonau. *in corpore*. Vt cognoſcatur perfectè eſſe Dei, debet cognoſci illius quidditas, cui eſt intrinſecum eſſe, vt oſtendi *quæſt.* 1. at Dei quidditas non eſt nobis per ſe nota. Ergo. Minor probatur, quia Deum cognoſcimus ſolùm per ſenſus; & ideò per creaturas. Ergo non per ſe; ſed oppoſito modo per aliud.

Vaſquez *cap.* 3. hanc rationem conatur euertere dicens; ex eo quod non habemus cognitionem quidditatiuam de Deo, non rectè inferri: Deum non eſſe notum per ſe nobis; illud enim principium. *Quodlibet eſt, vel non eſt*, ſub quo Angelus, & ipſe Deus continetur, eſt nobis per ſe notum. Ergo eſt etiam per ſe notum, Deum eſſe, vel non eſſe; cùm tamen Dei conceptum proprium non habeamus.

Reſpondetur facilè; diſparem eſſe rationem, nam 38
axioma. *Quodlibet eſt, vel non eſt*, quatenus includit etiam Deum, eatenus notum eſt abſque quidditatiua cognitione Dei, quia ſufficit ad prætenſam notitiam, vt accipiatur Deus, tanquam aliquod ens incluſum ad eſſe, vel non eſſe. Itaque ſolùm exigitur, vt cognoſcatur Deum eſſe, vel non eſſe ens, pro vt clauditur ſub entis genere; at quodlibet in ſe debet definitiuè cognoſci, pro vt dicit totam maſſam entium, vt inferatur. *Eſt, vel non eſt*; ſic etiam quia ad ſciendum, Deum ſub vna determinata contradictoria ſtare, & verè eſſe; requiritur notitia quidditatis ipſius Dei. Ideò non arguit Vaſquez ad rem. Nam illæ duæ alternatæ ſunt contradictoriæ, è quibus ſcimus alteram veram: alteram falſam; quacunque ſub materia ſteut. Itaque ſolùm oportet ſcire quidditatem contradictoriæ. *Eſt. Non eſt.*

Probatvr tertiò à Vaſquez *loc. cit.* & Arriaga *diſp.* 1. *ſect.* 1. *num.* 9. id, quod eſt notum per aliud, non eſt notum per ſe. Deus autem à nobis non agnoſcitur, niſi per ordinem ad creaturas. Ergò per aliud, non per ſe. Probatur conſequentia, quia Dei eſſentia eſt abſoluta; non relata ad creaturas. Ergo cùm eum intelligamus tantùm vt Principem, Creatorem, & aliis titulis relatum ad creaturas, non eum cognoſcimus per ſe, atque adeò non eſt nobis per ſe notus.

Hæc ratio innititur à D. Bonau. *in corpore*, circa finem. Eadem colligitur ex *diſt.* 22. *q.* 2. vbi oſtendit, nos non habere vnum nomen definitiuum Dei, ſed plura, quia eum cognoſcimus ſolùm per diuerſos reſpectus ad creaturas, puta productionem, & principatum, ſeu ſuperexcellentiam ſuper creaturas; eò quòd earum cauſa ſit. Clariùs *in* 3. *diſtinct.* 24. *dubit.* 4. vbi cùm ſibi obieciſſet, cognitionem exiſtentiæ Dei eſſe omnibus certam, ex Damaſceno *primo de fide cap.* 1. Reſpondet, cognoſci

impeifectè

imperfectè, ſcilicet vel in veſtigio, vel in imagine, vel in effectu gratiæ, vel in aliquo mentis exceſſu, in aliquo extaſis effectu. Sic etiam in fundamentis huius quæſtionis intelligit Damaſcenum *loc. cit.* & *cap.* 3. & Anſelmum *cap.* 2. 4. & 5. Idem ferè habet *diſt.* 3. *per tres quæſtiones.*

Probatvr quartò à D. Bonau. quia multi negarunt, eſſe Deum, qui eſt; ſed crediderunt eſſe Idolum; & tot gentes in hoc errarunt; nempe quia, licet ex naturali inſtinctu, & creaturis Deum colligerent; attamen imperfectè, & obſcurè.

QVÆSTIO V.

An Deum eſſe, ſit demonſtrabile.

D. Bonau. d. 3. p. 1. per 3. quæſtiones, & d. 8. q. 1. & 2. D. Thom. q. 2. art. 3.

FVit opinio dicentium; non poſſe demonſtrari Deum eſſe; ſed ſolo fidei aſſenſu id haberi. Eam refert etiam Rabbi Moyſes *lib.* 3. *cap.* 6. Adſcribitur Aliacenſi 1. *d.* 3. *quæſt.* 3. Olchot *ibidem*, & aliis, qui conantur ſoluere rationes Ariſtotelis, quibus probat Deum eſſe *in* 7. & 8. *Phyſ.* & 12. *act.* 12. *Metaph.* Hanc erroris arguunt S. Thomas, & alij, apud Morandum *tract.* 1. *quæſt.* 2.

Vera ſententia eſt; naturali ratione poſſe demonſtrari, Deum eſſe. Ita SS. DD. quos reliqui ſequuntur, vt referunt Valentia *diſp.* 1. *quæſt.* 2. *p.* 2. Vaſquez *diſp.* 20. Suarez *lib.* 1. *cap.* 1. Trigoſius *quæſt.* 2. *art.* 2. *d.* 2. Arriaga *diſp.* 2. *ſect.* 5. Marcus noſter *q.* 2. *art.* 2. Bouër. *dem.* 1. *art.* 3.

Assero primò, non poſſe à priori demonſtrari Dei exiſtentiam.

39 Probatvr à Valentia, argumento S. Bonau. *diſt.* 8. *quæſt.* 2. *corpore.* Si poſſet ſic probari, hoc eſſet probandum ab eſſentia. At hinc non poteſt probari. Ergò. Maior probatur; quia nil aliud prius exiſtentia poteſt aſſignari, quàm eſſentia. Minor probatur à D. Bonau. quia eſſentia, ſeu quidditas Dei non poteſt à nobis percipi in ſua ratione abſoluta; ſed ſolùm in relatione ad creaturas à poſteriori. Deinde quæſtio. *Quid ſit*, eſt poſterior quæſtione; *An ſit.* Ergo non poteſt exiſtentia per eſſentiam probari. Hoc argumento vtitur etiam Trigoſius *loc. cit.* & alij.

40 Assero ſecundò, poſſe exiſtentiam Dei à poſteriori demonſtrari.

Probatvr primò à D. Bonau. *ad cap.* 13. *Sap.* & *in* 1. *diſt.* 3. *quæſt.* 2. & *in compend. Theol. veritatis, lib.* 1. *cap.* 1. ex illis verbis Sap. 13. *A magnitudine enim ſpeciei, & creaturæ cognoſcibiliter poterit horum Creator videri. Vani autem ſunt omnes homines, in quibus non ſubeſt Scientia Dei: & de his, quæ videntur bona, non potuerunt intelligere eum qui eſt, neque operibus attendentes agnouerunt, quis eſſet artifex: ſed aut ignem, aut Spiritum, aut citatum aërem, aut gyrum ſtellarum, aut nimiam aquam, aut ſolem aut Lunam, rectores orbis terrarum Deos putauerunt.* Vbi S. Doctor exponit; eos non potuiſſe potentia ſequente voluntatem obſtante cæcitate peccati (vt ait Gloſſa) Deum videre. Vnde Sap. 2. *Excæcauit enim illos malitia eorum.* Et Pſalm. 53. *Noluit intelligere, vt bene ageret*; ſimpliciter enim eos potuiſſe videre, clarè aſſerit Scriptura hæc, imò, & argumentum adducit, vt notat D. Bonau. Sap. 13. *Quorum & ſi ſpecie delectati, Deos putauerunt: ſciat quantò his dominator eorum ſpecioſior eſt.* Vnde concludit Scriptura: *Iterum autem nec his debet ignoſci* (id eſt, his, qui inter creaturas adorarunt ſolem; alioqui minus damnabiles, quam qui creaturas inferiores coluerunt, vt Deos.) *Si enim tantum potuerunt ſcire, vt poſſent æſtimare ſeculum: quomodo huius Dominum non facilius inuenerunt?* Vbi S. Bonau. deducit, eorum ignorantiam hanc fuiſſe craſſam, & ſupinam, quæ non meretur miſericordiam, ex oppoſito Apoſtoli, qui ait: *Miſericordiam conſecutus ſum, quia ignorans feci*, prima Timoth. 1. Vrget etiam illud Rom. 1. *Inuiſibilia Dei per ea, quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur; ſempiterna quoque eius virtus, & diuinitas; ita vt ſint inexcuſabiles.* Hinc arguit S. Bonau. Si cognitio Dei non haberetur euidenter, & certò ex creaturis, eſſent Barbari excuſabiles, vt ait Apoſtolus de ſe *loc. cit.* at è Scriptura ſunt inexcuſabiles: Ergò. Has ſcripturas vrgent Suarez, Valentia, Trigoſius, & alij.

Morandus cum Vaſquez conatur has Scripturas infirmare, dicens, non probare propoſitum ſed ſolùm affuiſſe è mundi fabrica teſtimonium ſufficiens, vt omnibus innoteſceret probabiliter. Ideò ſi quis modo Dei negaret exiſtentiam, non ob id eſſet inexcuſabilis quia euidentem hac de re demonſtrationem habere potuiſſet; ſed quia lumine fidei, & notitia prudenti potuiſſet aſſequi. Ex eo itaque Gentes ſunt inexcuſabiles, quod rationibus probabilibus apud prudentes non acquieuerunt, & adducit S. Gregorium Nazianzenum, qui dicit, Creatorem, ex mundi coniectura quadam, colligi. Et notat, græcè eum vti participio, quod ſignificat ratiocinari.

Contra primò. Nam Spiritus ſanctus vtitur verbis ſignificantibus demonſtrationem euidentiſſimam; ait enim; poſſe videri, conſpici Deum.

Reſpondet Vaſquez, communi quadam ſignificatione exprimere quamlibet intellectus notitiam, cum aſſenſu determinato.

At contra arguit Suarez cum D. Bonau. quia verba clara ſunt, nec proprietas verborum debet extorqueri. Sapiens autem, vt notat S. Bonau. non eſt contentus verbo videndi; ſed addidit, cognoſcibiliter videri poterat. Paulus autem tot verba congerit, quæ claram demonſtrationem ſignificant. Ait enim; eſſe manifeſtum; quod Deus illis manifeſtauit. Deinde addit, conſpici. Vbi S. Hieronymus *in* 36. *Iob*, & *ad Pſalm.* 95. & Galat. 1. *tam euidenter* (ait) *intellecta eſſe, vt conſpecta dicantur.* Idem inſinuat ibi Chryſoſt. & alij Græci; & Beda cum Auguſt. cuius multa loca refert. Eſt autem optimus locus *tract.* 2. *in Ioan.* vbi ait: *Deus poteſt inueniri per creaturam euidenter; dicente Apoſtolo. Inuiſibilia Dei, &c.* Idem habet *lib. ſoliloq. cap.* 31. Et 10. *confeſſ. cap.* 6. & *de Spiritu*, & *litt. cap.* 12. & 8. *de ciuitate cap.* 6. & *ſerm.* 55. *de verbis Apoſtoli.*

Imò eſt communis Patrum ſenſus. Sic Dion. *cap.* 7. *de Diu. nom.* Iuſtinus *ad quæſt.* 6. propoſitam à gentibus, Origenes *homil.* 2. *in diuerſos*, Baſil. *homil.* 1. 2. 6. 10. & 11. *Hexaëmer.* Cyprianus *de Idolorum vanitate.* Athanaſius *orat. contra Idola*, Hilar. *in Pſal.* 12. Hieronym. *ad* 11. *Iſa* & 1. *Rom.* Ambroſius *lib.* 2. *de vocat. gent. cap.* 1. Gregorius *lib.* 27. *Moral. cap.* 2. Theodoret. *lib. de Diis, & Angelis*, & *lib. de prouidentia*, Cyrillus *lib.* 3. *in Ioan. cap.* 3. & 12. Damaſc. 1. *de fide*; *cap.* 1. Theophylact. *lib.* 1. *ad Autolium*, Iſidorus *lib.* 1. *ſent. cap.* 4. & alij. Ipſe Nazianzenus *orat.* 24. vbi ait; inſitam eſſe naturalem cognitionem de Deo, eo quòd per naturalem diſcurſum comparatur, vt ipſe exponit *oratione* 34. vbi Interpres (fateor) pro diſcurſu, traduxit, *per coniecturam aſſequi*; ſed vox Græca eſt Syllogizare, ratiocinari.

id eſt

ideſt, deduci per diſcurſum euidenter; vt ait S. Bonau. *diſt.8. p.1. quæſt.2.* & aliis locis infra citandis.

Conſentiunt Philoſophi Ariſtoteles *loc. cit.* Philo *lib.2. allegor.* Ammon. *præfat.* in prædicamenta, Cicero *lib.1. Tuſcul.* & *lib.2. de natura Deorum*; Auctor libri, qui titulatur Harmonia mundi *lib.1. cap.3.* qui adducit multos Philoſophos id aſſerentes, & inter cæteros. Auicennam dicentem: *Eum, qui non fatetur, Deum eſſe; non minùs eſſe ſtolidum, quàm, qui negat, niuem eſſe albam*, & ibidem refert memorabile factum Athenienſium, qui librum cuiuſdam Prothagoræ Sophiſtæ, in quo dubitare videbatur, An Deus eſſet, combuſſerunt, & ipſum Prothagoram ex vrbe, & agro in exilium relegarunt. Idem aliæ Reſpublicæ ſenſerunt. Tandem idem communiter ſentiunt Scholaſtici *in primo diſt.2. & 3.*

QVÆ cum ita ſint. Stat contra Vaſquez, hominem inexcuſabilem fore, ſi eſſet Atheus, quia certam cognitionem habere potuit ex creaturis, & Deo inſpirante, & mouente ad credendum Deum perfecto modo, vti eſt.

41 PROBATVR ſecundò à D. Bonau. *loc. cit. Sap.* authoritate validiſſima *Act.17.* Paulus arguebat ſapientiſſimos Athenienſes Areopagitas, eò quòd multos Deos adorarent; probat autem ſic eſſe vnum Deum. *Fecit ex vno omne genus hominum inhabitare ſuper vniuerſam ſuperficiem terræ, definiens ſtatuta tempora, &c. quærere Deum ſi fortè attrectent eum, aut inueniant.* Supponit igitur, Deum palpo ferè notum. Hinc Triſmegiſtus in Pimandro ait: *Nam quamuis oculi noſtri eo vſque pertingere non poſſint, vt Deum videant; ipſe tamen ſe manibus noſtris attrectare ſinit.* Et Iamblichus *de myſt. Ægyp. cap.1.* ait, Deum contactu quodam animi percipi. Ratio eſt Pauli: *In ipſo enim viuimus, mouemur, & ſumus.*

Multas demonſtrationes afferunt Suarez, Vaſquez Valentia, & alij, ſumptas è D. Bonau. *ad cap.1. Ioan.* & *in lib. ſent. locis citandis*, & opuſc. *Principium Scripturæ.*

42 PRIMA demonſtratio habetur in D. Bonau. 1 *diſt.3. dub.4. litt.* & opuſc. *Principium Scripturæ.* Omne quod mouetur, ab alio mouetur. Ergo vel abeundum in infinitum, vel deueniendum ad vnum primum motorem immobilem. Sed hoc mouens debet eſſe Deus, vt communiter creditur: Ergò. Maior probatur. Nam quod mouetur eſt in potentia; quod mouet eſt in actu; nihil autem poteſt eſſe ſimul actu, & potentia reſpectu eiuſdem. Quod verò proceſſus in infinitum ſit abſurdus, probatur primò, quia ſic quilibet motus egeret infinitis motoribus; hoc autem non eſt verum; quia omnis motus eſt finitus. Secundò quia, ſi motores eſſent infiniti nunquam deueniretur ad motorem medium, & vltimum. Hac demonſtratione vſus eſt Ariſtoteles 7. & 8. *Phyſ.* & 9. *Metaph.* Eadem vtuntur Valentia, & communiter moderni, poſt D. Thomam.

Eam verò impugnat Arriaga *p.1. diſp.2. ſect.4.* cum Suarez *diſp.29. Metaph.* Scot. 1 *d.2. quæſt.2.* primò, quia cæli poſſunt dici moueri à propria forma; ſicuti mouentur etiam Angeli, Animæ, grauia, & leuia. Secundò quia non colligitur hinc motus immaterialis æternus, etiamſi concedatur axioma; cùm motus non ſit æternus. Tertiò addit ſuo marte, non ſequi ex illo axiomate, Deum eſſe vbique, quia poteſt agens agere in diſtans.

Hæc tamen friuola ſunt. Eſto enim aliqua motum aliquem à propria forma obtineant; tamen omnia motus aliquos patiuntur ab extra. Generationes enim à ſe non habent, quia nil ſe ipſum producit: neque corruptiones à natura intentæ ſunt, quæ ſui appetit eſſe. Cæli alterationes, luminum motus rapidos; & in nouis ſtellis motationes ferunt. Animæ patiuntur violentas alterationes, ſeparationes à corporibus, lationes. Angeli à ſe non habent eſſe, alterantur ab obiectis viſis apprehenſis. Inuenire ergo oportet producentem, motoremque, vnde & ipſa natura ſit motus, & quietis principium; & ne abeas in infinitum, debet eſſe omnis motus incapax, improductus, æternus, independens, omnes abſorbens entitates, cui nulla addi valet. *Ecce Deum.* Id reagam *tract.3. d.17. quæſt.1.* & *hic. d. ſeq.* vbi refellam, quæ vltimò opponunt.

SECVNDA demonſtratio habetur in D. Bonau. *ibidem, & locis allegatis quæſt.3.* & *lib.1. Compend. Theologicæ veritatis cap.1.* Omnes effectus ſunt ab alio; cùm nihil ſit cauſa ſui ipſius. Sed dantur innumeri effectus. Ergo ab alio, tanquam à cauſa. Tunc ſic. Omnis effectus debet venire ab vna prima cauſa non cauſata (ſaltem mediatè.) Talis eſſe debet perfectiſſima, & Deus: ergo. Maior probatur, alioqui daretur proceſſus in infinitum in cauſando, quod eſt abſonum. Deinde, quia nullus vtiquam eſſet effectus; neque enim vlla cauſa media poſſet efficere, cùm hæc non agat, niſi vt eſt à cauſa priori; & proceſſus infinitus non poteſt compleri. Inde enim eueniret, vt per infinitam ſeriem non poſſent cauſæ ſuperiores virtutem deferre ad inferiores. Ergo datur vna cauſa prima, quæ non eſt ab aliqua alia pendens; Alioqui euenirent etiam omnia caſu, cùm non detur prima cauſa regulans alias. Minor probatur ex communi conſenſu omnium. Vnde Plato moriens fertur ſic Deum inuocaſſe. *Cauſa cauſarum miſerere mei.* Hac demonſtratione vtitur Ariſtoteles 2. *Metaph. c.6.* lateque proſequuntur Scotus 1. *d.2. quæſt.2.* & Diſcipuli, & neruosè Recopit. *tract.1. de exiſtentia Dei, quæſt.10. à cap.4.* Morandus *tract.1. quæſt.2.* Fulienſis *l.1. cap.1,* Bouer. 43

Hinc vrget S. Bonau. *dub. illo 4. diſt.3.* Si hæc cauſa eſt ens, non ab alio. Ergo eſt purus actus. Ergo ſemper fuit; neque enim poteſt ab aliqua cauſa terminari, vt in tempore incipiat, vel deſinat, etiam cùm poſſit conſeruare aliud in infinitum. Ergo ipſum eſt actu æternum. Hac demonſtratione vtuntur Valentia, Vaſquez, Arriaga, & alij ſuprà. Eamque Morandus vocat euidentiſſimam, & Poſnanienſis *quæſt.4.* efficacem, & Bouerius eximiam.

Profectò Naturæ author hinc nobis affulget, iuxta Dauidis id Pſalm.4. *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine*, vt monet S. D. *in 2. d.24. p.1. art.2. quæſt.3.* & *in 3. d.6. p.1. art. vn. quæſt.1.* clariùs opuſc. *de tribus ternariis cap.8.* & *de 7. itiner. item.6. diſt 4.* & ad hunc *Pſalm.* vbi ait: inſignitum corde quaſi Libro. Ideò *Tull.1. de leg.* ait. Nullam gentem adeò efferam, quæ etſi, qualem Deum ſe habere deceat ignoret, tamen habendum non ſciat. Ideò *Iob* 38. ait: *Omnes homines vident eum, vnuſquiſque intuetur procul.* Vbi Interpres Catenæ Græcæ. *Omnes Deum vident in ſe ipſis*, ideſt, cunctis hominibus inſita eſt Dei cognitio. Hæc latè apponunt D. Cypr. *tract.4. de Idol.* Irenæus *l.2. cap.5.* Greg. *ad 36. Iob.* Tertull. *in Apol. c.17.* Cicero *de Aruſp. reſponſ.* apud Bouërium *art.4.*

Mira ſunt, quæ dicit Triſmeg. *l. Quod Deus inuiſibilis ſit*, ex operibus manifeſtus. *Cogita ô fili hominem in vtero materno compoſitum, totamque artificij artem diligenter perpende, & diſce quis ſit Opifex, qui hanc pulchram, diuinamque imaginem fecerit, quis oculos formauerit; quis nares, & aures terebrauerit; quis os aperuerit; quis neruos tetenderit, & ligauerit; quis venas irrigauerit; quis oſſa ſolidauerit; quis pellem carni circumdederit; quis digitos diſtribuerit; quis pedes in greſſum, & plantam dilatauerit; quis*

poros

poros aperuerit; quis cor pyramidis figuram habere fecerit; quis pulmones cauernoſos, &c. Aſpice quot artes, quot opera, cunctaque pulchra, cuncta cum menſura. Quis hæc omnia fecit? quæ Mater? quis Pater? niſi Deus? At ſtatuam, vel imaginem ſine artifice, nemo dicet extitiſſe. Hoc ergo opificium fuit ſine opifice? O cæcitatem incredibilem! O magnam impietatem! O incredibilem ingratitudinem!

44 Tertia demonſtratio habetur in S. Bonau. dubiis *diſt.3. citata*, & *p.1. Breuil. cap.2.* & ſumitur ex gradibus rerum. Sunt multa entia in mundo, diuerſitate mirabili, alia aliis perfectiora. Ergo debet dari vnum optimum perfectiſſimum, quod ſit menſura omnium. Antecedens patet. Conſequentia eſt Ariſtotelis 2. *Metaph.4.* Subſumo. Sed illud perfectiſſimum eſt Deus: ergo. Minor probatur à D. Bonau. Qui dat aliis viuere, ſentire, intelligere, eſſeque ſpiritum pulcherrimum, incorruptibilem; debet ſummè viuere, eſſeque ſpiritus immortalis per ſe.

Vrget Seraphicus Doctor. Nullum agens poteſt producere tot gradus rerum, niſi ex materia, & materia non poteſt eſſe ex alia materia; & illa ex alia; alioqui abeundum in infinitum, & conſequenter non poſſemus deuenire ad hanc vltimam, ex qua factus eſt ignis de ligno; nec poteſt eſſe à ſe, cùm ſit potentia indigens actu. Ergo debet dari agens omnipotens, ſapientiſſimus, optimus, à quo ſolo initium habuerit perfectio, & pulchritudo mundi. Hic autem non poteſt eſſe, niſi Deus: ergo. Hac demonſtratione vtitur ex parte Valentia; ſed eam roborat firmius S. Bonau.

45 Qvarta demonſtratio ſumitur à D. Bonau. *locis citatis*, ex gubernatione rerum. Videmus enim, eam ordine miro agere determinatè ad ſuos fines, eoſque conſequi. Ergo gubernatur ab aliquo ſummo. Eſt D. Dionyſij, *cap.7. de Diu. nom.* & Gregorij Nyſſeni, *de creatione.* Affert verò ſimilitudinem Antonius Glielmus *de S. Trinitate.* Si aliquis in nemore inueniret pendulum ex arbore muſicum inſtrumentum, concinnè harmoniam reddens ſuauiſſimam; quiſnam diceret illud à ſe factum, vel caſu pendere? Profectò eliceret, optimum muſicum illud confeciſſe. Cùm ergo huius mundi admirabilem ſentiamus harmoniam; Surdi profectò ſumus, niſi ſummum inde artificem inueniamus, qui dixit: *Concentum cæli quis dormire facit? Vbi eras cùm me laudarent ſimul aſtra matutina, & iubilarent omnes filij Dei.* Iob 38. Hanc vrgent præcipuè Morandus, & Bouerius percurrendo.

46 Qvinta demonſtratio eſt D. Bonau. *diſt 3. dub. citato.* Et *diſtinct. 8 p. 1. quæſt. 1.* & *p. 1. Breuil. cap.2.* Dantur multæ res bonæ, & meliores. Ergò datur etiam optima, quæ non poteſt melior cogitari. Sed res, quæ non poteſt melior intelligi non eſt ſolùm in cogitatione, nam poteſt dari melior ea, quæ in cogitatione, & in re ipſa. Ergo. At hæc res, quæ melior non poteſt cogitari eſſe, eſt Deus, ex D. Anſelmo *in Proſol. cap 2. 4. & 5.* vt refert S. Bonau. *diſt.8. loc. cit.* Ergo. Hac ratione vtitur Vaſquez.

Reſpondet tamen Trigoſius *quæſt.2. art.2. dub.1. ad 3.* ex Caietano, Deum in actu ſignato eſſe, quo meliùs non poteſt cogitari; attamen, in actu exercito non ſequi, rem ita eſſe. Sicut qui conciperet Muſicum optimum omnium; non tamen oſtenderet, ita dari à parte rei.

Hæc tamen ſolutio optima, & ſubtilis ab eo acclamata, futilis eſt. Nam cùm in actu exercito dentur res bonæ, & meliores comparatiuè; debet dari etiam ſuperlatiua. Et cùm aliæ meliores in infinitum dari queant, pro gradibus poſſibilium. Ergo datur optima, potens ea dare.

Sexta demonſtratio habetur in D. Bonau. *ſerm. 5. Hexaemer.* Datur ens productum. Ergo, & improductum, & primum; quia effectus ſupponit cauſam. Datur ens ab alio. Ergo, & per ſe. Datur ens propter aliud. Ergo ens propter ſe. Datur ens compoſitum. Ergo & ſimplex. Datur ens mixtum ex actu, & potentia. Ergo, & purus actus. Datur ens mutabile. Ergo, & immutabile. Probatur, nam compoſitum reducitur ad ſimplex. Mutabile ad fixum; & ſi datur vnum oppoſitum datur etiam alterum. 47

Septima demonſtratio habetur in S. Doctore *ſerm. 10. Hexaemer.* qua vtitur Valentia *loc. cit. ſubſect.3.* Datur ens contingens. Ergo, & neceſſarium. Datur ens in alio. Ergo, & ens in ſe. Datur ens in genere. Ergo, & extra genus. Datur ens ſecundum quid. Ergo, & ens ſimpliciter. His adnectè Dei prouidentiam rebus omnibus. 48

Octava demonſtratio moralis optima, eſt D. Bonau. *in 2. diſt.19. quæſt.2.* Si Deum de medio tollamus, oportet tollere media ſalutis, præmia virtutum, pœnas vitiorum, & conſequenter animæ immortalitatem. Sed anima eſt immortalis; nam appetit naturaliter beatitudinem; appetitus autem naturalis non eſt fruſtra. Ergo datur beatitudo in præmium virtutis. Beatitudo autem eſt in ſummo omnium bonorum, & perfectionum aggregatione perfecto. Dantur etiam pœnæ vitiorum. Ideò enim etiam Ethnici, campos Eliſios bonis; infernum malis, deſtinari dixere. Adde quod ſi non daretur beatitudo animæ, & conſequenter eius immortalitas, melioris conditionis eſſent impij, qui proſperantur; quàm boni, qui ſæpe toto vitæ curſu affliguntur. Hinc vide quot mala ex Atheiſmo ſequantur. Hac ratione vtitur Vaſquez *loco citato.* Profectò, ſi datur optimum in perfectione etiam morali, oportet, vt detur ſumma iuſtitia, quæ reddat cuique iuxta opera, vt dixi in argumento 3. *& ſeq.* 49

Gregorius de Valentia multa ſibi obiicit, contra allatas demonſtrationes, & concedit, eas non demonſtrare exiſtentiam Dei; ſed ſolùm aliquas eius perfectiones à poſteriori. Concedit quidem etiam S. Bonauentura *diſt.3. p.1. dub 4. & 5. litt.* has demonſtrationes oſtendere aliquas tantùm perfectiones, ſed quæ ſoli Deo poſſunt conuenire; atque adeò inde Deum benè demonſtrant. Si enim eſt ens aliquod non ab alio: ſequitur neceſſariò ſemper fuiſſe; neque poteſt ab alia cauſa eſſe productum, aut deſtrui; neque ſe ipſum creauit, cùm nihil producat ſeipſum. Sequitur etiam, illud ens eſſe omninò in actu, & nullo modo in potentia. Ergo perfectiſſimum. Ergo infinitum, vt cui nil poteſt addi. Si enim eſſet finitum iam eſſet in potentia ad melius. Similiter ſi eſt beatitudo. Ergo omne bonum. Probatur à Seraphico Doctore non poteſt eſſe beatus, qui non habet quidquid eſt boni; vel poteſt illud amittere, & conſequenter fieri miſer. Ergo infinitum eſſe debet in genere principij; & finis. Ergo Deus. Hac reſponſione vtitur ex parte Vaſquez, ſed mutila; at Valentia nimis cedit oppoſitionibus.

Optima verò demonſtratio ſumitur ex mundi pulchritudine, & concentu; qua vtitur S. Bonau. *diſt.3. quæſt.2.* adducens illud Sap. 13. *A magnitudine ſpeciei, & creaturæ cognoſcibiliter poterat horum Creator videri.* Idem habet S. Doctor ad hunc locum *Sap.* adducens D. Auguſtinum, & *Eccl. 4.* dicentes. Mundum eſſe librum, in quo aureis characteribus Creator perlegitur. Hanc latè proſequitur Seraphicus *ad cap. 1. Ioan.* addens & illud Pſalm. 18. *Cæli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annunciat firmamentum.* Vide Antonium Glielmum *in lib. de* 50

ſanctiſſima

ſanctiſſima Trinitate. Italico, vbi eleganter id, & egregie proſequitur, ſumptis è D. Bonauentura exquiſitis argumentis maxime ex opuſculis, & ſermonibus. Hoc medio argumentatur præſertim D. Chryſoſt. *homil.9. ad popul. Antioch.* & ipſe Cicero *de nat. Deor.* elegantius verò Chryſoſt. etiam *Pſalm.145.* Naz. *lib.2. de Theol.* Theodoret. *l.4. Græc. affect.* Clem. *l.8. Recogn.* Tertull. in Marcio: *l.1. cap.14.* Auguſt. *Pſalm.148* Athan. *cont. Idola* Cyrill. *catech.9.* Vide Bonet. *art.6.* & cum eo orbem petuola, & inuenies. Quæ opponunt Athei de fortuna, & fato, & caſu paſſim opportunè ſoluo. Vide & Bouerium.

DISPVTATIO II.

De quidditate Dei.

QVÆSTIO I.

An eſſe Dei totam eius includat quidditatem.

D.Thom. p.1. quæſt 13. art.11.

FAMILIARE eſt Theologis proloquium illud; eſſe Deum à ſe ipſo, non ab alio, ſatis explicare quid ſit Deus. Ita D. Bonau. *ſerm.11. Hexaëmer.* & D. Thom. hic. Ideo enim S. Bonau. ait. Omnia, quæ ſunt Dei comprehendi hoc dicto: *Ego ſum qui ſum*, quatenus inter res omnes, & ex rebus omnibus repræſentatur origo earum, ac ſummæ inter eas perfectio-
1 nes: quia enim omnia habent eſſe ab eo, ipſe debet eſſe, qui eſt ſimpliciter actus, abſque ræuo potentialitatis. Ita loquitur D. Damaſcenus *lib. 1. cap. 12.* adducto à D. Thoma *loc. cit.* dicens: *Principalius omnibus, quæ de Deo dicantur nominibus, eſt hoc.* Qui eſt. *Totum enim in ſe ipſo comprehendit, velut quoddam pelagus ſubſtantiæ infinitum. Quolibet enim alio nomine determinatur aliquis modus ſubſtantiæ rei: ſed hoc nomen.* Qui eſt. *Nullum modum eſſendi determinat; ſed ſe habet indeterminatè ad omnes, & ideò nominat ipſum, pelagus ſubſtantiæ infinitum.* Significat etiam Deum ſemper eſſe præſentem, nec noſſe præteritum, vel futurum, vt ait S. Auguſt. 5. *de Trin. cap.2. & lib. 83. qq. quæſt.17. & 12. de ciuitate cap.2.* Bernardus 5. *de conſider. cap.6.* Et princeps Dionyſius *cap.2. & 5. de Diu. Nom.* ait: *Deum in vna exiſtentia omnia prahabere.*

2 SCITO autem ex Seraphico Doctore *loc. cit.* & aliis adductis *diſp.1. quæſt.1. & 3.* non accipi eſſe, prout dicit abſtractam exiſtentiam; ſic enim non explicaret ſingulariter quid ſit Deus; ſed ſumi eſſe Dei, pro exiſtentia modo adaptato Diuinæ perfectioni. Hoc autem *eſſe*, oſtendi *diſp.1. quæſt.1.* eſſe de intrinſeca Dei quidditate. Addo implicitè eam exprimere, non tamen explicitè, quia præter eſſe Diuinum, multa includuntur in Deo, quæ multis modis explicantur.

3 SCITO præterea ex D. Bonau. *diſt.3. in dubiis litt. & diſt. 8. quæſt.2.* tribus modis inueſtigari poſſe diuinæ eſſentiæ quidditatem. Primò per negationem, quem modum laudat S. Dionyſius *cap. 2. cæleſtis hier.* vbi ait: *Negationes de Deo ſunt veræ; affirmationes autem incompactæ*, ſeu inconuenientes, ſecundùm aliam tranſlationem apud D. Thomam *quæſt.13. art. 12. ad 1.* nempe quia non ſatis modum ſignificandi Deum habent. Hic tamen modus negatiuus latus eſt; dum enim dico. Deus non eſt potens; non ſapiens (intelligendo, ſicuti nos ſumus) adhuc confusè inuoluit, quid ſit illud poſitiuum quidditatis diuinæ perfectiſſimum, ex quo tales negationes conſequuntur. Secundo modo concipitur relatiuè ad creaturas, vt dum conſideratur Primus motor, prima cauſa, ex quibus neceſſitatem eſſendi Dei colligimus *diſp.1. quæſt.3. & quæſt. vltima.* Tertius verò modus eſt per excellentiam, quo Deum ſuper omnia entia pulcherrimum perfectiſſimum agnoſcimus, vt dixi, *diſp.1. quæſt. vlt.* Et hic modus eſt optimus ad Dei quidditatem venandam inter huius vitæ vmbras, & Syloas. Eo autem vtitur S. Bonau. *diſt.3. loc. cit. & ſerm.11. Hexaemer, & in Breuil. p.1.* per multa capita, vbi ex D. Auguſt. 15. *de Trin. cap.8.* ita diſcurrit. Hoc nomen. *Qui eſt.* In anima ſcriptum, illuſtrat eam, Auguſt. enim ſic explanat. *Nos autem reuelata facie gloriam Domini ſpeculantes, non à propè, ſed à longè*, vt dicitur prima Corinth.3. Hoc ſpeculum format Auguſt. 15. *de Trin. cap.4.* qui volens oſtendere vnitatem, & Trinitatem Dei, ſic dicit: *Neque enim diuinorum librorum auctoritas tantummodò prædicat, eſſe Deum verum; ſed omnis, quæ nos circumſtat, ad quam nos etiam pertinemus vniuerſa rerum natura proclamat, ſe habere præſtantiſſimum conditorem, qui nobis mentem, rationemque dedit, quæ viuentia non viuentibus: ſenſu prædita non ſentientibus; intelligentia non intelligentibus; immortalia mortalibus; impotentibus potentia, ſpecioſa deformibus præferenda videamus. Et per hæc, quoniam rebus creatis, Creatorem ſine dubitatione præponimus, oportet, vt eum & ſummè viuere, & cuncta ſentire, & intelligere; & mori; corrumpi; mutarique non poſſe; nec corpus eſſe; ſed ſpiritum omnipotentiſſimum, & optimum fateamur.* Hanc autem ſuperexcellentiam Diuinam ſolent Hebræi exprimere nomine illo Iehouah, ſeu Tetragrammato, de quo *diſp.12.* agam, & latè proſequitur S. Bonau. *opuſc. cui titulus Principium Scripturæ ſacræ.* Hoc enim nomen continebat primitatem inanteibilem, nam ipſum nomen, hoc ſignificat Principium. Deus enim eſt primum mouens immobile, vt dicit Ariſtoteles: 8. *Phyſ. text. 1.* & ſequentibus. Ergo nec incipit eſſe, nec habere. Habet igitur primitatem omninò inprincipabilem.

PROBATVR à D. Bonau. *ibi.* Omne illud, in cu- 4
ius ſubſtantia admiſcetur potentia, ſecundùm id, quod habet de potentia, poteſt non eſſe: quia quod poteſt eſſe, poteſt etiam non eſſe, vt probat Philoſophus 12. *Metaph. text.30.* & S. Damaſcenus 1. *de fide cap.8.* In Deo non eſt potentia ad eſſe. Non igitur incipit eſſe, nec per motum, nec per mutationem, quia motus eſt actus entis in potentia, ſecundùm quod huiuſmodi *ex 3. Phyſic. text. 16. & ſeq.* Secundò, hoc nomen ſignificat ſupremam authoritatem, & poteſtatem inuiolabilem. Ideò enim hoc ſibi nomen Deus impoſuit, ſignificans Principatum ſummum, incommunicabilem. Hinc Dauid, videns hanc authoritatem ortam ex primitate Pſalmo 65. ait: *Deus, qui dominatur in virtute ſua in æternum.* Obſeruat autem Deum regnare virtute ſua, non aliena, quia ab eodem eſt virtus, à quo eſt eſſe. Cùm ergo à ſe habeat eſſe; habet à ſe etiam virtutem. Deum autem à ſe eſſe, & principium, explicatur in Scriptura. *Deus Deorum.* Deuter. 10. *Rex Regum, & Dominus Dominantium prima* Timoth.6. Apoc.19.

Hoc

Hoc nomen includit etiam vniuerſalitatem incoarctabilem, quia vniuerſitatem creaturum perfectionum continet eminenter, tanquam cauſa ſuprema. Hoc enim nomen ſignificat Principium vitæ, vt ait Gloſſa *ad* 28. *Exodi.*

Has diuinas præcellentias ex D. Dionyſio complectimur, qui ait, *cap.2.* de Diuinis nom. *Dominatio Dei, non ſubditorum excellentia tantum eſt; ſed bonorum etiam optimorum perfectiſſima, & omnimoda poſſeſſio, & immutabilis firmitas.*

Ex *lib.1. Compend. Theologica verit. cap.21.* mirè, ex diuina excellentia ſuper creaturas, Deum ſcrutatur. Vnde ait, perfectiones creaturarum dici de Deo in ſuperlatiuo perfectior eſt enim perfectio aquæ in fonte, quàm in riuo; radij in Sole, quam in aëre; dulcedo in melle, quàm in mellito pane.

Asserò primò, eſſe Dei, non eſſe totam quidditatem eius.

5 Probatvr ex dictis, quia multa alia in Diuina quidditate recondita inueniuntur, præter eſſe. Vnde licet notum ſit nobis eius eſſe; tamen quidditas eſt ignota, vt diſcurrit S.Bonau. *diſt.8.p.1. q.2.* & oſtendit *quæſt.4. diſputationis primæ.*

Asserò ſecundò, eſſe Dei implicitè includere Deum perfectè.

Probatvr ex dictis, quia Ens totum actu excludens omnem potentialitatem, (ſicut oſtenditur ex creaturis Deus) debet eſſe perfectiſſimum, & Deus, vt ſupra diſcurri.

QVÆSTIO II.

Quid ſit Deus.

6 Svppoſitis quæſtione prima dictis.

Asserò primò, Deum eſſe ſubſtantiam completam.

Probatvr à Seraphico locis adductis ibi, quia eſt Ens perfectiſſimum. Ergo ſubſtantia; non accidens. Quinimò nulli ſubſtare debet accidenti. Ideò enim à D.Dionyſio, *cap.1. & 2. & 7. de Diuinis nominibus*, vocatur, ſuperſubſtantia. Eſt de fide, vt patet ex modo, quo Scriptura loquitur de Deo.

Asserò ſecundò, Deum eſſe viuentem, primo Apoc.5. *Adorauerunt viuentem.*

Probatvr deinde à D. Bonau. locis adductis, *quæſt.* 2. quia viuens eſt nobilius non viuente; at Deus eſt nobiliſſimus, & cauſa viuentium prima. Ergo.

Asserò tertiò, Deum eſſe viuentem vita intellectuali.

Seqvitvr ex dictis, nam ſi eſt viuens nobiliſſimum. Ergo vita nobiliſſima, hæc autem eſt intellectualis. Quod enim in Deo ſit ſapientia, patet ex Rom.11. & Coloſſ.2. *In quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientia Dei.*

Asserò quartò, Deum eſſe tranſcendentaliter ſapientem.

Probatvr ex dictis, quia omnes perfectiones intellectualium, ſecluſis imperfectionibus continet, vt dixi *quæſtione prima*, cum D. Bonauentura, a quo Suarez argumenta ſumpſit, *Lib.1. cap.3.*

7 Asserò quintò. Inter modos aſſignatos quæſtione prima deſcribendi Deum, optimus eſt ille tertio loco poſitus à Doctore Seraphico, è ſuperexcellentia Dei. Deus eſt Ens ſuper omnia entia exiſtens, pulcherrimum, ſapientiſſimum, potentiſſimum, beatiſſimum, ſpiritualiſſimum, glorioſiſſimum, infinitum, immutabile.

Hæc breuiter innuo, quia de his ſpeciales inſtituam quæſtiones, quibus omnes imperfectiones excludo à Deo; & omnes perfectiones tranſcendentes comprehendo.

Mvltas Dei deſcriptiones affert Doctor Seraphicus, *lib. primo Compend. Theologiæ, cap.24.* vbi primò ſupponit, Deum non poſſe quidditatiuè perfectè in hac vita cognoſci, vt dixi *diſput.1. quæſt.4.*

Deinde, quibuſdam circulationibus aſſerit deſcribi.

Sic ex D.Bernardo, qui *lib.5. de Conſideratione c.6. & 7.* ait. Quid eſt Deus? Ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia. Quid eſt Deus? Reſpondet ex D.Anſelmo *in Proſol. cap.2. & ſequenti.* Quo nihil melius cogitari poteſt. Quid eſt Deus? Voluntas omnipotens, beneuolentiſſima virtus, Lumen æternum, incommutabilis Ratio, ſumma beatitudo, inuiſibilis, inacceſſibilis; in ſe, in ſuis ſpectabilis, mutabilis.

Advertit autem Seraphicus Bonauentura ibi, quidquid de Deo aſſeritur, debere inniti ratione, vel authoritate, ne temerè loquamur. Hæc Deo afflante oſtendemus.

Dantur multa prædicata Deo eſſentialia, vt eſſe à ſe, non quidem poſitiuè, quia nihil ſe ipſum producit, cùm omne agat in quantum eſt actu; ſed negatiuè, quia à nullo alio eſt. Quare nec Filij, aut Spiritus ſancti deitati derogat, eſſe productos per communicationem diuinæ eſſentiæ einſdem, non ab alio diſtincto abſolute, ſed ſola maſculina perſonali relatiua diſtinctione, vt monet Ribas, *Tr.1. d.1. n.11.* *cit.* D.Bonau. *in 1. d.5. art 2. quæſt.1.* & *d.2. art.1. q.2.* Ex eſſe à ſe, venit eſſe per ſe, & ex eſſe Ens actu puro, reſultat eſſe ſimpliciter neceſſe.

Diſputant hic Gill. *Tr. de comment. Theol. l.2. t.1. à cap.6.* Ribas *tr.1. d.1.* & alij. An attributa Deo ſint eſſentialia, quod viſi ſunt aſſerere SS.Patres Auguſt.7. *de Trin. cap.1. & 2.* Nyſſ. *or.7. in Cant.* Anſel. *in monol. cap.15.* Bernard. *l.5. de conſider. c.6.* & *ſerm* 80. *in Cant.* Id ſentit cum allatis Theologis Suarez *d.* 30. *met. ſect.6.* & *l.1. de eſſ. Dei cap.11.* Vaſquez *d.119.* hic tamen, & ferè Gillius vult, noſtro modo concipiendi non eſſe eſſentialia. Ribas verò ſolum adæquatè accepto Deo; non formaliſſimè; & hoc ſenſu locutos Patres. Similiter locuti ſunt alij.

Enim verò de eſſentia Dei formaliſſime ſumpta eſſe attributa, aſſerunt Anſel. *monol. cap.16.* & Bern. cit.

E contra Damaſ. *l.1. fidei cap.4.* Hyſſ. *l. de S.Trin. ad fin.* Cyrill. Alex. *l.11. Theſſ.* Baſil. *l.1. in Eunom.* diſtinguere videntur attributa à ſubſtantia, quibus accinit Marius Victorin. *l.2.* aduerſ. Arium.

Hæc è dicendis *d.3.* patebunt à *quæſt.8.*

QVÆSTIO III.

Quæ ſit ratio per ſe primò conſtitutiua Diuinæ Eſſentia.

Prima opinio eſt Suarez *d.30. met. ſect.15.* & *l.1.* *de Trin. cap.5.* Valentini de Herize *tr.5. de ſcient. Dei d.3. c.3.* Petri Hurt. *d.20. metap. ſect.1.* hanc eſſe actualem intellectionem Dei. Aſſentitur Ludou. Ribas *tr.1. d.2. cap.2.* formaliſſimè accepto Deo. Ità alij multi quos referunt *T.2. d.2. num.121.*

Secvnda ſententia id negat eam verò rationem aliqui aſſerunt eſſe ſubſtantiam à ſe, vt Vaſquez *d.118. cap.3.* Alij volunt, conſtitui per rationem

ſubſtantiæ à ſe exiſtentis intellectualis, vt Arrubal. *d.* 28. *cap.* 3. Alij volunt, conſtitui Deum potiſſimè natura diuina, pro vt eſt radix intellectionis, vt Granado *T.* 1. *contr.* 2. *t.* 1. *d.* 3. *ſect.* 2. Alij dicunt, eſſe infinitum, eſſe rationem per ſe primò conſtitutiuam diuinæ eſſentiæ. Ità Chriſtoph. Gillius *l.* 2. *tract.* 1. *cap* 14. Addit *tract.* 2. *cap.* 4. ſecundum noſtrum modum intelligendi ipſum eſſe à ſe ſubſtantiale vt ſic perfectionum diuinarum per ſe primò, & completè, diuinam eſſentiam conſtituere.

Tertia ſententia ait, neque actualem intellectionem, neque vllam ex allatis preciſè ſed, ipſam ſubſtantiam à ſe intellectiuam, & voliriuam eſſe Dei quidditatem. Ità D. Bonau. *t.* *d.* 45. *art.* 1. *quæſt.* 1. & *art.* 2. *quæſt.* 1. & *d.* 9. *quæſt.* 1. & *d.* 10. *q.* 1. *& ſeq.* & aliis locis quos referam *tr. de Trin. d.* 1. Non reſiſtit conuictus Suarez *d.* 30. *metap. ſect.* 16. *n.* 14. ſequuntur alij, vt Gregor. Ferrarius *in cap* 2. *Apoc. ep.* 2. *quæſt.* 18. Maſtr. 1. *d.* 7. *à num.* 141. & alij ibi.

Nota primò, nos primam rationem Dei conſtitutiuam, ad quam omnia eius reducuntur prædicata, ſupponere ſubſtantiam actualiſſimam, modo dicto *d.* 1. *quæſt.* 1. & in hoc, non modo Scotum cum eximiis diſcipulis, ſed alios habemus ſocios.

Nota ſecundò, in eo ponendam rationem eſſentiæ Diuinæ, quod eſt veluti oceanus, & fons omnium perfectionum abſolutarum, atque emanationum, vt ſæpè teſtatur Doctor ſubtilis cum omnibus diſcipulis. Id autem nequit eſſe actualis intellectio, & multò minus actus reliqui, illam ſequentes; omnes enim ſupponunt virtutem operatiuam & hæc eſſentiam, quæ in creatis eſt ſanè diſtincta, vt docet D. Dionyſ. *de Angel. Hier. cap.* 11. & cum eo D. Bonau. *in* 1. *d.* 3. *p.* 2. *art.* 1. *quæſt.* 3. at in Deo vnum ſunt, vt docent SS. Patres apud D. Bonau, vt referam *d.* 3. *quæſt.* 8. *&* 9. in his tamen eſt ordo. Quare & D. Thom. 1. *p. quæſt.* 14. profitetur, ſe poſtquam egit de ſubſtantia Dei, acturum de operatione, hæc verò ratione diſtingui ait *quæſt.* 26. *art.* 2. & *quæſt.* 1. *de potent. art.* 1. *ad* 1. *Licet eſſentia diuina non habeat aliquod principium, neque re, neque ratione; tamen operatio diuina habet aliquod principium ſecundum rationem.* Quæ verò contorquet Ribas à num. 16. nil obſtant, vt patet, imò *ea quæſt.* 27. *art.* 2. dicit, intellectionem generatiuam eſſe à principio coniuncto (eſto ſit re idem.)

Quare D. Thom. pro nobis ſtat, quippè ſubſtantiam, & eſſentiam vocat, à qua ſunt intellectio, & volitio, non vt à potentia, vt notat Gillius *l.* 2. *tr.* 2. *cap.* 4. *num.* 3. & malè negat Ribas.

Nota tertio, intellectum non conſtituere totam naturam rationalem imaginem Dei, ſed æquè; imò magis voluntate componi, quæ eſt nobilior, vt oſtendam, *Tract. de Anima d.* 9. *cap.* 5. *quæſt* 2. ea ſanè eſt Regina, & finis intellectus, qui cognitionem habet ordinatam ad ſeruitutem voluntatis, quæ liberè propoſitum ſibi obiectum recipit, ac proſequitur, vel reſpuit; imò intellectui imperat, vt hoc vel illud conſideret, nuſquam imperata ab illo, vt oſtendam *prima* 2. *Tract.* 1. *d.* 13. *q.* 1. In ea ideo poſita eſt perfectio eſſentialis beatitatis, vt probabo ibi *d.* 2. *quæſt.* 3. Neque iuuat, intellectum priorem eſſe. Sic enim & materia perficitur ſubſtantialiter à forma poſteriori ſe; neque tamen intellectus eſt productor radicalis voluntatis, vel actuum, aut virtutum eius. Eſt enim hæc principium oppoſitum ex intrinſeco liberum, nedum toto genere diſparatum, adeò vt in ipſo Deo, in quo vniuntur perfectiones ſparſæ in creaturis, error ſit proloqui, *Intellectu vult ſpirans. Voluntate intelligit generans.* Vniuntur ſanè virtus intellectiua, & intellectio, vt dixi cum D. T. Hinc S. Maximus, relatus à Ioan. Zipariſſoto *decade* 10. *cap.* 7. ait. *Deus ſecundum eſſentiam, cognitio eſt ineffabilis*, & D. Auguſt. 15. *de Trin. cap.* 5. *Non eſt aliud ſapientia eius, aliud eſſentia, cui hoc eſt eſſe, quòd ſapientem eſſe*, Ordinem tamen, vt ait D. T. includit, vt eſſentia ſapientiæ, & hæc cognitioni præintelligatur. Neque ſola ratio intellectiua Dei eſſentiam conſtituit, vt malè inferunt Ribas, & alij primæ ſententiæ authores. Hinc idem Auguſt. 15. *de Trin. cap.* 5. ait: *Quæ vita dicitur in Deo, ipſa eſt eſſentia eius, atque natura.* Hanc autem vitam, ait attolli in ratione intellectiui ſupra alias vitas creatas. Enim verò in hac ſola non ponit deitatem, ſed in voluntate amoris fonte, nam Deus charitas eſt, 1. *Ioan.* 4. Id confirmat *cap.* 3. nam & imago Dei conſtituitur mente, quæ eſt fons, notitia, & amore, id eſt voluntate amoris fonte, vt explicauit ſupra *l* 9. *cap.* 4 *l.* 10. *c.* 13. *l.* 12. *cap.* 4. *l.* 14. *cap.* 8. & *cap.* 4. vt notat D. Bonau. 1. *d.* 3 *p.* 2. *art.* 1. *per* 3. *qq.* Quare non benè Ribas *cap.* 2. infert eſſentiam Dei eſſe ſolùm actum intellectionis; & Granado, eſſe ſolam radicem intellectionis apud D. Auguſt. qui, & voluntatem aſtruit; vtrumque enim conſtituit Deum beatum in ſui fruitione, in qua eſt ſumma vitæ perfectio, vt loc. cit. S. Pater oſtendit, tametſi in ratione cognoſcitiui comparati ad creatos cognoſcentes intellectu altiſſimo conſtitutus ſit. Et hic intellectus nunquam eſt in potentia, ſed actu; qui tamen origine ſupponit eſſe Dei intellectiuum, ad quod ex origine ſequitur, ſeu ex quo oritur operari. Quamuis autem principium intellectionis, & intellectio ſit vna entitas ſimpliciſſima; illud tamen præintelligitur, vt docet D. T. loc. cit. Itaque non rectè ex identitate aſſerta ab illo, 1. *cont. gent. cap.* 50. infertur, non præintelligi virtualiter fundamentum, vt conſtat in aliis diuinis. Et hoc ſolùm vult D. Iuſtinus apud Zipariſſotum *decade* 10. *c.* 4. nempè diuinam ſubſtantiam aliquando imperfectam non eſſe in actu, ſed in re ſolâ potentiâ intelligendi. Duo ſanè principia, ratione diſtincta, intellectum & voluntatem concedit Ribas in Deo *cap.* 5. *&* 6. contra Faſolum. Neque tamen hæc oritur ex intellectu, ſicuti neque in imagine euenit, ſed vtrumque emanat ex anima, vt diſſerit S. D. cit. & cum eo Maſtrius. Itidem nec verum eſt, voluntatem pertinere ad vitam ſupremam indirectè, & vt meram proprietatem, vt notat D. Bonau. *d.* 45. *quæſt.* 1. & cum eo Ferrarius vſus argumento Seraphici: eſſet enim vita miſera intelligens, non fruens; & eſt imperfecta, ſi non fruatur ſe ipſa. At Ribas æquiuocè diſſerens probat, id verum de vita intellectiua, vt intellectiua reduplicatiuè.

Nota quarto, Suarez, & Ribam in primam allici opinionem, vt facilè exponant diſtinctam emanationem Spiritus ſancti, à generatione, quia hæc, cùm ſit intellectio, ex vi ſua formali, eſt communicatio naturæ in ſola intellectione poſita; non ità ſpiratio, quæ eſt à voluntate: ſed hoc diſcuſſum exactiam *Tr. de Trinit. d.* 2. *à n.* 121. His prænotatis ruunt aduerſi; & noſtra firmatur ſententia.

Assero primo. Intelligere ſolùm, non eſt quidditatis diuinæ ratio.

Probatvr primo à Maſtrio cit. ratione D. Bonau. 1. *d.* 7. *quæſt.* 1. indicata notando primo & ſecundo, omnis operatio, ex Metaph. ſupponit virtutem, eſto in diuinis è ſimplicitate vnum ſint, vt ait D. Dion. allatus *fund.* 3. à S. D. operari enim ſupponit eſſe. Id vrget & Gillius cit.

Reſpondet Ribas *n.* 25. intellectualitatem ſubſtantialem eſſe intellectionem ipſam, alioqui, ſi admittas intellectualitatem radicalem præintellectam actui intellectionis, erit imperfecta, apta perfici actu.

At

At non præſcindo, ſed dico, ſupponi virtutem, eſto actualem actu veluti primo; operari enim eſt operantis exiſtentis. Quare ponens, diuinam eſſentiam eſſe operationem, eſto perfectam ſubſtantialem, ponit eam ſine operante, vt diſſerui *not.* 3.

Probatvr ſecundò à Maſtrio, & aliis ratione D. Bonau. *d.* 38. *q.* 1. & *d.* 39. *q.* 1. *ad* 3. & *dub.* 1. & *ſeq.* & *quæſt. vlt. indicata.* Omnis intellectio ſupponit ſuum obiectum neque enim vllum obiectum eſt poſt intellectionem. Eſſentia Diuina per te eſt intellectio. Ergo ſupponit ſuum obiectum quodcunque ſit. Sanè verò intellectio infinita, qualis eſſe debet Diuina, eſt omnium entium comprehenſiua. Ergo non modo Deus vnus, omnipotens, ſapiens, bonus, &c. ſed etiam Trinitas, & omnes creaturæ ſupponuntur diuinæ eſſentiæ per intellectionem conſtitutæ: at ante diuinam eſſentiam nil eſſe poteſt: ergo.

Reſpondet Ribas *cap.* 5. obiectum non ſupponi exiſtens: nam, vt ait S. D. loc. cit. Deus videt creaturas non exiſtentes, & nos dicimus, Verbum genitum ex intellectione, ſeu cognitione ipſius Verbi, ſpiritus ſancti, & creaturarum: ſufficit ergò obiectum, in ratione obiectiua, eſſe præſens; hoc autem eſt ſolum Ens neceſſarium. Quod enim eſt contingens, nequit Conſtituere diuinum eſſe.

At obiectum intellectionis, quod eſt Ens, veritaſque cùm ſit materia, *circa quam* intellectionis, ipſi debet obiectiuè adeſſe. Nullum autem eſt creabile poſſibile (ait S.D.) ante diuinam eſſentiam: ergo neque obiectiue poteſt adeſſe. Imò nec Trinitas, neque abſolutæ perfectiones eſſe poſſunt, ſi eſſentia, à qua fluunt non ſit; implicat; imò egent ex illâ ſuum eſſe acquirere. In ſumma ante exiſtentiam diuinæ eſſentiæ, quidnam poteſt iotelligi eſſe poſſe? Neque ad rem affertur obiectiua ſpiritus ſancti exiſtentia in mente Patris fœcunda vbi ad:ſt Verbum, & in voluntate ſpiritus ſanctus.

Assero ſecundo, neque ipſum intellectum ſolum eſſe couſtitutiuum diuinæ naturæ.

Probatvr. Id quo cooſtituitur eſſentialiter Spiritus ſanctus, eſt deitas; producitur autem perſona voluntate fœcunda Patris, & Filij; ea autem dicit eſſentiam formaliter per ſe; nam hac producitur ſimilis ſpiratoribus, atque adeò ex vi ſpirationis voluntatis communicatur formaliter per ſe natura, ſicut & Filio. Ita arguit Maſtr. 143. & alij.

Reſpondet Ribas *cap.* 6. *ad* 4. negans, eſſentiam eſſe principium. *Quo* formale ſpiritus ſancti. Id diſcutiendum relinquo Tr. 2. loc. cit.

Probatvr validiùs rationibus allatis, notando tertiò, maxime quia, ſi intellectio ſola eſſet diuina eſſentia, eſſet productrix etiam voluntatis, atque adeò intellectio eliceret etiam Volitionem, vellet, amaret, quam ſequelam concedit Ribas, qui addit, non concedi, quia indicat ſenſum reduplicatiuum, enim verò, ſi intellectio eſt formaliter tota natura, imò formaliſſimè; ſequitur, eſſe formaliter volitionis cauſam, & in diuinis Pater intelligens ſpiraret.

Probatvr tertiò, quia voluntas non minus ſpectat ad perfectiſſimam naturam conſtituendam, cum ſit gradus perfectiſſimus ſupra intellectum, ac proinde nequit ab eo produci ne effectus ſit nobilior quàm cauſa, & hæc det, quod non hàbet. Vide ibi dicta & inde alia erues argumenta.

Quæ vero opponunt Ribas, & alij; ſoluta manent ex notandis præmiſſis.

DISPVTATIO III.

De ſimplicitate Dei.

D. Bonau. diſt. 8.
D. Thom. q. 3.

Postqvam Diuinam eſſentiam ſuperficie tenus delibauimus, iam incipimus agere de Diuinis perfectionibus, quæ ad modum paſſionum diuinæ eſſentiæ concipiuntur; ſunt autem perfectiones omnes ſubſtantiales, quia omne accidens à Deo longè abeſt. Et primò quidem cum Seraphico Doctore, & D. Thoma diſcurremus perfectiones, quæ non ſunt operationes. Deinde eaſdem perfectiones, prout ad intellectum noſtrum referuntur. Tertiò perfectiones Dei ordinatas ad operationes Diuinas immanentes, ſcilicet Intellectum, & Voluntatem. De productionibus verò intra Deum, agetur in Tractatu de Trinitate, qui eſt ordine ſecundus, de productionibus verò *ad extra*, cùm de Creatione.

QVÆSTIO I.

An Deus ſit corpus.

D. Bonau. d. 8. p. 2. quæſt. 2.
D. Thom. quæſt. 3. art. 1.

Ivxta præceptum S. Dionyſij incipimus multa quærere de Deo, per negationem. Et primò quidem excludendo compoſitionem. 1

Dantur verò multa genera compoſitionum, ex D. Bonauentura *diſt.* 8. *part.* 2. & Magiſtro.

Prima ſit ex partibus metaphyſicis, ſiue eſſe, & eſſentia; quam excluſi à Deo, *diſp.* 1. *quæſt.* 1. Siue ex natura, & ſuppoſito, quam excludam, *tract. de Trinitate diſp.* 3. *quæſt.* 3. ſiue ex genere, & differentia; de qua *quæſtione* 3.

Secvnda eſt ex partibus Phyſicis, ſiue eſſentialibus, vt corpus è materia, & forma; ſiue integralibus; vt corpus è membris; ſiue ex ſubiecto, & accidenti, vt è pariete, & albedine; ad quam reducunt Thomiſtæ etiam animam ex ſubſtantia, & potentiis. Has vide in S. Bonauentura etiam *lib.* 1. *Compend. Theol. cap.* 21. quas ſumpſit Suarez *lib.* 1. *cap.* 4. Ergo de his agemus. Et primò de craſſiori compoſitione corporis conſtitutiua, quæ eſt ex materia, & forma, cum quantitate.

Assero Deum non eſſe corpus. Eſt de fide.

Probatvr primò à D. Bonau. ad *c.* 23. *Sap.* ex illis verbis, *Rom.* 1. *Inuiſibilia Dei per ea, quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur*, vbi aduertit reprehendi antiquos Pagaoos, qui res corporeas Deos putarunt. Ea authoritate vtuntur Vaſquez *diſp.* 21. Suarez *l.* 1. *c.* 3. Porrò teſtantur ſcripturæ, Deum incorporeum, ſpiritum, *Geneſ.* 1. *Iſa* 40. *Ioan.* 4. *Act.* 17. 1. *Timot.* 6. 2. *Cor.* 3. &c. Confitentur Patres apud D. Bonau. *l.* 1. *Pharetra c.* 1. vbi etiam apponunt argumenta. Quia Infinitus; Incircumſcriptus, Immenſus, Simplex. 2

Id agnouere è Philoſophis Trimegiſt. in Pimand. & Aſclepiod Empedocles, Deum ſphœram intellectualem vocans, cuius centrum vbique; circumferentia nullibi. Thales Mileſius dicens, Deum Mentem, omnia ex aquis produxiſſe (teſte Tull.) Parmenides, Meliſſus, Pythag. dicentes, Deum ſummam vnitatem, ideſt ſimpiicissimum. Anaxagoras, Plato, Xenophanes, Deum confitentes Inuiſibilem, Infinitum, Æternum. Tandem Seneca *l. de vita beata*, Tull. *in Tuſcul.* Plutarch. *l. de Principe* apud Bouerium *art.* 21. vbi refert Epictetum Stoicum dicentem. *Veri igitur ſimile, vbi ſubſtantia Dei; illic eſſe ſubſtantiam bonitatis. Quæ igitur eſt ſubſtantia Dei? Caro? Abſit. Ager? Abſit. Fama? Abſit. Mens, ſcientia Recta Ratio. Hic igitur ſimpliciter quære ſubſtantiam Boni.* Videtur ſanè interrogationibus irridere Paganos, & Antropomorphitas, & Bogomilos hæreticos, veluti inſanos.

Probatvr ſecundò à D. Bonau. *loc. cit. Compendij.* Omne compoſitum eſt poſterius ſuis partibus componentibus. Omne corpus eſt compoſitum. Ergo. Subſumn. At Deus non eſt aliquo poſterior cùm ſit primum Ens. Ergò non eſt corpus. Sic & Petr. Alphon. tit. t.

Probatvr tertiò à D. Bonau. ibidem. Cauſa productiua ſpirituum non eſt corpus. Deus eſt cauſa productiua ſpirituum. Ergo. Idem argumentum habet S. D. *ſerm.* 11. *Hexaem. & p.* 1. *Breuil. c.* 2. quo vtitur Suarez loc. cit. Maior probatur, quia corpus eſt ordinis inferioris, quare non poteſt eſſe cauſa entis ſuperioris.

Probatvr quartò à D. Bonau. locis adductis. Corpus eſt compoſitum ex duabus ſaltem partibus eſſentialibus, quarum vna ſe habet, vt actus, altera vt potentia. Sed repugnat Deo pars, quæ ſit potentia. Ergo & eſſe corpus. Maior eſt certa, & probatur à D. Bonau. *diſt.* 8. *part.* 2. *dub.* 6. quia ex duobus entibus actu non fit compoſitum ſubſtantiale, vt ait Ariſtoteles *in metaph* minor probatur, quia ea pars potentialis eſt imperfecta, perfectibilis per actum; hæc autem repugnat Deo, qui eſt purus actus. Confirmatur, nam ſi componeretur ex actu, & potentia, non eſſet ſuum eſſe; nam haberet eſſe ab ea parte, quæ eſt actus. Ergo aliquid Dei eſſet ab alio. Idem habet Vaſquez *diſput.* 21. *cap.* 3.

Si dicas; illam partem potentialem non pendere extrà ab alio, ſed à toto compoſito, cuius eſt pars.

Contra, nam partes ſunt priores toto, & conſequenter non pendent ab eo; ſed è contra. Ità Vaſquez cum D. Bonauentura.

Verumenimverò, quia Scotus, & alij poſſent reſpondere, dari corpus ſimplex non è materia, & forma compoſitum, vt cœlos, & propterea non ſatis excluſum à Deo corpus, excluſa compoſitione.

Arguit Vaſquez cum D. Bonau. locis citandis. Etiam data illa opinione. Vel Deus erit corpus ſenſatum, vel ſine anima. Si ſecundum. Ergo erit imperfectius multis aliis corporibus. Si primum, adhuc eſſet imperfecta cognitio, quia non eſſet tota in qualibet parte. Secundo, quia fatigaretur.

Vrgentiùs D. Bonau. *ſerm.* 11. *Hexaemer. & loc. cit. Breuil.* arguit ex D. Auguſt. citato *diſp.* 2. *quaſt.* 1. quia cùm Deus ſit primum Ens, qui eſt ſuum eſſe, à quo non ſolùm corpora, ſed etiam ſpiritus ſimpliciſſimi creantur; oportet, eum habere ſummum viuere, & intelligere, eſſeque ſpiritum, non corpus; alioqui prima cauſa eſſet ignobilior ſuis effectibus. Hæc latius agunt Theophylus Alex. apud Epiph. *hereſi.* 70. Caſtrum, Bouer. *Dim.* 1.

3 Notandum verò, in Scriptura ſæpe Deum deſcribi ad modum corporeæ naturæ. Ei enim attribuuntur caput, manus, &c. quæ omnia metaphorica ſunt, vt docet Damaſcenus lib. 1, de fide c. 1. Anſelmus *lib. inſcripto de membris corporis, adſcriptis Deo.* Hyeron. *l. De membris Domini*, Chryſoſt. *hom.* 12. *Gen.* Cyril. Alex. *l.* 5. *cont. Iulian.* Nazian. *orat.* 3. Philo *l. Quod Deus immutabilis*, Caſſian *l.* 8. *Inſt. cap.* 4.

Vide S. Bonauenturam, *opuſc. de eſſentia, inuiſibilitate, & Maieſtate Dei*; vbi ſingula membra Deo aptata, excellentiis Dei applicat. Caput eſſentiæ, manus potentiæ, oculos prouidentiæ, & cætera, quæ latè proſequitur etiam Coriolanus *q.* 3. *art.* 2. D. Bonau. *in Pharetra c.* 8. refert D. Auguſtinum, *ep.* 112. dicentem. *Deus totus oculus eſt, quia omnia videt; totus manus, quia omnia operatur; totus pes, quia vbique eſt.* Tandem, hæc metaphoras eſſe, definit Conc. Foroliuienſe, in ſumma fidei.

QVÆSTIO II.

An in Deo ſit compoſitio ex materia, & Forma.

{D. Bonauent. loc. cit.
D. Thom. art. 2.

Qvoniam apud Seraphicum non ſolùm corpora, ſed etiam creati ſpiritus conſtant ex materia, & forma, non ſatis oſtenſum videtur, Deum carere materia; ex eo quòd corpore caret. 4

Assero, Deum non componi ex materia, & forma.

Probatvr primò argumento quæſtionis præcedentis. Quæ conſtant ex materia, & forma, componuntur ex actu, & potentia, ſeu ex vna parte perficiente: & altera, quæ eget perfici, & eſt in potentialitate paſſiua, vt perficiatur. Hæc verò eſt magna imperfectio remouenda à Deo, qui eſt purus actus, ex communi omnium ſenſu.

Probatvr ſecundò à ſanctis DD. Compoſitum ex materia, & forma eſt Ens ex alio. Deus eſt Ens per ſe. Ergo. Roboratur. Si Deus eſſet è materia, & forma compoſitus haberet virtutem ab alio, ſicut ab alio, ideſt à forma haberet eſſe, ad quod ſequitur virtus.

Tandem D. Ath. *in decr. Syn. Nic. Homo ex materia. Deus contra, immaterialis, & incorporeus exiſtit.*

QVÆSTIO III.

An Deus ſit in aliquo prædicamento.

{D. Bonau. d. 8. p. 2. q. vlt.
D. Thom. q. 3. art. 5.

Prædicamenta ſunt ſeries quædam rerum, in quas diuiditur Ens, vt teſtatur Ariſtoteles *in metaph.* In hac ſerie aliqua ponuntur directè, & per ſe & hæc ſunt entia realia completa, compoſita, vt Genera, ſpecies, & Indiuidua. Aliqua ponuntur per accidens; quatenus participant de rebus, quæ ſedem habent per ſe in prædicamentis, vt formæ; Alia tandem ſolùm 5 reductiuè ponuntur, quia tantùm, aliquo modo imperfecto, pertinent ad ea, quæ participant, vel comparticipant; vt Punctus reducitur ad Quantitatem, & ſimilitudo ad rem. Vide D. Bonau. *in* 1. *diſt.* 3. *quaſt.* 3. *& diſt.* 8. *q. vlt. & in* 2. *diſt.* 24. *p.* 1. *art.* 2. *q.* 1. *ad vltimum.*

Non defuere aſſertores dicentes, Deum poni directè in Prædicamento. Holcoth. *in* 1. *q.* 6. Gregor. *d.* 8. *q.* 3. Marſil. 1. *q.* 12. *art.* 2. & alij apud infra allegandos.

Commvnis tamen ſapientum eſt ſententia, Deum nullatenus poni in prædicamento. Ità magiſter, *diſt.* 8. Albert. ibi *art.* 32. Sancti Doctores hic. Scotus *diſt.* 8. *quaſt.* 3. Et ſi non cohereat cum vniuocatione entis, quam

quam admittit ad Deum, & creaturas, de quo anxiantur Scotiſtæ, & eorum Atlas P. Macedo, Collat.5. *Diff.4. ſect.*2.

Scotum imitantur omnes diſcipuli, Richardus *diſt.*8. *art.*4. *quæſt.*2. Suarez *diſput.* 30. *metaph. ſect.*4. Vaſquez *diſp.*22.*part.*1. Valentia *diſp.*1.*quæſt.*3.*punct.*5. Trigoſius *quæſt.*3. *art.*3. *dub.*1. Morandus *Tract.*5. *q.*3. *num.*60. adducens omnes Patres fere, & T.T.

ASSERO cum hac ſententia.

6 PROBATVR verò D.Bonau. multis, & efficaciſſimis argumentis; è quibus vnum tantùm affertur à Vaſquez, & refellitur, tanquam inualidum, cæteris miro preſſis ſilentio, vt ſæpe inuenies.

Mirificus eſt autem, atque perpetuus hic Doctor in euertendis pro virili eorum, qui ſecum ſentiunt rationibus, quibus denique aſſolet pro coronide aliquas proprio marte apponere leuiores; vel ſi graues, ex alio tacito Doctore, maximè vero S.Bonau. emendicatas. Non rarò etiam inuenies, hunc ſeligere, è rationibus S.Bonauenturæ, infirmiorem, eamque rationem Bonauenturæ in titulo proponere ſolitariam, atque refellere. In vltimo autem capitum inſcribere. Optimam afferri à ſe rationem, quam ferè ſemper in S.Bonau. repertam deſignabo.

7 Ratio autem relata à Vaſquez ex D Bonau. hæc eſt. Omne, quod ponitur in prædicamento eſt compoſitum ex actu, & potentia. Deus non eſt compoſitus. Ergo. Maior probatur, nam ſi eſt ſub aliquo genere. Ergo contrahitur per aliquam differentiam. Minor eſt de fide ex Concilio Later. cap. *Firmiter*. Hac ratione vtitur Valentia, Trigoſius *quæſt* 3. *art.* 3. *diſt. unic.* inferens, ideò periculoſam eſſe aſſertorum ſententiam.

Inſurgit Vaſquez dicens, eam parum probare, quia hæc compoſitio ex genere, & differentia eſt tantùm per intellectum, cui nihil à parte rei diſtinctum reſpondet.

8 CONTRA tamen eſt, quia prædicamenta ſunt entia quædam realia. Sic enim teſtatur Ariſtoteles *in metaph.* ſe diuidere Ens reale in decem Prædicamenta. Hæc verò ſunt entia generum, ſpecierum, & indiuiduorum, in quibus datur proculdubio aliquid actualitatis, & aliquid potentialitatis diſtinctæ; è quibus intellectus educat definitiones explicantes quidditatem rei. Quod ſi hæc concedimus mera opera intellectus, iam Prædicamenta, Diffinitiones, Differentiæ, & Conuenientiæ rerum erunt figmenta, chimeræ: atque adeò Metaphyſica omnium calculis ſcientia realiſſima, erit de figmentis.

PROBATVR ſecundò à D. Bonau. Quod ponitur in Prædicamento ità clauditur, & arctatur in eo, vt extra illud non ſe extendit ad entitatem aliorum. Sed hoc repugnat Deo, qui eſt ens infinitum continens omne Ens Ergo. Hoc eſt argumentum, quod ſub nomine Bonauenturæ refert Vaſquez; quo vtuntur Argentinas, Durandus, & Valentia, quodque magnificauit Scotus *quæſt.*3. quod repetit S.Bonauentura *ſerm.* 11. *Hexaemer.* & poſt eum Macedo, *collat.* 5. *diff* 4.

Reſpondet Vaſquez, parum probari hoc medio, nam contineri ſub aliquo Prædicamento contingit tantùm per noſtrum intellectum; ſicut autem intelligimus naturas rerum determinatas, & finitas eſſentialiter; ſic & poſſemus commune aliquid enti finito, & infinito ex hoc capite conſiderare.

ENIM verò, ſi collocatio entium ſub hoc, vel illo prædicamento eſt tantùm per intellectum, iam Metaphyſica agit de ente rationis tantùm; non de reali. Deinde ſi ſic res ſe habent, iam poſſumus ea, quæ ſunt de prædicamentis accidentium collocare in prædicamento ſubſtantiæ, & definitionem accidentium eis applicare. Denique ex his ſexcenta erumpent abſurda, vt patet.

Requiritur ergo fundamentum, vnde intellectus definiat, diſtinguat, &c. Ideò enim Porphyrius definit vniuerſale. *Eſſe id, quod eſt in pluribus, & poteſt conſequenter de pluribus prædicari.* Alioqui tota metaphyſica ruet, neque habebimus, quo magis accidens à ſubſtantia diſtinguamus; quam vnam ſubſtantiam ab alia. Datur ergò fundamentum diſtinctum, &c.

PROBATVR tertiò à D. Bonauentura præcipuè ad ſecundum. Si Deus ponitur in prædicamento vel eſt genus, vel eſt ſpecies, vel indiuiduum, at non eſt aliquid ex his: ergo Probatur minor, quòd non ſit genus, vel ſpecies; primò, quia ex fide conſtat eſſe vnum numero Deum. Secundò ſi eſſet genus, vel ſpecies haberet ſuper ſe, & prius ſe genus, vel ſpeciem, quod repugnat primo Enti ſimpliciſſimo. Quòd verò neque ſit indiuiduum probatur, quia omne indiuiduum in ratione vniuoca ſpeciei conuenit cum aliis; at Deus magis diſtat à qualibet creatura, quàm vnum genus, ab alio genere. Ergo, Hoc argumentum ſibi adſcribit Vaſquez, neque completum affert; extendit verò ſe ad probandum, non eſſe genus, vel ſpeciem, quia non habet ſub ſe ſpecies, vel indiuidua, quod luce clariùs enitet in vno Deo. Hoc nititur Ribas *tract.* 2. *diſt.*2. *cap.*2. 9

Probatur quartò à D. Bonauentura ſi Deus eſt ſub genere Entis cum aliis rebus; vel eſt ſub vno prædicamento, ex decem; vel ſub pluribus. Nullum horum dici poteſt: Ergo Non primum, quia Ens deberet à multis ità abſtrahi, vt in illis remaneret aliquid, quo differant, diuerſum ab eo, quod vniuocè ab eis abſtractum eſt; alioqui nihil illis commune intelligi poſſet. Ens autem non poteſt hoc modo abſtrahi; nam in eo, quòd remanet in inferioribus, ipſa ratio entis intrinſecè includitur, quia de re vulgo dicitur. *Ens includi in modis intrinſecis*, & ideò non eſſe genus, reſpectu omnium entium ſingularium, quia nihil habet diſtinctum ab illis. Vnde Ariſtoteles 4 *metaph. text.* 3. & *lib.* 5. *text.* 14. & *lib.* 10. *text.* 8. ait. Ens, & vnum adiuncta rebus nihil aliud eſſe, quàm res ipſas. Deus autem eſt habens eſſe diſtinctum à rebus, & habet eſſe infinitum ſimplex ab omnibus diuerſum. Deinde Ens diuiditur in ſua entia prædicamentalia. Neque poteſt dici, eſſe in vno ex decem ob rationes allatas ſupra, quia eius perfectio reſtringeretur vno prædicamento, & ideò non haberet aliorum perfectiones, & ſic eſſet in potentialitate ad alias perfectiones; non autem actus purus. Eſt autem Deus Ens actu infinitum. Deinde, quia poſſet abſtrahi ratio vniuoca Creaturæ, & Deo, quod eſt falſum, nam Deus eſt Ens perfectiſſimum, ſuperexcedens, per ſe purus actus, infinitus; non ſic creatura. 10

SINGVLARITER verò probatur, non poni in aliquo prædicamento accidentium, alioqui eſſet verum accidens pendens à ſubiecto, quod eſt hæreticum, vt dicam *quæſt.* 4. Si dicas, poſſe eſſe in prædicamento relationis. Contra arguit, *diſt.* 26. *quæſtione* 2. Nam relatio habet duo: & dependentiam à ſubiecto; & ordinem ad obiectum, at ſecundùm primam rationem non poteſt conuenire Deo, quia nunquam poteſt relatio prædicamentalis tranſire in ſubſtantiam: in Deo autem accidens nequit eſſe. Fateor ſecundùm alteram rationem idest, ordinem ad obiectum, tranſire in ſubſtantiam quodammodo, ne Deum componat; quodammodo non, ſed manere relationem, vt diſtinguat perſonas. Quo fit, vt nequeat 11

eſſe relatio de prædicamento accidentis. Hinc S.Bonau. loc. cit. explicat S. Auguſtinum *5. de Trin. c.10.* dum in Diuinis admittit ſubſtantiam, & relationem, nempe ſeclufis imperfectionibus, quas includunt in creaturis. Vide S. Bonauenturam *& in Breuil. loc. cit.* Poncius Scotiſta *in ſuo Curſu diſp.69. num.34.* concedit, ens dicere realitatem diſtinctam, ac præciſam ab inferioribus. Ex quo ſequitur, ens eſſe genus, ac per differentiam ad Deum contrahi. Ex quo ſequitur planè eum admittere in Deo compoſitionem Metaphyſicam ex actu, & potentia, vt notat Meldula, *diſp.2. quæſt 8. art.2. num.317.*

Reſpondet Poncius, hæc non ſe habere, vt actum, & potentiam. Verum ſi ſic eſt, neque erit genus, & differentia, niſi euertere velis Metaphyſicam, vt notat Meldula ex Scoto, *diſt.8. quæſt.3.*

Idem probat S. Bonauent. ex D. Auguſt. *5. de Trin. cap.10.* Deus eſt bonus ſine qualitate, magnus ſine quantitate. Ex quo etiam ſequitur, vt neque ſit ſubſtantia in genere ſubſtantiæ. Conſequentia eſt optima apud D.Auguſt. *7. de Trin. cap.5.* vbi ait ſubſtantiam de Deo tantùm abuſiuè dici, ideſt intellectam eo modo, quo eſt in creaturis.

12 NEQVE poteſt dici, eſſe in pluribus prædicamentis, quia eſſet aggregatum, vel ex ſubſtantia, & accidentibus, vel ex pluribus accidentibus, quod eſt hæreticum. Hoc argumentum commendat Vaſquez, dicitque tangi à Richardo, qui tamen illud ſumpſit à ſuo magiſtro S.Bonauentura. Vide illud etiam *part.1. Breuil. cap.4.* Eodem argumento conuincitur, non eſſe in omnibus ſimul prædicamentis, quia eſſet aggregatum. Deinde quia, vt ait S. Bonauentura ad vlt. Deus non eſt entitas noſtra formaliter; ſed ſolùm eminenter.

ASSERO ſecundò, Deum neque reductiuè poni in prædicamento.

13 PROBATVR; quia ea quæ ſic ponuntur in prædicamento ſunt entia imperfecta, vt ſupra dixi cum D.Bonauent. Ità etiam D.Thom. *art.5.* retractans id quod dixerat, *1. diſt.8. quæſt 4. art.2. & 3. & quæſt 7. de potentia art.3.* Deum poni in prædicamento reductiuè, quatenus Principium rerum.

Obiicies primò. Quod eſt natura determinata, eſt in aliquo genere. Deus eſt natura determinata. Ergo. Probatur minor. Quod diſtinguitur ab aliis entibus eſt natura determinata. Deus diſtinguitur ab aliis entibus. Ergo.

Reſpondet D.Bonau. negando minorem. Ad probationem reſpondet; id, quod diſtinguitur per aliquid contrahens, eſſe tale; at Deus ſimpliciſſimus ſe ipſo diſtinguitur.

Obiicies ſecundò. Quod habet ſuperius vniuocum eſſentiale, habet eſſe in determinato genere. Deus habet ſuperius vniuocum eſſentiale, nempè, ſubſtantiam, quæ dicitur de Deo, & creaturis. Ergò.

14 Reſpondet Seraphicus Doctor, negando minorem, nam ſubſtantia non eſt genus ad Deum, & creaturas, alioqui Deus componeretur, ſed dicitur de Deo modo ſimpliciſſimo, abſtractiſſimo ab imperfectionibus generum, & diuerſiſſimo modo ab eo, quo dicitur de creaturis. Eſt enim ſubſtantia per ſe ſubſiſtens; non tamen ſubſtans accidentibus; non compoſita; non limitata, &c. non contrahibilis per differentiam aliquam; habens omnes vnitas in ſe perfectiones omnium æquiualenter, ſeu eminenter. Hinc cætera eiuſceſe mr obiecta textus.

Obiicies tertiò. Ens ſaltem analogicè dicitur de Deo, & creaturis. Ergo eſt prius Deo, æque, ac creaturis. Antec. eſt D. Bonau. *1. diſt.1. dub. lit. & diſt.3. quæſt.2. ad 3. & diſt.10. quæſt. vlt.* Conſequentia eſt eiuſdem Seraphici Doctoris in textu, vbi ſupponit, Deum non eſſe indiuiduum ſub aliqua ſpecie, vel genere, quia eſt primum Ens, alioqui enim haberet prius ſe.

Reſpondetur; conceptum hunc analogicum eſſe 15
attributionis tranſcendentem, Eruique primò ex conſideratione ſolitaria Dei tranſcendentis; deinde aliarum rerum, quæ ad Deum referuntur, ità vt primò ſupponatur primum ens, antequam redigatur conceptus ad communitatem; at verò in vniuocis creatis abſtrahitur perfectè conceptus ab omnibus ſimul, & diſtinctus perfectè. Vnde poteſt in his argui prioritas entis; non ſic in analogia hac attributionis, & conceptus tranſcendentis. Ratio enim entis tota eſt primò in Deo: in creaturis verò per imitationem infinitè diſtantem. Itaque tota ratio, quæ in creaturis imitantibus inuenitur, iam præexiſtit in Deo. Itaque dum abſtraho conceptum, non deſcendo ad inferiorem differentiam, quæ ſupponat genus ſuperius; ſed accipio ens in ipſis rebus inſeparabile. In creaturis ſanè per aliqualem imitationem ſui Exemplaris, vt ait D. Bonau. *diſt.3. quæſt.2.* qui vocat hanc communitatem exemplaris ad exemplatum. Et *diſt.7. quæſt. vlt.* ait, hanc analogiam eſſe per reductionem ad vnitatem ſimilitudinis, & proportionis; non naturæ. Vide Seraphicum Doctorem *diſt.1. dub 5.*

Obiicies quartò Nomina aliqua, quæ ſunt præ- 16
dicamentorum ex Deo ad nos tranſlata. Sic Epheſ.3. dicitur. *Ex quo omnis paternitas in cælis, & in terra nominatur.*

Reſpondet Vaſquez, in Hebræo, & Græco haberi. *Ex quo omnis familia, vel cognatio.* Et addit, à nullo Patrum in noſtro ſenſu exponi.

At expoſitio iſta eneruat hunc locum; nam cum Apoſtolus dixiſſet. *Flecto genua mea ad Patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti*, ſubdit. *Ex quo omnis paternitas.* Igitur, ex eo quod eſt Pater Chriſti, deducit, omnem paternitatem deriuari, vt notat S Bonau. *initio Breuil. & Soliloquij.*, & exponit Theodoretus. Idem habet Damaſcenus, *1. de fide cap.9.* vt notat Seraphicus *in 1. diſt.22. quæſt.3.* Idem habet Dionyſius, vt refert S.Doctor ibi.

Reſpondetur ergò, omnem paternitatem inde nominari, quatenus aliæ paternitates participant de ſimilitudine cum paternitate æterna. Neque ideò ſequitur, paternitatem diuinam eſſe prædicamentalem, ſicut non ſequitur, omnis entitas creata dicitur ens per participationem à Diuina entitate. Ergo Diuina entitas eſt prædicamentalis. Nam, vt ait S.Doctor *diſt.8.p.2. dub.4* omnium generum nomina in Diuinis reperiuntur: ſed non prout habent rationem generis, quia Deus in nullo genere eſt, & ad hoc ſignificandum D. Auguſt. *5. de Trin. cap.8.* nomina nouem generum, quatenus ſunt genera, à Deo remouet.

SCITO EX D. Bonauentura *part. 1. Breuil. cap.4.* 17
quinque vltima prædicamenta ſpectare propriè ad corporea, ſeu mutabilia. Prima verò quinque adſcribi Deo ſecundum id, quod perfectionem dicunt; ità tamen, vt Diuinam ſimplicitatem non impediant, & omnia tranſeunt in ſubſtantiam, præter relationem, prout reſpicit terminum, vt faciat diſtinctionem perſonarum, at vt ſunt (*in*) tranſeunt in ſubſtantiam, ne faciant compoſitionem. *Et in Pharetra lib.1. cap.1.* affert D. Iſidorum, *lib.1. de ſummo bono, cap.2.* vbi ait. *Cùm de Deo nec ſecundum qualitatem, nec ſecundum quantitatem, nec ſecundum ſitum, nec ſecundum habitum, aut motum aliquid dignè dicatur, &c.*

QVÆSTIO

QVÆSTIO IV.

An in Deo ſint accidentia.

S. Bonau. in 1. diſt.26. dub.5. litt.
D.Thom. art.6.

ASSERO, nullum accidens eſſe in Deo. Eſt de fide definitum à Leone, I. *ep.*93. & à Concilio Rhemenſi. Sententiam D.Leonis, refert D.Bonau. *in Compendio Theologicæ veritatis, lib.*1.*cap.*20.

PROBATVR à D.Bonau. primò, *diſt.*8. *p.*2. *dub.*4. *litt.* ex D.Auguſt. relato in fine *quæſt.* 3. & *diſt.*26 *dub.*5. ex eodem D.Auguſt. *lib.*5.*de Trin. cap.*4. & 5. Omne, quod eſt ſecundùm accidens, eſt mutabile. Deus eſt
18 immutabilis. Ergo. Maior probatur ex D. Auguſt. loc. cit. nam omne accidens alicui mutationi ſubiicitur; aut enim eſt amiſſibile, aut alterabile in ſubiecto. Hac ratione vtitur Vaſquez ad art. D. Thomæ citatum.

19 PROBATVR ſecundò à D.Bonau. *diſt.*8.*p.*2. *quæſt.*1. Id, quod eſt ſuum ens, & primum ens perfectiſſimum, & quo nihil melius eſſe poteſt, non admittit accidentium intrinſecam imperfectionem, quæ eſt, vt ſit ens entis, vt ait Ariſtoteles: *initio metaph.* Hæc ratio aſſumitur à Vaſquez loc.cit.

PROBATVR tertiò à D. Bonau. *diſt.* 26. *dub. citato litt.* Omne accidens in aliquo exiſtens facit compoſitionem. Deus eſt ſimpliciſſimus: Ergo. Ita etiam Vaſquez. Parum autem eſt; An dicas, Deum eſſe compoſitum per eſſentiam; an verò extra; nam omninò eſt ſimplex, & quicquid eſt in Deo eſt ipſe Deus, vt docet D.Bonau. *diſt.*8 *part.*2. *quæſt.*1. His rationibus vtitur etiam Valentia, *diſp.*1.*quæſt.*3. *puncto* 7.

Confirmatur à D.Bonau. Si Deus eſſet accidentaliter potens, ſapiens, &c. haberet ab alio. Has rationes refricat S.Doctor *in Compend. Theol.lib.*1.*c.*20.

QVÆSTIO V.

An Deus veniat in compoſitionem aliorum.

D Bonau. 1. d.8. p.2.q 1. & 31. art.2.q.1.
D.Thom. q. 3. art 1. & q 8. art.1.

FVIT error Platonis, mundum eſſe animatum, Deumque eſſe animam eius. Eum referunt D. Bernardus, *ep.*190. & D.Bonau. 2.*diſt.*14. *part.*5. *dub.* 3. Eundem errorem ſecutus eſt Abailardus, referente D. Bernardo, Idem tenuerunt Priſcillianiſtæ.

20 ASSERO tamen primò, Deum non eſſe animam mundi. Eſt de fide ex D.Leone I. loc. cit. & Concilio Toletano primo.

PROBATVR à D. Bonau. *in* 3. *diſt.*5. *dub.* 5. *litt.* Omnis forma dicit ordinem intrinſecum ad materiam; at Deus nullum ordinem dicit ad materiam, alioqui vel eſſet in perpetua violentia, vel eſſet materialis. Ergo.

ASSERO ſecundò, Deum non venire in aliquam aliam compoſitionem.

21 PROBATVR à D.Bonau. *primo diſt.*31. *part.*5. *art.*2. *quæſt.*1. Si Deus veniret in compoſitionem cum alia re, faceret cum ea vnum natura. Sed hoc implicat Deo. Ergò. Probatur ſequela, nam Sancti Patres, ex illo, Ioan.8. *Ego, & Pater vnum ſumus*, conuincunt Arrium, & concludunt, Filium eſſe vnam naturam cum Patre. Ita D. Auguſt. *lib.* 4. *de Trin. cap.* 9. *Tom.* 3. Et *lib.* 3. *contra Maximinum cap.* 20. *Tom.* 6. Minor probatur à D. Bonau. Quæ infinitè diſtant, non conueniunt in vnam naturam. Deus infinitè diſtat ab omni creatura. Ergò.

PROBATVR ſecundò à S.Doctore *diſt.*8. *part.*1.*q.*1. Id, quod eſt primum, non venit in compoſitionem. Deus eſt primum ens. Ergo. Hoc nititur Morandus *tract.*1. *quæſt.*3.*num.*62. Boucttiu, *Dem.*1. *art.*22. cum Petro Alphonſo, *tit.*1.

Probatur tertiò ibi ad argumenta. Id, quod venit in compoſitionem cum alio, dependet ab eo. Deus eſt independens. Ergo.

Probatur adhuc à D. Bonau. loc. cit. *fundamento tertio.* Ens nobiliſſimum non poteſt venire in compoſitionem. Deus eſt ens nobiliſſimum. Ergo. Maior probatur; nam compoſitum eſt nobilius ſuis partibus. Hoc nititur Vaſquez.loc.cit. Bouet. *art.*21.& 22. Eſt ratio Plutarchi, *l.de Principe*, D.Nazianz. *de fide.*

QVÆSTIO VI.

An Deus ſit ſummè ſimplex.

D. Bonau. d.8. p.2. q.2.
D.Thom q.3. art 7.

SVPPONO primo ex Metaphyſica, Simplicitatem eſſe paſſionem entis, non tamen ita generalem, ſicut eſt vnitas. Ita D.Bonau. *diſt.*8.*part.*1.*quæſt.*2.*ad* 3. nam ſimplicitas dicit modum vnitatis nobiliſſimum creaturis incommunicabilem in ſummo. 22

SVPPONO ſecundò, ſimplicitatem dicere poſitionem, & nobilitatem. Ita D. Bonau. hic, *argumento tertio, & quarto.* 23

Probatur ex eius doctrina. Inter oppoſita, id quod eſt prius eſt poſitiuum. Sed ſimplex, & compoſitum ſunt oppoſita. Ergo id, quod ex his eſt prius, eſt poſitiuum; at ſimplex eſt prius, nam ex eo fiunt compoſita. Idem S.Doctor *in* 2. *diſt.*3. *dub.*2.*litt.* vbi hoc probat. Id, quod ſuſcipit magis, & minus per ſe, non eſt pura negatio. Sed vna res eſt altera ſimplicior intrinſecè. Ergò. Confirmatur alio argumento deducto ex D.Bonau. hac *diſt. quæſt.*2 *corpore*, quo vtitur Scotus *diſt.* 8. *quæſt.* 1. Compoſitio remouetur à Deo, quia dicit imperfectionem. Ergo ſimplicitas dicit perfectionem. Ergo poſitionem. Hinc malè Trigoſius, *quæſt.*3 *art.*1. *dub.*2. ait, ſimplicitatem formaliter dicere negationem, & materialiter dicere perfectionem. Quam diſtinctionem, non ad rem afferunt Tannerus, *diſp.* 2. *quæſt.* 3. *dub.* 1. Morandus, *tract.*1. *quæſt.*3. *num.*64.

ASSERO primò, Deum eſſe ſummè ſimplicem. Eſt de fide ex Concilio Later. cap. *Firmiter.*

PROBATVR à Seraphico Doctore primò. Primum ens eſt à compoſitione remotiſſimum. Deus eſt primum ens. Ergo. Hoc argumentum eſt etiam D.Thomæ. Maior probatur, nam prius eſt ſimplex, quàm compoſitum, vt dixi. 24

PROBATVR ſecundò à D. Bonauentura. Id, quod eſt quicquid habet, eſt ſimpliciſſimum. Deus eſt ſuum eſſe, & quicquid habet. Ergo. Eſt argumentum D. Auguſtini, *vndecimo de ciuitate Dei capite decimo.* quod vrget Poſnanienſis, *lib.*1. *cap.*1.*quæſt.*2.

PROBATVR tertiò. In Deo, ente nobiliſſimo, debet poni omnis conditio nobilitatis. At ſimplicitas eſt conditio nobiliſſima. Ergo. Minor probatur, quia licet compoſita corruptibilia ſint ſuis partibus perfectiora, attamen includunt etiam imperfectionem corporis. Quare ſi daretur ens ſimplex, habens perfe-

ctiones compoſitas, eſſet nobilius, vt colligitur ex Doctore Seraphico, *quaſt.2. corpore*, & D.Thoma 1. *contra Gent.cap.18.*

PROBATVR quartò à D.Bonauentura. Qui eſt infinitæ virtutis eſt ſimpliciſſimus. Deus eſt huiuſmodi. Ergò ſimpliſſimus. Maior probatur nam virtus vnita fortior. Deus autem eſt maxima vnitas, quia quod eſt ſparſum in inferioribus, colligitur in ſuperioribus, & maximè vnitur in ſupremo.

Probatur quintò à D.Bonau. in corpore *quaſt.2.* à ſufficienti partium enumeratione, quia Deus non habet partes quantitatiuas, ſiue integrales, ſiue eſſentiales, nec eſt compoſitus ex materia, & forma; neque ex ſuppoſito, & natura; neque ex eſſe, & eſſentia; nec ex genere, & differentia; neque ex ſubiecto, & accidenti. Ita etiam D. Thomas hic. His vtuntur Patres apud Bouer. *Demonſtr.1. art.21. & 22.*

ASSERO ſecundò, ſumma Dei ſimplicitas fundatur in Dei actualitate.

25 PROBATVR à D. Bonauentura ad primum. Compoſitionis ratio eſt, quia vna pars eſt actus perficiens: altera potentia perfectibilis. Ergo à contrario incapacitas compoſitionis venit à ſumma actualitate, quæ non eſt capax nouæ perfectionis.

Hinc percipe, quid velit S.Bonauentura ibi, dicens. Vbi ſumma ſimplicitas intelligitur, oportet ſummam actualitatem intelligi (ſi ſummè nobilis eſt) quia ſcilicet materia prima eſt ſimplex; ſed eius ſimplicitas dicit potentialitatem, & perfectibilitatem per formam (eſt enim ſimplicitas ad compoſitionem ordinata) Deum verò purum actum eſſe, ſecundùm Philoſophos eſt, non habere potentiam ad aliquem motum, ſiue generationis, ſiue augmentationis, ſiue alterationis, ſiue localem. At ſecundum Theologos, eſſe Deum purum actum, eſt habere omnes perfectiones entis, nec potentiam ad ampliorem. Hoc autem creatura non capit, quæ finita cùm ſit, habet potentiam ad vlteriorem perfectionem; ſimiliter cùm ſit dependens, habet potentiam contradictionis ad non eſſe, vt ſæpe docet Doctor Seraphicus.

26 Neque maior actualitas ſemper eſt cum maiori ſimplicitate. Sic enim indiuiduum eſt magis actu, quàm ſpecies; & tamen eſt magis compoſitum actu; dicit tamen minorem compoſitionem cum potentia; eſt enim magis actu, quàm ſpecies, & ſpecies magis actu, quàm genus.

COLLIGE primo, non quamlibet ſimplicitatem dicere perfectionem ſimpliciter ſimplicem, quam D. Anſelmus in Monol. *cap.4.* ait, eſſe eam, quæ eſt melior, quàm carentia eius; ſed illam, quæ excludit mixtionem potentiæ, & habet de actu; ob id materiæ ſimplicitas eſt imperfecta. Maior ergo actualitas, quæ inducit minorem compoſitionem potentiæ, eſt radix ſimplicitatis, quæ eſt perfectio entis vnius. Ideò B. Bonauentura, *ſerm.11. Hexaëmer.* ait. Vnitas ſimplicitatis in principiis eſt defectiua, quia quodlibet principium non eſt ſufficiens ad producendum ſine alio principio.

27 COLLIGE ſecundò, quantò magis res eſt ſibi vna actu; tantò eſſe ſimpliciorem, & perfectiorem. Vbi aduerte, non omnem multitudinem nocere ſimplicitati; & ità in Deo ſunt tres perſonæ, & multa attributa; neque tamen aliquid adimitur de ſimplicitate, vt dicam, *quæſt.8. & tract. de Trinitate diſp.3. quæſt 4. & 10*, quia attributa ſunt vnum formaliter omnimodè, ſimiliter relationes, vt ſunt *in* ideò non faciunt compoſitionem, quæ eſt in his, vel cum his; vel ex his. Definitur autem ſimplicitas; eſſe indiuiſio, ſeu identitas rei cum ſe ipſa. Ibi verò elucidabo ſolutiones S.Bonauenturæ.

COLLIGE tertiò, tot modis dici ſimplicitatem, 28
quot modis dicitur compoſitio. Enumerat autem S. Bonau. 1. *diſt.8. part.2.quæſt. 2. & in 2. diſt.3. part.1. quæſt.1.* ſex modos compoſitionis. Prima compoſitio eſt ex partibus eſſentialibus, vt materiæ, & formæ. Secunda partium integralium, ſiue ſimilarium, vt ſunt partes aquæ vnius fluminis; ſiue diſſimilarium, vt ſunt partes corporis vnius animalis, quæ ſunt diſſimilares in ſe, & à toto; non enim pes, vel manus, eſt corpus hominis. Tertia eſt ſubſtantiæ, virtutis, & operationis, ſeu ſubſtantiæ, & accidentis. Hanc compoſitionem in creaturis omnibus ponit S.Dionyſius Areopagita paſſim relatus à Seraphico, V. G. eſt ſubſtantia ignis, in eoque eſt calor, qui eſt virtus; eſtque calefactio, quæ eſt operatio eius. Quarta eſt compoſitio ſuppoſiti, & naturæ. Sic Petrus eſt compoſitus ex humanitate, & ſuppoſito. Quinta 29
compoſitio eſt eſſentiæ, & exiſtentiæ, nam ſicut lucere v.g. differt à lucis eſſentia: ita eſſentia ab exiſtentia (omittit verò hic compoſitionem ex genere, & differentia, quia de hac agit quæſtione vltima, quærens. An Deus ſit in aliquo genere.) Circa compoſitionem ex eſſe, & dependentia à cauſa, quæ dicit eſſe actu cauſatum, habens potentialitatem ad non eſſe, quæ eſt compoſitio ex eſſe, & extrinſeca dependentia, & facit, vt creatura non ſit ſuum eſſe; aduerte hoc genus compoſitionis refelli à Scoto *diſt 8. in quæſito iuxta primam quæſtionem*, quia ſi quodlibet cauſatum eſt compoſitum, ſequeretur non deueniri ad ſimplicia componentia; ſed abiri in infinitum, vel ſiſtendum in principiis componentibus, quæ profectò ſunt cauſata, atque adeò non omne cauſatum eſt compoſitum. Hoc argumentum vrget Faber *diſp.36. cap.2.*

Notat S.Bonau. *ſerm 2. Hexaëmer.* hanc compoſitionem non oriri ex mero eſſe ab alio, quouis modo, alioqui & Filius, & Spiritus ſanctus eſſent compoſiti; ſed ex eſſe ab alio extrinſeco.

Caietanus *ad art. 7. quæſt.3. D. Thomæ*, reſpondet propriè cauſata dici ſola ſubſiſtentia, non autem concauſata, & illa quidem compoſita dici ex entitate ſua, & dependentia; non verò concauſata.

Verùm hæc reſponſio non placet, tum quia cedit argumentum Scoti, tum quia ſingularis cùm ſit, non includeret omnes creaturas, quæ omnes ſunt dependentes.

HÆC igitur compoſitio, quæ aſſignatur etiam à D.Thoma in eo poſita eſt, vt quodlibet creatum ſit compoſitum ex actuali ſua entitate, & potentia ad non eſſe, ſi à Deo non ſuſtentetur, quod omnibus creatis, ſeu concreatis conuenit. Neque verò timendum, abiri in infinitum, quia non eſt quærenda in hoc genere ſimplicitas; ſed omnia ſunt primò compoſita tali compoſitione; ſimplicitas verò venanda eſt in compoſitis intrinſecis.

IGITVR Deus tot modis eſt ſimplex, quòd eſt di- 30
cere. Deus eſt ab omnibus his compoſitionibus immunis; ſed eſt ſimpliciſſimus actus, qui non læditur pluralitate perſonarum quia ſummus; & puriſſimus actus, cùm ſit perfectiſſimæ bonitatis, dicit communicationem, modis poſſibilibus eiuſdem ſimpliciſſimæ entitatis, quæ fit in emanationibus Diuinarum Perſonarum, quæ quidem cùm ſint idem omninò eſſentialiter, & ſecundùm abſoluta; non faciunt compoſitionem, cùm non faciant plura, *in* vel *ex*, vel *cum*, ſed ſolùm ad obiectum, vt obſeruat D.Bonau. ad argumenta *quæſt.1.* De his verò agam, *Tractatu de Trinitate diſp.3.*

QVÆSTIO

QVÆSTIO VII.

An ſimplicitas ſit Dei propria.

{ D. Bonau. d. 8. p. 2. q. 2.
{ D. Thom. q. 3. art. 2.

EX DICTIS iam liquet, omnes creaturas aliqua compoſitione conſtitui.

IGITVR aſſero. Simplicitatem eſſe Deo ſoli propriam.

31 PROBATVR à D. Bonauentura primò quia nulla creatura eſt actus purus. Ergo eſt compoſita ex actu, & potentia. Antecedens probatur ex Boëtio *de hebdom. & de Trinitate.*

SECVNDO omne finitum componitur ex contrahente, & contrahibili. Omnis creatura eſt finita. Ergo.

TERTIO, quia omnis creatura componitur ex eſſe, & dependentia, vt dixi quæſt. præcedenti. Ergo non eſt ſuum eſſe. Ergo non eſt ſimplex.

ADVERTA, D. Bonauenturam hic in corpore omnibus creatis entibus ſubſiſtentibus per ſe aſtruere compoſitionem ex materia, & forma, quam ex partibus eſſentialibus conſtitutam ait. Hæ autem ſunt veræ partes Phyſicæ; non autem ſolum actu, & potentia, vt nundinatur Trigoſius *quæſt. 3. art. 2.* quod latius oſtendam, *Tractatu de anima, d. 1. quæſt. 7.* & *Tractatu de Angelis, d. 1. quæſt. 2.*

QVÆSTIO VIII.

Quo pacto multitudo perfectionum eſſentialium Dei non obſit Diuinæ ſimplicitati.

32 SCIENDVM primò ex D. Bonau. 3. *p. Breuil. cap. 6.* Sicuti omne ens habet ſuas proprietates, & perfectiones. Bonitatem, Veritatem, Vnitatem, &c. ita nobiliſſimum Ens, perfectiſſimas Entis perfectiones poſſidet, nempe, eximiam Vnitatem, Veritatem, Bonitatem, Simplicitatem, &c. Præterea alias etiam ægregias perfectiones creatis entibus non communicabiles. Omnipotentiam, Immutabilitatem, Immenſitatem, Incomprehenſibilitatem, & ſimilia, vt habetur in Concilio Later. cap. *Firmiter.* Hæ autem perfectiones dicuntur attributa, quia cùm nequeamus Deum quidditatiuè percipere, eumque perfectiſſimum ſciamus, ei attribuimus perfectiones, è creaturis emendicatas. Vt verò ſint attributa, debent eſſe perfectiones, non metaphoricæ ſed propriæ, abſolutæ. Ex his aliquæ ſunt attributa negatiua, vt Immutabilis, Infinitus, Incomprehenſibilis: aliæ autem ſunt attributa affirmatiua; vt Potens, Sapiens, Bonus. Vide Doctorem Seraphicum, quem ſequitur Suarez *lib. 1. cap. 9.*

SCIENDVM ſecundò ex D. Bonauentura, 1. *diſt. 45. art. 2. quæſt. 1.* ex Damaſceno, 1. *de fide*, tametſi Diuina eſſentia ſit quid ſimpliciſſimum, vt definitum eſt in Conciliis Rhemenſi, & Lateranenſi, cap. *Firmiter*; tamen eſſe pelagus ſubſtantiæ infinitum; & ideò omnia, quæ in nobis reperiuntur diuerſa, compoſitiones redolentia, ſunt in Deo per omnimodam identitatem; ſed tamen omnimoda veritate, & perfectione. Vnde, ſicut in nobis Sapientia, Potentia, & Voluntas verè eſt Ens, & cauſa rerum, quæ à nobis prodeunt, ſic & in Deo ſunt; ſed tamen vnum ſunt; & quia intellectus noſter non valet infinitatem illam comprehendere, nec vno verbo exprimere; ideò multis modis intelligimus Deum, & nominibus exprimimus, vt ait D. Bernardus, *lib. 5. de Conſideratione, cap. 13.* Et ſecundùm quòd illis nominibus intelligimus, plura enunciamus; & ità aliquid Deo attribuimus ſecundùm vnum modum, quòd non ſecundum alium. Et verè quidem, quatenùs in Deo habent veram exiſtentiam. Et ideò cùm alio modo intelligamus Deum, cùm dicimus, Deum bonum; alio cùm dicimus æternum; concedimus, ſe diffundere, quia bonus eſt; non quia æternus; hæc enim eſt proprietas bonitatis, non durationis. Hæc S. Bonauentura *in reſol.*

In reſponſione verò ad primum, ait. In Diuina ſubſtantia omnes nobiles proprietates ſunt vnum, non tamen poſſunt ſignificari, niſi per diuerſa. Et *diſt. 13. quæſt. 3. ad ſecundum*, ait. Quod & ſi natura, & voluntas in Deo conſideratæ abſolute ſint idem, tamen aliquid reſpicit voluntas in ratione principij, quod non reſpicit natura, vt natura; Vnde non ſequitur; creatura eſt à Deo per modum voluntatis. Ergò eſt à Deo etiam per modum naturæ Pater æternus, natura, ſeu intellectu, generat. Ergò & voluntate. Idem habet Suarez loco citato. Hoc verò eſt, & præludium, & fundamentum præcipuum veræ ſententiæ, quam ſequemur, vt aduertit Valentia.

SCIENDVM tertio, varia eſſe diſtinctionum genera, pro Philoſophantium varietate. Et quidem apud Thomiſtas alia eſt diſtinctio realis; alia rationis. 33
Realis, alia eſt realis rei à re: alia realis modalis rei à modo. Diſtinctio rationis, alia eſt rationis ratiocinantis, quæ eſt merum opus intellectus: alia rationis ratiocinatæ, quæ habet fundamentum in re. Ità D. Thomas *primo diſt. 2. q. 1. art. 2.* & 3. & *diſt. 22. quæſt. 1. art. 3.* & *diſt. 33. q. 1. art. 1. ad tertium.* Caietanus *p. 1. quæſt. 39. art. 1.* & *de ente, & eſſentia, quæſt. 12. art. 3.* Bañes *p. 1. quæſt. 28. art. 2. dub. 3.* Fonſeca *5. Metaph. cap. 6. quæſt. 6.* Suarez *in Metaph. diſp. 7. ſect. 1.*

Has verò diſtinctionum ſpecies latiùs explicat Ioannes Paulus Nazarius, *p. 1. quæſt. 3. art. 5.* vbi diſtinctionem rationis ratiocinatæ ſubdiuidit. Alia eſt, quæ habet fundamentum in re compoſita metaphyſicè ex eſſe, & eſſentia; ex genere, & differentia; ſicut eſt quælibet res creata; & hoc modo diſtinguitur animal, & homo; ſiue animal, & rationale. Hanc diſtinctionem aliqui Thomiſtæ vocant formalem formaliter; vel formalem realiter; ſiue actualem. Et ad hoc membrum, ait, poſſe reduci diſtinctionem, quam Scotiſtæ appellant formalem ex natura rei qualis eſt vegetatiui, ſenſitiui, & intellectiui in anima rationali.

SECVNDA diſtinctio rationis ratiocinatæ eſt, quæ habet fundamentum in re ſimpliciſſima minimè compoſita ex natura, & ſuppoſito; eſſe, & eſſentia; genere, & differentia; qualis eſt Deus, qui propter ſuæ Deitatis infinitatem, & eminentiam poteſt fundare diuerſos conceptus, vnam, & eandem rem repræſentantes, prout eminenter continet diuerſas perfectiones creaturarum. Hanc diſtinctionem vocat Caietanus formalem, non formaliter, ſed virtualiter, quæ virtualitas non eſt potentialitas, vt vrgent Scotiſtæ, ſed actualitas eminenter ea continens actu puriſſimo, & hoc modo aiunt Thomiſtæ diſtingui in Deo intellectum, & voluntatem; ſuppoſitum, & naturam.

Vaſquez tamen, *diſp. 117.* diſtinctionem rationis ratiocinantis, & ratiocinatæ, refellit, & docet, attributa diſtingui ratione cum fundamento, quam adhuc vocat rationis ratiocinantis, vt dicam infrà.

E regione

34 E Regione Thomiſtarum Scotus incedit. Primò enim ponit diſtinctionem realem, & rationis. Realem diuidit in realem naturarum, quam vocat eſſentialem & ſuppoſitorum. Ita *in primo diſt.*26. & *in ſecundo diſt. primo*, *quæſt.*5. & *diſt.*2. *quæſt.*2. Diſtinctio naturarum, ſeu eſſentialis eſt inter naturas genere, vel ſpecie, quæ non identificantur in eodem indiuiduo, vt ſenſibile in Leone, & rationale in Petro; (nam hi gradus in Petro ſunt vnum natura reali, & ſi non natura formali) Poſſunt & plures naturæ in vno coire indiuiduo, & adhuc realiter diſtingui, ſi eæ ſeparabiles ſint. Ea indiuiduè differunt, quæ vel ſuppoſitia, vel ſuppoſita diſtincta ſunt numero: Adde plura ſolo numero accidentia in eodem ſeparabilia poſſe eſſe.

E Regione, ea vnum re faciunt, quæ vel vnam naturam ſpecificam, genericamue habent: vel ſi plures definitione, & realitate, vniuntur in vno indiuiduo inſeparabiles, quacunque potentiâ.

Distinctio rationis ex Scoto *in primo diſt.*2. *quæſt.*4. alia eſt rationis; alia rationis ratiocinantis. Diſtinctio rationis vocatur ab ipſo formalis. Ita *ſeptimo Metaph. quæſt.*19. & *in primo diſt.*2. *quæſt.*4. & *in Reportatis diſt.*33. *quæſt.*2. & dicit, hanc eſſe differentiam priorem omni intellectu poſſibili; & omni eſſe obiecti in ipſo intellectu. Hæc verò diſtinctio altera eſt mutua, ſeu adæquata, vt ait Scot. *loc. cit. Report.* quorum neutrum alterum claudit in ſua definitione. Includere enim aliud formaliter (ait Scot. 1.*d.*2. *quæſt.*4.) eſt in ſua eſſentiali ratione illud claudere. Sic diſtinguuntur Genus; & differentia. Altera eſt non mutua, ſeu inadæquata, & eſt inter ea, quorum vnum includit alterum in ſua definitione; non è conuerſo. Sic diſtinguuntur ſuperiora, ab inferioribus, puta ſenſibile, à rationali.

Faber de formalit. *cap.*8. negat, hanc diſtinctionem non mutuam. Identitas enim eſt relatio primi generis, atque adeò mutua. Itaque ſi vnum extremum eſt idem cum altero extremo, ſequitur, & hoc debere eſſe idem cum illo.

Poncius, *d.*4. *Metaph. num.*77. alia ratione cietur. Itaque rationem Fabri ſoluit ſic. Relatio identitatis eſt inter extrema realiter diſtincta, qualis non eſt hic. Ea ergò ſit ratio. Id formaliter diſtinguitur ab alio, quod non eſt formaliter illud; ſed incluſum, & includens non ſunt formaliter idem; nam neque ſenſibile eſt rationale formaliter, neque eſt homo, etſi in homine incluſum; neque è conuerſo, vt concedunt; quippè nec rationale, nec homo ponitur in definitione ſenſibilis. Si dicas prædicari ſenſibile de homine formaliter ſic. Homo eſt ſenſibilis. Ait, eadem ratione, hominem de animali prædicari, etſi indirectè. Deinde animal non prædicatur de homine adæquatè. Ergo formaliter differt ab homine. Et ſic diſtinctio eſt mutua.

At prior reſponſio eſt falſa non enim eſt verum, hominem de animali dici formaliter, vt patet: ſecunda verò reſpuitur, quia rationale eſt ratio adæquata hominis, de quo dicitur formaliter.

Porrò in formali diſtinctione tria requirunt. Primum, vt ſint entia actu in rerum natura. Secundum, vt habeant eſſe formale, & non virtuale merum. Tertium, vt ſint entia non confuſa inter ſe.

Hæc autem diſtinctio dicitur rationis, & eſt tamen realis media inter realem, & rationis, ſeu per intellectum, eo quòd non eſt inter res ſeparabiles, vt realis; neque per ſolum intellectum, vt diſtinctio rationis; ſed vt realis plurium rationum formalium realium, quæ in eadem re cadere poſſunt; à quibus veros conceptus diuerſos eruas, & oppoſitos.

Hinc demonſtratiuè argui diſtinctionem formalem, oſtendit P. Franciſcus Macedo Luſitaniæ ſydus præfulgens, Italiæ, & orbi in Religione Seraphica *Collat.* 3. *diff.* 1. Viget. Diſtinctio rationis ratiocinatæ ſumitur è fundamento reali diſtinguente. Ergo ex natura rei.

Scotistæ nonnulli ponunt etiam aliam, quam vocant ex natura rei, quæ eſt inter rem, & modum eius intrinſecum; quam modalem vocant. Ego autem exiſtimo cum Fauentino, *Tractatu de formalitatibus*, *capite nono*, eandem eſſe diſtinctionem formalem, & ex natura rei; vtrique enim eadem aptatur à Scotiſtis definitio, vt ea ſint diſtincta formaliter, de quibus duo oppoſita verificari nequeunt. Similiter ea ex natura rei differunt. Ex quo fit, vt definitio diſtinctionis ex natura rei, conueniat iis tantum, quæ habent diuerſas formales realitates. Dicitur enim diſtinctio formalis à forma, quæ, naturam aliquam rei diſtinctam concipiendam offert. Solet enim deſcribi formalitas. Ratio obiectiua conceptibilis rei, ex natura ipſius. Vnde & formalitas ſæpe à Scotiſtis, realitas obiectiua dicitur. Imò ſæpe à Scoto, diſtinctio formalis dicitur ex natura rei; vt aduertit etiam Fauentinus loco citato.

In hac tamen realitate laborant Formalitatum lucubratores. Antonius Sirectus, qui Magiſter dicitur Formalitatum, Mayro, Trombetta, Vallonus, Scotellus, Lychetus, & alij. 35

Aliqui enim volunt, diſtinctionem formalem non eſſe totam realem, ſeu completam à parte rei; ſed habere complementum ab intellectu. Ita videtur etiam ſentire Scotus *ſeptimo Metaph. q. decima nona.* Et *in Reportatis in primo*, *diſt.*33. *q.*2. vbi vocat, hanc diſtinctionem realem, ſecundum quid.

Arbitror, verum eſſe id, quod ait Gregorius, *primo diſt.*8. *quæſt.*1. *art.* 1. Scotum, hac de re, variè locutum; modo vocando eam virtualem; modo formalem. Ideò, & Scotiſtæ fatentur ſe labyrintis inuolui.

Et quidem in *primo diſt.* 2. *quæſt.* 4. loquens de diſtinctione attributorum Dei, ait. Sed nunquid hæc diſtinctio dicetur realis? Reſpondeo; non eſt propriè realis actualis intelligendo, ſicut communiter dicitur realis illa, quæ eſt differentia rerum, & in actu; & ſicut non eſt realis actualis; ità non eſt realis potentialis, quia nihil eſt ibi in potentia, quod non ſit actu. Poteſt autem vocari differentia rationis, ſicut dicit Doctor quidam (intelligit D. Bonauenturam) non quod ratio accipiatur pro differentia formata ab intellectu; ſed vt ratio accipiatur pro quidditate, ſecundum quod, quidditas eſt obiectum intellectus. Vel alio modo poteſt vocari differentia virtualis, quia illud, quod habet talem diſtinctionem in ſe, non habet rem & rem; ſed eſt vna res habens virtualiter, ſeu eminenter quaſi duas realitates, quia vtrique realitati, vt eſt in illa re competit illud proprium, quod ineſt tali realitati; ac ſi ipſa res eſſet diſtincta.

Hinc factum eſt, vt Scotiſtæ in auia abeuntes, varij admodum fuerint, circa opinionem Scoti de hac quæſtione, vt infra.

Exteri autem, diſtinctionem illam è medio tollere conati ſunt, præcipuè Caietanus, Mendoza, Suarez, Valentia, Vaſquez ſupponentes, eam eſſe mediam, nec realem, nec rationis; in quo falluntur, ſi Scotiſtis fidem habeas, qui eam realem communiter ſuſtinent. Vtcunque acrior inſtat Recupit. *l.* 3. *de attrib. quæſt.*4.*c.*2. Eam verò cum diſtinctione rationis ratiocinatæ confundunt, Vtinenſis, *tract.*3.*quæſt.*15. *art.*2. *ſect.*2. Trigoſius; *q.*3. *art.*2.*dub. ſexto*; at Pater Galitius noſter Generalis (heù iam raptus) *lib.*1. *Dialect. tract.*2.

*tract.*2. *cap.*4. & 5. ad eam reduci poſſe probat egregiè. Fauentinus verò infra, ad noſtram diſtinctionem, tanquam aſylum ab vrgentibus argumentis, aufugit: Melius ſuſtinet P. Macedo, *coll.*3. *differ.*1.

Eia, ſenſum D Bonau. in his diſtinctionibus indagemus. Certum eſt, eum ponere diſtinctionem realem, & rationis. Ità *in* 1. *diſt.*26. *q.*1. Ibi opponit ſibi Damaſcenum, *lib.* 5. *de fide cap.* 12. vbi videtur ponere in Diuinis ſolam diſtinctionem rationis, ex quo, aduerſarius; negat diſtinctionem perſonarum.

Reſpondet S. Bonau. Damaſcenum ſolam concedere in Deo diſtinctionem rationis, quæ negat diſtinctionem realem naturæ; non autem omnem realem diſtinctionem. Itaque triplicem in Diuinis diſtinctionem rationis aſſerit. Prima ex parte apprehenſionis, & ſic differunt attributa aliqua inter ſe; vt Sapientia, Bonitas, &c. Et huic diſtinctioni ait. nil à parte rei reſpondere. Secunda, quæ eſt ſecundum rationem attributionis, quatenus vni aliquid attribuitur, quod alteri non poteſt. Et ſic differunt intellectus fœcundus; à voluntate: relatio, ab eſſentia: quia Pater intellectu generat; non ſpirat: voluntate ſpirat, non generat. Eſſensia communicabilis eſt; at relatio incommunicabilis. Et huic diſtinctioni, an aliquid à parte rei diſtinctum reſpondeat, non explicat S Bonauentura. Tertia eſt pluralitas perſonarum in vna natura, & huic reſpondere à parte rei diſtinctam entitatem realem, aſtruit.

Ex hac diſtinctione anſam errandi accepere Brullfer ad hunc locum, Vrinenſis, *tract.*3. *quæſt.*15. *art.*3. *ſect.*2. *c.*3. Coriolanus, *quæſt.*32. *art.*2. quia cùm primo membro diſtinctinnis aſſerat S. Doctor, nil reſpondere à parte rei diſtinctum; inferunt, ſecundo membro reſpondere aliquid diſtinctum, non realiter realiter, alioqui confunderetur cum tertio membro; ſed formaliter; alioqui, ſi nihil huic reſpondeat; iam cum primo membro diſtinctionis confundetur.

Reſpondetur ergò, primo membro nil reſpondere; neque ſecundo membro reſpondere aliquid diſtinctum formaliter; ſed ſolùm virtute eminenter; vt dixi Notabili ſecundo.

Id autem explicat S. Doctor à poſteriori ex attributione, quia vnum attribuitur; alterum negatur ex diuerſo fundamento. Igitur dic, primum membrum in hoc, cum ſecundo conuenire, vt nihil eis reſpondeas actu formaliter diſtinctum ſed vtrique, virtute eminenter, ità tamen, vt ſub vno (quo ad hoc) genere diſtinctionis, ſecundum membrum conſtituatur per ampliorem ſuppoſitionem, ex qua communicari, & non communicari, generare, & ſpirare oriantur, quod non contingit in bonitate, & ſapientia. Cuius ſignum eſt, quod in aſſignando ſecundo membro, nil dicit an reſpondeat aliquid à parte rei diuerſis attributionibus; quod enim relatio, & eſſentia apud D. Bonauenturam ſint vnum formaliter, oſtendam *tract.*2. *diſp.*3. *quæſt.*4.

Aliam huius textus expoſitionem fluentem, & obuiam, afferam quæſt. ſequenti.

Ex hoc eodem textu, P. Galitius *in Dial. lib.*5. *tract.*2. *c.*5. deducit, ſic conciliari poſſe Scotiſtas, & Thomiſtas; vt ea, quæ à Thomiſtis dicitur diſtinctio rationis ratiocinatæ; dicatur formalis à Scotiſtis. Id colligit, quia S. Bonau vocat diſtinctionem realem etiam eam, quæ à Damaſceno dicitur rationis. Ego quidem (ſumma in tantum Patrem reuerentia) non poſſum acquieſcere, nam Damaſcenus vocat rationis diſtinctionem, realem realem, quæ eſt Inter Perſonas Diuinas. Scotus autem in ſua diſtinctione formali non inuoluit perſonas, neque diſtinctionem rerum. Eodem modo procedit cum Damaſceno, Seraphicus Doctor. Itaque ex hoc textu fruſtra diſtinctionem formalem venari tentamus. Pater Galitius, vt oſtendat Seraphicum diſtinctionis formalis inuentorem, eam ex alio etiam loco S. Bonau. colligere molitur *in* 3. *diſt* 6. *q.*1. vbi ait. Inſanum eſt, quod illa, quorum vnum de altero prædicatur inuicem, non numerantur, quamquam formaliter diſtinguantur, vt ſi dicas Petrus eſt muſicus. Petrus, & muſicus non ſunt duo; quamquam inter Petrum, & muſicam eius, ſit diſtinctio formalis (ait P. Galitius) Hoc tamen mihi difficile videtur, primò quidem in via S. Bonau. Nam S. Bonau. *in primo diſt.*8 *p.*2. *q.*1. *ad* 2. Et *diſt.*34. *q.* 1. *in reſol.* ponit geminam rerum diſtinctionem realem realem, alteram abſolutam qualis eſt ſubiecti, & accidentis: alteram relatiuam inter Perſonas ex origine: vtramque autem ponit ſub eodem genere realitatis, & diſtinctas, ſolùm per relatiuum, & abſolutum. Ergo ſicuti diſtinctio Perſonarum eſt realis realis; ità etiam ſubiecti, & accidentis. Deinde, quia ſubiectum, & accidens ità ſe habent, vt poſſint ſeparari. Ergo diſtinguuntur realiter. Probatur conſequentia ex Ariſtotele 4. *Metaph. textu* 3. vbi ait; Ea eſſe idem realiter, quæ eadem generatione producuntur, eademque corruptione deſinunt eſſe. Itaque non ea ſola, quæ ſunt diuiſa diſtinguuntur realiter, ſed etiam, quæ vnita inuicem ſeparari valent; prædicantur verò, vt corpus, & anima, quæ inuicem prædicantur ſubſtantialiter, dicimus enim, corpus eſt animatum, anima eſt incorporata, etiamſi poſſint ſeparari, ſaltem per Dei potentiam. Quando ergò dicit. Petrum à ſua muſica diſtingui formaliter, intelligit formale, ideſt, ſecundum eſſentiam, ſeu formam, & definitionem. Sic enim loquitur alibi; vt *diſt.*24. *dub.* 5. *litt.* Non nego, poſſe lato modo formalem dici, quatenus vna prædicatur de altera; attamen hæc non eſt formalis diſtinctio Scotica, vt patet; eam tamen incepiſſe aliquo modo, vt ait P. Galitius, quòad nomen, & aliquam rationem, non abnuo.

Enim verò, Seraphicum admittere diſtinctionem formalem aliunde colligo, quod Scotus ſupra faſſus eſt

Primo quidem docet *in* 3. *diſt.* 3. *p.*2. *quæſt.*3. *ad primum*, quatuor modis, aliquid eſſentiale dici; & Tertium ait, eſſe inter ens, & verum: bonum, & vnum ſine quo ens eſſe, & intelligi non poteſt. Docet id cum Ariſtotele *Metaph.* 4. *cap* 3. Et 4 *Top. c.* 3. vbi ait. Ens, & vnum eſſe vnam naturam diſtinctam, ratione quidditatiua. Quartum verò modum dicit eum, quo res ità eſt de ratione eius, vt ſine eo, non poſſit intelligi habere perfectum eſſe, & ſic diſtinguit potentias in anima; & hunc modum dicit eſſe minimum inter modos vnius ſubſtantialis, ſiue eſſentialis; non tamen tranſire in aliud genus. 37

In ſecundo etiam *diſt.* 24. *p.*1. *art.*2. *quæſt.*1. ponit eſſentiam animæ, eſſe vnam rem cum potentiis; ſed differre media diſtinctione inter realem realem, & rationis; differre inquam definitione; hanc autem mediam diſtinctionem inſinuat S. Bonau loc. cit. ex D. Aug. ſt. *9. de Trinitate capite* 55. vbi vult, Intellectum, Memoriam, & Voluntatem eſſe vnam mentem, vnam vitam, atque adeò vnam rem. At verò, *cap.*7. dixerat, Intellectum, & Voluntatem, tanquam inuoluta inuolui, vt numerentur ſubſtantialiter, vel, vt ità dicam, eſſentialiter. Et *lib.* 15. *de Trin. c.* 7. docet, quod ipſe Deus eſt tres perſonæ, ſed in creaturis, habens tres potentias, non eſt tres potentiæ. Certum eſt autem in hoc poſitam eſſe vnitatem formalem, vt vnum dicatur abſtractè id, quòd eſt idem formaliter; diſtinctionem autem formalem ex oppoſito. vt, licèt duæ formalitates ſint vna res, ſeu vnum identicè realiter, 38

realiter, nequeant tamen dici abſtractè de alio: & ita, licèt in homine ſit vna res Intellectus, & Voluntas; non tamen dicitur altera, de altera abſtractè, & hoc infra oſtendam.

Dari verò diſtinctionem formalem probant latè Scotiſtæ, ſed optima eſt ratio P. Galitij *loc.cit. cap.4.* Datur vnitas formalis, vt omnes fatentur: Ergo & diſtinctio formalis. Probatur Conſeq. Quia vnitatem, & indiuiſionem ſequitur diſtinctio, & diuiſio. Rationes verò, quibus Fauentinus, & alij formaliſtæ vtuntur, aliquæ Philoſophicæ ſunt, aliæ Theologicæ.

39 VNAM Philoſophicam apponam, quæ ſumitur ex D.Bonau. *in* 1. *d.3. p.2. quæſt. 3. ad* 1. ſupra allegatum. Magis diſtat ens ab vno; quàm ens ab ente, ſed ens ab ente diſtinguitur per intellectum. Ergo ens, & vnum differunt pluſquam per intellectum. Hæc autem diſtinctio eſt quidditatiua, ſeu formalis, vt vidimus cum Ariſtotele: non realis realiſ. Per hæc patet reſponſio ad impugnationem Valentiæ, *diſp.* 1. *quæſt.5. p.1.*

40 ADDAM, & aliud argumentum ex D.Bonau. locis adductis ſupra. Vbi eſt vna entitas indiuiſibilis, in qua tamen ſunt plura, quorum vnum non eſt de definitione alterius, ibi ſunt plures definibiles. Sed ſic ſe habet anima ad potentias, & potentiæ inuicem, vt oſtendam, *tract. de anima. d.2. quæſt.1. &* 2. Ergo. Idem élucet in gradibus metaphyſicis reſpectu eiuſdem, puta eſſe, corporeum, viuens, animal in Leone, quæ alia, & alia eſſentialiter dicunt, quibus, conueniunt aliis, & ab aliis differunt; & alias, & diuerſas habent operationes, Tandem diuerſæ competunt eis definitiones eſſentiales in ſe conſideratis, & non in ordine ſolùm ad operationes, vt conſtat, vnde prædicationes contradictoriæ, quæ eidem enti finito non poſſunt conuenire. Hæc paſſim in D.Bonau. leges, qui formalitates Scoto Elargitus eſt.

Rationes aliquas Theologicas adducunt Faber loc. cit. Et laxior Poncius contra Recupit. qui ex aduerſo nititur indè hanc diſtinctionem euertere. Sumuntur autem è diſtinctione intellectus, & voluntatis in Deo; Attributorum ab Eſſentia; Eſſentiæ, & Relationum. Sed hæ petunt principium, & Exploduntur hic, & *tract 2.d.3.quæſt.5.*

41 CIRCA noſtram quæſtionem, fuit error Gilberti Porretani, abſoluta in Diuinis realiter differre; vt Intellectum; Voluntatem, &c. Hic damnatus eſt in Concilio Rhemenſi, & confutatus à D. Bernardo, vt ſuprà.

PRIMA verò opinio ſit Scoti, 1.*diſt.8.quæſt.4.* ponentis diſtinctionem, inter hæc, formalem, quam multò magis ponit inter eſſentiam, & relationes *d.2. quæſt.7.* Eum ſequuntur Lichetus, Tartaret. Vigerius, Baſſol. 1. *d.22.quæſt.3. &* 4. Sghemma, *tit.35.* Luſitanus, *lib. 5.q.5.art.2.* Rada *p. 1.controu.4.* Faber 1. *diſp.20.* Mairo *in* 2. *d.8.quæſt.3. & d.33.q.1.* Smiſing. *tract.2. diſp.1.q.2.* Saxius in ſua Cataſta, *diſp.7. art.3.* Poſnanienſis 1. *diſp.* 47. Vulpes, *tom.* 1. *prima partis diſp.7. art.5. &* 6. Et *tom.3. diſp.59. art.3.* Brancaſius; *tom.1.diſp.20.quæſt.5.* Meldula, *tom.1.diſp.2.q.2. art.2.* Nicolaus Niſſ. *tract.1. p.3.* Votilong. *in* 1.*d.8. quæſt.vn. art.2.* Petrus de Aquila, *d.8. quæſt. 4. &* 5. P. Macedo loc. cit.

SECVNDA ſententia eſt Nominalium; diſtinctionem attributorum inter ſe, & ab eſſentia eſſe tantùm nominum, & conceptuum, & ideò rationis ratiocinantis. Ità Gregorius *in* 1.*d.8. quæſt.1. art.* 2. Aliacenſis 1. *quæſt.6.art.1.* Ocham *in* 1.*d.2.quæſt.2.* Aureol. 1. *d.2. p.3.art.4. & d.8.quæſt.3 art.6.* & alibi, Maior *q.1. art.2.* Rubion, *d.8. quæſt.4.* Henricus, *art.51. quæſt.1.* Durandus *d.2. quæſt.3.* Eidem accedunt Recentiores nonnulli, qui omnem diſtinctionem etiam virtualem remouent. Ità Herrera *d.2.quæſt.2. art.3.* Vaſquez *diſp.117.* Granado, & alij, quos allegat, & ſequitur Arriaga *p.1. diſp.42.ſect.5.* qui, virtualem quidem diſtinctionem relationum ab eſſentia, concedit ad contradictoria verificanda, de eis enunciata, at non eſſe extendendam ad attributa, quia in illis non dantur prædicata contradictoria.

Vtinenſis *Tractatu tertio, quæſt.15. art.2.* allegat pro hac ſententia Seraphicum, 1.*diſt.26.quæſt.1.ad ſecundum*, eò quòd minorem diſtinctionem ponat inter attributa, quàm inter eſſentiam, & relationes. Et, diſtinctioni attributorum, nil à parte rei reſpondere, aſſerat. Cùm igitur inter relationem, & eſſentiam ſit ſola diſtinctio formalis. Ergo inter attributa eſt ſola rationis ratiocinantis, ex D.Bonauentura. Idem ferè Marcus Gallus *p.1.* nititur, tametſi diſtinctionem rationis ratiocinatæ concedat, *quæſt.3. art.2.*

VERVM iam ſupra dixi quid ibi ſentiat D.Bonau. Deinde, vbi nam inter eſſentiam, & relationes ponit S. Doctor diſtinctionem formalem? at ſi eam poneret; adhuc malè inferretur, ſola ratione ratiocinante diſtinguere attributa; ſed potiùs ratione ratiocinata diſtinguenda forent, quia hæc diſtinctio eſt immediatior formali. Dic ergò, intra limites rationis ratiocinatæ dari magis, & minùs, quod ſpeciem non variat. Fruſtra verò Conciliator accedit Scotiſta hic palliatus, diſtinctionem rationis ratiocinatæ S.Bonauenturæ, ad Scoticam formalem trahens, cùm omnes in hoc ferè Thomiſtæ, & Scotiſtæ reclament. Tametſi argumentis preſſi Scotiſtæ inclinent, quos refellit Meldula, *diſp.6. Metaph. q.15 art.1.*

Cum illis falluntur etiam alij Recentiores, confundentes diſtinctionem formalem Scoti, cum ſua virtuali, vt Suarez, *diſp.7. Metaph.ſectione* 1. & *lib.4. de Trin. cap.* 4. Faſulus *p.1. quæſt.8. art.2. dub.1.* Salas *p.2. quæſt 3.tract. 2.diſp.4.ſect.* 3. Hurtadus *diſp. 6. Metaph. ſect.3.* quos retundit Meldula, *diſp. 6. Metaph. quæſt.11.* quamuis enim Scotus loco ſupra allegato videatur eas componere in vnam; tamen Scotiſtæ nunquam acquieſcunt aliis, Magiſtri textibus innixi.

TERTIA ſententia eſt Magiſtri, *diſt.8.* Alenſis *p.1. q.48. num.3.* Alberti *d.2. q.12.* D. Thomæ *q.3. art.4. &* 12. & Thomiſtarum communiter. Capreol. 1. *d.8. q.4. art.* 1. Ferrat. primo contra Gent. *cap.* 35. Item Gyllij *lib. 2.tract.5. cap.6.* Adam 1. *d.6. quæſt.1.* Tanneri *diſp.1.q.2.dub.2.* Ægidij *in* 1.*d.2. q 3. art.* 1. Richardi, *d.2. art.1. quæſt.2. & 3.* Caietani lib. de ente, & eſſentia *c.6. quæſt.12.* & *p.1. q.39. art.1.* Bannes *p.1. quæſt.28.art.2.* Molinæ *p.1.quæſt.* 28. Suarez *in Metaph. quæſt.1.* Recupiti *lib.3. de attributis, q.4.* Trigoſij, *quæſt.3.art.2.dub.6.* Caſpenſis, Tract. de attributis, *diſp.1.ſect.1. &* 2. Morandi *tract.1.quæſt.5.* Aueſæ *p.1. quæſt.3. ſect.5.* Fulienſis, *lib.1. c.2.* Nazarij *ad q.28. art.2.* D Thom. *controu.1.* attributa diſtinguit inter ſe, & ab eſſentia, ratione ratiocinata.

PRO hac ſententia, omnes ferè allegant S.Bona- 42
uenturam 1.*diſt.8. p.2. quæſt.1.* & aliis locis infra ſignandis, & meritò. Itaque loc.cit. ait. Deum eſſe ſummè ſimplicem. Et *diſt.* 21. *art* 2. docet, Deum habere plura nomina in diuinis litteris; ſed non multiplicata, niſi conceptu noſtro. Et *diſt.* 26. *quæſt.1. ad primum* ait; quod Bonitas, & Veritas in Deo differunt, ſecundum noſtrum conceptum. Idem habet *diſt.33.* & *d.43.*dicit, Deum eſſe omnipotentem, per omnimodam vnitatem potentiæ ad eſſentiam. Quòd verò ſit diſtinctio rationis ratiocinatæ, patet ex loco allegato in ſecundo Notando, quod eſt primum fundamentum

noſtræ

noſtræ ſententiæ. Cùm enim Deus ſit Oceanus infinitus perfectionum actualium, reiectis ad litus terrarum fœcibus imperfectionum creatarum, & in eo ſint infinitæ perfectiones, actu eminentiſſimo, & virtute actu continente omnes; modo tamen ſimpliciſſimo, excludente omnem compoſitionem, continet quicquid eſt perfectionum, atque adeò contradictoria etiam poteſt verificare, & adimplere prædicata, quæ noſtra entia finita nequeunt continere.

Fruſtra tamen Vtinenſis *loco citato*, *numero* 108. hinc arripit Seraphicum, vt ad Scotum ex more trahat; vt vidimus, & clariùs videbimus, *Tract.* 2. *diſp.* 3. *quæſt.* 4. & ſequentibus, vbi, de diſtinctione relationum ab eſſentia, agere diſtuli, quia multa ſunt ibi prius de Sanctiſſima Trinitate ſupponenda; Hoc fundamentum nititur Damaſceno citato, & D. Auguſtino 15. *de Trinitate*, *cap.* 17. vbi ait. *Nec diſtent in eis.* (Perſonis Diuinis) *iſta*; *ſicut in nobis, aliud eſt memoria, aliud intelligentia; aliud dilectio, ſed vnum aliquid ſit, quod omnia valeat.*

Svbsvmo at hæc, ſecundum D. Auguſtinum, diſtinguuntur ſolùm formaliter. *Ità decimo de Trinitate, lib. vndecimo*, vbi ait eſſe vnam mentem, vnam eſſentiam, vnam ſubſtantiam, vt docet D. Bonauentura 1. *diſt. tertia*, *part.* 2. *quæſt.* 3. Et idem tenent omnes Scotiſtæ. Ergo in Deo mutuò differunt.

43 Fvndamentvm ſecundum ex D. Bonauentura, diſt. 8. loco citato. Omnis diſtinctio actualis abſolutorum facit compoſitionem; & quidem omnem diſtinctionem realem componere, ſancitum eſt in Concilio Rhemenſi. Propterea damnatus eſt Gilbertus Porretanus, quia ponebat diſtinctionem realem, vt referunt S. Bonauentura, D. Thomas, Alenſis, & alij Scholaſtici, tempori illi propinqui, quibus magis credendum, quàm Vaſquez, qui ex Ottone Fuſingenſi, authore quidem nobili, Henrici quarti Imperatoris nepote, Henrici quinti ſororio, Conradi Regis fratre vterino, primò monacho Ciſtercienſi; mox Epiſcopo Friſingenſi pio, & erudito viro, nititur probare; Porretanum non aſſeruiſſe diſtinctionem realem, ſed ſolùm Mathematicam, atque formalem Scoticam.

Et quidem oportet præmonere, hunc authorem nimium fuiſſe Gilberto deuinctum, & eum plurimum laudare; ſed in morte palinodiam laudum dixit, vt teſtatur Bellarminus de Scriptoribus Eccleſiaſticis, ab anno 1100. vſque ad 1200.

Addo ea quæ refert Vaſquez ex Ottone eſſe fragmenta non integram hiſtoriam; neque hæc reperiri in actis Concilij Rhemenſis, quæ integra, & illibata ſeruantur in Vaticano, vt notat Nazarius *ad quæſt.* 28. *art.* 2. & conſentit Suarez, *lib.* 4. *de Trinitate*, *cap.* 1. Sæuam præterea Vaſquez in Scotum iacit calumniam, quam fouet Aderſa 1. *part. quæſt.* 3. *ſect.* 4. & *quæſt.* 28. *ſect.* 4. dicentes, Scotum idem, cum Gilberto ſenſiſſe, ac proinde damnatam vtriuſque pariter ſententiam. Verum ab hac, Scotum euendicarunt Ægidius Luſitanus, *Tom.* 1. *de Beatitudine*, *lib.* 5. *de viſione*, *quæſtione* 5. *art.* 4. §. *nono*, *numero* 143. Smiſing. *Tractatu ſecundo*, *quæſt.* 2. *numero* 13. Brancaſius *diſp.* 10. *quæſtione* 5. *art.* 5. Meldula, *loco citato numero* 7. P. *Macedo ſect.* 3. omnium eruditiſſimè.

44 Sententia Gilberti fuit; tres relationes eſſe res affixas Deo, atque adeò ponebat quaternitatem rerum.

Probatur primò ex confeſſione fidei, contra Gilbertum edita à D. Bernardo, & Epiſcopis. Ea eſt, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, non eſſe res alias à Deo.

Secvndo. D. Bernardus, *lib.* 5. *de conſider.* *cap.* 7. inſinuat, Gilbertum poſuiſſe quaternitatem, *& ſerm.* 80. *in Cant.* diſputans contra Gilbertum, nititur probare, naturam non eſſe in perſona, tanquam formam in ſubiecto, à quo diſtinguatur; ſicut diſtinguuntur albedo niuis, à niue, nigredo Corui, à Coruo; quæ diſtinguuntur realiter; non autem formaliter tantùm, vt ſupra dixi. Ex quo obiter colligo, Seraphicum Doctorem, ſupra citatum, non poſuiſſe diſtinctionem formalem Scoticam inter Petrum & eius muſicam; ſed formarum, id eſt, naturarum realem, nam D. Bonauentura, ſecutus S. Bernardum, eodem puncto, Impugnat Gilbertum, tanquam ponentem diſtinctionem realem, quia poneret relationes eſſentiæ affixas, ad modum quo accidens vnitur ſubiecto. Quod ſi diſtinctio inter Petrum, & eius muſicam eſt formalis Scotica, profectò damnatus eſſet Scotus in Concilio Rhemenſi.

Tertio ex Concilio Rhemenſi, prout refertur à Vaſquez, idem colligo, ait enim. *Credimus, & confitemur, ſimplicem naturam diuinitatis eſſe Deum, neque alio ſenſu Catholico poſſe negari, quin diuinitas ſit Deus, & Deus Diuinitas. Credimus, non niſi ſapientia, quæ eſt ipſe Deus, ſapientem eſſe; non niſi magnitudine, quæ eſt ipſe Deus, magnum eſſe; non niſi æternitate, quæ eſt ipſe Deus, æternum eſſe, &c.* Et paulo infra. *Credimus, & confitemur, ſolum Deum Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum æternum eſſe; neque aliquas omnino res; ſiue relationes; ſiue proprietates, ſiue ſingularitates; ſiue vnitates dicantur, vel alia huiuſmodi adeſſe Deo, quæ ſint ab æterno, & non ſint Deus.* Ex quibus verbis, præſertim vltimis, luce clariùs enitet, Concilium loqui de diſtinctione reali rei à re, eamque excludere non modo, inter eſſentiam & relationes, ſed etiam inter eſſentiam, & attributa. 45

Ex qvo pedetentim colligo, falſum eſſe id, 46 quod dicit Vaſquez, quem ſequitur Smiſing. non errаſſe Gilbertum, circa diſtinctionem attributorum ab eſſentia, ſed ſolùm circa relationes: nam Concilium de vtriuſque definit. Et D. Bernardus, *ſermone* 80. *in Cant.* refert, Gilbertum negaſſe has propoſitiones. Deus eſt Bonitas, Veritas, ſapientia.: & ſolùm in concreto dici debere. Deus eſt bonus, &c. vt notat P. Macedo. Hinc tamen deduco, etiam Scoti ſententiam, tametſi à Gilberti ſententiæ damnatione immunem; tamen contra Concilij, & Bernardi intentum, ſtatuere diſtinctionem formalem, qua fit, vt nequeat enunciari in abſtracto Deus eſt Bonitas, ſapientia, &c. Quæ enim formaliter differunt, nequeunt in abſtracto enunciari. Sic quia gradus vegetatiuus, ſenſitiuus, & rationalis in homine formaliter differunt; non poteſt dici anima vegetatiua, eſt ſenſitiuitas, rationalitas. Et quia Intellectus, memoria, & Voluntas apud Scotum inter ſe, & ab anima differunt, licet tantùm formaliter; falsò dices. Intellectus, eſt Voluntas. Concilium autem Rhemenſe oppoſitum definiit in Diuinis attributis.

Hinc pedetentim exhibeo, diſtinctionem formalem Scoti, veram inuehere in Deum compoſitionem, vt

rectè arguunt Suarez *l.1.cap.10.* & *Becan.cap.1.quæſt.1.* nam ſi eſſentia Diuina non eſt formaliter ſapiens, ſed noua ſapientiæ actuatur perfectione, ſequitur non eſſe Infinitè actu ex ſe perfectam, ſed eſſe in potentia ad actum, vnde etiam in via Scoti infertur compoſitio, contra definitionem Conciliorum Later. ſub Innoc.III. c. *Firmiter*, & cap. *Damnamus*, atque Rhem. Vrgeo. Vel eſſentia Diuina ex ſe eſt finita, vel infinita. Si infinita; nequit perfici: ſi finita. Vel accedentibus attributis fit infinita, & tunc eſt attributis deterior; vel remanet finita; at quis hic Deus?

Reſpondet Scotus, eſſentiam ipſam effundere has ſuas dotes. Addit Poſnan. *l.1. cap.2. quæſt.2.* Deum non eſſe ſimpliciter ſimplicem. At infero è D. Anſel. *proſol. cap.5.* Ergò non eſt meliùs, Deum eſſe quàm non eſſe. Reſponſio autem Scoti *num.63.* allidetur.

47 Non dicam tamen Scoti ſententiam damnatam; id enim mihi ſemper ob oculos ſtabit, Doctores Catholicos, non ita facilè erroris damnare, aureumque meditabor Scoti erudimentum 1. *diſt.8. quæſt.5.* ne abſurdiora illis imponam, quam ex eorum dictis neceſſariò ſequantur; & ex dictis illorum rationabiliorem ſenſum eſſe accipiendum. Quod ſi id multi Recentiores penſitarent, non adeò lubricè erroris, vel temeritatis notam Doctoribus etiam Claſſicis inurerent, quo ſibi ipſis audaciæ notam inurunt, vt clamat Faſolus 1. *p. quæſt.4. art.2. dub.12. num.92.* Meldula *diſp.2. quæſt.2. art.1.* enumerans autem Vaſqueſium, Canarienſem, Bañes, Zumellum, Molinam, Sotum, Turrianum, tanquam nimis in Scotum mordaces, admonendus eſt, vt ſuos, Fabrum. Vulpem, & alios, edoceat, ne adeò in D. Thomam, & D. Bonauenturam deſæuiant, ſæpè ad deteriores ſenſus, inuitos rapientes, & erroris carpentes.

Ipſe verò ne adeò exultet, aut gratias Deo agat, Recentiorulos nonnullos, turpioris erroris damnaſſe noſtram ſententiam, ac panem nobis fermentatum reddidiſſe, quos referunt Ouiedo, *controu.4. metaph.p.4. §.2.* Granad.1. *p. Tract.3. diſt.5. ſect.3.* & *Tract.5. diſp.5. cap.7.* Torres 1. *p. ſelect. diſp. centur.4. dub.35.* Alarcon. & alij. Noſtram enim ſententiam catholicam, omnes ſanæ mentis, conclamant, vt infra probabo.

Fauentinus *diſp. 36.* vt authoritate, ſententiam Scoti à compoſitionis conſequentia liberet, affert D. Auguſt. 11. *de ciuit. cap.10.* vbi ſimplicitatem in Deo argumentatur ſic. Deus eſt immutabilis. Ergò ſimplex. Subdit. Creaturæ, quia non ſunt ſimplices ſunt mutabiles. Tunc ſic arguo (ait Fauentinus) At illud, quod eſt commutabile conſtat ex parte ſeparabili ab altera. Ergo. Ergo quid? Non enim S. Auguſtinus arguit, id ſolum eſſe compoſitum, quod ex partibus conſtat ſeparabilibus. Formæ enim non habent partes ſeparabiles, & tamen non ſunt ſimplices; ſic in anima rationali intellectus eſt inſeparabilis, & tamen cum ea compoſitionem facit, & eſt mutabilis aliis mutationibus.

Tenebatur autem Fauentinus probare id, quod propoſuit; ſolam mutabilitatem, ſecundùm ſeparationem partium, facere compoſitionem; non autem eam ſufficere, quod nemo negauit. Quis enim ignorat, Angelum, qui maximè in via Scoti, & D.T. non conſtat ex partibus ſeparabilibus, eſſe compoſitum, non ſimplicem?

48 Aliam authoritatem adducit Fauentinus ex D. Auguſtino. Simplex eſt illud, quod eſt id, quod habet. Vnde Deus habet vitam, & eſt ipſa vita.

Subdit verò Fauentinus, ea omnia, quæ habent eſſe non per eſſentiam, ſed per participationem inducere compoſitionem. Hoc teſtimonium retorqueo in illum: primò, quia ſi daretur diſtinctio formalis in Deo, iam non eſſet in abſtracto ſua Vita, Veritas, Bonitas. Ergò componeretur. Hoc eſt Seraphici Doctoris argumentum, *diſt.8. p.2.quæſt.1.* Deinde, ſi totum id, quod non eſt ſuum eſſe per eſſentiam, quantumuis habeat eſſe inſeparabile componitur ex habente, & eo quod habetur; Ergo non ſola ſeparabilitas reddit compoſitionem.

Assero primò. Attributa, nec inter ſe, nec ab eſſentia differre realiter realiter. Eſt de fide ſtatutum in Concilio Rhemenſi, contra Gilbertum. Et in Lateranenſi cap. *Firmiter*, Et Florentino.

Assero ſecundò, neque diſtingui formaliter contra Scotum.

Probatvr à D. Bonauentura primò, *diſt. 19. dub. 3. lit.* ex D. Auguſtino, *ſeptimo de Trinitate, cap. 1.* vbi ait. *Non alio magnus, alio Deus: ſed eo magnus, quo Deus.* Idem habet S. Auguſtinus, *lib.5. capite octauo.*

Reſpondet Fauentinus, *numero 72.* ſolùm haberi non diſtingui vt rem à re. Probat, quia idem S. Auguſtinus ait. *Non eo verbum, quo ſapientia.*

Contra. Si ſolùm excludit diſtinctionem rei à re; Ergo excluſiua ſequens oppoſita. Non eo Verbum, quo ſapientia; aſſerit, Verbum à Sapientia, & eſſentia, diſtingui realiter.

Contra ſecundò. Si particulæ *eo*, & *quo*, ſignificant eodem modo, vt fatetur Faber *numero 27.* vbi ait negare identitatem formalem eſſentiæ, & relationis, ſeu abſoluti, puta ſapientiæ, & relationis; ideſt Verbi; ſequitur, Sapientiam, & Infinitatem eſſe idem formaliter; nam eodem modo, quo vnum negat, alterum aſſerit.

Confirmatvr à Doctore Seraphico, *diſt. 22. quæſt.2. ad vltimum*, ex dicto illo. *Voces diuerſæ; ſed vnum per eas ſignificatur*, quod eſt D. Bernardi, *lib.5. de conſideratione, cap.13.*

Meldula, *numero* 68. huic Scrupulo occurrendum ait, regula illa aurea D. Bonauenturæ, 2. 49
diſt. 33. art. 3. quæſt. 1. ad primum, & Scoti ibidem, *quæſt. vnica*, quia ſecundùm Philoſophum; ſicut in moribus; via deueniendi ad medium eſt aliqualiter procedere vltra medium, verſus extremum, 2. *Eth. cap. vltimo*; ità frequenter Sancti, vt extinguerent hæreſes, contra ſe pullulantes, exceſſiuè locuti ſunt, declinantes ad aliud extremum, vt ad medium peruenirent; atque ideò docent D. Bonauentura, & Scotus, ſollicitè videndum, contra quos hæreticos, Sancti ſint locuti; ſicut Auguſtinus contra Arrium diſputans, videtur quaſi declinare ad Sabellium. Cùm igitur in caſu noſtro, D. Bernardus in Concilio Rhemenſi inſudaret euellendo errori Porretano; ideò identitatem diuinam maximè premit, vt omnem diſtinctionem abigere velle videatur. Sic & D. Auguſtinus & alij Patres, vt contra Arrium defenderent vnitatem eſſentiæ Diuinæ, & Perſonarum conſubſtantialitatem. Idem intendunt Concilia, Rhemenſe, & Florentinum.

Vervm aliam addit Auguſtino reſponſionem ex Scoto, *diſt.8. quæſt.4. 6.Contra iſtam*, vt ſenſus ſit, non eſſe Patrem, quo Deum; ideſt, non eſſe eiuſdem rationis; quia alterum eſt abſolutum; alterum relatiuum: at verò eò ſapientem, quò Deum, quia vtrumque eſt eiuſdem rationis, ideſt, abſolutum.

Contra tamen eſt, quia relatiuum eſſe aliquid diuerſæ rationis ab abſoluto, ſuppoſuerat initio capitis, & diſtinxerat proprietates relatiuas ab abſolutis, communibus Trinitati, vt patet legenti. Quærit verò: an hæc omnia vnificentur in perſonis ſingulis, vt alij Scotiſtæ concedunt, qui hunc locum pro diſtinctione formali eſſentiæ, & relationis vrgeot, vt liquet in Fabro *num.*63. Rada *loc. cit.* & quòad hoc ſatisfaciam *Tract.*2. *diſp.*3. *quæſt.*4. Meldula ſicut detorſit noſtram partem pro attributorum vnitate; ità etiam ſuam partem pro diſtinctione relationum ab eſſentia.

50 Qvòad auream autem regulam illam; dico, non iuuare Scotiſtas; nam D. Auguſt. *loc. cit.* & 11. *de ciuitate Dei. citata*, ideò vnitatem ſimpliciſſimam zelatur, quia Deus eſt quicquid habet, ideſt, ſua ſapientia, bonitas, vita, vt arguit S. Bonauentura *diſt.*8. *p.*2. *quæſt.*1. & hoc dixere Patres, ante etiam Auguſtinum, non ob hæreſes; ſed quia ità in ſcripturis inuênere, vbi Deus dicitur Potentia, Sapientia, Bonitas ſua, & quicquid habet, vt rectè aduertit Seraphicus Doctor *ad ſeptimum, & octauum caput ſapientiæ, & ad cap.*14 *Ioan.* vbi ait. *Ego ſum veritas, Vita, &c.* Vnde obſeruat, *lib.* 1. *Pharetra, cap.* 1. id, quod ait D. Gregorius, 16. Moral. cap. 4. *Deus hoc eſt, quod habet. Æternitatem quippè habet, & ipſe eſt æternitas. Lucem habet, & Lux ſua eſt.* Et id quod dixerat S. Auguſt. lib.7. confeſſ. cap.4. *Voluntas, & Potentia Dei, Deus ipſe eſt.* Et id, quod habet D. Bernardus, lib. de conſider. *Deus amat, vt charitas; nouit vt Veritas; ſedet vt equitas; dominatur vt maieſtas; regit vt Principium; tuetur vt Salus; operatur vt virtus; reuelat vt Lux; aſſiſtit vt pietas:* Omnia in abſtracto. Vnde ibidem infert. *Illam proprietatem, quæ Deus non eſt, mihi adorabilem non credo*, ideſt abſtractè, vt notat S. Doctor 1. *diſt* 33. *quæſt.*1. & *diſt. eadem, quæſt.*1. vrget ex D. Auguſt. 11. *de Trin.* vbi ait. *Omne ſimpliciſſimum eſt omne id, quod habet, excepto eo, ad quod relatiuè dicitur*, & ex eodem S. Auguſt. 6. *de Trin. cap.* 6. vbi probat, Deum, quia eſt maximus, eſſe ſuam magnitudinem, & eſſe ſuam charitatem, vt dicitur 1. *Ioan.*4. & ſubdit; *Non eſt aliud Deo eſſe, & eſſe magnum, vel bonum.*

51 Hinc arguit S. Bonauentura *diſt.*8. *p.* 2. *quæſt.*2. & *lib.* 1. *Compend. Theologicæ veritatis, cap.* 20. eſſe omne id, quod habet, ità eſt proprium Dei, vt nulli creaturæ communicetur, ex Sanctis Patribus relatis, quibus addit teſtimonium Bernardi, *ſerm.* 80. *in Cant.* vbi ait. *Hæc ſola increata natura hanc ſibi vendicat ſimplicitatem.* Et Mercurij Triſmegiſti, qui ait: *In ſupercaleſti eſt vnitas; in caleſti alteritas; in ſubcaleſti pluralitas.* Et S. Leonis Papæ, qui ait. *Simplici diuinitatis natura nihil addi, vel minui poteſt, quia ſemper eſt, quod eſt, cui proprium eſt ſempiternum eſſe; cui idem eſt viuere, & intelligere.* Igitur Patres non ad hæreſes retundendas dixère, Deum eſſe quicquid habet in abſtracto. ſed quia ſic loquutæ ſunt Scripturæ, quas ſuperfluum eſt enumerare. Tunc ſic. At hæc nequeunt verificari, niſi ſint idem formaliter. Ergo. Minor probatur à D. Bonauentura *loc. cit. Compendij*, nam inter creaturas ſimplices, perfectione eminent Angelus, & anima, in quibus potentiæ differunt ſolùm formaliter ſecundùm Scotum, & nos; & tamen non poſſumus dicere Angelus eſt ſua potentia. Intellectus eſt Voluntas Angeli, vel animæ; vt ſupra iam dixi. Ratio eſt, quia hoc eſt priuilegium Dei, eſſe vnicam perfectionem infinitam, actualem, ſimpliciſſimam, quæ habet vim omnium perfectionum; ità tamen, vt quæ ſunt ſparſæ in creaturis, vniantur ſummè in Deo, vt ait D. Dionyſius *cap.* 5. *de Diuin. nominibus*, & probaui cum D. Bonau. *quæſt.* 7. Itaque ex hoc principio deducit Recupitus, noſtram ſententiam eſſe, extra controuerſiam, certiſſimam. Idem aſſerunt Ariſtoteles 12. *Metaph. t.* 39. Auerr. ibidem Parmenides, Epictetus, Plotinus apud Eugubinum, *lib.* 6. *de perenn. Phil. cap.* 10. & Bouerium *demonſtr.* 1. *in Atheiſtas, art.*11.

Vrget Seraphicus Doctor, loc. cit. Deus eſt ſapiens, omnipotens, &c. aut ergo eſt ſua ſapientia, potentia, &c. formaliter: aut non; ſi prius, habeo intentum; ſi ſecundum: Ergo formaliter eſt falſum dicere. Deus eſt omnipotens, ſapiens per ſe. Tunc ſic. Ab eodem eſt poſſe, à quo eſt eſſe. Sed Deus formaliter à ſe non habet poſſe: Ergo neque à ſe formaliter habet eſſe.

Confirmatur ſecundò à S. Doctore. Deitas, ſapientia, & Potentia differunt, tanquam perfectiones formaliter diuerſæ. Quæro. Vel quælibet eſt formaliter finita; vel eſt infinita. Si finita. Ergo non eſt Deus, quod eſt hæreticum, atque adeò non eſt adorabilis, vt inferebat D. Bernardus. Si infinita. Vel eſt infinita ſimpliciter; vel ſecundum quid in genere. Si ſecundum quid, & in genere: Ergo non eſt Deus, ſed creatura (ſic enim clamant Scotus, & aſſeclæ, vbi de relationum perfectione.) Si ſimpliciter. Ergo nil formaliter addi poteſt. Ergo vel nil iuuat potentia addita eſſentiæ; vel ſunt multa infinita ſimpliciter. Hoc autem eſt abſonum, quia infinitum ſimpliciter, continet formaliter omne Ens. 52

Confirmatur tertiò à D. Bonau. *diſt.* 26. *quæſt.*1. *ad tertium.* Diſtinctio formarum facit diſtinctionem definitionum; & diſtinctio definitionum ſupponit diſtinctionem naturarum, & eſſentiarum. Hoc autem in Deo ponere eſt abſonum. Vrgeo cum D. Bonau. *d.* 33. *quæſt.*2. Iſtæ formæ diſtinctæ, vel ſunt æquales, vel ſunt inæquales. Si æquales: Ergo plures Dij formaliter, ſi infinitæ ſint ſimpliciter; ſi inæquales: Ergo aliquæ inferiores Deo, & non Deus. 53

Reſpondet prolixè Faber, hæc omnia prædicari identicè, vel formaliter inadæquatè, tanquam partes eſſentiæ, quia, ſi definiretur eſſentia, poneretur & ſapientia, &c. Ad id, quod prædicata in abſtracto, non ſunt vera, niſi formaliter; Reſpondet cum Scoto, intelligi de abſtractis, vltimata abſtractione, & de eo, quod ſolùm prædicatur formaliter, cuiuſmodi ſunt nomina adiectiua, participia, & verba; non de ſubſtantiuis, quæ prædicantur etiam identicè, & formaliter, quia vtroque modo poteſt prædicari de eſſentia. Ità & Meldula, *num.*94. & 9.8. *art.*2. *à numero* 331. Poncius, *diſp.* 71. *quæſt.* 2. *ſui Curſus.*

Contra primò, quia accipio ſubſtantiua. *Anima eſt voluntas. Voluntas eſt intellectus animæ formaliter*: hæc autem ſunt falſa. Poſſem ſexcenta afferre alia exempla ſubſtantiua, quæ abſtractè falſa ſunt; ratio eſt, quia abſtractio prædicat formaliter tantùm, vt omnes ſanæ mentis agnoſcunt, parum enim refert ſubſtantiuum, vel adiectiuum, ſi forma præcisè prædicetur, quia terminus abſtractus præſcindit à quocunque, quod eſt extra eius quidditatem: gratis verò Fauentinus effugia excogitat, iam præcluſa, eſt enim doctrina ipſius, & Scoti *in reportatis* 1. *diſt.* 45. *quæſt.*2. & *diſt.*35. *quæſt.* 1. *art.* 4. vbi probat, quòd intellectualitas eſt de quidditatiua ratione Dei, tali ratione. Quod poteſt eſſe idem cum aliquo, non eſt perfectiſſimè idem, niſi ſit de ratione quidditatiua intrinſecè illius. Intellectualitas autem 54

perfectiſſimè Deo conuenit. Ergo eſt de quidditatiua ratione ipſius Dei: Ergo eſt idem formaliter. Hoc autem eſt attributum.

Iam igitur omnes illæ propoſitiones, & dicta ſcripturæ, ac ſanctorum Patrum erunt falſa.

Quod verò dicebat, eſſe formaliter idem inadæquatè, vanum eſt; quod enim inadæquatè eſt idem alicui formaliter, non prædicatur in abſtracto; vnde non dicitur; homo eſt rationalitas, tametſi dicatur rationalis. Iam verò Scriptura, has prædicationes enunciat abſtractas, & ideò ſi non ſint formaliter adæquatæ, erunt falſæ. Hoc notauit S. Bonau. *diſt.* 27. *p.* 1. *q.* 1. & *diſt.* 33. *quæſt.* 1. *ad argumenta*, & *quæſt. vlt.* vbi in primo argumento oſtendit, quomodo adiectiua eſſentialia denominent abſtracta, vt magnitudo eſt magna. Bonitas eſt bona; non tamen abſtracta in prædicato ponuntur, vt magna ſunt magnitudo, ſicut prætendit Faber.

Addit Meldula, *num.* 94. etiam nos diſtinguere attributa per intellectum, & tamen verificare abſtracta.

VERVM enim verò quis non videat retorſionem hanc futilem? nos enim verificamus ea, quia earum ratio eſt vnitas quidditatiua; non autem rationis, vt dixi.

55 Hoc ſanè argumentum eſt inſolubile, quo vtuntur Gregorius, Suarez, Vaſquez, Becanus, & alij.

Reſpondet Meldula ad confirmationes, *num.* 11. ea omnia eſſe vnum identicè, atque adeò non poſſe fieri comparationem æqualitatis; quia eadem res non dicitur æqualis, vel inæqualis cum ſe ipſa. Et hanc ait eſſe communem, & optimam Scotiſtarum reſponſionem; & reprehendit Brancaſium, quod, *diſp.* 20. *quæſt.* 5. *art.* 7. quaſi Scrupulis actus, timeat concedere, non eſſe vnum formaliter; & reſpondeat, Deitatem eſſe de conſtitutione quidditatiua Sapientiæ Diuinæ, licèt ſapientia non ſit de ratione quidditatiua bonitatis, vt ſic. Redarguit autem hanc diſtinctionem; quia ſermo eſt de præciſa formalitate ſapientiæ, vel potentiæ, vt ſic. Et hoc ſenſu ità formaliter diſtinguitur Sapientia, & Deitas; ſicut potentia, & Sapientia.

56 VERVM non recordatur, Scotiſtas cum Scoto 4. *diſt.* 49. *quæſt.* 4. diſputare. An Intellectus ſit æqualis Voluntati, de quo edidiſſeram, *Tract. de anima, diſp.* 9. *cap.* 5. cùm tamen ſolùm formaliter differant in ſententia eorum; neque conſiderat id, quod ex Dionyſio prælibaui, eas, quæ in creaturis ſparſæ ſunt perfectiones, vnificari in Deo, modo ſimpliciſſimo.

Reſpondet Poncius, *diſp.* 71. *num.* 72. abſtracta finita non poſſe de ſe inuicem prædicari in abſtracto, ob rationem à nobis allatam; at infinita abſtracta, quia in infinitate conueniunt, ſeu identificantur, poſſunt prædicari etiam identicè. Ità etiam Meldula reſpondet *quæſt.* 8. *art.* 2. *num.* 331. Verum ſupponit in reſponſione, manere infinitatem, ſi eſſentia formaliter differat ab attributis, quod formaliter eſt falſum. At eſto maneat diſtinctio, non minus, quam finitæ formalitates, quæ, licèt ſecundùm totum eſſe reale identificentur; attamen quia differunt formaliter, non prædicantur abſtractè. Quare ratio infiniti nihil penitus formalis diuerſitatis ad argumentum ſoluendum confert. Itaque hæc reſponſio, quæ eſt Scoti, *diſt.* 8. *quæſt.* 4. eſt inutilis. Confirmatur, nam Scotus ait, infinitatem non mutare rationem rerum, vt dicam *ad ſeptimum.*

NOBISCVM alij Patres aſſeruere. D. Anſelmus *in Monol. cap.* 16. *Quemadmodum vnum eſt, quicquid eſſentialiter de ſumma ſubſtantia dicitur; ità ipſa vno modo, vna conſideratione eſt, quidquid eſt eſſentialiter.*

D. Auguſt. quæſtiunculis de Trinitate. *Deus eo ipſo quo eſt viuit: & eo, quo viuit, intelligit, & eo quo intelligit, poteſt: & eo quo poteſt, eſt; quia Simplex Deitatis natura vnum habet eſſe, viuere, omnia poſſe.* Vbi notat Amicus, *diſp.* 3. *ſect.* 2. *num.* 27. terminum, *quo*, rationem formalem, per quam res eſt, importare. Neque de prædicatione identica poſſunt exponi, vt ingenuè fatetur Meldula *num.* 64. Neque explicationem admittunt, vt notat Morandus, *num.* 69.

Addit alias authoritates Nyſſeni, orat. prima in Cant. *Eſt ille ipſe, qui prorſus eſt ſapientia, & iuſtitia, & ipſa Veritas, & ſigillatim omnia.* Damaſceni primo de Fide, cap. 11. *Quod autem in ea dictum eſt; ſola cogitatione diſtinguitur.* Multas habes in Faſolo *quæſt.* 4. *art.* 2. *d.* 12. Recupito, *lib.* 3. *q.* 4. *c.* 2.

Igitur non ſunt perfectiones Diuinæ ſeorſim, vt ſunt in nobis accipiendæ, ſed quatenus in vno ſimpliciſſimo vnificantur.

PROBATVR ſecundò è S. Bonauent. *diſt.* 8. *part.* 2. *quæſt.* 1. Deo eſt concedenda ſumma ſimplicitas; vt oſtendi de fide, *quæſt.* 6. ſed hæc, diſtinctione attributorum, & eſſentiæ, temeratur: Ergo non eſt ponenda. Probatur minor. Vbi eſt aliqua diſtinctio realis, ibi eſt aliqua compoſitio; maximè, ſi ſit diſtinctio actus, & potentiæ, vt concedit Scotus. At diſtinctio formalis attributorum ab eſſentia eſt huiuſmodi, quia nequit intelligi, niſi intelligantur attributa aduenire eſſentiæ, tanquam actus perficientes: Ergo. 57

HINC ruit reſponſio Scoti. Ad remouendam compoſitionem, ſatis eſſe identitatem realem (vt notat Amicus *diſput.* 19. *ſect.* 4.) nam compoſitio eſt diſtinctorum vnio. Igitur ſi inter attributa, & eſſentiam eſt actualis diſtinctio, aderit vera compoſitio. Sic enim genus, & differentia componunt, etiam ſi in eodem, puta homine, ſint inſeparabilia; & ideò idem realiter.

Reſpondet Smiſing. primò, retorquendo rationem, nam cùm nos concipiamus Diuina, ſub diuerſis formalitatibus, Deum componimus.

Equidem hæc eſt inanis fuga. Nam argumentum vrget compoſitionem, ex actuali diſtinctione reali. At compoſitio noſtra eſt poſita in intellectu conſiderante, non in Deo.

Reſpondet verò cùm aliis Scotiſtis, ea quæ vniuntur vt actus, & potentia, componere; non autem ea, quæ vniuntur vt actus, & actus; qualia ſunt Diuina.

Sed contra primò, quia oſtendi ſupra, vniri vt actum, & potentiam, in via Scoti.

Deinde vrgeo, ea, quæ vniuntur vt actus, & actus maiorem facere compoſitionem, nempè aggregationis, vt notat Meldula, *num.* 78.

Reſpondet Meldula 6. Metaph. *quæſt.* 11. *num.* 226. & 232. diſtinctionem non inferre compoſitionem, niſi ſit realis; non autem ſufficere formalem; quia cum hac ſtat ſumma actualitas, & ſimplicitas, vt ait Scotus 1. *diſt.* 5. *quæſt.* 2.

Contra, nam ea, quæ ſunt idem realiter, & differunt metaphyſicè, faciunt compoſitionem.

Reſpondet Meldula, hoc prouenire ex eorum entitatis imperfectione, quia identificantur ſolùm ratione tertij, quod conſtituunt, à quo ſi abſtrahantur, nulla remanet ratio identitatis eorum; vnde hæc non eſt vera, nec realiter, nec formaliter. 58

Animalitas

Animalitas eſt rationalitas;at rationes diuinæ ſunt perfectiſſimè idem, ratione infinitatis. Vnde etiam illæ prædicationes, *Sapientia eſt iuſtitia*, *&c.* Sunt veræ identicè.

VERVM realitates Metaphyſicæ compoſitionem faciunt, quia vna eſt potentialis ad aliam; & vnam eſſe potentialem ad aliam, eſt, vt perfici queat ab alia, ob ſuam imperfectionem, vt concedit Meldila, *num.*81. Iam verò, ſi eſſentia Dinina formaliter non eſt ſapiens, potens; ſed talis redditur per formas diſtinctas potentiæ, & ſapientiæ, ſequitur eſſe imperfectam, & in potentia vt ab eis perficiatur, non minùs, quàm eſſentia animæ ab Intellectu, & Voluntate, quæ ſolùm formaliter differunt. Dicere verò, hanc perfici, quia eſt finita: eſſentiam autem diuinam non perfici ab attributis, quia infinita, eſt petere principium, hanc enim ſequelam nos inducimus; non eſſe Diuinam eſſentiam formaliter infinitam ſimpliciter, cùm perficiatur à formis diſtinctis. Quare Poncius Scotiſta in ſuo Curſu *Phil. diſp.*71. *num* 57. reſponſionem Scotiſtarum inſufficientem confitetur. Addo infinitatem, è Scoto, nil mutare. Vrgeo cum D. Bonauentura *diſt.* 8. *p.*2. *quæſt.* 1. Deus eſt ſimpliciſſimus, atque adeò ſimplicior eſſe non poteſt, at ſimpliciſſimus non eſt, ſi dantur tot diſtinctæ formalitates, quia poteſt eſſe ſimplicior. Maior definita eſt à Concilio Later. c. *Firmiter*. Minor eſt clara, vt clamat Ribas *d.*3.*c.*2.

59 Rideo retorſionem Meldulæ, Deum fore ſimpliciorem, ablata noſtra diſtinctione virtuali. Imò in hoc eſt ſimplicitas perfectiſſima, vt infinita vnificet omninò realiter formaliter, & tot virtute eminenter contineat perfectiones.

Reſpondet verò Maſtrius, eam ſimplicitatem eſſe impoſſibilem, quia tunc Deus non eſſet formaliter ſapiens, potens; ſed tantum virtualiter eminenter, eo quod non haberet diſtinctas eorum formalitates. Et notat cum Rada *controu. citata ad* 4. & Licheto *diſp.* 8. *quæſt.* 3. aliud eſſe loqui de ſumma vnitate; aliud de ſumma ſimplicitate. Et quidem ſumma vnitas excludit omnem pluralitatem; non ſic ſumma ſimplicitas.

Verum fallitur in omnibus. Et quidem attributa, licet diſtincta non ſint formaliter, habent tamen propriam formalitatem; ſed in Deo vnificatam; alioqui non erit maximè vnus, ſeu vniſſimus, vt vocatur à D.Bernardo, *lib.*5. *de conſider. cap.*7.

60 Hinc arguo cum Doctore Seraphico, *diſt.* 8. *p.*2. *quæſt.* 2. *fundamento vltimo*. Id, quod eſt maximè abſolutè vnum, excludit omnem pluralitatem per vos, atque adeò maximam obtinet etiam ſimplicitatem: at Deus eſt maximè vnus, & prima vnitas, à qua deficit omnis creatura, vt habet S.Dionyſ. *cap.*2. *de Diu nom. p.* 1. Ergò ſolus maximè ſimplex, à cuius ſimplicitate omnis creatura deficit. Hoc argumento nixi Luſitanus *q.*5.*art.*5. Faſolus, *q.*4.*art.*2.*dub.*12. *num.*95. ſententiam Scoti non ſatis firmam iudicant.

Maſtrij retorſionem ſubrideo; Deum fore magis vnum, ſi tollatur etiam pluralitas virtualis attributorum. Imò, ſi non eſſet trinus perſonis; vt etiam Lichetus arguit. Neque enim (ait) vnitas formalis dicit perfectionem; ſed realis; alioqui albedo eſſet perfectior Angelo, vt arguit etiam Baſſolius 1. *d.*22. *q.*4. ad tertium, & Mayro, quem laudat propterea P.Macedo Luſitanus.

HÆC ſanè futilia ſunt, eaque retorqueo. Si vnitas realis eſt perfectio: Ergo ſecundùm Meldulam tollenda diſtinctio realis perſonarum. Igitur vnitas maxima eſt, quia perſonæ in eſſentia formaliter vnificantur, etiamſi ſecundum reſpectum plotificentur; ſed Scotiſtæ, quia hæc duo eſſe *in*, & eſſe *ad* relationum non ſatis diſtinguunt, multis ſcatent erroribus, Eam verò ſæpè teſtificat S.Bonau. vt referam *Tract.*2. *diſp.*3. *quæſt.*4. Simplicitas verò formalis, non quæcunque à nobis aſtruitur perfectio ſimpliciter, ſed ea, quæ plures perſectiones continet vnificatas. Eſt autem ſimplicitas, perfectiſſima vnitas. Cæteris autem paribus, eo Ens eſt perfectiùs, quò magis vnum, vt arguit S. Doctor loc. cit. & poſt eum Faſolus ſupra, Amicus *diſp.*3. *ſect.*2. *num.*30. Vnde eſt illud vulgatum axioma. Quæ ſunt ſparſa in inferioribus, ſunt vnita in ſuperioribus. Ex quo Doctor Seraphicus, *diſt.*8 *p.*2. *q.*1. *fundamento* 1, arguit; Deum eſſe ſimpliciſſimum, quia primum, & ſupremum Ens eſt.

Reſpondet Meldula, ex eo dogmate, ſolùm deduci vnitatem identicam.

Contra; quia hæc reperitur etiam in creaturis. At SS. PP. & Scripturæ, vt ſupra vidimus, ponunt, tanquam Dei prærogatiuam, vt ſint ità in eo omnia vnum, vt ſit omne quicquid habet, vt arguit. S. Bonau. *quæſt. citata*, *& ſecunda*, quòd requirit ſtrictiorem perfectionum vnitatem, quàm identicam.

Poncius reſpondet; illam ſolam formarum diſtinctionem inducere compoſitionem, quæ habet dependentiam in eſſe realis exiſtentiæ, à cauſa extrinſeca. Hæc autem non reperitur in vnione diuinæ eſſentiæ cum attributis. 61

Contra tamen arguo primò cum Maſtrio, *diſp.* 2. *q* 7.*art.*1. *n.*303. quia cauſa extrinſeca efficiens non facit, vt id, quod intrinſecè eſt compoſitum, non ſit tale; quia compoſitio pendet à partibus intrinſecis vnitis tali, vel tali modò. Itaque, etiam ſi anima rationalis vniretur corpori independenter à cauſa extrinſeca, adhuc componeret. Vide Meldulam etiam *diſp.*6. *metaph. num.*234. latè confutantem, illud reſponſum.

Reſpondet Poncius, *diſp.*71. ſe deducere tantùm arguitiuè ea, quæ vniuntur dependenter à cauſa, compoſitionem facere. Verum ſic affert ſolùm remotum ſignum, repetendo ſua principia negata. Tandem Scotus, illam compoſitionem dependentiæ extrinſecæ ſpernit, vt dixi *quæſt.*6.

Faueotinus ait, hæc omnia non facere compoſitionem, quia non ſunt res ſeparabiles. Vnde ſicut tres diſtinctæ realiter perſonæ non componunt; multò minùs plura attributa diſtincta ſolùm formaliter.

Contra primò, nam gradus Metaphyſici, ſecundùm Scotum, faciunt compoſitionem, etiamſi inſeparabiles, puta Rationale, & ſenſibile in homine. Ad id, quod addit; arguo. Si diſtinctio realis perſonarum inter ſe non componit Ergo ſecundum ſe; neque diſtinctio realis attributorum, & relationum ab eſſentia. Longè igitur diuerſa eſt ratio, vt docent communiter cum D.Bonau. *diſt.*26.*q.*1. *ad* 3. nam relationes differunt, vt ſunt *ad* & ideò non componunt, nam compoſitio debet eſſe, in his; vel ex his; vel cum his; at verò abſoluta aliquam faciunt ex allatis compoſitionibus, vt Doctor Seraphicus notat in corpore; non ſic relatio, quæ eſt ad obiectum. Sic enim & idem punctum manet ſimpliciſſimum, etiamſi reſpiciat innumeras lineas, vt ait S.Bonau. Hanc diuerſitatem vidit etiam Fauentinus, *diſput.*36. *numero* 3. Quare poterat hæc præterire. 62

PROBATVR tertiò à Seraphico Doctore, *diſt.*8 *p.*2. *q.*1. *fund.*4. & *q* 2. *fund.*2. & *lib.*1. *Compend. Theol.* *c.*15. argumento ſumpto ex infinita Dei perfectione, quo vtuntur Valentia, Trigoſius, & alij, apud Meldulam *num.*85. Cùm enim Diuina eſſentia ſit pelagus omnium perfectionum, vt dixi Notando ſecundo cum Seraphico, & Damaſceno, *lib.*1.*c.*12.*de fide*, & cùm ſit id, quo maius cogitari non poteſt, vt loquitur

D.Bonau. *diſt.8. p.1. quæſt.2.* ex D. Anſelmo *in Proſol. cap.2. 4. & 5.* atque adeò ſit Ens illimitatum in omni genere perfectionis ſimpliciter poſſibilis; vtique debet omnes continere formaliter quidditatiuè. Ergo omnes perfectiones attributales ſunt quidditatiuè ipſa Diuina eſſentia.

63 Reſpondet Scotus *quodl.1. art.1.* & 1. *diſt.8.quæſt.4.* & *diſt.13. quæſt. vnic.* & *in 4. d.13. quæſt.1. art.1.* & *quodl.5.* & aſſeclæ; non poſſe Diuinam eſſentiam continere omnia attributa vnificata formaliter; alioqui amitterent eſſe formale, & eſſent in Deo ſolùm eminenter, quia non haberent ſua eſſe formalia prædiſtincta. Ad hoc autem, vt eſſentia ſit pelagus infinitum perfectionum, ſufficit eas continere vt principium radicaliter, ità, vt omnes ex ea emanent. Cui ſolutioni ſubſcribunt etiam Vaſquez, Turrianus, & Arsinga, quaſi manus dantes. Et hoc eſt, P.Macedi aſylum.

Contra tamen arguo ex D.Bonau. *diſt.8. p.2.q.2. fund.1.* Repugnat actui puro aduenire aliquam perfectionem, eſſeque in potentia ad illam: at Diuina eſſentia eſt actus purus: Ergò repugnat ei aduenire per emanationem, quæ eſt cauſatio, vt notat Suarez, Ità non ideo non eſt in potentia, quia fœcunda emittat perfectiones: nam & anima eſt in potentia ad ſuos partus. At, quia monet Macedo cum aliis, diuinam eſſentiam non perfici, quia eſt infinita formaliter; arguo è D.Bonau. fund. Ens ſimpliciter infinitum formaliter habet formaliter omnes perfectiones ſimplices. Diuina eſſentia per vos eſt infinita, vt dictum. Ergo formaliter habet in ſua quidditate omnes perfectiones, & has vnitas; alioqui ſi in ſua quidditate non omnes continet, iam erit Ens finitum, & limitatum, vel infinitum in genere; non ſimpliciter. Hic eſt Achilles etiam Caietani lib. de ente, & eſſentia. Et quidem ex infinitate Dei arguit ſimplicitatem, vt docent Meldula *diſp. 2. quæſt.8. art.1. num.* 304. & Poncius, *loco citato.*

64 Reſpondent. Scotiſtæ. Primum Ens non omnibus modis vnitas habere omnes perfectiones ſparſas in creaturis; ſed modo poſſibili, qualis non eſt formalis; ſufficere autem identicum. Pullulare verò attributa, non per modum formæ informantis, ſed per modum identitatis. Hanc acutiſſimam doctrinam acclamat Meldula *num.*90. & plaudit P.Macedo.

Contra, ſi eſſentia (vt vos dicitis) in primo ſigno non eſt ſapiens, potens, &c. Ergo eſt in potentia ad ſapientiam, potentiam, &c. Ergo actuatur, vt potentia ab actu. Quod enim per identitatem perfici dicatur, non ſoluit; ſed ad principium refugit.

Reſpondet Meldula, Eſſentiam Diuinam non eſſe in potentia ad attributa, quia ea continet origine, & vnum facit cum eis.

Contra, quia in primo inſtanti eſſentia eſt inſipiens formaliter, ſeu non ſapiens, ſecundum vos; neque poteſt dici cum Meldula *loc. cit. num.*91. vel Luſitano *quæſt.5.* §.5. *num.*102. eſſe nec ſapiens, nec, non ſapiens; ſicuti homo eſſentialiter nec eſt albus, nec eſt non albus; diſpar eſt enim ratio de accidentibus ſeparabilibus; at attributa ſunt eſſentialiter Deus; vnde ſicuti non poteſt dici, homo nec eſt rationalis, nec eſt irrationalis; ita, &c. neque enim magis eſt intimum rationale homini, quàm potentia, bonitas, &c. Deo.

65 Vrgeo cum Seraphico Doctore, *quæſt.2.* Si eſſentia, & omnia attributa ſunt formalitates diſtinctæ, ſequitur, non habere in ſe totam rationem perfectionis Entis Ergo non ſunt infinita ſimpliciter, ſed ad ſummum in genere. Probatur ſequela nam perfectio infinita claudit totam rationem perfectionum entis. Iam verò eſſentia, per vos, non includit formaliter perfectionem ſapientiæ; ſimili modo attributa ſolitaria.

Reſpondent cum Scoto, *diſt.8. quæſt.4.* §. *Ad iſtam*; de ratione infiniti formaliter extra genus non eſſe, vt contineat in ſua ratione formaliter omnes perfectiones entis; ſed ſatis eſſe, ſi contineat identicè.

Contra, quia ratio formalitatis ſumitur à realitate formali: Ergo illud Ens, quod non continet formaliter omnes perfectiones, non erit formaliter infinitum. Antecedens eſt Scotiſtarum fundamentum in formalitatibus. Conſequens eſt euidens.

66 Probatvr quartò, ratione Seraphici Doctoris, quæ eſt fundamentum *quæſt.* 2. Deus in ratione Deitatis, tota ratione differt à creatura, & hoc, ratione perfectæ ſuæ entitatis, quæ eſt puriſſimus actus ſimpliciſſimus: Ergò non minùs debet differre Ens à Deitate, quàm attributa; alioqui, ſi Ens, & Deitas ſunt idem omninò, ſequitur, vt ſicuti Deus in ratione entis conuenit vniuocè ſecundum Scotum cum creaturis; ità conueniret ipſa Deitate.

Confirmatur argumento Scoti, *diſt.8. quæſt.4. ad quæſtionem*, vbi ex eo probat, attributa formaliter diſtingui, quia ſi infinita ſapientia, eſſet infinita bonitas; tunc ſapientia in communi, eſſet bonitas in communi, quia infinitas non deſtruit rationem formalem rei, cui additur. Tunc ſic arguo. Si entitas infinita eſſet formaliter ſubſtantia infinita, tunc ratio entis in communi eſſet formaliter ratio ſubſtantiæ in communi; quia infinitas addita, non variat rationem formalem rei.

Reſpondet Vulpes, *diſp 6. quæſt. vlt.* à parte rei, Deum eo eſſe Ens, quo ſubſtantiam, non autem ſic, eo eſſe ſubſtantiam, quo ſapientem, quia ſi vnum prædicatum quidditatiuum importaret relationem propriam diſtinctam à realitate alterius, talis realitas, quia non includeret totam quidditatis Dei perfectionem, non eſſet formaliter infinita, proindeque eſſet potentialis, reſpectu alterius.

Hæc reſponſio non eſt ſolida, vt fatetur Meldula, *num* 104. & primò non ſoluit, abſurdum, quod inducitur. Deinde ipſe ſibi inducit abſurdum: aliud nempè eſt, attributa non eſſe formaliter infinita; ſimiliter eſſentiam eſſe potentialem, reſpectu attributorum, & vnum attributum, reſpectu alterius.

Maſtrius reſpondet, negando paritatem, quia Ens, & ſubſtantia ſe habent, ſicut ſuperius & inferius, vel ſicut magis commune, & minùs commune. Idcóque ſi proprias præ ſe ferrent realitates inter ſe formaliter diſtinctas, concurrendo ad conſtitutionem Diuinæ eſſentiæ, facerent compoſitionem metaphyſicam, quia tunc vna eſſet potentialis ad aliam: at verò attributa non ſe habent, vt ſuperiùs, & inferiùs: ſed vt perfectiones diſparatæ, & in vltimo actu conſtitutæ. Deinde ſi perfectiones eſſentiales diſtinguerentur formaliter, non eſſent formaliter infinitæ; quia non haberent infinitatem ab eſſentia, quæ eſt prima entitas, & fons omnis perfectionis, vnde attributa habent infinitatem.

Addit, prædicatâ quidditatiua includi in conceptu formali Deitatis; non ſic attributalia.

67 Varvm nos non arguimus directè, ſed ex modo argumentandi Scoti. Deinde etiam eſſentia eſt quid prius, & ſuperius indiuidualibus attributis, & in potentia ad illa, vt ſupra oſtendi. Neque verò ſolùm ſuperiora, & inferiora component; ſed etiam diſparata; vt albedo, & dulcedo in lacte. Quod verò ait, perfectiones eſſentiales non fore infinitas, falſum eſt, quinimo conſtituerent Diuinam eſſentiam, eique darent eſſe infinitum, vt concedit Maſtrius; atque eſſent conſtitutiuæ primi entis infiniti. Id verò quod vltimò addit, petit principium.

Qvare

QVARE proceriores Scotiſtæ concedunt, rationes Scoti concludere diſtinctionem formalem etiam inter prædicata quidditatiua, neque eam diſtinctionem recuſare poteſt Maſtrios.

Reſpondet tamen, rationem Scoti non æquè concludere de quidditatiuis perfectionibus, & de attributalibus diſtinctionem, nam quidditatiua eſſent, ſicut ſuperius; & inferius; non ſic attributalia, vt ſupra dixit. Verum iam exploſi hanc reſponſionem. Multa alia argumenta ex D. Bonau. educi poſſent locis adductis, quibus vtuntur cæteri.

Vrgeo. Nam Scotiſtæ concedunt ens vniuocè dici de creaturis, & Deo. Ergo eſt genus ad vtrumque; ſed hoc facit compoſitionem, vt vidimus è Scotiſtis in noſtra *quæſt*.3. huius diſputationis. Ergo.

Obiicies primò cum Scoto, & aſſeclis. D. Auguſtinus *lib*.3. contra Maximinum *cap*.10. ſic arguit. *Si potes Deum Patrem concedere ſimplicem, & tamen eſſe ſapientem, bonum; quantò magis vnus Deus poteſt eſſe ſimplex; & tamen Trinitas: ità vt tres perſonæ non ſint partes vnius Dei?* Hinc arguit Scotus. Si attributa non differunt ex natura rei ante operationem intellectus, ſed ſolùm noſtra ratione, argumentum D. Auguſtini eſſet ridiculum: argueret enim ſic. Pluralitas attributorum ſtat cum ſimplicitate Diuina, nec facit compoſitionem. Ergo neque perſonæ, quæ realiter diſtinguuntur faciont compoſitionem in Deo. Huic authoritati à nemine adhuc reſponſum gloriatur Faber.

Reſpondetur facilè, primò retorquendo rationem: Si D. Auguſt. arguit à diſtinctione ad diſtinctionem. à minori ad maius; hoc erit argumentum. Si diſtinctio attributorum Deum non componit. Ergo neque diſtinctio perſonarum. Vt autem argumentum ſit validum, oporteret diſtinctionem maiorem eſſe in attributis, quàm in perſonis, atque adeò attributa differre, vt res, & res abſolutas, & ideò maiorem eſſe inter ea diſtinctionem, quàm inter perſonas.

Reſpondetur ergo, Scotum non percepiſſe argumenti vim. Sic igitur arguit D. Auguſt. Si potes intelligere attributa, quæ ſunt entia abſoluta, aptaquè componere, adhuc tamen non lædere Diuinam Simplicitatem, quia vnificantur; multò magis potes concedere relationes, quæ reſpiciunt obiectum, nec formaliter componunt, nil Dei lædere ſimplicitatem. Imò, etiam ſi conſiderentur relationes, vt ſunt *in*, valet argumentum. Si potes capere, attributa abſoluta, quæ habent totum eſſe in ſubiecto; adhuc non componere Deum; multò magis relationes, quæ parum habent eſſe *in*, cùm non ordinentur ad vnionem principaliter; ſed ad oppoſitionem, & reſpectum ad terminum. Hoc argumento vſus eſt. Seraphicus Bonauentura ſupra adductis locis. Hinc ruunt, quæ aggerat Macedo in contrarium.

Obiiciunt ſecundò D. Auguſt 8. *de Trin. cap*.2. probat, quòd tres perſonæ non ſunt aliquid maius, quàm vna, tali medio. Tres perſonæ non ſunt quid verius, quàm vna; quia in Diuinis ſunt idem veritas; & magnitudo, quia tam veritas, quàm magnitudo eſſe diuinum. Hinc habetur, quod veritas, & magnitudo ſunt attributa diſtincta, quia vnum eſt medium, ad probandum alterum; & ſi eſſent idem, iam ſyllogiſmus eſſet in duobus terminis, & idem probaretur per idem.

68 Reſpondetur, ex hoc haberi duas virtualitates eſſe magnitudinem, & veritatem; hoc autem ſufficit, vt vnum ſit medium ad inferendum alterum, ſeu cauſa inferendi, quæ conſiſtit in hoc, vt, ſi eſſent diſtinctæ, vna eſſet cauſa eſſendi alteri. Hoc apparet in æternitate, quæ probatur per immutabilitatem. Sic. Deus eſt immutabilis: Ergo æternus, eò quòd ſi per impoſſibile, æternitas haberet cauſam ſui eſſe; id haberet ab immutabilitate. Vnde non probatur idem per idem; virtualiter enim differunt, & hoc ſufficit, vt vnum ſit cauſa inferendi alterum. Quod benè aduertito; ſæpè enim occurret.

Obiiciunt tertiò ex D. Auguſt. 15. *de Trin. c*.9. Perfectiones Dei ſunt æquales. Ergo ſunt diſtinctæ, nil enim comparatur in ratione æqualitatis ſibimetipſi; nam æqualitas cùm ſit relatio exigit extrema diſtincta.

Reſpondetur primò, D. Auguſt. comparare ſolùm Diuinas perſonas, quæ æquales ſunt.

69 Reſpondetur ſecundò, quòd ſi D. Auguſt. comparat attributa, vt æqualia. Ergo ſecundùm Scotiſtas aſſerit, ea diſtingui realiter; nam quæ ſolùm formaliter differunt, non comparantur ſic, vt ſupra dixit Meldula, & alij Sodales.

Obiiciunt quartò ex D. Damaſceno 1. *de fide cap*.4. *&* 9. Inter nomina Dei propriiſſimum eſt. *Qui eſt*; cætera verò circumſtare naturam ait, vt bonus, ſapiens, &c. dicitque, Deum eſſe mare infinitarum perfectionum.

70 Reſpondetur cum D Bonau. loc. cit in ſecundo notando. Eſſentiam Diuinam eſſe infinitarum perfectionum, in vnam tamen naturam ſimpliciſſimam tranſeuntium, ſola ratione ratiocinata diſtinctarum. Ità Damaſcenus ſe ipſum explicat, 1. *de fide cap* 11. vt notat Seraphicus *in* 2. *diſt*.31. *dub*.3. vbi ait: *Vnaquaque enim ipſarum* (ideſt, perſonarum) *nihilo minus erga aliam ſe habet, quàm ipſa ſecum; hoc eſt vnum, idemque omninò ſunt. Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, niſi quod Pater genitus non eſt: Filius genitus eſt: Spiritus ſanctus proceſſit. Quod autem in ea* (ideſt eſſentia) *ratione, & intelligentia hoc diſtinctum eſt.*

Reſpondet Faber, Damaſcenum loqui de ratione ratiocinata, quæ eſt eadem cum diſtinctione formali Scoti.

VERVM diſtinctio formalis Scoti, ſecundum Scotiſtas, eſt actualis, ante omnem operationem intellectus; non ſic diſtinctio noſtra. Vnde non coincidit, vt notat Meldula hic, *num*.18. & 6. *Metaph. quæſt*.15. *art*.1. Vult igitur Damaſcenus, eſſe Dei, ſola ratione ratiocinante, diſtingui: attributa verò, ratione ratiocinata.

Obiiciunt quintò quendam Patrem dicentem, aliqua attributa eſſe apud Deum: aliqua in Deo.

Reſpondetur, eſſe idem, vt notat S. Fulgentius, *lib*.3. *ad Monimum, cap*.5. & *ad Pſal*. 35. quo ſenſu dicitur: *Apud te eſt fons vitæ*. & Ioan. 1. dicitur: *Verbum erat apud Deum.*

Obiiciunt ſextò D Hilarium, 12. *de Trin. cap*.50. vbi ait: *Filius naſcitur in his nominibus æternarum proprietatum*. Ergo ſunt ab æterno diſtinctæ.

QVOD ſi dicas cum Caietano, has proprietates non formaliter; ſed virtualiter diſtinctas eſſe. Arguo. Ergo ſunt tantùm in potentia, quia quod actu eſt, diſtinguitur ab aliis.

71 Reſpondetur, has eſſe contentiunculas ad folia implenda. Iſtæ igitur perfectiones ſunt actu; ſed virtualiter tantùm diſtinctæ & eo modo communicatæ, quo ſunt vna perfectiſſima entitas formalis, includens infinitas perfectiones actu. Mirum eſt autem, Scotiſtas velle deducere hanc ſeriem perfectionum ad potentialem; cùm etiam Scotus, vt vidimus, aſſerat; virtuale cum actu puriſſimo coniunctum eſſe.

Obiiciunt ſeptimo Faber, Meldula, & alij authoritates D. Auguſt. 15. *de Trin. cap*.17. Anſelmi, *lib. de proceſſ. Spiritus ſancti, cap*.2. *&* 4 Athanaſij *in Symbolo, Concilij Tolet. primi ſub Leone I.* ſtatuentium,

Filium produci Intellectu; non Voluntate: Spiritum Sanctum Voluntate, non Intellectu; atque adeò generationem non eſſe ſpirationem; vel è contra. Ex quo infallibilis emergit conſequentia; Intellectum à parte rei, diſtingui à voluntate Diuina, quia de his verificantur contradictoria, quæ de eodem formali non poſſunt verificari, ex Ariſtotele 4. *Metaph.* t. 27. vnde *text.* 8. aſſeruerat, Idem ſimul ineſſe eidem, & ſecundùm idem non ineſſe; impoſſibile.

72 Reſpondet D. Bonau. *diſt.* 5. *quæſt.* 1. *ad* 1. *&* *diſt.* 33. *quæſt.* 2. *ad vltimum*. præcipuè verò *diſt.* 13. *q.* 3. *ad ſecundum*; quem ſequuntur Arriaga, *diſp.* 42. *ſect.* 1. *num.* 7. Ouied. *controu.* 4. *Metaph. puncto* 4. diſtingui intellectum, & voluntatem in Deo virtualiter eminenter actu, ità, vt eidem indiuiſibili entitati infinitæ conueniant proprietates vnitæ, quæ ſparſæ ſunt in entibus finitis; & ſic virtute continere principium generationis, & ſpirationis; ità, vt Intellectus generet: Voluntas ſpiret, non generet, quæ ſanè contradictoria ſunt in ente finito, quod non capit perfectiones alterius: at verò in Deo non ſunt formaliter actu contradictoria, quia talis tollitur per virtualem diſtinctionem, & continentiam, quæ in ente infinito, dum negat, v. g. Intellectui ſpirare, non eſt mera negatio; ſed virtualis aſſertio: quòd ità generat, vt formalitas eadem etiam ſpiret, licet virtus illa talis ſit, vt ſi eſſet ſolus intellectus generaret, non ſpiraret; at virtuali capacitate æquiualet duplici capacitati prædicatorum, veluti contradicentium. Hæc autem virtus oritur ex infinita Dei perfectione, quæ continet quicquid perfectionis habet generare, & ſpirare, & eminenter & virtualiter actu, ita ſe habent, vt poſſint ea prædicata implere. Hæc autem eminentia non inuenitur in creaturis, quæ cùm finitæ ſint, habent eſſe terminatum ad generandum, vel ſpirandum. Quare nil mirum, ſi hæc contradictoria propriè in eis ſint; at res aliter in Deo ſe habent, in quo infinita entitas ſimpliciſſima æquiualet infinitis perfectionibus diſtinctis. Non tamen poteſt explicari à nobis, qui finitè intelligimus, niſi verbis ſonantibus plures formalitates, & hoc eſt, quod Sancti Patres, & Concilia noſtro captu definiunt, qui inadæquatè Diuina percipimus. Addo, etiam in creaturis oppoſitus effectus ab eadem forma pluribus virtualitatibus dotata procedere, v. g. Lux ſolis exſiccat, generat, liquat, &c.

Inſtant Meldula, *num.* 37. cum Licheto, *diſp.* 2. *quæſt.* 4. Si inadæquatos noſtros conceptus ſequamur eodem modo; eodem fundamento concedemus etiam perſonas virtute, non autem realiter diſtingui, ſi cum infideli diſputaremus negante.

Miror, viros Scotiſtas, qui diuinas perſonalitates infinitas non credunt, nec alicuius perfectionis, hæc timidè inducere. Quod ſi iuxta noſtra incedunt fundamenta, iam diſtinctionem realem in perſonis, etiam noſtro modò habemus inter producens, & productum; neque verò æqua diſtinctio in productis exigitur, & in principio producente; cùm ab eodem plura diuerſa producantur.

Vrget deinde *num.* 38. Maſtrius; nos in reſponſione circulum ſtruere, explicando idem per idem. Nam diſtinctio virtualis explicatur per capacitatem duorum prædicatorum ex ſe contradictoriorum in eadem re indiuiſibili: & capacitas talium prædicatorum explicatur per diſtinctionem virtualem.

Addit, nos etiam petere principium, reſpondendo per id, quod eſt in controuerſia, nempe, diſtinctionem virtualem ſufficere ad verificanda contradictoria, quia præſtat obiecto capacitatem ad ea verificanda. Itaque noſtra reſponſio eſt. Diſtinctionem virtualem verificare contradictoria, quia facit capacem verificandi.

73 Reſpondetur; falſa omninò aſſumi; reſponſio enim noſtra eſt, idem ens indiuiſibile infinitum, eſſe capax verificandi propoſitiones, inter nos contradictorias, quia infinitum cùm ſit, continet totam rationem entis, quod in multis finitis contradictorias cauſat; hoc autem neque eſt circulum ſtruere; neque petere principium. Deinde ipſi hoc perpetuò reſponſum noſtris adhibent argumentis; diſtinctionem formalem non inducere compoſitionem, quia ſola realis diſtinctio componit, cùm fuerit eis non modò negatum; ſed etiam reprobatum.

Instat adhuc; hac reſponſione nil luminis addi obſcuriſſimo Trinitatis Myſterio; dum enim dicimus, diſtinctionem virtualem facere in ente infinito, vt æquiualeat entibus contradictoriis, quæ poſſunt communicari: producere hoc, & non producere; in prima difficultate relinquit Myſterium Trinitatis, in hoc enim eſt tota difficultas, quo pacto intellectui, qui vnus omninò eſt cum voluntate, conueniat intelligere, non velle; & è contra: & quo pacto eſſentiæ, quæ omninò idem eſt cum relatione, conueniat communicari, manente relatione incommunicata, & incommunicabili.

74 Verum reſpondemus cum D. Bonau. *diſt.* 13. *q.* 3. *ad ſecundum*, & Ouiedo *controu. Metaph. p.* 4. ſatis, quantum poteſt in hac vita, explicari Myſterium Trinitatis. Dicimus enim, Intellectum; & Voluntatem Diuinam in ſe abſolutè eſſe vnum formaliter; attamen in ratione principij, Intellectum aliquid reſpicere, quod non reſpicit Voluntas; & quia hæ potentiæ comparantur ad has emanationes, per modum principij, ideò nil prohibet, has emanationes differre, quamuis idem ſint in ſubſtantia Intellectus & Voluntas; dicimus poſſe eidem vni abſolutè, & diuerſificato in ratione principij conuenire, vt reſpicit ſua infinita perfectione totum id, quod apud nos Intellectus, & Voluntas diſtinctè vix poſſunt complere. Hoc autem cogimur aſſerere, ne compoſitionem in Deo admittamus, à qua diuina ſimplicitas ſummoperè abhorret, quamque inuehunt Scotiſtæ, vt vidimus, atque adeò non explicantes modum probabilem huius Myſterij, illud profundioribus obuoluunt tenebris. Adde, quod ſi ad faciendum, vt Intellectus generet, non ſpiret; Voluntas ſpiret, non autem generet; Eſſentia communicetur, Relatio non; diſtinctio virtualis eſt inſufficiens, neque ſufficiet formalis; ſed requiretur, vt ſint duæ res altera communicata, altera non; & labemur in errorem Gilberti.

Reſpondet Meldula, *num.* 42. diſtinctionem formalem, ratione infinitatis in Deo, habere maiorem virtutem, quàm in creatis finitis, atque adeò, poſſe verificare etiam contradictoria realia, quæ reſpiciunt integrum eſſe rei; vt corrumpi, & non corrumpi: communicari, & non communicari. Eo magis, quia in creatis producitur totum, ideſt natura in ſuppoſito; at in Diuinis natura ſolùm communicatur, & producitur perſona. Ex his etiam ſubinfert, quòd contradictoria in Diuinis non ſunt realia, ſed ſolùm formalia, ac proindè ſola diſtinctione formali verificantur; non enim aſſerunt, & negant eſſe ſimpliciter; ſed eſſe ſic, vel ſic.

75 Sed oſtendo nil facere diſtinctionem formalem ſupra virtualem; nam perſona Diuina producitur realiter, & ſecundùm relationem eſt res diſtincta omninò realiter à Patre. Quamuis ergo ratione eſſentiæ non producantur; attamen verùm eſt. Relatio Filij eſt res producta; Eſſentia eſt res non producta, non minùs, quàm perſona creata. Sicuti igitur in creatis, ſi

ſola

ſola ſubſiſtentia produceretur, vel ſola natura, abſque ſubſiſtentia, eſſet res diſtincta; vt patet in productione humanitatis Chriſti; ità in Diuinis: infinitas autem Scotiſtas non iuuat, quia ſecundùm Scotum, mox adducendum, infinitas non variat rei naturam, quòad quidditatem; at ſecundum nos, eſto infinitas creata non variet, quia ſolam rationem infiniti addit, v. g. lineæ, quæ adhuc manet in genere quantitatis continuæ; attamen infinitum Diuinum variat, quia eſt infinitum ſimpliciter tranſcendens, continens omnes entis perfectiones, atque adeò ens communicabile: & ens incommunicabile, modo ſuo omnirali ſimpliciſſimo. Oppoſitiones autem iſtæ in extremis non deſtruunt omnia; ideò non eſt ſumma oppoſitio, ſeu contradictio; ſed minima, & ſurgit ex quantula differentia virtuali, vt docet D.Bonau. *diſt.5. q.1.* & *diſt.33. quæſt.2.* quem ſequuntur, Caietanus, Valentia, & alij.

Inſtat Faber, & alij. Intellectus non ſolùm virtualiter, ſed actu formaliter eſt principium generationis: non ſpirationis. Similiter Voluntas ſpirationis: non generationis. Ergo non ſufficit virtualis diſtinctio. Hoc argumentum audiui recenter in diſputatione vrgeri à quodam Scotiſta, qui de aliis attributis, puta Miſericordia, Iuſtitia, vnitatem formalem, & diſtinctionem virtualem concedebat, eò quòd potentialiter ſuum obiectum reſpiciant, quaſi verò in ſpiritu illo nobiliſſimo magis extrinſeca ſint Intellectus, & Voluntas, quàm iuſtitia, & miſericordia, ſapientia, &c. quæ ab his procedunt, contra Scot.

Hic eſt autem craſſus error ſubtilium, qui accipiunt noſtrum virtuale, quaſi potentiale. Nos autem in eo ponimus diſtinctionem virtualem, vt in ente illo infinito, ſingula attributa habeant actu ſuas virtualitates vnificatas, ratione ſimplicitatis, ità vt ſi per impoſſibile in Deo non eſſet voluntas, ſed ſolùm intellectus, non amplius ſpiraret; ſed ſolùm gigneret.

Obiiciunt octauò. Bonitas in genere differt à ſapientia in genere: Ergo & infinita bonitas, & infinita ſapientia, eodem modo diſtingui debent. Conſequentia probatur. Nam infinitas addita Sapientiæ, & Bonitati non deſtruet rationes formales earum. Antecedens patet, nam differunt diffinitione. Ergo eſſentia, quæ definitione exprimitur.

76 Respondetvr ex D.Bonau. *diſt.8. p.2. quæſt. vlt.* Bonitatem, Sapientiam, &c. non eſſe eiuſdem naturæ cum creatis, vt docet D.Auguſt. *5. de Trinit. cap.1.* vnde ait: *Deum eſſe ſine Qualitate bonum, ſine Quantitate magnum.* & ideò extra genus egrediuntur. Quapropter, eſto infinitas generis non auferat rem extra quidditatem; tamen infinitas Diuina eam aufert. Vnde negatur conſequentia, quia Bonitas, ſapientia, &c. non eſt in genere, ſed æquiualenter (vt cum Seraphico loquar) quia habet veram rationem ſapientiæ, & Bonitatis; ſed Diuinæ. Igitur nec dabitur conceptus vniuocus ſapientiæ creatæ, & increatæ, vt dixi *quæſt.3.* Fateor, infinitum genus non tollere, v. g. à Linea rationem quantitatis continuæ; at infinitum tranſcendens diuinum tollit, & mutat formalitatem; ratio diuerſitatis eſt, quia prima infinitas attenditur penes ea, quæ intra latitudinem rei ſunt: at ſecunda infinitas rem illimitat, quia attenditur penes ea, ad quæ latitudo totius entis extenditur; ideò includit omnem perfectionem ſimpliciter, & ideò non ſiſtit in genere, & formalitate. Et in hoc deceptus eſt Scotus, putans, ſapientiam creatam, & increatam eſſe in eodem genere; & ablatis à noſtra, imperfectionibus, eiuſdem rationis eſſe cum diuina, quod eſt falſum; alioqui ſequeretur, quod eadem perfectio, quæ eſt in Deo, modo infinito; eſſet in creatura modo finito, quod eſt abſonum. Eadem reſponſio elicitur ex Doctore Seraphico, *lib.1. Compend. Theol. cap. 21.* Hinc ruit aliud Scoti argumentum, ſic ratiocinantis. Quando duo ex natura differunt, etiam ſi identificentur in aliquo ſubiecto realiter, ſemper ſeruant naturam diuerſam. Sed ſapientia, & iuſtitia differunt ex ſe, quia in creaturis diſtinguuntur. Ergo, licèt in Deo ſint idem realiter, tamen manent natura ſua diſtinctæ.

Reſpondetur enim primò. Sapientiam, & Iuſtitiam Diuinam non differre: eſto Sapientia, & iuſtitia creata differrent: & ità vbicunque eſt Iuſtitia, & Sapientia Diuina, eſt idem. 77

Reſpondetur ſecundò, quòd cùm duo accidentia differant realiter ex ſe, ità identificantur in ſubiecto, vt maneat adhuc diſtinctio realis; ſunt enim adhuc ſeparabilia ab eo. Vnde ſi argumentum Scoti valet; ſequitur quòd etiam in Deo ſapientia, & bonitas maneant realiter, realiter diſtinctæ nam ex ſe realiter differunt. Sequitur etiam ſapientiam, & Bonitatem per accidens eſſe in Deo; nam ità ſe habent etiam per ſe, extra illud ſubiectum.

Ex his tamen contra Nominales concluditur; attributa inter ſe, & ab eſſentia diſtingui pluſquam ratione ratiocinante. Hoc probant argumenta Scoti, quæ ſumpſit ex D.Bonau. & D.Thom. qui cum eorum vim non ignorarent; attamen authoritatem Scripturæ, & Patrum pluris pendere docuerunt, vt teſtatur Seraphicus Doctor, *diſt 8. loc.cit.*

Obiicies verò cum illis. Deus, & Beati in patria non diſtinguunt attributa, ſicuti nos. Ergo hoc venit ex noſtro imperfecto modo intelligendi; non autem ex aliquo fundamento in re. Hoc argumentum ſumunt ex D. Bernardo, *lib.5. de conſider.* Vrget Becan. *c.1. q.4.* quia diſtinctio fit ab intellectu viatore concipiente inadequatè.

Reſpondemus, D. Bernardum id intendere; non dari in Deo quaternitatem, quam inducebat Porretanus, neque diſtinctionem aliquam formalem realem, licèt primo aſpectu id neſciamus percipere, cùm à parte rei eſſentia communicetur, & tres perſonæ ſint incommunicabiles; attamen in patria viſuros, nullam inter perſonas, & eſſentiam, aut inter attributa dari diſtinctionem; quam tot apparentibus rationibus nobis vrgent non nulli. Verba D. Bernardi id teſtantur. *Viſus ſum protuliſſe plura; ſed vnum eſt; vnus Deus ſignatus eſt pro captu noſtro, non pro ſtatu ſuo: diuiſus eſt hic: non ille.* Et poſt pauca ſubdit. *Nobis autem, quia non poſſumus cum Deo ſimplicitate contendere; dum contendimus apprehendere vnum, occurrit veluti quadruplicatum. Facit hoc ſpeculum, & ænigma, per quod videri datur. Cùm autem videbimus facie ad faciem, videbimus ſicuti eſt. Nec enim iam tunc fragilis acies mentis noſtra, quantumlibet vehementer intendens, reſiliet, deſilietue in ſuam pluralitatem.* Hæc S. Bernardus. Miror autem Caſpenſem, *tract. de attributis, diſp.1. ſect. 3.* exiſtimare, adeò his verbis probatum oppoſitum argumentum, vt nihil expreſſiùs. 78

Qvod autem Deus, & Beati virtualitatem illam diſtinguant, patet, quia non modò ipſi, ſed etiam Deus ipſe aſſerit, Patrem Intellectu generare Filium; non autem Voluntate: & Voluntate ſpirare Spiritum Sanctum; non autem Intellectu; nam hoc eſt verum de fide. 79

Reſpondet Caſpenſis, Deum cognoſcere illam diſtinctionem virtualem; non autem eam facere.

Verùm, ſi Deus cognoſcit, vel cognoſcit ità eſſe: vel cognoſcit ſolùm eam virtualem diſtinctionem, vt à nobis factam. Si primum; habeo intentum; ſi ſecundum. Ergo à parte rei intellectus ſpirat: voluntas

generat;

generat, (Deus enim non decipitur); & dogmata fidei ſunt mera entia rationis abſque vllo fundamento falſæ. Illud ſanè fateor, hæc nobis in ænigmate apparere, & ideò inadæquatè, cum ſint entia infinita, vt dicebat S Bernardus, & propterea multiplicari. Tandem S. Doctor in Intellectu, & Voluntate, ratione ordinis ad diuerſa, ponere viſus eſt virtutes diſtinctas, eſto aliis attributis abſolutis nil reſpondere videatur.

QVÆSTIO IX.

An Attributa Diuina ſint de conceptu Diuinæ Eſſentiæ: & è contra, & idem de ipſis inter ſe comparatis dicendum ſit.

QVÆSTIO noſtra eſt. An attributa, & eſſentia ità ſint formaliter vnum, vt, licet virtualiter diſtincta, ſe inuicem includant in conceptibus formalibus de illis formatis ab intellectu.

PRIMA opinio eſt multorum Thomiſtarum *ad art. 2. quæſt. 28. D. Thomæ*, aſſerentium, ea ſe inuicem includere mutuò. Ità Nazatius *quæſt.* 28. *contr.* 1. Granad. *p. 1. tom. 1. tr. 2. d. 7.* Torres Canarienſis ibi, Suarez *lib. 1. de Trinitate cap. 13.* Eos miratur Meldula *diſp. 1. q. 2. num* 45. & carpit, tanquam inconſequenter locutos, quippè cùm diſtinguant virtualiter attributa, tenerentur etiam eorum conceptus excludere.

SECVNDA ſententia eſt Vaſquez *diſp* 121. Auerſæ, Arriagæ, Turriani, & aliorum apud Meldulam. Caſpenſis *diſp. 1. ſect. 4.* Trigoſij *quæſt. 3. art. 2. d. 6. ad 3.* Becani *c. 1. quæſt. 5.* qui cenſent, eſſe communem ſententiam Theologorum; attributa ſuis conceptibus formalibus ſe inuicem excludere, ità vt formaliter ſit falſum dicere. Intellectus ſpirat: Voluntas generat; ſicuti falſum. Diuina eſſentia generat; tametſi poſſet dici. Deus generat.

80 SENTENTIA Doctoris Seraphici eſt; hos conceptus excludi, vt latè oſtendam *tract. de Trinitate diſp. 3. quæſt. 5. & 6.* quòad relationes, & eſſentiam, & quòad Intellectum, & Voluntatem ob contradictoria verificata. Neque ob id cogimur reſpondere argumentis, quæ iecimus diſputatione præcedenti contra Scotum, vt putat Maſtrius, vbi ſuprà. Nam oſtendemus, ſalua identitate formali, nos habere conceptus diuerſos. Equidem reor, inter attributa omnia, excepto intellectu, & voluntate poſſe probabiliter ſuſtineri, dari vnum conceptum, cumque ſola noſtri intellectus imperfectione diſtingui, & hæc videtur ſententia Seraphici Doctoris 1. *diſt. 26. quæſt. 1.* vt dixi quæſtione ſuperiori, quia minorem diſtinctionem ponit inter hæc. Et ait. Eis nil à parte rei reſpondere, eſto virtutes plurimæ in ente ſimpliciſſimo contineantur.

ASSERO probabiliter, conceptum obiectiuum Sapientiæ, Potentiæ, & ſimilium eſſe vnum, inadæquatum tamen, ratione imperfecti noſtri conceptus. Videtur ſententia D. Auguſtini *ſexto de Trin. cap. 7. & lib. 7. c. 1.* Anſelmi *in Monol. cap. 16.* Bernardi *ſerm. 80. in Cant.*

81 PROBATVR à Suarez argumento D. Bonauenturæ, *diſt. 26. quæſt. 1.* Ex infinitate, & ſimplicitate Diuinæ eſſentiæ, quæ includere debet omnes perfectiones attributales, & ità inadæquatè percipitur eſſentia non potens, non ſapiens, quòad ſuum eſſe abſolutum. Subſcribit Becan. *c. 2. q. 5.*

ASSERO ſecundò, conceptum obiectiuum, & formalem intellectus, vt fœcundus eſt, & relatiuus, diſtingui à conceptu obiectiuo, & formali voluntatis fœcundæ. Hæc propriè tamen non attributa ſunt, vt dixi *d. 3. quæſt. 3.*

PROBATVR, quia à parte rei, Pater Intellectu generat, & non ſpirat. Voluntate ſpirat, & non generat; vt oſtendi quæſtione ſuperiori. Ergo debet dari conceptus obiectiuus vtriuſque diſtinctus, fundans conceptum formalem; non ex imperfecta viæ intellectione, vt putat Becanus.

Neque ſequitur diſtinctio formalis, vt aduertit Molina, quia ſufficit diſtinctio virtualis eorum ad fundandos hos conceptus; neque aliud requiritur. Quare non rectè Nazatius ſoli imperfectioni intellectus noſtri adſcribit, & carpit Molinam, quaſi diuertentem ab eo, quod in ſe eſt, ad conceptus noſtros Inadæquatos. Profectò iam in mente Dei verum eſt. Pater Intellectu generat, non ſpirat. Voluntate ſpirat, non generat. Hæc enim ſunt definita à Conciliis, vt realia; ſicuti dictum eſt *quæſt. præcedenti.* Itaque ſi Intellectus, & Voluntas ſe inuicem includerent, profectò etiam actus ſe includerent; & ità Intellectu Pater ſpiraret; vt accuratè aduertit Caſpenſis. Reliqua videbimus loco citato de Trinitate. Ità verò ſenſere Alenſ. *p. 1. quæſt. 49.* Albert. 1. *d. 8. art. 3. & 4.* Abul. *in 6. Exod. quæſt. 1.* Subſcribunt Gillius *lib. 2. tract. 2. cap. 7.* Ribas *tract. 1. d. 3. c. 3. & 4.* dicens, eſſe inter Theologos acclamatum antiquos, tametſi de omnibus id vniuerſim aſſerat immeritò, ſolam autem voluntatem, ait Dei proprietatem; non intellectum, vt vidi *d. 3. quæſt. 3.*

Ex dictis hîc, Et *quæſt. 8.* collige compoſitionem rationis, non detrahere Diuinæ ſimplicitati, vt monent Suar. *l. 1. de eſſ. Dei cap. 4. num. 8.* Vaſq. *d. 22. c. 3. num. 5. & d 121. cap. 3.* Raynaudus *d. 7. quæſt. 1. art. 4. num. 54.* Ribas *tract. 2. d. 2. c. 1.* Ex D. Bonau. *c. cont.* Granad. *T. 1. cont. 1. tr. 2. d. 3.*

DISPVTATIO IV.

De perfectione Dei.

SIMPLICITAS dicit puram actualitatem, è qua oritur perfectio ſumma, excludens potentiam.

QVÆSTIO I.

An Deus ſit perfectiſſimum Ens.

§ D. Bonau. d 3. p. 1. q 2.

PERFECTVM, iuxta nominis ſonum, dicitur conſummatè effectum, ideſt, perductum ad actum, 2
quòad omnia, quæ poſtulat rei natura; & ità conuenire poteſt etiam Deo, quatenus dicit complementum, quod ſignificat ſtatum, vel ſimpliciter, vel in genere, vt Seraphicus Doctor Docet 2. *diſt. 4. dub. 3. litt* Perfectum ſimpliciter eſt vniuerſaliter perfectum; perfectum in genere eſt ſecundùm aliquod genus perfectum. Ità D. Bonau. 1. *diſt. 4. dub. 3. litt.* & *diſt. 3. quæſt. 2.* & *diſt 35. quæſt. 1. ad argumenta* & *in 3. diſt. 1. quæſt. 2. in reſol.* Deſcribit perfectum Seraphicus Doctor etiam ad *Pſal. 118. cap. 4. ver. 14. ex Ariſtotele 5. Metaph. textu 21.* Quod attingit proprium finem. Ex quo apparet diuerſitas inter rationem formalem perfecti; & rationem formalem Boni, de qua *diſp. 5. quæſt. 1.* & notat Granado, *diſp. 1. ſect. 7.* Perfectum enim

enim ſe habet, vt quid integrum ad ſuum finem: Bonum, verò, & Bonitas ex D. Bonau. 4. *diſt*.14. *p*.2. *quaſt*. 1. vt complementum habens in ſa rationem finis.

2 Aliam diuerſitatem affert Suarez, nam ex Ariſtotele 1. *Metaph*. Perfectum dicitur, extra quod non eſt vllam partem accipere; ſed cui nihil deeſt, vt docet Seraphicus ad ea verba Lucæ 18. *Adhuc vnum tibi deeſt*. vbi id probat, illo Iacobi 2. *Sitis perfecti, & integri in nullo deficientes*; Et ità ſupra bonitatem, quæ conſiſtit in conuenientia quadam; addit conſummationem ex omni parte. Vnde puer dicitur Ens, & bonum, non tamen perfectus homo. Eadem differentia innuitur à D.Bonau. *diſt*.8. *p*.2. *quaſt.vlt. ad argumenta*. Hæc tamen ſubtiliora vix intellectu parciri ait Caſpenſis *diſp*. 4. *ſect*. 1. *de Diuinis attributis*, vbi diſtinctionem affert D. Bonauenturæ.

Nota verò, Seraphicum Doctorem ſæpe aſſerere, res creatas eſſe bonas, quia conſtant modo, ſpecie, & ordine; non ordine ad finem, ſed ſerie eorum, ex quibus conſtant; vt exponit D. Auguſt. apud Vaſquez *diſp*.23. *cap*.5. Vel ſi eſt res bona in ordine ad finem vltimum, hoc euenit ei, non vt bona, ſed vt bona in genere; propterea enim reduci debet, ob ſuum defectum, ad bonum ſimpliciter.

Rectè igitur, poſtquam egimus de Simplicitate Dei actualiſſima, agimus de eius Perfectione, quæ inde conſequitur, vt indicat Seraphicus *Itinere ſeptimo vÆter. diſt*.4. Et quia aliquid eſt bonum in ſe, & appetibile, quia perfectum. Ideò poſtea agemus de Bonitate.

3 Notandvm ſecundò ex D.Bonau. *diſt*.3. *p*.1. *q*.2. *ad primum & diſt*.19. *p*.1. *dub*.9. perfectionem, aliam eſſe ſimpliciter ſimplicem, quàm Seraphicus vocat antonomaſticè nobilem, quia nihil habet mixtum labis imperfectionis: aliam verò eſſe perfectionem, quæ dicitur in genere, ſeu ſecundum quid, quæ mixtam habet imperfectionem.

Perfectio ſimpliciter ſimplex definitur ab Anſelmo *in Proſol. cap*.15. & *Monol. cap*.5. Eſt perfectio, quæ in vnoquoque eſt melior ipſa, quam non ipſa, ſeu vt verbis Anſelmi vtar. *Eſt perfectio, quam in vnoquoque melius eſt eſſe, quàm non eſſe.*

Hanc deſcriptionem variè explicant Scotus 1.*diſt*.8. *quaſt*.1. *ad* 1. Caietanus, *de Ente, & eſſentia, cap*.2. *com*.2. Molina *p*.1.*quaſt*.4.*art*.2.*diſp*.2. Valentia *diſp*.2. *quaſt*. x. *p*.1. *ad tertium*, Vaſquez *diſp*. 122. *num*.10. Meldula *diſp*.7.*num*.10. Suarez, *lib*.3. *cap*.10. *num*.4. Tanner. *diſp*.1.*quaſt*.3. *dub*.2. *à num*.3. *& diſp*.4. *q*.3. *dub*.4. *num*. 8. Nazar, *ad art*. 1. *quaſt*. 4. & alij allegandi.

4 Dicam quid probabilius videatur. Dicitur ergo perfectio ſimpliciter eſſe ea, quæ in quolibet, eſt melior ipſa, quàm non ipſa: quia non includit imperfectionem aliquam, atque adeò non excludit aliam perfectionem meliorem ſe, vt Sapientia, Bonitas, Veritas, Vita. Item gradus ſubſtantiæ viuentis, intelligentis, ſpiritalis: è contra verò corpus, planta, vel homo, calor, &c. quæ in ſua formali ratione includunt imperfectionem, atque adeò excludunt ab eodem ente perfectiones alias ſe meliores, puta perfectionem ſpiritus, ſubſtantiæ, non ſunt perfectiones ſimpliciter ſimplices; ſed in ſuo genere.

Primò igitur oportet, vt ſit perfecta, abſque imperfectione, ad differentiam perfectionis in genere, vel ſecundum quid. Et in hoc omnes conueniunt.

Deinde vocula (in quolibet) declaratur à Vaſquez, in qualibet natura melior eſt ipſa, quàm non ipſa; non autem in quolibet etiam ſuppoſito. Sed hæc reſtrictio non eſt recta, nam vniuerſaliter dicitur in quolibet, vt obſeruat Tannerus, & colligam infra.

Igitur cùm dicitur, *Melior eſſe in quolibet ipſa quàm non ipſa*; non intelligitur melior eſſe ipſa, quàm ſua negatio, ſeu carentia, vt putat Vaſquez apud Maſtrium; nam ſic omnis perfectio eſſet ſimpliciter ſimplex, quia quodlibet poſitiuum eſt meliùs ſuo negatiuo contradictoriè oppoſito, vt notat Maſtrius *n*.11. Sic meliùs eſt lac eſſe dulce, quàm dulcedine carere, quia negatio non habet perfectionem. 5

Neqve ſenſus eſt; eam eſſe ſimpliciter ſimplicem perfectionem, quæ eſt melior alia perfectione ſingulari entitatiua, quæ dicit negationem ſui proprij eſſe. v.g. homini eſſe rationalem, quàm irrationalem, equo eſſe hinnibilem, quàm rugibilem; alioqui omnis perfectio eſſet ſimpliciter, quia cuicumque meliùs eſt in ſuo genere, quod eſt ſecundùm naturam propriam; ſed comparatio eſt vniuerſalis omni enti ità, vt melior ſit illa perfectio, quàm quodlibet ens poſitiuum, quod ſit fundamentum negationis talis perfectionis. Itaque debet conſiderari ſubiectum, non vt eſt tale ens, puta Lapis, Leo, Homo; ſed vt ens eſt, & conſiderare, an illa perfectio talis ſit, vt ea ſit ei melior, quàm quæuis alia deſtructiua, ſeu implicans cum ea; vt aduertit Molina. Sic v g. viuere, intelligere, ſunt perfectiones ſimpliciter ſimplices, quia ſi lapidem, vel quodcunque aliud ens ſpectes, non quatenus lapis eſt, ſed quatenus ens, melius illi eſſet viuere, atque intelligere, quàm quodcumque aliud, quod cum vita, & intellectu pugnet; eſto lapidi, quà lapis eſt, non ſit melius viuere, quandoquidem eo ipſo, quod viuens eſſet, lapis non eſſet. Ex quo habes primò cum Valentia, non eſſe idem perfectionem ſimpliciter ſimplicem; & eſſe melius quocunque alio, quod non ſit ipſum, ſed ſatis eſt, vt ſit melius quocunque alio ſecum incompatibili in eodem ſubiecto. Ex quo ſequitur, poſſe perfectioni ſimpliciter ſimplici opponi perfectionem implicantem. 6

Hinc Suarez duas conditiones requirit ad perfectionem ſimpliciter ſimplicem. Altera eſt, vt non dicat imperfectionem: altera, vt non claudat oppoſitionem, ob quam repugnat aliam æqualem perfectionem eidem ineſſe; vel meliorem, & ita melius eſt eam habere, quàm non habere, eo ipſo quòd non excludat alias æquales, vel perfectiores. Et ex ſecunda hac conditione colligit, relationem Patris eſſe perfectionem, non tamen ſimpliciter ſimplicem, non ratione imperfectionis; ſed quia talis eſt, vt in eodem ſubiecto repugnet Filiatio, quæ eſt æqualis perfectionis; eam tamen infinitam, ſeu non limitatam ait, quia talis incompoſſibilitas in ea non oritur ex limitatione, vel imperfectione; ſed ſolùm ex ſecundo capite, ideſt ex oppoſitione, quam habet cum alia æquali perfectione. Sed de hoc, *tract*. 2. *diſp*. 3. *quaſt*. 10. Eadem eſt doctrina Tanneri, *diſp*.2. *q*.3. *dub*.2. *num*. 3. Interim mihi probatur illatio; atque infra, *num*. 10. allatum modum etiam laudo ex Caſpenſi. 7

Neque tamen benè infert Brancaſius, ſequi, eam perfectionem nec eſſe finitam, nec ſimpliciter ſimplicem. Et ità nec erit finita, nec infinita, & labetur in ſententiam Scoti, de qua *tract*. 2. *diſp*. 3. *q*. 10. 8

Negatur enim conſequentia, nam perfectio infinita non conuertitur cum perfectione ſimpliciter ſimplici, vt fatetur ingenuè Maſtrius, *num*. 9.

Inſtat verò ipſe cum Fabro ibi allegando, quia perfectio infinita, vt ſic, eſt compoſſibilis cum alia perfectione ſimpliciter. Ergo ſi reperiatur talis perfectio, aliam excludens, ea non erit infinita; ſed finita. Probatur Antecedens, quia perfectio infinita continere poteſt omnem gradum perfectionis in eo genere

nere infiniti. Ergò ſi vna perfectio relatiua aliam excludit, non erit infinita formaliter in genere relationis

Reſpondet Suarez, aſſumptum eſſe verum de perfectione infinita in omni genere entis, qualis eſt perfectio Diuinæ aſſentiæ; non autem in aliquo certo genere; ſicut eſt Diuina relatio. Et ideò non ſequitur, vnam relationem, ſi eſt infinita, claudere debere perfectionem aliarum.

Inſtat Maſtrius. Relatio Paternitatis non includit relationem Filiationis. Ergo non eſt infinita in genere perfectionis relatiuæ.

10 Reſpondetur, inanem eſſe inſtantiam, nam relationis infinitæ Paternæ ſufficit eſſe infinitè perfectam, vt relatio paternitatis eſt; vnde non tenetur includere Filiationem.

Aliis vt ſoluant argumentum illud Scotiſtarum contra perfectionem relationum, ex qua inducunt, fore vt eſſent inæquales; dicunt; quamuis Paternitas, & Filiatio opponantur reſpectu perſonæ; non tamen reſpectu diuinitatis. Et ità reſpectu diuinitatis quælibet earum erit melior, quàm non ipſa. Et hoc ſatis eſſe inquiunt, vt quælibet earum ſit perfectio ſimpliciter, quia comparari debent ad Deum, vt ſic; cui perinde meliùs eſt eſſe Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, non ad perſonam. Ita explicant Auerſa *p.1. queſt.29. ſect.3.* Arriaga *diſp.49. ſect.3. num* 16. cum Vaſquez *num.*10. Caſpenſis *tract. de Trin. diſp.*2. *ſect* 4. *num.*75.

Verùm hanc melioritatem debere conſiderari in quolibet ſubiecto, in quo ſit perfectio, docent Tannerus loc. cit. & Maſtrius *num.* 11. Hoc poſito; in ſingulis Perſonis ſunt perfectiones aliarum per circumincesſionem ait Caſpenſis.

Ex his intelligitur etiam definitio perfectionis ſecundum quid, quæ non eſt melior ipſa, quàm non ipſa, quia in latitudine entis dantur perfectiones ſuperantes, & meliores incomparibiles. Ità Granado, *tract.*2. *diſp.* 4 Caſpenſis, *tract. de Attributis diſp.* 4. *ſect.*1.

11 Hæc indicauit Seraphicus Doctor, *diſt.*14. vocans perfectionem ſimpliciter illam, quæ eſt optima, perfecta, & ſuperabundans, quæ quia omni perfectione exuberat, melior eſt ipſa, quam non ipſa; etiamſi habeatur alia, vt ſupra dixi: Perfectionem autem ſecundum quid vocat illam, quæ eſt ſufficiens tali naturæ in ſuo genere perficiendæ. Sufficiens melior eſt quidem, quàm carentia eius, etiamſi alia ſingularis in alio genere obtineatur; attamen ſimpliciter non eſt melior, quàm non ipſa, quia aliæ ſunt in latitudine entis, omni imperfectione carentes. Hinc ſolum Deum vocat perfectum ſimpliciter ſimplicem, & bonum integrum, quod à perfecto diſtinctum indicat.

Assero, Deum eſſe perfectum.

12 Probatvr à D. Thoma hic & D. Bonau. *Itinere 7. Æter. diſt.4. & in 3. queſt.3.* ex illo Matth. *Eſtote perfecti, ſicut & Pater veſter perfectus eſt.*

Probatvr ſecundò à Doctore Seraphico ibi, ex D. Bernardo, lib.5. de conſider. *Deus operatur, vt virtus, regit vt principium optimum agens.* Ergo eſt maximè in actu, & conſequenter eſt perfectiſſimus. Sicut enim primum principium materiale eſt imperfectiſſimum, quia potentiale; ità primum principium eſt perfectiſſimum, quia actu ſupponitur, vt educat omnia ad actum. Eo argumento vtitur D.Thom. & idem D.Bonau. *d.8. p.2. queſt.*2.

QVÆSTIO II.

Vtrum in Deo perfectiones omnium rerum reperiantur.

{ D. Bonau d.3. p.1. q.2. ad 1.
D.Thom. q. 4. art. 2.

Notandvm, tripliciter aliquam perfectionem 13
eſſe in Deo. Primò formaliter, ideſt ſecundùm propriam rationem; vt intelligere. Secundò eminenter, ideſt non ſecundùm perfectionis illius formalitatem; ſed ſolùm elambicatam perfectionem, vt ſentire. Tertiò vtroque modo, vt ſapientia, quæ eſt in Deo formali ratione; non tamen ſecundùm eſſe formale, quod eſt in nobis, quia non eſt in eo qualitas, habitus, &c. ſed ſolùm ſuperexcellenter, ſeu æquiualenter, vt cum Seraphico loquar *diſt.8. p.1. q. vltima* ad argumenta, quem ſequitur Arriaga, *diſp.2. ſect.6.* Ratio huius diuerſitatis eſt, quia ſunt quædam, quæ in ſuo eſſe formali non includunt imperfectiones, vt velle; alia verò, quæ includunt imperfectionem; ſed quatenus ſunt in nobis; vt ſapientia, quæ eſt accidens nobis; alia tandem quæ ſimpliciter includunt intrinſecè imperfectionem, vt rugibilitas Leonis. Et ideò hæc vltima poſſunt conuenire tantùm eminenter Deo, quia nequeunt à fæcibus formæ deputari. Ita etiam D. Thom. *queſt.*1. & Thomiſtæ, inter quos Nazarius ibi.

Assero primò, in Deo eſſe perfectiones omnium rerum.

Probatvr à D.Bonau. *ſerm.* 5. *Hexaëmer.* argu- 14
mento, quo vtitur Ariſtoteles: 8. *Phyſ. text.*73. & 74. & *primo cæli text.*118. & *lib.*2. *text.*1. Et ſequentibus, ad probandum motum æternum. Omnem motum, & motionem præcedit motus localis circularis, qui eſt perfectus. Ratio eſt, quia ens perfectum eſt ante diminutum, quod (vt aduertit Doctor Seraphicus) verum eſt ſolum de perfecto ſimpliciter. Vnde ſic arguit. Datur ens diminutum. Ergo & perfectum. Hoc autem debet eſſe primum ens, ideſt Deus.

Probatvr ſecundò à D.Bonau. *ſerm.* 10. *Hexaë-* 15
mer. Prima cauſa continet perfectiones omnium effectuum, vel formaliter, vel eminenter. Sed Deus eſt prima cauſa. Ergo. Maior probatur. Nemo enim dat, quod non habet. Totum hoc egregiè oſtendit Seraphicus Doctor ab ea verba Ioan. 1. *Omnia per ipſum facta ſunt.* Vbi aduerte, Suarezium *diſp.*30. *Metaph.* hoc eodem argumento abuti; ſed nihil concludere. Nam cum cenſeat, continere virtualiter in cauſa, nil aliud eſſe, quàm habere virtutem producendi effectus; dum in antecedente habetur, Deus poteſt producere omnes effectus. Ergo eos continet eminenter, nil aliud in conſequentia dicit, quàm Deum habere virtutem producendi eos, ſicuti dixit in antecedente, vt notauit Arriaga *diſp.2. ſect.*6. continere enim eminenter, non eſt ſolùm poſſe producere; nam calor poteſt producere ignem, nec tamen continet eminenter, vt monet Granado, *diſp.*4. Caſpenſis, *diſp.4. ſect.*2.

Probatvr tertiò à D.Bonau. loc. cit. Deus eſt ipſum eſſe per ſe ſubſiſtens. Ergò habet omnes perfectiones entis.

Obiicies contra hoc argumentum; non benè con- 15
cludere, quia eſſe, eſt quid communiſſimum, quod gradibus entis perficitur. Vnde perfectiùs eſt viuens, quàm eſſe, quia viuere continet etiam eſſe; non è contra. Deinde eſſe ſubſiſtens conuenit etiam creaturæ.

Reſpondetur à D.Thom, *art.*2. *ad* 3. licet participans eſſe non participet omnes gradus eſſendi tamen ipſum

ipſum eſſe per eſſentiam includere eſſe viuens, &c. Rationem reddit Seraphicus, itinerario mentis in Deum *cap.* 5. ſicut enim nihilum, nihil habet de eſſe, nec de eius perfectionibus; ita è contra ipſum eſſe nihil habet de non eſſe, nec actu, nec potentia.

17 Probatur quartò à Seraphico *in* 1. *diſt.* 45. *art.* 5. *quæſt.* 1. *corpore.* Deum eſſe pelagus infinitum, in quo omnes perfectiones creatæ viuuntur ſimplicisſimè. Illa perfectio, & bonitas, quæ eſt principium omnium perfectionum participantium, & finis, ad quem omnes reducuntur, eſt perfectio, & bonitas infinita per eſſentiam. Talis eſt Deus. Ergo. Minor eſt D. Dionyſij *cap.* 4. *de Diu. nom.* vbi ait: *Bonitatem vt principium, & vt continentiam, & vt finem omnia appetunt. Vt principium à quo ſunt: vt continentiam, per quam ſaluantur, vt finem, in quem tendunt.*

Appono quintum argumentum aſſumptum à D. Bonau. *ſerm.* 11. *Hexaemer.* ex D. Auguſt. 15. *de Trinitate cap.* 4. vbi ait: *Neque enim Diuinorum librorum authoritas tantummodo prædicat eſſe Deum verum: ſed omnis, quæ nos circumſtat, ad quam nos etiam pertinemus, vniuerſa rerum natura proclamat, ſe habere præſtantiſſimum conditorem, qui nobis mentem, rationemque dedit: quâ viuentia non viuentibus, ſenſu prædita non ſentientibus, intelligentia, non intelligentibus, immortalia mortalibus impotentibus potentia, iniuſtis iuſta, ſpecioſa deformibus, bona malis, incorruptibilia corruptibilibus, beata miſeris præferenda videamus. Et per hoc, quoniam rebus creatis Creatorem ſine dubitatione præponimus, oportet vt eum, & ſummè viuere, & cuncta ſentire, atque intelligere; & mori, & corrumpi, mutarique non poſſe, nec corpus eſſe, ſed ſpiritum omnipotentiſſimum, ſpecioſiſſimum, & optimum, veriſſimumque fateamur.* Vide Seraphicum proſequentem *loco citato, & Itinerario mentis in Deum, cap.* 3.

His rationibus vtuntur Valentia *diſp.* 1. *quæſtione* 4. *puncto primo*, Arriaga, Suarez ſupra, & alij.

18 Assero ſecundò aliquas perfectiones eſſe formaliter in Deo.

Probatur à Doctore Seraphico *diſt.* 25. *quæſt.* 3. Perfectiones expreſſæ à Deo, tanquam ſibi propriæ debent credi propriè, vt. *Qui eſt.* Exodi 3. *Bonus.* Matth. 19. *Nemo bonus, niſi ſolus Deus.* Vt notat D. Dionyſius *cap.* 3. *de Diuinis nominibus* D. Auguſtinus 5. *de Trinitate cap.* 2. & *lib. octuaginta trium quæſtionum, quæſt. decimaſeptima.*

Probatur ſecundò à Seraphico Bonauentura. Quicquid attribuitur, debet conuenire ſaltem alicui propriè, ſed ſunt aliqua attributa diuina, quæ alicui extra Deum non poſſunt conuenire, vt immortalitas per eſſentiam, quia. *Solus habet immortalitatem*; Prima *Timoth.* 6. Infinitas, Æternitas, immutabilitas, &c. Ergo.

19 Assero tertiò, aliquas perfectiones eſſe in Deo ſolùm eminenter.

Probatur à Seraphico locis adductis *diſtinct.* 3. & 8. Quia illa, quæ intrinſecè includunt imperfectionem nequeunt formaliter conuenire Deo. Talia ſunt aliqua, vt vegetare, ſentire, &c. Ergo.

Assero quartò dari, inter aliquas Diuinas perfectiones, diſtinctio virtualis, non ſolùm è connotatis extrinſecis, ſed intrinſecè. Ita Molina *p.* 1. *quæſt.* 28. *artic.* 2. *d.* 5. Fonſec. 5. *metaph. cap.* 6. *quæſt.* 6. *ſect.* 3. Gillius *l.* 2. *tract.* 6. *cap.* 7. alios referens, Ribas *tract.* 2. *d.* 3. *cap.* 2. Zuniga *de Trin.*

quæſt. 27. *d.* 2. *dub.* 3. *n.* 1. Quæ autem ſint, oſtendi *d.* 3. *quæſt.* 8. & oſtendam *tract.* 2. *d.* 3. paſſim, & aliis locis.

Probatur, quia ſic ritè ſeruantur propoſitiones enunciatæ, nec aliter ſeruari valerent, & infinita ſimul Dei perfectio, vt propriis locis oſtendam.

DISPVTATIO V.

De Bonitate Dei.

QVÆSTIO I.

An ſolus Deus ſit Bonus per eſſentiam.

{ D.Thom. q.6. art 3.
{ D Bonau. 2. d. 1. p. 2. dub. 2.

SCito primò ex Metaphyſica, ens habere aliquas veluti paſſiones, quæ non ſunt accidentales, nam conuertuntur cum ente, quod eſt tranſcendens; ſed ſunt paſſiones demonſtratæ de eo; quomodo omne obiectum Scientiæ ſolet habere ſuas paſſiones demonſtratas. Vide Suarez *in Metaph. diſp.* 3. *ſect.* 1. Fonſecam *lib.* 4. *cap.* 2. *quæſt.* 3. 5. & 6. Mendozam *diſp.* 3. *ſect.* 1. Zanardum 4. *Metaph. quæſt.* 8. Ex his autem proprietatibus aliquæ adæquant ens, vt. *Vnum, Verum, Bonum*, vt docet Seraphicus *in* 2. *diſt.* 34. *quæſt. vlt. argumento* 4. & *p.* 1. *Breuil. cap.* 6. vbi propterea vocat conditiones entis generaliſſimas, & ideò ait, contrahere ens, non ſecundùm ſuppoſita; ſed ſecundùm rationem. Sic *Vnum* nominat ens, vt connumerabile. Et hoc habetur per indiuiſionem ſui in ſe. *Bonum*, ſecundùm quòd communicabile, & habet id per indiuiſionem à ſua operatione. *Verum* ſecundùm quòd cognoſcibile, & hoc habet per indiuiſionem ſui à propria ſpecie. Ita autem ſe habent, vt Bonum ſupponat Verum; & hoc ſupponat Vnum, ſecundùm rationem; aliæ verò adæquant coniunctæ, vt ſimplex, compoſitum, dependens, independens, perfectum, Imperfectum; vt docet Seraphicus *Itinerario mentis in Deum cap.* 3. Has dicit S. Doctor contrahere ens, ſecundùm ſuppoſita, quia non omnibus entibus conueniunt ſingulæ. 20

Scito ſecundò, varias eſſe de Bonitatis eſſentia opiniones. Aliqui enim illam ponunt in quodam relatiuo, quod eſt eſſe conueniens nobis. Ita Scotiſtæ, apud Capreolum *diſp.* 34. *quæſt.* 1. Fonſeca 4. *Metaph. cap.* 2. *quæſt.* 7. & ex parte Suarez *diſp.* 10. *ſectione* 3. Blaſius *d.* 54. *Metaph.* Hurt. *d.* 7. *ſect.* 4. Vulp. *d.* 51. Smiſing. *tract.* 3. *d.* 1. *quæſtione* 5. Sed Maſtr. *d.* 5. *quæſt.* 10. ait melius, bonum deſcribi, & explicari per eſſe conueniens, quàm definiri. 21

Alij volunt conſiſtere in appetibilitate, quæ ex conuenientia ſequitur. Ita Capreolus *loc. cit.* Durandus ibidem, Valentia *tom.* 1. *quæſt.* 5. *puncto primo.* Alij dicunt, conſiſtere in eſſe abſoluto integritatis ſuæ, & perfectionis. Ita D. Thom. *p.* 1. *quæſt.* 5. *art.* 1. 3. & 5. Richard. *in* 1. *d.* 45. *art.* 1. *quæſt.* 3. Et videtur Scoti *in* 1. *diſt.* 17. *quæſt.* 2. & *in* 4. *diſt.* 40. ſequitur Faber *in* 1. *diſputat.* 22. *numer.* 28. & *in* 4. *diſt.* 14. *quæſtione* 1. *diſput.* 5. *cap.* 1. & *diſputat.* 9. *cap.* 5. Bellarmin. *tom.* 3. *controuerſ. cap.* 10. *lib.* 2.

de amiſſione gratia, Zumel *quæſt.5. art.2.* ibi Molina *d.vn.* Vaſq. *d 25.*

22 Optime omnium Seraphicus Bonauentura *in 2. d.1. p.2. quæſt.2.* & *diſt.17. art.2. quæſt.2. & diſt.24. p.1. art.2. quæſt.1. ad 8. & in 4. diſt.14. p.2. quæſt.1.* explicat; in quo conſiſtat ratio Bonitatis dicens; eatenus aliquid eſſe bonum, quatenus habet omnes perfectiones finis; ex quo fit, vt bonum dicatur habere rationem finis. Videtur ſequi Auerſa *quæſt.7.* Ribas *tract.2. d.1. cap.2.*

Probatur à D. Bonau. *lib.4. Pharetra cap.23.* ex D. Auguſtino *epiſt. 54. tom. 2.* vbi ait: *Omnia, quantò magis moderata, ſpecioſa, ordinata ſunt; tantò magis bona ſunt.* Et *lib. 3. de libero arbitr. cap. 24. tom. 1. Bonum* (ait) *aliquod eſt homo, melius quàm pecus, in eo quòd præcepti capax, & hoc melius, cùm præceptum iam capit; rurſus hoc melius, cùm præcepto paruit. Et his omnibus melius, cùm beatus eſt.*

23 Probatur à Seraphico Doctore ſecundò *in compend. Theol. lib. 5. cap.3.* ex eodem D. Auguſt. *lib. de vera Religione tom. 1.* vbi ait: *Omne quod eſt in quantum eſt, bonum eſt.* Id confirmat ex illo Geneſ. 1. *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valdè bona.* Ex qoo fit, booitatem eſſe priorem appetibilitate, & conuenientia, nam ſi rei alicui deſit aliquid, quod in ſuo fine intrinſeco requiritur, dicitur mala, non quia alteri diſconueniens; vt notat Vaſquez *p.1. diſput. 23.* Ideò ex D. Auguſt. aduertit, malitiam eſſe priuationem modi, ſpeciei, & ordinis; ſicuti Bonitas dicit modum, ſpeciem, & ordinem, vt ſæpè refricat Doctor Seraphicus *in primo diſt.3. p.1. dub. 3.* & *diſtinct. 38. quæſt. 2. ad argumenta.* Et ex profeſſo *in 2. diſt.35. art. 2.* per tres quæſtiones. Dicitur autem modus temperies rei, ſpecies ſpecioſitas. Ordo ſeries rerum, quæ requiruntur rei, vt ait D. Auguſt. apud Vaſquez. De his autem *prima ſecunda tract. 3. de peccato*, agam *d.1. a num.151.*

Bonitas porrò, in ſuo intrinſeco fine conſtituta, dicit decentiam, quæ non eſt aliquid additum formale vt putat Fauentinus ſuprà, alioqui non prædicaretur in abſtracto de entitate. Ita D. Thom. *quæſt. 5. art. 1.* D. Bonau. locis nominatis, eſtque aliquid, non priuatiuum, vt putat Faber; ſed poſitiuum, vt infra patebit.

24 Habes igitur, bonitatem eſſe ipſius entitatis eſſe integrum, ſeu ſecundum omnes perfectiones finis, vt ſit aptum habere rationem finis. Includit verò relationem, non quidem realem, alioqui cùm & illa bona ſit, deberet eſſe talis per aliam relationem, & illa per aliam; & ſic in infinitum: ſed rationis; eò enim qoia ad rationem finis intrinſecam perficitur, habet rationem boni; finis autem intrinſecus non differt à bono. Includere autem relationem aliqoam probatur à Seraphico *in 2. diſt. 35. art.2.* paſſim, & D. Thomas *art.5. quæſt. quinta* ex D. Auguſt. *lib. de natura boni, cap.4. tom.6.* vbi ponit rationem boni in modo, ſpecie, & ordine.

25 Ex dictis habes, quomodo S. Auguſt. admittat aliquam ſubſtantiam malam, non quidem phraſi Manichæa, quoad eſſentiam, quæ quamdiu durat, permanet etiam entitas qoæ intrinſecè eſt bona; ſed ex defectu alicuius partis integrantis, vel alicuius accidentis. Quo fit, vt ens, & bonum ſemper ſint reciproca eſſentialiter. Ita Vaſquez ex D. Bonau. *2. diſt.1. dub.2. litt.* Meliùs tamen diceretur ens imperfectum, quàm malum, quia imperfectum eſt deficiens à fine, ſicuti ſecuris chryſtallina ad ſecandum: at perfectum in finem ſuum peruenit. Bonum verò dicit perfectionem, vt habet rationem finis aptitudine.

Assero primò, Deum eſſe bonum.

Probatvr primò à S. Doctore *ad 3. Thren.* ex illo: *Bonus eſt Dominus.* Et Pſalm.72. *Quàm bonus Iſraël Deus.* Idem habet ad Pſalm.105. 26

Probatvr ſecundò à Seraphico Doctore ad illud Lucæ 18. *Quid me dicis bonum? Nemo bonus, niſi ſolus Deus.* Et ex Sap.12. *O quàm bonus, & ſuauis eſt ſpiritus tuus!* & ex Pſalm.72. citato.

Ex quibus deducit Seraphicus Bonau. argumentum *in 1. diſt.45. art.2. quæſt. 1. in corpore.* Id quod habet rationem vltimi finis debet eſſe bonum. Talis eſt Deus. Ergo. Sic probatur etiam à D. Thoma.

Assero ſecundò; omnia etiam creata, eſſe bona intrinſecè.

Probatvr primò à D. Bonau. *in 2. diſt. 29. quæſt.1.* Quod à Deo approbatur vt bonum, eſt tale; at omnes creaturæ ita approbatæ ſunt, vt dicitur Geneſ.1. *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valdè bona.* Ergo. 27

Probatvr ſecundò à D. Bonau. *in 2. diſt 34. quæſt. vlt. argumento 4.* Omne ens eſt bonum. Omnia creatura eſt ens. Ergo bona.

Assero tertiò, Deum ſolum eſſe bonum per eſſentiam.

Explico particula illa (per eſſentiam) ſi teneat ſe ex parte ſubiecti, facit ſenſum. An Deus per ſuam eſſentiam formaliter ſit bonus, ſi verò ſe teneat ex parte prædicati, bonus per eſſentiam, opponitur bono per participationem; & dicit totum id, quod dicit bonitatis perfectionem. Et primo quidem modo oſtendi *diſp. 3.* ex ſimplicitate Dei, bonitatem ei eſſe per eſſentiam formalem. 28

Probatvr ergo aſſertio ſecundo modo à Doctore Seraphico *in 2. diſt.22. dub.4.* Quod eſt ita perfectum, & bonum, vt habeat totam rationem vniuerſalem bonitatis, eſt bonum per eſſentiam. Talis eſt Deus. Ergo. Maior explicatur à Seraphico, quia participare eſt partem obtinere illius perfectionis. Cùm ergo eſſe bonum per eſſentiam, opponatur bono per participationem; ſequitur, &c. Minor probatur ex Boëtio *lib. de hebdom.* vbi ait. *Omnia ſunt bona per participationem*, ideſt habent tantùm partem bonitatis, non totam.

Probatvr ſecundò à S. Doctore ibi, & *diſt.1. quæſtion. vlt.* eſſe bonum per eſſentiam, eſt eſſe bonum à ſe, non acceptum ab alio. Talis eſt autem ſolus Deus, nam creaturæ habent eſſe à Deo, & poſſunt illud amittere. Ergo. Eadem ferè habet Vaſquez *diſputat.24.* poſt multas ambages. 29

Ex his habes, creaturas eſſe bonas per eſſentiam primo modo, ideſt intrinſecè ſecundùm ſuam naturam; non tamen ea ſimplicitate, qua Deus; vt bonitas ſit formaliter eſſentia. Secundum oſtendi *diſput. 3. quæſt. 8.* Prius verò probatur à D. Bonauentura tum ex D. Auguſt. vt ſupra. *Boni ſumus, in quantum ſumus.* Deinde, quia omnis creatura eſt eſſentialiter ens. Ergo bona. 30

D. Thomas negat, creaturam eſſe bonam per eſſentiam, ſed ait, eſſe bonam per exiſtentiam, quam diſtinguit realiter ab eſſentia. Sed hoc difficile eſt, nam eſſentia præciſè, eſt ens. Ergo bona. Deinde eſſentia eſt appetibilis; & non ſola exiſtentia. Ergo bona.

Assero quartò ex dictis, Deum eſſe ſummum bonum, quia habet bonitatem per eſſentiam omnibus modis, vt ſupra oſtendi. 31

Probatvr

PROBATVR etiam inſuper à Seraphico 1. *diſt.*8. *p.* 2. *quæſt. vlt.* ex D. Auguſt. 5. *de Trinit. cap.* 1. vbi ait. Deum eſſe ſine qualitate bonum, ideſt, extra omne genus; & tranſcendenter bonum.

32 Probatur tertiò à D. Bonau. 1. *diſt.*1. *quæſt. vlt.* Illud eſt ſummum bonum, quod habet rationem vltimi finis, in quo eſt beatitudo, & fruitio. Talis eſt ſolus Deus. Ergo. Idem habet Seraphicus *ſerm.*5. *Hexaëmeronis.*

Confirmatur primò ex Ariſtotele 3. *de anima t.*4. vbi habet; quòd anima completur per bonum ſummum, quod ſuperius eſt anima, & bonum infinitum, quod excedit animæ vires. Confirmatur ſecundò ex D. Auguſt. *lib. de ſpiritu, & anima cap.*6. *&* 7. vbi ait: *Animam totius Trinitatis capacem, nihil minùs quàm Trinitas poteſt implere* (*nempè quia ſola eſt ſummum bonum.*)

PROBATVR quartò à Seraphico Doctore ſupra. Id, quod eſt omne bonum, eſt etiam ſummum bonum. Deus eſt omne bonum Exod.33. *Ego oſtendam tibi omne bonum.* Ergò.

PROBATVR quintò à D. Bonau. ad cap.12. Sap. ad ea verba. *O quam bonus, & ſuauis eſt ſpiritus tuus Domine*, vbi Spiritus ſanctus indicat, infinitam eſſe bonitatem Dei; quaſi dicat, non valet lingua exprimere eminentiam, & perfectionem bonitatis diuinæ.

33 PROBATVR ſextò à S. Doctore ibi. Illud eſt ſummum bonum, quod eſt ſummè diffuſiuum; ſed ſolus Deus eſt ſummè diffuſiuus. Maior probatur ſicuti ſe habet ſimpliciter ad ſimpliciter: ita magis ad magis: at bonum ſimpliciter eſt diffuſiuum, ex Dionyſio *de Diu. nom. cap.*4. Ergo magis bonum, eſt magis diffuſiuum: & ſummum bonum, ſummè diffuſiuum.

Confirmatur à Seraphico Doctore ad 18. Lucæ. *Nemo bonus, niſi ſolus Deus*, ſolus enim Deus communicat ſua; at creatura dat aliena, vt habetur 1. Corinth.4. *Quid habes, quod non accepiſti?*

34 Ex hoc eodem capite arguit D. Thom. *art.* 2. Prima cauſa omnis bonitatis creatæ debet continere formaliter, & eminenter bonitatem; at Deus eſt prima cauſa æquiuoca omnis bonitatis, vt habetur *Ioan.* 1. *Rom.* 11. *Coloſſ.* 1. *Act.* 17. Ergo. Hoc eſt in forma argumentum S. Thomæ, vt notat ibi Caietanus, & Nazarius. Eadem ratione vtitur S. Bonau. *ſerm.* 5. *Hexaëmer.* vbi aliam addit rationem. Deus eſt ſummum ens. Ergo ſummum bonum.

35 Idem denique argumentum allatum à D. Thoma, refricat Seraphicus *ſerm.* 11. *Hexaëmer.* ex D. Auguſt. 15. *de Trin. cap.*4. vbi arguit. Optimum debere eſſe eum, qui omnia bona creaturis impendit. Ipſum vide ibi, & *in Breuil. lib.*1. ſæpiſſimè; maximè *p.* 1. *& itinerario mentis in Deum cap.* 5. ad finem. Iiſdem argumentis vtuntur valentia *diſp.* 1. *quæſt.*6. *punct.*2. & cæteri.

36 Ex dictis etiam colligitur ſecundò, omnia eſſe bona, bonitate Diuina, tanquam à cauſa efficiente, exemplari, & fine. Vide Seraphicum *in* 1. *diſt.*43. attamen omnia creata formaliter eſſe bona, quia ſunt entia. Vide etiam D. Thomam *art.*4.

37 COLLIGE tertiò, ſolum Deum eſſe ſimpliciter bonum: creaturas autem ſecundum quid, nam creatura poteſt dici bona ad ſummum, quia habet omnem perfectionem ſibi debitam, ſecundùm ſuam ſpeciem; vel ſecundùm capacitatem ſuam; vt eſt ſub diuina ordinatione: at Deus ita eſt perfectus, vt omnis ratio bonitatis ſit in eo vt dixi.

COLLIGE quartò, Deum ſolum eſſe verè appetibilem, & fruendum, vt latè oſtendit Seraphicus Doctor *in* 1. *diſt.*1. *art.*3. Ratio præcipua eſt. Illud eſt ſummè, & verè appetibile, quod eſt per eſſentiam, atque adeò ſummum bonum. Talis eſt ſolus Deus. Ergo. Sed hæc *prima ſecunda tract.*1. *diſp. de fruitione tractabimus.* 38

COLLIGE quintò, præter bonitatem tranſcendentem entitatiuam, dari bonitatem moralem, quæ ſi præclara ſit, dicitur ſanctitas, & hanc oſtendit S. Bonau. ſupra ex D. Auguſtino. Eam verò in Deo eſſe excellentiſſimam, probatur. Dicitur enim *Non eſt ſanctus, vt eſt Dominus* 1. Reg.2. Et paſſim dicitur Deus antonomaſticè ſanctus. Sic *Iſa.* 6. Seraphim clamabant *Sanctus.* 39

COLLIGE vltimò; nomen *boni* eſſe Deo aptiſſimum, & digniſſimum, vt docet S. Dionyſius *cap.*4. *de Diu. nom.* & Damaſcenus *lib.* 1. *cap* 12. allegans Dionyſium, cui videntur accedere Germani, dum Deum vocant Gott quaſi, Guet, ideſt per excellentiam bonum, vt ait Tannarus. 40

QVÆSTIO II.

An creata addita Deo faciunt maius bonum.

DVRANDVS *in* 1. *diſt.*44. *quæſt.*3. aſſerit, Deum cum creaturis eſſe maius bonum; non quidem intenſiuè; ſed extenſiuè. Idem ſentit Peſantius *ad art.* 2. *quæſt* 4. D. Thomæ, Caſpenſis *diſp.*5. *ſect.*2.

OPPOSITAM ſententiam docet D. Thomas, *prima ſecunda quæſt.* 34. *art.* 3. *ad* 2. & 3. *ſent. d.*6. *quæſtion.*2. *art.* 3. *ad* 1. & de malo *quæſt.*5. *art.*1. *ad* 4. Molina *ad art.*2. *quæſt.*6. *D. Thomæ*, Zumellus *ad quæſt.*4. *art.*2. nullo modo id dicendum etiam extenſiuè. Id ſentit D. Bonauentura infra adducendus.

IOANNES Paulus Nazarius *ad art.*2. *quæſt* 6. dicit, neque intenſiuè, neque extenſiuè propriè ſumpto; ſed ſolùm extenſiuè impropriè, eſſe maius bonum.

Supponit D. Bonau. *ſerm.* 10. *de Apoſtolis*, & *in* 1. *diſt.* 43. *quæſt.*2. *fundamento quinto, & ſexto.* Bonum augeri ex bono; ſicut malum ex malo. Ita Sirupus compoſitus potentior fit ſimplici: & Theriaca, quæ ex multis calidis componitur, fit potentior contra venenum. Planetæ in vno aliquo ſigno coeuntes, fortiores ad agendum fiunt. Duo luminaria vicina maius edunt lumen. Hoc in rebus finitis omnibus apparet; at ſi infinitum ſit ens; addatur ei quodcumque non fiet maius, vel melius, in eo genere, quo eſt infinitum. Cùm igitur Deus ſit ſimpliciter infinitus, quantæuis creaturæ addantur non fiet melior, nec maius bonum vllo modo. 41

Sententiam ſuam videtur mihi prodere S. Bonau. etiam *Itinerario mentis in Deum cap.* 5. ad finem, eamque ibi probauit.

PRIMO quidem, creaturas additas Deo non facere maius bonum intenſiuè, probatur à Seraphico Doctore, ex infinitate Dei actualiſſima, & perfectiſſima, propter quod *Exod.* 33. dicit: *Ego oſtendam tibi omne bonum.* Igitur finitum additum, non facit maius, vt dixi etiam ſupra. 42

DEINDE, quia eſt omnia in omnibus, vt ait Apoſtolus frequenter.

Tertio, quia eſt veluti Sphæra, cuius centrum vbique: circumferentia verò nullibi, vt dicebat Triſmegiſtus; atque adeò omnes creatæ perfectiones in Deo terminantur, quibus argumentis vtitur etiam D. Thomas *de malo quæſtion.* 5. *art.* 1. *ad* 4. & *in* 1. *diſt.* 6. *quæſtion.* 2. *art.* 3. *ad* 1. & *prima ſecunda quæſt.* 34. *art.* 3. *ad* 2. & Thomiſtæ apud Nazarium *quæſt.* 6. *art.* 2. controuerſia vnica.

43 Assero ſecundò, creaturas additas Deo, non facere maius bonum extenſiuè.

Probatvr primò à Doctore Seraphico loco citato, quia Deus eſt bonum ſimpliciſſimum non conſtituens cum creaturis vnum numero vel vniuocè; ſed eſt extra omnia: etiam eſt vniſſimum in ſe omne bonum, vt dicitur *Exodi* 33. Hac ratione vtitur etiam Nazarius. Probatur conſequentia, quia his duobus tantùm modis, aliqua duo faciunt cum alio extenſionem, ſi vnum cum illo ita conſtituant.

Probatvr ſecundò à D. Bonauentura *diſtinctione* 43. *adducta fundamento ſexto.* Bonum, quod poteſt extenſiuè augeri debet eſſe finitum; at Deus eſt infinitus ſimpliciter. Ergo.

Addo tamen cum Seraphico Bonauentura, locis citatis, ſummam, infinitamque Dei bonitatem, eſſe ſummè communicabilem, & in eo eſſe omnem communicabilitatem, ac per hoc. *Ex ipſo, per ipſum, & in ipſo ſunt omnia.* Vt dicitur *Rom.* 11. Et hoc, quia omnipotens, omniſciens, & omnimodè bonum eſt, quod perfectè videre, eſt eſſe beatum, ſicut dictum eſt Moyſi Exod. 33. *Ego oſtendam tibi omne bonum.* Hæc S. Bonauentura. Ex quo non deducitur rectè à Nazario, & Caſpenſi, creaturam imperfecto ſaltem modo facere extenſionem bonitatis, additam Deo, eo quòd communicat bonitatem creaturis; nam, licet complexum hoc *Deus & orbis*, includat Deum, & addat orbem, qui entitatem habet creatam, & bonitatem Dei ad creaturas extenſam; tamen bonitas Dei, omnibus modis infinita eſt ſimpliciter; vnde, ſicuti ſi daretur linea infinita, non extenderetur vltra, ſi alia linea, vel plures lineæ palmares, vel aliquæ palmares, & aliæ longiores apponerentur: ita, & Dei bonitas, quæ non communicatur creaturæ, ſecundùm ſe formaliter, ſed ſolùm efficienter, non extenditur. Vnde ſicuti, ſi ignis vndique infinitè extenſus produceret multos ignes palmares, bipalmares, &c. qui ei apponerentur (per impoſſibile) non fieret ille ignis immenſus, extenſior; ita euenit Deo ratione infinitatis vt indicat Seraphicus Doctor, allegato loco, *diſt.* 43. Quapropter in omnibus, & per omnia concludit, Deum eſſe omne bonum, quia bonum illud in omnibus, & ſub omni ratione boni æquiualet omnibus bonis, & infinitè excedit, vt docet S. Bonauentura *in* 3. *diſt.* 26. *quæſt.* 2. *ad ſecundum.*

DISPVTATIO VI.

De infinitate Dei.

QVÆSTIO I.

An Deus ſit infinitus ſecundum ſuam eſſentiam.

{ D. Bonau. d. 43. q. 2.
D. Thom. q. 7. art. 2.

Non loquor hic de infinitate alicuius diuinæ perfectionis in particulari præciſè, vt de infinitate Diuinæ præſentiæ in ſpatiis, quæ dicitur immenſitas: nec de infinitate Diuinæ durationis, quæ dicitur Æternitas, &c. ſed tantùm nitimur oſtendere infinitatem Diuinæ eſſentiæ, quia hoc nomen *Deus*, de quo quæritur infinitas, ſupponit præcipuè pro natura, & quidditate, quæ eſt Deitas.

Assero, Deum eſſe infinitum eſſentialiter. Eſt de fide ex Concilio Lateranenſi cap. *Firmiter.*

Probatur à D. Bonauentura efficaciſſimis rationibus, quas infra afferemus; prius enim oportet videre, in quo ponamus iſtam infinitatem, vt eam probemus.

Scito primò è D. Bonau. infinitum dupliciter dici, vel ex negatione finis, qui perfectionem dicit, vel ex negatione termini, ſicut dicitur terminus agri, vel regni. Finis hic ſumitur ſecundo modo, vt notat etiam Vaſquez *diſput.* 25.

Scito ſecundò è S. Doctore *ad* 1. & *lib.* 1. *compend. Theol.* loco citando, licèt infinitum ſit paſſio 1
quantitatis, tamen competere etiam quantitati virtutis, ſicuti & ipſum nomen quantitatis, ad perfectionem virtutis aptatur, vt ait D. Auguſt. 6. *de Trinit. cap.* 8. *In rebus, quæ non mole magna ſunt, hoc eſt magnum eſſe, quod eſt melius eſſe.* Ita notat etiam Valentia *diſp.* 1. *quæſt.* 1. *puncto primo.* Quæritur ergò in quo conſiſtat hæc carentia finis, ſeu termini in Diuina eſſentia.

Primò aliqui aſſerunt, Deum infinitum eſſe, tum quia æternus caret principio, & fine durationis; tum quia eſt immenſus à nullo loco adæquatus. Ita Albertus *in* 1. *quæſt.* 34. *art.* 1. Neque iſte modus dicendi eſt ille, quem refert S. Bonauentura, vt putat Vaſquez, nam ille eſt modus hæreticus, ponens Deum finitum, quamuis nobis infinitus appareat.

Hic tamen modus eſt inſufficiens, quia non declarat infinitatem in eſſentia, ſed ſolùm infinitatem durationis, & loci, quæ pendent ab infinitate eſſentiæ.

Alij ponunt infinitatem Dei in numero perfectionum infinito, ſaltem formaliter.

Contra arguit Vaſquez *loc. cit.* & Suarez *lib.* 2. 2
de Attributis negatiuis, cap. 1. tum quia vna eſt ſimplex perfectio Dei, quæ à nobis per partes diſtinguitur; tum quia forſan non ſunt infinita attributa, quæ poſſimus Deo, è creaturis, applicare, eſto eſſent infinitæ creaturæ poſſibiles. Tandem quia iſta infinitas in fundamento eſt ſecundum quid, non ſimpliciter.

3 Sed hæ oppoſitiones friuolæ ſunt. Eſto enim Deus ſit vna ſimplex natura, dantur tamen in eo perfectiones infinitæ virtualiter, quas non emendicamir à creaturis; eſto aliquæ emendicatæ à nobis, ei adſcribantur. Neque de eo, quod attribuimus Deo, ſed de eo, quod verè eſt, diſputamus; perfectiones autem infinitas in Deo teſtatur Scriptura Pſal. 144. *Magnitudinis eius non eſt finis*, quod veluti declarans S. Dionyſius *de Diu. nom. cap.* 9. ait: *Magnus eſt ſuper omnem magnitudinem, omnem tranſiliens infinitatem.* Ibi infinitas etiam diſcreta includitur. Et Gregorius Nyſſenus *orat.* 1. in id Geneſis: *Faciamus hominem*, ait: *Magnum cogita, & huic magno, plus etiam, atque etiam adde, quàm cogitaſti, atque ita exerce cogitationem tuam, neque vnquam, quæ infinita ſunt, capies. Nec magnitudine concluditur, nec finibus cohibetur.*

4 Deinde, quod ponunt in *forſan*, non explicat ſatis; ſed debuere opponere, quod, etiamſi ſpecies infinitæ perfectionum creatarum poſſibiles ſint, adhuc perfectiones infinitas inde non poſſemus eruere, & attribuere Deo; quia innumeræ ſunt intrinſecè imperfectæ; vt, eſſe contingens, compoſitum, &c. quæ innumeras intrinſecè claudunt imperfectiones, vt notat Seraphicus Doctor, *loco citato*, & Arriaga *diſp.* 2. *ſect.* 7. *num.* 60.

Præterea quia infinitas diſcreta ſolitaria, eſt infinitas ſecundum quid; non autem eſſet infinitas ſecundum quid, ratione fundamenti, ſeu originis; hoc enim pacto Scotiſtæ ſaluant infinitatem ſimpliciter Diuinæ eſſentiæ, præciſæ formaliter ab attributis, eò quod eſt eorum ſcaturigo, & fundamentum, vt vidimus *diſp.* 3. *quæſt.* 8. Tandem, quia hæc infinitas perfectionum, ſecundum numerum, ſequitur eſſentiam; ideò non rectè authores huius ſententiæ ſatis reſpondent noſtræ quæſtioni, neque fundamentum infiniti probant in eſſentia.

Tertius modus dicendi eſt D. Thomæ hic, & Caietani, ac Ferrarienſis 1. *cont. Gent. cap.* 43. *art.* 1. *quæſt.* 1. Richardi ibidem, Nazarij ad art. citatum D. Thomæ *controu.* 2. ſic explicantium Dei infinitatem. Infinitum idem eſt, quod non finitum, vel limitatum; aliquid autem eò finitum eſt, quo contrahi-
5 tur, & terminatur ab alio. Quare in rebus compoſitis ex materia, & forma reperitur ratio finiti ſecundum eſſe, quia materia per formam; & viciſſim forma per materiam limitatur, licet materia ſit infinita in potentia ad alias formas. Spiritualibus autem conuenit ratio finiti ſecundum eſſe, quia componuntur ex eſſe ſaltem, & eſſentia; earumque eſſe in eſſentia receptum determinatur ab illa. Cùm autem Dei eſſentia ſit ſuum eſſe, ac proinde eius eſſe non ſit in aliquo receptum; erit infinitum. Pugnat Scotus *p. d.* 2. *quæſt.* 2. & cum hoc Macedo *coll.* 3. *diff.* 4. primò. Ratio negatiua finitatis, & infinitatis eam ſupponit, non probat. Deinde S. Th. infert, eſſe infinitum, quia non habet eſſe receptum in materia. Hinc ſequitur, Angelum infinitum, apud D. Thomam.

At D. Thom. arguit non è negatione, ſed è perfectione, quæ limites non habet. Eſſe verò, non in materia fertur in exemplum illimitationis ſubiectiuæ, & hinc ad non eſſe limitatum in alio, vel ab alio tranſit.

6 Vaſquez ſic impugnat; quia in ſpiritualibus nihil eſt reale in alio receptum; eſſentia enim, & exiſtentia ſunt idem ex natura rei; idem autem non recipitur in ſe.

Suarez verò *diſp.* 30. *ſect.* 2. *num.* 18. ait Caietanum, Capreolum, & Ferrarienſem, in eo conſtituere neruum rationis D. Thomæ, quòd in Deo non diſtinguitur eſſe ab eſſentia; at in creaturis diſtinguitur; & nihil aliud eſſe finiri, niſi in natura finita recipi; & è contra, eſſentiam eſſe finitam, quatenus eſt capax finiti eſſe; hoc autem pacto rationem eſſe eneruem.

Nazarius autem *quæſt.* 7. *art.* 1. *controu.* 2. dicit primò, vim D. Thomæ non poni in dicta diſtinctione, & receptione. Deinde reſpondet, rationem D. Thom. fundari in receptione *eſſe* in eſſentia, ſiue reali, ſiue virtuali.

Vaſquez adhuc vrget, etiam ſi forma recipiatur in materia, & eſſe in eſſentia; non ſequitur, quòd eſſe, & forma ſint limitata.

Reſpondet Nazarius, D. Thomam non arguere finitatem è ſola diſtinctione, aut receptione reali; ſed è receptione, quæcunque illa ſit, in re finita, ſequi rem receptam eſſe finitam.

Equidem in ſententia Doctoris Seraphici *in* 2. 7
diſt. 3. *p.* 1. *quæſt.* 1. etiam Angeli compoſiti ſunt ex materia, & forma. Quod probabo *tract. de Angelis diſp.* 1. *quæſt.* 2. Igitur S. Doctor *loc. cit.* arguit, etiam Angelum compoſitum ex materia, & forma, quia eſt indiuiſus; & limitatio eſt in eo. Quare infert, Deum, à quo Angelus diſtare debet, quia ſimpliciſſimus; eſſe infinitum. Quæ eſt ratio etiam D. Thomæ. Idem argumentum habet S. Bonau. 1. *diſt.* 8. *p.* 2. *quæſt.* 1. *fundamentò quarto*; at verò *quæſt.* 2 *fund.* 2. *& in corpore* deducit cum D. Thom. Dei propriam eſſe ſummam ſimplicitatem, & infinitatem, quia creaturæ compoſitæ ſunt ex materia, & forma: ex eſſe, & eſſentia in aliquo genere, & ideò ſunt finitæ. Igitur non arguit infinitatem Dei è ſola diſtinctione materiæ, & formæ; vel *eſſe* ab eſſentia, & receptione *eſſe* in eſſentia; vel formæ in materia, vt putant aduerſarij; ſed ex eo, quod recipiens omne à parte rei diſtinctum, & in aliquo genere limitatum, poteſt recipere ſolùm ens finitum. Sic quia materia eſt finita, poteſt recipere formam finitam, Et eſſentia finita eſt capax eſſe finiti, quæ differunt à parte rei formaliter; ſicut materia, & forma realiter. Hæc tamen ſolùm probabilia eſſe, ait Suarez, nec adeò certa, vt poſſit hinc probari Diuina infinitas.

Alij colligunt infinitatem Dei ex eo, quod non 8
collocatur ſub genere, & ſic non poteſt definitione comprehendi. Ita D. Thom. 1. *cont. Gent. cap.* 43. Ferrar. ibi Capreolus 1. *d.* 43. *quæſt.* 1. *art.* 1. Ægidius *art.* 1. *quæſt.* 1. Idem colligit Seraphicus *diſt.* 8. *p.* 2. *quæſt* 2. *in corpore, & quæſt.* 4. *fund.* 1. *& corpore*, arguit, Deum non eſſe in genere, quia omnia, quæ ſunt in genere habent eſſe determinatum, & contractum. At Deus eſt Infinitus.

Scotus *diſt.* 8. *quæſt.* 3. vt notat Marginiſta Seraphiel, Suarez, & Vaſquez; hanc rationem impugnant, quia nihil obſtat infinitatem Dei collocari ſub genere. Verùm falluntur, vt oſtendi *diſpu.* 3. *quæſt.* 3.

Igitur Suarez ſic diſcurrit. Conſiderat primò, in- 9
finitum dicere negationem limitationis creatæ. Creatura enim finita eſt, quia non repugnat nouum gradum perfectionis illi addi in infinitum. Itaque Deus erit infinitus, quia in ratione entis, talis eſt bonitatis, & perfectionis, vt non poſſit ei vnquam excellentior entitas addi, aut aliquid ei æquari. Et hoc dicunt ſancti, Deum eſſe tale ens, quo maius nihil poteſt eſſe, vel cogitari. Hanc perfectionem à priori ita probari, ait Suarez, quia non poſſit Deus habere æqualem diſtinctum naturâ. Attamen Nazarius *concluſ.* 2. melius dicit, non probari hoc medio à

priori, quia prius eſt eſſe abſolutum in ſe perfectum infinitè, quàm reſpectiuum, ſeu comparatiuum cum cæteris.

10 Igitur infinitas Dei eſt conſummata perfectio Dei, ex qua ſequitur negatio, quæ poteſt aliunde probari, vel quia Deus non eſt ab alio: vel vel qnia habet virtutem producendi omne producibile. Vnde à poſteriori probatur infinitas eſſentiæ, ab infinitate potentiæ.

11 Hoc argumentum, tanquam cæteris recitatis ſolidiùs, aſſumpſit ex D. Bonau. hic, *fund.* & *in corpore*, vbi in hoc ponit perfectionem infinitam diuinæ eſſentiæ, quia non habet limites ſuæ perfectionis, cùm ſit puriſſimus actus, habens quicquid eſt entis actu. Itaque non poteſt vnquam à creatura aliqua æquari, vel à qnolibet numero earum; quia in his ſemper eſt potentia ad vlteriorem perfectionem. Propterea dixit Damaſcenus *lib.1. de fide cap.*12. Deum eſſe pelagus ſubſtantiæ infinitum. Hanc autem infinitatem eſſentiæ etiam probat Seraphicus à poſteriori ex immenſitate, vt infra. Et hoc ſignificat in fine corporis, dicens, Deum non habere terminum, nec eſſe natum habere, & hoc modo infinitum poni in Deo propter ſummam immenſitatem. Forſan, nomine immenſitatis, intelligit ipſam infinitatem, ſeu magnitudinem eſſentiæ; & hoc pacto faciliùs intelligitur argumentum Seraphici, ex perfectione entis actualiſſimi, à priori.

12 Alia via conatur Vaſquez, Dei infinitatem aucupari dicens. Vnamqnamque rem limitari, & finiri in quantùm eſt à ſua cauſa, extra cuius efficaciam non egreditur, vnde quæcunque res ab alia procedit, finita eſt, habens naturam participatam, ac proinde finitam. Itaque omnis creatura finita eſt, quia à Deo ita pendet in eſſe; vt neque ad inſtans, ſine illius influxu eſſe poſſit.

Contra verò, Deus cùm à nullo habeat eſſe, aut conſeruetur, ſed ex ſeipſo ſit, nullo fine, ſeu termino limitari poteſt. Propterea igitur ratio infinitatis Dei poſita eſt, vt à nulla cauſa habeat eſſe. Hinc habet, infinitatem eſſentiæ non poſſe alicui communicari; eſto poſſet commmunicari infinitas durationis. Hinc etiam aliqui dixerunt, Deum eſſe infinitum, eo quòd à nullo pendeat, aut moueatur; ſed omnia ab eo. Quo ſenſu Gregorius Nazianzenus *orat.*38. Deum appellauit *pelagus quoddam eſſentia immenſum, & interminatum.* Hæc ad litteram eruit è Doctore Seraphico, qui inde colligit infinitatem Dei, quia eſt actus puriſſimus, à nullo habens eſſe; neque habet potentiam, vt aliqnid aliunde accipiat. Vnde dicitur à Damaſceno *loc. cit.* ſupra. *Pelagus eſſentia infinitum.* Idem argumentum habet *in* 1. *diſt.* 8. *p.* 2. *quæſt.* 2. *fund.*3. & Itinerario mentis in Deum *cap.* 5. circa finem, vbi rurſus immenſum accipit pro infinito ſimpliciter, ſecundum eſſentiam.

Contra hanc rationem inſtat Arriaga *diſp.*2. *ſect.*7. Angelus, v. g. non limitatur ex voluntate dantis, non enim eſt in voluntate Dei naturam angelicam facere quoquomodo; nec ex parte recipientis, quia Angelus propriè non recipit eſſentiam. Dices, limitari obiectiuè capacitate. Contra; hoc enim eſt limitari à ſeipſo; at Deus pariter limitatur ex natura ſua, ſeu capacitate obiectiua.

13 Hæc tamen friuola ſunt, Angelus enim habet obiectiuè limitationem à Deo: quia eſto non poſſit condere Angelum ad libitum ſub quanis natura, puta lapidis; attamen condens Angelum arctatur ad naturam limitatam hanc Angeli. Sic condens hominem, ad hanc hominis; ipſe autem cùm à nullo habeat eſſe, ſed ſeipſo independens, non eſt, vnde cum limitemus; cùm alioqui eſſe Diuinum, debeat eſſe perfectionum Oceanus, vt ſit Diuinum; & cùm ſit à ſe, ſimpliciter eſt neceſſarium, continens omnia alia à ſe; vt ipſe Arriaga teſtatur in calce. Hinc enim venatur diuinam infinitatem.

Probatvr ergò à D. Bonau. Diuina infinitas, rationibus ſolidiſſimis, locis adductis. Et *lib.1. compend. Theol. verit. cap.*15. quibus vtuntur Scotus cum aſſeclis, & Recentiores. Eas autem refricat *quæſt. ſequenti*, vt oſtendat, nulli creaturæ id poſſe conuenire.

Primo probatur. Cuius potentia eſt infinita, 14
etiam eſſentia eſt infinita. Dei potentia eſt infinita. Ergo. Maior probatur, quia virtus oritur ab eſſentia, ſicut operari ſequitur ad eſſe, & ad virtutem, ſeu potentiam actiuam. Minor probatur è creatione. Ita & Caſpenſ. *d.6. ſect.*1.

Secvndo. Cuius eſt idem eſſentia, & potentia, eſt eadem vtriuſque menſura. Sed eſſentia, & potentia Dei ſunt idem formaliter, ex dictis *diſp.*3.*q.*8. Ergo. ſed illa eſt infinita. Ergo.

Tertio. Quandocunque aliqua ita ſe habent, vt 15
ad nihil ſe extendat vnum, quin extendatur & alterum; ſi vnum eſt infinitum; erit infinitum & alterum. Sed ad nihil omninò ſe extendit potentia, ad quod non ſe extendat & eſſentia; nunquam enim poteſt Deus facere tot, quin etiam ſubſtantia poſſit eſſe in eis; vt dicitur 2. *Paral.* 2. *Si cæli cælorum, &c.*

Qvarto. Omne finitum, addito finito poteſt fieri 16
perfectius. Sed Deus additis creaturis non poteſt fieri perfectior, vt dixi *diſp.*3. *quæſt.*2. Ergo. Sic & Caſpenſis ſupra.

Qvinto. Omne finitum poteſt alio multiplicato 17
proportionari, & æquari; at Deus eſt improportionabilis à creatura, vt ait S. Auguſt. *lib.*8. *de Trin. cap.*2. Ergò.

Probatvr ſextò à D. Bonau. ſupra. Id quod 18
à nullo eſt; ſed omnia ab ipſo, & pelagus ſubſtantiæ, eſt infinitum. Talis eſt Deus. Ergo. Hoc argumento vtuntur etiam Vaſquez, & Valentia, Morandus infra citandus *num.*99. Probatur Maior, quia à quonam limitabitur?

Hanc rationem euertere conatur Nazarius *loc. cit. concl.*1. quia prius eſt qnidditatiua perfectio cuiuſcunque, quàm quæcunque cauſalitas, vel negatio cauſalitatis. Ergò prius natura Diuina eſt infinita, quàm in ea conſideretur negatio dependentiæ ab alia cauſa. Antecedens probatur, qnia quidditas rei perfecta præcedit omnia extrinſeca; prius enim eſt hominem eſſe animal rationale, quam eſſe cauſatum.

Hæc tamen nullius ſunt ponderis, nam ſicut eſſe intrinſecum eſt effectus cauſæ, maximè verò primæ: ita eſt illâ poſterius.

Probatvr ſeptimò à D. Bonauentura ſupra, & 19
Suarez. Id, quod eſt ens optimum per ſe puriſſimus actus non habens potentiam ad vlterius eſſe, eſt infinitum. Talis eſt Deus. Ergo. Sic arguit & Ribas *tr.*2.*d.*1.*cap.*3. Raynaud. *d.*7.*quæſt.*3. *art.*2.

Probatur octauo à D. Bonau. Ens optimum, & 20
actu perfectiſſimo, cui nihil poteſt addi, eſt infinitum. Talis eſt Deus. Ergo. Hac ratione vtitur Granado *p.*1.*tract.*3. *diſp.*2. Morandus *tract.*1. *quæſt.*8. & alij moderni. Eam verò impugnat Arriaga *diſp.*2. *ſect.*7. Primò qnia datur peccatum maximum ex malitia; neque tamen infinitum formaliter. Secundò demus per locum intrinſecum manere hominem, Deo, & cæteris entibus perfectioribus repugnantibus; non propterea homo eſſet maioris perfectionis, quàm nunc ſit. At nunc non eſt infinitæ perfectionis. Ergo.

Reſponde

Reſpondetur ad primum. Dato etiam, quòd peccatum non poſſet augeri intenſiuè (quod non concedo, data maiori cognitione, malitia, ingratitudine, &c. io maiori creatura;) attamen poteſt addi aliud, & aliud peccatum addens nouam malitiam; at repugnat dari aliquid addens Deo, quouis modo, perfectionem.

Secundum verò ſoluitur ſic. Repugnantibus etiam cæteris entibus, adhuc tamen illud eſſet capax vinci, & additionis, tum intrinſecè; tum extrinſecè. neque id omninò poteſt vſquequaque tolli.

21 Obiicies primò contra aſſertionem. Finitum, & infinitum ſunt paſſiones quantitatis; at quantitas non eſt in Deo. Ergo.

Reſpondet D. Bonau. eſſe paſſionem ne dum quantitatis molis; ſed etiam virtutis. Sic autem diuidit quantitatem D. Auguſt. *lib. de quantitate animæ cap.3.*

Obiicies ſecundò. Si eſſentia Diuina infinita eſſet; ſequeretur, eam eſſe omnia, & ita nullum ens præter eam reperiri. Sicuti ſi daretur corpus infinitum, excluderet alia corpora.

22 Reſpondet Doctor Seraphicus. Eſſentiam Diuinam, tametſi non ſit omnia formaliter, eſſe tamen omnia eminenter, & cauſaliter, quia eſt cauſa omnium; & hæc ſufficiunt ad entitatiuam infinitatem.

Nec eſt ſimile de corpore infinito, quod naturaliter excludit cætera, ratione loci; attamen non repugnaret per Dei potentiam multa corpora ſe penetrare (dato, & non conceſſo corpore infinito.)

Obiicies tertiò. Quod eſt finitum reſpectu ſummæ veritatis, eſt ſimpliciter finitum. Talis eſt Deus, qui à ſuo intellectu comprehenditur. Ergo.

23 Reſpondet S. Doctor, Deum ſe comprehendere, ideſt totum totaliter cognoſcere, non tamen, vt finitum, ſed agnoſcere infinitum, ita, vt nihil ſit Dei, quod non cognoſcatur à Diuino intellectu, quia infinito. Quare ſicuti ſi duæ lineæ eſſent infinitæ altera alteram totam comprehenderet; & tamen non euaderet altera finita: ita & hic.

Obiicies quartò. Nullum infinitum finit aliud, quia nihil dat alij, quod non habet. Sed Deus finit omnia, quippè omnium rerum finis. Ergo.

Reſpondet D. Bonauent. duplex eſſe infinitum. Alterum carens fine, dicente perfectionem; vt materia carens forma. Et tale infinitum non eſt finis aliorum: alterum eſt infinitum, carens termino perfectionis ſuæ: ſed perfectiſſimum ſine fine, & termino, & tale eſt ſummum bonum, & hoc eſt finis omnium.

24 Obiicies quintò. Nullum infinitum comprehenditur à finito. Deus comprehenditur à Beatis. Ergo. Minor probatur. Si enim Deum perfectè non cognoſcerent, non eſſent ſaturi, atque beati.

Reſpondet Seraphicus Doctor, Deum non comprehendi, ideſt, concludi intellectu beatorum, ſed eo ſenſu comprehendi, ideſt teneri, & poſſideri; ſicut ait Apoſtolus: *Sic currite, vt comprehendatis*; non tamen totaliter comprehenditur; ſed quantùm capiunt, vt ſint ſaturi, ſunt autem finiti.

Obiicies ſexto. Poſitio eſt nobilior priuatione. Sed infinitas dicit priuationem, & finitas poſitionem. Ergo præſtantior, & Deo attribuenda.

25 Reſpondetur, infinitatem Dei dicere primò ſummam perfectionem, ex qua reſultat negatio termini, & dicitur infinitum, non priuatiuè, ſed negatiuè fundatum in poſitione.

Obiicies ſeptimò. Infinitum bonum excludit omne malum; at Deus non deſtruit omne malum, maximè culpæ. Ergo.

Reſpondetur ex D. Bonau. *diſt.46. quæſt.2.* Perfectionem Diuinæ voluntatis debere excludere à ſe malum, quia bono infinito repugnat; at verò permittere poſſe in aliis peccatum, quod non eſt contra intenſionem ſuæ perfectionis, & ipſe agit liberè, & malum ordinat ad bonum.

Obiicies octauo. Si Deus eſt infinitus. Ergo creaturæ ſunt æquales inter ſe, nam æqualiter diſtant à Deo, ideſt infinitè.

Reſpondetur ex Seraphici fundamento, perfectiones creaturæ, menſurari gradibus perfectionis ſibi à Deo communicatis, ſicut, ſi ſit linea infinita, & aliæ apponantur finitæ; menſurantur non infinitate lineæ parallelæ; ſed gradibus, puta palmis participatis, in quibus ſunt inæquales. 26

QVÆSTIO II.

Vtrum poſſit à Deo produci ad extrà Infinitum.

{ D. Bonauent. d.43. quæſt.3.
D. Thom. q 7. art.2.3 & 4.

LVer clarius ex dictis eluet, non poſſe extra Deum eſſe aliquid infinitum per eſſentiam, quia omne ens creabile eſt in potentia ad vlteriorem perfectionem, vt oſtendam *diſp.24. quæſt.6.* & inſuper 27
à Deo pendet; veluti à cauſa. Et ideò non eſt ſuum eſſe; at infinitum per eſſentiam, non poteſt eſſe ex aliquo principio, vt habet Ariſtoteles 3. *Phyſ. textu 30.* Id tamen S. Bonauentura probat. Solùm ergo eſt quæſtio de infinitate, maximè in ſubſtantia prædicamentali, vel qualitate, aut quantitate continua, vel diſcreta.

Prima opinio aſſerit, poſſe dari huiuſmodi infinitum. Ita Gregorius *in 1. diſt 43. quæſt.4* Baſſolis *quæſt. vn. art.2.* & alij, quos referunt, & ſequuntur Vaſq. *diſp.26.* Hurtad. *diſp.13. Phyſ. ſect.3.* De infinito in ſubſtantia aſſerit præcipuè Auerſa *quæſt.13. ſect.8.* De quantitate diſcreta, Hurtad. *ſup.q.4.* Faſol. *p.1. quæſt.7. art.4.* Nolanus *quæſt.10.* Vulp. *t.2. d.42. art.10.* Poſanienſ. *in 2.d.2.* adducens Scotum.

Opposita ſententia eſt D. Bonau. & D. Th. hic; quos ſequuntur Caiet. Bañes, Nazar. & alij Thomiſtæ ibi, Durand. 1 *diſt 43. quæſt.2.* Marſil. *quæſt.42.* Richard. *quæſt. 5. & 6.* & omnes ferè Peripatetici cum Ariſtotele 3. *Phyſ.* quos ſequuntur Valentia *diſp.1. quæſt.7. punct.3.* Trigoſ. *quæſt.5. art.3. dub.2.* Faber *in 3. diſp.29. cap.2.* & *diſp.36.* Maſtrius, & Bellutus *diſp.10. Phyſ. quæſt.3.* Liuius Rabeſanus 3. *Phyſ. diſp.3.* cum Scoto *in 2. diſt.2. quæſt.3.* & *in 3. diſt.13. quæſt.2.* vbi ait, oppoſitam ſententiam Philoſophorum, & Patrum ſenſui reclamare. Coriolanus, *quæſt.7. art.2.* Tannet. *diſp.2. quæſt.4. dub.2.* alios adducens. Murcia *diſp.2. quæſt.3.* Ruuius *tract.2. quæſt.3.* Toler. *quæſt.7.* Collegium *cap.8.* aliique plurimi apud Amicum *tract.18. quæſt.6.* vbi tamen titubat. Eſt autem adeò certa, vt Guillelmus Pariſienſis, inſignis Theologus *tract. de fide, cap.2.* dicat, oppoſitam ſententiam deſtruere fundamentum Religionis. Sic & Fulienſis *l.1. cap.5.* Complutenſ. *d. 18.* Auerſa *quæſt.24. ſect.5.* apud Poncium.

Adverta in limine; Vaſquez *num.7.* vnam tantum D. Bonauenturæ afferre rationem, quam quidem adductam ad probandum ſolùm, non poſſe dari infinitum corpus, inſimulat, eamque labilem proclamat; cùm tamen Seraphicus Doctor ne ver-

bum quidem muſſitet de hoc, eam enim cum multis alus affert ad probandum, non poſſe dari extra Deum infinitum ſimpliciter, vt patet legenti; eaque continet illud medium, quo probauit quæſtione præ-
28 cedenti, Deum eſſe ſimpliciter infinitum. Eſt autem hæc, quam habet in corpore. Omne actu infinitum eſt actus purus, & ſuum eſſe per eſſentiam, & ab alio omni independens: at omnis creatura eſt in potentia, & ex nihilo. Ergo. Hoc intendiſſe Seraphicum patet ex aliis rationibus. Alias etiam ad hoc idem probandum adducit. Prima eſt. Infinito ſimpliciter nihil eſt maius. Si ergò Deus produceret effectum ſimpliciter infinitum. Ergo Deus non eſſet illo maior.

29 Secunda eſt. Omne infinitum ſimpliciter eſt ſummè ſimplex, nam ſi eſt aliqua compoſitio, ibi erit coarctatio, & limitatio. Si ergo Deus produceret creaturam infinitam, illa eſſet ſimpliciſſima. Sed in ſimpliciſſimo idem eſt eſſentia, potentia, & bonitas. Ergo tale eſſet ſummum bonum: Ergo propter ſe: Ergo à ſe, non propter Deum, vel à Deo. Probatur *conſeq. vltima*, quia idem eſt primum principium, & finis vltimus. Hoc autem eſt abſonum, quia Deus omnia propter ſemetipſum operatus eſt, nec aliò poſſunt ordinari.

Probatur tertiò à D. Bonau. Si poteſt producere effectum actu infinitum, poterit & alium, ſecundùm aduerſarios; & hi in aliquo conuenient: in aliquo different. Ergo erunt ſub genere, & contracti, & finiti, vt oſtenſum eſt *diſput*. 3. *quæſt*. 3. Sic & Complutenſes *d*. 18. *quæſt*. 2. Poncius *d*. 14. *Phyſic. quæſt*. 2. reſpondet, illam creaturam, eſto generi alligatam, ſi detur infinita, fore ſicut Deus. At contra, quia ſub genere, & differentia excluderet perfectiones aliarum ſpecierum; & ita limitaretur. Probat ipſe. Si daretur talis creatura eſſet vna è diuinis perfectionibus, quarum ſingulæ tranſcendere debent ens creatum. At cautior S. D. cuius eſt ratio hæc, probat tale ens, fore non receptum, vel dependens, quia actus infinitus nulli eſt in potentia. Tandem certum eſt, diuinam eſſentiam eſſe incommunicabilem, quòd fuſiùs oſtendam *diſp*. 10. *quæſt*. 2.

Aſſero ſecundò, non poſſe dari ſubſtantiam tranſcendentem infinitam.

Probatur à D. Bonau. *fund*. quia infinitas hæc claudit aliqua prædicata creaturæ repugnantia; vt eſſe purum actum, purè ſimplicem, neceſſarium per eſſentiam. Ita Vulp. *d*. 13. *art. vlt*. Faber *p.d*. 22. *&* *in* 3. *d*. 29. Fuent. 3. *Phyſ. quæſt*. 3. *art*. 5. Sanè haberet perfectionem ſine termino per ſe, & à ſe, quæ eſt ſubſtantiæ perfectio. Valeat Maſtrius *d*. 10. *quæſt*. 2. *art*. 1. ſed mox aliis verbis reuerſus, benè venerit.

Assero tertiò nec poſſe dari in prædicamento ſubſtantiam infinitam.

30 Probatvr à D. Bonau. fundamento ſecundo, & in corpore. Id, quod eſt in prædicamento, eſt in aliquo genere arctatum differentia, atque adeò limitatum.

Probatur ſecundò locis adductis. Quæ implicant contradictionem, nequeunt à Deo fieri. Sed ens in prædicamento infinitum implicat. Ergo. Minor probatur. Implicat idem eſſe infinitum, atque adeò ſine fine, & habere finem. Sed tale infinitum haberet finem. Ergo. Maior eſt euidens, nam habere finem; & non habere, ſunt contradictoria. Minor probatur. Id, quod ordinatur ad aliud, vt ad finem in genere habet bonitatem finitam, ſed omne genus prædicamenti habet entitatem, & bonitatem ordinatam ad Deum ergo. Hoc argumento vtitur Amicus *tract*. 18. *quæſt*. 6. *dub*. 4. *art*. 5. *num*. 91.

Ex quo habes, quàm falsò *quæſtion*. 5. *dub*. 1. *num*. 24. dicat, hanc rationem S. Bonauenturæ eſſe infirmam quam laudant Scot. 1. *d*. 8. *quæſt*. 3. & Thomiſtæ.

Poſſet aliquis dicere, Amicum ſic eam aſſerere validam. Id, quod eſt infinitum, caret fine intra, & extra. Sed quod ait *intra* petit principium: idem enim eſt, ac dicere, hoc eſt infinitæ entitatis, quia eius entitas eſt infinita. Igitur ſi validè arguit, ſumere debet finem extrinſecum, pro ordinari ad aliud, cum Seraphico Bonauentura.

Probatvr tertiò *fundamento* 3. Detur ſubſtantia, vel aliud ens prædicamentale. Vel poteſt Deus producere aliud ſimile infinitum, vel non. Si ſecundum, iam Dei potentia exhauſta eſt, quod infra latiùs oſtendam. Si primum. Ergò cum altero conueniet in genere ſuperiori arctante. Et aliqua differentia ſtringentur, & finientur. Eodem ferè medio vtitur Amicus *num*. 31.

Assero quartò, non poſſe dari infinitum in quantitate diſcreta.

Prob. ſi Deus crearet infinita ex omnibus ſpeciebus. Vel poſſet alia creare, vel non. Si primum: Ergo non ſunt infinita in omnibus ſpeciebus, quia vbi eſt potentia, non ſunt omnia actu, vt Auerroes 3. *Phyſ*. 69. ait. Si ſecundum. Ergo exhauſta eſt diuina potentia.

Hoc argumentum magni pendi à viris doctis, etiam noſtræ ætatis ait Vaſquez, quod S. Doctor à ſuo Magiſtro Alexandro *p*. 1. *quæſtion*. 21. *m*. 2. hauſit.

Reſpondet tamen, non eſſe abſonum quod infer- 31
tur. Sicut enim producta vna re à Deo, non poteſt adhuc produci eadem numero ſtans; non ex defectu potentiæ Dei, ſed ex implicantia in re; quia, quod producitur, debet tranſire de non eſſe ad eſſe; at res producta durans adhuc eſt; Deus autem non poteſt facere ea, quæ implicant contradictionem, quia faceret; & non faceret; ita creatis infinitis ex omnibus ſpeciebus, non ſequitur, exhauſtam Dei potentiam; quia non poſſe alia produci, oritur ex implicantia rerum adhuc exiſtentium. Hæc reſponſio eſt Seraphici Doctoris *diſt*. 34. *quæſt. vlt*. quia facere id, quod iam eſt, non eſt facere. Addit, non exhauriri potentiam, quia adhuc illa infinita egerent conſeruatione, quæ eſt continuata creatio. Addit *cap*. 3. poſſe alia infinita produci, v. g. hominibus infinitis albis addi infinitas mulieres albedine affectas, & pluribus crinibus ornatas.

Hinc primò ad hominem. Ideò arguit Vaſquez 32
diſp. 106. *cap*. 4. *num*. 9. infinitas ſpecies poſſe fieri à Deo, quia cùm creatura ſit imitatio diuinæ perfectionis, & participatio; nullæ autem, etiam infinitæ creaturæ valeant perfectiſſimo modo Deum adæquare; infert, poſſe dari aliam, & aliam, quæ perfectiori ſemper modo Deum imitetur; at nullus numerus, etiam infinitus, creaturarum poteſt perfectiſſimo modo Deum imitari. Ergo dato numero infinito creaturarum omnium poteſt alias, & alias Deus condere, & ſic infinitis addere, quod concedit in albis crinibus, &c. apud Amicum.

An locum D. Bonauenturæ reſpondetur ex Vaſ- 33
quez *diſp*. 105. *num*. 4. Seraphicum, ſolùm velle, Deum non poſſe idem; quod iam productum eſt, atque durat, producere ſimpliciter, deducendo de non eſſe, ad eſſe; atque adeò, non poſſe nunc omnia, quæ potuit; at non dicit, Deum productis infinitis creaturarum ſpeciebus, nil ampliùs poſſe producere, neque poſſe eas producere. Sed repugnantiam ponit in eo, quod antecedenter debet

Deus

Deus poſſe aliquid producere, vt patet ad argumentum quintum, & vltimum. Hoc autem colligo ex Scriptura Pſalm. 144. *Magnus Dominus, & laudabilis nimis, & magnitudinis eius non eſt finis.* Subdit verò, in quo non ſit dare finem Diuinæ magnitudinis: *Generatio, & generatio laudabit opera tua, & potentiam tuam pronunciabunt.* Quo declaratur magnitudo illa, ſine fine; etiam potentiæ conuenire, vt notat Suarez *lib. 3. de Attributis Dei poſitiuis cap. 9. num. 3.* Vide Eccleſiaſtici 18. dicitur: *Quis inueſtigabit magnalia eius? virtutem autem magnitudinis eius quis enunciabit? Non eſt minuere, neque adiicere, neque eſt inuenire magnalia Dei.*

34 Deinde ſic arguit Vaſquez. Per vos producitur Sanctiſſimum corpus Chriſti, quotidie in Euchariſtia. At corpus Chriſti iam præexiſtit. Ergo ſecundùm vos, non ſequitur, dato quolibet infinito, exhauriri potentiam Dei ad idem producendum; quòd verò vno producto permanente, maneat potentia ad idem rurſus producendum, vos cum D. Bonauentura confeſſi eſtis abſurdum eſſe.

Reſpondetur, nos arguere contra Vaſquez ex eius fundamento; nam dicit, corpus Chriſti ſolùm adduci, non produci, quod plurimi alij ſentiunt, negantes, poſſe idem numero productum permanens reproduci.

Arguo tandem. Adde cuique multitudini, adhuc manet potentia ad addendum. Ergo eſt finita.

35 PROBATVR ſecundò à D. Bonauentura. Omnis multitudo habet ordinem plurium in vnitate, adeò vt ab ea ſit incipiendum, vt progrediamur in numeros, & eorum debet dari diſtinctio. Ideò Ariſtoteles 2. *Phyſ. t. 68. & vndecimo Metaph. ſum. 4. cap. 2.* ait: *Omnis numerus eſt multitudo menſurata per vnum.* In numero infinito non eſſet principium ab vnitate, neque ordo conſequenter dualitatis, trinitatis, quaternitatis, &c. neque numerorum diſtinctio: Ergò. Eodem argumento vtitur Richardus *quæſt. 6.* Probatur minor, quia erunt infinitæ vnitates, & infiniti binarij, ac ternarij, &c. qui numerum infinitum vnitatum confundent, & debebit eſſe maior numerus vnitatum. Hoc argumentum laudat Tannerus *loc. citat.* Vrget Liuius. Erit perfectio infinita in infinitum. Hæc erit menſurata vno; infinitumque in perfectione. Ergo eſt Deus è Scoto 2. *Metaph. quæſt. 6.* & *in 2. d. 1. quæſt. 3.*

Reſpondet Vaſquez *num. 12.* aſſumi, quod nec probatur, nec poteſt probari. Verum id iam probatum fuit; nam omnis multitudo incipit ab vnitate determinata, quæ repugnat infinitæ multitudini, quæ ad finitum reduci non poteſt. Ideò neceſſe fuit, Deum facere omnia in numero, pondere, & menſura; nec aliter facere potuit, aut poteſt. Hæc Seraphicus Doctor in reſolutione. Ex quo habes, Seraphicum non probare ſolùm, id non decere, ſecundùm ordinem Diuinæ ſapientiæ, vt putat Trigoſius *concl. 1.* ſed abſolutè non poſſe. Confirmatur quia Sapientia nequit inordinata facere.

ARABES concedunt, in rebus per ſe ordinatis, non poſſe dari infinitam multitudinem; at in multitudine non ordinata, poſſe dari, vt cumulum granorum, arenarum &c. Idem reſpondet etiam Vaſquez, vt aduertit Nazarius, initio.

AT ſumo aggregatum. Vel numeri ab aliis diſtant finitè, & tunc omnes ſunt finiti; vel infinitè, & ſic infiniti infinities, vt dicit Scotus. Iam verò noo poſſunt euitare argumentum, quod vrget; in omni numero debere dari vnitatem, & ordinem, ac ſeriem numerorum; nam perfectiſſimus intellectus, ſaltem Dei, illum numerum ordinatè cognoſcet ab vnitate, & conſequenter, vt vrget Vaſquez *num. 15.*

Probatur tertiò à D. Bonau. *in 2. diſt. 1. p. 1. quæſt. 2.* Ponamus numerum infinitum animarum, & corporum humanorum ſeorſim. Iam dabitur vnum infinitum, maius alio, quia ſingula corpora habent duos oculos: duas nares: dentes trigintaduos: digitos viginti: nodos dorſales trigintaquatuor: oſſa tercenta, & ſex. Similiter anima habet plures potentias diſtinctas. Idem abſurdum ſequitur ex pluribus infinitis ſucceſſiuis, vt circulationum Solis, & Lunæ. Idem erit ponendo plura infinita Hominum, Leonum, &c. Tunc enim erunt plures ſimul, quàm ſinguli infiniti. Et ſic pars adæquabitur toti, contra Euclidem *lib. 1. Elementorum*; nam multitudo hominum eſt pars multitudinis oculorum, &c. 36

Reſpondet, maius, & minus non poſſe eſſe, niſi in quantitate finita, cuius ſunt paſſiones. Omitto replicam Poncij *num. 55.* eluendam.

Verùm Seraphicus Doctor probauit euidenter oppoſitum; nam corpora humana ſunt infinita ex hypotheſi; ſimiliter, & circuli ſignati à ſole, & Luna. Iam verò quis non videt abſurdum patens? nam vna circulatione Solis per Zodiacum, fiunt duodecim circulationes Lunæ. Similiter in permanentibus. Valeat itàque Vulpes dicens, eſſe plures materialiter. Ita Poncius fatetur inſolubile *num. 14.*

Contra ſecundò, quia finitum, & infinitum ſunt paſſiones quantitatis, vt docet D. Bonauentura *diſtinct. 43. quæſt. 2.* ad primum cum Ariſtotele 1. *Phyſ. textu 15.* Æqualitas autem, & inæqualitas ſunt paſſiones primæ quantitatis. Vrgent, fore, vt infinitæ arenæ occupent ſpatium, infinitis montibus æquale.

Probatur quartò à Seraphico Doctore in corpore. Omnis multitudo debet eſſe ſecundùm ſpecies numeri, ideſt, ſecundùm proportionem ſpecierum numerorum: at infinita multitudo non eſſet talis. Ergo. Hæc eſt ratio etiam D. Thomæ, quam vide defenſam in Caietano, & Nazario, contra Vaſquez. 37

Probatur quintò à D. Bonau. & D. Thom. Omne creatum, ſub finitam certam ſapientiæ Diuinæ intentionem, debet cadere; at infinitum non erit tale. Ergo. Vide Caietanum, & Nazarium.

ASSERO quartò, non poſſe dari infinitum quantitatis continuæ.

PROBATVR à Seraphico *quæſt. 2. fundamento 4.* & hic in fine, *fundamento primo.* Si daretur infinitum ſecundùm magnitudinem, eſſet immenſum, atque adeò, neque Deus eſſet illo immenſior. Sed hoc eſt Dei attributum: Ergò. Maior probatur, quia ita eſſet vbique, vt ſi alij mundi forent, adhuc eſſet ibi. Minor probatur Ioſuë 2. *Deus in cælo ſurſum, & in terra deorſum.* Hierem. 23. *Cælum, & terram ego impleo.* Iſaiæ 66. *Cælum Sedes mea eſt, & terra ſcabellum pedum meorum.* Tertio Regum 8. *Si cælum, & cæli cælorum te capere non poſſunt.* Iob 11. *Excelſior cælo, profundior inferno, & longior terra.* Eccleſia alloquitur Sanctiſſimam Virginem. *Quem cæli capere non poterant, tuo gremio contuliſti*, vt arguit Seraphicus Doctor in fine quæſtionis nam. Solùm Deus tale infinitum excederet, quia eſſet vbique totus. Hoc argumentum diſcutiam *diſput. 7. quæſt. 5.* cum D. Bonauentura. 38

Vrget

Vrgeo. Si daretur corpus infinitum, deberet eſſe in loco, ſeu ſpatio maiori ſe. Ergo vnum infinitum, maius alio.

39 Probatvr ſecundò ex D. Bonauent. in corpore, quia ſi daretur tale infinitum, haberet virtutem infinitam; nam quantitati deberet correſpondere forma. Itaque ſi corpus tantùm eſt tantæ virtutis; & maius eſt maioris virtutis. Ergo & infinitum, infinitæ virtutis. Quapropter producere valebit effectum infinitum, vt ſi eſſet calidum, calorem infinitum produceret.

Dices, non ſequi hoc; nam & vos conceditis, Deum habere infinitam virtutem; nec tamen poſſe producere effectum infinitum.

Reſpondetur, nos arguere ex fundamentis aduerſariorum, qui ex virtute Dei deducunt effectum infinitum poſſibilem. Deinde, id eſſet agens neceſſarium tota virtute.

40 Probatvr tertiò, argumento Seraphici Doctoris in corpore, quo abutitur Vaſquez *num.* 7. eo autem vtitur Valentia *diſp.* 5. *quæſt.* 7. *p.* 3. Quidquid eſt actu, ſiue continuum, ſiue diſcretum; hoc ipſo, quòd actu eſt, debet habere partem vltimam in menſura actualem, ex Ariſtotele 3. *Phyſ. text.* 64. Ratio eſt, quia non habet aliquid actu extra ſe. Sed infinitum non poteſt habere vltimum actuale. Ergo: Maior probatur; nam in omni magnitudine, & multitudine, præter vnam partem, & reliquas omnes collectiuè ſumptas, non eſt extra alia pars actualis eiuſdem magnitudinis, ſiue multitudinis; alioqui haberet actu vltra id quod eſt; quod implicat.

41 Probatvr quartò, argumento S. Bonauenturæ *quæſt.* 2. *huius diſt.* 43. *fundamento ſexto.* Quandocunque aliquid continuum augetur, & multiplicatur ex partibus finitis, illud eſt finitum. Sed corpus quodcumque neceſſariò debet augeri partibus finitis: Ergo. Maior probatur; nam infinitum non poteſt ex finitis additis conſtitui continuum. Minor probatur: quia ex linea infinita poſſent ſemper auferri mille cubiti. Et tunc vel remanet linea adhuc infinita; vel non. Si primum: Ergo mille cubiti nil faciunt lineæ obtruncatæ, quod eſt abſonum; nam, ſi interſecetur manebunt duæ partes lineæ illius infinitæ, terminatæ vbi truncata eſt pars illa. Si vero illa linea obtruncata manet finita; vt ſanè debet manere in ea parte, qua truncata eſt: Ergo linea finita mille cubitorum conſtituebat infinitum, quod eſt abſonum; quia nil poteſt ſupra id, quod eſt, formaliter conſtituere, neque ſuper id quod conſequenter proportionaliter poteſt, conſtituere efficienter.

42 Probatvr quintò à S. Bonauentura. Omne corpus naturale debet eſſe creatum in pondere, ita vt habeat potentiam ad motum, & in menſura habeat trinam dimenſionem; at corpus infinitum non haberet potentiam ad motum. Ergo. Hæc ratio eſt etiam Diuus Thom. *artic.* 3. quam vide defenſam in Caietano, & Naxario, contra Vaſquez. Stat autem in hoc, quòd illud corpus motu recto non poteſt moueri ex intrinſeco; neque per accidens; ſed neque circulariter; nam lineæ à centro ad circumferentiam irent in infinitum, & deberet tempore finito moueri infinitè, vt probat Ariſtoteles *primo cæli capite* 5.

Neque dicas, poſſe moueri ſecundùm partes deciſas, vel in eo aptatas in Sphærulas. Hinc enim haberet terminos, quod repugnat infinito, vt arguit S. Doctor *diſt.* 43. *quæſtion.* 1. ex Ariſtotele 3. *Phyſ. textu* 24.

Reſpondent, tale corpus habiturum in ſe principium motus in actu primo, etſi impeditum. Sic enim, & corpus Chriſti in Euchariſtia habet ſenſus corporeos, impeditos à modo exiſtendi indiuiſibili.

Hoc tamen non ſoluit; nam corpus illud, repugnantiam intrinſecam, & implicantiam ad quietem, & motum, cum contradictione ſupra indicata, haberet. Sequeretur enim inter partes infinita diſtantia, ſed clauſa inter limites, & pertranſeunda limitato tempore. Nam lineæ ductæ ab aliquo intus puncto extra ad circumferentiam, quò magis à puncto illo recederent, eò longiùs inter ſe diſtarent, ſed recederent infinitè. Ergo infinitè diſtarent, & tamen illa diſtantia inter lineas ſemper clauderetur, vt elicitur ex hac figura. Sic & in giro volutum lineas in infinitum remotas, tempore breui euolueret. Itidem lineæ illæ, partim finitè, partim infinitè, diſtarent, & ita poſſent, & non poſſent pertranſiri, & ſpatium infinitum augeretur; & fieret infinitum per partes finitas intra lineas.



Mvlti reſpondent, ſed flaccidè. Solutio, cæteris probabilior, affertur ab Amico *tract.* 18. *quæſtion.* 6. *dub.* 1. *num.* 35. illas lineas terminare extrinſecè; at finitatem infinito contrariam, eſſe intrinſecam, quæ debet eſſe partis infiniti. At debilis reſponſio; nam continuum ſpatium intra lineas terminis ſuis intrinſecis, reſpondet lineis vbique contiguis, atque adeò finitum erit ſpatium intrinſecè, quod malè negat Poncius *num.* 8.

Reſpondent alij, ſpatium intra lineas fore infinitum, ſecundùm longitudinem, ſicut ſunt & lineæ; at non ſecundùm latitudinem.

Contrà, quia lineæ pari paſſu elongantur à centro, & inter ſe; & eſt axioma Mathematicum.

Alij negant, poſſe tales lineas deduci.

Sed ſupra *quæſtion.* 4. id probatum eſt. At quis negabit, poſſe Deum ducere fila ex illius corporis, centro ad circumferentiam?

At ſi corpus ſit infinitum ſolùm in longitudine, non poterunt duci lineæ dicto modo, poterit tamen tale corpus ſcindi in duo, & tunc ſpatium inter illa ſegmenta euadet infinitum, & tamen clauſum terminis.

Probatvr ſextò. Infinitum caret terminis ex 3. *Phyſ.* 64. & *primo cæli* 12. at magnitudo etſi ponatur infinita habebit terminos. Ergo. Maior probatur à Valentia, quia ex communi conceptu. Infinitum eſt, cuius eſt ſemper extra aliquid accipere, *ex* 3. *Phyſic.* 63. ſanè quia non habet vltimam partem, vt notat Ariſtoteles *t.* 62. Minor probatur quia vltima pars actualis in aliqua magnitudine, vel multitudine eſt illa, vltra quam, & reliquas ſimul, non eſt alia pars actualis eiuſdem magnitudinis, vel multitudinis. Sed in omni magnitudine, ſeu multitudine actu, præter vnam aliquam partem actu, & omnes reliquas collectiuè conſideratas, non eſt alia pars actualis.

lis. Ergo debet dari vltima ; alioqui, ſi alia daretur pars iam talis magnitudo, vel multitudo eſſet, & haberet actu pluſquam eſt, & habet.

Indicavit ſubtiliter huius vim argumenti D. Thomas *artic.* 4. cùm probauit, omnem multitudinem eſſe oportere finitam actu, quoniam omnis multitudo eſt numerus, & quilibet numerus eſt multitudo menſurata per vnum, ideſt, quia nullus numerus, ſeu nulla multitudo vltra vnam ſui partem, & reliquas ſimul collectas, ſimul habet actu aliud ; vt notat Valen-
43 tia *col.* 122. Ibi poterat addere Seraphicum Bonauenturam hic, vbi eodem vtitur argumento, vt vidimus.

Aliud argumentum afferunt. Sit linea infinitis gyris columnæ implexa ; hi gyri ſinguli erunt finiti ad menſuram craſſitiei columnæ ; & tamen lineam componunt infinitam.

Reſpondet Suarez *d.* 40. *ſect.* 5. in ea linea eſſe infinitas partes æquales actu vnitas ; lineam tamen non eſſe infinitam, quia clauditur terminis. At cùm infinities gyret, ſequitur planè eſſe infinitam.

Maſtrius *diſt.* 10. *quæſt.* 4. reſpondet, eos circulos eſſe inæquales, ac proinde lineam eſſe finitam. Cætera verò reſponſa ſpernit, atque refellit cum Sampones 3. *Phyſic.* *quæſt.* 4. Amico *tract.* 18. *quæſt.* 4. *diſt.* 1. At gyri cùm infiniti ſint, non ſatisfit.

Simile argumentum vrget Rabeſanus *loc. citat.* cum Euſtachio Ciſtercienſi *p.* 1. *Phyſic.* *tract.* 3. *quæſt.* 7.

Aſſero quintò, neque infinitum intenſiuum qualitatis poſſe dari. Id oſtendam 2. 2. *tract. de charitate d.*8. *quæſt.* 12.

Probatur primò. Ponantur duo colores infiniti. Aufer ab altero mille gradus ; vel adæquat adhuc alterum, vel non. Si hoc : ergo euaſit finitus ; ſi primum iam mille gradus auulſi nil conferebant.

Reſpondet Vaſquez ſimile, & diſſimile : maius, & minus : æquale, & inæquale eſſe paſſiones accidentium finitorum.

At ſupra oſtendi, conuenire etiam numeris infinitis. Sic ergò & gradibus intenſionis.

Deinde ; ideò conſtituuntur proprietates quantitatis finitæ, quia infinita non poteſt dari ; datam autem ſecundùm vos oportet eſſe quantitatem æqualem, vel inæqualem ; & idem de qualitate, fore ſimilem, vel diſſimilem.

44 Probatur ſecundò à Seraphico Doctore *in corpore*, & Amico. Omnia debent eſſe creata in pondere, & menſura. Itaque, ſi daretur calor infinitus, deberet eſſe ſine menſura, & extendi ad omne ens ; atque adeò calefacere etiam Deum. Probatur ſequela à Fauentino *diſputat.* 36. *num.* 13. Non poteſt virtus intendi in gradus infinitos, quin eius virtus extendatur ad infinita. Sicut enim intenſior caliditas plura calefacit, & magis extenditur, quàm remiſſior ; ita infinitè intenſa ad infinita entia extendetur. Ita lumen gloriæ infinitum cum intellectione infinita, Deum comprehendere faciet. Infinita grauitas mouebit in inſtanti.

45. Vrgeo cum Seraphico Bonauentura *fundamento ſecundo*, & *in corpore*, & Fauentino *in* 2. *diſputat.* 27. *num.* 42. Infinitum in perfectione & bonitate eſt independens in ſua perfectione ; at infinitus calor dependeret à ſubiecto, & deberet habere ſubiectum recipiens, vel ad illud ordinari. Ergo eſſet finitus ; vel, ſi infinitum eſſet ſubiectum, deberet eſſe infinita ſubſtantia. Ergo ens ſimpliciter, & bonum infinitum, & Deus. Probatur ſequela, quia ſubſtantia habens eſſe infinitum ſubſtantiæ, habet quicquid ſubſtantiæ ſimpliciter poteſt conuenire. Ergo vel haberet accidentia etiam ſolùm eminenter ; vel formaliter haberet omnem perfectionem. Et hoc argumentum etiam de quantitate ſiue continua, ſiue diſcreta vrget. Hoc ſi penetraſſet Vaſquez *num.* 7. non reſponderet rationi D. Bonauenturæ ; infinitum ſecundùm quantitatem, eſſe finitum ſecundum eſſe. Eſt & ratio Scoti, 2. *metaph.* *quæſt.* 6. Rabeſani *loc. cit.*

Vltima ratio, quæ pro omnibus aſſertis 46
valet, innuitur in corpore. Si daretur infinitum quocumque modo, eſſet intranſmutabile à Deo, ac proinde hac ratione independens, eſſetque infinitum, & finitum in eodem genere. Probatur ſequela. Demus corpus infinitum terræ ; non poteſt Deus illud tranſmutare in aliud corpus, quod ex vi formæ requirit maiorem quantitatem, ſiue extenſionem ; alioqui, ſi poſſet extendi, non eſſet infinitum, vt ſuppono. Deinde quantitas circumſcriberet, omnem formam, etiam accidentalem : Ergo hæc eſſet finita.

Præterea, vt inferebat D. Bonauentura *in* 2. daretur vnum infinitum maius alio, ſi in partes infinitas à Deo diuideretur. Et ſic potentia continua reducta ad actum redderet illud indiuiſibile.

Alia argumenta potuiſſet Trigoſius, è D. Bo- 47
nauentura eruere. Quare non rectè *quæſtione* 5. *artic.* 3. *ad textum*, ait, non ſatisfeciſſe Seraphicum quæſtioni, quia non probauerit, omne infinitum, præcipuè magnitudinis, eſſe impoſſibile. Id enim probaſſe oſtendi. Deinde demonſtrationes, quæ contra infinitum multitudinis afferuntur, vrgent etiam contra infinitum continuum ; vt notauit Tannerus *numero* 15. primò, quia infinita multitudo corpuſculorum faciet infinitum magnitudine, quia haberet infinitas dimenſiones trinas. Secundò, quia in quolibet infinito ſecundùm magnitudinem, erunt infinitæ partes ; non autem eſſent finitæ : nam ex finitis, non fit infinitum. Ergo infinitæ magnitudinis. Ergo partes æquabuntur toti. Eadem ſequentur in infinito ſecundùm gradus intenſionis ; nam continebit infinitos gradus, & infinitas vnitates, ac trinitates.

Dicas eædem illationes fient contra infinitum in potentia.

Reſpondet Tannerus *num.* 18. negando, ſed ait, ſolùm probare infinitum in potentia nunquam fieri poſſe actu ; at in potentia erit fundamentum actu, nec erit confuſio ; vt diſſerit S. Doctor *ad* 7.

Obiicies primò. Omnis potentia extenditur ad opus ſibi proportionatum, ita vt maior potentia extendatur ad maius opus, & infinita potentia ad opus infinitum : at potentia Dei eſt infinita. Ergo & opus infinitum poteſt condere. Hanc acclamat demonſtrationem Roccus 8. *Phyſ.* *quæſt.* 2.

Reſpondet

Reſpondet Sanctus Bonauentura, maiorem eſſe veram de actione ipſius agentis, quoad modum, non autem de opere operato, ſeu effectu, & re acta, Ità & D. Thomas, *quæſt.* 45. *art.* 5. Effectus enim proportionantur cauſæ vniuocæ, quæ producit effectum eiuſdem rationis; non autem cauſæ æquiuocæ: multò minùs, ſi implicet contradictionem, vt docent etiam Alenſis, *p.* 1. *quæſt.* 20. D. Thomas *p.* 1. *q.* 25. *art.* 3. Scotus *diſt.* 44.

49 Obiicies ſecundò. Omnis potentia agens ſe tota, ſi infinita ſit, producit infinitum. Deus eſt cauſa infinita agens ſecundùm ſe totam. Ergo. Confirmatur, nam habet obiectum infinitum.

Reſpondet D. Bonau. maiorem eſſe veram, de potentia agente naturali modo neceſſario; non de agente liberè, talis eſt Deus, agens quod vult. Obiectum verò eſt in infinitum, vt ſemper poſſit; neque obiectum remotum eſt determinatum: vnde nequit totum exiſtere: proximum verò eſt illud determinatum, quod Deus ſtatuit.

Dicas. Ergo ex parte Dei, ſi velit, poteſt dari effectus infinitus, quia poteſt, ſi vult infinita: neque poteſt dici repugnare ex parte effectus; quia fruſtra eſt illa potentia, quæ non reducitur ad actum, neque poteſt reduci.

Reſpondet D. Bonauentura, Maiorem eſſe veram de potentia, quæ per actum perficitur, & completur. Talis verò non eſt potentia diuina. Idcò non eſt fruſtra, etiamſi non habeat effectum
50 actu adæquatum. Addit Seraphicus maiorem neque veram eſſe de potentia, quæ poteſt habere infinita, vt teneatur reduci ad actum, ſecundùm totum effectum; ſed debet ſemper manere potentia ad vlteriora; at nòn ad contradictionem, qualem hic oſtendi.

51 Obiicies tertiò. Omnis potentia eſt apta, ſe in effectu manifeſtare: potentia Dei eſt infinita. Ergò poteſt ſe manifeſtare effectu infinito. Si dicas manifeſtari in productione Filij, & Spiritus Sancti. Dicam. Ergò Spiritus ſanctus, qui eſt potentiæ infinitæ, ſe poteſt manifeſtare. Sed non poteſt intra: Ergò extra.

Reſpondet D. Bonauentura, potentiam Dei oſtendi infinitam. Primò in creatione, educendo ex nihilo ens, quia ens in infinitum excedit non ens, vt ait D. Auguſtinus *lib. de Symbolo*, & D. Thomas *loco citato.* Secundò, in effectibus durantibus in æternum, vt in cælis, animabus, angelis. Tertiò in numero effectuum. Quartò, in productione, quia apta eſt alios in infinitum producere. Quòd verò de Spiritu Sancto opponitur, ſoluit S. Bonauentura dicens, omnipotentem virtutem Spiritus Sancti oſtendi etiam in Emanationibus, nam æqua eſt virtus omnipotens totius Trinitatis, quæ enim in Patre, & Filio ſpirat; hæc in Spiritu Sancto exhaurit potentiam ſpiratiuam infinitam.

Obiicies quartò. Omne poſſibile eſt ponibile in eſſe, ſed Deus poteſt producere omne poſſibile. Ergo poteſt totum reduci ad actum. Sed hoc eſt infinitum: Ergo.

52 Reſpondet Doctor Seraphicus cum Alenſi, poſſibile obiectum potentiæ infinitæ nunquam poſſe reduci in actum omninò; ſed benè obiectum potentiæ finitæ, quæ poteſt æquari. Itaque eo modo poteſt producere, quo obiectum eſt producibile, ſed hoc nequit exhauriri.

53 Obiicies quintò, ponatur omne creabile, *A*, quæro vel eſt infinitum, vel finitum. Si finitum, & non poteſt niſi, *A*, Ergo poteſt tantùm finita. Ergo potentia eſt finita: ſi infinitum, & Deus poteſt facere, *A*. Ergò poteſt producere effectum infinitum.

Reſpondet S. Bonauentura cum Alenſi, *A*, creabile eſſe infinitum in potentia, quod non poteſt reduci totum ad actum.

Obiicies ſextò. Continuum eſt diuiſibile in infinitum, ex Ariſtotele 3. *Phyſ. t.* 31. & D. Auguſtino 11. *de Trinitate*, *cap.* 10. Quæro igitur poſſit ne Deus reducere potentiam continui ad actum? Si non poteſt. Ergo potentia continui excedit potentiam Dei. Si poteſt. Ergo poteſt dari numerus infinitus partium actu. Confirmatur, quia ſecundùm opinionem probabilem ſunt in continuo Infinita indiuiſibilia.

Reſpondet Seraphicus Doctor, potentiam con- 54
tinui eſſe, vt ſemper diuidatur, & huic reſpondet potentia Dei, vt poſſit ſemper diuidere, vnde non poteſt reduci ad actum totum continuum, diuiſum in indiuiſibilia; alioqui non eſſet continuum. Neque datur in continuo infinitas indiuiſibilium, vt indicat S. Gregor. Nazianzenus, *oratione* 2. *de Theolog.* vbi ait. Euclidem tractare de lineis nuſquam extantibus, & eſt ſententia communis Paripateticorum, vt notat Tannerus, & nuper egregiè oſtendit eruditiſſimus P. Seraphinus Rotella: *Quæſtione de indiuiſibili.* Hoc tamen diſcutiendum ſeruo, *Tract.* 5. *d.* 8. *quæſt.* 3. *&* *hic num.* 56.

Obiicit ſeptimò Vaſquez, *diſp.* 63. *cap.* 2. In ea multitudine, quam Deus ſimul in conſpectu habet, ſiue ſit rerum poſſibilium, ſiue futurarum, non poſſumus aſſignare primum, vel vltimum. Ergo eſt actu infinita. Confirmatur ex D. Thoma, D. Bonauentura, & aliis concedentibus Deo cognitionem multitudinis actu futuræ infinitæ.

Hoc ſibi obſtare argumentum ait Poncius, 55
d. 14. *quæſt.* 2. *num.* 8. ne manus nobis conferat; omnes quippè à nobis oppoſitæ in diuerſis infinitorum generibus implicantiæ reſoluuntur, eo quòd talia infinita ſic à Deo inter entia poſſibilia cognoſcuntur.

At fallitur; nam cognoſcuntur quidem à Deo talia entia non poſſibilia tamen; ſed ob implicantias ſibi notas impoſſibilia. Quare fruſtra concutitur Poncius.

Reſpondet Tannerus, negando conſequentiam, quia hæc non eſt ratio adæquata infiniti actu; ſed requiritur, vt partes eius, actu exiſtant re ipſa; nec valet argumentatio ab eſſe obiectiuo, ad eſſe reale actu. Neque verò benè allegat Sanctos Doctores, quaſi Deo tribuant cognitionem futuræ multitudinis actu infinitæ; ſed ſolùm dicunt, Deum cognoſcere infinitum, in infinitum, futurorum.

At verò magnum diſcrimen eſt inter productionem, & cognitionem infiniti; nam productio infiniti dicit rem extra Deum; atque adeò imperfectam: at cognitio dicit actum immanentem, cui non poteſt admiſceri potentia.

Obiicit octauò Trigoſius, in margine *ad quæſt.* 5. *dub.* 35. Deus nouit omnes ſpecies numerorum. Ergò poteſt eas producere actu, ſecundùm D. Bonauenturam. Antecedens eſt D. Bonau. *loc. cit. fundamento ſecundo.*

Reſpondetur

Reſpondetur, non rectè id deduci, nam, vt ſæpè monet Seraphicus Doctor, plus ſe extendit ſcientia, quàm potentia. Sic enim nouit mala, & implicantia, quæ non poteſt facere. His reſponſis, ſoluit latiùs Amicus, *Tract. 18. quæſt 6. d. 4. art. 5.*

Ponit autem Seraphicus pro coronide doctrinam Hugonis, *de Sacram. p. 2. cap. 7.* vbi infinitatem Dei propriam concludit eſſe, *ſolus enim: Deus eſt æternus, cui nulla temporis duratio æquari poteſt. Eſt immenſus, cui nullum locum eſt apponere circumſcribentem. Sapiens, cui omnia ſunt comprehenſa, nec ipſe comprehendi poteſt. Bonus, cui nulla perfectio eſt comparabilis. Potens, vt nullo effectu poſſit exhauriri.*

Tandem premunt multi, in continuo eſſe infinita indiuiſibilia, terminantia, connectentia. Addunt aliqui, componentia.

Probant primò, quia, ſi Sphæra ſuper planum ponatur, tangit vbicunque in puncto, & ſi trahatur per idem punctum, ſemper tangit in puncto, & ſi voluatur, tangit in linea. Volue quocunque Sphæram, & vbique indiuiſibilia ſignat.

Deinde, ſume duo ligna, & alterum alteri ſuperpone, mox diuide alterum, tunc duæ ſuperficies indiuiſibiles immediatæ ſuperſtabunt alteri continuo ligno, & ſignabunt totidem indiuiſibiles ſuperficies in ſuppoſito ligno continuo, neque enim à ſupra poſito ſecto aliqua pars continui deſecta eſt, vt ſuppono, ſed nuda facta eſt diuiſio.

Tertio diuide vbicunque vis continuum, reſultant indiuiſibilia, certè non producta de nouo, quia per motum localem non producitur quantitas, vel aliquid eius. Ergò præexiſtebant.

Qvarto, ſume centum calices aquæ; omnes hæ partes aquæ habent ſua indiuiſibilia terminantia, vt patet; mox effundantur omnes in dolio, tunc illæ omnes ſuperficies lineæ, & puncti commiſcebuntur; non enim deſtrui inueniuntur.

Qvinto continuum eſt diuiſibile in infinitum, atque adeò vſque ad indiuiſibilia. Ergo continuum conſtat ex indiuiſibilibus.

Quæſtio hæc à modernis ebulliens, multos hinc inde habet ſectatores.

Prodiit recens author P. Seraphinus Rotella à Carpenetulo, eruditè ſuſtinens, non componi continuum ex indiuiſibilibus; imò neque indiuiſibilia copulatiua dari, niſi prout terminatiua. Is autem ſubtilitates è Seraphico Bonauentura detruncat, atque aduerſis ſtrenuè reſiſtit. In eo autem, in quo recedit, fallitur.

Sumimus nunc continuum quantitatis mathematice abſtractum à materia. Sic enim per intellectum eſt diuiſibile in infinitum; nam ſi phyſicè corpus ſecetur, deueniemus ad minima, iuxta regulam Ariſtotelis 1. *Phyſ. textu 36.* quia *natura conſtantium eſt determinata quantitas.* Quòd ſi ad corruptionem diuidere adhuc tentes, deficient inſtrumenta, viſus, &c. vt docet Seraphicus Doctor, in fine citandus.

Qvod non dentur indiuiſibilia copulantia ſolitaria, probat. Diuide corpus continuum; reſultant duæ ſuperficies. Quæro vtrum ante diuiſionem erat copulans partes? Sanè non eſt maior ratio de vnò, quàm de altero. Neque ex vno, duo indiuiſibilia, ſectione, facta ſunt; alioqui eſſet diuiſibile. vel ſi ambo præexiſtebant, ſequitur fuiſſe immediatè præſentia, atque adeò ità vbique eſſe. Vnde non fit corpus extenſum; nam indiuiſibile additum indiuiſibili, ſemper facit indiuiſibile.

Rurſus, ſume centum cados aquæ, omnes habent ſua indiuiſibilia terminantia. Effundantur in ſoneam, tunc vel omnes termini indiuiſibiles conueniunt in vnum, vel manent extrema indiuiſibilia copulata immediatè, vel per tertium medium indiuiſibile, quæ omnia ſunt abſona.

In continuo quidem dari probat indiuiſibilia copulatiua, prout terminant; nam in taxillis, v. g. lineæ terminantes in angulis, copulatiuæ etiam ſunt.

Monet autem, dum continuum diuiditur, non fieri diuiſionem in indiuiſibili, quatenus per diuiſionem ſeruatur continuum integrum abſque partium minutione, ita vt, dum reunitur, nil quantitatis fiat maioris, vel minoris; ſed ſemper idem terminus ſeruetur. Hinc Sphæram eatenus tangere in indiuiſibili, quatenùs deſignat illud indiuiſibile, in quo fieret diuiſio ſine partium lineæ diminutione, & in eodem indiuiſibili partes ſunt ſeipſis, & per ſeipſas vnitæ, quæ vnio dicitur in indiuiſibili, quia nil reale poſitiuum mediat inter ipſas partes, in quo ſint vnitæ. Itaque, quando aliquid extrinſecum indiuiſibile applicatur continuo, puta Sphæra, nil aliud infert, niſi, continuum ſecundùm omnes ſuas partes poſſe correſpondere diuerſis indiuiſibilibus ei ab extrinſeco applicatis. Sicut centrum Sphæræ reſpondet diuerſis partibus circumferentiæ ipſius ſphæræ. Sic reſpondet primo argumento.

Hæc tamen reſponſio eſt nulla; nam Sphæra, quæ eſt corpus nullo termino finitum, vt docet S. Bonauentura, *ſerm. 3. de vno Martyre, ex Ariſtotele 2. de cælo initio*, poteſt vbique indiuiſibili extrinſeco ſignare continuum, puta planum, & ab eo ſignari, vbicunque ponatur, vndècunque voluatur, quod experimentum apparet etiam in linea, vbicunque interſecetur ab alia linea. Hoc argumentis Rotellæ oſtendo. Ipſe enim § 6. & 7. oſtendit, dari indiuiſibilia copulatiua terminatiua in Sphæra. Hæc autem tangit, & tangitur indiuiſibilibus terminatiuis in lineis, & punctis, quæ ſunt linearum termini, quibus lineæ multiplicantur, vt monet etiam D. Bonauentura *in 4. diſt. 49. p. 2. art. 3. quæſt. 1. in argumentis.* Deinde fatetur Rotella, quòd Sphæra deſignat vbique indiuiſibilia, vbi poteſt fieri diuiſio. Ergo adſunt actu. Præterea concedit centrum Sphæræ indiuiſibile, reſpondens omnibus partibus circumferentiæ. Ergò in Sphæra reperiuntur indiuiſibilia.

Ad ſecundum fatetur quidem ſubtiliſſimum eſſe argumentum, ſed tamen ſoluere conatur, oſtendendo, non poſſe dari duo immediata indiuiſibilia. Primò, quia ſequeretur, poſſe fieri duas diuiſiones immediatas in eodem continuo. Nam diuiſio fit in indiuiſibili. Conſequens eſt abſonum; nam fieret diuiſio non in continuo, ſed in ipſomet indiuiſibili. Quare ſoluit cum D. Bonauentura *in 4. diſt. 11. p. 1. quæſt. 5.* dicens, vnum tantùm indiuiſibile in continuo, ſuppoſito ligno, reſpondere duobus indiuiſibilibus contiguis, ligni inſecti ſuperpoſiti. Id probat ratione Doctoris Seraphici, quia indiuiſibile vnum nullam habet extenſionem. Ergo neque duo eam habent, atque adeò vnum indiuiſibile poteſt pluribus reſpondere. Idem probat experientia. Fiat circulus, in quo multæ lineæ diametrales per centrum tranſeuntes deſcribantur. Hinc plures trianguli acuti reſultant, quibus omnibus reſpondet, & inſeruit idem punctum centri.

Addit verò S. Bonauentura, poſſe duo indiuiſibilia contigua, etiam in ſucceſſiuis, vt in duobus mo-

tibus diſparatis, aſſignari, quòd qua ratione cueniat, oſtendam *tertia parte, Tract. de Sanctiſſima Eucharistia, diſput.5. quaeſt* 8.

Quòd verò continuum non componatur ex indiuiſibilibus.

Probatvr primò à D. Bonauentura, loco citato, & *in primo diſt. 37. p. 2. quaeſt. 2. argumento Ariſtotelis: ſexto Phyſ. initio*, quòd latè proſequitur Pater Rotella. Nam indiuiſibilia, nullam habent partem, qua extendant contiuum, ſiue enim intelligantur continua, ſiue contigua, nullam valent facere extenſionem. Nam indiuiſibile, additum indiuiſibili, ſemper facit indiuiſibile. Ità, ſi fingas pyramidem, cuius baſis couſtet è decem punctis, mox aſcendat nouem punctis, ita, vt apex ſit vnius puncti, non erit latior in baſi, quàm in apice, nam pone etiam mille puncta, adhuc indiuiſibilia ſunt, & faciunt indiuiſibile.

Argumentum verò, quo aduerſi nituntur adhuc oſtendere, continuum ex indiuiſibilibus componi, eò quòd eſt diuiſibile in infinitum, ideò vſque ad indiuiſibilia; nullius eſt ponderis. Nam continuum mathematicè eſt diuiſibile, ità, vt nunquam ad indiuiſibilia veniatur, niſi continuum deſtruatur, adeò vt, neque Deus continuum ad infinita actu ſegmenta deducere queat; tametſi phyſicè ratione ſubiecti ad minima redigatur, vt monet Seraphicus Doctor *in primo diſt.43. quaeſt.3. ad ſeptimum.* Et *in ſecundo diſt.35. art.2. quaeſt. 3. in corpore & in quarto diſt.49. p.2. art.2. quaeſt.2. ad quartum.*

Sed quæſtiones iſtas agam, Tractatu quintò huius primæ partis, *diſput.8. quaeſt.3.* & ſequentibus.

DISPVTATIO VII.

De immenſitate Dei.

Ex infinitate eſſentiæ Dei oritur immenſitas, ratione cuius eſt in omnibus rebus. Neque verò S. Bonauentura. *diſt. 43. quaeſt. 2.* confundit infinitatem, & immenſitatem, vt putat Suarez, *lib.2. de Attribut neg. cap.2.* Et alij. Sed ex immenſitate, quæ eſt aſſerta in Scripturis, arguit à poſteriori infinitatem, vt patet legenti; eſſentia enim immenſa arguit infinitam habere potentiam; infinitam ſubſtantiam. Quare non rectè Vaſquez, *diſp.35. cap. 4.* negat ex immenſitate deduci infinitatem.

Addo cum Seraphico Doctore *lib.1. Compend. Theol. cap.*14. Immenſum ſumi etiam pro generali diuinæ magnitudinis encomio; vt dicitur *Pſal.*144. *Magnitudinis eius non eſt finis.* Ideò & Athan. in Symbolo, Immenſum Deum, & infinitum vocat.

QVÆSTIO I.

An Deus ſit in omnibus rebus.

{ D Bonau. d.37. q.1.
{ D.Thom. q.2. art 1.

Fvit error Ariſtotelis *lib. de mundo ad Alexandrum*, (ſi is liber eſt eius) & 1. *de cælo cap.9.* Deum non eſſe vbique, ſed ſolùm in cælo; ſicuti Rex Perſarum eſt Suſis, regia vrbe. Eundem errorem ſectati ſunt Manichæi apud S. Auguſtinum, *lib. cont. epiſtolam fundamenti, cap.*16. Poſtremò Auguſtinus Eugubinus, ad *pſal.*138. in ea verba: *Si aſcendero in cælum, tu illic es: Si deſcendero in infernum, ades*, aſſeruit Deum eſſentiâ, eſſe tantùm in cælo; ſed diffundere ſuam virtutem ad inferiora, ſicut Sol è quarto cælo.

Assero tamen, Deum eſſe vbique. Eſt de fide ex cap. *Firmiter de ſumma Trinitate*; & Symbolo Athanaſij. Et id teſtati ſunt antiqui dicentes, *Omnia Ioue plena.*

Probatvr à D.Bonau. hic primò ex pſal.138. *Si aſcendero in cælum, tu illic es: ſi deſcendero in infernum,* 1
ades, &c. Idem probat Seraphicus *q.2. ex* 23. Hierem. *Cælum & terram ego impleo*; & *diſt.36. art.2. q.1. è decimo ſeptimo Actorum. Non eſt longè ab vnoquoque noſtrum. in ipſo enim viuimus, mouemur, & ſumus.* Et in Compend. Theol. *lib.1. c.*14. idem probat, *ex pſal.*144. *Magnitudinis eius non eſt finis*, quod licèt de quantitate perfectionis intelligatur; tamen etiam de immenſitate dici meritò poteſt. His Scripturis vtuntur Moderni; Vaſquez *diſp.*27. Valentia *diſp.1. quaeſt.8. p.1.* Soarez *lib. 2. de Attributis, neg. cap.2.* Faucntinus *diſp.*52. Caſpenſis *diſp.7. ſect.*1.

Probatvr ſecundò à D.Bonauentura, locis adductis ex Patribus. Boëtio ad Simmachum, circa medium. Ambroſiu *lib. de Spiritu ſancto, c.4. initio Tom.4.* Auguſt. *de Eccl. dog. c.*11. *Tom.3.* & *lib.10. confeſſ. c.27. Tom.1.* quem allegat S.Bonau. *in dub. litt. diſt.*37. Confirmatur è Philoſophis, à Recup. *lib.4. de inf. q.*10.

Probatvr tertiò a Seraphico Doctore. Illud agens, 2
quod eſt ſimpliciſſimum, ſuaque virtus, eſtque agens vniuerſaliſſimum; in omnia intimè operatur, & eſt præſens ſua ſubſtantia. Talis eſt Deus. Ergo. Hac ratione vritur Scotus *diſt.*37. apud Fabrum ſupra. Fuitque Triſmegiſti in Pimand. Virgilij, & aliorum apud Bou. *d.1 art.5.*

Probatvr quartò à D. Bonau. in fundamentis vltimis, & corpore. Is, qui habet ſubſtantiam illimitatam, immenſam, & eſt immutabilis, eſt in omnibus rebus. Talis eſt Deus. Ergò. Maior patet. Minor probatur à D.Bonau. Infinitum eſt immenſum. Deus eſt infinitus: Ergo. Maior probatur. Simpliciſſimum eſt infinitum, immenſum eſt ſimpliciſſimum: ergo infinitum. Ma: probatur. Is, qui eſt ſuum eſſe independens, non receptum, eſt infinitum. Tale eſt Ens ſimpliciſſimum: Ergo. Minores patent ex dictis, ſuperioribus Diſput. Hac ratione nititur Scotus apud Fabrum *n.*42. Confirmatur à Valentia. Ratio ob quam res aliqua eſt præſens alicui rei, non aliis, eſt limitatio quantitatis molis, aut virtutis, quæ illam terminat; at Deus non eſt talis. Hoc eſt quod dicit D. Bonauent. *fund.3. &* 4. ſequitur Morandus *Tract.1. quaeſt.9.*

Probatvr quintò à Seraphico in corpore argu- 3
mento optimo, quod indicat etiam fundamento primo. Sumitur verò è parte Dei ex eius immenſitate, ex parte verò rerum, è dependentia creaturarum à Deo. Quia enim creaturæ pendent à Deo, nequeunt ſubſiſtere abſque Dei potentia. Sed hæc ratio

indicat

indicat quæſtionem celebrem, mox ſoluendam. Tandem fund. vlt. id deducit S.Doctor ex immutabilitate Dei; quia, ſi Deus non eſt immenſus; ſequitur, poſſe per motum localem acquirere nouum locum.

Obiicies primò. Ens, quod eſt cum exteris impermixtum, non eſt in rebus. Deus eſt Ens impermixtum. Ergo. Minor probatur, quia non eſt materia, nec forma, nec aliquid earum, nec pendet ab eis, nec eſt in eis, vt liquor in vaſe.

4 Reſpondet D.Bonau. tripliciter aliquid alteri vniri. Primò ſecundùm præſentiam tantùm. Sic radius vnitur aëri. Secundo modo, ſecundùm præſentiam, & dependentiam. Sic anima eſt in corpore, in quo eſt, non modò vt radius in aëre; ſed vt forma; & dependet ab eo in operationibus; non tamen in eſſe, vel in fieri. Tertio ſecundum præſentiam, dependentiam, & concomitantiam in materia; vt liquor in liquore, puta aqua in vino; & hoc tertio modo vnita permiſcentur. Iam verò Deus vnitur rebus primo modo; non autem ſecundo, vel tertio.

Hic aduerte, Trigoſij textum dicere. Primo modo vniri ſecundum potentiam tantùm, & hoc modo vniri Deum, ſed textus eſt mendoſus, debet enim dicere, ſecundùm præſentiam; alioqui ſcateret Ariſtotelico errore.

5 Obiicies ſecundò. Quantò motor diſtat magis à mobili, tantò ſufficientiùs mouet. Vnde ſufficientiùs mouet anima noſtra, quàm forma materialis; & Intelligentia, quàm anima: ſed Deus eſt motor ſufficientiſſimus. Ergo ſummè diſtat à rebus motis.

Reſpondet D.Bonau. abſentiam motoris à mobili non prodeſſe motori ad mouendum; ſed obeſſe, quia mouens, & motum debent eſſe ſimul, ex Ariſtotele 7. *Phyſ. t.* 1. & quidem corporeum agens poteſt eſſe ſolum contiguum, cùm nequeat penetrare paſſum, & eſſe præſens, vel contactu ſubſtantiæ, vel virtutis: Agens verò ſpirituale poteſt eſſe in eodem loco, vbi eſt mobile. Itaque verum eſt, mouens omne, & motum debere eſſe ſimul. Prodeſſe autem mobili abſentiam, ideſt independentiam à mobili. Sic anima noſtra, quia magis independens à corpore, quàm exteræ formæ materiales, perfectiùs mouet & Angelus, quia adhuc independentior; quàm anima, perfectiùs mouet. Quoniam ergo Deus eſt omninò à rebus independens, ideò perfectiſſimè mouet.

6 Obiicies tertiò. Quantò aliqua virtus eſt magis vnita, tantò fortior eſt. Sed virtus Dei eſt fortiſſima: Ergo vnita, non ſparſa in omnibus rebus.

Reſpondet S.Doctor, illam virtutem eſſe per ſe magis vnam, quæ eſt in ſubiecto magis vno, ac ſimplici; per accidens verò extendi ad obiectum magis elongatum à ſubiecto virtutis ipſius. Sic calor in igne, qui eſt proprium ſubiectum, virtuoſior eſt per ſe, quàm in aqua, quia elongatur ab ipſo igne ſubiecto ſuo. Quoniam ergò virtus Diuina eſt in ſubſtantia ſimpliciſſima, & nunquam à ſubſtantia elongatur, ideò in rebus omnibus, tanquam obiecto extenſa, per ſe eſt potentiſſima, quia vbique eſt centrum totius potentiæ, vt dixit Triſmegiſtus.

Obiicies quartò. Nobiliùs eſt agens, quod poteſt in diſtans, quàm quod agere cogitur præſens. Similiter nobiliùs eſt agens, quod poteſt producere effectum per ſe ſtantem, ſed Deus eſt agens nobiliſſimum. Ergo non eget præſentia, vt operetur, vel vt conſeruet; alioqui vilior eſſet Fabro, qui producit effectum per ſe ſtantem, non egentem eius ſuſtentatione.

7 Reſpondet S.Doctor, argumentum laborare æquiuocis; nam non ideò Deus eſt præſens agendo, quia ſubſtantia eius ſit ſimpliciter neceſſaria ad agendum magis, quàm in agente creato; cùm enim Deus conferat cæteris agentibus virtutis actiuæ gradus; eos profectò habet in ſe; ſed neceſſitas venit ex perfectione Dei infinita. Si enim Deus eſt infinitus in eſſentia. Ergo & in qualibet perfectione ſibi intrinſeca: Ergo in hac coexiſtendi omnibus rebus, & operandi ſua ſubſtantiali præſentia. Agens verò creatum, quia finitum, non poteſt eſſe vbicunque operatur. Similiter, quia non eſt ſimplex; ſed differt in eo ſubſtantia, & virtus; poteſt agere virtute, vbi non eſt ſubſtantia. Rurſus, quia non agit in totum effectum, ſed ſolam formam producit; neque effectus pendet ab eo omninò, ſed eget alio conſeruante, vt domus ædificata; ideò ſtat, abſente Fabro; at res omnes ſunt omninò à Deo, à quo egent conſeruari. ideò non eſt ſimile. Vide P.Galirium, noſtrum meritiſſimum Generalem *p.*1. *Phil. lib.* 3. *Tract.*4. *quæſt.*1. *num.* 3. vbi adducit Alenſem *p.*1. *quæſt* 9. *m.*1. *ad* 1 Richardum, Ægidium *in* 1. *diſt.*37. *quæſt.*1. Ex quibus ſolues oppoſita à Smiſing. *Tract.*2. *diſp.*5. *quæſt* 1.

QVÆSTIO II.

An ex operatione Dei inferatur eius immenſitas.

D. Bonauent. loc. cit.
D. Thom. q. 8. art 1.

TAMETSI in veritate Immenſitatis Dei omnes Catholici conuenienter teneantur; diſceptant tamen in 8
aſſignanda ratione immediata intrinſeca: & quidem nos ex Infinitate Dei eam deducimus.

Deinde ex immutabilitate, quæ ſunt rationes non ſolùm probabiles, vt putat Rubius, 1. *d.*37. *q.* 1. *art.* 1. Baſſolis ibi: *quæſt. vnic. art.* 1. Smiſing. *Tract.*2. *diſp* 5. *quæſt.* 1. ſed certiſſimæ.

D. THOMAS hic ex omnipotentia, quâ in omni- 9
bus rebus operatur, infert, Deum eſſe in omnibus rebus, ſecundùm ſubſtantiam, quia omne agens debet eſſe coniunctum paſſo, in quod agit, ex Ariſtotele 7. *Phyſ. t.*10. 11. & 12. Vult autem S. Thomas, hanc eſſe conſequentiam non ſolùm materialem, quatenùs omnipotentia eſt coniuncta, & concomitata infinitati; ſed eſſe per locum intrinſecum, & formalem. Eum ſequuntur Thomiſtæ omnes *p.* 1. *quæſt.*8. *art.* 1. vbi Caietanus, Bañes, Nazarius, & alij expoſitores. Capreolus *in* 1. *d.* 37. *quæſt.* 1. *art.* 1. vbi Aureol. Durandus, & Argentina. Item Recentiores *p.*1. *quæſt.* 8. Zumel, Molina, Faſolus, Gillius, *lib.*2. *Tract.*9. *cap.*5. Lezana *Tract.*2. *diſp.*7. *quæſt* 2. Suarez *in Metaph. diſp.*30. *ſect.*6. & *lib.* 2. *de Attribut. neg. cap* 2. Belaſius à conceptione, *diſp.* 14. *quæſt.* 1. Caſpenſis *p.*1. *diſp.*7. *ſect.* 1. Arrub. *quæſt.*8. *art.* 1. *d.* 11. Gran. *t.*3. *d.*3. *ſect.* 5.

Ex his multi Thomiſtarum dicunt, hanc rationem eſſe à priori; quippè credunt, præſentiam ſubſtantiæ ſpiritualis haberi per operationem, ſiue quia operatio eſt ratio formalis conſtitutiua in loco; ſiue quia eſt fundamentum proximum relationis præſentiæ.

Recentiores verò cenſentes, ſpiritualem ſubſtan- 10
tiam non eſſe in loco per operationem, ſed per intimam ſuæ ſubſtantiæ applicationem: & pariter ſentientes, præſentiam agentis in loco eſſe conditionem neceſſariò prærequiſitam, vel ſaltem concomitantem ad agendum in tali loco, conſequenter negant, demonſtrationem præſentiæ per operationem eſſe à priori, ſed dicunt, eſſe tantum à poſteriori, tanquam demonſtrationem conditionis, per effectum ab illa pendentem. Ità, vt præſentia Dei in ſpatio colligatur ex opera-

tione, tanquam ex effectu pendente à conditione præſentiæ, aut talem conditionem concomitante. Ità Suarez *lib.2.de Attributis.cap.2.* Trigoſius *quæſt.6.art.2. dub.2.* Maicus noſter à Baudunio *quæſt* 8.

Scotvs è regione *in* 1. *diſt.37.quæſt.vnic.* ſuſtinet, neutro modo benè demonſtrari Dei præſentiam in rebus, ex operatione. Eum ſectantur Mairo, Rubion, Baſſol, Lichet; Bargius, Vigerius, Tartaret, Poſſiartlenſis, Albertinus ibi, Faber *diſp.* 52. Vulpes *Tom.*1. *diſp.*18. *art.*5. Smiſing. *tract.*2. *diſp.*5. *quæſt.*5. Brancaſius *d.*9. *quæſt.*2. Rada *controu.*28. *art.*2. Macedo *coll.*9.*diff.*3. Valen *quæſt.*8.*p.*1. Vaſquez *p.*1.*diſp.*28. Auerſa *p.*1.*quæſt.*8.*ſect.*1. Amicus *diſp.*8.*ſect.*2. Rayn. *d.*7. *quæſt.*1. *art.*6. Arriag *d.*2. *ſect.*9. Leſſ. *l.*2. *cap.*5. Ribas *tr.*2. *d.*4. *cap* 1. & alij, quos allegat Maſtrius de Meldula 1.*p. diſp.*2. *quæſt.*5. *art.*2. *num.*215. vbi malè intermiſcet etiam Trigoſium. Eſt verò communis ſententia Scotiſtarum, & Nominalium, è quibus Faber loc. cit. cum Meldula *num.*242 carpunt D.Thomam, quaſi velit Deum non eſſe vbique per eſſentiam; ſed tantùm per operationem, quia ait, *Deum eſſe in rebus, ſicut Rex in toto Regno.* Id confirmare ſatagit Faber, quadam expoſitione Caietani, *quæſt.*8.*art.*3.

Eqvidem S.Doctor clarè docet, eſſe quidem in omnibus rebus per potentiam, ſicut Rex in Regno; attamen addit, eſſe in omnibus etiam per eſſentiam, vt refellat errorem Ariſtotelis. Caietanus verò apertè ait, Deum eſſe per potentiam in omnibus, immediatione virtutis: per eſſentiam verò, immediatione ſuppoſiti. Optarem, recordarentur aurei documenti Scoti, relati, *diſput.*3 *quæſt.*8.

11 Qvoniam verò Seraphicus allegatur à Vaſquez pro ſententia D. T. & à Meldula innuitur pro Scoto; oportet videre quid ſenſerit.

Igitvr S.Bonau. arguit *fund.*2.*& in corpore*, præſentiam Dei in omnibus rebus ex operatione tranſeunte, non ſimpliciter, vt actio eſt, ſed vt eſt actio Dei, cuius virtus eſt coniuncta cum ſubſtantia, ob eius ſummam virtutis cum eſſentia ſimplicitatem, & agendi ſummitatem. Idem habet *diſt* 43 *q* 1. *fund.vlt.* Neque ſolùm fundatur in hoc; ſed etiam in modo perfectiſſimo agendi, qui exigit, vt agens perfectiſſimè adſit paſſo, vt illi dominetur. Ità loquitur Seraphicus fundamento illo ſecundo: & eodem modo tenent Suarez, Valentia, & alij.

12 Qua propter non confidit S.Bonau. ea ratione ſola Ariſtotelica. *Quòd omne agens debet eſſe ſimul cum paſſo*, quamuis eam ſententiam alibi ſequatur, vt refert P.Galitius *in Phil.*1.*p. lib.*1.*Tract.*4.*q.*1. quam ſequuntur etiam omnes ferè (exceptis Scotiſtis, & Nominalibus) Ità D.T. *q.*8.*art.*1.*& lib.*2.*cont.Gent.cap.*68. vbi Caietanus, & Ferrar. Capreolus verò *in* 4. *d.*37. *q.vnic. art.*1. Bañes 1. *de Gener. q.*1.*cap.*6. Zanard.7. *Phyſ.q.*2. qui pro ea refert etiam S.Bonauenturam *in* 1. *diſt.*18.*p.*1.*q.*1. & Durandum ibidem; tametſi neuter, eo loco, de hoc dicat quidquam. Dixi citari eo loco Seraphicum, quia citato Durando, *d.*18. addit S.Bonauenturam his litt.*p. p.d.*1. *a.*1. Itaque voluiſſe citare videtur eadem *diſt* 1. *p.diſt art.*2. Idem ſentiunt Thomiſtæ reliqui, ac Ieſuitæ Tolet.7. *Phyſ. q.*2. Suarez *in metap.d.*8. *ſect.*8. Conimbr.7. *Phyſ.c.*2. *q.*1. Vaſquez *p.*1.*diſp.*179. *&* 3.*p.diſp.*57. *cap.*5. Picolom. *de eff.& perp. oper. per naturam*, *cap.*6. Hurt. *ad diſp.*9. *Phyſ. ſect.*6. Ares 1. *de gener. diſp.*5, *quæſt.*41.

13 Fvndamentvm huius ſententiæ, cur agens, & paſſum debeant eſſe ſimul, eſt, quia Agentia creata ſunt finitæ eſſentiæ, & virtutis, habentque determinatam actiuitatis Sphæram, & ideò natura non poteſt agere in diſtans, alioqui diſtantia quæcunque nil impediret actionem. Similiter nec impediret obſtaculum aliquod, quod eſt falſiſſimum. Ordo enim vniuerſi aſſimilatur exercitui in quo altera cauſa, alteram adiuuat; ſicut milites coniuncti & ideò natura adeò deteſtatur vacuum. Hæc eſt doctrina Ariſtotelis ſupra, & 1.*de Gener.t.*43.*&* 1. *meteororum c.*2. & aliis locis. Hæc quæſtio occurret *Tr.*4.*de Angelis diſp.*11.*quæſt.*6.

Quod verò dicant Scotiſtæ, agens, ſaltem infinitum, poſſe agere in diſtans, nullius eſt momenti; quia virtus infinita neceſſariò fluit à ſubſtantia infinita; quæque perfectiſſimo modo agat, atque adeò ità habeat coniunctum ſibi ſuum effectum; vt ei perfectiſſimè dominetur. Itaque non ſolùm concomitanter infertur ſubſtantialis præſentia ad agendum; ſed etiam ex intrinſeco potentiæ agentis modo, infinitè perfecto infertur, intrinſecè debere eſſe ſubſtantialiter præſentem; quod non aduertit Macedo, aut Vaſquez.

Iam verò probatur aſſertio à Seraphico *d.*36. *art.*2. 54
*q.*1.*ad* 1. addita doctrina huius quæſt. ex illo *Act.*17. vbi Apoſtolus ex conſeruatione rerum, & Dei in eis operatione, arguit eius præſentiam ſubſtantialem. Arguit autem formaliter ex operatione Dei perfectiſſima deducens, eum non in manufactis templis reſtringi, vt Athenienſes putabant. *Quamuis non longè ſit ab vnoquoque noſtrum. In ipſo enim* (ait) *viuimus, mouemur, & ſumus.* Eodem modo arguunt S. Auguſt. 1. *conf.ſſ. c.*3.& *lib.*7.*c.*3.& 22.*de ciuit.c.*29.& *ep.*57. D.Hilarius *in pſal.*124.& 1.*de Trin.* Bernard.*ſerm.*6.*in Dedic. Eccl.* Anſel.*in Proſol.c.*19 *& Monol.c.*21. Iſidor.de ſummo bono *lib.*1.*c.*2. Damaſcenus *lib.*1.*de fide c.*16.& alij. Præcipuè hunc locum ſic explicat S.Hieron.*in c.*66.*Iſaiæ.*

Reſpondet Vaſq.*c.*4. Lorinus *in c.*17. *Act.* Smiſing. 55
Brancaſ. Meldula, Ribas, & alij. hanc authoritatem non eſſe intelligendam de præſentia Dei reali; ſed de obiectiua per cognitionem ità, vt nolit Paulus ex operatione Dei in nobis arguere illius præſentiam ſubſtantialem; ſed poſſe nos in eius cognitionem deuenire. Ec enim Apoſtolus concionem illam habuit, occaſione illius inſcriptionis: *Ignoto Deo* vbi ſubdit. *Quod ergo ignorantes colitis, hoc vobis annuntio.*

Ità exponit Chryſoſt. *homilia* 38.*in Acta*, & Theophylactus hic.

Verùm Apoſtolus hic ratione pugnat à poſteriori, probans Dei præſentiam ex operatione. Ideò enim ait: *In ipſo ſumus*, non per ipſum, vt etiam obſeruat Chryſoſt nec audet negare Vaſq. Itaque non ſolùm cognitionem venatur ex operatione Dei, ſed etiam præſentiam vbique. Ob id enim ait; non in templis manufactis reſtringi, vt exponunt D.Hieron. ſupra, D.Ambroſius, *lib. de conditione dignitatis humanæ c.*2. Theodoretus in id pſal.138. *Quo ibo a ſpiritu tuo?* & obſeruat Faſolus, *dub.*4. Imò ſanè ex præſentia Dei reali deducit, poſſe facilè cognoſci. Ob id enim ait. *Quamuis non longè ſit ab vnoquoque noſtrum.*

Reſpondet Fauentinus velle dicere non longè eſſe 56
Deum operationibus. non autem eſſentia.

Contra nam Apoſtolus ex eo, quòd Deus eſt Dominus omnium rerum, fecitque omnia ex nihilo, arguit, ipſum eſſe in omnibus rebus, & non reſtrictum alicui Idolo in templis manufactis. Debuit ergo deducere præſentiam eſſentiæ in omnibus rebus, alioqui inanis eſſet argumentatio, nam poſſent dicere. Deus ſtat in idolis, ſicut Rex in Regia, præcipiens etiam abſentibus. Ad deſtruendam ergo multitudinem idolorum, & demonſtrandum vnum Deum omnium, vt prætendebat, non fuit ſatis oſtendere, eum ex templis, & ſimulachris operari in omnibus, ſed debuit oſtendere eum eſſe vbique, vt eum, non corporeum, ſed ſimpliciſſimum oſtendat. Et verè oſtendit. Poſtquam enim dixit, Deum creaſſe omnia, & dare omnibus vitam, inſpirationem, &

omnia,

omnia, ſtatuendo tempora; ſi forte attrectent, ideſt, palpo veluti ſentiant cognoſcendo; ſubdit. *Quamuis non longè ſit ab vnoquoque in ipſo enim viuimus, &c.* Si autem vellet dicere non longè eſſe cognoſcibilitate, vel operatione, repeteret ſupradicta. Quare hic non diceret. *Quamuis, &c.* Sed potiùs ſubderet repetitionis continuationem: *cum* vel *&.* Illud ergo *Quamuis*, indicat nouum modum, quo eſt in nobis, ſecundùm realem præſentiam ſubſtantialem; ſanè probat dicens. *In ipſo enim viuimus, mouemur, & ſumus.* Ergo illud. *In eo viuimus*, de inhabitatione, ſecundùm coniunctionem ſubſtantialem, loquitur; ſecundùm quam coniunctionem, veluti conſanguinitatis cum Deo, arguit non ex creatione ſola, ſed ex intima creatura coniunctione, vt explicant Chryſoſtomus, & OEcumenius, apud Lorinum & ideò ſubdit. *Genus ergò cùm ſimus Dei, non debemus æſtimare, auro, aut lapidi, Diuinum eſſe ſimile*; quaſi dicat. Cùm Deum viuum intimè habeamus; ità intimè ei ſanè vniti, atque coniuncti, vt videamur eius filij; non debemus æſtimare lapidi, aut æri Deum eſſe ſimilem; nec templis manufactis circumſcribi; ſed in ſpiritualibus, vt notat Chryſoſtomus in Gloſſa, & Auguſt. Loquebatur autem viris ſapientiſſimis; ideò non debebat verbis ludere, aut ineptis repetitionibus nauſeam mentibus eorum afferre.

Tandem hoc ipſe conuincit dicens. *In ipſo enim viuimus, mouemur, & ſumus.* Et quidem, eſto, prima duo denotent operationem; tertium ſignat tamen exiſtentiam in Deo ſecundùm ſubſtantiam. Ideò aduertit Chryſoſtomus, non dixiſſe: *per ipſum ſumus*; ſed *in ipſo.*

Reſpondet igitur Maſtrius, Smiſing. Vulpes, & alij Scotiſtæ; Apoſtolum quidem, ex operatione Dei arguere illius præſentiam realem in rebus; non tamen argumentum educi formaliter, ſed ex comitanti, quia Deus eſt infinitus in genere entis; & ideò vbi operatur eſt præſens ſubſtantialiter. Subſcribit Ribas *num.* 15.

Omitto nunc Faſoli impugnationem; quippe Scriptura nullam habet mentionem infinitatis Dei; ſed præciſè arguit ex operatione Dei, illius immenſitatem.

17 EQVIDEM miror, ſubtiles iſtos adducere Apoſtolum arguentem, vt petat perbellè principium. Cùm enim Athenienſes, in templis manufactis, Deum circumſcribi putarent, quippè finitum credentes; tenebatur Apoſtolus immenſitatem Dei probare formaliter. Dum autem eam probat, quia operatur in rebus, ſi operatio inde ſolùm arguit præſentiam ſubſtantialem Dei, quia ſit coniuncta cum infinitate, & ſic Deum eſſentialiter immenſum. Et ità arguit. Deus eſt immenſus. Ergò eſt, vbi operatur: iam ſupponit, quod præcipuè fuit probandum; & in hoc, quod frequenter nobis inurunt, lapſi ſunt, imò peius; non ſolùm petentes principium, ſed etiam ad idem trahentes Apoſtolum, & Spiritum Sanctum argumentantem.

Maſtrius *num.* 237. aliam apponit reſponſionem, conſequentiam illam tenere per locum ab extrinſeco, non tantùm à concomitantibus, ſed etiam à cauſa efficiente, quia relatio præſentiæ Dei in rebus, pendet ab operatione, tanquam à cauſa efficiente rem, ad quam terminari debet neceſſariò Diuina præſentia, quo pacto, præſentia per operationem, non pendet à præſentia per eſſentiam; ſed præſentia per eſſentiam ſequitur ex operationibus, quia ſtatim, vt creauerit aliquid, eſt illi neceſſariò præſens.

18 Verùm author iſte iterum trahit Apoſtolum, vt petat principium, vt dixi; vel concedit præſentiam tantùm virtualem, qualis eſt Solis in mineralibus, ac proinde non probat Deum incircumſcriptum templis; aut nobiſcum cogitur ſentire.

DEINDE conuincitur; nam Apoſtolus arguit præſentiam Diuinæ ſubſtantiæ non ſolùm ex operationibus, quæ ſunt fundamentum, vt Deus incipiat eſſe in rebus ex creatione; ſed ex operationibus, quæ ſupponunt rem factam iam; & Deum in eis habitare, vt ex conſeruatione, motu, &c. *In ipſo enim viuimus, mouemur, & ſumus.* Ergo non ex efficientia, vt eſt fundamentum relationis præſentiæ Dei, arguit; niſi velit cum Thomiſtis dicere, operationem eſſe rationem formalem præſentiæ Dei, contra Scotum, & ſeipſum.

P. Macedo renuens ære ditari alieno, vt aſſulet, 19
proprium largitur dicens. Paulum ibi probandam exiſtentiam Dei, non immenſitatem, aſſumere, probare verò præſentem & ſi non corpore, quo credebant illi compoſitum, agere vero de immenſitate independenter ab operatione Dei.

At ex dictis liquet hoc falſum, dat enim rationem Dei præſentiæ vbique. *In ipſo enim viuimus, &c.*

Probatur ſecundò à D. Bonau. hic in reſolutione, ex illo *Pſalm.* 138. quod Macedo flocci pendit: *Quò ibo à ſpiritu tuo; & quò à facie tua fugiam? Si aſcendero in cælum, tu illic es: ſi deſcendero in infernum, ades. Si ſumpſero pennas meas diluculo; & habitauero in extremis maris. Etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua.* Vbi ex operatione deducit, Deum eſſe in cœlo, in terra, &c.

Reſpondet Eugubinus; ibi non aſſignari cauſam præſentiæ Dei, nam in Græco, & Hebræo habetur. *Tantum abeſt, vt tuam præſentiam effugiam; vt etiam illuc deducat me dextera tua.*

AT ſanè his verbis habetur intentum; nam, ſi eſt. 20
ſenſus iſte; & vult dicere. Tantùm abeſt, vt poſſimus à Dei præſentia recedere, vt ea neceſſaria ſit; eò quòd Deus ipſe ducendo nos ad cœlum, niſi ipſe mutet locum, neceſſariò adſit.

Deinde Hæbreus habet גם: *Gam* etiam שם *ſem.* ibi, quod exprimit Deum operari debere ibi exiſtentem ſubſtantialiter. Præterea ſignificat, *Et, etenim*, vt patet in editione noſtra.

Reſpondet Vaſquez, Prophetam loqui modo humano.

Contra, quia loquebatur cum Deo, aſſignans veracem cauſam à poſteriori, vt fatetur ipſe Vaſquez. Eſto metaphoris manus dexteræ vſus, more humanæ loquelæ.

Reſpondet ſecundò, aſſignari cauſam ſcientiæ Dei, à qua dicit non poſſe nos latere. Sic reſpondet etiam Faber, & Lorinus hîc.

Contra. Nam, eſto, per vnum intelligat ſcientiam. puta, dicens: *Quo à facie tua fugiam?* oportet, vt per alterum intelligat præſentiam Dei: *Quo ibo à ſpiritu tuo*, ne ſit inanis repetitio.

TANDEM ita Patres communiter exponunt, vt notat Suarez, & proprietas verborum id ſignificat, Sic etiam Hierem. 23. *Cælum, & terram ego impleo*, quod non ſignificat cognoſcibilitatem, vt putant aduerſarij. Hoc loco vtitur Seraphicus Doctor, *in Compend. Theol. lib.* 1. *cap.* 19. & *in primo, diſt.* 37. *p.* 1. *quæſt.* 2. Innuit autem Propheta è Dei prouidentia erga malos, & operatione, immenſitatem à poſteriori.

Reſpondent Faber, Meldula, & alij Scotiſtæ, inferre præſentiam Dei concomitanter, quatenus potentia eſt vnum cum immenſitate. At ſupra hoc refutaui.

Reſpondet Macedo, ineptè hinc colligi actionem Dei: benè tamen inferri Dei ibi præſentiam noſci, non ex operatione, alioqui probaret hominem, & Deum ibi eſſe, quando is, ſine homine eſſe non poſſet: ſed ex eo, quia homo ductus illuc, neceſſariò noſſet ibi Deum eſſe debere.

At nimis materialis erit ratio more noſtro, qui ducentes ad vnum locum comitando cum eo peruenimus. Altè ingeniorum Aquila ſcande. Infert Dauid, Quocunque, & vodecunque me ducas, neceſſe eſt faciem, ideſt præſentiam agnoſcere, quia vndecunque & quocunque me moues, ſtabilis manens das cuncta moueri.

21 Probatur tertio à S.D. *in corp. & fund.*a. *& ad vlt.* ratione qua ferè vtitur Soarez *d.*30.*ſect.*7. *citata.* Cauſa vniuerſaliſſima producens totum, & conſeruans res, aliter in nihilum reſoluendas, debet eſſe intimè præſens, ſecundùm ſubſtantiam. Talis agens eſt Deus: Ergo. Maior probatur à Seraphico Doctore. Nam tale agens debet ſuſtentare rem, ne pereat, magis quàm ſigillum in aqua conſeruare impreſſionem ſua præſentia; ſi enim remoueatur ſigillum ab aqua, diſſoluitur impreſſio, ob labilitatem aquæ. Idem aduertit Soarez, cui Meldula falsò gloriatur ſatisfeciſſe *num.*187.

Confirmatur à S. Doctore, de creatione. Actio creatiua ſupponit in creante carentiam poſſibilitatis, & actum purum, ſed actus purus eſt præſens omnibus rebus: Ergo. Maior probatur, nam creatio eſt actio independens à ſubiecto. Ergò ſupponit creantem eſſe actum purum, quia nullum agens poteſt habere actionem independentiorem à ſubiecto, quàm ſit ipſum, & ſua virtus agendi. Minor probatur à Seraphico Doctore, fundamento quarto, quia eſt aliqua potentialitas poſſe eſſe præſentem, vbi non eſt præſens.

Reſpondet Meldula, primò, negando maiorem cum Scoto 4. *diſt.*1. *quæſt.*1. Deinde conceſſa maiori, & minori, diſtinguit conſequens, dicens; Ex actione creatiua colligi efficaciter præſentiam Dei in rebus, mediatè tantùm, quia inde ſolùm colligitur puritas actus in creatore; & mediatè poſtea infertur excluſio omnis potentialitatis & ſic intima Dei præſentia in rebus.

Verùm iam eſt probata maior.

22 Ad ſecundum reſponſum dico, eam eſſe illationem immediatam; nam actus purus ſimpliciter excludit omnem potentialitatem immediatè, atque adeò etiam potentialitatem præſentiæ notæ.

Quod enim obſecro medium eſt actui puro, ad excludendam potentialitatem? profectò ipſe ſe ipſo eam excludit.

23 Probatur quartò à Seraphico Doctore ibidem, alio argumento, quo vtitur Lezana loco citato. Vniuerſaliſſimum agens eſt perfectiſſimum, ac proindè perfectiſſimo modo agere debet. Sed Deus eſt perfectiſſimum agens vniuerſaliſſimum. Ergo perfectiſſimo modo agere debet. Modus autem perfectiſſimus eſt, continere paſſum, ſeu dominari illi, vt dixi in fundamento. Hoc autem fit intima præſentia. Eſt fundamentum ſecundum D. Bonauenturæ.

Reſpondet Maſtrius, argumentum petere principium, dum aſſumit in maiori, id de quo eſt quæſtio. Verum Maior includit probationem, quæ in eo ſtat, vt agens perfectiſſimus dominetur paſſo, illumque planè contineat.

24 Argumenta Scotiſtarum partim vrgent, non deduci à priori, ex operatione, præſentiam, & hæc nihil nos lædunt, qui dicimus argui à poſteriori. Addo tamen, ex prima productione, argui à priori præſentiam in operatione, quia operatio, puta creatio, eſt ratio, qua Deus fit præſens illi rei, cui antea non exiſtenti, non poterat adeſſe. Et hoc ſenſu non eſt abſonum, Deum operari, vbi non eſt, vt notant Bañes, & Nazarius *not.* 5. Neque ob id Scotiſtæ canunt triumphum, vt fatetur Maſtrius, qui *num.*227. concedit, ex creatione argui à priori præſentiam Dei, per eſſentiam, vt dixi. Partim euertere nituntur fundamentum Ariſtotelicum, ne etiam à poſteriori idem deducatur; & hæc parum nos ledunt, quia non ex communi modo operandi deducimus noſtram aſſertionem. Dogma vero Ariſtotelicum ſuſtinebitur *Tract. de Angelis*, ſupra adducto. Sic Macedo ſatisfit. Quò ad illationem verò, qua progrediuntur. Non eſt neceſſarium, Agens, & Paſſum finitum eſſe ſimul; Ergo multò minùs infinitum, negatur totum. Pro nunc, quò ad conſequentiam; Reſpondetur, imò contrarium inferri. Quia enim agens infinitum agit perfectiſſimo modo; ideò debet dominari paſſo; vt dixi ſupra. Et hoc voluit dicere Tannerus, *diſp.* 2. *quæſt.*4. *dub.* 3. non enim ex infinitate Dei deducimus eius immenſitatem pro nunc, vt putat Maſtrius; ſed ex perfectione agendi, vt docet Seraphicus Doctor ad vltimum. Itaque ex parte omnipotentiæ, non arguit rectè Scotus, *in primo*, *diſt.* 37. Deum poſſe in diſtans, quia etiamſi per impoſſibile eſſet ad vnum locum determinatus, adhuc eſſet omnipotens. Ergo poſſet in diſtans.

Reſpond. agere in diſtans non eſſe actionis perfe- 25
ctionem nam actio eſt actus paſſi: actus autem, vt perficiat paſſum debet eſſe non diſtans ab illo. Quamuis enim agere in diſtans ſit alicuius virtutis ſecundùm quid; & in magis diſtans maioris virtutis; attamen ſimpliciter agere in diſtans, dicit ſimpliciter imperfectionem, nempè ſeparationem virtutis à ſubſtantia, vt notat S. Bonau. ad vltimum. Itaque non cogimus Deum, ex neceſſitate imperfectionis, adeſſe ſecundùm ſubſtantiam; vt credunt Scotus, & Aſſeclæ; ſed debet adeſſe ex perfectione modi agendi. Perfectior autem eſt modus agendi immediatè, immediatione ſuppoſiti, detracta imperfectione; nam ſuppoſita finitate agentis, quod nequit eſſe vbique, illud cenſetur perfectiùs, quod in magis diſtantia poteſt agere. Ità cum Seraphico Doctore Suarex loc. cit. & alij apud Amicum. Explicant exemplo Regis, qui moraliter ſolùm ad totum regnum extenditur; perfectiùs autem eſſet imperium, ſi poſſet etiam phyſicè toti Regno adeſſe.

Reſpondet Meldula *num.* 232. indiſtantiam non ponere paſſum in maiori poteſtate agentis infiniti, & hoc eſſe, quod Scotus negat; atque adeò id aſſumere, eſſe manifeſtam petitionem principij.

Fallitur profectò. Nam controuerſia eſt. An ex operatione Dei colligatur immediatè præſentia illius. Id verò, quo probamus eſt, quia Deo concedendus perfectiſſimus agendi modus; at hic eſt, quando agens, perfectiſſimè omnibus modis poſſidet paſſum. Iam verò talis modus poſſidendi eſt non ſolùm virtute, ſed etiam ſuppoſito dominari paſſo. Tunc enim in ſui poteſtate illud perfectiſſimè habet conſeruando, ſuſtentando: ex parte etiam rerum eſt indigentia, quia ſunt è nihilo, vt notat S. Bonau. *in corpore*, *& quæſt.*2. *fund.* 2. Quare non aſſumimus controuerſiam in maiori, atque ideò non petimus principium.

Obiicit contra hæc Fauentinus. Creatura poteſt agere immediatè immediatione virtutis ſolitaria. Ergo multò magis Deus; alioqui, ſi cogeretur ſemper agere immediatè ſecundùm ſuppoſitum, eſſet vilificata potentia Dei. Quantò enim pluribus modis poteſt agens agere, & communicare ſuam virtutem; tantò eſt perfectior, vt vos dixiſtis. Si ergò Deus non poteſt agere immediatione ſola virtutis, erit imperfectior, quàm creatura, quæ tali etiam modo valet operari. Hic miratur Faber.

Equidem admiratio euaneſcat; maioris enim per- 26
fectionis

fectionis eſt operari vno modo perfectiſſimo, quàm ſexcentis imperfectis. Eſt autem modus perfectiſſimus agendi immediatè, immediatione ſuppoſiti, nam hoc venit, vt notat Seraphicus Doctor *diſt.* 43. ſupra, & in hac quæſtione, quia Deus eſt ſua actio ſimpliciſſima; at verò, quòd in creatura diuidatur virtus à ſuppoſito; vnde eò extendatur virtus, vbi non eſt ſuppoſitum, eſt magna imperfectionis nota; eſt enim compoſitio, & debilitas; ſicut è contra, ſimpliciſſima entitas eſt potentiæ maximæ origo, cùm virtus ſubſtantiæ vnita ſit fortior, vt docet D. Bonau. ſupra, & *diſt.* 8. *part.* 2. *quæſt.* 1. *in argumentis.*

Obiicit etiam Scotus. Deus extra vniuerſum poteſt create aliquid, & tamen ibi non eſt. Ergo ex operatione non deducitur præſentia ſubſtantialis Dei. Confirmatur, nam creauit mundum in ſpatiis, vbi non erat.

27 Reſpondetur primò, quæſtionem noſtram eſſe, an ex operatione Dei in res colligatur eius præſentia in eiſdem rebus. Dum autem dico res, dico exiſtentes. Igitur, licèt Deus non eſſet in rebus, antequam eſſent creatæ; attamen fuit in rebus ſtatim, ac fuere. Quomodo autem eſſet Deus in ſpatiis imaginariis, oſtendam *quæſt. ſeptima.*

Reſpondetur ſecundò, Deum eſſe ſuam virtutem, vnde præſens dubio procul erat, quando creauit mundum; alioqui Scotus volet, Deum operatum in longinquitate, ſeparans virtutem ab eſſentia.

Reſpondetur tertiò; ex argumento Scoti, nos dedocere intentum; nam ſi ex vi creationis ſequeretur, vt Deus incipiat eſſe præſens rebus, quibus non aderat; ſequitur ex efficientia rerum à priori neceſſariò probari ſequentem præſentiam ſubſtantialem, vt dixit Meldula.

QVÆSTIO III.

An Deus ſit in mundo localiter.

{ D Bonau. d. 37. q. 2.
{ D. Thom. q. 5. art 1.

28 CVM viderimus, Deum eſſe in omnibus rebus; videndum eſt. An ſit *in*, tanquam in loco. Et hoc eſt, quod quærunt Sancti Doctores. An Deus ſit vbique, nam *Vbique* eſt locale aduerbium.

Dupliciter verò aliquid eſſe poteſt in loco. Primò diffinitiue, ſi ità ſit in vno loco, vt non ſit in alio. Sic anima eſt in corpore. Secundò circumſcriptiuè, vt ità claudatur loco, eoquè circumſcribatur, vt ſit totum in toto, & pars in parte, commenſurata ſuperficie. Hoc pacto corpora ſunt in loco.

DEFINITVR autem Locus 4. *Phyſ. textu* 35. *Eſt ſuperficies corporis continentis immobilis primò.* Ita ſuperficies corporis circumſtantis eſt materiale loci; continentia verò immediata, ſeu primò, & immobilis eſt formale. Ità ſentiunt communiter Philoſophi, ac Theologi apud Toletum 4. *Phyſ. quæſt.* 3. Zanardum *quæſt.* 4. Collegium ibi *cap.* 5 *q.* 1. *art.* 2. Suarez *in Metaph. diſp,* 40. *ſect.* 7. Pererium *lib.* 11. Ruuium *tract. de loci natura, quæſt.* 5. Vaſquez *T.* 2. *diſp.* 193. *cap.* 3. *&* alios. Ita præeuntibus D. Thom. 4. *Phyſ., lec.* 3. *& quodl.* 6. *quæſt* 1. *art.* 3. diſcipuli, Scoto *in* 2. *d.* 2. *quæſt.* 6. aſſeclæ apud Fabrum, *Theorem* 47. poſt D. Bonauent. *in* 1. *d.* 37. *p.* 1. *quæſt.* 3. *& in* 2. *p.* 1. *ar.* 2. *quæſt.* 1. *&* 2. apud Patrem Galitium *p.* 1. *Phil. lib.* 4. *tract.* 4. *quæſt.* 2.

Fuere tamen alij dicentes, Locum eſſe ſpatium illud inter ſuperficies, in quo reperitur locatum. Ità Philoponus poſt textum 38. 4. *Phyſ.* Molina *p.* 1. *diſp.* 52. *art.* 1. Fonſeca 5. *Metaph. cap.* 5. *quæſt.* 1. *ſect.* 1. Mendoza *diſp.* 14. *Phyſ.* & ferè Collegium, *octauo Phyſ. cap.* 10. *quæſt.* 2. *art.* 4. Nouiter coruſcat Libellus Patris Seraphini Rotellæ ſuſtinentis, Locum eſſe ſpatium illud, quod eſt intercapedo locati. Huius rationes nonas referam, & ſoluam; reliqua enim argumenta contrita iacent, apud allegatos, pro ſententia D. Bonauenturæ.

Totum eius argumentum eo nititur, quòd iuxta maiorem intercapedinem, vel minorem augetur, aut minuitur capacitas, & continentia, etiam manentibus eiſdem ſuperficiebus. Exemplificat in duobus vaſis, altero ſphærico, altero parabolico; ſiue compreſſo, nam illud eſt capacius. In duobus ſacculis, quorum ſinguli modium farinæ capiunt; at ſimul conſuti quatuor ferè modios vorabunt. In menſuris continentiæ, in quibus intercapedo attenditur. In vaſe capaci mox compreſſo; quod perdit capacitatem. In vaſe aqua pleno, cui infunditur ſaxum; aqua redundat; quia intercapedo vaſis non capit tantam quantitatem.

Deinde, quia oppoſitorum eadem eſt ratio. Sed Vacuum Loco oppoſitum ſumitur ab intercapedine. Ergo, & locus.

Vrget quia ſuperficies continet, non vt talis, ſed vt concaua, ratione intercapedinis.

Adhuc quia locus debet eſſe locato æqualis; profectò hæc commenſuratio ſumitur à ſpatio toto ſecundum omnes dimenſiones, non à ſola ſuperficie ambiente: nam alioqui locatum non erit in loco ſecundum ſe totum, ſecundum trinam dimenſionem. Sed ſolùm ſecundùm vltimam ſuperficiem, quod eſt falſum. Ideò, dum locus mutatur, cedit corpus ambiens ſecundum omnes dimenſiones.

HÆC tamen leuioris ſunt momenti, nam locus eſt ſuperficies corporis continentis; atque adeò duas relationes habet; alteram ad corpus continens, quod eſt ſuum ſubiectum; & ſub hac ratione materialiter tantùm eſt locus; alteram ad corpus contentum, quod vndequaque vallat, & totas dimenſiones comprehendit, & hinc ſumitur ratio formalis loci. Ità verò ſpatium ambit, vt ſi mutentur formaliter ſuperficies, mutetur & continentia, vt conſtat ipſiſmet exemplis allatis ab aduerſario; non autem præcisè, ſi ſpatium mutetur. Ità, ſi ſphæra comprimatur, & in longum reſtringatur; intercapedo adhuc tantumdem liquoris continebit. Idem de ſacculis grani, & vaſis & ſi ampliùs continent, euenit è mutatione formali ſuperficierum.

Quoad vas plenum aqua, cui immergitur lapis; non mutatur locus, ſed pellitur locatum. Quoad vacuum. Eſt carentia pleni, intra aliquas ſuperficies aptas repleri; neque oponitur loco, ſed pleno, imò ſecundùm vos, eſt locus, cùm ſit ſpatium aptum continere corpora.

Quoad æqualitatem loci, & locati; tamerſi ſufficiat commenſurari ſecundùm ſuperficies; dico cum P. Galitio, *quæſt.* 4. in fine, & D. Bonauentura ſupra, mentem Ariſtotelis eſſe, vt æqualitas hæc conſiſtat in hoc, quòd nec locus locatum excedat, neque è contra; contineat autem totaliter. Stet igitur Peripatetica, & Seraphica ſententia, quam latè defendam, *tract.* 5. *diſp.* 11. *quæſt.* 1.

Probatur, quia illa intercapedo, vt contineat realiter, debet eſſe aliquid reale; hoc ſanè non eſt ſubſtantia, vt concedunt. Ergò accidens. Quæro de quo prædicamento? ſi dicas eſſe Quantitatis ſanè continuæ, vt ait Rotella; vel erit Linea, vel ſuperficies, vel corpus. Non eſt linea quia ambit

corpus; non eſt corpus, alioqui penetraretur à locato: Ergò ſuperficies.

Cvm D. Bonau. 1. *diſt.*37. *p.*2. *quæſt.* 1. reſpondet, eſſe dimenſiones reales aptitudinales, ſeu eſſe aptitudinem ad continendum corpus, ſed de hoc *num.*48. agam.

Addit, eſſe ſuperficiem; ſuperficies autem eſt genus ad concauam, conuexamque ſicut & Linea; eſſeque conuexam ſuperficiem.

En ſuperficies Ariſtotelica corporis continentis. His ad ſolatium prælibatis.

Assero primò, Deum non eſſe in loco circumſcriptiuè.

Probatvr à D. Bonauentura primò ex Boëtio, libro de Trinitate.

29 Secvndo. Locus comparatur ad locatum magis in ratione formæ, quàm alterius cauſæ, ex Ariſtotele: 4. *Phyſ. t.* 14. & 4. *cæli*, *t.*35. nam vnitur locato, vt perficiens, actuanſque, extrinſecè quidem adiacens, at Deus eſt actus perfectiſſimus. Ergò non poteſt à forma aliqua actuari.

30 Tertio, quia ſunt quatuor conditiones loci: nam continet, vt vas; menſurat vt quantitas: ſaluat vt natura: terminat vt finis. Sed Deus non poteſt à loco contineri, menſurari, ſaluari, terminari, vt patet Ergo. Mi. Confirmatur ex D. Auguſt. *ſerm.*8. de verbis Domini, vbi ait: *Deum nullo modo contineri.* Et *lib. de eſſen. diuinitatis*, vbi Deum vocat illocalem, & *lib.* 83. *q q. quæſt.* 20. vbi ait: *Deum non eſſe alicubi.* Idem habet D. Baſilius *homil.* 10.

Confirmatur à D. Bonau. *lib.* 1. *Compend. Theol. ver. cap.* 14. ex D. Ambroſio *lib.* 2. in Lucam *cap.* 2. vbi ait: *Nihil præſcriptum, nihil circumſcriptum, nihil dimenſum Trinitas habet: non loco clauditur: non terminatione concluditur.* Et in 1. *ſent. d.* 37. *p.* 2. *quæſt.* 1. affert D. Iſidorum *lib. de ſum. bono*, *cap.* 2. vbi ait. *Deus eſt illocalis.* Tandem prima, & propria paſſio eſſendi in loco circumſcriptiuè eſt dimenſio. Sed Deus à dimenſione maximè eſt alienus. Ergo.

Assero ſecundò, Deum non eſſe in loco diffinitiue.

Probatvr à D. Bonau. in corpore. Illud definitur loco, quod ità in eo eſt, vt extra non ſit; at Deus non poteſt ità reſtringi. Ergo. Id vult S. Auguſt. ſupra adductus, & D. Anſel. infra adducendus.

31 Vtraque aſſertio allata eſt de fide. Ideò enim Scriptura ait, Deum non poſſe loco capi, 3. Reg. 8. *Si cæli cælorum te capere non poſſunt*; vt notat S. Doctor *in ſpeculo B. V. loc.* 5. Et Eccleſia. *Quem cæli capere non poterant, tuo gremio contuliſti.*

Assero tertiò, Deum eſſe in omni loco, modo extraordinario, & excellentiſſimo, implendo eius ambitum, & inanem eius entitatem, ac intimè conſeruando. Ità S. Bonau. Explicatur Deus, ſua immenſa virtute conſeruat omnia, non ad modum aliorum efficientium; ſed intimè penetrando res, ac ita ſuſtentando, vt, Deo concurſum ſuſpendente, in nihilum abeant. Igitur Deus eſt repletiuè in mundo. Ad quod reſpiciens Hieremias 23. ait; Deum inducens loquentem, *cælum, & terram ego impleo*; vt notat D. Bonau. *arg.* 1. *ſecundo loco*, explicito in corpore, & D. Anſelmus *in Monol. cap.* 14. ait: *Vbi Deus non eſt, nihil eſt.* Et Damaſc. 1. *de fide cap.* 26. dicens: *Deus, vt qui materiæ, & circumſcriptionis expers ſit, haud quaquam in loco eſt; ipſe enim ſui ipſius locus eſt; at ſupra omnia exiſtens, omniaque ipſe complectens; & tamen in loco eſſe dicitur.* Perbellè D. Bernardus *lib.* 5. *de conſider. De Deo compertum eſt, quod nuſquam ſit, quia non clauditur loco, & nuſquam tamen non ſit, quia non excluditur loco.* Et D. Anſelmus in *Monol. c.* 22. & 23. ait: *ſi vſus loquendi admitteret, conuenientius dici videretur, Deum eſſe cum loco.* Tandem confiteor cum Magiſtro *diſt.*37. inexplicabilem eſſe modum, quo Deus eſt in locis. Ità fatetur ibi D. Bonau. *dub.* 4. D. Thom. explicat, Deum eſſe vbique, ſicut dantem rebus eſſe, & virtutem, ſeu vt cauſam in ſuo effectu, qui modus deductus eſt ex D. Anſel. loc. cit. tamen non adeò perfectè explicat præſentiam Dei ſubſtantialem. Alij dicunt, eſſe in loco attactiuè, ſeu occupatiuè Ita Argent. *d.* 37. *q.* 1. *art.* 1. Alij dicunt, eſſe in loco, ſicut lucem in aëre. Et hic modus eſt etiam D. Bonau. *d.* 37. *p.* 2. *quæſt.* 2. vbi ait: *ſi aëri illuminato apponatur chryſtallus incipit in eo eſſe radius; quod ſi chryſtallum amoueas, deſinit ibi eſſe radius, non facta mutatione in radio; ſed in chryſtallo. Ità & Deus vbique.* Addit verò ea diſt. *in dubiis litt.* quòd ſicut radius penetrat fœces, nec illis conſpurcatur: Ità & Deus. Alij dicunt, eſſe ſicut animam in corpore. Ità D. Auguſt. apud Magiſtrum, loco citato, & Seraphicum Doctorem ibidem. Et *art.* 3. *q.* 2. vt dicam *q* 8. 32

Probatvr ergò à D. Bonau. Deum eſſe vbique, primò ex illo Hierem. 23. citato, quo vtuntur Tannerus *diſp.* 2. *quæſt.* 4. *dub.* 3. *num.* 9. & alij. Ibi addit Damaſcenum *lib. de fide cap.* 17. & 18. vbi ait: *Cunctn ſubſtantià imples, omnia contines, mundum ſubſtantialiter replens.*

Secvndo, quia locus, ne vacuus ſit, indiget aliquo replente, omnis autem creatura eſt vanitas egens Deo.

Tertio, Maior eſt indiuiſio formæ ad materiam, quàm locati ad locum. Sed forma non vnitur materiæ, nec permanet, niſi per Dei præſentiam. Ergò multò minùs locatum loco; ſed quia per Dei præſentiam forma vnitur materiæ. Deus eſt in qualibet re, Ergo.

Qvarto, Locus cum tempore habet affinitatem, vt qui eſt præſens ſecundùm tempus, ſit præſens ſecundùm locum. Deus eſt præſens omnibus ſecundùm tempus. Ergo.

Argumenta omnia ità ſunt diſpoſita, vt quæ probant, Deum eſſe in loco, intelligantur non deffinitiuè; aut circumſcriptiuè; ſed replendo indigentiam loci. Quæ verò negant, intelligantur circumſcriptiuè, aut diffinitiuè.

QVÆSTIO IV.

An poſſit Deus dici localis.

{ D. Bonau diſt 37. p. 2. q. 1.

Qvamvis ex dictis ſequatur, Deum non eſſe localem, ſequentem regulas loci, cùm nequè locatum, vel in loco propriè contentum, compellare poſſimus; attamen Seraphicus Bonauentura anſa è Magiſtro capta, quærit potius nomen *localis*, an Deo aliqua ratione aptari queat.

Assero, Deum non poſſe dici localem.

Probatvr à D. Bonauentura primò ex Magiſtro, ea diſtinctione. 33

Secvndo. Nil dicitur temporale, niſi quod exceditur à tempore. Temporalia enim in tempore ſunt corruptibilia. Ergò nihil dicitur locale, niſi quod comprehenditur loco: at Deus non comprehenditur loco. Ergo.

Tertio. Locus eſt accidens. Ergo non denominat, niſi id, ad quod comparatur, tanquam illius accidens. Sed ad Deum nequit comparari, vt eius accidens, vt dixi, *diſp.* 3 *quæſt.* 4. Ergò.

QVARTO

QVARTO. Magis Deus comparatur ad punctum, ob ſuam ſimplicitatem, quàm ad dimenſiones diuiſibiles: at Deus nequit vocari punctualis: Ergò multò minùs localis. Idem probat in corpore; nam locale eſt, quod ſequitur regulas Loci; ſicut temporale eſt, quod leges temporis ſequitur. Leges autem loci ſunt continere, menſurare, ſaluare, terminare; vt dixi *quæſtione ſecunda.* Ergo cùm Deus non alligetur regulis loci; quia ſic eſt præſens loco, vt nihil ab eo recipiat; ſed ſolùm eam indigentiam ſuppleat, vt det loco virtutem continendi, & locato virtutem replendi; ſequitur, non eſſe localem.

Hinc ſoluuntur oppoſita Seraphico Doctori; probant enim tantùm, Deum replere loca; non autem eſſe localem.

VNVM explico, quod eſt vltimum. Vel Deus eſt in loco hoc ſecundùm partem, vel ſecundùm totum; ſi ſecundùm partem: Ergò habet partes; ſi ſecundùm totum. Ergo comprehenditur.

Reſpondet S.Doctor, in Deo eſſe infinitatem, & ſimplicitatem. Quare in omni loco totus eſt, non autem totaliter: quia infinitus, & ideò non ſufficienter diuidit quærens; debuit enim quærere. Eſt ne Deus totus, & totaliter in omni loco ſingulari? vel ſolùm totus, & non totaliter?

QVÆSTIO V.

An eſſe vbique ſit proprium Dei.

D. Bonau. d 37. p. 1 art. 2. q. 1.
D. Thom. q. 8 art. 4.

QVÆRIT Seraphicus Doctor an hæc ſit Dei proprietas quarto modo vni, ſoli, & ſemper. Et quidem in hac quæſtione ſcrutatur. An conueniat ſoli; in ſequenti verò. An ſemper.

34 ASSERO, Immenſitatem ſoli Deo conuenire.

PROBATVR primò à D.Bonau. ex SS. PP. Auguſtino; *lib. de Symbolo*, Ambroſio, *lib. de Spiritu, Sancto cap. 7.*

SECVNDO omne, quod eſt hoc aliquid ſingulare, eſt determinatum hic, & nunc. Omnis creatura eſt huiuſmodi. Ergo omnis creatura eſt determinata hic, & nunc, atque adeò nulla poteſt eſſe vbique. Hoc ſupponit, non poſſe dari corpus infinitum ex oſtenſis, *diſputatione ſexta, quæſtione ſecunda.*

TERTIO. Eſſe vbique conuenit Deo, ratione immenſitatis, vt dixi *quæſtione prima, & ſecunda.* Ergo

PROBAT vltimò in corpore, quia eſſe vbique, dicit quatuor conditiones, geminas ex parte Dei: & totidem ex parte loci. Ex parte Dei eſt Identitas Dei, qui eſt vbique idem; non ſicut vniuerſale, quod fundamentaliter eſt in omnibus ſingularibus; non tamen idem; quia natura illa vniuerſalis eſt contracta ad indiuidua, & ità numerice diſtincta in indiuiduis. Sed Deus idem numero eſt in omnibus locis. Secunda conditio eſt Totalitas, quia non ſolùm idem; ſed totus Deus eſt vbique, cùm ſimpliciſſimus ſit; ad differentiam numeri: quia, cùm numerus ſit in rebus numeratis; ſecundùm vnam partem eſt in vna, & ſecundùm aliam partem in alia. Numerus enim denarius, ſecundùm mediam partem, eſt in quinque vnitatibus; & ſecundùm aliam, in aliis quinque: Prima conditio ex parte loci eſt pluralitas locorum, etiam diſcontinuatorum; Deus enim in omnibus eſt; non ſic anima, quæ eſt tota in toto corpore, & tota in qualibet parte coniuncta; non autem in membro reciſo. Secunda conditio eſt vniuerſalitas loci, Deus enim eſt in omnibus locis; imò ſi poſſent dari infinita loca, in omnibus eis eſſet Deus.

Obiicies primò. Vniuerſale eſt vbique, & tamen 35
non eſt Deus. Eſt enim aliquod vniuerſale, cuius ſingularia ſunt vbique, vt vniuerſale ſubſtantiæ.

Reſpondet Seraphicus, illud eſſe vbique, non idem, ſed multiplicatum in ſingularibus.

Obiicies ſecundò. Numerus eſt in omnibus entibus, & tamen non eſt Deus. Si dicas, non eſſe vbique totum numerum, ſed partes; Inſto, ſi daretur vox tam grandis, vt ſpargeretur per mundum, eſſet vbique tota.

Reſpondet S. Bonau. numerum eſſe vbique, non tamen totum; ſed ſecundùm partes. Vox autem, quæ recipitur in auribus non eſt ea, quæ prolata eſt, ſed ſpecies intentionales eius, multiplicantes vocem, pro multitudine audientium; vnde non eſt tota vbique, nec apta eſſe in locis infinitis.

Obiicies tertiò. Anima eſt in toto corpore, & ſi daretur corpus grande, ſicut mundus, ibi eſſet vbique anima tota in toto, & in quauis parte.

Reſpondet Seraphicus Doctor, tali caſu, animam futuram in ſolis partibus vnitis, non in locis diſtinctis; & in corpore illo eſſet, non apta eſſe in aliis locis poſſibilibus

Obiicies quartò. Non minùs eſt proprium Dei eſſe ſemper, quàm eſſe vbique; at Deus communicat creaturis eſſe ſemper, puta Angelis. Ergò.

Vrget. Quando duo ſunt vnita, vbi eſt vnum, ibi eſt alterum, vt humanitas Chriſti eſt vnita Deo. Ergò eſt vbique, ſicut & Deus.

Reſpondet S. Bonau. infinitatem æuiternam, eſſe infinitatem in potentia, & ideò non repugnare creaturæ; infinitatem verò immenſitatis eſſe actualem, ideò non communicabilem creaturæ. Quoad humanitatem, Reſpondet, eam inadæquare deitatem, cui vnitur: vnde non ſequitur, eſſe vbicunque eſt Deitas; ſicut genus, & ſpecies ſunt vnita in Petro; & tamen non ſequitur, naturam humanam eſſe vbicunque eſt natura animalis; nam hæc etiam in Leone, Equo, &c. reperitur. Ex dictis ſequitur, poſſe aliquam creaturam, virtute Diuina, poni in omnibus locis; non tamen erit immenſa, quia per accidens ibi erit, nec apta vt ſit in infinitis locis per ſe.

QVÆSTIO VI.

An eſſe vbique conueniat Deo ab æterno.

D. Bonau. d 37. art. 2. q. 2.
D. Thom. 1. d 37 q. 1. art. 4.

QVÆRIT Seraphicus Bonauentura. An eſſe vbique conueniat ſolùm omni tempore, ideſt *ſemper*, quando fuere creaturæ; an etiam ab æterno.

ASSERO primò, eſſe vbique, ideſt, eſſe præſen- 36
tem omnibus exiſtentibus ſiue ſibi, ſiue aliis conuenit Deo ab æterno.

PROBATVR à D.Bonau. primo. Sicut ſe habet ſemper, ideſt æternaliter, ad tempus, ità vbique, id eſt, eſſe præſens ad omne illud, quod eſt, vel habet potentiam ad exiſtendum vbicunque; at Deus ante omne tempus fuit ſemper. Ergo & vbique modo dicto.

PROBATVR ſecundò à S. Doctore. Ea, quæ ſunt propria Deo, magis intrinſeca ſunt, quàm ſit paſſio ſuo ſubiecto. Sed proprietas, ſeu paſſio conuenit ſemper. Ergò & eſſe vbique Deo (ſumpto *vbique* pro præſentia, modo dicto.)

ASSERO ſecundò, eſſe vbique locorum, conuenit Deo ſolùm, ex quo loca eſſe cœperunt.

PROBATVR

PROBATVR primò à Seraphico. *Vbique* ſupponit *vbi*; at vbi fuit ſolùm ex tempore. Ergò.

SECVNDO. Si Deus eſt vbique ab æterno. Ergo fuit in omnibus locis. Ergo in cælo, & in terra, atque in iſtà domo, ſed hoc eſt abſonum, quia hæc omnia incepere in tempore: Ergò.

Obiicies primò. Relatiua ſunt ſimul: at res in æternitate fuerunt in Deo. Ergò & Deus in rebus correlatiuis.

38 Reſpondet S.Bonauentura, negari conſequentiam; nam cùm omnia ſint in alio ad modum recipientis; res fuere ab æterno in Deo ad modum Dei, tanquam Ideæ Diuinæ; at Deus eſt in rebus ad modum veluti earum, dans inanimatis eſſe inanime; animatis ſenſibilibus dans vitam ſenſibilem, &c. Deus eſt in rebus, & facta; & res ſunt in Deo vt cognitæ. Deus eſt in rebus, tanquam exemplatis; res autem in Deo, vt exemplari. Res enim ſunt factæ ad formam Ideæ exiſtentis in Deo. Hinc infert S. Doctor, non eſſe correlatiua, Deum in rebus eſſe: & res in Deo, quia enim res in Deo ſunt ipſe Deus; ideò potuere eſſe ab æterno in Deo, quoniam verò Deus eſt in rebus, quæ ſuppnnuntur factæ, ideò non ſequitur fuiſſe in eis ab æterno.

Obiicies ſecundò. Si Deus non fuit in rebus ab æterno. Ergo mutatus, incepit eſſe in illis.

39 Reſpondet S. Bonau. negari ſequelam, quia ſufficit, factam mutationem in rebus; ſicuti Sole illuminante cubiculum, apponitur cryſtallus, quæ illuminatur, facta mutatione ſolùm in cryſtallo. Ità reſpondet etiam Argentina.

Obiicies tertiò. Si eſſe vbique conuenit Deo ab æterno. Ergo ei conuenit ab æterno eſſe in hac domo.

Ex Doctore Seraphico reſpondet Trigoſius latere fallaciam ſecundum accidens, quæ conſiſtit in hoc. Quando aliquid verè prædicatur de aliquo ſubiecto, & propterea creditur dici de accidente eius, vt eſſe vbique ſemper; verè prædicatur de Deo; tamen non poteſt prædicari de hac domo; vnde, licèt verum ſit dicere. Hæc domus incepit in tempore; non tamen ſequitur, quod Deus incepit eſſe vbique ex tempore; ſicut iſta non valet. Iſte triangulus incepit habere tres angulos, non ergo omnis triangulus ſemper habet tres angulos. Latet eadem fallacia, nam, licèt accidat in tempore, iſtum triangulum incipere conſtare tribus angulis; ſemper tamen ab æterno fuit verum dicere. Omnis triangulus habet tres angulus, quia illud verbum *habere*, abſoluitur à tempore, non enim ſupponit pro triangulo, qui nunc incipit eſſe, ſed abſolutè eſt vera illa vniuerſalis. Omnis triangulus ſemper habet tres angulos, quia prædicatum eſt de eſſentia ſubiecti. Eodem ergò modo non valet. Deus eſt vbique. Ergò in hac domo. Sed hæc Domus incepit ex tempore. Ergo Deus non eſt vbique ſemper ab æterno. Nam ſi *ſemper* ſumatur, vt dicit æternitatem; Deus dicitur eſſe vbique ſemper, ideſt, in omni tempore; at non licet inferre. Ergo ſemper fuit in hac domo, quia fuit in ea tantùm, ea quo facta eſt. Sic exponit Trigoſius.

Reſpondeo ego magis ad mentem Seraphici Doctoris, argumentum peccare ſecundùm accidens, quia in conſequenti ponit, & infert id, quod per ſe non erat in antecedenti formaliter, aut virtute: non enim hic locus, puta domus connectitur eum Vbique, niſi pro aliquo tempore, quo per accidens ea domus facta eſt., ſicuti malè inferret. Hic triangulus à die Externa habet tres angulos; non ergo triangulus omnis ſemper habuit tres angulos. Nam hic triangulus per accidens naturæ trianguli acceſſit.

40 COLLIGE Ex omnibus dictis primò, quid ſit Diuina immenſitas, non enim eſt præcisè, eſſe in rebus, & locis omnibus. Sed ità eſſe præſens omnibus, vt in ſe habeat infinitam præſentialitatem, qua poteſt eſſe in omnibus, & in ſe eſt præſens ſibi infinitè. Sic enim immenſitas conuenit Deo ab æterno. Et hoc includit infinitam perfectionem. Videmus enim corpora, quò pluribus locis adeſſe poſſunt, eo eſſe perfectiora, cæteris paribus, & hoc magis in ſpiritibus diſcernitur, quorum tantò eſt maior perfectio, quantò poſſunt ampliori ſpatio dominari, & eò magis, quò ſunt in toto toti, & in qualibet parte totius. Hæc eſt autem perfectio Dei, vt infinitam habeat præſentiam in quocunque exiſtenti, ità, vt repugnet dari aliquid, cui non præſit Deus ſubſtantialiter. Ità Damaſcenus *lib.*1. *de fide cap.*16. & 17. Ambroſius *lib.*1. *de Spiritu Sancto cap.* 7. adducti à Doctore Seraphico *art.*2. *quaſt.*1, & Suarez *lib.* 2. *de attribut. neg. cap.*2. Caſpen. *diſp.*7. *ſect.*1.

COLLIGE ſecundò, attributum immenſitatis con- 41
uenire Deo ab æterno; at vbiquitatem ſolùm in tempore. Ità S.Thom. luc. cit. S.Bonau. loc. cit. Alenſ. *p.*1. *quaſt.*9. Albert. *d.*37. *ar.* 4. Suarez, loc. cit. Vaſquez *ad art.*4 *q.*8. Tanneru *adiſp.*2.*q.*4.*dub.*3. *num.*11. vbi adducit alios.

Explicatur quia immenſitas in Deo dicit quaſi actum primum, ideſt vim exiſtendi infinitam in ordine ad res, & loca, ità vt dicat interminabilitatem diuinæ ſubſtantiæ, in ordine ad loca, quæ non includit formaliter coexiſtentiam creaturarum. At verò vbiquitas dicit veluti actum ſecundum præſentiæ Dei in omnibus rebus; quæ præſentia oritur ex immenſitate. Hæc autem præſentia addit Deo non medium nuum, ſicuti additur creaturis ex nouo Vbi; ſed ſolam relationem rationis, & mutationem in creatura, vt dixi cum D.Bonau. & notat Tannerus *n.* 11. Hinc etiam fit, hanc præſentiam Dei in rebus eſſe liberam; pro vt liberum eſt illi res creare; at creatis rebus eſt neceſſaria; ſicuti liberum eſt Deo antecedenter præſcire futura; attamen ſtatuto decreto, non poſſunt latere futura.

COLLIGE tertiò, non rectè Tannerum, *num.* 12. adſcribere D.Bonau. abſolutè dixiſſe cum Hugone de S. V. *in ſumma tract.* 1. *cap.* 4. & Alenſi, Deum ab æterno fuiſſe vbique, quem modum improprium eſſe addit, nam Seraphicus Doctor ſe explicuit, vt ſuprà.

QVÆSTIO VII.

Vtrum Deus ſit in ſpatiis imaginariis.

{ D.Bonau diſt.37. p. 2. q 3.

EXTRA connexum Empyrei nulla creatura eſt, ſed imaginamur ſpatia; in quibus Deus alios mundos condere poteſt. Quæritur itaque. An ibi ſit Deus.

PRIMA opinio omninò negat, Deum in ſpatiis imaginariis. Ità Antiſiodorenſis *lib.* 1. *ſumma cap.*15. *quaſt.*1. Durand. *quaſt.*2.*diſt.*37. Dionyſ.Carthuſ. *q.*1. Richard. *d.* 37. *art.*1. Capreol. ibi, *quaſt. vn. ad* 4. Scoti, & communiter Thomiſtæ, Ouiedus *contrã.*15. *Phyſ. p.*5. Granado *diſp.* 3. *de Immenſitate Dei*, Nazar. *q.*8. *art.*2. *contrã. vn.* Nauaretus *contrã.*25.

Scotus item, *diſt.*37. vbi Lichetus, Bargius, aliique communiter Scotiſtæ Doctorem ſuum interpretantur, atque ſequuntur. Sic Vulpes *d.*18. *art.*3. Macedo infra cit. Poncius *diſp.*4. *num.* 36. Fauentinus *diſp.*51. Vaſquez *diſp.*29. Caſpenſis *diſp.*7. *ſect.*2. Hi tres vltimi allegant etiam Seraphicum Doctorem; imò

Faber

Faber reprehendit Suarez adducentem pro oppoſitâ Seraphicum. Idem ſentiunt Monceus, Meracius, & alij apud fratrem Amicum, *d.8. ſect.3.* Gill. *l.2. tr.9. cap.18.*

Secunda ſententia eſt affirmatiua. Ità Maior *d.37. quæſt.2. & in 2. d.1. quæſt.1.* Palatius *in 1. d.37. diſp.2.* Marſilius Ficinus *lib.2. de immortalitate animæ, cap.6.* Alenſis *p.1. q.10. num.1.* Suarez *diſp.30. Metaph. ſect.3.* Caiet. *in Ioan. cap. 12.* Sotus *lib. 4. Phyſ. quæſt.2.* Fonſeca *lib.5. Metaph. cap.15. q.9. ſect.4.* Molina *quæſt.8. art.1. diſp. 3.* Zumel *eadem quæſt.8. art. 2.* adducitur etiam D.Thom. *in 1. diſt. 37. quæſt.2. art.2.* Sequitur Amicus ſupra, Recup. *lib. 4. de inf. q.14.* Præpoſit *q.8. ar.2. dub. vn.* Auerſa *q.8. ſect.4.* Morandus *tract.1. q.10.* Fulienſis *l.1. c.5.* Alios vide in Liuio Monturſio 8. *Phyſ. d.vlt. q.vlt.*

Tertia ſententia eſt, Deum non eſſe in ſpatiis imaginariis, tanquam in loco; cùm ibi non ſit res aliqua; ſed eſſe ibi realiter, vt eſt ſua immenſitate ſuper excellens omnem ambitum. Ità S. Bonau. loco citato, vt explicant Trigoſius *q.6. art.9. dub.vn.* Marcus *quæſt.8. ar.2.* Coriolanus *q.8. ar.9.* Sequuntur Gregorius de Valentia *q.8. p. 1.* Bañes *quæſt. 8.* Fazolus ibidem *dub.4.* Gillius *lib.2. tract.9. cap. 19.* Smiſing. *tom.1. de Deo vno, tract.2. diſp.5. q.2.* Branc. *Tom.1. de Deo vno, diſp. 9. quæſt.13. num. 17.* Meldula *Tom.1. diſp.2. quæſt.5. art.1.* Tanner. ferè *diſp.2. q.4. dub. 4.* qui duo citant Seraphicum pro negatiua ſententia, addunt verò, quæſtionem, apud tertiæ ſententiæ authores, eſſe ſolùm de nomine. Imò Tannerus abſolutè ait, quæſtionem eſſe de ſolo modo dicendi. Idem aſſerunt Molina, Valentia, & Suarez. Porrò Seraphicum allegat Arrubal *d.11. q.6.* Sequuntur Amicus, *Tract.21. Phyſ. quæſt.5. d.1. art.3.* Ribas *tr. 1. d.4. c.4.* Raynaud. *d.7. quæſt.1. art.6.* Hurt. *d.14. Phyſ. ſect. 3.* Moncæus *d.1. c.5.* Becan. *c.6. q.2.*

42 Fundamentum ex Doctore Seraphico in corpore. Duobus modis capi poteſt, Deum eſſe in ſpatiis imaginariis. Primò, vt ſit extra mundum in aliquibus rebus, vel locis; & hoc modo non poteſt eſſe Deus, quia extra mundum non ſunt res, vel loca. Secundò; vt ſit ſenſus, Deum, re vera, habere ſuam entitatem tranſcendentem extra ambitum mundi, non in aliis rebus; ſed in ſe ipſo, ad modum, quo, ſi lapis crearetur extra mundum haberet eſſe, vel ſi beatus extra Empyreum erigeret brachium, vel euolaret, & ad eum modum, quo Deus erat in toto ſpatio, antequam mundum conderet; ſic autem quis neget, Deum eſſe extra mundum? hoc enim nil eſt aliud, quàm Deum non circumſcribi hoc ambitu mundi; ſed ſua immenſitate adeſſe etiam extra, non quidem in locis, ſed in ſeipſo, non ſolùm hoc ſenſu, quo ait Valentia, vt ſi res aliqua poneretur extra mundum; non poſſemos percipere illam, niſi imaginaremur ibi eſſe Deum; hoc enim neque authores primæ ſententiæ inficiarentur, dicendo, ibi Deum incipere eſſe; neque ſolùm, vt ait Tannerus accipiendo voculam *Extrà* ſolùm negatiuè, ideſt, non intra tantùm, hoc enim eſt ludere verbulis; neque ſatis benè citat pro hoc modo Seraphicum Doctorem, vt infra oſtendam. Sed etiam, quia ibi nunc verè eſt eius ſubſtantia, quod præclarè conuinco; nam in toto illo ſpatio imaginario poteſt Deus creare mundos, virtute ſuæ potentiæ, cùm autem virtus Dei ſit ipſiſſima Dei ſubſtantia, ſaltem realiter, in ſententia omnium Catholicorum; non video quomodo poſſint aſſerere, Deum ibi poſſe creare; ſi eius ſubſtantia non adeſt. Eſto enim demus Scoto, & aſſeclis, operationem non eſſe rationem formalem præſentiæ Dei, tamen nullus eorum negabit quin concomitanter adſit cum potentia creatrice, etiam ſubſtantia Dei. Dicere enim, quòd Deus, facto decreto, creaturus eò tranſit, ridiculum eſt apud confitentes Dei immutabilitatem. Scio, modum noſtrum loquendi decipere incautos, ſapit enim neſcio quid loci, & localis; nam vocabula *ibi, ſpatium, extra*, ſignificant quantitatem. Quod ſi ſincerè Philoſophemur, non video, quo pacto id negari queat. Ideò Seraphicus ad vltimum admonet, videndum quomodo loquamur. Hic eſt ſenſus verborum D. Bonauenturæ, quæ refert Tannerus, Deum non eſſe extra, pro vt dicit ſitum, ſed vt dicit ſuper excellentiam Diuinæ immenſitatis. Hoc fundamentum affert, & laudat Valentia.

Assero primò ſi ſumatur eſſe in ſpatiis imaginariis, vt in loco, Deus ibi non adeſt.

Probatvr primò à Vaſquez, & Fabro authoritate D. Auguſtini *lib.1 de fide contra Manichæos cap.37.* 43
Vbi videtur dicere, ſtultam quæſtionem, quærere: vbi erat Deus antequam mundum conderet, eò quòd nullibi erat; ſed ſolùm in ſeipſo. Quoniam verò hi Doctores vrgent hanc authoritatem pro prima ſententia; oportet aduertere D Auguſtinum arguere contra eos, qui reprehendunt illud effatum Chriſti. *Non iurabis per cœlum, quia Dei ſedes eſt: neque per terram, quia ſcabellum eſt pedum eius.* Itaque obiicit: *Vbi erat Deus ante creatum mundum, cùm non haberet ſedem, neque ſcabellum?* Igitur vult excludere ſolùm à Deo ſedem creatam, atque ſcabellum; non autem lædit noſtram ſententiam. Hinc idem S. Auguſt. *in Pſal.122.* ait: *Antequam Deus faceret cœlum, & terram, vbi habitabat? In ſe habitabat Deus.* Eodem modo reſpondet Bernardus; lib.5. de conſider. *Aliàs verò, vbi erat Deus antequam mundus fieret? non eſt quod quæras vltra, vbi erat? præter ipſum, nihil erat. Ergo in ſe ipſo erat.*

Idem infert Tertullianus, lib. cont. Praxeam cap. 5. *Ante omnia Deus erat ſolus; & ipſe ſibi, & mundus, & locus, & omnia.*

Hic grauiter nota, hos Patres adhibere verba localia, quæ ſolùm excludunt locum. Vndè malè afferuntur à Vaſquez, & Nazario pro prima ſententia. Et ſane hunc modum dicendi aduertit S. Bonau. loco citato.

Probatvr ſecundò à Seraphico, *fund.1.* Deus 44
enim non poteſt realiter eſſe præſens in aliquo niſi ſit aliquid; at ſpatium illud imaginarium eſt nihil. Ergo. Maior probatur, quia inexiſtentia realis dicit relationem realem requirentem profectò extrema realia. Si ergo aliquis inexiſtit in alio; oportet, vt hoc exiſtat realiter. Minor eſt clara. Hoc argumento vtitur Richardus Seraphici Doctoris diſcipulus, & cæteri ferè, vt notat Fauentinus *num.* 28. qui illud vrget ſimul cum Vaſquez, Brancaſio, & Nazario loc. cit.

Reſpondet Molina, illud ſpatium non eſſe nihil, ſed eſſe non repugnantiam ad recipienda corpora, ſi ibi à Deo crearentur; vel eſſe priuationem, ſiue carentiam cum aptitudine. Subſcribit Morandus.

Contra, nam non repugnantia dicit potentiam, quæ ſubiectum præſupponit. Idem dicendum de priuatione; at in ſpatiis illis nihil omnino eſt.

Reſpondent alij, illa ſpatia eſſe diſtantiam quandam interualli.

Contra arguunt Vaſquez, & Faber. Illud inter- 45
uallum, ſi eſt aliquid; vel ſubſtantia; vel accidens. Non accidens quia deberet eſſe in ſubſtantia; multò minùs eſt ſubſtantia, vt patet.

Confirmatur à Fabro, & Vaſquez ſupra, ex D. Bonau. Cùm dicis, Deum extra mundum eſſe; aut ſtat pro aliquo, aut pro nihilo. Si pro nihilo. Ergo chimæra eſt extra mundum, & Deus eſt in chimæra.

Si

Si pro aliquo ; vel creato , vel increato ; non creato, vt dixi. Ergo pro increato. Ergo eſſe extra mundum, eſt eſſe in Deo. Sed omnia ſunt in Deo. Ergo omnia ſunt extra mundum.

Dicent , illud ſpatium non eſſe chimæram ; ſed diſtantiam quamdam ; ſicuti , ſi inter cælum Lunæ , & terram daretur vacuum , & poneretur lapis in medio illius manis, ille lapis occuparet ſpatium. Sic, & nunc.

Fauentinus reſpondet , in eo caſu lapidem nullibi futurum ; tamen nos ratione ſuperficiei cæli , & terræ imaginaremur eſſe in loco ; quod tamen fictum eſt.

Reſpondet Doctor Seraphicus meliùs ad rem ; illud ſpatium fore aliquid , eſſet enim menſurabile expanſione tot milliarium ; ideò lapis poſſet dici eſſe in aliquo ; at non ſic in ſpatiis imaginariis.

Probatvr tertiò à S. Doctore , *lib. 1. Compendij Theologicæ veritatis , cap. 17.* illis verſibus , quos refert etiam Dionyſius Carthuſianus : *Dic vbi tunc eſſet, cùm præter eum nihil eſſet ? Tunc , vbi nunc , in ſe, quoſibi ſufficit ipſe.*

Assero ſecundò. Deus poteſt dici extra mundum eſſe altero modo dicto in fundamento , ideſt , præſentia ſuperexcedentiæ ſubſtantialis.

46 Probatvr primò à D. Bonau. in corpore , ex D. Gregorio , *lib. 12 moral. cap 8.* vbi ait : *Deus extra omnia non excluſus , quia non diſtat : & intra omnia non incluſus ; quia non arctatur ; quia in ſeipſo eſt omninò immenſus.* Idem aſſerunt Athanaſius *in epiſtola Synodi Nicænæ* , Hilarius *lib 1. de Trin. ad 66. Iſaiæ* , & ibidem D. Hieronymus. Ideo aſt ait Magnus Baſilius *homil. 16. ad illud. In principio erat verbum.* Et S. Auguſtinus , *lib. 8. de Geneſ. ad litt. cap. 26.* & *lib. de eſſentia Diuinitatis* , D. Iſidor. *lib. de ſummo bono cap. 2.* Hic modus dicendi oritur ſcripturis , *vt 3. Reg. 8. Si enim cælum , & cæli cælorum te capere non poſſunt.* Iob. 11. *Excelſior cælo eſt , & quid facies ? profundior inferno , &c.* Idem habetur Baruc 3. Et Eccleſia canit. *Quem cæli capere non poterant , tuo gremio contuliſti* , vt ait S. Bonau. *in ſpeculo B. Virginis , lect. 5. & opuſculo de Immenſitate Dei.*

Reſpondet Vaſquez , Scripturam , & Patres ſolùm velle , Deum non circumſcribi hoc mundo , non quia extra in ſpatiis imaginariis ſit , ſed quia infinita eius poteſtas , & immenſitas in maiori eſſe poteſt. Eodem modo reſpondet Faber.

47 At hoc eſt inutile effugium , non enim de potentia ; ſed de actu loquuntur. Non ponunt quidem Deum in ſpatiis imaginariis , vt in loco. Ita colligitur ex D. Auguſt. *lib. de natura boni , contra Manichæum , cap. 3.* & Hugone de S. V. *lib. 1. de Sacram. p. 3. quæſt. 37.* attamen neque ſolam excellentiam in actu primo ſupereminentiæ aſtruunt ; ſed ſuper veluti extenſionem , vt videre eſt in allegatis teſtimoniis , ſi intelligantur , & in S. Dion. *de Diu. nom. cap. 9.* vbi ait : *Deus extrinſecus ſuper omnem magnitudinem funditur ; & ſupra expanditur.* & in D. Athanaſio orat. contra Græcales Sabellij , vbi ait. *Cæli cælorum non ſufficiunt tibi* (inquit Salomon ad Deum verba faciens) *magno argumento mortales docens , nihil locorum Deitatis eſſe capax.* & D. Gregorio Nazian. *Apol. 1.* dicente : *Deum in vniuerſo , & extra vniuerſum eſſe* , & D. Auguſt. *11. de ciuit. Dei cap. 5.* vbi vaniloquium omninò eſſe cenſet dicere , quòd Deus ſit tantùm extra mundum. Tandem D. Gregorio adducto à D. Bonau. *homil 8. in Ezech.* vbi ait : *Deum implere , & ſuperexcedere omnia* , & in id Iob. *Excelſior cælo eſt* , ait, *Deus excelſior eſt , quia incircumſcriptione ſpiritus omnia tranſcendit.* Hinc Triſmeg. Deum ſphæram , ait, cuius centrum vbique , circumferentia nullibi.

Hi omnes non ſolùm excellentiam aſtruunt ; neque ſolam excludunt circumſcriptionem , & definitionem in loco , vt putant aduerſarij , ſed addunt expanſionem extra mundum ; vt patet. Imò D. Gregorius Nazian. *oratione 34.* iudicat , hoc ſequi abſurdum , vt Deus mundo ſit circumſcriptus , ſi extra mundum non ponitur. Hinc vana eſt ſolutio Vaſquez , Nazarij , & Fabri dicentium , id ſolum intendere Nazianzenum , vt neget , eum circumſcribi. Imò deducit , eum circumſcriptum , ſi extra mundum non aſſeratur adeſſe ; quod eſt argumentum tertium Seraphici Doctoris , & ſanè validiſſimum.

Locum verò D. Auguſtini genuinum pro nobis, ſagax omiſit Vaſq. vt notat Macedo, *Coll. 9. Diff. 3. ad finem* , ſed Conimbricenſes hunc premunt *8. Phyſ. c. 10. quæſt. 2. art.* & quem , è D. Aug ſibi obiecit Vaſq. omittunt.

Probatvr ſecundò à S. D. argumentis ſecundo loco , additis reſponſis.

Primvm argumentum eſſe poteſt. Deus valet inducere vacuum in tota concauitate Sphæræ lunaris; at tunc Deus ſua immenſitate eſſet ibi , nec reſtringeretur. Ergo Deus ſua immenſitate adeſt , vbi non eſt locus ; ſed ſpatium inane. Tunc poſſet Angelus mouere orbem Lunarem. Similiter poſſet volui rota in vacuo iſto ſublunari. Similiter poſſet ignis , è terra, per vacuum aſcendere ; & lapis deſcendere è cælo Lunæ ad ima : vt colligit Pater Galitius *p. 1. Phil. lib. 4. tract 5. quæſt. 2.* ex D. Bonau. *in 1. diſt. 37. q. vlt.* Probatur , quia ibi eſſet ſurſum , & deorſum , & appetitus in mobili ad ſuum centrum, vel ad Sphæram ; imò ad vacuum replendum.

Hinc verò Meldula loc. cit. Infert. Si corpus poteſt moueri in vacuo. Ergo poteſt in illo eſſe. Ergo etiam in ſpatio imaginario idem fieri poteſt. Probatur conſeq. quia vtrobique eſt diſtantia negatiua : Et ſicut in illo vacuo eſſet Deus : ità & in ſpatio imaginario. 48
Probatur conſeq. quia poteſt Angelus ſuper Empyreum aſcendere ; & beatus ibi extendere brachium, vel arundinem. Quis autem negabit ibidem Deum? Hoc argumentum adeò euidens acclamat Meldula loc. cit. vt eo preſſi duo celebres Scotiſtæ Faber *loc. cit. cap. 3.* in fine , & Vulpes ad euadendum , auſi ſint negare , vacuum per Dei potentiam eſſe poſſe. Verùm hoc argumentum debile à Doctore Seraphico cenſetur , quia non eſt eadem ratio de vacuo ; & de ſpatiis imaginariis , nam vacuum intra aliquod corpus continet ſpatium dimenſum ſuperficiebus , intra quod debet eſſe Deus ; vt non diſcontinuetur præſentia Dei: non ſic ſpatia imaginaria ; in hoc verò eſt ſimile , quia Angelus extollens ſuper connexum cæli Empyrei arundinem menſurabit tot cubitos , quibus extollitur cuſpis arundinis , recedens ab illa ſuperficie ; & ex hoc dico , futurum motum rectum. An verò , arundo iacta ſupra ſuperficiem conuexam Empyrei poſſet attoli ; negat P. Galitius , *num. 4.* quia non haberet terminum *ad quem* cùm ibi nihil ſit. Vnde ſicut, ſi nulla eſſet qualitas , non poſſet fieri alteratio : ità , ſi non eſſet aliquod *vbi* , non eſſet latio. Attamen poſſet menſurare diſtantiam mediam inter baſem arundinis iactæ , & conuexum Empyrei.

Addit Doctor Seraphicus , fortaſſe eſſe fictionem ponere, Angelum ſuper Empyreum aſcendere. Vnde ad hoc argumentum eluendum , inani labore conſumuntur Fauentinus , & Vulpes , negando , poſſe Dei virtute admitti vacuum. Tum quia non benè infert conſequentiam ad ſpatia imaginaria : tùm quia falſiſſima eſt illa opinio. Quis enim neget , Deum poſſe in inſtanti deſtruere omnia elementa . & tunc cæli non comprimerentur. Primò, quia deberent comprimi in

inſtanti,

inſtanti, & tunc fieret motus maximus localis in inſtanti. Deinde, cur Deus non poſſet ſuſpendere ſuum concurſum, ne concurreret cum cælis ad compreſſionem. Tertiò quia ſunt incorruptibiles, & non poſſunt confringi, nec naturaliter conteri, ſi credis Ariſtoteli: neque, ad ſupplendum vacuum in corporibus ſublunaribus, natura conaretur deſtruere corpora ſuperiora cùm magis ſpectent ad ordinem naturæ, quàm inferiora.

49 NEQVE verò aliquam implicantiam eſt inuenire, ob quam tale vacuum virtutem Dei potentiæ tranſcendat. Quod enim Moderni quidam dicunt, ſecuturam implicantiam, quia extremæ ſuperficies concauæ orbis Lunæ eſſent immediatæ; & non immediatæ. Immediatæ, quia nullum corpus mediat; non immediatæ quia diſtarent; digitorum confricatione diſſoluitur. Eſſent enim mediatæ, quia mediat ſpatium illud intra concauitatem, vbi eſſet priuatio quæ non eſt ſimplex negatio, ſed carentia formæ in ſubiecto apto repleri, vt notat Tannerus *n*. 11. cum Seraphico, *diſt*. 37. *p*. 2. *quæſt*. 2. *ad argumenta*, ſanè agentes de Vacui poſſibilitate, tenemur proprio ſenſu accipere, vt monet Ariſtoteles 4. *Phyſ*. *textu* 57.

Propterea enim priuatio inter principia rerum naturalium ab Ariſtotele 1. *Phyſ*. collocatur, quia non eſt merum nihil, ſed dicit carentiam formæ, & connotat ſubiectum naturaliter aptum tali formæ. Ecquis enim negabit, poſſe iterum Deum creare aërem, & replere totum concauum orbis Lunæ. Vnum poſſet quis opponere, ex Doctore Seraph. *in* 1. *diſt*. 37. *q*. *vlt*. *ad* 2. vbi videtur inuenire implicantiam, ob quam nequeat à Deo admitti vacuum.

50 Reſpondetur, nihil aliud eum velle, quàm ponere ſententiam Ariſtotelis: ſi eſt eius, quòd ſi daretur vacuum, non fieret in eo motus, niſi in inſtanti, ſumpto vacuo, non vt nos accipimus, contentum intra aliquod concauum; ſed inanitatem meram, quæ eſt nihil; atque adeò nullam dicit diſtantiam, & ideò nec propè, nec longè. Motus autem localis fit per approximationem, & elongationem. Hoc autem affert ad ſaluandum Ariſtotelem quia remotâ reſiſtentiâ medij in vacuo, inferebat, futurum fuiſſe motum in inſtanti. Quia enim opponi poterat, non ſolam reſiſtentiam medij; ſed etiam diſtantiam eſſe cauſam ſucceſſionis motus localis; ideò addit Seraphicus, per vacuum intellexiſſe inane, abſque ſpatio reali. Ex quo reſpondet argumento, Angelum non moueri in inſtanti, vt inferebat arguens ex eo, quòd non habet reſiſtentiam ſuo motui, quia habet adhuc ſpatium reale diſtantiæ, per quod pertranſeat. Quare nihil de potentia Dei agit Seraphicus Doctor ſicuti nec *q*. 2. *art*. *primi ad* 4. Vacuum verè naturaliter non poſſe dari, probat recens P. Seraphinus Rotella, contra Magnum, & Roberual egregiè.

51 EODEM modo loquuntur Gillius loc. cit. & Tannerus in fine. Dixi verò ſi illa eſt Ariſtotelis opinio; quia arbitror cum aliis, eum arguere ad hominem contra aliquos, admittentes vacuum, & ſimul totam lationis ſucceſſionem adſcribentes reſiſtentiæ medij, vnde ſequitur, motum fore in inſtanti, & mobile ità ſimul eſſet in termino *à quo*, & ibi non eſſet; cum ſimul ſit in termino *ad quem*. Hæc latius diſſeram, *tr*. 5. *d*. 12.

52 PROBATVR tertiò à Seraphico Doctore argumento ſecundo. Sicut ſe habet Dei æternitas ad omne tempus; ità & immenſitas ad omnem locum; ſed Dei æternitas fuit ante omne tempus. Ergo Dei immenſitas eſt extrà omnem locum. Eodem argumento vtitur Franciſcus Zumellus.

Reſpondet Vaſquez, Deum fuiſſe ante tempora in ſeipſo, in æternitate; & ſic etiam ante loca fuiſſe in ſeipſo, non aliquibus ſpatiis. Imò cum Nazario retorquet argumentum. Deus ab æterno non fuit in duratione temporis imaginaria Ergo nec in ſpatiis imaginariis. Idem reſpondet Faber addens, ſpatium imaginarium, cùm ſit nihil, fingi à nobis deluſis, eſſe aliquid.

Verùm nouimus quidem in hoc eſſe comparationem, vt ſicut ante tempora non fuit Deus in aliqua duratione; quæ denominetur *ante*; quia hæc propoſitio ſignificat anteriorem partem durationis ſucceſſiuæ; ità nec fuit in aliquo *Vbi* reali, extra hoc *Vbi*, vt monet S. Bonau. ad argumenta; attamen valet alioqui paritas, vt ſicut æternitas eſt attributum actuale Dei, per quod Deus in ſe durabat; ità ex immenſitate erat immenſus actu; ſicut autem æternitas dicit infinitam durationem; ità immenſitas infinitam expanſionem. Falluntur autem putantes, Deum à nobis poni in ſpatiis illis, tanquam in loco. 53

PROBATVR quartò à D. Bonau. argumento tertio, nam cùm perfectio diuina, quâ Deus eſt in loco, ſit infinita actu; fieri non poteſt, vt vllus locus finitus ſit adæquatus Deo. Hac ratione vtitur Valentia. 54

Probatur quintò à Doctore Seraphico, ratione quarta *hic*, & in prima parte, *diſt*. 37. *q*. 1. Cauſa vniuerſaliſſima, cuius ſubſtantia eſt ſimpliciſſima, vbicunque operatur, adeſt ſubſtantialiter; at Deus eſt tale agens, quod produxit mundum è nihilo in ſpatiis imaginariis, & poteſt alios mundos creare. Ergò. Hoc argumentum probat ſolùm, Deum, vt ageret, præfuiſſe ſubſtantialiter; non tamen in aliqua re; nam creatio rerum eſt ratio cur Deus ſit in ipſis rebus.

Reſpondet tamen Fauentinus, negando maiorem de agente per voluntatem, qui poteſt operari indiſtans.

AT reſponſio hæc nititur falſa imaginatione; concipit enim Deum ad modum creatorum agentium per voluntatem finitam, & imperfectam, qui præcipiunt etiam longè, executionem alteri relinquentes; at voluntas Diuina perfectiſſimo modo operatur totum; & dum ait: *Fiat Lux*, facit totum, nam eius eſſentia, & potentia, atque voluntas ſunt vna ſimpliciſſima entitas, quæ per ſe immediatè operatur, quo fit, vt neceſſariò adſit ſubſtantialiter, vbi vult creare; alioqui licebit dicere, voluntatem, & potentiam latiùs expandi, quàm eſſentiam; & ità egredi extra eam, quod eſt ridiculum, cùm nulla potentia ſit amplior, quàm eſſentia.

Confirmatur, nam & Scotiſtæ, relati *q*. 2. aſſerunt, inferri concomitanter ex operatione præſentiam Dei ſubſtantialem, & hoc vrget Faber ibi. Ergo cùm poſſit agere in ſpatiis imaginariis, ſequitur in ſententia Fabri, & diſcipulorum, Deum ibi eſſe ſubſtantialiter.

PROBATVR à D. Bonau. ſextò 1. *diſt*. 37. *p*. 2. *q*. 2. *in corpore*, *& ad* 4. *& in quæſtione præſenti*. Si Deus eſſet ſolùm in mundo, non extra; ſequeretur, Deum poſſe localiter moueri; at hoc eſt abſonum: Ergo. Probatur ſequela. Motis nobis, mouentur ea, quæ ſunt in nobis, ex Ariſtotele *in Prædic*. *cap*. *de ſubſtantia*, *&* 2. *Top*. *c*. 3. Probatur minor, quia faceret Deum localem, mutabilem, pendentem à loco. Propterea enim, moto corpore, mouetur anima, quia in illo definitè ſtat dependenter; è contra, ideò moto aëre, non mouetur radius, quia radius à corpore luminoſo pendet; non à medio. Iam verò ſecundùm aduerſarios, Deus definitur hoc mundo. Ponamus enim hunc mundum transferri ad ſpatia imaginaria, iam mouebitur etiam Deus. Confirmatur, nam D. Auguſtinus 16. *de ciuit*. *Dei cap*. 5. *Idcircò*, *ait*, *Deum non moueri*, *quia ſemper vbique eſt totus*. Idem habet *lib*. 7. *cap*. 30. & D. Iuſtinus *Dial*. *contra Tryphonem*. Hoc argumento vtuntur Molina, & Suarez. 55

Reſpondet Faber, neg. ſequelam, quia Deus non refertur ad mundum relatione reali præſentiæ. Sed hoc non eſt ſatis; ſufficit enim, Deum ità eſſe in

mundo, vt non ſit extra, nec alibi. Nazarius negat, Deum mundo definiri, quia poteſt eſſe extra; ſed hoc non eſt ſatis ad vitandam mutationem, ſufficit enim, vt cùm non ſit in hoc, incipiat eſſe in eo, vt non fiat mutatio in ſola re producta.

Replicat Nazarius, nos decipi, putantes, ſpatium eſſe diſtinctum à corpore, cùm ſpatium nil aliud ſit, quàm ipſa corporis extenſio. Vnde Deus non eſſet niſi in corpore de nouo creato, facta mutatione in ſolo mundo.

Verum ſpatium tale eſt, vt recipiat id, quod non recipiebat extra mundum.

Reſpondent alij apud Vaſquez moueri Deum per accidens; non mutatione intrinſeca Dei; ſed reſpectu quodam extrinſeco diſtantiæ variato, qui ei conuenit, reſpectu corporis, cui præſens eſt, quem nouum reſpectum, creatione noui mundi, acquiret; imò perdet, reſpectum hunc deſtruens. Addit Vaſquez in noſtra ſententia non minùs ſequi, Deum moueri; quia, ſi vniuerſum moueretur, inciperet Deus cum illo habere nouum reſpectum, quem ante non habebat.

56 Enim verò non tangit punctum argumenti, cuius vis in eo ſtat, vt cùm Deus ità ſit in hoc mundo, vt non ſit extra, oporteat tranſlato mundo, transferri Deum, cùm non poſſet alibi eſſe: at nos, cùm dicimus, Deum eſſe extra, non ſubimus idem diſcrimen; nam ad creationem noui mundi, incipit mutari ſolus mundus, & Deus, qui extra erat, ſtat immotus; ſicut lumen ſtat, moto aëre. Itaque neque nouus inſurgit reſpectus, ſicut in ſententia oppoſita.

Reſpondet Vaſquez, ex ſua ſententia, Deum non acquirere nouum reſpectum, quia non poteſt habere reſpectum diſtantiæ à punctis imaginariis; ſicut habet corpus, nam vbicunque figamus puncta, ab his non diſtat Deus. Ideò, etiamſi moueretur hoc vniuerſum, Deus non moueretur.

57 Contra. Ponamus, figi puncta ibi, vnde recedit mundus; & recedere mundum ad mille leucas, vt Vaſquez, & alij concedunt poſſe fieri; tunc Deus erit quidem in illo puncto at non erit in tota illa diſtantia; alioqui non eſt cur negent, Deum eſſe etiam in toto ſpatio imaginario, ſumpta diſtantia à ſuperficie conuexa vltimi cæli. Ergo Deus mille leucas ambulauit.

58 Qvo verò pacto, moto vniuerſo, non moueatur Deus, in noſtra ſententia, præclarè (ait Tannerus n.14.) explicatur à Seraphico, *citata queſt. ſecunda*, his verbis. *Cùm res priuatur*, (ſeu deſinit eſſe) *aufertur comparatio eius ad Deum. Sed cùm res mouetur; Deum non dimittit: nec ad Deum accedit: nec Deus ad eam conuertitur, quia ſic eſt in re vt ſit extra rem idem.* Ideò nec res eum dimittit, nec nouum inuenit. Et hoc eſt intelligibile; ſi quis poteſt intelligere, quod Deus ſit immenſus, ſimplex, & infinitus.

Quia enim eſt immenſus, ità eſt intra, quod extra: quia ſimplex ſecundùm totum, & idem eſt intra, & extra: quia infinitus, ideò nec dimittitur, nec acquirit aliud in re; nec ab ipſo itur ad ipſum, cum dimittitur, vt alibi, & alibi inueniatur.

QVÆSTIO VIII.

An Deus ſit in omnibus rebus per præſentiam, eſſentiam, & potentiam, & quomodo.

D. Bonau. d.37. p.1. art.3. q.3.
D. Thom. q.8. art.3.

59 Evvlgatvm eſt Theologorum proloquium. Deum eſſe vbique, his tribus modis. Variè tamen explicatur.

Primo quidem Alenſis *p.1. queſt.10. m.2.* docet, Deum eſſe in omnibus rebus per eſſentiam, quia ſua eſſentia attingit vniuerſa: per præſentiam verò ratione ſuæ operationis: per potentiam denique ratione ſuæ potentiæ, qua poteſt omnia.

Hunc modum impugnat optimè Seraphicus Doctor, vt notat Vaſquez *diſp.*30. Quia multa ſunt præſentia, vbi non operantur. Ergo modus eſſendi per præſentiam, non ſumitur èa operatione. Idem è Seraphico aduertit Meldula, *diſp.2.q.4.art.3.num.*240.

Secvndo. Durandus, *d.37. queſt.*1. conſiderat in 60
Deo eſſentiam, virtutem, & operationem; & ratione operationis ait, Deum eſſe in rebus per præſentiam, nam per operationem, res producuntur in rerum natura; & Deus fit eis præſens; & ipſæ res Deo. Ratione virtutis ait, eſſe præſentem per potentiam, quia operatio exit à potentia. Tandem, Deum eſſe præſentem per eſſentiam, ratione eſſentiæ, quæ coexiſtit rebus, vt eas conſeruet; ſicut ſigillum, vt conſeruet figuram in aqua, debet ſimul cum ea coexiſtere.

Contra arguit Vaſquez primò, quia confundit modum exiſtendi per potentiam, & per eſſentiam, ambos explicando, per ſolam coexiſtentiam realem.

Deinde arguit contra modum exiſtendi per præſentiam, quia nihil eſt in præſentia alicui, quod non cognoſcatur. Sic non dicitur arbor eſſe in præſentia arboris, & ſi vicinæ ſint. Statuitur in Lege *Coram, ff. de verborum ſignificatione.* Idem docet D. Auguſt. *ep.*112.

Confutatur is meliùs à D. Bonauent. nam præſentia non dicit cauſalitatem, cùm poſſit aliquis eſſe præſens, nec cauſare. Deinde prima operatio, quæ eſt creatio, eſt cauſa præſentiæ in rebus; debuit ergò Dei præſentiam potiùs ponere per potentiam, & per eſſentiam; nam potentia, & eſſentia ſunt, ex quibus res fiunt præſentes Deo, eo ipſo, quòd fiunt. Et ideò in fine corporis, ait S. Doctor, quòd hæc omnia præcedit eſſentia, priùs enim conſideratur eſſentia rei, quàm referatur ad Deum, in ratione effectus.

Tertivs modus, cui omnes ferè plaudunt eſt, 61
Deum eſſe in rebus per eſſentiam, quia Dei ſubſtantia non eſt diſſita à rebus. Secundò per præſentiam, quia omnia cognoſcit. Tertiò per potentiam, quia eius operatio omnia attingit. Ità D. T. hic cum diſcipulis. Albertus 1. *d.37.art.5.* Ægid. *ibi q.*2. Richardus *art.2. q.*1. Gabriel *q.vnic.art.*1. Vaſquez *diſp.*30. Suarez *lib.2. de attrib.neg.cap.*2. Valentia *diſp.1.queſt.8.p.*3. Tanner. *diſp.2.q.4. dub.3.n.*10. Caſpenſ. *Tract.7. diſp.7.ſect.*1. Morandus *T.1.q.*9. Becanus *cap.6.queſt.*1.

Contra modum exiſtendi in rebus per præſentiam arguitur; quia, cùm cognitio ſit in Deo, & obiectiuè res in eo ſint per cognitionem; deberent potius dici, eſſe in Deo per præſentiam, quàm Deus in illis; vt arguit Aureolus, ex Seraphico, argumento 4. addita explicatione in corpore.

Deinde, quia Deus cognitione habet præſentes æqualiter res, quæ ſunt, & quæ non ſunt, vt arguit Fauentinus *num* 7.

Alios modos recenſet Seraphicus Doctor, iam antiquatos.

Qvartvs verò, & optimus modus eſt D. Bona- 62
uenturæ. qui ſic declarat, Deum eſſe in omnibus rebus per præſentiam, quia per præſentiam non diſtat ab vlla re: ſicut corpus continens, & contentum ſunt contigua. Per potentiam, quia omnibus rebus influit. Tandem per eſſentiam, quia omnia intimè peruadit, & penetrat, vt anima in corpore. Sequitur Marcus noſter *q.8. art.*3. etſi laris Scoto, & D. Thomæ S. Bonau. nectat. Trigoſius *q.6. art.6. dub.*2. etſi modum D. Thomæ laudet. Coriolanus verò, *queſt.7. art.*3. cum D. Thoma, præſentiam miſcet.

Contra

Contra hunc modum arguunt Vaſquez, & alij dicentes, ſic confundi modum eſſendi per eſſentiam, & per præſentiam; nam eſſe indiſtans ab aliqua re ſecundùm eſſentiam, eſt eſſe illi ſecundùm eſſentiam præſens.

Deinde, quia nihil eſt in præſentia, niſi in quantum cognoſcitur intuitiuè, vt ſupra dicebat contra Durandum.

Enim verò, prima impugnatio futilis eſt, vt monet Faber, nam modus eſſendi per præſentiam, dicit tantum vicinitatem, ſicut loci, & locati; at verò modus inexiſtendi per eſſentiam, dicit intimam penetrationem, quæ duo differunt non ſolùm in Deo, qui intimè peruadit omnia; verum etiam in aliquibus creaturis, vt patet in exemplis à Seraphico Doctore allatis; nam aliqua ſunt præſentia, quæ non penetrant rem, vt locus, reſpectu locati; aliqua peruadunt, vt anima eſt in corpore, liquor in liquore. Dices. Id, quod penetrat, eſt etiam vicinum, ſed penetrando, fit præſens per eſſentiam Ergo fruſtra additur præſentia. Reſpondent, ità eſſe. Sed S.Bonau. diuerſos modos explicat, quibus creaturæ ſunt in aliis, vt dicam in fine. Deinde non conuertuntur, vt qui vicinus eſt, illicò penetret, & ideò modum diſtinctum facit.

63 Quòd verò addit, ea ſola eſſe præſentia, quæ cognitionis intuitiuæ obiecta ſunt, falſum eſt, vt habetur in Lege: *præſens, ff.de Procuratoribus*, vbi dicitur. *Ad litem illum haberi præſentem, & qui in hortis, & qui in foro, & in vrbe, & in continentibus ædificiis.*

Reſpondet Vaſquez, eos cenſeri præſentes, quia horti, &c. ſunt partes vrbis. & qui in his ſunt, ſolent videri, & actu cognoſci.

Contra verò eſt, quia hæc lex agit de præſentia, quæ requiritur tribunali iudicij; certum eſt autem, eos, qui in hortis, &c. non eſſe præſentes tribunali. Scio quidem, præſentiam, etiam in operationibus moralibus, vel intellectualibus, requirere attentionem, vt vult D.Auguſt. & indicant Scripturæ allatæ à Vaſquez; ſed non eſt vniuerſaliter verum, vt ſtatuendum ſit, illud ſolummodò eſſe præſens, quod cognoſcitur. Multa de hoc ſcripturarum adſunt teſtimonia.

64 Geneſ.13. Abraham dixit ad Loth. *Ecce vniuerſa terra coram te eſt*. Certum eſt autem, non fuiſſe cognitam totam Loth aduenæ iuueni. Idem ait Abimelech Abrahæ *Geneſ.* 20. Sæpè verò meminit Scriptura, aliquid factum coram omni multitudine, vt *Deuter.*31. Vocauit Moſes Ioſue, & eum coram omni Iſraël eſt allocutus. Certum eſt autem, non omnes fuiſſe præſentes, vt viderent, & intelligerent. Idem habetur 2. Eſdræ 8.& 3. *Eſdræ* 9.Sic mulier ſanguinis olim fluens indicauit coram omni populo miraculum, vt dicitur *Luca* 8. & tamen certum eſt, non omnem populum vidiſſe, vel audiiſſe, quia multi erant pueruli, multi ſurdi, qui non intelligebant. Ergò non erant præſentes. Probatur conſeq. ex Lege *Coram, ff.de verb. ſignif.* allegata à Vaſquez, vbi ait. *Itaque ſi furioſus, aut infans ſit, aut dormiat, non videtur coram illo feciſſe.* Ergo falsò dixiſſet Scriptura, hæc facta coram omni multitudine.

Assero primò, Deum eſſe in omnibus rebus per eſſentiam, præſentiam, & potentiam: eſt de fide, quoad rem.

65 Probatvr à D. Bonau. in Compend. Theolog. c.12. cum Alenſi *p.*1. *quæſt.*10. *m.*2. ex illo Pſal.138. *Quo ibi a ſpiritu tuo, &c. Si aſcendero in cælum, tu illic es*, ideſt per eſſentiam, *Si deſcendero in infernum, ades*, per præſentiam; *ſi habitauero in extremis maris, illuc deducet me dextera tua*, per potentiam. Eodem modo exponitur à Trigoſio, qui multos adducit; & aduertit non eſſe Deum vno modo tantùm in ſingulis locis enarratis; ſed in ſingulis eſſe omnibus modis, quia diſtinctè recenſentur, vt magis explicentur diſtinctè. Ex quo malè ait Vaſquez *num.*9. à nullo Patre, aut probato Scripturæ interprete ità exponi hunc locum. Sic exponunt & Marcus à Baudunio, *quæſt.*8. *art.*3. & alij.

Probatvr ſecundò à S.Doctore, Magiſtrum, & Alenſem præceptorem ſecuto, ex D.Gregorio. Adducitur autem *in cap.*5. *Cant.* & quidem Trigoſius *quæſt.*6.*art.*6. ait haberi ad ea verba. *Quo abiit dilectus.* Verum ibi non inuenitur aliquid tale. Verè quidem *homil.*8. *in Ezech.* & 2. *Moral. cap.*8. habetur de hoc aliquid. Quare nil mirum Vaſquez, *num.*8. dicere, ſe non inueniſſe hunc locum.

Probatvr tertiò, argumento S. Bonauenturæ, quod eſt etiam Richardi de S.V. *lib.de Trin.cap.*23. De fide eſt ex Symbolo, ex Concilio Rhem. ex Later.cap. *Firmiter*; certumque eſt, omnipotentiam eſſe idem realiter cum eſſentia. Ergo vbi eſt potentialiter, eſt etiam eſſentialiter. Ergo etiam præſentialiter.

Assero ſecundò. Optimus eſt modus à Doctore Seraphico ſuprà aſſignatus.

Obiicit verò ſibi S. Doctor. Deus adeſt operando in rebus, etiam ſcientia, & voluntate, non minùs, quàm potentia.

Reſpondet, illis modis potiùs res eſſe in Deo; 66
quàm Deum in rebus, at ſecundùm potentiam agens potius eſt in paſſo. Eodem modo reſpondet, D.Thomas. Ex quo habes, Seraphicum non aſſignare omnes modos, quibus Deus vnitur rebus; ſed eos, quibus ipſe eſt in rebus; & quia inter nos aliqua ſunt in rebus, virtute operando, vt Sol in terra; aliqua contigua, vt locus locato: alia penetrando, vt liquor in liquore. Ideò eos Deo applicat, ſecluſis næuis imperfectionum.

Trigoſius *quæſt.*6. *art.*6. *dub.*2. aduertit, doctrinam D. Bonauenturæ veram eſſe, ſuppoſita creatione, vt Deus primò ſit in rebus præſentialiter, deinde potentialiter, tertiò eſſentialiter. Prius enim debet intelligi Deus præſens, quàm agat, quia agens, & paſſum debent eſſe ſimul, iuxta Ariſtotelis doctrinam. Deinde intelligitur potentia, ſeu virtus. Et vltimò eſſentia eius intimè exiſtere.

QVÆSTIO IX.

Vtrum Deus ſit vniformiter in omnibus rebus.

D Bonau d.37. p.1. art 3. q.1.

Assero primò, Deum ex parte ſui eſſe æqualiter, & vniformiter in omnibus rebus. 67

Probatvr à S. Bonauenturâ primò, *ex* 12. *met. text.*52. *& lib.de cauſis, propoſit.*24. vbi docet. Primam cauſam vno modo ſe habere ad omnia. Deus eſt prima cauſa. Ergo.

Secvndo. Ens Infinitum ſimpliciſſimum eſt vniformiter in omnibus. Deus eſt Ens tale. Ergo.

Assero ſecundò ſi computentur effectus Diuini; Deus non eſt vniformiter in omnibus.

Probatvr à Seraphico, primò ex Ariſtotele 3. 68
de anima, textu 18. Quicquid recipitur ad modum, & ſecundùm capacitatem recipientis recipitur: at creaturæ non ſunt æqualiter capaces effectuum Dei. Ergò.

Aduertit tamen S. Bonau. hoc non valere contra primum aſſertum, nam axioma illud non eſt verum, quando receptum non pendet à recipiente. Talis eſt Deus independens.

Sscvndo, Exiſtentia Dei in rebus eſt conſeruatio rerum ſed non omnes æqualibus effectibus conſeruantur. Ergò. Coofirmatur in corpore, qoia aliqua plus recipiunt extenſiuè, vt incorruptibilia, quàm corruptibilia: alia intenſiuè, vt anima noſtra, & Angelus, quàm anima bruti.

Vnam argumeotum tertium babet difficultatem. Quod eſt ſummè intimum alteri, eſt in eo vniformiter. Deus ſic eſt in omnibus. Ergo. Probatur Minor, quia forma ipſa, quæ dat eſſe materiæ, ac proinde eſt intima illi, & appetit ſummè intimam cum ea vnionem, vnitur per Deum. Ergo Deus eſt magis intimus rei, quàm forma.

Reſpoodet S.Bonao. quòd ſicut qoælibet forma dat eſſe intimum rei; attamen vna magis perfectè actuat, qoàm alia; ità etiam, licèt Deus ſit intimè in omnibus; attamen vnum magis perficit, quàm alium, in ordine tum naturæ; tum gratiæ; tùm etiam gloriæ.

Aliqua autem verba ſunt explicanda argumenti tertij. Ait enim Seraphicus, Forma non vnitur materiæ, niſi mediante appetitu; appetitus autem ortum habet ab eſſentia; at Trigoſius legit. Ortum habet ab eſſe, & ità neceſſariò legendum dicit; alioqui nullum habere ſenſum; certum eſt enim ea Philoſophia, quòd materia appetit formam, quia appetit eſſe, non enim poteſt eſſe ſine forma, & forma appetit dare eſſe materiæ.

69 At verò in ſententia Seraphici Doctoris, materia non habet eſſe à forma, vt oſtendam *tract.5. diſp.1. quæſt.12.*

Ex corpore habemus etiam viuens vita ſenſibili eſſe per ſe nobilios Inanimi, etiam cælo. Idem docet *in 3. d.21. art.2. quæſt.5. ad 3.* quæ eſt ſententia D. Auguſt.11. *de ciuit. cap.16.* & *lib. de vera relig. cap.29.* & *cap.55. & lib.1. de Doctrina chriſt. cap.8.*

70 Probatur, quia viuentium eſt perfectior operatio. Ergo & eſſentia, à qoa eſt operari. Hoc autem eſt verum, cæteris paribus, vt ait D.Bonau. in 3. loco citato, quia caro Chriſti mortua, ob vniooem hypoſtaticam, erat nobilior Leone.

Verum enim verò, poteſt dici res aliqua inanimis, perfectior animatis. Ità cælum, ob præſtantiam compoſitionis, & incorruptibilitatem, eſt formica præſtantiùs. Vide Trigoſium *q.6. art.5. dubio vnico.*

QVÆSTIO X.

De variis effectibus cauſatis à Deo in rebus.

} D.Bonau. d.37. p.1. art 3. q 2.

Vasqvez *diſp. 30. cap.3.* alios modos tribus prædictis addit; quibus Deum in rebus inueniamus. Primus eſt, ſicut cognitum eſt in cognoſcente; vel in templo, præcipuè ſpirituali per gratiam, vel per vnionem hypoſtaticam in Chriſto.

71 At S.Bonau. hîc tres enomerat modos ex D.Auguſt. *ep.57.* ad Dardanum. Vt in rebus omnibos ſit per naturam; in Sanctis per gratiam: in Chriſto per vnionem hypoſtaticam.

Advsrtit autem Seraphicus Doctor, hos noo eſſe meros modos eſſendi Dei in rebus; ſed eſſe modos effectuom. Aliqui enim effectus comparantur ad Deum per modum exeuntis; & ecce primus modus per natoram; aliqoi per modum redeuntis. Ecce effectus per gratiam inchoatiuè, & per gloriam conſummatiuè; aliqui per modum permeoientis, & inſidentis; & ecce humanitas Chriſti hypoſtaticè vnita. Primos effectus lineæ rectæ comparat. Secundos reflexæ; & tertios circulo. Itidem primus modus aſſimilatur lineæ; ſecundus, qui primum includit, ſoperficiei: tertios verò, qui duos primos complectitur, aſſimilatur corpori. Ideò Coloſ.2. dicitur: *In Chriſto inhabitat diuinitas corporaliter*, ideſt perfectiſſimo modo.

In Compendio autem Theologiæ *lib. 1. cap.17.* 72
notat, Deum multipliciter eſſe in rebus, ideſt per naturam, & ſic eſt potentialiter, & eſſentialiter. Similiter per gratiam in iuſtis, Ioao. 15. *Qui manet in me, & ego in eo.* Item per gloriam, & ſic eſt in rationali virtute animæ, vt veritas, & hic eſt primus aſſignatus à Vaſquez, tanquam cognitum in cognoſcente. In concupiſcibili, vt booitas; in Iraſcibili, vt poteſtas. De his agam prima ſecundæ, *Tract. 5. diſp. 2. quæſtione prima.* Item per conſeruationem, & gubernationem in mundo. Item per viſionem, & ſic fuit in vtero Virginis vnitus humanæ naturæ; & in ſepulchro vnitus carni; & in Lymbo vnitus animæ. Item dicitur Deus eſſe alicubi per occultorum reuelationem. *Geneſ. 28. Verè Dominus eſt in loco iſto.* Item per eacellentiam, & ſic dicitur eſſe in cælo. Pariter per naturæ identitatem. Sic Filius eſt in Patre, Pater in Filio, Spiritus ſanctus in vtroque. Similiter per miraculorum operationem, Exodi 8. *Digitus Dei eſt hic.* Iridem in Angelo, vt decor. In Eccleſia, vt Pater familias Matth.28. *Ecce ego vobiſcum ſum.* Eſt etiam in electis, vt Protector. Vode Bernardus in medit. cap.1. *Deus eſt in creaturis mirabilis; in hominibus amabilis; in Angelis deſiderabilis: in ſe ipſo incomprehenſibilis: in reprobis intolerabilis: in damnatis, vt terror, & horror. In anima fideli, vt ſponſus in thalamo, Rex in regno, Turris in Caſtro. Sicut magiſter in ſcholis, Fons in hortis; Lux in tenebris. Item, ſicut theſaurus in agro, vinum in cellario, carbunculus in auro. Sicut manna in Arca; ſigillum in carta: medicina in apotheca. Item ſicut Cithara in conuiuio: Imago in ſpeculo: mel in Fauo: fructus in arbore: balſamum in Lampade: Lilium in conualle*, ſimilia habet *diſt.37. citata p.1. dub.2.* Per hæc multa ſcripturarum teſtimonia iotelliguntur, vt ootat Caſpenſ. *diſp.7. ſect.1.*

Parcite ſuauitati Spiritus Seraphici, qui diuinos 73
effectus adeò mandit.

Qværit etiam. An ſit in diabolo. Reſpondet, eſſe in eo, vt eſt Spiritus, non vt malus formaliter. Idem habet *dub.6. diſt.37.* & D.Thomas *eadem diſt. quæſt.1. art.1. ad quintum*, & Albertus Magnus *p.1. Tract.18. quæſt.71.* Vide Trigoſium *quæſt. 6. art.6. dub.6.*

Qværit etiam *eadem diſt. dubio 3.* Ao Deus ſit 74
in paruulis per gratiam.

Reſpondet, ineſſe; quamuis enim illi Deum actu non agnoſcant; attamen agnoſcunt in habitu, quia habent gratiam habitualem, per quam agnoſcere poſſunt Deom, cum ad vſum rationis peruenerint & hoc ſufficit, vt Deus ſit in eis per gratiam, quia Deus eſt obiectum habitualis cognitionis, & dilectionis illorum.

Adhuc ea diſtinctione dubio 2. docet, Deum eſſe 75
in ſeipſo. De hoe agit S.Auguſtinus, contra Maximinom, *cap.21. & lib.2. cap.11.* & S.Dionyſius *cap.9. de Diuinis nominibus.*

Probatur, quia eſſe in ſeipſo, eſt eſſe ſuum eſſe; & operari propter ſe: & eſſe immotabilem. Ex quo ſequitur, vt nec elongari à ſe poſſit, nec, non eſſe. Idem habet S. Bonau. paſſim. Quare *in Compendio Theol. lib.1. cap.17.* cooeludit, eſſe *α*, & *ω*. Idem habet hic *diſt.37. dub.2.*

Qværit

Qværit tandem. An Deus, ſicut eſt in ſe; poſſit rectè dici, eſſe apud ſe.

Reſpondet, *dub.* 2. præpôſitionem *apud* dicere tranſitionem tantùm, quoad modum; quantùm autem ad rem, hoc eſſe pro materia ſubiecta. Sic de Verbo dicitur: *Erat apud Deum* Patrem Iuan. 1.

DISPVTATIO VIII.

De immutabilitate Dei.

Ex infinita Dei perfectione oritur immutabilitas, omne genus mutationis excludens. Hoc definitur.

QVÆSTIO I.

An Deus ſit immutabilis.

D. Bonau. d. 8. p. 1. art. 2. q. 1.
D. Thom. q. 9. art. 1.

Asserg, Deum eſſe immutabilem. Eſt de fide.

1 Probatvr primò à Doctore Seraphico *lib. 1. Compend. Theol. cap.* 19. ex illo Malach. 3. *Ego Deus, & non mutor.* Ex prima Iacobi: *Apud quem non eſt transmutatio, nec viciſſitudinis obumbratio.* Et quoad motum localem Hierem. 23. *Cælum & terram Ego impleo.*

Patet ſecundò ex Boetio, *lib. 3. de conſol. metro* 9. vbi aurea habet carmina.

O qui perpetua mundum ratione gubernas,
Terrarum, cælique ſator, qui tempus ab æuo
Ire iubes; ſtabilisque manens, das cuncta moueri.

2 Probat deinde ibidem rationibus Dei immutabilitatem. Et quidem quoad ſubſtantiam. Quia cùm ſit Ens primum non habens principium aliquod, ſiue durationis, ſiue productionis; ſed ſit à ſe; nec poſſit deſtrui, vel in nihilum redigi, quia hoc conuenit his ſolis, quæ ex nihilo ſunt; non poteſt eſſe nouum acquirere, vel antiquum deperdere; & cùm ſit à ſe, eadem eſt ratio omninò habendi in ſe, quicquid intrinſecè habet. Eadem ratione vtitur D. Thomas.

Secvnda ratio vniuerſalis ſumitur ex eo, quod eſt actus purus, atque adeò non habet mixtam aliquam potentiam, vt per aliquam operationem perficiatur. Eadem eſt ratio Diui Thomæ.

3 Tertia ratione arguit, quoad motum localem. Neque enim poteſt moueri naturali motu: primò, quia omnis motus naturalis eſt ad aliquem terminum acquirendum, qui eſt perfectio mobilis, ex *Ariſtotele 4. Phyſ.* at Deus eſt infinitæ perfectionis. Secundò, quia eſt immenſus. Ergo repugnat illi, moueri de loco ad locum. Tertiò, quia non eſt in eo grauitas, vel leuitas, propter quam ſurſum, vel deorſum moueatur. Quartò, quia Deus ſemper in ſe manet. Ergo non eget, aliquem locum extra ſe quærere. Neque poteſt moueri motu violento, quia omnipotens eſt; vnde nulla poteſt ei vis inferri, vt dicitur Iob 9. *Si fortitudo quæritur robuſtiſſimus eſt.* Neque moueri poteſt motu progreſſiuo voluntario, quia voluntas Dei idem ſemper vult, nec fatigari poteſt in opere, ſicut animalia.

4 Probat deinde, non moueri motu recto, quia non habet appetitum ad aliquid acquirendum: neque reflexo, quia vim pati non poteſt: nec circulari, ſicut Sphæræ, quia non eſt corpus.

Myſticè autem hos motus Deo adſcribit, vt moueatur motu circulari; omnia regendo: motu recto, bonos remunerando: motu obliquo peruerſos à peccato mundando. Deinde moueri dicitur motu naturali, quo ſolita bonitate ſe orbi communicat. Violento, damnando impios: motu voluntario, omnia conſeruando. Eadem habet Carthuſ. *in primo diſt.* 8. *quæſt.* 4. cui hæc adſcribit Trigoſius *quæſt.* 4. *art.* 1. in calce.

Sic etiam exponit motum triplicem à Philoſopho aſſignatum à centro, ad centrum, & circa centrum. Primus exhibitus eſt in Incarnatione: Secundus in Aſcenſione: Tertius in prædicatione. Vide Seraphicum Doctorem.

5 In hac autem quæſtione id probat S. Doctor. Quod eſt mutabile, eſt tale vel ſecundùm ſubſtantiam, vel ſecundùm accidens. Deus neutro modo eſt mutabilis. Ergo. Minor probatur, non ſecundùm ſubſtantiam, quia omne tale eſt corruptibile; at Diuina ſubſtantia, cùm non habeat principium, eſt incorruptibilis. Neque ſecundùm accidens, quia in Deo nun eſt accidens.

Confirmatur, quia eſt purus actus: Ergo non eſt in potentia, nam quodcunque mutatur, eſt aliquo modo in potentia, quia: *motus eſt actus entis in potentia, prout in potentia*, ex 3. *Phyſ. textu* 6.

6 Quarta ratio ſumitur ex Richardo *lib. 2. de Trinit. cap.* 3. Omnis mutatio eſt vel in ſtatum meliorem, vel in deteriorem, vel in æqualem. Deus nullo modo ex his poteſt moueri. Ergo. Minor probatur. Non in meliorem, quia eſt infinitæ perfectionis. Non in deteriorem, quia à ſemetipſo eſt; & ideò non poteſt ſuam perfectionem amittere infinitam. Quod ſi in deterius adigeretur, à Diuinitatis apice miſerrimè rueret in creaturarum abyſſum.

Neque in æqualem, quia perfectiſſimus eſt, ſimpliciſſimam habens omnem entis perfectionem, & ideò nequit extrà æqualis dari perfectio. Eodem ferè medio vtitur D. Thomas.

7 Tandem in corpore omnem mutationem remouet à Deo ſic.

Omnis mutatio vel eſt ad eſſe ſimpliciter ex nihilo; vel ad eſſe ſecundùm formam ſubſtantialem, vel accidentalem. Deus nulla tali mutatione poteſt cieri. Ergo. Minor probatur, quoad creationem ex nihilo, quia per eſſentiam eſt æternus. Quoad generationem, quia eſt purus ſimpliciſſimus actus infinitus: Ergo non in potentia. Eodem medio excluditur omnis alius motus. Denique, quia Deus eſt primus motor: omnis autem motus procedit ab immobili; alioqui procederetur in infinitum, vt probat Philoſophus, de inceſſu animalium 7. & 8. *Phyſ.* & 12. *metaph.* & D. Auguſtinus 8. *de Geneſ. ad litt. cap.* 21. Deus igitur ſtabilis manens dat cuncta moueri.

His ad litteram mediis vtuntur Suarez *lib. 2. de attribut. neg. cap.* 3. Vaſquez ad articulos iſtos D. Thomæ. Valentia *diſp.* 1. *quæſt.* 9. *p.* 1. Morandus *Tom. primo quæſt.* 11. Caſpenſis *diſp.* 8. Mateus à Baud. *quæſt.* 9. Trigoſ. *quæſt.* 3. *art.* 2.

Obiicies primò. *Sap.* 7. dicitur: *Omnibus mobilibus mobilior eſt ſapientia.* ſi dicas, Deum actiuè eſſe mobilem. Contra. Ergo & paſſiuè, quia: *nemo dat, quod non habet.*

8 Reſpondet Seraphicus Doctor, ſapientiam dici mobilem actiuè, ſicut ferè ſenſibile dicitur de animali. Hæc igitur cùm habeat virtutem, vt cauſa efficiens, dat motum, nec tamen habet motum formaliter;

ſola enim cauſa formalis habere debet formaliter id, quod formaliter dat.

9 Obiicies ſecundò. Omne, quod nunc eſt, antequè oon erat, eſt mutatum. Deus nunc eſt homo, & ante nôn erat. Ergo. Si dicas, Deum factum eſſe hominem per ſolam relationem, quæ ponit ſolam mutationem in altero extremo. Sic etiam paries albus incipit eſſe ſimilis alteri dealbato, per ſolam huius mutationem. Et nummus in ſuo eſſe abſoluto manens metallum, fit pretium per additam decreto regis ordinationem ad emendum, vt ait D. Bonau. *in* 1. *diſt*.30. *dub*.3. *litt*. cum Auguſt. 5. *de Trinitate cap*.16.

Contra, nam D. Ambroſius *lib*.1. *de fide ad Gratianum cap*.5. ità arguit contra hæreticum, qui aiebat, Filium in tempore genitum à Patre, ſequi mutatum Patrem, quia è non Patre, factus eſt Pater.

Reſpondet D. Bonau. cum Alenſi *quæſt*.4. *m*.1. per ſolam mutrionem humanitatis conſurgere nouam relationem vnionis Verbi ad naturam humanam, quatenus Verbum terminat humanitatem; hoc autem non eſt Deo infinito noua perfectio; ſed humanitati. Quod ſi Angelus terminaret naturam humanam, mutaretur, quia cùm ſit finitæ perfectionis, deberet nouam acquirere, vt nouam terminaret naturam.

Dices ſi Deus erat, & poſtea natus. Ergo mutatus, ex Hilario.

10 Reſpondet S. Doctor *diſt*.9 *dub*. 16. id futurum fuiſſe, ſi ſecundum eſſe Dei natus fuiſſet. Itaque, ſi in Diuinis adueniret ad intrà noua relatio perſonalis ad alteram perſonam, deberet fieri mutatio in altera perſonarum. Quia verò eſſentia vtriuſque perſonæ eſt eadem, ſic mutata eſſentia perſonæ productæ, mutaretur etiam producens. Ideò benè arguebat S. Ambroſius. Si Pater factus eſt Pater ea tempore gignens Filium. Ergò mutatus eſt, quia mutata eſt eſſentia in filio; Ergò & in Patre; non ſic in relatione.

Reſpondet ſecundò Seraphicus, relationem perſonalem differre à relatione, quæ fundatur ſuper eſſentia creaturæ; nam in Diuinis relatio conſtituit perſonam, & dat illi eſſe. Vnde benè valet; ſi Pater in diuinis incipit eſſe Pater. Ergo incipit eſſe; at verò relatio Dei ad creaturam, non dat eſſe Deo abſolutum. Vnde non valet. Deus incipit eſſe Creator, vel eſſe homo. Ergò mutatus eſt, & incipit eſſe. Vnde argumentum S. Ambroſij concludebat in eo caſu; non in noſtro. De hoc, *tertia parte*, *Tract*.1. *diſp*.1. *quæſt*.2.

Simile eſt, qood refert S. Bonauent. *in*.1. *diſt*.9. *dub*.25. vbi inducitur Hilarius arguens. Si Pater non genuit ab æterno. Ergo non fuit æternus, quia eſſe Patrem eſt completiuum illius perſonæ; è contra verò, non ſequitur. Si Deus non creauit ab æterno. Ergo non eſt æternus, quia creare nil addit Deo reale, ſed ſolam connotationem Creatoris.

11 Obiicies tertiò. Quicunque de non agente fit agens, mutatur ab otio in actum: Deus in tempore factus eſt de non agente agens creando. Ergo. Si dicas, Deum fieri ea non agente agentem per ſolam mutationem rei, quæ creatur, ſicut Sol de non illuminante fit illuminans cubiculum. Contra arguo, quia prius eſt, Deum agere, quàm creaturam eſſe creatam. Ergo cum poſterius non ſit cauſa prioris, non quia creatura fit de non ente Ens, Deus è non creante, fit creans; ſed è conuerſo, & ita mutatio eſt ea parte cauſæ, non ex parte effectus.

Reſpondet Seraphicus Doctor cum Alenſi, *quæſt*.4. *m*. 1. agentem, qui eſt ſua actio, agere ſe ipſo, & ideò inter ipſum, & effectum non mediat aliquid, per quod de non agente fiat agens; ſed ſemper eſt in actu: at verò agens, qui non eſt realiter ſua actio, fit agens per aliquid diſtinctum à ſe, puta per accidens actionis. Ideò mutatur. Quamuis autem prius ſit, Deum creare; quàm creaturam fieri; tamen non mutatur Deus, quia in æternitate creauit pro tali tempore, quo creatura futura eſt, quia actio intus non eſt noua, ſed eſt puriſſimus actus, qui eſt Deus, vnde non exit de potentia agendi ad actum, hoc enim eſt imperfecti agentis reduci de potentia ad actum; vt notat etiam Durandus, *diſt*.8. *p*.1. *quæſt*.3 *ad* 1. Ricbardus *q*.1. *ad* 3. ſed hoc etiam oſtendam. *Tract*. 3. *diſp*.1. Hinc explicat S. Bonauentura *diſt*.29. *dub*.3. *litt*. quomodo verum ſit, quod ait Eccleſia. *Æterne rerum Conditor* dicitur enim æternus in ſe ſubſtantiuè: at adiectiuè dicitur æternus Conditor in habitu; non in actu.

Secundò reſpondet Seraphicus ad id Ioan. *Omnia per ipſum facta*, ea D. Auguſt. 22. *de ciuitate Dei c*.17. vbi ait: *Non eſt fas credere, aliter affici Deum cum vacat: aliter cum operatur, quia neque affici dicendus. Nouit quieſcens agere: & agens quieſcere; poteſt ad opus nouum, non nouum, ſed ſempiternum adhibere conſilium*. 12

Obiicies quartò. Volens aliquid, quod priùs non 13 volebat, mutatur. Deus vult in tempore creare. Ergo. Si dicas, Deum voluiſſe creare pro tempore; ſicut ego volo audire miſſam cras. Contra. Voluntas Dei eſt cauſa rerum. Si Deus ab æterno voluit creare. Ergo in æternitate creauit.

Reſpondet S. Bonauentura in Deo eſſe idem ſubſtantiam, voluntatem, & operationem; & voluntatem, cauſam immediatam eſſe ex parte ſubſtantiæ, virtutis, & actus immanentis. Itaque ſicut ab æterno eſt Deus, ità ab æterno eſt in eo voluntas, & volitio; attamen non coniungitur operi extra, niſi pro tempore. Vnde non ſequitur. Deus ab æterno voluit creare mundum. Ergo ab æterno fuit mundus, quia voluit effectum prodire pro tali tempore, quo voluntas actui coniungitur ad extra. Sic cùm dico; volo cras legere, voluntas coniungitur actui pro eo tempore craſtino. Sed de hoc, *diſp*.16. Sequitur ergò ſola denominatio extrinſeca noua, vt docet D. Auguſt. 5. *de Trin. cap*.18. & Theologi apud Tannerum, *diſp*.2. *quæſt*.5. *dub*.1. *num*.6.

Obiicit ſibi quintò In Compend. Theol. cit. aliqua Scripturæ teſtimonia. *Iſa* 38. vbi Ezechias damnatur morte à Deo, & mox liberatur. *Ionæ* 3. Niniue damnatur ſubmerſione; ſed reuocatur ſententia.

Reſpondet, idem ſemper voluiſſe Deum, & quidem Ezechiam ſecundùm cauſas naturales debere mori, ſed miraculo erui. Niniuitas ſubmergi ſecundùm merita; vnde mutatio eſt ſolùm in effectu, vt notat Suarez loc. cit. & Vaſquez de voluntate Dei cum D. Bonau. vt oſtendam, *diſp*.16. *quæſt*.3. vbi immutabilitatem Dei mutalem comprobabo.

Alias etiam Scripturas ſibi obiicit loc. cit. cùm 14 motus Deo attribuuntur. Geneſ.1. *Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas*. Cùm dicitur mutatus voluntate: *Pœnitet me feciſſe hominem*. Geneſ.7. Ità in medit. vitæ Chriſti, *cap*.1.

Reſpondet Seraphicus Doctor, motus Deo attribui myſtico ſenſu, loquendo ad modum humanum. Quò ad aſcendere verò, & deſcendere, attribui Deo, ratione alicuius effectus, vel ratione humanitatis aſſumptæ, & adſcribi Deo per communicationem idiomatum.

QVÆSTIO II.

An Immutabilitas ſit propria Dei.

D. Bonau d 8. q. 2.
D. Thom. q. 9. art. 2.

15 SCIENDVM ex Doctore Seraphico, in corpore, Immutabilitatem dici per negationem mutabilitatis. Mutatio autem eſt triplex. Prima ab ente in ens, ſeu de ſubiecto in ſubiectum; & eſt mutatio accidentalis. Secunda eſt de non ſubiecto, in ſubiectum; vel de ſubiecto, in non ſubiectum, & hæc eſt generatio, vel corruptio. Tertia eſt mutatio totius entis, & hæc eſt vel creatio, vel annihilatio. Sic igitur è regione triplex eſt ſpecies immutabilitatis. Prima ſecundùm accidentia. Secunda ſecundùm formam ſubſtantialem. Tertia ſecundùm totum. Ità aduertunt etiam moderni, præcipuè Vaſquez in Comment. Suarez *lib. 2. de attribut. neg. cap. 3* Valentia *diſp. 1. quæſt 9. puncto 2.*

ASSERO primò, omnem creaturam eſſe mutabilem primo modo.

16 PROBATVR à S. Bonau. experimento, quia omnis creatura vel eſt accidens, vel habet accidens, & ità variabilis ſecundùm qualitatem; vel ſecundùm locum; vel ſecundum volitionem.

ASSERO ſecundò, aliquas creaturas eſſe immutabiles ſecundo modo, ſecundùm formam, ideſt, incorruptibiles. Eſt de fide definitum *in Concilio Later. tertio, ſub Leone X.* de anima rationali, ac Conſtantinopolitano *Sexto, act.* 11. etiam de Angelis.

ADVERTE Concil. Conſtantinopolitanum aſſerere, animam eſſe immortalem per gratiam, non per naturam. Idem definitum eſt in quodam articulo Pariſienſi. Volunt autem dicere, has ſubſtantias habere quidem naturam intrinſecam incorruptibilem conceſſam à Deo, vt eſt author naturæ; attamen dari principium extra, ideſt, Deum potentem corrumpere, & hoc idem innuit Seraphicus, dum ait, eas non eſſe corruptibiles per naturam, & ſubdit, ſolùm Deum eſſe incorruptibilem per naturam, eò quòd eſt ſuum eſſe, non pendens ab aliquo extrinſeco; vnde nec datur aliud principium extrinſecum, potens Deum deſtruere. Et ideò ad 3. ait, aliqua eſſe incorruptibilia per gratiam, ideſt, pendere ex gratioſa Dei voluntate, qui poteſt ea annihilare, vel in alias ſubſtantias immutare.

17 ASSERO tertiò, omnes creaturas eſſe mutabiles, tali mutatione, ſeu verſione. Hanc autem vocamus mutationem ſecundùm rationem, vt notat Valentia, quia mutatio propriè dicit aliter ſe habere ante, & aliter poſt: in annihilatione verò, nullo modo creatura remanet: ſicut in creatione nullo modo erat; & ideò non poteſt comparari ad ſtatum exiſtentiæ. Suarez verò hanc mutationem Metaphyſicam vocat, quæ ſolùm reſpicit terminum, qui aliter ſe poteſt habere, quàm ante in eſſe ſuo, vt docet Seraphicus Doctor, 1. *diſt. 7. dub. 4. litt.*

PROBATVR ergo primò à D. Bonau. argumento D. Damaſceni, *lib. 1. de fide cap. 3.* Omne, quod à verſione incipit, ad verſionem tendit. Sed omnis creatura à verſione incipit per creationem. Ergò.

PROBATVR ſecundò. Omne, quod ſibi relictum [in ni]hil tendit, eſt vertibile. Talis eſt omnis creatura; vt dicitur Pſal. 103. *Auferes ſpiritum eorum, & deficient &c.* & D. Gregor. *lib. 16.* Moral. *cap. 18.*

Probatur tertiò. Quicquid vanitati ſubiectum eſt, poteſt annihilari. Talis eſt omnis creatura, vt dicitur *Rom.* 8. Ergò.

ASSERO quartò, ſolum Deum ſimpliciter immutabilem.

PROBATVR à S. Doctore ex prima Timot. 6. *Qui ſolus habet immortalitatem.* In omni autem natura mutabili non nulla mors eſt ipſa mutatio, vt ait D. Auguſt. *lib. 3.* contra Maximinum, *cap. 12.* Ergò ſi ſolus Deus habet immortalitatem, ſolus habet immutabilitatem. 18

PROBATVR ſecundò à D. Bonau. quia ſolus Deus eſt ſuum eſſe independens. His authoritatibus, & rationibus moderni vtuntur, allegati, *quæſt.* 1.

Contra primum aſſertum obiicies primò. Materia prima eſt inuariabilis ex D. Auguſt. *lib.* 12. Confeſſ. *cap.* 1. & Author ſex Principiorum *cap.* 2. ait, idem de forma, quæ in ſimplici, & inuariabili eſſentia conſiſtit. Item beati ſunt inuariabiles, quia perfecta beatitudo id operatur. Item variatio euenit vel ſecundùm locum, vel ſecundùm tempus, vt ait D. Auguſt. *lib.* 8. Geneſ. ad litt. *cap.* 20. at vniuerſale caret tempore, quia eſt ſemper, & vbique; & cœlum empyreum caret loco. Ergo.

Reſpondet Seraphicus Doctor, principia eſſe immutabilia, quoad eſſentiam abſtractam; non autem quoad ſuas exiſtentias. Sic materia poteſt mutari ad formas; formæ in materia, ad alias accidentales. Beati verò, accidentali beatitudine, mutantur localiter, &c. 19

Vniuerſale verò fundamentaliter eſt in ſingularibus, & mouetur ad motum eorum: formaliter verò eſt in intellectu, & mouetur vt accidens eius. Empyreum autem eſt mutabile ſecundùm lumen; imò ſecundùm totum.

Contra ſecundum obiicies. Corruptibilitas venit ex contrarietate, vt ait Philoſophus, *lib. de morte, & vita cap.* 1. Sed multæ creaturæ carent contrarietate. Ergò incorruptibiles. Itidem corruptio eſt reſolutio in ſua principia, priora ſe: at materia non habet principium prius ſe. Ergò.

Itidem omne perpetuum eſt incorruptibile, aliqua res naturaliter eſt perpetua, ideſt, imago Dei, nempè anima, quia perpetuitas eſt de ratione Diuinæ imaginis; vt docet D. Auguſt. *lib. 14. de Trin. cap.* 14.

Reſpondet Doctor Seraphicus, aliquas creaturas eſſe natura incorruptibiles, quia non habent principium naturale contrarium, & ex alio capite habent optimam conſtitutionem. Similiter aliqua principia non ſunt reſolubilia in alia; attamen, niſi conſeruentur à Deo, in nihil reſoluentur. Falſum eſt etiam; omne compoſitum eſſe reſolubile realiter in ſua principia; vt animam in ſuam materiam, & formam. 20

Contra tertium aſſertum obiicies. Nulla creatura poteſt ſeipſam annihilare, nec ab alia poteſt annihilari, quia nulla creatura poteſt terminare ad nihil ſuam actionem; ſicuti neque poteſt ex nihilo operari. Confirmatur, quia inter nihil, & ens, eſt diſtantia infinita.

Præterea nihil ex his, quæ deſtruuntur, cedit omninò in non eſſe. Ergo nullum corruptibile eſt annihilabile.

Reſpondet S. Bonau. vertibilitatem ad nihilum non oriri ex natura, ſeu ex principiis propriis creaturæ, quatenus ſunt ens; ſed ex natura, ideſt origine, quatenus ſunt aliquid imperfectum, ideſt, quatenus ex nihilo edita, egent ſuſtentatione continua; qua recedente, ſtatim deficiunt ad nihil. Vnde ait Damaſcenus. *Quæcunque à verſione incipiunt ad verſionem tendunt.* Huius igitur defectibilitatis non eſt quærenda cauſa efficiens, ſed deficiens. Ità, & Alenſis *quæſt. 4. num 2. ad primum.* 21

HINC, Spiritu Seraphico, eruit S. Doctor noſtram

infirmitatem, vt nos ipſos agnoſcentes, Deo acceptum referamus noſtrum eſſe, noſtram ſubſiſtentiam, cuius gratioſa conſeruatione permanemus. Quomodo verò Immutabilitas Dei ſtet cum actibus eius liberis, diſſeram, *diſp.* 16. *quæſt.* 3. vbi prius oportet ſcire, quid ſit velle Dei liberum.

DISPVTATIO IX.

De æternitate Dei.

QVÆSTIO I.

De nomine, & acceptionibus Æternitatis.

1 ÆTERNITAS incognita quidem fuit philoſophis; de qua tamen aliquid muſſitauit Ariſtoteles; ponens mundum ſine principio, vt aduertit Seraphicus Bonauentura, *ſerm.*7. *Hexaëmer*: Deum verò æternum tradit Ariſtoteles 8. *Phyſ.* & 12. *Met.*

Dicitur autem æternitas, quaſi extra terminos, quia termino caret tàm initiali, quàm finali, vt docet S Bonau. *lib.* 1. *Compend. Theol. cap.*18. & Durandus apud Caſpenſem, *diſp.*9. *ſect.*1.

2 Scito ergò ex Doctore Seraphico, *ad Caput* 1. *Eccleſiaſt.* Æternum multipliciter dici. Primò, quòd non habet deſignatum finem præſcriptum. Sic data eſt Iudæis Paleſtina in poſſeſſionem æternam. Adde ea, quæ longiſſimo tempore durant. ità dicuntur montes, & colles æterni. Deuter. 33. Pſal. 75. Addit Tannerus, *diſp.*5. *quæſt.*5. *dub.*2. *num* 23. Ignem æternum. Matth. 25. ſed cautè ſumendum, nam ignis ille ſemper erit. Secundò pro eo, quod habet finem, ſed non in tempore. Sic tempus dicitur æternum. Tertiò modo, quod ſecundùm expreſſionem ſemper durat, ſicut Sacerdotium Legis, quod præfigurabat Sacerdotium Chriſti, de quo Pſal. 109. *Tu es Sacerdos in æternum.* Quartò, pro eo, cuius ſubſtantia non habet finem; tametſi habuit initium, vt anima, & Angelus, & cæli. *Statuit ea in æternum. Pſal.* 148. Quintò ſumitur pro eo, quod nec principium habet, neque finem, & talis eſt ſolus Deus.

3 Hanc autem ab Immutabilitate Dei diſtinguit D. Thomas *quæſt.* 10. *art.* 5. Aureolus apud Capreolum, *diſp.*9. *q.vn. art.*1. *arg.*5. Vaſquez *diſp.*31 & alij.

DIFFICILE autem videtur inuenire differentiam, (ſanè rationis) nam apud Patres videntur confundi. Sic Tertull. aduerſus Hermog. *cap.* 39. S. Auguſt. lib. de natura boni, *cap.*29. Æternitatem exponunt eſſe immutabilitatem. Id aduertit nuper Morandus *Tom.*1. *quæſt.*13. cum Smiſing. *diſp.* 4. *de æternitate*, *quæſt.* 5. Coriolanus *quæſt.*10. *art.*1. cum Vaſquez, ſic eam diſtinguit, vt Immutabilitas ſit plenitudo ipſius eſſe, negationem mutationis ſignificans: Æternitas verò addit durationem, & perſeuerantiam in eſſe, quæ quaſi ætas Dei dicatur. Tannerus *diſp.*2. *q.*5. *dub.* 2. *num.*6. ait, differentiam eſſe, quia æternitas ſignificat durationem realem, immutabiliter neceſſariò permanentem, omnique ſucceſſione, principio, & fine carentem: non ſic immutabilitas.

MELIVS Doctor Seraphicus, *lib.* 1. Compend. Theol. *cap.* 18. In eo ponit differentiam, vt æternitas ſit immutabilitas Dei inadæquata, nempe ſecundùm durationem; ſicut ferè Immenſitas dicit infinitatem, ſecundùm locum. Idem habet D. Bonau. hic, *diſt.*8. *p.*1. *art.*2. *quæſt.*1. *in corpore*, quem ſequitur Caſpenſis *diſp.*9. *ſect.*2. Morandus loco citato. Quare non rectè Vaſquez ait, D. Bonauenturam huius diſtinctionis non meminiſſe. Porrò ex definitione æternitatis, colligendo eſſentiam, qua conſtituitur in ſe, colligam & differentiam ab immutabilitate, & cæteris, quia idem eſt principium conſtitutiuum; & diſtinctiuum.

QVÆSTIO II.

Quid ſit Æternitas.

§ D.Thom q 10 art.2

VNIVERSALI Theologorum plauſu excipitur definitio Boetij, *lib.* 3. de Conſol. *proſa* 2. *Eſt interminabilis vita, tota ſimul, ac perfecta poſſeſſio.* Ità D. Bonau. *lib.* 1. *Compend. Theol. cap.* 18. *tertia parte Centil. ſect.* 7. *in cap.*18. Lucæ. Et *collat.*76. *in cap.*17. Ioan. D.Thom hic, vbi Caietanus, & cæteri commentatores. Sententiarij *in* 1. *diſt.*9. & *in* 2. *diſt.*2. vt notat Valentia, *diſp.*1. *q.*10. *p.*2. Scotus *quodl.*6. *art.*5. & *in ſecundo d.*2. Molina *quæſt.*10. *art.* 2. *diſp.*5. Vaſquez *diſp.*32. Eadem fere habet D. Auguſt. *conc.*2. *in Pſal.*101. vbi ait. *Æternitas Dei ſubſtantia eſt, quæ nihil habet mutabile. Ibi nihil eſt præteritum, quaſi iam non ſit; nihil eſt futurum quaſi nondum ſit; ſed non eſt ibi niſi Eſt.* Eadem ferè habet *quæſt.* 39. *in Geneſ. & quæſt.*43. *in Exod.* Hoc explicat Seraphicus Doctor, loco primò allegato, dicens. Æternitati non competit tempus præſens, quia pertranſit; Deus autem ſemper manet idem. 4

Hinc Hilarius. *Eſſe, non eſt accidens Deo, ſed ſubſiſtens veritas, & manens cauſa.* Similiter Deo non competit tempus præteritum, quia modo non eſt, nec habet eſſe ſubſiſtens; ſed de Deo dicitur, Pſal. 101. *Ipſi peribunt, tu autem permanes* Simili ratione, nec tempus futurum, quia non eſt, ſed expectatur; Deus autem ſemper eſt. Vnde Mercurius Triſmegiſtus ait: *Sola Monas eſt α, & ω, ſine α, & ω, hoc eſt, quia Deus eſt principium ſine principio, & finis ſine fine.* Cùm enim ſimplex ſit omninò, non habet in ſe principium contrarietatis, quod eſt cauſa corruptionis. Igitur æternitas eſt diuturnitas ſine principio, fine, aut mutabilitate. Hinc D.Bonau. graditur ad definitionem explicandam.

DICITVR ergò *Interminabilis*, ex oppoſito generabilium, & corruptibilium, & aliorum, quæ habent principium, & finem. Dicitur *vita*, ad differentiam eorum, quæ durant ſemper; ſed non viuunt, vt cæli; eſt enim æternitas, duratio viuentis perfectiſſimi. Similiter excluduntur omnia, quæ aliquo modo mutantur; nam mutatio quælibet, mors quædam eſt, vt ait D. Aug. *diſp.* 8. relatus *quæſt.* 2. Dicitur *Poſſeſſio*, quia in quibuſdam eſt vita interminabilis ſed exoſa, miſerima, vt in damnatis; æternitas autem eſt poſſeſſio iucundiſſimæ fœlicitatis. Dicitur *tota ſimul*, ad excludendam vitam beatorum, quæ non eſt tota ſimul, quia ſucceſſionem habet; & in hominibus ante iudicium non eſt tota, ideſt beatitudo corporum. Additur *perfecta*, id eſt, nullo indigens, quæ in nulla creatura eſſe poteſt.

Rurſus *in Centil.* dicit, in definitione æternitatis poni *Poſſeſſio*, vt denotetur eius actualitas, & quies iucunda. Secundò, dici *tota ſimul*, ad differentiam temporis, quod variatur per prius, & poſterius: & ad differentiam *æui*, quod includit ſucceſſionem, tametſi abſque variatione, vt dicam *quæſt.* 4. At verò 5

æternitas

æternitas eſt tota ſimul vniformiter durans. Tertiò, poni. *Perfecta* ad differentiam eorum, quæ habent totum eſſe ſimul, ſed imperfectum, vt inſtans. Quartò, dici. *Interminabilis*, quod dicit carentiam principij, & finis; ad differentiam Æui, quod caret fine, ſed habet principium; & ad differentiam temporis, quod habet principium, & finem. Vltimo dicitur *Vita*, quia æternitate durans, debet eſſe viuens. Definitur autem per ſuum ſubiectum; ſicut ſimitas, cum dicitur curuitas naſi. Hinc S. Auguſt. 11. *Confeſſ. cap.* 14. ait. Æternitatem eſſe quoddam inſtans præſens, permanens; perpetuum. Itaque ſicut ſecundùm Mathematicos, ex puncto ducto per aliquod ſpatium ad imaginationem fit linea: ità, ex vno inſtanti nunc conſtanti, & firmo æternitatis, quod fertur per omnia tempora, imaginamur æternitatem, ſi Trigoſio credis, *q.* 4. *art.* 2. *dub.* 3. Et ſicut *nunc* fluens conſtituit tempus: ità *nunc* ſtans, æternitatem. Vel ſicut punctus, qui eſt in centro ſphæræ; dum mouetur virtualiter, coexiſtit præſens omnibus punctis, in circumferentia exiſtentibus: ſed ipſa puncta circumferentiæ, cùm inter ſe diſtent, non coexiſtunt inuicem: ità Æternitas omnibus variationibus temporum coexiſtit, quamuis tempora ipſa inuicem non coexiſtant; & omnia tempora tranſeuntia permanens comprehendit; ſicuti menſura, maior continet minores, puta annus, menſes, & dies.

6 Hinc, tria genera menſuræ enumerat S. Doctor, pro triplici genere entium, quæ durant. Aliqua enim eſt menſura mutabilium, ſecundùm ſubſtantiam, & accidentia, vt homo, & hæc menſurantur tempore, ſimul cum aliis corruptibilibus. Alia eſt menſura inuariabilium ſecundùm ſubſtantiam, & variabilium ſecundùm accidentia, atque hoc eſt æuum. Deus autem habet inuariabilem durationem, quam Seraphicus non audet vocare propriam menſuram, eò quòd menſura debet eſſe diſtincta à menſurato; ſed eam vocat durationem Dei. Eam verò menſuram Dei vocat aliquo modo, *opuſc. de 7. Itineribus Æternitatis diſt.* 7. De hoc tamen agam, *quæſt. ſequenti*.

Ratio autem tot menſurarum eſt, quia menſura debet eſſe homogenea menſurato. Vnde ad menſurandum numerum, adhibemus numerum per vnitatem: ad menſurandum continuum, adhibemus vlnas, cubitos. Iam verò ſecundum triplicem ordinem rerum, vario modo durantium, variæ etiam menſuræ adhibentur.

De variis menſuris vide Seraphicum, *ſerm.* 3. *Dom. prima, poſt Pent.* vbi habes egregia.

7 Oſtendit autem S.D. eſſentiam æternitatis, quæ eſt ſimpliciſſima entitas, eamque deducit ex natura temporis, quia (vt ait Seraphicus Doctor) ſimplicia maximè diuina, optimè explicantur per remotionem compoſitionis, vt docet D. Dionyſ. *c.* 7. *de Diu. nom.* Itaque optimè ex tempore compoſito; & oppoſito colligimus æternitatem: Tempus autem conſiſtit in numeratione prioris, & poſterioris in motu, qui habet principium, & finem; ſicut etiam mobile, quod eſt in tempore, vt habet Ariſtoteles: 4. *Phyſ. textu* 120. Ergo ratio æternitatis conſiſtit in quadam vniformitate rei immutabilis, quæ tota ſit ſimul, ſine principio, & fine, & ideò vndequaque interminabilis, quod allata definitione explicatur.

Miror, Trigoſium, *quæſt.* 4. *art.* 2. *dub.* 4. ſe excuſare dicendo, Seraphicum Doctorem de hoc non agere.

Ex his collige primò, Deum eſſe æternum, quod oſtendam, *quæſtione* 6.

8 Colligi ſecundò, Æternitatem eſſe veram durationem realem intrinſecam Dei Ità S. Thom. *q.* 10. *art.* 1. cum Caietano, & omnibus Expoſitoribus & cæteri Theologi apud Tannerum *loc. cit.* Valentiam, *loc. cit.* Molinam, *q.* 10. *art.* 1 *diſp.* 2. Vaſquez *diſp.* 33. *num.* 20. contra Aureolum 1. *d.* 9. *quæſt.* 2. *art.* 2. qui putans, de ratione durationis eſſe ſucceſſionem, negauit in Deo formaliter intrinſecè durationem. Probatur argumento Seraphici, *de ſeptem itineribus Æter. diſt.* 7. Exiſtentia permanens eſt vera, & intrinſeca duratio eius; at Deus immutabiliter exiſtit, & permanet. Ergo. Hac ratione vtuntur communiter. Fundamentum autem Aureoli eſt lubricum, & ludicrum.

Obiicit. Omnis duratio alteri durationi comparata vel eſt maior; vel minor; vel æqualis. Sed nulla poteſt ſic comparari, niſi habeat ſucceſſionem. Ergo.

Reſpondet Caſpenſis, *diſp.* 9. *ſect.* 2. negari Maiorem; ſed eſſe veram tantùm in quantis, nam anima non eſt maior, nec eſt minor, nec æqualis corpori.

Colliga tertiò, Æternitatem, ſeu intrinſecam 9 durationem Dei, non includere per ſe, ac formaliter, reſpectum coexiſtentiæ ad tempus, vt verè coexiſtat tempori, aliiſque rebus creatis. Prior pars eſt D. Bonauenturæ *in* 1. *diſt.* 38. *p.* 1. *art.* 2. *quæſt.* 2. *ad* 1. vbi id probat, quia ex natura æternitatis eſt, vt fuerit ſemper ante omnia tempora, atque adeò, etiam ſi non fuiſſet tempus, adhuc Deus duraſſet, ſeu permanenter extitiſſet. Eadem ferè habet, locis omnibus ſupra allegatis. Sequuntur communiter apud Valentiam, Molinam, Vaſquez, Caſpenſem, & Tannerum, ſupra allegatos.

Dices ſicut immenſitas ſe habet ad locum: ità Æternitas ad tempus, ſeu, durationem creatam. Sed immenſitas Dei, iuxta noſtrum concipiendi modum, neceſſariò inuoluit reſpectum ad locum: Ergò.

Reſpondet Tannerus *num.* 4. cum Seraphico *loc.* 10 *cit.* comparationem in hoc conſiſtere; atque valere, vt ſicut immenſus dicit reſpectum ad locum in potentia, vt ſi daretur, ad illum ſe extenderet; interim verò extendatur ad omne, quod eſt: ità etiam Æternitas ad tempora; non ità tamen, vt diuina æternitas, aut immenſitas poſſint fundare relationes reales ad creaturas, hoc enim repugnat Diuinæ independentiæ à creatura; ſed intelligi debet, vt ex vi talium perfectionum poſſit terminare tales relationes in creaturis poſſibilibus, vtcumque fundatas; vt aduertit cum D. Bonau. *diſt.* 30. *quæſt. vlt.* Meldula *diſp.* 2. *quæſt.* 6. *art.* 1. *num.* 248. vbi tamen non benè addit, eodem modo explicanda hæc attributa; ſicut etiam alia duo *omniſcientia*, & *omnipotentia*, quæ pariter nequeunt à nobis intelligi, niſi per ordinem ad creaturas.

Pace huius Doctoris, non eſt eadem ratio; nam omnipotentia, & omniſcientia in ſuo conceptu, & in nomine ipſo includunt ad extra creaturas omnes, ſeu omne ens extrà; at æternitas non ità, atque adeò etiamſi non foret poſſibile tempus, adhuc Deus eſſet æternus: Similiter & immenſus, etiam ſi nulla eſſent poſſibilia loca; at ſi nihil eſſet poſſibile, non eſſet omnipotens; Graditur verò iuxta aliena à nobis fundamenta, quæ diſput. de Viſione Dei, & alibi conuellentur.

Hinc habes, inſanum Vorſtium Caluiniſtam docere impiè, Æternitatem ſucceſſiuè variameſſe.

QVÆSTIO III.

An Æternitatis eſſentia ſit tota realis, & Quæ.

ÆTernitatem eſſe durationem, concedunt D.Bonau. *in* 1. *d.*8. *p.*1. Alenſ. *p.*1. *q.*12.*num.*2. Albertus *in* 1.*d.*8 *art.*8. D.Thom. *q.*2.*art.*2. Henricus *p.*1.*art.*32.*q.*2. Gonzal. Suarez, Vaſq. & alij communiter apud Amicum *tract.*22. *Phyſ.q.*2. *d.*2. Eſt enim permanentia perfectiſſima in eſſe.

Certum eſt etiam, neque ſucceſſionem ei requiri, vt ſit duratio, vt putat Aureol. apud Capreolum 1. *d.*9. *quæſt.*1. *art.*2. Neque conſiſtentiam cum imaginaria aliqua duratione, vt putat Mayto *d.*9. *q.*1. *art.*1. Nam ſicuti Deus eſt immenſus, nullo loco coexiſtente ipſi, virtute à nullo æquabili; ità etiam æternus: indiuiſibiliter durans in ſe, ac per ſe. Iam hæc in ſcholis ulteur.

Certum eſt etiam, Æternitatem eſſe ens reale, cùm ſit duratio Dei. Nunc quæſtio eſt. An ſit tota realis poſitiua. An mixtum habeat aliquid rationis, & negatiuum.

Prima opinio eſt, ad rationem formalem æternitatis concurrere etiam aliquid rationis. Doctores tamen huius opinionis varij ſunt, in aſſignando hoc reſpectu rationis.

PRIMVS modus eſt Bañes, & Zumelli, ad hunc ar. D.Thomæ, qui volunt rationem formalem æternitatis, eſſe vniformitatem durationis Dei in recto, quam fatentur eſſe realem: connotare verò in obliquo rationem menſuræ, quam dicunt eſſe reſpectum rationis. Quare aſſerunt hi, Æternitatem, fundamentaliter quidem, eſſe Ens reale; completiuè verò eſſe Ens per intellectum. Hos ſequitur Trigoſ. *quæſt.* 4. *art.*2. *dub.*3.*concl.*3. vbi tamen declinat ad Caietanum, infra afferendum.

SECVNDVS modus eſt Ferrarienſis, 1. *cont. Gent. cap.*15. & Sylueſt. ad hunc ar. D.Thom. ad eſſentiam Æternitatis concurrere aliquid reale, ideſt, durationem abſque principio, & fine: & aliquid rationis, ideſt eſſe menſuram Diuinæ ſubſtantiæ, & per hoc æternitatem eſſentialiter completi, quemadmodum tempus duo habet, ſcil. durationem motus, quæ eſt quid reale; & numerum motus, qui eſt rationis numerantis, & hoc ſignificaſſe D.Thom. cùm ait. *Sicut ratio temporis conſiſtit in numeratione prioris, & poſterioris in motu: ità in apprehenſione vniformitatis eius, quod eſt omninò extra motum, conſiſtit ratio æternitatis.* Et quidem Æternitatem eſſe menſuram Diuinæ ſubſtantiæ, docet D. Thom. *q.*2. *ad* 3. Albert. *in* 1.*d.*9.*art.*8.& *Tract. de quatuor coæuis, quæſt.*3. *art.*1. Henricus *in Sum. art.*3. *q.*2. Solùm addit S.Thom. æternitatem eſſe menſuram non realem; ſed per intellectum, & in hoc conſentit Caietanus, cui malè Bañes, & Zumel. inurunt, dixiſſe, eſſe menſuram realem, vt aduertit Nazar. *q.*10.*art.*1.*contrlandun.* Huic ſecundo modo adhæret Valentia, *q.*10.*puncto* 1.

TERTIVS modus dicendi eſt Vaſquez, *diſp.* 31. Æternitatem aliquo reali conſtitui: & aliquo rationis. Et quidem durationem quandam, eſſe reale illud intrinſecum: id verò, quod eſt rationis eſſe negationem menſuræ, quæ videtur explicari illo nomine *interminabilis*, quæ non ſolùm dicit negationem principij, & finis; ſed etiam menſuræ. Hanc ſententiam mutilam refert Caſpenſis, *diſp.*9.*ſect.*2.*num.*18. atque cum eo negat Æternitati quidem rationem menſuræ; ſed non exprimit, an negatio menſuræ ſit de ratione eius. De cætero concedit eſſe menſuram per intellectum. Sequitur Marcus noſter *q.*10. *art.*1.*d.*1. Coriolanus *q.*10. *art.*1. Et quidem multi alij Æternitatis eſſentiam in negatione collocant.

Aliqui enim in eo ab exiſtentia diſtinguunt; quia 11
hæc abſoluta; æternitas verò addat negationem principij, & finis, ſiue aliam. Tribuitur Alenſi *p.*1. *q.*12. *m.*1.& D.Thom 1.*diſt.*8.*q.*2.*art.*1.*ad* 1. vbi negationem ponit in Æternitate, quia eſt vnitas quædam, quam explicat Capreol. *d.*9. *q.vn. art.*2. vnam eſſe, quia negat variationem, & ſucceſſionem.

Attidet Scotus, *quodl.* 6. vbi ait, eam dicere connotatiuè exiſtentiam; formaliter verò triplicem negationem, terminabilitatis, ſucceſſionis, & dependentiæ; & addere relationem potentialem coexiſtendi cuique durationi ſine varietate, & dependentia, vt exprimunt in definitione ea verba, *perfecta poſſeſſio.* Ita Ghadius *d. quodl.* 6. Ægid. 1.*d.*8. *p.*1. *quæſt.* 2. *art.*2. Poſn. *l.*1. *cap.*2. *quæſt.* 4. Ioan. de Neap. *q.* 32. *var.p.*2. Eruitur è D.Auguſt. 3. *de Trin. cap.*19. vbi ait: *Vera immortalitas, vera incommutabilitas, ipſa eſt æternitas*, & ex D.Dionyſio *cap.* 10. *de Diuinis nominibus.*

PORRO interminabilitatem eſſe de eſſentia æternitatis, docet Durand. 1.*d.*39. *quæſt.* 2. & quotquot aſſerunt, æternitatem formaliter conſtitui per vniformitatem, quæ eſt vnitas quædam, vt Caiet. *p.*1 *q.*10. *art* 2. Ferrar. 1.*cont. Gent.cap.*15. Syluеſt. *p.*1.*quæſt.*10. *art.*1. Soncinas 1.*d.*9.*quæſt.*2. Hiſpal. ibi *q. vn. art.*3. Molina *p.* 1. *quæſt.* 3. *art.* 4. *diſp.* 2. Citatur Perer. *lib.*12.*cap.*7. Suarez *diſp.*50. *Met. ſect.*3. Gillius *lib.*2. *tract.*10. *cap.*10. & D.Thom. *quodl.* 10. *quæſt.*2. *art.*4. *ad vltimum.*

Ex his aliqui dicunt, eſſe negationem mutabilitatis, vt Alenſis, & Thomiſtæ cum Angelico Doctore.

Alij, eſſe negationem principij, & finis etiam poſſibilis, vt Durand. Ioan. de Neap. loc.cit. Baſſolis 2. *diſp.*2.*q.*1.*art.*1. Nicol.de Orb. 1.*diſp.*19.*q.*1. Gabr.2. *d.*2.*q.*1.*art.*1. Suarez *diſp.*50 *ſect.*4.

Alij apud Molinam dicunt, addere exiſtentiæ negationem deſitionis, ſucceſſionis, & dependentiæ. Eam tamen Molina non ſequitur, vt putant aliqui.

OPPOSITA ſententia vera eſt, totam eſſentiam Æternitatis eſſe poſitiuam; eam verò eſſe rationem vniformitatis, ità vt Æternitas ſit formaliter vniformitas durationis. Id verò ait Caietanus exprimere Angelicum, dum, ait Æternitatem conſiſtere in apprehenſione vniformitatis, ideſt in conceptu obiectiuo. Eam tamen explicari negatione, ſicut eſſentia bruti poſitiua, explicatur per negationem rationalis. Ita Caietanus hic, Molina *loc. cit. concl.* 2. Henr. *ſum. art.*31.I. Albertus 1. *d.*8 *art.* 8. *ad* 1. Mayto *d.*9. *q.*1. *art.*1. Nauarettus *p.*1. *quæſt.* 10. *contrau.* 28. Gonzal. *p.*1.*d.*10.*ſect.*3. cum Hug. de S.V. *l.*2. *de Trin.cap.*4. Ex his aliqui dicunt, hoc poſitiuum, eſſe continentiam virtualem abſolutam omnis temporis poſſibilis. Alij illud ponunt, in virtute correlatiua continendi omnia tempora, ſeu omnibus coexiſtendi. Alij in vtraque. Hæc refert Amicus *Tract.*22. *Phyſ. quæſt.* 2. *d.*3. ſed opinionem ſuam non exerit, primam partem expectans. Subſcribit vero *p.*1. *d.*7. *ſect.*2. Idem ſentit Nazar. *loc.cit.* Molina hic, Suarez *diſp.* 50. *Met.* Gillius *tract.*10.*cap.*10. Tanner. *diſp.*1.*q.*5.*dub.*1.*n.*11. vbi allegat etiam D.Anſelmum *cap.*24 *Monol.* D.Auguſtinum *quæſt.* 39. *in Geneſ. quæſt.* 43. *in Exod. & in Pſal.*101. Gregor. 16. *moral. cap.*21. Morand. *tract.*1. *quæſt.*12. Poſnanienſis *loc.cit.* & *in* 1. probabiliſſimam ait Ribas *tr.*1.*d.*6. *c.*2. Videtur Becani *q.*6.*c.*8.

Quid ſenſerit Seraphicus Doctor, paucis aperiam.

PRIMO quidem 3. *p. Concil. ſect.* 7. diuidit tres menſuras

menſuras durabilium, pro varietate ipſorum durabilium. Prima eſt Tempus, qua menſurantur corruptibilia. Secunda eſt æuum, qua menſurantur ea, quæ habent principium, ſed non finem, vt ſunt anima, & Angelus. Æternitatem verò vocat Diuinarum Perſonarum durationem.

Quapropter, licèt velit, rationem menſuræ à nobis concipi in Æternitate (nam menſura eſt formaliter aliquid rationis, vt infra,) tamen vult non eam ingredi ad conſtitutionem æternitatis. Quare S. Doctor non eſt cum primo, vel ſecundo modo primæ ſententiæ. In opuſculo etiam de ſeptem itineribus Æternitatis, duas vias ad æternitatem indagandam tradit. Supponit verò, Deum immobilem conſiſtere in ſtatu ſuæ æternitatis; ideò ipſe ſolus eſt æternitate menſurabilis, cuius ratio eſt, quia ſicut Boëtius ait, *lib. 5. de conſol. proſa 6. Æternitas eſt interminabilis vita, tota ſimul, & perfecta poſſeſſio*, quæ nulli creaturæ conuenit; ſed ſoli Deo, vt patet conſideranti huius definitionis partes. Iam verò alteram viam indagandi Æternitatem à contrario, ait, eſſe Tempus, quod eſt menſura compoſita rerum mutabilium, vt dixi *quæſt. 2.* ex compoſitis enim ad ſimplicia: ex mutabilibus ad immutabilia aſcendimus. Secunda via eſt Æuum, duratio immortalium, nempè animæ, quæ dicitur creata in horizonte æternitatis, vt ait D. Auguſt. *lib. de ſpiritu, & anima, cap. 47.* initio, nam æuum imitatur æternitatem, tùm quia eſt quieta, & tota durans vita, vt ait S. Dionyſ. *cap. 5. & 10. de Diu. nom.* licèt enim habeat ſucceſſionem, tamen non habet variationem, vnde eadem entitas tota poteſt dici eſſe, vt dicam *quæſt. 4.* Tùm quia æuum ſemper durat, neque enim eſt Tempus, vel pars temporis; ſed quod ſimul protenditur cum æternis, ideſt, ſecundùm perpetuationem, vt ait D. Damaſc. *lib. 2. de fide cap. 1.* & D. Auguſt. *lib. 12. Confeſſ. cap. 11.* Hæc S. Bonauentura. Ex quibus habes, æternitatem totam eſſe realem, nec eſſe menſuram realem Dei, ſed Deum eſſe quidem menſurabilem per æternitatem, noſtro operante intellectu; hanc tamen rationem non ſpectare ad naturam æternitatis complendam, quæ tota actu eſt, nec actu eſt menſura. *In opuſculo verò Compendij Theol. cap. 18.* duo in Æternitate aſſerit, ambo realia. Alterum eſt vniformitas inuariabilis, quæ ex actualiſſima oritur ſimplicitate: alterum Interminabilitas, ſeu diuturnitas ſine principio, & fine. Vnde Æternitatem totam realem facit, cum ſecunda ſententia; neque interminabilitatem accipit pro negatione, cum Vaſquez.

Negat quidem Seraphicus *in 1. d. 24. art. 2. q. 1. ad vlt.* Æternitatem eſſe quantitatem, ideſt, realem extenſionem, vel terminationem, ſeu terminabilitatem à parte ante, & poſt; ſiue numerationem ſecundum prius, & poſt; non tamen dicit, negationem menſuræ eſſe de intrinſeco æternitatis.

Rurſus *in ſecundo, diſt. 2. p. 1. quæſt. 3. in corpore*, ait, ſi Æuum ſit omninò ſimplex, non poſſe eſſe menſuram veram. Et *in 1. diſt. 30. quæſt. 1. ad 2. & 3.* ait, Deum carere menſura. Hæc omnia adſtipulantur ſecundæ ſententiæ.

12 Fundamentum primum ex D. Bonau. *in 2. d. 2. p. 1. q. 3.* & aliis locis allegatis, maximè *ſerm. 3. poſt primam Dom. Pentec.* Menſura eſt id, quod nos ducit in cognitionem alterius, maximè quantitatis, ex Ariſtotele: *10. Metaph. cap. 2. & 3.* Quoniam verò alia eſt quantitas perfectionis, ſeu virtutis: alia molis. Hæc rurſus, alia continua, alia diſcreta. Rurſum continua, alia permanens; alia ſucceſſiua. Ideò pro ſingulis dantur menſuræ. Et pro prima; id, quod eſt primum in vnoquoque genere, eſt menſura cæterorum, quatenus, ex conſideratione virtutis illius venimus in cognitionem, quantum reliqua imperfectiora participent de illa virtute, vt, v. g. quia ignis in genere calidorum eſt primus, ideò ex illo menſuramus, quantum de calore participent reliqua, pro vt videmus magis, vel minùs accedere ad calorem ignis. Pro quantitate diſcreta, menſura videtur vnitas *ex 10. Metaph. cap. 1.* Attamen meliùs dicitur principium menſuræ, ſicut etiam indiuiſibile eſt principium menſurati; non autem menſura, vt aduertit S. Bonau. *in 2. d. 2. p. 1. quæſt. 3. fund. 4.* Pro quantitate continua permanenti, ſunt variæ menſuræ, vt vlnæ pro oloſericis: vaſa pro liquidis, adde pro multis pondera, ſtateras. Pro quantitate continua ſucceſſiua; quæ eſt duratio, eſt Tempus pro corruptibilibus; & pro creatis incorruptibilibus Æuum. Neque verò 13 ſola quantitas eſt menſura; ſed etiam ea, quæ ſe habent ad modum quantitatis. Ideò ait ibi, Vocem eſſe menſuram vocis, quæ non reducitur ad menſuram durationis, vt putat Vaſquez, neque enim ſola duratio vocis, alia duratione vocis alterius menſuratur; ſed etiam ſonus, & vocis intenſio.

Quoniam verò etiam Æternitatem concipimus, vt menſuram Diuinæ durationis, & quaſi ætatem Dei, quà ex oppoſito temporalium ſemper durat; veluti, ſi omnia tempora cogitemus habere totum ſuum eſſe in vno inſtanti, vel ſi imaginemur circulum, in cuius centro ſit punctus, qui ſtet ad motum circuli, atque ità circumferentiam motam, tranſeuntem fingamus tempus; at verò punctum cogitemus eſſe ſtantem, & complectentem totum gyrum temporum immobiliter; & ſecundùm ſimiles conceptus menſuramus diuinam durationem, ideo Æternitas dicitur menſura diuinæ durationis, non quod ſit verè menſura Dei; nam inter menſuram, & menſuratum, debet dari diſtinctio realis, & relatio, vt habet Ariſtoteles *5. Metaph. c. 15.* & D. Bonau. *in 1. diſt. 30. quæſt. vlt. ad argumenta*, nihil enim menſurat ſeipſum, vel ad ſeipſum refertur. Æternitatem verò eſſe ipſummet Deum formaliter vidimus, *diſp. 3. quæſt. 8.* Definitum etiam eſt in Concilio Rhem. teſte D. Bernardo, *ſerm. 80. in Cant.* Deum eſſe ſuam æternitatem. Ideò non poteſt ab ea menſurari.

Addit Seraphicus Bonau. aliam rationem, ob 14 quam Æternitas nequeat eſſe Dei menſura, quia menſura eſt nobilior menſurato, vnde ait Ariſtoteles: Quod eſt primum in genere illo, eſt menſura cæterorum.

Fvndamentvm ſecundum ex D. Bonau. *in 2. d. 2.* 15 *p. 1. quæſt. 1. citata.* Menſura dupliciter ſumitur primò pro entitate rei, quæ menſurare poteſt, & hoc eſt materiale menſuræ, vt vlna. Secundò pro applicatione, ſeu (vt cum Seraphico loquar) pro comparatione illius rei, puta vlnæ ad pannum, & hoc eſt formale menſuræ, & quid rationis, ſtat enim in comparatione menſuræ ad menſuratum, vt docet *D. Bonau. loc. cit.* hæc autem fit per intellectum, eſto materialis applicatio fiat per vlnam; tamen illa eſt formaliter menſura, per quam venimus in cognitionem menſurati, ex Ariſtotele: *cap. 2. allegato.* Rurſus, formale menſuræ capi poteſt dupliciter, primò pro vt habet fundamentum in materia, quæ eſt res diſtincta, & ſub hac ratione menſura eſt realis. Secundò, pro vt intellectus diſtinctionem adhibet ad menſuram, & hæc menſura, ſeu menſuratio eſt tota rationis. Talis eſt in Æternitate, reſpectu Dei.

Dices; ante omnem rationem conſiderantem, lignum palmare eſt æquale alteri palmari.

Reſpondent aliqui Thomiſtæ, eſſe æquale in fundamento, non formaliter.

Contra,

Contra, nam antequam Intellectus operetur, inſurrexit relatio realis mutua.

Reſpondetur ergò, ita eſſe, ſed ratione id fieri, vt applicentur inuicem.

16 FVNDAMENTVM tertium. Æternitas eſt perfectio Deo conueniens, independenter à creatura. Id volunt Scripturæ, eam Deo attribuentes ante omnem creaturam. Sic Eccleſiaſtici 18. *Qui viuit in æternum, creauit omnia.* Hinc D. Auguſt. 11. *Confeſſ.* apud D. Bonau. *d.27. p.2. q.1.* ait: *Deus Verbo æterno dicit, quæcunque dicit*: vnde aduertit, æternum non connotare temporale, æternum enim ſignificat Diuinam ſubſtantiam, vt notat D. Bonau. *diſt.9. dub.2. litt.* & Patet ab æterno genuit Filium, antequam intelligantur creaturæ futuræ, vt probat Seraphicus *d. 9. quæſt. 3.* & nos oſtendimus, *tract.2. d.9. quæſt. 11.* Sicut autem abſonum eſt dicere, Deum eſſe bonum in ordine ad creaturas, vel infinitum, vt probat Vaſquez, *diſp.23.* & 104. & 154. ità abſurdum eſt dicere, Deum eſſe æternum completè per ordinem ad creaturas, quod ſanè inconueniens multò magis ſequitur aſſerendo, æternitatem habere complementum ab intellectu creato, neque enim etiam intellectus Diuinus complet rationem eſſentialem æternitatis; ſed eam ſupponit, vt intelligat realiter completam. Itaque nil rationis poteſt dici complementum æternitatis.

ASSERO primò. Æternitas non eſt quid reale in recto, connotans quid rationis in obliquo, contra primum modum prioris ſententiæ.

17 PROBATVR primò quia non eſt intelligibile, quomodo in ratione Æternitatis contineatur reſpectus rationis, in obliquo connotatus; & tamen ratio Æternitatis realis omninò ſit ante operationem intellectus, nam ſi reſpectus ille ab ea connotatur, de ratione illius eſſe debet aliquis ordo, ad illum reſpectum; ordo enim ad connotatum ſemper includitur in ratione formali connotantis, cùm autem ordo iſta ad reſpectum rationis nequeat eſſe realis; ſequitur neque æternitatem totam eſſe realem contra illos. Imò addo, ad reſpectum rationis nullum poſſe eſſe reſpectum, quia ad relationem non eſt relatio, vt prolo[q]uitur Philoſophus.

Reſpondent Authores primi modi, quòd ſicut ſapientia in Deo eſt perfectio realis, connotat tamen rationem attributi, quod fit per intellectum: ità, etſi Æternitas ſit duratio realis in Deo, connotat tamen rationem menſuræ, quæ eſt per intellectum.

Verùm hoc exemplum non eſt aptum, nam licèt ſapientia ſit attributum, & ratio attributi ſit per intellectum, (attributum enim dicitur, quia intellectus illud Deo attribuit;) tamen ſapientia, & quæuis alia Dei perfectio, nomine proprio ſignificata, non connotat hanc rationem attributi; ſed denominatiuè ſolùm dicitur attributum; ſicut animal ità ſignificat ſubſtantiam animalis, vt non connotet rationem generis, licèt ipſum animal genus denominetur.

18 PROBATVR ſecundò. Nil abſolutum reale completur per aliquid rationis. Sed æternum eſt quid abſolutum reale. Ergo. Ma. patet. Mi. probatur, eſt enim perfectio Dei abſque ordine ad creaturas, vel ad aliud, vt dixi, *fundamento tertio.* Ergo eſt quid abſolutum. Quod verò ſit quid reale. Probatur ex D. Auguſt. *lib. de natura boni c. 37.* Et quia eſt ipſemet Deus, vt fides docet, & dixi *fundamento primo.*

PROBATVR tertiò: vel complementum Æternitatis pendet ab intellectu viatoris: vel comprehenſoris creati; vel Diuini. Si hoc tertium. Tunc ſic. Id, quod pendet ab intellectu Diuino, eſt quid reale, non enim Deus fingit dependentias, vt nos facimus. Si ab intellectu viatore. Ergo non conuenit Deo ſemper eſſe æternum. Neque ab intellectu beato, quia neque rationem menſuræ effingit beatus, ſi verè non ſit talis, neque negationem menſuræ, vt putat Vaſquez, quia conſtitueret Deum ex ente rationis.

ASSERO ſecundò, ad eſſentiam Æternitatis non concurrere aliquid rationis, contra ſecundum modum, qui Ferrarienſi adſcribitur.

PROBATVR ex dictis. Confirmatur. Ad eſſe Dei conſtituendum, non concurrit aliquid rationis. Sed Æternitas eſt Deus, de fide; vt oſtendi, *fundamento primo.* Ergò. 19

ASSERO tertiò. Ratio menſuræ non concurrit ad conſtituendam Æternitatem.

PROBATVR Ens reale abſolutum completur, priuſquam ab intellectu aſſumatur ad aliud; ſed Æternitas eſt quid reale abſolutum, ex dictis, *fundamento tertiò.* Ergò. Confirmatur. Si enim tempus non completur per aliquid rationis, (vt ſaniores Philoſophi docent;) multò minùs Æternitas, quæ eſt infinitè perfectior.

ASSERO quartò. Neque negationem menſuræ per intellectum complere Æternitatis eſſentiam, contra Vaſquez.

PROBATVR primò. Non minus realis, & independens in Deo eſt æternitas, quàm vnitas. Sed Deus ante operationem intellectus eſt vnus: Ergo etiam æternus. Confirmatur, quia remota omni conſideratione intellectus, Æternitas eſt vniformitas diuini eſſe; nam ideò Deus eſt æternus, quia eius eſſe eſt tale, abſque vlla viciſſitudine, & abſque vllo termino, vt explicat Boëtius, vocans eam interminabilem. 20

PROBATVR ſecundò. Si aliquid rationis deberet concurrere ad conſtitutionem Æternitatis, id eſſe deberet, quod notat per intellectum Æternitas. Sed Æternitas notat menſuram durationis Dei; non autem negationem menſuræ: Ergo. Mi. probatur, præcipuè communi Theologorum ſenſu poſt D. Bonauenturam, & D. Thomam. 21

PROBATVR tertiò Æternitas proportionaliter ſe habet ad Æterna, ſicut tempus ad Temporalia, ſic enim reliquas etiam diuinas perfectiones ſtatuimus ad modum creatarum perfectionum. Ergo etiam æternitatem ad modum, quo ſe habet Tempus ad Temporalia. Sed tempus non dicit negationem menſuræ temporalium; imò potiùs menſuram: Ergo, & Æternitas (non tamen realis menſura.)

Scio ex oppoſito ſe habere, quò ad permanentiam, & interminabilitatem; ſed in ordine ad durationem aſſumitur Æternitas ad menſurandum eſſe Diuinum; ſicut Tempus ad Temporalia dimetienda. Vnde non benè Vaſquez infert. Tempus eſt duratio numerata per intellectum, vt poſſit aliarum durationum eſſe menſura: Ergo è contra, æternitas eſt duratio, omni menſura carens.

ASSERO quintò. Differentiam conſtitutiuam Æternitatis, eſſe realem poſitiuam.

PROBATVR à Scoto *quodl. 6. §. Reſtat nunc*, ratione D. Bonau. *lib. 1. Compend. Theol. verit. c. 18.* Id, quod dicit Ens ſimpliciſſimum infinitè perfectiſſimum, eſt ens reale poſitiuum. Æternitas eſt huiuſmodi: Ergo. Mi. probatur, quia Æternitas eſt duratio entis per eſſentiam, atque adeò infinitè perfecta, & ſicut infinitas intenſiua diuinæ eſſentiæ eſt perfectio poſitiua; ità Æternitas, quæ eſt extenſiua ad permanentiam.

Confirmatur primò, quia dicit infinitum, potens coexiſtere omni reali durationi, omnemque comprehendere. Ergo eius eſſentia eſt poſitiua, prior omni negatione, vt arguit etiam Molina.

Confirmatur

Confirmatur ſecundò à Seraphico, quia æternitas dicit permanentiam Dei in eſſe perfectiſſimè vniformi, atque adeò modum perfectiſſimum exiſtentiæ, omnes creatos tranſcendentem. Sicut eſſe Dei infinitum, dicit modum perfectum eſſentiæ, ac proinde poſitiuum. Vnde *Pſal.* 101. fit antitheſis. *Ipſi peribunt, tu autem permanes.* Et Mercurius Triſmegiſtus ideò vocat Deum α, & ω: ſine α, & ω ſcilicet *Principium, & finis ſine principio, & fine.* Et totum hoc oritur è ſimpliciſſimo Dei eſſe. Simplicitas autem eſt prior compoſitione, atque adeò poſitiua, nam poſitiuum eſt prius negatiuo, vt probaui *diſp.* 3.

Confirmatur adhuc à Seraphico *loc. cit.* quia æternitas eſt diuturnitas interminabilis ſine principio, & fine; ac proindè negationes principij, finis, termini, &c. oriuntur è poſitiua perfectione eius, quæ debet prior eſſe, vt cauſa.

Addit S. Doctor optimam rationem, ob quam ponatur Interminabilitas in definitione æternitatis, & aliæ ei negationes adſcribantur, quia, ſcilicet ſimplicia, maximè diuina, nullo alio modo melius cognoſcuntur, quàm per remotionem, vt ait S. Dion. *cap.* 7. *de diu. nom.* & huius adhuc rationem aſſignat, quia ſimplicium eſſe, non poteſt intellectus comprehendere, & ideò è negationibus eorum, quæ remouentur, manuducitur intellectus ad ea cognoſcenda. Ita hanc perfectionem diuinæ exiſtentiæ exprimit Apoſtolus 1. Timoth 6. *Qui ſolus habet immortalitatem*, quod oritur è perfectione permanentiæ, quæ in definitione dicitur perfecta poſſeſſio, tranſcendens omnem perfectam poſitiuam durationem creaturæ.

Concludit Seraphicus Doctor; ideò in definitione poni tres conditiones, inſeparabiles ab æternitate. Interminabilitatem, dum dicitur: *Interminabilis.* Inuariabilitatem, dum dicitur *tota ſimul.* Denique ſimplicitatem, dum dicitur *perfecta poſſeſſio.* Illud enim ſummè perfectum, cui non poteſt eſſe additio. Hæc S. Doctor, quibus aſſertio eſt ſolidata.

Tandem confirmata remanet, è confirmatione aliorum modorum. Manet igitur, æternitatis eſſentiam eſſe diuinæ durationis vniformitatem, carentem principio, & fine, aliiſque næuis. Vide Amicum *p.* 1. *diſp.* 7. *ſect.* 5. Merandum *tract.* 1. *quæſt.* 15.

Obiicies primò. Id, quod eſt primum, non poteſt menſurari etiam per intellectum. Deus eſt primum ens: Ergo nequit intellectus vti æternitate, ad eius eſſe menſurandum. Confirmatur; nam menſura eſſe debet à menſurato diſtincta.

Reſpondetur, nos vti æternitate diſtincta à Deo, ratiocinata ratione, ad eius eſſe, pro captu noſtro imperfecto, menſurandum, quod non repugnat primo enti. Hinc ſolues inſtantias Vaſquez, debere menſuratum eſſe finitum reſpectu menſuræ. Reſpondetur enim, ſatis eſſe, ſi ſit finitum, idest, adæquatum. Sic autem Deus eſt adæquatus æternitati, ſicuti eſt adæquatus ſuo Diuino intellectui, à quo comprehenditur, vt ait S. Bonauentura.

Obiicies ſecundò. Menſura debet eſſe notior menſurato. Sed æternitas eſt ignotior Deo. Ergò.

Reſpondeo, æternitatem apprehendi, vt notiorem, quia, ex eo quòd infinitam durationem Dei concipimus, apprehendimus æternitatem in ratione menſuræ.

Præterea his etiam admiſſis, non probauit aſſumptum ſuæ opinionis; eſſentiam æternitatis ſtare in negatione menſuræ, quia non eſt prior.

Inſtat adhuc Vaſquez pro ſua ſententia. Æternitas definitur interminabilis: hoc autem dicit negationem menſuræ. Ergo.

Reſpondetur, negando minorem, ſignificat enim negationem realem principij, & finis. Fateor, dicere negationem menſurabilitatis paſſiuæ, quia eſt primum ens. Sed hoc eſt quid reale; non dicit autem negationem menſuræ actiuæ, ſecundùm imperfectum modum concipiendi, vt dixi ſupra. 22

Obiicies vltimò. Vbi eſt æqualitas, & inæqualitas, ibi eſt ratio quantitatis, & extenſionis. Sed in æternitate hæc ſunt. Ergo. Maior patet. Eæ enim ſunt quantitatis proprietates. Minor probatur, nam Deus plus durauit nunc, quàm initio mundi antea duraſſet.

Reſpondetur, Deum conſideratum menſura aliena, idest tempore, quo nos, & mundus duramus, ampliùs duraſſe, non autem conſideratum in ſe præcisè. 23

Dices. Scriptura ipſa tribuit Deo *fuiſſe, eſſe.* Pſal. 109. *Ante Luciferum genui te.* Apoc. 1. *Qui eſt, qui erat, & qui venturus eſt.* Heb. 13. *Ieſus Chriſtus heri, & hodie: ipſe, & in ſæcula.*

Reſpondetur facillimè ex dictis cum D. Bonau. *diſt.* 9. *in dubiis litt.* has differentias temporis ſumi pro noſtro captu, ad explicandum, Deum fuiſſe, idest ſemper; Deum nunc eſſe neceſſariò, & futurum ſemper. Indicari autem mutationem temporis, in qua Deus immutatus manſit toto gyro temporum. Sicut autem in reliquis, Deus incorporeus, nominibus ſumptis è natura corporea, exprimitur, vt ſplendoris, &c. ita æternitas nominibus temporalibus ſucceſſiuis exprimitur. Vide etiam D. Thomam *art.* 1. *ad* 4. & Caſpenſem *diſp.* 9. *ſect.* 2. Recupitum *lib.* 4. *de infinitate, quæſt.* 17.

QVÆSTIO IV.

Vtrum differat æuum ab Æternitate per ſucceſſionem.

D. Bonau. in 2. d. 2. p. 1. q. 3.
D. Thom. q. 10 art. 4 & 5.

PRIVSQVAM aggrediar controuerſiam, adnotabo nominis æui ſignificatum. Aliqui enim forſan ex nomine decepti ſunt. Græcè quidem videtur Synonimum æternitati, dicitur enim græcè αἰὼν EON; non ÆVON, vt legit Nazarius *art.* 5. Quare videtur Latina vox ſumpta è Græca, interiectâ tamen litterâ *v*. Idem 24 autem eſt Græcè αἰὼν, quaſi τὸ ἀεὶ ὤν, idest ſemper exiſtens, quod ſignificat æternitatem. Quare S. Dionyſ. *cap.* 10. *de Diu. nom.* pro æternitate accipit. Similiter Damaſ. *lib.* 2. *de fide, cap.* 1. Nicetas *in orat.* 2. *Nazianzeni.* Hinc forſan orta eſt opinio, infra refutanda, æuum eſſe durationem, quæ ſemper eadem exiſtit ſimul.

Enim verò æuum, Græcè, idem eſt, quod Latinè SÆCVLVM, vt notat Vaſquez *diſp.* 33. *num.* 1. Vel totam denotat noſtri temporis cognitionem, vnde antiquiſſima, vocamus æterna; vt docuit D. Dionyſ. *loc. cit.* Idcircò *Deuter.* 34. & *Pſal.* 75. Colles, aut montes vocantur æterni, quia antiquiſſimi ſunt. Et *ad Titum* 1. Tempora dicuntur æterna, iuxta S. Auguſt. lectionem *lib.* 83. *qq. quæſt.* 7. & *lib.* 12. *de ciuit. cap.* 16. *Qui non mentitur Deus ante tempora æterna,* vbi legimus *ſæcularia.* Dici etiam poteſt Æuum, tempus quinquaginta annorum. Sic *Exodi* 21. dicitur; *Erit ſeruus in ſæculum.* Idest vſque ad alium Iubileum, Ita *Deuter.* 15. legitur: *Erit ſeruus in æternum.* Significat ætatem etiam hominis, vt docet Damaſcenus, Nicetas citati, & Hieronymus in *cap.* 26. *Ezech.* ſub finem.

Nos hic accipimus æuum, pro menſura durationis 25 Angeli, & animarum noſtrarum. De hoc ita loquitur Nicetas loc. cit. *At de Angelis, & animabus haud*

quaquam propriè dici poteſt. Æuum enim illorum principium habet : verum finem habiturum non eſt. Quocirca partim æui participes ſunt , quia incorruptibiles ſunt , & immortales : partim temporis, quia in rerum creatarum claſſe ſint. De hoc quæritur : an ſit ens ſucceſſiuum , aut permanens.

Prima igitur ſententia eſt , æuum eſſe totum ſimul. Ita Alenſ. *p.* 1. *quæſt.*12. *m.*9. *art.*3. Albert. *Opuſc. de quatuor coæuis quæſt.* 3. *art.* 6. D. Thom. *hoc art.* vbi Caiet. Bañes , Nazarius , & cæteri Thomiſtæ , & *quodl.* 10. *artic.* 4. Henricus *quodl.* 5. *quæſt.*18. Scotus *in* 2. *d.*2. *quæſt.*1. vbi Scotiſtæ , inter quos Faber *diſp.*11. Maſtrius *d.*13. *quæſt.*3. Durand. *eadem diſt. quæſt.* 3. Capreol. *quæſt.* 2. *art.*1. Gabr. *quæſt.* 2. *art.* 1. Ocham *in* 2. *quæſt.* 10. Richard. *d.* 2. *art.*1. *quæſt.*3. & communiter DD. Moderni. Valentia *diſp.*1. *quæſt.*10. *p.*3. Vaſquez *p.*1. *diſp.*33. Ribas *t.*2. *d.* 6. *num.*17. Caſpenſ. *d* 9. *ſect.*3. Gonzal. *d.* 21. Fonſeca 5. *Metaph. cap.*33. *quæſt.*12. Suarez *diſp.*50. *Met. ſect.*3. & 5. Ruu. 4. *Phyſ. de duratione.* Amic. *tract.*22. *Phyſ. quæſt.*2. *d.*3. Becañ. *de Aug. cap.*1. *quæſt* 3. Fulienſis *l.*1.*cap.*6. Hi duo clamant , eſſe communem contra D.Bonau.

26 Secvnda ſententia eſt D. Bonauenturæ hic , æuum eſſe ens ſucceſſiuum. Eum ſequuntur Titelmanus *lib.*4. *Philip. cap.*22. Toſtat. *ad* 2. *Iona* , *quæſt.*37. Areſius 1. *de Gener. d.*5. *quæſt.*44. P. Galirius *in ſum. Philip. lib.*4. *tract.*2. *quæſt.*3. eamque probabilem fatentur Scotus , & Richardus. Plaudit Corjolanus *quæſt.*10. *art.*3. Murcia 4. *Phyſ. d.* 3. *quæſt.*3. Capreolus 2. *d.* 2. *quæſt.*2. *art.* 22. Poſnan. *l.* 2. *cap.*2. *quæſt.*1.

27 Fundamentum primum. Solus Deus habet totum eſſe indiuiſibile ſimul independens , de quo impoſſibile eſt , non eſſe , vt ipſe teſtatur , Exodi 3. *Ego ſum qui ſum* : at verò eſſe creaturatum dependens eſt , egens continuo Dei influxu , ita vt poſtquam creatura durauit , poſſit aliquando deſtrui ; ſicut linea poteſt in quolibet puncto detruncari.

28 Fundamentum ſecundum. Entia corruptibilia ita conſeruantur , vt ſemper aliud , & aliud innouatum recipiant ; ſicuti fons conſeruat riuum , nouam ſemper aquam communicando cum innouatione. Hæc igitur habent menſuram ſucceſſiuam cum innouatione morularum , & etiam inſtantium , vt oſtendam *tract.*5. *d.*14. *quæſt.*3. & 4. & docent communiter. Sicut enim ſe habet mobile ad motum : ita nunc ad tempus. Sed in toto motu mobile eſt alterum , & alterum. Ergo & nunc. Probatur etiam ratione S. Doctoris *in* 4. *d.*11. *quæſt.*5. Si eſſet vnum nunc in toto tempore , ſequeretur , tempus eſſe indiuiſibile , & componi ex indiuiſibilibus. Eſt autem idem nunc , ſecundum eſſentiam , vt habet Philoſophus 4. *Phyſ. textu* 104. At verò incorruptibilia habent aliam durationem , & conſequenter aliam proportionatam menſuram ſucceſſiuam , non quidem cum ſucceſſione nouæ entitatis , vt nobis , adſcribunt æmuli ; ſed ſine innouatione , per continuam conſeruationem illius eſſe , atque menſuræ , quæ tamen in quouis inſtanti poſſet ſuſpendi , & ſic res periret. Dat S. Bonau. exemplum radij conſeruati à ſole , non per nouam emiſſionem alterius , & alterius entitatis radij ; ſed per continuam conſeruationem eiuſdem , & eſt doctrina D. Auguſt. *lib.*8. *de Geneſ. ad litt. cap.*19. ideò ait , creaturam eſſe in continuò fieri. Neque ſequitur innouatio , quam infert Valentia , qui non rectè poſt D. Thomam adducit Ariſtotelem 4. *Phyſ. t.*120. quaſi diceret , ex tranſmutabilitate menſurati exiſtere prius , & poſterius in menſura , & non aliter. Hoc enim non dixit ibi Ariſtoteles : ibi enim ſolùm innuit , corruptibilia menſurari tempore , & ex ſucceſſione vnius , haberi ſucceſſionem alterius ; non autem , quòd ex innouatione vnius habeatur ſucceſſio alterius , quod eſt menſura proportionata habens nouas partes , veteribus deſinentibus , vt vidit Amicus *num.*10. Hæc igitur conſeruationis multiplicatio eſt paſſiua , ideſt recepta in eſſe angelico , quod eget noua ſemper conſeruatione , & poſſet Deus poſt aliquam longam conſeruationem ſuſpendere. Neque eſt ad rem exemplum allatum à Valentia de generatione Verbi , quæ poteſt dici continua , licet nullam ſucceſſionem habeat ; nam generatio Verbi non poteſt dici continua , cùm ſit in indiuiſibili æternitatis , nam continuum habet partes , & partes , vel permanentes , vel ſucceſſiuas. Neque , vt putat Fauentinus, componitur æuum pluribus inſtantibus ; tunc enim eſſet tempus diſcretum. Quæ cùm ita ſint ; malè Amicus cum Fonſeca infert. Non eſt ſucceſſio in exiſtentia : Ergo nec in duratione. Antecedens (ait Becanus) eſt Bonauenturæ. Conſeq. patet , quia ſunt idem.

Assero , æuum eſſe menſuram ſucceſſiuam.

Probatvr à Seraphico Doctore primò ex Patribus. Primus eſt D. Hieronymus *epiſt. ad Marcellam* , vbi ait. *Solus Deus non nouit prius neque poſterius.* 29

Reſpondent Caietanus , Valentia , Vaſquez , Amicus , poſt D. Thomam , Hieronymum excludere à Deo ſolo ſucceſſionem , non ſolùm durationis eſſe, ſed etiam operationum ; creaturæ enim aliquæ habent quidem eſſe ſimul , ſed ſucceſſionem in operationibus admittunt.

Contra , nam S. Hieronymus comparat ibi , non operationes ; ſed eſſe Dei , & creaturæ. Verba recitata à Gloſſa *ad* 3. *Exodi* ſunt hæc. *Hieronymus ſcribens ad Marcellam de decem nominibus Dei* , *ſexto loco ponit nomen.* Qui eſt. *Deus enim , qui exordium non habet , vera eſſentia nomen tenet quod per Angelum dictum eſt Moyſi , nomen eius quærenti , quia in eius comparatione , qui verè eſt , quia incommutabilis eſt : quaſi non ſunt , quæ commutabilia ſunt ; quod enim dicitur* fuit *non eſt* , & *quod dicitur* erit ; *nondum eſt : Deus autem tantum eſt , qui non nouit fuiſſe, vel futurum eſſe. Solus autem Pater , cum Filio , & Spiritu ſancto verè eſt ; cuius eſſentia comparatum noſtrum eſſe non eſt. Vnde & dicimus. Viuit Deus , quia eſſentia diuina vita viuit.*

Vides fieri comparationem inter eſſe , & eſſe ; non inter operari , & operari.

Reſpondet Vaſquez ſecundò , hæc verba non eſſe D. Hieronymi , ſed Gloſſæ eruta ex D. Iſidoro , quæ Ita habent. *Deus autem tantum eſſe nouit , qui non nouit fuiſſe , vel futurum.*

Reſpondetur , ea eſſe verba D. Hieronymi (vt arbitror.) Hoc autem colligo , quia indicat illa epiſtola , ſe alias cum ea , de hoc tractaſſe. Deinde ait etiam , ſe cogi epiſtolarem breuitatem tranſcurrere , vt hæc difficilia exponat , quod in aliis litteris patet. Vnde reor , hanc ad compendium redactam , nec omnia continere , quæ ſcripſerat ; eſt enim breuiſſima. Deinde Gloſſa ordin. eſt magni ponderis , & meo iudicio pluris æſtimanda , quàm ſimplex Patris exterior ſententia , eſt enim approbata expoſitio. Scripturæ totius , & ordinaria interpretatio eius.

Probatvr ſecundò à S. Doctore , ex D. Anſelmo *in Proſol. cap.*18. & *Monol. cap.*18. ad ea verba Exod. 15. *Dominus regnabit in æternum , & vltra* , vbi ait. *An hoc modo tranſis omnia , etiam æterna , quia tua , & illorum æternitas tota tibi* 30

præſens

præſens eſt ; cùm illa nondum habeant de ſua æternitate, quod venturum eſt ; ſicut iam non habent, quod præteritum eſt. Sic quippe ſemper es vltra illa, cùm ſemper ibi ſis præſens, ad quod nondum illa peruenerunt. Quo genere loquendi per interrogationem aſſerit, quod proponitur (id Ariſtoteli etiam eſt familiare.) Comparat autem S. Anſelmus Deum rebus omnibus æternis, quæ ſcilicet finem non ſunt habituræ, & in earum æuo ſucceſſionem inuenit.

Reſpondent Valentia, Vaſquez, & alij, D. Anſelmum aſtruere ſucceſſionem æuiternis, non in eſſe ; ſed in operationibus.

Hoc eſt inutile effugium ; nam ibi S. Pater diſtinguit æuum, ab æternitate ; operationes autem Angelorum non menſurantur æuo ; ſed tempore. Quòd ſi ſtat eorum reſponſio. Tunc arguo ad hominem. Menſura, & menſuratum ſunt homogenea, id eſt, eiuſdem rationis cum menſurato, vt probat Vaſquez *d.* 31. *num.* 14. *ex Ariſtotele* 10. *Metaph. cap.* 3. Itaque magnitudo habet eſſe menſura magnitudinis ; non autem indiuiſibilis ; at operationes Angelorum, & animarum menſuratæ æuo, de quo agit D. Anſelmus *hic*, ſunt ſucceſſiuæ. Ergo & Æuum.

Qvod verò addit Vaſquez, D. Anſelmum concedere non ſolùm ſucceſſionem, ſed etiam variationem in æuo, & nil fauere D. Bonauenturæ ; facilè ſoluitur. Primò, quia S. Anſelmus non admittit variationem ; quod ſi eam admitteret, multò magis eſſet ab aduerſariis alienus ; nobiſcum verò conciliatus manet, intelligendo variationem pro multiplicatione conſeruationis entitatis creatæ.

Reſpondet Faber cum Scoto, Sanctos Patres in eo ſolùm diſtinguere Æuum ab Æternitate, quòd illud eſt dependens, non tamen alia, & alia cauſalitate ; ſed vnica continua. Sic ait Faber reſpondere omnibus auctoritatibus. Subſcribit Amicus, *num.* 14.

Contra eſt primò, quia laxis fibris clamant Patres, differentiam Æui ab Æternitate : eſſe in ſuc-
31 ceſſione, non in ſola dependentia ; quæ valdè differunt.

Deinde, dependentia ipſa, & conſeruatio Angelicæ naturæ ſunt diuiſibiles ; nam poſtquam durauit Angelus, poteſt annihilari. Neque dicas hoc eſſe in tempore. Supponamus enim, non fuiſſe tempus, & Deum creaſſe Michaëlem, & millies replicaſſe conſeruationem, & poſtea annihilaſſe ; profectò iſta conſeruatio eſſet diuiſibilis. Vrgeo Ponamus, Deum millies replicare conſeruationem Michaëlis ; & poſtea deſtruere eum ; & decies millies Gabrielis conſeruationem ; & poſtea annihilet. Certum eſt, longiorem eſſe durationem Gabrielis. Quod ſi eſt eiuſdem inſtantis, ſequitur primò, eodem modo teneri Deum eniti, vt durent æqualiter omnes Angeli, & etiam ſi millies, millieſque replicet conſeruationem vnius Angeli, non poſſe facere, vt duret pluſquam ille, qui illicò annihilatus eſt. Deinde ſequitur, Deum non poſſe annihilare Angelos, quia eodem indiuiſibili, quo ſunt creati, deſtruerentur ; & in eodem inſtanti eſſent, & non eſſent. Addo. Deus poſſet facere, vt Angelus non fuerit ab initio ; nam præſens duratio eſt vna indiuiſibilis cum ea, quæ fuit initio creationis. Tandem, omne continuum eſt diuiſibile. Hæc conſeruatio per Faberum, & Scotum eſt continua : Ergò.

Tertivs, D. Gregorius Nazian. *Orat.* 35. aſſerit, ſucceſſionem in æuo ; quærens enim, quando genitus eſt Filius ; reſoluit : Non poſſe reſponderi vocibus, quia omnes ſignificant tempus. Et addit ; *niſi fortè æuum accipiamus, hoc eſt interuallum illud, quod ſimul cum rebus æternis extenditur.*

32 Neque valet reſponſio, extendi Æuum ſecundùm operationes. Primò enim, operationes non menſurantur æuo, vt omnes fatentur.

Deinde S. Gregorius loquitur de Æuo in abſtracto, non prout vt ad menſurata concretum eſt. Quod ſi operationes Angelorum menſurantur æuo, cùm menſura, & menſuratum debeant eſſe eiuſdem rationis, oportebit æuum eſſe ſucceſſiuum ; vt dixi, ſicut ſucceſſiuæ ſunt etiam operationes.

Qvartvs eſt D. Auguſtinus 11. *Confeſſ. cap.* 14. vbi ait. *Quòd ſi nunc temporis ſtaret, eſſet æternitas propria Dei.* Adducitur à Fabro *num.* 6. idem S. Auguſtinus 2. *de Trin.* ſic dixiſſe. *Quamuis, ſecundùm Philoſophos, de corporibus cœleſtibus, & ſpiritibus poſſit dici, quod ſunt ſemper ; magna tamen eſt differentia in* (ſemper.) *In Deo enim ſemper eſſe, præſens eſt, non currens : nunc autem fluens, facit ſempiternitatem, id eſt, Æuum.* Idem Auguſtinus *lib.* 8. *Geneſ. ad Litt. cap.* 19. vult, quòd ſicut aër ſe habet reſpectu Solis, à quo fit lucidus ; alioqui recedente Sole, remaneret aër lucidus : ità ſe habet creatura reſpectu Dei, vt formaliter ſemper ponatur in eſſe ſucceſſiuis influxibus. Confirmatur. Nam conſeruatio, non eſt ſola non deſtructio ; ſed eſt actio poſitiua Dei, non ſanè nouum aliquid producens. Ergò continuatio ſucceſſiua.

Reſpondent Scotus *loc. cit.* & Faber *num.* 14. S. Auguſtinum in Geneſi ſic explicari. Idem eſſe creaturæ ſemper pendere à Deo, non per diuerſas actiones ſucceſſiuas, ſed per vnicam, quæ ſemper manet ; & dicitur creatio, in quantum coëxiſtit *primo nunc temporis*, quò creatura illa tranſiuit de non eſſe ad eſſe ; & dicitur conſeruatio, quatenus coëxiſtit cæteris partibus temporis ſubſequentibus.

Contra tamen opponit Fauentinus argumentum (ait) difficile : Quia per actionem illam non po- 33
nitur aliquid in eſſe quà circumſcriptà adhuc res poneretur in eſſe ; at Angelus circumſcripta actione, ſeu conſeruatione Dei hodierna, ponetur cras in eſſe. Ergo non eſt vna eademque actio. Major eſt euidens, quia ſi remota calefactione ignis, adhuc eſſet terra calefacta, ſignum erit, non eſſe calefactam ab Igne. Minor probatur. Quia, ſi eſt vna, & eadem actio ; ſequitur, Deum non poſſe cras annihilare Angelum, ſed conſeruatum hodie, manere & cras.

Reſpondet Faber cum Scoto, Majorem eſſe veram in ſenſu compoſito ; falſam in ſenſu diuiſo, id eſt : hæc neceſſariò ſtant ſimul ; quod ſi aliquid ponatur in eſſe aliqua actione, illa actio etiam ſit : tamen in ſenſu diuiſo non eſt neceſſe, vt illa actio, & illud eſſe, pro quouis tempore ſtent ſimul, quia actio illa potuit præteriiſſe, & manſiſſe ipſum eſſe.

Vervm reſponſio petit principium ; nam vis argumenti ſtat, vt actio conſeruans, ſimul componatur cum re conſeruata ad hoc, vt res dicatur conſeruata per illam actionem, & ſi eſt vna actio durans toto tempore ; oportet vt coëxiſtat cuique parti temporis : aduerſarij autem volunt, eſſe eandem actionem, & paſſiuè indiuiſibilem toti tempori adæquatam. Fruſtra igitur emendicatur ſenſus compoſitus, & diuiſus. Ad alias authoritates reſpondet Faber cum Scoto, Æuum differre ab æternitate, quia eſt independens in ſuo eſſe. Verùm hoc exploſum eſt.

Probatvr deinde rationibus à Seraphico. Prima 34

e . Quæcumque res declinans à perfectione alterius, prius declinat ab apice perfectionis, quàm à tel qua: at omnis creatura declinat ab vnitate Dei. Ergò declinat ab apice vnitatis, quæ eſt ſimplicitas in omni genere etiam durationis: Ergo habet durationem compoſitam: ſed compoſitio in duratione ponit prius, & poſterius. Ergo.

Reſpondet Valentia, & alij, ſimplicitatem durationis Angelicæ, quia eſt capax prioris, & poſterioris ſecundùm accidentia, declinare ad compoſitionem.

Contra, nam diſtinctio creaturæ à Deo eſt toto genere. Ergo ſecundùm eſſentialia, ante omnia accidentia. Si dicant, dependentiam componere. Aduerte hanc à Scoto non concedi componere.

35 Secvnda ratio. Omnis menſura durationis eſt quantitas, atque adeò diuiſibilis, ex Ariſtotele 10. *Met. cap.* 2. *&* 3. quaque perſpecta cognoſcitur illud quantum; ex quo etiam ſequitur, vt notat Durandus *d* 2. *quæſt.* 1. menſuram debere eſſe diſtinctam à menſurato: at æuum eſt menſura durationis Angelicæ: Ergo eſt quantitas diſtincta ab ipſa duratione atque adeò diuiſibilis. Hoc argumentum multas quæſtiones aduocat. Prima eſt: An æuum ſit menſura Angelorum. Secunda: an diſtinguatur realiter ab exiſtentia Angeli. Et quidem Doctor Seraphicus conſequenter docet, æuum eſſe menſuram, & diſtingui realiter. At verò Durandus *in* 2. *d.* 2. *quæſt.* 5. Gabr. ibidem *quæſt.* 1. *art.* 2. Ocham *eadem diſt. quæſt.* 16. dicunt, æuum non eſſe menſuram rei permanentis. Itaque nullum æuum intrinſecum, aut extrinſecum, eſſe menſuram angeli. Cum his ſentiunt Vaſquez *diſp.* 34. & alij Recentiores.

36 Scotvs vero *in* 2. *d* 2. *quæſt.* 2. in ſecunda parte principalis quæſtionis docet; in Angelo exiſtente, non debere poni aliquid, menſurans eius exiſtentiam: at *in quæſt.* 3. dicit, vnum æuum poſſe eſſe menſuram exiſtentiæ alterius angeli. Quare videtur ſibi contradicere. Opinio Scoti eſt, nullam eſſe menſuram intrinſecam durationis Angeli, quæ ſit veluti quantitas illius ſubſtantialis durationis, ſed dari menſuram extrinſecam. Itaque exiſtentiam ſuperioris angeli eſſe menſuram durationis alterius; aut durationem angeli ſupremi, eſſe menſuram durationis aliorum omnium. Hanc ſententiam amplexus fuerat D. Thom. *art.* 6. *quæſt.* 10. quem ſequuntur diſcipuli, & alij plurimi. Ex hac ſententia ſequitur, ſupremum angelum nullam habere menſuram ſuæ durationis; attamen Caietanus ibi dicit, etiam angelum ſupremum habere menſuram ſuæ durationis; ſed non explicat, quæ ſit. Iuxta diuerſitatem opinionum, reſpondent argumento Seraphici Doctoris.

37 Durand. Gabr. Och. Vaſquez, & alij negant, dari æuum internum, aut externum, quo Angeli menſurentur. Primum probatur. Menſura debet eſſe apta notificare menſurati quantitatem; at duratio angeli non poteſt id facere, quia ipſa eſt, quæ notificatur per menſuram; alioqui idem eſſet menſura, & menſuratum; & ſic idem eſſet notum; & ignotum. Maior eſt Ariſtotelis 10. *Metaph. cap.* 2. *&* 3.

Neque eſt æuum extrinſecum, id eſt duratio ſuperioris angeli, quia non eſt notior nobis, quàm duratio inferioris: vnde non poteſt eſſe menſura. Itaque vult Durandus, menſuram durationis angelorum eſſe Tempus noſtrum, atque adeò eſſe menſuram non vnigeneam. At Vaſquez cum Biel, & Ocham adhuc ſuſtinent, Tempus noſtrum eſſe menſuram vnigeneam durationi angelorum, quod eſſe neceſſarium docet Ariſtoteles 10. *Metaph. citato.* Id verò eſſe menſuram vnigeneam probant, quia vtrumque eſt duratio; hoc autem ſufficit. Probant a tem, quia duratio angeli concipitur à nobis, vt fluens: menſura autem non eſt quid extra animam; ideò ſufficit, vt concipiatur, vt fluens, etiam ſi verè non fluat. Idem ferè dicit Valentia. Nos igitur tempore noſtro menſuramus quantùm angeli durarunt poſt diluuium; quantùm ſint diluuio antiquiores.

Probo igitur primò, æuum eſſe menſuram angeli. Menſura, & menſuratum debent eſſe vnigenea, ex Ariſtotele ſupra; at tempus non eſt vnigeneum exiſtentiæ: Ergo. Probatur minor. Quod eſt vnigeneum vni quantitati, non poteſt eſſe vnigeneum etiam alteri oppoſitæ; at Tempus eſt vnigeneum durationi generabilium, corruptibiliumque: ergo non poteſt eſſe menſura rerum permanentium incorruptibilium. Quod verò non ſufficiat, quòd ſit duratio. Probatur primò. Si duratio ſufficienter faceret homogeneam menſuram cuilibet durationi; ſequeretur, menſuram Dei eſſe Tempus, quod eſt duratio; nam etiam Deus à nobis cognoſcitur antiquior diluuio, per menſuram alienam temporis. Falluntur autem iſti, quia, licèt menſura in adaptatione compleatur per intellectum; attamen debet habere fundamentum reale homogeneitatis cum menſurato; alioqui non erit quantitas, vt vult Ariſtoteles; ſed chimæra; neque poteſt menſura generica menſurare, quàm ſecundùm generica, v.g. duratio durationem; at vero ad hoc, vt ſit vnigenea, & menſurare apta, ſecundùm rationem propriam; debet eſſe apta propriæ durationi. Si enim ego velim menſurare longitudinem panni, non ſufficit quæuis menſura rei permanentis, non enim menſurabo trutinâ; ſed vlnâ. Debet autem conceptus noſter eſſe verus, vt ſit menſuratio. Igitur, ſi tempore vtor ad menſurandam durationem angeli, dimetiar quidem per accidens mille annos ante diluuium fuiſſe, non tamen eius propriam durationem dimetiar; aut ſi tempus cenſeatur propria duratio angeli, dicendum erit, aut eſſe angeli, eſſe ſucceſſiuum, adde etiam cum variatione, ſicut & corruptibilium; aut menſuram eſſe chimæricam. Vide etiam Fauentinum poſtea, *diſputat.* 33. *num.* 18. argumentis ferè eiſdem arguentem pro nobis. Is tamen cum Scoto negat, menſuram hanc internam angelicæ durationis, diſtinctam ab ipſo angelo, arguens ſic. Quando ſunt duo alterum prius reſpectu alterius; ſi prius non poteſt eſſe ſine poſteriori, eſt illi idem realiter. Æuum eſt quid poſterius angelo. Ergo, ſi angelus non poteſt eſſe ſine eo, erit idem illi realiter; vel ſi angelus poteſt eſſe ſine æuo, erit ſuperfluum. 38

Hæc tamen non ſatis ſolida ſunt, etiam in via Scoti, quia partes ſimul vnitæ, non poſſunt eſſe ſine toto, & tamen realiter diſtinguuntur in via Scoti. Quod verò dicit Faber, non intelligi à Caietano hanc propoſitionem. Partes differunt realiter à toto, dico, non intelligibilem eſſe eius diſtinctionem *theor.* 22. *cap.* 4. Totum diſtingui realiter à partibus vnitis (ſanè eſſentialiter,) nondum tranſactis in tertiam entitatem. Obſecro enim, qua ratione partes vnitæ ſunt; nec totum conſtituere, aut tranſiêre in tertiam entitatem? Sic redarguit illum P. Galitius rectè *p.* 1. *Philoſoph. lib.* 1. *tract.* 6. *quæſt.* 9. *num.* 12. Poſita enim cauſa, ponitur etiam effectus. De hoc *tract.* 5. *diſputatione* 5. *quæſtione* 5. agam. 39

Probatvr

Proba-vr ergo, æuum diſtingui realiter ab exiſtentia Angeli. Ita ſe habet Tempus ad corruptibilia; ſicut æuum ad æuiterna. Sed tempus diſtinguitur realiter à ſubſtantia rei mobilis corruptibilis: Ergo.

40 Reſpondet Faber cum Scoto, ſubſtantiam rerum generabilium menſurari æuo, quod non eſt quantitas diſtincta, ſed ipſamet ſubſtantia Angeli.

Contra primò. Menſura eſt quantitas realiter diſtincta à menſurato, ex Ariſtotele 10. *Metaph.* ſupra allegato, & Fauentino *diſp.* 13. *num.* 8. Similiter menſura, & menſuratum debent eſſe eiuſdem rationis, ex Ariſtotele, & Fauentino ibi. Neque ſatis eſt, ſi ſit vnigenea, quoad generica; ſed debet eſſe talis quoad proxima, vt vrgebat Faber *diſput.* 13. *num.* 18. ſupra. Cùm ergo corruptibilia ſint ſucceſſiua, & mutabilia; non poſſunt eſſe menſurata æuo permanente, in eorum ſententia; & ſecundùm nos, non immutato, ſicut ipſe Faber vrgee contra Vaſquez, & Duraodum dicentes. Tempus eſſe menſuram Angelorum propriam.

Reſpondet ſecundò Faoentinus cum Scoto, quòd etiamſi tempus differret à motu, qui per ipſum menſuratur; non tamen æuum differret ab Angelo, quia licèt tempus ſit idem cum motu primi mobilis, tamen differt realiter ab aliis motibus particularibus: Æuum verò eſt idem realiter cum omnibus Angelis eo modo, quo ſequenti diſputatione docet.

At ſupra, ex Ariſtotele oſtenſum eſt, dari æuum intrinſecum, diſtinctum realiter à ſubſtantia Angeli, quod eſt veluti quantitas illius dimenſiua. Quòd verò menſura durationis Angelorum, non ſit duratio menſuræ ſuperiorum Angelorum, vel primi Angeli.

41 Probatvr primò, quia ſic duratio primi Angeli, non haberet menſuram vllam, vt conſtat. Deinde menſura debet eſſe notior menſurato; nam per eam venimus in cognitionem quantitatis menſurati, ex Ariſtotele 10. *Metaph. cap.* 2. *&* 3. & Fauentino *diſp.* 13. *num.* 8.

Reſpondet Fauentinus *num.* 20. durationem ſuperiorum Angelorum eſſe minùs variabilem, quàm inferiorum, & ideò poſſe eſſe notiorem.

Arguo igitur ſic, primò. Si duratio Angelorum, quò ſuperiores ſunt, eò eſt inuariabilior; ſequitur dari magis, & minùs in duratione eorum. Tunc ſic. Vbi eſt magis, & minus, ibi eſt diuiſibilitas. Per te in duratione exiſtentiæ Angelorum eſt magis, & minus: Ergo diuiſibilitas. Ergo non eſt indiuiſibilis.

42 Argvo ſecundò. Si duratio penultimi Angeli eſt eſſentialiter inuariabilior, quàm vltimi. Ergo aſcendendo, duratio antepenultimi erit inuariabilior, quàm vltimi, & ſic aſcendendo vſque ad ſupremum, & ita deſcendendo, innumeris penè gradibus erit mutabilior duratio infimi Angeli, quàm ſupremi. Ergo duratio ſupremi non erit vnigenea menſura infimi Angeli. Deinde: Ergo duratio infimi Angeli erit maximè diuiſibilis.

Tertio ſequitur, menſuram durationis Angelorum infimi chori eſſe compoſitam, non ſimplicem, & vnam, contra Ariſtotelem *loc. cit.* & Fabrum *num.* 8. Hæc clarius pro ſecundo argumento D. Bonau. de hoc *tract.* 4. qui erit de Angelis *diſp. & quæſt. vlt.*

43 Tertium igitur argumentum Seraphici. Si æuum eſſet totum ſimul, ſequeretur dari infinitum actu extra Deum. Probatur *ſeq.* Æuum eſt infinita duratio à parte poſt, & totum actu ſimul per te: Ergo datur infinitum actu.

Reſpondet S. Thomas, hoc eſſe infinitum ſecundum quid, & extrinſecè, ideſt non terminari aliquo finito tempore. Ita reſpondet Valentia, & cum eo alij.

Contra. Id, quod exiſtit actu, potens actu comprehendere infinitum; ſi aliud infinitum daretur, debet eſſe, vel in ratione menſuræ, vel menſurati infinitum. Tale eſt æuum per vos: Ergo. Subſumo. Hoc tale eſt infinitæ virtutis, vt patet: ergo infinitæ eſſentiæ. Conſequentia eſt Valentiæ *diſput.* 1. *quæſt.* 7. *puncto* 2.

Reſpondet ſecundò Valentia, quod cùm infinitas durationis à parte poſt, ſit intelligenda penes infinitatem in potentia conceptuum verorum de permanentia rei, qui nunquam erunt omnes actu poſiti, & quia poteſt intelligi cum infinitate durationis æui, finita perfectio eſſentiæ æuiterni; ſatis apparet, non poni infinitum actu, repugnans creaturæ, hoc ipſo, quòd ponimus æuum, durationem infinitam.

Imbecillis reſponſio, quia infinitas æui non ſtat in infinitate conceptuum; alioqui foret ens rationis; ſed in infinitate quantitatis, quæ eſt menſura exiſtentiæ Angeli, vel in ipſa exiſtentia Angeli, quæ aſtruitur quoad durationem actu infinita indiuiſibilis. Ergo ſequitur aſtrui eſſentiam infinitam in genere durandi, vel durationem infinitam; eſto, in intenſione perfectionis, creatura finita ſit.

Reſpondet Faber, quòd ſequeretur argumentum, ſi æuum coëxiſteret infinitis partibus temporis; ſed non coëxiſtit, quia non datur ſimul. Igitur non eſt formaliter infinitum, licèt habeat vnde poſſit coëxiſtere quantùm eſt ex ſe.

Contra, quia id, quod actu habet, per quod commenſuraretur alteri infinito, ſi daretur, eſt infinitum v. g. ſi daretur vnica linea infinita, non ideò euadit finita, quia non coëxiſtat alia linea, cui commenſuretur; hoc enim planè extrinſecum eſt, & nil conferens infinitati intrinſecæ. Sic enim Deus eſt infinitus, etiam ſi nullum aliud infinitum coëxiſtat.

Reſpondet Fauentinus, id verum de infinito permanenti, non de ſucceſſiuo. Tunc arguo. Sed æuum per te eſt permanens. Ergo erit infinitum in ſe etiam ſi non detur aliud exiſtens. Argumentum Seraphici eſt ad hominem, inducens ſequelam ex opinione aduerſa.

Qvartvm argumentum S. Doctoris, quo vtitur etiam Areſius. Si æuum eſt totum ſimul; ſequitur, non poſſe Deum facere, vt Angelus non ſit, vel futurus ſit. Probatur ſequela. In his, quæ habent totum eſſe ſimul indiuiſibiliter permanens abſque ſucceſſione, idem eſt fuiſſe, & eſſe, & futurum. Ergò, ſi vnum eſt Deo impoſſibile deſtruere; erit impoſſibile deſtruere, & reliqua; ſed Deus non poteſt facere, vt id, quod fuit, non fuerit: ergo nec poterit facere, vt tale id, quod fuit, non ſit, aut non ſit futurum. 44

Hoc argumentum profitetur Areſius confirmare. Si tota duratio Angeli fuit ſimul, ſequitur verificata de eo contradictoria ſimul. Probatur ſequela. Fuiſſet enim ſimul amicus, & inimicus Deo, amicus per gratiam; inimicus per culpam, quam dæmon poſt creationem commiſit. Verùm reſpondebunt, has mutationes eſſe in operationibus menſuratis tempore, non in duratione menſurata æuo.

At ſumptis Angelis, non vt operantibus; ſed in ſtatu fixis, ratio premit.

D. Thomas reſpondet, reperiri in Æuo præteritum ſolùm, ob adiunctas mutationes non in ſe. Quod verò dicimus Angelus fuit, vel futurus eſt, differt ſolùm ſecundum acceptionem intellectus noſtri, qui accipit eſſe Angeli, ſolùm per comparationem ad diuerſas partes temporis. Et cùm dicit, Angelum eſſe, vel fuiſſe, ſupponit aliquid, cum quo eius oppoſitum non ſubditur diuinæ potentiæ. Cùm verò dicit futurum eſſe, nondum ſupponit aliquid. Vnde cùm eſſe, & non eſſe angeli ſubſint diuinæ potentiæ, abſolutè conſiderando, poteſt Deus facere, vt eſſe Angeli non ſit futurum, tamen non poteſt facere, quòd non ſit, dum eſt; vel quòd non fuerit, poſtquam fuit. Eodem modo reſpondent Caietanus, Bañes, Zumellus, Molina, Valentia, quibus ſubſcribit Nazarius. Sic & Faber *num.* 15. cum Sento *loc. cit.* Durando *quæſt.* 3. *ad* 2. Capreolo *d.* 2. *art.* 3. Summa ergo reſponſionis eſt, quòd Æuum in ſe, non habet futurum; ſed ſolùm prout coëxiſtit tempori, & ſecundùm varios conceptus, quos formamus de exiſtentia Angeli: & ſic concepto Angelo iam fuiſſe, non poteſt eſſe, quòd non fuerit; cùm verò poſſit haberi conceptus de Angelo, quòd ſit futurus, in quo non ſupponitur adhuc verus, & determinatus conceptus de eius exiſtentia futura, poteſt dici poſſibile eſſe, vt non ſit. Hoc Amico, & aliis aduerſis eſt venerandum aſylum.

Addit Valentia, quòd ſi ea identitate rei ſignificatæ per præteritum, & futurum, liceret probare, eodem modo eſſe impoſſibile, rem non eſſe futuram; atque non fuiſſe; idem quoque argumentum poſſet afferri ad probandum, eſſe rei corruptibilis, non poſſe non eſſe futurum, nam eadem ſubſtantia; lapidis v. g. ſignificatur, cùm dico. Hic lapis heri fuit: & quando dico. Hic lapis cras erit.

Tandem addit, etiam poſſibile eſſe, vt præteritum non fuerit in ſenſu diuiſo.

45 Robur tamen argumenti nullatenus ab exercitu infirmatur, nam Æuum debet conſiderari in ſe, non vt commenſuratur per accidens alteri extrinſeco, puta tempori futuro. Dato enim, quod nullum eſſet tempus, adhuc tamen Angelus ſubiaceret diuinæ potentiæ, & ſicut eſſe rei permanentis in ſe eſt totum ſimul: ita ſimul, & eodem inſtanti erit creari, annihilari, & rurſum recreari; & ita erit ſimul eſſe; non eſſe, & ruiſum eſſe in eodem indiuiſibili; niſi concedas, Angelum creatum non poſſe amplius à Deo deſtrui; & deſtructum reproduci. Quod verò dicunt de conceptibus, friuolum eſt; nam conceptus, vt veri ſint, debent eſſe conformes rei; res autem etiam abſtractâ coëxiſtentiâ cum tempore poteſt annihilari: Ergo datur ſucceſſio in eius rei duratione, & menſura.

Qvod autem addit Valentia retorquendo argumentum, nil nocet; non enim arguitur ea identitate rei materialis expreſſæ per præteritum, & futurum; ſed ex reali formali duratione ſucceſſiua, & menſura eius verè fluente, & mutata; quo fit, vt in partes ſecari queant; quod non poteſt fieri in æuo, ſecundùm illos. Valde autem hæc differunt ſicut punctum, quod ſecari non poteſt à linea, quæ quidem continua poteſt interſecari.

Ad id de ſenſu diuiſo; reſpondetur, non eſſe ad rem; nam argumentum vrget in ſenſu compoſito. Probatur, quia idem, ſecundùm aduerſarios, eſt præteritum, præſens, & futurum in ſenſu compoſito, cùm ſit vnum indiuiſibile ſecundum ſe in æuo; at præteritum non poteſt non fuiſſe; quia ad præteritum vt præteritum, non eſt potentia. Ergo neque ad id, quod eſt idem indiuiſibiliter formaliter cum illo: ſed per vos in æuo præteritum, præſens, & futurum ſunt idem formaliter. Ergo.

Qvod etiam dicunt, æuum in ſe non habere futurum, eſt contra eos. Ergo omnia ſunt vnum indiuiſibile: Ergo, ſi Deus non poteſt facere, vt Angelus non fuerit; neque poterit facere, quin futurus ſit, etiam ſecluſo tempore, quod eſt extraneum noſtro propoſito. Sed hoc contra Vaſquez retundam magis.

Reſpondet Vaſquez, quòd cùm tota duratio Angeli ſit præſens, & nil habeat futuri, de ipſa debemus philoſophari, ac de re præſenti. Verè igitur Angelus, qui eſt, non poteſt non eſſe, referendo vtrumque ad durationem præſentem; verè tamen Angelus, qui eſt, poteſt non fuiſſe, atque poſtea non fore, ac proinde annihilari, quia, licèt in Angelo non ſit fore, vel fuiſſe; ſed totum ſit eſſe; eſt tamen non fuiſſe, & non fore; in ipſius namque eſſe, non eſt ſucceſſio: at verò inter eſſe, & non eſſe eius, vel contra, inter non eſſe, & eſſe datur ſucceſſio: Quare non dicimus, Angelum habere eſſe, poſt eſſe: benè tamen habere eſſe, poſt non eſſe; & non eſſe, poſt eſſe.

Hæc ſanè friuola ſunt. Primò conſideramus Angelum, vt præſentem, vtque durantem ex hypotheſi commenſurabiliter tempori, ex cuius compoſitione dignoſcitur ſimplicitas æui. Ergo entitas æui, actu habet, quicquid habuit tempus, vel habiturum eſt, & totum indiuiſibiliter. Itaque ſicut affert contradictionem, deſtrui præteritum: ita de futuro philoſophandum. Vbi non ſumimus naturam æui, à coëxiſtentia cum tempore actuali; ſed ab æuo, vt actu coëxiſtibili. Quod verò ait Amicus *num.* 2. illam conſeruationem non eſſe nouam, ſed tandem continuatam. *Amice, ad quid veniſti?* ſi continua: Ergò diuiſibilis.

Qvoniam verò Seraphicus in vltima ſequela infert, quòd ſi creatura haberet ſuam durationem totam ſimul, eſſet idem in ea fuiſſe, & fore. Sed hoc eſt falſum, quia hoc eſt proprium ſolius Dei. Ergò.

Reſpondent Valentia, Vaſquez & alij, non ob id impoſſibile eſſe, Deum non eſſe, eo quòd totum ſuum eſſe habet actu; ſed quia non datur aliquid eum deſtruens. 46

Contra, quia debet dari Deo aliquod principium intrinſecum iſtius illæſibilitatis hoc autem debet eſſe id, per quod totus eſt actu, non obnoxius potentiæ.

Qvinta ratio D. Ponau. eſt. Vbi datur æqualitas, & inæqualitas, ibi datur quantitas, nam iſtæ ſunt paſſiones quantitatis. Sed in omni duratione creata datur æqualitas, & inæqualitas. Ergo. Minor probatur. In his datur æqualitas, & inæqualitas, quæ ſunt inuicem comparabilia in ratione durationis; at omnis duratio creata eſt hoc modo comparabilis. Ergo. Minor probatur, quia plus durauit Michaël, quàm anima S. Franciſci. 47

Reſpondent Henricus Capreolus, & Valentia, non eſſe comparabiles in ſe, ſed prout coëxiſtunt longiori tempori, vel breuiori, in quo eſt prius, & poſterius; pluribus, vel paucioribus conceptibus concipi poteſt, quod exiſtant. Sic eatenus ſunt diuturniores, vel minùs diuturnæ durationes. Qua ratione etiam duratio Dei, in qua non eſt prius, vel poſterius, eſt omnium longiſſima.

Contra, quia etiamſi tempus non extitiſſet, tamen Angelus extitit; non exiſtente Beato Franciſco. Quis igitur neget D. Franciſcum fuiſſe poſt illud inſtans?

alioqui

alioqui cum verum fuiſſet, Nunc non eſt B. Franciſcus, vera fuiſſet etiam contradictoria; nunc eſt B. Franciſcus. Exemplum verò durationis Dei, non eſt ad rem, quia menſuratur aliena, & inhabili menſura. His, & Becano occurritur.

Poſſe verò æuum eſſe ſine tempore, probatur à Fauentino *diſp.* 11. *cap.* 3. Quod eſt prius, poteſt eſſe ſine poſteriori. Sed æuiternum, & menſura eius ſunt naturaliter priora omni reſpectu ad tempus; ſicut fundamentum relatione. Ergo non implicat æuum, & æuiternum eſſe ſine tempore. Eſt enim (vt benè ait Scotus) hæc connexio æui cum tempore accidentalis æuo. Vnde infert Faber, per hanc connexionem æui cum tempore, non tolli contradictiones, ab aduerſariis inductas argumentis D. Bonau. vt quòd Angelus eſſet; & non eſſet; eſſet innocens, & peccator, &c. quia iſta, quæ inſunt Angelo, vel durationi Angeli ſunt incompoſſibilia ex parte Angeli per ſe intrinſecè, in quantum eſt æuiternus; non quatenus coëxiſtit tempori.

Reſpondet Vaſquez, poſſe ſucceſſionem admitti inter duas creationes, puta Michaëlis, & animæ B. Franciſci. Probat primò, quia inter non eſſe Angeli, & eſſe eius, eſt ſucceſſio; poteſt autem creatio Michaëlis eſſe ſimul, cum non eſſe Gabrielis. Ergo tunc creatio Michaëlis præcedit creationem Gabrielis.

Secundò, quia poteſt Angelus creari, deſtrui, & recreari; hæc autem implicant eſſe ſimul, nam includunt contradictoria, ideſt eſſe, vt fatetur Capreolus *in ſolutione decima*; negat tamen, poſſe eſſe inuicem inæquales per ſe; ſed ſolùm in comparatione ad tempus, quia hoc fieri nequit, niſi adhibita aliqua menſura externa; nullum autem æuum eſt menſura eius, in quo eſt, nec vnum alterius eſſe poteſt menſura.

48 Ego autem præclarè conuinco ex ipſo Vaſquez, dari hanc comparationem inæqualitatis, inter æua Angelorum. Creet Deus Michaëlem ſolum. Tunc eſt Michaël, non exiſtente Gabriele. Creet & Gabrielem ſolùm; tunc & Gabriel ſuccedit Michaëli; & duratio eius durationi Michaëlis, vt concedit Vaſquez. Creet Deus & Raphaëlem. Certum eſt dari ſucceſſionem inter durationes Gabrielis, & Raphaëlis. Creet poſtea Vrielem, & ſuccedat hic Raphaëli. Tunc ſic. Ex eo, quod Gabriel non fuit, exiſtente Michaële, datur comparatio ſucceſſionis inter eos; ſed in ſucceſſione poſterior eſt Raphaël Gabriele; & Vriel Raphaele. Ergo datur comparatio inæqualitatis in duratione eorum ſine reſpectu ad tempus, ex conceſſis à Vaſquez. Ergo datur quantitas. Ergo diuiſibilis.

Valentia reſpondet etiam in his caſibus non dari ſucceſſionem realem; ſed ſolùm imaginariam, quatenus poſſumus alium, & alium conceptum formare v.g. ſi Deus creet Angelum in A, deſtruat in B. & reproducat in C. eſt idem eſſe Angeli in A, & in C. At verò in B. non eſt aliquod eſſe Angeli.

Hoc tamen eſt inane, quia licet in C. ſit idem eſſe entitatiuum, quod amiſſum erat in B. & prius fuerat in A, non benè colligit, hoc eſſe non haberi poſterius, ſicuti cum fuit reſurrectio mortui quatriduani Lazari eiuſdem.

49 Deinde arguo. Si ideò non eſt ſucceſſio in B. quia Angelus non exiſtit. Ergo erit in C. cùm rurſum exiſtit. Præterea arguo ſic. Quando ſunt plura talis ordinis, vt ſecundum ſit poſt primum; & tertium poſt ſecundum, ita vt implicet, ſecundùm eſſe cum primo, vel tertio; multò magis erit ſucceſſio inter primum, & tertium. Sed per te deſtructio angeli eſt poſt eſſe angeli; & reproductio Angeli, quæ eſt tertio loco, eſt poſt deſtructionem. Ergò, & reproductio Angeli eſt poſt creationem Angeli; qui poſtea eſt deſtructus.

Vrgeo idem de quatuor poſitiuis. Creet Deus Michaëlem ſolum; certum eſt, dari inſtans; in quo eſt Michaël; & nullus alius. Deinde creet Gabrielem, tunc eſt Gabriel; non Raphaël, & ſic de aliis. Ergò ſuccedunt: alioqui ſequeretur, non poſſe eſſe Michaëlem, quin ſint creati etiam omnes æuiterni.

Hinc patet, conceptus debere eſſe ſucceſſiuos, quia ſucceſſiuæ ſunt productiones. Ex his habes, malè Valentiam dixiſſe, hoc non eſſe argumentum Seraphici Doctoris, hic eſt enim Achilles eius, quod creatura eget continuo influxu Dei, qui poteſt interrumpi, & rurſus diffundi, vnde infertur ſucceſſio, vt vidit Amicus *num.* 4.

Faber affert quatuor argumenta, quæ dicit eſſe Scoti. Primum ſumitur ab exemplo radij, qui ſucceſſiuè communicatur tota die abſque renouatione. Sic enim & æuum abſque innouatione ſucceſſiuè durat, & eſt exemplum ſumptum à S. Bonau. ex D. Auguſt. ſupra. Cætera verò ſumpta ſunt ex argumentis eiuſdem Seraphici, vt conſtat.

Pro ſolutione argumentorum omnium, ponit S. Bonau. in corpore fundamentum. Dantur tres menſuræ rerum, ideſt, Æternitas, quæ eſt omninò permanens, omninò immobilis, vt ait D. Auguſt. 11. *confeſſ. cap.* 14. vbi ait: *Si præſens tempus ſtaret, & non tranſiret in præteritum, eſſet æternitas.* Hanc vidimus *quæſt.* 3. quo pacto ſit Dei menſura. Secunda menſura eſt tempus, quo menſurantur motus, & res generabiles, ac corruptibiles, vt dixi cum D. Bonau. *quæſt.* 3. hæc igitur menſura, vt reſpondeat menſuratis, debet eſſe ſucceſſiua cum variatione; ſicut aliæ ſunt partes motus, ſibi inuicem ſuccedentes. Tertia verò media eſt æuum, quod eſt menſura rerum immortalium; & hæc menſura debet eſſe vnigenea menſuratis, ideſt ſucceſſiua; ſicuti & res menſuratæ, ideſt Angeli, & animæ noſtræ egent ſucceſſiuo influxu continuo diuinæ conſeruationis; non tamen per influxum noui eſſe; ſed per multiplicatas cauſationes eiuſdem eſſe. Dat exemplum S. Bonau. Sol tota die diffundit radium eundem ſucceſſiuè conſeruando, non autem nouas radij entitates multiplicando. Aduerte tamen, radium menſurari tempore, quia licèt aliquo tempore continuetur idem radius; tamen mox nouus, oriente Sole, emittitur; vnde ſimpliciter eſt variatio. Exemplum ergò valet pro aliqua mora. Quare tempori eſt vnigeneus. Vnde non rectè Fauentinus *diſp.* 11. *num.* 8. ex hoc exemplo deducit, Seraphicum negare menſuram eſſe vnigeneam menſurato in eſſe. Igitur duratio temporalium eſt per nouam ſemper cauſationem Dei, qua remota, deſtruerentur; cum hoc tamen diſcrimine, vt duratio temporalium ſit cum cauſatione ſucceſſiua nouæ ſemper entitatis; at conſeruatio Angelorum, & aliorum ſimilium, eſt per ſucceſſiuam cauſationem eiuſdem penitus entitatis. Sic enim, & radius à Sole pro aliquo tempore idem manet, in quo pro eo tempore imitatur conſeruationem æuiternorum; è contra verò, riuulus à fonte manat, per deriuationem nouæ ſemper aquæ, & eo modo conſeruantur temporalia.

Obiicies primò cum D. Thoma. Vbi eſt ſucceſſio, ibi eſt mutatio. Per te in æuo eſt ſucceſſio: Ergo mutatio. Maior probatur; nam ſuccedere dicit aliquid aduenire alteri præcedenti. Hoc Hectore omnes ferè gloriantur.

Reſpondet Scotus, hoc argumentum non concludere contra Seraphicum, quia diceret, quod eſt ſucceſſio, & nouitas in menſura; non in menſurato.

Inſtat D. Thomas, ideò eſt prius, & poſterius in menſura, quia eſt prius, & poſterius in re; ſicut in tempore eſt prius, & poſterius, quia eſt in motu; vnde niſi eſſet aliud, & aliud in motu; non eſſet aliud, & aliud in tempore, vt habetur 4. *Phyſ. text.*99. *&* 100. Ergo à ſimili, niſi eſſet aliud, & aliud in æuiterno, non poſſet eſſe aliud, & aliud in menſura eius. Confirmatur *ex* 10. *Metaph. t.* 4. Menſura debet eſſe vnigenea menſurato.

Reſpondet Scotus, in motu, & tempore id euenire, quia ſunt idem realiter; non autem æuum, & æuiternum ſunt idem realiter, ſecundùm S. Bonauenturam.

Vrget Caietanus. Menſura debet reſpondere menſurato, quia indiuiſibile, non poteſt certificari per diuiſibile; hoc eſt fundamentum quartum Seraphici.

Reſpondet Faber, quòd D. Bonau. tenet, illam menſuram eſſe diſtinctam ab exiſtentia Angeli, & ineſſe exiſtentiæ Angeli non formaliter; ſed concomitanter. Ideò non arguitur ſucceſſio vnius, è ſucceſſione alterius.

51 VERVM malè ſuſtinent Seraphici patrocinium, ad eius mentem. Primò enim *fundamento quarto* vult, menſuram, & menſuratum debere eſſe vnigenea, id-eſt eiuſdem rationis ad regulam Ariſtotelicam, neque ſolùm eiuſdem rationis in genere remoto, ſed etiam proximo, vt acriter docet etiam Fauentinus *diſp.*13. *num.*18. & vidimus ſupra. Deinde, debent eſſe diſtincta realiter, atque ita debet menſura eſſe quantitas; ideòque diuiſibilia. Sic igitur æuum habet prius, & poſterius, quatenus eſt menſura Angeli; & ipſe Angelus habet eſſe ſucceſſiuè cauſatum à Deo, abſque tamen innouatione, vt dixi; in quo deceptus eſt Valentia, non inueniens in eſſe angelico ſucceſſionem, dicenſque hanc neque à D. Bonau. admitti. Non eſt quidem ſucceſſio in conſeruatione actiua Dei; nam hæc eſt ipſe Deus, & ſine ſucceſſione, nédum, æui ſed etiam temporis; at verò eſt ſucceſſio in conſeruatione recepta in Angelo, ſeu paſſiua, cuius ſignum eſt, quia poteſt ſuſpendi, & truncari. Eget igitur continua conſeruatione, vt fatentur aduerſarij; & ſi continua eſt; erit diuiſibilis. Igitur reſpondet Seraphicus *ad* 6. eſſe ibi ſucceſſionem, abſque innouatione, vt oſtendi ſupra.

Exemplum verò, quod contra afferunt tam ſapidè, Valentia, Vaſquez, Fulienſis, & alij, de generatione Verbi, non eſt ad rem; nam generatio Verbi adeò eſt in æternitate indiuiſibilis, vt nunquam poſſit ſecari, & ſuſpendi; ſicuti poteſt duratio Angeli, non ſolum commenſurata, & coëxiſtens tempori, ſed etiam in ſe, vt ſupra vidimus. Eſto per comparationem ad noſtrum tempus apprehendatur, veluti continuata, vt docet D. Bonau. *in primo, diſt.*9. *quaſt. vlt. ad vltimum.*

Inſtant aduerſarij, ſecundum D. Bonau. ſequitur, poſſe dici, Angelum menſurari tempore; nam & radij duratio ſic menſuratur, quæ durationi Angelicæ à Seraphico comparatur.

Reſpondetur radium tandem mutari, & neque pro tempore, quo durat omninò eſſe permanentem immobiliter; nam pendet ab aëre, vt à deferente. Ideò mutatur per accidens, licèt per ſe idem perſeueret. Deinde non eſt abſonum in opinione dicentium, corpora cæleſtia menſurari æuo, concedere, etiam radium aliquando, ea menſura menſurari. Addo hoc exemplum applicari ſolùm pro eo tempore, quo durat; vt dixi in fundamento.

Valentia affert etiam D. Auguſt. *lib.*83. *qq. quaſt.*72. vbi ait: *Æuum ſtat: Tempus autem fluit.* Similia obiicit ſibi D. Bonau. *ex* 12. *de ciuit. cap.*15.

Reſpondetur cum D. Bonau. *ad primum*; Æuum ſtare, ideſt, non fluere per mutationem, & deſtructionem, ſicut tempus deſinit; alioqui S. Auguſt. ſibi contradiceret; nam 11. *conf. cap.*14. ſolam æternitatem ſtantem agnoſcit. Quod ſi æuo tribuit permanere, intelligit, facta antitheſi cum variatione temporis, ait ideò quæſt. cit. *Æuum ſtabile eſt: tempus autem mutabile*, vt ait S. Doctor. *ad* 2. 52

CONTRA ſententiam Seraphici, inſurgit tandem Scotus cum aſſeclis, qui gloriantur, validiùs quam D. Thomas, & diſcipuli, ſententiam S. D. enecare.

Aut nunc æui eſt idem realiter cum exiſtentia Angeli; aut non. Si idem. Ergo non eſt ſucceſſiuum. Sicut neque eſſe Angeli eſt ſucceſſiuum. Si non eſt idem. Ergo, ſicut ipſa exiſtentia, & eſſe Angeli per te poteſt infinities poni in eſſe; ita videtur, quod illud idem *nunc*, cùm ſit abſolutum, poſſit poni infinities in eſſe, & ſic poteſt conſeruari idem *nunc*: ſicut conſeruatur eadem exiſtentia: Ergo nulla eſt neceſſitas ponendi ſucceſſionem in æuo.

Reſpondetur, æuum diſtingui à duratione Angeli realiter. Sicut autem eſſe Angeli ponitur ſucceſſiuè in eſſe; idem tamen durans: ita eſſe æui, quod eſt menſura illius, ponitur ſucceſſiuè in eſſe, abſque variatione noui *nunc*; ſed per nouas cauſationes eiuſdem *nunc*. Et hoc claré Seraphicus docet, ſed illum non intellexere Scotus, & Fauentinus. Si enim eſſet ſucceſſio plurium *nunc*, vt putat Scotus, iam eſſet tempus diſcretum, poſitum ab Henrico. Eſt ergo idem *nunc* ſucceſſiuè conſeruatum. Quare fruſtra Scotus inducit vltimam conſequentiam. 53

Deinde, ipſe ſecum pugnat argumento, vt videre eſt *quaſt. ſequenti, aſſerto primo.*

Poſſem etiam reſpondere ad hominem, reſponſione Scoti. Quòd eſt ſucceſſio in menſura, non in menſurato. Vnde negatur paritas; ſicut eam ipſe negauit D. Thomæ, in primo argumento.

ADVERTE etiam, non rectè Scotum deducere ab eſſe Angeli, eſſe æui. Nam æuum primò eſt menſura durationis Angeli; & poſtea ipſius eſſe; ideò cum duratione debet eſſe comparatio. Sicut Tempus primò menſurat fluxum; deinde rem. Vnde debet reſpondere eſſe primò menſurati; & in hoc decepti ſunt etiam alij aduerſarij. Valde enim differt eſſe à duratione: poteſt enim res in vno inſtanti eſſe, & tamen non durare; licèt non poſſit durare, quin ſit. Rurſus poteſt deſtrui, & iterum produci; iterum autem producta, durabit noua duratione; & tamen eſt eadem ſubſtantia.

Reſpondet Vaſquez, eam fore eandem durationem intrinſecè; ſed forè diſtinctam extrinſecè, per reſpectum ad alias extrinſecas menſuras, quibus coëxiſtit.

Contra, quia vnitas durationis, dicit continuationem: ſed hæc non continuauit. Ergo in ſe non eſt eadem. Vide Ariagam *diſp.*15. *Phyſ.* & apud Maſtrium 2. *diſp.*2. *quaſt.*6. *art.*2. Vide etiam P. Galitium *p.*2. *Phil. lib.*4. *tract.*2. *quaſt.*2.

IAM verò tam menſura, quàm menſuratum perſeuerant idem ſucceſſiuè, accipiendo idem eſſe cauſatum à Deo, quod à poſteriori patet; nam poteſt truncari. Ex eo igitur, quòd toties ponitur in eſſe, datur ſucceſſio, quam Scotus non aduertit.

Vnde non rectè Scotus, & Faber admittunt multiplicata *nunc* in æuo ad mentem Seraphici, ſed ſolùm debet admitti extenſio einſdem *nunc*, per ſucceſſiuas cauſalitates. Eſt igitur vtrumque ſucceſſiuum in eſſe recepto.

Hæc innuunt quæſtionem illam. An duratio rei differat ab exiſtentia realiter.

Est autem ſententia dicens, diſtingui ſola ratione. Sic Nominales *in 2. diſt.2.* Scotus ibidem *quæſt.2.* quem imitantur diſcipuli apud Maſtrium *diſp. 15. Phyſ. & in 2. diſp.2. quæſt.6.* & inſigniores Societatis Ieſu, Valentia *t.1. diſp.1. quæſt.10. p.1.* Becan. *loc. cit.* Suarez *Metaph diſp.50.* Vaſquez *p.1. diſp.33.* Perer. *lib.12. cap.15.* Molina *quæſt.3. art.4. d.2.* At Hurtad. *d.2. quæſt.5. Met. & d.17. ſect.21.* affertur à P. Galitio *p.1. Phil. l.4. tract.2. quæſt.2.* quaſi parum ab allegatis differens, dum modalem admittit differentiam, cui ipſe ſubſcribit, afferens D. Bonauenturam *in 2. diſt 2. quæſt.1.* præcipuè *ad tertium.*

Horum plurimi dicunt, exiſtentiam, & durationem non quidem intrinſeco aliquo differre; ſed quia duratio extrinſecam connotat coëxiſtentiam ad ſucceſſiuam menſuram, & hanc vel actualem, vel aptitudinalem. Ita Scotiſtæ, ac Argentina.

54 E regione, ſententia eſt D. Thomæ *p.1. quæſt.10. art.2.* quem ſequuntur ibi Thomiſtæ; at Baſſes *q.3. art. 4. d.1.* Vrinenſis *tract.3. de Deo, quæſt.6. art.2. ſect.2.* Conimbr.4. *Phyſ. cap.14. quæſt.2. art.2.* cum Richardo *diſt.2.* qui diſtinctionem ſanè realem, ſed modalem aſſerunt. Nullum autem video aſſerere diſtinctionem rei, & rei; alioqui concederent poſſe vtramque ſtare ſeparatam; hæc enim eſt nota diſtinctionis realis, & ita poſſet res durare, abſque exiſtentia, quod ſupra reprobaui.

Seraphici ſententia eſt, diſtingui intrinſecè realiter modaliter, vt aduertit Suarez, & P. Galitius ſupra.

Probatur ab Arriaga. Ea, quæ poſſunt per Dei potentiam ſeparari diſtinguuntur realiter: talis eſt exiſtentia, & duratio. Ergo. Minor probatur. Creet Deus Petrum. En exiſtit: ſtatim annihilet, non durat, & ſi durat magis, vel minus, ſemper alio, & alio modo reali exiſtit, quod probatur; nam durans prima particula poteſt aliquam impreſſionem accipere diuerſam. Neque hæc tantùm eſt in relatione ad extrinſecum tempus fluens, ſed abſolutè in ordine ſolùm ad exiſtentiam. Nota, ad diſtinctionem modalem; ſat eſſe, quòd res ſine modo ſtet; ſed ad diſtinctionem realem rei, & rei, vt vtraque ſtare queat ſeparatim.

Hoc argumentum, quod cæteris validiùs fatetur Maſtrius retorquet. Si hoc eſt accidens abſolutum independens ab externa menſura, ſequitur, poſſe Deum prius producere durationem craſtinam, quàm hodiernam, quo caſu ego duratem prius cras; quàm hodie.

55 Hæc retorſio imbellis eſt. Primò enim abſtrahenda menſura illa extrinſeca, puta tempus, & quis non videt, modum durationis quemcumque poſſe dari exiſtentiæ? non enim adeſt, vt ſuppono, hodie, vel cras, ob quod craſtinum præterierit. Deinde obſeruo, illum non modò agere contra hypotheſim, ſemotæ æternæ menſuræ, & inferre abſurdum, ſupponendo adhuc durationem extrinſecam commenſurantem, quòd eſt petere principium; ſed neque aduertere, nos ponere modum hunc, (vt debet) relatum ad ſuam rem, cuius eſt modus; atque ideò recepto vno modo, non ſtat alio modo modificari, nec eſſe ſine re.

Reſpondet P. Galitius, rem non poſſe in eodem inſtanti, quo creatus, deſtrui; ſed durare.

Contra, quia duratio eſt permanentia in eſſe. Igitur primum inſtans creationis, non eſt duratio, cùm adhuc non extiterit, vt notat Richardus. Do exemplum. Conſeruatio eſt continuatio actionis creatiuæ, non quidem nouum eſſe dando; ſed idem eſſe conſeruando, & quamuis ex parte Dei ſit vna ſimpliciſſima actio; tamen ex parte recipientis eſt nouus influxus, cuius ſignum eſt, quia poteſt Deus, in omni inſtanti, & morula ſequente, creationem detruncare; durationem, & exiſtentiam deſtruere. Cùm igitur exiſtentia ſit terminus creationis, & eadem, vt durans, terminus conſeruationis; luce clariùs affulget, durationem addere exiſtentiæ aliquid reale, vt ingenuè fatetur P. Galitius. Itaque, cum res exiſtens poſſit durare, & non durare, quis non videt addi per durationem exiſtentiæ?

Reſpondet Maſtrius, rem exiſtentem ſatis determinari ad durandum per coëxiſtentiam temporis.

At hoc præcluditur. Etenim duratio eſt terminus intrinſecus actionis diuinæ. Nam conſeruatio influit in rem, etiam præciſè à coëxiſtentia temporis. Ergo res, quæ poteſt non durare, determinatur per Dei influxum, qui poſſet ſuſpendi. Sed quæſtio agetur *tract.5. diſp.13. quæſt.2.*

Arguit ſecundò Scotus. In Angelo non datur ali- 56
quid abſolutum, quòd ſit menſura extrinſeca Angeli. Ergo. Probatur antecedens, quia quodcunque illud ſit, non poteſt eſſe ſine eſſe Angeli; nec eſſe Angeli ſine illo. Ergo ſunt idem realiter. Probatur conſeq. nam hoc eſt ſignum, ad cognoſcendam diſtinctionem realem.

Reſpondetur, quòd ſicuti tempus, menſurans corruptibilia, differt à menſuratis; ita & æuum ab Angelo proportionaliter. Et ſicut tamen non poteſt eſſe tempus ſine motu, cuius eſt menſura, & tamen differt realiter modaliter: ita & hic rat verò illud ſignum ad conuincendam diſtinctionem rei à re, aſſignatur.

Reſpondet Scotus, non eſſe eandem rationem. Contra; nam ſicut duratio Angeli menſurata æuo, manet eadem cum aliqua ſucceſſione, vt dictum eſt; ita proportionaliter mobile manet, ſub menſura *nunc temporis*, & ſub tempore mutatur.

Henricus etiam inſurgit contra Seraphicum. Si *nunc æui* deſineret; & aliud ſuccederet; vel hoc eueniret ob corruptionem ſubiecti; & hoc non; quia eſſe Angeli eſt inuariabile per D. Bonauenturam; vel eueniret propter aliquam cauſam corrumpentem; & hoc neque; quia nulla talis datur.

Reſpondet Scotus, quod D. Bonauentura diceret, illud *nunc* non corrumpi ab alio, ſed deſinere eſſe, hæc enim eſt natura indiuiſibilium, & ſucceſſiuorum, vt in ſe deſinant eſſe. Hoc reſponſum ſupponit ſucceſſionem, cum variatione, contra Seraphicum.

Ideò reſpondetur melius ad mentem S. Doctoris, quòd illud *nunc* perſeuerat per continuatas conſeruationes.

Vasquez quoque inſurgit, & arguit primò. In duratione ſucceſſiua debet eſſe futurum, quod nondum eſt; & aliquando erit præſens, quo adueniente id, quod antea præſens erat, tranſit in præteritum. Ergo interuenit variatio.

Reſpondetur, interuenire ſucceſſionem cum præ- 57
terito, & futuro, non per innouationem entitatis, vel menſuræ, ſed ex nouis cauſalitatibus, & conſeruationibus eiuſdem rei; at in tempore non eſt ſolùm variatio præteriti, & futuri; ſed etiam entitas noua fluens.

Arguit ſecundò, ex parte ſubſtantiæ Angeli, non poſſe ſucceſſionem; nam, ſi eſſe Angeli eſt futurum, illud aliquando erit præſens. Vel ergo idem, quod ante erat; & ſic non erat futurum; vel aliud; & tunc neceſſe eſt, eſſe præſens Angeli præterire.

Reſponde

Reſpondetur, quòd eſt idem eſſe ſubſtantiale, tamen futurum ſecundùm nouas cauſalitates; nam eſſe præſens Angeli eſt finitum, & eget continua conſeruatione. Eſtque mixtum ex actu, & potentia; & ideò, vt poſtea duret, neceſſe eſt conſeruari à Deo per nouum influxum, verſantem circa idem eſſe, non mutandum; ſed conſeruandum.

Ex his ruit etiam Amicus opponens. Non eſt ſucceſſio in exiſtentia; alioqui haberet partes; neque in duratione, quia extenderet etiam exiſtentiam, vt ait Gonzalez: at nequeunt percipere ſucceſſionem à Seraphico Doctore relatam.

Opponit Vaſquez etiam authoritatem D. Aug. 12. *de ciuit. cap.15.* ſumptam ex D. Bonau. vbi volens oſtendere, Angelos æquales Deo eſſe non potuiſſe in æternitate, inquit. *Tempus autem quoniam mutabilitate tranſcurrit, æternitati immutabili non poteſt eſſe coæternum, ac per hoc, etiamſi immutabilitas Angelorum non tranſit in tempore, nec præterita eſt, quaſi amplius non ſit, nec futura, quaſi nondum ſit, tamen eorum motus, quibus tempora peraguntur ex præterito, in futurum tranſeunt; & ideo Creatori coæterni eſſe non poſſunt.* Hinc arguit Vaſquez. D. Auguſt. appellat immortalitatem Angelorum, ſubſtantiæ ipſorum durationem, quòd corrumpi nequeat à ſecunda cauſa, atque in ea fatetur nihil eſſe præteritum, nihil futurum; ſucceſſionem autem eſſe ſolùm in Angelorum operationibus. Nos verò de æuo Angelorum, quod eſt ſubſtantiæ duratio, nunc diſputamus.

Verum S. Auguſt. non modò pugnat pro aduerſariis; ſed eos impugnat; nam loquens de duratione ſubſtantiæ Angelorum, ait, eam ſolam ſucceſſionem excludere, quæ dicit deſtructionem eorum: operationes verò habere ſucceſſionem cum deſtructione; quæ diſtinctio, & phraſis dicendi eſſet nulla, niſi in duratione ſubſtantiæ admitteret ſucceſſionem ſine innouatione. Et hæc eſt Seraphici reſponſio *ad* 1.

Obiicit S. Dionyſ. *cap.5. & 10. de diu. nom.* vbi ait: *Æuum dicitur quieta, & tota ſimul vita.*

Reſpondet D. Bonau. *de ſeptem itineribus æternitatis ſect.7.* S. Dionyſium ſolùm velle, æuum non fluere mutatione, vt Tempus; Sed tantùm noua conſeruatione, vt ait S. Damaſ. *lib.2. de fide cap.5.* vbi ait: *Æuum non eſt tempus, nec pars temporis; ſed quod ſimul protenditur cum æternis, ſcilicet, ſecundum perpetuationem.* Idem dicit S. Auguſt. *lib.12. confeſſ. cap.11. & lib. de ſpir. & anima cap.47. & lib.83. qq. quæſt.72.* Baſilius *lib.1. & 2. cont. Eunom.* Iſidorus *lib.1. de ſummo bono, cap.8.* ab Amico allati.

58 Assero ſecundò, Æternitatem intrinſecè eſſe totam ſimul, & in hoc differre ab æuo.

Probatur à D. Bonau. 1. ex definitione Boëtij, allata *quæſtione ſecunda.*

Probatur ſecundò à Seraphico hic argumento 5. *ex Ariſtotele 3. Phyſ. t. 33.* In perpetuis non differt eſſe, & poſſe. Ergo potentia eſt in toto ſuo actu. Ergo ibi nulla ſucceſſio. Subſumit autem in reſponſione. Sed Æternitas eſt ſua æternitas, quæ eſt Deus, nec diſtat, ſicut motum, & temporaneum. Ergo.

Advertit verò S. Doctor, Ariſtotelem non aſſerere idem de perpetuis, ideſt æuiternis; nam in his non differt, ideſt, non diſtat eſſe, & poſſe, quia totum eſſe habent permanens cum ſua virtute, non acquirendum ex aliqua parte; ſicut in temporaneis.

Probatur tertiò à D. Bonau. argum. 2. menſura ſubſtantiæ ſimpliciſſimæ debet eſſe tota ſimul. Sed æternitas eſt menſura ſubſtantiæ ſimpliciſſimæ. Ergo.

Ne autem idem inferatur de quauis ſubſtantia creata indiuiſibili; reſpondet, ſatis eſſe, ſi illa menſura non habeat partes ſimul exiſtentes, componentes diuiſibile. Igitur æuum eſt menſura ſimplex, ideſt indiuiſibilis, hoc ſenſu, ſicut & menſuratum eſt indiuiſibile; attamen, quia ſubſtantia ſimplex creata habet potentiam ad non eſſe, & eget continua cauſatione, & hoc ſenſu eſt compoſita; infert, idem dicendum de menſura eius. Ratio totius reſponſionis eſt, quia menſura, & menſuratum debent eſſe eiuſdem rationis, ex Ariſtotele *loco citato.* 59

Probatur quartò à Seraphico Doctore *in corpore.* Duratio infinita eſt tota ſimul. Æternitas eſt duratio infinitæ perfectionis. Ergo.

Probatur quintò *in corpore.* Id, quod non habet potentiam ad non eſſe, atque ens immutabile eſt, totum ſimul eſt. Talis eſt æternitas. Ergo.

Probatur ſexto à S. Doctore *in compend. Theol. lib.1. cap.18.* Id, quod eſt ſummum ens, & ſuum eſſe neceſſarium, eſt totum ſimul. Talis eſt Æternitas, quæ eſt ipſe Deus: Ergo.

Probatur ſeptimò ibi. Illa res, quæ eſt ſumma eſſe, ſuaque operatio eſt tota ſimul. Talis eſt Æternitas: Ergo.

Circa hoc aſſertum occurrunt aliqua dubia.

Primum, quia de Deo enunciantur omnis differentia temporis. *Fuit; eſt; erit. Ioan.1. In principio erat Verbum.* Prou.8. *Ante omnes colles ego parturiebar.* Apoc.1. *Qui eſt; qui erat; & qui venturus eſt.* 60

Reſpondet Seraphicus *in 1. diſt.9. dub.8. litt.* nos Æternitatem Dei conſiderare ſecundùm coëxiſtentiam temporis, vt commodiùs res explicemus; & quia tempus præteritum ſignificat rem factam: at futurum in fieri imperfectam; ideò dicimus, *natum Verbum.* Quia verò tempus præſens ſignificat rem in quiete perfectam; ideò de Deo magis propriè dicimus. *Qui eſt.* Apoc.1. *Ego ſum qui ſum* vbi Hebræus. *Ero qui ero.* Exodi 3. Verba igitur dicta de Deo, pro diuerſis temporibus important durationem Dei eſſe ſine initio *vt præteritum*: ſine interuallo *vt præſens*; & ſine fine, *vt futurum.* Et quia hæc omnia æquè benè conueniunt Deo, æqualiter poſſunt de Deo aſſeri. Quoniam verò multi errauerunt in generatione Verbi; quoad initium: pauci verò, aut nulli circa interuallum, vel terminum futurum. Ideo S.S. D.D. eam per tempus præteritum expreſſere. Idem ſcribit Vaſquez *diſp.32. cap.2.*

Ad ea verò, verba Ioan.1. *In principio erat Verbum*, quærit S. Doctor; quare non dixit Ioannes *eſt Verbum*, ſed *erat*; nam, vt ait Boëtius, *Æternitas eſt interminabilis vitæ poſſeſſio, tota ſimul.* Ergo debuit dicere. *Eſt Verbum.* Confirmatur; nam & Chriſtus ipſe, Ioan.8. ait: *Antequam Abraham fieret ego ſum.* Et Iacobi 1. *Apud quem non eſt viciſſitudinis obumbratio.* Et Exodi 3. ait: *Qui eſt miſit me.* 61

Reſpondet Seraph. è Chryſoſt. *hom.2. hic*; tempus *erat* Et ſi de nobis dictum ſignet præteritum imperfectum; tamen cùm de Deo aſtruitur; exprimit ab æterno extitiſſe, ante quam aliqua ex omnibus creatis à principio eſſent: magis autem exprimit permanentiam, quàm præteritum perfectum. Hoc enim reſonat rem illam, iam iam pertranſiſſe. Vult ergo dicere; ante quæcumque ſæcula, adhuc erat Verbum eo modo, quo Æternitas dicitur prior tempore, vt ait D. Auguſt. *lib.12. Confeſſ. cap.29.* Vide Doctorem Seraphicum. Quare cùm Ioannes ſcriberet contra negantes Verbi diuinitatem, & coæternitatem Genitori, rectè incipit. *In principio erat Verbum.* 62

Secundum

63 Secvndvm dubium oritur. Quia non poſſunt de eodem ſimul verificari contradictoria. Sed in Æternitate verificantur; vt v.g. Petrus eſt peccator: Petrus eſt iuſtus. Chriſtus eſt viuus: Chriſtus eſt mortuus: Ergo.

Reſpondetur, illas propoſitiones non eſſe contradictorias; nam cùm ſuccedant in diuerſis temporibus; & ab eis menſurentur; non autem æternitate, non contradicunt, ſicut non contradicit in æternitate præteritum, & futurum, ob immenſam capacitatem æternitatis cum ſimplicitate coniunctam, quæ etiam in Deo eſt, qui cùm ſimpliſſimus ſit, eſt etiam abſque termino, vt notat Seraphicus Doctor *loc. cit. compendij.*

Tertia difficultas. Duratio æternitatis eſt maior hodie, quam heri. Ergo diuiſibilis.

Reſpondetur cum D. Bonauenturâ hic, eſſe maiorem ratione æui, vel temporis coëxiſtentis; non autem in ſe, neque enim æternitas habet *hodie*, vel *cras*; ſed eſt tota ſimul.

Ea dictis iacent argumenta Vorſtij, inſolentis hæretici, apud Corjolanum *quæſt.* 10. Becanum *loc. cit.*

QVÆSTIO V.

Quibus omninò modis differat Æternitas ab æuo, & Tempore.

{ SS. D.D. locis citaois.

PRimà opinio relata à D. Thoma eſt, hæc tria diſtingui, quia æternitas caret principio, & fine. Æuum caret fine, & habet principium; tempus verò habet principium, & finem.

Secvnda opinio eſt Henrici *quodl.* 5. *quæſt.* 13. Æternitatem, & æuum differre in tribus. Primò, quia æternitas eſt menſura rei permanentis in ſe: æuum eſt permanens in alio. Secundò, quia æternitas eſt menſura rei non deficientis; nec potentis deficere: Æuum eſt menſura rei defectibilis. Tertiò, quia æternitas non eſt ſubiecta mutationi: Æuum eſt ſubiectum mutationi, & tempori, non in ſe; ſed quia habet adnexam mutationem, & tempus.

Tertia opinio eſt Fabri a. *diſput.* 15. *cap.* 3. quòd æuum differt ab æterni ate ſolùm, quia æternitas eſt menſura rei permanentis à ſe; neque deficientis; neqoe potentis deficere; ſed æuum eſt menſura rei permanenós non à ſe; ſed à Deo, & potentis deficere per abſolutam Dei potentiam; non per ordinariam.

Qvarta ſententia eſt D. Thomæ *quæſt.* 10. *art.* 4. & 5. Differre tria hæc, quia tempus habet prius, & poſterius: Æuum autem non habet in ſe prius, & poſterius, ſed ei coniungi poteſt. Æternitas nec habet, nec compatitur prius, & poſterius.

64 Qvinta ſententia eſt Doctoris Seraphici *locis citatis*, *& tertia parte Centiloquij ſect.* 7. hæc tria differre. Primò, quia æternitas caret principio, & fine. Æuum caret fine. Tempus habet principium, & finem, & hoc ſignificat in definioone æternitatis, vt ſit interminabilis. Secundò, quia æternitas eſt tota ſimul: Æuum eſt ſucceſſiuum ſine innouatione. Tempus verò eſt ſucceſſiuum cum mutatione, & hæc differentia patet tum ea definitione æternitaós *quæſt.* 2. tum è quæſtione ſuperiori; de ſucceſſione æui. De tempore verò patet ex Phyſicis. Hoc in Hexaëmerone *tract.* 5. cum omnibus Philoſophicis ſtatui peragere.

Tertia differentia eſt, quam affert Fauentinus, quam probat Seraphicus ea ſimplicitate Dei, qui ideò non habet in ſe principium contrarietatis, quod eſt cauſa corruptionis; & quia eſt purus actus à nullo pendens, quod ſignificatur in definitione æternitatis per illud *perfecta.* At verò Angelus in æuo permanet, obnoxius voluntati diuinæ; tempus verò naturali deſitioni; quam rationem aſſumpſit Faber.

Assero primò, non benè aſſignari differentias ab Henrico.

Probatvr à Scoto, & Fabro, quia prima dif- 65
ferentia contradicit ſecundæ. Nam tenendo, quod eſſe Angeli ſit permanens; ſed ab alio; ſeqoitur quòd ſit in ſe defectibile, & terminatum, & quod, niſi ponatur in eſſe à Deo, deſinat eſſe. Tuoe ſic arguit Scotus. Vel eſſe Angeli permanet idem ſemper; vel non. Si non. Ergo variatur, & pluries ponitur in eſſe, & ſic eſſe eius erit ſucceſſiuum, & conſequenter menſura eius, (quæ eſt æuum,) erit ſucceſſiua, & conſtans ex pluribus *nunc*: ſi verò permaneat idem, cùm ſit terminatum, & defectibile in ſe; neceſſe erit, quòd pluries ponatur in eſſe; alioqui poſitum ſemel in eſſe deficiet, niſi iterum ponatur in eſſe; & conſequenter, neceſſe erit dari plura *nunc*, in quibus pluries ponatur in eſſe. Ergo æuum conſtabit ex pluribus *nunc* (neque enim in eodem *nunc* poteſt pluries poni in eſſe, quia vna cauſatio illius eſſe, terminatur ad vnum *nunc*) quia ergo dicit, eſſe Angeli permanens, eſſe ab alio, & ex ſe habere non eſſe, neceſſe eſt, vt aſſerat quoque, pluries poni in eſſe, & conſequenter in pluribus *nunc*: & demum, æuum eſſe ſucceſſiuum, & ex pluribus *nunc* conſtare. Vnde coincidit cum opinione D. Bonauenturæ, quam intendebat confutare.

Hæc retuli, vt videas contradictionem in Scoto, & Fabro *cap.* 2. arguentibus contra Seraphicum *quæſt. præced.* nam ſupra arguentes cont. S. D. ad probandom, æuum non eſſe ſucceſſiuum; vrgent, qoia ſi idem *nunc* conſeruaretur pluries, non intercederet ſucceſſio: Nunc autem arguunt cont. Henricum, quod ſi concedat, quod eſſe Angeli ſit idem in toto *nunc æui*; pluties ponetur in eſſe, & conſequenter deducunt, qnod erit ſucceſſiuum, & ita cum Seraphico coincidunt.

Secundò probat Scotus, illam differentiam tertiam eſſe vanam, quia per accidens eſt æuo, quod coëaiſtat tempori. Ergo per hanc non differt ab æternitate. Hæc ratio eſt bona, & deſtruit etiam modum D. Thomæ; nam per accidens eſt, quod operationes æuiterni, vt vult D. Thom. in æuo, tempori iungantur.

Assero ſecundò, neque à Fauentino aſſignari 66
benè differentiam, quæ eſt inadæquata, vt patet in aſſignatis differentiis à D. Bonau. ſecundò enim æternitas differt ab æuo ſolum negatiuè, nam eſſe menſuram Dei eſt tantum per intellectum, non reale æternitati, vt oſtendi *quæſt* 3. Debet igitur aſſignari aliud poſitiuum reale conſtitutiuum eius, per quod differat à cæteris. Idem enim eſt principium conſtitutiuum, & diſtinctiuum, vt ſæpè clamant Scotiſtæ. Sed eſſe menſuram non eſt conſtitutiuum æternitatis; ex dictis *quæſt.* 3. Ergo neque diſtinctiuum.

Assero tertiò. Differentiæ ſunt, quas aſſignat 67
S. Bonauentura. Probatur ex definitione æternitatis recepta. Solùm reſtat reſoluere argumentum D. Thomæ, & Fabri cont. primam differentiam, quia hoc accidit Angelo, quud ab æterno, vel in tempore producatur.

Reſponde

Reſpondetur, hoc eſſe intrinſecum creaturæ, cui repugnat eſſe ab æterno, per omnipotentiam, vt dicam; cùm de Creatione, & Potentia Dei. *Tract.*3. *diſp.*1. *quæſt.*12.

Pergunt *hic* Vaſquez, & alij cum D. Thoma agere de æuo, ſed eius locus eſt, cùm de Angelis, vbi etiam de Angelorum duratione agemus *tract.*4. *diſp. vlt.*

QVÆSTIO VI.

An Deus ſit Æternus.

{ D.Thom. art.2.

ASSERO. Eſt de fide in cap. *Firmiter*, & Symbolo Athanaſij.

68 PROBATVR primò à S. D. paſſim auctoritatibus. *In* 4. *d.*3.*p.*2. *art.*3. *quæſt.*1. *&* 2.*p. Breuil. cap.*5. adducit illud Eccleſiaſtici 18. *Qui viuit in æternum, creauit omnia ſimul.* Ad *Pſalm.*101. illud. *Tu autem in æternum permanes. Opuſc. de reduc. artium ad Theol.* illud *Prou.*8. vbi ſapientia eloquitur: *Ab æterno ordinata ſum: nondum erant abyſſi, & ego iam concepta eram.* Et in ſpeculo B. V. *lect.*8. illud Exodi 15. *Dominus regnabit in æternum, & vltra.* Quod ſanè per auxeſim dicitur, vt ſignificetur etiam, ſi qua duratio eſſet poſt æternitatem; in ea eſſet Deus, vt indicat S. Bonau. dicens. Hinc colligi, Deum in ſuperlatiuo indeficientiſſimum æternitate: & ſequitur Tannerus *diſp.*2. *quæſt.*5. *dub.*2. Ibidem adducit illud *Pſalmi* 101. relatum.

His alludunt quædam alia Scripturæ teſtimonia, vt Pſalm.101. *In generationem, & generationem anni tui.* Vbi iuxta noſtram capacitatem deſcribitur æterna duratio Dei, quæ alioqui eſt ſimpliciſſima impartibilis; quia enim annus dicit perfectam circulationem Solis per Zodiacum, & ipſe annus ſignificat circuitionem: ideò tranſlatus eſt ad ſignificandum interminabilem Dei durationem. Rurſus, quia nullum terminum habet ante, vel poſt; ideò non annus ſingularis, ſed anni indefiniti, & generationes dicuntur. Igitur ratione perfectionis circulationum transfertur annus, ad exprimendam æternitatem, non ratione ſucceſſionis, aut variationis; vt diſcurrit Seraphicus Bonauentura *in primo diſtinct.* 9. *p.* 1. *dubio quarto litteræ.* Ideò S. Dionyſius *capite decimo de Diuinis nominibus*, ait: *Sæculi, ideſt, Æternitatis proprietas eſt antiquum, & immutabile, & totum impartibiliter, ſecundumque totum eſſe metiens.* Eum locum Pſalmi transfert S. Auguſtinus ad ſignificandam generationem Sanctorum perpetuò duraturam. Sicuti ait Seraphicus Doctor, *dubio quinto eius diſtinctionis.*

PROBATVR ſecundò à D. Bonauent. *ad Pſal* 79. *& in* 1. *d.* 8. *p.* 1. *art.* 2. *corpore.* Quòd eſt ſimpliciter immutabile, eſt æternum. Deus eſt immutabilis; ergo. Eadem ratione vſus eſt D. Thom. & applaudunt cæteri Theologi apud Valentiam *quæſt.*10. *p.*1. eſt enim optima à priori, ſumpta è propria radice, vt aduertit Suarez *l.* 2. *de Deo, cap.*4. Vaſquez *d.* 31. Tanner. *d.*2. *quæſt.*3. *dub.*2. Becan. *quæſt.*6. *cap.*8.

69 Ex quo colligo, non benè hos Doctores allegatos *quæſt.* 1. aſſerere, æternitatem addere aliquid ſupra commutabilitatem, ſic enim non probatetur adæquatè ex immutabilitate; ſicut ex animalitate, non probatur adæquatè homo, quia addit rationale. Melius ergò dixi cum D. Bonau. æternitatem eſſe veluti partem immutabilitatis. Vnde benè infertur. Deus eſt immutabilis: Ergo etiam ſecundùm durationem.

PROBATVR tertiò à Seraphico *opuſc.*1. quod dicitur *Principium Scripturæ.* Omne, quod incipit, incipit per motum, vel mutationem. Sic etiam omne, quod deſinit *ex* 8. *Phyſ. t.*1. Deus autem eſt mouens immobile, ex eodem Ariſtotele: Ergo.

PROBATVR quartò à S. D. ibi. Ens ſimpliciter neceſſarium eſt æternum. Deus eſt neceſſariò ſimpliciter: ergo. Maior oſtenditur. Tale enim Ens nequit non eſſe. Minor probatur. Actus purus non habet admixtam potentiam ad eſſe, vel non eſſe, quæ
affinia ſunt. Quod enim poteſt eſſe, poteſt & non 70
eſſe, vt aiunt Ariſtoteles 12. *Met. t.*30. & Damaſc. *l.*1. *de fide cap.*8. Deus eſt actus purus. Ergo ſimpliciter neceſſarius. Minor patet, quia ſi eſſet in potentia, eſſet obnoxius motui, qui eſt actus entis in potentia prout huiuſmodi ex Ariſtotele 3. *Phyſ. t.*16. Hanc demonſtrationem acclamat Poſnanienſis *l.*1. *cap.*2. *quæſt.*4. Becanus *loc. cit.* vrgens hæreticum Vorſtium.

PROBATVR quintò à S. Bonau. ad illud Pſal.65. 71
Qui dominatur in virtute ſua in æternum. Tunc ſic. Quod eſt cauſa virtutis, eſt cauſa eſſentiæ *ex* 12. *Met. t.*28. Ergo qui dominatur æternè virtute ſua, exiſtit virtute ſua. Sed Deus dominatur virtute ſua, è *Pſalmo cit.* Confirmatur è Scripturis, in quibus frequenter vocatur *Deus deorum*; *Dominus dominantium* Deuter. 10. 1. *Tim.*6. Apoc.19. Exod.15. *Dominus regnabit in æternum, &c.* Ergò Deus non poteſt deſtrui.

PROBATVR ſextò à D. Bonau. *in* 1. *d.*3. *dub.*5. vbi probat cum Magiſtro, ex perpetuitate creaturarum intelligi Conditorem æternum; licèt enim hoc non ſequatur in omni agente; tamen in agente primo perpetuante ſequitur. Impoſſibile enim eſt, quod creatura habeat eſſe perpetuum ab eo, qui non poteſt in totum eſſe, ſi enim eſt primum perpetuans, eſt omninò in actu, & nihil in potentia. His rationibus, & authoritatibus vtuntur Moderni. Eadem confirmabo *tract.*2. *diſp.* 9. *quæſt.* 3. *& tertia parte, diſp.*1.

Explicat verò Seraphicus D. *in* 1. *d.* 29. *dub.* 3. *litt.* Quomodo vocetur Deus. *Æternè rerum Conditor.*

Reſpondet primò, nomina quæ dicunt effectum 72
creatum, dicere eum habitualiter ab æterno; actu verò in tempore; & hoc modo dici *hic.* Reſpondet ſecundò *Æterne* ſumptum ſubſtantiuè ponere æternitatem, non circa eſſe Conditorem; ſed circa perſonam, quæ eſt Conditor; ſi verò ſumatur adiectiuè, ponit circa eſſe Conditorem. Et priori modo æternaliter abſolutè dicitur: poſteriori verò ſolùm in habitu, ideſt. Is, qui eſt æternus; poteſt eſſe, & in tempore eſt Conditor.

Sic etiam in primo *d.*9. *dub.*2. oſtendit, æternitatem Dei è Symbolo Athanaſij, quo vtitur etiam D. Thom. Vaſquez &c. *Et tamen non tres æterni; ſed vnus æternus.*

Obiicit ſibi ex Magiſtro. Tres perſonæ coæternæ 73
ſunt: Ergo tres æternæ.

Reſpondet, quod nomen ſignificans ſubſtantiam in Diuinis reperitur ſecundum triplicem modum. Quædam enim ſignificant ſubſtantiam per modum ſubſtantiæ, vt nomen ſubſtantiuum *Deus.* verbi gratia, & tale nullo modo dicitur pluraliter, ſiue ſit ſubſtantiuum, ſiue ſubſtantiuatum, & ſic Æternus in Symbolo accipitur. Quædam ſignificant ſubſtantiam per modum

adiacen

adiacentiæ, ſicut nomina adiectiua adiectiuè ſumpta, & taliter, quæ trahunt numerum à ſubſtantiuis, dicuntur pluraliter & de tali genere ſunt participia, & verba. Alia ſunt nomina, quæ important ſubſtantiam in adiacentia, connotando ad intrà relationem mutuam, qualia ſunt coæterna, & talia duplici cauſa poſſunt dici pluraliter, primò ratione ſignificationis, ſiue modi ſignificandi. Secundò ratione connotationis. Neque pluralis numerus in adiectiuis plurificat formam. Ideò, ſi dico coæternos; non dico tres Deos, quia ſumo adiectiuè nomen coæterni prout includit etiam relationem mutuam, quæ perſonas multiplicat.

Rurſus *in* 1. *d*.31. *p*.2. *art*.1. *quæſt*.3. egregiè docet, Æternitatem dicere quidem carentiam principij ſolius durationis: attamen ſumi à D.Hilario ad ſignificandum eum, qui caret etiam omni alio principio, & ideò appropriari Patri, qui à nullo eſt. Vnde exprimitur in Scripturis: *Antiquus dierum*, Sic eſt in imaginibus.

QVÆSTIO VII.

An ſolus Deus ſit Æternus.

{ D.Tom. art.3.

74 VALENTIA, *puncto* 2. notat ex D.Bonau. *in* 4. *d*.3. *p*.2. *art*.2. *quæſt*.1. *ad* 1. Æternum tripliciter ſumitur. Primò quoad durationis infinitatem. Secundò, per indeterminationem Termini. Tertiò per ſignificationem.

ET quidem primo modo dicitur adhuc dupliciter. Primò propriè, pro æterno carente principio, & fine immutabili, de quo Eccleſiaſt.18. *Qui viuit in æternum, creauit omnia ſimul.* Et hoc modo eſt ſolius Dei. Secundò pro his, quæ non habent finem, de quibus dicitur Pſal.148. *Statuit ea in æternum*, quæ æternitas, quia eſt media inter Tempus, & Æternitatem, dicitur Æuiternitas, vt docet D.Bonauentura *in Centil*.3. *p*. *ſect*.7.

SECVNDO etiam modo dicitur Æternum dupliciter, vel quia non ità fit ſemel, quin oporteat pluries fieri, & ſic dicitur. *Seruiet æterno, qui paruo neſciet vti.* Vel quia non determinatur terminus. Sic dicitur Sacerdotium Aaron Æternum, quia non determinauit tunc Dominus, quando ceſſaturum eſſet.

TERTIO quoque modo Æternum dicitur dupliciter, aut per metonymiam, quia ſignificat adumbrans Æternum. Et ſic terra promiſſionis data eſt in poſſeſſionem æternam, aut quia ducit in cognitionem vitæ æternæ. Sic dicitur Circumciſio æternum pactum, & teſtamentum Dei. Et iſti modi habentur à Gloſſa, ſuper 17. *Geneſ.*

ASSERO; Primo modo ſolo, Æternitatem eſſe propriam Dei. Eſt de fide definitum in Concilio Later.C. *firmiter*. Non poſſe etiam creaturam eſſe æternam, eſto dependentem, oſtendam, *Tract*.3. *diſp*.1. *quæſt*.12.

PROBATVR argumentis S. Bonau. allatis quæſt. ſuperiori. Sicut enim ſolus Deus eſt immutabilis, actus purus, independens: ità etiam ſolus eſt æternus. Eſt enim Æternitas, Dei ſubſtantia, ex D.Auguſtino *ad Pſal*.101. & *quæſt* 39. *in Geneſ.* & 49. *in Exodum*. Ità etiam D.Thom. hic. De ſeptem itineribus æternitatis habet opuſculum egregium S.Bonau. De hoc poſtea Drexelius. Ità refertur ad animam, quæ à Triſmegiſto dicitur Horizon Æternitatis.

DISPVTATIO X.

De vnitate Dei.

QVÆSTIO I.

An vnitas in ſe, & in Deo ſit aliquod poſitiuum.

{ D.Bonau. in 1. d 24 quæſt 1.
D.Thom p 1 q.11. art.1.& 2. & q.30 art.3.

SCITO, in duplici ſenſu, poſſe quæri vnitatem Dei. Primò affirmatiuè tantùm, eo modo, quo omne Ens eſt vnum, quod tamen non excludit dari alia entia ſimilia. Et hoc quidem modo probatum eſt, Deum eſſe vnum, *diſp*. 1. Si enim Deus eſt Ens, conſequenter erit vnum. Imò deducitur, eſſe maximè vnum ex antecedenti, quod eſt maximè Ens. Secundo poteſt quæri. An Deus ſit vnus excluſiuè, id eſt ſolus; ſicut Sol dicitur vnus, & hoc ſenſu diſcutietur. Vide S.Bonau. *Itinerario mentis c*.5. 1

SVPPOSITO ergo, quòd Deus ſit vnus primo modo; quærit S.Bonau. An vnitas in Deo dicat poſitionem. Eſt autem quæſtio hæc metaphyſica de vnitate quidem, tranſcendentali; non de quantitatiua, quæ eſt principium Numeri. Hæc enim non conuenit Deo, vt docet S.Bonau. locis infra citandis.

PRIMA opinio eſt D.Th. quem ſequuntur Thomiſtæ, præcipuè Caiet. ad loca citata D.Thomæ, & *de Ente, & Eſſentia c*.4. *q*.6. Suar. *d*.4 *ſect*. 1. & 2. Valen. *d*. 1. *q*.11. *p*.1. qui adducit Ariſtotelem *l*.5. *Metaph.c*.6. & *l*.10. *c*.1. & 5. Durandum, Capreolum, Ocham, & Gabrielem *in* 1. *d*.24. ac Soncinatem, & Ianduonum, alioſque Ariſtot. Interpretes 4. *Metaph.c*.2. Vnitatem dicere meram negationem. Citantur à D.Th. etiam Plato, & Pythagoras. Sequuntur Auerſa *q*.5. *ſect*.2. referens alios. Arriaga *d*.1. *ſect*.3. Faſolus *q*.11. *art*.1. *d*.3.

SECVNDA ſententia eſt, Vnitatem formaliter ſumptam, dicere aliquid poſitiuum. Ità D. Bonau. *l.cit.* & *in* 1. *d*.8. *q*.1. *ad vlt*. Alenſis *p*.1. *q*.13. Scotus 4. *Metaph.q*.2. & *in* 2. *d*.3. *q*.2. ac diſcipuli apud Maſtrium *d*.5. *q*.4. Vaſquez *p*.1. *d*.128. *cap*.2. P.Galitius infra citandus. Et quidem, ſi Vnitas in omni ente eſt poſitiua; multò magis in Deo, qui eſt perfectiſſimum Ens, vt infert D.Seraphicus. 2

FVNDAMENTVM primum. Vnitas quidem dicit indiuiſionem in ſe, & diuiſionem à quocunque alio, vt habetur in deſcriptione Indiuidui, & habet S.Bonau. *in* 2. *d*.3. *p*.1. *art*.2. *q*.2. & 3. quæ enim vnum ſunt, non ſunt plura, ſed indiuiſa. Attamen vnitas dicit aliquid prius, nam indiuiſio ſequitur ad vnitatem, ſicut vnitas in compoſito, ſequitur ad vnionem. Sicut ergo vnio non eſt formaliter vnitas, ſed cauſa vnitatis: ità vnitas eſt cauſa indiuiſionis. Et ità eſſe indiuiſum, eſt quid conſequens; ſicut & eſſe diuiſum ab aliis; ſicut hominem non eſſe irrationalem; ſequitur eſſe rationalem. Vnde, etiam ſi ſolummodò Deus eſſet, eſſet adhuc vnus, licèt non eſſet diuiſus ab aliis. 3

P.Galitius hic *in Metaph.l*.1. *tract*.3. *de Vnitate*, concedit, vnitatem cauſari ab vnione, & indiuiſione. Ex quo ſequitur, indiuiſionem eſſe priorem vnitate, eiuſque conſtitutiuam, contra id, quod ipſe tenet. Sequela probabitur in primo argumento, pro Aſſertione.

SECVNDVM fundamentum. Vnitas non eſt res diſtincta ab entitate, nam etiam per Dei potentiam nequit dari vnitas ſine entitate; vel è contra. Ideò Ens,

H &

& vnum conuertuntur; & hoc quoque verum eſt de vnitate numerali. Neque differunt formaliter Ens, & vnum, vt putat Scotus; alioqui non prædicarentur inuicem in abſtracto: ſicut nec rationabilitas dicitur de homine, &c. vt dixi, *diſp.* 3. *q.* 8. Vnitas autem dicitur entitas; & è contra. Neque differunt ſola ratione ratiocinante, quia vnitas ſe habet tanquam paſſio, quæ demonſtratur de entitate. Ergò eſt diſtincta ab vnitate. Si enim eſſent ſynonima, diſtincta ſolùm per intellectum, non poſſent eſſe ſibi inuicem media demonſtrationis; & cùm eadem ratio curras etiam de aliis, quaſi paſſionibus entis, iam Metaphyſica non eſſet ſcientia, quia non haberet paſſiones, quas de ſubiecto probaret. Differunt ergò ratione ratiocinata; ſicut eſſentia, & attributum. Fundant enim diuerſos conceptus obiectiuos; alio enim conceptu diuerſo dignoſco, v. g. hominem eſſe Ens; & alio, eſſe vnum.

Dices cum Suarez, & Thomiſtis. Si ſic differunt tantùm. Ergo vnum includet Ens. Ergo non eſt eius paſſio. Reſpondetur non eſſe rigoroſè paſſionem: vnde poteſt eſſe de ſubſtantia Entis. Non renuerem differre formaliter, vt dixi *loc. cit.*

Probatum verò remanet Thomiſtis. Poſitiuum, & negatiuum differunt pluſquàm ratione ratiocinante. Sed per vos entitas eſt poſitiua: vnitas negatiua: Ergo. Maior patet. Minor eſt veſtra.

Asserro, Vnitatem formaliter eſſe quid poſitiuum, additum Enti.

5 Probatvr primò à S Bonau. *arg.* 3. Ea quæ oppoſita ſunt aut ambo ſunt poſitiua, ſi opponuntur contrariè, & relatiuè; aut ſaltem alterum eſt poſitiuum; ſi opponuntur priuatiuè, vel contradictoriè. Sed vnum, & multa opponuntur. Ergo vel ambo ſunt poſitiua, vel ſaltem alterum ex his. Probo ergò, eſſe poſitiuum conuenire vnitati; & non multitudini. Quod eſt prius, & nobiliùs, eſt poſitiuum. Vnitas eſt prior, & nobilior multitudine. Ergo. Probatur mi: à D. Bonau. nam principium eſt prius effectu. Sed vnitas eſt cauſa multitudinis; nam vnitates multiplicatæ, faciunt multitudinem; & ità ſupponunt vnitatem ſimpliciter. Ma: probatur *ex* 1. *Phyſ. t.* 42. Quod etiam ſit nobilior. Probatur, quia eſt proprietas Diuinæ eſſentiæ.

6 Reſpondet D. Thom. vnitatem eſſe negationem multitudinis, & viciſſim, multitudinem eſſe negationem vnitatis.

Contra arguitur, è S. Bonau. Omne priuatiuum reduci debet ad poſitiuum; priuatio enim ſupponit formam poſitiuam, cuius eſt priuatio. Ergò vel priuatio multitudinis reducitur ad poſitionem vnitatis; vel è contra, priuatio vnitatis ad poſitionem multitudinis. Vel priuatio vtriuſque ad poſitiuum alterius tertij: Hoc tertium non poteſt dici; neque priuatio multitudinis, id eſt vnitas, ad poſitiuum multitudinis reducitur, nam vnitas eſt principium multitudinis, & conſequenter prius, *ex* 1. *Phyſ. t.* 42. ergo. Per hoc patet ad reſponſionem Fonſecæ.

7 Confirmatur, nam demonſtrationes metaphyſicæ, in quibus vnum de ente demonſtratur, ſunt poſitiuæ; hoc eſt, à medio poſitiuo ad concluſionem poſitiuam. Ergo paſſiones dicunt poſitionem. Antec. probatur: ſic enim arguitur. Omne ens eſt vnum. Deus eſt ens. Ergo vnum.

8 Probatvr ſecundò à S. Bonau. Ab eodem res habet, vt ſit Ens, & vt ſit vnum. Sed Ens dicit poſitionem Ergo & vnum.

Probatvr tertiò à S. D. Quod ſonat complementum, dicit poſitiuum. Sed vnum dicit complementum: Ergo. Mi: probatur, quia quantò aliquid accedit ad perfectionem; tantò magis accedit ad vnitatem.

Probatvr quartò à Seraphico Doct. Nulla priuatio conſtituit ſuum habitum, nec ſaluatur in illo. Sed vnum ſaluatur in multis, & illa conſtituit: ergo non opponitur, vt priuatio. Igitur non accipitur priuatiuè. Confirmatur, nam priuatio non ſuſcipit magis; at aliquod eſt magis vnum huic, quàm aliis.

Obiicies primò cum D. Th. Si vnitas dicit aliquam realitatē poſitiuam, cum etiam ipſa ſit vna, erit vna per aliam realitatem poſitiuam, & illa per aliam in infinitū. 9

Reſpondetur, vnitatem dicere realitatem diſtinctam ab entitate, ſolùm ratione ratiocinata, vt dixi fundamento ſecundo. Ideò de ea non eſt quærendum: An ſit diſtincta ab vnitate entitatis. Vnitas enim vna eſt per Vnitatem, à qua vnitate, ipſa quoque vnitas habet, vt ſit vna; ſicut menſura, v. g. cubitus menſurat ſubſtantiam, vtpote lignum, & ſecundariò ſeipſam. Igitur Ens eſt vnum, quatenus eſt, ſicuti eſt bonum, quatenus eſt, vt fatetur D. Th. *q.* 5. Id ſaluatur, etſi formaliter differant.

Obiicies ſecundò cum Valentia. Omnis realitas præciſa, non eſt plures realitates. Ergo eſt vna, ſine vnitate addita poſitiua. Confirmatur ex Boetio *de conſol. l.* 3. Ens in vnitate ſeruatur.

Reſpondetur, negando Antec. Et quidem entitas compoſita ſine vnitate, quæ reſultat ex vnione, non eſt quid vnum, vt patet. Nam ſi ſeparetur materia à forma, non remanet ampliùs compoſitum vnum. In ſimplicibus verò inimaginabile eſt, eſſe aliquid ſine vnitate, quæ differt ſola ratione ratiocinata. Si tamen abſtrahatur, manebit Ens, nec vnum, nec plura. 10

Ad Boetium dico, eſſe pro nobis; nam vult dicere; Ens non poſſe eſſe ſine vnitate, quia eſt idem formaliter.

Obiicies tertiò. Si vnitas adderet aliquid poſitiuum entitati, nulla entitas foret ſimplex; eſſet enim compoſita ad minimum ex entitate, & vnitate.

Reſpondetur, non fore compoſitionem, quia differunt ſolum ratione ratiocinata. 11

Quòd ſi D. Bonau. ait, vnitatem facere compoſitionem in creaturis, intelligit de vno, quod ſonat numerum, & quantitatem, non de vnitate tranſcendentali. Vide S. Doctorem *l.* 1. *compend. Theol. c.* 2. *& in Itiner. c.* 1. Deinde quid tum, ſi creata, hoc pacto compoſita?

Obiicies quartò cum Zanardo. Quantò quid accedit ad vnitatem; tantò accedit ad ſimplicitatem. Sed ſimplicitas eſt priuatio compoſitionis: Ergo & vnitas.

Reſpondetur, compoſitionem potius dicere priuationem ſimplicitatis, cuius ſignum eſt, quod ſimplicitas eſt prior. Certum eſt autem, poſitiuum eſſe prius priuatiuo. Idem dic de vnitate.

Obiicies quintò cum Mendoza. Vnitas, & pluralitas opponuntur; ſed pluralitas dicit quid poſitiuum, id eſt diuiſionem rei. Ergo vnitas dicit indiuiſionem, & priuationem.

Reſpondet S. Bonau. quòd vnum dicit quidem priuationem diuiſionis, ſed hæc oritur è poſitione, in qua ſtat formalitas vnitatis; quantò enim aliqua res eſt vna: tanto & perfectior. Ex quo deducit, Deum quippè perfectiſſimum, eſſe maximè vnum. Idem habet *p.* 1. *Breuil. cap.* 6. 12

Obiicies ſextò 10. *Metaph. t.* 4. definitur, vnum eſſe, quod eſt indiuiſum in ſe: Ergo eſt negatiuum.

Reſpondet D. Bonau. vnum ibi deſcribi per poſteriora, quia non habet prius nobis notum, nam principia non habent priora.

Obiicies vltimò. Si vnum in Diuinis dicit poſitionem. Ergo Deus, vt vnus cum creaturis, facit multitudinem.

Reſpondet Seraphicus D. vnum dicere priuationem multitudinis. Et quidem in Deo ſaltem, vt neque ſit in potentia ad multitudinem; nam dicit Ens infinitum, cui addita alia entia, non faciunt numerationem. Vnum ſanè in entitate creata eſt principium multitudinis, quia vnum, & multa ſunt de genere quantitatis; non autē in Deo.

Deo. Fateor, à nobis ſic Deum apprehendi, vt ipſe cum creatura ſint duo.

Nota, S.Bonauenturam dicere, creaturæ vnitatem dicere priuationem, ratione materiæ, cuius potentia ſe habet per modum priuationis, quatenus eſt vna homogeneitate, non in formis.

QVÆSTIO II.

An ſit tantum vnus Deus.

D. Bonau d.2. quæſt.1.
D. Thom. q.11. art.3. & 4.

PAGANORVM cateruæ multitudinem Deorum adorarunt. Eos ſecuti ſunt multi hæretici, relati à Valentia *d.1. quæſt.11. p.2.* Vaſquez *ad art.3. D.Thom.* & Tannero *d.2. quæſt.5. dub.3.*

14 Tria genera hominum Deos multiplicant. Primò Idololatræ Pſal.95. *Omnes Dij gentium Dæmonia.* Secūdò Necromantici. Tertiò carnales, & auari. *Philip.3. Epheſ.4.* vt docet S.Bonau. *l.citando Compendij Theol.* Hinc nil mirum, è diſcipulis etiam Caluini in hoc baratrum ruiſſe, vt referunt allegati Theologi. Imò ipſe *l.de actis Serueti, pag.343.* apud Bouet. *exam.1. Ath.1.*

Hic error non modò Scripturis apertis eliditur, ſed etiam rationibus euidentibus, vt docent D.Th. hic & 1. *contra G.c.42.* Alenſ. *p.1. q.14. m.5. & 3.* Albertus *in ſum.tract.6.q.29.* Richard. Durand. Scotus, & alij *in 1. d.2.* inter quos validiſſimè argumentatur S.Bonau. cuius rationes ſufficient, quas alij adducunt.

ASSERO Deum eſſe vnum.

15 PROBATVR à D.Bonau. primò *in Compend. Theol. l.1.c.5.* ex Deuter.32. *Videte quod ego ſim ſolus, & non ſit alius præter me.* Epheſ.4. *Vnus Deus, vna fides.* Pſal.80. *Non erit in te Deus recens.* Et è Symbolo Athan. *Hæc eſt fides catholica, vt vnum Deum in Trinitate: & Trinitatem in vnitate adoremus.*

PROBATVR ſecundò à S. D. ibi rationibus. Prima eſt. Qui ſemper, & vno modo ſe habet, nihil in ſe, niſi ſe habens, is vnus eſt. Talis eſt Deus: Ergo. Mi: probatur primò ex D.Bernardo *l.5. de conſider. c.7.* vbi ob hanc rationem, Deum vniſſimum vocat. Secundò probatur à Suarez *d.29. Met. ſect.2. num.11.* Vbi ratio communis eſt multiplicabilis ſecundùm naturam, ratio entis ſingularis eſt extra eſſentiam eius rei. Sed in ente improducto non poteſt capi ſingularitas eſſe extra eſſentiam naturæ: Ergo.

Hanc rationem ſic elidere conatur Arriaga, loco adducendo. Perſonalitas in Patre eſt neceſſaria & tamen multiplicabilis ſecundum rationem perſonæ in Filio.

16 Reſpondetur, non multiplicari naturam, quæ includit relationem; hæc verò in alio Patre non inuenitur.

SECVNDA ratio D.Bonau. ibi, ex ſimplicitate Dei. Deus eſt ſimpliciſſimus. Si ergo ſunt plures Dij, aut omninò conueniunt. Et ſic erunt vnus; non plures: vel omninò differunt; & tunc ſi alter eſt Deus; alter non erit Deus: aut partim conueniunt, partim differunt. Et tunc dabitur in Deo compoſitio; & ſic non erit Deus, qui eſt ſimpliciſſimus.

Rurſum. Si forma Deitatis eſt communicabilis pluribus, ea, cùm à parte rei ſit; non ſicut vniuerſale communicabile in anima; contrahetur aliquo reali addito ad indiuidua ſingula, quibus appropriatur, & non tota; Ecce compoſitio excludens ſimplicitatem Deitatis, quæ eſt ſua eſſentia, cui repugnat partiri pluribus. Hac ratione vtuntur Scotus *l.c. q.2.* cum diſcipulis, Trigoſius noſter *q.5. art.3. dub.5.* Valentia *d.1. q.11. p.2.* Tanner. *l.c.* Eam verò carpit Arriaga *d.5. ſect.5. ſubſec.3.* & Suarez ibi adductus, nam datur ratio propria, & differentia realis propria Dei.

Reſpondetur, eam rationem non eſſe vniuocam; ideò non habere propriè, in quo conueniat, & differat.

17 TERTIA ratio. Summum bonum poteſt eſſe vnum tantùm. Deus eſt ſummum bonum. Ergo. Ma: probatur, quia ſummum bonum debet eſſe vltimus finis omnium, & cui nihil poteſt addi de entitate, & conſequenter de bonitate. Quòd ſi poſſent eſſe plura bona, iam vnum poſſet addi alteri, & ſic non eſſet ſummum bonum infinitum. Hanc rationem vſurpant Trigoſius, Tanner. *l.c.* & Suar. *lib.1. de eſſentia Dei c.6.* Eam verò carpit Arriaga dicens, non poſſe oſtendi omnia ordinari ad Deum, vt ad finem; eſto concedatur, Angelos, & homines, qui poſſunt conſequi Deum, & eo frui, ad illum ordinari: at lapis quomodo conſequetur Deum?

18 Reſpondetur argumento ordinario S. Bonau. Idem eſſe primum efficiens, exemplar; & finem vltimum; nam cùm omnia recipiant à Deo entitatem, atque adeò bonitatem, oportet, vt ad bonitatem, de qua participant, ordinentur. Omnia autem à Deo producta hic ſuppono ex dictis *q.4. diſp. prima,* vbi illud firmiſſimè probaui, vt fatetur Arriaga, neque de hoc eſt quæſtio hic, vt ipſe putat; ſed de vnitate producentis. Ità ex ordine arguit, & Triſmeg. *dial.5.* & Orpheus.

19 Hunc autem eſſe vnum validè probatur à D.Bonau. *l.1. Compend. Theol. c.3.* contra Manichæos. Primò, quia ſi eſſent duo principia, vel communicarent in exiſtere per ſe, ſicut Petrus, & Paulus; vel non. Si ſecundum: Ergo alterum erit Ens, non per ſe; ſed per aliud. Ergo non erit principium primum. Si primum. Sed exiſtere per ſe eſt bonum: Ergo non eſt Deus malus, nec ſummum malum, vt dicebant Manichæi. Hinc verò deducit Soncinas. Sed exiſtere per ſe independenter à quolibet, eſt ſummum bonum. Ergo vnum. Hæc verò deductio non benè carpitur à Suarez *loc. cit.* & Arriaga, *d.5. ſect.5. ſubſec.2.*

20 Probat deinde alia ratione ibi, vnum eſſe Deum, primum principium. Omnis multitudo ad vnitatem reducitur, vt docet D.Dionyſ. *c.13. de diu nom.* Sed dantur multa principia, multa entia. Ergo ad vnum reducuntur Ens, & primum ſummum principium. Eadem vtitur Scotus.

21 TERTIO ex Damaſceno *c.5.* arguit. Omne imperfectum, & participatum reducitur ad perfectum per eſſentiam at dantur multa principia entia imperfecta, & participata. Ergo reducuntur ad vnum primum per eſſentiam infinitum, in quo ſit tota ratio Entis. Is verò eſt Deus ex ſapientum conſenſu. Ità etiam D.Th. & aſſeclæ, & Scotus. Probatur verò conſeq. ex Ariſtot. *5. met. c. de perfecto.* Illud eſt ſimpliciter perfectum, in quo colliguntur omnes nobilitates cuiuſlibet entis, altiori tamen modo. Hanc rationem efficaciſſimam ait Morand. *T.1 q.14.* Recup. *q.6.* Quòd ſi duo per eſſentiam infinitè perfecta darentur, iam implicantiam dicerent quia tale infinitum omnia claudit. Hinc ruit Arriaga *diſp.2. ſect.5.*

22 QVARTO. Omnia, quæ in mundo exiſtunt, ſunt optimè ordinata. Ergo debet eſſe vnus Moderator, à quo omnia ordinentur; non enim poteſt eſſe perfectiſſimus, niſi ſit vnus, alioqui enim, niſi ſit vnus, non haberèt omnes perfectiones, cùm in alio ſint, nec ad eum perfectiſſimè omnia reducentur, nam melius multa ordinantur per vnum quàm per multa, vt diſſerit etiam Tannerus l.c. cum D.T, & Scoto, ac D.Anſel. *c.4. Monol.* Hoc medio vſi ſunt Triſmegiſt. *dial.5.* Orpheus Græcæ Theologiæ parens, Thales Mileſius; apud Plutarch. *l. de dogm. phil.* Anaxagoras, à Platone laudatus *in Phædone, & in Cratylo.* Empedocles, Euripides, Sophocles, Phocylides, Arates, Iamblichus, Epictet. aliique apud Bouerium. *Demonſt.1. art.5.*

Seraphicus, hac quæſtione aliam addit rationem. Si ſunt duo principia, vel vnum poteſt in alterum; vel

non. Si non: ergo ambo impotentia. Si poteſt: Ergo alterum eſt impotens, non Deus. In Breuiloquio autem *p.*1. eiſdem principijs probat, Deum eſſe vnum, quibus eſt à nobis probata Dei exiſtentia, *diſp.*1. *q.*4. nempè, quia eſt Perfectiſſimus; Summa entitas, ſumma potentia; Summa ſapientia; Summa pulchritudo; Summa bonitas, quo non poteſt maius cogitari, vt Seraphicus probat, ex D. Anſelmo *in Proſol. cap.*3.

24 Igitvr Deus habens omnia, eſt vnus, non habens alium Deum ſimilem, ita potentem, ſapientem, bonum; alioqui poſſet aliquid maius cogitari illo vno, quia alter augeret perfectionem. Hanc rationem proſequitur Trigoſius loc. cit. Vaſquez *ad art.*3. *D. Th.* & fuit Tertulliani *l.*1. *cont. Marcionem cap.*3. *&* 4. Athanaſij, *oratione contra Idola*; Damaſceni, *l.*1. *de fide c.*5. Eaque vtitur etiam Scotus. Latius verò in hac quæſtione Seraphicus, his, & aliis rationibus, quas Demonſtrationes acclamat, argumentatur.

25 Prima demonſtratio ſumitur ex ſimplicitate, & actualitate eſſentiæ Diuinæ, quam ſic rurſus efformo, etiam cum D.T. & commentatoribus. Is, qui eſt Deus, per id, quo eſt hic Deus, non poteſt multiplicari. Talis eſt Deus: Ergo. Ma: probatur, nam differentia indiuidualis non poteſt multiplicari, aut eſſe communis pluribus. Si ergo differentia indiuidualis conſtituit etiam ipſam eſſentiam alicuius rei, aut ſaltem eſt de eſſentia eius, fieri non poteſt, vt ipſius eſſentia multiplicetur. Confirmatur à ſimili. Si enim Socrates per id eſſet homo, per quod eſt hic homo; tunc ſicut non poſſunt eſſe plures Socrates, non poſſent eſſe plures homines. Mi: probatur ex dictis, *diſp.*3. Hanc rationem magni facit Valentia, & etiam D. Thomas.

Dices, hac ratione ſolùm probari, non poſſe eſſe plures Deos einſdem eſſentiæ; nil tamen obſtare, quin eſſent plures Dij diuerſæ naturæ.

Reſpondet Tannerus, ex doctrinà S. Bonau. naturam diuinam non poſſe eſſe variam; ſed debere eſſe vnam, cui omnia attributa diuina conueniant. Eam verò talem eſſe probat S. Bonau. infra, adducendis argumentis.

26 Secvnda demonſtratio fundatur in omnipotentia Dei quæ in conceptu Dei debet intelligi, Omnipotèns enim debet poſſe omnia, & in omnia Ergo nihil poteſt æqualiter cum eo. Ergo non dantur plures Dij. Probatur ſic. Si dantur plures Dij, vel vnus eſt omnipotens, & alter non; vel ambo omnipotentes; vel neuter. Si primum: Ergo, qui eſt omnipotens, poteſt ſuper alterum. Ergo hic non eſt Deus. Si ſecundum: Ergo alter in alterum poteſt; alioqui non erit omnipotens, & ſic ambo erunt impotentes, & ſi tales ſunt, non ſunt Dij. Hæc ratio adhibetur à Valentia, Suarez, Vaſquez ſupra, Arriaga, *ſubſec.*1. ac Morando.

27 Tertia demonſtratio ſumitur ex diuina præcellentia. Si Deus eſt, debet eſſe ſummus, infinitè perfectus. Ergo omnia infra ipſum. Ergo nullus eſt ei æqualis. Ergo nullus alius erit Deus, cùm ipſe habeat in ſe totam rationem entis. Hanc rationem, quæ eſt etiam D. Thomæ, magni faciunt Trigoſius, Valentia, Tannerus, & alij ſupra relati.

Eam verò fruſtra concutit Arriaga, *d. cit. ſubſec.*3. arguit enim S. Bonau. ex infinitate Dei ſimpliciter tum formali; tum effectiua, quæ in Deo ſupponi debet; & cũ ſupra *diſp.*1. *q.*4. oſtenſum fuerit, omnia ab vno producta, ſequitur continere omnium perfectiones, quia nemo dat, quod non habet, vt nòtat Arriag. *ſect.*6. *n.* 49.

28 Qvarta demonſtratio Seraphici ſumitur ex immenſitate. Si ſunt duo Dij, aut vnus eſt, vbi eſt alter: vel non. Si primum: Ergo vnus eſt in altero, cùm ſint eodem modo eſſendi. Ergo alter reſpectu alterius eſt materialis: Ergò non eſt Deus. Si ſecundum: ergo alter eſt circumſcriptus. Ità etiam Scotus, & olim D. Cypr. *tract.*4. *de vanit. Idolorum.*

Dices, poſſe eſſe illos in eodem loco, etiamſi alter non ſit materialis, reſpectu alterius, ſic enim duo corpora miraculo ſe penetrant, neque tamen alterum eſt ſubiectum alterius; multò minùs id eueniet in duobus ſpiritibus.

Reſpondetur, eum, qui eſſet vbi alter, debere penetrare alterum; & alterum debere penetrari, atque adeò paſſiuè ſe habere ad modum materialis. Hæc ratio ſumitur è D. Damaſc. *l.*1. *de fide cap.*2. atque optimè concludit, vt vidit Coriolanus *ad art.*1. *quæſt.*11. *D. Bonau.*

29 Qvinta demonſtratio ſumitur ex intellectione. Si duo ſunt Dij, aut vnus comprehendit alterum; aut non. Si non: Ergo ſunt finitæ ſapientiæ, vel ignorantes. Si primum: aut comprehendit per præſentiam; aut per ſpeciem; aut per ſeipſum. Si per præſentiam: Ergo vnus eſt in altero. Ergo Deus Deo illabitur, eumque perficit. Si per ſpeciem. Ergo compoſitus. Si per ſe. Ergo vnus eſt exemplar alterius. Ergo & principium.

30 Sexta demonſtratio. Si duo ſunt Dij, vel vnus diligit alterum, eoque fruitur, vel non. Si primum. Ergo ille, quo fruitur eſt ſummum bonum, & Deus; & ille, qui fruitur non eſt vltimus finis, neque ſummè bonus, & Deus. Ità quoque Suarez *loc. cit.* Si non: Ergo neuter eſt ſummum Bonum.

Septima demonſtratio in corpore. *Summum Ens* debet eſſe ſummè vnum. Deus eſt ſummum Ens: Ergò. Ma. Probatur, quia vnitas eſt paſſio entis. Ergo quò magis aliquis participat de ente, eò magis participat de vnitate. Hanc ſibi adſcribit Trigoſius. Hinc deducit, omnia ab ipſo ſecundùm primum exemplar, & per ipſum eſſe debere, vt res ſint connexæ in vnum mundum, vt inferebat Ariſtot. 12. *met. circa finem*; & Plato *in Timæo*, vbi infert. *Mundus eſt vnus, quia ſecundùm vnum exemplar factus eſt.* Ità etiam Scotus.

31 Vltima demonſtratio eſt ex optimo Dei regimine, quod in mundo vidimus in omnibus creaturis. Ergo vnus eſt Monarcha. Probatur conſeq. quia Monarchia eſt optimum regimen, vt tenent omnes Philoſophi, & Patres, & oſtendi, *diſp.*5. *proœm. q.*1. Hæc ratio habetur *p.*1. *Breuil. c.*2. *&* *ſerm.*2. *Hexaëmer.* ſed eam ſibi adſcribit Trigoſius. Eſtque etiam D. Thomæ qui multas habet, locis citatis. Scotus etiam, *d.*2. ſeptem rationes affert, quas acutiſſimas conclamant Trigoſius, Coriolanus, & alij, cùm tamen ſint rationes D. Bonau. vt vidimus.

32 Tandem vnitatem Diuinam demonſtrat S. Bonau. *ſerm.*11. *Hexaemer.* vbi prius oſtendit, cætera, quæ vnum ſunt, eſſe imperfecta. Primò quidem vnitas eſt in principiis ſimplicibus; attamen imperfecta, quia ſe ſola non ſufficit ad conſtituendam rem. Secundò. eſt etiam vnitas in principiatis; attamen imperfecta, quia, licèt dicat totalitatem, tamen non ex ſe, nec ſimplex eſt. Tertiò eſt vnitas vniuerſalis eſſentiæ, quæ, licet in pluribus ſit, numeratur tamen in illis eſſentia. Quartò datur vnitas indiuidui, & hæc imperfecta; quia cum materiâ numeratur forma eſſentialis indiuidua. Quintò datur vnitas numeri principium, & hæc imperfecta; quia numeris perficitur. Sextò datur vnitas voluntatum; ſed imperfecta, quia poſſunt fieri diſcordes. Sola ergo vnitas ſimpliciſſima eſſentiæ dicit ſimpliciſſimam, & abſolutam perfectionem, quæ ſumma eſt in re, & in operatione: vt ait S. Bonau. in corpore. In re quidem, quia omnia ab ipſo, & ad ipſum, & in ipſo omninò eſt ſtatus omnis perfectionis, abſoluens totam rationem entitatis. Quare non poteſt ei aliud parificari. In opinione etiam, quia Deo nil maius cogitari poteſt, vt ait D. Anſelmus *c.*2. *Proſology*, nec etiam æquale, quia, vt notat etiam Vaſquez *ad art.*3. D. Thom. nomine Dei ſignificatur illud, quod nullum habet ſuperiorem, & ab alio non eſt, quod enim ab alio pendet, debet illum tanquam ſuperiorem agnoſcere. Etenim nulla

natio

natio tam barbara fuit, quæ Deum verum alterius veri Dei eſſe diceret: nam, licèt conſuetum fuerit apud Gentiles, inſignes viros, Imperatores Diuos nuncupare, nunquam tamen Dij appellati ſunt Hac verò ratione apud Chriſtianos, Sancti viri, Diui vocamus, quippè in Dei ſocietatem euocati, & adoptati, v. docet D.Bonau. *loc. cit. Compendij cap.*2.

33 Igitur in hac controuerſia de vnitate Dei, Deum verum intelligimus eum eſſe, qui à ſeipſo neceſſarius, non ab alio pendet. Hoc autem ſenſu vnum eſſe poſſe Deum, hac ratione S.Bonau. demonſtrat Vaſquez, qui eam contra Paganos, & Manichæos ſufficientem acclamat. Eſtque Tertulliani, *l.*1.*contra Marcionem*, *c.*3. *&* 4. Athanaſij *contra Idola*, Damaſceni 1. *de fide cap.*5. qua nititur Morandus.

Si duo eſſent Dij, neceſſe eſſet vnum ab alio non pendere, ac proinde altero nolente, alterum poſſe eſſe, & operari. Quare (vt inquit Athanaſius) æqua in ambobus eſſet poteſtas, & imbecillitas. Par quidem poteſtas, quia alter alterius voluntatem vinceret, eò ipſo, quòd altero inuito eſſe poſſet. Par item imbecillitas, quia nolentibus ipſis, ea, quæ nollent, euenirent. Hinc Tertullianus infert. *Deus, ſi non vnus eſt, non eſt*, & hoc concludit S Bonau. in corpore, cum Cyprian. *loc. cit.* Ireneo *l.*2.*cap.*5.

Cæterum, quoniam Gentilis aliquis poſſet aſſerere, duos quidem eſſe Deos, eoſque bonos, qui neceſſariò ſe mutuò diligant, atque adeò nullam in eis eſſe imbecillitatem; ſed æqualem potentiam.

Vrget Vaſquez ex D.Bonau. *hic.* Si eſſent duo Dij non ſolùm hi ſeipſis, ſed etiam omnia ab eis eſſe deberent; hoc enim eſt de ratione Dei, & primi principij. Aut ergo ab vno ſolo, ſine altero, poſſent omnes res conſeruari; & fieri, quòd ille eſſet potentior, & perfectior; & ideò ille ſolus eſſet Deus, tum quia Deus ille eſt, qui eſt omnium perfectiſſimus, tum quia etiam alius vel eſſet ab alio; vel à ſeipſo. Si eſſet ab alio, non poteſt eſſe Deus; ſed eius creatura. Si à ſeipſo; is, ſicut alter eſſet eiuſdem prorſus naturæ, & æquè perfectus. Quo circa, qua ratione res omnes ab vno; eodem quoque modo ab altero penderent. Aut denique omninò æqualis eſſent perfectionis; atque ità alter omninò ſuperfluus eſſet. Quare temerè, & ſine ratione duo multiplicarentur. Alias rationes habes in D.Bonau. locis citatis, è quibus potes elicere, falsò dixiſſe Ochamum 1. *d.*2. *quaeſt.*10. Baſſolium *quaeſt.*3. *art.*3. Maiorem *q.*1. *concl.*3. Aliacum *q.*3. *art.*3. Gabrielem *q.*10.*art.*2. Caſſalium *l.*1 *de Quadripart.* Iuſt. *cap.*17. *&* 18. vnitatem Dei non eſſe demonſtrabilem.

Obiicies primò. Plus poteſt Deus facere, quàm homo intelligere. Sed intellectus humanus gentium intellexit plures Deos omnipotentes. Ergo poteſt Deus hoc facere. At quicquid poteſt eſſe in diuina natura, eſt ibi, quia æterna, ex Ariſtotele 3. *Phyſ.t.*32. Ergo.

Reſpondet S. Bonau. Deum plus poſſe facere, quàm nos ratione intelligere, non autem plus quàm nos chimerizare; poſſumus enim imaginari contradictoria, & talis eſt imaginatio plurium Deorum, vt oſtenſum eſt.

34 Obiicies ſecundò. Plura bona ſunt meliora paucioribus: ſed plures Dij ſunt plura bona. Ergo meliùs aliquid erunt duo, quàm vnus. At omne melius circa Deum eſt ponendum, è D. Anſelmo *c.*15.*Monol.* Ergo.

Reſpondet S.Bonau. Deum quippè bonum infinitum, in quo eſt tota ratio entitatis, non capere additionem bonitatis, quare non eſt meliùs, Deus & mundus, quàm Deus ſolus, vt dixi, *diſp.*5.*q.*2. atque oſtendit Trigoſ. *q.*2.*art.*3.*dub.*5. Tum quia habet infinitum eſſe ſimpliciter, ac proinde omnes perfectiones creaturarum. Tum quia ſequerentur ex oppoſita ſententia,

quæ e Durandi 1. *d.*44. multa abſona, nempè Chriſtum eſſe meliorem Patre æterno, quia habet additam naturam humanam. Deinde, Filius Dei eſſet melior ſe ab æterno. Tertiò Deus ob mundum additum eſſet melior ſeipſo ab æterno.

Obiicies tertiò. Quorum diuerſæ ſunt virtutes, & operationes, diuerſæ ſunt eſſentiæ. Sed Patris, & Filij, & Spiritus Sancti diuerſæ ſunt virtutes, nam in Incarnatione ſolus Filius eſt vnitus humanitati: Ergò.

Reſpondet Seraphicus D. operationem, ſeu vnitionem fuiſſe à virtute abſoluta, eamque communem tribus perſonis: vnionem verò eſſe ſolius Filij; vnionem autem intelligit, non vnitionem, ſed relationem, vt patet *in* 3. *d.*5. *q.*1 2. & ſequentibus. Quare non erat, cur Trigoſius Scrupulo agitaretur. 35

Obiicies quartò. Magna potentia poteſt producere Magnum. Ergo & maxima poteſt maximum, at Diuina potentia eſt maxima. Ergo poteſt maximum. Ergò cùm in æternis ſit idem eſſe, & poſſe, vt dicitur 3. *Phyſ.t.*32. ſequitur, plures eſſe Deos Primum Antecedens eſt Ariſtotelis 4. *meteor.t.*19. vbi ait. *Vnumquodque perfectum eſt, cum poteſt producere ſibi ſimile.*

Reſpondet S.Bonau. non eſſe vniuerſaliter veram ſententiam Ariſtotelis, ſed ſolùm in generabilibus, & corruptibilibus; nam Angelus non poteſt producere alium Angelum. Neque Deus alium diſtinctum naturâ Deum; imò implicat, ratione ſimplicitatis diuinæ naturæ. Ità reſpondent etiam D.T. & Richar. Neque poteſt ex nihilo, ob rationes allatas *diſp.*6.*q.*2. Quia licèt Deus ſit omnipotens, tamen creatura non poteſt recipere eſſe infinitum maximè verò ſimpliciter infinitum. Addit verò D.Seraphicus, Deum ſatis hoc axioma implere in Diuinis emanationibus; nam Pater gignit Filium ſibi ſimilem, & æqualem, ſic etiam vterque ſpirat Spiritum Sanctum. 36

Ex his habes, Deum eſſe vnum vnitate tranſcendentali, quæ ſequitur Ens, vt docent communiter cum Seraphico apud Tanner.n.9. contra quoſdam recenſitos à D.Thom.*q.*9.*de potentia*,*art.*7. Non tamen poteſt dici propriè vnus numero, vt docet D.Bonau.*in* 1.*d.*24. *q.*1. quem ſequuntur D.Thom. *hic ad* 1. *& loc. cit. de potentia*, aliique. Ratio eſt, quia vnum numero eſt principium multitudinis, vel ſaltem poſſibilis ſecundum idem nomen. Ideò Rufinus in ea verba Symb. *Credo in vnum Deum*, & Bernardus *l.*5. *de conſider.* dicunt, Deum vnum dici, non numero; ſed vniuerſitate.

Collige ſecundò, Deum eſſe maximè vnum, quia eſt maximè Ens. Hoc ſignificare volunt Patres, dum vocant Deum *vnitatem.* Ità loquuntur Ambroſius in Symb.Apoſtol. *cap.*1. Marius Victor *l.*1.*cont. Arrium*, Anſel. *in Proſol. cap.*18. poſt antiquos Philoſophos, apud Eugubinum, *l.*3.*peren. Phil.* à *cap.*5. vbi habet, fuiſſe conſenſum omnium penè philoſophantium, ac Sybillarum. Vide Platonem in Timæo, Ariſtotelem *l.*1. *&* 8. *Phyſ. & lib.*12. *Met.*

Ex Patribus verò, hanc veritatem è propoſito propugnarunt Tertullianus *Apol. cont. Gentiles*, Lactan. *l.*1.*diu. Inſt.* Cyprian. *l.de Idolorum vanitate*, Athan. *orat. contra Idola*, Damaſcenus *l* 1. *de fide c.*5. aliique apud Zachariam Boner. *demonſtr.*1.*aduerſ. Atheiſtas* & *in Demonſtr. Symb.* paſſim, nec non priſci philoſophi ibidem allati. Pudeat Politheos à Pagano Orpheo audire allata carminibus argumenta. 37

Iupiter ipſe eſt primus, Iupiter vltimus idem.
Iupiter ipſe caput, mediumque & cuncta Iouis ſunt.
Iupiter idem Rex cunctorum, principiumque.
Vna Poteſtas, & Deus Vnus, Ductor & Vnus.

Quæ cùm ità ſint, tandem fatetur Caluinus *l.*1.*Inſt. cap.*13.§.23. diſtinguere Diuinam eſſentiam, eſt dilacerare, & deſtruere Deum ad nihilum.

DISPVTATIO XI.

De cognitione Diuinitatis.

EGimus de quidditate Diuinæ eſſentiæ in ſe: nunc agemus de ea in ordine ad noſtram cognitionem, qua ſcilicet ratione poſſimus eam cognoſcere.

QVÆSTIO I.

Vtrum poſſit aliquis intuitiuè Deum cognoſcere.

D.Bonau in 1. d 3. q 1. & in 3. d.14 q.3.
D. Thom. q.12.art.2.

FVIT error Armenorum apud Armacanum, *l.15.q.4.* contra illos, *cap* 1. & Recentiorum Græcorum apud eundem, Deum non poſſe intuitiuè ſecundùm ſuam eſſentiam videri; ſed tantùm per quandam ſimilitudinem ab eo deriuatam. Eundem errorem S. Thom. *opuſ.* .90. *&* 100. *& in* 3.*d.*14. Prateolus in Elenco, & Alphonſ. Caſtro, *hæreſi prima*, adſcribunt Abailardo, quod ex D.Bernardo, *ep.*109.colligitur. Huic adiungit Arnaldum Brixienſem; Vaſquez tamen ait cum Suarea, D.Bernardum ab *ep.*187.*ad* 198. referre errorum Abailardi capita: hunc verò non recenſere. Quare etiam Arnaldum immunem facit. Denique eam ſententiam ſecutus eſt Almericus, tempore Innocentij III. vt idem refert Alphonſus.

Cum his infarcit Vaſquez *d.*57. aliquos ex inſignioribus Eccleſiæ Patribus; ſed immeritò, vt probant poſt D Bonau. Suarez *de Attribut. Dei neg. c.*7. Gregor. de Valentia, *q.*12. *p.*1. Tanner. *d.*2.*quæſt.*6.*dub.*1. Trigoſ. *quæſt.*7.*art.*1.*dub.*1. Caſpenſ. *tract.*2.*d.*1.*ſect.*1. Non ſatis quidem cautè, & piè Vaſquez in tam manifeſtum errorem coniicit tot Eccleſiæ Patres; neque ſatis eum excuſant Herize, *tract* 4. *de viſione Dei d.*36. *cap.*2. *&* 3. & Arriaga *d.*4 *ſect.*1.

1 Asserо Deum poſſe clarè videri. Eſt de fide, & oppoſitum vocant hæreticum, S. Bonauentura *in* 2. *d.*23. *art.*2. *quæſt.*3. & *in* 3. *loc. cit.* & D.Thom. *q.*8. *de veritate art.*1. aliique.

Probatvr à D.Bonau. præcipuè Scriptura. Primò id oſtendit ad *Pſal.*154. ex illo *ſatiabor, cùm apparuerit gloria tua.* Eundem locum vrget, *lib. de ſeptem Donis, de dono Fortitudinis cap.*3. De dono Intellectus, *cap.*7. De dono Sap. 11. In Dieta ſalut. *tit.*10. *cap.*4. *& c.*10. Et in fine illius opuſculi adducit illud Pſal.83. *Videbitur Deus deorum in Sion.* Et in Spec. B.V. in fine affert id *Matth.*18. *Angeli eorum ſemper vident faciem Patris mei, qui in cælis eſt.* Et in Medit. vitæ Chriſti, affert id *Matth.* 5. *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt.* Et in Dieta Salut. *tit.*10. *cap.*4. illud vrget 1. *Corinth.* 13. *Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate: tunc autem facie ad faciem.* Et in opuſc. de ſeptem itineribus æternit affert illud 1. *Ioan.*3. *Videbimus eum ſicuti eſt.* Ex quo, Euariſtus Papa, & Concilium Francofurd. ad Epiſcopos Hiſpaniæ, definiunt hanc veritatem: Eundem locum vrget S.Bonau. *in* 2. *d* 23. *art.*2. *quæſt.*3. vbi addit etiam id 1. Cor. *Tunc autem cognoſcam, ſicut & cognitus ſum*, vt exponit Gloſſa.

Tandem id definitum eſt in Vniuerſitate Pariſienſi, vt refert Seraphicus *in* 2.*d.*23.*art.*2. *quæſt.*3.*ad* 7. *Et in cap. Damnamus*, de fide Catholica, & in Concil. Florent. *in Decreto vnionis, & in Extrauag. Benedicti XI.* quæ incipit. *Benedictus Deus.*

Probatvr ſecundò à D.Bonau. è Patribus. Et quidem opuſc. *de* 7. *donis*, De dono *Sap. cap.*11. affert D.Auguſt.22. *de ciuit. Dei cap.*30. vbi ait. *Laudes, & carmina non deerunt. Ibi nihil quod amabitur deerit, ibi Deus ſine fine videbitur; ſine faſtidio amabitur.* Secundò, Hugonem *in cap.*7. *Dionyſ. de Angel. Hier.* vbi de mente illius ait. *Ibi ſacietas multa eſt: ſatiabor* (inquit) *cùm apparuerit gloria eius.* Tertiò, D. Bernardum ſimilia dicentem paſſim, maximè, *ſerm.*1. *de Sanctis & ſerm.*33. *in Cant. & de diligendo Deo*, vbi poſt commendatam beatitudinem, ait. *Et quando hoc erit? Quando veniam, & apparebo ante faciem Domini.* Deindè, *ſerm. de* 12. *ſtellis*, in corona illius mulieris *Apoc.*12. ait. *Duodecima ſtella eſt videre Deum, diligere ſe diligentem.* Quartò affert Richardum, *l.*4. *de contempl. cap.*14. *& l* 5.*cap.*12. vbi comparat animam beatam videntem Deum cum Regina Saba, quæ (vt habetur 3. *Reg.* 10.) videns Salomonem obſtupuit. Quintò affert D. Gregorium 22. *Moral. cap.*14. qui id probat è *Pſal.*83. *Videbitur Deus deorum in Sion.* Alios quoque Patres affert ibidem, & in *Dieta ſalut.* Hic etiam *in* 1. refert D.Auguſt.14. *de Trin. cap.*8. *& in* 3. *loc. cit.* affert. D. Gregor. 18. *Moral. cap.*37. id probantem hac ratione, quia in Deo idem eſt lumen, & eſſentia Dei, qui eſt Sol. Igitur, ſi videtur lumen; videtur quoque ipſa eſſentia Dei; alioqui, ſi videndo claritatem Dei non videmus Deum, erit illa claritas diſtincta realiter à Deo. Ergò erit aliqua ſubſtantia creata, in qua non poteſt homo beari. Hanc rationem laudat Suarez *l.*2. *cap.*7. His ferè authoritatibus vtuntur Moderni. Suarez *l.*2. *de Attrib. neg. cap.*7. Vaſquez *d.*37. Valentia *d.*1.*quæſt.*12.*p.*1. Arriaga *d.*4. *ſect.*1.

Probatvr tertiò à D.Bonau. rationibus, quæ tamen abſque fundamento fidei non cogunt, vt oſtendam 1. 2. *d.*2. *quæſt.*1. quia beatitudo ſupernaturalis lumine ſuperno oſtenditur.

Prima ratio habetur *in* 1.*d.*3.*quæſt.*1 *fund.*1. & eſt 2 D.Auguſt. *l.*14. *de Trinit. cap* 8. vbi ait. *Mens eo eſt imago Dei, quo capax Dei eſt, eiuſque particeps eſſe poteſt.* Tunc ſic argumentatur Seraphicus. Id per quod ordinatur mens in Deum, vt imago eius, debet eſſe ſecundùm id, quod ipſa præ cæteris creaturis habet, vt ſit Dei imago. Sed hoc eſt ſecundùm cognitionem perfectam, & amorem. Ergò ſecundùm perfectiſſimam cognitionem eſt capax Dei, nam capacitas Diuinæ bonitatis in ſua ſubſtantia participatæ, conuenit quoque creaturis inferioribus. Hinc ait Propheta. *Satiabor cum apparuerit gloria tua*, quia anima cùm ſit imago Dei ad eum tendit, nec quieſcit donec videat. Hoc argumentum laudat Suarez *loc. cit.* eoque vtitur etiam Tannerus *d.*2. *quæſt.*6. *dub.*1. *num.*6. Morandus *tract.*2. *q.*2. Huc reuocant ſecunda ratio D.Th.

Secvnda ratio habetur, *fund.*2. *& in corpore.* Si- 3 cut ſe habet ſimpliciter potentia ad totam latitudinem obiecti: ità ſe habet perfectiùs ad id, quod magis habet rationem obiecti, & tantò magis eſt vnibilis ei, quod participat magis naturam obiecti. At obiectum intellectus eſt Ens in tota latitudine. Ergò quod magis habet rationem entis eſt cognoſcibile. Talis eſt Deus, qui ideò à S.Auguſt. *in Solil. l.*1.*cap.*8. dicitur Lux, quaſi ſummè viſibilis intellectui, ſicut lux corporea oculo. Et Ariſtoteles 2. *Met.t.*1. vocat Deum natura manifeſtiſſimum, vt notat S. D. *d.*3. *p.*1. *q.*2. *ad* 1. Confirmatur. Potentiæ paſſiuæ ſemper reſpondet

potentia

potentia actiua in aliquo genere, & ordine. Sed Deus habet potentiam, vt videatur abſolutè, & non ſolùm à ſe: Ergò. Hanc rationem adhibet Suarez, loco cit.

Reſpondet. Arriaga ſupra, licèt abſtractiuè Deus ſit obiectum intellectus; non eſt tamen, vt intuitiuè cognoſcatur; alioqui poſſet & comprehendi.

Verum argumentum viget, de cognitione perfectiſſima, iuuante enim aliquo lumine, cognitio intuitiua eſt gradus debitus potentiæ cognitiuæ expeditæ, vt notat S.D. *loc.cit.* at verò comprehenſio obiecti infiniti, eo ipſo dicit incommenſurationem potentiæ; vnde non eſt ſimile.

Aduerte, Ens in tota ſua latitudine eſſe obiectum intellectus; ità tamen, vt ad naturale naturaliter: ad ſupernaturale ſupernaturaliter tendat, ità vt, quia intellectus eſt in potentia, etiam ad ens ſupernaturale, egeat quoque medio ſupernaturali eleuante & confortante. Sicut oculi Noctuæ obiectum eſt omnis color, omniſque lux; attamen eget confortari, vt in Solem oculos defigat, vt notat Nazarius, *controu.* 1. *hic*; & hoc docet Seraphicus D. *in corpore.*

4 Tertia ratio eſt. Obiectum proprium per ſe præſens eſt aptum, vt cognoſcatur perfectiùs, quàm obiectum præſens per ſimilitudinem, & vt ait D. Auguſt. veriùs dicitur cognoſci. At Deus eſt obiectum proprium intellectus, & præſens per ſe. Ergo aptior, vt videatur.

Quarta ratio. Sicut ſe habet ſumma Bonitas ad dilectionem; ſic ſumma Veritas ad cognitionem. Sed ſumma Bonitas eſt ſummè amabilis ab affectu. Ergo, & ſumma Veritas eſt ſummè cognoſcibilis ab intellectu.

5 Quinta ratio habetur *hic.* Et *in* 1.*d.*23. *art.*2.*q* 3. *arg.*5. Vnumquodque efficacius poteſt in illud obiectum, ad quod habet naturaliter appetitum. Sed intellectus habet naturalem appetitum ad videndum Deum. Ergo. Ma. patet *ex* 1. *cœli t.* 50. *&* 59. vbi habetur. *Natura nihil otioſum operatur.* Mi: probatur. Homo naturaliter ordinatur ad beatitudinem, eamque appetit veram in genere, vt oſtendam, *p.*2. *d.*2. *quæſt.*1. Sed hæc conſiſtit in viſione, & amore Dei. Ergo. Hæc ratio eſt etiam D.Thom. imò D. Gregorij 18. *Moral. c.*38. vbi ex illo 1. *Petri cap.*1. *In quem deſiderant Angeli proſpicere*: arguit. Si deſiderant. Ergo poſſunt videre.

Contra hanc rationem inſurgit Scotus, quia non ſatis conſtat, ineſſe hunc appetitum naturalem videndi Deum.

6 Probatur autem, ineſſe, quia in eſt omnibus. Ergò eſt naturalis. Eſt argumentum D.Auguſt. vt notat Vaſq. *p.*2. *poſt art.*8. *quæſt.*5. D. Thom. Antec. eſt D.Auguſt. Boëtij, & Ariſtotelis: mox adducendorum. Confirmatur, quia ſi non eſſet hic appetitus naturalis; ſed liber, poſſet aliquis appetere oppoſitum, id eſt ſummam miſeriam, contra D. Auguſt. *l.* 3. *de lib. arb. cap.*7. *&* 8. Hoc argumento vtuntur Vaſq. *hic ad art.* D.Thom. Valentia, *d.*1. *quæſt.*12. *p.*1. Becan. *cap.*9.*quæſt.*1.

Confirmatur à D.Bonau. ibi ex Boëtio *l.* 3. *de conſol. proſa* 2. *Inſerta eſt mentibus hominum veri boni cupiditas*; & ex Ariſtotele: 3. *Eth. cap.* 1. Sed de hoc, *p.*2.*d.*1.*ſect.*1. *quæſt.vlt.*

7 Contra hanc rationem inſurgit Arriaga, *d.*4.*ſect.*1. cum Suar. *loc. cit. num.*10. vbi ſupponunt, D.Thomam non loqui de appetitu innato, qui eſt merum naturæ pondus; ſed de elicito, quo appetitus tendit ad videndum Deum, ſuppoſita cognitione. Tunc ſic. Appetitus elicitus poteſt ferri in impoſſibile, ſi tamen apprehendatur vt poſſibile; appetitus enim non dirigitur ab obiecto vt ſic; ſed vt repræſentato per intellectum. Si dicas cum Vaſq. appetitum eſſe neceſſarium, quò ad ſpecificationem, quia non poteſt aliquis odiiſſe beatitudinem, vt ait D. Auguſt. contra Iulianum, *l.*4.*cap.*3. Et nos dicemus, *tract. cit. d.*6. *quæſt.*6. Sic autem non ferri in impoſſibilia; quia; vt ait D.Auguſt. ibi: *Neque omnes homines, naturali inſtinctu, immortales, & beati eſſe vellemus, niſi eſſe poſſemus.*

Contra arguit Suarez, quia ſunt multa bona, quæ 8
cognita, nequeunt odio haberi, & poſſunt naturaliter deſiderari; non tamen efficaciter. Ideò ex illo appetitu non poſſunt probari, eſſe poſſibilia, vt de vnione Hypoſtatica. Ideò ille appetitus poteſt eſſe fruſtra; nec mirum, quia non eſt datus à natura per ſe, ſed ex generali affectu boni, quaſi per diſcurſum, & applicationem talis modi interdum naſcitur. Accedit, quod non conſtat, hominem eſſe capacem alicuius beatitudinis, (vt ait Ariſtoteles:) humanæ: id eſt modo naturæ imperfectæ accomodato.

Instat etiam Arriaga, quia ſi aliquis apprehen- 9
deret beatitudinem in aliquo poſſibili, concepto vt poſſibili, ferretur in illud, quia appetitus fertur in obiectum præcisè, vt apprehenſum. Secundò, quia hi, qui potiùs eligerent ſemper frui terrenis, quàm beatitudinem conſequi, odio haberent beatitudinem: Tertiò, quia fortè circa rem conceptam, vt impoſſibilem, poteſt eſſe neceſſaria complacentia ſecundùm ſpeciem. Profectò difficultatem parit hoc argumentum, vt notant etiam Tannerus, & Morandus.

Respondetur, appetitum quomodocumque, 10
non ferri circa impoſſibilia, & quidem de obiecto deliberato eſt ſententia Ariſtotelis: 3.*Eth. cap.*5. vt latè oſtendetur, *tract. de Angelis d.*7.*quæſt.*3. Sed nos alia via debemus incedere, magis tuta. Nam *p.*2. *tract.*1.*d.*2.*q.*22. dicemus, appetitum videndi Deum eſſe naturalem remotè, pro vt dicit in natura humana capacitatem; proximè verò oriri ex cognitione ſupernaturali, ſuppoſito appetitu naturali beatitudinis, in communi orto è natura, eique inſito, ac perfectiori in ordine eleuato è cognitione Dei, vt principio, & fine naturaliter cognito, quod agnoſcitur ſummum bonum, vt oſtendimus, *d.*1.*quæſt.*4. & *d.*10. *quæſt.*2. Iam verò appetitus eſt naturalis ad beatitudinem in communi, & ad fruendum Deo, vt principio naturæ, quoad ſpecificationem actus; & quamuis ad alia bona contingentia etiam impoſſibilia credita poſſibilia, poſſit eſſe aliqua complacentia; eſto & deliberatio; attamen in hoc genere boni non eſt periculum, quia appetitus naturalis eſt remotum ſolidum fundamentum, addita verò naturalis Principij, & Finis Summi Boni Dei cognitione, non eſt periculum deceptionis, cum adſit fundamentum naturæ. Ex quo fit, vt appetitus iſte poſſibilem inferat talem fruitionem, quæ cognitione nititur intuitiua. Quòd verò de vnione Hypoſtatica refricat Suarez, non obeſt, imò eſt ad rem, quia vnio hypoſtatica eſt ſupernaturaliter poſſibilis, ſicuti ſupernaturali lumine appetitur. Quoad appetitum verò, fide ſuperna excitatum, ad beatitatem optandam profectò ſupponit, eam poſſibilem. Ideò dixi; ſine fidei lumine, non poſſe Dei viſionem oſtendi poſſibilem, vt aduertit etiam Morandus, *tract.*2. *quæſt.*1. inferens, Scoti rationes inualidas, vt notant etiam Suarez, *l.*2.*de attr.cap.*7. Amicus, *d.* 9. *ſect* 2. Faſolus, aliique contra Recup. & Smiſingh.

Verum enim verò, quia Vaſquez plurimis è San- 11
ctis Eccleſiæ laureatis, & quidem inſontibus, errorem iam exploſum conatur inurere, nempè Chryſoſtomo, Hieronymo, Primaſio, Ambroſio, Iſidoro, Epiphanio, vtrique Cyrillo Alexandrino, & Hieroſolymitano, Baſilio, & Gregor. Nyſſ. admo-

neatur primò, ſatius factutum fuiſſe, ſi Angelicum, & Seraphicum imitatus tantorum Patrum ſententias pie interpretatus fuiſſet, cùm incredibile ſit, tot, tantoſque Patres tam miſerè lapſos, eorumque dictis eadem aptetur expoſitio, quam ipſe Scripturis aptauit; vt optimè monet Ioannes Salas *p.2.quæſt.3.tract.1.d.4.ſect.* 1. Nauaretus, *controu.* 33. §. 1. Raphaël Ripa Epiſcopus Curzulenſis ad hunc *art. D. Thomæ dub.*2. Naxar. ibi: *controu. vlt. ad calcem*, Vtinenſ. *tract.*2. *quæſt.*8.*art.*1. Morand. *num.*133. Smiſingh.*t.*2.*d.*6.*q.*3.*num.*42. Illorum ſanè effata cum S.Bonau. leniter optimam ad frugem euocabo.

Advertit igitur Seraphicus *in* 3.*ſent.loc.cit.* quem imitantur Caſpenſ. *tract.*2 *d.*1. *ſect.*1.*num.*8. Valentia, Suar. & alij ſupra, authoritates negantes, poſſe Deum videri, quatuor modis poſſe explicari. Aliquæ enim aſtruunt, non poſſe id nudis naturæ viribus obtineri, vt illa Pauli 1.*Tim.*6. *Quem nullus hominum videre poteſt. Regi ſæculorum inuiſibili.* Ità explicat Epiphanius, *hær.*40. & Ambr. *ad* 1. *Lucæ*, relati à Valentia. ſic & Gloſſa, à Seraphico relata. Secundò aliæ intelligunt, non poſſe Deum videri in ſtatu viæ, vt via eſt. Vnde ad illud allegatum. *Quem nullus hominum videre poteſt*, poſtillat Gloſſa. *Poterit autem aliquando*; ſic intelligitur id *Exod.*3. *Non videbit me homo, & viuet.* Ità D.Gregor. *loc. cit. Moral.* Tertiò aliquæ intendunt, non poſſe Deum videri ità, vt comprehendatur. Sic D.Gregor. *loc.cit.* & Gloſſa ad illum Iob.11. *Forſitan veſtigia Dei comprehendes?* Ità Seraphicus *in* 1.*d.*3. *loc. cit.* exponit cum D. Thom. D.Dionyſium *cap.*5.*de diu.nom.* Sic intelligendus etiam D.Hieronymus *Iſai* 1. & *epiſt.*15. & S Chryſoſt. *homil.*14. ſuper Ioan. qui præ cæteris errasse carpitur; diſputabat enim contra Anomæos dicentes, Deum poſſe comprehendi. Quomodo autem non valeat comprehendi, dicam, *quæſt.*26.

Quartò, aliæ explicantur ſic. Non poſſe videri ſubſtantiam, id eſt rationem ſubſtantiæ. Ità Gloſſa ad id *Rom.*1. *Quod notum eſt Dei, Ratio ſubſtantiæ latet omnem creaturam.* Hoc modo, Trinitas dicitur ſibi ſoli nota, vt loquitur D. Auguſt. *in q.q. de Trin.* Hoc pacto intelligitur id 1. *Ioan.* 4. *Deum nemo vidit vnquam.* Et quod ait hic Chriſoſt. *homil.*14. *cit. Solus Filius eum vidit, & Spiritus Sanctus; quæ autem creabilis eſt natura, quare videre poteſt increabilem?* Idem vult, *homil.* 3. & 4. *de incomprehenſibili natura Dei*, non poſſe Angelos cognoſcere Deum exquiſita ratione, cognitione integra. Et *homil. cit. in Ioan.* cùm dixiſſet, neminem videre Patrem, niſi Filium, ſubdens, *qui certa ratione viſum, & comprehenſionem habet.* Et ſic inferre viſus, Angelos incepiſſe videre Deum humanæ naturæ vnitum, quia naturam illam comprehendere poſſunt; non verò diuinam. Eodem modo de cognitione comprehenſiua explicat Chryſoſt. & alios Patres S.Bonau. *in* 2.*d.*23. *art.*2.*q.*3. cuius fundamenta tangit Ribas, *tract.*3.*d.*1. *cap.*2.

12 Aduertit verò Suar. è D.Bonau. 2. *d.*33. *art.*3. *q.*1. *ad* 1. vt vidimus, *d.*3. *quæſt.*8. Sanctos, cùm diſputarent cum hæreticis in extremo poſitis, ad aliud extremum declinaſſe; & ità, cùm Chryſoſt. altercaretur cum Anomæis, qui gloriabantur poſſe, Deum à creatura comprehendi in hac vita, ad aliud extremum videtur declinare.

Obiicies primò. Infinitum non poteſt à finito attingi. Deus eſt infinitus. Ergo non poteſt ab intellectu finito attingi: Ma. probatur *ex* 3. *de anima*, *t.*35. vbi habetur, requiri proportionem inter intellectum, & obiectum.

13 Reſpondet S.Bonau. Infinitum non poſſe attingi à finito in ratione entis, & perfectionis, neque comprehendi etiam cognitione; poſſe tamen attingi in ratione obiecti apprehenſiuè. Deus igitur, cùm ſit ens, & obiectum intellectus, poteſt ab eo apprehendi; vnde poteſt fieri aſſimilatiu apprehenſiua. Sic reſpondent etiam Valentia, Suarez, &c.

Diſplicet tamen illatio Valentiæ. Si hæc improportio entitatiua obſtaret, neque Deus poſſet intelligere creaturam. Sanè, quod eſt maius abſorbet minus; non verò è contra.

Addit verò Seraphicus *in* 2.*d.*3.*p.*2. *art.* 2. *quæſt* 1. *arg.* 2. *ad opp.* improportionem omnem obſtantem auferri à Deo per condeſcenſionem ipſius Dei. Et *in* 3. *d.*14. *art.*1. *q.* 3. docet, non proportionari omninò per medium creatum.

Inſtabis. Perfectior cognitio eſt circa obiectum perfectiùs. Sed Deus eſt obiectum infinitè perfectum: Ergo. 14

Reſpondet Herice *loc.cit. n.*68. actum non creſcere mathematicè ex perfectione obiecti, poteſt enim obiectum perfectius ab imperfectiori potentia, ipſoque actu imperfectiùs cognoſci. Addit verò, creſcere cognitionem perfectionis ex perfectione obiecti Geometricè, reddit rationem, quia augmentum Mathematicum eſt ſolùm inter res quantas, cæteris paribus. Contra nam etiam gradus intenſionis rerum ſpiritualium poſſunt illud habere in ordine ad noſtram conſiderationem.

Deinde, licèt non creſcat Mathematicè, tamen poteſt creſcere in infinitum.

Reſpondet verò Arriaga, *ſect.* 3. non debere eſſe cognitionem infinitè perfectam, quia includit in ſeipſa imperfectiones; eſſe tamen aliqualiter infinitam.

Contra tamen, quia adhuc non ſoluitur, quin creſcat in infinitum.

Reſpondetur ergo ex D. Bonau. *locis cit. ad arg.* hanc. proportionem Geometricam non eſſe conuenientiæ; ſed intentionalis aſſimilationis, quæ finita poteſt eſſe; ſicut res infinita, vt Deus poteſt habere imaginem finitam. Igitur cognitio non debet creſcere in infinitum ad obiecti cogniti augmentum, quia actus non ſequitur obiectum, ſecundùm rationem infiniti formaliter, cuius ſignum eſt, quod non comprehendit; ſed in ratione apprehenſibilitatis, quæ ſub ratione obiecti finitæ potentiæ continetur; nam res recipitur ad modum recipientis, vt notat Alenſ. *q* 2. *m.* 1. *art.* 1. *ad* 3. Addo, actum eſſe poſſe perfectiorem circa obiectum vile, puta muſcam comprehenſam, quàm circa Angelum, de quo aliquid vix lectum fuiſſet. 15

Obiicies ſecundò. Magis diſtat Deus ab intellectiua potentia, quàm quodlibet creatum intelligibile, puta Angelus, vel anima à ſenſu, puta oculo. At oculus non poteſt videre Angelum. Ergo neque intellectus Deum. Hoc argumentum ſumitur à proportione potentiæ cum obiecto ad cognitionem neceſſariâ.

Reſpondet Seraphicus loc.cit. & alij magis diſtare in ratione entis, quod eſt potentiæ materiale obiectum; at in ratione obiecti formalis magis diſtat potentia ſenſitiua ab obiecto immateriali, quàm intellectus à Deo; quia intellectus habet pro obiecto ens in tota latitudine, modo ſupradicto; at oculus, V.G. ſolùm id, quod eſt viſibile. Ex quo fit, neque per Dei potentiam oculum manentem in ſuo eſſe eleuari poſſe ad Dei viſionem. Intellectus verò proportionatur omni Enti. 16

Inſtat Arriaga, *ſect.* 6. quia argumentum probat diſtantiam in genere obiecti ex diſtantia in genere entis, quia ſicut res ſe habet ad eſſe; ità & ad cognoſci, vt obiicit Trigos:

Reſpondetur, non probare diſtantiam obiecti ex diſtantia in genere entis ſimpliciter, vt creſcit perfectione

ctione

ctione in infinitum. Sed vt eſt ſpirituale intelligibile, atque adeò proportionatum intellectui; non ſenſui. In hoc verò conueniunt creatura ſpiritualis, & Deus, ac proinde intelligi poſſunt, vtpotè ſub obiecto intellectus; at verò oculus in ratione potentiæ, & obiecti opponitur Angelo, quia obiectum oculi eſt ſolum ſenſibile viſibile; Angelus verò incorporeus ad ens omne etiam ſpirituale extenditur. Quod aduertit Faſolus, *art. 1. dub. 8. n. 46.*

Instat Arriaga. Angelus, & oculus ſunt ſub eodem genere creaturæ; non ſic Deus, & intellectus creatus.

17 Respondetvr iterum, non eſſe menſurandas creaturas, vt ſunt entia per participationem Dei; ſed vt tali ordine participant, nempè in ſpiritualitate, & in ratione potentiæ cognitiuæ, ratione cuius, Angelus, & homo Deum imitari, quippè Imagines eius, habent obiectum ſuum omne ens, & ad ipſum Deum videndum ordinantur, vt dixit S. Bonau. *in 3. loc. cit. ad 3.* & Becanus *cap. 9. q. 1.*

Itaque cùm dicitur. Sicut ſe habet res ad eſſe; ita ad cognoſci. Reſpondetur verùm eſſe de ente, vt fundat cognoſcibilitatem, ſeu vt eſt obiectum formaliter, & in hoc ſenſu, ſumpto ente, magis diſtant oculus, & intellectus creatus, quàm intellectus creatus à Deo, vt notat Trigoſius, *quæſt. 7. art. 1. d. 1.* è fundamento Seraphici *in 3. loc. cit. ad 5.*

Ens verò in ratione perfectionis maiorem dicet diſtantiam creaturæ à Deo; ſed hoc in ordine ad cognitionem eſt nimis materiale, quia proportio ad cognitionem requiſita eſt aſſimilationis, non ſecundùm eſſe entis; alioqui Angelus non poſſet intelligere corpus; ſed in ratione potentiæ, & obiecti, in quo ordine, Deus intellectui immateriali proportionatur. Sic reſpondet etiam D. Thom. *1. d. 3. q. 1. art. 1. ad 2.*

Obiicies tertiò. Ad cognitionem neceſſaria eſt vnio obiecti cum potentia ita, vt obiectum in potentia recipiatur. At Deus eſt infinitus. Ergo non poteſt recipi in intellectu finito.

18 Reſpondet D. Bonau. infinitum in quantitate non poſſe capi in finito, quia commenſuratione nititur ſecundùm extenſionem; at infinitum ſimplex virtutis poteſt capi totum; non tamen totaliter. Cognitio præterea non fit per receptionem materialem, alioqui neque cælum poſſet in intellectu recipi, neque in oculo; ſed fit per aſſimilationem intentionalem, vt ait S. Bonau. *in 3. loc. cit. ad 4.*

Obiicies quartò. Ad cognitionem perfectiſſimam, neceſſe eſt, cognoſcentem ferre de cognito iudicium, & ideò poſſe ſuper obiectum. At intellectus non poteſt ſuper Deum. Ergo.

19 Reſpondet S. Bonau. iudicium, quod conuenit cognoſcenti, eſſe iudicare. An ſit verum; non autem iudicium approbatiuum, & reprobatiuum. Addit verò *in 3. loc. cit. ad 6.* animam in cognoſcendo Deum plus ſe habere ſuſcipiendo, quàm agendo. Ideò cùm Deum intelligit, non agit in Deum; ſed Deus influit in animam, in qua influentia Deus condeſcendit per gratiam, & reddit Deiformem, & ipſa Deiformitas eſt diſpoſitio reddens oculum animæ aptum ad Deum videndum; non quia faciat proportionabilem quantitatem, quia ſemper illud lumen excedit in infinitum; ſed quia facit proportionabilem qualitatem, quia datur animæ ipſi aliquid, vtpotè ſimilitudo cum Deo. Et ſi obiicias, cognitionem incipere quidem à paſſione, vt ait Ariſtoteles *5. met. t. 17. & 3. de anima t. 12. & 18.* vbi ait: *Intelligere eſt quoddam pati*, tamen compleri in actione, cùm ad viſionem duo concurrant, receptio, & iudicium; at in Deum nemo poteſt agere, neque de eo iudicare, vt ait D. Auguſt. *lib. de vera religione.* Reſpondet Seraphicus D. actionem, quæ ad cognitionem concurrit, non eſſe influxum aliquem realem in obiectum; ſed ſolùm per quandam cognitiuam protenſionem. Vide S. Doctorem ibi. Sanè oculus protenditur ad cælum, & videt illud, etſi immenſum.

Obiicies quintò. Virtus productiua rei infinitæ, eſt infinita. Ergo & cognoſcitiua rei infinitæ, erit infinita. Probatur Conſeq. quia cognitio eſt perfectior productione. Sic productione caloris perfectior eſt cognitio eius.

Reſpondet Arriaga *ſect. 4.* ex D. Bonau. *in 3. d. 14.* 20
art. 3. q. vlt. ad arg. poſſe producere, eſſe maioris virtutis, quia dicit virtutem actiuam continentem in ſe effectum ſecundùm eſſe realem; at ſcire dicit aliquid receptum ad modum recipientis. Quod dicitur de calore; Reſpondetur, per accidens, ratione imperfectionis caloris, eſſe perfectius intelligere calorem, quàm illum producere. Fateor, intelligere calorem, eſſe perfectius in actus graduatione, quatenus debet eſſe potentiæ nobilioris. Vnde, ſi detur paritas, eſt nobilius producere, v. g. Angelum, quàm eum cognoſcere.

Obiicies ſextò. Non poteſt Angelus, vel homo naturaliter videre Deum. Ergo neque ſupernaturaliter. Probatur Conſeq. quia nulla potentia poteſt exire extra ſuum obiectum v. g. auditus non poteſt eleuari ad percipiendum calorem.

Reſpondet Arriaga, *ſect. 5.* è D. Bonau. *1. loc. cit.* negari conſeq. Ad probationem negatur antecedens, neque eſt ſimile: nam potentia ſenſitiua non extenditur ad obiectum intellectiuæ, neque ad obiectum alterius ſenſitiuæ: at intellectus habet pro obiecto totum Ens.

Contra arguit Arriaga, quia licèt intellectus tendat naturaliter in ens; non tamen tendit in Entis omnis viſionem. Ergo in ordine ad viſionem non eſt obiectum naturale.

Reſpondet S. Bonau. ibidem, in corpore, viſionem 21
eſſe modum quidem cognitionis excedentem potentiæ modum; non autem eſſe extra obiectum, imò modum obiecti præcellentem, ad quem neceſſarium eſt lumen confortans; ſicuti Lux eſt obiectum oculi noctuæ; & tamen eget confortari, vt illam intueatur, & nos ipſi lædimur; Et ideò egemus medio confortante, puta inſpiciliis, vel tubo optico. Igitur Deus non eſt quoad ſubſtantiam extra obiectum intellectus; ſed tantùm quoad modum. Cùm igitur intellectus eleuatur ad videndum Deum, non extrahitur extra proprium obiectum; ſed ſolùm ad illud perfectiùs attingendum, at verò auditus ad calorem extrahitur ſubſtantialiter, quia obiectum ei præſcriptum eſt tantum ſonus. Hanc dicit Arriaga eſſe communem probabilem ſolutionem.

Instat tamen. Poteſt dari aliquis, cui repugnet viſio Dei, licèt conueniat cognitio Dei abſtractiua; ſicuti ſenſui repugnat abſtractiua; licèt conueniat intuitiua. Ergo malè infertur, intellectum potentem cognoſcere Deum abſtractiuè, poſſe eleuari etiam ad eum intuitiuè cognoſcendum.

Respondetvr facilè è D. Bonau. *loc. cit.* neg. 22
antecedens. Nam cognitio intuitiua intellectiua eſt in eodem ordine, atque abſtractiua, quo fit, vt intellectus habeat naturalem cognitionem intuitiuam, & abſtractiuam ſimul multorum obiectorum. Quòd verò egeat confortari ad viſionem Dei, euenit ex perfectione obiecti, ſub eo modo attingendi, non variata ſubſtantia obiecti, vel cognitionis immaterialis; at cognitio abſtractiua intellectiua eſt ſubſtantialiter præſtantior intuitiua ſenſitiua. Ideò repugnat ſenſui,

ſenſui, tametſi habenti intuitiuam in ſuo ordine ſenſationis.

Obiicies vlt. Deus eſt obiectum voluntatis; & tamen voluntas non poteſt eleuari ad videndum Deum, quia cognitio eſt modus diuerſus tendendi in obiectum. Ergo modus variat poſſibilitatem.

Reſpondetur, latum eſſe diſcrimen, quia voluntas non habet pro actu cognitionem aliquam. Vnde non deficit in modo; ſed in ratione formali obiecti, quæ eſt ſubſtantia, & eſſentia obiecti. Quare hæ duæ obiectiones, quas Arriaga difficiles clamat, faciles ſunt.

Scotus *in 4.d.49.quæſt.*8. putans colliſam rationem D.Bonau. & D.Thom. ſic gloriatur oſtendere naturali ratione, poſſe viſionem Dei attingi. Perfectio ſimpliciter ſimplex poſſibilis in potentia inferiori poteſt eſſe in potentia ſuperiori. At cognitio intuitiua eſt perfectio ſimpliciter ſimplex, & reperitur in potentia inferiori, id eſt in oculo. Ergo poteſt dari in potentia ſuperiori, id eſt Intellectu.

23 Hæc ratio paralyſi laborat, aliiſque infirmitatibus. Primò quidem, falſam eſſe maiorem oſtendo; nam incorruptibilitas eſt perfectio ſimpliciter ſimplex, & reperitur in cælis; non in homine, qui eſt nobilior. Deinde, eſto, cognitio intuitiua conueniat intellectui, non tamen ei conuenit naturaliter viſio Dei; alioqui deducere potes, intellectum naturalibus viribus eſſe capacem viſionis Dei; ſicut oculus viribus naturalibus eſt capax videndi colorem. Probatur Seq. quia quod competit potentiæ inferiori per ſe, conuenit quoque ſuperiori; Sic reſpondet etiam Ludouicus de Ribas, *tract.3.d.1.cap.3.*

Altera Scoti ratio eſt. Omnis potentia poteſt tendere in totum ſuum obiectum adæquatum; obiectum autem adæquatum intellectus eſt Ens, ſub quo eſt etiam Deus. Sed hæc ratio cum SS. DD. ſupra examinata eſt.

Quare, vt notat Suarez loc.cit. Caſpenſis *tract.*2. *d.*1. *ſect.*6. aliique. Scotus non ſatis probat, neque hoc probari poteſt, præciſo lumine ſupernaturali, vt dixi, & oſtendam etiam *p.2. tract.1.d.2.q.*1. Cæteras interim rationes ſoluit Ribas, loc.cit.

Asserro ſecundò, Angelos, & Sanctos in cælo videre Deum. Eſt de fide, vt oſtendi Scripturis, & hoc oſtendetur, *p.2. tract.1.d.2. quæſt.*19. vbi de beatitate agetur, vt eſt actus beati.

QVÆSTIO II.

An Deus videatur à Beatis, media ſpecie impreſſa.

IAm vidimus errorem dicentium, Deum non videri clarè in eſſentia, ſed in quadam ſimilitudine, ſeu imagine, vel Theophania; nunc quæritur. An Diuina eſſentia, in ſe videatur immediatè per aliquam ſpeciem abſtractam, quæ dicitur ſubiectiua; & ſit principium, quo videtur Deus. De ſpeciebus autem agam, *tract.9.d.4. à quæſt.7.*

Vasqvez *d.45. cap.7.* vult, Lumen gloriæ eſſe ſpeciem, ſeu ſimilitudinem impreſſam, qua Deus videtur. Sed eum refellam, *quæſt.* 11. Interim impugno, quia Lumen non repræſentat Diuinam eſſentiam, ſed intellectum confortat ad ſupereminens illud obiectum intuendum; non ſecus ac lumen adiuuat oculum ad videndos colores; neque tamen id eſt ſpecies, vel ſimilitudo colorum.

24 Scotvs *in 2.d.3. quæſt.9. §. Ad quæſtionem*, docet, de facto dari in Angelis ſpeciem Dei abſtractiuam, quæ Deum diſtinctè, & quidditatiuè repræſentat in cognitione tantùm abſtractiua. Eum ſequuntur omnes Expoſitores ibi, Tartaretus, Lichetus, Gratian. Brixienſis: Rada verò, *controu.* 10. *p.*1. *art.*1. Vulpes *tom.1. p.1. d.23. art.5.* Gallus *in 3.d.14. præl ud.4.d.1.* De obiecto primario beatæ viſionis *ſect.2.cap.3.* & alij Scotiſtæ paſſim, quos allegat, & ſequitur Maſtrius è Meldula, *tom.1.diſp.6.q.1.*

Hanc autem ſpeciem, cùm ſit perfecta quidditatiue, aſſerit Scotus conſequenter repræſentare & Dei exiſtentiam, quæ eſt de quidditate Dei; eam tamen non eſſe intuitiuam, quia non terminatur ad rem exiſtentem, atque præſentem in propria ſpecie; ſed terminatur ad obiectum exiſtens in ſpecie, quæ de natura ſua repræſentat rem, ſiue à parte rei exiſtat, ſiue non. Et ideò non dicitur rei exiſtentis, vt exiſtentia reduplicatiuè, qualis eſt intuitiua. Vnde exiſtentia obiecti non eſt ratio mouens intellectum ad cognitionem.

Ex quo deducit Meldula, *art.1. num.* 3. deceptos Suarez, *d.30. Met. ſect.11.num.*21. Faſolum *quæſt.*12. *art.2. dub.10.n.*36. & alios dicentes, Scotum velle, eam ſpeciem repræſentare Deum, non vt exiſtentem; ſed vt abſtrahentem ab omni exiſtentia actuali. Ideò deceptus eſt ipſe, nam, cùm hæc ſpecies ſit intrinſecè quidditatiua adæquata Dei perfectionum omnium formaliter, debet intrinſecè repræſentare etiam exiſtentiam, quæ eſt de quidditate Dei, & vt ratione motiua, etiam ità eſſe principium cognitionis intuitiuæ, eſto ſpecies rerum creatarum quidditatiuæ abſtrahant ab exiſtentia, quæ non eſt de ratione eſſentiæ, ſicut eſt in Deo. Quare, ſi eſt merè abſtractiua, more aliarum, debet præſcindere ab exiſtentia, vt inferunt allegati, & Tannerus, *d. 2. q.6. dub.2. n.*16. Quòd enim cognitio intuitiua ſit etiam per ſpeciem, patet in oculo vidente colores, & hanc cognitionem ipſemet Scotus fatetur aliàs intuitiuam, vt benè obſeruant Vtinenſ. *tract.2. de Deo, quæſt.6. art.4.* & Galitius, *l.2. Dial. tract.2.cap.4.* Dari verò ſpeciem abſtractam cauſantem viſionem Dei, tenent Luſitanus, *tom.2. l.8.q.4. art.2.* §.3. Herize *p.1.tract.4.d.4.cap.3.* Smiſingh. *tom.1. tract.2. d.6.q.1.* Ouandus, 4. *d.45. prop.*10. Gallus *d.* 1. *ſect.* 3. adducens Vulpem, *p.1. tom.1. d.19.art.3.* qui tamen, *d.13. art.5. concl.2.* docet oppoſitum. Pro hac opinione ſunt multi, vt referunt Suarez, *l.2.cap.12.* Zumel. *quæſt.12.art.2.* Quare, hanc ſententiam eſſe ſingularem Vaſquis, immeritò ait Tannerus, *d.2.quæſt.6. dub.2.n.5.* vt notat Ribas, *T.3. d.5.cap.4.* addens aliis Ægid. à Præſentatione, *l.8.p.2. quæſt.3.*

Oppositam tamen ſententiam, nempè non dari ſpeciem impreſſam demonſtrantem Deum clarè, tuentur cum D.Bonau. *in 1.d.3. p.1.quæſt.1. ad vlt.* & *in 3. d.14. quæſt.3.* D.Thom. *q.12. art.2.* Alenſ. *p.1.quæſt.7. m.2.* & *2.p.quæſt.24. m.1.* Henric. *Quodl.3.quæſt.1.* & *quodl.4. quæſt.7.* & *in Sum. art.33. quæſt.* 2. Ægid. *in caſtig. art.1.* Durand. *in 4. d.49. quæſt.2. à n.* 13. Argent. *quæſt.2.art.2.* Palud. *quæſt.1.art.2.* Capreol. *q.* 5. *art.1.* Scotus *quæſt.2.art.3.* Marſil. *in 3.q.10.art.2.* Ferrar. 3.*cont. G. c.* 49. Caiet. Bannes, Zumel, Nazar. Gonzal. & alij omnes Thomiſtæ *ad art.2. quæſt.* 12. Valentia, *quæſt.12.p.1.* Faſol. *q.12.d.8.* Molina *art.2. d.1.* Suar. *l.1.cap.12.* Morand. *tract.2.quæſt.6.* referens Recupitum, Arriagam, & alios; nec diſſentit Aureolus, *quodl.18.q.1.* tametſi in contrarium adductus à Capreolo, *art.2.* vt refert Tannerus, *d.2. q.6. dub.2.* Ribas *loc.cit.* Salas *t.1.p.2.d.5.ſect.2.*

26 Qvo ad Scoticam ſpeciem verò, cauſantem in Angelis cognitionem abſtractiuam, eam negant non ſolùm omnes Thomiſtæ, ſed etiam omnes Theologi

Societatis

Societatis Ieſu, & ſupra allegati, qui vrgent, viſionem beatam à tali ſpecie cauſandam, contra Scotum loc. cit. & aſſeclas, qui fundamentis ſuis inſiſtunt, ſpeciem impreſſam Dei aſſertam cauſare cognitionem non intuitiuam; ſed ſolam abſtractiuam, ſiue quia exiſtentia non ſit Deo quidditatiua, quibus fauet Salas, *p.2. T.2. d.3. ſect. 7.* volens; non exiſtentiam, ſed ſolam neceſſitatem exiſtendi eſſe Deo eſſentiam, quod repuli, *d.1.* ſiue quia, eſto formalis, non videtur facialiter tali ſpecie, de quo infra.

ASSERO primò, non dari ſpeciem illam Scoticam quidditatiuam repræſentantem ſolùm abſtractiuè Deum.

27 PROBATVR ratione dicta, dum retuli opinionem Scoti. Eſt autem demonſtratio, vt notat Faſolus *dub.*16. & arguit de ſolo Deo, cui ſoli eſſentialis eſt exiſtentia, vt communiter fatentur etiam Scotiſtæ apud Maſtrium *d.6.quæſt.*1.*num.*51. formo autem argumentum ſic. Illa ſpecies, quæ repræſentat Deum diſtinctè, & quidditatiuè, repræſentat eum non minùs actu exiſtentem, atque præſentem, quàm ens infinitum, & Deum: nam exiſtentia non minùs quidditatiua eſt Deo, quàm eſſentia, etiam apud Scotiſtas. Similiter non minùs, quàm immenſum, præſentem, æternum; quæ attributa eſſe formaliter Deitatem oſtendi, *d.3. quæſt* 8. Sed hæc eſt cognitio intuitiua, non abſtractiua. Ergo.

Reſpondet Meldula, incertam eſſe maiorem: quò ad attributa verò, falſam; quia non ſunt de conceptu quidditatiuo Dei, ſed his admiſſis, adhuc dicit manere eam eſſe maiorem, quia ad cognitionem intuitiuam, non ſufficit hæc omnia repræſentare; ſed requiritur, vt repræſentetur præſentia, ſub ratione formali exiſtentiæ, & præſentiæ, ſeu vt conditiones mouentes, & terminantes, ità vt ab obiecto, prædicto modo inſpecto, cauſetur, & ad ipſum terminetur immediatè.

Verùm hic author ambulat ſemipes, negando cognitionem per ſpeciem eſſe intuitiuam, quod vt ſupra retuli, ab eis conceſſum; & oculis expoſitum patet.

28 QVOAD reliqua, probo, eam ſpeciem repræſentare reduplicatiuè, vt exiſtentem. Species quidditatiua repræſentat reduplicatiuè, motiuè, & terminatiuè totum id quod eſt de quidditate, aut nihil; at ſpecies Dei per vos eſt quidditatiua. Ergo vt talis repræſentat, & mouet, & terminat ad totum id, quod eſt de quidditate. At de quidditate Dei eſt exiſtentia, & attributa Immenſitatis, Æternitatis: Ergo. Ità etiam Tannetus arguit, *d.2. quæſt.6. dub.2. num.*17. Hoc argumento conuictus Scotus apud Maſtrium, *num.*52. fatetur, ſolùm deeſſe, quia per eam ſpeciem non repræſentatur facialiter, ſub ratione obiecti immediati; de reliquo fore cognitionem intuitiuam: Ergo. Deinde dicere, ad notitiam intuitiuam requiri præſentiam rei in ratione obiecti non vtcumque; ſed vt inuiſibilis, eſt petere principium; vt vrget Auerſa, *ſect.* 3. Iam enim argumentum oſtendit, videri Deum in illa ſpecie intuitiua, quia videtur vt præſens. Miratur verò Meldula ipſe, Radam *p. 1. controu.* 10. *concl.*3. dicere, eam ſpeciem repræſentare Deum, velut abſentem.

29 Tunc ego ſubſumo cum Suarez, *d.*30.*Met.ſect.*11. *num.* 22. Vel hæc eſt abſentia ſecundùm locum; vel ſecundùm durationem; vel exiſtentiam. Nullum dici poteſt: Ergò. Probatur maior, quia nullum aliud membrum fingi poteſt abſentiæ Dei. Mi: probatur; quia, cùm illa ſpecies quidditatiua ſit diſtincta, Deum repræſentans, debet repræſentare præſentem ſecundùm omnia, quæ ſunt Deo intrinſeca, vt fatetur Meldula è Scoto.

Scotiſtæ aliqua contra allatam rationem adducunt. 30
Primò. Vulpes, *d.*13. *art.*5. Implicat, cognitionem intuitiuam fieri per ſpeciem impreſſam. Ergo, Probatur Antec. implicat eundem numero actum cognoſcendi eſſe abſtractiuum, & intuitiuum, cùm ſint duæ differentiæ oppoſitæ, at in eo opponuntur, quod abſtractiua, cauſatur ab obiecto potentiæ præſente per ſpeciem, & ad eandem terminatur; intuitiua verò ab obiecto immediatè, & ad illud immediatè terminatur.

Hæc ratio facilè ſoluitur ab ipſis Scotiſtis Bargio, Smiſingh. Maſtrio, &c. dicentibus, has notitias, ſpecie inter ſe diſtingui, non ex parte principij, ſed ex parte termini, ità vt ad notitiam intuitiuam ſufficiat, vt terminetur ad obiectum, vt præſens eſt in propria exiſtentia, ſiue ab obiecto immediatè cauſetur, ſiue à ſpecie; quo etiam modo loquuntur Thomiſtæ. Vnde ſi Deus ſuppleret totam actiuitatem obiecti, & adhuc faceret notitiam terminari ad obiectum, in propria exiſtentia præſens, notitia illa haberet quicquid ad rationem notitiæ intuitiuæ exigitur, etiamſi ab obiecto immediatè non cauſaretur. Eodem fundamento ruit aliud argumentum Galli, *num.*442.

Maſtrius ſic arguit *num.*37. è Scoto *in* 2. *d.*3. *q.*11. 31
§ Reſpondeo ergo, & *in* 4.*d* 45.*quæſt.*2. *§. Ad quæſtionem ergo*: impoſſibile eſt, cognitionem intuitiuam haberi per aliquid eodem modo ſe habens in repræſentando, ſiue res ſit exiſtens, & præſens, ſiue non: at ſpecies intelligibilis, quia habet eſſe permanens, nec pendet ab obiecto in conſeruari, rem indifferenter repræſentat exiſtentem, vel non exiſtentem: præſentem, vel non præſentem. Ergo nullatenus concurrere poteſt ad cognitionem intuitiuam. Vbi aduertit Meldula, nolle Scotum in minori dicere, ſpeciem eſſe indifferentem, vt repræſentet etiam rem præſentem; atque adeò intuitiuè; ſi obiectum eſt præſens, vt aliqui argumentum reflectentes reſpondent; imò, cùm intuitio determinet ſibi obiectum præſens immediatè, & in illud determinatè tendat, vt tali modo ſe habens, repugnat euenire à principio indifferente ad repræſentandum obiectum vno, vel altero modo, id eſt ſiue præſens, ſiue abſens; ſed requirit à principio exire determinatè ad repræſentandum obiectum præcisè præſens. Hoc argumentum ſic declaratum acclamat Meldula demonſtratiuum.

VERVM hæc gloriatio oritur è mala intelligentia 32
noſtræ rationis; nam, licèt ſpecies quidditatiua creaturæ ſit indifferens ad demonſtrandum obiectum præſens, vel abſens, eò quòd exiſtentia non eſt de ratione quidditatiua creaturæ; ſpecies tamen talis rationis, id eſt Dei, non eſt indifferens; ſed determinata, vt ſupra oſtendi, quia intrinſecè debet repræſentare formaliter totum id, quod eſt de quidditate Dei, & hoc, vt talis ſpecies eſt, vt aduertit Faſolus, *quæſt.*12.*art.*2. *d.*13 *num.*47.

Reſpondet Maſtrius, indifferentiam ſpeciei ad repræſentandum obiectum præſens, non intelligi ad repræſentandum obiectum præſens localiter, ſed obiectiuè; at ſpecies illa repræſentaret quidem Deum præſentem localiter, non tamen obiectiuè facialiter. Hæc tamen reſponſio friuola eſt Quid enim obſecro eſt, repræſentare Deum præſentem localiter intellectui, quàm obiicere facialiter?

Aliam reſponſionem argumento Scoti afferunt alij, nempè argumentum Scoti non valere de ſpecie, quæ pendet ab obiecto præſente; hæc enim ſpecies poteſt parere notitiam intuitiuam; vt patet in ſpeciebus ſenſibilibus. Talis eſt ſpecies impreſſa Diuinæ eſſentiæ. Tandem Meldula ſe remittit.

ASSERO

Asserò ſecundò, non dari vllam ſpeciem abſtractam beato repræſentantem Diuinam eſſentiam clarè.

33 Probatvr à D.Bonau. *in* 1. *d.*3. *p.*1. *quæſt.*1. *ad vlt.* & *in* 3. *d.*14. *quæſt.*3. & *art.*2. *quæſt.* 1. Quandocunque obiectum eſt ſufficienter præſens potentiæ, eique applicabile per ſe, non datur ſpecies aliqua applicans; at Deus eſt obiectum ſufficiens per ſe applicabile. Ergò non datur aliqua ſpecies abſtracta. Ma: probatur, quia Deus, & natura nihil fruſtra faciunt. Species igitur neceſſaria eſt ex parte obiecti, quando, non ſatis præſens, nequit per ſe immutare potentiam. Mi: probatur è Scripturis, quæ innuunt, Deum ſe per ſeipſum manifeſtare, ſicuti eſt. Hæc ratio adhibetur à Scoto 4.*d.*49.*quæſt.*11. Fauentino *in* 3. *d.*34. *cap.*2.*n.*16. Suarez *l.*2. *de attr. neg. cap.*13. Morando, & aliis, præſertim Riba. Hic modus obiecti eſt Deo dignus.

Asserò tertiò, non dari aliquam ſpeciem obiectiuam, qualis eſt ſtatua Cæſaris, oſtendens Cæſarem, quâ à Beatis videatur Deus.

34 Probatvr à Seraphico, *l.*7.*Compend. Theol.c.*26. quia alioqui creatura beatetur in creatura. Ergo Deus non eſt obiectum beatificum. Hac ratione vtitur Trigoſ. *quæſt.*7.*art.*1. *dub.*6. & omnes ferè Moderni. Ma: probatur, quia ſpecies obiectiua eſt. Ergò viſa, vt ſtatua Cæſaris.

Probatvr ſecundò à S.D. *in* 1. *d.*3. *p.*1. *quæſt.*2. quia ſpecies obiectiua perfectè repræſentans obiectum, debet ei eſſe commenſurata, non ſicut ſtatua Cæſaris, quæ ſolam externam ſuperficiem oſtendit Cæſaris. Sed nihil poteſt eſſe commenſuratum Deo, ſimpliciter infinito. Ergo.

35 Obiicies 12.*Cor.*5. dicitur: *Ambulamus per fidem, non per ſpeciem*; ſignificans, cognitionem patriæ fieri per ſpeciem.

Reſpondetur, ibi per ſpeciem intelligi ſpecioſiſſimam eſſentiam Dei, vt dixeras ſupra *cap.* 3. *Nos reuelata facie gloriam Domini ſpeculantes, &c.* vt exponunt PP. & innuit S.Bonau. *in* 3. *d.*14.*quæſt.*3. & *Itinere* 3. *æternitatis*, in fine. Vel ſi ſpeciem; intelligit expreſſam.

Obiicies ſecundò. Ad viſionem neceſſaria eſt ſpecies, vt informet, & actuet intellectum; hoc autem munus non poteſt Deus ſupplere. Ergò datur ſpecies.

Reſpondet D.Bonau. *d.*3.*p.*1.*quæſt* 2.*ad vlt.* Deum ſatisfacere, ſeipſum exhibendo præſentem.

36 Eſto etiam efficiendo. Quare non eſt neceſſaria ſpecies abſtracta, vt ipſe Deus informet mentem (hoc enim repugnat Diuinæ perfectioni.) Addit verò S.D. intellectum informari ſpecie, ſeu notitiâ, quæ eſt Verbum, vt dicam, *quæſt.*4. Imò addo cum Meldula, *num.*44. non eſſe de ratione ſpeciei, vt vniatur potentiæ formaliter; ſed ſolùm virtute. Itaque inhærere conuenit ſpeciei, vt accidens, non vt eſt vicaria obiecti, vt innuit Ribas.

Dices. Si Deus vniretur intellectui efficienter, deberet agere ſecundùm ſuam ſubſtantiam, at Deus extrà, agit ſolùm per potentiam, & voluntatem. Similiter neceſſe eſſet, ſingulas perſonas ſeorſim ad extrà agere, quod implicat, quia omnis actio ad extra eſt communis. Probatur ſeq. quia Deus, vt videatur totus, debet ſecundum omnia vniri, id eſt ſecundùm eſſentiam; ſecundum ſingulas perſonas, &c.

Respondet Suarez, Diuinam eſſentiam ſimul exhibere perſonas, dum ſeipſam exhibet. Sic enim & Pater videt alias perſonas, & tamen relationes non agunt, tanquam principia, per quæ Pater videat; ſed ſola ſubſtantia eſt ratio ſufficiens.

Hæc reſponſio non eſt ſolida; eſt enim diuerſa ratio de Patre; qui habet ſeipſum præſentem, & in ſe videt Genitum, & Spiratum per repræſentationes notionales; at verò creaturæ ſunt extra, nec habent in ſe principium huius viſionis. Adde, ſpeciem non agere; vt dicam in libris de anima, *diſp* 4. *quæſt.*10. Sic corruunt, quæ obiicit Herice *T.*4.*d.*42.

Reſpondetur cum D.Bonau. Diuinam eſſentiam eſſe ſpeculum voluntarium, id eſt voluntariè exhibere ſimul Diuinas perſonas, ſubſtantiam; &c. ſicuti anima exhibet ſe inſpiciendam, non ſolùm ſecundum voluntatem volentem; ſed etiam ſecundùm cætera, neque neceſſe eſt vt agat; nam in cognitione obiectum, & ſpecies non agunt. Quod ſi in cognitione Dei, quæ eſt altiſſima, hoc eſt neceſſarium, poteſt id à Deo præſtari omnipotentia influente, pro relationibus, quæ ad extra non agunt, vt ait Ribas cum Becano. 37

QVÆSTIO III.

An poſſit dari ſpecies intelligibilis clarè Deum repræſentans.

Prima opinio eſt omninò negans, dari poſſe huiuſmodi ſpeciem. Ità vniuerſaliter Thomiſtæ, *p.*1. *quæſt.*12. *art.*2. vbi Caiet. Nauarer. Zumel. Gonzales, Ripa, Bañes, *dub.*1. Nazar. *contron.*1. Capreolus verò *in* 4 *d.*49.*quæſt.*5.*art.*1. Ferrar. 3.*contra G.* Cabrera 3. *p. quæſt.*12. *art.*1. Soto 4.*d.*49. Et ex antiquioribus Henricus, *quodl.*3.*quæſt.*1. & *p.*1. *ſum. art.*33.*quæſt.*2. *ad* 3. Durand. *in* 4.*d.*49. *quæſt.*2. Palud. *quæſt.*1. *art.*2. Argent. *art.* 2. Marſil. *in* 3.*quæſt.* 10. *art.*2. Ægid. in Defenſorio D.Thomæ *art.*1. Accedunt è Patribus Ieſuitis Arrubal *d.*16. *cap.*4.& 5. Amicus *t.*1.*d.*9.*ſect.*4. Granad. *tract.*4.*d.*5.*ſect* 3. Tanner. *d.* 2.*quæſt.*6. *dub.*2. *num.*12. Recupit. alique apud Morandum: E Scotiſtis verò Baſſol. 3.*d.*14. *quæſt.*1. *art.*1. Trigoſius verò noſter, *quæſt.*7.*art.*1.*dub.*6. adducens Seraphicum *in* 1. *d.*3.*p.*1. *quæſt.*1. *ad* 4. ſic & Coriolanus, *q.*12. *art.*1. Alij verò cum adducunt *in* 2.*d.*23. *art.*2. *q.*3.*ad finem*, vbi tamen ſolùm eam negat de facto, non de poſſibili, vt aduertit Meldula, *p.*1.*d.*6.*quæſt.*1.*art.*1.*num.*2. Allegatur quoque Alenſis, *p.*1.*quæſt.*2.*m.*3.*art.*1.*ad* 2. qui tamen loquitur ſolùm de facto, neque agit de ſpecie impreſſa, ſed obiectiua imagine, de qua dixi, *quæſt.*1.

Secvnda verò ſententia admittit, talem ſpeciem dari poſſe. Ità coguntur omnes allegati, quæſt. præcedenti, tenentes, dari huiuſmodi ſpeciem quidditatiuam in Angelo ad cognitionem abſtractiuam Dei. Directè verò è Societate Ieſu Theologi id tenent *ad p.*1. *quæſt.*12.*art.*2. Sic Molina *d.*1. Faſolus *dub.* 10. Valentia *p.*2. Vaſq. *d.*38. Turrianus *opuſc.* 1. Becanus *p.*1. *tract.*1.*cap.*9.*quæſt.*2. Salas *p.*2.*quæſt.*3. *tract.*2.*d.*5. *ſect.*2. Suarez *d.*30. *Met. ſect.*11. & *p.*1. *l.*2. *de attr. neg. cap.*3. Herize *tract.*4. *d* 40. Auerſa *p.*1. *quæſt.* 12. *ſect.*19. at Peſantius *art.*2. *diſp.* 1. Caſpenſ. *tract. de viſione beata d.*3.*ſect.*5. & è Scotiſtis Mairo, *quæſt.*15. *Prol. art.*2. *concl.*2. & *quodl.*2. *art.*2. Faber *in* 3.*d.*34. *cap.*2. E mente Scoti Smiſingh. *tom.*1.*tract.*2.*d.*6.*q.*3. *num.*9. Luſitanus *tom.*2.*l.*8. *p.*2.*art.*2.*q.*2. Sic Ægidius de Præſentatione *l.*8. *quæſt.* 2. Ludouicus de Ribas, *tract.*3. *d.*5. *cap.*1. alios referens. Adducuntur Arriaga *d* 4. *de anima ſect.*2. & *p.*1.*d.*8.*ſect.*2. Hurtad. *d.*2.*de anima ſect.* 3. Ouied. *controu.* 13. *de anima*, Morand. *tract.*2.*q.*7. adducens Auerſam, Alarconem, Præpoſitum, Meracium, & alios paſſim, è quibus multi hanc ſpeciem de facto admittunt. Adducitur à Valentia 38

etiam

etiam S.Bonau. *in 3. d.14. art.2. quæſt.3. arg 5. in opp.* & D.Thom. quem dicit locutum tantùm de lege ordinaria, cùm eam negauit poſſibilem. At Vaſquez ait D.Thomam ſolùm excludere ſpeciem expreſſam, quæ priùs viſa videatur: ſed eum irridet Nazar. *loc. cit. contron.*1. Vincenſis verò, *tract.2. quæſt.7. art.3. ſect.2.* fruſtra conciliat Scotum cum D.Thom. vt ambo negent ſolam intuitiuam, & concedant abſtractiuam. Et hanc opinionem ipſe ſecutus eſt.

Quo ad D. Bonauenturã fateor è limine, nil ad rem me pro hac ſententiã inuenire in loco à Valentiã allegato. Solùm video, *ea quæſt. ad* 4. habere argumentum deductum à Fauentino, quia enim inter Deum, & intellectum beatum videntem, neceſſaria eſt ſimilitudo, eruitur dari poſſe formam aſſimilantem Deo. Imò, *in fund.5.* videtur arguere ad probandum, non poſſe dari talem ſpeciem abſtractam, ſed ibi ſolùm videtur reprobare ſpeciem merè obiectiuam, quæ ſola immediatè videtur, qualis eſt imago Cæſaris, in qua dicitur videri Cæſar. Hoc autem probatur, nam eam ſpeciem reprobat, ideò, quia poteſt Deus videri in propria ſubſtantia; ſpecies verò, de qua eſt noſtra quæſtio, immediatè repræſentat obiectum in ſua ſubſtantia, vt patet de ſpecie Solis quæ oſtendit Solem ſubſtantialiter oculo. Hoc idem colligitur è S.Bonau. *in 2.d.3.p.2.art.2.q.2.ad 6.*

Reſtat videndus Seraphici locus *in 1. d.3. p.1. quæſt.1. ad vlt.* quo vtitur Trigoſius pro prima ſententia. Ibi quærit: An Deus ſit omninò cognoſcibilis à creatura, arguit autem ad opp. Neceſſe eſt intellectum cognoſcentem informari à cognito; ſed omne, quod alterum informat, aut informat per ſe, ſuam eſſentiam, & ſubſtantiam præbendo; aut per ſimilitudinem. Sed Deus non informat per eſſentiam, quia nulli vnitur, vt forma; nec per ſimilitudinem abſtractam, quia ſimilitudo abſtracta eſt ſpiritualior eo, à quo abſtrahitur. Deo autem nihil eſt ſpiritualiùs, nec poteſt eſſe. Ergo.

Reſpondet, Deum eſſe præſentem intellectui per veritatem, & ideò non eſſe neceſſe abſtrahi ab eo ſimilitudinem, per quam cognoſcatur; nihilominus dum cognoſcitur ab intellectu, tunc informari quadam notitia, quæ eſt velut ſimilitudo quædam, non abſtracta, ſed impreſſa inferior Deo, quia in natura inferiori; eſt tamen ſuperior anima, quia facit eam meliorem. Et hæc dicit Auguſtinus *l.9.cap.11.de Trin.* (ſubdit S.Bonau.) Quemadmodum cùm per ſenſus corporum diſcimus corporea, fit aliqua ſimilitudo in anima noſtra; ità cùm Deum nouimus, fit aliqua ſimilitudo Dei; illa tamen notitia inferior eſt, quia in natura inferiore exiſtit.

NOTAT verò Marcus, ſpeciem impreſſam vocari à S. D. abſtractam; VERBVM autem vocari ſpeciem expreſſam: Forſan quia hæc editur in intellectu: illa verò plerumque, & in naturali cognitione ſemper ab obiecto abſtrahitur.

Ex eo Seraphici reſponſo multa habeo. Primò eum concedere obiectioni, ſpeciem illam eſſe ſuperfluam, eò quòd Deus ſe immediatè exhibet intellectui in gloria; non autem quod prætendebat, eam eſſe impoſſibilem.

Habeo quoque eum admittere in beatis ſpeciem è cognitione clara excuſam, ſeu verbum, ſed tamen Deo materialiorem, quippè in materiali natura inhærentem. Hinc verò facilè admittitur contra obiectionem, poſſe dari, de abſoluta Dei potentia, ſpeciem abſtractam è Deo: neque eam fore illo ſpiritualiorem. Quod ſi non repugnat expreſſa, ſeu eauſa; neque repugnabit abſtracta, vt ſolidè arguunt Doctores ſecundæ ſententiæ. Idem habet *in 2.*

d.3. p.2. art.2. quæſt.2. ad 4. vbi allegat etiam D.Auguſtinum remittens ad ea, quæ dixerat *in 1. loc.cit.* In quo deceptus eſt P. Theodorus Foreſtus magiſter meus, *d.1. cap.2. fol.19.* & Coriolanus noſter, *quæſt.12. art.1. §. Ad ſecundum articulum.* Igitur S. Bonau. eſt pro ſecunda ſententia, quam noſter Caſpenſis ſequitur, *p.1. tract.2. d.3. ſect.4* dicitque eſſe communem.

ASSERO, poſſe dari ſpeciem abſtractam repræſentantem clarè Deum Beatis.

PROBATVR ratione deducta ex argumento allegato D.Bonau. Non repugnat magis clara ſpecies impreſſa, quàm expreſſa Dei in intellectu beato. At datur in beatis ſpecies expreſſa, ſeu Verbum. Ergo dari poteſt etiam impreſſa.

Hoc argumento vtitur Scotus ſupra, *lit. K* & omnes aſſeclæ, aliique ſupra allegati pro ſecunda ſententia. Ma. probatur fundamento D. Bonauent. Quia nulla poteſt maior aſſignari repugnantia; neque enim debet eſſe immaterialior obiecto, atque adeò non valet reſponſio aliquorum negantium paritatem cum ſpecie expreſſa, quæ non exigit eſſe immaterialior. Per accidens enim eſt, ſpeciem eſſe 40
immaterialiorem obiecto, quatenus ſcilicet obiectum eſt ſenſibile; ſpecies autem debet eſſe intelligibilis. Hoc verò etiam de ſpecie expreſſa euenit; per ſe verò non eſt neceſſe, nam ſpecies Angeli, quæ eſt in intellectu alterius Angeli, non eſt ſpiritualior ipſo. Neque ſatisfaciunt alij dicendo, diſparem eſſe rationem, quia ſpecies impreſſa eſſet à ſolo Deo; ideò infinita; nam producitur à Deo liberè, non ad modum naturæ, agente tota virtute, & producente ſpeciem comprehenſiuam totaliter, repræſentantem Diuinam maieſtatem. Erit enim finita producta à Deo proportionata ſubiecto finito, in quo recipietur, vt aiunt D.Thom. & D. Bonau. *in 4. loc. cit.*

Quod enim alij vrgent, eam ſpeciem fore infini- 41
tam, quia manat ab obiecto naturaliter; cùm autem obiectum ſit infinitum, emitteret ſpeciem ſecundùm ſe totum, & totaliter. Id non premit, nam manaret à Deo agente libero; quippè eſt ſpeculum voluntarium, vt ſæpè iniungit S.Bonauentura, Becanus *loc. cit.* & Scotus.

DISPARITAS quoque, quam affert Soto, nempè, quia ſpecies expreſſa non eſt principium efficiens beatitudinem; ſed formalis ipſa beatitudo; at ſpecies impreſſa eſt efficiens beatitudinem; nullius eſt momenti. Omitto, ſpeciem expreſſam non eſſe ipſam beatitudinem, ſeu actionem intellectiuam; nam intellectio beati eſt actio vitalis, quæ terminatur ad Verbum. Vnde eſt ſimilitudo Dei cauſaliter, quatenus producit Verbum, vt dicam, *tract. de Trin. d.9. ſect.1. quæſt.2.* Omitto id, quod oſtendam, *tract. de Anima d.4. quæſt.10.* Species materialiter tantum concurrere, non efficienter ad beatitudinem, ſiue ad quamlibet aliam intellectionem. Secundò. Quid tum? ſi conceſſero, ſpeciem impreſſam concurrere efficienter inſtrumentaliter ad beatitudinem? nonne concurrit etiam intellectus, & Lumen gloriæ efficienter?

INSTAT. Sicut non datur creatura, quæ poſſit facere Sanctum efficienter. Vnde nulla creatura poteſt producere gratiam, cùm tamen detur creatura (quæ eſt gratia) faciens Sanctum formaliter; ità neque poteſt dari ſimilitudo creata efficiens beatum, licèt detur ſimilitudo expreſſa, reddens beatum formaliter.

RESPONDETVR, diſparem eſſe rationem. Nam 42
beatitudo dicit actum vitalem, qui debet eſſe ab

intellectu; dicit quoque actum ſupernaturalem, & ideò eget inſtrumento ſupernaturali, quod eſt Lumen gloriæ, licèt ipſum lumen gloriæ à ſolo Deo producatur; at verò gratia eſt qualitas ſuperna creata; vel ſi educta è potentia obedientiæ, ſoli Deo ſubditâ, reddens gratioſum; at verò actus diſponens ad ſanctitatem exigit creaturæ coagentis concurſum. Itaque malè infertur, Creaturam non poſſe concurrere ad actum beatificum, quia nequit habitum gratiæ producere.

Alias diſparitates inutiles aſſignat Ferrar. puta, quia ſpecies expreſſa oritur à Diuina eſſentia cum intellectu; & ità poteſt habere vim repræſentandi eam clarè, quod non haberet ſpecies impreſſa.

43 Obſecro. Cur ſpecies impreſſa, immediatè à Deo producta, nequit eum clarè exprimere, vt infinitum? Sanè quicquid valent cauſæ ſecundæ, continetur in Prima.

Secunda diſparitas eſt, quia ſpecies impreſſa produceretur à ſolo Deo; & ideò eſſet infinita; non ſic expreſſa, quæ eſt etiam ab intellectu. Verum hæc inſtantia eliſa eſt ſupra.

Alias quoque diſparitates venantur Thomiſtæ inter ſpeciem expreſſam, & impreſſam; ſed quia vident inanes, negare decernunt Minorem, ſcilicet, Beatos, videndo Deum, producere Verbum.

44 VERVM contra eos obiicit S.Bonauentura locis adductis authoritatem S.Auguſtini, qui 9. *de Trin. cap.* 10. circa finem, & *cap.* 11. *initio*, aſſerit, cognitionem eſſe ſimilitudinem (cauſaliter intellige) rei cognitæ vnde *cap.* 18. infert. *In quantum Deum nouimus, ſimiles ſumus; ſed non ad æqualitatem ſimiles, quia non tantùm ipſum nouimus, quantùm ipſe eſt.* Et 14. *de Trin. cap.* 17. ait. *Cùm acceperimus perfectam viſionem, futuram in mente noſtra Dei perfectam ſimilitudinem.* Et l.15. cap.16. *Cùm autem ſimiles ei erimus, quando videbimus eum, ſicuti eſt.* Hoc latiùs oſtendam quæſtionibus ſequentibus.

45 PROBATVR deinde illa Minor à D.Bonau. *in* 1. *d.*3. *p.*1. *quæſt.*1. *ad vlt.* ratione D. Auguſtini *l.*9. *de Trin. cap.*11. ducitur autem ratio ab experientia, qua nititur Meldula *num.*7. aliique. Dum enim per ſenſus percipimus obiectum aliquod, fit in nobis quædam ſimilitudo obiecti, quæ remanet, etiam remoto, vel corrupto ipſo obiecto, & per eam ſimilitudinem obiectum abſens, vel deſtructum intentionaliter attingimus. Qua de cauſa dixit Ariſtoteles 3. *de anima*, *t.* 3. intellectum noſtrum intelligendo fieri omnia quodammodo, id eſt intelligibiliter, & intentionaliter. Quod ſi ratione obiecti infiniti non poteſt dari ſpecies expreſſa Dei, neque dabitur cognitio ipſius Dei clara quidditatiua perfecta, quia talis cognitio clara debet eſſe proportionata obiecto, vt Seraphicus aduertit, *citata quæſt. arg. primo*, addito reſponſo.

Obiicies primò. Species impreſſa eſſentialiter ordinatur ad expreſſam, vt principalis cauſa ipſius; implicat autem expreſſa. Ergo & impreſſa. Eſt argumentum Sylueſtri *in conflato quæſt.* 12. *art.*2. Ferrar. 1. *contra G. cap.*53. Amici *loc. cit.*

46 Probatur Minor. Species expreſſa debet repræſentare obiectum in eſſe intentionali ſecundùm omnem perfectionem, quam habet in eſſe reali; alioqui per eam non totum obiectum cognoſceretur. At nulla ſpecies creata poteſt exprimere Diuinam eſſentiam ſecundùm omnes eius perfectiones eſſe realis. Ergò.

Minor probatur, quia deberet eſſe ſpecies infinita; nam in ea menſura debet creſcere ſpecies in eſſe intentionali, quâ creſcit obiectum in eſſe reali. At obiectum creſcit in infinitum: Ergò.

Reſpondent Scotus, Rada, Faber, Valentia, Arriaga, Meldula, & Suarez è D.Bonauentura *d.*3. *p.*1. *quæſt.*1. *ad* 1. ad cognitionem comprehenſiuam requiri ſanè aſſimilationem tam ſecundùm ſpeciem, quàm ſecundùm ipſum actum cognitionis adæquatum; at verò in cognitione clara finita Dei, qua Deus ipſe totaliter non includitur, neutrum neceſſe eſſe; alioqui oporteret negare viſionem claram Dei in beatis creaturis, quia obiectum eſt infinitum. Neque argumentum illud calculatorium vrget, vt creſcere teneatur perfectio ſpeciei ad augmentum perfectionis obiecti, nam & idem argumentum valeret de cognitione clara Dei, & ità non poſſet à creatura haberi, quia obiectum eſt infinitum. Creſcit igitur ſecundum quandam proportionem aſſimilationis, & ordinationis; non autem æquiparantiæ, vt ait Faſol. *quæſt.* 12. *art.*1. *dub.*7. Meldula *num.*13. & Suarez *num.*18. ad hanc autem proportionem non eſt neceſſaria perfecta adæquatio ſpeciei cum obiecto. 47

48 Itaque aduerſarij, qui hanc calculationem ſtruunt contra ſpeciem, debent cauere ſibi, nam idem argumentum penitus vrget contra viſionem ipſam, atque eò magis, quò actus immediatiùs attingit obiectum quàm ſpecies, vt aduertauit Scotus *in* 2. *d.*3. *quæſt.*2. *lit.K.* Directè verò reſpondet Meldula *num.*14. cum D.Bonau. *loc. cit.* ea inſtantia ſolùm probari, Deum illa ſpecie non videri totaliter, ſicuti cognitione finita videtur Deus totus, ob ſimplicitatem; non tamen videtur totaliter, vt ait Seraphicus etiam *ad* 3.

Quare Soto 4. *d.*49. *quæſt.*2. *art.*3. *concl.*2. fatetur ingenuè, hoc argumenti genus eſſe inefficax. Hinc fruſtra laborat Caiet. *p.*1. *quæſt.*12. *art.*2. vt probet, infinitum obiectum non poſſe quidditatiuè repræſentari ſpecie finita; aliàs, inter ſpeciem illam, & Ens infinitum iam daretur realis ſimilitudo. Hæc enim ratio eſt friuola, vt aduertunt Luſitanus *l.*8. 2. *p. quæſt.*2. *art.*5. & Meldula *num.*14. quia ſupponit, omnem cognitionem infiniti egere ſimilitudine infinita, & repræſentatione totaliter adæquata, quod eſt falſiſſimum, vt aduerterat S.Bonau. *loc. cit.* atque ex eodem errore procedit argumentum calculatorium allatum, vt ad gradus, quibus creſcit perfectio obiecti, creſcat & perfectio ſpeciei; hoc enim verum eſſe ſolùm de ſimilitudine totaliter adæquata repræſentante notat Fazolus *loc. cit. num.*42. cum Seraphico; non de inadæquata. Neque rationabiliter hanc doctrinam inficiatur Poncius *d.*14. *num.*12.

49 Ex his patet, inter ſpeciem huiuſmodi, & obiectum non futuram relationem ſimilitudinis adæquatè, ſed proportionis, & ordinationis, quæ non debet fundari in vnitate formæ, ſed in proportione quadam repræſentatiua, quia ex parte ſpeciei talis inſurgit relatio realis. Ex parte verò Dei ſola relatio rationis; relatio enim realis inſurgit, quando in vtroque extremo formæ ſecundùm quas ſimilantur, ſunt eiuſdem rationis. Vide D.Bonau. *in* 3. *d.*14. *q.*3. *ad arg.*

INSTANT. Illa ſpecies non haberet à quo limitaretur. Non ab obiecto, quod eſt infinitum, neque agit liberè, ſed neceſſariò; & cùm repræſentet illud infinitum, debet ei commenſurari; neque ex parte intellectus, qui eſt infinitus ſyncategorematicè.

Reſpondetur è D.Bonauentura aſſimilationem non debere eſſe adæquatam, quod patet etiam in ſententiâ aduerſariorum, omnibus Catholicis certiſſimâ, alioqui oporteret negare, creaturam poſſe videre Deum infinitum. Limitatur verò ex parte efficientis, liberè producentis, & ex parte recipientis, vt ait Seraphicus *quæſt. cit. ad vlt.* Credimus enim, in viſione beatifica, Deum inæqualiter videri à beatis, pro vt

ipſis

ipſis clariùs offert ſeipſum vt ſpeculum voluntarium. Et ideò probabiliùs eſt, talem ſpeciem producendam immediatè à Diuina voluntate, non autem ab eſſentia; alioqui operaretur naturaliter ad eius productionem. Ea verò ſpecies naturaliter repræſentat ſecundùm acceptam virtutem limitatam.

50 INSTABVNT, quia ſecundum D. Bonau. *in 3. d. 14. art. 2. q. 3. ad arg.* non poteſt dari Habitus, vel ſpecies repræſentans infinita obiecta actu ſimul, quia eſſet habitus infinitus, vel ſpecies infinitæ repræſentabilitatis, & conſequenter infinitæ entitatis. Ergo pariter dari nequit ſpecies, diſtinctè repræſentans Diuinam eſſentiam, quæ eſt virtualiter contentiua infinitorum obiectorum. Antec. probatur ibi à Seraphico, & poſt eum à Scoto *in 2. d. 3. quæſt. 10. §. Iſta opinio*, rationibus validis.

Reſpondet Meldula, *num. 21.* è D. Bonau. *loc. cit. ad* 5. neg. paritatem; & ideò conſequentiam, quia ſpecies repræſentans Deum non eſt comprehenſiua, & ſic continens diſtinctè repræſentationem Diuinæ eſſentiæ, aut quatenus eſt infinitè intenſa, aut quatenus extenſiuè continet infinitas quidditates creatas; ſed ponitur ſpecies illa quidditatiua, repræſentans Diuinam eſſentiam infinitam finitè; totam, non totaliter. Ex quo etiam infero, tametſi conceſſero, *tract. 10. d. 4. q. 9 de Anima*, ſpeciem eſſe Idolum obiectiuum, adhuc non debet creſcere calculatione mathematica ad crementum obiecti, vt multi putant, quia finitè repræſentare debet; non infinitè. Adde aliud reſponſum Seraphici ibidem, & ſequitur Gallus 3. *d. 14. dub. 1. ſect. 1. cap. 2. num.* 403. quia D. Bonau. loquitur de habitu, qui eſt ratio cognoſcendi infinita; ratio inquam etiam cognita: talis autem deberet eſſe infinitus; non currit verò eadem neceſſitas de ſpecie, quæ eſt mera ratio cognoſcendi, ſecundum probabilem ſententiam.

Inſtant adhuc. Poteſt Deus creare naturam perfectiorem qualibet ſpecie creata, & eius repræſentationem adæquantem, quæ cùm ſit creata, eſt finita. Ergò hæc non eſt repræſentatiua eſſentiæ infinitæ.

51 Reſpondetur, non poſſe creari alienam naturam, adæquantem repræſentationem ſpeciei illius in eſſe repræſentandi, licèt in eſſe eſſendi poſſit aliam meliorem creare. Igitur ſpecies illa eſt entitatiuè finita; ſed infinita obiectiuè, quatenus eſt ratio cognoſcendi obiectum infinitum totum, quia ſimplex; non tamen totaliter, quia infinitum, vt notat D. Bonau. *in 1. d. 3. p. 1. quæſt. 1. ad* 3.

INSTAT adhuc. Species repræſentans debet eſſe eiuſdem rationis cum obiecto in eſſe repræſentatiuo. Ergo ſpecies intelligibilis Dei erit infinitæ perfectionis in repræſentando, ſicut Deus eſt infinitus in eſſendo.

52 RESPONDET Suarez *num. 10.* & Vaſquez *num. 19.* cum D. Bonau. *cit. quæſt. ad* 1. neg. Antecedens, nam ſpecies intelligibilis hominis eſt accidens, non ſubſtantia, vt eſt homo: quò ad eſſe autem repræſentatiuum, ſufficit proportio conuenientiæ, nec æquiparantia exigitur. Idem habet D. Bonau. *in 3. d. 14.* locis citatis.

Inſtat Nazarius. Eſſentiæ abſtrahunt ab eſſe in intellectu. Vnde eiuſdem naturæ eſt homo in re, & homo in intellectu.

Reſpondetur, hoc tantum probare eundem eſſe Deum in re, & eundem, qui eſt cognitus, non tamen ſequitur aliquid contra nos.

53 Obiiciunt ſecundò Tannerus, & alij. Species inſtituta eſt ad ſupplendam abſentiam obiecti, cuius propterea dicitur vicaria, vt ſuppleat abſentiam vel improportionem obiecti cum potentia; vt habetur 3. *de Anima*; at nullum tale munus eſt veſtiæ ſpeciei aſſignabile, nam Deus eſt purus actus, & ideò maximè intelligibilis, & eſt intimè præſens cuicunque intellectui creato, & licèt non ſit ei coniunctus per informationem, eſt tamen intimè coniunctus præſentiâ intimâ, quæ vnioni, quam habet ſpecies per informationem, æquiualet, vt docet D. Bonau. 1. *q. 6. ad vlt.* ex quo argumentum deſumptum eſt. Ergo.

AT ſi attentè Seraphicus legatur, dat ſolutionem, quam afferunt Meldula *num. 23.* Recupitus *quæſt. 2. l. 6.* Morandus *n. 168.* nempè, argumentum ad ſummum probare, ſpeciem illam non eſſe neceſſariam, ſuppoſita præſentialitate, quam Deus ſui præbet medio lumine gloriæ, quæ non eſt præſentialitas ſimpliciter entitatiua, ſed obiectiua, nam entitatiua non ſufficit, alioqui eſſet Deus naturaliter viſibilis, cùm ſit vbique omnibus præſens. Neque ſpecies determinata eſt, vt repræſentet obiectum abſens; ſed inſtituta eſt, vt repræſentet illud, ſiue abſens, ſiue etiam præſens, ſed improportionatum inueniatur. Requiritur ergò ſpecies impreſſa, ſi obiectum non ſit actu intelligibile, vel abſens; vel ſi actu intelligibile, & præſens non eſt tamen præſens præſentia obiectiua, vt ait Maſtrius *num. 24.* Hunc autem defectum obiectiuæ præſentiæ adſcribit Ouiedo *controu. 13. p. 6. num. 11.* voluntati, quia non vult. At, eſto non neceſſaria ſit ea ſpecies; quis neget Deo abſolutè poſſe condere ſuperflua? hoc enim non dicit implicantiam, quæ ſola Dei potentiæ repugnat, quia tunc faceret, & non faceret, vt monet S. D. 1. *d. 42. quæſt. 3.* Ideò ad 2. ait, Deum aliqua contra naturæ ordinem producere. Quare non laudo, quod ait Vaſquez *num. 34.* & alij apud Suarez *n. 21.* & Tannerum *d. 2. q. 6. dub. 2. n. 15.* ex actuali exiſtentia talis ſpeciei deduci, eſſe ordinariæ potentiæ obiectum; etſi hæc ad omnia facta extendi cenſeatur à multis.

Obiicies tertiò. Species debet eſſe immaterialior obiecto, aut ſaltem æquè immaterialis. At nihil eſt æquè immateriale, ac Deus: Ergo. Ma: probatur quia ſaltem debet eſſe eiuſdem ordinis, nam per ſpeciem, ſeu ſimilitudinem inferioris ordinis nullo modo poſſunt ſuperiora cognoſci; vt per ſpeciem corporis, incorporeum, vt ait D. Dion. *cap. 1. de diu. nom.*

Reſpondetur cum D. Bonau. *in 1. d. 3. q. 1. ad vlt* neg. maiorem, nam ſpecies expreſſa Dei non eſt immaterialior Deo, tum quia eſt accidens in ſubiecto, ac proinde materialis eſt; tum quia eſt in ſubiecto inferiori ipſo obiecto: & ſpecies Angeli non eſt ſpiritualior Angelo, à quo abſtrahitur; immaterialitas verò ſpeciei, ſe tenet ex parte potentiæ, quatenus non eſt ſuſceptiua obiecti realis; ideò dicitur 2. *de anima t. 121. & 138.* ſenſum eſſe ſuſceptiuum formarum ſine materia. Sufficit ergò, ſpeciem eſſe immaterialem, modo proportionabili ipſi ſubiecto, & actui. Quare ſpecies abſtracta à Deo non eſt ſubtilianda, & ſpiritualizanda ad menſuram obiecti, ſed ſubiecti recipientis & actus, cui inſeruit, vt ait Maſtrius *n. 27.* & Faſolus *dub. 15. cit. num. 58.* tunc autem ſpecies debet eſſe immaterialior obiecto, quando res, ſeu obiectum eſt materialius ipſo cognoſcente, vt notat Vrtinenſis *tract. 2. quæſt. 7. art. 1. ſect. 2.* è *D. Thom. in 1. d. 3. quæſt. 1. art. 1. ad 3.* & *quæſt. de anima ar. 17. ad 4.* 54

Neque eſt neceſſe, ſpeciem eſſe eiuſdem ordinis cum obiecto; nam ſpecies coloris non eſt eiuſdem ordinis cum colore; & ſpecies Angeli, quæ eſt accidens, non eſt eiuſdem ordinis cum Angelo, qui eſt ſubſtantia nobilis. Igitur inter ſpeciem, & obiectum non requiritur æqualitas, vel ſimilitudo, ſed proportio, vt ait Scotus 4. *d. 41. q. 2. A.* poſt D. Bonau. *in 1. loc. cit. ad 1.* & *in 3. d. 14. loc. cit.* Sufficit Ergo, ſi repræſentatione 55

conueniant, licet ordinis ſint diuerſi, vt ait Vaſquez *d.*38. *cap.*4. & Maſtrius *num.*28. Quoad S. Dionyſium reſpondetur, ſpeciem impreſſam ordinis inferioris, id eſt rei inferioris ordinis, puta corporis, non poſſe repræſentare rem ſpiritualem, puta Angelum.

Vrgent Thomiſtæ. Inter hanc ſpeciem, & Deum deberet eſſe relatio ſimilitudinis, quæ vnitate, vel æqualitate formæ innititur, *ex* 5. *Metaph. cap.*15.

56 Reſpondetur ex dictis, futuram relationem ſimilitudinis in repræſentando, non in eſſendo: Ariſtoteles loquitur de ſimilitudine in eſſendo, qualis eſt inter duo alba, quæ vtique fundatur in vnitate naturæ; at ſpecies habet tantùm proportionem conuenientiæ in eſſe repræſentatiuo, vt ait Seraphicus *loc. cit. ad* 1. Vnde non debet eſſe æqualitatis. Sic etiam ſpecies Angeli eſt ordinis inferioris, cùm ſit accidens. Ità reſpondent communiter Scotiſtæ apud Maſtrium, *num.*30. Vaſquez, aliique.

57 Obiiciunt quartò multa abſurda, quæ ex hac ſpecie ſequerentur. Primum eſt, quia intellectus per hanc ſpeciem poſſet diſtinctè Deum cognoſcere naturaliter. Secundum, quia eſſet perfectior imago Dei, quàm anima, vel Angelus, contra D.Auguſtinum 14. *de Trin. cap.*8. Tertium, quia per aliquam creaturam poſſet aliquis peruenire in quidditatiuam Dei cognitionem, contra communem Theologorum ſenſum. Quartum, Deus contineretur virtualiter in aliqua creatura. Quintum, daretur idea ipſius Dei, nam omnis effectus in Deo habet Ideam. Ergo haberet in ſe Ideam ſui. Sextum, poſſet dari ſubſtantia æqualis perfectionis cum tali ſpecie, quò ad eſſe repræſentatum; ac proinde, quæ eſſet Deus. Septimum, cùm talis ſpecies ſit finita, poſſet produci alia, & alia eſſentialiter perfectior, quod eſt falſum; nam & viſio, & obiectum ad quod ordinatur eſt vnum. Octauum, poſſet Deus conferre creaturæ eſſe primum intelligibile. Nonum, daretur aliqua creatura habens eſſe eminentiùs Deo, nam ſpecies habet eſſe ſpiritualius *ex* 2. *de anima*, *t.*121. Decimum, Talis ſpecies adæquatè repræſentaret Deum, vt eſt, & ſic, qui illam haberet Deum comprehenderet.

Vltimum, darentur duæ cauſæ totales eiuſdem effectus, id eſt Deus obiectiuè præſens, & ſpecies. Hæc opponunt Thomiſtæ.

58 Reſpondetur, negando, vllum è ſpecie impreſſa abſurdum ſequi. Ad primum dico, illam ſpeciem futuram ordinis ſupernaturalis, neque in ea videndum Deum, quia non repræſentat formaliter Deum; ſed virtualiter vt *Quo*, non vt *Quod*. Idem dic ad ſecundum; non enim eſſet imago in eſſendo, prius viſa, vt anima, & Angelus. Ità ad tertium, nullum effectum, vt medium cognitum poſſe repræſentare Deum quidditatiuè. Ad quartum nego ſequelam; hæc quippè non continet Dei expreſſionem comprehenſiuam, neque vt Imago; vt notat Maſtr. Ad quintum negatur ſequela, datur enim idea illius ſpeciei, quæ non eſt imago quidditatiua Dei, vt *Quod*. Vnde, ſicut datur idea viſionis Dei, non ipſius Dei; ita & ſpeciei. Ad ſextum pariter negatur ſequela; vrget autem æquè contra cognitionem Dei, & ſpeciem expreſſam. Igitur non poſſet creari aliqua ſubſtantia adæquatè repræſentabilis per eam. Ad ſeptimum dicò, idem argumentum fieri poſſe de ſpecie expreſſa, & de viſione. Poteſt igitur produci alia intenſior, ſicut poteſt dari alia, & alia viſio clarior. Ad octauum, negatur ſequela, nam ſpecies fungitur officio obiecti in ratione mouendi; non autem terminandi. Ad nonum, æquè concludet de ſpecie expreſſa, & iam ſolutum eſt; nam ſpecies habet eſſe ſpiritualius per accidens; addo illud *eſſe* ſpiritualius eſſe Ens diminutum. Vnde ſpecies coloris eſt colore imperfectior. Ad decimum dico, non futurum comprehenſorem, qui eam ſpeciem haberet, quia ea non offert Deum, tanquam medium cognitum. Neque verò Recentiores defendunt, eam futurum principium ſufficiens viſionis Dei, vt malè adſcribit Maſtrius ad ſuam ſententiam fruſtra roborandam de ſpecie abſtracta. Ad vltimum dico, probare tantùm de facto; at de poſſibili non vrget; nam poſſet Deus nolle exhibere ſeipſum ſubſtantialiter obiectiuè, ſed ſolùm in ſpecie. Et tunc non eſſent duæ cauſæ totales viſionis; malè autem nonnulli arguunt, non eſſe poſſibilem, quia non datur de facto, quia multa poſſunt fieri à Deo, quæ tamen non ſunt neceſſaria, vt obſeruat Fauentinus *num.*12. Addo; non implicare per Dei potentiam, duas cauſas totales producere eundem effectum.

His confutatis, manet iam noſtra ratio ſolidata, & inconcuſſa, ſimul cum aſſertione. Cùm enim agitur de potentia Dei abſoluta, ſatis eſt, non inueniri contradictionem.

QVÆSTIO IV.

An Beati videndo Deum producant Verbum.

59 SVPPONO *hic*, quadruplicem diſtingui communiter ſimilitudinem creatam. Prima dicitur impreſſa, quia imprimitur intellectui, & dicitur ſpecies intelligibilis. Secunda dicitur expreſſa, tum quia per intellectum quaſi exprimitur, & formatur: tum quia eſt actualis, & expreſſa ſimilitudo rei viſæ, & eſt ipſa notitia, vt qualitas, ſeu Verbum mentis per intellectionem expreſſum. Tertia vocatur obiectiua, quæ per modum imaginis prius ipſa obiici, & cognoſci debet; quàm in ea, vel per eam aliquid cognoſcatur; vnde etiam vocatur medium cognitum. Quarta eſt ſimilitudo, quædam Dei, ſeu intellectus Diuini, non in repræſentando, ſed in eſſendo per participationem, & conuenientiam in virtute intelligendi, quæ ſe tenet, non ex parte obiecti; ſed ſubiecti ſiue potentiæ, vim ei conferens videndi eſſentiam Diuinam, quam vocant Lumen gloriæ. Quo autem modo variè hic à D.Bonau. accipiantur duæ primæ, ſatis dixi, *n.*18.

IAM quæſtio eſt. An Beati videntes Deum, intellectu exprimant Verbum. Prima opinio eſt negatiua. Ità Henricus *quodl.*3. *quæſt.* 1. & *quodl.*4.*q.*8. Caiet.*p.*1. *q.*27. *art.*1. Zumel & recentiores Thomiſtæ *ad art.*2. *q.*12. vel *q.*27. *art.*1. Paulus Soncinas in Epit. ad Capreol. *in* 1. *ſent. d.*27.*quæſt.*1. Hanc adeò mordicus ſuſtinet Nazarius *ad art.*2. *quæſt.*12. *controu.*2. vt dicat implicare, Beatos formare Verbum etiam è mente D.Thomæ. Idem ſentit Trigoſius *q.*7. *art.*1. *d.*6. credens, id Seraphici ad mentem; circa quam iterum aberrat credens, Verbum eſſe ipſam intellectionem; quo cùm fallitur Coriolanus *quæſt.*12. *art.*1. vt oſtendam, *tract.*2.*d.*2. *quæſt.*4. & *d.*9. *ſect.*1.

60 Poſnanienſis verò negat viſioni beatæ verbum propriè naturâ emanans, *l.*1. *deciſ. cap.*7. *quæſt.*3. adducens Scotum *quodl.*14.

SECVNDA ſententia aſſerit, Beatos, videndo Deum, producere Verbum ſuæ viſionis. Ità D.Bonau. *in* 1. *d.*3.*p.*1.*q.*1 *ad vlt.* & aliis locis infra afferendis. D.Th. *quæſt.*4. *de ver. art.*2. & *p.*1. *q.*27. *art.*5. quem ſequitur Capr. 1. *d.*27. *q.*2. *art.*3. Ferr. 1. *contra G. c.*53. Soto 4. *d.*49.*q.*2.*art.*3. Sylueſter in Conflato, *q.*27. Marſilius 3. *q.*10.*art.*2. Caſpenſis *tractatu de Viſione ſect.*3. & omnes Theologi Societatis, apud Ludouicum de Ribas *tract.*3.*diſp.*3.*c.*2. ità Suarez *lib.*1. *de attribut. neg. cap.*2. Vaſquez *diſp.*38. *cap.*2. Tannerus *d.*2. *quæſt.*6. *dub.*2.

Becan.

Becan. *cap.9.quæſt 2.* Scotiſtæ allegati *quæſt. præced.* qui cum ſuo Doctore arguebant, ſpeciem impreſſam ab expreſſa (quam ipſi tamen aſſerunt, eſſe ipſam intellectionem formaliter, non autem effectum illius) Morandus *tract.2. quæſt.5.* adducens Seraphicum *loc.c.* & D.T. *quæſt.27.art.1.* vbi obſeruat, hoc argumento D.Thomam probaſſe, Verbum æternum intellectione gigni, quia omnis intelligens concipit ſpeciem. Quod ſi de ſolis viatoribus eſſet verum, vt reſpondet Caiet. Bañes, & alij Thomiſtæ; argumentum S.Thomæ eſſet inane, quia poſſent reſpondere, dari intelligentes, ſine productione Verbi. Idem ſentit S.T. *quæſt.4. de verit. art.2. & quæſt.11. de poten.art.5.* Alios textus affert Faſol. *quæſt.12.art.2.dub.3.*

TERTIA ſententia eſt Capreoli *in 4. d.49. quæſt.2.* Ferrar. 1. *cont.G.cap.63.* qui problematici ſunt. Torres verò *p.1. quæſt.27. art.1. d.5. dub.4.* magis ad aſſertiuam declinat.

61 FVNDAMENTVM ex D.Bonau. *in 1. d.27. p.2. q.1.* & ſequentibus. Intellectio eſt actio non Grammaticalis ferè verbo tenus, quatenus reſpicit obiectum ad modum actionis; re autem verè qualitas; ſed vera actio vitalis, eſtque vera productio, vt oſtendam, *tract.2. de Trin. d.9. ſect.1.* Ex quo fit, vt aliquid per eam producatur, cùm nequeat percipi productio, nil producens. Ergo Verbum non eſt intellectio; ſed terminus eius. Antec. probatur nam ſi Pater eſſet ſine Filio, eſſet ſine Verbo: ergo ſine Filio, non eſſet intelligens, neque beatus. Ergo eſſet intelligens, beatus, & ſapiens ſapientia genita, contra D.Auguſt. Hoc argumentum eſt ad hominem; nam eo vtitur Fauent.1. *d.21. cap.1.* contra nos. Probatur Conſeq. quia ſecundùm Scotum, Verbum eſt intellectio Patris. Ergò ſine Verbo, Pater non intelligit; atque adeò nec ſapiens, neque beatus eſt in ſe. Ergo imperfectus, contra Symbolum. Idem argumentum vrgeo ab hominem. Si intellectio eſt Verbum: Ergo Verbum, & Spiritus Sanctus non intelligunt, quia non habent Verbum productum. Ergo non ſunt intelligentes, & beati: Ergo imperfecti.

62 IDEM autem dicendum de Intellectione in Deo, & in nobis; remotis tamen imperfectionibus à Deo, vt fatetur Scotus *in 1. d.8.* & Fauent. ibi. Id habet expreſsè S.Bonau. *in 1. d.27. loc. cit.* vt docet Foreſtus magiſter meus, in D Bonau. dio, multumque verſatus, *d.5.* de Verbo. Idem habet S.D. *3. d.3.cit p.1. quæſt.1. ad vlt.* vbi negatâ beatis neceſſitate ſpeciei abſtractæ, concedit verbum, id eſt ſpeciem expreſſam, & allegat D. Auguſt.9. *de Trin. cap.11.* vbi cùm dixiſſet, quòd in quantum Deum nouimus, ſimiles ſumus per Verbum, quod ſupra deſcripſerat; ſubdit: *Quemadmodum cùm per ſenſum corporis diſcimus corporea, fit eorum in nobis aliqua ſimilitudo*, & *12. de Trin. cap.2.* vbi ait. *Poſtquam vidimus, cancellos luce perfuſos, ſtatim atque oculos claudimus, eoſdem cancellos, quaſi in tenebris videmus*, neque ſola impreſſio videtur, vt putant aliqui; ſed ipſum obiectum, cuius ſignum eſt, quod videmus effigiem cum eadem quantitate, figura, &c. Neque hoc è ſola imaginatione prouenit, quamuis & hæc aliquando interueniat, vt docet Ariſtoteles 3. *de anima* t.138. & *l.de Inſomnijs*, vbi eandem doctrinam tradit. Itaque ſicuti tranſacto actu viſionis, remanet ſpecies obiecti: ſimiliter tranſacto actu intellectionis, remanet ſpecies intellectiua ex intellectione, è multis ſæpè impreſſis compoſita, quam S Bonauentura impreſſam nominat ab anima, & obiecto; ad differentiam abſtractæ, ex doctrina etiam D.Auguſtini, atque adeo malè Vaſquez *d.38. cap.2.* conatur probare ex ea doctrina D. Auguſt. & D.Bonau. Verbum eſſe formaliter ipſam intellectionem, in ſententia horum Patrum, quod magis oſtendam, *Tract. de Trin. d.9. ſect.1.q.2.*

EANDEM doctrinam habet S.Bonau.2. *d.23. q vlt.* 63
dicens, reperiri inter beatum, & Deum conformitatem per ſimilitudinem expreſſam; hæc autem eſt Verbum & *in 3. d.14. q.3.ad 4.* ait ad cognitionem beatam, requiri ſimilitudinem inter Deum, & animam, vt dictum eſt *in 1.* & hoc in fine quæſtionis ad omnes beatos extendit. Itaque ſpecies expreſſa eſt neceſſaria, non vt faciat obiectum præſens; nam quod ſpectat ad Deum; Deus eſt præſens hoc modo, vt notat Seraphicus *in 3. d.14. quæſt.1.* ſed vt faciat illud habitu notum. Ad rem noſtram, non poteſt Deus viſione videri increata, vt omnes Theologi fatentur cum D.Bonau. *in 1.° loc. cit.* & *in 3. d.14.* vbi id agit de Chriſto vt docent citati, præcipuè Suarez, qui ideò infert, negantes Verbum expreſſum in beatis cogi aſſerere, videri ab eis Diuinam eſſentiam, viſione increatâ per ſe formaliter, vnitâ intellectui creato.

ASSERO. Videntes Deum Verbum producunt, quo 64
Deum ipſum videant.

PROBATVR à S.Bonau.1. ſupra è D.Auguſt. *l.9. de Trin. cap.7. 10. 11.* ſupra citatis & *lib.15. cap.16.* vbi ait. *Tunc quidem verbum noſtrum non erit falſum; quia neque mentiemur, neque fallemur.* Similia habet *lib.14.cap.16. & 17.*

Reſpondet Nazarius S.Auguſtinum eo libro 9. loqui de cognitione tantùm viatoris.

Contra quia loquitur de omni cognitione formaliter reduplicatiue, vt cognitio eſt; ait enim hæc verba. *In quantum Deum nouimus, ſimiles ſumus*, vt aduertit Seraphicus ibi, eum vniuerſaliter loquentem inducens, & *cap.10.* ait. *Notitia habet ſimilitudinem ad eam rem, ad quam eſt notitia*, vt notat etiam Fauent. *in 3. d.34. num.5. & 7.*

DEINDE S.Auguſt. *l.14.cap.16.* docet, eam ſimilitudinem, qua Deo ſimilamur in via, perficiendam in patria, dum videbimus eum, ſicuti eſt. Hinc etiam habes teſtimonio primæ D.Ioan. in patria fieri ſimilitudinem cognitione beata.

Sed occurrit Nazarius, ibi fieri ſimilationem beati 65
cum Deo, non in verbo formato de Deo clarè viſo; ſed in perfecta mentis eum Deo per ſummam, ac nobiliſſimam operationem coniunctione. Tunc autem Verbum noſtrum, non fore falſum. Sic & Gonzalez *d. 25. ſect.4.* vbi hanc vocat vnionem intelligibilem, quæ eſt intentionalis intellectus cum obiecto: hæc autem nihil aliud eſt, quàm obiecti repræſentatio; vt ait Ribas, *num. 8.*

Porrò Nazarius non adducit fideliter S. Patrem; nam 15. *de Trin. cap.16.* ait: *Cogitatio noſtra perueniens ad id, quod ſcimus, atque inde formata. Verbum noſtrum verum eſt. Quamobrem cum tanta ſit in iſto ænigmate nunc diſſimilitudo Dei, & Verbi Dei; quia tamen nonnulla ſimilitudo reperta eſt, illud quoque faciendum eſt, quod etiam, cùm ſimiles ei erimus, quando videbimus eum, ſicuti eſt, quod vtique, qui dixerit hanc procul dubio, quæ nunc eſt diſſimilitudinem attendit, nec tunc natura illi erimus æquales, & tunc quidem Verbum noſtrum non erit falſum*, &c.

Vbi vides, S. Patrem ponere ſimilitudinem inter Deum, & Verbum noſtrum de ipſo, imperfectam ſanè in via; ſed in patria perficiendam, vt etiam *c.17.* refricat. Vide Suarez *loc. cit.*

Idem probat S.Bonau. *1.d.27.p.2.q.1.* è D. Anſel. *in Monol.c.31.* vbi ait: *Quamcunque enim rem mens, ſeu per imaginationem, ſeu per rationem cupit veraciter cogitare; eius vtique ſimilitudinem, quantum valet in ipſa ſua cognitione, conatur exprimere, quod quã ò veriùs facit, tantò rem ipſam cogitat* & mox *Quæ imago eius Verbũ eſt*

Quæ loca nullam interpretationem admittunt, vt ait Morandus *num.*148. cum Becan. Nam & Anſelmus hinc arguit eronationem Verbi, vt obſeruat S.Bonau. quæ argumentatio è creata intellectione eſſet inanis, niſi vniuerſaliter aſſet vera, vt dixi de Thoma.

PROBATVR ſecundò à D.Bonau. locis cit. *in* 1. *d.*3.*p.*1. *quæſt.*1. *ad vlt.* & *d.*3. *loc. cit.* ratione qua vtuntur Suarez *num.*9. Tanner. *num.*8. Caſpenſ. *n.*28. Si in cognitione beata non formatur Verbum; ſequitur, beatos formaliter beati per viſionem increatam, ſed eſt abſonum hoc dicere, vt oſtendam 3. *p. tract. de Saluatore*, *d.*14. *quæſt.*1. Ergò. Probatur ſeq. Impoſſibile eſt, intellectum creatum conſtitui formaliter actu videntem Deum, ſine forma creata, cuius formalis effectus ſit conſtituere intelligentem. Sed forma illa eſſentialiter non poteſt eſſe Deus, qui non poteſt eſſe forma. Ergò eſt creatura. Sed nulla alia poteſt aſſignari, præter Verbum, quia illa forma eſt qualitas producta ab intellectu, & informans illum, & ex vi ſuæ informationis faciens illi actualiter præſentem rem intellectam; quod autem tale eſt eſſentialiter, eſt Verbum creatum.

67 Reſpondet Nazarius, vniri Deum per modum ſpeciei intelligibilis intellectui beato ſed hoc confutabitur *quæſt.*6. Pro nunc inſto, nam ſapientia eſt perfectio formalis intellectus. Deus autem non poteſt formaliter perficere intellectum per ſe, vt arguit S. Bonau. *in* 3. *d.*14. *quæſt.*1. *fund.*1. Ibidem habet alia argumenta, referenda 3. *p. loc. cit.*

68 Obiicies primò. Sequeretur, Intellectionem immediatè terminari ad Verbum creatum, & per hoc ad Diuinam eſſentiam. Ergo Deus non videtur immediatè, quod eſt figmentum Armenorum.

Reſpondetur, mentem immediatè ferri in Deum, eique vniri primò per actum intellectionis; mox verbo, vt *Quo* immediatè vnitam obiecto permanenter; non enim verbum primò cognitum eſt, vt notat Morandus *num.*150. Arriaga *d.*8. *ſect.*3.

Obiicies ſecundò. In creatis intelligibilibus ponitur verbum, vt ſuppleatur abſentia obiecti, vel eius improportio; neque in hoc eſt ſimile de Verbo Diuino, quod non producitur ob neceſſitatem intelligendi; ſed ob fœcunditatem naturæ Diuinæ, ſed in viſione Dei obiectum eſt præſtantiſſimum, & intelligibile. Ergo.

69 Reſpondetur. Verbum in creatis, non ob rationes allatas, eſſe neceſſarium ex parte obiecti; ſed propter Imperfectionem potentiæ, quæ quatenus potentialis eſt, eget forma, à qua reducatur in actum; quatenus verò vitalis eſt, eget forma à ſe producta; & quatenus cognoſcitiua eſt, eget forma repræſentatiua; & hæc eſt Verbum. Hæc reſponſio educitur è D.Bonau. allegato in fundamento.

Arguunt etiam quia deberet eſſe Imago infinita, cùm ſit imago Dei. Sed iam reſponſum eſt, *quæſt.*3. Sufficere, ſi ſit infinita in ordine, vt notat D.Bonau. ibi adductus.

70 Tandem arguunt. Quia actio immanens non habet terminum; in quo differt à tranſeunte, ex Ariſtotele 9. *Metaph. t.*16. Reſpondetur, differre, quia tranſiens neceſſariò habet terminum ſemper; immanens verò non neceſſariò ſemper.

Reſpondet Caſpenſis, ea nil produci ad extra, ſicut in tranſeunte. Sed de his *tract.*2. *loc. cit.*

QVÆSTIO V.

Vtrum viſio beata fiat proximè ab intellectu videntis.

PRIMA opinio videtur Scoti 3. *d.*14. *quæſt.*1. *art.*2. & *in* 4. *d.*49. *quæſt.*11. De quo agam *quæſt.*10. Eſt verò Ocham 4. *quæſt.* 12. *art.*3. *ad* 2. Durandi *in* 3. *d.*14. *quæſt.*1. Richardi 3. *d.*14. *art.*2. *quæſt.*3. & *in* 4. *d.*49. *art.*3. *quæſt.*5. Palud 4. *d.*49. *quæſt.*1. dicentium, viſionem non effici ab intellectu, ſed a ſolo Deo infundi: intellectum verò per illam videre, quia illam recipit, eaque informatur.

SECVNDA ſententia eſt, viſionem beatificam eſſe ab intellectu denominatiue, ratione formæ ſuperadditæ, quæ eſt lumen gloriæ, à quo viſio procedit. Ità Scotus *in* 4.*d.*49. *quæſt.*2.*art.*4. Capr. *quæſt.*4.*art.* 3. Ban. *p.*1. *quæſt.*12. *art.*5. Sic aquam calefacere calore extraneo docent.

TERTIA ſententia eſt, viſionem eſſe ab intellectu, vt à principio vitali. Ità S.Bonau. *in* 3. *d.*14. *quæſt.*1. & *quæſt.*3. *ad vlt.* D.Thom. *p.*1. *quæſt.*12. & 1.2. *q.*3. *art.*2. 3. & 4. vbi hoc ſenſu docuit, beatitudinem conſiſtere in operatione. Idem conſtat è 2.2. *quæſt.*23. *art.*2. vbi de actu Charitatis. Idem ſentiunt Caiet. & alij moderni expoſitores D.Thomæ cum Suarez *l.*2. *de attrib. neg. cap.* 10. Arriaga *d.*7. *ſect.*2. Caſpenſi *tract. de viſione beatifica d.*3. *ſect.*1. Idem videtur non negare Ricardus ſupra, & Scotus *in* 4. *loc. cit.* §. *Reſpondeo ergo ad quæſtionem*, vt notat Faber *in* 3. *d.*34. Sequuntur Becan. *cap.*9.*quæſt.*4. Amicus *d.*11. *ſect.*10. Morandus *T.*2. *quæſt.*10. Auerſa hic *ſect.*20. Ribas *T.*3. *d.*4. *cap.*1. Medin.s. 2. *quæſt.*3. *art.*2. dicens eſſe fere de fide.

FVNDAMENTVM ex D.Bonau. loco nuper adducto. Actus animæ, cùm ſit vitalis, debet eſſe à principio vitæ, ideſt anima. Itaque ſicut actus voluntatis eſt ab ipſa voluntate intrinſecè, neque poteſt Deus infundere actum in voluntatem, qui poſſit dici actus voluntatis, ipſa non concurrente, alioqui poſſet non agens moueri, agente gratia, contra Concil. Trid. *ſeſſ.*5. *can.*4. Idem de actu intellectus dicendum, qui quidem eſt vitalis, exiens à principio vitæ, & in eodem receptus, quippe eſt actus immanens procedens à virtute, non extra effuſa. Ità & Caſpenſis, Arriaga, Morandus. At eſto id poſſet abſoluto Dei nixu fieri; attamen credendum eſt, actum beatificum fieri connaturali modo; & quoniam modus connaturalis actuum immanentium eſt, vt à principio intrinſeco emanent, & in ipſo permaneant. Ideò, &c. Neque verò hoc repugnat tali actui, eò quòd ſupernaturalis ſit, vt de actu Charitatis docet Concil. Trid. *ſeſſ.*6. *cap.*4. & 5. & Theologi cum D.Bonau. *in* 3. *d.*14.*q.*1. *in corp.* vbi affert exempla de virtutibus Theologicis. Neque poteſt lumen habere rationem potentiæ, eſſeque veluti intellectus ſupernaturalis animæ infuſus, per quem eliciat actum viſionis, nam ſi lumen eſt potentia. Ergo intellectus nihil confert, neque erit, cur actus viſionis in eo recipiatur. Vnde etiam charitas non erit in voluntate; ſed erit voluntas quædam. Inde quoque ſequitur, animam non fore beatificandam, ſecundùm intellectum, & voluntatem. Sic monent etiam Morandus 191. Faſol. *art.*5. *d.*9. Arriaga *d.*7. *ſect.*7. Ribas *num.*7. 71

ASSERO, viſionem beatam procedere proximè ab intellectu beato.

PROBATVR à Seraphico ratione allata. De ratione actus vitalis eſt, vt procedat à principio vitæ intrinſeco. 72

ſeco. Huiuſmodi autem principium radicale eſt anima; proximum autem eſt potentia animæ, tali actui proportionata, qualis eſt intellectus ad intelligendum. Confirmatur ex omnibus actibus vitæ, nam & in hoc diſtinguitur viuens, à non viuente, quod viuens habet in ſe principium intrinſecum ſui actus, in cuius vſu, & exercitio conſiſtit vltima perfectio viuentis; non viuentia verò, licèt habeant principium intrinſecum ſuorum actuum, quod eſt forma; tamen illa magis eſt mota, quàm mouens. Et ideò dicunt Philoſophi, & Theologi, beatitudinem, quæ eſſe debet vltima perfectio, eſſe actum ipſius beati. Sic ait Ariſtoteles: 10 *Eth. cap.* 3. & 7. Id verò de Theologis oſtendam, *p.* 2. *tract.* 1. *ad* 2. *quæſt.* 5. & 6. Confirmatur è 2. *de anima*, & 9. *met. t.* 5. & 1. *Eth. c.* 1. vbi de intellectione habetur, quòd ſit actus imanens, & conſequenter requirit, vt ab eodem principio procedat, & in eodem recipiatur. Hac ratione vtuntur Suarez, Arriaga, Ribas, & alij.

73 Obiicies primò. intellectus noſter in ſe eſt improportionatus actui viſionis Dei. Ergo per ſe non concurrit.

Respondet Arriaga, intellectum ſecundùm ſe, id eſt ſecundùm proprias vires non eleuatas, eſſe improportionatum; non autem cum lumine. Hæc eſt reſponſio D. Bonau. loc. cit. & paſſim, *d* 14. & *in* 2. *d.* 3. *p* 2. *art.* 2. *quæſt.* 2. in corpore, & argumentis.

Obiicies ſecundò. Sequeretur, hominem beatificari à ſeipſo.

74 Reſpondetur, ſolùm ſequi, hominem concurrere ad ſui beatitudinem; ſicut etiam definitur concurrere ad ſui ſanctificationem, vt definitum eſt in Concilio Trid. & Scripturæ docent. Igitur quia beatitudo principaliter pendet à Deo offerente ſeipſum, vt obiectum, & dante lumen: ideò negatur ſequela. Imò actus vitalis elicitur ab intellectu, potentia naturali eleuata à Deo obedientialiter. Ideò minùs principaliter pendet à beato. Et hoc innuit Seraphicus 3. *d.* 14. *quæſt.* 3. *ad vlt.* vbi ait, animam in viſione, eſſe magis in recipiendo, quàm in agendo. Imò id de omni actu intellectionis innuit Ariſtoteles: 5. *Met. t.* 17. & 3. *de anima t.* 12. & 28. vbi habetur, intelligere eſſe quoddam pati, id eſt antecedenter, & diſpoſitiuè, vt notat Seraphicus *in* 2. *d.* 39. *art.* 1. *quæſt.* 2. Debet enim recipere obiectum, vel ſpeciem eius, imò in intellectu poſſibili intellectionem. Tamen eſt etiam agere, vt habent Philoſophi cum D. Bonau. *loc. cit. in* 3. & ideo denominat ad modum actionis; dicitur enim intellectus intelligere.

75 Obiicies tertiò. Si intellectus immediatè concurrit. Ergo lumine pari, intellectus nobilior clariùs Deum videbit.

Reſpondetur, neg. conſequentiam. Rationem reddit Arriaga, *loc. cit. ſubſec.* 3. quia non ſemper perfectior cauſa, producit perfectiorem effectum. Ità Sol non producit ignem nobiliorem igne, producto ab alio igne. Hæc tamen ratio deficit, quia oppoſitum ſæpè fit. Ergò poteſt fieri. Et hic, cùm intellectus toto conatu nitatur in effectum capacem intenſionis, qualis non eſt ſpecies ignis. Reſpondetur ergo, rationem eſſe, quia intellectus eſt concauſa inferioris ordinis, ad effectum ſuperioris ordinis, quatenus eleuatus eſt. Ideò ſe ſolo non auget viſionem, vt dicam, *quæſt.* 17. Porrò accinit Conc. Vien. Clem. *Ad noſtrum* definiens, lumen gloriæ viſioni neceſſarium ad roborandum intellectum. Ergò & is cooperatur, & eget eleuari, vt operetur.

QVÆSTIO VI.

An Deus vniatur intellectui beato in modum ſpeciei.

Sex munera ſpeciei intelligibili adſcribunt aliqui Philoſophi. Primum eſt inhærere intellectui. Secundum eſt informare illum; conſtituendo ipſum in actu primo ad intelligendum. Tertium eſt, vnire obiectum potentiæ. Quartum eſt efficere actum intelligendi. Quintum repræſentare obiectum. Sextum determinare potentiam ad talem ſpeciem actus. 76

At quidem S. Bonau. nullam obiecto, aut ſpeciei, illius vicariæ, tribuit ad actum vitalem, efficientiam, vt oſtendam *tract. de anima d.* 4. *quæſt.* 10. & dixi *q.* 2. *ad* 2. In reliquis ſpeciei muneribus, non contradicit. 77

Cæterum. Deus neque inhærere poteſt, cùm non ſit accidens, ſed maxima ſubſtantia, neque informare, cùm nequeat eſſe pars, & in altero eſſe; neque formaliter in actu primo intellectum conſtituere. Quòad Tertium. Deus non poteſt gerere vices ſpeciei, quia ſpecies vnit obiectum potentiæ informando intellectum, & hoc conuenit ei per ſe; tametſi obiectum ſæpè vniantur tantùm efficienter, iuuando intellectum, vt docet D. Thom. *p* 1 *q.* 12. *art.* 2. *ad* 3. & 3. *cont. G. cap.* 51. Quare non rectè Caiet. & alij Thomiſtæ concedunt, Deum, licèt non vniatur potentiæ in eſſe formali reali, vniri tamen in eſſe reali intelligibili formaliter conſtituendo intellectum in actu primo intelligibili. Nam ſi eſt vnio realis, vt concedunt, eſto in eſſe intelligibili, debet componi vnum reale; omnis enim vnio realis terminatur ad compoſitum reale: ex Diuina autem eſſentia, & intellectu non poteſt fieri aliquid compoſitum. Quòad efficientiam, iam eam negaui; at Thomiſtæ citati eam in Deo negant inſtrumentalem. Quòad repræſentare obiectum; probabile eſt, ſpeciem eſſe veluti idolum; tametſi non improbabile ſit etiam, eſſe tantum veluti ſemen obiecti, & rationem *Qua.* vt dicam, *tract. de anima, citato loco quæſt.* 9.

Multis, & miris modis conantur Thomiſtæ declarare, quo pacto Deus vniatur intellectui beato in modum ſpeciei; vt videre eſt apud Nazarium *ad art.* 2. *quæſt.* 12. *contro.* 3. 78

Dominicus Soto *in* 4 *d.* 49. *quæſt.* 2. *art.* 3. ait; Diuinam eſſentiam eſſe ſpeciem, & formam intellectus, nihil aliud eſſe, quàm vniri intellectui per ſe ipſam, & conſtituere ipſum in actu primo, vt cum eo ſit vnum principium intelligendi.

Ferrarienſis, 3. *cont. G. cap.* 51. *ait.* Diuinam eſſentiam eſſe ſpeciem, idem eſſe, quòd illam vniri intellectui, & facere, vt ex eius vnione intellectus ſit potens ad intelligendum; ſed differenter à reliquis formis. Quoniam reliquæ dant eſſe diſtinctum à ſe, quia dant eſſe per ſpeciem intelligibilem ab eis diſtinctam: Diuina autem eſſentia, exiſtens in intellectu beati per modum formæ intelligibilis, actuat intellectum, non per aliud à ſe diſtinctum, quod ſit eius formalis effectus, ſed per ſeipſam, & hoc ipſo dicitur Diuina eſſentia forma intellectus in eſſe intelligibili, quia eſt intellectui per ſeipſam ratio, & formale principium intelligendi.

Bañes *ad art.* 2. *quæſt.* 12. ait, Diuinam eſſentiam vniri intellectui beato, tanquam principale agens viſionis, à quo pendet viſio in fieri, & conſeruari, tanquam ab agente ſupernaturali; non tamen concurrere effectiuè cum intellectu ad producendam viſionem beatam, cùm ſolus intellectus cum lumine glo-

riæ eliciat viſionem beatificam efficientem (& hoc dictum, etiam Zumelius putat probabile.) Addit, Diuinam eſſentiam vniri propriè in ratione ſpeciei intelligibilis intellectui Beatorum.

Caietanus vult, Diuinam eſſentiam vniri intellectui beato priùs natura in actu primo in ratione formæ intelligibilis; deinde in actu ſecundo, vt cauſantem effectiuè, & in ratione principij formalis actum videndi. Idem ſentit Nazar. loc. cit. qui allegat etiam D.Thom. *art.*2.*&*3. Auerſa hic, *ſect.*18.

Sententia D. Bonau. eſt, Diuinam eſſentiam non vniri, vt ſpeciem intelligibilem informando; ſed ſolùm efficienter. Sic & Molina *quaſt.*12. *art.*2. Vaſq. *d.*43.*cap.*3. Suar. *l.*2.*de attr. Dei neg. cap.*12. Fauentinus *in* 3.*d.*34.*num.*13. Tanner. *d.*2.*quaſt.*6. *dub.*2.*n.*11. allegantes Richardum 4.*d.*49.*art.*3.*quaſt.*2. Scotum 4. *d.*49.*quaſt.*12. & *in* 3.*d.*14.*q.*2. Ita & Caſpenſis tract. de viſione beata, *d.*3. Morand. *T.*2.*num.*160. Arriaga *d.*8. *ſect.* 4.

Assero primò cum hac ſententia, Deum non vniri beato in modum ſpeciei intelligibilis.

79 Probatvr à Fabro *num.* 13. arg. D.Bonau. *in* 1. *d.*3.*p.*1. *quaſt.*1.*ad vlt.* & *d.* 17.*quaſt.*1. *in corp.* & *in* 2. *d.*26.*quaſt.*2. *corp.* & *in* 3.*d.*14.*quaſt.*2. *fund.*1. & *corpore.* Nulla cauſalitas includens intrinſecè imperfectionem poteſt à Deo ſuppleri: at vniri intellectui ad modum ſpeciei intelligibilis eſt huiuſmodi. Ergo. Mi. probatur, nam ſpecies intelligibilis, ſecundùm Thomiſtas, recipitur in intellectu, & ipſum informat; at hoc dicit imperfectionem, ideſt informere, quod non poteſt conuenire Eſſentiæ Diuinæ. Ergo. Confirmatur, quia deberet fieri vnum compoſitum ex Diuina eſſentia, & intellectu beato, vt dicebat Suarez, quod fruſtra negat Nazarius. Et probatur à D.Bonau. *in* 1.*d.*17. *quaſt.* 1. *fund.*3. quia illa intellectio eſt vita, vt dicitur: *Ioan.*17. *Hæc eſt autem vita æterna, vt cognoſcant te Deum*, ſicuti charitas eſt complementum vitæ beati, vt habet Hug. *de laudibus charitatis.* Vita autem eſt vnum quid ſimplex; at vita creaturæ, quæ eſt per participationem eſt compoſita: ſic & actus vitalis à compoſitione prodit, nam ex viuificante, & viuificabili fit vnum compoſitum, vt notat S.Bonau. Quod ſi tollitur vnio formalis, debet efficienter fieri à Deo ſe exhibente, vt notat Seraphicus loc.cit. & poſt eum Suarez, & infra probabo.

80 Assero ergò ſecundò. Diuina eſſentia non conſtituit formali cauſalitate intellectum in actu ſecundo videntem Deum. Ità Suar. loc. cit. poſt D. Bonau. *in* 3. *d.*14. *quaſt.*1. aduerſus Caietanum, & Nazar. ſupra.

Probatvr ibi à Seraphico in argumentis, & corpore, & in reſp. ad opp. Actus videndi Deum eſt actus creatus formaliter. Ergò repugnat eſſe formaliter à Diuina eſſentia. Probatur ſeq. quia conſtituens in eſſe formaliter dat rei conſtitutæ ſuum eſſe intrinſecum, ſeu id, quod ipſum eſt. Per te Diuina eſſentia conſtituit formaliter intellectum in actu ſecundo intellectionis. Ergo conſtituet in actu increato, quia dabit id, quod ipſa eſt. Hoc autem eſt ab omnibus Catholicis exploſum. Hoc argumento vtuntur Suarez, Morandus, Arriaga.

Reſpondet Nazarius, per vnionem Diuinæ eſſentiæ cum intellectu, beatum fieri Deum in actu primo & in eſſe intelligibili, cui ſuperuenit actus ſecundus, qui eſt videre Deum.

Hæc tamen fuga præcluditur à D Seraphico *loc. cit.* quia eſſe intelligibile eſt tantùm eſſe obiectiuum; at verò vniri formaliter dicit, creaturam formaliter ſapientem eſſe, ſapientiâ increatâ, quod eſt ſolius Dei. Sicuti ergo non eſt amans Spiritu Sancto perſonali; ità neque eſt videns Deum ipſâ eſſentiâ Diuinâ informatus, vt arguit *loc.cit.in* 3. *in reſol.* Deinde arguo cum Suarez loc.cit. & Arriaga *d.*8.*ſect.vlt.* quia ſequeretur, Diuinam eſſentiam cum intellectu informato facere vnum. Quæro: An vnum ſubſtantiale? Et tunc fieret vnum natura; ſi verò vnum accidentale; Ergo Deus inſeruit immediatè, vt accidens in intellectu, tanquam ſubiecto. Tandem arguo. Quod dat eſſe Diuinum in eſſe intelligibili, debet dare illud infinitum quidditatiuum Dei Sed per te illa vnio dat tale eſſe Diuinum, modo dicto. Ergò. Sed hoc eſt falſum: Ergo. Probatur ſubſumptum e Nazario allato, *quaſt.* 3. Ideò enim negat, dari ſpeciem intelligibilem repræſentantem Deum quidditatiuè, quia deberet eſſe quidditas Dei. Ratio eius eſt, quia non refert, ſiue eſſentia ſit in intellectu, ſiue ſit extra in eſſe naturali.

Probatvr ſecundò à D.Bonau. loc.cit. *arg.* 2. *addito reſponſo*, Et *in* 1.*d.*3.*p.*1. *quaſt.*1 *ad vlt* quo vtitur Molina, & Arriaga. Ad viſionem beatificam ſufficit vnio Diuinæ eſſentiæ in ratione obiecti intelligibilis cum intellectu, tanquam cauſa. Sed hoc ſufficienter intelligitur, ſi Deus ſe exhibeat, præſentem mouendo intellectum, informatum lumine gloriæ: Ergo fruſtra ponitur aliqua vnio ad modum formæ. 82

Reſpondet Nazarius, negando Maiorem in his, quæ concurrunt, vt principium vnius actus vitalis, ad quem exigitur proportio, vt ſpecies ſit forma intellectus.

At verò dicat mihi Nazarius; qua ratione obiectum ſpiritualiſſimum præſens intellectui egeat ſpecie; hæc enim vel proportionabit obiectum, quia ipſa ſit ſpiritalior Deo; vel quia ſit minùs ſpiritalis. Primum dici nequit, vt conſtat, quia nihil ſpiritualiùs Deo eſſe poteſt; neque intellectus eſt Deo ſpiritualior, propter quod debeat id fieri, vt proportionetur; ſi ſecundum, ob exceſſum potiùs eleuandus intellectus; ſatis autem eleuatur lumine gloriæ.

Deinde ad actum vitalem non eſt neceſſaria in concauſis proportio formalis, nam calor naturalis vnitur alimento ad actum vitalem nutritionis, non quidem formaliter, ſed efficienter; non enim calor naturalis eſt forma alimenti, cùm illud mutet, atque conuertat.

Probatvr tertiò è D. Bonau. ſupra. Si Diuina eſſentia formaliter vnitur intellectui in eſſe intelligibili, vnitur in eſſe phyſico, nam intellectio requirit veram phyſicam informationem ſpeciei per vos. Hoc autem dicere de Deo abſonum eſt.

Hoc argumento nixi Suarez, & alij, fugas Nazario præcludunt.

Probatur quartò. Non poteſt cauſa formalis ſtare ſine ſuo effectu; at ſpecies ſtat ſine actu cognitionis. Ergo intelligere non eſt à ſpecie, vt à forma. Mi: probatur, quia ſpecies eſt forma diſtincta à cognitione, eſt enim principium eius.

Reſpondet Nazarius, effectum completum ſpeciei non haberi, donec faciat, vt intellectus informatus ſit factus ipſum intelligibile, quod non fit, donec intellectus eſt in actu ſecundo.

Contra. Quod eſt poſterius poteſt à priori ſeparari, ſaltem per Dei potentiam, quando non dicit intrinſecam coniunctionem cum priori. Sed effectus formalis completus ſpeciei eſt prior actu ſecundo; nec intrinſecè coniunctus. Ergo actus ſecundus intellectionis poteſt ſeparari ab effectu formali ſpeciei. Probatur Mi. Effectus completus formalis ſpeciei eſt facere, vt intellectus fiat ipſum intelligibile. Sed hoc eſt prius actu ſecundo, vt habet Nazarius in reſolutione. Ergò.

Probatvr quintò à D.Bonau. *in* 1. *loc. cit.* & 84
in

in 3.d.14. quæſt.1.corp. & *ad* 1. Forma creata non poteſt eſſe formaliter Deus. Actus videndi Deum eſt forma creata. Ergo. Totum argumentum eſt euidens.

Reſpondet Nazarius, hoc eſſe actualitatem, non Diuinæ eſſentiæ, ſed intellectus, & omnis intellectio creata pendet à primo intellectionis fonte, quod eſt Diuina eſſentia ſummè intelligibilis.

Contra arguit S. Bonau. ibi: *ad* 1. quia ſapientia, & cognitio creata eſt perfectio formalis eius intrinſeca, perficiens formaliter intellectum, ordinata ad cognoſcendum fontem ſapientiæ, qui eſt extrinſeca cauſa noſtræ ſapientiæ effectiua; vel ſi aliqualiter formalis, non poteſt eſſe, niſi exemplaris; nam Diuina ſapientia non poteſt eſſe forma cognoſcentis creati; ſed ſibi ipſi ſoli eſt ratio cognoſcendi. Vnde laborat in æquiuoco Nazarius.

Probatvr ſextò à D. Bonau. *in corp.* & *ad* 3. Principium formale, quo agens operatur eſt ſubordinatum agenti, & eo inferius: at Deus non eſt inferior animâ; ſed è contra. Ergo. Hoc argumento vtitur Bañes.

Reſpondet Nazarius, principium, *Quo* ſubſiſtens non ſubordinari agenti, ſed ſolum id verificari de principio *Quo* inhærente, talis autem non eſt Diuina eſſentia.

Contra. Omne illud, quod accipit ab alio virtutem ad operandum, operatione illi ſubordinatur. Sed omne principium formale intellectionis accipit virtutem operandi, & operari ab intellectu, & intelligente. Ergo omne tale principium ſubordinatur intellectui. Omnes propoſitiones ſunt aduerſarij: argumentum verò in *Barbara*. Confirmatur, nam eſſe ſubſiſtens non inhærens, non tollit dependentiam, vt patet de inſtrumento artificis, quod eſt ſubſtantia, puta ſecuris, & aſcia; & tamen pendet. Similiter generans vniuocum, licèt ſubſiſtens, ſubordinatur agenti vniuerſaliter æquiuoco, puta Soli. Confirmatur ſecundò. Quando Angelus intelligit ſe ipſum per ſuam eſſentiam, eſſentia Angeli concurrit effectiuè.

86 Probatvr ſeptimò à D.Bonau. ad idem tertium exemplo animæ, vel Angeli cognoſcentis ſe. Arguo autem ſic. Non minùs eſt præſens Deus animæ informatæ lumine gloriæ, quàm ipſa anima ſit ſibi ipſi præſens; at anima ſeipſam per ſeipſam intelligit. Ergo & ipſa Deum. Ità & Suarez, *n.*15. Caſpenſis *n.*41. Molina verò arguebat de vno Angelo cognoſcente alium præſentem: & Nazarius reſpondit, negando, Angelum per ſuam ſubſtantiam intelligere alium Angelum, quia neutrius ſubſtantia eſt forma tantum in genere intelligibili. In caſu autem noſtro, reſponſio illius falſa inuenta eſt; nam anima non poteſt emittere ſpeciem ſui ad ſe, neque aliqua inuenitur neceſſitas, niſi ſomniata.

87 Probatvr octauò à D. Bonau. *in* 1.*d.*17. *q.*1. & *in* 2.*d.*26.*q.*2. *fund.*3. ducente ad impoſſibile, & *in* 3.*d.*14.*q.*1.*fund.* 2. quo vtitur Suarez. Suppono autem ex aduerſariis, fieri realem vnionem Diuinæ eſſentiæ cum intellectu in eſſe intelligibili, vt loquuntur ipſi. Noua vnio realis non fit, ſine nouo modo, & mutatione reali in altero extremorum: in caſu verò noſtro, neque in eſſentia Diuina hoc reperiri poteſt, vt per ſe conſtat: neque in intellectu in actu primo, & quatenus antecedit viſionem, nec facilè poteſt fingi, aut explicari talis modus.

Reſpondet Nazarius, interuenire mutationem ex parte intellectus creati, quia beatis fit Deus in eſſe intelligibili prius naturâ, quam videat Deum, vt benè ait Caietanus; & quilibet intelligens (ait) fit prius intelligibilis per ſpeciem, antequam intelligat; ſed per actualem intellectionem affertur complementum. Modus autem adueniens, non aliter explicari poteſt, quàm dicendo nil reale eſſe additum intellectui, ſed eſſe ipſum intellectum, vt eſt perfectus Diuinâ eſſentiâ, tanquam ſpecie intelligibili.

Contra, quia, vt aduertit Suarez, ipſi Thomiſtæ fatentur, nil reale, præter lumen gloriæ, addi intellectui in actu primo antecedenter ad viſionem. Ergo nulla eſt facta mutatio realis, nullus modus realis additus. Multa alia argumenta è D. Bonau. eruerem: Sed hæc ſufficiant, vt perſuaſum ſit, Seraphicum D. in controuerſia, vix ſalutatum nomine, exactiſſimè eam pertractaſſe, eiuſque rationes ab aliis ſurripi, quod in cæteris quoque oſtendam.

Aliqui Thomiſtæ difficultatibus preſſi concludunt, Deum vniri intellectui beato ad modum quidem ſpeciei; ſed modo ineffabili.

Verum non ſatisfaciunt, ſicuti tenentur; ad mo- 89
dos enim ineffabiles confugere, eſt difficultates effugere, eaſque non Philoſophico, aut Theologico more definire; ſed Ægyptiorum ænigmatibus obuoluere.

Assero tertiò, Deum non modo ſua voluntate viſionem efficere, ſed etiam efficienter in ratione obiecti intelligibilis eam cauſare.

Probatvr à quibuſdam. Obiectum intelligibile efficienter concurrit ad intellectionem, aut per ſe, aut per ſuam ſpeciem. Deus eſt obiectum intelligibile beatis. Ergo. Confirmatur, nam, ſi efficienter non concurrit, oportet, vt concurrat materialiter, quod Deum dedecet.

Hæc tamen ratio non probatur, quia obiectum in- 90
telligibile non concurrit efficienter ad intellectionem, vt oſtendam, *tract.*9.*d.*4 *q.*10. Neque concurſus materialis obiecti dedecet Deum, quia materialitas obiectiua non dicit imperfectionem, ſed ſola ſubiectiua.

Probatvr ergo alio modo. Obiectum tranſcen- 91
dens potentiam debet proportionari, & per condeſcenſionem aptari potentiæ. Deus eſt tale obiectum, Ergo peculiari hac ratione, quatenus eſt obiectum ſupernaturale, debet ſe per condeſcenſionem accommodare captui potentiæ efficienter eam aptando. Itaque argumentum ſumi debet, non ex ordinario modo ſe habendi obiectorum naturalium, quæ ſanè materialiter tantum concurrunt; ſed ex peculiari ratione obiecti ſupernaturalis. In hac ergò viſione peculiare eſſe debet obiecto efficienter concurrere ob rationem allatam, vt docet D.Bonau. *in* 1.*d.*3.*p.*1.*q.*3.*ad* 2.

An verò iſta efficientia attribui debeat non modo eſſentiæ, ſed etiam relationibus. Vide *q.*2.

Quoad vltimum munus ſpeciei, determinandi potentiam intellectiuam ad talem actum: Dico, Deum determinare intellectum applicando illum aſpectui ſuæ faciei diuinæ.

Obiicies primò cum Nazario, contra primum aſſertum. Operatio vitalis non modo quoad ſubſtantiam, ſed etiam quoad ſpeciem atomam eſt tota à principio intrinſeco. At viſio beatifica eſt vitalis actio. Ergò eſt tota à principio intrinſeco, etiam quoad id, quod ſpectat ad Deum gerentem vices ſpeciei.

Reſpondetur è D.Bonau, 3.*d.*14. *q.*1. *in fundamen-* 92
tis, *& corpore*, actum viſionis ſufficienter eſſe vitalem à principio intrinſeco, ſi eliciatur ab intellectu informato aliquo habitu; eſt autem hic habitus Luminis gloriæ; nam quod ſpectat ad obiectum, vel ſpeciem, non eſt neceſſarium, vt conſtat etiam in actibus, quibus anima ſeipſam conſiderans Deo mouente elicit actus charitatis.

Obiicies ſecundò cum eo contra ſecundum aſſertum. Ad hoc Diuina eſſentia ſtatuitur forma intelligibilis,

bilis, vt vniat intellectum beati cum Diuina eſſentia, vnione perfecta; at vnio perfecta non eſt, niſi quòad actum ſecundum. Ergo eſſentia Diuina vnitur, vt forma, quòad actum ſecundum.

93 Reſpondetur ex dictis, ſufficere, ſi ad actum ſecundum vniatur obiectiuè, ad quod non eſt neceſſaria vnio formalis, vt notat Seraphicus *in 1.d.3.loc.cit.*

Obiicies tertiò. Intellectus in actu eſt principium vnionis elicitiuum tàm quòad ſubſtantiam, quàm quò ad ſpeciem. Sed hoc non poteſt facere niſi per formam, quæ eſt ſpecies intelligibilis. Ergo. Mi. probatur, quia ſi per aliud efficeret, illud eſſet lumen gloriæ; at illud non ſufficeret ad ſpecificandam operationem. Ergo.

94 Reſpondetur, Deum efficienter modo ſingulari ſupplere id, quod operaretur ſpecies non efficienter, ſed materialiter obiectiuè. Igitur Deus ſufficienter ſe offerens intellectui beato, determinat eum ad talem actum viſionis.

Multa alia congerit Zumellus ad hunc articulum, *d.3.concl.5.* ſed patent ex dictis.

QVÆSTIO VII.

An poſſit Diuina eſſentia videri ab oculo corporeo.

PAGANI credentes Deos corporeos, conſequenter dixerunt, videri oculo corporeo. Eundem errorem ebiberunt Antropomorphitæ Quin Vaſq. *d.*40. hunc errorem S. Auguſtino ferè inurit, 22.*de ciu.c.*29. Id verò laxis fibris latrat Vorſtius Caluiniſta; apud Becan. *cap.9 quæſt.*6.

95 At S Auguſt. reſpondet primò. Sanctos non egere oculis corporeis ad videndum Deum. Deinde ait, videri quidem, Iob. cap.42. *Auditu auris audiui te: nunc autem oculus meus videt te*: aſſerere, Sanctos viſuros ſpiritualia oculis corporeis; attamen reſpondet, intelligi de oculis mentis, de quibus Apoſtolus, Eph. 1. *Illuminatos oculos cordis veſtri.* Vnde reſoluit Scripturas, quæ poſſunt innuere, Deum videri oculo corporeo, Lucæ 2. *Viderunt oculi mei ſalutare tuum.* Hoc autem explicat de Deo Incarnato. Et illud Iob. 19. *In carne mea videbo Deum ſaluatorem meum.* Obſeruat non dici, videbo per carnem, ſed in carne. Et ſi id ità dixiſſet, exponendum de Deo in carne. Et id 1.Cor.13. *Videbimus facie ad faciem*, exponit de facie interiori de qua 1.Cor.3. *Nos autem reuelata facie gloriam Domini ſpeculantes.* Tandem concludit, nos viſuros oculis corporeis Deum, non in ſe, quia ſpiritus eſt, ſed per creaturas ſublimes, non in ænigmate, quod aſſerit etiam D.Bonau. *in* 1.*d*.3. *quæſt*.3. & *in* 2.*d*.2.*art*.2. *quæſt*.3. at verò oculis ineſſe virtutem ſpiritualem, ait, difficile creditur, & impoſſibile ad probandum. Idem ſentit S.Auguſt. *ep*.6. & inclinat epiſtolis 111. & 112. Vide etiam D.Thom. *art*.3. Tametſi Arriaga *d*.6. *ſect*.1. dicat; S. Auguſtinum, loco à D.Thom. adducto, hoc non determinare.

COMMVNITER Scholaſtici *in* 4. *d*.49. D. Thom. *p*.1.*q*.12.*art*.3. & *cont*.*G*.*c*.54. vbi diſcipuli D.Bonau. *in* 1.*d*.3.*quæſt*.1.*arg*.2. & *in* 3.*d*.14. *q*.1. *arg*.3. *fundamentali*, adeò firmiter negant, oculo corporeo videri Deum, vt neque per Dei potentiam id fieri poſſe aſſeuerent. Et hoc vltimum adeò etiam certò aſſeuerant, vt Vaſq. dicat, oppoſitum eſſe erroneum manifeſtum, atque adeò aſſerunt Valentia, & Arrubal apud Caſpenſem, id eſſe de fide. Et Suar. *l*.2. *de attr.neg.cap*.6. eſſe quaſi dogma fidei. Idem tenet Trigoſius *q*.7. *art*.1. *dub*.8. Morand. *tr*.2.*q*.2. Ribas *tr*.3.*d*.1.*c*.1. Becan. *loc.cit.*

Attamen oppoſitum aſſerit P.Salas *p* 2.*q*.3. *tract*.2. *d*.5.*ſect*.1. Adducitur etiam à Trigoſio, loc.cit. D.Epiphan. *l*.3.*cont.hereſ*. *hereſi* 48.

ASSERO, non poſſe Deum vllo modo videri ab oculo corporeo.

PROBATVR primò è Scripturis, quæ Deum in- 96
corporeum teſtantur, è quibus ſequitur, non cadere ſub obiecto ſenſuum. Ioan.4. *Deus ſpiritus eſt*, vbi D. Bonau. egregiè in commentario id oſtendit. Deinde probatur è Scripturis, quæ Deum teſtantur inuiſibilem. Sic *Ioan*.1. *Deum nemo vidit vnquam*; vt arguit Seraphicus ibi, Et 1. Tim. 6. *Qui habitat lucem inacceſſibilem.* Idemque confirmat S.D. è Chryſoſtomo *homil*.15. & Gloſſa D. Gregorij, 18. *Moral. cap*. 27. & Aug. *tract*.3. *in Ioan.*

ASSERO ſecundò, neque per Dei potentiam poſſe oculum corporeum eleuari ad Deum videndum.

PROBATVR à D.Bonau. vbi ſupra, ratione natura- 97
li, quam Vaſq. adeò efficacem aſtruit, vt oppoſitum erroris ideò accuſet manifeſtè. Eſt autem ratio hæc allata etiam à D. Thom. quæ in hoc fundatur, quod nulla potentia poteſt extendi extra ſuum obiectum adæquatum; licèt valeat extendi extra obiectum proportionatum; Vnde primùm probatur; non enim oculus poteſt ſentire ſonum, vel ſaporem: Secundum patet, oculus enim lippus confortatus poteſt videre ſolem. Vide Nazarium *ad art*.3. *D.Thom.* Morandum *n*.125. Ribam *num*.3. Becanum *loc.cit.*

SIC igitur diſcurram. Viſio, & quælibet cognitio, ità eſt actio videntis, ſeu cognoſcentis, vt ab eo etiam pendeat, tanquam à cauſa efficiente, & à Solo Deo produci nequeat, vt probaui *quæſt*.5. aut eſt actio grammaticalis per modum ſolius formæ afficiens ſubiectum ità pendens ab illo, vt à ſolo Deo fieri queat. Vtroque modo conuincitur, Deum oculo corporeo videri non poſſe. Si enim viſio intrinſecè pendet ab oculo, debet is habere virtutem intrinſecam circa illud obiectum, (eſto egentem ſubleuari à Deo) non enim poteſt aliqua potentia eleuari à Deo ad cognoſcendum aliquid, quod ſit extra latitudinem ſui obiecti. Cùm ergo obiectum ſenſatæ viſionis intra latitudinem corporis ſtringatur; ſequitur, ſpiritum non poſſe videri, cùm neque ad videndum omnia corporea, puta ſaporem, & ſonum, queat extendi. Sic arguit etiam Arriaga *d*.6.*ſect*.1. Morand. *n*.126. Caſpenſ. *d*.3.*ſect*.7. Marcus *q*.12.*art*.2.*d*.3.

SI verò concedatur viſio poſſe à ſolo Deo produci, 98
non tamen poteſt in ſubiecto corporeo obiectum ſpirituale poni, ſicuti non poteſt viſio cæli poni in lapide, manente lapide in ſua natura, neque verò poteſt poni in lapide viſio, vt ſpecificè viſio eſt, vt conſtat: ſed neque vt qualitas eſt, quia non poteſt forma aliqua poni in aliquo ſubiecto; & ei non dare ſuum effectum formalem. Quod verò potentia non poſſit egredi extra ſuum obiectum adæquatum, probatur, quia ab illo ſpecificatur, vel ſaltem à poſteriori dignoſcitur certò eſſe talis ſpeciei. Vnde ne erretur in cognitione potentiæ, oportet, eam ſuo obiecto comparare. Ità quoque probatur à Suarez ſupra, Pineda *ad cap*.19. *Iob.* Et in hoc deceptus eſt Salas.

PROBATVR ſecundò à D.Bonau. *loc.cit.in* 1. Mul- 99
to magis ſecundum genus diſtat in ratione obiecti res ſpiritualis creata, tametſi finita, à facultate ſentiente, quàm Deus, qui infinitus eſt ab intellectu noſtro. Sed Deus non poteſt videri ab intellectu, niſi per miraculum eleuato. Ergo non poterit vlla res ſpiritualis videri oculo corporeo per vllam potentiam. Ma. probatur, quia Deus, licèt ſecundùm entitatem infinitus, tamen eſt obiectum intellectus, quia eſt ens:

at

at verò res ſpiritualis, & finita eſt extra obiectum ſenſuum. Hac doctrina, quæ argumentum etiam primum ſupra allatum continet, opiparè deliciantur loc. cit. Vaſquez, & Scotus *d.49.q.11.*

100 Obiicies primò Scripturas, quæ Deo adſcribunt membra corporea, vt oculos. Pſal. 73. *Oculi Domini ſuper iuſtos.* Manus. Iob. 19. *Manus Domini tetigit me.* Sinum, Ioan. 1. *Vnigenitus qui eſt in ſinu Patris.*

Reſpondet S. Bonau. *ad Pſal.* 101. Deo adſcribi membra, vt nos, qui aliter non percipimus, quàm ſenſibilia per ſenſibilia; ipſa ſpiritualia per ſenſibilia percipiamus. Sic vt Scientiam Dei claram deſcribamus, oculos ei adſcribimus; manus, vt exprimamus Potentiam; aures, vt facilitatem ad exaudiendum. Ad illud *Ioan.* 1. reſpondet D.Bonau. *in Comment.* è D.Chryſuſtomo, illis verbis exprimi maximam cum Patre coniunctionem.

Obiicies ſecundò multas Dei apparitiones Sanctis viris factas, vt teſtantur, Iſa. *c.6. Micheas 3.Reg.*22.

Reſpondet D. Chryſoſt. à Seraphico relatus; eas fuiſſe viſiones condeſcenſionis, non ipſius ſubſtantiæ Dei. Eſt enim Deus ſimplex infigurabilis, vt ipſe ait *Deuter.*4.

101 Obiicit quoque S Auguſt. illud Exod. 33. *Loquebatur Deus Moyſi facie ad faciem.* Quod habetur etiam, *num,*22.

Reſpondet D.Bonau. tunc Angelum locutum, qui Dei vices gerebat: Moyſem verò tunc non vidiſſe Deum obſeruat S. Auguſt. quia poſtea petiuit *ſi inueni gratiam, oſtende mihi faciem tuam.*

Similiter D. Gregor. 18. *Moral. cap.* 27. opponit ſibi id, Geneſ. 33. *Vidi Dominum facie ad faciem*, & Iob. 42. *Nunc autem oculus meus videt te.*

Reſpondet ergo S. Bonau. è D.Gregorio, illud Ioan. 1. *Deum nemo vidit vnquam*, in vita; niſi in imaginibus. Ità reſpondet & Suarez.

102 Notat verò S. Bonau. quòd quadruplex eſt viſio. Dei. Prima imaginaria per figuras, quales fuerunt prophetarum. Secunda ænigmatica per fidem, de qua 1. Cor. 13. *Videmus nunc per ſpeculum.* Tertia per contemplationem, vt ait D.Gregor. loc. cit. qui adducit illud Iob. 28. *Abſcondita eſt ab oculis viuentium*; vbi ait: *Quiſquis ſapientiam Dei ſic videt, huic vita funditus moritur.* Quarta eſt viſio clara Dei in maieſtate facie ad faciem. De hac dicit Ioan. *ep.* 1. *cap.*3. *Videbimus eum ſicuti eſt* & Iob. 33. *Videbis faciem eius in iubilo.*

An illud Iob. 42. reſpondet Vaſq. velle Iob dicere, ſe Diuinam prouidentiam, de qua paululum muſſitauerat, quamque audierat; iam experiri, & veluti intueri. Sic & Becan.

Obiicies tertiò id Iob. 19. *In carne mea videbo Deum ſaluatorem.* Et quod negotium faceſſit, eſt, quia in quibuſdam codicibus Hebræis non eſt vocula *Saluatorem*, ſed habetur. *Videbo Deum meum.* Quare non poteſt intelligi de Deo Incarnato.

Reſpondet Vaſq. primò cum D. Auguſt. Iob loqui de viſione Dei per oculum mentis. Ideò non dixiſſe per carnem; ſed in carne.

103 Reſpondet ſecundò, ſenſum eſſe, videndum in imagine. Sed hoc non eſt rectè dictum, vt notat Pineda.

Respondet D.Bonau. *in 4.d.49.p.2.art.3.quæſt.*1. è D.Aug. *l.de ſpiritu, & anima*, illud intelligi de viſione humanitatis Chriſti, iuxta id Apoc. 1. *Videbit eum omnis oculus.*

Hæc expoſitio vera eſt ſecundùm multos codices, vt notat Pineda, & reſpondet illis verbis: *Scio quod Redemptor meus viuit.* Et ideò, vbi habetur, *Deum meum*: in editionibus nonnullis hebraicis legitur, *Elohim, Deum meum iudicem*, id eſt Chriſtum.

Hinc S.Auguſt. *ſerm.* 2. *de Natiu.* ait: *Prædicat eximius prophetarum. In carne mea videbo Deum, quod de illo tempore prophetauit, quando Chriſti Deitas habitu noſtræ carnis induta eſt.*

An id videntur alludere LXX. & Nicetas, vt notat Pineda, quaſi Iob illum ſperaret Redemptorem, quem, ſenſerat percutientem, & huic expoſitioni applaudit ipſe Pineda ad mentem D.Thom. Gloſſæ Interlin. Caiet. Hugonis, Dionyſij, Titelmani, Rabbi, Samuel, Marochiani, *in ep. ad Iſaac de Adu. Meſſia, cap.* 11. vbi ex hoc loco probat, Saluatorem eſſe Deum, & hominem, nam ſecus, oculi corporei non viderent Deum.

Id probat Pineda primò è codicibus, qui ponunt, *Saluatorem meum.* Secundò è Dei nomine quod iudicem ſignificat, iuxta id, *Omne iudicium dedit Filio.* Et ex ep. Petri, vbi ſperat reuelationem Chriſti. *Quem cum non videritis diligitis.* id confirmat è D. Auguſt. *in Manuali cap.* 16. vbi ait, Deum factum hominem, vt vterque ſenſus hominis in eo beatificaretur, & reficeretur oculus cordis in eius Deitate; & oculus corporis in humanitate. Tandem affert librum *de Spiritu, & anima, cap.*54. & 60. allatum à D. Bonau. & D. Cyprianum, ſerm. de Natiu. Chriſti. Ità expoſitio Seraphici eſt genuina, vt fatetur Pineda

Vel dic, aſtrui hic reſurrectionem; & animam, in carne reaſſumpta, viſuram Deum.

Obiicies quartò. Senſus ſaltem interior poteſt hâbere notitiam abſtractiuam Dei. Ergo & intuitiuam. Probatur Antec. quia appetitus ſenſitiuus dolet de peccato, vt eſt offenſa Dei. ergo præcedit in eo cognitio. Secundò, quia in appetitu ſenſitiuo collocantur virtutes infuſæ, vt fortitudo, Temperantia, &c.

Reſpondet D. Bonau. *3.d.33. quæſt.* 3. negando in appetitu ſenſitiuo poſſe eſſe actus, vel habitus virtutum. Probatur nam. Ex 2.*Eth. cap.*5. Virtus eſt habitus electiuus. Secundò, virtus meretur laudem. Ergo eſt in ſola potentia, quæ poteſt laudem merere, talis autem eſt ſola voluntas, vt oſtendam *p.2. tract.2. d.2. quæſt* 9. 104

Obiicies quintò. Res corporea eleuatur à Deo, vt agat in ſpiritum, vt materiæ Sacramentorum cauſant gratiam; Ignis Inferni torquet ſpiritus.

Reſpondetur, materias Sacramentorum agere tantùm moraliter, vt dicam *3.p. tract.2 d.4 q.2.*

Ignis verò inferni torquet apprehenſus, vt circundans, includens, &c. Vide *tract.4.d.8.q.14.*

Obiicies ſextò cum Sala. Plus diſtat ens increatum ab intellectu, quàm creatum ſpirituale à ſenſu. Sed Deus eleuat intellectum creatum ad viſionem entis increati: Ergo. Hoc argumentum ſumptum eſt è D.Bonau. *in 1.d.3.p.1.quæſt.1.* §. *Ex prima ſuppoſitione.*

Reſpondet S.D. loc. cit. neg. Maiorem, licèt enim intenſiuè in ratione entis perfectioris plus diſtet; tamen extenſiuè in Sphæra proprij obiecti magis diſtat Spiritus à ſenſu, quàm Deus ab intellectu, vt dixi initio; nam Deus eſt obiectum intellectus; non ſic ſpiritus continetur in latitudine obiecti ſenſuum. Ità reſpondent Suarez, Vaſq. Trigoſ. aliiſque ſupra cum D.Bonau. *loc. cit. ad* 2. 105

Dices. Sicut res ſe habet ad eſſe; ità & ad cognoſci. Sed Deus in ratione entis per te plus diſtat ab intellectu; quàm Angelus ab oculo: Ergo & in cognoſcendo.

Reſpondetur è D.Bonau. *in 1.d.3.q.1.* Maiorem eſſe veram, hoc ſenſu, quòd ſcilicet eadem ſunt principia eſſendi, & cognoſcendi materialiter: at verò obiectum ſumendum eſt formaliter in commenſuratione ad ſuam potentiam, & hoc modo plus differt in eſſendo, & etiam in cognoſcendo oculus, ab Angelo.

Arriaga

Arriaga concedit, poſſe dari corpoream naturam capacem cognitionis rei ſpiritualis; non tamen ſequi, eſſe capacem viſionis Dei; ſed neque hoc dictum probatur, vt dixi.

QVÆSTIO VIII.

An poſſit intellectus creatus viribus naturæ videre Deum.

D.Bonau in 2.d 23. art.2. q.3.
D. Thom. art.4.

ERRAVERE in hoc multi Philoſophi relati à Nazianzeno *orat.*42. & Eunomius à D. Chryſoſt. relatus, *homil.* 5. de incomprehenſibili natura Dei, aliique. (Os aureum hos vocat, *Anomæos*, ideſt ſine regula) Eâdem notâ eos obſignat Epiphan. *hæreſi* 76. Eos ſecuti ſunt Beguardi, & Beguinæ aſſerentes, Deum poſſe naturaliter videri.

Durandus *in* 4.*d*.49. *quæſt*.2. ea ſola de cauſa concedit, nos non poſſe Deum videre, quia pendemus à ſenſibus, poſſeque Deum clarè videri per gratiam, quæ in eo poſita eſt, vt Deus dignetur ſe manifeſtare intellectui. Itaque hoc poſito, poſſe Deum naturaliter videri abſque lumine gloriæ.

Scotus *in* 2.*d*.3. *quæſt*. 9. ait, poſſe Angelum per ſpeciem connaturalem cognoſcere quidditatiuè Diuinam eſſentiam. Idem ſentit Gabr. *ibidem q*.2. ait tamen, eam cognitionem non poſſe naturaliter haberi, niſi ab initio. Fatetur autem, eam viſionem fieri per gratiam: Scotus etiam ſupernaturalem confitetur. Quare non ſunt cum hæreticis inuoluendi.

ASSERO primò cum communi Theologorum ſenſu, viſionem Diuinæ eſſentiæ ſupernaturalem omninò eſſe.

106 PROBATVR primò à D.Bonau. 3.*d*.27. *quæſt*.1. ex illo Rom 6. *Gratia autem Dei, vita æterna*; vbi aduertit S. D. quod licèt vita æterna ſit ex merito, tamen dicitur gratia, quia in ea fundatur. Idem quoque Suarez notauit, *l*.2. *de attrib. neg. cap*.8. Eadem authoritate vtitur Valentia *d*.1.*q*.12.*p*.3. Scotus apud Fabrum *d*.32.*cap*.3.

PROBATVR ſecundò à Seraphico præclarè, contra Anomæos, *in comment. ad c*.14. Ioan. vbi Philippus poſtulat à Chriſto. *Domine oſtende nobis Patrem, & ſufficit nobis*, & ideò Pſal. 16. ait Propheta. *Satiabor cum apparuerit gloria tua*. Hoc ſanè non peteret, ſi id naturaliter conſequi poſſet; poſtulat autem; quia *Deus lucem habitat inacceſſibilem: quem nullus hominum vidit ſed nec videre poteſt*; vt habetur 1. *Tim*.6. Eſt autem argumentum Concil. Mileuit. Si petimus à Deo in oratione Dominica. *Ne nos inducas in tentationem*; ſignum eſt, non eſſe in naturali virtute noſtra omnes vincere tentationes. Hac authoritate, Vaſq. *d*.41. maximè nititur. Confirmatur à S.Bonau. ibi ex illis verbis: *Qui habet mandata mea, & ſeruat ea, ille eſt qui diligit me; Et ego diligam eum, & manifeſtabo ei me ipſum*. Hæc enim, cùm ſit merces fidei, & charitatis, eſt magna promiſſio ſupernaturaliter danda. Hac authoritate nititur Suarez.

107 Hinc arguunt Vaſq. *diſp* 42. *c*.5. Arriaga *d*.5.*ſect*.1. cum Seraphico *loc.cit.* & *in* 2.*d*.3.*p*.2.*art*.2.*q*.2. Viſio beatifica eſt per Dei gratiam præmium fidei, & charitatis ſupernaturalis, vt habetur *loc.cit. Ioan.* & Rom.6. *Gratia autem Dei, vita æterna*. Ergò non poteſt naturaliter obtineri. Hanc rationem firmam aſtruunt allegati Doctores.

PROBATVR tertiò à D.Bonau. *in* 2. *loc. cit.* è D. Dionyſ. *de Myſt. Theol. cap*. 1. vbi vocat indoctos, qui dicunt, ſe noſſe eum, *qui poſuit tenebras latibulum ſuum*. Idem e D.Gregor. confirmat.

PROBATVR quartò a S. D. *ibi*. Naturalia in An- 108
gelo cùm ſint integra, vt ait D. Dionyſius, ſequeretur, poſſe naturaliter Dæmones videre Deum, eſſeque beatos.

PROBATVR quintò à Seraphico. Vicinior eſt Deo homo in gratia, quam Angelus in puris naturalibus. Sed non poteſt homo in gratia, cum ſola gratia, videre Deum: Ergo multò minus naturaliter.

PROBATVR ſextò à D. Bonau. 3.*d*.23. *q* 1. *ad vlt.* 109
Id, quod eſt ordinis gratiæ, tranſcendit omnem virtutem ordinis naturæ, ſicut tranſcendit etiam eſſe ipſum naturæ: Sed beatitudo eſt ordinis gratiæ, eamque requirit. Ergò. Hanc rationem ſolidant acclamat Arriaga *d*.5.*ſect*.5. Ea verò vtuntur Herize *d*.28.*num*.2. & alij ad probandum, viſionem beatam repugnare cuique naturæ creabili. Ratio eſt, quia ſemper erit ordinis ſuperioris, nempè ſupernaturalis.

PROBATVR ſeptimò à S.D. *in* 1.*d*.3.*quæſt*.1. addi- 110
to eo, quod habet *in* 2.*d*.23.*art*.2.*q*. 3.*ad* 7 & *in corpore* (nam huc ſe remittit, in primo loco adducto.) Idemque habet *in* 2.*d*.3.*p*.1.*art*.2.*q*.2. Omnis cognitio fit per aſſimilationem. Ergo viſio Dei per Deiformitatem vnione ſpirituali. Sed non poteſt creatura naturaliter ſic vniri Deo. Ergo. Probatur Mi ex impedimentis. Primò enim in hac vita homo non poteſt ſic vniri Deo, quia in ſua cognitione pendet à ſenſibus, qui ſola corporea haurire valent; Deus autem eſt puriſſimus ſpiritus. Quòd verò neque ſeparata anima, neque Angelus id naturaliter valeat, probatur; quia aſſimilatio in ratione cognoſcentis, & cogniti fit per aliquid, per quod obiectum cum potentia proportionetur. Deus verò cùm ſit altioris ſtatus in infinitum, debet per aliquid ſupernaturale proportionari. Hoc autem eſt lumen gloriæ, vt infra oſtendam: Ergo, Hac ratione vtuntur Suar. Vaſq. & alij. Confirmatur, nam viſio Dei eſt ſupernaturalis ſecundùm ſubſtantiam, cum in natura nullæ vires ad id inueniantur, vt dixi.

TANDEM fuit definitum in Concilio Vien. *Clement. Ad noſtram.*

Obiiciunt Anomæi. Deus eſt ſimplex. Ergo vel comprehenditur, vel omninò ignoratur; nam ex Ariſtotele: 9. *met. cap*.12. non decipitur intellectus circa ſubſtantias ſimplices, ſed aut eas omninò attingit, aut ignorat.

Reſpondet Chryſoſt. *loc. cit.* & Nazianzen. *orat*.42. 111
Deum eſſe quidem ſimplicem; multa tamen prædicata ei à nobis tribui; neque ſimplicitatem apprehendimus, vt totam, atque adæquatam eius ſubſtantiam, ſed vt rem ad modum affectionis; cùm verò res ſimpliciſſima comparatiuè cum alia cognoſcitur, quaſi per partes percipitur: Ariſtoteles: verò non negat, res ſpirituales ſimplices, quaſi per partes percipi; ſed vult quidditatiuo conceptu aut omninò percipi, aut omninò ignorari. Deus igitur, licèt ſimpliciſſimus, cùm ſit infinitus, & innumeris completur perfectionibus, non comprehenditur; & tamen clarè videri poteſt ipſo condeſcendente.

Reſpondet D.Bonau. *in* 1. *d*.3. *quæſt*.1. Quòd infinitum ſimplex, ita eſt ſimplex totum, vt extra omne ſit. Ideò poteſt cognoſci totum, non tamen comprehendi totaliter, quia intellectus, licèt ſimplicitatem apprehendat; non tamen totalitatem in ſe claudit, ſicut nec creatura immenſum includit.

QVÆSTIO

QVÆSTIO IX.

An poſſit creari intellectus, cui ſit connaturalis viſio Dei.

HÆc quæſtio iuuat ad ſolidandam doctrinam quæſtionis præcedentis; & ideò eam hic appono, quamuis proponatur ab aliis, cùm de lumine gloriæ, hoc titulo. An poſſit dari creatura, cui ſit connaturale lumen gloriæ.

212 QVONIAM verò ſupernaturale opponitur naturali; oportet priùs videre, in quo conſiſtat ratio ſupernaturalis ſubſtantialis: & ratio ſupernaturalis ſecundùm modum, quæ ſunt duo membra ſupernaturalis entitatis. Supernaturale igitur ſimpliciter illud eſt, quod non in modo ſolo ſuæ productionis, ſed in ſua entitate vires naturæ excedit. Hoc tamen variis modis explicant, vt videre eſt apud Arriagam *t.1. d.3.* Coninch. *de actibus ſupernaturalibus d.4.* Vaſq. *p.1. d.214.* Suar. *l.2. de attrib. diu. cap.8.* Caiet. *p.1. q.12. art.5.* & *2.2. q.171. art.2.* Luſitan. *l.11. q.5. art.2.* Auerſam
213 *p.1. q.12. ſect.9.* Caſpenſem *tract. de Ang. d.2. ſect.7.* Meldulam *p.1. d.6. q.2. art.1.* Nazarium *p.1. ad art.5. q.12. controu.3.* qui anſam præcipuam diſceptandi ſumpsêre è noua Scoti ſententia *q.1. Prol. §. Ad quæſtionem igitur*, & *d.17. q.2. GG.* & *in 2. d.3. q.9. § Ad quæſtionem.* Et *d.9. q.2. §. Contra quartum articulum.* Et *in 3. d.4. q.vn.* & *d.14. q.2.* & *in 4. d.43. q.4.* qui vbique conſtanter aſſerit, ſupernaturale ſumi ex parte agentis, non ex parte ſubiecti, ita vt naturale, & ſupernaturale non ſint differentiæ ipſarum entitatum; ſed ſint habitudines ad cauſas efficientes. Itaque ſupernaturalitatem eſſe ait, quando ſubiectum recipiens formam comparatur ad tale agens, quod non eſt naturaliter impreſſiuum illius formæ in illud paſſum. Ità loquitur *q.1. Prol.* Fruſtra verò Meldula *num.56.* ad hunc modum dicendi conatur trahere Caietanum, Suar. Coninch. & Arriagam, qui cum cæteris poſt D. Bonau. *in 2. d.24. q.1.* præcipuè *ad 3.* & alibi citandum, ſumunt ſupernaturalitatem ex ipſa entitate rei, ita vt ille actus, vel habitus ſit ſupernaturalis, qui eſt ſuper debitum totius naturæ; quos neque ſubiectum, in quo ſunt, neque aliud ſubiectum naturâ ſuâ appetat, ſeu expoſcat, aut capiat. Hanc verò explicationem videtur amplecti Scotus *in 2. d.3. q.9. §. Ad quæſtionem*, vbi docet, ſpeciem Diuinæ eſſentiæ Angelis infuſam, eſſe ſupernaturalem, quia ad illam non poſſunt pertingere ex naturalibus; neque aliqua actione naturali. Vbi videtur tum ex parte ſubiecti incapacis, tum ex parte agentis ſumere rationem ſupernaturalis. Et tunc ſibi contradiceret, quia alibi è ſola comparatione ad agens ſumit naturale, & ſupernaturale.

214 Vbi aduerte, rationem ſupernaturalis, non ſumi ex quauis negatione exigentiæ, vel inclinationis noſtræ particularis, vt putat Arriaga, & nuper etiam Poncius *Curſu Theol. d.4. q.1. n.4.* tunc enim ſequeretur, calorem eſſe aquæ ſupernaturalem; ſed requiritur, vt non exigatur, aut appetatur à tota natura vniuerſali. Ideò addidi, capacitatem naturalem, quatenus ſcilicet ſubiectum illud, neque aliud in tota ſerie naturæ habet, vt in eo ordine perficiatur illo actu, vel habitu. Et quia Maſtrius *num.60.* quærit moleſtè; quid ſit, formam eſſe perfectionem naturalem, aut ſupernaturalem? Dico, eam eſſe naturalem, quæ in ordine ſuo naturam perficit; natura enim cùm finita ſit, habet & finitas perfectiones, quibus adornetur. V.g. homo habet animam, & corpus: anima quidem naturaliter perfici poteſt habitibus, actibus, &c. ità vt quibuſdam compleatur ordo eius naturalis in ſuo genere, quo nunc eſt perfectiſſimus. Et ità ſi apponatur, V.g. charitas, vel lumen gloriæ, non eſt perfectio naturalis illius ſubiecti; quamuis enim Scoto conceſſerim capacitatem animæ eſſe ipſi naturalem ad lumen gloriæ; ea tamen non eſt naturalis ordinationis; quia ſine lumine gloriæ, V. g. habet totam ſui ordinis perfectionem, & hoc lumen non exigitur ab alia re in ordine naturæ. Eſt quidem homo beatificabilis per naturam remotè; non tamen proximè, vndè eget diſpoſitione ſupernaturali, vt proximè diſponatur, vt ſit beatificabilis, vt docet Seraphicus *in 2. d.19. art.3. q.1. corpore.* Quare miror, Auerſam *citato loco*, trahi ad concedendum Scoto, eam formam eſſe ſupernaturalem; quæ requirit auxilium agentis ſuperioris ſpeciale; capacitatem verò ſubiecti nihil addere noui. Optimum eſt autem pro huius noſtri modi explicatione exemplum D. Bonau. *loc. cit.* Duo ſunt ordines inferiores rerum; naturalis, & moralis, ità vt naturalis non ſit capax perfectionis moralis, V. g. ignis non eſt capax meriti; ſed totam ſuam perfectionem naturalem impleram habet naturalibus perfectionibus: ità proportionaliter ens capax moralitatis, puta homo, non excludit quidem gratiam, & gloriam potentiâ ſuâ obedientiali; ſed eam non capit potentiâ merè naturali, quæ completur, atque finitur accidentibus ordinis naturalis. Potentiam verò obedientialem ex parte ſubiecti, fruſtra negant Scotiſtæ, vt oſtendam. Ex appetitu quoque naturæ id explicat S. Bonau. *in 2. d.28. art.2. q.1. ad 3.* illud eſſe ſupernaturale, quod natura non appetit; non intelligit autem naturam particularem, ſed totam naturam vniuerſalem, vt ibi conſtat. Quare eluditur illa ſequela Meldulæ, futurum, vt calor eſſet ſupernaturalis aquæ; calor enim, licèt non appetatur à natura particulari aquæ, appetitur tamen à natura vniuerſali, & etiam particularibus, ignis, animalis, &c.

PROBATVR verò, rationem ſupernaturalis ſumi ex ipſa entitate ſubiecti, ab Arriaga *loc. cit.* argumento D. Bonau. *loco mox indicato.* Supernaturale enim dicitur, quod non eſt intra terminos, ſed ſupra terminos naturæ ipſius ſubiecti, ità vt excedat omnem facultatem eius, & capacitatem naturalem, nedum appetibilitatem. Dicitur enim ſupernaturale; ideſt ſupra naturam rei, ſeu ſubiecti. Idem indicat S. D. *in 3. d.18. art.1. quæſt.3. ad 4.* Sicut autem natura ab intrinſeco ſubiecti ſumitur: ità id, quod ſuperexcedit, debet ab ea incapacitate ſumi. 215

SVMENDA eſt verò natura cum auxilio generali Dei. Itaque id eſt ſupernaturale, quod excedit vires naturæ, adiutæ concurſu Dei generali, ſine quo natura nihil poteſt, vt notat Arriaga *d.3. ſect.3. num.17.* poſt D. Bonau. ad ea verba Lucæ 8. *In medicos erogauerat omnem ſubſtantiam ſuam.*

Meldula *num.68.* fatetur ingenuè, argumentum probare, rationem ſupernaturalis ſumi etiam è capacitate ſubiecti. *Num. autem 71.* explicans id, quod habet S. Bonau. *loco adducto in 2. d.24.* & aliis locis, gratiam, & gloriam eſſe accidens ſupernaturale, quia eſt ſuper exigentiam creaturæ intellectualis proximam, quia illam non exigit è naturali ſua conſtitutione; ait, poſſe concordari ambas opiniones, & hoc à nobis dictum non negari à Scoto. Hinc ait, Scotiſtas ſolùm negare exigentiam rei acceptam pro naturali inclinatione remota; cùm enim exigentia ſic ſumpta debitum naturale in Deum non inducat; opus non eſt, vt accidens ſupernaturale ſit ſupra talem exigentiam creaturæ, & hoc ſenſu ait, loqui Scotum *locis cit.* præſertim *q.1. Prol.* & *4. d.43. q.4.* & hoc ſenſu ait, fore quæſtionem ſolùm de nomine, vt aduertit cum aliis eruditiſſimis Poncius *loc. cit.* 216

Verum enim verò, quia nonnulli alij Scotiſtæ, è quibus præcipuè Fauentinus *in* 1. *d*.1.2.3. *&* 8. in aduerſum latis velis viget; oportet eum aliquantulum ſuſtinere. Et quidem id, quod habet *d*.8. vbi aſſerit, Deum eſſe finem naturalem hominis, inuenietur confutatum *p*.2.*d*.2. *quæſt*.22.

117 Prima quidem *diſp. cap*.4. affert doctrinam Scoti, quæ duo tradit. Alterum eſt, Potentiam receptiuam poſſe comparari, vel ad actum, quem recipit, vel ad agens, à quo recipit. E comparatione ad actum oritur triplex potentia, ſcilicet naturalis, violenta, & neutra; ſi enim potentia ordinetur ad recipiendum illum, ea potentia eſt naturalis: ſi verò actus ſit contra inclinationem potentiæ, eſt potentia violenta: ſi verò potentia non inclinatur ad actum, vel ad oppoſitum actum, erit potentia neutra, vt ſuperficiei reſpectu albedinis, & nigredinis. Itaque è parte potentiæ, vt eſt ſubiectum actuum, nulla eſt ſupernaturalitas. Comparando verò potentiam ad agens, ſic oritur ſupernaturalitas, vel naturalitas in potentia.

Probatur autem primum à Scoto, quia manente forma, & paſſo in ſuo eſſe, puta, quod actus ſit contra inclinationem; quocunque agente variato, ſiue naturali, ſiue Deo, ſemper actus erit violentus. V.g. iactus lapidis ſurſum, ſemper erit violentus; etiam ſi à Deo fiat. Secundum probatur, quia dato, quòd agens ſupernaturale, ideſt naturaliter non agens, inducat formam in paſſum, quæcomque illa forma ſit; ſemper erit ſupernaturaliter inducta.

118 Multa falſa continet hæc doctrina. Primum quidem fabuloſa eſt illa potentia neutra; quod probo exemplo Scoti, quod reſumit Fauentinus *d*.2. *num*.3. Superficies non eſt neutra ad recipiendam albedinem, & nigredinem; ſed eſt naturalis; quia ſe habet, vt materia ſecunda; materia enim habet potentiam naturalem ad omnes formas, tam ſubſtantiales, quàm accidentales, primò; at ſecundò, pro varietate diſpoſitionum inclinatur magis ad vnam, quàm ad aliam; data verò diſpoſitionum æqualitate ad ambas naturaliter inclinat; ad oppoſitas autem formas ſimul, V.g. albedinem, & nigredinem ſe habet violenter: ad diſparatas verò nullam habet potentiam, V.g. ſuperficies ad ſaporem. Neque alium modum eſt inuenire, quo potentia comparetur ad actus, vt latè diſcurrit Caietanus, *in opuſc. de potentia neutra.*

Reſponſa verò Fauentini exploſa ſunt ab ipſiſmet Scotiſtis, præcipuè Rada, *l*.1. *controu*.1. *concl*.2. & aliis, extrà Scotiſtarum Scholam.

119 Fallitur autem Faber non conſiderans, potentiam naturalem materiæ eſſe ad contrarias formas, quæ fiunt circa idem ſubiectum. Sic oculus inclinat ad colorem album, & nigrum, non modò genericè, vt fingit Faber; ſed etiam ſpecificè. Sæpe enim ſimul V.g. oculus inclinat ad videndum album, & nigrum. Quod ſi ad ſimul recipiendas formas contrarias ſit repugnantia; eas tamen reſpicit æqualiter ſpecificè, & indiuiduè; non enim eſt potentia phyſica tantùm ad vniuerſalia; ſed ad ſingularia. Ideò Ariſtoteles 1. *Phyſ. cap*. 9. ait: *Materia ità appetit formam, ſicut fæmina marem.* Itaque oſtendit inclinare ad formas ſingulares.

Instat Fauentinus. Fundamentum veſtrum eſt propoſitio Caietani. Potentia reſpiciens naturaliter primò aliquod genus, ſeu aliquid in communi, reſpicit quoque naturaliter ſpecies ſub eo genere contentas. Sed ſecundò ſic dicitis, ſuperficiem, quæ primò reſpicit colorem, reſpicere ſecundò albedinem, & nigredinem. Tunc ſic: At terræ potentia naturalis inclinat naturaliter primò ad motum in genere. Ergo naturaliter ſecundò ad omnes ſpecies motus: Ergo ad motum etiam ſurſùm. Hanc rationem luce clariorem clamat.

Fallitur tamen Faber, nam terra non inclinatur 120
ad motum in genere; ſed determinata eſt naturaliter ad hunc motum deorſum, quod ipſa luce Fauentina eſt clarius; at ſuperficies inclinatur naturaliter ad colores, & ad omnes ſpecies conſequenter.

Instat. Motus cœli non eſt naturalis; alioqui quieſceret violenter in æternum; nec eſt violentus, vt patet. Idem de motu ignis in orbem.

Reſpondet Caiet. *opuſc. cit.* & Nazar. *p*.1. *quæſt*.1. 121
art.1. *controu*.2. ad finem, è D. Bonau. *in* 2. *d*.14. *p*.1. *art*. 3. *quæſt*. 2. *corp*. motum orbicularem eſſe cælis naturalem paſſiuè, ſed ex parte principij actiui eſſe naturalem, non informatiuè, vt docetur *tract*. 6. *d*. 2. *quæſt*. 19. Miror. Galitium *d*.1. *Metaph*. admittere potentiam neutram in via Seraphici, qui in locis ab eo allegatis ſolas, naturalem, & violentam agnouit *in* 2. *d*.25.*p*.2. *quæſt*.5. & *in* 1.*d*.6.*q*.1.*corpore*.

Tandem *d*.3. oſtendere conatur, potentiam ſuſceptiuam gratiæ, & gloriæ eſſe naturalem, non obedientialem, diſtinctam à naturali.

Varum hoc confutabitur *p*.2. *d*.2. *quæſt*.22. Illa 122
verò doctrina Scoti, quod actûs ſupernaturalitas ſumatur è ſolo agente, iam exploſa eſt; & verè confundit ens ſupernaturale, quod germano ſenſu ſignificat id, quod eſt ſupra naturam recipientis; alioqui omnes actus producti à Deo erunt ſupernaturales. Sic productio animæ hominis erit ſupernaturalis ſubſtantialiter, quod malè concedit Faber *d*.3. *num*.3. cùm ſola accipiatur natura, & nihil ſuper naturam. Vnde ſequetur, hominem, cùm accipit gratiam, & gloriam eodem genere, & ordine naturæ perſiſtere; quod eſt contra communem modum loquendi Patrum, maximè diſputantium contra Pelagium, qui profitebatur, auxilium Dei generale eſſe nobis neceſſarium ad ſalutem. Hoc verò eſt auxilium naturale, quia naturæ hominis debitum; in via verò Scoti eſt ſupernaturale, quia à nullo alio, quàm à Deo nequit conferri; & ità confundetur cum auxiliis gratiæ, ſicuti Pelagius in Concilio Paleſtino tentauit.

Ex dictis conſtat, dandam eſſe potentiam obe- 123
dientialem diſtinctam à naturali ad omnia, quæ Deus voluerit. Itaque ſi Deus voluerit ex equo facere muſcam; vel lapidem mouere ſurſum, non erit violentum creaturæ exiſtenti in obedientiali potentiâ, eſto naturæ particulari violentum ſit, vt oſtendit S.D. *in* 2. *d*.18. *q*.2.*ad* 5. Hæc ſententia communiter Theologis placet, poſt D. Bonau. *in* 2.*d*.25.*p*.2. *q*.5. *ad* 4. & *in* 4. *d*.12.*p*.1.*art*.2 *q*.3. & *d*.43.*q*.5. D.Thom.*q*.1.*art*.5. vbi Ioan. Paulus Nazarius eruditiſſimus, *controu*.2. & alij Thomiſtæ, Caiet.1.3.*opuſc*.1.3.*q*.2. Zanardus 9.*Met*.*q*.5. Molina *q*.12.*p*.1. Suarez *d*.43. *Met*. *ſect*.4. & *tom*.1. *in* 3. *p*. *d*.3. *ſect*.5. Vaſq. *in* 3.*p*. *d*.34. Mendoza *d*.9. *Phyſ. ſect*.14. contra Scotum *q*.1. *Prol*. §. *Ad quæſtionem*; vbi Scotiſtæ Lichetus, Maito, Fauent. Rada *p*.1. *controu*.1. Meldula *d*.6.*q*.2. Vrinenſis *q*.1. *de Deo vno, & Trino*, Scotus *in* 4.*d*.49. *quæſt*.2. *art*.1. & alij.

Iacio hoc firmiſſimum fundamentum. Natura 124
omnium rerum eſt determinata; & ideò potentia etiam materiæ ad eas ſolas formas determinata eſt, quæ ſunt de complemento vniuerſi; alioqui dediſſet Deus materiæ potentiam fruſtra; ſi ad alias formas extra orbis complementum eam communicaſſet. In quo deceptus eſt Scotus putans, materiæ potentiam eſſe ad alias quoque formas. Hinc Ariſtoteles *l*.1. *de gener. animal. cap*.1. ait, naturam vitare infinitum; nam in omnibus finem quærit, & 8. *Phyſ. t*. 15. ait, omnia naturalia eſſe determinata; omnium enim rerum eſt determinata natura, & ratio: vt omnes

philoſophi

philoſophi clamant. Hinc fit, vt ea ſola ſint in potentia naturali, quæ ſunt determinatæ naturæ. Ita ea violenta ſunt, quæ contra talem inclinationem determinatarum potentiarum. Eſto autem conceſſiſſem, aliqua eſſe in ordine naturæ neutra; ea tamen determinata forent ab Authore naturæ. Itaque potentia creaturæ obedientialis ad omnia, quæ Deo libuerint, erit diuerſa, quia ordinator ad plurima extra ordinem, & terminum naturæ præſcriptum.

125 Probatvr verò. Actus ſupernaturales, alij ſunt, quoad ſubſtantiam tales, vt charitas, gloria, penetratio corporum, &c. alij ſunt tales, quoad modum, vt illuminatio cæci: quia, licèt videre ſit quid naturæ; attamen videre à priuatione viſûs eſt ſupra naturam. Tum ſic. In natura non eſt vlla potentia ad iſtos actus ſupernaturales, nam miracula non ſunt in potentia naturali, vt fatentur omnes, & Scotus *in 3. cit.* à Fabro *d.3.* vbi ait naturam humanam, non habere ad aſſumptionem Verbi potentiam naturalem; ſed obedientialem.

Reſpondet Faber, eſſe ſupernaturales in ordine ad agens; non in ordine ad potentiam.

Verum reſponſio ipſam deſtruit doctrinam Fabri, qui ait, in natura humana non eſſe potentiam naturalem, vt vniatur Verbo, potentia enim obedientialis reſpondet potentiæ abſolutæ Dei, vt docet S. Bonau. *2.d.25.p.2. quæſt.5. ad 4.* & *in corp.* Vbi S. D. aduertit etiam creaturam eſſe obedientiâ perfectâ ſubditam Deo, ſicut pila ad motum vndequaque: ideò quicquid de ipſa, vel circa ipſam faciat, non compellit, nec violentat, quoad illam potentiam obedientiæ; quantùm verò ad potentiam ſpecialis naturæ; infertur aliquando violentia in miraculorum operatione. In hoc verò captus eſt Scotus, nolens diſtinguere inter potentiam creaturæ obedientialem, qua ſoli Creatori planè ſubiicitur, & potentiam particularem rei, vt talis naturæ res ſe habet phyſicè: vnde malè infert, omnem actum immiſſum à Deo, contrariuo eius naturali inclinationi, eſſe violentum.

126 Ex hac Seraphici doctrina *ad 4.* videtur Bellarminus *tom.4 l.2. de Sacram. cap.11.* ſumpſiſſe definitionem potentiæ obedientialis. *Eſt capacitas, vt ex ea, vel per eam poſſit Deus facere quidquid voluerit.* Eam verò alij definiunt: *Eſſe non repugnantiam.* Ita Suarez *in 3. p. loco cit.* & Nazarius *loc. cit.* aliique.

Hæc autem capacitas eſt ipſamet rei entitas relata ad Creatorem. Itaque non eſt neceſſe, vt ad recipiendos actus, vel habitus ſupernaturales diſponatur, & fiat capax per alios ſupernaturales; alioqui abeundum eſſet in infinitum, quia nunquam inueniretur capax natura, niſi per aliquid ſupernaturale, & ad hoc deberet eſſe diſpoſita per aliud ſupernaturale; & ſic in infinitum. Capacitas igitur, ſeu potentia obedientialis paſſiua contenta eſt ſua entitate, omninò obediente, ſeu non reſiſtente Creatori; at verò ſi creatura eleuetur ad actus ſupernaturales; eget diſpoſitione, ſeu habitu, ſeu influxu ſupernaturali, vt ſimul cum Deo exerceat actus ſupernaturales.

Assero igitur primò. Potentia ad actus ſupernaturales, puta charitatis, & viſionis Dei, eſt obedientialis; non naturalis.

127 Probatvr. Quando ſunt plura, & ex his non poteſt conuenire alicui, id quod eſt imperfectiùs in eo genere, neque poteſt conuenire id, quod eſt perfectiùs: at creaturæ non poteſt conuenire potentia naturaliter ad ſupernaturalia ſecundùm modum. Ergo multò minùs ad ſupernaturalia ſecundùm ſubſtantiam, quæ ſunt perfectiora. Maior eſt euidens. Si enim plantæ, v.g. non poteſt conuenire eſſe ſenſibile; multò minùs rationale. Minor probatur; alioqui anima naturaliter poſſet facere miracula ſecundùm modum; illuminare cæcos; ſuſcitare mortuos, &c. & ſic miracula eſſent ſigna noſtræ fidei fallibilia, vt arguit S. Bonau. *in 2. d.7. p.2. art.2. quæſt.2. ad 9.* neque eſſent ſuper curſum naturæ, vt omnes concedunt, & arguit Seraphicus D. *in 2. d.37. art.2. quæſt.2. ad 4.* & tamen Chriſtus *Lucæ 7.* miraculis factis propria virtute infert, ſe eſſe Meſſiam. *Ite, renunciate Ioanni, quæ vidiſtis. Cæci vident, claudi ambulant, mortui reſurgunt.* Imò ex hoc, ipſe Deus ſuam teſtatur Deitatem, Ezech. 37. *Et ſcietis, quia ego Dominus, cùm aperuero ſepulchra veſtra, & eduxero vos de tumulis veſtris.* Sanè oſtendunt potentiæ naturali hæc repugnare, vt oſtendit Seraph. *ad locum cit. Lucæ.*

Reſpondet Rada, non eſſe potentiam actiuam ad miracula; ſed benè paſſiuam. Sic enim in anima eſt potentia naturalis paſſiua ad reunitionem cum corpore; & in cæco ad viſum recipiendum.

Verum fallitur Rada. Nam licèt anima appetat vniri corpori, vt forma eſt; tamen appetitus imperfectus, quatenus naturalis, debet ſuppleri fide, qua nouit reſurrectionem; atque adeò, ſicut non poteſt naturaliter reuniri, ſed modus vnionis nouæ eſt ſupra naturam; ità nec eum modum neceſſarium reſurrectioni naturaliter appetit, quia appetitus naturæ non egreditur extra naturæ limites. Quare nil probat Rada, niſi oſtendat, animam habere naturalem capacitatem paſſiuam ad vnionem, tali modo, in quo conſiſtit miraculum. 128

Præterea aduertit Nazarius *loc. cit. in reſol. §. Tertia diſtinctio* cum D. Bonau. *l.1. compend. Theol. verſ. cap.28.* Potentiam obedientialem ita comparari ad actus ſupernaturales, vt ad eos quidem, qui ſunt ſecundùm ſe ſupernaturales habeat potentiam obedientialem ſimpliciter, & nullo modo naturalem propriè loquendo; ad ſupernaturales autem, ex modo, habeat potentiam naturalem ſimpliciter; ſed pro tali ſtatu ſolùm obedientialem. V.g. oculus habet potentiam naturalem ad viſum; at oculus cæci prout, ſcilicet eſt potentia coniuncta priuationi habitus præteriti, non habet potentiam naturalem; ſed ſolam obedientialem, cùm naturaliter à priuatione ad habitum non ſit regreſſus. Nec obſtat, quod anima ſeparata appetit vniri corpori, quoniam potentia animæ ad corpus non eſt receptiua, nec paſſiua, ſed formalis; & tamen eius inclinatio ad corpus in tantum deficit à naturalitate, in quantum priuationem ſuipſius informantis præſupponit in corpore, cui appetit vniri.

Vrgeo autem loco adducto cum D. Bonau. Dicat mihi Scotus, quæ potentia eſt naturalis in Virgine, vt permaneat intemerata poſt partum? Nulla ſanè; nam neque materia; neque forma; neque quantitas attidet; aut eſt naturaliter receptiua talis perfectionis. Neque dicat, eſſe violentam, quia natura perficitur, Deo agente: ſi V.g. formica fiat Angelus, & ſi quantitati penetratæ foret violentum, tamen penetranti eſt noua perfectio. At quæ natura dedit hanc perfectionem? 129

Probatvr ſecundò. Si potentia animæ ad ſupernaturalia eſſet naturalis; ſequeretur, eam poſſe naturaliter cognoſci, & ſic naturaliter agnoſcemus, animam poſſe videre Deum; reſurgere cum corpore diuiſo, &c. 130

Reſpondet Scotus, Animam ſecundum eam potentiam nobis eſſe ignotam.

Verùm, cùm anima poſſit quidditatiuè cog-

noſci, & in cognitione quidditatiuâ includatur etiam potentia illa *ex 4. Phyſ.* negare non poteſt agnoſci poſſe. Confirmatur, quia ex dictis *quæſt.8.* res ſimplex finita, vel tota cognoſcitur quidditatiuè, vel tota ignoratur.

VRGEO. Quâ viâ ſciris vos, hanc potentiam eſſe naturalem? num ſupernaturali reuelatione? oſtendite vnde; non enim temerè aſſerendum, quod aſſerit Faventinus *d. 3. num.5.* Si naturali cognitione. Ergo pro hac via poteſt haberi hæc cognitio; neque ſtatus hic eam impedit cognitionem, vt fingunt Scotus, & Aſſeclæ.

131 OBSERVA autem D. Thomam 1.2. *q.*113. *art.*10. & D. Bonau. paſſim *locis adductis*, videri aſſerere, capacitatem animæ ad gratiam eſſe naturalem, quatenus anima eſt imago Dei. Senſus autem eſt, eam eſſe naturalem, id eſt entitatem naturæ; non vt natura eſt, ſed vt ſubdita, & obediens Deo, vt notat Suarez. Ex eo verò quòd anima eſt imago Dei, habet, vt ad altiorem ordinem eleuari queat, naturâ eàdem manente; vt ait Nazarius *loc. cit.* in fine controuerſiæ; eo ſenſu ait & D. Auguſt. *de prædeſt. Sanctorum* cap.5. *poſſe habere fidem, & charitatem, naturæ eſt hominum* de quo videbis 1.2. *d.*2. *quæſt.*22.

132 ASSERO ſecundò. Viſionem Dei eſſe ſubſtantialiter ſupernaturalem, cuique intellectui creabili, contra Durandum, qui vix concedit, eſſe ſupernaturalem ſecundum modum; vt aduertit Luſitanus *l.*11. *quæſtion.*5. *art.*2. Maſtrius *d.* 6. *num.*54. Cum Durando eſt etiam recens Scotiſta *controu.*13. *p.*1. *concl.*4. apud Maſtrium: eſt verò aſſertio noſtra in omni ſchola approbata, cum D. Thom. *p.* 1. *quæſt.*12. *art.*4. & 5. D. Bonau. *in* 2. *d.*3. *p.*2. *art.*2. *quæſt.*2. & *d.*23. *quæſt. vlt.* & *in* 1. *d.*3. *p.*1. & *opuſc. de incomprehen. Dei*, & *in compen. Theol. l.*1. *cap.*16. & *in* 3. *d.*14. *dub.*3. *lit.* & *per tres q.q.* & D. Auguſt. 12. *de ciu. cap.*2. Itaque nequit creari intellectus, cui viſio Dei ſit naturalis. Sic D. Thom. *p.*1. *quæſt.*12. *art.*3. vbi Bañes, Nazar. Faſol. Arrubal *d.*21. *cap.*6. Amicus *d.*9. *ſect* 6. Auerſa *q.*12. *ſect.*6. Lezana *d.*2. *q.*6. Arriaga *d.*5. *ſect.*7. Gonzal. *d.*26. Scotus cum ſuis *in* 4. *d.*49. *q.*11. & *quodl.*14. *art.*2. ibi Mayro, Baſſol. Licher. Tartaret; Smiſingh. *d.*6. *q.*2. Vulpes *d.*23. *art.*10. Sghemma *tit.*32. *q.*10. Maſtrius *d.*6. *q.*10. & alij. Sotus *in* 4. *d.*49. *q.*2. *art.*4. Suar. *l.*2. *de Deo cap.*9. Vaſq. *d.*44. Albertin. *tom.*1. *princ.*1. *corol.*2. & 3. Valentia *q.*12. *p.*3. Tanner. *d.*2. *q.*6. *dub.*3. tametſi ad oppoſitum paulò propendat: Mairo *in* 4. *d.*49. *q.*4. Molina *p.*1. *q.*12. *art.*4. & *art.*5. *diſp.*2. Morand. *t.*2. *q.*11. alios allegans. Vnde oppoſita cenſuris aſpergitur à Theologis; vt monet Recupit. *quæſt.*3. *cap.*2.

233 PROBATVR primò ratione ſolida D. Bonau. *in argumentis, & corp.* & D. Thom. *art.*4. Sicut ſe habet res ad eſſe, ità ad cognoſci; at Deus habet eſſe infinitè tranſcendens omne eſſe creaturæ poſſibilis. Ergo tranſcendit omnem cognoſcibilitatem creaturæ. Confirmatur, quia vt obiectum cognoſcatur, debet vniri cognoſcenti, aut per ſeipſum, aut per aliquem alium, quod autem recipitur in eo, eſt ad modum recipientis in eo proportionatum. Si autem cognitio fit ad modum cognoſcentis: Ergo, ſi modus cognoſcendi ſit inferioris ordinis, non poteſt attingere rem ſuperioris ordinis, maximè infiniti. Hoc argumentum (vt innuit S. Bonau. in corpore) nititur Apoſtol. 1. *Tim.*6. Ex eo enim, quòd *Deus beatus eſt, & ſolus potens, Rex Regum, & Dominus dominantium, qui ſolus habet immortalitatem*, deducit, *eum habitare lucem inacceſſibilem; quem nullus hominum videt; ſed nec videre poteſt.* Hoc argumentum eſt Seraphico familiare, non modo *hic fund.*3. & 5. & *in corpore*; ſed etiam *in* 1. *d.* 3. *p.*1. præciſè verò *in* 3. *d.* 14. *quæſt.* 3. vbi locum Apoſtoli affert. Sæpè verò, ac ſæpius ideò S. Bonau. refricat, hanc repugnantiam in creatura ad videndum naturaliter Deum ex eo prouenire, quia Deus eſt ſumma Lux, quæ propter ſui excellentiam eſt omni intellectui creato inacceſſibilis.

PRO quo notat D. Thom. ad locum allegatum Apoſtuli cum D. Bonau. *locus citatis*, Lucem in ſenſibilibus eſſe principium videndi. Vnumquodque autem cognoſcitur per ſuam formam, & ſecundùm quod eſt actu, vnde quantùm habet de forma, & actu, tantùm habet de luce. Res ergò, quæ non ſunt purus actus, ſunt quidem lucentes; at non ſunt lux: Diuina verò eſſentia, quæ eſt purus actus, eſt ſumma Lux, & hæc, ob ſui excellentiam, eſt inuiſibilis. 134

SCAINVS verò Salodienſis ad eum locum obſeruat ex Theodoreto, Deum inhabitare lucem inacceſſibilem, quippè habitat in ſe, cùm ſit eius entitas, Lux infinita, quam creatura nulla poteſt naturaliter ſuſtinere. Hinc arbitror, Ariſtotelem à longè hanc veritatem ſalutaſſe, cùm ait: *intellectum ſe habere ad manifeſtiſſima naturæ, ſicut oculus Noctuæ ad iubar.* Idem verò Ariſtoteles habet noſtram maiorem propoſitionem 2. *Metaph. t.*4. nempè rem ità ſe habere ad cognoſci; ſicut ad eſſe; hoc ſenſu, eadem, quæ ſunt principia eſſendi, eſſe & principia cognoſcendi; non autem hoc alieno ſenſu, vt non poſſit cognoſci, quod non eſt, vt rectè adnotauit S. Bonau. *in* 1. *d.*16. *art.*2. *quæſt.*2. *ad* 2. Itaque ſi *eſſe* ſit infinitè tranſcendens, tale erit in ordine ad cognitionem comprehenſiuam, & tranſcendens, quoad claram viſionem etiam finitam. Hæc ratio eſt efficax, vt ait Ribas *t.*3. *d.*2. *num.*14.

Hanc rationem impugnat Scotus, Durandus, Arriaga, & alij. Primò ſequeretur, Angelum inferiorem non poſſe cognoſcere ſuperiorem, quia habet modum eſſendi perfectiorem. Hac inſtantiâ nos preſſos, mirabilia cantare reſonat Arriaga.

Reſpondet D. Bonau. non omnem exceſſum perfectionis vnius, ſupra alterum cauſare inuiſibilitatem. (Scimus enim, etiam hominem videri à muſca,) ſed ſuperexcellentiam, & puritatem diuini eſſe actualis comparatam ad potentialitatem creaturæ. Hinc enim fit, vt creatura concipiat ad modum, quo ipſa eſt, vt notat D. Thom. è *lib. de cauſis*, vbi dicitur, quòd *intelligentia omnia intelligit ad modum ſuæ ſubſtantiæ.* Hinc neque homo poteſt Angelum naturaliter videre; multò minùs Angelus Deum, qui maiori improportione Angelum tranſcendit; quàm Angelus hominem. Hoc reſponſo vtitur Suarez *cap.* 9. Vide quoque Caietanum *loc. cit.* Capreolum 4. *d.* 49. *quæſt.*4. Ferrar. 3. *contra G. cap.* 53. Sotum *d.*49. *quæſt.*2. *art.*2. qui eam rationem defendunt egregiè. Et poſt eos Nazarium *loc. cit. & iterum* Suar. *d.*30. *Metaph. ſect.*11. *num.*13. 135

INSTAT Arriaga. Vos ad probandum, poſſe Angelum eleuari ad videndum Deum vſi eſtis hoc medio; quia ſunt eiuſdem ordinis, nempè ſpiritualis. Ergo vobiſcum pugnatis.

RESPONDETVR, nos dixiſſe, Deum in ratione obiecti, non eſſe extra ordinem obiecti intellectus; attamen, quia eſt obiectum infinitæ excellentiæ, eget homo, vel Angelus Dei condeſcenſione per immiſſionem luminis gloriæ: vnde non pugnamus nobiſcum; non enim dicimus, naturam intellectiuam eſſe naturaliter ſufficientem ad videndum illud obiectum eminentiſſimum. 136

Obiiciunt

137 Obiiciunt ſecundò Arriaga, & alij. Sequitur, neque lumen gloriæ poſſe habere vim connaturalem ad efficiendam viſionem Dei, quia non eſt actus purus, ſicut Deus etiam ſumptus ſimul cum intellectu. Ita vrget Molina.

Reſpondet Trigoſius, negando ſequelam, quia, licet in eſſe naturæ Deus ſit improportionatus intellectui, illuſtrato lumine gloriæ; tamen in ratione intelligibilis eſt proportionatus Deo, quia Deiformis redditur.

Contra, quia; Ergo malè S. Bonau. & S. Thom. ex nobilitate modi eſſendi Dei colligunt inintelligibilitatem, & tamen ipſe Trigoſius *quæſt.7. art.1. dub.3.* eam rationem ſolidam acclamat, & profitetur ſoluere rationes Scoti.

Reſpondetur cum D. Bonau. *in 2. d.3. loc. cit.* Lumen gloriæ non eſſe totale principium, etiam ex parte potentiæ, indiget enim concurſu vitali, in illaque actione Deus eſt principale operans condeſcendendo creaturæ, vt Deiformis lumine gloriæ viſionem finitam diuinæ eſſentiæ attingat, vt notat S. Bonau. *ad 1.* Qua reſponſione vtitur Scotus, Durand. & Suar. At verò ſi daretur intellectus creatus, naturalem habens virtutem ad viſionem, eſſet operans totale. Deinde illud lumen naturale eſſet proportionatum naturæ creatæ, eamque haberet pro ſubiecto, maximè proprio: at verò lumen additum naturæ eſt altioris ordinis, eſtque commenſuratum, non naturæ, in qua eſt; ſed obiecto. Tandem ſupra totam naturam ſtans, haberet eſſe, & operari indiſtinctum, vt arguunt Recup. & Morandus cum D. Bonau. *d.14. quæſt.2. fundam.5.*

138 Dices. Fiat natura ipſa ſubſtantialiter ſupernaturalis, vt poſſit lumen eſſe illi commenſuratum.

Reſpondet Suar. vt ſubſtantia ſit ſupernaturalis, debere eſſe purum actum. Addit Nazar. *quæſt.12. art.6.* multas rationes, ob quas nequit dari ſubſtantia creata ſupernaturalis. Addunt Recup. & Morand. talem debere eſſe ſupra omnem ordinem naturæ creabilis, atque ideò infinitæ perfectionis, vt infert D. Bonau. *in 3. d.14. dub. cit.* Addit Ribas *num.30.* fore per ſe indefectibiliter ſanctam.

139 Denique addo cum S. D. *in 3. d.14. quæſt.3.* fieri commenſurationem non mathematicam, hæc enim ſolùm ad comprehenſionem requiritur; ſed ordinis animæ ad Deum ſuum prototypum, addito lumine gloriæ, per quod eſt deiformis, & condeſcenſione ipſius Dei, quam vbique locorum refert Seraphicus Doctor.

Obiicies tertiò cum Durando. Excellentia obiecti non reddit illud imperceptibile; vnde lux Solis non redditur inuiſibilis oculo, eo quòd excellens ſit lux; ſed ſolùm ea imbecillitate oculi, quæ eſt impedimentum, puta Veſpertilionis. Cùm ergo Deus ſit obiectum intellectus, erit inuiſibilis ſolùm ea impedimento, quo remoto, poterit naturaliter videri.

Reſpondet S. Bonau. *in 2. cit. d.3. ad 5. & in corp.* non omnem excellentiam reddere obiectum imperceptibile; ſed tranſcendentem, qualis eſt Dei, qui eſt actus purus, & entitas in infinitum tranſcendens; vnde oportet, Deum condeſcendere. Nec eſt ſimile de luce, quæ eſt obiectum naturale, naturaliter influens; vnde improportio non conſiſtit in ſola excellentia obiecti; ſed quia obiectum eſt extrà rationem potentiæ, ratione ordinis. Sic & intellectus non poteſt videre lapidem, niſi ſpecies ipſius purgetur.

140 Probatur ſecundò à D. Bonau. Præmium proportionatum meritis, è gratiâ procedentibus, debet eſſe ſupernaturale. Talis eſt viſio Dei. Ergo. Minor probatur Ioan. 17. *Hæc eſt vita æterna, &c.*

Probatur tertiò à Scoto *d.49. q.11.* Ad hanc viſionem, neceſſe eſt habere Deum præſentem in ratione obiecti, vel aliquid, in quo eminenter contineatur. Sed Deus non poteſt in alia re eminenter contineri, nec eſt præſens in ratione obiecti, licèt ratione illapſus ſit cuique rei præſens. Ergò.

Varum hæc ratio friuola eſt, vt oſtendit Suarez *n.4.* nam eſſe Deum præſentem obiectiuè, quid addit ſuper præſentiam per illapſum? Nihil, niſi vltaluet eſſe præſentē, id eſt cognoſci. Ergo ratio Scoti ità procedit. Deus non poteſt videri, quia non poteſt videri. S. verò dicas per præſentiam intelligi talem approximationem cum obiecto, quæ ſufficiat ad illud videndum. Contra. Nam ſine probatione aſſumit Scotus, Deum non poſſe eſſe ſic obiectiuè præſentem intellectui creato in actu primo, ſeu per actum primum, tali intellectui connaturalem. Nam hæc coniunctio ſufficienter ſit per ſpeciem intelligibilem, vt notat S. Bonau. *ad 4.*

Deceptus eſt autem Scotus, ſumens nudum argumentum è reſponſione S. Bonau. *ad 3.* in qua adducitur ratio reiecta à Scoto. Dicit autem Seraphicus, Deum eſſe quidem præſentem per illapſum, vt principium conſeruans; non vt obiectum, quia eſt tranſcendens, & nimis præcellens viſui.

Probatur quartò à S. Doctore, ratione vltima. 141
Ordo ſubſtantialiter ſupernaturalis tranſcendit omnem ordinem naturæ; at viſio beata eſt ſubſtantialiter ordinis ſupernaturalis. Ergò. Ideò enim accidens ſupernaturale dicitur, quia perficit creatum ſubiectum ſupra id, quod ipſum, aliaque creata omnia è ſuis principiis, & conſtitutione naturali exigunt, atque adeò ſupernaturaliter ſumitur à ſuperexceſſu ſupra omne ſubiectum creabile. Itaque ſi aliquod ſubiectum naturale eſſet, eo ipſo non eſſet illud accidens ſupernaturale, vt monet Tannerus *d.2. q.6. dub.3. n.4.* Ribas *n.23.* ex D. Bonau. *in 2. locis adductis.* Cùm enim accidens ad ſubiectum ordinetur, debet ab exceſſu ſuper ſubiectum menſurari. Itaque implicantia dicit, qui dicit, *Subſtantia creata ſupernaturalis*, ac ſi quis diceret, aliquem Angelum eſſe ſupra naturam angelicam. Tandem, ſi eſſet poſſibilis talis ſubſtantia, iam daretur nunc, ſicut dantur accidentia ſupernaturalia; decuit enim in vniuerſo, eſſe omnes gradus poſſibiles.

Ratio verò, cur poſſint produci accidentia ſuper- 142
naturalia, non autem ſubſtantiæ, eſt, quia accidentia propriè non ſunt natura; ſed adiacentia, atque adeo extra à Deo mota, poſſunt eſſe ſupra naturam ſubſtantiæ: ſubſtantia verò creata eſt principium intrinſecum ſuarum operationum, quod eſſentialiter eſt natura. Sic non petitur principium cum Riba *num.34.*

Dices. Vnio hypoſtatica Verbi eſt ſubſtantialis vnio ſupernaturalis.

Reſpondet Caſpenſ. licèt ſit modus ſubſtantialis; habet tamen modum adiacentis naturæ.

Probatur quintò ab ipſo Durando. Intellectus humanus non poteſt cognoſcere Deum, niſi è rebus ſenſibilibus. Sed per has non poteſt videri Deus, vt in ſe eſt. Ergo. Hæc ratio probat ſolùm de homine in via, non de anima ſeparata; vel de Angelo. Sic aſſeritur validè à D. Bonau. *in 2. d.23. art.2. q.3. corpore.*

Probatur ſextò à S. D. loco nuper adducto *fund.4.* 144
Qui videt Deum, non poteſt peccare. Nulla creatura poteſt eſſe naturaliter impeccabilis: Ergò. Minor probatur à S. Bonau. ex profeſſo *in 2. d.24. p.1. q.1.* è SS. Patribus, & rationibus, quia tolleretur omnis ratio creaturæ, quæ includit defectibilitatem in ſuo ordine. Tolleretur etiam omnis ordo ſupernaturalis, nam huiuſmodi creatura naturaliter operaretur opera digna vitâ æternâ; quod eſt damnatum in Conciliis Mileuit. Arauſic. Tridentino, &c. Hanc rationem, ait Suarez *num.6.* probabilem; eam tamen magis fide, quàm

ratione inniti. Nititur etiam Damaſceno 2. *de fide cap.*3. Proſpero *l. ſent. cap* 143. Athanaſio *orat. contra Idola*, Nyſſeno apud D. Thom. *de verit. quæſt.*24. *art.*1. & D. Auguſt. 12. *de ciu. cap.*1. vt refert Caſpenſis *d.*4. *ſect.*7.

Obiicies. Intellectus, & lumen gloriæ ſimul ſumpta, ſunt ens finitum. Ergo poteſt dari aliud ens perfectiùs naturaliter. Sed intellectui, & lumini gloriæ illa viſio eſt connaturalis: ergò poteſt dari ens naturale, cui naturalis ſit viſio beata. Hoc argumento flectitur Molina paululum ad partem aduerſariorum.

Reſpondet Arriaga *ſect.*7. *ſubſect.*2. Illud aggregatum, etiamſi finitum, non poſſe ab aliqua creatura compenſari, quia non poteſt dari ſemper perfectior; alioqui ſuper omnes creatoras poſſibiles poſſet dari alia perfectior. Cùm ergo lumen gloriæ ſit ſupernaturale omni ſubſtantiæ, negatur, poſſe contineri in aliqua nuda ſubſtantia.

Hæc reſponſio inanis eſt, nam deberet probare, ſtatum eſſe in hoc aggregato; vnde petit principium; & falſa immiſcet.

144 Reſpondetur ergò è D. Bonau. *in* 2. *d.*23. *quæſt.*3. *ad vlt.* Lumen gloriæ eſſe diſpoſitionem altetius ordinis ſuper naturam, & ità totum ordinem naturæ tranſcendere, atque proportionare finitè intellectum Deo, vt illum intueatur; non tamen comprehendatur. Itaque quamuis in ordine naturæ aſcendatur, non deuenietur ad talem ordinem, ſicut in producendo animalia, non deuenietur ad brutum intellectiuum.

Ex his habes, dari rationes validas pro nobis, quod negant Molina *loc. cit.* Becanus *cap.*9. *quæſt.*5. Alarcon. *t.*1. *d.*4. *cap.*8. Arriaga *loc. cit.*

QVÆSTIO X.

An ad viſionem Diuinæ eſſentiæ infundatur neceſſariò habitus luminis gloriæ.

D. Bonau. in 2. d.23. quæſt.3 & in 3. d 14. q 1. & quæſt.3. ad vlt & art 2. quæſt 1. ad 4.
D. Thom art.5.

QVon difficultatem patit illud eſt, quòd cùm ad efficiendam viſionem ſufficiat intellectus cum obiecto, vel per ſe, vel per ſpeciem repræſentante, non videtur lumen aliquod neceſſarium; nam quod ſit intellectio, habet ab intellectu; quòd verò talis
145 intellectio; habet ab eodem in ordine ad obiectum tale. Neque videtur ex improportione potentiæ cum obiecto infinito neceſſarium lumen, nam adhuc finitum cùm ſit, non poteſt ad æqualitatem cum Deo reducere creaturam.

Fvit opinio prima Ioan. Ripæ, beatos videre Deum per viſionem increatam. Refertur à S. Bonau. *in* 3. *d.*14. *quæſt.*1. & Capreolo *ibi quæſt.*11. Volebat igitur, animam Chriſti, aliorumque beatorum videre Deum per ipſam Diuinam eſſentiam, qua ſe ipſum videt; atque adeò non egere lumine gloriæ creato.

Secvnda opinio eſt Ocham *in* 1. *d.*1. *quæſt.*2. & *in* 4. *d.*49. *quæſt.*13. viſionem beatam adeò eſſe tranſcendentem, vt à ſolo Deo infundatur, ita vt intellectus beatus merè paſſiuè ſe habeat, & ideò non eſſe neceſſarium lumen gloriæ, vel ſpeciem intelligibilem. Hanc ſententiam refert S. Bonau. *in* 2. *l.c. ad* 7. & *in* 3. *d.*54. *quæſt.*3. *ad* 6.

Tertia ſententia eſt Durandi 4. *d.*49. *quæſt.*4. ad viſionem Dei non requiri lumen gloriæ; ſed ſolam mutationem ſtatus, vt anima ſeparetur, nec ampliùs egeat phantaſmatibus; & tunc ſufficere, ſi Deus ſe illi obiiciat, nec eſſe neceſſarium lumen aliquod habituale, vel actuale intrinſecum potentiæ.

Qvarta opinio eſt, non eſſe neceſſarium habitum luminis, ſed ſufficere auxilium actuale, quo potentia eleuetur. Hæc opinio communiter ab omnibus ferè adſcribitur Scoto *in* 4. *d.*49. *quæſt.*13. quam grauiter incuſant.

Vervm enim verò, quia mihi ſemper alta mente repoſitum fuit viros Catholicos; maximè verò Doctores claſſicos, inter quos eminet Scotus, à propoſitionibus in fide maculoſis intemeratos oſtendere, ne amplius hæretici laxis adeò fibiis inclament, nos vnam non habere fidem; cùm in rebus fidei digladientur Scholaſtici Scotiſtæ, Thomiſtæ, & alij; paululum ſiſto, vt Scotum exponam.

Igitvr Scotus præclarè admittit habitum lumi- 146
nis gloriæ *in* 1. *d.* 17. *quæſt.*2. §. *Ad primum de ſecunda via*, in fine, vbi ait: *Nullus negat communiter in gloria Habitum luminis gloriæ in intellectu; & item ex parte intellectus poteſt poni correſpondere charitati ex parte voluntatis.* Et *in* 3. *d.*14. *quæſt.*2. §. *In prima quæſt.* ait: *Supponendo, quòd intellectus ſe poſſit habere actiuè, reſpectu viſionis Verbi, tunc poſſe dici, ſicut ad quartam quæſt. præcedentis diſtinctionis; nempe, voluntatem indigere habitu charitatis ad eliciendam fruitionem; ſic intellectum egere habitu luminis ad eliciendam viſionem Dei.* Idem docet *in* 4 *d.*49. *quæſt.*11. ad finem; ſuppoſita nempè opinione, viſionem actiuè eſſe ab intellectu, hominem ſine habitu gloriæ non habere potentiam proximam ad viſionem Dei, ſed remotam: cum habitu autem luminis habere eam proximam.

Qvare ibi, & alibi negat neceſſitatem luminis gloriæ, ſuppoſita opinione, quod intellectus ſe habeat ad viſionem merè paſſiuè; in quo non fuit problematicus, vt putat Faber infra, ſed oppoſitum probabilius cenſuit, vt notat Maſtrius *d.*6. *quæſt.* *n.*97. adducens Scotum 3. *d.*14. & *quodl.*15. & alibi; quia enim habitus non diſponit potentiam ad recipiendum actum, ideò, ſi paſſiuè tantum ſe habet, non eget habitu luminis. Ita obſeruant Vulpes *d.* 23. *art.*7. Gallus *d.*1. *cap.*3. *num.*109. Faber *in* 3. *d.*32. *num.*11.

Video, Scotum *in* 3. *d.*31. negare lumen gloriæ, etiam ſuppoſita opinione, intellectum actiuè ſe ad illum habere; ſed *ibi*, & *in diſt.*14. *quæſt.*1. illud negat ſolum eſſe neceſſarium, vt obiectum fiat præſens per illud, & ad alia munera non neceſſaria. Vide Maſtrium. Quæ cum ita ſint; non rectè Luſitanus *l.*9. *de beatitudine quæſt.*4. *art.*1. ait. Non dabitur locus, in quo Scotus ſimpliciter affirmet, lumen gloriæ dari in beatis, ſi intellectus actiuè concurrat; malè etiam carpit Onandum *in* 4. *d.*49. *prop.*7. dicentem, Scotum nunquam negaſſe lumen gloriæ ſecundum legem ordinariam, & Vaſquezium *d.*42. *cap.*2. dicentem, Scotum nihil hac de re definiuiſſe.

Quoad auxilium verò actuale ſupernaturale, adeò conſtanter Scotus id aſtruit neceſſarium ad viſionem, vt *in* 4. *loc. cit.* & *quodl.* 14. *art.*2. aſſerat, nullo modo poſſe naturalibus viribus Deum videri, idque aſſerentes eſſe Pelagio deteriores, quippè actus viſionis gloriæ eſt ſupernaturalior actu meritorio in via. Ita aduertit Amicus *d.*9. *ſect.*8. *num* 197. & Maſtrius *loc. cit. num.*101. Addo, Scotum è feruenti diſputatione contra Beguardos mortuum, vt fertur in eius vita.

Qvinta ſententia eſt Aureoli apud Capreolum 4. 147
*d.*49.

*d.*49. *quæſt.*4. qui admittit ſpeciem ſupernaturalem ; & negat lumen gloriæ eſſe neceſſarium.

Postrema ſententia eſt, è lege ordinaria, neceſſarium eſſe habitum luminis gloriæ ad beatam viſionem. Ita SS. DD. *hic*, eiſdemque locis Caietanus, & alij Thomiſtæ, Nazarius *controu.*1. Salas *p.*2. *quæſt.*3. *tract.*2. *d.*5. *ſect.*4. Ferrar.3. *cont. G. cap.*54. vbi etiam D. Thom. idem refricat Richard. 3. *d.*14. *art.*3. *quæſt.*1. & *in* 4. *d.*49. *quæſt.*2. Argent. *in* 4. *d.*49. *quæſt.*2. *art.*1. Gabr. *quæſt.*1. *art.*3. Marſil. *in* 3. *q.*10. *art.*2. Henric. *quodl.*3. *quæſt.*3. & *quodl.*4. *quæſt* 6. Sotus *in* 4. *d.*49. *quæſt.*2. *art.*1. Valent. *quæſt.*12. *p.*3. Vaſquez *d.*43. Tanner. *d.*2. *quæſt.*6. *dub.*3. *num.*7. Trigoſ. *quæſt.*7. *art.*1. *dub.*4. Suar. *l.*2. *cap.*14. Caſpenſi. *d.*4. *ſect.*1. Becan. *cap.*9. *quæſt.*3. Morand. *tract.*2. *quæſt.*8. & communiter Scotiſtæ, teſte Hiquæo *in* 4. *d.*49. *num* 65.

Assero primò, Beatos non videre Diuinam eſſentiam viſione increata.

148 Probatvr à D. Bonau. *in* 3. *d.*14. *quæſt.*1. Vnio obiecti cum potentia fit per aliquam formam; at Deus non poteſt eſſe forma: ergo. Minor probatur, nam forma dat id, quod ipſa eſt. Sed Deus eſt ens vnum Infinitum: ergo daret ſuum eſſe Beato. Hoc argumentum ſumitur etiam à Fabro, Suar. Vaſq. & aliis, vt vidi *quæſt.*6.

Assero ſecundò. Ad beatificam viſionem neceſſarium eſt lumen gloriæ. Hoc de fide eſſe aſſerunt Caſpenſ. Capreol. Ferrar. Caiet. &c. nempè neceſſarium eſſe de facto lumen habituale gloriæ eleuans, & confortans potentiam, vt ea Diuinam eſſentiam intueatur. Id aiunt definitum in Concilio Vien. in Clement. *Ad noſtrum, de hæret.* Id probabiliùs ſentit Herize *d* 48. *num.*6. Alij verò, licèt non ſtatuant id definitum; aiunt tamen, id negare, eſſe temerarium, & periculoſum. Ita Molina, Bannes, Valentia, Suar. ſupra, & Luſitanus *l.*9. *de beatitudine*, *quæſt.*4. *art.*2. §.2. *concl.*1. Ribas *t.*3. *d* 6. *cap.*1.

149 Alii verò dicunt, noluiſſe Concilium definirè controuerſiam, quæ erat apud Catholicos. An neceſſarium eſſet lumen habituale; an verò ſufficiat auxilium actuale; ſed ſolùm definiuiſſe contra Beguardos, & Beguinas, non poſſe viribus naturæ Deum videri; ſed neceſſariam Dei gratiam. Ita Vaſquez *loc. cit.* Arriaga *d.*7. Amicus *d.*9. *ſect.*8. qui alios citant. E Scotiſtis verò Vulpius *d.*23. *art.*6 Smiſing. *tract.*2. *d.*6. *quæſt.*4. Faber *in* 3. *d.*32. *cap.*2 Aretinus 3. *d.*14. *quæſt.*1. *art* 3. Poſnan. 1. *d* 17. *quæſt.*3. *art.*3. Gallus *in* 3. *d.*14. *prel.*2. *d.*1. *ſect.*1. Maſtrius *t.*2. *d.*6. *q.*3. & nunc communiter tenetur, vt notat Morand. *tract.*2. *quæſt.*8.

Addvnt verò plerique horum, quod licèt è Concilio nihil definitum habeatur; tamen probabiliùs eſt, Concilium admittere tale lumen per modum habitus, quia ita ſentiunt maior, & melior Scholaſticorum pars, & quia ita definire intendebat, ſicut accipiebatur à Theologis illius temporis. Sed Theologi tunc intelligebant habitum, vt D. Thom. 2.2. *quæſt.*175. *art.* 3. D. Bonauent. 3. *d.* 14. *quæſt.* 1. & *art* 2. *quæſt.*1. Albertus, & alij, vt arguit Morand. *num.*178.

150 Probatvr ergo primò à S. Doctore *opuſc. de ſeptem gradib. contemp.* ex illo 2. Cor.13. *Nos autem reuelata facie gloriam Domini ſpeculantes in eandem imaginem transformamur à claritate in claritatem, tanquam à Domini ſpiritu.* Et ex Pſal.35. *Inebriabantur ab vbertate domus tuæ; & torrente voluptatis tuæ potabis eos. Quoniam apud te eſt fons vitæ: & in lumine tuo videbimus lumen.* His authoritatibus vſi ſunt poſteri.

Probatvr ſecundò è Clementina adducta, vbi inter alios errores damnatur. *Quintò, quod qualibet intellectualis natura ex ſeipſa naturaliter eſt beata, quodque anima non indiget lumine gloriæ ipſam eleuante ad Deum videndum.* Ibi Caiet. Sotus, Suarez, aliique vrgent, duo ibi definiri diſtincta. Alterum eſt, viſionem Dei non poſſe viribus naturæ obtineri: alterum, neceſſarium eſſe ad id lumen gloriæ. Hoc autem eſſe habituale, quia ſic lumen accipi conſueuit. Hoc tamen plurimi allegati negant dicentes, ſolum definitum neceſſarium lumen aliquod, ſiue actuale, ſiue habituale.

Addo Scotum nullam incurriſſe notam erroris, etiam ſi conceſſerimus vtrumque definitum nam Clementinarum opus promulgatum eſt à Ioanne XXII. *anno* 1318. menſe Nouem. vt conſtat è Proœmio: at verò Ioannes Scotus diem ſuum ſanctiſſimè obiit *anno* 1308. vt notat Maſtrius *num.*101.

Falsvm eſt autem, quod refert Trigoſius, Concilium Vien. celebratum *anno* 1205. quo tempore ſcripta Scoti iam edita erant; nam fuit celebratum ſub Clemente V. qui regnauit ab *anno* 1305. quo anno victus tædio factionum, Sedem Auenionem tranſtulit; & *anno* 1311. celebrauit Concilium, vt refert Bucellinus in ſuo Nucleo. Luce verò clariùs id conſtat falſum. Nam S. P. Franciſcus *anno* 1205. nondum ordinem Minorum inſtituerat, in quo ſapientiâ, & vitæ ſanctitate Scotus emicuit.

Ex his quoque habes, Concilium Vien. celebratum poſt Scoti obitum, vt notat Maſtrius, tunc autem edita erant Scoti opera, vt indicat Faber *num.*8.

Probatvr tertiò à D. Bonau. *d.*14. *quæſt.*1. *cit.* 151
in corp. Natura inferior non poteſt aſſequi id, quod eſt proprium naturæ ſuperioris, niſi adiuuetur per accidens alicuius ſuperioris naturæ, ſic aër non poteſt illuminare, niſi adiuuetur à Sole. Sed videre Deum per eſſentiam eſt proprium ſolius Dei. Ergo nulla creatura intelligibilis poteſt Deum videre, niſi eleuetur à lumine gloriæ. Hanc rationem è D. Bonauent. ſumpſit Gloſſa ad Clementinam adductam.

Hinc ſequitur, etiam de mente Scoti, intellectum beatum ſe habere actiuè ad beatam viſionem, non minùs quàm in aliis actibus naturalibus intellectionum, vt oſtendi *quæſt.*5.

Probatur. Lumen, quod apponitur ad confortandam potentiam ad actum, ſupponit ipſam potentiam agere; at hoc lumen ad hunc finem infunditur, ex Concilio Vien. allegato: Ergo. Hoc eſt argumentum Seraphici *in* 2. & 3. ad argumenta citata.

Reſpondet Faber, Concilium non definire, intellectum concurrere actiuè ad viſionem; ſed ſolùm, non poſſe naturaliter eleuari ad viſionem. Poteſt autem aliquis dicere, intellectum concurrere paſſiuè; ſed ſupernaturaliter recipere viſionem, & recipere lumen gloriæ, & hoc modo ipſa viſio poteſt dici lumen gloriæ, eleuans potentiam ad viſionem.

Contra; nam Concilium dicit, animam egere lumine gloriæ eleuante ad videndum. Profectò infert, lumen eſſe habitum præcedentem in potentia, eleuantem, & coadiuuantem illius actiuitatem, alioqui ſi non eget aliquo lumine in actu primo eleuante, ſequitur, habeat ex ſe quidquid exigitur in ratione actus primi; quod eſt habere ex natura ſua adæquatam virtutem ad videndum Deum. Et hoc eſt, quod in
præfato Concilio damnatur. Probatur ſeq. Quòd 152
enim intellectus indigeat concurſu Dei, commune eſt illi cum aliis cauſis ſecundis, quas dicimus habere natura ſua adæquatam virtutem ad aliquem effectum. Ergo ſimiliter dicemus, intellectum habere virtutem

adæquatam ad videndum Deum, etiam ſi ad hoc egeat concurſu Dei; modò non habeat opus compleri in ratione actus primi. Vt itaque viſio beata fiat cum proportione actus ſecundi ad primum, poſtulat, vt egrediatur non ſolùm ab obiecto ſpecialiter concurrente ſupra debitum, & exigentiam naturæ, ſed etiam à potentia antecedenter eleuata ad ſtatum ſupernaturalem per habitum antecedenter receptum, quo potentia conſtituatur in actu primo ſupernaturali; nam auxilium actuale per modum principij non eſt conſtitutiuum in actu primo; ſed ſecundo; eſt enim concurſus Dei actualis cum potentia ad actum viſionis. Adde, viſionem beatam eſſe permanentem, atque adeò exigere habitum continuè ſuſpenſam tenentem potentiam ad viſionem illam, quæ eſt perpetua. In quo deceptus eſt Maſtrius *num.* 111. Confirmatur; nam etiam ad actum beatificum charitatis omnes concedunt habitum neceſſarium, vt dicebat Scotus, nec renuit Maſtrius; ſed probabile ait; tametſi cum Scoto non omninò admittat paritatem, quia lumen gloriæ ponitur propter operationem: charitas verò, vt per eam Beati ſint formaliter iuſti.

Hoc tamen falſum oſtendam *s.* 2. *tract.* 5. *d.* 2. *q.* 3. vbi charitatem ad actus; gratiam verò ad ſanctificationem ordinari oſtendam.

Confirmatur ab Hetze *d.* 48. *num.* 6. neque enim aut concurſus actualis, aut Deus ipſe intelligitur nomine luminis: ergo Concilium per lumen intelligit habitum. Antec. probatur. Non concurſus, quia hic includitur in viſione. Ergo lumen ad viſionem requiſitum debet eſſe diſtinctum à viſione. Neque Deus ipſe, vt ſupra oſtendi.

Meldula negat conſequentiam, ſed ſine fundamento.

Reſpondet Fauentinus perſiſtens, ſaluari actiuitatem, ſi dicamus, potentiam paſſiuam intellectiuam per viſionem ipſam diuinitus eleuari ad videndum Deum. Viſio enim ipſa eſt illuſtratio, & ſic poteſt dici eleuans; actiuitas enim à Concilio non adſcribitur intellectui, ſed lumini.

153 FALLITVR tamen Faber, nam Concilium ponit lumen, tanquam inſtrumentum eleuans potentiam indiſpoſitam, ipſamque reddens diſpoſitam ad viſionem. Quo fit, vt etiam intellectus debeat coagere, nam inſtrumenta non ſunt totalia agentia, vt patet etiam de actu fruitionis, & amoris, qui eſt actus, in quo conſiſtit beatitudo, & ad quem mediatè datur lumen gloriæ, vt habet idem Concilium; nam & talis actus eſt actiuè à voluntate. Itaque non benè Zabarella in Clementinam cum Gabriele, *loc. cit.* aiunt, eundem eſſe habitum luminis gloriæ, & charitatis; nam habitus debent eſſe actibus proportionati. Cùm ergo lumen gloriæ detur immediatè ad videndum Deum; & mediatè ad amandum, & fruendum, debet eſſe habitus intellectus, vt notat Vaſquez *num.* 2. *d.* 42. Tannerus *num.* 31. *loc. cit.*

Reſpondet Faber, non eſſe parem rationem de ſtatu viæ, & patriæ; quia ad intellectionem Dei in patria ſe habet merè paſſiuè.

154 VARVM non eſt ad rem. Reſpondeat ad id de actu charitatis, quæ, vt ait Apoſtolus, manet in patria, ad cuius actum, Scotus neceſſarium putat habitum, & eadem de cauſa exiſtimat neceſſarium lumen gloriæ pro intellectu. Hoc verò confirmo è Scoto 4. *d.* 49. *quæſt.* 11. *litt. H.* vbi teſtatur, neceſſariò ponendam eſſe charitatem in patria, vt eliciantur actus charitatis; & idem dicendum de actu viſionis, id eſt, neceſſarium eſſe lumen, ſi intellectus actiuè ſe habet, quod probabilius exiſtimat, vt notauit Maſtrius ſupra. Hoc autem ita ſentire Scotum, ne ſibi contradicat, oſtendo ex eodem *in* 1. *d.* 17. *quæſt.* 2. §. *Ad primum de ſecunda via in fine*, vbi ait: *Nullus negat communiter in gloria habitum luminis gloriæ in intellectu; & iſte ex parte intellectus poteſt poni correſpondere charitati ex parte voluntatis.* Idem habemr locis ſupra citatis Scoti. Porrò omnes Theologi diſtinxerunt viſionem à lumine gloriæ, vt aduertunt Vaſq. *d.* 42. *num.* 1. Tanner. *c.* 2. *quæſt.* 6. *dub.* 3. *num.* 25. neque vel Beguardi, vel aliquis ſanæ mentis negaret viſionem requiri ad videndum Deum; ibi enim Concilium requirit lumen ad videndum, vt ſupra dixi; viſio enim non eleuat ad videndum, ſed conſtituit formaliter videntem, vt ponderat Suarez *num.* 6.

PROBATVR quartò à D. Bonau. *in* 3. *d.* 14. *quæſt.* 1. *in corpore*, & *in* 1. *d.* 17. & *in* 2. *d.* 26. vbi ſeipſum allegat. Magis ſupernaturalis eſt actus viſionis beatæ, quam actus fidei, & charitatis in via; ſed ad hos requiritur habitus ſupernaturalis eleuans potentias: ergo. Hæc ratio ab Arriaga poſt *num.* 6. acclamatur optima, & vnica. Ea verò vtuntur Trigoſius *loc. cit.* Tannerus *num.* 10 Morandus, & alij.

Reſpondet Maſtrius *num.* 108. alios quoque actus ſupernaturales elici ſolo auxilio actuali. Verùm non conſiderat, actum beatificum eſſe perpetuum & permanentem, ac proinde requiri habitum, ſicut ad actus charitatis beatificæ, vt docet etiam Scotus *loco citato.*

PROBATVR quintò à D. Bonau. *loc. cit. arg.* 2. Deus eſt intimus omni animæ, & præſentiſſimus; & tamen non videtur ab omnibus. Sed hoc non eſt ob diuerſitatem à parte cogniti. Ergo à parte cognoſcentis. Ergo debet dari aliquod lumen, per quod is videat, alio non vidente.

PROBATVR ſexto à S. D. *loc. cit. arg. vlt.* ex inæqualitate gloriæ. Certum eſt, quòd vnus beatus videt Deum clariùs, quàm alter; & inter omnes anima ſanctiſſima Chriſti. Sed hoc non venit ex naturali intellectu, ſaltem ſolo; alioqui gloria non daretur ſecundum merita, ſed ſecundùm naturalia, quod eſt hæreticum, vt dicetur *quæſt.* 16. Ergo debet eſſe aliquod lumen in vno, quod non in altero; non enim poteſt diſponi ad actus beatos, niſi per aliquem habitum ſupernaturalem. 155

Si dicas cum Scotiſtis, hæc ſolum arguere neceſſitatem alicuius actualis auxilij ſupernaturalis. Contra arguo è D. Bonau. *loc. cit.* in fine corporis. Ad videndum lumen æternum permanenter, debet dari habitus. Sed illa viſio eſt æterna: ergo. Minor eſt de fide Matth. 25. *Ibunt in vitam æternam.* Maior ex Fabri doctrina, poſt *num.* 34. colligitur, vbi ad probandum de potentia abſoluta non eſſe neceſſarium habitum luminis gloriæ, arguit cum Arriaga *num.* 6. ſic. Probabiliſſimum eſt, Paulum, & Moyſen in hac vita vidiſſe Dei eſſentiam, & tamen non habuerunt habitum luminis gloriæ, quia talis habitus eſt qualitas permanens difficile mobilis à ſubiecto. Signum eſt ergo, beatos habere habitum, quia permanet in æternum gloria eorum, debet enim inſtrumentum dari proportionatum actibus: ſicut datur etiam habitus charitatis pro actibus eius, nec poteſt negari, vt notat Scotus *in* 4. *d.* 49. *quæſt.* 4. *litt. H.* 156

Obiicies primò. Si hoc lumen eſſet neceſſarium, maximè vt intellectus fieret proportionatus ad videndam eſſentiam Diuinam. Sed hoc eſt falſum: ergo. Probatur Minor nam intellectus veſtitus hoc lumine manet finitus, &c. & Deus infinitus. Ita Dionyſius.

Reſpondet S. Bonau. 3. *d.* 14. *quæſt.* 3. *ad* 6. per lumen gloriæ non proportionari intellectum Deo in ratione entis, neque per id ſolum proportionari in 157

ratione

ratione cognoſcibilis, ſed etiam ex condeſcenſione Dei exhibentis ſe intellectui ad modum exemplaris, vt intellectus Deum finitè videat, (non autem comprehendat) iam factus Deiformis. Sic enim etiam per fidem, charitatemque efficimur habiles ad actus ſupernaturales viæ. Itaque Deus condeſcendens, & ſe offerens intellectui exemplariter, ſimul cum intellectu illuſtrato lumine gloriæ, faciunt vnum principium viſionis. Adde ea, quæ habet *q.1. in corp.* Ideò fit proportio ordinis intellectus ad Deum, vt concludit Seraphicus *quæſt. priùs citata in corpore.* Hac reſponſione vtitur Valentia *d.1. quæſt.12.p.3.* Vaſq. *d.43. cap. vlt.* Trigoſ. *quæſt.7.art.1.dub.4.*

158 Obiicies ſecundò. Ad viſionem neceſſarium eſt lumen ſupernaturale, vt intellectus proportionetur: Ergo neceſſaria eſt in intellectu alia diſpoſitio, vt recipiat lumen gloriæ, & ſic in infinitum.

Reſpondet D. Bonau. *in 3.d.14.q.1. ad 1.* quòd cùm anima ſit obedientiali amplitudine capax formæ ſupernaturalis, ſiſtit in ipſa prima forma ſupernaturali, qua mediante ad actus ſupernaturales eleuetur. Vide *quæſt.8.* Hac reſponſione vtitur Trigoſ. *loc. cit.* & alij. Sed hoc videbitur *quæſt. ſequenti.* Alia argumenta ibidem ruent.

QVÆSTIO XI.

Quo munere fungatur lumen gloriæ.

{ D.Thom. q.12. art 5.

159 PRIMO quidem aliqui concedunt in Beato lumen gloriæ ad decorem, & ornatum intellectus. Tribuitur Maytoni 3. *d.12. q.2.* Baſſolio *in 3.d.14.q.1. art.1.* Hanc opinionem Luſitanus *l 9. quæſt.5. art.1.* cenſet eſſe iam hæreticam, poſt Concilium Vienen. promulgatum; attamen ſi iſti Doctores admittant neceſſarium lumen actuale, non erunt ea labe ſignandi; vt ait Smiſing. *t.2.d.8.quæſt.4.*

SECVNDA ſententia eſt. Lumen gloriæ deſeruire ad recipiendam viſionem. Tribuitur Richardo *in 4. d.49. art.3.q.1.* Maiori 3. *d.14. quæſt.2. dub.2.* & *in 4. d.49. quæſt. 4.* Marſil.3. *q.10. art.2.* Caietano *p.1. q.12. art.5.* & aliis Thomiſtis, quorum aliqui ità explicant, vt ipſum lumen ſit proximum, & immediatum ſubiectum, in quo viſio recipiatur; alij quòd ſit præuia diſpoſitio in genere cauſæ materialis, vt in ipſo intellectu recipiatur, ita vt ſit ratio recipiendi, non autem ſubiectum recipiens. Alij denique, vt coniunctum ex vtroque, ſcilicet ex intellectu, & lumine ſit adæquatum viſionis receptiuum; quod probabile cenſet Suarez *l.2. cap.15.* Herize *d.45. cap.3.*

Eam verò ſequuntur apertè plurimi Thomiſtæ. Caiet. *loc.cit.* vbi Bannes, Zumel; Ledeſma, Cabrera, Nauarer. Lorca, Albeda, Ferrar. 3. *cont. G. cap.54.* Capreol. & Soto 4. *d.49. quæſt.2.art.4.*

160 TERTIA ſententia eſt, Lumen gloriæ neceſſarium eſſe, vt Diuina eſſentia vniatur in ratione ſpeciei intelligibilis ipſi intellectui; & ſic intellectus fiat ipſum intelligibile. Adducitur D. Thom. *hic*, & 4. *cont. G. cap.54. arg.12.* & ſequuntur recentiores Thomiſtæ cum Capreolo 4. *d. 49. quæſt.4. art. 1. & 3.* Caiet. *art.5.* Nazar. *controu. 1. concl. 1.* Luſitan. *l.9. quæſt.5 art.3. à § quarto.*

161 QVARTA ſententia eſt. Lumen gloriæ in beatis exercere ſolùm munus ſpeciei intelligibilis ſupplendo concurſum obiecti. Ita Vaſquez *d.43.* quem ſolùm pro hac ſententia ſtare aſſerit Arriaga *d.7.ſect.4.* Ea tamen eſt opinio etiam Turriani *opuſc.1. dub.9.* Smiſing. *tract.2. d.6. quæſt.4. num.69.* Alarconij *d 3. cap.2.* Galli *in 3. d. 14. quæſt.1. præl.2. d.1. ſect.4.* Ouiedi de Beatitudine *tract.1. controu.8.p.5.* Et ante hos, eam tenuit Tartaret. 3. *d.14. quæſt.1. prop.5.* Alij verò hoc munus concedunt lumini, ſed adhuc aſſerunt, intellectum cùm ſit ordinis naturalis eleuari à lumine habituali ad viſionem. Ita Faſolus *p.1. quæſt.12. art.5. dub.2.* Poncius in curſu Theologico *d.4. num.17.* & alij Recentes.

QVINTA opinio eſt Vulpij *d.23. art.7. num.15.* 162
Lumen ad duo eſſe neceſſarium. Primo; vt præſentia Dei obiectiua fiat intellectui creato debita, & in eius poteſtate conſtituta. Secundò, vt Deus intenſius videatur. Hæc opinio conuenit, quoad primum, cum Thomiſtis illis, qui aiunt, lumen requiri in ratione diſpoſitionis, quaſi materialis, vt diuinam eſſentiam obiectiuè vniat intellectui, cuius meminit Suarez *l.2. cap.15. num.4.*

SEXTA opinio eſt multorum Thomiſtarum, lu- 163
men requiri, vt tribuat intellectui creato virtutem viſiuam ſimpliciter ad Deum videndum; & quidam incunctanter aſſerunt, lumen gloriæ eſſe totam rationem, per quam intellectus producit viſionem. Hos refert Luſitanus *l.10. quæſt.3. art.2.* Et mordicus tenent Recentiores aliqui Thomiſtæ *p.1. quæſt. 12.* vbi Salmanticenſes Ioan. de S. Thoma, Aluarez *l.7. de Auxil. d.64.* Cabrera *t.1. in 3. p. quæſt.1. art.1. d.6.* & alij adducti à Maſtrio *d.6. quæſt.4. num.139.* vbi refert pro hac etiam Nazarium, qui *controu.1. §. Sexto diſtinguendum*; ponit lumen gloriæ neceſſarium ſoli intellectui paſſibili; non autem agenti, qui non eſt neceſſarios, niſi quando intelligit per abſtractionem phantaſmatum ad ea deputanda, & confortandum intellectum paſſibilem; non autem, quando ſpecies immediatè infunduntur à Deo; contra Aureolum, apud Capreolum 4. *d.49. quæſt.4. art. 3.* Albertum *eadem d. art.5.* Richardum *art. 3. quæſt.2.*

SEPTIMA ſententia eſt, Lumen gloriæ infundi, 164
vt conferat intellectui actiuum vigorem ad eleuandum oculum in diuinam lucem, vt eliciat actum viſionis, ita vt ſuppleat debilitatem potentiæ. Ità D. Bonau. *in 3.d.14. quæſt.3. ad 6.* & *art.2. quæſt.1. ad 1.* & alij infra citandi, inter quos etiam D. Thomas *quæſt.12. art.5. & aliis locis*; vt admonet Ludouicus de Ribas *t.6.d.6.cap.3.& 5.* aſſecla.

Igitur lumen gloriæ eſt influentia quædam acci- 165
dentis ſupernaturalis eleuantis intellectum, & confortantis, vt deiformis factus in Diuinam eſſentiam oculos defigat. Neque verò aſſerunt, lumen ſe habere, vt alteram potentiam partialem, viſionem recipientem, aut eam elicientem; ſed inſtrumentum, quo ipſe intellectus vigoratur, vt defigat oculos in Diuinam eſſentiam. Ex quo fit, vt ſolus beatus cenſeatur videns. Eatenus ergo lumen operatur, quatenus intellectus illius adiutorio confortatur, eleuatur, & in potentia proxima conſtituitur ad eliciendam viſionem, quam per ſe non poterat elicere, eo ferè modo, quo oculus lumine radiante ponitur in vltima diſpoſitione viſionis. Ita Becan. *cap.9. quæſt.3.* Suar. *l.2. de attr. neg. cap. 15.* Molina *p.1. quæſt.12.* Valentia *quæſt.12. p.3.* Turrian. *de lumine gloriæ d. 1. dub. 5.* Arriaga *p 1. tract. de viſione d.7. ſect.4. ſubſect. 3.* Vrinenſ. *tract.5. quæſt 9. art.2. ſect.1.* Trigoſ. *quæſt.7. art.1. dub.4.* Caſpenſ. *tom.1. tract. de viſione d.4. ſect.1. num.11.* Tanner. *d.2. quæſt 6. dub.4. num 6.* Morand. *tract.2. quæſt.9.* aliique multi apud Faſolum *quæſt.12. art.5. dub 5.*

Fauentinus

Fauentinus autem *d.32. cap.2. num* 21. ſic explicat. Lumen iuuat potentiam, non quia adiuuet, dans ei aliquam virtutem; ſed quia ſimul cum ea elicit viſionem, ſicut duo trahentes nauim, dicuntur ſe adiuuare, non quia virtus vnius, virtutem alterius perficiat; ſed quia vnus ſine altero non poteſt trahere. Aliud affert exemplum. Nam oculus corporeus non poteſt ſine lumine viſionem elicere; & tamen lumen non dat aliquam perfectionem intrinſecam oculo. Sic ad alios fugit.

Assero primo. Lumen gloriæ non dari ſolùm ad decorem. Ità Concil. Vienen. allegatum *quæſt.* 10.

Reſpondet Mayro, lumen creatum de facto poni, non tamen eſſe neceſſarium; ſed ſufficere lumen increatum.

Hæc reſponſio exploſa eſt *quæſt.*10. *aſſerto primo*, & ipſa verba Concilij reclamant, nam determinant neceſſarium lumen gloriæ creatum; ſi enim de lumine increato eſſet definitio, ſenſus eſſet: Anima indiget Deo ad videndum Deum, quod eſt vanum exponere.

166 Confirmatur, quia Concilij definitio ſumitur è Pſal.35. *In lumine tuo videbimus lumen*, vbi expreſsè ponitur vnum lumen, ſeu vna claritas creata ad videndum lumen increatum, vt ait etiam Apoſt. 2. Cor. 3. *Nos gloriam Domini ſpeculantes in eandem imaginem transformamur à claritate in claritatem*, vt obſeruat Maſtrius *num.* 120. cum Seraphico D. *de ſeptem gradib. contemplationis.*

Assero ſecundò. Lumen gloriæ non eſt proximum, & immediatum ſubiectum, in quo viſio recipiatur.

167 Probatvr à D. Bonau. *in 2. d.23. quæſt. vlt. ad vlt.* & *in 3. d.14. quæſt.3. ad vlt.* nam intellectus, qui ſubiicitur habitui, recipit etiam actum, ex Ariſtotele 5. *Met. t.*57. & 3. *de anima t.*12. & 28.

Secvndo, quia intellectio eſt actio ipſius animæ vitalis, & naturà ſuâ immanens ipſi potentiæ; at lumen non eſt vitale. Ergò non eſt ſubiectum idoneum viſionis.

Tertio, quia ille recipit cognitionem, qui fit deiformis, atque adeò beatus; at hæc eſt anima, non lumen; alioqui ſequeretur, lumen ſeparatum ab anima poſſe viſionem beatam recipere, quia fieret deiforme, & eſt primo receptiuum viſionis: ſicuti quantitas, quia primò recipit colores, poteſt eos recipere, & ſuſtentare, dum eſt ſeparata à ſubiecto in Euchariſtia Sanctiſſima. Itaque ſicut ſubſtantia per accidens dicitur colorata, quia recipit colorem per quantitatem: ita quoque anima per accidens eſſet beata, quia reciperet viſionem per lumen medium, vt arguit etiam Scotus 3. *d.*14. *quæſt.*2. §. *In prima quæſtione*, poſt D. Bonau. *locis citatis*, & *in* 1. *d.*17. *quæſt.*1. & *in* 2. *d.*26. *quæſt.*1.

Qvarto probatur à S. D. *in* 2. *d.*3. *p.*2. *art.*2. *quæſt.*2. *ad* 6. Sequeretur, Beatos non videre Deum immediatè; ſed per medium influens, contra D. Auguſt. 3. *de Trin. cap.*8. & *l.*4. *cap. vlt.*

168 Assero tertiò. Lumen non infundi, vt ſimul cum intellectu recipiat viſionem, tanquam ſubiectum partiale.

Probatvr à Turriano *opuſc.*2. *de lumine gloriæ d.*1. *dub.*6. *num.*6. Maſtrio *num.*122. cum Scoto, & aliis, quia accidens ſimplex non poteſt eſſe in duobus ſimul ſubiectis, realiter diſtinctis. Viſio eſt accidens ſimplex: Ergo non poteſt eſſe in intellectu, & lumine, quæ ſunt realiter diſtincta ſubiecta.

Reſpondet Suarez, viſionem eſſe actum immanentem, atque adeò recipi debere in principio ſuo proximo totali, quod eſt intellectus cum lumine.

Contra quia debet recipi in principio intelligente; at lumen non intelligit. Maſtrius ſic refellit; dicens maiorem vnitatem requiri in ſubiecto, quàm in agente, cùm plura ſubordinata, puta, Sol, homo, & Deus, hominem vnum gignant, atque adeò ſat eſt, eſſe in eis vnitatem ordinis; at ſubiectum debet eſſe vnum indiuiſum vnius actionis, vniuſque accidentis. Itaque licèt viſio producatur ab intellectu, & lumine, debet tamen recipi in ſolo vitali ſubiecto.

Assero quartò. Lumen non deſeruire potentiæ, vt diſpoſitionem ad ſolam recipiendam viſionem, excludendo vim effectiuam contra Marſilium, & Maiorem.

Probatvr primò à S. Bonau. *3. d.14. q.3. ad vlt.* 169
quia ad viſionem interuenit non ſola paſſio, ſed etiam actio ſupernaturalis, vt concedit etiam Maior, & oſtendi *quæſt.*5. Si ergo ad recipiendam viſionem requiritur lumen ſupernaturale. Ergò multo magis ad eam eliciendam. Hoc enim eſt maius, quàm pati. Hæc ratio adhibetur etiam à Valentia.

Probatvr ſecundò à S. D. *in 3. d.14. q.1. ad* 5. 170
ratione, qua vtuntur Suar. Vaſq. *lo. cit.* Arriaga *d.7. ſect.4.* Maſtrius *num.*123 imò & Scotus *q.1. Prol. Z.* quia ſi dicamus, viſionem eſſe qualitatem ſupernaturalem, non eſt neceſſe, vt media alia qualitate recipiatur; alioqui etiam hæc per aliam reciperetur; & ſic in infinitum: at verò non datur proceſſus in infinitum; ſed ſtatur in prima, id eſt lumine, quod S. Bonau. vocat ſapientiam: ſi verò ponamus, viſionem eſſe actum; ſatis diſponitur per lumen gloriæ; alioqui ſi exigatur aliquid ſupernaturale ad recipiendam omnem formam, vel actum ſupernaturalem, procederetur in infinitum.

Dices. Poteſt alicui formæ excellenti ſupernatu- 171
raliter præexigi alia ſupernaturalis, vt diſpoſitio; ſicut etiam in naturalibus videmus; neque tamen ſequitur proceſſus in infinitum; ſed ſiſtitur in prima.

Reſpondetur, argumentum vrgere, ex eo, quòd exigatur diſpoſitio ſupernaturalis ad formam ſupernaturalem, eò quòd ſit altioris ordinis, quàm naturalis. Sic enim etiam illa, quia eſt altioris ordinis exiget aliam ſupernaturalem; & ità in infinitum ibitur, vt notat Arriaga. Eatenus verò exigitur diſpoſitio, quatenus intellectus non eſt completus ad producendam viſionem, donec habeat lumen gloriæ. Ità S. Bonau. *loc. cit. q.1. arg.3.* ſecundo loco, & Arriaga.

Quoniam verò alij ideò dicunt, lumen gloriæ diſponere ſolùm ad recipiendam viſionem, quia credunt, eam non elici ab intellectu creato, ſed infundi à Deo. Ita Gabr. 3. *d.*14. Rich. *ibi art.3. quæſt.*1. ſub diſiunctione quadam, & eodem ferè modo Palud. *in 4. d.49. quæſt.*1. & Durand. 3. *d.14. quæſt.*2. *num.*9. Vide *quæſtionem* 5. vbi eorum fundamentum conuulſum eſt.

Assero quintò. Non eſt neceſſarium lumen glo- 172
riæ, vt Deus in ratione ſpeciei intelligibilis vniatur intellectui beato.

Probatvr primò ex dictis *quæſt.*6. quia gratis ponitur, Deum concurrere ad modum ſpeciei; cùm enim Diuina eſſentia concurrat immediatè vt volens, non indiget ſpecie, fruſtraque ponitur concurrere, vt ſpecies ſui ipſius, vt arguit Maſtrius *num.*126. cum D. Bonau. *in 1. d.3. p.1. quæſt.1. ad vlt.*

Probatvr ſecundò, quia quamuis non ſufficiat præſentia per illapſum; ſed exigatur præſentia obiectiua Dei, eiuſque vnio cum intellectu ad habendam viſionem beatam; vt docet D. Bonau. *quæſt.*1. *in fundamentis*, & *corpore*, gratis tamen omninò fingitur, hanc vnionem eſſe formalem; quia, vt ait Baſſolius 4. *d.49. quæſt.5. art.1. ad* 1. Maſtrius *n.*126. cum D. Bonau. *fund.* 1. *cit.* eſſentia Diuina non poteſt

eſſe

eſſe forma intellectui inhærens; ſed illi ſolùm aſſiſtit, & ad notitiam præſertim iotuitiuam, qualis eſt viſio beata, non requiritur, vt obiectum informet potentiam, & fiat vnum ex obiecto, & potentia; ſicut ex materia, & forma; vel potentiâ, & actu informante; licèt ad notitiam abſtractiuam requiratur, vt ſimilitudo obiecti informet iotellectum. Quare inter eſſentiam Diuinam, & intellectum beatum, noo eſt aliqua vnio realis, & phyſica; ſed ſola vnitas ordinis ad conſtituendum, & integrandum vnum totale principium effectiuum viſionis.

573 PROBATVR tertiò, quia, etiamſi talis vnio daretur, adhuc tamen non exigeret peculiarem diſpoſitionem in intellectu; alioqui daretur proceſſus in infinitum. His, aliiſque mediis noſtrum aſſertum confirmant Baſſolis *loc. cit.* Suar. *l. 2. cap.15. & 16.* Vaſq. *d.43. cap.4. & 5.* Smiſing. *tract.2. d.6.q.4.n.89.* Amicus *d.9. ſect.9.* Faſolus *art.5. dub. 3.* Salas *t.2. tom.1. tract.2. d.5. ſect.3.* Maſtrius *num.126.* & alij.

ASSERO ſextò. Lumen gloriæ non fungitur munere præciſo ſpeciei intelligibilis.

174 PROBATVR primò à D. Bonau. *in 1.d.3. p.1. q.1. ad vlt.* arg. ſopra allato, quod Maſtrius *num.128.* cæteris contemptis, magni pendit. Species ſuperfluit, vbi obiectum eſt præſens in propria exiſtentia in ratione obiecti; at Deus eſt tali modo præſens beatis: Ergo.

PROBATVR ſecundò à S. D. *in 3, d.14.q.1. in corp.* ſumpto argomento ex aliis virtutibus infuſis, nam in materia fidei, præter ſpecies neceſſarias ad apprehendendum aliquo modo obiectum fidei, puta articulum Reſurrectionis mortuorum, reqoiritur etiam lumen, ſeu habitus ex parte potentiæ, qui conferat ei actiuitatem connaturalem actui ſupernaturali. Idem de charitate; nam præter propoſitionem obiecti, neceſſarius eſt habitus, dans virtutem actiuam potentiæ, vt ſupra etiam Scotus dicebat; at ſpecies ſe tenet ex parte obiecti tantùm. Hoc argumento vtitur Suarez, & Arriaga *loc. cit.* Quòd ſi intellectus ex ſe eſſet completus, ſequitur, poſſe ſuis viribus elicere actus fidei ſupernaturales. Si enim ex eo, quòd viſio Dei conuenit cum aliis viſionibus naturalibus in ratione viſionis, aſſerit Vaſq. intellectum noſtrum eſſe completum, & ſolâ ſpecie impreſsâ egere: Ergo ſimiliter erit completus noſter intellectus ex parte potentiæ ad omnes actus fidei; nam & hi in ratione aſſenſus fidei conueniunt cum actibus naturalibus fidei.

Reſpondet Vaſquez in actibus fidei eſſe ſupernaturalitatem, quæ debet reſpondere habitui ſupernaturali.

CONTRA. Nam ſi intellectus ex parte ſua eſt completus, non inuenitur ſupernaturalitas. Vide Arriagam.

Maſtrius hoc argumentum flocci facit, ac reſpondet *num.129.* ſpeciem iſtam ſupernatotalem ità ſe tenere ex parte obiecti, vt potentiam etiam eleuet ad actus ſupernaturales, quatenus intellectus creatus talem ſpeciem naturalibus viribus ſibi comparare non poteſt.

175 VERVM hic confundit efficientiam ex parte potentiæ cum materiali ratione ſpeciei; cùm vtriuſque ſit diuerſiſſima ratio, vt patet io habitibus intellectûs, & voluntatis. Aliud enim eſt munus ſpeciei intelligibilis gerendi vices obiecti; aliud habitus operatiuus ex parte potentiæ, ſupplens defectum virtutis potentiæ operatiuæ. Hoc facit lumen gloriæ, vt docet D.Th. *q 12. art.5.* D.Bonau. *locis adductis* ad vltima illa argum n a; non autem illud, vt notat etiam Tanner. *num.10.* Sunt enim obiectum, & potentia duo principia diuerſa concurrentia ad actus, vt notat Suarez *n.4.* atque adeò oportet ponere plura principia accommodata actui, qui eſt ſupernaturalis; quamuis autem intellectus ſit potens intelligere, non tamen poteſt intellectionem ſupernaturalem elicere; ſed requiritur ex parte eius habitus ſupernaturalis ad actus ſupernaturales perpetuos. Neque enim id, quod ſe tenet ex parte obiecti, ſufficit; neque ipſum obiectum per ſe ad eleuandam, fouendam potentiam, eamque proportionandam; quod in actibus etiam virtutum Theologicarum experimur: abſonum eſt enim, fidem, Spem, & charitatem aſſerere eſſe Deum, vt docet D.Bonau. *in 3. d.14.q.1. in corpore.*

VRGEO adhuc cum S.D. *ead. quæſt. in fundamentis.* Deus eſt intimus omni intellectui; ſimiliter Verbum vnitur oculo Chriſti, neque tamen ab oculo Chriſti, aut ab omnibus intellectibus videtur; ideò non ſufficit obiectum præſens, ſed requiritur proportio potentiæ ad obiectum, vt aduertunt etiam Suarez, & alij.

176 VRGEO tertiò cum D.Bonau. *3. d.14. q.3. ad vlt.* Cùm Deus, qui eſt obiectum, adſit, ſufficit abſque addita ſpecie illuminare potentiam (vt dixi argumento primo) vt in illud protendatur: neque aliquid aliud poſſumus excogitare neceſſarium. Itaque ſi lumen gloriæ ex parte potentiæ non eſt neceſſarium, vt dicit Vaſquez, nullo modo erit neceſſarium. Hoc autem eſt contra Concilium Viennenſe, quod reqoirit lumen ex parte ipſius potentiæ, vt conſtat ex eius definitione, relata *quæſt.10.* Anteced. probatur ex illo principio D. Bonau. *in 3.d.14. q.1. arg.2.* quo vtitur etiam D.Thom. *q.12.art.2.* Ad videndum, duo requiruntur; potentia viſiua, & vnio cum obiecto. Debent autem, quando ſunt duo principia, eſſe io eo genere perfecta ſuis perfectionibus propriis, vt habet S. Bonau. *in reſponſione*, & D.Thom. *2.2 q.4. art.2.* Ità Suarez. Ex quo eliditur quoque modus dicendi Faſoli, & Poncij.

177 Confirmatur totum è S.Doctore *art.2.q.1. ad 4.* Lumen gloriæ habilitat animam ad cognoſcendum Deum, in quantum lumen comparatur ad ipſum Verbum, ſub ratione lucis, ad oſtendendum id, quod ſupra vires eſt naturæ in illa Deitate, quæ lucem habitat inacceſſibilem. Licèt enim intellectus habeat aliquam virtutem actiuam; tamen certum eſt, eam non poſſe ſuis ſolis viribus attingere Diuinam eſſentiam; alioqui eodem modo poſſet dici intellectus, & voluntas, quoniam habent aliquam virtutem ad actus fidei, & charitatis, poſſe etiam eos elicere abſque habitu infuſo, &c. Ità etiam Suarez.

178 ASSERO ſeptimò, lumen non infundi, vt viſio, ſeu præſentia Dei obiectiua intellectui creato ſit debita, & in eius poteſtate conſtituta, & vt Deus intenſiùs videatur.

PROBATVR quoad primam partem; quia lumen gloriæ non ſe tenet ex parte obiecti potentiæ, vt ſuprà vidimus, vt ei proportionetur in ratione actûs primi ſupernaturalis: ex parte enim obiecti potiùs ponenda ſpecies impreſſa, quàm lumen, vt docet Scotus *3.d 14. q.1.* & *in 4. d.4.q.11.* poſt D.Bonau. *in 1.d.3.p.1.q.1. ad vlt.* Addit verò Scotus *ibi ad penult.* lumen non poni tantum ad intenſiùs videndum; ſed ad ſimpliciter videndum.

PROBATVR deinde altera pars; quia lumen gloriæ creditur neceſſarium, vt attingatur viſio, quò ad ſubſtantiam, quatenus ſubſtantialiter eſt ſupernaturalis, atque ideo petit illa produci partialiter à lumine gloriæ ſimul cum intellectu in genere phyſico, & cauſæ efficientis; ac proinde malè attribuitur ei à Vulpio cauſalitas tantùm moralis, & per modum inſtrumenti ex ordinatione Diuina; & ſolùm ad intenſiùs videndum admittere eſſe phyſicum inſtrumentum. Vide Maſtrium.

ASSERO octauò. Lumen gloriæ non tribuere totam rationem viſiuam potentiæ.

PROBATVR

179 PROBATVR primò à D.Bonau. *in 3.d.14.q.3.ad 6.* Illud principium, quod eſt receptiuum intellectionis, eſt etiam elicitiuum actus viſionis; at potentia intellectiua eſt receptiua actus intellectionis: Ergo. Maior probatur, quia actus intellectionis eſt immanens; vnde ab eo elicitur, in quo recipitur. Maior probatur à S.D. ex Ariſtotele 5. *Met.tom.*17. & 3. *de anima,t.*12.

180 PROBATVR ſecundò à D. Bonau. *ibi.* Is formaliter producit viſionem, qui formaliter habet vitam; talis eſt intellectus; non autem lumen: ergo. Maiòr probatur. Viſio Dei eſt actus vitalis. Hoc argumentum vrgent Vulpes *d.*23. *art.*8. Sghemma *tom.*2. *tit.*32. *q* 6. Poncius *d.*4.*q.* 10.*num* 80. Suar. *l.*2.*cap.*9. Vaſq. *d.*43.*cap.*4. Turrian. *d.*2.*dub.*1. Arriaga *d.*7.*ſect.*2. Luſitanus *loc.cit.* Auerſa *q.*12. *ſect.*20. Ouied. *t.*2. *contron.*8. Maſtrius *loc.cit. n.*139. & 140.

Thomiſtæ quidem volunt, intellectum actu influere in viſionem, nec paſſiuè tantùm ſe habere. Ex quo deduci videtur, non poſſe eos admittere, lumen eſſe totam,& ſolam rationem producendi viſionem; attamen ipſi volunt, intellectum ſolùm remotè agere ad actum, vt vitalem; non verò ad viſionem Dei, quæ eſt actus talis ſpeciei. Hoc tamen eſt falſum, cum viſio illa proximè in en recipiatur.

181 PROBATVR tertiò à S.D.*d.*14.*q.*1.*in corpore*,à ſimili,de aliis actibus ſupernaturalibus fidei, ſpei, & charitatis proficiſcentibus à gratia, in quibus potentiæ per ſuaſmet entitates, vt realiter condiſtinctas à principiis ſupernaturalibus, quibus eleuantur, immediatè influunt in actus ſupernaturales; alioqui verò anima eſſet merum inſtrumentum inanime merè paſſiuè ſe habens.

Hoc autem probatur teſtimoniis Scripturæ, & Patrum eximiis. Inſigne eſt illud 1. Cor.15. *Abundantiùs illis omnibus laboraui; non ego autem, ſed gratia Dei mecum.* Vbi obſeruat S.D. *in 3.d.*26. *art.*2.*q.*2. *ad vlt.* Paulum verè operatum cum gratia; tametſi id gratiæ adſcribat. Ità S.Aug. *de gratia, & lib.arb.cap.*5. vbi exponit. *Non ego autem; ſed gratia Dei mecum, ac per hoc nec gratia Dei ſola; nec ipſe ſolus; ſed gratia Dei cum illo.* Idem habet S.Bernardus *de gratia, & lib. arb. circa finem.* Quæ teſtimonia cum aliis adducuntur à Ripalda *tom.*1. *de ente ſupernaturali d.*30. *à ſect.*3. *vſque ad* 8. contra Thomiſtas aſſerentes, habitus infuſos eſſe rationem integram, & totalem agendi. Hoc enim eſt falſum, vt oſtendit S. Bonau. *in* 2. *d.*26.*q.*6. De intrinſeco enim actus liberi, ac proindè meritorij eſt, vt ſit à principio ſuo vitali, quod ſe ipſum moueat ad opus; alioqui ſi à ſola gratia eſſet tota actio, iam non eſſet liber actus, vt vrget S. D. ad argumenta. Tandem Concilium Trident. *ſeſſ.*6. *cap.*4. id definit, intellectum, ſcilicet noſtrum actiuè concurrere ad actus ſupernaturales, vt notat Caſpenſis *tract. de viſione*, *d.*4.*ſect.*2.

ATTAMEN, vt verum fatear, non videntur hoc ſenſu loqui Thomiſtæ eruditiores; ſed ſolùm volunt habitus, qui ſunt principia eleuantia, eſſe totam rationem formalem conſtitutiuam potentiæ in actu primo; non autem totam rationem eliciriuam actionis, vt notauit. Ouiedo *loc.cit.n.*48. & Maſtrius *num.*144. Afferunt exemplum viſionis corporeæ, quæ è 2. *de anima* eſt totius coniuncti ex anima, quæ habet rationem formæ, & organo oculi, quod habet rationem materiæ; nam reſpectu illius actionis vtrumque eſt principium illius actus; licèt anima ſit tota ratio formalis conſtitutiua principij adæquati viſionis in actu primo, vt ait etiam Faber, qui ideò addit, denominari ab habitu ſupernaturali actum ſupernaturalem, tanquam à nobiliori.

182 ASSERO nonò, lumen gloriæ deſeruire, vt diſpoſitionem eleuantem potentiam, & vt inſtrumentum conſortians ad videndum Deum, & complens intellectum, vt potentiam ad viſionem, ſicut complent voluntatem ad actus ſupernaturales habitus infuſi.

PROBATVR à D.Bonau. *loc.cit. in 3.d.14 q.*1. ſicut enim ad alios actus ſupernaturales virtutum infunduntur habitus, vt actus fiant connaturali modo, id eſt à principio intrinſeco,& proportionato; ità & ad viſionem beatam idem eſt neceſſarium. Ad viſionem enim duo ſunt neceſſaria, vt arguit Scotus poſt D.Bonau. *loc. cit. in fundamentis, & corpore*; id eſt virtus potentiæ,& vnio eius cum obiecto. Virtus autem potentiæ prior eſt, quàm vnio potentiæ cum obiecto; imò ad hoc eſt neceſſaria virtus, vt vniatur ſuo obiecto. Cùm ergo intellectus non habeat virtutem perfectam recipiendi Diuinam eſſentiam, ſicuti eſt; eget habitu gloriæ, ne obiecti excellentia opprimatur.

Reſpondet Vaſquez,obiectum excellens non lædere virtutem potentiæ, niſi per accidens ratione organi, cùm autem intellectus non egeat organis ad videndum Deum, non eſt cur inſpicilia conſortiantia excogitemus.

VERVM experimur, etiam intellectum ab obiecto 183
excellentiori fatigari, vt patet in ſpeculatione rerum ſublimium magis, quàm circa obiectum inferius. Sic enim formata ſpecie, V.g. Angeli in intellectu poſſibili,magis circa eam laborat, quàm circa ſpeciem lapidis. Cùm ergo Deus ſit obiectum excellentiſſimum, nihil mirum, ſi lumen conſortians adhibeatur. Quidquid enim ſit in naturalibus; ſaltem in ſupernaturali obiecto, lumen eſt neceſſarium, vt potentia naturalis eleuetur ad proportionem cum illo; maximè verò hoc verum eſt de obiecto ſupremo,ideſt Deo,non quòd potentia lædatur à vehementi, læſione corruptiua; hæc enim organis corporeis conuenit, vt docet D.Bonau. ſed quia eſt improportionatus, ſicut oculus Noctuæ ad lumen Solis, vt ait Seraphicus *in* 2.*d.*3. *q.*2. *ad* 2. cum Ariſtotele 2. *Met.t.*1.

Confirmatur hæc ratio à Maſtrio *num.*151. quia vi- 184
ſio beata connaturalis eſt intellectui lumine informato, quatenus illi ad talem ſtatum eleuato debetur regulariter concurſus obiecti beatifici ad eliciendam viſionem, ità vt violentia quædam eſſet, ſi negaretur concurſus. Ergo re vera lumen gloriæ de facto confert ad connaturalitatem ſtatus beatifici, ac beatæ viſionis. Conſeq. patet. Aſſumptum videtur communiter conceſſum, & probatur, quia viſio beata exigitur ab intellectu habente lumen gloriæ. Ergo ob talem exigentiam debet dici connaturalis illi in tali ſtatu.

ADDO decimò, probabile eſſe, lumen gloriæ deſeruire non ſolùm ad eliciendum actiuè actum viſionis, ſed etiam ad eum recipiendum. Probatur argumento Seraphici *in* 3. *d.*14.*q.*3. *ad* 6. Intelligere, non eſt tantum agere, ex Ariſtotele 5. *Met. t.*17. & 3. *de anima t.*12. & 28. Sed etiam pati, id eſt intellectio-
nem recipere. Cùm ergo decernit Concilium, lumen 185
gloriæ neceſſarium eſſe ad videndum Deum, non tantùm intelligendum eſt de eleuatione actiua; ſed etiam de paſſiua ad recipiendum. Neque tamen eſt neceſſe, vt viſio recipiatur etiam in lumine, quia ſufficit recipi in principio vitali; ſicut omnis intellectio recipitur in intellectu, non autem in ſpecie intelligibili. Itaque lumen ſolùm inſeruit vt diſpoſitio qua ſolus intellectus recipiat viſionem vt dicebant Thomiſtæ, & alij relati pro ſecunda ſententia, quia receptiu iſtius viſionis eſt ſupernaturalis. Ergo requirit lumen ſupernaturale.

QVOD verò obiiciebant, fore vt abiretur in infinitum,quia etiam ad hanc ſupernaturalem neceſſaria eſſet alia diſpoſitio ſupernaturalis, & ſic in infinitum.

Reſpondetur

Reſpondetur cum D.Bonau. relato *aſſert*.4. ſtatum eſſe in prima diſpoſitione, quæ eſt habitus animæ, neque enim inter diſpoſitiones etiam ſupernaturales neceſſarius eſt talis ordo, vt notat Maſtrius *n.* 127. & per hoc reſpondetur ad fondamentum tertiæ ſententiæ, cui negandum eſt etiam, Diuinam eſſentiam vniri in ratione formæ ipſi intellectui, hoc enim diceret in Deo imperfectionem.

Obiicies primò cum quarta ſententia (reliquæ enim præcedentes ſunt dilutæ) è D.Bonau. *in* 3. *d.*14. *q.*3.*ad* 6. D.T. *q.*12.*art.*2. Lumen gloriæ dicitur ſimilitudo, non alia de cauſa, niſi quia eſt ſpecies.

195 Respondetvr D.Bonau. id ſolùm aſſerere, Beatum per lumen gloriæ fieri deiformem, non autem ipſum lumen eſſe Dei ſimilitudinem, niſi cauſatiuè, quatenus per illud anima diſponitur, vt Deo aſſimiletur in viſione; vel vocat lumen ſimilitudinem, quatenus eſt qualitas ſupernaturalis imitans lucem illam Diuinam, cuius eſt participatio. Neque verò aut D.Bonau. aut D. Th. aut aliquis antiquorum opinionem illam Vaſquez tenuit, vt notat Suarez *num.*17. Ribas autem muſſitat quid contra, *num.*18.

Obiicies ſecundò. Lumen complet efficacitatem intellectus, vt viſionem eliciat. Ergo lumen repræſentat Deum habitualiter. Ergo eſt ſpecies impreſſa Dei. Prior conſeq.probatur, quia ideò aliqua qualitas poteſt dici habitualiter repræſentatiua Dei, quoniam eſt principium viſionis illius, quæ eſt formalis, & expreſſa ſimilitudo Dei. Ergo cùm lumen ſit principium viſionis Dei, erit ſpecies impreſſa. Poſterior conſeq.probatur; quia ſpecies impreſſa nihil eſt aliud, quàm habituale lumen repræſentatiuum Dei.

186 Reſpondetur, quod lumen complet efficaciam intellectûs, non determinando potentiam, vt ſimilitudo obiecti, ſed conſtituendo eum in ordine agentis ſupernaturalis, vt ex parte ſua ſit proportionatus ad actus viſionis beatæ, vnde diſtincto antecedente, negatur vtraque conſequentia. Fallitur autem Vaſquez putans, intellectum in ratione potentiæ eſſe completum ad viſionem Dei; licèt enim ſit completus in ratione agentis vitalis; complendus eſt tamen in ordine ſupernaturalis agentis. Diuerſo autem modo complet ſpecies, & habitus potentiæ. Nam ſpecies ſe tenet ex parte obiecti, habitus verò neceſſarius eſt alteri principio diſparato intellectionis, id eſt potentiæ, vt dixi ſupra.

Instat Smiſing. Habitus luminis non eſt aliud, quàm qualitas ſupernaturalis cum intellectu, exprimens notitiam Dei intuitiuam; ſed talis qualitas eſt ſpecies impreſſa. Ergo.

Respondetvr, negando Maiorem, non enim exprimit tanquam ſimilitudo obiecti, ſed eleuando potentiam ad ordinem ſupernaturalem, vt ait Seraphicus *loc.cit.* vt fiat deiformis.

Obiicies tertiò. Si Diuina eſſentia concurrit ſupernaturali occurſu, non inuenitur ad quid deſeruiat lumen gloriæ: Ergo erit fruſtra.

187 Reſpondetur, neceſſarium eſſe lumen gloriæ ad roborandam potentiam; non enim habet intellectus virtutem integram circa obiectum ſupernaturale. Vnde, quia eſt principium diuiſum ab obiecto, ſicut ex parte obiecti datur obiectio realis, vel per ſpeciem; ità ex parte potentiæ debet dari aliud comprincipium, idest habitus, vt patet in actibus cæteris virtutum ſupernaturalium. Vide Suarez, & Maſtrium. Debet enim potentia in ordine ſuo perfici; non perficitur autem in ordine ſuo per concurſum obiecti, quia obiecti actiuitas eſt pro ſuo ſolo ordine. Et quia vterque ordo eſt ſupernaturalis; ex parte quidem obiecti, quod ſe demonſtrat ſupernaturaliter, & ex parte potentiæ, vt dixi. Ideò etiam ſi obiectum ſupernaturaliter concurrat, requiritur adhuc ex parte potentiæ principium, id eſt lumen, eam conſtituens in ratione potentiæ ſupernaturaliter, vt dicebam, ad hoc, vt viſio fiat connaturali modo vtrinque.

Non eſt autem complenda potentia; quaſi vultum lumen Dei reuelet, vt putat Vulpes, ſed vt eleuetur ad proportionem cum obiecto ſecundùm ordinem ſupernaturalitatis; vt dicebat D.Bonau. *in* 1. *d.*3.*p.*1.*q.*1.

Obiicies quartò cum ſexta opinione. Agens naturale non poteſt virtute natiua influere in effectum ſupernaturalem. Intellectus eſt agens naturale. Ergo. Maior probatur. Non poteſt cauſa influere ad effectum quem in ſua virtute non continet; nemo enim dat, quod non habet. 188

Reſpondetur, Intellectum ſeorſim acceptum, non poſſe quidem in effectum ſupernaturalem, quia illum in ſe non continet; poſſe tamen eleuatum à principio ſupernaturali, actu ſuo tendere in obiectum actu ſuper naturam; non enim neceſſe eſt ad actum ſupernaturalem ſingula comprincipia eſſe eiuſdem ordinis ſupernaturalis, quia effectus non eſt omni ex genere eiuſdem ordinis; ſed habet, vt ſit actus ipſius animæ vitalis, ideò eget principio vitali: vt verò in tale obiectum feratur, ſatis eleuatur à principio ſupernaturali potentia obedientialis, & ità vitalitas eſt ſupernaturalizata. Sicut igitur, licèt viſio ſit actio vitalis, poteſt eſſe à lumine etiam gloriæ, quod non eſt vitale; ità, quia eſt ſupernaturalis, poteſt eſſe etiam ab intellectu, qui eſt ordinis naturalis, quia obedientialiter eleuatur natura ad ordinem ſuperiorem.

QVÆSTIO XII.

An abſolutâ Dei potentiâ valeat Beatus videre diuinam eſſentiam abſque Habitu Luminis.

MVltі adeò exiſtimant neceſſarium habitum luminis gloriæ ad beatam viſionem, vt negent, eam etiam abſolutâ Dei potentiâ poſſe haberi ſine illo, aut alio intrinſeco principio inhærente, ſupplente vices luminis, & conſtituente potentiam in actu primo. Hi ſunt Caietan. *q.*12.*art.*5. Bannes *ibidem dub.*3. Nazar.*controu.*2. Ioan.à S.Thoma *d.*14. Salmaticenſ. *tr.*2. *d.*4.*dub.*4.*&* 5. Aluarez *de auxil.d.*7. Capreol.4. *d.*49. *q.*4.*art.*1.Sotus ibi *q.*2.*art* 4.Ferrar.3.*cont.G.c.*54 & alij Thomiſtæ, qui adducunt D.T.2.2. *q.*175.*art.*7.*ad* 2.& *q.*2 *de veritate,art.*2.Sequitur Ægid.à Præſ.*l.*9.*q.*6.*art.*11.

Opposita ſententia communis extrà ſcholam D.T. eſt affirmatiua. Ità Palud.4.*d.*49.*q.*1.*art.*3. Argent.*q.*2. Maior *q.*4.Scotus *in* 3.*d.*14.*q.*3.*art.*2.& cum eo Scotiſtæ omnes, Lichetus, & Tartaret. ibi Baſſol. *q.*1.*art.*1. Mairo *d.*12.*q.*2.Fabes *in* 3.*d.*32.*c.*3. Aretin.*art.*5.Gallus *prælud.*2.*d.*1.*ſect.*2.*&* 3.Vulpes *tom.*1.*d.*23.*l.*1.*c.*7. *q.*3.Sghemma *tit.*32. *q.*9. Poncius *d.*4. *de viſione q.*10. *concl.*3. Smiſing. *tract.*2.*art.*9. Poſnan.*d.*6.*q.*4.*n.*85.& Recentiores paſſim, Suarez *l.*2.*de attribut.* *c.*16. Vaſq. *d.*46. Salas *tom.*1.*in* 1.2.*q.*3 *tract.*2. *d.*5.*ſect.*4. Faſolus *p.*1.*q.*12.*art.*5.*dub.*12. Molina *art.*5.*d.*1. Valentia *d* 1. *q.*12. *p.*3. Ouied. *p.*2. *tract.*1. *controu.*8. *p.*2. Morand. *tract.*1. *q.*11.referens Alarconium, Arrubalem, & alios, Arriaga *tract. de viſione d.*7. *ſect.*2. *ſubſec.*2. Lezana *tract.*3.*d.*2.*q.*5. Auerſa *q.*12.*ſect.*16. Becan.*p.*1.*tract.*2. *cap.*9.*q.*4. Amicus *d.*9.*ſect.*12. Maſtrius *d.*6.*q.*5.*n.*155. Tanner. *d.*2.*q.*6. *dub.*3.*n.*12. Caſpenſ. *tract. de viſione, d.*4.*ſect.*3. & eſt expreſſa ſententia D.T.4.*d.*49.*quæſt.*2. *art.*7. & *q.*10. *de ver.art.*11. at verò locis adductis à Thomiſtis loquitur de potentia ordinaria, vt notarunt Caſpenſis, & alij; vt patet *in* 4. *d.*49.*art.*2. *art.*7. & *de ver. quæſt.*10.*art.*7. apud Ribam.

Eandem ſententiam amplexus eſt Trigoſius *quæſt.7. art.1.dub.5.* adduceos D.Bonau.3.*d.*14.*q.*1. quia S.D. ideò ponit neceſſarium lumen gloriæ, vt intellectus fiat deiformis; hoc autem poteſt Deus efficienter ſupplere; hoc tamen non ſatis explicat Trigoſius; Sic Macus *quæſt.*12.*art.*1.*d.*5.

189 Trigorii verò expoſitio ſic explicari poteſt. S.Bonau. aſſerit ibi, animam Chriſti videre Deum viſione creata, non autem increata, vt vidimus *q.*10. Ratio eſt, quia debet fieri vnio potentiæ eleuatæ cum Deo obiecto per aliquid informans. Hoc autem debet eſſe creatum; quia Deus ipſe non poteſt informare. Hinc infert, dari lumen gloriæ, quo anima redditur deiformis: attamen non negat S.D. hoc munus poſſe ſuppleri etiam auxilio actuali, quod quidem ſe habet, vt informans potentiæ actum; neque verò eſt neceſſaria informatio propria potentiæ in actu primo ab habitu, quia etiam alij actus ſupernaturales fidei, Spei, & Charitatis ſæpè auxilio ſolo actuali eliciuntur. His autem aſſimilat S.D. actum viſionis beatæ. Quia enim Habitus luminis non habet præcisè ſuum effectum intrinſecè informando potentiam, ſed efficiendo, & illuſtrando intellectum, ad modum quo albedo diſgregat viſum non informando ſubiectum, ſed agendo in viſum, ideò poteſt ſuppleri à Deo, qui cauſalitatem formalem non poteſt ſupplere, ſed efficientem. Itaque ſicut non eſt neceſſarium, operante Diuina potentia, lumen permanens ad actum primum, vt viſio duret; ità neque in momentanea viſione qualitas tranſiens; vt dicebant aliqui è Thomiſtis; ſed ſufficiet, vt Deus ad actum ſecundum extrinſecè concurrat.

Coriolanus *quæſt.*12.*art.*3. nil de hoc inuenit aſſertum à Seraphico.

190 Si mihi liceat de Seraphici D. ſenſu iudicium facere, dicam, eum procul dubio pro ſententia eſſe Thomiſtarum; nam poſtquam in corpore dixit, vnionem hypoſtaticam animæ Chriſti ad Verbum non ſufficere, vt ſit proportionata beatæ viſioni; ſubdit. *Alium ergo modum vnionis neceſſe eſt eſſe ad hoc, quòd anima cognoſcat Verbum ſibi vnitum in vnitate perſonæ, hoc autem eſt per aſſimilationem cognoſcentis ad cognitum, & ita per aliquam influentiam, quæ ipſam animam cognoſcentem faciat Deo ſimilem, ac deiformem: & ità per aliquem habitum ipſam animam informantem, qui quidem habitus non poteſt eſſe, niſi aliquid creatum.* Quæ verba non ſolum D.Bonauenturæ ſententiam exprimunt, nempè neceſſe eſſe aliquod lumen habituale pro viſione permanente; vel ſaltem aliquid tranſiens, actuans, & informans intellectum in viſione tranſitoria, qualis dicitur fuiſſe Pauli; verum etiam argumenta apponunt, quæ infra exponemus.

Asserо probabiliter, non poſſe Deum videri abſque habitu luminis gloriæ, vel alia qualitate intellectui inhærente, eumque informante.

191 Probatvr à D.Bonau.*l.c. in corpore*, argumento, quo vtuntur communiter Thomiſtæ. Vt fiat viſio beata, debet intellectus eleuari, & diſponi, atque in actu primo conſtitui, vt ſit deiformis. Sed ad hoc requiritur aliqua qualitas ſupernaturalis informans animam. Ergo. Ma: Eſt euidens, quia effectus debet proportionari cauſæ; at intellectus non habet proportionem cum viſione beatifica. Ergo. Minor probatur. Eatenus eleuatur intellectus per lumen gloriæ, quatenus per illud transfertur ad *eſſe* ſupernaturalis ordinis, quod *eſſe* eſt prius, quàm actiuitas ad producendam viſionem. Quod probat Luſitanus *l.*10.*q.*3. *art.*6.*n.*22. è S.Dion. *c.*7.*de diu.nom.* vbi ait. *Nos diuina intelligere ſecundum nos quidem, ſed extra nos ſtatutos, & totos deificatos*; vbi oſtendit, intellectum deificari, vt poſſit eſſe aptus ad viſionem beatam; deificari autem eſt formam habere ſuperioris ordinis deificantem, priuſquam eliciat actum viſionis. Sic enim lumine gloriæ informatur, neque credendum eſt ſuperfluere.

Reſpondet Maſtrius *n.*169. intellectum deificari, ac ſupernaturalizari, ſola denominatione extrinſeca.

192 Vervm grauiter impingit, quia Concilium Vienen. requirit lumen gloriæ; habituale eſto, vel actuale inhærens eleuans ad Deum videndum. Hoc autem infert realem informationem, & eleuationem intrinſecam potentiæ, non aptæ ex ſe, neque proportionatæ illi actui ſupernaturali. Indicat etiam, intellectum eleuatum in actu primo eſſe debere, nam damnat errorem Beguinorum, quod erat. *Anima non indiget lumine gloria ipſam eleuante ad Deum videndum.* Loquitur autem de lumine creato, vt omnes Theologi fatentur.

Reſpondet Fauent. *n.*36. animam eſſe in actu primo ſecundum ſe, & ex parte ſua proportionatam ad viſionem beatificam; quod ſi non producit actum viſionis, non eſt, quia ex ſe ſit improportionata; ſed quia deficit ei altera cauſa partialis neceſſaria ex ordine diuinæ diſpoſitionis; ſicut deficiente lumine, oculus non videt obiectum, & mater ſine Patre non concipit filium.

Addit Maſtrius *num.*162. exemplum duorum trahentium nauim, quorum alter ſolitarius non poteſt: alter verò additus facit cauſam adæquatam, licèt non addat virtutem concauſæ.

193 Vervm hæc reſponſio eſt friuola, & exempla illa ſunt extra chorum, valent enim de concauſis requiſitis eiuſdem ordinis, quarum altera alteram adiuuat non addendo virtutem concauſæ, vt concauſa eſt: at in caſu noſtro non valet, quia intellectus ideò eſt improportionatus, quia eſt ordinis naturalis; at viſio beata eſt ordinis ſupernaturalis. Vnde lumen gloriæ eleuans requiritur, vt definit Concilium Viennenſe.

Reſpondent Faber, & Maſtrius *loc. cit.* intellectum ſecundum ſe eſſe improportionatum adæquatè, & ſimpliciter, non autem in ſuo genere, & ſecundum quid; ſic enim eſt proportionatus.

194 Contra. Quia in ſuo genere eſt ordinis naturalis; & viſio beata eſt ſupernaturalis: Ergo in ſuo genere intellectus eſt improportionatus.

Vrgeo cum D.Bonau. Dicant mihi, qua ratione poſſit adiutorium extrinſecum proportionare potentiam abſque intrinſecæ perfectionis influentia?

Vulpes *l.c.* ait, non eſſe neceſſe, vt Deus ſuppleat aliquam luminis cauſalitatem phyſicam, quia lumen ſolam cauſalitatem moralem habet ex ordinatione diuina. Idem innuit ſupra Fauentinus. Vult autem lumen deſeruire tantum ad intenſiorem viſionem, non ad ſubſtantiam eius.

Verùm contra arguit Maſtrius *d.*6.*q.*4. *n.*137. quia lumen gloriæ ponitur à Theologis communiter, & ab ipſomet Scoto 4. *d.*6.*q.*10. vt intellectus phyſicè eleuetur ad ſubſtantiam viſionis Dei, quæ ſupernaturalis cum ſit, non eſt in poteſtate intellectus, & hoc videtur à Viennenſi Concilio definitum ſupra.

Smiſing. *quæſt.*4.*cit.num.*84. nullum prorſus agnoſcit concurſum, qui in eo caſu ſuppleat concurſum luminis; ſed ſolum ſeipſo Deum facere, quod medio lumine faciebat. Sic & Ribas, *n.*49.

195 At verò quis ignorat, neceſſarium eſſe maiorem concurſum, vt ſuppleatur defectus luminis? Deus quidem id ſolus faceret, data hypotheſi, at maiori concurſu operaretur, vt notat Maſtrius. Sic enim, quando vnus ſolus mouet pondus, quod cum altero mouebat, plures vires exerit. Ità neceſſarium eſſe maiorem concurſum Dei, vt ſuppleat defectum luminis, communiter fatentur, vt notat Maſtrius *num.*165. Suarez *l.*2. *cap.*16 *num.*5. & coactus admittit Ribas.

Maſtrius *n.*167. ſic reſpondet, hoc ſupplementum

duo

duo addere ex parte Dei. In actu primo quidem voluntatem Dei paratam ad concurrendum cum intellectu hic, & nunc ad viſionem ſine lumine: in actu verò ſecundo concurſum æquiualentem concurſui luminis.

Verum mihi videtur ludere: nam cauſa non agit phyſicè, niſi in quantum eſt phyſicè iam poſita in actu, ex *Ariſtot. 2. Phyſ.* at quis vnquam ſomniauit per ſolam extrinſecam promptitudinem voluntatis Dei concurrendi in poſterum, conſtitui cauſam in actu phyſico, abſque vlla influentia Dei in cauſam? Quod autem intellectus ſe ipſo non ſit in actu primo, oſtendi ſupra.

Obiiciunt ferè omnes authores ſecundæ ſententiæ. Quidquid poteſt Deus, & facit per cauſam ſecundam, poteſt facere etiam ſeipſo ſolo; at lumen gloriæ efficienter concurrit ad viſionem: Ergo poteſt Deus illam efficientiam ſupplere.

196 Respondetur cum D. Bonau. cauſalitatem luminis gloriæ eſſe non merè effectiuam; ſed formalem, & eleuantem intellectum ad ordinem ſupernaturalem formaliter in actu primo, atque diſponere ad viſionem eliciendam: Deus autem non poteſt facere, vt cauſa ſecunda efficiat ſine principio formali efficiendi. Ità reſpondet Ferrar. Soto, Bannes, & alij.

197 Instat Maſtrius, hanc reſponſionem ſupponere falſum, nempè lumen gloriæ eſſe totam cauſam, & virtutem intellectus ad videndum.

Fallitur tamen, nos enim dicimus, intellectum eſſe cauſam totam actus, quia vitalis eſt; at verò ſimul cum lumine gloriæ concurrere ad actum illum vt ſupernaturalis eſt; vt autem intellectus in ordine ſupernaturali collocetur, eget diſpoſitione informante, omnis enim potentia debet eſſe diſpoſita, vt operetur; neque hæc diſpoſitio poteſt ſuppleri ſolâ extrinſecâ efficientiâ Dei, quæ eſſet nuda applicatio potentiæ ad videndum, quia nulla potentia benè applicatur ad actum ſecundum, niſi ſit formaliter diſpoſita; non enim poteſt applicari ignis calefactioni, niſi habeat virtutem calefaciendi, & ſic de cæteris; non poteſt applicari oculus ad videndum, niſi habeat virtutem viſiuam.

198 Scotus, & Faber, qui ſuperiori argumento putant ſe probaſſe, lumen gloriæ non eſſe neceſſarium ad eliciendam actuè viſionem; vrgent ad probandum; neque ad recipiendam viſionem, lumen eſſe neceſſarium. Primò, quia intellectus immediatè eſt ſuſceptiuus beatitudinis. Secundò, quia cùm intellectus ordinetur ad intellectionem, debet ordinari ad perfectiſſimam. Tertiò. quia ſequeretur, vltimam formam perfectiſſimam animæ, eſſe lumen gloriæ, atque adeò in illo eſſe beatam, non in viſione Dei, nam hanc reciperet, non immediatè; ſed per lumen. Quartò ſequeretur, lumen gloriæ eſſe per ſe beatum, eſt enim per ſe receptiuum viſionis. Hæc tamen frigida ſunt. Primum quidem: nam oſtendemus 1.2. *tr.* 2. *d.* 1. *q.* 22. non dari potentiam naturalem ad beatitudinem immediatè Secundum etiam eſt falſum, ordinari ſcil. ad actum perfectiſſimum intellectionis naturaliter, & ſi hoc eſſet verum, ordinaretur ad intellectionem comprehenſiuam Dei. Quòd ſi dicas, ordinari ad perfectiſſimam finitam, quia intellectus finitus eſt; debes addere, ordinari ad perfectiſſimam naturalem, quia naturalis ordinis eſt. Tertium quoque friget, nam viſio quæ accipitur intercedente diſpoſitione, adhuc immediatè recipitur, vt notat D. Bonau. *qq. citata diſt. fund. vlt.* Quartum pariter labile eſt, nam viſio non recipitur in lumine immediatè, ſed in anima. & per eam in lumine.

199 Obiicies ſecundò Lumen præcedens intellectionem naturalem eſt neceſſarium ob perfectionem obiecti, quod vel non eſt actu intelligibile, ſed per lumen intellectus agentis; vel ſi eſt per ſe intelligibile actu, non eſt per ſe ſufficiens ad mouendum intellectum ad actum ſecundum: neutrum iſtorum eſt in propoſito, quia eſſentia Diuina eſt ſumma Lux intelligibilis, & motiua intellectûs.

Reſpondetur cum D. Bonau. *in 2. d. 3. q. 2. art. 2. q. 2. corp. & ad argumenta*, Deum quidem eſſe Lucem, ſed eminentiſſimam, & ideò inacceſſibilem, ſicut lux ſolis Noctuæ, & ideò neceſſarium eſſe lumen gloriæ eleuans animam ad quandam proportionem, non quantitatiuam & adæquatam; ſed qualitatis, proportionis, & ordinis, vt habet idem Seraphicus *in 3. locis adductis*; alioqui argumentum Scoti infert, naturaliter poſſibilem Dei viſionem.

Imo hinc eruo cum S.D. *in 2. l. c. in corp.* nouum argumentum, quo vtuntur multi apud Baſſolium *l. c.* Lumen in viſione, & intellectione naturali ſe habet formaliter ad obiectum manifeſtandum, at cauſalitas formalis non poteſt à Deo ſuppleri. Non dico eodem modo fieri in viſione Dei, vt lumen detegat vultum Dei; ſed dico idem requiri ex parte potentiæ ad eam confortandam, & eleuandam ad ſtatum ſupernaturalem, obiecto proportionatum. 200

Addo tamen pro ſententia Scoti aliam rationem, quæ eſt Seraphico familiaris. *Plus poteſt Deus facere, quàm nos intelligere*, alioqui potentia Dei eſſet commenſurata noſtræ finitæ capacitati. Nihil autem Dei potentiæ negandum, niſi manifeſta vrgeat contradictio. In caſu verò noſtro non apparet. Itaque cum neque S. Bonau. clarè ſtet in contrarium, & loca omnia poſſint explicari, vt ſuprà explicui, concludo, etiam opinionem ſecundam eſſe probabilem. 201

QVÆSTIO XIII.

An viſio beata ſit connaturalis intellectui Lumine gloriæ informato.

Thomiſtæ communiter hoc aſſerunt. Sic Ferrar. *3. cont. G. c.* 54. Caiet. 1. *p. q.* 12. *art.* 5. Suar. *l.* 2. *de attrib neg. c.* 17. Vaſq. *d.* 44. *c.* 2. Faſol. *q.* 12. *art.* 5. *dub.* 11. Auerſa *q.* 12. *ſect.* 10. Albertin. *tom.* 1. *princ.* 1. *corol.* 2. *n.* 11. Macrae. *trac. de Deo d.* 14 Morand. *tr.* 2. *q.* 11. *n.* 194.

Oppoſita ſententia eſt Scoti 4. *d.* 49. *q.* 2. *art.* 4. & *in* 3. *d.* 4. *q.* 12. *litt.* C, *quem ſecuti ſunt* Vulp. *d.* 23. *ar.* 12. Sghem. *tit.* 52. *q.* 12. Smiſing. *d.* 6. *q.* 9. *n.* 287. Maſtr. *d.* 6. *quæſt.* 2. *art.* 5. & aliorum Scotiſt. Inſuper Molinæ *quæſt.* 12. *art.* 5. *d.* 1. *ad* 3. Caſpenſ. *tract.* 1. *d.* 4. *ſect.* 4. Reeupit. *l.* 6. *quæſt.* 17.

Videtur tamen diſputatio de nomine, vt aduertunt Maſtrius infra, Tann. *l. c. n.* 6. Ribas *T.* 3. *d.* 2. *c.* 6. Si tamē diſputandum ſit, verior videtur prior ſententia, quæ videtur D. Bon. *in* 2. *d.* 23 *q.* 3. maximè ad vlt. & *in* 3. *d.* 14. *q.* 3. *ad vlt.* vbi proportionem aſſignat inter intellectum eleuatum & Deum, ità vt naturaliter videatur ſequi viſio. Itaque ſicuti viſio eſt connaturalis lumini gloriæ, quod ex intrinſeca ſui ratione ordinatum eſt ad faciendam ſupernaturalem illuminationem, & glorificationem, quæ eſt viſio Dei, intuitiua ſummi boni; ſequitur eſſe connaturalem quoque intellectui eo lumine illuſtrato, atque adeò, licèt ſit ſupernaturalis viſio illa intellectui præciſo; tamen eſt connaturalis intellectui eleuato Et hoc innuitur à Seraphico; & eſt ratio præcipua, vt ait Faſolus; ſic enim intellectus per formam ſupernaturalem fit eiuſdem ordinis cum viſione ſupernaturali, vt notat Auerſa, qui alia affert argumenta. 202

Reſpondet Maſtrius, hoc eſſe potius nobis ſcandalū ligonis in pedem: quia ſi lumen eſt ſupernaturale, & viſio beata eſt eiuſdem ordinis cum ipſo; ſequitur ipſam potius eſſe ſupernaturalem, cuicunque comparetur, ſiue intellectui ſecundum ſe ſpectato, ſiue lumine informato.

Verum nos iam declarauimus, accipiendum intellectum, quatenus lumine informatum, vt ait D. Bonau. *in* 2. *l. c.* deiformitas enim gloriæ eſt ſufficiens diſpoſi-

tio, vt intellectus videat debito modo eſſentiam Dei, ità vt, ſi ei denegetur, vis inferatur; ſicuti, ſi ligno diſpoſitio ad formam Ignis denegetur ea forma, quod fruſtra negant Scotus, & alij, qui hoc nituntur fundamento. Viſionem Dei intellectui creato eleuato, non adhuc eſſe connaturalem, & debitam, ac proinde lumen gloriæ eſſe merum inſtrumentum morale, quo poſito, adhuc viſiu liberè conferatur.

203 Hoc tamen falſum eſt, quia lumen eſt qualitas phyſica ſupernaturalis ordinata ad eleuandum phyſice intellectum ad ſtatum, & ordinem ſupernaturalem, proportionatum viſioni eſſentiæ Dei, ità vt, eo poſito, non ampliùs liberè negetur viſio, vt obſeruat Maſtrius *d.6. q.4. n.137* contra Vulpem, vt dicemus *q. 11. aſſerto ſeptimo*. Cùm igitur lumen ſit phyſicum inſtrumentum, quo intellectus phyſicè eleuatur ad ſtatum phyſicè proportionatum obiecto, in ratione obiecti ſupernaturalis, vt cum Seraphico obſeruauit Auerſa; ſequitur habenti lumen, connaturalem eſſe viſionem, in quo Maſtrius ſui fuit immemor.

QVAMVIS autem ad actum concurrat intellectus ſuâ virtute vitali, tamen eius concurſus non eſt nudus conſiderandus, vt putauit Caſpenſis, ſed vt eleuatus. Itaque intellectui, hoc ſolo ſenſu, quatenus nudè eſt, viſio non eſt connaturalis: at verò, vt imbutus eſt lumine, eſt ei connaturalis, vt dicit Maſtrius *d.6 q.5. n.151.*

Tandem Maſtrius fatetur, non minùs probabilem eſſe primam ſententiam, quam ſecundam, cui videtur annuere S.Bonau. relatus *q.10. ad 1.* vbi videtur, præter lumē ex parte potentiæ, requirere ex parte Dei condeſcenſionem voluntariam: eam tamen dicerem præcedere infuſionem luminis gloriæ, ità vt imbuto intellectui, Diuinum obiectum infinitum conſequenter ſe aptaret.

204 ASSERO ergo primò. Viſionem Dei eſſe connaturalē intellectui perfuſo lumine gloriæ, non ſuprà naturam.

PROBATVR ratione D.Bonau. quâ vtuntur cæteri, quia intellectus ſic formatus habet ſufficiens principium talis viſionis, cùm ſit deiformis, & Deus ſe exhibet condeſcendendo.

205 ASSERO ſecundò, illam viſionem eſſe naturalem etiam prout diſtinguitur à libera.

Quòd ſit naturalis, quoad ſpecificationem, patet, quia intrinſece eſt clara, & euidens. Ergo non poteſt aliter eſſe, quàm ſit.

Quòd verò non ſit libera, ſed naturalis, ideſt neceſſaria quoad exercitium.

PROBATVR à D.Bonau. Opuſc. *de ſeptem donis.* De dono ſapientiæ *c.11.* Primò, nam beatitudo eſt poſſeſſio æuiterna immutabilis, vt dicitur Lucæ 22. *Ego diſpono vobis regnum, vt edatis, & bibatis in regno meo.* Regnum autem Chriſti eſſe æternum, aſſerit idem Lucas c.1. *Regni eius non erit finis.* Et Sap.5. *Iuſti autem in perpetuum viuent, & apud Dominum eſt merces eorum.*

206 PROBATVR ſecundò à S.D. *ibi* §.7. *&c.* quia Deus ibi eſt omnia in omnibus, vt dicitur 1.*Cor.*15. & Pſal.35. *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos. Quoniam apud te eſt fons vitæ; & in lumine tuo videbimus lumen.* Cùm ergo ibi voluntas in æternum Deo vnita, eius voluntati perfectiſſimè nexa ſit, vt dicitur Matth.6. *Fiat voluntas tua ſicut in cælo;* hæc autem ex viſione Dei pendeat; ſequitur, vt ſicut ibi neceſſarius, atque perpetuus eſt amor Dei, abſque vlla interpolatione; multò magis neceſſaria ſit viſio, quæ naturalis eſt, & à qua pendet charitas inceſſabilis beatorum.

PROBATVR tertiò à D Bonau. ibi, quia beati per transformationem deificati, dicuntur Dij. *Pſalm.* 81. Et *Ephes* 4. Hæc autem eſt conformitas beati ad Deum, vt ait Lincolnienſis ſuper 1. *Angelica Hierar.* & Richar. *l.1. de contempl. c.12. Qui enim adhæret Deo vnus ſpiritus fit,* vt dicitur 1.*Cor.*6. Iam verò cùm Deus neceſſa-

riò beatus ſit per eſſentiam; idem erit de beatis per participationem. Vide Seraphicum. His ferè rationibus nituntur etiam Suarez, & cæteri allegati.

QVÆSTIO XIV.

An Viſio Dei ſit ſcientia perfectiſſima.

ASSERO primò. Viſionem Dei eſſe certiſſimam, & euidentiſſimam, ac proinde ſcientiam perfectam.

PROBATVR primò à D.Bonau. *in 3.d.23 art.3.q.3. in corp.* ex 1.Cor.13. *Tunc cognoſcam, ſicut & cognitus ſum.* & ex 1.Ioan.3. *Videbimus eum ſicuti eſt.* 207

PROBATVR ſecundò à D.Bonau. Opuſc de ſeptem donis. *De dono ſapientiæ c.11.* è Pſal.41. *Veniam, & apparebo ante faciem Dei.*

Deinde in vtroque loco citato, ratione optima probat, quia ſapientia ſatians appetitum debet eſſe certiſſima, & euidentiſſima: at viſio Dei ſatiat appetitum, vt dicitur Pſal.16. *Satiabor cùm apparuerit gloria tua.* Ergo. Vide etiam quæſtionem primam, vbi alias authoritates, & rationes habes ad hoc confirmandum quibus vtitur etiam Suarez *l.2. de attrib. Dei neg. cap.*18. Addit Ribas *cap.*5. illam viſionem eſſe pauſulum indiſtinctam à creaturis in Deo viſis.

ASSERO ſecundò. Viſionem Dei quidditatiuam eſſe intuitiuam. Ità D.T. *q.12. art.15. &* 13. S.Bonau. allegatus *q.1. &* 8. vbi ad argumenta habes, quo pacto ſit cognitio quidditatiua; neque tamen comprehenſiua, quod negotium faceſſit, cùm quidditatiua cognitio debeat totam eſſentiam manifeſtare vſque ad vltimā differentiam, & quaſi rationem eius formalem. Vide *q.*37. 208

PROBATVR ergo, eam cognitionem quidditatiuam eſſe intuitiuam ex dictis *q.*5. vbi oſtendi, cognitionem quidditatiuam Dei, debere eſſe etiam intuitiuam, quod rectè obſeruat etiam Suarez *ibi*, non enim poteſt cognoſci Deus quidditatiuè clarè, niſi cognoſcatur exiſtentia, quæ eſt de ratione quidditatis. Quamuis autem poſſit per cauſam, vel effectum cognoſci res exiſtere, etiamſi abſens ſit, vt cùm cognoſco Polum antarcticum; tamen non poteſt res in ſeipſa exiſtens, ac proinde exiſtentia clarè cognoſci in ſe, quin res videatur. Non quia indiſtantia localis ſit ratio intuitiuæ cognitionis, quia videmus etiam Solem abſentem; & ex alia parte, Deus intimè præſens vbique, non tamen vbique videtur, vt notat Suarez *num.*5. cum S.Bonau. *in 2. d.3. p.2. art.2. quæſt.2. ad 3.*

ASSERO tertiò. Viſionem beatam eſſe ſimplicem, & non per comparationem, aut diſcurſum. 209

PROBATVR quia etiam obiectum ſimpliciſſimum clarè eſt viſum oſtendens ſimplicem veritatem, in qua nulla eſt compoſitio. Si verò illud ſumatur prout extenditur ad creaturas, vnâ ſimpliciſſimâ ſpecie repræſentatur. Hinc addunt aliqui cum Riba *n.* 38. neque poſſe ſpeciem talem eſſe compoſitam.

ASSERO quartò, Illam cognitionem eſſe iudicatiuam. Ita D.Bonau. *in 1.d.3. q.1. ad 4.* & *in 3. d.14. q.3. ad vlt.* Non tamen in ſingulis viſis neceſſariò, vt monet Salas *p.2. T.3. d.3. ſect.3.* 210

PROBATVR à S. D. quia iudicare, eſt cognoſcere, quid illi rei conueniat. Sed Beati ita cognoſcunt Deum. Ergo. Hac ratione vtitur Suarez *n* 8. Ex quo apparet, Seraphicum non aſſenſiſſe, beatum iudicare de ſua ſola viſione ſimpliciter; non de obiecto: neque mutaſſe ſententiam, vt ei imponit Suarez, nam S.D. id ſolùm conſtanter aſſeuerat, Beatum non iudicare de Deo, id eſt prima veritate: An ita eſſe debeat, necne, approbando, vel reprobando; ſed ſolùm cognoſcendo, rem ita eſſe. Et hoc aut eneruatur omni intellectui

perfectè

perfectè cognoſcenti. Id præcipuè docet Seraphicus *in 1. ſem.* quo remittit lectorem *in loc.cit.* vbi in ſenſu dicto ſolo negat, Beatum iudicare de Deo, ſecutus D.Auguſtinum *de vera & falſa Relig.*

Certvm eſt autem, Beatum cognoſcere, ac iudicare, Deum eſſe vnum in eſſentia; Trinum in perſonis. Eſſe omnipotentem, Sapientem, &c. Neque verò hæc notitia iudicatiua repugnat eum ſimplicitate, nos enim propter imperfectionem in via componimus ad iudicandum: Deus autem, & Angeli actibus ſimplicibus iudicant; vt ait Ribas *tr.3.d.3.cap.3.*

211 Assero quintò, viſionem beatam eſſe cognitionem etiam reflexam. Probatur à Suarez quia ad perfectionem cognitionis pertinet, vt beatus cognoſcat, ſe cognoſcere; eſt enim perfectè iudicatiua. Et hoc eſt, quod ſolet S.D. dicere, lucem Diuinam manifeſtare ſe & alia circa ſe. Hoc verò latius proſequar *q.24.in calce* cum D.Bonau. *3. d.14. quæſt.3.ad vlt.* Sequitur Suarez *cap.18.* Salas & alij.

Solet autem quæri: An ſit ſcientia ſpeculatiua, vel practica?

Prima opinio eſt, eſſe ſcientiam Practicam, quia eſt regula voluntatis ad operandum. Ità Scotus *in Prol. quæſt.4.* loquens de quauis cognitione Dei.

Secvnda opinio eſt, eſſe ſpeculatiuam, quia non eſt de obiecto operabili à nobis. Tribuinit D.T. *1.2. q.3.art.5.* Et ſumitur ex eodem *2.2. q.181.art.4.* Citatur quoque Palud. *in 4.d.49. q.3.art.2.* ſequitur Vaſquez *p.2.d.12.cap.1.* Videatur D.Auguſt. *1. de Trinit. cap.8.* D.T. *p.2.q.3 art.5.& 2.2.quæſt.181.art.4.*

Tertia opinio eſt, eſſe Practicam ſimul, & ſpeculatiuam, ſicut D.T. docuit de Theologia *p.1.q.1.art.4.* Sic Caietanus *1.2.q.3. art.5.* Sotus *3.d.49. q.1. art.4.* vbi Richard. *art.1.q.8.* Val. *T.2.d.1.q.3.p.4.*

Qvarta opinio eſt, eam eſſe ſpeculatiuam, quatenus eſt de Deo etiam amando: at verò vt iudicat de rebus quibuſdam extra Deum, eſſe Practicam. Ità Suarez. Et ferè Ribas.

212 Si componas ea, quæ dicit Seraphicus *in 1. q.3. Procem* Et ea, que docet opuſc. *de ſeptem donis.De dono ſapientia, cap.9.* dicenda eſt affectiua.

Probatvr à S. D. Opuſc. cit. quia finis viſionis Dei eſt, vt ametur, atque in illo beati ſimus referri omnibus bonis, vt ſit Deus omnia in omnibus; vt ait Apoſt. *1. Cor. 15.* Vide Diſputationem primam Proœmialem *quæſt.5.*

Idem ferè aſſumit Ribas *num.44.* quia viſio terminatur ad Deum diligendum.

QVÆSTIO XV.

An Viſio beata Hominum, & Angelorum ſit eiuſdem ſpeciei.

213 Commvnis eſt Theologorum ſententia, eam viſionem eſſe eiuſdem ſpeciei. Ità D.T. *p.1.q.12.*vbi generatim loquitur de intellectu Angelico, & humano. Et *art.5.* vult lumen gloriæ eſſe idem in omnibus. Et *art.6.* docet inæqualitatem viſionis ſumi ex intenſione maiori luminis gloriæ. Expreſſiùs id docuit Durandus *2. d.23. q.2.* & *in 3 d.14. q.1.* & *in 4.d.49.q.6.* Marſil. *in 3.q.10.art.2.* Sotus *in 4.d.49.q.3.art.2.* Granado *Tr.5. d.8.* Suarez *l.2. de attrib. neg.cap.19.* Vaſq. *d.47.* Tanner. *d.2 quæſt.6 dub 5.* poſt D.Bonau. *locis in adducendis* contra Maiorem *4. d 49. q.11.* Herizium *Tr.4.d.49.cap.2.* Ribam *T 3 d.3.num.15.*

214 Assero Viſionem beatificam omnium creaturarum eſſe vnius ſpeciei.

Probatvr primò à D.Bonau. *ſeptimà parte Breuil.c.7.* Et *p.3.de Eccl. Hier. c.2.* præcipuè verò *ad 20. Lucæ* ex illo, *Matth 22.* & *Luca 20.* vbi dicuntur Homines in gloria futuri æquales Angelis; id eſt ſecundum gloriæ dignitatem. Propter quod (ait S.Bonau) dicitur Apoc.21. *Menſura hominis, quæ eſt Angeli.*

Probatvr ſecundò à D.Bonau. *loco nuper adducto* ratione, qua vtuntur Sotus. Vaſq. Tanner & alij Specifica diuerſitas effectus deſumi debet à diuerſitate principij, non generalis, ſed particularis, & ſpecificis principium autem viſionis eſt eſſentia Dei per modum obiecti: tum lumen gloriæ, quo eleuati ad ordinem ſupernaturalem ſimiles fiunt Deo, vt declarat *in 3. d.14. quæſt.1. & 3.* Hæc enim duo vniuerſalem; & infinitam intellectus efficacitatem ad ſpecificam rationem actus viſionis determinant. Ergo ſi hæc ſpecie non differunt in viſione Angeli, & hominis; neque ipſa viſio ſpecie differt. 215

Hanc rationem ſumpſit S.Bonau. *opuſc. de ſeptem donis.De dono Sapientia,c.9* è D Aug.22.*de ciu.Dei c.30.* ante medium, vbi ait. *Ero illorum Deus, & ipſi erunt mihi populus, & ero illis, vnde ſatientur: & ego ero illis quæcunque ab hominibus honeſtè deſiderantur, & vita, & ſalus, & virtus, & copia, & gloria, & honor, & pax, & omne bonum.* Et ſic rectè intelligitur, quod ait Apoſt.1. Cor.15. *vt ſit Deus omnia in omnibus.* Ipſe enim eſt finis noſtrorum deſideriorum, quia ſine fine videbitur, ſine faſtidio amabitur, ſine fatigatione laudabitur. Hoc munus, hic affectus, hic actus procul dubio erit omnibus; ſicut vita æterna communis. Loquitur autem de beatitudine, prout includit etiam Angelos; eamque communem vocat nobis.

Qvamvis enim intellectus ſint diuerſi; attamen non operantur vt diuerſi, ſed quatenus conueniunt eleuati per potentiam obedientialem ad eam viſionem, & vltimò completi lumine gloriæ, licèt enim intellectus operetur vitaliter, tamen vltimò complenit virtus vitalis lumine. Ita etiam Suarez, & Ribas *num.7.*

Probatvr tertiò ratione deducta è D.Bonau *in 2. d.9.q.3* Gloria datur iuxtà menſuram meritorum, non ſecundùm naturæ perfectionem. Quod ſi gloria Angelorum iuxtà naturæ excellentiam eſſet altioris ſpeciei; iam haberent maiorem gloriam quouis homine, etiam Chriſto, quod eſt erroneum, vt ait D.T. *p.1.q.108.art.8.* & *in 2.d.9 q.1.art.8.* & *l.3.cont.G c.53.& 57.* Hanc rationem deduxit S.Bonau. *opuſc.de ſeptem donis. De dono Sap.c.10.* è D.Proſpero *l.1.de vita contempl.c.2.* vbi ait: *Futura vita, vbi ipſa ſanctitas; quæ eſt Angelorum, & ſanctorum omnium congregatione beata, meritis fulgentibus micat, æterna ſalus exuberat, veritas regnat, vbi eſt amor perfectus, &c. dies æternus, & vnus omnium ſpiritus.* Hinc eruitur nouum argumentum, quo vtuntur Durand. *l.c.* Suarez *n.4.* Tanner. *n.6.* Charitas, & gratia, atque adeo Sanctitas eſt vnius ſpeciei in Angelis, & hominibus, vt oſtendam 1.2. *tract.de Gratia*, & docet D. Aug. *l.de correp. & gratia c.11.& 12.*& *de ciu.c.9.* Anſelmus *l.de caſu diaboli.c.1.* Ergò communis, & gloria. 216

Probatvr quartò à S. Bonau. ibi alia ratione. 217
Ordinatorum ad vnum finem eadem ſunt media; at omnes Angeli cum hominibus ſunt vna familia in cælis ordinata ad Dei aulam: Ergo.

Obi cies. Intellectus Hominis & Angeli ſpecie differunt. Ergo & actus ſpecificantes; alioqui duo indiuidua ſolo numero diſtincta, erunt diuerſarum ſpecierum.

Multi dicunt, Intellectum Humanum, & Angelicum eſſe eiuſdem ſpeciei, quia conſequitur naturam eis communem, non differentias ſpecificas. Sic viſus Leonis, & Hominis eſt vnius ſpeciei, quia conſequitur ſenſitiuum eis commune. Id placet Scotiſtis apud Radam *2.p.contr.3. art 1.ad 1.* Colleg. *de anima ſepar.d.2.art.7.* Ægid. à Præſ. *l.11.de Beat.quæſt.5.*

Dico tamen probabilius, hos intellectus eſſe naturâ diuerſos pariter, & actus ſpecificantes. Hi ſunt naturales ex Ariſtotele, vt dicam *Tr 9.d.1.quæſt.10.* non ſuperni, qui non prodeunt ab intellectibus, vt ſunt naturæ, ſed vt eodem principio habitus ſuperni vniuntur in vno ordine ſuperno proximè ad actus ſupernos. Quamuis autem nequeant duo indiuidua, ſpecie diuerſa, in vnam ſpeciem vniri ſubſtantialiter; poſſunt tamen in vnam ſpeciem accidentis. Sic Olor, & columba in albedinem. Coruus, & merula in nigredinem. Cùm igitur glorioſa viſio perficiat non ſolitarium intellectum, ſed vt merito per gratiam diſpoſitum, & eadem forma phyſica habitus luminis, & charitatis; nil mirum, ſi intellectus naturâ diuerſi ad ordinem ſupernum vniti proximo principio actuum in vnam viſionem conueniant, in qua & incrementum ex meritis morale euenit, vt dicam *q.ſeq.* & Phyſicum è lumine gloriæ vt dicam *quæſt.17.*

QVÆSTIO XVI.

An Viſio ſit inæqualis intenſionis.

D.Bonau. 4 d 49. p.1. q.6.
D.Thom q 12. art 6.

FVIT hæreſis Iouiniani, omnes fore in gloria æquales, vt refert D.Hieron. *l.2.cont. eundem.* Idem ferè docuit Lutherus *ſerm. de Natiu. B.V.* Eumque ſecuti ſunt huius temporis Sectarij, eo fundamento; omnes eſſe iuſtos æqualiter iuſtitiâ Chriſti; Hoc verò refellam 1 a. *tract.5. d.3.quæſt.2.*

Fuit verò è regione opinio Paludani 4. *d.4.quæſt.1.* omnes fore in beatitudine inæquales.

CATHOLICA ſententia eſt, non omnes fore in gloria inæquales, nec omnes æquales. Ita SS.DD. *hic*, quos reliqui ſequuntur, vt videre eſt in Thomiſtis ad hunc articulum. *Sic* Caiet. Bànnes, Nazar. Valentia *d.1.quæſt.12. p.4.* Vaſquez *d.47.* Suarez *l.2. de attr.neg. cap.20.* Tanner. *d.2. quæſt.6. dub.5.* vbi referunt Hoſium *in confeſſ.cap.87.* Vegam *l.10 in Trident.* Sotum *l.2. de natura, & gratia.cap.20.* & *in 4. d.49. quæſt.3. art.2.* Alphonſum de Caſtro *hæreſi 7.* Sander. *de viſibili Monarch. hæreſi* 87. Idque ſupponunt Scotiſtæ, vt patet in Fauenthio 3. *d.33.* Morand. *tract.2. num.209.* Vnus Durandus *in 4.d.49.quæſt.2.* auſus eſt dicere, hanc ſententiam eſſe quidem ſecuriorem; ſententiam tamen Iouiniani probabilem.

218 FVNDAMENTVM ex D.Bonau. *loc.cit.* Et *opuſc. de ſeptem donis. De dono Sap. cap.10.* & *in 2. d.9.quæſt.3.* gloria non datur ad menſuram naturalium, aliqui enim habentes perfectiora naturalia minorem gratiam habent, ac proinde minorem gloriam; imò multi ex his damnantur; gloria autem datur ad menſuram gratiæ, vt habetur, *Eccl.1.* & ad menſuram meritorum, vt dicitur Matth.22. *Voca operarios, & redde illis mercedem*, vt aduertit S.Bonau. Ideò 2.Tim.2. *Non coronabitur, niſi, qui legitimè certauerit*, vt notat Seraph. *in 2. d.25. dub.1. litt.* Ideò gloria dicitur corona, qua conſtituentur Reges ex meritis, vt dicitur Matth.25. *Poſſidete Regnum, &c. Eſuriui enim, &c.* Et Pſal.20. *Poſuiſti in capite eius coronam, &c.* vt notat S.D. *in Diæta, tit.10.cap.1.* & *ſerm.3.de vno Martyre, & ſequentibus*, & *de S.Lucia.* Ità etiam *Matt.6.* dicitur: *Receperunt mercedem ſuam.* quia vt ait Apoſtolus 1.Tim.4. *Pietas ad omnia vtilis promiſſionem habet vitæ futuræ*, vt notat Seraph. *in Diæta, tit.2.cap.7.* Siue verò remittetur ex iuſtitia, ſiue ex veritate, nil refert. Idem habet *in Diæta eodem tit.3. cap.4.* Ideò & opera bona per modum mercaturæ, ſeu negotiationis tractantur, vt habetur Matth.25. *Prudentes Virgines, &c.* Et Matth.10. *Vade, & vende omnia, & habebis theſaurum*, & Oſeæ 11. *Circumdedit me in negotiatione ſua Ephraim*, vt aduertit S.D. *in Diæta; tit.7.cap.4.* Ideò Matth.13. *Aſſimilatur regnum cælorum theſauro, quem qui inuenit homo vadit, & vendit vniuerſa, quæ habet, & emit agrum illum:* vt habet S.Bonau. *in Diæta,tit.3.cap.4.* Vnde 2.Cor.4. *Habemus theſaurum iſtum in vaſis.* Idem obſeruat S.D. *tit.3. cap.7.* & *tit.2.cap.7.* & *tit.10. cap.2.* Ideò perſeuerantiæ promittitur vita æterna; tanquam brauium. Matth.10. *Qui perſeuerauerit vſque in finem ſaluus erit*; vt notat S.Bonau. *de ſeptem donis. De dono Fortitud. cap.3.* Quare Regnum cælorum dicitur expugnari Matth.11. *Regnum cælorum vim patitur*, vt aduertit Seraph. *de ſeptem Itineribus æternit. d.5. art.2.* Dicitur gloria, Requies à laboribus, Matth.11. *Venite ad me omnes, qui laboratis, & ego reficiam vos*; vt notat S. D. *in Diæta, tit.10. cap.6.* & *de ſeptem Itinerib. æternit. d.5.* & *in Prol. ad 25.Memorabilia.* Ideò cenſetur gloria quaſi donatio inter viuos, vt habes Matth.24 *Si vis ad vitam ingredi ſerua mandata*; quæ non eſt ſimpliciter donatio, ſed ſuppoſito labore, & vigore teſtamenti. Ideo ait Chriſtus Ioan.15. *Hoc eſt præceptum meum*, vt aduertit S.D. *in Diæta, tit.3.cap.1.* ibi enim Chriſtus fecit ſuum teſtamentum. Hinc *Matth.* 19. dicitur. *Vos, qui ſecuti eſtis me ſedebitis ſuper ſedes, &c.* Ità vt detur gloria, tanquam ſedes laboranti, vt obſeruat D. Bonau. *in Diæta,tit.3.cap.3.* Alia vide in Bouerio *Exam.2.de fide unit. errore* 10.

Ex his habes Inæqualia futura præmia pro laborum, ac meritorum inæqualitate, vt habetur Matt.7. *Qua menſura menſi fueritis remetietur vobis*, vt docet D.Bonau. *in 4. d.44.p.2. quæſt.1, ad 3.* Ideò *Matth.16.* dicitur. *Reddet vnicuique ſecundum opera eius*; vt latè proſequitur Seraphicus *ſerm.1. in Septuag.* ad illud. *Voca operarios*; vbi aduertit illud Pſal.126. *Ecce hereditas Domini filij merces, &c.* Et Matth.5. *Gaudete, quoniam merces veſtra copioſa eſt in cælis.* Et Sap.5. *Iuſti autem in perpetuum viuent, & apud Dominum eſt merces eorum; ideo accipient regnum decoris, & diadema ſpeciei de manu Domini*, vt explicat S.Bonau. ad eum locum.

219 ASSERO primò, Gloriam fore inæqualem pro meritorum inæqualitate in adultis. Eſt de fide definitum in Concilio Thelenſi ſub Siricio P. vt habetur in ep. Concil. ad Siricium, in qua damnatur error Iouiniani, qui diuerſorum gradus abrogabat meritorum. Hæc epiſtola eſt 81. inter epiſtolas Ambroſij, qui huic interfuit Concilio, vt refert Vaſquez: tametſi Suarez *num.6.* dicat, eam non eſſe Concilij Thelenſ. ſed Ambroſij, aliorumque Epiſcoporum: Concilium verò Thelenſe fuiſſe, non Italum, ſed Africanum; non ſub Siricio; ſed Zozimo, refert Baronius, *tom.4. Annal. anno 418. num.31.*

Eſt autem procul dubio definitum in Concilio Florentino *in litteris vnionis.*

220 PROBATVR primò ex iacto fundamento. Gloria datur ad menſuram meritorum. Sed hæc inæqualia ſunt. Ideò etiam ad plura merita congerenda Deus hortatur. Ergo. Ità quoque Suarez. Hoc argumentum deduxit S. D. *loc. cit. de ſeptem donis*, è D.Gregorio *l.4. Moral. cap.31.* Mi: probatur ex allatis Scripturis & 2. Cor.9. *Qui parcè ſeminat, parcè & metet.*

221 PROBATVR ſecundò à S.Bonau. *in 4. d.49. q. 6.* & *l.de ſeptem donis. De dono Sap. c.10.* ex illo Ioan.14. *In domo Patris mei manſiones multæ ſunt.* Hunc locum vrget quoque S D. *in comment. ad Ioannem*, & *in collat.63. in Ioan.* quibus locis affert quoque expoſitionem

nem D.Gregorij *l.4.Dial.c.35.* & D.Auguſt. *tract.67. in Ioan.* quibuſcum ſic arguit S.Bonau. & cum Clem. Alex. *l.6. Strom.* Si diſpar retributio in illa beatitudine non eſſet, vna potius manſio, quàm multæ eſſent.

Reſpondet Iouinianus, ibi loqui de Eccleſia militante, & de variis ordinibus.

At verò Chriſtus teſtatur, ſe loqui de Eccleſia triumphante dicens. *Quia vado parare vobis locum. Et ſi abiero, & præparauero vobis locum: iterum venio, & accipio vos ad meipſum, vt vbi ſum ego, & vos ſitis.* Sedes enim varias in prædeſtinatione paratas teſtatur, ſe ire ad parandum effectu, vt notat Seraphicus *in comment.* è *D. Auguſt. loc.cit.* & eſt SS. PP. expoſitio vniuerſalis. Ita D.Auguſt. *loc. cit.* & *de S Virginitate cap.26.* Cyrillus ad eum locum *l.9. c.31.* Nazian. *orat.16.* Cyprian. *de habitu virg.* Ambr. *l.de bono morte, cap.12.* Gregor. *l.35. moral. cap.14.* & *loco à S.Bonau. adducto*, & alij. Hac authoritate nituntur Suar. *num.3.* Valent. *loc.cit.* Tanner. *num.1.* Nazarius *loc.cit.* aliique communiter.

222 Probatvr tertiò à D.Bonau. *loc. cit. in 4.* & *de ſeptem donis loc.cit.* & *ad 14. Ioan.* & aliis locis ex illo 1. Cor.15. *Alia claritas Solis, alia claritas Lunæ, alia claritas ſtellarum. Stella enim à ſtella differt in claritate: ſic & erit reſurrectio mortuorum.* Ita exponitur à Patribus omnibus Latinis, & Græcis, è quibus refertur à S.Bonau. S.Gregor. *l.4. Moral.cap 31.* vbi ait: *Sicut in electis in hac vita eſt diſcretio operum: ità quoque in alia vita procul dubio diſcretio erit dignitatum, vt quò hic alius alium ſuperat: illic alius aliam retributione meritorum excedat, vt dignitas eadem non ſit; vna tamen vita beatitudinis.* Idem habet *l. 4. Dial. cap.25.*

Vaſquez, licèt optimam fateatur Patrum expoſitionem, tamen contra eam opponit, quia Paulus pro reſurrectionis exemplo affert grana ſeminis, quæ moriuntur, & viuificantur: & ità etiam corpora reſurgere: at ſemina ſunt æqualia. Ergo.

Respondetvr, Apoſtolum afferre exemplum ſeminum, vt explicet modum tantum, quo corpus corruptibile, atque corruptum reſurgat. ideò ipſe ait. *Sed dicet aliquis, quomodo reſurgunt mortui?* at verò quoad varietatem, vim facit in varietate Luminarium, ac luminum Solis, Lunæ, & ſtellarum, & applicat dicens. Sic & erit reſurrectio mortuorum; & ideò ait. *Omnes viuificabuntur in ordine ſuo.* Et confirmatur, nam concludit. *Itaque fratres mei ſtabiles eſtote: abundantes in opere Domini ſemper, ſcientes, quòd labor veſter non eſt inanis in Domino.* Quorſum autem hortaretur, vt abundantiùs operemur proponendo præmium, ſi omnium eſſet futurum æquale præmium? Addit profectò ſtimulum, quia abundantiùs præmium recepturi ſunt, qui prius abundauerunt in operibus, vt aduertit etiam S.D. cum S.Gregor.

Reſpondet Vaſq. *num. 12.* verba illa. *In Chriſto omnes viuificabuntur. vnuſquiſque in ordine ſuo.* exponi à Chryſoſtomo, Theodoreto, & Theophylac. de ordine bonorum, & malorum; è quibus illi à dextris, iſti erunt à ſiniſtris.

Contra, quia ibi loquitur tantum de Sanctis, ideò dicit: *Primò Chriſtus; deinde, qui ſunt Chriſti.*

Reſpondet Vaſq. hunc ordinem Sanctorum aſtrui reſpectu Chriſti; non autem, quòd diuerſi ordines ſint inter ipſos ſanctos, & hoc elicit è verbis allegatis.

Contra nam Apoſtolus dixit: *Vnuſquiſque reſurget in ordine ſuo primitiæ Chriſti.* Ità vt in ſingulis hominibus inueniatur ordo pro vniuſcuiuſque merito: ordo autem dicit ſeriem ſuperiorum, & inferiorum. Mihi autem ſufficiat expoſitio D Gregorij Doctoris maximi, qui longè dignior eſt Vaſquezio. Sic exponit etiam Lytanus.

Notat verò S.D. *loc. cit. in 4.fund. 4.* ordinem facere ad perfectionem; & ideò ponitur ab Apoſtolo inter beatos, vbi eſt ſumma perfectio.

Probatvr quartò à D. Bonau. *ad 7. Lucæ* illis verbis: *Dico enim vobis maior inter natos mulierum propheta Ioanne Baptiſta nemo eſt. Qui autem minor eſt in regno cælorum, maior eſt illo.* Aduertit verò S.D. ibi alludi ad illud, quod dixerat Angelus Lucæ 1. *Erit enim magnus coram Domino.* Et Matth. 11. *Inter natos mulierum non ſurrexit maior Ioanne Baptiſta.* Quapropter non vult exaltare Ioannem ſolùm quoad donum prophetiæ, ſed dicere Nullus fuit propheta ita Sanctus, & Deo gratus. Ideò enim nomen Ioannis diuinitus eſt ei impoſitum, quod gratiam ſignificat. Quaſi dicat. Adeò ſanctior eſt Ioannes, vt inter prophetas etiam maximum habeat fidei, & authoritatis pondus. Multi ideo textus Græci omittunt nomen *propheta.* Subdit verò. *Qui minor eſt in regno cælorum,* ideſt inter Angelos, qui ſoli erant tunc beati. Sic exponunt D. Hieron. *loc. cit. in Iſaia.* D.Auguſt. *cont. aduerſarium legis l.2. cap.5.* Ambr. *ad 7 Lucæ*, Beda *Matth. 11.* D.Thom. *p.1.quæſt.117 art.2.* & *Matth.11.* vterque Cyrillus Hieroſol. *Catech.3.* Alexand. *l.2. theſ. cap.4* & *l.2. in Ioan.cap.34.* Chryſoſt. *homil. 38. in hunc locum*, Tertullianus *l.4. cont. Marcionem c.28. num. 262.* qui tamen alia punctorum diſtinctione legit apud Pamelium. *Qui minor, ſeu modicus eſt, ſcilicet humilitate in hac vita; in regno cælorum maior eſt illo, videlicet Ioanne Baptiſta in hac vita degente.* Author Imperf. *homil. 27. Hilar. can.11.* Maxim. *homil. de S.Ioanne.*

Reſpondet Vaſq. *num. 8. cum Ianſenio*, hæc verba reſpondere ſuperioribus, in quibus ſolùm in ratione prophetiæ laudatur; hic verò dicitur, minor in regno cælorum clariùs Myſteria noſſe, quàm Ioannem. & Toſtatus *quæſt.15.*

Vervm inſulſa eſt expoſitio. Nam in primis verbis laudat Ioannem, ſicuti laudauerat apud Matthæum à toto genere, vnde ſicut Vaſq. explicat Matthæum per Lucam; ità magis explicandum reor Lucam per Matthæum; imò Lucam per Lucam, qui *cap. 1.* dixerat, Ioannem futurum magnum coram Domino in Sanctitate, vt omnes exponunt. Hic autem teſtatur, impletam Angeli promiſſionem. Itaque verba ſequentia abſolutè diſtinguunt in beatis Angelis quibuſcum comparatur, ordinem gratiæ, & gloriæ inter ſeipſos, vt minor in gloria Angelus ſit maior Ioanne. Sic D.Cyrillus *l.2.Theſ.cap.4.* Tandem ſic exponunt nobiſcum omnes Patres veteres (nemine excepto) vt monet Maldonatus *ad 11.Matth.* nec tenuit Toſtatus *quæſt.32.*

Vrgeo. Si laudaretur Ioannes tantùm vt propheta, certum eſt, quoad hoc comparandum ſolum cum prophetis, non cum beatis, qui prophetiæ dono non vtuntur.

Vaſquez *num. 9.* hoc etiam ſenſu ait intelligi, vt Ioannes præferatur omnibus prophetis antiquæ legis; at poſtponatur minimo prædicatori Euangelico, nam Euangelio præclariora myſteria reuelantur. Dicitur autem prædicatio Euangelij *Regnum Dei*, quod probat ex *Luca* 8. vbi Regnum Dei comparatur ſeminanti, & concludit. *Vobis datum eſt noſſe Myſterium regni Dei* Et *cap.9.* eadem prædicatio vocatur. *Regnum Dei.* Et *Matth.9.* vocatur, *Regnum cælorum*, dum dicitur: *Appropinquauit Regnum cælorum*, & Lucæ 10. *Appropinquauit in vos regnum Dei.* Et Matth. 11. dicitur. *A diebus Ioannis Regnum cælorum vim patitur. &* 224

violenti rapiunt illud. Vbi Chriſtus non vult dicere; inferri vim regno cælorum, eò quòd inferamus vim noſtris paſſionibus; eſſet enim impropria locutio. Senſus igitur eſt, à prædicatione Ioannis multos contendere toto conatu Euangelium audire, atque perſeuerantes illud amplecti.

225 Hæc tamen proprio marte ſibi Vaſq. confingit abſque vlla authoritate. Concedo quidem, Verbum Dei, quod Scripturâ includitur, aſſimilari ſemini, & intelligentiam Scripturæ dici cognitionem Myſteriorum regni Dei, quia ad regnum Dei ducit. Ideo dicitur, Matth. 21. *Auferetur a vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius.* Et Ioan. 5. *Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipſis vitam æternam habere.* Sic aduertit Seraphicus ad 8. *Luca*; at non loquitur de Euangelio, prout diſtinguitur à Lege. Fateor etiam, *cap.* 9. dici Apoſtolos miſſos ad prædicandum regnum Dei, vel regnum cælorum, vt ſupra, quod ſignificat doctrinam veritatis neceſſariæ ad ſalutem; de qua dicitur: *Auferetur à vobis regnum Dei*; vel gratia ſpiritus Sancti, de qua Rom. 14. *Non eſt enim regnum Dei eſca, & potus; ſed iuſtitia, & pax, & gaudium in Spiritu Sancto.* Et Lucæ 17. *Regnum Dei intra vos eſt.* Significat quoque ipſam vitam æternam, vt dicitur: Ioan. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non poteſt introire in regnum Dei*; vt exponit Seraphicus ad illud Lucæ 9. cum PP. attamen neque ſumit pro regno Dei prædicationem Euangelij, vt opponitur prædicationi legis; & multò minùs prædicationi Ioannis, qui eſt præcurſor, & prædicator primus Euangelij; vt patet ex illo, ipſo loco à Vaſq. allegato. *Lex, & prophetæ vſque ad Ioannem*, qui primus Chriſtum annunciauit, & doctrinam eius. Quare obſeruat S. D. *ad* 16. *Luca*, potuiſſe Chriſtum dicere. Lex, & prophetæ vſque ad me, quia *Finis legis Chriſtus.* Rom. 10. attamen dicit: *vſque ad Ioannem*, quia Ioannes incepit propalare veritatem apertam, quæ in parabolis, & figuris olim ediſſerebatur. Ideo dicitur: *Ex eo regnum Dei Euangelizatur*, id eſt ab eo Euangelium gratiæ inchoatur. Vnde Marcus cap. 1. *Initium Euangelij Ieſu Chriſti Filij Dei, ſicut ſcriptum eſt in Iſaia. Ecce ego mitto Angelum meum.* (qui eſt Ioannes.) Et Lucas incipit Euangelium à conceptione Ioannis. Quoniam verò prædicatio Ioannis fuit pœnitentia, qua homo facit ſibi violentiam. Ideò addit; *Et omnis in illud vim facit*; quod expreſſiùs dixit, Matth. *cap.* 11. Sic enim dum vim nobis inferimus, vim inferimus quoque regno cælorum, quod erat peccatis clauſum antiquitus. Ita exponunt communiter PP. è quibus S. D. *ad* 16. *Luca* Gloſſam Bedæ, & S. Bernardum *ſerm.* 4. affert. Vide S. Gregorium *homil.* 20. *in Euang.* & alios apud Maldonatum.

S. Petrus Damianus obſeruat, nunquam poſt clauſum Paradiſum annunciatum fuiſſe Paradiſi, ſeu regni æterni poſſeſſionem, ante Ioannem, qui primò prædicauit. *Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cælorum.* Et hic ſenſus eſt planus apud Lyranum, Barradium, & alias Gloſſas, Hilarium ibi, Ambroſium *Luca* 7. Vide Maldonatum *ad* 11. *Matth.* Barradium *l.* 8. *c.* 9. *de laude Baptiſta tom* 2.

Exponitur quidem à Cyrillo *l.* 2. *Theſ. cap* 4. regnum cælorum gratia per Baptiſmum, & à Chryſoſt. per fidem; ſed media vi, recedendo à peccatis, & Chriſto adhærendo.

226 At, eſto alicubi prædicatio Euangelij regnum cælorum dicatur; attamen malè applicatur à Vaſq. vt ſolis prophetis anteponatur; & poſtponatur cuilibet minimo diſcipulo Euangelij. Et quidem nullus Patrum id ità ſentit, nam omnes intelligunt laudari inter omnes ſanctitatem Ioannis. Quod ſi prophetas nominat, forſan hoc eſt, quia prophetæ fuere inter alios antiquitus ſanctiſſimi, vt notat Barradius.

Falsum quoque eſt, Ioannem poſtponi omnibus diſcipulis Euangelij tunc temporis, quia illo tempore Apoſtoli adhuc rudes erant. Ioannes verò ſupremus doctor. *Hic venit in teſtimonium, vt omnes crederent per illum, &c.* vt aduertit Barradius. Adde, Ioannem, vt dixi, ad teſtamentum nouum pertinere, vt docet etiam D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 174. *art.* 4. *ad* 3. Ideò enim Ioannes fuit à Chriſto Baptizatus, quod inde deducit Cyrillus *loc. cit.* quod cùm Ioannes *Matth.* 3. dixit: *Ego à te debeo baptizari.* reſpondit Chriſtus, *ſine modo.* Quaſi dicat. Pro nunc oportet, me à te baptizari; aliquando verò etiam Ego te baptizabo. 227

Deinde, cùm Chriſtus Ioannem laudare intenderet, quis credet, ei prætuliſſe minimum diſcipulorum? Eo minùs, quò Sanctus ex vtero matris donis eximiis ad tantum munus fuerat exornatus. 228

Probabilior præcedenti ſanè eſt expoſitio, quam affert S. D. ad locum adductum Lucæ, vt Ioanni præferatur Chriſtus. Sic intellexêre Hilarius, Chryſoſt. Author Imperfecti, Theophylac. Euthymius *in Matth.* Auguſt. *tract.* 13. *in Ioannem*, & *lib.* 2. *contra aduerſarium Legis cap.* 5. Tertullian. *l.* 4. *contra Marcion. cap.* 18. Rupert. *in Matth.* Caiet. Abulenſ. Ianſenius, & tandem D. Hieron. *Matth.* 11. qui vtitur expoſitione primò allata contra Iouin. & tamen hanc etiam agnoſcit, quæ contra Iouinianum nil vrget. Quare non erat cur Vaſq. hanc expoſitionem afferret ad D. Hieron. eneruandam primam expoſitionem. Senſus verò eſſet. Ioannes cæteris hominibus ſanctior; Qui autem minor eſt in regno cælorum, maior eſt illo; id eſt Chriſtus, qui erat minor ætate, vt exponit D. Auguſt. *tract.* 13. *in Ioan.* & Chryſoſt. qui addit. Minor etiam hominum opinione, qui eum filium Fabri putabant. Chriſtus erat humilior in Eccleſia, vt exponit D. Bonau. allatus à Barradio *tom.* 2. *l.* 8. *cap.* 9.

Igitur ſtando in prima expoſitione. *Qui minor eſt in gradibus gloriæ, maior eſt illo*; authoritas illa vrget Iouinianum. Quamuis autem Ioannes maiorem charitatem haberet, quàm multi Angeli, tamen pro ſtatu imperfecto viæ, erat imperfectior quolibet regnante in patria. Hinc ipſos Angelos inæquales eſſe colligitur.

Probatur verò à D. Bonau. *in corpore*, & *in* 3. *d.* 14. *quæſt.* 1. *in corpore*, & *loc. cit. de ſeptem donis.* Quicunque habet perfectiùs principium proximum beatitudinis, habet quoque intenſiorem beatitudinem. Sed lumen gloriæ eſt intenſius in vno, quàm in alio pro varietate meritorum; vnde aliqui comparantur ab Apoſtolo ſtellis; aliqui Lunæ; aliqui Soli: Ergò. Hæc ratio eſt etiam D. Thom. & aliorum. Deducit autem locis citatis S. Bonau. ſubilmiores in cognitione eſſe amore feruentiores. 229

Assero ſecundò. Non eſſe omnium inæqualem gloriam. Inæqualitas enim gloriæ, oritur ex inæqualite meritorum, vt aduertit, *S. D. locis adductis.* Itaque infantes, qui meritis Chriſti ſaluantur, non habent inæqualitatem gloriæ.

Obiiciebat Iouinianus parabolam illam *Matth.* 20. vbi multi viatores in labore inæquales introducuntur recipere eundem denarium ad mercedem. Imò vnus, maius præmium exigens, grauiter increpatur. 230

Hunc locum SS. PP. communiter intelligunt de retributione in gloria, vt monet Bouerius *Exam.* 2. *Luth. & Caluin. errore* 10. Nazianzenus *orat.* 40. & ibidem Nicetas, Chryſoſt. *homil.* 65. *in Matth.* Athanaſ. *quæſt.* 52. Theophylac. *hic.* Cum Græcis, Irenæus

l.4. cap.70. Hieron. *l.2. in Iovin.* Auguſtinus *ſerm.59. de verb. Dom.* Et *l.de ſancta virginit. cap.26.* Hilar. *can.20.* Optat *l.5. in Parmen.* Tertullianum adde *l. de monog.c.13.* Origenem *tract. 10. in Matth.* Et præcipuos expoſitores; inter eos Anſelm. *in illum locum Matth.* Gregor. *homil.16. in Ezech.* quos ſequuntur D. Bonau. *locis adductis in 4. ſent. De ſeptem donis. De dono ſap. cap.10. ad 2. Ioan.* ad ea verba. *Quid mihi, & tibi eſt mulier?* D.Thom. *hic*, & *p. 2. quæſt. 5. art. 2. ad 1.* Scotus *4. d.49. quæſt. 3. art. 2.* ac cæteri Theologi communiter.

Vaſquez contra torrentem Sanctorum Patrum, ſecutus Ianſenium in concordia, *cap.101.* vult, eam parabolam, non de retributione gloriæ, ſed de vocatione ad gratiam afferri. Hoc autem probat primò è concluſione parobolæ, à qua cognoſcitur, quid prætendatur. *Multi enim ſunt vocati; pauci verò electi.* Deinde, quia recipientes aliqui obmurmurant; at verò inter ſanctos ad gloriam inductos, non poteſt eſſe obmurmuratio de Deo. Tertiò, quia Pater familias dicit: *Amice non facio tibi iniuriam; nonne ex denario conueniſti mecum? Tolle, quod tuum eſt, & vade.* oſtendens reprobationem eius, qui gratiam ex meritis menſurat. Quartò, quia vnus ex eis dicitur oculi nequam, id eſt inuidus, vt indicat Seraphicus *in Diæta*
231 *iii.2.cap.4.* Quintò, quia dicit Dominus. *Nonne poſſum, quod volo facere?* oſtendens, nullâ acceptionis perſonarum notâ poſſe dare denarium vltimo, vt iudicat S. Bonau. *in ſpeculo animæ, cap. 3. circa medium.* Eandem expoſitionem Ianſenij ſequitur Primaſius, & videtur etiam Origenis, & Gloſſæ quæ murmurantes, malos eſſe exponit, apud Celadam in Ruth. §.51.

Varvm decreto inſiſtens Concilij Trident. in formula profeſſionis fidei, quam iureiurando accepi, vbi præcipitur, vt Scriptura ad vnanimem conſenſum Sanctorum Patrum exponatur, expoſitionem Vaſq. tanquam peregrinam, reiiciendam dico. Et ſanè, ſi loquitur de vocatione ad gratiam, cur dicitur: *Voca operarios, & redde illis mercedem?* Si enim gratia iam non eſſet merces ex meritis, vt argumentatur Apoſtolus *Rom.4. & 11.* Deinde, qua ratione dicitur: *Volo huic nouiſſimo dare, ſicut & tibi*, ſi hic reprobatus eſt; ille ſaluatus? Tertiò omnes perſeuerarunt in labore vſque ad iudicium, omnes æquales facit in præmio, nec murmurant primi, quòd ſint reprobati; ſed quod cæteri æquale ſecum acceperint præmium. Illa verò expoſitio Vaſquez *Tolle, quod tuum eſt, & vade ſcil. in infernum*; inſulſa eſt, vt notat Arriaga: nam ibi datur ei denarius à Deo.

232 Genvinvs ergo ſenſus eſt, oſtendere, præmium non ſemper menſurari antiquitate vocationis, vel diuturnitate laboris; ſed habere apud Deum altiorem rationem, quæ eſt intenſio charitatis, & operis, quæ tamen non eſt ex toto rigore iuſtitiæ, quia ſupponit liberale donum Dei, ad quod reſpiciens, ait Dominus. *Nonne poſſum quod volo facere?* quia omnes illi acceperant gratiam ad merendum; quod verò vnus abundantiorem gratiam habeat, vnde pretioſiora ſibi congerat merita, non eſt cur alius lamentetur. Si v.g. aliquis infimos è beatis conqueratur, B.Virginem abundantem gratiam obtinuiſſe, qua ſuper omnes Hierarchias meruit exaltari, malè conquereretur de Deo, quaſi perſonarum acceptore. Et hoc intendit S.Bonau. *in ſpec.* ſequitur Becan. *cap.9.q.9.*

Placet quoque expoſitio Maldonati, Patrem familias ſic reſpondiſſe, vt honorem ſuæ perſonæ ſeruaret, quæ non tenetur reddere rationem ſeruis.

Introducitur verò querimonia, quia apparentem rationem habuere; non quòd verè futura ſit, ſed ad enucleatius repræſentandum curſum meritorum; non enim omnia directè in parabolis quadrant, ſed ea, quæ principaliter intenta ſunt. Intelligit verò primos ad gratiam vocatos Iudæos; nouiſſimos Gentiles, vt exponit inter alios D.Gregorius, & patet, *Matth.19.* & *Marci 10.*

Conclvsio autem parobolæ non claudit directè, 233
ſed argumento à maiori ſic. Multi ſunt vocati, qui non ſaluantur; quid mirum, ſi multi priùs vocati, ſint nouiſſimi in præmio, ſiue quia poſteriores tempore in præmio recipiendo, ſicut antiqui Patres Sancti, qui vſque ad Chriſti mortem excluſi ſunt à gloria, cum Latroni nouiſſimo morienti dictum ſit. *Hodie mecum eris in paradiſo*; ſiue quia illi, qui primò vocati fuerunt, quicunque ſint, non ſint operati ea intenſione charitatis, qua cæteri, cuius exempla habemus probabilia. Adam enim pœnitentiam egit 930. annos, ſic & cæteri ſancti Patriarchæ antiqui multas annorum centurias perſeuerarunt; è contra verò Apoſtoli paucos annos. Seraphicus Patriarcha viginti annos. D. Antonius Vlyſiponenſis decem annos. B.Aloyſius Gonzaga obiit viginti trium annorum, cùm tamen S. Magdal.de Paz. exclamarit, tantam eſſe ipſius gloriam, quantam vix poterat credere toto Empyreo capi, vt legitur in vita illius.

Iam verò denario diurno intelligitur beatitudo obiectiua, nam eadem Diuina eſſentia dabitur omnibus videnda; at verò erit differentia in beatitudine formali, quia alij, aliis clariùs Deum videbunt. Ità reſpondet D.Bonau. *locis allegatis*, poſt ſanctos PP, adductos, quibus adde D.Vincentium Ferret. *ſerm. 5. in Septuag.* Eadem reſponſione vtuntur D.Thom. & Scotus cum aſſeclis; Suarez, Valentia, Tannerus, Caſpenſis, & reliqui.

Dices. quomodo ergo, ſi eundem denarium om- 234
nes habuerunt, dicuntur nouiſſimi primi; & primi nouiſſimi?

Reſpondetur, illam inæqualitatem oriri, quia quantùm meruerunt decem horis primi: tantùm vnâ horâ vltimi. Quare hinc magis eruitur inæqualitas meritorum, quæ eſſe poteſt inter multos operarios, ex inæqualitate fundata in gratia, vt notat Suarez *num.19.*

Arriaga *p.1. d. 12.* docet, ſectandam expoſitionem 235
ſanctorum Patrum, quam ſequimur de retributione gloriæ. Mox verò reſpondendo, ſubdit, murmurationem eſſe Iudæorum, qui ſe ſolos vocandos putabant, quod implicat cum ſtatu Sanctorum finaliter poſt viam. Secundò ait, obmurmuraſſe, quia ipſi à pueritia Deo ſeruierant; alij verò in ſenectute. Verùm hoc etiam implicat cum ſtatu beatorum. Vltimò eam murmurationem explicat (pulchrè ait) de Iudæis, & Chriſtianis; licèt enim, pauciori tempore, Chriſtiani ſeruierant Deo, tamen ex copioſa gratia, quam in Sacramentis accipiunt, maiora merita cumularunt; quod tamen non eſt iniuria Iudæorum; ſed diuina erga nos liberalitas. Verùm & hoc ſatis confutatum eſt, non enim conuenit Sanctis Beatis murmurare de Deo. Itaque ſtandum noſtræ expoſitioni, quam laudat Ribas *tr. 3.d.12.cap.1.*

Hic pro coronide admoneo, de immenſitate gloriæ, & gradibus egregiè diſſerere D. Bonauenturam *loc. cit. De dono Sapientiæ, cap.11.* & *in Diæta paſſim.*

QVÆSTIO

QVÆSTIO XVII.

Vndenam proximè oriatur inæqualitas viſionis in beatis.

§ D.Thom. q 12. art.6.

236 DE proxima origine phyſica inæqualitatis viſionis Dei eſt ſermo, nam ſi de remota diſſeramus, eam eſſe diuerſitatem meritorum diximus, *q. præced.* & remotior eſt gratia, & vocatio; ac remotiſſima eſt prædeſtinatio. Iam verò, cùm viſio ſit effectus realis, debet ex cauſa prima reali aſſumi eius intenſio.

SVPPONENDVM eſt autem, viſionem eſſe ab intellectu, & lumine gloriæ, vt diximus, *quæſt.* 11. Quoniam verò ex intenſiori lumine oriri clariorem viſionem, omnes concedunt, vt dixi *quæſt.* 16. Quærendum ſolummodò eſt. An data paritate luminis, ex inæqualitate virtutis intellectiuæ poſſit hoc euenire.

PRIMA opinio eſt, è duobus, puta Angelo, & homine, vel duobus hominibus, aut Angelis habentibus, eundem gradum luminis gloriæ; alterum clariùs viſurum Diuinam eſſentiam, ſi habeat intellectum naturaliter perſpicaciorem. Ita Richard. *in* 4. *d.* 49. *art.* 2. *quæſt.* 8. *maior quæſt.* 10. Durand. *in* 3. *d.* 14. *quæſt.* 1. Palud. *ibi*, Scotus *in* 3. *d.* 13. *quæſt.* 3. & *in* 4. *d.* 50. *quæſt.* 6. quem è Scotiſtis ſequuntur Faber *in* 3. *d.* 32. *cap.* 2. *ad* 2. Smiſing. *tom.* 5. *d.* 6. *quæſt.* 6. Gallus *d.* 1. *ſect.* 3. *cap.* 3. Poncius *d.* 4. *quæſt.* 10. Pitigianus apud Morand. Hiquæus *in* 4. *d.* 49. Luſitanus, *l.* 12. *quæſt.* 10. *art.* 3 §. 3. Maſtrius *d.* 6. *q.* 7. E Thomiſtis Caietanus 3. *p. q.* 10. *art.* 4.

237 SECVNDA ſententia eſt, tametſi perfectior intellectus poſſet cum æquali lumine intenſiùs Deum videre; attamen de facto non ità rem ſe habere; ſed intenſionem maiorem haberi ex intenſione meritorum. Ita Tartaret. & Arretinus ad loca Scoti adducta, Vulpes *d.* 23. *art.* 13. Sghemma *tit.* 32. *q. vlt.* Molina *p.* 1. *quæſt* 12. *art.* 6 *d.* 2. Ouiedo *contron.* 4. *p.* 2 *num.* 26. & 28. vbi tamen aſſerit cum Arriaga *d.* 7. *ſect.* 3. *ſubſect.* 4. perfectiorem fore viſionem materialiter, ideſt potentiæ nobilioris. Verum hoc eſt ludere; non ſoluere. Quis enim hinc non admittet, talem viſionem eſſe materialiter perfectiorem? Quare in hoc non ponunt difficultatem Herize *d.* 49 *num.* 61. & alij, vt putat Arriaga.

TERTIA ſententia eſt D. Bonau. *in* 2. *d.* 23. *q. vlt. in fine*, intenſionem viſionis Dei, non poſſe ſumi ab intenſiori perfectione naturali intellectûs, data paritate luminis gloriæ. Hanc ſententiam adeò aſtruit S.D. vt oppoſitam, in vniuerſitate Pariſienſi, tempore Epiſcopi Guillelmi, Odonis, & Alenſis, damnatam referat. Cum Seraphico incedunt Ferrarienſis 3. *contra G. c.* 55. & 58. Henricus *quodl.* 10. *quæſt.* 6. Medina *p.* 2. *quæſt.* 3. *art.* 2. Valentia *quæſt.* 12. *p.* 4. Caſpenſ. *tract. de viſione d.* 4. *ſect.* 8. Tannet. *d* 2. *q.* 6. *dub.* 5. Soto *in* 4. *d.* 49. *quæſt.* 3. *art.* 2. Medina 3. *p. quæſt.* 12. *art.* 4. Suarez *ibidem*, & *tom.* 1. *l.* 2. *de attrib. neg. cap.* 21. Bañes *p.* 1. *quæſt.* 12. *art.* 6. Vaſq. *d.* 47. & Recentiores communiter, 3. *p. quæſt.* 12. *art.* 6. vbi Zumel. Nazar. Faſol. Gonzales *d.* 29. *ſect.* 2. Lezana *tract.* 3. *d.* 1. *quæſt.* 7. Anerſa *q.* 12. *ſect.* 12. Amicus *d.* 9 *ſect.* 16. Turrian. *d.* 3. *dub.* 6. & alij. Eſt autem ſententia hæc D.Thom. *hic in corpore*, & *ad* 3. vt refert Morand. *tract* 2. *quæſt.* 14. vbi eam ſequitur, ac refert Faſolum, Meracium, Recupitum, aliſque Recentiores, quibus ſubſcribit Ribas *Tr.* 3. *d.* 12. *cap.* 2.

Becanus *c.* 9. *quæſt* 10. ait philoſophicè veram primam ſententiam; ſed Theologicè tertiam.

FVNDAMENTVM eſt D. Bonau. *q. ſuperiori*, adductum, Viſionis beatæ non modo ſubſtantiam aſtrui coronam, & mercedem meritorum, vt ait Apoſt. 2. *Tim.* vt refert S.D. *in Dietatis.* 5. *cap.* 8. ſed etiam intenſionem eiuſdem gloriæ. Sic 1. Cor. 3. dicitur. *Vnuſquiſque propriam mercedem accipiet ſecundum laborem proprium.* & 2. cap. 9. *Qui parcè ſeminat, parce & metet.* Idem habetur 1. *Cor.* 15. vbi ait: *Beatos differre in gloria, ſicut ſtella à ſtella; & ſtella à Luna; & Luna à Sole.* Vnde in calce hoc epiphonemate claudit. *Itaque fratres mei ſtabiles eſtote abundantes in opere Domini ſemper, ſcientes quòd labor veſter non eſt inanis in Domino.* Similiter gloria in operibus ex gratia fundamentum habet. Ideò *Rom.* 6. dicitur. *Gratia Dei vita æterna*, vt notat D.Bonau. *in* 2. *d.* 27. *quæſt.* 3. Quæ cùm ità ſint, nec ſubſtantia gloriæ, nec intenſio eius è natura ſumenda eſt, vt probat S.D. *in* 2. *d* 9. *quæſt* 3. Idem probant Parabolæ *Matth.* 25. *Luca* 19. de talentis, & fructu ſexageſimo, & centeſimo. Idem habet SS.PP. relati à Suarez *l.* 2. *cap.* 20. ſupra allati *quæſt. præcedenti.*

ASSERO, Inæqualitatem gloriæ, non oriri ex inæqualitate naturali intellectûs, nec id poſſe fieri. 239

PROBATVR primò à D. Bonau. *in* 2. *d.* 23. *q. vlt.* & *in* 4. *d.* 49. *quæſt* 6. & aliis locis ſuprà. Si is, qui perſpicaciorem habet intellectum clariùs videret Deum, altero habente par lumen gloriæ, iam daretur aliquis gradus gloriæ non ad menſuram meritorum; ſed ex naturæ habilitate. Sed hoc eſt abſonum: Ergo. Probatur ſeq. Ponamus hominem, & Angelum æqualis meriti, vt quatuor; & Angelum præcellere homini tribus gradibus intellectûs, tunc Angelus ex vi naturæ habebit tres gradus gloriæ ſuper hominem, etiamſi æqualia ſint merita. Abſurditas conſequentis probatur tum è Scripturis allatis in fundamento; tum è Concilio Florentino, vbi diuerſitas graduum gloriæ reducitur ad diuerſitatem meritorum. Hac ratione vtuntur multi, & vrgent Morandus, & Recupitus *quæſt.* 8. cum Becano.

Reſpondet Fauentinus, dari quidem gloriam iuxtà merita; at verò ſi detur vnus intellectus perſpicacior, iſte videbit clariùs Deum ex illa perfectione, in qua complacuit Deo illum creare.

CONTRA, nam etiam Pelagius ſciebat, naturam datam liberaliter à Deo, & tamen damnatur, quia aliquid gratiæ adſcribit naturæ. Multò autem peius loquitur, qui gloriam naturæ adſcribit, vt aduertit Scotus, relatus *quæſt.* 11. Date igitur ſic & charitatem, vt ait Becan. 240

Reſpondet Fauentinus, fore Pelagianum, ſi è ſolis viribus naturæ aſſereretur ille gradus intenſior; ſed non ſic eſt; imò requiritur lumen, & gratia, ſine quibus non haberetur illa intenſior viſio.

CONTRA nam operatio luminis, & gloriæ totius datur ad menſuram meritorum ex gratiâ; illi verò gradus intenſiores non poſſunt oriri è lumine, quod ſummum conatum exercens ſolum gradum vt quatuor attingit. Igitur illi tres gradus intenſionis ſunt à ſolâ naturâ, non à lumine, neque à gratiâ, vel merito, cui lumen reſpondet.

Nititur verò Fauentinus ſuam reſponſionem firmare exemplo. Sint duo oculi, quorum alter ſit lippus, alter clarus: poſito vno gradu luminis, vterque videbit obiectum; ſed lippus imperfectè: alter verò clarè; ità in propoſito.

AT exemplum non eſt ad rem, nam intellectus non videt Deum virtute naturali completa, ſed incompleta. Vnde quantò eleuatur extrà ordinem à virtute complente; tantò clariùs videt Deum: at verò duo illi oculi vident virtute innatâ completâ in ordine naturæ. 242

Mastrivs *num.*202. ait, illum exceſſum perfectionis in viſione adſcribi naturæ non nudæ, ſed vt eleuatæ per gratiam donantem lumen. Deinde ipſum lumen cum intellectu operari ad eam intenſionem, neque dari vllum gradum viſionis, ad quem non concurrat etiam lumen cum intellectu; ità verò, vt intellectus fortiùs influat in omnes gradus, quàm lumen: quâ præcisè de causâ exceſſus ille dicitur reſpondere actiuitati intellectus, non luminis.

Quoad id verò, quod dicitur, gloriam dari ad menſuram meriti. Reſpondet cum Luſitano, non correſpondere totam gloriam præciſis meritis noſtris, ſed dari aliquam partem etiam ex meritis Chriſti, quibus nobis meruit plures prædeſtinationis effectus; inter quos à Theologis numerantur præſtantia, & ſublimitas ingenij: quoniam, ſicut Deus prædeſtinauit illam, vt melius vocationi occurreremus ad maiorem gratiam; ità & ad maiorem gloriam; totum autem prædeſtinatum eſt ex meritis Chriſti

242 Contra tamen eſt, quia lumen gloriæ neceſſarium eſt, vt intellectus proportionetur, tanquam concauſa ad operationem ſupernaturalem viſionis, ad quam intellectus habet ſolùm potentiam remotam. Sicut autem nequit intellectus attingere viſionem, niſi coagente tanquam concausâ lumine; Ita neque poteſt tantam viſionem attingere, niſi agente proportionatâ concausâ eleuante, id eſt lumine talis intenſionis; quia ſicut ſe habet ſimpliciter ad ſimpliciter; ità magis ad magis.

Naqva rectè Maſtrius, & alij Scotiſtæ reſpondent, & oculum perfectiorem æquali lumine, & ſpecie melius obiectum videre; neque ea exempla ſunt ad rem, vt oſtendi contra Fabrum; quia lumen non eſt ſimplex concauſa, ſed concauſa eleuans cauſam naturalem ad operationem ordinis excedentis, & cùm ſit qualitas creata habet determinatam actiuitatem ad talem intenſionem viſionis, vt oſtendit S. Bonau. *in* 3. *d.* 14. *quæſt.* 2. atque adeò non poteſt lumen vt duo, eleuare ad quamcunque intenſiſſimam viſionem, vt male credit Maſtrius, cum Vulpe, & Poncio; nam lumen requiritur in genere cauſæ efficientis. Quare ſi lumen erit remiſſum, remiſſa erit & viſio; quia intellectus non ſe habet, vt concauſa eiuſdem ordinis, ſed cùm illi gradus intenſionis maioris habeant eſſe ſupernaturale, debet ſupponi maior vis in lumine coagente. Neque verò lumen, obtuſiori intellectu fatigatum minùs habet de virtute, vt ſupponit Maſtrius, quia intellectus coagit ſolùm in ſuo ordine potentiâ naturali, ſecundùm Scotiſtas; & potentiâ quoque obedientiali ſecundùm nos; hæc autem educitur ad actum ſupernum per vim luminis non augendo vim naturalem obtuſam, ſed ad operationem ſuperioris ordinis tantæ intenſionis eleuando.

Alia quoque diſparitas inuenitur inter exempla naturalia adducta, quia ſpecies, ſi producit perfectiorem ſenſationem in oculo meliori, quàm in lippo; hoc eſt, quia non exerit totam ſuam vim, vt notat Auerſa; at verò lumen gloriæ vbicunque ponatur, totam ſuam exercet virtutem intenſiuam ſupernaturalem, cui non obſtat naturale remiſſius acumen.

243 Quod verò dicebat Maſtrius de acumine intellectus dato ad ſupernaturalia, nil iuuat; quia præſtantia ingenij poteſt aliquando ſanè eſſe effectus prædeſtinationis; attamen non ſemper, vt patet in pueris, qui decedunt. Hi enim ſunt inæqualis perfectionis ingenij, non minùs, quàm adulti: vel etiam ſupponuntur. Itaque cùm ſolam habeant gratiam è meritis Chriſti, ac proinde æqualem, vt omnes concedunt: habebunt tamen aliqui inæqualem gloriam ex acumine intellectus; alioqui aliqua violentia ſequeretur in ordine naturæ, ſi Deus illi maiori acumini deneget concurſum eius actiuitati commenſuratum; & in ordine etiam gratiæ, quia ſubtrahendo talem concurſum impediret beatum, ne Deum videat, ac diligat conatu ſuæ actiuitati proportionato, vt infert Maſtrius, *n.* 201. & 214. Hæc tamen ſequela nil lædit nos, quia intellectus non fertur naturaliter ad viſionem in noſtra ſententia vt oſtendam, *p.* 2. *tract.* 1. *d.* 2. *q.* 22.

Deinde ſupponamus hominem adultum ingenij acutioris non vti eo acumine ad intenſiùs agendum, quam vtatur obtuſus, vt ſæpè euenit, hominem tamen intenſius operari, & diligere Deum; iam homo acutus videre poterit Deum ità intensè, imò intenſius, quàm ſimplex, qui intenſiùs Deum dilexit; quia acumen ingenij magis facit ad augmentum viſionis, quàm lumen, quod poteſt in quâuis remiſſione poſitum eleuare intellectum ad quamuis intenſionem viſionis, vt edisserit Maſtrius *n.* 196.

Qvare vrgeo ſecundò è D. Bonau. *in* 2. *d.* 9. *q. cit. ad vlt.* Ille, qui habet perfectiora naturalia per vos poteſt, & procul dubio debet ſe præparare maiori conatu, quàm obtuſus: Ergò ſi ex accedia non vtitur illo naturali acumine, reportabit commodum ex mala talenti negotiatione, cum tamen, qui habent multum acuminis damnentur, ſi talentum non ſunt negotiati. 244

Si dicas, eſſe per accidens, quòd ille malè vtatur: nos verò quæſtionem agere de eo, quod per ſe eſt.

Contra: nam per ſe eſt, vt gloria non detur, niſi adhibentibus liberum arbitrium ad amuſſim ac menſuram, qua vtuntur intenſiùs, vel remiſſiùs, vt patet è Scripturis. Ergo ex vi naturæ eſt per ſe, vt non operetur aliquid ſine merito. Quare Suarez, & alij oppoſitam opinionem non ſatis tutam proclamant.

Da poſſibili verò etiam probatur à D. Bonau. *in* 3. *d.* 14. *q.* 3. *ad* 6. id, quod eget aliquo eleuante actionem ex ſe inſufficientem, non attingit effectum, niſi in quantum eleuatum eſt. Sed intellectus ſic eget lumine ad viſionem. Ergo in tantùm attingit, in quantùm eleuatus. Lumen autem gloriæ habet determinatam operationem, quæ ei naturalis eſt, & ſemper toto exeritur conatu. Ergo data paritate luminis non operabitur intenſiùs cum intellectu naturaliter acutiori. Mi. probatur, nam ad viſionem requiritur proportio cognoſcentis ad obiectum; hæc autem fit per deiformitatem à lumine, per quam redditur intellectus actu intelligens: Ergo tantùm intelliget, quantùm habet de vltimo actu. Hic autem eſt à lumine. Ergò. Hac ratione vtuntur Suarez, Tanner. & alij.

Reſpondet, Faber eam viſionem eſſe naturalem intellectui, etſi ſuperna ſit, vt fit à Deo; nam in intellectu eſt vis actiua. Contra: quia exigitur lumen ad eleuandam potentiam mancam, vt ait Conc. Vien. Iam verò illi gradus intenſiores ſunt eiuſdem ordinis: Ergo requiritur ad eos eleuatio per lumen proportionatum; at lumen prius vt quatuor, non poteſt amplius, agere quàm egit in prima vice, cùm agat naturaliter, & toto conatu, vt ſupra oſtendi. 245

Potentia verò, cùm ſit cauſa veluti vniuerſalis ad omnes actus intellectionis, determinatur ex more à cauſa particulari ſupernaturali, id eſt lumine, ſicut Sol vniuerſalis cauſa influens, determinatur à cauſa particulari, puta Leone, ad Leonem producendum; ab homine ad hominem gignendum. Sicut autem determinatur cauſa naturalis ab habitu ſupernaturali ad ſubſtantiam actus ſupernaturalis; ità etiam ad intenſionem, quia potentia naturalis non agit aliquid, ſeu non producit aliquam operationem, vel gradum operationis ſupernaturalis, niſi cooperante, & eleuante concauſa, quæ eſt ſupernaturalis, quia ſicut ſe habet

habet ſimpliciter ad ſimpliciter: itá magis ad magis. Qui modus arguendi per regulam Topicam valet, ſaltem in cauſis totalibus, vt fatetur Maſtrius *n.* 205. Subſumo. At lumen gloriæ eſt cauſa totalis eleuans ad ſubſtantiam viſionis, & gradus illius; alioqui intellectus ſolus naturaliter ex illis aliquos operaretur. Ergo, ſicut ſimpliciter non poteſt intellectus eleuari ad viſionem Dei ſine lumine gloriæ; ità neque ad intenſiorem gradum abſque intenſiori lumine. Lumen autem eſt certæ intenſionis ad eleuandum, & ita ad tot gradus poteſt virtutem intellectiuam naturalem eleuare, vt notat Auerſa è doctrinâ ſupra datâ Seraphici; neque verum eſt, quod ait Maſtrius, *num.* 105. intellectum eleuatum ad infimum gradum, non egere eleuari ad intenſiores gradus viſionis. Ratio mea eſt, quia illa actuum intenſio eſt adhoc diſtincta, ac ſeparabilis, adeoque requirit diſtinctam realiter cauſam adæquatam, quæ præcipuè ex virtute luminis conſtituitur; non poteſt autem forma ſupernaturalis intendi à forma naturali vt ſic, quia intenſio fit gradibus eiuſdem naturæ, vt docent philoſophi.

Reſpondet Maſtrius, *num.* 108. Non intendi à virtute naturali nuda, ſed eleuata per lumen; & ſicut intellectus concurrit ad ſubſtantiam viſionis, quatenus vitalis, & quatenus etiam eſt viſio, ità poteſt facere, vt viſio ſit intenſior.

Vervm non rectè diſcurrit, nam Intellectus ex ſe aptus eſt ad quamcunque naturalem intellectionem, & intenſionem eiuſdem; tamen ad viſionem Dei non poteſt peruenire, niſi per lumen gloriæ, quod debet aſſiſtere toti actioni, & ſingulis gradibus eius, & quia eſt virtutis finitæ non poteſt vltrà, vt ſupra oſtendi alioqui intellectus perficiet lumen gloriæ ad operationis intenſionem, & ſic inuertetur ordo, & orbis.

246 Obiicies primò. Quando ſunt duæ concauſæ, quantùm creſcit vna earum; tantùm creſcit effectus. Sed intellectus, & lumen gloriæ ſunt duæ concauſæ viſionis beatæ: Ergo altera creſcente, creſcit viſio. Vel dicendus intellectus, nullam habere actiuitatem, quod eſt falſum. Confirmo. Si intellectus imperfectior maiori lumine perfuſus valet producere viſionem perfectiorem, quàm intellectus ſublimior cum æquali lumine; ſequitur, vt illi gradus intenſiores viſionis non ſint vitales, nam ad eos nequit influere intellectus ille, ſed totus influxus eſt à Lumine.

Respondetvr primò è D. Bonau. ſuprà cum Valentia, *loc. cit.* Maiorem eſſe veram, quando ſunt duæ cauſæ completæ vltimò ambæ effectum attingentes; non autem quando altera eſt incompleta, nec attingit niſi in quantum vltimatur. Talis eſt intellectus reſpectu viſionis beatæ: ideò creſcente virtute intellectiua, non creſcit viſio, quia vt reddatur actu intelligens, eget lumine eleuante, & reddente deiformem; non quòd intellectus ſit inſtrumentum luminis, vt malè putat Vaſq. aut lumen ſit totalem habens actiuitatem; ſed quia intellectus, licèt ſit principale agens vitale ad actionem illam ſupernaturalem ſubſtantialiter eget confortari, & quodammodo vltimò actuari hoc inſtrumento, vt poſtea eliciat actum viſionis; ſicut oculus, qui non poteſt remotiſſimum corpus inſpicere, eget vitreo inſpicillo, & poſtea videt; & quò melius eſt inſpicillum, eò meliùs videt, ità vt inſpicillum non ſit agens principale, ſed inſtrumentum ponens oculum agentem in actu ad actionem, In effectibus enim non eſt attendenda tota cauſa adæquata ad intenſionem effectus, ſed vltimus gradus cauſæ, qui in caſu noſtro eſt lumen gloriæ, ſecundum quem, ſicut res ſe habet ſimpliciter ad ſimpliciter; ita magis ad magis: quod etiam in cauſis partialibus valere manifeſtum eſt. Itaque cùm intellectus non attingat viſionem, niſi vt eleuatus, non aget niſi ad menſuram eleuationis, vt reſpondent communiter Thomiſtæ, debet enim quoad omnes gradus viſionis intellectus egere lumine. Itaque ad omnes agit vt eleuatus, non aliter.

Respondetvr ſecundò cum Suarez, & aliis, intellectum non concurrere ad vltimam perfectionem actûs talis intellectionis per potentiam naturalem, ſed per obedientialem, quæ tantùm operatur quantùm mouetur à Deo, inſtrumento luminis gloriæ. Quòd ſi etiam per virtutem naturalem operari concedatur, adhuc non ſumeretur inæqualitas, ſeu intenſio viſionis à ſolo acumine naturali intellectus; quia virtus illa intellectûs, non eſt completa, ac proinde non operaretur, niſi vt completa per lumen.

Reſpondetur tertiò cum Ripalda, Arriaga, Onicdo, aliiſque Recentibus, non ſemper etiam in naturalibus, perfectiorem cauſam producere perfectiorem effectum: Sol enim eſt cauſa perfectior, quàm ignis; & anima rationalis eſt perfectior, quàm brutalis; & tamen Sol producit ſæpè imperfectiorem calorem, quàm ignis; & anima rationalis imperfectiorem ſenſationem, quàm brutum.

Obiicies ſecundò. In via melior intellectus cum æquali lumine fidei melius operatur, etiamſi actus fidei ſupernaturalis ſit.

Reſpondetur è D Bonau. *in* 3. *d.* 25. *q. penult. & vlt.* fidem pendere ex inſtructione exteriori, & ideò poteſt maiorem certitudinem diſpoſitiuam ſortiri, tamen formaliter actus fidei intenſior eſt ex habitu fidei, & gratia. Ità reſpondet etiam Suarez. 247

QVÆSTIO XVIII.

An viſio poſſit eſſe inæqualis, eò quod vnus videat eſſentiam cum omnibus attributis; alius verò non omnia attributa videat.

Iam vidimus vnde oriatur inæqualitas viſionis ex parte potentiæ; nunc videndum vnde oriatur ex parte obiecti. An, ſcilicet vnus tantum videat clarius eaſdem res; An verò vnus videat aliquid, quòd alius non videt? Et primò erit quæſtio quoad attributa; ſunt enim id, quod eſt primò intelligibile in eſſentia: deinde agetur de relationibus.

Prima opinio eſt, nullum intellectum creatum poſſe omnia attributa Dei videre, eò quòd infinita ſint; ſicuti enim ad videndum tot, requiritur tanta virtus; & ad videndum plura maior virtus; ità ad infinita requiritur virtus infinita. Pro hac ſententia citatur à Suarez *l.* 2. *de attrib. neg. c.* 22. Richar. 3. *d.* 14. *art.* 1. *quæſt.* 4. *ad vlt.* eò quòd ait naturam Diuinam eſſe ſimplicem, & infinitam; & quatenus eſt ſimplex, totam videri; quatenus verò infinita, aliquid de illius profunditate latere creaturam. Adducitur etiam D. Bonau. 3. *d.* 14. *quæſt.* 2.

At perperam adducitur S. D. ibi enim ſolùm negat, Diuinam naturam ab anima Chriſti comprehendi, tantùmque abeſt, vt ſit allegatæ ſententiæ, vt reſpondeat argumento quarto; non eſſe in Deo infinita diſtincta; ſed vnum ſimpliciſſimum æquiualens infinitis; & hoc quidem totum videri poſſe: non tamen totaliter, quia infinitum: & ideò non poteſt comprehendi. quod qua ratione eueniat, oſtendam *quæſt.* 26. 248

Imò Suarez in fine capitis reſipiſcens fatetur, ſenſum germanum Seraphici eſſe eum, quem retuli: & ſoluit

ſoluit argumentum, ſolutione eiuſdem S.D. & ad probationem negat, requiri maiorem virtutem ad videnda omnia attributa, quàm ad eſſentiam videndam, quia viſa eſſentia, omnia videntur. Sunt enim vnum formaliter. Quod quidem habet S. Bonau. *eadem diſt. art.2. quæſt.3. ad argumenta*, addnes, non omnem cognitionem infinitorum debere eſſe infinitam, ſed ſolùm cognitionem comprehenſiuam infiniti. Vult ergo S.D. Deum non cognoſci omninò, quò ad eſſentialia: quod ex parte modi cognoſcendi, non ex parte rei cognitæ intelligit, vt vidit Vaſquez *d.*48. & patet exemplis allatis à D.Bonau. de oculo vidente paruo lumine rem intenſam; ſic enim & beati (ait S.D.) quia vident finito lumine, non omninò comprehendunt. Idem notauit Ripa *ad art.7. quæſt.*12. *D.Thoma, cap.*2.

249 Eandem verò *quæſtione* 2. *ſupra cit. articuli primi, ad* 3. id aſſerit, quod & Richardus ſuus diſcipulus hauſit; nempè Deum, quia ſimplex, totum videri; at verò non comprehendi, quia infinitus; ſed hoc nil pro hac ſententia redolet, quia infinitas illa non ponitur, multitudinis attributorum, imò ibidem negatur, ſed perfectionis. Eam verò opinionem tenet Ocham. 4. *quæſt.*13.

Secunda ſententia eſt, omnes beatos videre omnia attributa, non tamen omnem modum cuiuſque attributi. Pro hac adducitur à Suarez Ferrar. 3. *cont. G. cap.*59. Sed hic ſolùm id aſſerit, quod & Richardus ſuprà, cum D.Bonauentura.

Tertia opinio eſt, beatos videre de facto omnia attributa, quia ſunt obiectum neceſſarium perfectæ beatitudinis, tamen ea vi ſolius viſionis hoc non eſſe neceſſarium, ſed poſſe vnum attributum ſine aliis videri, quippè formaliter differunt. Ità Scotus 1. *d.*1. *q.*2. *art.*2. vbi Mairo, Lichettus, Baſſolius, Bargius, Vigerius, Faber 1. *d.*19. *c.*3. Rada *p.*1. *contr.*6. Macedo *Collat.*3. *diff.*2. Gallus *in* 3. *d.*14. *q.*1. *prælud* 4. *d.*2. *ſect.*4. eamque probabiliorem putat Luſitanus *l.*5. *q.*14. *art* 3. Poncius *d.*4. *q.*6. Vulpes *d.*26. *art.*1. Smiſing. *tract.*2. *d.*6. *quæſt.*5. Poſnanienſis, *deciſ. l.* 1. *cap.*7. *quæſt.*3. vbi fruſtra diſtingnit, id non eſſe verum de comprehenſione, Sghemma *tit.*34. *quæſt.*5. & alij Scotiſtæ, quos ſequitur Maſtrius *d.*6. *quæſt.*8. qui hoc ſuſtinent, etiamſi non daretur inter attributa diſtinctio formalis. Et hoc idem aſtruunt Auerſa *q.*12. *ſect.*23. Salas *tom.*1. *in* 1. 2. *quæſt.*3. *tract.*2. *d.*4. *ſect.*2. Morandus *tract.*2. *quæſt.*15. Alarcon. *d.*4. *cap.*2. Granado *p.*1. *d.*6. *ſect.*6. Arriaga *d.*9. *ſect.*6. qui concedit tantùm poſſe quidem videri eſſentiam ſine attributis, & intellectum, ſiue voluntate, quia inter hæc diſtinctionem ſaltem virtualem agnoſcit; negat verò de eſſentia in ordine ad attributa eſſentialia, & de his attributis ad ſe inuicem comparatis; quia neque virtualiter differunt.

Quarta opinio eſt, omnes videntes Deum, neceſſariò videre omnem eſſentialem perfectionem formaliter in eo exiſtentem. Ità D.Bonau. *in* 3. *d.*14. *q.*2. & *in* 4. *d.*49. *q.*6. D.T. *p.*1. *q.*12. *art.*7. *ad argum.* Richar. *in* 4. *d.*49. *q.*8. Durand. *quæſt.*2. Henric. *quodl.*13. *q.*1. & communiter Thomiſtæ ad locum adductum D.T. vbi Bannes, Zumel. *d.* 2. Nazar. Faſolus, Molina *art.*8. *d.*4. Caiet. 2. 2. *q.*2. *art.*8. Scotus 4. *d.*49. *quæſt.*3. *art.*3. Suarez *lib.*8. *de attrib. neg. cap.*21. Becanus *c.*9. *q.*12. Vaſquez *d.*48. Machin. *d.* 19. Lezana *tract.* 3. *d.*3. *quæſt.*2. Amicus *d.*9. *ſect.*18. Herize *p.*1. *d.*51. Caſpenſ. *tract. de viſione beata*, *d.*1. *ſect.*1. Præpoſit. Merac. Recupit. & alij apud Morandum. Adde Marcum *q.*12. *art.*3. Ribam *Tr.*3. *d.*7. *cap.*1.

250 Asserendum omnes beatos videre neceſſariò in Diuina eſſentia omnia attributa.

Probatur primò à D.Bonau. *locis adductis*. Quæ ſunt vnum ſimpliciſſimum, non poſſunt videri ex parte; & ex parte non; ſed eſſentia Diuina, & attributa ſunt vnum ſimpliciſſimum. Ergo. Hoc argumento vtuntur Suarez, & alij.

Reſpondent Scotiſtæ communiter, diſtingui eſſentiam ab attributis; & attributa inter ſe formaliter.

Hæc reſponſio exploſa eſt *d.*3. *quæſt.*8. Itaque cùm perfectiones Dei abſolutæ ſe includant eſſentialiter, non poteſt vna intuitiuè videri: alia non viſa, eſt enim cognitio intuitiua, & quidditatiua. Itaque non ſumitur argumentum à ſolitaria identitate formaliter attributorum, vt putat Maſtrius, *num.*214. ſed ex identitate formali eſſentialiter, quatenus eſt obiectum cognitionis quidditatiuæ, & claræ.

Probatur ergo ſecundò à S.D. *locis relatis* in argumentis, additis reſponſionibus. Viſio Dei eſt clara intuitio Dei, ſicut in ſe. vt habet *Ioan.*1. *cap.*3. quo ſenſu ab Apoſt. Paulo *Philip.*3. dicitur Comprehenſio. Ergo, quod eſt de conceptu Diuinæ eſſentiæ debet videri, cum videatur in conceptu proprio, & quidditatiuo ipſe Deus. Ergo beati vident totum id, quod formaliter eſſentialiter includitur in eſſe Dei. Sicut enim non poteſt videri clarè natura hominis, non viſis eſſentialibus: ita quoque natura Diuina; at Deus eſt vna entitas ſimpliciſſima. Ergo ſi vnum attributum videretur ſine altero, non videretur ſicut eſt, ſed per partes mens eum effingeret. Hæc ratio, vt notat Vaſquez eſt euidentiſſima, eaque vtuntur Lezana, & cæteri ferè omnes. 251

Ait Arriaga *d.*9. *ſect.*2. idem ſequi etiam in cognitione abſtractiua, quæ eſt de re, ſicuti eſt, non aliter.

Attamen τὸ *ſicuti eſt*, in abſtractiua imperfecto modo habetur, præſcindendo; non ſic in intuitiua, quæ eſt ſecundùm omnes quidditates. Nec eſt ſimile de vidente à longè albedinem, de qua dubitat. An ſit albedo; ea enim non eſt clara intuitio, vt fatetur idem Arriaga *n.*10. qualis eſt beatifica.

Reſpondet Maſtrius *num.*238. cum Amico, rem poſſe videri, vt in ſe eſt inadæquatè; velle autem de ratione viſionis eſſe videre rem, vt in ſe eſt adæquatè, eſt afferre pro medio argumenti, id quod eſt controuerſum, & petere principium. Itaque dicunt cum Auerſa, poſſe Deum ſuâ potentiâ ſe oſtendere, quò ad vnam perfectionem, aliâ celatâ.

Hæc reſponſio nil iuuat Auerſam, & Amicum, qui tenent, attributa inter ſe, & ab eſſentia diſtingui ſola ratione ratiocinata, vt vidimus *d.*3. *quæſt.*8. nam ſi eſt cognitio quidditatiua clara Dei, vt in ſe eſt, non poteſt eſſe præciſiua rei, quæ eſt formalitas ipſa, vt notat Faſolus, & Maſtrius. Rem autem ità ſe habere conſtat ex dictis *loc. cit.* contra Maſtrium, & alios Scotiſtas.

Neque iuuat Auerſam diſtinctio de viſione inadæquata, & adæquata, nam ſi omnia attributa ante operationem intellectûs ſunt idem formaliter, illa viſio erit inadæquata præcisè è ſola imperfectione noſtri intellectûs, concipientis rem, non ſicuti eſt; ſed aliter, vt notat Maſtrius, contra quem ſatis *loc. cit.* oſtendi, non diſtingui formaliter eſſentiam ab attributis; nec attributa inter ſe.

Addo; etiam datâ, & non conceſſâ diſtinctione formali, adhuc debere beatum, videntem eſſentiam, videre attributa, vt ſit cognitio intuitiua, non abſtractiua. Addo, cognitionem rei exiſtentis, vt exiſtens eſt, intuitiuam, debere eſſe omnium formalitatum, quæ vnicâ rei exiſtentiâ exiſtunt, nam exiſtentia competit rebus, non formalitatibus, nam iſtæ omnes exiſtunt per vnicam rei exiſtentiam; vt docent communiter, & tenet Maſtrius *in Metaph.* & *hic n.*241. 252

VRGAO tertiò. Viſio beata eſt intuitiua Dei, vt bonus eſt omni bonorum aggregatione perfectus. Itaque non poteſt videri eſſentia, niſi videantur omnes Dei perfectiones; alioqui non erit viſio beata, vt ſupponitur. Ideò apud Suarez *l.2. cap.24.* & Salam *d.3. in* 1.2. malè olent negantes de facto, quos eacutiemus, *quæſt.*21.

Obiiciunt primò Authores ſecundæ ſententiæ. Si omnia attributa, & modi viderentur ab omnibus beatis, iam eſſet comprehenſio; nam è D.Auguſt. 12. *de ciu. cap.*12. illud comprehenditur aliquâ ſcientiâ, quod ſcientis apprehenſione finitur. Qui autem videret totam infinitatem Dei, finiret illam, & nihil eum lateret. Et hæc eſt comprehenſio, vt docet ipſe D. Auguſt. *ep.*112. *cap.*8.

253 Reſpondet D.Bonauent. *in corp. & ad arg. quæſt.*2. poſſe videri infinitatem, neque tamen comprehendi, quia videtur ſecundùm luminis virtutem, quæ eſt finita. Sic (ait S.D.) ſi quis oculus clarus vt quatuor, videret colorem intenſum vt octo, videbit totum; ſed non totaliter. Vel ſi quis ponat vnum punctum, qui terminetur ab vna linea, totus attingitur ab ea; attamen non comprehenditur, quia poteſt alias infinitas terminare. Vel ſi conſideretur anima rationalis, quæ tota eſt in vna parte corporis, ità tamen vt tota ſit etiam extra illam, ratione ſuæ ſimplicitatis. Addit verò Seraphicus, hæc exempla eſſe inadæquata, & meliùs hoc ratiocinatione intelligi, quàm exemplis; ſi percipiamus infinitatem Dei, non molis eſſe, ſed virtutis, de qua D.Auguſt. *De quantitate animæ, cap.*3. Quantitas enim virtutis non repugnat ſimplicitati; imò quantò aliquid eſt ſimplicius, tantò eſt virtuoſius. Talis autem cùm ſit Deus, videtur totus, quia ſimpliciſſimus; ſed non totaliter, quia infinitus. Hoc reſponſo ſe expedit etiam Suarez.

AD D.Auguſtinum reſpondet D. Bonau. *fund.* 2. Ad comprehenſionem requiri, vt obiectum ſit negatiuè finitum cognoſcenti, ſeu vt eius fines ità circumſcribantur, vt nulla eius pars lateat cognoſcentem, vt notat etiam D.Thom.

254 PER hoc ſoluitur inſtantia, quomodo videatur immenſitas, quæ dicit præſentiam infinitis ſpatiis poſſibilibus.

Reſpondet enim S. D. immenſitatem non reddere Deum infinitum quantitate molis, nec aliquid ſimplicitati detrahere; ideò poſſe ſimplicem, & immenſum Deum capi; eſt enim indiuiſibilis, & totus in omnibus rebus, & totus in ſingulis; non tamen comprehendetur immenſitas, quia non videtur infinitè. Ità quoque reſpondet Suarez. Imò & Scotus in 2. *d.* 22. *quæſt.*1. Per idem ſoluitur inſtantia, quæ fit de omnipotentia, quæ continet potentias creandi, & tranſubſtantiandi, & alias infinitas, quæ in Deo formaliter ſunt. Non poſſunt autem omnes videri diſtinctè à beato. Similiter omnes creaturæ poſſibiles ſunt eminenter in Deo; & hæc eminentia eſt formaliter in Deo; at creatura non poteſt has omnes diſtinctè in Deo videre.

Reſpondet S. D. ſuprà, videri omnia, non tamen vt diſtinctè creaturas repræſentat, ſed vt ſunt quid vnum infinitæ perfectionis.

FVNDAMENTVM Scoti de diſtinctione attributorum conuulſum eſt *d.3. quæſt.*8. Remanet vnum argumentum. Quando ſunt plura, & ſola virtute diſtincta, de quibus verificantur contradictoria poſſunt in cognitione intuitiua ſeparari. Talis eſt intellectus, & voluntas. Ergo. Hoc argumentum ſoluetur *quæſt. ſeq. ad* 1.

QVÆSTIO XIX.

An videntes Dei eſſentiam, neceſſariò videant etiam Perſonas.

PRIMA ſententia eſt Scoti 1.*d.*1.*quæſt.*2. Beatos quidem videntes Deum, videre quoque Perſonas diuinas; at poſſe Deum abſolutâ potentiâ oſtendere alicui beato eſſentiam, tectis Perſonis. Sequitur Faber, & cæteri adducti, *quæſt.*18. *pro* 3.*ſent.* Auerſa *ſect.*26. Hurtad. *d.*6.*met.ſect.*6. D.Antonin. 3. *p.tit.*30.*c.*4.§.2. Victoria apud Vaſq.*d.*53. Lælius Zecch.*tract.de Chriſto cap.*6.*diſt.*8. Hurt.*d.*6. *ſect.*5. non tenuit Bañ.*q.*52. *art.*7.*d.*1. Gillius *l.*2.*Comment. Theol.tr.*6. *c.*11. & alij apud Salam *p.*2.*T.*5.*tract.*2. *d.*4.*ſect.*2. & apud Ribam *tr.*3.*d.*7.*c.*3. qui eos rapit ad aſſerendum, poſſe videri materialiter; non formaliter, ideſt ſecundùm proprias rationes; ſed fruſtra, dum agitur de viſione quidditatiua intuitiua, quæ eſt omnis quidditatis; neque aptè exempla fert de noſtris notitiis intuitiuis imperfectis, quibus aliquæ formalitates abſconduntur. Sic & Sarnan.*verb. Beatit.* Gran.*t.*1.*controu.*1. *T.*5.*d.*7.

ALTERA ſententia eſt, nulla virtute fieri poſſe, vt videns Deum, non videat Perſonas: Sic D.Bonau. 3. *d.*14.*q.*2 Henr. *quodl.*13.*q.*2. Sotus 4. *d.*49. *art.*3. Val. *d.*1.*q.*12.*p.*6. Suarez *l.*2.*de attrib.neg. cap.*23. Vaſquez *d.*48. cum D.T.2.2.*q.*2. *art.*8.*ad* 3. vbi Caiet. aliique Thomiſtæ *p.*1. *quæſt.*12. *art.*7. vel 8. vt monet Nazar. *contr.*2.*art.*7. Becanus *p.*1.*c.*9.*q.*12. Arrub. *d.*24.*cap.*4. Herize *d.*50.*c.*1.*&* 2.& alij apud Amicum *d.*9.*ſect.*17. Morandum *tr.*2.*q.*15.Caſpenſ. *Tr.de Viſione,d.*5.*ſect.*2. ſectatores. Sic & Machin. *d.*19. Lezana *tr.*3. *d.*3.*q.*2. Amicus *d.*9.*ſect.*18. cum D.T.3.*p.q.*3.*art.*3.

ASSERO primò de fide, videntes Deum, videre 255
etiam Diuinas perſonas. Definitur in Concilio Florentino, *in litt. vnionis.*

PROBATVR primò à D.Bonau. *ad* 17. *Ioan.* Ex illis verbis: *Hæc eſt autem vita æterna: vt cognoſcant te Deum Patrem, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum.* Confirmatur ab eo ibi, ex 1. Ioan.3. *Videbimus eum ſicuti eſt*; at Deus eſt in tribus Perſonis. Ergo ſic videtur. Eodem teſtimonio vtitur Opuſc. mox citando.

PROBATVR ſecundò à S. D. in aureo Opuſc. *de* 256
ſeptem Itineribus æternitatis, ad calcem. Cognitio clara, & quidditatiuè plena Dei, eſt etiam ſanctiſſimæ Trinitatis. At viſio illa eſt plena, &c. Ergò.

PROBATVR tertiò à Seraphico. Viſio perfectè beata includit totum id, quod eſt Dei, in quo conſiſtit beatitudo. Sed talis eſt Deitas cum perſonis. Ergo. Ma: eſt certa. Mi: probatur à S. D. è D.Auguſt. *l.de ſpiritu, & littera.* Quare miror, Smiſing. *d.*6. *quæſt.*5. *num.*99. oppoſitum de Seraphico ſuſpicatum, vt benignâ egeat interpretatione.

ASSERO ſecundò, nullo modo poſſe eſſe, vt videns Diuinam eſſentiam, non videat etiam Perſonas.

PROBATVR primò à D.Bonau. *ad* 14. *Ioan.* ex illo 257
Dialogo Philippi cum Chriſto, vbi cùm diſcipulus petiiſſet. *Oſtende nobis Patrem.* Reſpondit Chriſtus *Tanto tempore vobiſcum ſum, & non cognouiſtis me? Philippe, qui videt me, videt & Patrem.* Idem argumentum habet S.Bonau. *de ſeptem donis,in fine.* Ea verò authoritate nituntur omnes authores ſecundæ ſententiæ allegati, vt vidit Macedo, ſed non ſoluit, *Coll.*3.*diff.*1.

Reſpondet Scotus *in* 4. *d.*49. *quæſt.*4. in fine, & cum eo Maſtrius *d.*6. *quæſt.* 8. *num.* 236. Vaſquez *cap.* 3. Chriſtum locutum de ea cognitione, quam Philippus petiit; ea autem non eſt intuitiua; ſed per fidem,

fidem, de qua agebat; quòd ſi de viſione locutus eſſet. *Qui videt me, videt Patrem*, non loqueretur ad rem; poterat enim Philippus replicare. Ego nunquam vidi te, ideſt tuam Deitatem. Cur ergo miraris non vidiſſe etiam Patrem.

258 Varvm adeò ſunt verba Chriſti clara, vt nil clarius. *Qui videt me, videt & Patrem*, neque de viſione ſui corporea eſt ſermo, quia eâ poſitâ, non videtur Pater. Neque cognitio per fidem eſt viſio; neque de ea petebat erudiri ſecundùm fidem. Sæpè enim in Euangelio legitur Chriſtum dixiſſe, ſe habere Patrem in cælis; & Petrus *Matth.* 16. omnium nomine dixerat: *Tu es Chriſtus Filius Dei*, ſed petit. Oſtende nobis Patrem clarè. Igitur oportet dicere, cognitionem, quam petebat Philippus, fuiſſe euidentem, & viſiuam, vt eſſet ei irrefragabile teſtimonium tot arcanorum; quæ Chriſtus panderat. Ergo Chriſtus ſic reſpondit: *Tanto tempore vobiſcum ſum, & non cognouiſtis me?* Tu petis claram viſionem Patris, neque adhuc quidquam de eo noſti pro via, cùm ſæpius dixerim, me habere Patrem? Hoc tibi ſufficiat cognoſcere pro via, ſicut me cognoſcere debuiſti. Viſio verò clara Patris eſt inſeparabilis à viſione clara Filij; & è contra. *Quia ego in Patre, & Pater in me eſt*, non ſolùm eſſentia, ſed etiam relationibus. Eam verò in via non do alicui. Itaque ſicuti tibi non oſtendo meam perſonam clarè; ità neque perſonam Patris oſtendo.

At, eſto Philippus viſionem non poſtulaſſet Patris; attamen Chriſtus è cognitione per fidem conſurgit ad manifeſtandam intuitiuam; ſolebat enim profundiſſima arcana ſupra quærentium poſtulationes pandere, anſâ è poſtulantibus arreptâ. Vtrouis modo euenerit, certum eſt, Chriſtum de cognitione intuitiua loqui. Sic intelligunt Chriſoſtom. *homil.* 37. *in Ioan.* Cyrillus *l.*9. *in Ioan. cap.* 37. 38. & 39. qui duo dicunt, locutum de cognitione viæ, & patriæ. De viſione verò præciſè exponunt Hilarius 7. *de Trin.* circa finem, Nazianxenus *orat.* 49. *de fide.* Ideò Auguſt. *tract.* 70. *in Ioan.* alloquens Philippum ait. *Cur inſeparabilem ſeparatim deſideras noſſe?* Quid clarius? Idem habet *in Pſal.*85. vbi etiam affert illud Ioan. 17. *Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te Deum, & quem miſiſti Ieſum*, & *q.*43. *noui teſtam.* Et hoc multis probari ait Vaſquez *d.*48. nec renuit Maſtrius *num.* 236. Vide S. Doctorem, & alios Commentatores, præſertim Maldonatum. Inane verò Ribæ mitto reſponſum, Hæc de notitiâ abſtractiuâ dici.

259 Reſpondet ſecundò Scotus 1. *d.*2. *quæſt.*2. *art.*4. Maſtrius *loc. cit.* & alij, Chriſtum loqui de clara notitia prout de facto eſt, non de poſſibili. Morandus hoc reſponſo inſiſtit, *num.*227.

Contra eſt, quia, vt notant Salmaticenſes *t.*2. *d.*7. *d.*2. §.2. ex D.Auguſtino *loc. cit.* ratio huius inſeparabilitatis non ſumitur ab aliquo accidentali, quod aliter eſſe queat, ſed ex identitete perſonarum in eſſentia, quæ aliter eſſe non poteſt per quamlibet potentiam. Sic enim loquitur Nazianzenus, orat. cit. *Non immeritò, qui Filium videt, videt & Patrem, quia vnitate ſubſtantiæ, & maieſtate diuinitatis vnum ſunt.* & D.Auguſtinus *in Pſal.*84. & 85. *Patris, & Filij ſeparari non poteſt viſio, vbi non ſeparatur natura, & ſubſtantia*, & quæſt. cit.43. noui teſtam. *Per id (ait) quod vnum in ſubſtantia ſunt, qui vnum videt, ambos videt.* Idem habet *ep.* 112. *cap.*4. Simpliciter impoſſibile eſt, Patrem, & Filium non eſſe vnum in ſubſtantia. Sed hoc eſt fundamentum: Cur eſſentia non poſſit videri ſine perſonis. Ergo ſimpliciter impoſſibile eſt. Miror verò Maſtrium *num.* 231. negare, ex identitate eſſentiæ, & perſonarum, vt ſunt obiectum viſionis beatæ, colligi argumentum; cùm ſit argumentum Patrum; è quibus ſolum refert Nazianxenum, cui neque reſpondet. At S.Bonau. vrget & dictum S. Auguſtini: Caſpenſis verò non aduertit, teſtimonia adeò premere. Ex hoc fundamento eruo validum argumentum ad hominem, aduerſus Scotum; & Aſſeclas, Vt viſioni eſſentiæ ſit connexa neceſſariò viſio etiam perſonarum, requiritur identitas proportioneta tali connexioni; at ſecundum Sanctos Patres hæc identitas datur, & hæc ſecundum Scotiſtas debet eſſe identitas formalis. Ergo eſſentia, & relationes ſunt idem formaliter.

Reſpondet tertiò Scotus, ex eo teſtimonio ſolùm haberi, viſo Patre, videri correlatiuum Filium, non autem Spiritum Sanctum.

Contra arguit S. Bonauent. nam ratio, quam 260
effert Chriſtus, aliena eſt ab hac expoſitione. *Non credis, quia ego in Patre; & Pater in me eſt.* Quaſi diceret (ait S. Bonauent.) Ego, & Pater vnum ſumus in eſſentie, alter in alio per circumincesſionem, *Quia totus in Patre Filius: & totus in Verbo Pater*, vt canit Eccleſia; hoc autem conuenit omnibus perſonis. Hinc Sancti Patres citati deducunt, viſionem Perſonarum eſſe inſeparabilem à viſione eſſentiæ.

Probatvr tertiò ratione S Bonauent. *locis adductis*, qua vtuntur Molina *quæſt.*12. *art.* 8. Bannes 261
*ad art. cit. dub.*2. Vaſquez, qui eam euidentiſſimam, tum ex principiis fidei, tum ex Philoſophia acclamat, & alij apud Fabrum. Id, quod ſimpliciſſimum eſt abſque vlla reali, vel formali diſtinctione, ſi clarè videtur, vt in ſeipſo eſt, totum videtur; nec aliter apparet, quàm eſt, & impliçat contradictionem, non videri id, quod eſt idem formaliter, eo viſo. Sed Deus eſt ſimpliciſſimus, & videtur à beatis vt in ſe eſt: Ergo.

Hinc habes, non poſſe à videntibus clarè formari conceptus veluti partiales de Diuine eſſentia, & perſonis, ſicut facimus nos viatores; notitia enim intuitiua non poteſt diſtinguere ea, quæ ſunt indiuiſa, vt optimè cum D.Bonauent. ad 4. colligit Vaſquez contra Ferrarienſem 1. *contra G.* 53. & Capreolum 1. *d.*27. *quæſt.*2. *art.*3. *ad* 8.

Reſpondent Suarez, & alij, hoc non cogere; quia, eſto videretur eſſentia non viſis perſonis, non videretur tamen aliter, quàm ſit, ſed nec videretur omni modo, quo eſt, quod eſt longè diuerſum: Tum etiam quia, licèt videretur eſſentia, ſine perſonis, non videretur diſtincta. Sed præſcindendo; ſic enim eſſentia à Patre communicatur, non communicata perſona. Cur ergo non poteſt præſcindi per intellectum? Addit Macedo, beatum non videre omnino ſingula, v.g. Potentiam, &c.

Contra arguitur è D.Bonauent. *loc. cit.* videri 262
rem ſimpliciſſimam ſecundum partem, & ſecundùm aliam partem non videri, impoſſibile eſt; præciſio enim eſt conceptus abſtractionis, non intuitionis. Quamvis verò communicetur eſſentia, non communicata perſona, tamen ſunt vnum ſimpliciſſimum, in quo clauditur communicari; & non communicari, vt dicetur, *tract.*12. *d.*3. *quæſt.*4. at viſio dicit cognitionem quidditatiuam perfectam claram, quæ includit totum, quod eſt vnum formaliter. Quare iure meritò miratur Maſtrius *num.* 238. eos, qui tenent, eſſentiam eſſe idem formaliter cum Perſonis, hæc opponere, vt dixi *quæſt. præced.* contre Auerſam, & Amicum. Quod verò addit Macedo, ſoluam *quæſt.*27.

Tandem Suarez hanc rationem admittit, vt notat Faber *d.*11. poſt numerum tertiumdecimum.

Obiicies primò cum Scoto, & aſſeclis. Diuina eſſentia communicatur, non communicatis relationibus. Ergo poteſt videri, illis non viſis. Similiter ſola Perſona Verbi vnita eſt naturæ noſtræ, licèt Deitas ſit communis aliis Perſonis. Ergo idem fiet in viſione.

Omnes conclamant, negando Conſeq. & multas diſparitates aſſignant, quas refert Maſtrius à *num.*221. atque refellit.

263 Optima eſt reſponſio, quæ elicitur è D. Bonau. *quæſt.*1. *cit. d.* 14. *in* 3. *ad arg.* maximè *ad* 2. *&* 4. qua vtitur Lezana, *tract.*3. *d.* 3. *quæſt.* 2. Nam vnio hypoſtatica non petit terminari ad Deum, vt eſt in ſe vna adæquata quidditas; ſed ſolùm ad perſonam, quatenus terminare poteſt, & hoc ſolùm ratione Perſonalitatis conuenit Deo; ideò verbum ratione perſonalitatis terminare poteſt naturam humanam Chriſti. Similiter cum communicatio, qua Pater æternus communicat Filio ſuo Diuinitatem, non petat, quòd per illam communicetur Deus, ſicut eſt in ſe, ſed ſolùm, quòd communicetur id, quod eſt commune, & communicabile in Diuinis, quod ſolùm competit eſſentiæ, non perſonæ; ideò per talem communicationem ſolùm communicantur eſſentialia, non perſonalia: at viſio beatifica, quia intuitiua perfecta, & quidditatiua eſt, petit terminari ad Deum, vt eſt in ſe à parte rei, ſecundùm omnem rationem quidditatiuam, & ſecundum totum id, quod eſt idem formaliter cum eſſentiâ, ac proinde ſecundùm totum, quod cùm ſimpliciſſimum ſit, debet videri; ideò neceſſe eſt hoc modo cognoſci; atque adeò non eodem modo cognoſcitur, quo vnitur. Vnio enim finitur in ratione debita hypoſtaticæ coniunctioni, quæ eſt Deitatis in ſola perſona Verbi, & hoc non excluditur per ſimplicitatem, quæ diſtinctionem virtualem includit inter eſſentiam, & Perſonas. At viſio illa dicit ex natura ſua intuitionem totius quidditatis; non tamen comprehenſiuam, quia excluditur per infinitatem. Quod ſi illatio valet, ſequitur ita eſſe de facto, ſicuti ſolum Verbum eſt vnitum.

Maſtrius *num.*224. opponit, gratis aſſumi, naturam Diuinam non communicari à Patre, vt eſt in ſe, & perfectiſſimo modo, & gratis etiam negari, vnionem hypoſtaticam terminari ad perſonam Diuinam, vt eſt in ſe.

Verum neutrum negat Lezana, vel S.Bonau. vt claret, ſi clauſula (*vt in ſe eſt*,) intelligatur, vt à nobis rectè explicitum eſt, nempè eſſentiam communicari, vt exigit communicatio; & perſonam vniri, vt petit vnio hypoſtatica; ſi autem velit alio modo accipere, *vt in ſe eſt*, ideſt prout ſunt à parte rei; nil reſpondet, & petit principium in reſponſione, aſſerens id, quod diſparitatem aſſignatam nil lædit. Oportet autem ſupponere, nos non inniti ſola ſimplicitate; ſed ea, quatenus eſt obiecti beatifici, quod vnum formaliter eſt, vt oſtendi, *d* 3.*quæſt.*8.

264 Similem reſponſionem eruo è Seraphico 3. *ſent. d.*1. *quæſt.*1. *ad* 5. diſparem eſſe rationem. Nam vnio hypoſtatica dicit ſolam relationem, quæ poteſt conuenire vni perſonæ tantum, cùm vnaquæque propriam habeat: at viſio beata eſt obiectiua exhibitio Trinitatis, vt eſt vnum obiectum quidditatiuum efficienter mouens mentem ad totam formalitatem Dei. Itaque diſpar eſt ratio, quia immediatus terminus vnionis hypoſtaticæ eſt perſonalitas, non natura: perſonalitas enim eſt propria, & ideò poteſt vni conuenire; at verò in ratione obiecti intelligibilis per cognitionem quidditatiuam claram, ſecundùm quam terminant Perſonæ beatam viſionem, licèt inter ſe realiter diſtinguantur, tamen habent perfectam vnitatem, cum eſſentiâ, cui eſſentialiter competit eadem ratio obiecti intelligibilis. Vnde cùm ratio formalis, quâ videtur eſſentia, ſit in perſonalitatibus cum omnimoda identificatione ex naturâ rei, non poterit videri eſſentia, prout eſt à parte rei, quin videantur perſonæ. Ità Faſolus.

Maſtrius, *num.*226. ſic impugnat. Si ideò vna perſona nequit videri ſine alia, aut perſona ſine natura, vel è contra, eò quòd ratio formalis, qua videtur eſſentia, eſt etiam in perſonalitatibus cum omnimoda identificatione, ſi vna terminat vnionem hypoſtaticam, etiam eſſentia terminare debebit, ratione eiuſdem identificationis.

265 Hæc tamen impugnatio eſt inualida; non enim ſumimus identificationem nudam, tanquam rationem iſtius repugnantiæ; ſed identificationem, prout ordinatur ad cognitionem claram quidditatiuam, quæ requirit, vt videatur quidditas, & quidquid eſt formaliter idem: & hic eſt terminus viſionis huiuſmodi. At verò identitas in ordine ad vnionem non iuuat; quia ſufficit virtualitas diſtincta incommunicabilis perſonæ à communicabili eſſentiâ, vt in perſona fiat vnio, vt docetur 3.*p. tract.*1. *d.*1. *quæſt.*2. & vt eſſentia in Diuinis communicetur, incommunicatâ perſonâ, quia eſt vnio hypoſtatica habet pro termino perſonam, & communicatio in Diuinis eſſentiam, excluſa perſona, propter quæ Scotiſtæ diſtinctionem formalem conantur inuehere de facto, quod non faciunt ad viſionem, vt notat etiam Caſpenſ. *tract. de viſione d.*5. *ſect.*2. *n.*18.

Hæc ferè vult Becanus, relatus *q. præced.* dicens diſparitatem à duplici capite ſumi; ex ſumma ſimplicitate, ſeu identitate, quæ in Deo eſt, & ex natura viſionis beatificæ, nam viſio ex natura ſua talis cognitio eſt, qua res in ſe intuitiuè clarè, & diſtinctè cognoſcitur; at eſſentia, atque perſona ſunt idem. Itaque, qui videt eſſentiam clarè, vt in ſe eſt, videt etiam Perſonas.

Obiicit ſecundò Scotus. Pater, antequam generet Filium, videt eſſentiam non communicatam Filio, & Spiritui Sancto. Ergo poteſt videri eſſentia, non viſis perſonis.

266 Reſpondetur, illum ordinem eſſe tantùm ſecundùm noſtrum modum concipiendi: non enim vnquam Pater intelligit in aliquo ſigno reali eſſentiam, quin intelligat communicatam tribus perſonis; nam à parte rei, nihil eſt prius, aut poſterius. Præterea eſſentia, & perſona ſunt vnum ſimpliciſſimum, vt notat D.Bonau. ideò vnum non poteſt videri ſine altero. Cùm igitur Pater generat, (qui eſt primus actus intellectus Patris,) videt eſſentiam comprehenſiuè, ac proindè alias ſecum nouit Perſonas; non enim poteſt comprehenſiuè videre, niſi cognoſcat ſuam fœcunditatem, atque adeò Filium, & Spiritum Sanctum.

Instat Scotus ex D.Auguſt. 15. *de Trin.c.*7.*vel* 9. vbi docet, quòd quælibet perſona intelligit formaliter intellectu, vt eſt in ipſa. At quælibet perſona, vt intelligat debet habere in ſe etiam obiectum. Quælibet autem perſona habet intellectionem de eſſentia, vt eſt in ipſamet tantùm.

267 Reſpondetur primò, non dicere D.Auguſtinum perſonam intelligere aliam, vt eſt in ipſa; ſed vt in intellectu; non enim obiectum intelligitur, vt in intellectu realiter eſt; ſed vt eſt realiter in ſe, & extra. Sic ego lapidem intelligo, vt extra. Vnde non eſt ad rem authoritas D.Auguſt. Idem ferè reſpondet Caietanus.

Instat Faber nam Scotus vrget de obiecto motiuo; vt enim moueat debet eſſe in intellectu. Caietanus verò ſolùm reſpondet de terminatiuo. Itaque

Scoti

Scoti argumentum probat, eſſentiam præciſè, vt in Patre, habere aliquam rationem motiuam. Ergo non repugnat terminari ad eam, vt in Patre; ſicuti mouet ſolùm, vt in Patre. Imò ſicuti vna perſona intelligit intellectu, vt eſt in ipſa: ità intelligit eſſentiam, vt eſt in ipſa, non ſolùm vt mouet intellectum; ſed vt terminat intellectionem. Probatur, quia intelligere non eſt præciſe moueri ab obiecto; ſed terminare intellectionem ad obiectum. Ergo ſi vnaquæque perſona intelligit in ſemetipſa eſſentiam Diuinam; neceſſe eſt, vt non ſolùm moueat intellectum, vt eſt in vnâ perſonâ; ſed etiam, vt terminat intellectionem; vt eſt in illâ perſonâ, & non in aliis: vt, v.g. Si aliquid album quantum moueret, vt album; non vt quantum, etiam terminaret vt album; non vt quantum.

268 Respondetvr, in multiloquio non deſſe peccatum; nam ſi reſponſio Caietani ſatisfaçit de obiecto terminatiuo; ſatis omninò fecit, cùm intellectio non conſiſtat in hoc, vt intellectus moueatur ab obiecto; ſed vt terminatur ad obiectum; vt confitetur poſt quatuor lineas Fauentinus, & ſub eadem ratione terminat intellectionem, & mouet, vt mox Faber ſubdit. Neque verò mouet, vt in Patre tantùm, nam ſemper in quolibet reali inſtanti eſt tota Trinitas, & perſonæ vnum cum eſſentia formaliter. Vnde ſimilitudo de albo, & quantitate non eſt ad rem; nam albedo, & quantitas ſunt duæ res; non ſic eſſentia, & perſona.

Instat ſecundò Faber. Intellectus Diuinus eſt vnus in tribus formaliter. Tunc ſic. Si omnimoda identitas eſſentiæ cum perſonia impedit, quòd viſio non poſſit terminari ad eſſentiam, quin ad perſonas. Ergo à pari, identitas intellectus cum perſonis impediet, ne vna perſona eodem intellectu formaliter poſſit Intelligere, quin alia intelligat formaliter: at hoc ſecundum eſt falſum: Ergo & primum. Maior patet: Mi: probatur, quia in perſonis, Pater intelligit, & producit Filium; non ſic Filius, & Spiritus Sanctus. Hoc argumentum ait Faber eſſe efficaciſſimum. Præterea, dum Pater producit Filium, actus intellectus diuini terminat ad eſſentiam, vt eſt in Patre; non vt eſt in Filio, quia Filius per actum intellectus producitur.

269 Respondetvr primò, diſparem eſſe rationem, nam intellectus actiuè eſt fœcundus in Patre, ratione primitatis, neque eſt in eo ſolo; & ideo inadæquatè eſt fœcundus in eo; ità tamen; vt etiam ipſa fœcunditas intelligatur, neque ſit vllom inſtans reale, in quo etiam Filius non intelligat (licèt non fœcundè.) At verò viſio clara debet eſſe adæquata eorum omnium, quæ ſunt vnum formaliter: vnde ſicut non valet. *Pater generat, & Filius nequaquam.* Ergo poteſt intelligi Filius ſine Patre; ità neque hæc. *Pater intellectu generat, vt Pater eſt. Ergo & Filius, quia habet eundem intellectum*; multò minùs hinc ſequitur iſta Conſequentia. *Ergo poteſt intelligi Pater ſine Filio*, quia vnus fœcundè intelligit: & alter non. Fit ergo tranſitus ab eſſe inadæquato Sanctiſſimæ Trinitatis in aliquo ſigno priori, quod eſt ſecundum noſtrum modum concipiendi tantùm, ad eſſe obiectum reale adæquatum viſionis, & beatitudinis neceſſarium. Itaque argumentum peccat, ſecundùm adæquationem comparationis.

Reſpondetur ſecundò, quòd Faber ſeipſum implicat, nam in eo ſigno, quo Pater generat, adhuc Filius non eſt ſecundum eum. Vnde nil mirum, ſi adhuc non intelligit. Imò etiam quid mirum eſſet, ſi etiam Pater non intelligeret Filium? (quod non concedo.) Tunc enim adhuc Sanctiſſima Trinitas eſt inadæqoata, at ſuppoſito quòd ſit; neceſſarium eſt, intellecta eſſentia, intelligi quoque: Perſonas ſicuti antequam Pater generet, vult Scotus, Patrem, vt Innaſcibilem, in aliquo ſigno priori intelligi; tamen poſtquam genuit non poteſt intelligi ſine Filio: ità dicere etiam *hic* in eius via. Itaque identitas rerum exiſtentium eſt ratio, vt non poſſit vnum ſine altero intelligi.

270 Obiicit tertiò Faber (ait) efficaciſſimè ad hominem. Aduerſarij omnes ſuſtinent, Verbum in Diuinis oriri ex omnibus, quæ ſunt in notitia Patris, pertinentibus ad notitiam ſimplicis intelligentiæ; non autem ad eorum, quæ pertinent ad ſcientiam viſionis. Tunc ſic argumentor. Omnes iſtæ cogitationes in Deo ſunt idem realiter. Inſuper Verbum oritur ex perfectiſſima cognitione Dei, *ſicuti eſt*. Ergo vel illud, *ſicuti eſt*, non extenditur ad omne, quod eſt in Deo realiter; vel dicendum, quòd Verbum oritur ex notitia omnium, quæ ſunt in Deo. Ergo etiam ex cognitione futurorum. Cùm ergo aduerſarij non putent abſonum, cognitionem, qua Pater generat Filium, non terminari ad omnia, quæ ſunt in Deo realiter, poterit beatus vnum ſine altero videre, ſi aliqua ſint formaliter diſtincta. Hanc rationem repetit efficaciſſimam.

271 Ego autem puto labilem. Reſpondetur ergò; cognoſcere rem, *ſicuti eſt*, eſſe cognoſcere ſecundùm ſuam totam realitatem. Tale eſt omne; qood ſpectat ad naturam Intelligentiæ; at verò viſio vel addit reale in Deo, ſicuti neque ipſa futuritio, alioqui ſequeretur, quòd ſicut futuritio rerum eſt contingens; ità quoque daretur in Deo aliquid reale contingens; & conſequenter non eſſet Deus. Sanè quidquid eſt Deus, eſt neceſſariæ exiſtentiæ. Præſcientia enim ſolùm addit ſuprà ſcientiam anteceſſionem, & habitudinem rationis ad præſcita, vt benè docet D. Bonau. 1. *d.* 38. Et nos dicemus infra, *d.* 13. *quæſt.* 9.

At verò eſſentia, perſonæ, & creaturæ, vt ſunt obiectum ſimplicis intelligentiæ, ſunt quid vnum reale ſimpliciſſimum: Ergo. Conſeq. eſt futiliſſima. Adde, eam opinionem non eſſe noſtram; vt dicam, *tract.* 2. *d.* 9. probabiliter.

Per hoc ſoluitur etiam prima ratio Fauentini. Poteſt beatus videre vnam Ideam, non viſa alia. Ergo & vnam Perſonam, non viſa alia. Confirmatur, nam Idea eſt intimior, quàm perſona, eſt enim eſſentialis; at relationes ſunt notionales.

Reſpondetur primò. Si argumentum hoc eſt validum, probabit, rem ità de facto ſe habere, vt non videantur omnes perſonæ: quia nec videntur omnes Ideæ, quæ ſunt magis intimæ; vt docet Faber *d.* 11. *num.* 18.

Reſpondeo ergo cum D. Bonau. à quolibet beato videri omnes, vt ſunt per modum vnius ſimpliciſſimi; at verò, vt dicunt ordinem ad diſtinctas creaturas, eaſque extra connotant, non eſt neceſſe, vt videantur ſingulæ; in quo magna eſt diſparitas, nam Ideæ, ſunt diſtinctæ, ratione exteriorum obiectorum, quæ ſunt extra Deum: at relationes nil extra diſtinctionis capiunt. Quare, qui videt Deum, neceſſariò videt perſonas; non tamen Ideas: quia illæ ad intrinſecam rationem obiecti faciunt; non ſic Ideæ, vt diſtinctionem ab obiectis ſortiuntur. Itaque non eſt neceſſe, vt, ſi vna videatur; etiam alia videatur. Deinde dicam *tract.* 2. *d.* 9. *ſect.* 2. *quæſt.* 11. Verbum oriri è ſcientia viſionis. Cætera Scoti argumenta ſupponunt in diuinis realem prioritatem, quod refutabo, *tr.* 2. *d.* 14. *quæſt.* 4. & Relationes ab eſſentia formaliter diſtingui, quod refellam, *tract.* 2. *d.* 3. *quæſt.* 4.

Concedit autem Macedo, non poſſe videri Perſonas, non viſa eſſentia: quia inſunt in ea communi. Sic nec ſine ea videri attributa, quia ab ea manant, & ab ea eſſe diuinum obtinent; vnde abſtracta non ſunt diuina.

QVÆSTIO XX.

An poſſit videri vna perſona, non viſis aliis.

272 IAM prælibatæ ſunt opiniones, & aliquæ rationes etiam, pro ſtatuenda hac controuerſia.

PRIMA opinio eſt Scoti ſuprà, poſſe de potentia abſoluta videri vnam perſonam, non viſa alia, quæ non eſt ſibi correlatiua, v. g. poſſe videri Spiritum Sanctum, non viſa Paternitate. Vult etiam, poſſe illam perſonam, v. g. Spiritum Sanctum claré videri præcisè, vt ſubſiſtentem, licèt non quatenus correlatiuum. Ità etiam Fauentinus, & alij Scotiſtæ allegati *quæſtionibus* 18. & 19. præſertim Maced. coll. 1.

COMMVNIS tamen ſententia eſt in oppoſitum. Vide D. D. ſuprà, *locis adductis*.

273 ASSERENDVM, non poſſe vnam perſonam videri ſine alia.

PROBATVR primò à D. Bonau. ex illo *Ioan.* 13. ſuprà allato, vbi, è communicatione in eſſentia, oſtenditur impoſſibile, vnam ſine altera videri.

PROBATVR ſecundò à S.D. Viſio intuitiua intrinſecè, atque eſſentialiter eſt rei, ſicuti eſt. Sed Deus intrinſecè, & eſſentialiter eſt vnum Ens ſimpliciſſimum in tribus perſonis, ſine quibus non eſſet Deus infinitè perfectus: Ergo.

274 PROBATVR tertiò. Vt cognoſcam vnam perſonam, teneor cognoſcere totum id, in quo communicat cum aliis intrinſecè. Sed ſingulæ cum aliis communicant: Ergo. Mi: probatur. Pater, Filius, & Spiritus Sanctus communicant in eſſentia, identificati omninò ſimul. Prima perſona eſt Genitor, & eſt Spirator. Ergo non poſſum cognoſcere, niſi cognoſcam quoque Filium, & Spiritum Sanctum. Conſeq. probatur à Scoto, quia correlatiua ſunt ſimul cognitione. Similiter Spiritus Sanctus debet cognoſci, vt ſpiratus; vt amor Patris, & Filij, in ratione Genitoris, Genitique ſe amantium: Ergo, &c. Filius quoque, vt Filius, & vt Spirator. Sic refellitur Macedo.

275 CONFIRMATVR primò. Vt cognoſcatur perſona, debet cognoſci per id, quo formaliter conſtituitur. Id autem per quod conſtituitur eſt relatio; nam per id conſtituitur, per quod diſtinguitur à cæteris. Sed per ſolam relationem differunt inuicem perſonæ, ex Boëtio, & Concilio Later. & communi Theologorum ſenſu; quia ſola relatio multiplicat Trinitatem: Ergo.

CONFIRMATVR ſecundò. Non poteſt claré cognoſci aliquid, niſi per id, quod eſt formale; neque formale, niſi per definitionem. Sed vna perſona eſt definitio alterius, ex Nazianzeno, *orat.* 36. Ergò. Hæc argumenta ſupponunt identitatem eſſentiæ cum perſona; ſupponunt infinitam perfectionem in relationibus; ſupponunt etiam Diuinam eſſentiam non ſubſiſtere niſi in tribus perſonis, quæ latiùs probabo *in Tract. de Trinit. d.* 3. *quæſt.* 4. & *quæſt.* 10. & *d.* 6. *quæſt.* 5.

SED dicet Macedo. Video aliquem Patrem, abſente etiam filio. Dico Ego, illum videre, ſed talem viſionem eſſe mancam, cùm ſit relationis, ſine ſuo termino præſente.

QVÆSTIO XXI.

An poſſit aliquis eſſe beatus videndo Diuinam eſſentiam, non viſis attributis, & perſonis: vel è contra.

PRIMA opinio eſt Scoti *loc. cit.* ſuprà, poſſe eſſe aliquem beatum, videndo ſolam eſſentiam, non viſis perſonis, attributis, vel ideis. Et licét de his duobus, id eſt attributis, & ideis ſuſpendat hic quæſtionem: eò quòd nondum conſtat, quomodo differant, tiam è differentia ab eſſentia pendere ait quæſtionem: tamen quia *d.* 8. docet, differre eodem modo, quo & relationes ea natura rei, idem de his ſentit. Eum ſequuntur ſoli Scotiſtæ, ſi Fabro credas, *d.* 15. *cap.* 2. Imò plurimis malè olet; vt dixi, *quæſt.* 18. Sequuntur verò & Becan. *cap.* 9. *quæſt.* 12. Molina *hic art.* 8. *d.* 4. Præpoſit. *hic art.* 4. *dub.* 3. apud Morandum.

OPPOSITA ſententia docet, non poſſe aliquem frui eſſentià, non fruendo Perſonis, &c. Sic D.T. 2. 2. *quæſt.* 2. *art.* 8. Suarez *l.* 2. *de attrib. neg. cap.* 23. Eſt etiam D. Bonau. *in* 1. *d.* 1. *art.* 1. *quæſt.* 3. *arg. vlt.* vt notant etiam Marginiſtæ. Subſcribunt Morandus *num.* 128. & communiter Moderni apud Alarconium *T.* 1. *d.* 4. *cap.* 2. *num.* 20.

ASSERO cum hac ſententia. Probatur primò à D Bonau. *loc. cit.* Beatitudo dicit quietem in ſummo 276
bono completo. Sed bonitas tota, quæ eſt obiectum ſubſtantiale beatitudinis, eſt in qualibet perſona: Ergo. Mi: probatur à S.D. ex 22. Ioan. *Ego diſpono vobis regnum, vt edatis ſuper menſam meam.* & è D. Chryſoſt. *ep.* 5. ad Theodorum lapſum; vbi Filius Dei dicitur complementum beatitudinis. Ità quoque arguit Seraphicus *Opuſc. de ſeptem donis. De dono Sap. cap.* 9.

Reſpondent Scotiſtæ, bonitatem totam eſſe in perſona, ratione eſſentiæ.

CONTRA. Si eſſentia ſola contineret totam rationem bonitatis. Ergo Diuina eſſentia eſſet ſummè perfecta, etiamſi non ſubſiſteret in tribus perſonis. Sed hoc eſt falſum; vt oſtendetur *tract. de Trin. d.* 3. *q.* 10. Hoc argumento vtuntur moderni ferè omnes, allati à Fauentino *d. cit.* & Morandus.

PROBATVR ſecundò à D. Bonau. 1. *d.* 1. *art.* 3. *q.* 2. 277
arg. 3. & *in corp.* ad hominem contra aduerſarios. Beatitudo debet omninò quietare appetitum animæ, & conſequenter illum complere, quia, qua parte non eſt plena, deficit à quiete. Sed anima eſt capax vniuerſi entis per intellectionem, & vniuerſi boni per amorem, ex Auguſtino *l. de ſpiritu, & anima cap.* 6. Ergo ab eo ſolo poteſt quietari, quod totam rationem entis continet; quam poteſt proponere intellectui; ſicut & totam rationem boni exhibere voluntati, ex Scoto 1. *d.* 1. *quæſt.* 1. apud Fabrum *d.* 10. Sed nihil minùs, quàm Trinitas habet totam rationem entis, & boni. Ità vt ablata Trinitate perſonarum, eſſentia non ſit tota ratio entis, & boni: Ergo. Mi: eſt D. Aug. *loc. cit.* & *cap.* 27. & Probatur, nam eſſentia ſola non continet formaliter omnia entia. Quare id negat immeritò Becanus *num.* 9.

Dicet aliquis, ibi D. Auguſt. ſolùm velle, creaturas non poſſe ſatiare animas.

FATEOR, hoc velle; ſed Seraphicus obſeruat, quòd D. Auguſt. ait, Animam totius Trinitatis capacem, nihil minùs, quàm tota Trinitas poteſt implere. Igitur ex ipſius Trinitatis (vt Trinitas eſt) entitate colligit, ipſam Trinitatem perſonarum neceſſariò requiri ad beatitudinem.

Reſpondet

Reſpondet Fauentinus, Perſonas eſſe tantùm obiectum ſecundarium, & tamen quietare iam quietum animum. Sed hoc implicat, nam quietare, eſt eſſe terminum motus. Si ergo in eſſentia iam eſt quies, iam in perſonis non quieſcit; repugnat enim quieſcens adæquatè in vno, mox quietari in alio, è Scoto, & Fabro *in 3.d.1.q.2.d.4.* Dicet, eſſe vnum quietans. Contra, nam vult, eſſentiam eſſe obiectum intrinſecum primarium: perſonas verò non: Ergo non ſunt vnum in ratione obiecti. Sic ruit & ſolutio Macedi *Coll.2.diff.2.ſect.2.*

278 CONTRA arguo ad hominem. Obiectum beatitudinis debet habere bonitatem, è Scoto, & omnibus Philoſophis, ac Theologis: Sed relationes per vos nullam habent bonitatem, ſeu perfectionem. Ergo nullo modo ſpectabunt ad beatitudinem; vel ſi ſpectant, debent eſſe entitas, & quidem bona, perfecta, infinita. Ergo ſpectabit ad obiectum primarium, nam obiectum primarium includit totam perfectionem entis, è Scoto ſuprà allegato, & communi ſapientum conſenſu; nil enim finit animam, niſi bonum infinitum, in ſententia Scoti dicentis, Beatum non in ſola intuitione compleri; ſed in amore boni cogniti. Id dicam *p.2.d.2.quæſt.6.*

ASSERO ſecundò. Ideas eſſe de intrinſeco beatitudinis in via Scoti, & Fabri, etiamſi id ipſi negent; & macedo abſurdum vocet: eò quòd ex ab eſſentia ſint per ſe infinito Bono.

PROBATVR. Id de intrinſeco eſt beatitudinis, quo deficiente, deficit perfectio in ſummo bono, è Scoto, & Fabro *1. d.1. quæſt.1. d.10.* Sed deficientibus Ideis ab eſſentia, iam eſſentia non eſt perfecta, ex Fabro *d.11.cap.3.num.17.* de mente Scoti: Ergo. Neſcio quomodo reſpondebit Faber. Itaque ſibi contradicit.

QVID verò ſit in noſtra ſententia, dicam *diſput. de Ideis quæſt.2.* Interim dico ex ſententia Sanctorum Patrum, quos refert Trigoſius *q.11.art.3.d.1.* non poſſe aliquem eſſe beatum, ſine viſione Idearum. Probatur, quia ſunt ipſa eſſentia Dei, ſecundùm eoſdem.

ASSERO tertiò. Attributa omninò eſſe de intrinſeco beatitudinis.

279 PROBATVR eodem argumento. Illud eſt de intrinſeco beatitudinis, quod eſt infinitæ bonitatis, è Scoto, & Fabro *loc. cit.* Sed attributa ſunt huiuſmodi, ex Scoto, & Fabro *in 1.d.8.quæſt.1.* & *d.2.quæſt.7.* vbi Faber. *d.20.* Ergò.

HÆC omnia probantur ſic. Primò: Beatitudo eſt ex cognitione intuitiua Dei, vt in ſe eſt, iuxtà illud primæ Ioan. 3. *Videbimus eum ſicuti eſt.* Sed hæc intrinſecè includit etiam perſonas, & attributa, atque Ideas: Ergo. Alioqui non erit cognitio intuitiua; ſed abſtractiua, vt oſtendi *q.18.*

Reſpondet Scotus; ad cognitionem intuitiuam, requiri cognitionem rei præſentis per eſſentiam, non per ſpeciem; non autem vt terminetur ad obiectum, ſecundum omnem rationem formalem; ſed ſufficere quòd ſit terminata ad aliquod exiſtens, & ſi ſubſiſtentia non videatur. Sic igitur poteſt videri hîc eſſentia, etiamſi non videatur ſubſiſtens in tribus.

280 AT verò hæc reſponſio non valet; ſupponit enim ſuum toties euerſum fundamentum, de diſtinctione eſſentiæ, à relationibus. Secundò arguo ſic. Id, quod videtur intuitiuè per intellectum, videtur quidditatiuè, è Scoto. Tunc ſic. Viſio quidditatiua includit omnem formalitatem eius, quod videtur. Sed viſio beata eſt talis. Ergo. Ma. certa eſt. Si enim intelligo Petrum, & non intelligo aliquam eius formalitatem, puta rationalitatem, non clarè eum intelligo. Confirmatur, nam de quibuſdam ſaltem attributis id concedit etiam Scotus.

PROBATVR ſecundò. Idem eſt primum efficiens, & vltimus finis beatitudinis, & per idem eſt obiectum beatitudinis neceſſarium, quod eſt primum principium, è Fabro *d.11. cap.3.* Licèt eam negaſſet, *d.10.cap.1. num.4.* Sed Deus eſt primum efficiens per attributa, & Ideas. Ergo. Hoc argumentum eſt D. Bonau. *p.7. Breuil. cap.7.* nam primum principium, eo ipſo, quòd primum, habet ſummam bonitatem, &c.

Obicit primò Scotus. Pater antequam generet, eſt per ſe beatus; at in illo ſigno non videt eſſentiam communicatam tribus; ſed eam videt tantùm in ſe. Ergo poteſt eſſe beatitudo, ſine viſione perſonarum.

Reſpondetur. Nullum dari ſignum reale, in quo eſſentia non ſit communicata; alioqui Filius non eſſet æternus. Secundò dico, in illo ſigno rationis, quo non intelligitur eſſentia communicata, non eſſe completam beatitudinem; nam Pater delectatur in Filio. *Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui.* Vnde ſicuti non eſt abſonum, in eo ſigno concipere eſſentiam in ſolo Patre; cùm tamen de intrinſeco Dei ſit communicatio tribus perſonis, & Trinitas; ità nil abſoni ſequitur, ſi intelligatur Pater non completè beatus. 281

OBICIT ſecundò Faber. Si Pater intellegeret beatifica viſione eſſentiam, vt in Filio; ſequeretur, quòd Pater reciperet aliquid à Filio, & vt in Filio; Conſeq. eſt falſum. Ergo. 282

Probatur *ſeq. è 12. Metaph.* vbi Philoſophus probat, Deum ideò non intelligere aliquid extra ſe, quia vileſceret eius intellectus, nam intellectus recipit perfectionem ab intelligibili. Mi: probatur primò, quia Pater non haberet à ſe omnem perfectionem. Secundò, non omnis perfectio ſimpliciter ſimplex eſſet prior proprietatibus; ſed poſterior.

RESPONDETVR, nihil abſurdi, Patrem recipere aliquid ab eſſentia, vt in Filio; per hoc tamen non recipit à Filio, quia id, quod habet Filius, à Patre primò recipit, eſto eidem reflectatur perfectio communicata Filio. Vnde hoc non eſt recipere ſimpliciter à Filio, ſed ſibi reflecti eas perfectiones, quas dedit Filio; neque eſt vllum inconueniens, ita eſſe, quia non intelligitur Deus in tota ſua perfectione, niſi ſit Trinus; & ideò neque perfectè beatus, antequam ſit Trinus; hæc autem non ſunt in aliqua ſucceſſione reali, vel temporis, aut naturæ; vt oſtendetur *in tract. de Trin. d.14. quæſt.4.* ſed ſolùm per noſtrum conceptum, quod non eſt abſonum, vt dixi; ſicut non eſt abſonum, concipi eſſentiam ſine Filio, & ſine ſubſiſtentia. Neque per hoc ſequitur, Patrem per ſe primò eſſe imperfectum; nam, imò eſt perfectus; quia ſibi generat obiectum beatitudinis. Neque verum eſt, beatitudinem eſſe abſolutam, & priorem proprietatibus; nam beatitudo eſt primò in Perſonis; eſſentia enim non eſt, quæ eſt beata, ſed Deus ſubſiſtens: non eſt autem ſubſiſtens, niſi in Trinitate Perſonarum. Sic igitur Pater eſt beatus à ſe; non tamen à ſe ſolo: nam ſicuti eſſe Deum exigit Trinitatem; ità quoque eſſe beatum. Neque verò eſt ad rem authoritas Ariſtotelis: nam Pater reſpiciendo Filium, non reſpicit extra ſe, cùm Filius totus ſit ſemper in Patre; at Ariſtoteles putabat abſonum, quòd Deus recipiat perfectionem à creaturis. Per hæc ruunt quoque cætera proloquia Scotiſtarum, quæ in ſolo noſtro modo concipiendi nituntur realitates inuehere. 283

QVÆSTIO XXII.

Vtrum omnes Beati videntes Deum, videant decreta Diuinæ Voluntatis.

ASSERO primò, non omnes beatos videre omnia decreta volontatis Diuinæ. Ita D.Thom. *quæſt.*12.*art.*7.*&* 8. Et 3 *p.quæſt.*10.*art.*1.*ad* 4. & communiter, quos referunt, & ſequntotur Suarex *l.* 2. *de attrib. neg. cap.*24. Vaſq. *d.* 49. Morand. *tract.*2. *q.*16. Arriaga *p.*1. *d.*9. *ſect.* 8. Amicus *d.*9. *ſect.* 19. & alij apud eos. Eſt D.Bonau. *in* 3.*d.*14. *art.*2. *quæſt.*3. Et *in Compendio Theol. ver.l.*2.*cap.*15.

284 PROBATVR primò à D.Bonau. *in Diata ſalut.tit.*10. *cap.*5. ex illo Iſa. 63. *Quare rubrum eſt indumentum tuum? &c.* Et Apoc. 7. *Qui ſunt iſti, & vnde venerunt? Iſti ſunt.* &c. Ibi enim *Iſai* 63. introducuntur Angeli ignorantes Myſterium Incarnationis. Ità D. Dionyſ. *cap.*7. *de dia. nominibus.* Superiores verò eos purgant, reſpoodentes pro Chriſto: *Ego qui loquor.* &c.

PROBATVR ſecundò à S.D. *in* 4.*d.*46.*dub.*4. *litt.* ex illo Rom. 11. *Quam incomprehenſibilia iudicia eius!* Et 1. Cor.2. *Quæ ſunt Dei, nemo cognouit niſi Spiritus Dei.*

PROBATVR tertiò à D. Bonau. *in* 2.*d.*3. *art.*2. *q.*1. ad Epheſ. 3. *Vt innoteſcat Principatibus*, Vbi Gloſſa ait ibi: *Angeli multa didicerant ab Eccleſia.* His authoritatibus vtuntur allegati Moderni. Hinc S.Bonau. 3.*d.*14. *art.* 2. *quæſt.*2. *in corp.* arguit. Deus multa futura Angelis reuelat. Ergo non vident omnia decreta Dei ex vi beatæ viſionis.

285 PROBATVR quartò à S. D. *in Comp. Theol. ver.loc. cit.* Certum eſt, dari actus hierarchiæ in Angelis, inter quos primus eſt purgari ab ignorantia, ita vt ſuperiores oſtendant inferioribus notitiam aliquarum rerum, quæ ſpectant ad futurum. & mundi gubernationem; vt latè proſequitur S. Dion. de cæleſti Hier. *cap.*7. vt notat S.Bonao. *de ſeptem donis, cap. vlt.* Et Bernardus *in ſerm. de ſalut.* Angelica. *Si Cherubim, & Seraphim immediate hauſtu de fonte vitæ bibentes inferioribus ordinibus Angelorum effundunt de conſiliis laci, qui lætificat ciuitatem Dei?*

286 PROBATVR quintò argumento ducto à S.Bonau. *in* 2.*d.*7. *p.*2.*art.*1. *quæſt.*3. è vicinitate, & proportione obiecti neceſſaria. Eo ordine obiecta cognoſcuntur, quo magis appropinquatur. Tunc ſic. Voluntas propria eſt clarior, & proportionatior cuique, quàm voluntas alterius, maximè Dei. Sed Beatus non comprehendit ſuam voluntatem; non enim ſcit quid facturus, vel cogitaturus ſit ſemper. Ergo multò minùs comprehendit quidquid Deus velit pro ſemper. Hoc argumento vtitur Suarez *loc. cit.*

ASSERO ſecundò. Poſſe aliqua decreta Diuinæ voluntatis manifeſtari Beatis. Probatum eſt authoritatibus ſuprà allatis.

287 PROBATVR primò à S.Bonau. *de ſeptem donis. De dono Sap.* tribus vltimis capitibus. Et *in* 3. *d.*14. *art.*2. *quæſt.*3. *art.* 5. ex illo *Ioan.*15. Chriſti argumento. *Vos autem dixi amicos, quia omnia, quæ audiui à Patre meo nota feci vobis.* Inter hæc erant multa futura, vt patet in prophetiis Apoc. Epiſtolarum, & aliis locis Euangelij. Tunc ſic. Magis amici ſunt Deo in gloria, quàm in via. Sed in via multa futura nota facit, vt patet in prophetiis, &c. Ergo, &c. Et multò magis animæ Chriſti amiciſſimæ.

88 PROBATVR ſecundò à S.D. *loc.cit. arg.*2. Certum eſt, Decreta Dei relucere in Deo, in quo ipſe ea videt, ſiue velimus dicere habere de his Ideas exemplares; vt infra dicam. Hæc autem Verbo appropriantur, quia ipſum naſcitur ex vi cognitionis. Vnde dicitur, Verbum eſſe ratio cognoſcendi omnia. Sed Verbum eſt ſpeculum voluntarium è D.Auguſt. *ep.*112. & Anſelmo *in c.*17. *Matth.*

Vnde vrget D.B. Verbum poteſt exhibere, & exhi- 289
bet videndum Beatis ſeipſum, ſuam ſubſtantiam Ergo poteſt etiam voluntatem. Hoc argumento vtitur Suares.

NOTA quòd, licèt D.Bonau. loquatur ibi de anima beata Chriſti, tamen profitetur idem velle de aliis animabus beatis in eo, quod ad ſubſtantiale beatitudinis ſpectat. Ità teſtatur præcipuè *art.*1. *q. vlt. in calce.* & *art.*2.*quæſt.*1. in vltima ratione fundamenti.

PROBATVR tertiò à S.D. *in* 2.*d.*10. *art.*3. *quæſt.*2. Locutio Dei eſt ipſum Verbum Dei, per quod omnia dicit extrà (appropriatè.) Sed Verbum clarè intelligitur. Ergo etiam loquitur manifeſtando ſuam voluntatem.

Confirmatur. Sicut per Angelos loquitur, explicans nobis ſuas voluntates; ità etiam per ſe id poteſt facere loquendo; locutio autem eſt ipſum Verbum, vt exhibitum: nam decretum Dei nil aliud dicit, quàm ipſum Deum in nullo mutatum cum obiecto connotato. Vnde quaſi ex fundamento inſurgit relatio rationis Dei ad obiectum. Ergo Deus explicat ſe, exhibendo decreta ſua. Hoc medio ferè vtitur Suarez *loc. cit.*

PER hæc patet, quomodo hæc decreta videantur; de quo latè Suar. *loc.cit.* Arriaga verò *p.*1. *d* 9 *ſect.*6. *num.*40. & Hurtad. *d.*6. *ſect.*8. gloriantur; nos quoque concedere præciſiones, quia concedimus, beatos non videre omnes actus liberos Dei, cùm tamen ſint idem cum eſſentia; ideò & cogi ad concedendas præciſiones reliquas, *ſuperioribus quæſt.* negatas. Sed falluntur, nam diſſimilis eſt ratio; decreta enim diſtinguuntur in connotatis realiter, ideò habemus vnde diſtinguimus; non ſic eſſentia; & relatio. Adde, creaturas connotatas non facere ad beatitudinem, neque ipſam eſſentiam, vt ad eas terminatam.

QVÆSTIO XXIII.

An & quomodo Beati videant in Deo creaturas.

SCIO primò, *hic* non quæri: An creaturæ ſecun- 290
dùm eſſe eminens, quod habent in Diuina eſſentia videantur in Verbo? certum eſt enim videntes Deum, videre perfectiones creaturarum, quæ in illo ſummo ente abſorbentur; ſunt enim ipſiſſima Diuina eſſentia; ſed quæſtio eſt: An creaturæ, etiam ſecundùm ſuum eſſe formale, includens imperfectiones formarum, videantur.

SCIO ſecundò, duobus modis poſſe aliquid in alio 291
cognoſci. Primò cauſaliter; ſecondò formaliter. Cauſaliter, vnum cognoſcitur in alio, quando cognoſcitur alio actu cauſato ab obiecto, primò cognito. Illud cognoſcitur in alio formaliter; quando vno actu, vna ſpecie, vno lumine cognoſcuntur ambo, & vnum cognitum eſt ratio cognoſcendi aliud per ſe; eò quòd illud contineat aliquo modo; vt notat Morand. *tract.*2. *q.*17.

Hic modus cognoſcendi formaliter vnum in alio, 292
dupliciter contingit ex Amico *d.*9. *ſect.* 21. Primò, quando id, quod eſt medium cognitum cognoſcendi aliud, eſt proximè, & immediatè *tale*, ità vt neceſſariò

neceſſariò cognito illo, & aliud cognoſcatur. Secundò, quando eſt medium tantùm cognoſcendi remotè, & radicaliter, quia ſic exigit connaturalitas rei, quæ per ſe cognoſcitur; non tamen, quòd aliter nequeat fieri. Ad rem noſtram. Cognitio cauſalis dicitur à S Bonau. cognitio *à Verbo*, quia Verbum viſum alio lumine, & actu, cauſat cognitionem creaturæ, puta per reuelationem: cognitio formalis à S. D. 3. *d.*14.*art.*3.*q.*1. dicitur cognitio *in Verbo*.

193 Scito tertiò. Quando dicuntur creaturæ videre In Verbo, non dicuntur videri in Verbo, vt eſt Perſona diſtincta ab aliis; ſed quia, quæ ſpectant ad intellectum, ſolent appropriari Verbo, quod per intellectum procedit; ſicut ea, quæ ad potentiam pertinent, appropriantur Patri, eò quòd omnia habeat à ſe. Quare ſenſus eſt. An creaturæ formaliter videantur in Diuina eſſentia.

Prima opinio cenſet, creaturas videri in Deo à beatis tantùm cauſaliter. Ità Nominales; præcipuè Ocham; *in 4.quæſt.*13. Gabr. 3. *d.*14 *q.vn. art.*1. Maior *in* 4.*d.*49.*quæſt.*16. Aliacenſis, 1.*quæſt.*11. Maſtrius, & alij, quos referam *d.*13.*quæſt.*5. Marcus noſter *q.*12. *art.*3.*dub.*2. Becanus *cap* 9. *à num.*8. Vaſq. *d.*50.*&* 51. vbi adducit D.Bonau. 3. *d.*14. *art.*2.*quæſt.*3. Scotum *quæſt.*2. Palud. Marſil. & ferè D.Thomam; ſed immeritò, vt aduertit Suarez *l.*2. *de attrib. neg.cap.*15. Caſpenſ. *tract. de Viſione d.*5.*ſect.*30. Mæratius, & Granado apud ipſum, Tannet. *d.*2.*quæſt.*6.*dub.*8.*n.*2. Morand. *tract.*2.*quæſt.*17. & ferè communiter: qui Seraphicum præcipuum pro oppoſita adducunt ſententia. Ex Authoribus autem huius ſententiæ aliqui dicunt, videri creaturas diſtincto actu: alij concedunt eodem actu videri, ſed non formaliter, ex vi viſionis beatæ. Vtrouis modo conſentit Poſnanienſis *l.*1. *deciſ. cap.*7. *quæſt.*3. at poſteriori Becan. *cap.*9. *quæſt.*13. adducens D.Bonau.

Secunda ſententia docet, videri creaturas in Deo viſo formaliter; non tamen proximè; ſed tantùm remotè, & radicaliter. Ità Amicus *loc.cit.* allegans Valentiam *quæſt.*12.*p.*6. §. *Patet ſecundò.* Arrubalem, & alios. Sed profectò Valentia id non explicat tali pacto.

194 Tertia ſententia eſt, creaturas videri in Diuina eſſentia formaliter abſolutè. Ità D.Bonau. 2.*d.*4.*art.*3. *quæſt.*1. *&* 2. vbi cum D. Auguſt. ità exponit cognitionem matutinam Angelorum, & *in* 3. *d.* 14. *art.*2. *quæſt.*1. Et *quæſt.*2. §. *Ad vltimum*, & *q.* 3. à Vaſq. allegata, referendo Quintam opinionem, quòd anima Chriſti videat in Verbo omnia, quæ Deus videt ſcientia viſionis; dicit eam eſſe facilem, & rationabilem; & licèt inclinet in aliam, quòd hæc non omnia videantur actu; ſed habitu: perſiſtit tamen, quomodocunque videantur, videri in Verbo. Et in fine totius quæſt. dicit, eſſe conformiorem authoritatibus Sanctorum illum ſecundum modum; non priorem (vt refert Suar.) Hæc aduerto pro dicendis 3. *p. d.* 14. Idem habet S.D. *in* 1.*d.*35. *quæſt.*1. *in fine corporis*, & *arg.*3. & de hoc ſuſpicatur Vaſq. *d.citata* 50.*c.*7. Idem docet *in Compend. Theol. ver.l.*7.*cap.*26. apertè. Eandem ſententiam docet D. Thom. *p.*1. *quæſt.*12. *art.*8. luce clariùs, & *art.* 9. *&* 3. *p. quæſt.*10. *art.*2. & *l.*3. *contra G. à cap.*50. *vſq. ad* 60. Et quidem, id ſentire *quæſt.*38.*art.*7. fatetur Vaſq. aliiſque locis relatis à Suarez, Vaſq. & Thomiſtis, qui omnes eum ſequuntur. Sic Capreol. 4.*d.*49.*quæſt.*6. Caiet. *p.*1.*quæſt.*12.*art.*1. Et 3.*p.q.*10. *art.*2. Ferrar. 3.*cont. G.cap.* 56.59.*&* 60. Nazar. *ad loc.cit. quæſt.* 12. *controu.* 1. adducens alios D.Thomæ interpretes allegatis locis. Sic Bañes, Zumel, & alij. Scotus *in* 3.*d.*14.*quæſt.*2. & *in* 4.*d.*40 *q.*3. *art.*3. *concl.* 7. & *in* 2.*d.*3. *quæſt.*9. Ioannes Salas, *p.*2. *quæſt.*3. *tract.*2. *d.*4.*ſect.*4. latiſſimè Valentia *q.*12. *p.*6. Molina *d.*5. *ad loc.cit. D. Thom.* Suar. *p.*1. *l.*2. *de Deo cap.*25. & *tom.*1. *in* 3.*p.d.*26.*ſect.*2. Albertinus *tom.*1. *princ.*1. *corol.*4. Ribas *Tract.*3. *d.*8. *cap.*4. Faſolus *hic dub.*5. Arriaga *d.* 10. *ſect.*3. Tannet. ſupra *à num.* 5. Morand. ſupra adducens etiam Richardum 3. *d.*14. *art.*2. *quæſt.*2. & *in* 4. *d.*49. Mæſtrium, Auerſam, & alios. Allegatur quoque Henricus *quodl.*7.*quæſt.*4.*&* 5. verè tamen vult, eſſentiam Diuinam in ſe non repræſentare creaturas; ſed prout Idea eſt, eſſe rationem cognoſcendi ſpecies tantùm rerum poſſibilium, non indiuidua.

Assero cum hac ſententia creaturas videri in Deo formaliter.

Quoniam verò neruus probationum ſumitur ex au- 195
thoritate D.Auguſt. qui hac in re diuerſimodè à Scholaſticis explicatur, prælibabo quàm eximiè præ cæteris mentem Auguſt. aſſecutus ſit S. Bonau. teſtante viro egregio in D.Auguſt. ſcriptis peritiſſimo. Hic eſt Pater Macedo, ſcientiarum Arca, *in lib. conſonantia doctrinæ D. Aug. cum cæteris Patribus*: vbi ſic eloquitur. *De hoc ille ſolus ambiget, qui non legerit. Lecto ſtatim apparebit medullitus ab illo Auguſtinum amari, ac in eo bonam ſcribendi fortunam eſſe, quod ſententias ex Auguſtinianis fontibus hauriat. Reperi deductos in ſuos Commentarios riuos; & qui fontem norant, notaui canales*: Et infra, *ſiue ſpeculatrices tradat ſcientias, ſiue morales, Auguſtinum ſapit, cum eo lucet, & ardet: geminos eos, ſi tempus excipias, & ingenio, & pietate comperies; vterque in animos legentium aculeos infixos relinquit. Rectè de S.Bonau. ſenſit, & dixit Ioannes Gerſo Cancellarius Pariſienſis lib. de Myſtica Theol. conſider.*12. *illum ſequacem eſſe Auguſt.* &c.

Probatvr ergo primò à D.Bonau. *in* 2.*d.*4.*art.*3. *quæſt.*1. & *in* 3.*d.*14.*art.*2.*quæſt.*1.*fund.*1. ex D.Aug. *l.*11. *de ciu.Dei, cap.*17. 29. *&* 30. vbi cognitionem creaturarum ponit matutinam, & veſpertinam; & quidem matutinam eſſe, qua videntur creaturæ in Verbo clariùs, quàm in ſeipſis cognitione veſpertina: quia cognitio (ait) in ſeipſa decolorarior eſt; vt ità dicam, quàm cum in Dei ſapientia cognoſcitur, veluti in arte, qua facta eſt.

Scotus *in* 2.*d.*3. *quæſt.*5. Faber *d.*25.*num.*37. dicunt, 196
illam cognitionem matutinam non fuiſſe in Verbo.

Contra arguit S.Bonau. nam ibi D.Auguſt. per *lucem*, intelligit naturam Angelicam beatam; & cognitionem illam feciſſe mane, in Verbo; & veſpere in conſideratione creaturarum in ipſis, extra Verbvm. Tunc autem aſſerit, diuiſam lucem à tenebris, nempe dæmones ad terminum pœnarum; & Angelos Sanctos ad beatitatem perueniſſe. Clarè cap.29. *Illi quippe Angeli ſancti non per verba ſonantia Deum diſcunt, ſed per ipſam præſentiam incommutabilis Deitatis, hoc eſt Verbum eius vnigenitum, Sanctiſſimam Trinitatem nouerunt. Ipſam quoque creaturam melius, hoc eſt in ſapientia Dei tanquam in arte, qua facta eſt in Verbo.* Id clariùs oſtendam, *tract.*4.*d.*2.*q.*26.

Instant Scotiſtæ *arg.*1. *S.Bonau. ad opp.* Dies in Geneſi diſtinguuntur per *Veſpere*, & *Mane* creationis. Ergo debent aſſignari cognitiones iſtæ in via.

Reſpondent SS.DD. D.Auguſt. *l.*4 *de Geneſ. ad litt.* 197
aliquam cognitionem imperfectam in via ſolum dubitando indicaſſe; at *in libris de ciu.* aſſerere præclarè omnem cognitionem matutinam eſſe beatam.

Vaſquez igitur concedit, eam cognitionem fuiſſe in Verbo, ſed latiùs oſtendere nititur, eſſe viſionem creaturarum ſecundum eſſe eminens, cum Becano *n.*6. adducente D.Thomam, *q.*58. *art.*6.*&* 7.

Contra primò, quia D.Auguſt. ait, videri in Verbo creaturas, tanquam in arte, per quam factæ ſunt;

ſont; at creaturæ ſecundum eſſe eminens, quod habent in Deo, non ſunt factæ; ſunt enim ipſa Dei eſſentia. Et cap. 29. expreſsè ait. *Illam eandem creaturam melius cognoſci in arte, quàm in ſeipſa.* Ergo eſt creatura formaliter, vt arguit S.Bonau. 2.p. *Breuil. c.8.*

298 Deinde vrget S.D. nam D. Auguſt. *locis adductis,* diſtinguit dies creationis, & creaturas diſtinctim productas in his geminis cognitionibus *Matutina,* & *Veſpertina*: at creaturæ, vt ſunt eminenter in Deo, non ſunt diſtinctæ ſecundùm formas, creatione acceptas; ſed ſunt vna ſimpliciſſima eſſentia. Ergo habetur cognitio firmamenti; Germinum Terræ; Luminarium cæli in propriis generibus; ſed per Vaſq. talis cognitio eſt beata. Ergo, &c. Confirmatur; nam ibi ait, creaturas illas factas, & rurſum, creaturas illas *factas, & faciendas* compellat; at creaturæ vt in Diuina eſſentia non ſunt factæ, vel faciendæ, & quamuis aduerſariis concedam, dici illas creaturas in ſe faciendas, non factas, vt reſpondent; adhuc non effugiunt, quia, vt in Diuina eſſentia, ſunt nec factæ, nec faciendæ dici poſſunt, vt aduertit Arriaga *c.9. ſect.1.* Quod autem etiam factæ in ſe dicantur cognoſci, præclarè oſtendo è D.Auguſt. *l. 4. de Geneſ. cap.22.* vbi ait: *Angelum cùm cognitionem ſua naturæ ad laudem Creatoris refert, accipere de Verbo Dei cognitionem creaturæ, quæ poſt ipſum fit, hoc eſt firmamentum, quod in eius cognitione fit prius, & deinde in natura ipſius firmamenti.* Subdit etiam. *Cùm dicit Deus. Congregentur aquæ, cognoſcit hoc illa lux,* (id eſt Angelus) *in Verbo Dei, quo id dicitur; & ideo dicitur, & ſic factum eſt.* & *cap.26.* ait: *Creatura cùm per dies cæteros conderetur aliter in ſe ipſa facta cognoſcebatur, quam in illo, in cuius veritate facienda; obſcura autem videbatur.* Ecce fatetur, creaturam cognitam, cognitione matutina in Verbo, eſſe factam; & in ſeipſa; ne dum in mente Angelorum impreſſam. Eadem docet *l.83. qq. quæſt.26.* vbi non ſolùm, eminenter ait videri in Verbo creaturas, ſed vt ſunt in eo vita, ſeu, vt habent Ideas iuxtà ſuam expoſitionem, *tract.1. in Ioannem*, ad ea verba. *Quod factum eſt, in ipſo vita erat.* Itaque & ibi vult, creaturas in Verbo formaliter videri; vnde & ſic diſtinguit dies creationis eodem modo, quo locis adductis.

299 Probatur adhuc *ex 9. de ciu. cap.22.* vbi ait. *Sanctos Angelos certius, & immutabilius temporalia, & mutabilia noſſe, quia eorum principales cauſas in Verbo Dei conſpiciunt, per quod factus eſt mundus.* Et *l.13. Confeſſ. cap.15.* de Sanctis Angelis ait. *Non opus habent ſuſpicere firmamentum hoc, & legendo cognoſcere Verbum tuum; vident enim faciem tuam ſemper, & ibi legunt ſine ſyllabis temporum, quid velit voluntas tua.*

Reſpondent aduerſarij, hîc loqui ſanè de creaturis in eſſe formali, ſed hanc cognitionem non formalem, & in Verbo, ſed cauſaliter, & à Verbo eſſe.

Contra, nam S.Auguſt. præclarè dicit, quòd vident in Verbo iſtas res mutabiles, cauſaſque earum.

300 Deinde S. Auguſt. poſtquam eluſit modos diuinandi dæmonum, ait. *Aliud eſt enim in æternis, atque incommutabilibus Dei legibus, quæ in eius ſunt ſapientia, mutationes temporum prauidere, Deique voluntatem, quæ tam certiſſima, quàm potentiſſima eſt diuini ſpiritus eius participatione cognoſcere, quod ſanctis Angelis donatum eſt. Itaque non ſolum æterni, ſed & beati ſunt. Bonum autem, quo beati ſunt, Deus illis eſt, à quo creati ſunt; illius quippè participatione, & contemplatione perficiuntur.* Vbi nota D.Auguſt. adſcribere Angelis iſtam cognitionem, ſecundum quam ſunt formaliter beati, fruentes Verbo.

In libro verò Confeſſ. perſpicuus eſt. Ideò ſubdit. *Semper legunt, & nunquam præterit, quod legunt; nam Diuina eſſentia, in qua velut in cauſa legunt, æterna eſt;* & ſubdit. *Eligendo, & diligendo legunt ipſam incommutabilitatem conſilij tui.* Ergo ipſo actu beato. Et ſubdit. *Non plicabitur codex eorum, quia tu ipſe illis hoc es.*

Confirmatur ex 15. de Trin. cap.16. *Fortaſſis verò volubiles non erunt cogitationes ab aliis in alias euntes, & redeuntes; ſed omnem ſcientiam noſtram vno conſpectu videbimus.* Confirmatur deinde à D.Bonau. *lo. cit. Compendij q. vlt.* Nam D.Auguſt. locis adductis aſſerit, cognitionem matutinam eſſe præcellentiorem veſpertinâ, vt etiam concedit Vaſq. itâ vt veſpertina ſit cognitio decoloratior earundem creaturarum, quæ cognitione matutina cognoſcuntur: quæ comparatio arguit etiam matutinam fieri in idem formaliter obiectum, nempè in creaturas formaliter; alioqui non clarior creaturarum cognitio, ſed alia cognitio diceretur, vt aduertit Morandus. 301

Quare ſenſum harum authoritatum extorquet longius Vaſq. vt aduertunt Faſolus & Morandus. Illum latius excutiunt Recupit. *quæſt.35. cap.2.* Arriaga *d.10. ſect.1.* 302

Confirmatur ex D Bernardo *l.5. de conſider.* vbi de beato ait: *Videt Verbum, & in Verbo facta per Verbum.* Profectò de creaturis eminenter non intelligit, vt putat Vaſq. nam ſic non ſunt factæ. Deinde ait, *Non eſſe opus ſcalis creaturarum ad aſcendendum.*

Dices, loqui de cognitione cauſaliter, ſicut *ſerm.17. in Cant.* ait. Luciferum cognouiſſe in Verbo Incarnationem. Sed ibi loquitur de Verbo in locutione, vt patet: hîc verò de Beatis videntibus clarè in Eſſentia Idipſum ait D.Greg. 4. *mor. c.33.* & *l.12. c.13.*

Confirmatur deinde ex D. Iſidoro *l. de ſummo bono cap.12.* vbi ait, Angelos videre in Verbo res antequam fiant; vbi luce clariùs pro nobis ſtat vnà cum D.Bernardo, vt notat Ribas.

Confirmatur tandem ex D.Dionyſio, qui eſt 303
inſtar omnium *cap. 7. de diu. nom.* vbi ait. *Quare Diuina mens omnia continet ſcientiâ, quæ ſecreta eſt ab omnibus, quæ per cauſam rerum omnium, in ſe rerum omnium ſcientiam anticipatam habet. Ita vt Angelos antequam fierent cognoſceret, proferretque in lucem, & quæ ſunt omnia ex ſe, atque ab ipſo, vt ità dicam, initio cognita haberet in lucem, quæ proferret. Idque diuina ſcripta tradere exiſtimo, cùm aiunt, qui nouit omnia antequam fierent. Neque enim ea, quæ ſunt, ex iis, quæ ſunt, diſcere nouit Diuina Mens, ſed ex ſe, & in ſe per cauſam, rerum omnium cognitionem, ſcientiam, eſſentiamque anticipatam, & ante comprehenſam habet; non quod per ſpeciem ſingula conſideret; ſed quod in cauſa complexu omnia ſciat, & contineat; quemadmodum etiam lux per cauſam in ſe tenebrarum notitiam anticipatam, & informatam habet; quod non aliunde, quàm ex luce tenebras nerit. Seipſam ergo noſcens diuina Sapientia nouit omnia; ſine materiâ, ea quæ ex materiâ conſtant, ſine diuiſione, ea quæ diuidua ſunt; multa coniunctè, dum ipſo vno omnia noſcit, & procreat. Si enim cauſa vna Deus rebus omnibus ſtatum largitur, eadem quoque cauſa vna, omnia, vt à ſe profecta, & in ſe ante conſtantia cognoſcet; nec ab iis, quæ ſunt, ipſorum notitiam accipiet: ſed & ſingulis ſui, & aliis aliorum notitiam impertiet. Non igitur propriam ſui notitiam Deus habet; aliam autem, quæ communiter, ac generaliter ea, quæ ſunt omnia comprehendit. Ipſa enim ſeipſam omnium cauſa in noſcens, nullo prorſus modo ea, quæ à ſe profecta ſunt, & quorum cauſa eſt ignorabit. Hac ergo Deus ea, quæ ſunt noſcit, non rerum notitiâ, ſed ſui.* Hæc S.Dionyſius; quibus verbis neſcio, quid, vel à diſputatore Theologo hodie explicatius in hac

re

te dici poſſit. Vide Tannerum. Ergo Deus videns ſeipſum, vt cauſam, nouit creaturas formaliter: Ergo & beati eodem modo vident. Antec. cum S.Dion. aſſerunt D.Thom. & alij Theologi, vt notat Suarez, nec diſſentit D. Bonau. vt oſtendam, *d.* 13. *quæſt.* 3. *& ſequenti*.

304 CONSEQVENTIA probatur, quia non apparet maior implicantia in vno, quàm in alio. Ex parte enim obiecti aſſignari non poteſt; & ſi adeſſet, eadem inueniretur reſpectu Dei, nam ipſum obiectum eſſet incognoſcibile. Probatur ſecundò Conſeq. à Suarez, & Valentia arg. D.Bonau. quia, cùm creatura per lumen gloriæ eleuetur ad participationem ſcientiæ diuinæ; ſequitur quòd ſicut ipſe in ſeipſo videt ſeipſum, & creaturas; ità & hanc diffundat ſcientiam creaturæ; quantùm, vult dando lumen proportionatum, vt notat D. Bonau. Vnde non ſequitur id, quod timebat Suarez, ne communicetur ſcientia omnium poſſibilium creaturæ.

Reſpondet Vaquez *d.* 50. *num.* 24. diuerſam eſſe rationem. Eſſentia enim diuina eſt ipſi Deo ratio cognoſcendi creaturas, non quia ſit obiectum primò cognitum, in quo videat creaturas, nam hoc non poteſt eſſe, cùm creaturæ non ſint in Deo formaliter, ſed quia eſt omnium rerum cognitio per modum ſpeciei expreſſæ: at verò creaturis non poteſt eſſentia Diuina eſſe pro cognitione rerum creatarum; ſed ſolum pro obiecto cognito. Attamen, eſſentiam eſſe obiectum primariò cognitum, in quo videntur creaturæ; oſtendam, *d.* 13. *quæſt.* 5. & probatur; alioqui Deus egrederetur extrà ſe ad videndas creaturas, contra S Dionyſium *cap.* 7. *de diu.nom.* & D.Auguſtinum *lib.* 83. *q.q. quæſt.* 46. Reſponſionem verò Vaſquez ibi ſoluam.

ARRIAGA *ſect.* 3. *num.* 49. ait, hoc non vrgere Vaſquezium, nam reſpondet, hunc conceptum formari non in ſolo Deo; ſed cognito Deo, & aliunde cognito Angelo formatur tertius conceptus, quo Deus dicit. Poſſum producere Angelum, ſicut cum dico. *Caius* eſt ſimilis *Titio*, in albedine. Hæc tamen fuga præcluditur, nam Deus in ſua potentia continet creaturas in particulari, in quibus eſt Angelus. Vnde non eſt neceſſe ad roborandum argumentum arguere. Deus ſaltem in ea cognitione, qua videt, ſe poſſe producere Angelum, poteſt cognoſcere Angelum producibilem. Similitudo verò non eſt ad rem; quia *Caius* non eſt cauſa neceſſaria albedinis *Titij*, nec habet intrinſecam connexionem cum ea, vt eſt in *Caio*.

305 PROBATVR ſecundò à Suarez, & Thomiſtis ratione D.Thom. Viſa cauſa, videtur effectus, & quantò clariùs videtur cauſa, tantò plures effectus conſpiciuntur; & ſi cauſa comprehendatur, iam omnes effectus cognoſcentur. Sed beatus videt Deum, vt cauſam. Ergo. Quia verò non videt cauſam, quantum viſibilis eſt, ideò non omnes effectus percipit. Eſt doctrina S.Dion. aperta *c.* 6. *de diu.nom.* vt aduertit Tanner. *d.* 2. *q.* 6. *dub.* 9. *num.* 2.

HANC rationem refert S.Bonau. 1. *d.* 35. *q.* 1. & videtur negare, Deum cognoſcere hoc modo ſeipſum; tamen de creatura eam admittere videtur; addens in reſponſione *ad* 1. *&* 2. etiam ſecundum Ideam cognoſci. Eandem rationem videtur admittere *in* 1. *d.* 3. *q.* 2. *fund.* 2. & *q.* 3. *in reſol.* Sed de hoc *d.* 13. *q.* 5.

Quomodo verò in ratione cauſæ ſeipſum cognoſcat, & creaturas, reſpiciendo eſſentiam ſuam innumeris modis participabilem, *d.* 13. *q.* 5. dicetur.

306 PROBATVR quarto à S.D. 3. *d.* 14. *art.* 2. per multas quæſtiones. Beati videntes Deum, vident conceptum, ſeu Verbum, per quod ſuam ſcientiam practicam habet de creaturis Deus. Sed ille conceptus increatus Dei repræſentat omnes creaturas per illum cognitas: Ergo in illo VERBO Dei viſo, & in ſe continente Ideas creaturarum poterunt, qui illud vident, videre creaturas in illo repræſentatas plures, vel pauciores pro claritate Luminis. Totum argumentum ſupponitur à S. Bonau. probatum etiam *in* 2. *loc.cit.* è D August. dum ait. Per viſionem matutinam videri creaturas, vt in arte Dei ſunt; Ideæ enim ſunt forma artis Diuinæ. Hoc argumentum aſſumit Suarez *loc.cit.* & Arriaga *n.* 49. quod eſt optimum, non tamen neceſſarium ad primum roborandum. Addit verò benè Arriaga; hoc argumentum eſſe inſolubile à Vaſquez.

DICES. Repræſentatio verbi non eſt obiectiua, ſed formalis; non eſt ergo ratio, vt medium cognitum, ſed ſolùm vt ratio cognoſcendi incognita. Ergo, licèt Verbum increatum videatur à Beatis obiectiuè; non poterunt in eo videri creaturæ ex vi repræſentationis Idealis; Aliàs poſſet vnus quoque beatus, videndo verbum alterius beati, in eo videre eſſentiam Diuinam.

Reſpondetur primò, Eſto Verbum creatum non ſit medium cognitum, tamen Verbum Diuinum eſt tantæ perfectionis, vt ſimul ſit cognitum, & ratio cognoſcendi incognita.

Reſpondetur ſecundò. Ideam Diuinam primò poſſe eſſe medium cognoſcendi creaturam, quia talis eſt; vt virtualiter contineat rem ideatam, tanquam eminens cauſa eius, ideò poſſe eſſe medium cognitum ad creaturas cognoſcendas. Igitur ſupponenda eſt alia cognitio creaturæ in Deo, tanquam in cauſa. Ità vult D. Auguſt. *loc.cit.* D.Thom. *q.* 15. *art.* 3. Suar. *l.* 2. *c.* 25. Tanner. *d.* 2. *quæſt.* 6. *dub.* 9.

PROBATVR vltimò ex Concilio Senon. *in decretis* 307
fidei cap. 13. vbi damnans errorem dicentium, Sanctos non eſſe orandos, ait. *Sed quàm ſit hoc non modo veritati, ſed Scripturis quoque diſſonum, facilè intelliget, qui beatis peruium eſſe non ignorat omniforme illud diuinitatis ſpeculum, in quo quid eorum interſit illuceſcat.* Ergo ſentit, orationes, & neceſſitates noſtras in Diuina eſſentia ab eis videri. Idem habet Magiſter. 4. *d.* 45. vbi Seraphicus *in dub.* 9.

Reſpondet Vaſquez Concilium Senon. eſſe Prouinciale tantùm, nec approbatum; ſolumque ibi aſſeri, tanquam in ſpeculo videri, non ea vi viſionis; ſed ex reuelatione, ſicuti ex viſione ſpeculi per refractionem ſecundariò cauſatur viſio aliorum obiectorum ita, vt poſſent refringi, etiamſi Deus impediret viſionem ſpeculi. Sed hanc reſponſionem retundit S.Bonau. *in* 3. *d.* 14. *art.* 2. *quæſt.* 1. *arg* 4. nam ſimilitudo, & ſpeculum in Deo idem ſunt.

Vnde ait, quod ſi etiam Speculum, & ſimilitudo idem eſſent, per eandem viſionem videretur ſimilitudo, & ſpeculum. Cùm ergo in Verbo, quod eſt ſpeculum, non differat ſimilitudo eius ab ipſo: Ergo per eandem viſionem videtur vtrumque.

ENIM verò non ponunt Patres in hoc ſimilitudinem beatorum cum intuentibus ſpeculum; vt infra. Multa alia habebis 3. *p.* *d.* 14. *quæſt.* 4. *tract. primi. de Incarnatione.*

Obiicies primò. Nulla res externa poteſt repræſentare aliam, niſi eam contineat. Sed Deus non continet in ſe formaliter creaturas: Ergo. Ma. probatur ab Amico *num.* 338. quia obiectum non mouet ad viſionem, niſi per concurſum obiectiuum aſſimilatiuum obiecti, vt eſt in ſe. Mi. probatur, Deus enim non continet imperfectiones, quæ in rationibus formalibus creaturarum includuntur.

RESPONDETVR cum D. Bonau. loc. cit. creaturas 308
contineri in Deo formaliter, vt in cauſa; & ideò poſſe aſſimilari, quamuis autem non exiſtant creaturæ in Deo formaliter ſecundùm proprias formas

ſubiectiuè

ſubiectiuè ; exiſtunt tamen obiectiuè , id eſt , vt obiectum omnipotentiæ. Deinde exiſtunt etiam , vt in Ideis , nam Diuina eſſentia , vt participabilis ſimul, & productiua creaturarum , earumque decretiua, conſtituit rationem Ideæ exemplificatæ , vt dicam : *d.*14. *quæſt.*2. Primo modo reſpondent Morandus , Valentia , & alij cum Suarez.

309 Obiicies ſecundò. Id , quod eſt ratio cognoſcendi aliud , debet eſſe illi correlatiuum ; At Diuina eſſentia eſt abſolutiſſima : Ergò non eſt ratio cognoſcendi creaturas formaliter. Hoc argumentum vrgent Vaſq. & Recupitus.

Reſpondent Suarez , Morand. & alij , negando Maiorem , nam relatio non eſt ratio cognoſcendi quodcumque aliud , ſed poteſt aliquid habere connexionem cum illo neceſſariam , & ex alio capite non poſſe referri. Sic igitur creaturæ habent connexionem neceſſariam cum omnipotentia Dei , cuius ſunt obiectum: & ex hoc capite in Diuina eſſentia, pro vt habet rationem potentiæ, intelligi poſſunt. Sicut igitur imago non ducit in cognitionem prototypi ſimpliciter , ratione relationis ; ſed ratione vnitatis , quæ eſt fundamentum relationis ; ſic & omnipotentia , non ratione alicuius relationis ; ſed ratione obiectiuæ connexionis, eſt ratio cognoſcendi creaturas.

Obiicies tertiò. Ideò Deus poteſt producere creaturas , quia eas nouit , non è contra. Ergo eas non videt in ſe , vt in cauſa. Ergo neque Beati.

310 Reſpondetur , negando Antec. nam ſcientia non eſt cauſa , vt Deus poſſit producere res ; eſto concurrat ad modum producentis artificialis ; eſto etiam requiratur ſcientia , vt producat , cùm ſit agens per intellectum . & voluntatem ; non tamen ideò formaliter poteſt , quia nouit. At eſto ità eſſet in Deo , negatur conſequentia , quia hoc non obſtat , quin in potentia, pro vt eſt cum ſcientia, videantur ab Angelis.

Obiicies quartò. Diuina eſſentia non eſt ſpecies propria creaturarum. Ergo per illam nequeunt videri creaturæ intuitiuè. Confirmatur , nam ſe habet vt imago ; at viſio in imagine non eſt intuitiua.

Reſpondet Morandus, poſſibilia videri in Deo abſtractiuè , quia cognoſcuntur in Deo prius cognito, & vt abſtrahunt ab exiſtentia. Addit , Diuinam eſſentiam non eſſe imaginem ; ſed cauſam creaturarum, in qua videntur abſtractiuè poſſibiles ; at exiſtentes intuitiuè , vt docet Auerſa *quæſt.*12.*ſect.*28.

311 At non placet hæc ratio , nam ſi carentia exiſtentiæ obiecti tollit rationem intuitionis ; ſequitur, Deum non videre poſſibilia intuitiuè. Igitur in cauſa illa videntur Intuitiuè.

Obiicies quintò. Intellectus priùs natura videt Deum , quàm creaturas. Sed in illo priori eſt viſio Dei : Ergo hæc non infert viſionem creaturæ.

312 Reſpondetur priùs natura videri Deum , quatenus eſt ratio cognoſcendi ; non tamen , vt priùs viſio terminetur ad Deum , & mox ad creaturas ; nam videndo Deum cauſam, videt eodem actu , & lumine eodem per ſe creaturas. Vide D.Thom.*q.*14.*art.*7.*ad* 2.Suarez *l.*3.*de attrib.c.*2.*n.*11. Arriagam *ſect.*3.*n.*52 Morandum *n.*243. & D.Bonau. *locis adductis*, & *in* 1.*d.*35.*q.*1.

Obiicies ſextò. Ex eo , quòd videntur creaturæ, non videtur Deus : Ergo nec è contra.

Reſpondetur , negando Conſeq. cum Suarez *n.*25. Faſolo *n.*49. Morando *loc. cit.* D.Bonau. *in* 1.*d.*3.*p.*1. *dub.* 5. quia creaturæ cùm ſint finitæ non adæquant omnipotentiam ; multò minùs , æternitatem , & alias perfectiones infinitas Dei.

313 Obiicies ſeptimò. Si creaturæ non eſſent poſſibiles , adhuc eodem modo videretur Deus. Ergo creaturæ non videntur formaliter in Deo viſo.

Reſpondetur , negando Antec. quia non videretur Deus omnipotens; neque verò hinc rectè ſubinferunt. Ergo Deus pendet à creaturis ; ſed ſolùm infertur. Ergo Deus ratione ſuæ potentiæ habet connexionem cum poſſibilitate creaturarum , quæ ab ea pendent, vt obſeruat Morandus *loc.cit.* & Arriaga *ſect.*1.*ſubſec.*2. *n.*16. Mærac. *d.*18.*ſect.*2. Vide alia in Faſolo *n.*12.

Colliges ex dictis : primò , creaturas non videri in Deo remotè , ſed proximè.

Colliges ſecundò, quo ſenſu dicantur creaturæ videri in Verbo , tanquam in ſpeculo. Hunc ſanè modum dicendi habet D.Ambroſius *l.*2.*in Lucam*, D.August. *l.de triplici habitaculo. cap.vlt.* & innuit, *ep.*112. & eo vtitur Concilium Senon. & D.Thom. *p.*1.*q.*12. *art.*8. *ad* 2. & *q.*14 *art.*5. D.Bonau. paſſim locis adductis, præſertim *in* 3.*d.*14.*art.* 2 *q.*1.*arg.*4. 314

Hic modus eſt metaphoricus inadæquatus , nam ſpeculum non eſt medium cognitum per ſe , poſſet enim Deus impedire , ne ſpeculum emitteret ſpeciem, & tamen videretur ipſum , quia quæ videntur in ſpeculo, videntur per diuerſas ſpecies ; vnde non formaliter è ſpeculo videntur res ; imò neque cauſaliter , vt acutè notat Morandus cum Faſolo *d.*10. etenim ſpeculum non concurrit actiuè ad viſionem repræſentatorum. Vnde, ſi res viderentur in Deo , vt in ſpeculo, non modo non viderentur formaliter ; ſed neque cauſaliter Similitudo igitur ſtat in hoc ; quod ſicuti viſus tendens in ſpeculum, tendit in rem aliam in eo repræſentatam : ita beatus videndo Diuinam eſſentiam tranſit ad videndas creaturas , vt acutè obſeruat S.Bonau. *loc.cit.* & cum eo Caiet. *art.* 8. Vident igitur in Deo formaliter , vt in cauſa , & exemplari , creaturas, vt dicam *quæſt.*14. Vide etiam Suarez *l.*2. *c.*25. Tannerum *d.*2.*quæſt.*8.*dub.*9.

Per hæc ſatis reiicitur Recupitus *q.*36. *c.*3. vbi ſuſtinere conatur, videri creaturas in Verbo ſolum, vt in ſpeculo , nec in alio videri poſſe Videntur quidem, vt in cauſa, vt docent D.Bonau. *locis adductis* & D.T.*q.*8. *de ver. art.*4. & *q.*12.*art.*6. & *q.*20.*art.*4. Eodem ſenſu locuti ſunt Patres , quos pro ſua ſententia Recupit. adducit, vt obſeruat Morand. *n.*244. Smiſing. *d.*4.*q.*7. *n.*60.64.& 193. Tanner. *d.*2.*q.*6.*dub.*9.*n.*8.

Ex his habes , videri à beatis creaturas in Deo, veluti in Idea , & cauſa exemplari. Ità D.Bonau. ſupra, D.Thom. *q.*15. *art.*3. Suar. *l.*2.*c.*25.*n.*29. Albertinus *tom.*1. *princ.*1.*corol.*4. *p.*4. Tanner. *n.*4. Sicuti enim è creato exemplari cognoſcitur res artefacta : ità multò magis è Diuinis Ideis exemplaribus , quæ poſſunt repræſentare intuitiuè , vt ait Tannerus. 315

Colligitur etiam, cognoſci creaturas in Deo , vt verbo , & conceptu creaturarum. Ità Valentia *q.*12. *p.*6.Molin.*q.*12.*art.*8.*d.*2 Suar. Albertin. Tanner. ſuprà.

Probatur ex D. Dionyſio *c.*7.*de caleſt.Hier.* vbi ait , Angelos æternam Dei ſcientiam peragrare ; multaſque res purgatis oculis contemplari. Idem ſignificant Bernardus , & Gregorius ſupra, & D.Auguſt. 11. *de ciu.cap.*2.

QVÆSTIO XXIV.

An Beati neceſſariò videant in Verbo creaturas omnes poſſibiles.

Vnum è præcipuis argumentis, à Vaſq. eiaculatis contra prædictum modum videndi creaturas in Verbo, erat. Sequeretur omnes, & ſingulos beatos videre in Verbo omnes effectus poſſibiles , quia omnes illi repræſentantur in Diuina omnipotentia naturaliter ; nec eſt maior ratio ob quam aliquos videant, alios non. 316

Prima opinio eſt, omnes creaturas, ſaltem vt poſſibiles, neceſſariò videri diſtinctè in Diuina eſſentia viſa. Ità Godfret *quodl.6.q.3.* Ballol. *quæſt.4. Prol. art.3.* Durand. *id 3.d.14.q.2.* dicunt autem, ideò creaturas poſſibiles neceſſariò videri in eſſentia Diuina viſa, quia in ea neceſſariò repræſentantur; at verò futuras, non neceſſariò videri, quia ſecundùm eſſe futurum liberè repræſentantur. Scotus verò *in 3. d.14. q.2.* vult, per illam viſionem non videri omnes creaturas poſſibiles in actu ſecundò; imò nec poſſe videri, quia ad hoc neceſſaria eſſet infinita attentio: dicit tamen videri omnia in actu primo; quia illa viſio ſufficiens eſt, vt per eam omnes creaturæ poſſibiles videantur, non quidem omnes ſimul, ſed modò iſtæ: modò illæ, prout beatus voluerit attendere. Et hoc priuilegium videndi omnia ſucceſſiuè ſoli animæ Chriſti concedit. Imò probabile iudicat etiam, ſimul cognoſcere.

Propterea multi Scotiſtæ non modo credunt, poſſe omnes creaturas poſſibiles à beatis videri; ſed de facto videri ab anima Chriſti. Ità Aretinus *in 3.d.14. q.2.art.1.& ſeq.* Gallus *in 3.d.14. art.1. cap.5.* Vulp. *d.25.art.8.* Maſtrius *d.6.q.9.* & alij Scotiſtæ. Eandem tenuêre cum Magiſtro *in 3. d.14.* §. *Quibus reſpondetur*, Alberto M. ibidem *art.1.cap.3.* Alenſi *3.p. q.13. m.7.* Altiſiod. *l.3. tract.1.cap.5.* Greg. *p.d.44.quæſt.2.* Ribas *t.3. d.9. cap.3. & ſeq.* Philippus Moncæus *in diſp. Theol. d.2. cap.2.* etſi *cap.9.* pendulus è ratione infra adducenda ad calcem, Arriaga *d.13.ſect.1.* Ouiedo *p.2. tract.1. controu.4. puncto 5.* Albertinus *tom.1. q.12. Theol.* Herize *d.51.cap.4.* Valentia *p.1.q.12.p.6.* Lugo *d.19. de Incarnatione ſect.2.*

Henricus verò *quodl.7.q.4.&* 5. ſentit, creaturas, vt poſſibiles videri in eſſentia, vt Idea eſt; non in eſſentia, vt abſoluta eſt, ſic enim ait, poſſe videri eſſentiam, non viſa creatura aliqua; at verò, vt idea eſt, neceſſariò repræſentare omnes creaturas poſſibiles; quia Idea ad illas dicit relationem.

Commvnis tamen, ac vera ſententia eſt, repugnare viſionem beatam creaturarum terminari ad Deum, & omnes creaturas poſſibiles. Ita D.Bonau. *in 3.d.14.* paſſim, & alibi, vt referam in argumentis, D.Th.*q.12. art.7.&* 8. vbi Caiet. Bannes, Zumel. Nazar. *art.8. controu.3.* Faſol. *dub.21.* Auerſa *q.12.ſect.25.* Arrubal *p.1.d.27.cap.2.* Amicus *d.9.ſect.22.* Granad. *p.1. controu.1. tract.6. d.1. ſect.6.* Alarcon. *p.1. d.4.cap.4.* Lezana *tract.3.d.3.q.5.* Suar. *l.2.de attrib. neg.* vbi affert Seraphicum, Scotum, & Richardum *in 3. d.14. & in 4.d.49.* Henricum *quodl.7. q.4. &* 5. Eandem ſententiam latiùs tuetur *tom.1. in 3.p. d.26. ſect.2.* Vaſq. *d.49.&* 53. Tanner. *d.2.q.6.dub.10.* Valentia *q.12.p.6.* Albertinus *tom.1. princ.1. coroll. 1.* Cabr. *3 p. q.10. art.2.d.3.* Caſpenſ. *tract.de Viſione d.5.ſect.4.* Directorium Inquiſitorum *p.2. q.12.* vbi damnat erroris ſententiam aſſerentem, quamuis ibi videatur potiùs damnare rationem, ob quam Arnaldus id aſſerebat, vt patet in directorio. De hoc *3.p.d.14.q.5.&* 6. Sic explicat Ribas *t.3. d.9.* Becan. *cap.9.q.13.* citans omnes Theol.

Assero primò, non videri neceſſariò creaturas omnes, viſa eſſentia Dei.

317 Probatvr à D. Bonau. *in 3.d.14. q.1.* quia viſa cauſa, non ſtatim videntur omnes effectus eius; niſi virtus eius comprehendatur. Sed creaturæ videntur in Deo, vt in cauſa, quæ non comprehenditur: Ergò. Affert exempla. Videns enim albedinem, non ſtatim videt totam intenſionem diſgregationis, quam poteſt cauſare. Videns lineam ad punctum terminatam, non ſtatim videt totam virtutem puncti, quod poteſt infinitas terminare lineas. Ità probatur etiam à Suarez, & aliis cum D.Thoma.

Assero ſecundò contra Durandum. Malè diſtingui, videri poſſibilia, quia neceſſariò in Deo videntur; non futura, quia liberè videntur.

Probatvr quia & res futuræ, ſuppoſito quòd 318
ſint futuræ, neceſſariò in Deo videntur, nam in ſeipſo Deus eas neceſſariò videt.

Assero tertiò, falſam eſſe diſtinctionem Henrici.

Probatvr; quia Diuina eſſentia neque vt 319
idea realiter refertur ad creaturas; ſi verò de relatione rationis intelligit; etiam omnipotentia ſic refertur.

Assero quartò; non poſſe dari viſionem, per quam diſtinctè videantur in Deo omnes res poſſibiles.

Probatvr primò à D.Bonau. *in 3.d.14.art 2. q.3.* 320
in corpore. Quod non conceditur animæ Chriſti, neque poteſt conuenire creaturis. Sed talis viſio non conuenit animæ Chriſti: Ergo. Minor probabitur *3. p.s.1. d.14.q.2.* Maior verò patet, quia animæ Chriſti, ob dignitatem, conceſſa ſunt omnia. Ideò enim dicitur Ioan.3. *Non ad menſuram dat Deus ſpiritum filio*, vt notat D.Bonau. *in 3.d.14. art.2.q.3.* & D.Iſidor. *l.1. de ſummo bono, cap.2.* vbi ait: *Trinitas ſibi ſoli nota eſt, & homini aſſumpto*, vt docet Seraphicus *eadem diſt. art.1. q.2.ad* 2. Quod autem ait Ribas *n.19.* animam Chriſti videre infinita, apud Theologos, refellam *loc. cit.*

Probatvr ſecundò à S.D. *ibi art.2.quæſt 2.fund.4.* 321
& q.3. ad 9. & in 1.d.39. ratione, qua vtuntur Smiſing. Lezana, & multi Thomiſtarum. Eſt autem ratio calculatoria. Sicut ad vnum actu percipiendum requiritur aliqua: ità ad intelligenda plura maior virtus: & ad intelligenda infinita requiritur virtus infinita. Igitur virtus ad plura alia attendens, ſi finita ſit, minuitur, & tandem deficiet.

Reſpondet Maſtrius *num.254.* argumentum calculatorium nihil iuuare: quia ſic etiam probaret non poſſe Deum cognoſci, cùm ſit infinitus, à finita virtute. Requiritur ergo virtus aucta proportionaliter, ſeu Geometricè; non autem æqualis, ſeu Arithmeticè. Quare negatur, actum cognitionis terminantem ad infinita, debere eſſe infinitum. Sic negat ex Arriaga *d.13.ſect.4.num.57.*

Instat contra Lezana; argumentum calculatorium valere, quando augmentum fit ſecundùm res eiuſdem ordinis, vt ſi ad portandum tantum pondus, requiritur tanta virtus, & ad portandum maius, requiritur maior virtus: Ergo ad portandum infinitum pondus, requiritur virtus infinita. Cùm igitur in præfata ratione fiat aſcenſus per res eiuſdem ordinis, ſcilicet per creaturas poſſibiles, argumentatio valet.

Maſtrius reſpondet non valere in omni augmento rerum eiuſdem ordinis. Quod ſi valet in exemplo ponderum, id eueniet, quia fit incrementum Arithmeticum; non ſic in actu, & obiecto; non enim ad menſuram obiecti creſcit actus, vt debeat habere tantam perfectionem, quantam habet obiectum.

At non dico, creſcere debere perfectionem cog- 322
nitionis ad incrementum obiecti, ità vt actus adæquet obiecti perfectionem materialiter; ſed debere creſcere ad menſuram rei, vt obiectum eſt formaliter cognitum: & proculdubio, ſi virtus mea, vt quatuor requiritur tota ad intelligendum actu hoc obiectum; ſequitur, vt maior virtus requiratur ad maius obiectum capiendum; & ſic debet creſcere virtus Arithmeticè cum obiecto, vt cognito; & ideò, cùm creaturæ poſſibiles in ratione obiecti cogniti ſint actu

infinitæ, debet creſcere & cognitio in infinitum. Quamuis autem hæc infinitas non eſſet ſimpliciter per eſſentiam, non obeſt; ſatis enim eſt, ſi ſit infinitas ſecundum quid; nam hæc etiam repugnat creaturæ, vt oſtendi *d.6.quæſt.2.*

323 Neqve rectè Maſtrius reſpondet, talem cognitionem non neceſſariò fore infinitam; quod probat; quia neque cognitio de Deo, qui eſt obiectum infinitum ſimpliciter eſt infinita comprehenſiua. Eſt enim diſparitas, quia cognitio Dei non eſt infinitatis ſub ratione infiniti adæquatâ; ſed finitâ; at cognitio creaturarum poſſibilium eſt infinitorum, vt infinita ſunt comprehenſiuè. Ideò erit infinita, vt arguit S.Bonau. 3. *d.*14. *art.*2. *quæſt.*3. ad argumenta.

Argvmentvm portò hoc calculatorium eſt familiare etiam Scoto *in* 1.*d.*2. *quæſt.*2.§. *Oſtenſis igitur.* Et *in* 2.*d.*3.*quæſt* 10. §. *Iſta opinio*, & rectè probat, vt docet Licheus 1.*d.*2.*q.*1.§. *Sed aliqui*, è doctrina Scoti 1.*d.*2.*cit.*

Vulpes, & Aretinus concedunt, argumentum probare, non poſſe intellectum perfectione ſuâ propriâ, ſimul infinita attingere, ſicut attingit diuinus intellectus; non autem quòd attingere nequeat ex diuina reuelatione. Sed cùm non ſit capax actûs infiniti, etiam per Dei potentiam, fruſtra hîc loquuntur iſti.

Maſtrius *num.*258. è Scoto 3.*d.*14.*quæſt.*2. *ad* 3. reſpondet, infinitatem extenſiuam paſſiuam ad plures formas recipiendas, non concludere infinitam entitatem receptiui, vt conſtat de materia, ſi eſſet receptiua infinitarum formarum; ſed infinitas actiua ad infinitos effectus infert virtutem infinitam. Quod ſi adhuc concedatur intellectus elicere actum infinitorum obiectorum; non tamen infertur infinitas extenſiua intellectûs; ſed obiecti, quia obiectum eſt cauſa principalis actiua, reſpectu illarum viſionum, & non intellectus.

324 Hæc tamen reſponſio multa dicit falſa, nam intellectio non eſt mera paſſio; ſed actio, vt oſtendam *tract. de anima*, qui eſt IX. *d.*9. *quæſt.*3. vnde viſio beata non eſt mera receptio ob eandem rationem, vt notat D.Bonau. 3.*d.*14.*art.*2.*quæſt.*3.*ad* 9.

Deinde obiectum, vel ſpecies concurrunt ſolum materialiter, vt oſtendam *ibi*, *d.*4.*q.*10.

Quod ſi obiectum eſſet principale intellectionis principium efficiens, iam eſſet intelligens.

325 Igitur vrgeo argumentum cum S. D. 3.*d.*14.*art.*2. *quæſt.*3.*arg.*2. *ad oppoſitum*, addito reſponſo. Cognitio debet adæquari rei cognitæ ſecundùm quod cognita eſt, ſi ſit cognitio comprehenſionis, & actu. Similiter cognitio non excedit potentiam, nec potentia ſubſtantiam: ſed ſubſtantia creata beatorum eſt finita; ſimiliter & potentia ac virtus: ideò non poteſt adæquari cognitioni infinitæ. At cognitio comprehenſiua infinitorum eſt infinita, vt ſupra oſtendi: Ergo repugnat creaturæ.

326 Probatvr tertiò à S. D. *in* 3.*d.*14. *art.*2.*quæſt.*3. *arg.*1. *ad opp. addito reſponſo*, quo nituntur D.Th. *art.* 8. & communiter Thomiſtæ, atque Amicus. Quicunque comprehendit totum effectum, comprehendit totam virtutem cauſæ, & reddit ſibi cauſam finitam. Sed intellectus beatus non comprehendit totam virtutem cauſæ, quæ eſt Deus. Ergo neque effectum. Maior probatur è D.Aug.*l.*83.*qq.q.*14. vbi ait: *Quicquid ſcitur, ſcientis comprehenſione finitur*; loquitur autem de ſcientia comprehenſiua. Ideò 12. *de ciu. cap.* 18. ait: *Quidquid ſcientia comprehenditur, ſcientis finitur cognitione.* Et *epiſt* 112. *cap.*8. ait: *Res comprehenditur, cum res ita videtur, vt nihil eius lateat videntem; aut cuius fines circumſcribi poſſunt*, vt refert S.Bonau. *eadem diſt. art.*1.*q.*2.*fund.*2.

Hvivs rationis imbecillitatem, ait Maſtrius *n.*251. ſatis oſtenſam à ſe *d.*6. *de Anima*, *quæſt.*12. *à n.*340. vbi ſe gloriatur probaſſe, ad comprehenſionem alicuius obiecti, non eſſe neceſſariam cognitionem eorum, quæ in obiecto continentur eminenter, aut virtualiter; nam vt ſupra è D. Auguſt. retulimus, res comprehenditur, quando nihil illius latet; at verò quod virtualiter, vel eminenter continetur in obiecto, non eſt aliquid eius propriè, nec effectus ad eſſe cauſæ pertinet. Igitur ſufficit; ſi formalia prædicata ſecundùm omnes gradus, ideſt totaliter comprehendantur.

Vervm hoc falſum eſſe fatentur etiam è Scotiſtis 327
Smiſing. *d.*7.*quæſt.*1 *num.*10. Gallus 3. *d.*14. *præind.*5. *d.*2. *ſect.*1. nam potentiæ per actus, & obiecta cognoſcuntur, per quæ etiam diſtinguuntur, ſaltem à poſteriori quoad manifeſtationem, vt habetur in Ariſtotele 2. *de anima t.*22. & 23. & docet Scotus paſſim apud Fauentinum *Theor.*75. & probat D. Bonau. *in* 1.*d.*7. *quæſt.*1. *ad arg.* & *quæſt.*3. *ad arg.* & *in* 2. *d.*7. *p.*1. *art.*2. *quæſt.*1. *ad arg.* & *d.*24. *p.*1. *art.*2. *quæſt.*1. *ad arg.* & *in* 3. *d.*23. *quæſt.*3. *ad arg.* & *d.*26. *quæſt.*2. *ad arg.* & cæteri; vt oſtendam *tract. de anima d.*2. *quæſt.*3.

Similiter in vnaquaque re eſt ſubſtantia, potentia, & virtus, quæ in Deo vnificantur, vt docent communiter philoſophi, atque Theologi; & virtus notificat potentiam, & hæc ſubſtantiam. Præterea potentia actiua formaliter dicit id, quo virtus operandi effectus conſtituitur. Itaque comprehendendo totam virtutem ad omnes effectus poſſibiles, comprehenditur potentia. Quid enim aliud reſtat cognoſcendum de potentiâ, & cauſâ? Secus, ſi ea non capitur.

Reſpondet ſecundò. Quamuis in cauſis vniuocis, 328
cognitis effectibus cognoſceretur cauſa, tamen in cauſis æquiuocis non valere, quia in his cauſa ſuperat effectûs; quod in vniuocis non eſt verum. Deus autem eſt cauſa æquiuoca. Vnde, qui cognoſcit omnes effectus, qui poſſibiles ſunt ab omnipotentia Dei, comprehendit illum. Verùm laborat in æquiuoco; verum enim quidem eſt, cauſam non modò æquiuocam, ſed etiam vniuocam eſſe perfectiorem ſingulis effectibus; & omnibus etiam: quia præter cauſalitatem habet ſubſtantiam diſtinctam. At potentiam cauſæ etiam æquiuocæ, tametſi nobilior ſit ſingulis effectibus, imò & omnibus, quia eſt cauſa, neſcio qua fronte negari poteſt comprehendi totam; ſi omnes effectus poſſibiles ab ea comprehendantur? Profectò totam potentiam, iam vſque ad exhauriendum complectimur. Dicat mihi Maſtrius: Quæ virtus remanet? aut quid cognoſcendum?

Reſpondet tertiò, non comprehendi rem etiam cognitam ſecundùm omnia, quæ continet, niſi cognoſcatur cognitione proportionatâ intelligibilitati eius, & quia cognitio proportionata intelligibilitati Dei eſt infinita; ideò non comprehenditur potentia Dei, niſi cognoſcatur cognitione infinitâ. Hunc modum explicandi comprehenſionem, ait Maſtrius *num.* 252. à Scoto didiciſſe, eumque amplexos hac tempeſtate etiam de mente D. Thom. plurimos; inter quos enumerat Arriagam, Ouiedum, & Lezanam, qui proinde rationem noſtram ſupra allatam flocci pendunt. Et Suarez *num.*12. non omninò certam dicit. Adde Ribam *num.*31.

Sed non aduertunt ſe recurrere ad principium, & 329
contra regulas datas à D. Aug. & à ſe etiam allegatas. Nam D. Auguſt. docet *locis ſuprà citatis*, illud comprehendi, quod ſcientis cognitione finitur: quia nihil eſt in obiecto, quod non ſit ei notum. Ex quo

fit,

ſit, vt infinitas cognitionis habeatur eo ipſo, ac infinitum cognoſcitur ſecundùm omnes modos. Quare nos inferimus, non poſſe ità cognoſci Dei omnipotentiam; quia cognitio eſſet infinita, vt infert S. Bonau. *d.14. art.2. q.2. & 3.* paſſim. Itaque eo ipſo, quòd conceditur res infinita, cognoſci ſecundùm omnia *formalia*, *virtualia*, & *eminentia*, iam ſupponitur eſſe cognitio infinita; quia adæquatur obiecto, & illud ſibi finit, & eſt proportionata illi. Dicere verò, ad comprehenſionem obiecti infiniti præter cognitionem omnium, quæ ſunt in infinito, requiri, vt ſit proportionata; eſt ridiculum: quia cognitio ex natura ſua debet adæquari rei cognitæ, vt cognita eſt, vt notat S. D. 4. *d.* 14. *art.2. q.3. ad* 2. niſi prætendant commenſurationem entitatiuam inter obiectum, & potentiam, quod Maſtrius fatetur non prætendere.

330 Probatvr quartò à D.Bonau. *eadem quæſt. arg.3. ad opp. addito reſponſo, & in corpore*, in refellenda ſecunda opinione, & circa quartam opinionem. Quantò plura cognoſcimus; tantò maior virtus attentionis, & enixus eſt neceſſaria; vnde attentio circa plura, & plura obiecta ſemper infirmatur; at virtus intellectus creati, eiuſque attentio eſt finita in numero, pondere, & menſurâ. Ergo non poteſt attendere infinitis ſimul. Hoc argumentum, inter noſtra, omnium validiſſimum aſſerit Scotus *loc. cit.* §. *ſed iſta*; eique maximè fidunt Smiſing. & Poncius ſuprà; & ſi Molina *art.8. d.5. m.7.* teneat.

Reſpondent aliqui, id verum eſſe, dum obiecta ſparſim conſpiciuntur; non autem in caſu noſtro, quia videntur in eſſentia, in qua, cùm ſint vnita, vniunt attentionem.

Inſtat Smiſing. quinimò attentionem laſſari, quia cogitur attendere non modò ipſis effectibus, qui ſunt obiecta ſecundaria; ſed etiam eſſentiæ, quæ eſt obiectum primarium.

331 Scotus §. *Ad illa*; reſpondet, diminutionem intellectus noſtri ad plura obiecta oriri è phantaſia, quæ ſemper intellectionem comitatur, & circa plura obiecta laſſatur. *Pluribus intentus, minor eſt ad ſingula ſenſus*: hoc autem non occurrit in beatis. In his enim non fit intellectio per phantaſmata. Conſideratio verò effectuum (cum Molina ſubdit Maſtrius) in vno obiecto primario non minuit, nec laſſat attentionem; ſed confortat, dum vnit obiecta, ſicut experimur, cùm obiecta in ſpeculo, vel tabella exponuntur vnita. Sic etiam Ribas *num.*14. monens, tale obiectum eſſe vnum ſimplex indiuiſibile.

Deinde poteſt retorqueri argumentum. Si creſcere debet attentio ad multitudinem obiectorum; ſequitur, eam creſcere debere in intuitu obiecti vnius: & ità, ſi obiectum infinitum erit, requiretur infinita attentio: Ergo cùm Deus ſit obiectum infinitum; non poterit videri à creatura, cuius attentio eſt finita.

332 Vervm Scoti reſponſio iam eliſa eſt ſuprà, vbi vidimus cum D. Bonau. ex natura ipſius potentiæ fieri, vt quantò pluribus applicatur; tantò maiorem virtutem, & enixum impendere cogitur. Ipſa enim potentia, etiam ſeparata ab organis, debet virtutem impendere propriam, & hæc finita eſt.

Retorſio verò argumenti eliſa eſt ſuprà, dum oſtendimus diſparitatem.

333 Reſpondet adhuc Maſtrius *num.* 264. quòd, licèt intellectus ratione ſui non poſſit attendere infinitis creaturis poſſibilibus; tamen id poteſt eleuatus à Lumine gloriæ.

Hoc tamen non eſt validum; nam etiam lumen gloriæ eſt finitæ virtutis. Finitum autem additum finito, ſemper eſt finitum, vt arguit S. Bonau. *loc. cit. art.2. quæſt.3. arg.8.* cum reſponſo.

Reſpondet vltimò, Deum ſupplere, vt eſt primarium obiectum, quod ad viſionem magis concurrit, quàm intellectus. Ita & Ribas ad omnipotentiam dat vota, priori reſponſo diffidens.

At neque hoc eſt tolerandum, vt oſtendit S.Bonau. *ead. diſt quæſt.1. & art.2.q.3.arg 8. ad opp. cum reſpon.* quia cognitio fit per informationem habitus, ſicut & in aliis actibus ſupernaturalibus; non autem ipſe Deus eſt, quo videmus Diuinam eſſentiam; tantùm autem intenſionis habet viſio, quantùm habet intellectus cum lumine gloriæ ſimul, quod eſt inſtrumentum, quo Deus cooperatur ad Viſionem; efficientia verò Dei in lumine continetur finito. Quòd verò Deus moueat per ſe, vt obiectum offerens ſe, nihil obeſt, nam cùm motio ſit recepta in creatura terminata, & finita; ſicut etiam creatura, ad cuius modum recipientis, influxus recipitur; conatus verò ad obiecta infinita, vt oſtenſum eſt, debet eſſe infinitus. 334

Probatvr quintò à D. Bonau. eodem argumento ſuprà in quarta probatione allegato, quo multi vtuntur. Omnis creata cognitio habet certum, & determinatum perfectionis gradum. Ergo non poteſt dari viſio omnium poſſibilium. Antec. probatur à S.D. *ex Sap.*11. vbi omnia dicuntur creata: *in numero, pondere, & menſura.* Conſeq. probatur à quibuſdam, Perfectio cognitionis creatæ tam ſpecifica, quàm indiuidualis menſuratur ex obiecto: nam potentiæ ſpecificantur per actus, & actus per obiecta, *ex 2. de anima* ſuprà allegato, ac determinata perfectio determinatum poſtulat obiectum; at tota collectio creaturarum poſſibilium non habet determinatum perfectionis gradum: Ergo. Probatur Maior. Nulla eſt enim creatura adeò perfecta, quæ nequeat fieri perfectior. Hoc argumento vtitur Arrubal apud Herize *d.51.num.*22. 335

Vervm probatio hæc non placet Maſtrio, Arriagæ, & Herize, quia creaturæ habent determinatam à Diuina potentia perfectionem; tota enim perfectio earum in Diuina continetur potentia, nec aliunde haberi poteſt, & in diuina cognitione etiam ſunt determinatæ. At, eſto, ait Maſtrius, indeterminata ſit earum perfectio, quia ſyncategorematicè infinita ſecundùm eſſe; attamen ſecundùm eſſe intelligibile ſunt determinatæ; alioqui infinitum ſyncategorematicum non poſſet ab aliquo percipi ſub ratione talis infiniti.

Verùm non rectè impugnat, nam ità indeterminatio creaturarum obiicitur, & iudicatur in intellectu, vt eſt à parte rei, ne veritas pereat, quæ eſt conformitas intellectus ad rem intellectam. Si ergò creaturæ indeterminatæ conceduntur in Diuina omnipotentia, oportebit ità percipi ab intellectu.

Probatvr ſextò à D.Bonau. *eadem quæſt. arg.8. calculatorio*; vt ſuprà. Ad videndum vnum requiritur tantùm luminis: ad plura requiritur maius lumen: Ergo ad videnda infinita requiritur lumen infinitum. Probatur conſeq. Sicut enim ſe habet ſimpliciter ad ſimpliciter: ità magis ad magis. 336

Reſpondet Maſtrius *num.*261. retorquendo, idem ſequi ad videndum Deum: quia, ſi ad videndum obiectum perfectum vt quatuor, requiritur lumen vt quatuor, & ad videndum ens perfectiùs exigitur maius lumen; ſequitur ad videndum Deum infinitum, exigi lumen infinitum.

Deinde reſpondet, quòd ſicut ad videndum ſufficit quodcunque lumen gloriæ quantumuis remiſſum; multò magis ad videndas creaturas, quæ ſimul etiam ſumptæ non adæquant Dei perfectionem. Addit, creaturas in Verbo per abſolutam Dei potentiam poſſe videri, abſque lumine, quod ſi admittatur neceſſarium maius

lumen, quàm ad videndas finitas creaturas, adhuc negant, requiri lumen infinitum.

337 Verùm hæ ſolutiones è primi argumenti defenſionibus eliduntur.

Probatvr tandem ab aliis; quia ſequeretur, cognitionem directam omnium creaturarum debere eſſe ſui ipſius. Ergo cognitio directa erit reflexa. Sequela probatur: quia cùm & ipſa cognitio ſit vna è creaturis, debet eſſe cognita ea viſione, qua omnes creaturæ videntur. Hoc autem non poſſe eſſe patet, quia obiectum ſupponitur cognitioni; at cognitio directa eſt obiectum: Ergo eſt ante ſeipſam.

338 Hic occurrit illa difficultas: An cognitio beata ſit etiam reflexa. Multi enim aſſerunt, vt dixi *q.14.* Suarez *l.2. de Viſione, cap.18. n.9.* Vaſquez 1.2.*d.15.n.2.* Luſitan. *l.4. q.9. art.6. num.2.* Arriaga *d.6. de anima ſect.3.* Ouiedo *contron.6. de anima, p.2. n.38.* & 1.2. *tract.1. controu.6.p.5.num.71.* Tartaret. *in Log. tract. de inſolubilibus,* §. *Tertia propoſitio,* Gall.3.*d.14.n.658.*

Probatvr ab Arriaga *loc.cit. & d.13. de Viſione, ſect.5. n.29.* Nam, cùm dico, de conceptu Diuinæ omnipotentiæ eſſe, poſſe producere omnes creaturas, nullâ exceptâ, iſte actus habet ſe pro obiecto; nam ipſe eſt vna è creaturis. Et in omnipotentia videtur. Ità & Ribas *num.33.* At non vides exiſtere actu?

Alij verò negant, viſionem eſſe reflexam. Hurtad. *d.10. de anima, ſect.3. & 4.* Smiſing. *d.6. quæſt.9. num.248.* citantur plures Nominales Poncius *d.4. q.8. num.71.* Maſtrius *hic num.267.* & alij iuxtà Scoti principia, qui actum rectum ſemper à reflexo diſtinguit, vt patet in 1. *d.6. q. vn. litt. H.* & *in 3. d.28.* §. *De primo,* & *in 4.d.45. quæſt.3.*

Qvoad D. Bonau. Is in 3. *d.14. quæſt.3. ad vlt.* fatetur, beatum iudicare ſuam cognitionem, atque adeò reflecti. Et *in 2.d.27. art.2.q.1. ad vlt.* concedit, actus perfectos tunc eſſe perfectiſſimos, quando reflectuntur ſupra ſe, quod de actu beatifico maximè intelligit, vt dixi *quæſt.14.*

339 Hoc autem ità eſſe probatur à S.D. & Suarez, quia ità decet perfectionem beatifici actus. Non eſt autem idem actus directus, & reflexus, quia implicat, vt dixi: ſed nouo actu beati reflectuntur, vt indicat S. Bonau. cum Authoribus ſecundæ ſententiæ, quia eſſet obiectum ſui ipſius.

Neque rectè Maſtrius concedit, actum poſſe eſſe obiectum ſui ipſius in confuſo, quia idem inconueniens ſequitur, vt prius ſeipſo ſit; vt aduertit Arriaga.

Reſpondet ergo Maſtrius, data etiam ſecunda ſententia, non repugnare adhuc, beatum, ſi videret omnes creaturas, videre etiam ſuum actum, quia omnis cognitio eſt reflexiua ſui virtualiter. Sic de viſione etiam corporea docet Ariſtoteles 2. *de anima t.137.*

Varvm nihil iuuat virtualitas, vt poſſit reflecti; ſed requiritur formale obiectum ad actum formaliter viſum.

Tandem Moncæus vrget. Non poteſt cognitio creata eſſe cognitio cognitionum, quibus hæc cognoſci poteſt, neque aliarum, quibus iſtæ; & ſic in infinitum. Sic vna etiam poſt aliam: quia vna prima eſt circa obiectum; ſecunda circa actum; tertia circa actum à prima cauſatum; ſic in infinitum.

Reſpondet Ribas *num.35.* eas viſiones fore ſimul. Contra: ſunt enim cauſæ, & effectus in infinitum.

QVÆSTIO XXV.

An beatus videre queat omnia futura.

Prima opinio eſt affirmatiua. Eam refert D. Bonau. *in 3.d.14.art.2.q.3.* D. Th. *q.20. de ver.art.4.*

Secvnda ſententia eſt, omnia, quæ ſpectant ad ſcientiam viſionis Diuinam, ideſt, quæ fuere, ſunt, vel futura ſunt, videri in actu primo à beatis. Ita Scotus *in 3.d.14. quæſt.2.* Marſil. 3. *quæſt.10. art.2.* Gulielmus Varro, quem citat Gabriel 3.*d.14.q.1.* Adducitur etiam D.Bonau. *loc.cit.* à Tannero *d.2. quæſt.6. dub.10.* ſed malè, cùm ibi teſtetur priuilegium omnis ſcientiæ, ſoli animæ Chriſti datum in habitu ſanè, non actu, modo dicendo 3.*p.d.14 q.5.& 6.*

Tertia opinio eſt. Dei eſſentiam eſſe ſpeciem, in qua videntur futura. Granad. *p.1.t.6. d.1. ſect.7.*

Qvarta opinio, id negans de omnibus in Dei eſſentia, eſt Nominalium, quibus adhæret Vaſquez *d.50. & 51.* Ribas *tract.3.d.10.cap.1,*

Quinta opinio eſt Herize *tract.4. d.52. cap.2.* negans, in Dei eſſentia, aut decreto hæc videri.

Sexta opinio eſt, aliquas creaturas in Dei Verbo videri. Sic D.Bonau. *loc.cit.* D.Th. *q.12.art.8.*& 3.*p q.10. art.2.* Scotus *in 3. d.14.* Henricus *quodl. 7. quæſt. 4. & 5.* Capreol. *in 4. d.49. quæſt.6.* Scotus *ibi, quæſt.3. art.3.* Palud. *quæſt.2. art. 2.* & *d.45. art.2. quæſt.3.* Ferrar. 3. *contra G. cap.59. & 60.* Caiet. & Recentiores Thomiſtæ *quæſt.12. art.8.* Valentia *quæſt.12. p.6.* Molina *art.8. d.5.* Vaſquez *d.50. cap.8. & 9.* Albertin. *tom.1. princ.1. corol.5.* Suarez *l.2. cap.27.* Tanner. *d.2.q 6. dub.10.* Morand. *tract.2. quæſt.20.* Ribas *loc. cit.* Becanus *cap.9. quæſt.13.*

Assero primò, non videri à beatis ſingulis omnia, quæ decreto Dei ſtatuta ſunt ad eſſe. 340

Probatvr à D. Bonau. 3. *d.14. art.2. quæſt.2.* è Scripturis, quæ teſtantur in Sanctis Angelis ignorationem aliquorum arcanorum. Sic *Iſa.63.* interrogant. *Quis eſt iſte, qui venit de Edom?* Et Pſal.23. *Quis eſt iſte Rex gloriæ?*

Sed hæc duo loca à multis exponuntur, ità, vt non Angeli; ſed prophetæ loquantur, vt colligitur è Seraphico, *de ſeptem donis. De dono Fortitudinis cap.2.* & in Diæta *tit.10. cap.4.* & cum eo Suarez *num.4.* Ab aliis verò exponuntur, loqui Angelos non ex ignoratione; ſed admiratione rei magnæ. Probatur quoque ex illo Epheſ.3. *Vt innoteſcat Principatibus, & Poteſtatibus per Eccleſiam, &c.* & Apoc.7. Angelus clamauit admonens quatuor Angelos, ne nocerent terræ, &c. Matth.24. *De illa die nemo ſcit, neque Angeli.* Quamuis ibi addatur *etiam neque Filius.* Vnde ſicut explicatur neſcit, *ad dicendum*; ſicuti cùm dicitur *fouea cæca*, non quia non videat, ſed quia aliis ſe non oſtendit. Ità de Angelis exponi poteſt; vt notat Suarez *num.4.* cum D. Bonau. 4. *d.48. quæſt.4.* Attamen filius intelligitur etiam ſolus adoptiuus; vt notat S.Bonau. *ibi.*

Cæterum Scripturæ paſſim indicant, Angelos in quibuſdam erudiri, vt *Danielis* 10. &c. vt notat Suarez *num.5.* è D. Bonau. *in 3. loc.cit.* vnde eruitur, Angelos non ſcire omnia. Confirmatur à S. D. *de Eccl. Hier.* paſſim, vbi cum D. Dion. *cap.7.* docet, inferiores Angelos à ſuperioribus erudiri, ſeu purgari ab ignoratione. Itaque oppoſita ſententia periculoſa dicitur à Molina *d.5.m.2.* non tamen hæretica eſt, vt notant Suarez, Tanner. &c. quia Scripturæ non ſunt omninò claræ. Et ſi hæreticam proclament Zumel. *art.8.* Ban. hæreſi affinem. 341

Probatvr

342 PROBATVR ſecundò illis argumentis, quibus S.Bonau. *quæſt. præced.* probauit, non poſſe percipi omnia poſſibilia, quia cùm ſint infinita requirent infinitam virtutem, attentionem, &c. Sic enim etiam futuræ cogitationes, & aliæ actiones erunt infinitæ. Et ſi darentur alij homines, & Angeli poſſibiles, eſſent plures, & ideò daretur vnum infinitum diſcretum maius alio, in ratione formali infiniti diſcreti; propter quod negauimus poſſe dari tale categorematicè.

Obiicies è D. Gregor. 2. *Moral.* cap. 2. *Quid non vident, qui videntem omnia vident?*

Reſpondet D. Bonau. *in 4.d.45.dub.9. litt.* loqui de eſſentia Dei, Ideſt videre ſummum obiectum, in quo omnia ſunt eminenter, atque cauſaliter.

343 ASSERO ſecundò, videri à beatis aliquas creaturas quoad exiſtentiam. Patet ex dictis, *quæſt.*23. vbi cum D. Auguſt. oſtendimus, videri creaturas factas. Clare ex dicendis *quæſt.*27. vbi oſtendemus, videri in Deo Myſteria fidei; certè multa facta, vt Incarnationem, &c. Confirmatur à D. Bonau. *de Eccl. Hier.* vbi Angeli aſſeruntur, illuminare inferiores de his, quæ in Verbo vident facta extrà. Idem colligitur è Concilio Senon. & multis Patribus apud Suarez. Sic D. Aug. *l. de cura pro mortuis*, B. Laurentius Iuſtin. *ſerm. de omnibus ſanctis*, vbi ait. Beatos videre clarè pericula, in quibus nos verſamur. Idem habet Nazianzenus *orat.* 11.18.20.22. Cyprian. *l. de mortal.* Tertullianus *l. de Monog. cap.* 10.

PROBATVR à D.Bonau. *ſerm. de S. Michaële* ex illa ſententia Iſidori de ſummo bono cap.12. *Angeli in Verbo Dei cognoſcunt omnia, antequam fiant.* Non quia omnia ſimpliciter videant, ſed quia omnia, quæ ad ſe ſpectant vident, etiam priuſquam fiant, neque ſola reuelatione, vt putat Vaſquez infra cit. vt clarum eſt. Vide *quæſt.* 23.

344 DEINDE id probat S. Bonau. eleganti argumento: Chriſtus *Matth.* 18. ait: *Videte ne Scandalizetis vnum de puſillis iſtis. Dico enim vobis, quia Angeli eorum ſemper vident faciem Patris mei, qui in cælis eſt.* Videtur enim inferre, Angelos videre in Deo, clarè viſo, pericula è ſcandalis imminentia puſillis, ac proinde ſecreta cordium machinantium ſcandala, & propenſionem internam cordis contra puſillos ab Angelis cuſtoditos. Sic argumentatur S. Iulianus Archiepiſc. Tolet. ad hæc verba apud Suarez, cap. 27. n. 10. *Cum Angeli* (ait) *ad nos veniunt huc cuſtodiendos, non ſeparantur à viſione Dei, quia ſi aſpectum Conditoris amitterent, nec iacentes erigere, nec ignorantibus vera nunciare potuiſſent.* Affert S. Bonau. ad id D.Gregorium *l.2. Moral. cap.2. & l.4. Dial.* cap.33. *Quid eſt ergo quod non vident, qui videntem omnia vident?* Igitur S. D. vult, hæc videri in VERBO, non per extrinſecas reuelationes, vt putat Vaſquez *diſp.50.cap.7.*

345 PROBATVR tertiò à S. D. *ſerm.3. poſt Pentec.* ex illo Iſa. 51. *Conſolabitur Dominus Sion, & conſolabitur omnes ruinas eius, & gaudium, & lætitia inuenientur in ea*, & adducit id Lucæ 15. *Gaudium eſt in cælo coram Angelis Dei, ſuper vno peccatore pœnitentiam agente.* Vbi dicuntur Angeli Dei, in Deum viſione transformari, in quo vident pœnitentiam noſtram.

346 PROBATVR quartò à D. Bonau. 3. *d.* 14. *art.* 2. *quæſt.*1. *in corpore.* Qui habet vnde aſſimiletur exemplari omnium rerum, poteſt videre eas. Sed beatus habet lumen gloriæ, quo factus deiformis aſſimiletur VERBO, in quo ſunt omnes creaturæ, etiam vt præſentes ſecundùm conditionem exiſtentiæ: Ergo. Ità arguit etiam Suarez *loc. cit. num.* 11.

Oritur verò quæſtio grauis. An poſſint beati videre omnes creaturas, ſaltem illas ſucceſſiuè in VERBO, quæ non ſunt eis oſtenſæ in eo à principio beatitudinis.

PRIMA opinio eſt, omnes creaturas, quæ in Verbo videntur, videri initio beatitudinis, nec poſſe noua in Verbo poſtmodum videri. Ità D. Thom. *quæſt.*12. *art.*8. & alij adducti in *Sexta ſententia*, excepto D.Bonau. & Scoto.

SECVNDA ſententia eſt affirmatiua. Ità authores ſupra relati pro ſecunda ſententia. in hac cenſetur à Suarez *num.*16. etiam S. Bonau. *in 3.d.14.art.2. q.3.* ſed immeritò.

SENTENTIA D. Bonau. in corpore habetur, ſcientiam omnium futurorum in habitu reſeruari ſoli animæ Chriſti, quæ noua ſemper videre poteſt, dum ſuccedunt. Igitur hoc poſſe fieri, eſt opinio etiam D. Thom. *p.1.quæſt.89. art.*8. dum ait. Beatos videre omnes res, quando ſunt præſentes. Idem ſentiunt Ferrar. 3. *contra Gent. cap.*59. & alij Thomiſtæ, atque authores ſecundæ ſententiæ ſupra aſſerentes de facto id euenire beatis.

POTEST verò dupliciter hæc opinio ſuſtineri. Primò, dicendo in manifeſtatione ſucceſſiua nouarum creaturarum fieri mutationem ſolum in obiectis; 347
quia enim lumen gloriæ in tali gradu habet virtutem manifeſtandi per cauſam effectus in tali gradu, poteſt ſiue hos, ſiue illos effectus obiectos oſtendere. Igitur Deus, qui eſt ſpeculum voluntarium has poteſt obiicere res poſſibiles, vel exiſtentes eâdem omnipotentiâ, eâdem voluntate. Quare hæc noua viſio non aſſeritur à nobis fieri, ſola extrinſeca Dei volontate, vt nobis innuunt Suarez, & Tannerus ſupra, ac Valentia *quæſt.*12. *p.*6. ſed virtute habitûs, nouis rebus appliciti: Exiſtentia verò quarundam creaturarum nihil addit in Deo; alioqui Deus liberè decernendo rem aliquam ad eſſe, addidiſſet ſibi aliquid intrinſecè in ſua entitate; & ità haberet aliquid ſuæ entitatis non neceſſarium ſimpliciter, quod eſt falſiſſimum. Addit ergò ſolùm relationem rationis in Deo, quæ de nouo cognita nihil immutat viſionem obiecti eſſentialis; ſed ſolùm creaturæ, cuius poſſibilitati additur exiſtentia. Neque eſt abſonum, nouas res creatas ſucceſſiuè videri. Quod ſi D. Auguſt 15. *de Trin. cap.*16. ait: *Fortaſſe non erunt in beatis volubiles cogitationes*, & 12. Confeſſionum cap.11. *non mutari viſionem*: loquitur, quoad variationem obiecti eſſentialis, ideſt eſſentiæ Dei, vt notat D. Bonau. 3. *d.*14. *art.* 2. *quæſt.*2. Vel (reſpondet ſecundò S. D.) intelligi, non fore volubiles cogitationes per egreſſum ex ignorantia; non quià beati in actu primo omnia ſciant, hoc enim ſoli animæ Chriſti conuenit, vt ait D. Bonau. ſed quia ignorantia eſt carentia ſcientiæ debitæ, atque adeò dicit deformitatem, quæ in beatis non reperitur; Addit, neque volubiles fore cogitationes beatorum per intimationem (arbitror velle dicere, inquiſitionem,) & per diſcurſum; quia in Verbo, ſimplici intuitu omnia videntur; ſed per tranſitum à notitia harum rerum, ad notitiam aliarum, applicito lumine ad eas, nouiter à Deo obiectas. Idem ſentit cum Seraphico, Ferrar. *loc. cit.*

Poteſt ſecundò ſuſtineri, fieri mutationem in viſionè 348
Dei in ordine ad creaturas, quia quoad hoc, nihil detrahitur beatitudini, cùm ſemper Deus videatur.

ASSERO igitur primò, viſionem omnium rerum decreto Dei firmatarum in habitu, vel actu primo ſoli animæ Chriſti concedi. Hoc probatur à D.Bonau. argumentis primo loco, additis reſponſis, & à nobis oſtendetur 3.*p.tract.*1.*d.*14.*quæſt.*5.

ASSERO ſecundò. Non omnia, quæ fiunt, videntur à beatis in VERBO à principio viſionis.

349 Probatvr primò ex locis allegatis Scripturæ, quibus oſtenditur, noua manifeſtari Angelis. Confirmatur è Concilio Senonenſi aſſerente, beatos videre noſtras neceſſitates occurrentes, vt dixi *quæſt.*23.

Dicere verò eas non videri in Verbo, eſt contra præclaros, & plurimos ſcholaſticos, D. Bonau. *in* 4. *d.*45. *dub.*9. D. Thom. 2. 2. *quæſt.*83. *art.*4. quos ſequuntur Capreol. Gabr. Palud. Maior, Ferrar. Valentia, Molina, Suarez, Caietanus, Suarez apud Tannerum *d.*2. *dub.*10. *num.*8. qui id probabile affirmat. Et eſt D. Gregorij *l.* 12. *Moral. cap.*12. neque negatur ab aliis Patribus, eſto non aſſeratur.

Quod ſi dicant, eas videri in Verbo ab initio, vt futuræ ſunt. Contra, quia videntur etiam, dum actu ſunt, & ex vi futuritionis non videntur in Verbo iam exiſtentes, ſecundum aduerſarios.

Vel ſi ab initio videntur futuræ tali tempore, quo poſtea appareant exiſtentes; iam facta eſt mutatio viſionis earum rerum.

350 Deinde ſequeretur, aliquem minoris meriti plura videre; ſed hoc non poteſt per vos euenire abſque clariori viſione Diuinæ eſſentiæ. Ergo. Probatur ſeq. quia poteſt aliquis Patriarcha plura habere ad ſe ſpectantia; & tamen minoris meriti eſſentialis eſſe, quam Martyr, vel alius.

Reſpondet Soarez, quod iſte alia videbit meliora.

Sed hæc gratis ad fugam adornantur. Quæ enim meliora, cum nulla ad eum ſpectent?

Deinde arguo; nam vnum ex his, quæ ſpectant ad beatum, & proinde ab eo videntur, eſt regulatio propriarum operationum; has autem melius regulabit, qui abundantiori lumine erit præditus, vt diſcurrit S. Bonau. *l.*7. *compend. Theol. cap.*26. quia beatitudo conſiſtit in perfecta operatione. Iam verò abundantiori lumine dotabitur, qui plura videt, vt iſti dicunt. Talis verò poteſt eſſe beatus inferioris meriti.

351 Probatvr tertiò. Beati vident omnia ad ſe pertinentia in Verbo; è Concilio Senon. *in fidei*, *can.*13. vt referam *quæſt. ſeq.* Quod ſi initio viderent futura ad ſe ſpectantia; viderent preces eorum, qui erunt tempore Antichriſti, & in iudicio; & ità ſcirent quando venturum eſt iudicium, contra id, quod dicitur *Matth.*24. Argumenta aduerſariorum ruunt ex fundamento iacto.

Argvmentvm, quod maximè vrget eſt hoc. Si per viſionem ſucceſſiuè viderentur multa in Verbo. Aut fit per eandem viſionem numero immutatam, aut per nouam. Neutrum dici poteſt: Ergo. Non primum, quia non poteſt Deus ſola extrinſeca voluntate præſtare, vt cauſa formalis diuerſis temporibus alium, & alium effectum præter formalem; ſed actus videndi eſt quaſi cauſa formalis, informans videntem. Ergo implicat, eundem actum aliud, & aliud obiectum exhibere. Neque poteſt id fieri per variatam viſionem, quia viſio, quoad eſſentiale obiectum, eſt inuariata, vt ait D. Aug. ſupra.

352 Reſpondetur cum D. Bonau. *loc. cit.* id fieri per eandem viſionem inuariatam, quoad obiectum eſſentiale, ideſt Deum, licèt varietur, quoad obiectum ſecundarium, ideſt creaturas.

Inſtant. Non poteſt variari viſio obiecti ſecundarij in primario, niſi varietur etiam viſio obiecti primarij; ità vt in eo aliqua perfectio videatur.

Reſpondetur, non eſſe neceſſe. Et quidem quoad creaturas poſſibiles, omnes ſunt vnicum obiectum potentiæ Dei, atque adeò poteſt eadem intenſione videri potentia, ſiue videam hos, ſiue illos eiuſdem gradus effectus, quibus ſucceſſiuè mutatis applicer. Quoad res futuras, iam dixi, nihil noui debere beatum in Deo videre; ſed ſolam relationem rationis, & in ſola creatura video nouam exiſtentiam. Et ad vtrumque ſufficit exhibitio Dei, qui eſt ſpeculum voluntarium; & applicatio luminis ad nouum obiectum. Poteſt enim lumen vt quatuor eleuare ad obiectum ſecundarium in Deo vt quatuor, ſiue ſint quatuor homines; ſiue ſint aliæ creaturæ, quæ eundem gradum perfectionis attingant. Tunc autem mutatur cauſa formalis, ideſt viſio, quoad obiectum ſecundarium; & ità non eſt mirum, ſi nouus emanet effectus. Ità inſtantiæ Morandi *quæſt.*18. *num.*246. ſatisfit.

Instant adhuc, non aſſignari, quo pacto in eſſentia Diuina videri queant, quia non eſt exemplar formale creaturarum, ſed eminens, & tranſcendens. Neque eſt cauſa efficiens, niſi per ſcientiam, potentiam, & voluntatem. Porrò ſcientia ſimplicis intelligentiæ non reſpicit ſola facienda, ſed omnia poſſibilia. Ideò in eâ præciſa non apparent diſtinctè futura. Scientia verò conditionalis reſpicit creaturas non adhuc determinatas ad eſſe. Scientia porrò viſionis reſpicit futura. Ideò multi dicunt, in eâ beatos videre futura. Ità Ribas *tract.*3. *d.*10. *num.*12. cum Molina *art.*8. *d.*5. *m.*5. Quò ad omnipotentiam, non poteſt oſtendere diſtinctam res futuras, quia reſpicit omnia alia poſſibilia ante omne decretum, neque vlla adhuc ſunt futura. Porrò decretum nequit exhibere mala culpæ, quæ à Deo non ſunt decreta abſolutè, ſed ſolùm permiſſa à diuinâ voluntate. Ità poterunt videri in decreto permittendi: hæc enim neque Ideas in Diuinâ mente habent refulgentes, ſicut habent entia. Sed de his agam *d.*14. *de Ideis*, *quæſt.*4.

Interim admoneo, inane eſſe quod ait Herize *tract.*4. *d.*52. *cap.*2. non poſſe beatos videre futura diſtinctè in decreto, quia hoc liberum & indifferens eſt ad hanc, vel illam creaturam; neque in ſcientia viſionis, quia in Deo indiſtincta eſt à ſimplici intelligentiâ, & conditionatâ, nihil eis ſuperaddens. Hæc omnia latè refellam *d.* 13. *quæſt.*7. & *d.*16. *quæſt.*9. paſſim. Cætera definiam infra.

QVÆSTIO XXVI.

Quæ res videantur à beatis in Verbo.

Primo quidem certum eſt, in Verbo videri à beatis etiam beatitudinem aliorum, eorumque mentem, vt congaudeant ſimul; & pœnas reproborum, vt gratias agant, vt notat S. Bonau. *in compend. Theol. l.*7. *cap.*26. Vident quoque cogitationes, nedum facta eorum, qui ſuæ curæ ſunt demandati, vt oſtendi ſuprà, *quæſt.*25. & infrà etiam oſtendam. 353

Occurrunt verò præcipuè myſteria fidei; & communiter concedunt ea, quæ creduntur in terris, meritò in cælis videri. Sunt autem duo genera. Alia enim continentur vno indiuiduo, vt Incarnatio, & cætera, quæ Chriſto euenerunt, aut B. Virgini. Alia verò ſunt myſteria, quæ in multis indiuiduis multiplicantur, vt ſunt Reſurrectio mortuorum, Myſteria Euchariſtiæ, & ſimilia.

Assero primò, Beatos videre myſteria fidei in 354
Verbo.

Probatvr primò à D. Bonau. *opuſc. de ſeptem gradibus contemplationis*, ex illo 2. Cor.3. *Nos autem reuelata facie gloriam Domini ſpeculantes in eandem transformamur imaginem à claritate in claritatem.* Idem habet *de ſeptem itineribus æternitatis, d.* 7. *ſecundi itineris*. Et *itinere tertio*, *d.*7. vbi refert etiam illud Iob 42. *Auditu auris audiui te: nunc autem oculus meus videt te.*

Vult ergo dicere, nos non eſſe beatos ſub velamine vmbroſo; ſed claritate gratiæ iam transformatos à claritate in claritatem illam gloriæ, vt ibi videamus, quod hic credimus, & ſperamus. Ità exponitur etiam à D. Ambroſio, Anſelmo, & Thoma in Paulum, & à D. Auguſt. *epiſt.*112. *cap.*21. & 15. *de Trinitate c.*8. Hac authoritate vtitur Suarez *c.*28.*l.c.* poſt alios.

355 PROBATVR ſecundò à D. Bonau. *in compend. Theol. ver. l.*7. *cap.*26. ex illo 1. Cor.13. *Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate; tunc autem facie ad faciem.* Ergo beati in Verbo videbunt ea, quæ crediderunt. Maximè autem probat hoc teſtimonium, nos viſuros ea, quæ de ipſo Deo credimus. Idem habet S.D. *in Dieta, tit.*10. *cap* 4.

Propterea multi notant erroris, oppoſitum aſſerere; ſaltem quò ad viſionem eorum, quæ de Deo credimus; vt aduertit etiam Suarez *l.*2. *cap.*28.

PROBATVR tertiò è D. Bonau. 1.Cor.3. *Cùm venerit, quod perfectum eſt, euacuabitur quod ex parte eſt.* Ergo in patria habetur perfecta cognitio Myſteriorum, quæ in via cognoſcuntur. Ità etiam Suarez *loc. cit.* Tanner. *d.*2.*q.*6. *dub.*10. *n.*5. Valentia *q.*12. *p.*6. Molina *q.*12.*art.*8.*d.*5.

356 ASSERO ſecundò, Beatos videre ea, quæ ad eos pertinent. Hanc regulam ſtatuit D.Th. *q.*12. *primæ partis*, & 3.*p. q.*10. *art.*2. & 3. *cont.G.cap.*59. quem ſequuntur diſcipuli. Quod etiam ſignificauit Concilium Senon. dum ait: *Videre, quod eorum intersit.* Ità etiam S.Bonau. *infra, locisque adductis.* Ideò Concilium Senon. *in decr. fidei cap.*13. ait: *Beatis peruium eſſe vniforme illud diuinitatis ſpeculum, in quo quicquid eorum interſit, illuceſcat.*

357 RATIO verò eſt, quia beati appetitu valdè rationi conſentaneo cupiunt hæc videre; illa autem viſio ſatiat omnem huiuſmodi appetitum. Ità arguit Suarez *c.*28. *num.*15. cum Seraphico, de ſeptem donis *De dono Sap. cap.*9. Hanc rationem ſumpſit è D.Aug. 22. *de ciu. cap.*30. ante medium, vbi poſtquam dixit: *In ea patria nullum latebit bonum, ideſt beato bonum*, ſubdit ex ore Dei. *Ero illorum Deus: & ipſi erunt mihi populus, & ero illis vnde ſatientur. Et ego ero illis quæcunque ab hominibus honeſtè deſiderantur, & vita, & ſalus, & virtus, & copia, &c.*

358 An beatos verò ſpectant ea, quæ ipſorum ſunt, nempè reſurrectio corporum, vt oſtendit S.Bonau. *loc.cit.cap.*8. è D.Bernardo *l. de diligendo Deo*, longè poſt medium: ex cuius vnione æſtuans deſiderio anima videtur aliqualiter à tendentiâ in Deum retardari, vt refert D. Aug. *l.*12. *de Geneſ. ad litt. cap.*35. & oſtendam *t.*2. *tract.*1.*d.*2.*quæſt.*20.

359 Similiter ſpectant ad illos ea, quæ in mundo reliquerunt, puta coniuncti ſanguine, affinitate, educatione, inſtructione ſpirituali, vt notant communiter T.T. apud Suarez *loc.cit.* & probatur à D.Bonau. *loc. cit.cap.*9. è D. Cypriano *de mortalitate*, & habetur in Breuiario in octaua omnium Sanctorum. *Magnus illic nos charorum numerus expectat; parentum, fratrum, filiorum frequens nos, & copioſa turba deſiderat iam de ſua immortalitate ſecura, & adhuc de noſtra ſalute ſollicita.*

360 AD eos quoque pertinet ſalus, & incolumitas Eccleſiæ, quod probat S.Bonau. *loc.cit.cap.*10. illo Lucæ, vbi dicuntur conſtitui ſuper familiam Dei, & ſuper omnia bona diuina: & concludit; ibi viſuros quicquid deſiderant, & amant. Aliam quoque rationem habet ibi S. D. quia perfectam in proximos charitatem habebunt, tanquam in ſeipſos. Ipſum vide egregiè diſſerentem de conuiuio ſapientiæ in gloria. Porrò Sanctos in VERBO videre ſtatum ad ſe pertinentium docent etiam D.Th. 2.2.*q.*83.*art.*4. vbi Caietanus. Et 3.*p.q.*10. *art.*2. & *in* 4. *d.*45.*q.*3. *art.*5. poſt magiſtrum *ibi cap. penult.* Ferrar. 3. *cont.G.cap.*60. Soto 4.*d.*49. *q.*3. *art.*3. Gabr. *lect.*31. *in can.* Suar. *loc.cit.n.*18. & alij: & latè S.Bonau. *in* 4.*d.*45.*art.*3. vbi alias etiam rationes allegat. Hanc veritatem latiùs habebis 1.2. *tract.*5. qui de Gratia erit *d.*4.*q.*16.

Neque verò eſt eo, quòd aliquis beatus plura videat ſucceſſiuè, tanquam ad ſe pertinentia, quàm alius maioris meriti; erit ob id eo beatior, vt putat ſequi Vaſquez.

ASSERO tertiò. Beati vident etiam mundum, naturalia entia, &c. Vide S.Bonau. *in Dieta tit.*10 *a cap.*8. ad finem, maximè *cap.vlt.* vbi beatos Reginæ Sabæ aſſimilat, quæ vt habetur 3. *Reg.cap.*10. videns aulam Salomonis, menſas, ordines miniſtrantium, &c. extra ſe rapta eſt: ſic (ait) Anima beata videt ſapientiam in operibus naturæ oſtenſam, vt dicitur Pſal. 146. *Cuius ſapientiæ non eſt numerus*: & in operibus quoque gratiæ, de quibus *Iacobi* 1. & in opere Incarnationis, in qua ædificauit ſibi domum, in qua ſunt omnes theſauri ſapientiæ, vt dicitur *Coloſſ.*2. & in opere beatitudinis, vt dicitur Ioan.14. *In domo Patris mei &c. habitacula ſeruorum &c.* rapitur. Eum legito, quia dignus eſt, vt aureis typis imprimatur. Et *ſerm.* de S.Michaële, & aliis Angelis: & ſermonibus de omnibus ſanctis, vbi oſtendit, eos videre noſtras neceſſitates, & orare. Et *in* 4. *d.*49. *dub.*9. vbi dicit, eos videre eas in VERBO, partim reuelatione. Vnde etiam Suar. *num.*8. poſt D.Th. *art.*8. Molinam *art.*8.*d.*5.*m.*5. Valentiam *q.*12.*p.*6. Tannerum *d.*2.*q.*6.*dub.*10.*n.*6. qui allegat, & Ferrar. 3. *cont.G.cap.*59. vbi etiam D.Th. Sotum *in* 4. *d.*49.*q.*3.*art.*3. & recentiores Thomiſtas. 361

TANDEM hoc ſenſu ait D. Gregorius *l.*2. *Moral. cap.*2. apud D. Bonau. ſerm. cit. *Quid enim non vident, qui videntem omnia vident?* non quia omnia facta, vel facienda videant etiam in actu primo, vt imponit Tannerus *d.*2.*q.*6. *dub.*10. Seraphico, *in* 3 *d.*14. *art.*2.*q* 3. hoc enim priuilegium concedit S.D. ſoli animæ Chriſti, vt oſtendam 3.*p.t.*1.*d.*14.*q.*5.& 6. vbi ſententiam S.Bonau. defendam.

Non omnes verò beatos omnia videre, patet ex dictis *q.*24. in fine, vbi retuli authoritates, quibus ipſe S. Bonau. oſtendit hoc eſſe falſum, quibuſque nititur Tannerus; vbi referuntur Angeli multa ignorantes etiam in actu primo; vnde cupientes ſcire non tam citò cognouerunt. *Iſa.*63. *Dan.*10. *Matth* 24. *Eph.*3. Fuit tamen eorum appetitus impletus opportunè, quò ad ea, quæ appetebant. Hinc roboratur aſſertum à D.Th. *art.*8. & D.Bonau. *loc.cit.* quia beati hæc ſcire cupiunt, Deus autem eorum deſideria complet. 362

QVÆRES an poſſit videri Deus, nulla viſa creatura. Vide opiniones in Tanner. *d.*2.*q.*6. *d.*11. Dico, non poſſe, quin aliquæ poſſibiles ſaltem confusè videantur.

PROBATVR. Relatiua ſunt ſimul cognitione; at potentia eſt relatiua ad creaturas poſſibiles relatione rationis: nempè, quia non poteſt intelligi ſine creaturis. Ergo. Quòd verò non referatur realiter, nihil obeſt, vt credunt Tanner. Becan. At profectò non video, qua ratione videre poſſim clarè potentiam, quin videam illam poſſe aliquid ſaltem in genere; neque omnipotentiam, quin videam poſſe omnia, atque relationem eorum realem ad Deum; in quo fallitur Becan. *c.*9.*q.*13. 363

HÆC ratio innuitur à D. Bonau. *in* 1.*d.*3.*p.*1.*q.*2. *fund.*2. Cognita cauſa, neceſſariò cognoſcitur effectus, ſi cauſa agnoſcatur, vt cauſa. Sed Deus ſecundum omnipotentiam eſt cauſa creaturarum. Ergo. Hanc doctrinam ſequuntur Molina *p.*1.*q.*12.*art.*8.*d.*4. & *d.*5.*m.*1. Suar. (timidè tamen) *l.*2. *de Deo cap.*26.*n.*13. vbi adducit Capreolum *in* 4.*d.*49.*q.*5.*art.*3. Sotum *q.*3.*art.*3. & modernos Thomiſtas, in quibus Zumel *q.*12.*art.*8. & ex parte Bannes *art.*8. *dub.*vn. 364

QVÆSTIO XXVII.

An & quomodo videntes Deum, illum non comprehendant.

D. Bonau. in 1. d. 3. p. 1. q. 1. ad 1. & in 3. d. 14. q. 1.
D. Thom. q. 12. art. 7.

365 VIDIMVS, beatos clarè intueri totum Deum, quia eſt ens ſimpliciſſimum, ità vt nihil ſit Dei, quod ab eis non videatur; ex quo aliquis poſſet deducere, eum comprehendi, nam ex D. Auguſt. *epiſt.* 112. *cap.* 8. Illud comprehenditur, quod ità videtur, vt nihil illius lateat videntem, & cuius fines circumſcribi poſſunt: vt notat D. Bonau. *loc. cit.* & poſt eum Suar. *l. 2. c. 29.*

SCITO primò ex D. Bonau. *in* 3. *loc. cit.* in fundamentis, verbum *comprehendo* deriuatum à modo continendi quantitatiuo res corporeas. Primò igitur, dicitur aliquis comprehendere, cum arripit, quem inſequebatur. Sic in ſpiritualibus dicitur comprehendiſſe, qui optata conſecutus eſt. Philip. 3. *Sequor autem, ſi quo modo comprehendam.* Sic & comprehendere Deum in via dicitur is, qui illi perfectè vnitur. Hinc S. Bernardus *l. 5. de conſider. in fine* ait: *Si ſanctus es, comprehendiſti.*

SECVNDÒ, ſumitur in corporalibus pro eodem, ac continere intra limites ſuos. Si aliquid intra domum eſt clauſum, vel in circulo, vel in dolio; dicitur illud comprehendi. Et hoc quoque dicimr de quantitate virtutis. Sicuti ſi quis videat viſione vt quatuor, colorem vt quatuor, dicitur eum comprehendere: & anima dicitur toto corpore comprehendi; non tamen à ſingulis membris vtroque modo. Hinc tranſlatum ad intellectionem, illud comprehenditur intellectione, quod intelligitur totum, & totaliter; ideſt quantum intelligibile eſt, ità vt intellectio adæquet totam intelligibilitatem obiecti: Et hoc modo ait S. Aug. *Id quod comprehenditur, ſcientis comprehenſione finiri*, vt dixi *q. 24.* non quod reddatur finitum, ſi infinitum ſit; ſed quia adæquatur; vt notat Scotus 3. *d. 14. q. 1. ad* 2. poſt D. Bonau. infra adducendum. Igitur finitur non poſitiuè, vt intra veluti ſepta claudatur, ſed negatiuè, ita vt extrà non extendatur. Deus igitur eſt incomprehenſibilis vtroque modo à creatura, vt habet Pſal. 138. *Mirabilis facta eſt ſcientia tua ex me: confortata eſt, & non potero ad eam. Quò ibo à ſpiritu tuo, & quò à facie tua fugiam?* Hæc S. Bonau. *loc. cit.* & poſt eum Vrinenſis *tract. 2. q. 10.* Trigoſ. *q. 7. art. 1. dub. 7.* Vaſq. *d. 52.* Suarez *l. 2. de attrib. neg. cap. 29.* Valentia *d. 1. q. 12. p. 5.* Amicus *d. 10.* Faſol. *hic art. 7.*

366 ASSERO igitur, Deum eſſe incomprehenſibilem à beatis. Ità definitur in Concilio Later. *Deus immutabilis, incomprehenſibilis*; neque verò putamus, Concilium argumentari. Eſt immutabilis: ergo incomprehenſibilis, vt nobis adſcribit Arriaga; ſed duas aſſerimus diſtinctas propoſitiones. Sicuti per nullam potentiam eſt mutabilis: ita à nullâ poteſt comprehendi. Neque dicas Concilium non loqui hoc ſenſu, nam in cap. *Damnamus* aſſerit. *Credimus, & confitemur cum Petro Lombardo, quòd vna res eſt incomprehenſibilis Pater, Filius, & Spiritus Sanctus*; & loquitur ad ſenſum magiſtri; non Vaſquij *d. 52. cap. 2.*

PROBATVR primò à D. Bonau. *in 4. d. 46. dub. 4. litt.* ex Rom. 11. *O altitudo diuitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei! quam incomprehenſibilia ſunt iudicia eius &c.*

Reſpondet Vaſquez, Apoſtolum non loqui de eſſentia; ſed de iudiciis Dei.

HINC ſubſumo ego: Si incomprehenſibilia ſunt iudicia Dei, quæ ſunt tantùm aliquid Dei. Ergo multò magis Deus. Quare fruſtrà inſtans Arriaga etiam *d. 13. ſect. 3.* hunc locum conatur infirmare dicens; Apoſtolum ſolum velle, Deum naturaliter à creatura non poſſe comprehendi; at diuinâ reuelatione comprehendi; ſicuti dicitùr etiam inuiſibilis, cùm tamen diuinitus videatur. Ex quo deducit, non eſſe de fide, Deum eſſe incomprehenſibilem. At nota, Apoſtolum argumentari incomprehenſibilitatem iudiciorum Dei è theſauro diuitiarum inexhauribili ſapientiæ Dei, quæ infinita eſt; vnde clamat. *O altitudo diuitiarum ſapientiæ, & Scientiæ Dei!* Huius porrò infinitatem infert ex infinito intellectu. *Quis enim nouit ſenſum* (Syriacè) *mentem Domini?* Ruſus hanc deducit è ratione notiori Primæ cauſæ omnipotentis, ſapientiſſimæ, & finis optimi vniuerſalis. *Quoniam ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia.* Hinc denique infert adorandam eius deitatem: *Ipſi gloria.* Eſt enim ſumptum ex *Iſa.* 40. Ergo infinitas iudiciorum eſt ità incomprehenſibilis ſimpliciter, ſicut ſapientia, intellectus, Deitas, &c.

PROBATVR ſecundo ab aliis apud D. Bonan. 3. 367
d. 14. q. 3. ad 1. ex 1. Tim. 6. *Qui lucem habitat inacceſſibilem*, ſed aduertit S. D. & coacti Vaſq. *d. 52. num* 9. Arriag. *loc. cit.* ibi ſolùm aſſeri non eſſe vndequáque comprehenſibilem, aut naturâ viſibilem.

PROBATVR tertiò à D. Bonau. *loc. cit.* ex illo Iob 11. *Forſitan veſtigia Dei comprehendes?* Et addit Gloſſam exponentem. *Eius eſſentia a nullo planè videbitur, ſcilicet circumſcribendo.*

Reſpondet Vaſquez, loqui de iudiciis, quæ ſunt inſcrutabilia, niſi reuelentur.

Contra; nam ſubdit: *Nunquid vſque ad perfectum omnipotentem reperies?* Quaſi dicat; Nequaquam; vt notat Lyra. Ergo de incomprehenſibilitate abſoluta diuinæ potentiæ loquitur; & quia potentia non eſt maior, quàm eſſentia, à qua fluit, vt monet S. D. hîc; ideò etiam eſſentia aſtruitur incomprehenſibilis. Eſt autem tale argumentum. Nunquid veſtigia Dei comprehendes? id eſt creaturas, quæ ſunt Creatoris veſtigia; vt ità comprehendas Dei omnipotentiam? Abſit: & ſubdit. *Excelſior cœlo eſt.* Id eſt immenſus, & ſapientiâ in infinitum tranſcendens: *Profundior inferno, & vnde cognoſcis? Longior terrâ menſura eius, & latior mari.* Seu æternus. Sic exponunt Gloſſæ. Hoc argumento, ex ignorantia totalitatis creaturarum, inferunt, Deum incomprehenſibilem S. Baſilius *epiſt. ad Eunom.* Nazianzenus *orat. 2. Theol.* Confirmatur ex 1. *Cor.* 2. vbi ait: *Spiritus omnia ſcrutatur, etiam profunda Dei*; & *Quæ ſunt Dei, nemo nouit, niſi Spiritus* 368
Dei. Vbi ſoli Deo adſcribitur penetratio omnium diuinorum, è quibus aliqua nobis impertiuntur, vt docet Seraphicus 3. *d. 14. dub.* 2. qui ad *Sap.* 7. colligit idem argumentum Deitatis Spiritûs ſancti, eò quòd ibi dicitur: *Omnia proſpiciens.* Et Iob 37. *Super omnes cœlos conſiderat.* Quod argumentum non eſſet efficax ad probandam Deitatem, ſi creaturæ, vt eleuatæ, poſſent Deum comprehendere; vt notat Caſpenſis; ea enim, quæ deitatis ſunt, nequeunt creaturæ concedi. Ità ait Suar. 3. *p. d. 26. ſect.* 1. eſſe de fide.

PROBATVR quartò à S. D. Comprehenſio requi- 369
rit æqualitatem intellectionis ad rem intellectam in ratione obiecti, & potentiæ. Sed nullus intellectus eſt infinitus in ratione intelligendi. Ergo non poteſt æquari obiecto Deo infinito. Maior eſt D. Auguſt. *epiſt.* 112. vt notat Morandus *tract. 2. quæſt.* 22.

Hinc malè Vaſquez reſpondet, non eſſe neceſſe, vt intellectus æquiparetur obiecto entitatiuè; ſed ſufficere æquiparari Intentionaliter: Hoc enim ſolum exigo, nec amplius requirit Seraphicus, vt dicam in

fine;

ſine; & hic eſt verus modus comprehenſionis apud antiquos Theologos, vt notat Smiſing. *d.7.q.1.* imò & Recentiores, vt addit Morandus *tract.2.q.22.*

370 PROBATVR quintò à S. D. *loc. cit.* Ad comprehendendum Deum infinitum, requiritur cognitio infinita. Sed hæc non poteſt conuenire creaturæ. Ergo. Probatur Maior. Nam ad cognitionem comprehenſiuam requiritur, vt tota entitas, & tota virtus eius, & quicquid ex eius effectibus poteſt prodire, intellectu ità concludatur, vt nihil lateat, vel aliud in obiecto reperiatur, quæ omnia ſunt infinita in Deo. Hac ratione vtuntur D. Th. *hic*, & communiter, vt notat Morandus *loc. cit. num.278.*

Reſpondet Arriaga *d.13. ſect.5.* cum Herize *d.51. num.12.* omnes creaturas poſſibiles videri poſſe finita viſione; ſicut anima Chriſti viſione finità videt in VERBO omnes.

371 Verùm anima Chriſti non actu; ſed habitu tantùm cognoſcit omnia, non quidem habitu continente in ſe præcisè omnes actus, & omnia obiecta, vt putat Arriaga *num.57. ſubſect.5.* ſed habitu, quo, accedente Dei placito, omnia poſſint manifeſtari; non enim repugnat habitus indifferens oſtendens omnia, quæ Deus voluerit, vt patet in aliis habitibus fidei &c. qui ſunt indifferentes ad efficiendam credulitatem cuiuſque rei reuelabilis, vt concedit Arriaga *d.12. ſect.4. ſubſect.1.* & Herize *d.51. num.5.*

HÆ rationes clariùs elucebunt, dum oſtendero, in quo ſtet hæc Dei incomprehenſibilitas; in quo poſita eſt maior difficultas. Modos præcipuos dicam.

372 Primus modus explicandi incomprehenſibilitatem Dei eſt Vaſquez *d.53. cap.5.* Deum ideò incomprehenſibilem à beatis: quia ex vi viſionis nequeunt videre ea, quæ in Deo ſunt virtualiter, nam concomitanter ſolùm vident creaturas in VERBO. Hic modus, quò ad fundamentum, confutatus eſt *quæſt.23.* Eundem modum ferè tradit Suarez *l. 2. de Deo, cap.29.* & *tom.1. 3.p. d.26. ſect.2. & 3.* concedit tamen aliquas creaturas in VERBO poſſe videri, cont. Vaſquez; vt dixi *quæſt.24* Sic igitur Suarez explicat incomprehenſibilitatem Dei ex parte obiecti, quia non poteſt perfectè videri, vt cognoſcantur omnia, quæ in Deo ſunt virtute, & eminenter. Quamuis enim beatus videat in Deo quicquid in eo eſt formaliter; non tamen videt omnia, quæ ab eo pendêre poſſunt; neque enim poſſibilia, quæ ab eo eſſe poſſunt, atque omnia futura, quæ ab eo ſunt, cognoſcit. Hunc modum adſcribit Vaſquez D.Th. *quæſt.12. art.8.* Alenſi *p.1. quæſt.7. m.1.* & Nominalibus, quatenus dicunt, Deum non comprehendi, quia non poteſt ſecundùm omnia prædicata, quæ illi conueniunt, à beatis videri. Eum ſequuntur Morand. *loc. cit.* Faſulus *art.8. d.19. num. 105.* & ferè Becanus *cap. 9. quæſt.11.*

373 HVNC impugnat Maſtrius *d.6. de anima, quæſt.12. à num.340.* & Amicus *d.10. ſect.1. & 2.* Ad comprehenſiuam cognitionem non ſunt neceſſariò videnda illa, quæ in obiecto continentur eminenter, aut virtualiter. Sic enim & Planeta Iouis, epiciclo comprehenditur, etiam ſi non comprehendatur virtus, quam ex epyciclo emittit ad nos, atque diffundit. Ità etiam Poncius *d.3. q.6. num.52.* Tannerus *d.2. quæſt.6. dub.6. num.9.*

VERVM ab hoc expedit ſe Vaſquez negando paritatem, quia virtus, V.g. Planetæ Iouis diffuſa per orbem non ſpectat ad quantitatem molis, ſecundùm quam fit eius comprehenſio in epiciclo: at comprehenſio intellectiua eſt virtualis, quæ includere debet totam ſubſtantiam, atque illius virtutem. *Vide noſtram quæſtionem vigeſimam quartam, argumento tertio.*

Meliùs refellitur ab Arriaga *d.13. ſect.4.* quia Suarez, & Vaſquez concedunt, poſſe omnia poſſibilia, & futura à beatis cognoſci per reuelationem; ac proinde ſequitur poſſe comprehendi.

QVOD verò reſpondet Vaſquez, debere cognoſci ex 374
vi cognitionis eiuſdem, qua Deus videtur, non autem ſolùm comitanter. Et quia creaturæ nequeunt ex vi viſionis obiecti primarij videre omnia poſſibilia, & futura; ideò non comprehendunt Deum; at verò ipſe Deus ſeipſum comprehendit, quia eſt ſua ſapientia, & ex vi viſionis ſui ipſius videt omnes creaturas.

Contra inſtat Arriaga; quia gratis, & contra communem ſenſum Sanctorum Patrum, atque Theologorum ponitur comprehenſio Dei in hoc, vt ex vi viſionis obiecti primarij videantur creaturæ; atque adeò ſumatur comprehenſio ex parte ſubiecti videntis; non ex parte obiecti, quæ ſanè eſt expoſitio violenta communi acceptioni comprehenſionis ſumptæ è corporeis, vt ipſe Vaſquez docet. Sicut autem ad comprehenſionem Planetæ parum refert: an epiciclo aureo, vel Sapphirino, aut mixto comprehendatur; ſic ad intellectiuam comprehenſionem parum refert: an ex vi beatæ ſolius viſionis comprehendatur: An verò & reuelatio accedat. Sic ruit & Becan.

QVO ad D.Th. is *art.8.* ait; ideò non poſſe res om- 375
nes cognoſci, quæ ſunt in Deo, quia eſt incomprehenſibilis; tamen non ponit in eo rationem incomprehenſibilitatis, vt notat Tanner. *num.9.* Quare non rectè Maſtrius *d.6. q.9. num.251.* Thomiſtis circulum vitioſum adſcribit, quaſi incomprehenſibilitatem Dei probent, ex eo, quòd non poſſint videri omnia, quæ ſunt virtualiter, & eminenter in Deo; deinde arguunt è contra, non poſſe ea omnia videri, quia ſequeretur Dei comprehenſio.

SECVNDA ratio eſt quorundam Recentiorum, quos 376
ſequitur Hurtadus *d.10. de anima ſect.3.* Beatos non comprehendere Deum; quia nequeunt videre omnes effectus eius; nunc autem non comprehenditur cauſa, quandu vnus effectus eius ignoratur, vt dicebat primus modus. Iam verò non poteſt actu viſionis videri ipſa viſio, quæ eſt vna è creaturis; vt dixi *q.24.* circa finem.

Verùm hæc incomprehenſibilitas Dei eſſet minutula, atque etiam creaturis multis communis; nam neque Angelus poſſet ſe comprehendere, quia non poſſet cognoſcere ſua cognitione ipſam cognitionem, vt dixi *quæſt. cit.* Quòd ſi dicas, poſſe Angelum ſupernaturaliter eam cognitionem cognoſcere, ac proinde actu directo ſe comprehendere. Ego dico repugnare, vt oſtendi *quæſt.24.* cognitionem, quæ nondum eſt, iam eſſe, tanquam obiectum, præparatam. At eſto. Eodem modo ſequitur, etiam Deum poſſe comprehendi à beato ſupernaturaliter adiuto.

ALII incomprehenſibilitatem Dei eodem funda- 377
mento ſumunt ex incomprehenſibilitate effectuum; Eos verò non poſſe omnes comprehendi; quia nulla creata cognitio eſt indifferens ad cognoſcendas, præter poſſibiles creaturas, etiam eas, quæ futuræ ſunt; nam omnis cognitio eſt determinata ad ſuum obiectum.

SED hoc pacto, neque Angelus ſuperior poſſet 378
comprehendere inferiorem. Nulla enim cognitio creata eſt indifferens ad cognoſcendum odium, vel amorem, prout liberè exit ab Angelo.

Prætereà non debemus nouas rationes comprehenſionis excogitare, alienas à communi fundamento, vnde educta eſt metaphora comprehenſionis; alioqui ſi nouas rerum acceptiones ad libitum excogitemus, nihil firmum vnquam definiemus, vt ſæpe admonet Vaſquez cum Seraphico D. & dicemus paſſim. Alias quoque rationes vide *quæſt.24.*

SECVNDVS

379 SECVNDVS modus eſt Albertini *corol.2. princ.6. & 7.* & aliorum Recentium, inter quos numerantur etiam Caiet. *ad art. 6. D.Thomæ*, & Ferrar. *1.cont. G. cap.56.* Victoriaque, Deum eſſe incomprehenſibilem ex ſe, vt obiecto, etiam quoad ea, quæ formaliter ſunt in eo; quia nequeunt perfectiſſimè, ſecundùm omnes gradus ſuæ perfectionis, intelligi à creato intellectu, ità vt, licèt ſecundùm omnia prædicata formalia cognoſcatur; tamen non capiatur ſecundùm omnes gradus, quia ad hoc requiritur cognitio infinita, vel lumen infinitum. Exemplo rem declarat Albertinus, in viſione albi intenſi, quod à longè ſubfuſcum apparet, & ſi tota albedo videatur. Et exemplo Solis, qui, licèt totus videatur; tamen vix nobis apparet bipalmaris.

Hunc modum refellunt tanquam improbabilem, & parum fidei conſonum, Vaſquez *d.53. num.2.* Suarez *l.2. cap.29.num.16.* Tanner. *num.5.* Valentia *q.12.p.6.* Molina *art.7.* & Thomiſtæ.

Refellitur à D. Bonau. primò locis adductis *q.18.& quæſt.19.* Nam in patria: *Videbimus Deum ſicuti eſt.* 1. Ioan. 3. cùm igitur illi gradus formales ſint entitas ipſa formalis Dei, atque perfectio intrinſeca; non poteſt videri Deus, quin videatur & gradus ille.

Secundò reiicitur à S.D. *in 3. d.14. q.2. in corpore*, & ad argumenta; quia ſequeretur, Deum videri per partes, vt oſtendi *citatis quæſtionibus*; ac proinde gradus illos eſſe diſtinctos à parte rei. Quod ſi attributa, quia non diſtinguuntur, non poſſunt præciſa videri; moltò minùs gradus eiuſdem attributi, qui ſunt maximè vnum. His rationibus non ſatisfecit Albertinus, vel alij.

380 Tertius modus eſt Nominalium, qui multos comprehenſionis modos recenſent; inter quos eſt hic, vt omnia prædicata, quæ illi rei conuenire poſſunt, comprehendantur, & hoc modo aiunt, ſolum Deum ſeipſum cognoſcere.

CONTRA. Nam, vt arguit S.D. *loc. cit. ad 3. & 4.* Multitudo prædicatorum in ente ſimpliciſſimo, ex parte obiecti, videtur vt vnum ſimpliciſſimum, quod totum intelligitur, non per partes, & partes ad modum prædicatorum entis compoſiti; puta ex partibus phyſicis, & gradibus Metaphyſicis.

Hinc alius modus comprehenſionis allatus à Nominalibus arcetur à Deo, vt videantur omnes partes eius diſtinctiſſimæ.

381 QVARTVS modus eſt D. Bonau. *loc. cit.* D.Th. *art.7.* quem omnes diſcipuli ſectantur, & Richard. *in 3. d.14.art.1.q.4.* Scotus *q.1.* cum ſuis: Durand. *quæſt.1. num.10.* Carthuſ. *in 4.d.49.q.4.* Maior *d.49.q.15.* Sotus *q.3.art.1.* Nominales, quorum nomine loquitur Gabriël *in 3.d.14.q.vn. dub.7.* Valentia *q.12.p.6.* Molina *q.12.art.7.* Tannerus *d.2 q.6.dub.6.n.10.* Morandus *loc. cit.* Theophylus Raynaudus *in Theol. naturali d.7.q.2. art.2. n.110.* Marcus à Baudunio *q.12. art.2. d.1.* Caſp. *de viſione beata d.5. ſect.3.* Trigoſius *q.7. art.1. dub.7.* Maſtrius *d.6.q.9.n.252.* adducens Lexanam, Arriagam, Ouiedum, & alios; & hac noſtra tempeſtate magno excipitur plauſu. Sic verò explicatur; Deum non poſſe comprehendi: quia, vt aliquid cognitione comprehendatur, debet videri clarè res, quantùm cognoſcibilis eſt: ità vt non ſolùm tota entitas, ſed tota eius virtus comprehendatur, & totum totaliter, quantùm cognoſcibile eſt; ita vt cognitio in ratione cognitionis adæquetur intelligibilitati obiecti; atque adeò nihil remaneat intelligibile in obiecto, quòd
382 à potentia non ſit intellectum. Dat Seraphicus molta exempla. Linea, v.g. terminat totum punctum, non tamen quantum terminabilis eſt; ſeu (vt aiunt) *Totaliter*; quia habet virtutem terminandi infinitas lineas alias. Aduertit tamen S. Bonau. *in 3.d.14. q.2. ad arg.* diſparem in hoc eſſe rationem: nam in puncto eſſentia, & virtus differunt; non ſic in Deo, vnde cognoſcens totam eſſentiam, cognoſcit totam virtutem ſecundùm omnes gradus: ſic beatus videt totam potentiam Dei ad omnia poſſibilia; non tamen videt diſtinctè iſta obiecta, quantum viſibilia ſunt. Aliud exemplum affert. Oculus lumine intenſus vt quatuor, videt totam albedinem claram vt octo; non tamen videt totaliter, quantùm illa viſibilis eſt; aut videt litteras aliquas longè, non tamen comprehendit earum perfectionem: imò vnus, alio clariùs eas videt (ait in Compendio *loc. cit.*) eſt tamen diſcrimen, quia in albedine eſt differentia coloris, vt albedinis à claritate, quam emittit: ſic & in litteris; non ſic in Deo. Inſuper ideo albedo intenſa vt ſex, videtur tantùm vt quatuor, quia imperfecta eſt viſio; quare ſubfuſca videtur. Et Sol ingens centies ſexies, & ſexagies, quantum eſt globus terræ, & maris, apparet nobis vt diſcus palmaris; (in quo deceptus eſt Albertinus) afferens hæc exempla pro ſua opinione, vt notat Tannerus *num.9.* at viſio Dei eſt clara obiecti, vt in ſe eſt, in quo gradus entitatis, ſunt vna entitas ſimpliciſſima, vt teſtiicat S. Bonau. *in 3. loc. cit. ad argumenta.*

ALIAM ſimilitudinem affert S. Bonau. Sicut anima noſtra eſt tota in ſingulis membris; ità tamen, vt ſit extrà ſingula; ſic & Deus, ità totus à beatis ſingolis apprehenditur, vt non comprehendatur. Et hoc exemplum, quod à quantitate virtutis ſumitur, meliùs aptatur.

PRO quo aduertit Seraphicus, infinitum ſumi à quantitate, ex Ariſtot. *3.Phyſ.t.63.* Eſt autem duplex 383
quantitas, è D.Aug. *l.de quantitate animæ, cap.3.& ſeq.* & ideò ſecundùm vtramque poteſt ſumi infinitum; ſed differenter, quoniam enim quantitas molis eſt partialis; ideò repugnat ſimplicitati; at quantitas virtutis tantùm abeſt, vt repugnet ſimplicitati, vt potiùs ſimpliciora ſint perfectiora, & virtuoſiora. Quoniam ergo Deus eſt infinitæ virtutis, & ſimplicitatis poteſt totus videri, 384
quia ſimplex; non autem totaliter, quia infinitus; quia viſio creata eſt finitæ virtutis non attingens ſimplex ſecundùm infinitatem. Hinc non poteſt aliquis beatus comprehendere Deum, licèt totum videat: quia non videt eum, quantum viſibilis eſt, v. g. in eſſentia non videt infinitam perfectionem, quantum viſibilis eſt: omnipotentiam ità videt totam, vt non comprehendat omnes effectus, quantùm comprehenſibiles ſunt: ſic ſapientiam, vt non comprehendat, quæ à Deo cognita ſunt; & quantùm cognita ſunt. Idem dic de bonitate, eiuſque communicationis gradibus. Quia ergo Deus infinitè viſibilis, & ad hoc requiritur infinita viſio, quam nulla creatura poteſt habere; ideò non comprehenditur.

PROBATVR à D.Bonau. Virtus non poteſt eſſe maior, quàm eſſentia, à qua emanat: at creatura non poteſt eſſe ſimpliciter infinita: Ergo nec poteſt comprehenſionem ſcientificam infinitam habere. 385

Vaſquez *n.5.* arbitratur, Seraphicum requirere ad comprehenſionem, vt creatura ſit infinitæ perfectionis entitatiuæ, æqualemque Deo habeat eſſentiam. Quo fundamento autem hoc requiratur: Fateor (ait) mei ingenij tarditatem; difficile videtur.

FATEATVR meritò; non enim requirit S.D. hanc æqualitatem; ſed requirit proportionem in ratione cognoſcentis, & cognoſcibilis. Hinc infert, ſequi debere, eſſe infinitam, ſub hac ratione, cognitionem; hanc verò non poſſe conuenire creaturæ (fateor;) ex hoc probat; quia non poteſt intellectio eſſe nobilior intellectu, nec intellectus eſſentiâ, à qua emanat. Cùm igitur creatura ſit finitæ eſſentiæ, finiti intellectus, non 386

poteſt

poteſt habere cognitionem, ſeu intellectionem infinitam. Quòd autem ad comprehenſionem entis infiniti ſimpliciter requiratur cognitio infinita, patet, quia in tantùm aliquid eſt cognoſcibile, in quantùm eſt ens; nam ens, & verum, ſeu cognoſcibile ſe conſequuntur. Ergo ens infinitum ex ſe eſt infinitè cognoſcibile, adeóque ex ſe poſtulat cognitionem infinitam.

Probatur etiam à minori ex dictis *q.24.* Idem habet S.D. *l.7. compend. Theol. ver. cap.26.* vbi eadem ferè exempla affert, quæ ſupra. Eodem modo loquuntur D.Th. *art.7.* cum aſſeclis; & è Societate Ieſu, præter allegatos, Arrubal *d.23. cap.4.* Herize *d.4. cap.7.* & *d.5. c.4.* Amicus *d.9.n.6.* Moncæus *d.2. cap.21.* & alij apud Artiagam *p.1.d.13. ſect.6.* vbi multus Patres refert, & vtitur ratione Seraphici ſupra allata. Ludouicus de R ba, *tract.3.d.13.cap.1.*

387 E Patribus id ſentiunt S. Aug. *l.4. de Geneſ. ad litt. cap.6.* & *l. Solil. cap.31.* Epiphanius *hæreſi 70.* Cyrillus Hieroſol. *catech.6.* Gregor. *l. Moral. cap.7. vel* 10. & *l.18. cap.27.* vel 28. Quidni? Albertinus ipſe fatetur, incomprehenſibilitatem Dei hoc noſtro ſenſu docuiſſe Patres, eamque veram eſſe.

Obiicit Vaſquez, ſanctos Patres nunquam hæc noſtro modo accepiſſe; ſed ſolùm in eo conſiſtere voluiſſe, vt ità cognitione rem amplectamur, vt nihil eius lateat. Sic D.Aug. *epiſt.112. cap.9.* quem locum vrget etiam Albertinus. Multas reſponſiones afferunt Tanner. *num.12.* & alij cum D.Thoma *art.7.*

388 Optima tamen eſt reſponſio D. Bonau. *in 1.d.3. p.1.q.1. ad 1.* & *in 3. q. cit. in corpore*, vbi explicat fundamentum ſecundum, in quo eſt hoc teſtimonium D. Aug. Igitur S. Aug. explicat comprehenſionem, ſumptâ metaphorâ à comprehenſione rerum corporearum; ſeruata tamen rationabili diſparitate. Sicut enim corpus illud ab alio comprehenditur, quod habet ſuperficiem vndequaque commenſuratam contento, vt conſtat in locato, & loco, qui eſt ſuperficies corporis continentis, quæ inter alias qualitates habere debet, vt ſit æqualis locato, ità vt nihil locati ſit extrà; ſic in ratione cognitionis illud comprehenditur, quod cognitione adeò capitur, vt commenſuretur quantitatiuè virtualiter ipſi obiecto, atque adeò fines obiecti circumſpiciantur, ita vt nihil ſit obiecti cognoſcibile, quod intra cognitionem non capiatur; atque adeò nihil lateat videntem, quod idem eſt, ac quod dicimus nos, idemque modus; licèt S.Aug. adhuc retinens ſimilitudinem comprehenſionis corporeæ, ad maiorem claritatem ità loquatur, ad comprehenſionem intellectiuam quantam, virtualiter explicandam.

Notant verò Smiſing. *loc. cit.* Recupit. *q.40.n.8.* Mæracius, & alij apud Morandum, ad comprehenſionem non requiri rem cognoſci optima cognitione, nam ſic formica non comprehenderetur ab Angelo, quia à Deo cognitione meliori cognoſcitur, ideſt infinitâ.

Quoad alios Patres, & ad Scripturam, nullus alius præter Vaſquez dixit, noſtrum modum eſſe alienum. Imò Scholaſtici communiter nobiſcum ſunt, ſic authoritates accipiendo, vt notat Tanner. *num.15.*

QVÆSTIO XXVIII.

An aliquis viator viderit Deum.

D. Bonau. in 2.d.23.art.2.q.1.& in 3.d.14.q.1.
D. Thom. q.12.art.11.ad 2.& 2.2.q.174.art.3.& 4.

389 Certvm eſt, poſſe Deum eleuare Viatorem ad viſionem beatam; hoc enim etiam animæ Chriſti in corpore degenti fuit conceſſum, vt oſtendam 3. *p.d.14.q.2.& ſequentibus.* Neque verò hoc proueniebat phyſicè ex vnione hypoſtatica, quæ in anima Chriſti erat ſingularis, nam vnio hypoſtatica phyſicè non conſtituebat beatum, quod probat S.Bonau. *3.d.14.q.1.* cuius ſignum eſt, nam corpus erat vnitum Verbo, nec tamen videbat Deum. Ita notat etiam Suarez *l.2. c.30.*

Certum eſt ſecundò, nullum viatorem, lege ordinariâ, poſſe videre Deum. Eſt de fide, contra Anomæos, ac Beguardos, vt aduertit Suarez. Vide Seraphicum *in 2.d.23 art. 2.quæſt.3.* 390

Probatvr à D.Bonau. *loc. cit.* quia hæc vita eſt locus viæ, quod ſatis oſtendit Apoſt. 2.Cor.5. *Quamdiu ſumus in hoc corpore peregrinamur à Domino, & per fidem ambulamus, non per ſpeciem.* Hac ratione vtitur Suarez. Confirmatur aliis authoritatibus, allatis *q.1.* quibus oſtendimus, Deum hîc non videri, maximè illâ 1. Cor.13. *Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate: tunc autem facie ad faciem*, vbi addit S.D expoſitionem S.Aug. *l.15. de Trin. cap.9.* Confirmatur à S.D. *in 3.d.14. q.3.* ex illo Exod.33. *Non videbit me homo, & viuet.* Confirmatur ab eodem *fund.4.* Quia viſio eſt tota merces ex Diuino decreto. Argumento quoque vltimo confirmatur; quia ſtatus viæ, & ſtatus patriæ, apud omnes ſapientes catholicos, ſunt oppoſiti.

Probatvr etiam à D.Bonau. *in 2. l. c. in corpore* ex imperfecto modo cognitionis, quem habemus in via, nam omnia per ſenſus haurimus, & pro ſtatu miſeriæ obtuſos, & intellectu obnubilato. Ità probatur etiam à D.Th. à Suar. *loc. cit.* Vaſquez *ad art. cit. D. Th.* Valentia *d.1.q.12.p.7.* Riba *tract.3.d.14.cap.1.*

Quæſtio nunc grauis eſt. An aliquando hoc fuerit conceſſum alicui in via.

Prima opinio celebris eſt, viſionem beatificam in hac vita communicatam nonnullis, vt B.Moyſi, Adæ, D. Paulo, & B.Virgini. Ita Magiſter ſent. *in 2. ad Cor.12.* Autiſiodor. *l.3. tract.14 q.2.* Albert. M. vt refert D. Antonin. *p.4.tit.15. cap.17.* Alenſ. *p.1. q.2. m.1.art.5.* D.Th. *p.1. q.12. art.11.ad 2.* & *2.2. q.174. art.3.3.p.q.7.art 8. ad 1.* in *4. d.44. q.2.art.7.ad 5. de ver.q.10.art.11.ad 1.*& *q.13.art.2.*& *q.18. art.1.ad 13.* & *quodl.1.q.1.art.1.*& *lect.1.& 2.in c.12.epiſt.2.ad Cor.* & *in c.1.Iſa.* Henric.*quodl.7.q.6.* Scotus *2.d.3.q.9.§.Secundo modo*, Durand. *q.3. Prol.n.11. &* 19. & *in 2. d.23.q.2.n.5.* & *in 3.d.31.q.3.n.13.* & *in 4.d.49 q.6.* Aureol. *1.d.1.q.3.art.3. prop.2.* D.Antonin.*3.p.tit.30. cap.4.* Capreol. *3.d.31. q.vn. art.3. ad arg. Durandi*, Lyra *in 32.Ezech.* Abul. *in cap.5. Matt. quæſtione 46.* E Recentioribus, idem cenſent Faſol. *hic,d.6.* Morand. *tract.2.q.21.* qui referunt, præter allegatos, Fabrum, Zamorum, Zumellum, Bañem, Palumbum, Faſolum, Artiagam, & alios; è quibus aliqui ſanè de Adam, alij de ſolo Moyſe, alij de Paulo, alij de vtroque opinantur. Imò idem cenſuere SS.PP. Aug.12. *de Geneſ. ad litt. cap.27. & 28. epiſt.112.* (in hoc tamen non eſt aſſertiuè,) *in Dial. Oroſij q.63. ſerm.49. ad fratres in Eremo.* Baſil.*homil.1.in Hexaëmer.* paulo poſt initium. Ambr. *l.1. Hexaëmer. cap.2. circa medium.* Chryſoſt. *hom.26. in cap.12.2.ad Cor.* Bernard. *ſerm.2. Septuag.* Beda *in cap.12.2. ad Cor.* Anſelm. *ibidem*; Hugo de S.V. *t.1. q.34. epiſt.2. ad Cor.* S. Vincentius Ferrer. *ſerm. de commemor. D. Pauli*, & alij apud Faſolum. Hanc ſententiam eſſe Catholicorum, contra Hebræos, aſſerit Carthuſ. *in cap.12. Numer. art.21.* & Abul. *in idem cap.q.34.* ait, eſſe ſanctorum Doctorum ſententiam.

Quoad B.Virginem, Recupitus *q.14.* profert longam ſeriem aſſerentium. Sic & Ribas huic ſoli id aſtruit.

Oppoſita ſententia eſt negatiua abſolutè. Ità Euariſtus PP. *epiſt.1. Decret.* Dionyſ. *cap.4. de cœl.* 391

Hier.

Hier. & *ep.*1. *ad Caium*, Irenæus *l.*4. *c.*35. Orig. *l.*2. *Periarch. c.*4. Hilar. ad id Pſal. 118. *Deprecatus ſum faciem tuam*, Nazian. *orat.*34. Gregor. 28. *Moral. c.*28. Beda *q.*42. *in Exod.* Tertull. *l.*4 *cont. Marcionem c.*22. & contra Praxeam *c.*14 & alij, ita vt dicat Vaſq. *d.*55. *c.*2. in hanc ſententiam ſe pulſum, innumerâ Patrum multitudine. Idem teſtatur Ribas. Inter hos ſunt allegati *quæſt.* 1. qui dicunt, Deum in hac vita non poſſe videri.

E Scholaſticis, Alenſ. 1. *p. q.* 2. *in.* 1. *art.*4. Caiet. *in* 11. *Numer.* Tanner. *d.*2. *q.*6. *dub.*1. Arriaga, *d.*6. *ſect.*5. inclinat Suar. *l.*2. *de attrib. neg. c.*30. Amicus, *d.*9. *ſect.*26. Becanus *c.*9. *q.*7. Luſitanus, Recupitus, Smiſing. Aye, Cornel. à Lapide, Auerſa, & alij apud iſtos. Valentia autem *q.*12. *p.*2. eſt problematicus.

Reſpondet Morandus primò. Euariſtum locutum, vt priuatum Doctorem. Secundò reſpondet ſolùm dixiſſe, Deum oſtenſum Moyſi per figuras, non tamen negare viſionem claram.

392 Contra. Quia Decretalis eſt illa Pontificis ad Epiſc. Africanos decernens, beatos viſuros poſt mortem Deum, non ſicut Moyſes, & cæteri Prophetæ per ænigmata, & figuras. Itaque omnem claram viſionem negat eis, vt benè oſtendit Recupitus *quæſt.* 11. *cap.*3. *num.*23. Molina *art.*11. *d.*2.

Ad alios Patres reſpondet, eos negare tantùm viſum Deum oculis corporeis, vel ſolis viribus naturæ, vel longo tempore, vel comprehenſiuè. Addit, quòd ſi aliquis Pater id tenuit, non eſt relinquenda oppoſita ſententia, quæ ferè omnium authoritate fulcitur, vt teſtatur Abulenſis, noſtri Æui Salomon.

At præclarè SS PP. adducti omninò negant Moyſi, Aluno, Paulo, & aliis viſionem beatam; vt referunt Lorinus, Cornelius à Lapide, Haïe, Recupitus, Vaſquez, & alij.

Qvoad D. Bonau. exiſtimant Corjolanus, Faſolus, & Morandus S. D. *ſerm.*9. *de Luminaribus Eccleſiæ*, partem affirmatiuam ſuſtinere. Addit verò Corjolanus, Seraphicum infrà *q.*94. *art.*1. *in corpore* ſuam depromere ſententiam. Arbitror eum allegare *quæſt. ſuæ ſummæ*, quæ non eſt typis excuſa, vltra *quæſt* 43. Nam etiam D. Th. eodem loco de hoc agit.

393 Seraphicvs igitur, eo ſermone, loquitur de fidei altitudine, & firmitate ſub Metaphora firmamenti. Ait itaque, Paulum raptum ad tertium cælum, vnde dicitur: *Ego feci, vt oriretur in cælis lumen indeficiens*, id eſt in cæleſtibus viris lumen fidei firmum. Per triplex cælum, triplex viſio intelligitur, nempè intellectualis pura; intellectualis coniuncta cum viſione imaginaria; & intellectualis cum viſione corporali manifeſta. Prima inuenitur in mentibus Angelicis. Secunda in mentibus propheticis. Tertia in mentibus Apoſtolicis. Harum viſionum concurſus eſt certitudo Sacræ Scripturæ.

Viſio intellectualis pura in mentibus Angelicis eſt in legiſlatore (ait S. Bonau.) Lex enim per Angelos ordinata eſt. Ad hanc viſionem ſubleuatus eſt Moyſes, vltra omnes prophetas; quia ſcriptum eſt Numer. 12. *Si fuerit inter vos propheta Domini, apparebo ei in viſione, vel per ſomnium loquar ad illum. At non talis ſeruus meus Moyſes; palam, & non per ænigmata, & figuras Deum videt, & ore ad os loquar.* Hanc autem viſionem ex *Actorum* 7. ait deſumptam, vbi Stephanus teſtatur, viſum à Moyſe Angelum; non Deum.

394 Igitvr S. D. diſtinguit triplicem illum vulgatum ordinem reuelationum. Primus eſt intellectionis: Secundus imaginariæ viſionis: Tertius viſionis corporeæ. Eſt autem primus modus nobiliſſimus, ſicut cognitio intellectiua eſt nobilior ſenſitiua interna, & hæc nobilior quàm corporea. Hanc verò ad res fidei, ac legis manifeſtandas adhibitam ait; non quòd Deus loqueretur in ſe Moyſi facie ad faciem, ſed per ſubiectam creaturam, id eſt Angelum; vt dicitur *Act.*7. Pergit verò S. D. viſionem intellectualem per corpoream apparitionem explicare, & hanc ait factam Apoſtolis in Chriſto, nobiliore Angelis. Sic dicitur 1. Ioan. *Quod fuit ab initio, quod vidimus, & manus noſtræ contrectauerunt de Verbo vitæ.* Et Ioan. 20. *Quia vidiſti me Thoma, credidiſti*: attamen concedit eis etiam intellectualem. Concludit verò, Paulum habuiſſe tres viſiones iſtas, quando Chriſtum corporaliter vidit, 1. Cor. 15. *Nouiſſimè tanquam abortiuo viſus eſt mihi.* Qui & ad ſupremam viſionem intellectualem fuit tandem ſublimatus. Benè ergo dictum eſt. *Ego feci in cælis, vt oriretur lumen indeficiens.* Loquitur autem ſemper de viſionibus in via, ſeu reuelationibus ad fidem ordinatis. Neque vult dicere, vltrà tertiam viſionem reuelatiuam intellectualem, habuiſſe etiam viſionem claram Dei, vt putat Corjolanus; ſed habuiſſe tertiam ſupremam perfectiſſimam ex his, de quibus loquitur, & hanc intellectualem eſſe; nuſquam verò de beata muſſitauit.

In quæſtione autem, cui videtur alludere Corjolanus, quæ eſt *in* 2. *d.*23. *art.*2. *q.*3. *in corpore*, ait: *Si quæ authoritates illud dicere videantur; quòd Deus in præſenti ab homine videtur, non ſunt intelligenda, quod videatur in ſua eſſentia; ſed in aliquo effectu inferiori cognoſcitur; ſicut melius patebit; niſi fortaſſis in his, qui rapiuntur, ſicut credimus fuiſſe in Paulo, qui ſpecialitate priuilegij ſtatum viatorum ſupergrediuntur, nec ibi aliquid agunt; ſed ſolùm aguntur.* Hæc S. Bonau. quibus videtur concedere Paulo viſionem claram Dei in via. 395

Reſpondetur, ea verba dicta à S. Doct. ad refellendam opinionem dicentium; Deum etiam in via à quibuſdam purgatæ mentis videri. Ibi dicit. Authoritates, quæ videntur illi opinioni fauere, ſolùm intendunt, Deum ab his videri in effectibus, quia mundi corde Deum contemplantur in creaturis: quando verò dicit (*niſi, &c.*) non concedit à quibuſdam vt v. g. Paulo clarè viſum, hoc enim in quæſt. & infrà negat; ſed cùm diſtinxerit tres modos noſcendi Deum, nempè per effectus; per raptus; & in gloria, excludit à Paulo tunc notitiam infimam, & concedit mediam per raptus, eleuatam ſuprà ordinarium viatoris ſtatum. Itaque, dum ſubdit; *niſi fortè*, non refert ad viſionem beatam. quam conſtanter negat viatoribus vnquam conceſſam, etiam priuilegiatis; idque authoritatibus Scripturæ Sacræ, & Sanctorum Patrum ſatagit confirmare.

Adde *hic*, dato etiam, quòd illis verbis indicaret. alicui, puta Paulo, potuiſſe datum eſſe viſionis beatæ priuilegium; loquitur tamen, vt referens aliorum ſuo tempore celebrem de hoc opinionem; ſed ipſe adhuc non aſſentiens, ait, *niſi forſan, &c.*

Alia verba habet S. Bonau. *in* 3. *d.*14. *art.*2. *q.*1. *ad vlt.* quæ de eodem Apoſtolo idem priuilegium aſſerere videntur. Ibi affert argumentum ad oppoſitum ſuæ aſſertionis, quæ erat. Beatos eadem viſione videre res in Verbo, qua vident ipſum Verbum. Supponamus (ait) aliquem videre aliquas res in Verbo, & poſteà deſinere, ſicut fuit in raptu Pauli: poteſt iſte poſt viſionem recordari id, quod vidit in Verbo: hoc autem non eſſet, niſi res in Verbo cognouiſſet aliâ diſtinctâ viſione ab ea, qua vidit Verbum, quia poſteà non videt Verbum; & tamen nouit viſa in Verbo. 396

Reſpondet S. Bonauent. Si aliquis ità eleuetur, non memorari res viſas in Verbo, niſi quatenus

memoratur

memoratur ipſum Verbum. Quare non admittit, ità accidiſſe Paulo; ſed ſi id fieret, &c. Igitur ſententiam negatiuam ambabus vlnis complectitur S. Bonau. & ſolidiſſimè probat authoritatibus Scripturæ, & Patrum, In quibus; cùm nulla pro allatis viris ſtet ad priuilegium, non audet eos aſſerere priuilegio dotatos. Et hoc eſt aureum fundamentum, quo nituntur authores ſententiæ negatiuæ.

Assero igitur, nullum viatorem fuiſſe priuilegio viſionis Dei dotatum.

397 Probatvr è D.Bonau. *q. hac*, primò ex *Exod.* 33. quo aduerſarij nituntur. Ibi enim petiit Moyſes viſionem (aiunt) ſupra ſolitas imaginarias, & corporeas. *Oſtende mihi faciem tuam. Oſtende mihi gloriam tuam.* Ergo inferunt, petiit viſionem claram Diuini vultus in gloria. Hoc retorquet S.Bonau. in aduerſarios; nam Deus ei repulſam vniuerſalem dedit, reſpondens. *Non poteris videre faciem meam; non enim videbit me homo & viuet.* Quamuis autem dixerit, etiam. *Facies mea præcedet te;* non ob id promiſit oſtenſionem claram ſuæ faciei; imò potius ſcapulas in imagine corporea: *Poſteriora* (ait) *mea videbis.* Promiſit autem ſolùm præcedere tanquam Duca. In Hebræo, & multis editionibus aliis ſic habetur. *Oſtende mihi viam tuam;* quaſi dicat, exhibe te mihi Ducem populi, quem mihi commendaſti. Sic Hebræus habet דרך ethdera. Viam tuam: at facies ſic ſcribitur. פני Phanim. Sic Geneſ. 32. 30. habetur.

Promisit ſanè, excluſa viſione faciei, omne bonum pro hoc ſtatu fruibile in raptu.

Hanc expoſitionem notauit Abulenſis, *q.* 17. *in c.* 33. *Exod.* poſt D.Bonau. *in* 3. *d.* 26 *q.* 2. *ad* 2. vbi ſubtiliter adueriit S.Bonau. *ibi*, Deum ea verba dixiſſe, vt ſignificaret, ſe exhibere Moyſi omne bonum ad modum, ſeu in ſimilitudinem modi, quo exhibebit in gloria; non eo planè modo. Vel dic, promittere omne bonum, ideſt gloriam pro futura vita, vt notat Tannerus *n.* 13. & alij cum D.Bonau. *in* 3. *l. c.* ſi velimus de viſione exponere. Quapropter D.Auguſt. Abul. & Lyra fatentur ingenuè, nihil ſibi fauere hunc locum; nos verò oſtendimus eis obeſſe.

398 Probatvr ſecundò à S.D. ex illo Ioan. 1. *Deum nemo vidit vnquam*, quod de hominibus in via intelligunt Patres. Alludit verò ad id Exod. 33. *Non videbit me homo, & viuet*, vt notat S.D. *ad c.* 1. *Ioan.* & *in* 2. *d.* 8. *p.* 1. *dub.* 2. *litt.* Hic verò locus probat nominatim contra Moyſis viſtoris beatitudinem; nam Euangeliſta, vt oſtenderet, ſolum Chriſtum potuiſſe nobis diuina enarrare, & gloriam nobis per gratiam aperire, ait. *Deum nemo vidit vnquam; Vnigenitus, qui eſt in ſinu Patris ipſe enarrauit nobis.* Ità notat cum D.Bonau. *hic*, etiam Vaſq. Ideò D.Irenæus, *l.* 18. *c.* 38. Athanaſius, *l.* 3. *&* 4. *de vnitate Deitatis*, & Euariſtus *ep.* 1. legunt. *niſi Vnigenitus*, ſeu, vt addit etiam D.Aug. tract. 3. in Ioan. *Sed Vnigenitus*, enarrauit nobis. Idem probat de Adamo. Ideò obſeruat S.Petrus Dam. Moyſen nil vnquam in Scriptura de beatitudine locutum; neque Adamum: &c. De Paulo verò, qui fuit coætaneus Ioanni, probat: Nam Ioannes ſcripſit Euangelium in Inſula Pathmos, circa annum nonageſimumnonum ſalutis, vt refert ibi Baronius è D.Athan. *in Synopſi*, & D.Hyppolito Epiſc. Portuenſi; D.Epiph. *hæreſi* 51. Metaphraſte apud Lippomanum, *tom.* 1. Et D.Hieron. *de Scriptoribus Eccleſiaſt.* ait, *quod nouiſſimus ſcripſit Euangelium;* at verò Paulus habuit illam reuelationem, qua nituntur aduerſarij, annos quatuordecim, antequam ſcriberet illam ad Corinthios, vt ipſe teſtatur; & ideò fuit circa annum eius conuerſionis, quæ accidit verſus annum 36. ſalutis, vt recenſet Baronius. Saltem certum eſt, Apoſtolum anno ſexageſimo nono Chriſti fuiſſe iam mortuum, referente Baronio, ſub Imperio Neronis, anno eius tertiodecimo, vel duodecimo. At verò Ioannes fuit in Inſula Pathmos multis poſt annis tranſactis. Nam poſt Neronem regnauit Otho annum vnum. Veſpaſianus annos decem. Titus anno tres. Domitianus annos quindecim, à quo fuit Ioannes eiectus in Inſulas Sporades; & in fine redijt ab exilio & multi volunt, exaraſſe Euangelium poſt reditum: vel ſaltem dicendum, illud deſcripſiſſe in Inſula Sporade in Exilio, ſub Domitiano. Ex quibus ſequitur, etiam Paulum fuiſſe illis verbis excluſum à viſione Dei in via. His authoritatibus vtuntur authores poſteri noſtræ ſententiæ. Confirmatur à D.Bonau. ad præfatum locum Ioan. ex illa 1. Tim. 6. *Lucem habitat inacceſſibilem, quem nullus hominum vidit, ſed nec videre poteſt*, id eſt in via, vt exponit Gloſſa apud Seraphicum *in* 3. *d.* 14. *q.* 3. *corpore.* Certum eſt autem, hæc à Paulo ſcripta poſt raptum illum, in quo aduerſarij putant fuiſſe beatum, quia Timotheus conuerſus eſt anno Chriſti quinquageſimo primo, vt probat Baron. & Paulus fuit raptus circa annum trigeſimum ſextum. Cùm igitur Paulus ipſe id confiteatur, quis impoſterum dubitabit? Confirmatur à D.Bonau. ad 6. Ioan. ex illo. *Non quia Patrem vidit quiſquam; niſi is qui eſt à Deo, hic vidit Patrem.*

Astrvvnt quidem hoc B. Virgini Patres aliqui, & Doctores, quos ſequitur Suar. T. 2. *in* 3. *p. d.* 19. *ſect.* 4. Tempus verò aſſignant ſiue Reſurrectionis Filij, vt S. Thomas de Villanoua *eo ſerm.* ſiue in conceptu Filij, aut partus, D. Antonin. 4. *p. tit.* 15. *c.* 17. Alij in Conceptione, vt Salaz *c.* 34 §. 4. Ribas *hic*, non ſolidè.

399 Hinc deducitur, quoties in veteri teſtamento refertur, aliquem vidiſſe Deum, intelligendum de viſione imaginaria, vel corporea, vel intellectuali reuelatiua, vt refert D.Bon. *ſerm.* 9. *Hexaem.* & *in hac q.* cum D.Aug. *ep.* 112. & 3. *de Trin. c.* 11. qui adducunt illud ad Gal. 3. *Lex ordinata per Angelos*, & illud Act. 7. *Legem accepiſtis in diſpoſitione Angelorum.* Ita probatur à D.Bonau. etiam *in* 1. *d.* 16. *q.* 1. quo fundamento nititur quoque Suar. *hic.* Neque ſatis reſpondent Faſolus, & Morsnd. ea teſtimonia intelligi, vel de cognitione comprehenſiua; vel de viſione omnium Myſteriorum fidei: nam vniuerſaliter negant omnem viſionem; neque ad myſteria noſcenda erat neceſſaria viſio comprehenſiua.

400 Probatvr tertiò à S.D. *q. e.* ex PP. Gregorio *ad* 6. *Iſa.* vbi ait. *Quantumcunque mens in contemplatione profecerit, ſemper, quod infra Deum eſt, videt.* Deindè ex D.Dion. *de miſtica Theol. c.* 1. & *cap.* 4. *de celeſt. Hier.* & *ep.* 1. *ad Caium*, Et aliis Patribus ſupra adductis. Idem communiter ſentire Doctores, addit S.D. *in corp.* nixos illo 2. Cor. 5. *Quamdiu ſumus in corpore, peregrinamur à Domino.* Itaque nec D.Benedicto eam dat D.Greg. 2. *dial. cap.* 35. vt ait D.Thom. 2. 2. *quæſt.* 180. *art.* 3. ſed eximium raptum tantùm ei aſtruit.

Probatvr quartò à D.Bonau. quia viſio eſt tota merces, ac perfecta beatitudo, quæ eſt omnium bonorum perfectiſſima, ac conſtans aggregatio, reddens beatum impeccabilem. Ergo viſio debet eſſe continua, & ſi continua, reddit hominem impeccabilem; at Adam peccauit mortaliter, & Paulus, ac Moyſes venialiter. Confirmatur à S.D. nam ſtatus viæ, & ſtatus patriæ: viatoris, & comprehenſoris, ſunt oppoſiti.

401 Obiiciunt primò illud Exod. 33. *Loquebatur Dominus Moyſi facie ad faciem.* & Num. 12. *Palam, & non per figuras, os, ad os loquor.* Quod ſi conceſſum eſt Moyſi; multò magis Adæ in aureo ſtatu innocentiæ, donis cæleſtibus redundante.

402 Qvod ſi reſpondeas cum Arriaga, & aliis, Deum locutum in aliquo corpore aſſumpto, ſicut & Iacob gloriatur, Gen. 32. *Vidi Dominum facie ad faciem*, cùm tamē

ille eſſet Aogelus repræſentans qnidem Deum, vt dicitur Oſeæ 12. Contra nam 12. *Num.c.* teſtatur Dominus Aatoni, & Mariæ gloriantibus in reuelationibus acceptis. *Audite ſermones meos. Si quis fuerit inter vos propheta Domini, in viſione apparebo ei, vel per ſomnium loquar ad ipſum; at non talis ſeruus meus Moyſes, qui in domo mea fideliſſimus eſt, ore enim ad os loquar ei, & palam, & non per ænigmata, & figuras Dominum videt.* Tunc ſic arguit S. Auguſt. Certum eſt quibuſdam Patribus in viſione apparuiſſe, vt Abrahæ, *Geneſ.* 18. Iacobo, *Geneſ.* 32. Gedeoni, *Iudic.* 6. at Moyſes omnibus præfertur, quatenus dicitur, non per figuras; ſed facie ad faciem Deum allocutus: Ergo.

Reſpondet Alenſis, differentiam eſſe, quia cæteris viſione imaginaria reuelabantur myſteria; Moyſi verò intellectuali viſione.

403 CONTRA arguit Vaſquez; Dauidis prophetia fuit viſione intellectuali, vt habet D. Thom. 2. 2. *q.* 171. *art.* 3. *ad* 1. & D. Bonau. *de ſeptem Itineribus ætor. itinere* 5. *d.* 4. Probatur à S. D. ex Pſal. 84. *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus.* & 1. Cor. 3. *Nos autem reuelata facie gloriam Domini ſpeculantes.* Et 1. Cor. 1. *Nobis reuelauit Deus per ſpiritum ſuum.* Idem oſtendit S. D. *de Luminaribus, ſerm.* 9. Igitur fuerunt reuelationes ſpirituales.

404 ALIAS multas reſponſiones refert Vaſquez, ſed imbelles. Optima eſt vltima, quam hauſi è D. Bonau. *hic*, & *in* 2. *d.* 8. *p.* 1. *dub.* 2. *litt.* Diſcrimen inter Moyſis, & aliorum prophetarum viſiones eſſe, quòd Deus aliis loquebatur in ænigmatibus; ænigma enim ex D. Auguſt. 15. *de Trin. cap.* 9. eſt ſimilitudo obſcura; Moyſi verò apertè loquebatur, ſicut amicus amico, io ſimilitudine clara. Ideò LXX. legunt *Et claritatem Domini vidit.* Et editio Hebræa. *Et ideam, vel ſimilitudinem Domini vidit*; qnod non tam maiorem claritatem io figura apparente, ſed magis in rebus reuelatis dicit; nam Deus ſuo Moyſi apertè patefaciebat omnia, vt conſtat ex Exodo, Leuitico, Numeris, & Deuteronomio. Igitur remotio ænigmatis eſt remotio velaminis obſcuri; non tamen abſque alio medio claro, & ſublimiori cæteris aliis. Itaque in duobus Moyſes dicitur cæteris præcellere. Primò in apparitione, qnod ſignatur, dum ait. *Loquebatur ei facie ad faciem*, intelligendo in ſubiecta creatura; id eſt per Angelos, vt oſtendit S. D. *ſerm.* 9. *Hexaëmer. cit.* ex allegatis ſcripturis *Act.* 7. *Galat.* 3. *Heb.* 2.) Secundò præcellebat eminentià contemplationis, dum dicitur. *Palam, & non per figuras, & in ænigmate Deum vidit.* Eſto antem reuelationes factæ Dauidi, & aliis fuerint intellectuales; non tamen fuere claræ ſicuti Moyſi. Cæteris verò in ſomniis imaginariæ, vt diſcurrit S. Bonau. *in* 2. *d.* 7. & *d.* 25. *quæſt. vlt. ad arg.* de quibus 2. 2. *agam.* Per hæc ruunt inſtantiæ Morandi *num.* 265. Faſoli *dub.* 3. *num.* 13.

405 Obiicies ſecundò. Paulus raptus eſt in Paradiſum, qui eſt gloria, vt dicitur Lucæ 22. *Hodie mecum eris in Paradiſo.* Ità Interlinearis. Nec dicas, eum tantùm audiuiſſe; (ait Morandus) nam & Filius è viſione, dicitur audire à Patre; *Ioan.* 15.

Reſpondetur cum D. Bonau. locis ſupra adductis, præcipuè *ſerm.* 9. *Hexaëmer.* Paulum raptum ad Empyreum, qui dicitur Paradiſus, quaſi patans Dei viſum, vbi non vidit Deum; ſed tantùm (vt ipſe ait) audiuit arcana verba: nec eſt ſimile de Filio dictum. Cætera de Adam diſſerentur, *tract.* 10. *d.* 1. *quæſt.* 18. Hinc neque D. Auguſt. 9. *conf. cap.* 10. aliud ſibi enarrat, quàm raptum, cuius dulcedinem patriæ aſſimilat deliciis.

QVÆSTIO XXIX.

An Deus ſit cognoſcibilis per creaturas.

{ D. Bonau. in 1. d. 3. quæſt. 1.
D. Thom. quæſt. 12 art. 12.

CVM ſupra oſtenderit S. Bonau. Deum immediatè in patria poſſe cognoſci; hîc tractat: An per creaturas cognoſci queat.

406 OBSERVAT autem *ad vlt.* omnes creaturas, vt vmbras, vel vt veſtigia, vel vt imagines repræſentare Deum. Vmbra enim confusè repræſentat corpus: Veſtigium verò expreſſiùs aliqua impreſſa relinquit; ſic videmus in niue impreſſos muſculos, articulos. &c. at imago clarè prototypum repræſentat. Sic igitur creaturæ repræſentant, vt vmbræ Deum, quatenus exprimunt ſuam cauſam indeterminatè in genere. Repræſentant tanquam veſtigia, dum exprimunt, ſe eſſe à Deo, tanquam cauſa efficiente, exemplari, & finali; & quatenus repræſentant Deum vnum, omnipotentem, ſapientem, & bonum; in quo vnitatem Diuinæ eſſentiæ repræſentant, & aliquo modo imperfecto Trinitatem, ſecundum appropriata, nempè omnipotentiam, quæ attribuitur Patri: Sapientiam, quæ Filio: Bonitatem, quæ Spiritu Sancto adſcribitur.

ALIQVÆ verò creaturæ oobiliores ſunt, quæ repræſentant ſanctiſſimam quoque Trinitatem, ſecundùm propria; quæ habent eſſentiam lo tribus potentiis; memoriâ, qua repræſentatur Pater; Iotellectu, quo Filius, Sapientia genita; & Voluntate, qua Spiritus Sanctus. Talis eſt anima noſtra, & Angelus.

407 Hæ ſanè creaturæ nobiliſſimæ in eo etiam cæteris præcellunt, qnia cæteræ referuntur ad Deum, tanquam effectus ad cauſam; ad modum, quo vmbra reſpicit corpus in confuſo, & veſtigium pedem expreſſiùs: at verò anima, & Angelus referuntur ad Deum, vt obiectum in ſe clarè expreſſum, cui vniri per cognitionem, & amorem appetunt, in quo etiam diuinas exprimunt emanationes: nam per actus potentiarum exprimunt Sanctiſſimæ Trinitatis Myſterium: dum enim intelligunt, concipiunt Verbum expreſſiuum obiecti, quo concepto, prorumpunt ad eius amorem. Hæc latius proſequar, *tract.* 1. *d.* 1. *quæſt.* 1. & *tract.* 11. *d.* 1. *à q.* 1. per multas quæſtiones.

ASSERO primò, Deum è creaturis cognoſci. Patet ex dictis, *d.* 1. *quæſt.* 5.

408 PROBATVR à D. Bonau. 1. ex 13. Sap. *A magnitudine ſpeciei, & creatura cognoſcibiliter poterit Creator horum videri.* Hunc locum egregiè ad id exponit S. Bon. *in comment. c.* 13. *Sap.* oſtendens, mundum eſſe veluti foliorum ingentium ſtellatis aureis litteris exculum librum, in quo legitur Creatoris gloria. Sic enim cæli ſunt folia ingentia ſtellatis aureis litteris deſcribentes Deum. *Cæli enarrant gloriam Dei.* ſic & elementa: Creaturas verò animatas ſenſatis vocibus, vel ſaltem alias vocibus inſenſatis docere nos, dicitur Iob 12. *Interroga iumenta, & docebunt te.* Eadem egregiè proſequitur, *ſerm. Hexaëmer.* maximè 11. & aliis opuſculis, vt *de ſeptem Itinerib. æternis. In Itinerario mentis in Deum*, &c. De hoc alij eleganter diſſeruere. Mercurius Triſmegiſtus in Pimandro *c.* 11. & 12. Dauid in Pſal. maximè 103. Iob in ſuo *lib.* Ariſt. 7. & 8. *Phyſ.* S. Dion. *l. de cæleſt. Hier. cap.* 2. Aloyſius Granat. *introduct. in Symbolum*; inter omnes autem eloquentiſſimè opere Italico Antonius Glielmus, *de Trin.* Creaturæ enim ſunt veluti imagines ſenſatæ, oculis noſtris lippis proportionatæ ad cognoſcendam Diuinam lucem. Sic enim oculo imbecilli nubes, & terra, & aqua reflectens radios, inſeruit ad ſolem videndum, vt ait Seraphicus D. *ad* 2.

PROBATVR,

Probatvr ſecundò à S.Bonau. cum D. T. Effectus manifeſtant cauſam, & fabrefacta indicant artificem. Sed creaturæ ſunt effectus Dei, & opera manuum eius: Ergo. Hac ratione vtuntur moderni, præcipuè Suarez *l.4.de anima*, *cap.6.*

409 Probatvr tertiò à S.D. *ad* 4. Id, quod continet aliarum rerum perfectiones, poteſt ex illis rebus dignoſci. Deus continet perfectiones omnium rerum. Ergo. Ma: patet. Mi: probatur à S.D.1. Effectus continentur in cauſa, nemo enim dat, quod non habet. Secundò probatur à D.Bonau. *ad c.1.Ioan.* ex illo *Sap.13.* ſupra cit. Vnde Hugo de S.V. *l.1.p.3.* cap.28. *Potentia fuit ſignum rerum immenſitas: ſapientia pulchritudo, Bonitatis vtilitas.* Idem probat S.D. ibi ex 40. Iſa. *Leuate oculos veſtros, & videte, quis creauit hæc.* & Pſal.91. *Delectaſti me Domine in factura tua.* Idem probat S. D. *d.26.q.2. ad 2.* ex eo Exod.37. *Oſtendam tibi omne bonum*, id eſt Ens eminentiſſimum, in quo ſunt omnia.

Idem probat S D. *in 4.d.45.dub.9.litt.* è D.Greg 2. Moral.c.3. *Quid enim de his, quæ ſcienda ſunt neſciunt, qui ſcientem omnia ſciunt?* Cui ſimile eſt illud 4. Dial. cap.33. *Quid eſt quod neſciant ibi, vbi ſcientem omnia ſciunt.* Quod (vt vulgo refertur) retulit Seraphicus, *Quid eſt quod non vident, qui videntem omnia vident?*

410 Idem probat S.Bonau. *ad c.1.Sap.* ad ea verba *Spiritus Domini repleuit orbem terrarum; & hoc quod continet omnia ſcientiam habet vocis.* Vbi D. Gregor. *homil. in cap.16. Matth.* dicit. *Omnia in homine contineri, ex eoque Deum cognoſci.*

411 Idemmet confirmat S.D. ad c.1.Ioan. *Quod factum eſt, in ipſo vita erat*, vbi è D. Auguſt. oſtendit, Deum eſſe exemplar rerum omnium. Sunt enim omnes in Deo creaturarum perfectiones, ſecluſis imperfectionibus. Itaque in Deo ſunt formaliter ſolæ perfectiones ſimpliciter ſimplices ex D. Anſel. *in Proſol.c.15.* ſeu illæ, quæ nullam intrinſecè includunt imperfectionem; at illæ, quæ intrinſecam dicunt imperfectionem, ſunt tantùm eminenter in illo; non formaliter, vt definitur in Concil.Later.c. *Damnamus.* Confirmat ex D.Aug.6. *de Trin.c.10.* vbi ait. *Vna eſt prima, & ſumma vita, ars quædam eſt Omnipotentis, & Sapientis Dei plena omnium rationum viuentium, incommutabilium, & omnes vnum in ea.* Hinc habes, quid velit, *Sap.c.14.* cum ait, creaturas factas in muſcipulam inſipientium, nempè attribuentium Deo, vt Pagani perfectiones creaturarum, quæ includunt imperfectiones, vt notat S.B. *ad* 2.

412 Si dicas. Non omnes res exprimuntur, vt ſunt in illa cauſa exemplari; non enim omnes res creatæ ſunt vita.

Reſpondet Seraphic. è D.Anſelmo *in Monol.c.38.* Res pro vt ſunt in Deo, ſunt ipſa prima eſſentia, & prima eſſendi veritas: in proprio verò genere habent ſuum eſſe naturale, ſecundum gradus ſuos, nec poteſt exæquari in rationibus exemplaribus, prout ait D.Aug. idem habet Chryſoſtomus *homil.4. in Ioan.*

413 Probatvr adhuc à D.Bonau. *in 1.d.36.dub.2.litt.* ex illo Rom.11. *Quoniam ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia.* Confirmat eidem è D. Anſel. *cap.3. Monol.* D.Auguſt.5 *.de Geneſ.ad litt.c.18.* & *in Pſal.49.* His nititur Trigoſius *quæſt.7. art.7.dub.2.*

Hinc, *dub.4 litt.* eruit rationem ex D.Ambr. *Omnia per ipſum, ex ipſo, & in ipſo.* Hæc verò idem ſignificant. Si enim omnia ex ipſo. Ergo ſunt in ipſo, quia nemo dat quod non habet in ſe; nec ponit aliud in actu is, qui non eſt actu.

Ex his omnibus colligitur, Deum poſſe per creaturas cognoſci, tanquam continentes aliquid perfectionis in Deo Creature exiſtentis; non tamen poſſe cognoſci per eas adæquatè, non enim continent omnes Dei perfectiones, neque infinitam earum præcellentiam; neque enim vniuocè cum Deo creaturæ ſunt perfectæ. Argumenta in oppoſitum ex dictis ruunt. Vide Trigoſ.

QVÆSTIO XXX.

An cognitio Dei per creaturas conueniat homini pro omni ſtatu.

{ D.Bonau. d.3. p.1. q.3.

Tres ſunt ſtatus Hominis. Primus Innocentiæ. Secundus Naturæ lapſæ reparatæ. Tertius eſt Gloriæ. 414

Scito ex D.Bonau. aliud eſſe cognoſcere Deum in creaturis; aliud cognoſcere Deum per creaturas. Cognitio Dei per creaturas eſt diſcurſiua abſtractiua: at cognitio in creatura eſt ſimplex; qualis eſt cognoſcere concluſionem in ſuo principio. Ità Richardus *in 1.d.3. art.2.q.3.* explicat D.Bonau. & D.T. *in 1.d.3.*

Scito ſecundò, quòd Adam innocens cognoſcebat Deum per creaturam in ſpeculo claro; nos autem in obſcuro, quia lumen intellectus obnubilatum eſt, nec ita facilè penetrat è creaturis ad creatorem; ſed in eis ſiſtit, & inhæret. Ità exponitur etiam à D.Thom. *p.1. quæſt.96. art.1. ad* 3. & D. Bonau. *in 2. d.23. art.2. quæſt.3.*

Assero primò, Viatorem non poſſe cognoſcere Deum plenè in creaturis.

Probatvr: quia non poteſt plenè cognoſcere quid Deus influat, & quid in eas poſſit agere.

Assero ſecundò, Beatum cognoſcere Deum in creaturis. Ità D.Auguſt.22. *de ciu.c.29.* vbi ait, quod tunc Deus expreſsè videbitur, quando erit omnia in omnibus. Addit S.D. non cognoſcere Deum per creaturas, quia talis cognitio eſt veluti per ſcalam imperfecta; at beati oculos altè in obiectis defigunt creatis, referendo ad Deum, eumque per creaturas laudando. 415

Assero tertiò. Viator in omni ſtatu cognoſcit Deum per creaturas; ita tamen, vt in ſtatu Innocentiæ cognoſceret clarius; nunc autem in ænigmate. De hoc diſcurram *tract.10. d.1. quæſt.7. & 18.* 416

Probatvr primò à D.Bonau. quia homo in ſtatu Innocentiæ non cognoſcebat Deum facie ad faciem. Ergo ſi cognoſcebat, cognoſcebat per effectum.

Probatvr ſecundò à S.D. quia cognitio ſenſibilis non erat Adæ in obſtaculum; ſed in adminiculum cognitionis intellectiuæ. Sed cognitio intellectiua, propter quam factus eſt homo, eſt cognitio Dei. Ergo cognitio ſenſibilis in Adam ordinabatur ad hanc: ſed cognitio Dei per adminiculum ſenſibilium eſt cognitio per creaturam. Ergò. 417

An verò ſubſtantiæ materiales per proprias ſpecies in hac vita cognoſcantur, diſputabo, *tract. de Anima d.9.ſect.10. quæſt.6.*

Quòd verò in hoc ſtatu miſero obſcuriùs cognoſcatur Deus per creaturas. Probatur à D.Bonau. ex parte intellectus, qui obſcuratus eſt: deinde ex parte rerum, quæ in deterius abiere.

In vtroque verò ſtatu, licèt poſſimus è creaturis demonſtrare exiſtentiam Dei, vt oſtendi *d.1.q.3.& 6.* non poteſt tamen quidditas demonſtrari.

Probatvr à S.Bonau. primò *d.8 p.1 q.2.* ex Hugone *l.1.de Sacram.p.3.c.1.* ex quo deducit validam rationem. Quicquid cognoſcitur debet eſſe proportionatum cognoſcenti; at quidditas Dei ſuperat omnem noſtram cognitionem quam per creaturas habemus. Ergo. Ma: eſt certa. Mi: probatur. Et quidem cognitio naturalis eſt per ſenſus, & phantaſmata, vt habet Ariſtot.3. *de anima, t.30.* Cognitio verò ſupernaturalis eſt ænigmatica per fidem, vt oſtenditur 1.Cor.3. *Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate*, & dixi ſupra: at 418

Deus eſt puriſſimus ſpiritus. Ergo non poteſt in hac vita quidditatiuè cognoſci per creaturas. Conſeq. probatur, quia ſicut ſe habet res ad eſſe, ità etiam ad cognoſci.

419 PROBATVR etiam ex dictis *quæſt.2.* quia cognitio perfecta quidditatiua, eſt etiam intuitiua. Vrgeo autem hoc ſuppoſito ex D. Bonau. *in 2. d.23. art.2. quæſt.3.* Quandocunque aliqua denegantur ſupremo in aliquo genere, denegantur etiam inferioribus. Sed ſupremæ cognitioni de Deo, quam in hac vita poſſumus habere, denegatur notitia quidditatiua Dei. Ergo. Ma: eſt euidens. Mi: probatur à S. D. ibi ex D.Dion. *de myſt. Theol. cap.1.* vbi ait. *Excellentiſſimus modus contemplandi Deum eſt ignotè aſcendere*, & infrà vocat eos indoctos, qui dicunt ſe noſſe eum, *qui poſuit tenebras latibulum ſuum.* Vnde *cap. 2. de cæleſti Hier.* dicit, quod cum duplex ſit modus cognoſcendi Deum: alter per affirmationem; alter per negationem; modus iſte ſecundus eſt præſtantior: quia potius Deus, quid non ſit, quàm quid ſit, cognoſcitur.

420 Ex illo loco Dionyſij eruit D.Th. *art.13.* quòd ſi cognitio altiſſima per gratiam, quæ in hac vita haberi poteſt, eſt obſcura, multò magis cognitio naturalis: nam per cognitionem gratuitam, licèt quidditatiuè non cognoſcamus Deum, tamen pleniùs eum cognoſcimus, quàm per rationes naturales, vt, *Deum eſſe Trinum*, & ſimilia; & ad hoc affert S. T. id 1. Cor.2. *Nobis reuelauit Deus per ſpiritum ſuum*, illa ſcilicet, quæ nemo principum huius ſæculi, ideſt philoſophorum, vt exponit Gloſſa, nouit.

HANC aſſertionem latè proſequitur S.Bonauentura à *ſerm.8. Hexaëmer. vſque ad 13.*

421 Præcipuè autem eodem fundamento cum D.T. ſupponit, cognitionem naturalem duo requirere, ideſt phantaſmata à ſenſibilibus accepta, & lumen naturale, cuius virtute ab eis abſtrahimus intellectiuos conceptus, & quantùm ad vtrumque, iuuatur humana cognitio per reuelationem gratiæ. Nam & lumen naturale intellectùs confortatur per infuſionem luminis gratuiti, & interdum etiam phantaſmata in imaginatione hominis formantur diuinitus, magis exprimentia res diuinas, quàm ea, quæ naturaliter à ſenſibilibus accipimus; ſicut apparet in viſionibus prophetalibus. Hæc autem probat S.Bonau. locis Scripturæ. Sic *ſerm.9.* ex illo 2. Petri 1. *Habentes firmiorem propheticum ſermonem, cui benefacitis attendentes, tanquam lucernæ è caliginoſo loco, donec dies illuceſcat, & Lucifer oriatur in cordibus veſtris. Hoc primum intelligentes, quod omnis prophetia Scripturæ propriâ interpretatione non fit. Non enim voluntate humana, allata eſt aliquando prophetia; ſed Spiritu Sancto inſpirati, locuti ſunt Sancti Dei homines.* Viſiones enim plurimæ prophetarum fuerunt imaginariæ, vt Iſaiæ, Danielis. Et 2. Cor.3. *Nos autem faciem Domini ſpeculantes*, id eſt à longè, videl. in ſpeculo per fidem, vt exponit S.Bonau. ſerm.11. ex D. Auguſtino *l.15. de Trin. cap.8.* Hoc autem ſpeculum format S.Bonau. cum D.Auguſt.15. *de Trin. cap.4.* non ſolùm è creaturis, ſed clariùs è reuelatis altiſſimis rebus, quas è creaturis haurire non poſſumus. Vnde altiùs Deum cognoſcimus, non ſolùm vnum in eſſentia, ſed Trinum in perſonis, Incarnationem, &c. Ad quæ cognoſcenda etiam adduntur miracula, & ſenſibilia quædam, quibus res diuinæ connectantur. Ad quod ob-

422 ſeruat S.Bonau. id Ioan.1. *Quod vidimus, quod audiuimus, & manus noſtræ contrectauerunt de Verbo vitæ;* nam audierunt voces de cælo conteſtantes eum Verbum, & Filium Dei eſſe docentes. Viderunt Spiritum Sanctum in ſpecie Columbæ. Contrectauere, vt dicitur Ioan.20. *Quia vidiſti me Thoma, credidiſti.* Et Ioan.19. *Qui vidit* (ideſt, ſanguinem cum aqua fluentem à latere demortui Chriſti) *teſtimonium perhibuit.* Et 1. Cor.15. dicitur. *Nouiſſimè tanquam abortiuo viſus eſt & mihi.* Vnde præclare filium Dei agnouit. Ideò ad Heb.1. cum Pſal.2. ait. *Filius meus es tu, Ego hodie genui te.* Hodie, nempè ſenſibilem ſplendorem genui mundo, & expoſui clarè. Sic prophetæ, & Apoſtoli, atque alij, multis modis ſenſibilibus diuinitus formatis, res diuinas percepere, vt latè proſequitur S. Bonau. allegatis ſermonibus. Allegat ad
hoc S. D. *ſerm.12.* id Hier.31. Heb.8. *Dabo legem* 423
meam in viſceribus eorum, & in corde ſuperſcribam,
ideſt ſupra notitiam naturalem ſuperſcribam clariùs res diuinas, ità vt gratia illuſtret naturam: & gloria gratiam ad meridiem deducat. Idem *ex Pſal.75.* præclarè probat. S.D. eodem ſermone, ait enim. *Notus in Iudæa Deus; in Iſrael magnum nomen eius*, & reddens rationem. *Illuminans tu mirabiliter à montibus æternis; turbati ſunt omnes inſipientes corde.* Vide Seraphicum egregiè diſſerentem ibi, & Opuſc. *de reductione artium ad Theologiam*, & *de ſeptem Itineribus æternitatis*, & *Itinerario mentis in Deum*, & aliis ferè omnibus Opuſculis, è quibus Granata, Guillelmus, & alij eximios ſenſus hauſere.

ADVERTE verò cùm Seraphico ibi, vt obſeruant 424
Caietanus, & Nazarius *ad art.13.* D.T. cognitionem naturalem, ex parte modi, eſſe clariorem, quia eſt euidens; cognitionem verò per fidem eſſe, ex parte obiecti, intenſiorem, & extenſiorem, quia multa de Deo ſciuntur per fidem, quæ non ſciuntur ratione naturali. Et hâc etiam altiùs, ſic agnoſcitur omnipotentia ad opera ſupernaturalia; agnoſcitur Trinitas perſonarum, &c.

OBSERVA deinde ex eodem D. Bonau. *ſerm. 9. cit.* & Nazario, cum D. T. *hic*, tria recenſeri, quibus iuuatur naturalis cognitio per reuelationem gratiæ; ſcilicet lumen ſupernaturale, phantaſmata in imaginatione formata diuinitus; & res externas ſenſibiles à Deo ſupernaturaliter formatas, puta voces de cælo, &c. quibus ſignificantur diuerſi gradus diuinarum reuelationum, & præſertim in cognitione prophetica. Aduerte autem ex D. Thom. *hic, art.13.* & 2. 2. *quæſt.173. art.2.* in humana cognitione duo eſſe, ſcilicet acceptionem, ſeu repræſentationem rerum per ſpecies; & iudicium de rebus repræſentatis, vt notat S. D. *in 1. d.3. quæſt.1. ad vlt.*
& *in 3. d.14. quæſt.3.* Ordo autem receptionis ſpe- 425
cierum ordinarius eſt, vt ab extrà per ſenſus externos accipiantur ſpecies; inde ad imaginatiuam: tertiò tranſeant ad intellectum. Verùm aduerte, ſpecies in imaginatione, quæ ſunt phantaſmata tranſmutari, & ordinari diuerſimodè, vel propter tranſmutationem corporalem, ſicut accidit in dormientibus, ebriis, & furioſis; vel etiam ſecundùm imperium rationis diſponi phantaſmata in ordine ad id, quod eſt intelligendum. Et quemadmodum è diuerſa ordinatione earundem litterarum accipiuntur diuerſa nomina, & diuerſa ſignificata; ita etiam ſecundum diuerſam diſpoſitionem phantaſmatum reſultant in intellectu diuerſæ ſpecies intelligibiles. Hinc habes etiam modos, quibus Deus ſupernaturaliter cognitionem infundit. Primò, quando ſpecies in intellectu cauſantur mediis formis ſenſibilibus, externo ſenſu repræſentatis, ſicut Daniel vidit ſcripturam in pariete, *cap.5.* Thomas, & alij Apoſtoli Chriſtum, quem proinde crediderunt Deum, vt habetur *Ioan.* 20. & & aliis locis Euangelicis, vt refert *Ioan. cap. 1. epiſ* ſuæ primæ. *Quod vidimus, & manus noſtræ contrectauerunt.* Sic mediâ formâ ſenſibili, & auditu

Euangelij cauſauit Deus ſpecies intelligibiles de Chriſti Deitate. Secundò, quando cauſantur ſpecies intelligibiles per ſpecies in imaginatione diuiniùs impreſſas. Sicuti de prophetis ait Dominus, *Num.* 12.

426 Tertio, quando ordinantur à Deo ſpecies naturales in Phantaſia, vt in viſionibus propheticis, & habetur *loc. cit. Num.* Quartò, quando Deus immediatè imprimit ſpecies intellectui, vt Moyſi; de quo Num. 12. *Si fuerit inter vos Propheta Domini in viſione apparebo ei, vel per ſomnium loquar ad illum; At non talis ſeruus meus Moyſes; palam, & non per ænigmata Deum videt, & ore ad os loquor ei.* Vide Seraphicum, & D. Thomam ſuprà.

427 Secundum, quod requiritur in cognitione humana, eſt iudicium, quod fit virtute luminis intellectualis, & eſt completiuum cognitionis. Ideò principalius eſt, quàm ſpecies. Infunditur autem à Deo ad iudicandum etiam ea quæ ab aliis viſa ſunt: Sicut Apoſtolis infuſum eſt ad intelligentiam Scripturarum, vt dicitur *Lucæ* 24. & explicat *in Comment.* D. Bonau. Sic & Ioſeph interpretatus eſt ſomnium Pharaonis. Infunditur etiam quandoque lumen ad iudicandum ea, quæ homo apprehendit, vel quæ facienda ſunt.

DISPVTATIO XII.

De diuinis nominibus.

S. Bonau. in 1. d. 4. & d. 22. & 30.
D. Thom. p. 1. q. 13.

Cognitionem habitam de Deo, ſequitur nominatio eius. Ideò de Nominibus agimus Dei, poſt diſputationem de cognoſcibilitate eius.

QVÆSTIO I.

An Deus ſit ineffabilis.

D. Bonau. d. 22. quæſt. 1.
D. Thom. quæſt. 13. art. 1.

Sicvt incomprehenſibilitas conſtituit ſpeciale Dei attributum, de quo ſupra egimus; ità Ineffabilitas, de qua nunc, quæ definitur in Concilio Later. cap. *Firmiter.* Sic & D. Dion. *cap. 1. de diu. nom. & de myſtica Theol. cap. 5.* ait. *Dei neque nomen eſſe, neque ſermonem, eumque neque dicere, neque intelligere poſſibile eſſe*; vt notat D. Bonauent. *initio quæ-*
1 *ſtionis.* Hinc aureum illud effatum Platonis, & Triſmegiſti, apud Cyrillum Alexand. *l. 1. in Iulianum* & apud Gregorium Nazian. orat. 2. de Theol. *Deum intelligere quidem difficile eſſe: loqui autem impoſſibile.* Et D. Auguſt. in pſal. 8. *Quæris quid ſit Deus? Quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit: Quid quæris, vt aſcendat in linguam, quod in cor non aſcendit?* Multos recenſet Vtinenſis, *tract. 2. quæſt. 11. art. 2.* conclamantes Deum ineffabilem.

Ratio horum Patrum eſt, quia nos effari non poſſumus, niſi quæ cognoſcimus; at Deum nequimus perfectè cognoſcere. Ergo nec effari. Eſt ratio D. Bonau. in corpore, qua vtitur Suarez *l. 2. de attrib. Dei neg. cap. 31.* Hinc *in l. de cauſis, prop. 6.* apud S. D. *Prima cauſa dicitur ſuperior omni narratione.* Nota verò, aliud eſſe *Effabile*: aliud *Fabile.* Nam fabile eſt aliquo modo explicabile: effabile verò debet eſſe perfectè explicabile. Vnde ineffabile negat ſolùm perfectè poſſe nominari. Hæc diuerſitas traditur à D. Auguſt. 7. *de Trin. cap. 4. in principio.*

Enim verò cùm & Deus ſibi nomina impoſuerit, 2
& Pſal. 8. dicatur. *Domine, quam admirabile eſt nomen tuum.* Et Pſal. 67. *Dominus nomen illi*; & D. Dion. *l. de diu. nom.* contexuerit; & cùm Deum laudare contingat, vt aduertit S. Bonau. *in fundamentis*, non eſt cur negemus, eſſe nominabilem. Argutè D. Aug. *l. 1. de doctrina Chriſt. cap. 6.* ait. *Non eſſe Deum ineffabilem, ſi hoc Ineffabilis nomine compellatur.* Ex quo Tanner. *d. 2. quæſt. 7. dub. 1. num. 3.* cum D. Bonau. in corpore, eruit rationem. Quod nominatur eſt effabile. Deus nominatur Ineffabilis: Ergo.

Qvo pacto autem Deus ſit ineffabilis, variis viis 3
explicatur à Scholaſticis.

Scotus *in 1. d. 22. quæſt. 1.* quem ſequitur Schola, è qua Fauentinus *d. 48.* Vaſquez *d. 37.* Argentinas *d. 12. art 3.* Molina *quæſt. 13. art. 1. d. 2.* Vtinenſ. *tract. 2. quæſt. 11. ſect. 4. art. 1.* & inclinat Trigoſ. *quæſt 8. art. 2. dub. 3.* ſentit, poſſe omnes etiam viatores nomen Deo imponere, quod licèt ipſis viatoribus non repræſentet Deum quidditatiuè; poteſt tamen eum Angelis, & aliis beatis exprimere. Fundamentum eſt, quia poteſt nomen perfectiùs ſignificare, quàm ab imponente cognoſcatur. Sic hoc nomen *ſubſtantia* exprimit ſubſtantiam in ſe; licèt per ſe à nobis non ſit cognita, ſed per accidentia. Confirmatur: Si aliquis ignoret litteras Hebraicas, videat tamen in libro hanc primam א. *Aleph* ſecundam ב. *Beth* & primam vocare velit *Almam*: ſecundam, *Vitam*; tamen linguæ Hebraicæ gnarus percipiet ſignificatum illarum litterarum.

Hinc arguit Vaſquez (ait) validè. Nomina ſignificant ad menſuram non nominantis, ſed audientis; at cum viator appellat Deum, beati intelligunt quidditatiuè id, quod viator exprimit. Ergo illud beatis exprimit eſſentialiter. Mai probatur à Vaſquez multis exemplis. Si quis Hiſpanus, qui non vidit Romam; ſed ex lectione didicit loca illa ſancta, ea narret illi, qui vidit Romam, certum eſt, quòd ea melius ſignificat, quàm intelligat. Atqui beati vident Deum clarè, Ergo ſi viator nominet beatis Deum, illum quidditatiuè eis exprimet, licèt ipſe eum non ità intelligat.

Hic tamen modus non probatur multis apud Faſolum *hic dub. 1.* Cùm enim nomina ſint ſigna conceptuum internorum, nil magis exprimere valent, quàm id, quod eſt in mente imponentis nomen, per ſe loquendo. Quomodo enim poteſt nomine impoſito exprimere id, quod ignorat? Sic diſcurrit Valentia, *d. 1. quæſt. 13. p. 1.* Morandus *tract. 2.* in fine. 4

Svnt autem nomina ſigna conceptuum, obiectiuorum quidem, vt docent Cyrillus Alex. *l. 3. theſ. c. 2*: Athan. *orat. 3.* Plato *in Cratilo*, & Ariſtot. 1. *Elench. cap. 1.* & 4. *met. t. 10.* vt refert Vtinenſis infrà *ſect. 2.* non tamen ſolorum, vt putat Vaſquez, ſed etiam formalium, nam Ariſtoteles ait 1. Perhierm. cap. 1. *Sunt ergò ea, quæ ſunt in voce, earum, quæ ſunt in anima paſſionum notæ, & ea, quæ ſcribuntur, eorum, quæ ſunt in voce. Et quemadmodum nec litteræ omnibus eadem; ſic nec eadem voces, quarum tamen hæ primum notæ ſunt: Eadem omnibus paſſiones animæ ſunt, & quarum hæ ſimilitudines, res etiam eadem; de his verò dictum eſt in his, quæ ſunt de anima.* Ibi autem 3. de anima, t. 39. ait. *Eſt autem imaginatio aliud à dictione, & negatione; complexio enim intellectionum eſt vera, vel falſa: primæ autem intellectiones, quo differunt, vt non phantaſmata ſint?*

Ecce quomodo nomina indicant non ſolùm rem intellectam, ſed etiam intellectionem, & paſſiones animæ. Ergo nil ampliùs exprimunt, quam ſit in mente imponentis nomina. Idem docet D. Auguſt. 15. *de Trin. cap.* 11. vbi ait: *Proinde Verbum, quod foris ſonat, ſignum eſt Verbi, quod intus lucet, cui magis Verbi competit nomen; nam illud quod profertur carnis ore, vox Verbi eſt, Verbumque & ipſum dicitur, propter illud, à quo, vt foris appareret, aſſumptum eſt.* Idem habet aliis locis apud Vrinenſem, *tract.* 2.
5 *quæſt.* 11. *art.* 1. *ſect.* 1. Exempla verò in contrarium non obſunt: nam ſicut nomine ſubſtantiæ exprimimus ſubſtantiam per ſe; ità eam per ſe concipimus ex accidentibus quidem, quorum ſpecies ſunt organa ad cognoſcendam ſubſtantiam per ſe, (vt ait Valentia;) & eo modo, quo pronunciatur etiam eſt cognita. Vnde ruit Scoti argumentum. Quæ verò Vaſquez comminiſcitur, extrà chorum ſunt; nam, quòd audiens nomen à me prolatum, & impoſitum, ampliùs in eo concipiat, quàm pronuncietur, omninò per accidens eſt, & hauſtum ex alia cognitione, quam aliunde habet auditor. Itaque non ſequitur, nomen ſignificare pluſquam intelligatur à nominante; & in hoc fallitur Vaſquez; non enim à dicente formaliter; ſed ab imponente nomen habet ſignificationem, nam etiam Pica nominat Petrum, & hoc nomen plus ſignificat, quàm à Pica percipiatur; hoc tamen non eſt ex vi nominis; ſed per accidens; quia non habet ſignificationem ab illa beſtia, ſed ab imponente nomen. Ità iuxtà conceptum, quem habuit de Ioanne Zacharias, eum nominauit, vt patet *Lucæ* 1. Eſto id exprimere debeat audienti; iuxtà tamen ſenſum dicentis per ſe. Cùm enim nomen habeat vim ſignificandi ab inſtitutore, media cognitione, non erit maior ſignificatio, quàm cognitio, quia nullus effectus excedit perfectionem ſuæ cauſæ, vt arguit Nazar. *ad art. hunc D. T. concl.* 2. Per hæc ruunt, quæ congerunt Smiſing. *d.* 7. *quæſt.* 2. *num.* 17. Arriaga *d.* 14. & alij cum Caiet. *art.* 1.

Secundo arguo. Si vis termini menſuratur è ſolo imponente: Ergo poſſem imponere Deo nomen aliquod comprehenſiuum. Probatur ſeq. Si enim dicam illud Deo, ipſe ſe comprehenſiuè noſcet.

Reſpondet Vaſquez neg. Conſequentiam, quia nil poſſumus Deo exprimere, qui nouit corda, & conceptum noſtrum, intimeque videbat, antequam exprimeretur ſermone.

6 Contra primò: quia ſimiliter, cùm dico beatis Deum; exprimo ipſum Deum illis clarè viſum. Ergo exprimo id, quod etiam eſt notum. Quare per accidens eſt id, quod nomine comprehenditur, eſſe iam notum. Sufficit autem ad meum intentum, nomen, *Deus*, oſtendere, ſeù ſignificare comprehenſiuè ipſi Deo ipſummet.

Alii exiſtimantes, nominis ſignificationem metiendam ab eo, qui nomen imponit, dicunt, non poſſe nomen exprimens Deum quidditatiuè imponi à viatoribus, poſſe tamen à beatis. Ita Capreol. 1. *d.* 22. *art.* 1. *quæſt.* 1. Caiet. *hic*, Ferrar. 1. *contra G. cap.* 31. Adducitur à Vaſquez etiam Richardus 1. *d.* 22. *art.* 1. *quæſt.* 1. Henric. *in ſum. art.* 73. *quæſt* 9. D. T. 1. *cont. G. cap.* 31. & *hic*. Aleuſ. *p.* 1. *quæſt.* 48. *m.* 1. Albert. 1. *d.* 2. *art.* 16. Durandus 1. *d.* 22. *quæſt.* 1. & D Bonau. 1. *d.* 22. *quæſt.* 1. qui de Viatoribus id planè negat; de beatis verò non aſſerit explicitè, licèt implicitè id videatur indicare, vt vidit Suarez.

Bannez cum Suarez vult primò, nullum nomen eſſe quidditatiuè repræſentans Deum, neque poſſe aliquem, etiam Deum, tale nomen imponere, quod ipſis beatis Deum quidditatiuè ſignificet. Probat, quia nullum nomen poteſt quidditatiuam Dei cognitionem gignere in alio, hæc deberet gignere intuitiuam; vt oſtendi *d.* 11. *quæſt.* 3. hæc autem non habetur extrà viſionem Dei. Et hoc vltimum aſſerit etiam Vaſquez, *cap.* 3. cum Molina, qui tenent, perfectionem ſignificatiuam nominis, ſumi ex intelligentia audientis.

Illud tamen huic ſententiæ opponitur, quod poteſt Deus inſtituere nomen ſignificans Deum, etiam quò ad exiſtentiam; ſicut enim poſſet per ſpeciem repræſentari, vt dixi *diſp.* 11. *quæſt* 3. cur etiam non per nomen? & eò magis, quò nomen repræſentat ſolùm abſtractè, & imperfectiùs, quàm ſpecies; imperfectiùs enim capio, cùm audio Bos, quàm, cùm Bouem video. Itaque ſicuti cùm dico: Petrus, vt exiſtens, eſt à parte rei, non oſtendo intuitiuè exiſtentiam, ſeu non oſtendo clarè oculis Petrum; ità cùm dico: Deus eſt exiſtens, neceſſariò non oſtendo ipſum Deum. 7

Vaſquez addit, quòd nomina ad libitum ſignificant; ideò poteſt ſubſtitui nomen ad placitum, quo beati percipiant Deum.

Verum neque hoc placet, nam licèt verba, & nomina ad placitum imponantur; attamen, vt ſint quidditatiuè exprimentia, debent è natura rei deduci; ſicuti Adam, cùm animalibus nomina impoſuit; alioqui poſſem ex condicto cum alio, Deum vocare Idolum, ita vt Idolum ſignificaret quidditatiuè Deum.

Sententia Seraphici Doctoris per aſſerta explicabitur.

Assero primò, non poſſe Deum exprimi comprehenſiuè à creaturis; ſed à ſe ſolo. 8

Probatur à D. Bonau. ſuppoſito fundamento iacto contra Vaſquez, quòd nominum ſignificatio menſuranda eſt ex cognitione rei, quam habet, qui nomen imponit, quod eſt etiam D. T. &, vt ait Valentia, eſt neceſſarium, innixum in Scriptura, & Patribus, vt ipſe oſtendit. Hinc arguit S D. *arg.* 4. *ad opp.* addita ſolutione. Finiti ad infinitum, non eſt proportio adæquationis, ex 8. *Phyſ. t.* 15. & 1. *de Cœlo t.* 52. At Deus eſt infinitus; omnis autem creata nominatio finita. Ergo hæc non poteſt habere proportionem ad ſignificandum Deum adæquatè. Confirmatur ab eodem, ex Philoſopho *de cauſis*, & D. Dion. ſuprà cit.

Assero ſecundò, nullum Viatorem poſſe imponere Deo nomen, exprimens illum quidditatiuè. 9

Probatur à D. Bonau. Vnumquodque eſt effabile, quatenus eſt cognoſcibile. Sed Deus à Viatore non eſt quidditatiuè cognoſcibilis. Ergò ineffabilis quidditatiuè.

Reſpondet Arriaga, quòd, licèt Viator non habeat conceptum quidditatiuum; attamen eum excitat in audiente. Nomina autem inſtituta ſunt pro audientibus. Eodem fundamento vrget Vaſquez.

Contra. Eſto, id ità ſit; attamen, ſi loquens imponat nomen, cuius quidditatem non nouit, loquitur, vt Pſittacus.

Reſpondet Arriaga, neg. Conſequentiam: quia Pſittacus non habet voluntatem manifeſtandi conceptum, quod ad loquentem eſt neceſſarium.

At locutio formalis, & inſtitutio nominis, ſi eſt vera, oritur è vera ſignificatione obiecti noti; quod ſi caſu imponat nomen, aut nominet; erit materialis, vt Pſittaci; at intentio manifeſtandi per accidens eſt ei, qui nomen imponit.

Assero tertiò. A Deo, vel beatis poteſt imponi nomen, quidditatiuè ipſis ſignificans Deum. 10

Probatur à Morando ratione, è D. Bonauent. Vnumquodque nominatur ſecundùm menſuram cogitantis cum relatione ad audientem, vt habet S. Bonau. *in reſol.* At beati quidditatiuè vident Deum. Ergo

poſſunt

poſſunt enim ità exprimere beatis. Eſt autem ſententia Seraphici, quæ ex eius diſtinctionibus elicitur; negat enim ſolùm de viatoribus, nomen quidditatiuum poſſe imponere; beatis verò negat nominare Deum comprehenſiuè: Ergo concedit nominare quidditatiuè. Idem ſentiunt D.Thom. 1. *cont.G. cap.*31. Caiet. Ferrar. & alij citati à Fazolo, *art.* 1. *dub.*3. Amicó *d.*11. *ſect.*vn. Recupito *q.*4. *cap.*22. qui dicit eſſe communem, contra Bañes *hic,art.*3. Suarium *l.*2. *de attrib. cap.*3.*num.*18.

Asserо quartò, neque Deum poſſe ſibi nomen imponere, exprimens alijs extra ſe ſuam Maieſtatem comprehenſiuè. Ità S.Bonau. *in corpore.*

11 Probatvr ab ipſo. In tantum aliquid eſt effabile, in quantum intelligibile etiam à nominante, & ab audiente; at Deus eſt ſibi ſoli comprehenſibilis: Ergo. Ma. probatur, quia nomina ſunt Symbola inter eum, qui loquitur, & eum, qui audit. Ergo, vt res illo modo ſignificens, debent illo modo ab vtroque intelligi. Hanc rationem aſſumit Henricus ſuprà, & Vaſq. eam ambabus vlnis amplectitur. Fallitur tamen dicens, Henricum à Seraphico in hoc diſſentire. Hinc elicit S.Bonau. ſolum Deum exprimere ſibi Verbum adæquatum.

Assero quintò, dari inter Viatores nomina, Deum aliquo modo exprimentia.

12 Probatvr à D.Bonau. primò ex Pſal. 8. *Admirabile eſt nomen tuum.* Et Pſal. 67. *Dominus nomen illi*, & ex D. Dion. qui librum integrum contexuit *de Diu.nom.* & quidem *l.*1.*cap.*1. ait. *Propheta, vt pluribus nominibus Deum præditum laudant, cùm ipſum inducunt di centem. Ego ſum qui ſum. Vita, Lux, Deus, Veritas*, &c. His authoritatibus vtuntur moderni, præcipuè Valentia, *quaſt.*13.*p.*2.

13 Assero vltimò. Non dari nobis nomina perfectè Deum exprimentia. Ità D. Bonau. quem ſequitur D. Thom *quaſt.*13.*art.*13. Valentia *quaſt.*13 *p.*2. Tanner. *n.*6. Trigoſ. *loc.cit.* & communiter contra Scotum.

Probatvr à D.Bonau. primò ex D. Dion. *cap.*2. *de diu. nom.* adducto à D. Bonau. *ex* 32. Geneſ. *Cur quæris nomen meum quod eſt admirabile?* Prou. 30. *Quod nomen eſt eius, aut quod nomen filij eius, ſi noſti!* Alia loca adducit ipſe Areopagita.

Idem habent PP. adducti initio quæſtionis. His adde è D.Bonau. *l.*2. *Compend. Theol. cap.*24. D.Bernardum *l.*5 *de conſider. cap.*6. & 7. *Quid eſt Deus, ex quo omnia? inacceſſibilis, inuiſibilis, ſolus mirabilis*, &c.

14 Probatvr ſecundò à S D. *loc.cit. Compendij*, quia nomina ſunt nobis hauſta è creaturis, & ideò ſignificant compoſitionem ſubſtantiæ cum qualitate, id eſt *eius*, quod cognoſcitur, & id, *quo* res cognoſcitur; vel ſi ſunt abſtracta ſignificant compoſitionem ex actu, & potentià, vt dicam in fine. Nec per pronomina poteſt Deus exprimi, quia non poteſt demonſtrari ad ſenſum, cùm ſit ſpiritus; neque per intellectum, cùm ſit incognoſcibilis quidditatiuè. Nec per verba, quæ ſignificant actum cum tempore. Neque per participia, quæ ſequuntur naturam nominis, & verbi. Hæc eadem habet S. Dion. *l.de Myſtica Theol. cap.*5. apud Seraphicum in fundamentis.

15 Probatvr tertiò hic ratione D.Bonau. Eo modo poſſumus rem nominare, quo poſſumus cognoſcere, vt notat etiam Suarez *num.* 19. Sed non poſſumus Deum perfectè cognoſcere ex creaturis, è quibus noſtra omnis cognitio per ſenſus hauritur, vt dixi, *d.*22. *quaſt.*19. & 30. Ergo. Ex quo deducit meritò Tannerus, omnia nomina è nobis cognita, ſiue à Viatoribus, ſiue ab Angelis, ſiue à Deo impoſita, non ſignificare Deum quidditatiuè. Ratio eſt, quia ſunt impoſita ad vſum viatorum, quibus quidditatiua Dei cognitio eſt impoſſibilis. Ergo nullum nomen eſt inſtitutum ad eum ſic notificandum. Id ſignificat S.Bonau. *in corpore*, & eſt argumentum S.Cyrilli Alex. *l.*12. *Theſ.* & Damaſceni *l.*1.*de fide cap.*12. apud Vtinenſem.

Ex dictis collige cum Valentia, doctrinam illam Scoti, qua nititur, Deum poſſe per nominis impoſitionem perfectiùs exprimi, quàm cognoſcatur, eſſe falſam, & paradoxam. Eſtque contra Sapientes, è quibus initio aliquos allegauimus aſſerentes, difficiliùs eſſe, Deum nominare, quàm intelligere. Ergò potiùs aliquid ampliùs cognoſcitur, quàm proferri poſſit de Deo, vt rectè infert Nazarius ſuprà cum D. Thom. & fidelioribus Thomiſtis, ac D. Bonau. *hic.* Vtinenſis, *tract.*2.*quaſt.*11.*art.*10.*ſect.*4.*n.*19. ait. *Nazianzenum ei ſententiæ Platonis, quàm recitat non adhærere; ſed ſolum in hoc, quod Dei natura comprehenſiuè cognoſci nequeat, & hoc ſit difficiliùs, quàm pronunciare: quia id, quod quis animo intellexit, forſan ſermone declarabit, ſi non dilucidè, ſaltem obſcurè, ſi auditorem nactus ſit aptum, ingenioſum.* Verum nil obeſt, nam adhuc fatetur conceptum, forſan ſaltem obſcure auditori ſapienti poſſe pandi. 16

Qvod verò aliquod nomen perfectiùs ſignificet audienti, quàm nominanti, etiam ex impoſitione, per accidens eſt. Ita ſi Rex Philippus Inſulas captas à ſuo exercitu nominaret Phillippinas, perfectiùs id exprimeret ipſi exercitui in eis degenti, quàm ipſe eo nomine ſciat. Hoc enim venit, quia nominat ſolùm ex cognitione aliena, & ſuperficialiter ad externam pompam; non autem ex quidditate, & propria cognitione viſûs. 17

Vnsevm mihi ſextum argumentum D. Bonau. ingerit obſcuritatem. Omne nomen ſignificat ſubſtantiam cum qualitate. Ergo non conuenit per illud ſignificare Deum ſimpliciſſimum. Neque poteſt nominari per pronomen, quod non ſignificat, niſi cum demonſtratione, & relatione; demonſtratio autem fit mediis accidentibus; ſimiliter relatio eſt accidens.

Reſpondetur. Nomen non ſignificare ſubſtantiam cum qualitate, v. g ſi Deus vocetur, *ſubſtantia, Eſſentia, Deus, Deitas.*

Qvod etiam pronomine exprimatur Deus, patet Exod 3. *Ego ſum qui ſum. Qui eſt ipſe miſit, &c.* Et Exod. 15. *Iſte Deus meus.* demonſtrat autem, non ſenſui, ſed intellectui, ſimiliter: *Qui eſt* ſelaſinum eſt. 18

Respondetvr ergo. Compoſitionem nominis non eſſe prædicamenti ſubſtantiæ cum alia entitate prædicamenti qualitatis, ſed ex ipſa entitate cognita, quæ dicitur ſubſtantia rei, & ratione cognoſcendi, quæ dicitur qualitas rei addita. Igitur ſolent Grammatici dicere, nomina compoſita ex ſubſtantia, & qualitate; quia habent aliquid additum habens rationem, *qua*; ſeu modi ſignificandi. Sic homo ſignificat ſubſtantiam hominis promiſcuè concretè; non abſtractè, vel ſolùm vnius ſexûs. Id igitur, quod ſignificatur per nomen, ſignificatur, vt quid ſubſiſtens, quod S Bonau. vocat per modum quietis, ratione cuius de eo poteſt aliquid prædicari, etiamſi ſecundùm rem non ſit ſubſiſtens, vt albedo. Et hinc dicitur nomen, ſignificare ſubſtantiam ad differentiam verbi, quod non ſignificat per modum quietis; ſeu ſubſiſtentis, ſed per modum actus, etiamſi ſit verbum ſtandi, ſignificat enim quietem illam; ſed per modum actus. Nomen igitur ſignificans perfectè Deum, debet eum repræſentare, ità vt ſit idem, quòd notificat, & id, quo notificat; ita vt non habeat modum, ſeu rationem notificandi diuerſum à notificato. Sicut eſt in omnibus nominibus à nobis impoſitis, in qui-

bus eſt ſubſtantia rei cognita, quæ veluti potentia perficitur in ordine ad cognitionem per rationem, ſeu principium notificandi; atque adeo componitur ex actu, & potentiâ. Poteſt verò, ſecundum noſtrum modum imperfectum, Deus nominibus à nobis impoſitis appellari, vt dixi ſupra, *arg*.2. pro vltima aſſertione.

19 Similiter poteſt nominari à nobis pronomine demonſtrante Deum, non ſenſui, cùm ſit ſpiritus; ſed intellectui; modo tamen imperfecto, quia nos vtimur pronominibus aptatis noſtræ cognitioni, quæ per ſenſus hauritur. Similiter demonſtratur relatiuis ad modum noſtrum concipiendi imperfectum; qui relationes rationis in Deo ponimus. Sic etiam ſignificatur per verba, quæ ſignificent tempus, vt cùm dico. *Deus creat*, *gubernat*; ſimiliter per participia, vt *Deus eſt creans*, *gubernans*, quia licet hæc ſignificent tempus, prout dicunt connotata, creata, gubernata, &c. non tamen dicunt tempus, vt ſignificant actum ex parte Dei, qui tempore non menſuratur; ſed ſtabilis in æternitate *dat cuncta moueri*; attamen verba ſunt nobis neceſſaria ad explicandas Dei actiones, modo capaci noſtro apto, qui tempore viuimus.

QVÆSTIO II.

An dentur plura nomina Deo conuenientia, & Quæ.

D.Bonau. d 22. q.2.
D.Thom q 13. art.4.

20 Nota è D Bonau. Deum multimodè poſſe conſiderari. Primò in ſe. Secundò in ordine ad creaturas. Ex ſe, rurſus poteſt conſiderari ſecundùm eſſentiam, & ſecundùm perſonas. Si ſecundùm eſſentiam, vnum eſt nomen ex parte rei ſignificatæ; plura tamen ſecundùm modum ſignificandi, quia Deitas multas in ſuo eſſe ſimpliciſſimo continet perfectiones vnificatas, ratione quarum, multa obtinet nomina. Alia quidem negatiua remouentia imperfectiones, vt *Incorporeitas*, *Immortalitas*, *Infinitas*, *Immenſitas*, *Immutabilitas*, *Ineffabilitas*, *Incomprehenſibilitas*: alia ſunt poſitiua, vt *Potentia*, *Sapientia*, *Bonitas*, *Prouidentia*, *Iuſtitia*, *Miſericordia*, *Æternitas*. Si verò conſideretur Deus in ſe, vt Trinus; habet multa nomina ex parte rei diſtincta, ſicut diſtinctæ ſunt etiam perſonæ Pater, Filius, & Spiritus Sanctus. Hinc diſtincta ſunt etiam nomina notionalia, pro diſtinctione perſonarum, vt *Innaſcibilis*, & *Pater* ſignificat diuerſum à Filio: & communis Spiratio à procedente. In ordine verò ad creaturas conſideratus Deus, tametſi ex parte Creatoris ſit vnum nomen, quia vna eſt virtus, quæ eſt ratio innoteſcendi; tamen in ordine ad creaturas, ſeu effectus, vt ſunt ratio innoteſcendi, multiplicantur nomina *Creatoris*, *Conſeruatoris*, *Iuſtificatoris*, *Glorificatoris*. Similiter ſunt alia nomina Dei in comparatione ad creaturas, quæ ſuperexcellentiam Dei ſuper eas exprimunt, vt *Viuere*, *Intelligere*, &c. Sunt denique alia, quæ perſonis ſeorſim conueniunt, vt eſſe *Incarnatum*, *Paſſum*, *Mortuum*, &c. Filio. *Veniſſe ſuper Apoſtolos*, Conuenit Spiritui Sancto.

21 Observat autem S. Bonau. *ad* 3 aliqua nomina quidem è diſtinctione rerum erui, vt ſunt nomina perſonarum; alia tamen ex breuitate noſtri intellectûs formaliter, licèt fundamentum habeant in infinitate Dei, quæ infinitas includit perfectiones, vt attributa eſſentialia. Licèt enim noſtris conceptibus non reſpondeat multitudo formaliter attributorum diſtinctorum; reſpondet tamen Dei infinitas, adimplens omnes iſtos conceptus, vt dixi *d*.3.*q* 8.

Assero primò, Deum habere plures voces; ſeu nomina plura, ſignificantia ſuam maieſtatem apud nos. 22

Probatvr à D. Bonau. primò *Exod*.6. dicitur. *Nomen meum* Adonai *non indicaui eis*. Vbi aduerte in Hebræo haberi nomen. Tetragrammaton, ideſt quatuor litterarum, quodeſt *Iehouah*. יהוה Sed quia, vt ait Lyra, illud nomen eſt ineffabile, ideſt, non licèt illud effari, nec nominatur, niſi à Summo Sacerdote, & ſolùm in benedictionibus templi; Ideò hîc ponitur Adonai, quod ſignificat *Dominum vniuerſi*. Indicat verò hîc, alia quoque nomina Dei exiſtere, & iam euulgata; ſolum verò Iehovah adhuc non eſſe reuelatum. Decem verò nomina Dei ponit S.Hieronymus *ep* 136. Primum nomen eſt אל *El*, quod ſignificat fortem Deum. Secundum אלהים *Eloim*, quod ſignificat Deum Iudicem. Tertium אלוהי *Eloe*, quod idem ſignificat: cum hoc diſcrimine; quòd Eloe eſt ſingulare; Eloim plurale, & ponitur *cap*.1. *Geneſ*. *Eloim bara*. Dij creauit. Forſan, vt ſanctiſſimam perſonarum Trinitatem exprimeret. Quartum eſt צבאות *Sabaoth*, quod ſignificat Deum virtutum, vel exercituum. Quintum עליון *Heljon* excelſum ſignificans. Sextum אשר אהיה *Eſer heie*. *Qui eſt*, Exod. tertio Septimum אדני *Adonai* Dominum exprimens. Octauum יה *Ia*, à verbo *Haia* fuit, quod ſignificat Deum Creatorem vniuerſorum; & ponitur in extrema ſyllaba *Hallelu-ia*. Nonum eſt יהוה *Iehoua*. Decimum eſt שדי *Saddai*, quod ſignificat robuſtum, ſufficientem, de quo Pſal 90. *In protectione Dei cæli commorabitur*.

Iotvr reuelatis aliis nominibus ſuis, Deus tandem Moyſi reuelabat nomen ſuum Tetragrammaton, quod dicebatur ineffabile; non quod ſenſibilibus verbis exprimi non poſſet; ſed quia ſenſu, & intellectu creaturæ definiri non poſſet, vt notat D.Bonau. Opuſc. *Principium Scripturæ*, poſt initium. 23

Alia Scripturæ loca apponit S. Bonau. quibus Dei nomina multiplicantur. Exod 15. *Omnipotens nomen eius*. Pſal. 67. *Dominus nomen illi*. Iudith.9. *Dominus eſt nomen ſibi*. Hier.10. & 32 *Fortiſſime, magne*. cap.40. *Dominus exercituum nomen illi*, Pſal.75. *In Iſrael magnum nomen eius*.

Probat ſecundò è D. Dion. *de diu.nom*. vbi plura nomina Diuina aſſignat, quæ è Scripturis ſumenda docet *cap*. 2. Sic enim Geneſ. 1. habetur אלהים *Eloim*. Geneſ.4. 26. dicitur de Henoch. Iſte cœpit inuocare nomen Domini, vbi Hebræus habet יהוה *Iehoua*. Idem nomen habetur Geneſ. 12. 8. & *c*.13.4. & *cap*.16. 13. & *cap*.21. 33. & *cap*.26.25. Exod. verò 3. Idem nomen habetur *Iehoua*, & *Elohim*. & אהיה אשר אהיה *Ehieh aſcier Ehieh*. ſic *Exod*.6. habetur nomen *Iehouah*. Ex quo habes; quando ibi dicit *nomen meum* Iehouah *non indicaui illis*; ignoratum à Patribus antiquioribus Moyſe; licet Moyſes, vt ſcriptor Geneſis, illud ponat. Reliqua etiam nomina ſupra recitata cum D. Hieronymo ſparſim habentur in Bibliis. 24

Probatvr quartò à D.Bonau. *fund*.4.& *in corpore*. Nomina, quæ dicuntur de Deo in ordine ad creaturas, ſiue per ablationem imperfectionum, varia eſſe debent, vt ſingulas exprimant ablatas; vt *Immortalitas*, *Æternitas*, *Incorporeitas*. Itidem, quæ dicunt ſupereminentiam varias perfectiones in creaturis exprimunt, exiſtentes quidem in Deo formaliter vnificatas; virtute tamen, & fundamento diuerſas, vt 25

Sapientia,

Sapientia, *Bonitas*, &c. ſimiliter, & nomina, quæ ſignificant cauſalitatem, varia eſſe debent, vt varios effectus exprimant. *Creationis*, *Redemptionis*, &c. Quæ verò Deum in ſeipſis ſignificant, aliqua exprimere debent diuerſas realitates, vt nomina trium Perſonarum: ea verò, quæ exprimunt perfectiones eſſentiales, debent eſſe multa; nam ſingula nomina apud nos inſtituta ſunt ad diſtinctas perfectiones exprimendas, vt Sapientia ad ſapientiam exprimendam; non bonitatem: ſimiliter de aliis. Cùm autem nomina ſignificantia, vt plurimum è creaturis per ſenſus hauriantur, in quibus Diuinæ perfectiones ſunt participatæ ſparſim; ſequitur, eas à nobis explicari debere nominibus diuerſis; licèt in Deo ſint vna eminentiſſima, & ſimpliciſſima entitas. Ità etiam ferè D.Thom. Hinc vides, diuerſitatem nominum Dei, partim ſumi ex parte ipſius Dei, vt in nominibus perſonarum; aliqua verò ex effectibus, vt nomina relatiua ad creaturas; aliqua denique ex noſtri intellectûs imperfectione, vt nomina attributorum, quæ licèt ſint vnum, tamen à nobis nequeunt percipi, niſi diſtincta; attamen fundamentaliter, virtualiter ſunt in Deo variæ perfectiones.

26. Ex quo deducunt S. Bonau. & S.Thom. nomina exprimentia tales perfectiones non eſſe Synonima. Ità Seraphicus, & cum eo Richardus, 1. *d.* 22. *q.* 2. *ad* 3. D.Thom. *ibi*, *quæſt.* 1. *art.* 3 Durand. *ibidem*, *q.* 2. Trigoſ. *q.* 8. *art.* 2. Arriaga, & alij.

Probatvr quintò à S. D. *fund. vlt.* quia, licèt veritas ſit vna; ſunt tamen à Deo multi articuli dati, tanquam neceſſarij ad Deum cognoſcendum. Sic in primo *Creator*: in tertio *Redemptor*: in quinto *Iudex*, &c.

Qvod ſi aliquando in Scriptura inuenies, nomen Dei ſingulariter propoſitum, intellige quò ad rationem innoteſcendi, ex parte Dei, vt Vnus in eſſentia. Sic etiam in forma Baptiſmi, quæ habetur Matth vlt. dicitur. *In nomine Patris*, *& Filij*, &c.

QVÆSTIO III.

Vtrum aliquod nomen de Deo ſubſtantialiter dicatur.

{ D Bonau. d 22. q. vlt. & d 30. art. 1.
D.Thom art. 5. & 7.

Dvplicem ſenſum poteſt quæſtio habere. Prior eſt: An nomina dicantur de Deo ſubſtantialiter, id eſt per ſe, non accidentaliter. Alter: An dicantur ſubſtantialiter ſecundum eſſentiam, ſeu abſolutè ad ſe; non relatiuè, vel ad intus, inter perſonas: vel ad extrà, ad creaturas.

27 Assero primò. Omnia nomina abſoluta dicuntur de Deo ſubſtantialiter, ideſt non accidentaliter.

Probatvr ex D. Dion. *cap.* 2. *de diu. nom.* Baſilio, *epiſt.* 80. Nazian. *orat.* 3. *de Theol.* & ex communi Scholaſticorum ſenſu, cum SS. Doctoribus.

28 Probatvr à D. Bonau. ſecundò *in corp.* Quidquid eſt in Deo, eſt intrinſecè, & ſubſtantialiter Deus; at Dei nomina ſignificant aliquid reale Dei. Ergo ipſum Deum ſubſtantialiter. Ità & Tanner. Confirmatur in argumentis ex D.Auguſt. 5. *de Trin. cap.* 6. *&* 8. Idem habet *l.* 6. *cap.* 4. *&* 6. & *l.* 7. *cap.* 1. adductis à Valen *p.* 1 *quæſt* 13. Tannero, *d* 2. *q.* 7. *dub.* 1. vbi etiam Scholaſticos refert communiter conſentientes.

29 Probatvr tertiò à S.D. etiam de nominibus relatiuis Dei. Illud eſt nomen ſubſtantiale, cui reſpondetur per quid. Sed quærenti quid Deus? Reſpondetur. Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus. Ergo. Mi. probatur ex D.Aug. *l.* 1. *de doctrina Chriſt. c.* 5.

Obiicies. Nomina negatiua non dicunt ſubſtantiam v.g. Immutabilis, Incorruptibilis, Immenſus.

Reſpondet Suarez *l.* 2. *cap.* 12. Si in his nominibus attendas modum ſignificationis formalis, qui negationem exprimit, non dicunt ſubſtantiam; ſi tamen attendatur res ipſa ſignificata, eſt ipſa ſubſtantia rei ità firma, vt nequeat corrumpi; ità ſtabilis, vt nequeat mutari. Hæc reſponſio elicitur è D. Bonau. 1. *d.* 30. *q.* 1. & D.Thom. *hic*.

Respondet D.Bonau. *l.* 1. *Compend. Theol. cap.* 23. Nomina negatiua dici magis de Deo propriè, quàm poſitiua, vt *Immenſus*: quia meliùs dicitur, quid Deus non ſit, quàm quid ſit, iuxta regulam S. Dionyſij *cap.* 2. *celeſt. Hier.* vt dicam infrà. Et quia attributa ſunt ſumpta è comparatione cum creaturis, vel poſitiuè; vt cùm dico, *Incorruptibilis* comparatur cum creaturis incorruptibilibus; vel negatiuè, & ſic comparatur cum corruptibilibus; & pro principali dicit entitatem perfectiſſimam, licèt noſtro modo connotet negationem; ideò magis (ait) eſſe ſubſtantialia, quàm cætera, quia hæc non eſt negatio formalis ſiſtens actuata in negatione, ſed excludens finitatem perfectionum creatarum, & ad eminentiſſimam aſcendens perfectionem. 30

Assero ſecundò. Nomina abſoluta, ſecundùm modum ſignificandi, non omnia ad modum ſubſtantiæ ſignificant.

Probatvr à D.Bonau. Nam *magnus* in modo ſignificandi apud nos ſignificat quantitatem, *Bonus* qualitatem exprimit. Hoc voluit Damaſc. *l.* 1. *de fide cap.* 4. dicens. Hæc attributa non dicere Dei eſſentiam, ſed quæ circa eſſentiam ſunt. Ità Suarez *num.* 8. poſt D. Bonau. *in corpore*. Nam abſoluta ſunt vnum formale, quamuis plura ſecundùm modum ſignificandi nobis imperfectis, qui non valemus vno conceptu eſſentiam, & attributa complecti. 31

Assero tertiò. Non omnia nomina ſignificant Dei ſubſtantiam vt ad ſe. 32

Probatvr à D.Bonau. 1. è D.Auguſt. 5. *de Trinitate, cap.* 6. *&* 8. & Boetio *lib. de Trinitate*.

Probatvr ſecundò à S. D. Communicabile, & incommunicabile: abſolutum, & relatiuum, ſunt diuerſis nominibus ſignificanda; at in Diuinis eſt eſſentia communicabilis, & perſonæ, ſeu relationes incommunicabiles. Ergo rectè nominibus diuerſis exprimuntur.

Probatvr tertiò à S.D. Quæ diuerſo modo ſe habent, debent diuerſis nominibus explicari; at in Diuinis Pater alio modo ſe habet ad eſſentiam; alio modo ad Filium: Ergo.

Assero quartò. Omnia, quæ ſunt in Deo ſunt abſoluta, vel relatiua; atque adeò per nomina correſpondentia exprimi debent, quæ omnia ſubſtantiam dicunt excludentem accidentia. Ità D.Bonau. *ad* 5.

Explicat autem hoc D.Bonau. Nam eſſentia cum ſuis attributis eſſentialibus eſt abſoluta abſque reali relatione; licèt omnipotentia includat relationem rationis ad poſſibilia. 33

Quoad cætera, ſunt quidem aliqua, quæ catenus dicuntur relatiua, quatenus priuant relationem, vt Ingenitus, Improceſſibilis; & dicuntur relatiua non poſitiuè, ſed priuatiuè: alia verò, quæ dicunt relationem ex conſequenti, ſiue quia ponuntur pro relatiuis, vt Deus generat Deum, id eſt Pater Filium; ſiue quia includunt relationem, vt cùm dicitur Filius Incarnatus; ſiue quia claudunt relationem in ſuppoſitis, vt ſimilis, vel æqualis.

Remanet agendum de nominibus ſubſtantialibus includen

includentibus relationem ad creaturas, vt *Creator, Saluator*, quæ ſignificant ipſam actionem immanentem Dei, adeóque ipſam ſubſtantiam & eſſentiam Dei; licèt ex conſequenti conſignificent habitudinem ad creaturas; & ex his aliqua dicuntur in tempore, vt dicam, *q. ſeq.* Vbi habebis: An dicantur ſecundùm ſubſtantiam.

QVÆSTIO IV.

Vtrum aliqua nomina dicantur de Deo ex tempore.

{ D. Bonau. d. 30. q. 1. & dub 1. litt.
D. Thom. art. 7. & in 1. d 30. art. 1 q. 1.

34 NOTA è D. Bonau. *d.* 30. *dub.* 2. *litt.* & Alenſi *p.* 1. *quæſt.* 53. *m* 2. aliud eſſe aliquid eſſe in tempore; aliud eſſe cum tempore; aliud eſſe ex tempore. Eſſe cum tempore, dicit meram coëxiſtentiam cum tempore, abſque dependentia; ſic etiam Deus coëxiſtit. Eſſe in tempore, eſt menſurari tempore. Eſſe ex tempore, eſt incipere eſſe, & ità omnia creata, etiam quæ non menſurantur tempore, vt Angeli, fuere ex tempore. Deus igitur non incipit ex tempore; tamen quia creaturæ conditæ ſunt ex tempore, vel in tempore; etiam Deus incepit eſſe Creator ex tempore, vel in tempore, ſecundùm quòd res creauit. Vnde non poſſunt nomina, ſignificantia eſſe Diuinum, conuenire ei ex tempore, vel in tempore vel cum tempore; ſed aliqua ſola, quæ creaturas connotat factas, vel in fieri.

ASSERO igitur, talia nomina conuenire Deo ex tempore.

35 PROBATVR à D. Bonau. Non eſt dominus, niſi habeat ſeruum, vt ait D. Auguſt. 5. *de Trin. cap.* 16. Sed Deus non habuit ſeruos ab æterno; ſed ea tempore, quo condidit mundum. Ergo nomen Domini competit Deo in tempore.

PROBATVR ſecundò à S. D. Non eſt Creator, ſeu Creans, niſi paſſiuè exeat creatura. At creatura ex tempore fuit: Ergò & nomen Creatoris.

PROBATVR tertiò ab eodem S. D. Non poteſt Deus eſſe homo, niſi creata humanitate: at hæc fuit in tempore: Ergo & Deus fuit homo, non ab æterno, ſed in tempore.

36 QVOD verò non repugnet, de Deo æterno, dici aliqua nomina ex tempore, probat à proportione; quia ſicut ſe habet temporale ad æternum: ita proportionaliter æternum ad temporale: at æternum dicitur de temporali, quia connotat effectum temporalem in æternitate deſtinatum, vt cùm dico: Petrus eſt prædeſtinatus. Ergo & temporale poterit dici de Deo æterno, ob effectum ea tempore productum.

Obiicies primò. Omne temporale eſt creatum, & mutabile; at quod dicitur de Deo eſt ipſe Deus æternus immutabilis. Ergò non poteſt eſſe prædicatum temporale.

37 PRO reſponſione obſeruat S. Bonau. *in corpore*, aliquid dici de alio, quinque modis. Primò per eſſentiam, vt: homo eſt animal. Secundò per inhærentiam, vel inexiſtentiam, aut denominationem; vt: homo eſt albus, & riſibilis, eſt mutatus, vel mutatur. His duobus modis nil prædicatur de alio, abſque eius mutatione. Tertiò modo aliquid prædicatur per cauſam, vt dies eſt Sol, id eſt cauſatus à Sole. Quartò, per vnionem, vt: ſi Angelus vniretur humanitati, diceretur homo. Quintò, per habitudinem ad alterum, vt: Iſte eſt dexter illi. His tribus modis poteſt aliquid prædicari de alio, abſque eius mutatione. Deus igitur non poteſt accipere nomen denotans aliquid eſſentialiter conueniens, vel inexiſtens per modum proprietatis in tempore; inhærentiæ verò modus abeſt à Deo, vt oſtendi, *d.* 3. *quæſt.* 4. & 5. Poteſt autem accipere nouum nomen ſignificans per modum cauſæ; non ità, vt detur cauſa Dei; ſed quia prædicatum ſignificat aliquem effectum Dei; vt: Deus eſt patientia, & ſalus noſtra, vt explicat Richard. *d.* 30 *quæſt.* 1. Et hoc ſenſu non benè Trigoſius, *quæſt.* 8. *art.* 5. §. *Ad primam replicam*, negaret, nomen Creatoris dici de Deo per cauſam; nam creans denotat effectum creatum. Sic enim ſignificatur, non quòd prædicatum ſit cauſa ſubiecti, vt: cùm dico. *Dies eſt Sol lucens*; vel *Deus eſt patientia*; ſed quòd ſubiectum ſit cauſa prædicati, vt: Deus eſt ſalus noſtra. Simili- 38
ter poteſt accipere nomen nouum ſignificans per modum vnionis. Sic Deus dicitur homo. Pariter, & nomen denotans pro principali quidem actionem Dei, quæ eſt Deus; ſed connotans creaturam, vt *Creator*, *Redemptor*, quæ quidem nomina non dicuntur de Deo ſubſtantialiter, vt docent cum D. Bonau. *in corp.* etiam D. Thom. *art.* 3. Suar. *cap.* 32. *n.* 6. Arriaga *d.* 14. *num.* 7. & alij.

PROBATVR à S. D. ratione, qua cæteri nituntur præcipuè Arriaga. Quia id, quod includit in ſe contingens cum neceſſario, eſt contingens; at eſſe Creatorem, Redemptorem, includit cum actu Dei, qui eſt ſubſtantialiter Deus, creaturam ſecundum aliquem effectum temporalem, liberè & contingenter à Deo productum. Ergo totum dicitur contingens. Sicut igitur potuit Deus non creare; ità potuit non vocari Creator. Ma. probatur in propoſitionibus ſyllogiſmi, quarum altera ſit neceſſaria: altera contingens, hæ inducunt concluſionem contingentem. 39

QVOD dixi de nomine *Creatoris*, dicendum de nomine *Dominus*, quod non dicit meram relationem, vt putat Tanner. *d.* 2. *quæſt.* 7. *dub.* 2. *num.* 5. Nam Dominus principaliter dicit dominium, quod eſt poteſtas coercendi ſubditos; & hæc eſt diuina eſſentia, vt arguit S. Bonau. *in corpore*.

IDEM dicendum de nominibus ſignificantibus actum æternum reſpicientem creaturas, vt Prædeſtinans, Reprobans, Præſciens, contra Suar. *l.* 1. *cap.* 32. *num.* 5. & Vaſq. *quæſt.* 13. *art.* 2. Hæc enim nomina dicunt principaliter quidem Diuinum actum, qui tamen reſpicit obiectum contingens, atque adeò contingens eſt, dicens formaliter relationem, non ſubſtantiam, quæ eſt ſimpliciter neceſſaria; nam ſicuti, quia liberè creauit, cùm poſſet non creare; ideò Creatoris nomen, non dicit ſubſtantiam, vt fatetur Suarez *num.* 6. ità, quia liberè prædeſtinauit, & præſciuit, licèt ex ſuppoſitione neceſſariò; prædeſtinantis nomen, non dicitur ſubſtantialiter de Deo, quia formaliſſimè loquendo, dicit relationem rationis ad creaturas, quæ non eſt in Deo realiter, ſed rationes contingenter. 40

Ex quo habes, non eſſe idem de nominibus ſignificantibus abſoluta neceſſaria, vt omnipotentiam, quæ licèt reſpiciat creaturas, tamen neceſſariò reſpicit. 41

PROBATVR ex D. Bonau. *in* 1. *d.* 8. *p.* 1. *quæſt.* 2. ratione, qua nititur Suar. *cap.* 32. *num.* 13. Non minùs eſt neceſſarium, Deum omnipotentem poſſe ſuper creaturas, quàm Deum, eſſe Deum. Sed nomen Dei conuenit ei ſubſtantialiter. Ergo & eſſe omnipotentem. Hoc argumento vtitur Suar. *n.* 13.

Ex quibus etiam ſequitur, ſola illa nomina, quæ conſequuntur actionem Dei tranſeuntem, dici de Deo ex tempore; vt *Creator*, *Saluator*; at verò ea nomina, 42

quæ

quæ dicunt relationem conſequentem ad actionem immanentem, vt *Prædeſtinans*, *Præſciens*, dici ab æterno. Ita S.Bonau. *hic*, & *d.40.art.3.q.1.* D.Thom. *quæſt.13. art. 7.* cum Magiſtro *d. 30.* & communiter. Idem fatetur D.Auguſt. *5.de Trin. cap.15. & 16.* vbi ait. *Si Dominus non dicitur, niſi cùm dicitur habere ſeruum; etiam iſta appellatio relatiua, ex tempore eſt Deo. Non enim ſempiterna creatura eſt, cuius eſt ille Dominus.* Idem aduertit Gregor. de Valentia *q.13.p.4.* Tanner. *d.2.q.7. dub.2. num.6.*

Ex his ſatis reſponſum manet ad argumenta in oppoſitum, quæ vel probant, nomina dicentia eſſentiam, & inexiſtentia in illa, non conuenire Deo in tempore, neque omnia per cauſalitatem conuenire, vt dixi.

QVÆSTIO V.

An nomina, quæ de Deo in tempore dicuntur, dicantur per ſe; An per accidens.

D.Bonau. d 30. q.1.
D.Thom. q 13. art.3.

43 COMMVNITER Doctores, duos aſſerunt modos dicendi. Primus eſt, quando eſt verum accidens, quo denominatur aliquis albus, doctus, &c. Secundus, quando non dicimus talis per ſe, ſed per aliud, vt cùm dicis. Albus ædificat, quia ædificator alioqui eſt albus. Ità S.D. *1.d.30. quæſt.1.art.1. ad 2.* Alenſis, Albertus apud Trigoſium *quæſt.8. art.6.* At D.Bonau. alium addit modum, quando dicitur accidentaliter, ideſt, contingenter, vt Petrus currit: & quia oppoſitorum eadem eſt ratio, ideò tripliciter etiam dicitur aliquid per ſe. Primò quando conuenit illi eſſentialiter. Secundò quando per ſeipſum conuenit. Tertiò quando conuenit neceſſariò, non contingenter.

44 ASSERO primò. Nomina, quæ dicuntur de Deo ex tempore, non dici per accidens, primo modo.

PROBATVR à D.Bonau. primò è D.Auguſtino *5.de Trin. cap.16.* vbi ait. *Nihil ſecundum accidens dicitur de Deo.* Secundò. Vbi eſt accidens, ibi eſt compoſitio: at in Deo non eſt compoſitio: Ergò.

ASSERO ſecundò. Neque dici per accidens talia nomina de Deo, ſecundo modo.

45 PROBATVR à S.D. primò. Omne per accidens reducitur ad aliquid per ſe, tanquam ad prius, vt de animali, ſi dicatur rationale per hominem, oportet vt prius dicatur de homine: at nihil eſt Deo prius: Ergo.

PROBATVR ſecundò à S. D. Quando aliquid dicitur de vno per ſe: de altero per aliud; perfectiùs dicitur de eo, de quo dicitur per ſe, quia *propter quod vnumquodque tale, & illud magis*; at nihil dicitur de aliquo perfectiùs, quàm de Deo: Ergo. Ma. eſt Auerrois *5.Met.cap.23.*

ASSERO tertiò. Hæc nomina dici de Deo per accidens, tertio modo.

46 PROBATVR à D.Bonau. primò, ex D.Auguſt. *5. de Trin.cap.16.* vbi ait. *Quod Dominus eſſet Dominus; ex tempore accidit ei.*

SECVNDO. Quod ineſt alicui per ſe, non poteſt non ineſſe. Sed Deus potuit non eſſe Creator, & Dominus: Ergo. Argumenta in oppoſitum, datâ diſtinctione, corruunt.

Obiicies contra ſecundum modum, quia Dominus dicitur ratione ſerui, quem habet. Ergò non per ſe.

Reſpondetur ex D.Bonau. Verum eſſe de his dominis, qui realiter referuntur, qualis non eſt Deus.

47 ADVERTE cum Trigoſio id, quod dicit S.Bonau.

in fine corporis. Dici per ſe, & per accidens, opponi in creaturis; non in Deo. Videtur autem omnibus dictis modis opponi etiam in Deo: nam dici ſecundùm ſubſtantiam; & ſecundùm accidens opponuntur. Similiter dici per ſe, & per aliud. Et dici neceſſariò, & contingenter.

RESPONDETVR, ſenſum eſſe Seraphici; oppoſito modo illa ſe habere in Deo, & in creaturis: nam ad *dici per ſe*, in creaturis, ſequitur neceſſarium; quia ex Ariſtotele *1. Top.* Omne, quod prædicatur per ſe de creatura, aut eſt genus, aut definitio, aut proprium eius, quæ omnia prædicantur neceſſariò de ſubiecto; vnde ait Ariſtoteles: *1. Poſt. Quæ ſunt per ſe neceſſariò, inſunt rebus*; at in Deo ad eſſe per ſe non ſequitur neceſſarium; quia aliquid conuenit ei per ſe contingenter, vt creare, conſeruare, &c. Creat enim ſua virtute, quæ eſt Deus; & tamen contingenter creat.

Addit S. D. ad *Pſal. 82.* hoc nomen *Dominus* eſſe Deo eſſentiale, quatenus nulli alij conuenit vniuerſale dominium ſummum, nam & ipſe Papa ſeruum ſeruorum ſe nominat.

QVÆSTIO VI.

An nomina, quæ dicuntur de Deo in tempore, dicant in eo realem relationem ad creaturas.

D.Bonau. d 30. q 3.
D.Thom. q.13. art.7. ad 3.

PRIMA opinio eſt Nominalium Ocham, Gabr. *d.30.* Arim. *d.28.* Durand. *d.30.* huiuſmodi nomina ſignare relationem realem Dei ad creaturas, quia Deus, nullo cogitante intellectu creat, &c. quo fit, vt per relationem rationis non referatur. Hi tamen dicunt, talem relationem non eſſe aliquam entitatem in Deo inhærentem. Aliqui verò recentiores apud Vaſq. *d. 104.* volunt, dari relationes inhærentes in Deo, in ordine ad creaturas. Quam opinionem Scotus *d.35. quæſt.1.* immeritò adſcribit D.Thomæ. Eſt verò Albertini, *dub 8.reſp.ad 3.*

SENTENTIA verò à Theologis vnanimiter accla- 48
mata negat in Deo relationes reales eius ad creaturas. Ità D.Bonau. *d. 30. loc.cit.* Richar. *ibi quæſt. 4.* Scotus *quæſt.2.* Deza *art.1.* Capreol. *quæſt.1. art.1.* Henricus, *quodl.9.quæſt.1.* Ferrar. cum D.Thom. *2.cont. g.cap.12.* Caiet. & alij Thomiſtæ *art.7.* Valentia *quæſt. 14. p 4.* Vaſquez *art.7.D.Thom.* & *d.104.cap.vlt.* Tanner. *d.2. quæſt.7.dub.2. num.7.* Vrinenſis *tract. 3.q.9.art.1.ſect.2.* *cap.1.* Faber *d. 50.* Becanus *cap.9. quæſt. 13.* allegans D.Thomam *q.13.art.17.*

NOTANDVM primò, triplex eſſe genus relationum. 49
Aliquæ ſunt relationes in vtroque extremo meræ rationis, vt cùm idem referri ad ſeipſum concipitur; tunc enim eadem res bis concipitur; ac ſi eſſent duo extrema. Item relationes inter ens, & non ens; quia ratio apprehendit non ens, tanquam alterum extremum. Huius farinæ ſunt relationes, quæ ſequuntur actum rationis, vt relationes ſecundæ intentionis; puta genus, ſpecies, &c. His addit S. Bonau. *in 1. d.34. quæſt.2. ad 6.* etiam relationem intelligentis ad ipſum intellectum; & videntis ad viſum; & eſt relatio ſecundum dici.

SECVNDVM genus relationum eſt; quæ in vtro- 50
que extremo ſunt reales, & ſecundum eſſe. Hæ fundantur in vnitate, vel quantitatis, vt æqualitas, & inæqualitas, inter duo pedalia: vel qualitatis; vt

ſimile,

ſimile, & diſſimile, inter duo alba. Vel in cauſalitate, vt Pater, & Filius: Cauſa,& effectus. Vel independentia formæ, & materiæ exiſtentis; vel in identitate ſecundum naturam eum alio. Ità Ariſtor. 5. *Metaph.* c. *Ad alterum*, apud Seraphicum Doct. *hic*, & 1. *Phyſ.* t.60. *&* 12. *Met.* t.24.

51 TERTIVM genus eſt earum, quæ in vno extremo ſunt reales; in altero rationis. Et hoc euenit, quando extrema non ſunt eiuſdem ordinis; quod idem eſt, ac eiuſdem rationis, ita vt non ſit eadem ratio in vtroque extremo. Ità ſcientia realiter refertur ad ſcibile. Senſus ad ſenſibile; ſcibile verò ſola ratione ad ſcientiam; & ſenſibile ad ſenſum referuntur. Et hoc venit, quia non ſunt eiuſdem ordinis. Id enim, vnde dicitur obiectum ſcibile, eſt ab extrinſeco, id eſt in ſciente, à quo eſt ſcibile; eſt enim illud, eſſe ſpeciale intelligibile, in quo fundatur relatio ſcientiæ; & eſt ſolùm in anima; nam obiectum habet tantùm eſſe naturale; quod autem intelligatur, habet ab extrinſeco; & ſic dicitur ſcibile à ſcientia, quæ eſt in intellectu ſcientis, quia terminat actum ſcientiæ; ideò ſcibile eſt extrà ordinem ſcientiæ; & ſic ſunt relationes tertij generis. Ideò Ariſtor. 5. *Metaph.* t.26. ait, quòd ſcientia, & ſcibile non dicuntur relatiuè, eò quòd ſcibile referatur ad ſcientiam; ſed quia ſcientia refertur ad ipſum. Idem dic de menſura, & menſurato.

52 PRIMVM, & Tertium genus relationum vocantur à D. Bonau. modi relationis; at verò Secundum genus dicitur relatio, ſeu veritas reſpectûs, vt obſeruat Trigoſius *loc. cit.* & P. Galitius *l.* 4. *dialect. tract.* 2. *c.* 5. Vt autem relatio ſit realis, requiritur primò, vt extrema ſint diſtincta. Secundò, quod vnum ordinetur ad alterum; ad hoc autem requiritur, vt ſint eiuſdem ordinis. Hinc ſequitur, Deum ad creaturas non poſſe realiter referri, cùm ſit altioris ordinis infinitè.

53 EXPLICAT verò Trigoſius, *quæſt.* 8. *art.* 7. tunc extrema eiuſdem eſſe ordinis, quando vtrumque extremum mutatur in fundamentu; ſed malè. Quia vnum album, nulla facta mutatione in ſua albedine, quæ eſt fundamentum ſimilitudinis, fit de nouo ſimile alteri, nuper albefacto. Vera igitur ratio eſt; tunc eſſe diuerſi ordinis, quando diuerſa ratione extrema ſe habent. Hinc infert ſeraphicus, quòd, licèt Deus ſit vera cauſa, & creatura verus effectus; tamen non refertur Deus ad creaturam realiter: licèt enim creatio dicat ſuperpoſitionem, ſeu additionem; hæc tamen tota eſt in creatura, eò quòd Deo nil poteſt addi, vel minui; eius quippè eſſe eſt neceſſarium, & ſimpliciſſimum; neque Deus agit per aliquod accidens, vel aliud additum; ſed ſola ſcientia ſua, & virtute, quæ ſupponitur agens de nouo, abſque ſui mutatione. Ideò Deus non eſt ordinabilis ad creaturas, vt infert S. Bonau. cum Ariſtot. 12. *Metaph.*

54 NOTA ſecundò, hæc nomina *Creator*, *Dominus*, non poſſe dici de Deo ab æterno. Ità cum D. Auguſt. concludit S. Bonau. quod abſolutè probabimus cum eo, *tract.* 3. *d.* 1. *q.* 12.

NOTA tertiò, hæc nomina *Dominus*, *Creator*, &c. dicere principaliter diuinam eſſentiam, & connotare effectum creatum, vt dixi *quæſt.* 4. Idem aduertit Trigoſius, *quæſt.* 8. *art.* 7. *dub.* 2. dicendum de his nominibus *Incarnatus*, *Miſſus*, &c. dicere, ſcilicet principaliter Diuinam actionem, & ex conſequenti relationem, ex S. Bonau. *d.* 22. *quæſt. vlt. ad vlt.* Ait enim, quædam eſſe nomina, quæ dicunt principaliter relationem; quædam verò ex conſequenti. Nomina primi generis in tria ſubdiuidit, quædam enim dicunt relationem; & dicuntur relatiuè, vt *Pater*, *&* *Filius*. Quædam ſignificant relationem, vt *Paternitas*, quæ non dicitur ad alterum; ſed eſt id, quo alterum refertur. Tandem quædam dicuntur relatiuè priuatiuè, vt *Ingenitus*, *Improceſſibilis*.

EA verò, quæ important relationem ex conſequenti, ſimiliter trifariè diuiduntur. Quædam enim dicuntur relatiuè, quia pro relatiuis ponuntur; vt cùm dicitur. *Deus generat Deum*, id eſt Pater Filium. Quædam dicunt relationem; quia eam claudunt in ſuo conceptu, vt cùm dicitur *Incarnatus*. Senſus enim eſt, *carni vnitus*; vnde principaliter ſignificat actionem, quæ à tota Trinitate facta eſt: dicit verò relationem, quæ ſingularem perſonam reſpicit, in ordine ad humanitatem, quod relationem realem non dicit Verbi ad humanitatem: realem eſtò dicat humanitatis ſuſtentatæ ad Verbum ſuſtentans. 55

Tandem quædam dicunt relationem, quia eam claudunt in ſuppoſitis, vt *Similes*, *æquales*, non enim ſunt ſimiles, niſi qui referuntur, & diſtinguuntur.

ASSERO primò, Deum non referri realiter ad creaturas.

PROBATVR à D. Bonau. primò ex D. Dionyſio dicente. *In cauſalibus*, *&* *cauſis non recipimus reciprocationem.* Vnde infert S. Bonau. Ergo cùm Deus ſit cauſa perfectiſſima creaturæ, non refertur ad eam; quamuis è conuerſo, creatura referatur ad ipſum. Vt vim huius argumenti penetres, oportet aduertere, relationem, quæ in actione, & paſſione fundatur, tunc eſſe mutuam, quando agens, & paſſum ſunt eiuſdem ordinis. Quoniam enim relatio realis conſiſtit in ordine reali vnius ad alterum; in illis tantùm eſt relatio realis mutua, in quibus eadem eſt, ex vtroque extremo, ratio ordinis alterius ad alterum, quod maximè reperitur in his, in quibus eſt eadem forma in vtroque, ac proinde in vtriſque fundamentum idem, penes quod inuicem ordinantur. Et quidem in relatis ſecundùm actionem, & paſſionem, oportet perpendere, ſemper paſſum recipere à cauſa, & perfici, atque adeò ab ea pendere: & conſequenter ad eam realiter ordinari, tanquam ad ſuum perfectiuum: agens tamen, ſiue mouens, non ſemper ad paſſum, aut à ſe motum, aut effectum ordinem habet; ſed tunc ſolùm, cùm in ipſo effectu, vel paſſione, vel motu inductis attenditur quoddam ipſius mouentis bonum; vel agentis perfectio. Quod in agentibus vniuocis potiſſimè accidit, quæ per actionem inducunt ſimilitudinem ſuæ ſpeciei, & per conſequens, eſſe perpetuum propriæ ſpeciei inuehunt; atque pro viribus conſeruant. Idipſum pariter patet in his, quæ mota mouent, vel agunt, vel cauſant; quandoquidem, ex ipſo ſuo motu, ad producendos ordinantur effectus; & in omnibus itidem, in quibus aliquod bonum ex motu, vel effectu prouenit ipſi cauſæ, ſeu mouenti. 56

QVANDO verò cauſa nullam perfectionem inde emulget, non ordinatur, aut realiter refertur ad paſſum, vel effectum. Cùm igitur Deus, vtpotè perfectiſſima cauſa, nullum è creaturis trahat bonum; non ordinatur, nec refertur ad eas, vt rectè infert cum D. Dionyſio S. Bonau. *hic* in argumento, & corpore, vbi hanc doctrinam tradit, eámque confirmat in reſponſione *ad* 1. ex Ariſtor. 12. *Metaph.* t.36. *&* *ſeq.* vbi ait. *Deum non habere ordinem, vel habitudinem, nam prima cauſa vno modo ſe habet ad omnia, quamuis alia alio, & alio modo ſe habeant ad ipſam.* Vnde ibidem ait. Quòd *primum*, *& ſummum bonum non ordinatur ad hæc creata.* Eandem doctrinam tradit Vtinenſis ſuprà, *citato loco*, & alij communiter. 57

Ex quo habes obiter, relationes cauſæ, & effectûs huiuſmodi eſſe tertij generis, non ſecundi. Hac ratione vtitur Henricus.

EAM

58 Eam verò carpit Scotus, & Faber *num.6.* Quia omnis cauſa agit in quantum eſt actu; atque perfecta. Et ideò nil recipit ab effectu: Ergò non benè arguitur. Deus nil recipit perfectionis ab effectibus, ſeu à creaturis: Ergò non refertur ad eas, tanquam cauſas; hoc enim conuenit etiam cauſis creatis.

Reſpondetur, quod, licèt creatæ cauſæ agant in quantùm actu, & vt perfectæ in ſuo genere, vt cauſæ tamen recipiunt per effectus aliquam perfectionem, modis ſuprà explicitis.

59 Probatvr ſecundò à D.Bonau. Magis eſt abſolutus Deus, quàm ſint termini relationum tertij ordinis. At relationes tertij ordinis non ſunt mutuæ, ex Ariſtotele 5. *Metaph.* t.20. Ergo. Ma: probatur, etiam dato, terminos relationis tertij ordinis eſſe abſolutos, vt videtur aſſerere Ariſtoteles: in prædicamentis, *cap. Ad aliquid*, vbi ideò docet, non verificari de omnibus relatiuis, quòd ſint ſimul, v.g. de ſcibili, & ſcientia; ſenſu, & ſenſibili, quia poſita ſcientia ponitur quidem ſcibile; at poſito ſcibili, non ponitur ſcientia. Hæc ſunt relatiua tertij generis, quæ fundantur in menſura, & menſurabili; ſcientia autem refertur ad ſcibile; quia ſciens per actum intelligendi, ordinem habet ad rem ſcitam, quæ eſt extra animam: ipſa verò res, quæ eſt extrà animam omninò ab huiuſmodi actu non attingitur, eo ipſo, quòd actus intellectus in exteriorem non tranſit materiam: vnde omninò res, quæ eſt extra animam, eſt extra genus intelligibile; & propterea relatio, quæ actum conſequitur intellectus, in ea eſſe minimè poteſt, vt diſcurrit Vtinenſis noſter. Quapropter ſcibile non refertur ad ſcientiam realiter; ſed ſolùm ſecundùm rationem, quatenus intellectus apprehendit ſcibile, vt terminum realis relationis ſcientiæ ad ipſum. Et idem dic de relatione menſuræ ad menſuratum; vt ait S.Bonau. *ad 4.*

60 Dato igitur, relationes tertij ordinis terminari ad abſolutum, adhuc Deus magis habet incomparabiliter rationem abſoluti. Quare ſi in creaturis dantur aliqua relatiua, quæ terminantur ad abſolutum independens, & non obligatum reali correlatione, hoc magis profectò tribuendum eſt Deo, qui maximè habet rationem abſoluti, neque aliquid eſt in eo, propter quod neceſſe habeat recipere realiter creaturas, vt arguit Scotus cum D.Bonau. *hic.*

Huius argumenti occaſione diſputant etiam Theologi quæſtionem illam metaphyſicam: An relatiua terminentur ad abſolutum; an ad relatiuum.

61 Notandvm verò ex Trigoſio, quòd relatio poſtulat tria, nempè ſubiectum, quod deonminatur ſimile, æquale, &c. Cùm enim relatio in creaturis ſit accidens, debet inhærere ſubiecto, quod quidem ſubiectum vocatur fundamentum remotum ſimilitudinis, æqualitatis, &c. Secundò requirit accidens abſolutum, in quo fundatur, vt albedo, quæ dicitur fundamentum propinquum relationis ſimilitudinis cum alio albo. Tertio requirit terminum in alio extremo, in quem fertur, ſcilicet aliam albedinem. Quæritur ergo; vtrum illud abſolutum accidens, ſcilicet albedo Ioannis, ſit terminus ſimilitudinis Petri; an verò altera ſimilitudo; ità vt relatio non terminetur ad aliquid abſolutum, ſed ad relatiuum.

62 Prima opinio eſt Scoti *in 1. d. 30. quæſt. 2.* relationem terminare ad abſolutum. Illum ſequuntur diſcipuli Lichetus, Baſſolis, Tartaretus, & alij ibi, Fauentinus ibi *d.50.* Suarez *d.47. Metaph. ſect.16.* Vaſquez *p.1. d.104. cap.2.* & *159. cap.6.* Trigoſius *quæſt.8. art.7. dub.4.* vbi ait, Seraphicum nihil expreſsè de hoc habere. Idem docet Vtinenſis *tract.3. quæſt.9.*

Secvnda oppoſita eſt, terminari ad relatiuum. Ità Caietanus *quæſt. 13. art. 7.* Fonſeca *5. Metaph. cap.15. quæſt.4.* Bannes, Zumellus ad *art. cit. D.Thom.* Nazar. *controu. vnica.*

Tertia opinio media eſt, relatiua mutua terminari ad relatiua; at non mutua terminari ad abſoluta. Ità Gregorius de Valentia *d.1. quæſt.13 p.vlt.* cum Ferrar. *2. cont. g. cap. 11.* P. Galitius *3. Metaph. tract. vlt. quæſt.6.*

Qvarta ſententia eſt, relationem abſtrahere à relatiuo termino, vel abſoluto.

Mihi videtur S.Bonauenturam *in 1. d. 26. quæſt.3. ad 1.* ſtare cum prima ſententia, dicit enim, relatiuum ſecundi generis reduci ad abſolutum, ſicut ad terminum. Idem videtur ſentire in hac quæſt. vt dixi in argument. & idem confirmare *in reſp. ad 3.* de relatiuis tertij generis.

Adverte primò, relationem non referri, ſed eſſe id, quod refertur, vt docet D.Bonau. *in 1. d.26. quæſt.1. ad vlt.* & *d.22. quæſt. vlt. ad 5.*

Eam igitur ſic probo. Primò cum D.Bonau. in hac 63
quæſtione *fund.2.* & *ad 3.* quem imitantur Scotus, Faber *num.23.* & alij ſuprà ex Ariſtotele *5. Metaph. t.20.* vbi ait. Scibile non referri ad ſcientiam, niſi quia ſcientia refertur ad ipſum. Ex quo teſtimonio conſtat, quòd in ſcibili nulla ſit relatio, per quam terminet relationem ſcientiæ ad ipſum. Ergo ſcibile terminat relationem ſcientiæ per aliquid abſolutum. Idem videtur ſentire D.Thom. *quæſt.7. de poten. art.10. ad 4.* Cùm enim in his relatiuis alterum non habeat relationem, niſi dum conſideratur; ſequitur, terminare relationem ſecundùm abſolutum reale.

Reſpondet Nazar. Ariſtotelem: ibi non aſſerere, relatiua tertij modi non eſſe mutua. Eam verò differentiam relatiuorum in eo conſiſtere, vt relatiua primi, & ſecundi modi habeant rationem, ob quam ſint ad aliud in vtroque extremo, nam vtrumque habet ordinem realem ad alterum: in relatiuis autem tertij modi, ratio, ſiue cauſa referendi ad aliud, eſt tantùm in altero extremo; vt declarat S.Thom. *de potentia, loc. cit.* v.g. In ſcientia eſt ratio cur referatur ad ſcibile, quia nimirum ab eo pendet ſecundùm ſuam perfectionem: in ſcibili verò nulla eſt ratio relationis ad ſcientiam; ſed ex hoc ipſo refertur ad ſcientiam, quòd ſcientia refertur ad ipſum. Itaque relatiua tertij modi ſunt mutua, formaliter loquendo.

Fateor ingenij mei ruditatem, non video qua 64
ratione id ſubſiſtat; nam, ſi referri vnius ad alterum realiter, eſt cauſa, & ratio ſufficiens, vt & alterum referatur realiter ad ipſum: ſequitur Deum referri realiter ad creaturam; nam creatura realiter refertur ad Deum.

Deinde, ſi ratio ſufficiens eſt, vt vnum, v.g. ſcibile referatur ad alterum, puta ſcientiam; quia ſcientia refertur ad ſcibile; ſequitur, hanc eſſe relationem extrinſecùs aduenientem, quam Thomiſtæ reprehendunt in Scoto.

Præterea. Si vera eſt relatio, & realis ſcibilis ad ſcientiam, quatenus ſcientia refertur ad ſcibile: Ergò ſcibile eſt terminus abſolutus; nam fateris, eum non referri. Profectò hoc genus entitatis eſt ridicula, ac mera denominatio; ſicuti ſi paries eatenus diceretur referri ad alium album, non aliqua relatione ſua; ſed quia alius ille paries refertur ad ipſum.

Probatvr ſecundò, alio argumento ex D.Bo- 65
nauentura *in 1. d. 22. quæſt. 4. ad vlt.* Cùm relatio definitur 3. *Metaph. t. 4. 5. & 20.* Cuius totum eſſe eſt ad aliud per illud (*aliud*) non poteſt intelligi

altera relatio; quia aliàs vel non daretur vnum ſupremum genus relationis; ſed duo; vel idem poneretur in definitione ſui ipſius; at relatio non refertur; ſed ſubiectum refertur ratione relationis; atque adeò, nec relatio eſt id, ad quod refertur.

Reſponder Nazarius, ſenſum definitionis eſſe; Relationem in communi, eſſe rationem referendi ad aliud in particulati, & hoc modo relationem in actu ſignato vniuerſaliter definiri.

Vervm non intelligo, quo pacto relatiua, quæ ſunt oppoſita; de quorum ratione eſt, vt eodem modo ſe habeant, vt dicitur *in poſt prædicament. cap. de oppoſitis*, & aduertit S.Bonau. *in 3. d.8. art.2. quæſt.2. ad 2.* tamen ità ſe habeant, vt relatio in communi non reſpiciat terminum in communi; ſed in particulati, contra naturam ſpecialis oppoſitionis relatiuæ, de cuius eſſentia eſt, vt pari paſſu multiplicentur, ſi mutua ſint, vt docet Ariſtoteles ſuprà cit. 3. *Metaph.* & *in prædicam. cap. Ad aliquid.*

66 Probatvr tertiò, ratione S.Bonauenturæ *in 3. loc. cit.* In Chriſto Domino, etiam ſecundùm D. Thom. non eſt realis Filiatio ad matrem. In Virgine autem eſt realis maternitas ad Chriſtum: Signum eſt ergo, vnam ex his rationibus non pendere formaliter, & eſſentialiter ab alia; alioqui vna non poſſet manere ſine alia, etiam de potentia abſoluta. Itaque non eſt vniuerſaliter verum, multiplicato vno relatiuo, multiplicari alterum formaliter, niſi in his, in quibus relatio eſſentialiter dependet ab alia formaliter; puta cùm Pater vnicum Filium habet; quo ablato, tollitur quoque ratio Paternitatis; non autem quando relatio habet alios terminos; puta, cùm Pater habet plures Filios; tunc enim vno deſtructo, non deſtruitur relatio Paternitatis; ſed terminatur ad alios Filios.

Reſpondet Nazar. Antec. verum eſſe de relatione filiationis, quò ad eſſe reale; falſum autem de eadem, formaliter ſumpta.

67 Vervm non reſpondet ad rationem. Si enim non eſt relatio realis, neque poteſt eſſe formalis. Verum quidem eſt dari multiplicationem materialem, vt, cùm Pater poſt primum Filium habet alios; quæ non eſt formalis, niſi in primo Filio; vt ait S.Bonau. attamen non eſt verum; aliquam relationem eſſe formalem, ante omnem operationem intellectus; & non eſſe realem.

Qvod enim Bannes credit, quædam entia rationis eſſe ante omnem operationem intellectus, falſum eſt, vt aduertit Nazarius ipſe.

68 Obiicit primò Nazarius. Si relatio tertij generis terminatur ad abſolutum; ſequitur, Deum, ſecundùm eſſe abſolutum, terminare relationem creaturæ. Ergò in definitione creaturæ eſt Deus ſecundùm eſſe abſolutum, nam creatura reſpicit Creatorem, vt terminum. Hinc autem ſequitur, creaturam eſſe naturaliter incognoſcibilem, quia terminus eius, *Deus* eſt ſub ratione abſoluta inuius notitiæ viatorum.

Reſpondet Suarez, ſufficere cognitionem abſolutam confuſam, abſtractiuam Creatoris.

Reſpondetur ſecundò, creationem eſſe articulum primum Symb. nec naturaliter agnoſci, atque adeò terminum cognoſci, vt Deum, ideò dicitur. *Credo in Deum Creatorem*, vnde non cognoſcitur ex creatura ſimpliciter; ſed è fide; & quia noſter modus eſt imperfectus, ideò format intellectu correlationem, licèt à parte rei Deus ſit terminus abſolutus.

69 Oatcetas ſecundò. Sequeretur, in definitione relatiui ponendum abſolutum. Probatur ſeq. quia in definitione relatiui ponitur correlatiuum oppoſitum. Ideò dicuntur relatiua eſſe ſimul definitione.

Reſpondet Suarez, definiri relatiuum formaliter per terminum: concomitanter verò per correlatiuum. Inſtat Nazarius, ſequi, prædicamentum relationis conſtitui per abſolutum. Sed neque ſequitur, ſed ſolùm terminari ad abſolutum. 70

Oatcetas tertiò, ſequeretur in Diuinis, perſonas realiter diſtingui ab abſolutis. Probatur ſeq. Relatiuum reale exigit terminum realem, realiter diſtinctum. Sed per te relationis terminus eſt abſolutus. Ergo differt realiter, & ità in Diuinis, abſoluta differunt realiter à perſonis, quod eſt erroneum.

Rsspondet Suarez, negando ſeq. Non eſt enim par ratio de relationibus Diuinis, & de aliis; nam Diuinæ relationes non habent fundamentum, præter ſeipſas. Nam ſicut vnaquæque ſeipsâ ſubſiſtit; ità ſeipſa terminat ſuum correlatiuum.

Reſponder ſecundò, quòd fundamentum paternitatis Diuinæ eſt ratio terminandi relationem Filiationis: ſed tamen, ſicut fundamentum paternitatis Diuinæ nihil eſt præter paternitatem ipſam: ità ratio terminandi filiationem nihil eſt, præter paternitatem: ſed quatenus ratione diſtinguuntur, in ordine ad diuerſos conceptus noſtros imperfectos, debet concipi, rationem terminandi vnam relationem, non eſſe aliam relationem, vt ſic; ſed fundamentum illius. Hæc reſponſio eruitur ex fundamentis Seraphici.

Probatvr tertiò à D. Bonauentura. Si datur aliqua relatio realis Dei ad creaturas; vel hæc relatio eſt mera entitas Dei; vel aliquid ſuperadditum. Si eſt mera entitas Dei: Ergo eſt de quidditate Dei. Atque adeò æterna, neceſſaria ſimpliciter; ſicut etiam Deus. Quare non potuit non ineſſe Deo; ac proinde fuit ipſe Deus ſimpliciter neceſſarius, ſimpliciſſimus, & conſequenter neceſſitate eadem fuere creaturæ correlatiuæ. Si verò fuit aliquid Deo reale additum. Ergò cùm ſit accidens, vel ſubſtantia, quæ non eſt Deus, ſed creatura; poſuit in Deo compoſitionem. Hoc argumentum, Vaſquez *d.104. num.25.* Faber *cap.3.* & alij adſcribunt Scoto, qui illud vſurpat. 71

Probatvr quartò à S.D. Omnis relatio dicit aliquam dependentiam, vel ſaltem ordinem, & habitudinem ad illud, reſpectu cuius dicitur. Sed Deus non habet habitudinem, vel ordinem ad creaturam. Ergo. Mi: probatur, quia quod ordinatur ad aliud, accipit illud pro termino ſuæ ordinationis; at nulla creatura poteſt terminare Deum: Ergo. Eodem modo arguit S.Thom. *art.7.* 72

Contra hanc rationem inſurgit Scotus cum aſſeclis. Et primò clamant, eam petere principium, quippè quòd aſſumat id, quod probare debeat, nempè Deum non dicere ordinem ad creaturas, quod eſt falſum: nam vbi eſt prius, & poſterius, ibi eſt ordo, & relatio realis; at Deus eſt prior creaturâ. Ergo dum aſſumitur pro medio ad probandum, Deum non referri realiter ad creaturas; quia non ordinatur ad illas, aſſumitur id, quod probandum erat: quia, non eſſe ordinem realem inter Deum, & creaturas; & non eſſe relationem realem, idem ſunt.

Reſpondetvr cum S. Bonauentura *in fundamentis, & corp.* & Caietano *ad art.7.* nullo pacto adiri principium; nam dato, quòd ordo formaliter ſit relatio; tamen aſſumitur fundamentaliter ordo, prout dicit cauſam, & *fundamentum* relationis. Vnde SS. Doctores arguunt à cauſa, ad effectum, tali medio. 73

dio. Deus eſt extra ordinem vniuerſi, ordinis altio-
ris infinitè. Ergo non eſt ordinabilis realiter ad crea-
turam, quia non poteſt eſſe relatio realis, niſi ad
74 res eiuſdem ordinis. Cùm autem Deus ſit ordinis
tranſcendentis, abſolutiſſimus, ſimpliciſſimus, æter-
nè ſimpliciter neceſſarius, ideò non capit relationem
realem ad creaturas. Quæ omnia S. Bonau. in ſupe-
rioribus fundamentis comprobarat, & *in corpore*
explicuit: quamuis Laconicè referat illud argu-
mentum.

75 Instat Faber, adhuc peti principium, quia ſic
arguunt. In Deo non eſt relatio ad creaturas; quia
non eſt cauſa, vt Deus realiter referatur ad creaturam.
Hoc autem probare tenebantur.

At quis non videt, vtrumque S. Doctorem id pro-
bare? Nam D. Thom. probat, quia Deus eſt extra or-
dinem vniuerſi: D. Bonau. quia Deus eſt ſimpliciſſi-
mus, neceſſarius, independens, vt patet *in prioribus
fundamentis, & corpore.*

76 Tertio opponunt Scotus, & Faber, argumen-
tum peccare in conſequenti, ſecundùm accidens, in-
ferendo, in Deo non eſſe relationem ad creaturas,
quia non eſt ordo; nam non omnis relatio eſt ordo;
tametſi omnis ordo ſit quædam relatio. Igitur malè
arguitur. Deus non ordinatur ad creaturas. Ergo non
refertur. Sicuti qui inferret Sortes non eſt lapis: Er-
gò non eſt corpus.

Respondetur, non latere fallaciam aliquam in
Conſeq. non benè arguit ex negatione cauſæ, & fun-
damenti negationem relationis, vt dixi; nulla enim re-
latio realis eſt abſque fundamento. Cætera, quæ Fa-
ber obiicit ex dictis patent, cum his quæ opponit
Macedo, *Collat.* 8.

77 Oportet grauiter aduertere, Seraphicum pruden-
ter in maiori propoſitione argumenti apponere. Om-
nis relatio dicit dependentiam, vel ſaltem ordinatio-
nem; nam ſunt aliquæ relationes reales, quæ inſur-
gunt etiam inter independentes; vt Patris in Diuinis
ad Filium; & albedinis intenſiſſimæ ad aliam, à qua
non pendet, vt rectè arguit Fauentinus, *num.* 6. cum
Scoto, & S. Bonau. *in corp.* contra Henricum, qui
ità probat, non dari relationem realem Dei ad crea-
turas; quia, vbi non eſt dependentia, inde non inſur-
git relatio realis; at Deus non pendet à creatura. Er-
gò. Igitur hanc rationem meritò corrigit Seraphicus,
quia independentia excludit ſolùm aliquas relationes,
qualis eſt inter materiam, & formam; non omnes;
nam etiam inter perſonas Diuinas, ex mera ordina-
tione, & habitudine, abſque dependentia, inſurgit
relatio realis: ſic etiam cauſa refertur ad effectum, li-
cèt ab eo non pendeat; ſed ſolùm è contrà, effectus
pendeat à cauſa. Fateor cum D. Bonau. id, quod de-
pendet referri relatione dependentiæ. Sic materia pen-
det à forma, & ſcientia refertur ad ſcibile, quia eſt
aliquid eius, vt docet Ariſtoteles 4. *Metaph. cap. Ad
aliquid.* Similiter & intellectus ad intelligibile, ſigni-
ficat quòd eius eſt intellectus, vt arguebat Henric.
malè tamen infert, non eſſe relationem, vbi non
eſt dependentia.

78 Poſſet verò aliquis dicere, omnia, quæ referun-
tur, inuicem pendere; & ideò Ariſtoteles ait, ea eſſe
ſimul naturâ, tempore, & cognitione.

Verùm loquitur Ariſtoteles de relatiuis, ſecun-
dùm formale relationis. Argumentum autem Henrici,
ne petat principium, debet loqui de fundamento, vn-
de relatio inſurgit; alioqui argueret. Vbi non eſt re-
latio, quæ dicit dependentiam inter relata, ibi non
eſt relatio. Quare non benè Tannerus probat aſſer-
tionem noſtram; quia aliàs Deus penderet à creatu-
ra, ſicut relatio pendet à termino.

Vrget adhuc Faber *num* 6. Si in omni relatione
eſt dependentia, ſequitur circulatio dependentiæ, quæ
omninò eſt impoſſibilis: quia in nullo ordine eſſen-
tiali eſt circulus. Verùm dependentia, quæ eſt fun-
damentum relationis falſum aſſumit: nam dependen-
tia materiæ à forma, eſt fundamentum relationis ma-
teriæ ad formam, etiam materialem; at dependentia
formæ materialis à materia, eſt fundamentum mu-
tuæ dependentiæ formæ à materia.

Probatur vltimò à Scoto ratione (ait Faber) 79
efficaciſſimâ, quam amplectuntur Vaſquez *d.* 104.
cap. vlt. & alij recentes. Et deducitur ex perfectâ ſim-
plicitate, & abſolutiſſimâ neceſſitate Diuini eſſe. Eam
vrgent Scotiſtæ, præſertim Poſnanienſis *l.* 1. *Deciſ.*
cap. 3. *quæſt. vlt.*

Primo ſupponunt, Deum eſſe perfectè ſimplicem,
& abſolutè neceſſariò eſſe. Prior probatur è D. Au-
guſt. 11. *de ciu. Dei, cap.* 10. vbi ait. *Deus ſimplex
eſt, quia hoc eſt, quod eſt.* Nihil ergo in Deo acci-
dentale, vel ſeparabile reperitur. Hoc autem melius
nos oſtendimus, *d.* 3. *quæſt.* 8. Secunda pars probatur,
quia Deus eſt immutabilis: Ergò non pendet ab alia
re extra ſe. Et hoc melius oſtendi, *d.* 1. *quæſt.* 3. Ex
hoc fundamento deducitur hoc corollarium, in Deo
nullam eſſe entitatem, quæ requirat aliquid extra
Deum eſſe; alioqui eſſe Dei penderet à creatura, &
eſſet contingens. Tunc ſic arguunt. Omnis relatio
realis neceſſariò ad ſui eſſe coexigit ſuum terminum,
& correlatiuum: Ergo ſi in Deo eſt aliqua relatio rea-
lis ad creaturam; neceſſariò ad ſui eſſe requirit ſuum
correlatiuum, ità vt destructa creatura, ſimul quo-
que destrueretur illa relatio in Deo. Ergo aliquid eſſet
in Deo corruptibile, ſicuti profectò omnis creatura
deſtrui poteſt.

Hæc ratio eſt D. Bonauenturæ *fund.* 3. *& in corp.*
Imò S. D. probat, quia ſcilicet ſequeretur in Deo
deſtructio ſimplicitatis; ſi illa relatio eſſet aliquid
ſuperadditum Deitati, vt verè eſſet. Probatur, quia
adderet aliquid contingens & accidens; ſicuti con-
tingens eſt creatura.

Hic Scotus, & Faber non videntur ſibi con-
ſtantes, dum ex independentiâ Dei à creaturis, ar-
guunt, non dari relationem realem Dei ad illas; quod
infra abſolutè contrà Henricum vrgent, non ſequi;
at D. Bonau. *arg. vltimo* ſub disiunctione aliquâ lo-
quitur.

Assero ſecundò, poſſe in Deo poni relationem 80
rationis ad creaturas. Ità SS. DD. hîc. Scotus cum
ſuis ad quæſtionem cit. & Faber *num.* 25. & com-
muniter.

Probatur ex noſtro modo imperfecto intelli-
gendi, poteſt autem intellectus comparare Deum ad
creaturas, formando nouos conceptus, ſicut po-
teſt comparare creaturas inter ſe, vt ait S. Bonau.
in corp. & poſt eum Scotus, & Faber, *num.* 27. Eſt
autem omnium plauſu acceptum, nec indigens ar-
gumentis.

Observat autem Fauentinus, *num.* 25. non 81
poſſe talem relationem rationis poni de nouo in
Deo ab intellectu Diuino; alioqui mutaretur in-
tellectus Diuinus, qui priùs non intelligebat crean-
tem, & poſtea intelligit. Nunc autem intelligit ſe
quidem de nouo creantem, ſed non intelligit de
nouo, imò ab æterno ſeipſum intellexit creantem
pro tali tempore, ſicut decreuit creare pro tali tem-
pore.

Obiicies primò ex D. Auguſt. 5. *de Trin. cap. vlt.*
Deus in tempore incipit eſſe Dominus realiter; &
Creator nullo cogitante intellectu. Ergò noua relatio
inſurgit.

82 RESPONDET D. Bonauentura *d. 30. quæſt. 1. & hîc, ad vlt.* Deum incipere eſſe Creatorem, & Dominum per nouam exiſtentiam creaturæ productæ à ſe, atque adeò relatæ ad cauſam abſque aliquo addito in Deo, ſola rationis relatione adueniente, ex D. Auguſt. *loc. cit.* Ità etiam Scotus; per relationem tamen rationis non eſt Deus realiter Dominus, vt notat S. Bonauentura *ad 6. & 7.* & Scotus. Nam quod eſt fundamentum relationis, eſt realis actio, quæ eſt diuina eſſentia ſuppoſita per modum agentis ante ipſam creaturam. Et ità nullo operante intellectu, adhuc eſt Dominus realiter, & terminus realis relationis creaturæ, vt notat etiam Fauentinus, *n. 30.* Poſnanienſis, *loc. cit.* Itaque Deus denominatur Dominus à relatione reali creaturæ, vt terminus eius, tanquam cauſa; at verò noſtro modo concipiendi nominatur relatiuus Dominus, per relationem rationis in ipſo exiſtentem. Quamuis autem 6. *Metaph. text.* 20. relationes cauſæ, & effectûs aſſerantur mutuæ, & Deus nullo cogitante intellectu ſit cauſa creaturæ; tamen eſt cauſa extra genus, & tranſcendens, non computanda cum cæteris càuſis; eſtque cauſa ſimpliciſſima, immutabilis, neceſſaria, non admittens nouitatem accidentis addiri, apponentis compoſitionem; eſt enim agens per ſuam eſſentiam, non per actum ſuperpoſitum, qui relationem realem inducat.

83 OBIICIES ſecundò. Pater realiter refertur ad Filium, quamuis ſeipſo generet. Ergo & ad creaturas; quamuis ſeipſo creet.

RESPONDET D. Bonauent. negando Conſeq. non enim eſt ſimilis ratio, quia Pater dicit ordinem ad Filium, ratione emanationis, quæ nullam dicit imperfectionem, nil enim addit relatio, per quod componatur; vt dixit in corpore; at verò ad creaturam non habet ordinem vel habitudinem, vt ait Ariſtoteles 11. *Metaph. t. 36.* nam prima cauſa eodem modo ſe habet ad omnia; tametſi alia alio, & alio modo ſe habeant ad ipſam, vt dicitur, 11. *Metaph.* vbi ait Ariſtoteles. *Primum, & ſummum bonum non ordinatur ad hæc creata; licèt hæc ad ipſum ordinentur.* Semper enim inferiora ordinantur ad ſuperiora; non è contrà: neque poteſt Deus egredi ad creaturas abſque additione accidentis, ſicuti accidit etiam creaturæ fieri.

HINC etiam habes, cur poſſit eſſe inter perſonas Diuinas relatio æqualitatis, & non poſſit eſſe inter Deum, & creaturas relatio inæqualitatis; ratio enim eſt ſimplicitas Dei, quæ in hoc læditur; in illa non. Adde incompatabilem creaturæ finitatem ad Dei infinitatem.

Obiicies tertiò. Si in Deo eſt relatio rationis; vel ei correſpondet aliquid reale, vel nihil. Si nihil: Ergo eſt falſus. Si aliquid: Ergo realiter debet referri.

84 Reſpondet S. Bonau. nomina illa ſignificare ſubſtantiam Dei, & relationem rationis ad creaturas, quæ fundatur in relatione reali creaturæ ad Deum, & vera ſubiectione noua, atque productione; ex qua poteſt concipi cum fundamento Deum referri, vt eſt Creator, & Dominus; quoniam verè creaturam produxit, eique dominatur, ipsâ nouiter productâ, atque ſubiectâ manente; non reſultat autem in Deo relatio realis, quia incapax eſt Deus nouæ entitatis, vt dixi.

Obiicies quartò. Relatiua ſecundùm eſſe ſunt mutua, ex Ariſtotele: *cap. Ad aliquid*; at relatio Domini, & ſerui: Cauſæ, & effectûs ſunt relationes ſecundùm eſſe. Ergo mutuæ. Ergo & Deus, vt Dominus, realiter refertur ad nos.

85 Reſpondet S. Bonauentura relationem Dei ad creaturas eſſe tertij generis, quia licet ſit cauſa; eſt tamen ordinis tranſcendentis, vt dixi; relatio verò cauſæ ad effectum eſt mutua tantùm inter creaturas, quæ ſunt eiuſdem ordinis; at Deus ſe habet, vt menſura ad menſuratum, quæ ratione tantùm refertur, licèt menſuratum ad menſuram realiter referatur.

Obiicies quintò. Non minùs dominium eſt verum dominium adueniens Deo, quàm creaturis. Sed ex eo capite in creaturis fundat relationem realem: Ergò.

86 Reſpondet S. Bonauentura verè Deum eſſe cauſam creaturæ, eique dominari; ſed non per aliquid ſibi de nouo ſuppoſitum; ſed ſeipſo agit, & dominatur non per accidens adueniens, vt in creaturis. Quare neque nouam fundat in Deo realem relationem; quia eſſentia Diuina immutabilis, & ſimpliciſſima eſt.

Dices. Poteſt alicui aduenire noua realis relatio, etiamſi realiter non mutetur; vt cùm exiſtente vno albo nouum album productum eſt, cui incipit eſſe ſimile.

87 RESPONDETVR. Fieri tamen aliquam mutationem, dum aduenit noua relatio ſimilitudinis, quæ eſt accidens. Infero ergo cum D. Bonauent. *in corp.* & D. Thom. *loc. cit.* poſſe creaturas ad alias creaturas habere relationes mutuas; quia omnes ſunt eiuſdem ordinis vniuerſi, quippe quæ ſunt partes illius, ac conſequenter inuicem ordinatæ, vel in identitate, vt duæ ſubſtantiæ eiuſdem ſpeciei: vel in ſimilitudine, vt duo ſimilia in qualitate; vel in æqualitate, vt duo quanta æqualia: vel in dependentia, vt materia, & forma; vel in productione, ſeu origine, vt effectus ad cauſam; Filius ad Patrem. Deus autem cùm ſit ſubſtantia ſimpliciſſima, immutabilis, ſpiritualiſſima, non eſt capax relationis accidentalis, neque eſſentialis dependentiæ, nec alîus generis ad creaturam; tametſi ipſa creatura realiter refertur ad Deum omni modo, mediante proprietate accidentali, dependentiâ eſſentiali, & origine naturali. Sola igitur in Diuinis eſt relatio perſonalis, quæ non præiodicat diuinæ ſimplicitati, vel immutabilitati, vt oſtendam, *tract. 2.*

Addit Poſnanienſis, poſſe Deum, comparando ſuam intellectionem ad obiecta cognita, cauſare in ſe relationem rationis ad ea. At ſic: Vel erit realis, vel imperfecta, & vtramuis abſonam comperies in Deo, vt oſtendi ſupra. Si enim ratione, ſeu diuina intellectione fiat; vel erit vera, vel conficta.

QVÆSTIO VII.

Vtrum nomina dicantur de Deo propriè.

D. Bonau. d 22. q 3.
D. Thom. q. 13. art. 1. & 12.

QVÆSTIO eſt. An omnia nomina dicantur de Deo, abſque metaphora.

SCIENDVM primò ex D. Bonauentura *in corp.* nos imponere Deo nomina hauſta ex cognitione creaturarum. Hoc autem fit tripliciter. Primò negatiuè, ideſt negando de Deo perfectiones ad modum creaturarum. Ità D. Dionyſ. *de Myſtica Theol. cap. 5.* ait, loquens de Deo. *Profitemur nec animum eſſe, nec mentem, nec viſionem, aut opinionem*

vel

vel rationem, vel mentis notionem habere, nec rationem eſſe, nec mentis perceptionem. Itaque inter alia multa, quæ Deo negat; ſunt Eſſentia, Vita, Æternitas; quia nihil tale, quale nos videmus, & concipimus, in Deo eſt. Hunc modum cognoſcendi Deum tradit S.Dion. *cap.7. de diu. nom.* illis verbis, *omnium detractione cognoſci*; & iterum: *ſine omnibus*, quaſi dicat; nos potiùs cognoſcere, quid non ſit. Id pulchrè dixit Damaſcenus 1. de fide cap.4. *In Deo autem impoſſibile eſt quidnam eſſentia ſua, ac natura ſit, dicere; aptinſque eſt ex omnium rerum ſublatione, atque inficiatione operationem habere, neque enim eorum quæ ſunt quidquam eſt.* Quod ſanè non ità accipiendum eſt, quaſi non ſit; ſed quaſi ſupra omnia, quæ ſunt, ipſe ſit. Atque adeò ſuprà ipſum eſſe creatum. Hanc Theologiam S. Dionyſius, *cap.3. de Myſt. Theol.* vocat CATAPHATICAM.

89 SECVNDVS modus nominandi Deum eſt per ſuperexcellentiam. Vt autem atteſtemur Dei ſuper omnia creata eminentiam, inuentus eſt modus præfatus negationis. Ideò Boëtius *l.de Trin.* ait. *Nam ſubſtantia in Deo non eſt verè ſubſtantia; ſed vltra ſubſtantiam*, & S. Dion. cap.1. & 2. de diu. nom. *Dei ſubſtantiam superſubſtantialem, & omni eſſentia ſuperiorem*, appellat. Ideò *cap.1.* ait. *Deum omnia eſſe, quæ ſunt; & nihil eorum, quæ ſunt.* Quæ verba recitans Elias, *in orat. 14. Nazianzeni*, ait. *Deus* (vt S.Dionyſ. ait) *eſt quidem cauſa iis, quæ ſunt vt ſint: ipſe autem non eſt; vt qui nihil horum quæ ſunt, ſed ſupra omnia ſit. Quamuis enim Ens dicatur, iuxta illud Exod.3. Ego ſum, qui ſum; at Ens tamen non eſt, vt ea, quæ ſunt.* Ad hoc Plato relatus à D.Auguſt.8. *de ciuit. cap.11.* vocauit omnia non entia. Ex quo ſuſpicatur S.Auguſtinus, Platonem legiſſe illud Exo-
90 di 3. *Ego ſum qui ſum.* Quo ſenſu etiam D. Auguſtinus 7. *Confeſſ. cap.11.* ait. *Inſpexi cætera infra te, & vidi, nec omninò eſſe: nec omninò non eſſe. Eſſe quidem, quoniam à te ſunt; non eſſe autem, quoniam id, quod es, non ſunt. Id enim verè eſt, quod incommutabiliter manet.* Hic igitur ſecundus modus eſt affirmatiuæ ſupereminentiæ inexplicabilis. Ideò S.Auguſtinus 5. *de Trinit. cap.10.* cùm aſſeruiſſet, aliqua prædicamenta de Deo, dici non tranſlatè, ſed propriè, ait. *Si tamen de illo propriè dici poteſt aliquid.*

91 TERTIVS modus cognoſcendi, atque adeò nominandi Deum, eſt ſecundùm rationem cauſæ, & effectus; cùm omnia creata conſideramus, & aliqua vera Deo attribuimus; & quidem ea, quæ nullam dicunt imperfectionem in ſuo conceptu eſſentiali, non repugnat dici propriè de Deo; *vt intelligens, volens.* Similiter attributa Sapientiæ, Potentiæ, Bonitatis, quæ dicunt imperfectionem accidentis, quatenus ſunt in nobis, ſed formaliter in ſe poſſunt ſtare abſque imperfectione. Ea verò, quæ intrinſecam dicunt imperfectionem non poſſunt de Deo enunciari propriè, vt videre, moerere, quæ Deo ſpiritui beato repugnant, dicuntur verò per *Antropoſpaton.* Talia ſunt etiam nomina, quæ formaliter dicunt aliquam creaturam, vt Leo, Lapis, Agnus, &c.

92 EA tandem, quæ formaliter dicunt perfectionem cum excluſione creaturarum imperfectionum, propriè dicuntur de Deo; & quidem ſolo; vt Immenſus, Æternus, Immutabilis; ſicuti è contra, quæ dicunt formaliter imperfectiones meras creaturarum, nullo modo conueniunt Deo; ſicut finitum, creatum, corruptibile. Ità docent D.Bonau. *hic*, D.Thom. *art.3.* Durandus 1. *d.22. quæſt.1.* Richardus *ibi*, & alij apud Trigoſium, *quæſt.8. art.3.*

SCIENDVM ſecundò, omnem tranſlationem attendi ſemper ſecundum aliquam ſimilitudinem. Omnes enim transferentes ſecundùm aliquam ſimilitudinem transferunt ex vno ad alium. Iam verò nomina, 93
quorum oppoſitum eſt in Deo, & creaturis, & dicunt perfectionem, vt Æternus, Immenſus, &c. nullo modo transferuntur. Ea verò, quæ ſignificant rem, cuius veritas eſt in Deo; & ſimilitudo in creaturis, vt Potentia, Bonitas, Sapientia; talia transferuntur à creaturis in Deum, non ſecundùm rem, ſed ſecundùm impoſitionem, quia priùs impoſita, ſunt creaturis, quàm Deo; tametſi priùs ſint in Deo. Ea verò nomina, quæ ſignificant proprietatem creaturæ, vt creatura, ſignificant Deum tantùm per conſimilem proprietatem, vt Leo ſignificat in Deo ſpiritum inuincibilem. Hæc ad Deum transferuntur è creatis rebus, à re propria ad impropriam, per Metaphoram.

ASSERO primò, dari nomina, propriè Deum ſignificantia.

PROBATVR à D. Bonauent. primò ex Apoſtolo. 94
Epheſ. 3. *Flecto genua ad Patrem Domini Ieſu, ex quo omnis paternitas in cælo, & in terra nominatur.* Ergo Pater cæleſtis magis propriè nominatur Pater, quàm Patres creati. Confirmatur à D. Bonauent. ex D. Dionyſio apud Damaſcenum *l.1. de fide, cap.9.* vbi, hac authoritate nixus, hoc idem aſtruit.

VASQVEZ *d.22.* dicit, paternitatis nomen tranſlatum è nobis, ad ſuperos, & ait, ſe mirari, quo pacto Damaſcenus oppoſitum ſtruat è D. Dionyſio, qui *cap.1. de myſt. Theol.* ait. *In Deo nec Patris, nec Filij rationem eſſe.* Et D. Baſilius *l.5. contr. Eunom. cap.13.* ait. *Nec filium nec generationem Deitatis eſſe proprium; ſed ex humana ſimilitudine tranſlatum.*

Reſpondetur, ibi S.Dionyſium id ſolùm velle, in Diuinis non eſſe rationem, ideſt quidditatem, & formalitatem Patris, & generationis, quæ eſt inter nos. Ibi enim generatio eſt per intellectum, & Filius eſt ſpecies expreſſa, modo ſpiritualiſſimo. Idem vult S. Baſilius, & Ambroſius infra.

EQVIDEM magis credo S. Damaſceno Græcorum eruditiſſimo, ac in S. Dionyſij operibus verſato, quàm Vaſquezio. Ad oppoſitiones Vaſquez reſpondi, *d.3. quæſt.3.*

Probatur ſecundò à S. D. ex D. Ambroſio, ini- 95
tio Prologi, lib. primi de fide ad Gratianum, vbi ait. *Sunt quædam nomina, quæ proprietatem Deitatis oſtendunt*, vt Generatio, Verbum, Filius, *&c. quædam verò, quæ Diuinæ maieſtatis exprimunt veritatem*; vt Sapientia, Veritas, *&* Virtus: *quædam verò ſunt quæ de Deo tranſlatiuè dicuntur*, vt Splendor, Character, &c.

TRIGOSIVS in margine fatetur, hanc authoritatem haberi *loc. cit.* à Magiſtro, quem D.Bonau. allegat mox verò §. *Quarto nota*; negat, ibi haberi, ſed *l.2. de Trinit.* & non rectè à D. Bonau. allegari; ſed obſerua, D. Bonau. ſententiam quidem S. Ambroſij allegare; at non adducere locum, vt à magiſtro allegatur; tametſi ſententiam dicat haberi in littera magiſtri.

HÆC diuiſio trimembris nominum Dei ſufficienter complectitur omnia nomina diuina, iuxtà ſententiam non ſolùm D. Ambroſij, ſed etiam Auguſtini, & Dionyſij. Nam S. Dionyſ. diuidit nomina Diuina in ea, quæ tranſlatiuè dicuntur; quæ appellat, *Symbolicam Theologiam*: & in ea, quæ propriè dicuntur de Deo, quæ ſcilicet per prius in Deo ſunt, quæ vocat *Vnitam Theologiam*,

quoad ea, quæ prædicantur de tribus perſonis communiter: & in ea, quæ ad Perſonas ſingulas pertinent, quam vocant, *diſcretam Theologiam*. Rurſus ea, quæ tranſlatè dicuntur ad Myſticam Theologiam ſpectantia: alia ſumpta ſunt è creaturis ſpiritualibus, & dicitur, *Theologia Myſtica*: alia è corporeis, & dicitur: *Symbolica*, vt ait idem Dionyſius *ep.9.* & *cap.1.de diu.nominibus*.

96 Probatvr tertiò à S. D. Ea, quæ dicuntur tranſlatè, dicuntur ſecundùm aliquam ſimilitudinem cum creaturis; at multa nomina dicuntur de Deo, quæ cum creaturis nullam habent ſimilitudinem; imò oppoſitionem, vt: *Immutabilis*, *Immenſus*, &c. Ergo non tranſlatè, ſed propriè dicuntur.

97 Probatvr quartò à D.Bonau. Ea, quæ ſoli Deo conueniunt, non poſſunt eſſe tranſlata è creaturis; at multa nomina ſunt huiuſmodi: Ergo. Mi. probatur. Nomen *Bonus*, ſoli Deo competit, vt dicitur Matth.19. *Nemo bonus, niſi Deus*. Idem ſentit D.Dionyſ. *cap.3. de diu.nom.* Sic & nomen. *Qui eſt*.Exod.3. Vnde D.Auguſt,5. *de Trin.cap.2.* & l.83.*q.q.quæſt.17.* ait. *Solus Deus verè eſt, cuius comparatione, cætera non ſunt*. Idem ſentit Damaſcenus 1.*de fide c.12*.

98 Assero ſecundò. Aliqua nomina dici de Deo non propriè, quoad modum ſignificandi.

Probatvr à D.Bonau. *arg. 2. ad opp.* addito reſponſo. Eo modo nominamus Deum, quo cognoſcimus. Sed Deum ſolùm per ſenſus è creaturis cognoſcimus, ſiue per ſimilitudinem; ſiue per ſuperexcellentiam; è quibus modis ille, qui per ſimilitudinem non eſt proprius modus nominandi; ſed tranſlatus ex alienis proprietatibus: Ergo. Eodem argumento vtuntur D.Thom. & Vaſquez *loc. cit.* atque Valentia *d.1. quæſt.13.p.3.* aliique Commentatores Angelici Doctoris.

Obiicies primo contra primum aſſertum. Simplex impropriè dicitur. Deus eſt ſimplex: Ergo.

90 Reſpondet S. Bonau. ſimplex, enunciatione quidem, quæ eſt compoſita, explicari modo compoſito, & improprio; attamen ſimplici nomine proprio poſſe nominari.

Obiicies ſecundò ex D. Dionyſio *ep. 9.* & *de diu. nom.cap.1.* Non eſt, niſi duplex Theologia, ſcilicet Myſtica, & Symbolica, vt dixi, & vtraque nominat Deum tranſlatè.

100 Reſpondet S. Bonau. Quòd, licèt in Symbolica, & myſtica Theologia nominemus Deum tranſlatè, quia proprietates creaturarum eminentiùs ſunt in Deo; Deus enim dicitur eminenter Angelus, Homo, Leo &c. non tamen ſemper ſic nominamus; ſed per negationem imperfectionum; vt, quòd ſit Infinitus, Immenſus, quæ ſunt propria. Reliqua patent in dictis.

QVÆSTIO VIII.

An nomina dicantur vniuocè de Deo, & creaturis.

D.Bonau. d.1. dub.5 litt. & d.7. q.4. & d.8. quæſt.vlt. & d.22. q.3. & d 25.art.2 q 2.
D.Thom. q 13.art.5. & 51.

Nomina è conceptibus imponuntur, & conceptus è rebus efformantur; ideò, vt videamus quomodo nominetur Deus comparatus ad creaturas: videndum eſt, quomodo ſe habeant conceptus, & res tranſcendentes, reſpectu Dei, & creaturarum.

Celebris eſt ſententia; Ens, & alia pleraque tranſcendentia, conceptum vniuocum dicere de Deo, & creaturis. Ità Scotus vbique, præſertim 1.*ſent. d. 3. quæſt.1.* quem ſequuntur diſcipuli, Anton. Andreas, 4. *Metaph. quæſt.1.* Mayro *in Prel. quæſt. 3.* Gabr. Zerbius 4. *Metaph. quæſt. 1.* Rubion. 1. *d. 3. quæſt. 3.* Vorilion *ibi quæſt.3.* Lichet. & alij expoſitores eiſdem locis ſubſcribunt; Ioan. præterea Canonicus 1. *Phyſ. quæſt. 3.* Trombetta 4. *Metaph. quæſt. 2.* Fauent. *Theor.95.* Poſuan. *l.1. Deciſ. cap.2.quæſt.2.* & *cap.7.quæſt.5.* & Vtinenſis, *tract.2. q.4. art.1.* Ocham & Gabr. 1.*d.2. quæſt.9.* Et vniuerſa Nominalium, & Scotiſtarum Schola, id confirmant.

Diſtinguunt autem plerique Scotiſtarum Vniuocationem in Phyſicam, Metaphyſicam, & Logicam. Vniuocatio, vniuoca Phyſica, eſt vnitas naturæ, ex natura ipſius rei, ſecluſa omni operatione intellectûs, de qua dicunt locutum Ariſtotelem: 7. *Phyſ. tex.24.* & 31. cùm ait. *In ſpecie ſpecialiſſima eſt propriè comparatio, non in genere, quatenus ſpecies vnam dicit naturam, & vniuocam, non autem genus; ſed in eo latent æquiuocationes.*

Vnivocatio Logica dicitur vnitas alicuius realitatis, vel primæ intentionis, ſub intentione aliqua Logica conceptæ, nempè generis, differentiæ, vel alicuius conſimilis ſecundæ intentionis. Logica enim (vt ait Auicenna, 1.*Metaph. cap.2.*) eſt de ſecundis intentionibus, adiunctis primis. 101

Vnivocatio verò Metaphyſica eſt vnitas alicuius primæ intentionis ex natura rei, per intellectum à pluribus abſtrahibilis, quâcunque ſecundâ, ſeu Logicâ intentione circumſcriptâ. Atque ſecundo, & tertio modo vniuocationem admittunt in tranſcendentibus: primo verò modo in iis ſolùm vniuocationem deprehendi aſſerunt, quæ ſub aliquo determinato genere, & ſpecie item determinata ſtatuuntur. Idem ſentit Trigoſ. *quæſt.8. art.4.d.4.*

Hæc autem duo, nempè ens eſſe vniuocum, & conceptum eſſe vniuocum, eſſe diuerſa probat Vtinenſis: quia Doctores diſtinctas de his quæſtiones habent, vt Suarez *in Metaph. d.2.* agens, de primo; & de ſecundo, *d.8. ſect.3.* Fonſeca 4. *Metaph. cap.2. quæſt.1. & 2.*

Secvnda ſententia eſt, Nihil de Deo, & creaturis vniuocum dici; ſed tantùm analogicè. Ità D.Bonau. ſuprà adductis locis. D. Thom. *hic*, & de potentia *quæſt.7.art.7.* & 1.*cont. g. cap. 32.* Eum ſequuntur omnes diſcipuli, Caiet. ad locum D.Thom. in Summa cum Naxario *ad art.10. D. Thom.* Capreol. 1.*d.2. quæſt.1.* Ferrar. *ad loc.cit. contra g.* Suar. ſuprà, Vaſquez *p.1.d.22.* Valentia, *tom.1.d.1.quæſt.13.p.3.* Tanner. *d.2.quæſt.7.dub.3.* qui ait, eſſe communem D.D. ſententiam. 102

Vtinensis conciliator accedens, conatur trahere Seraphicum ad Scotum, quia *in 1.d.3.p.1.quæſt.2.ad 3.* ait. *Deo, & creaturæ nihil eſſe commune per vniuocationem, ſed per analogiam, quæ dicit habitudinem duorum ad duo, vt in Nauta, & Doctore, vel vnius ad vnum, vt exemplaris ad exemplatum.* Et eodem *lib. d.22.quæſt.3.* ait. *Quædam nomina rem ſignificare, cuius veritas eſt in Deo; & eius ſimilitudo in creatura, vt Potentia, Sapientia, Voluntas.* Et *d.25. art.2.quæſt.2.* ait: *Quoniam conſimilis habitudo reperitur in perſonis creatis, & increatis, hinc eſt, quod nomen perſonæ non dicitur æquiuocè, ſed analogicè.* E quibus deducit, Seraphicum, ſolam vniuocationem perfectiſſimam excludere, quæ in vnitate ſub genere conſiſtit, & ſub ordine, quem habet ad realitatem, extrà intellectum. Tandem vnam quidem rationem dari in ordine ad intellectum vniuocam, ſub diuerſa tamen habitudine. Eodem pertrahit & D.Thom. Alenſem, & Richardum. Sed hæc inania eſſe, infra oſtendam.

Fvndamen

Fvndamentvm. Quando volumos definire aliquid Theologicum, niaum Philoſophicis fundamentis, tenemur accipere res philoſophicas ad normam ſapientum; neque licet nouas rerum definitiones, eſſentiáſque ad libitum excogitare; alioqui nihil vnquam ſolidum, nihil certum ſtatuere poterimus. Vniuoca igitur ab Ariſtot. *in Antepradicamentis* eſſe illa dicuntur, quorum nomen commune eſt, & ſubſtantiæ ratio eadem. Ratio verò per nomen explicita, eſt definitio, vt ibidem docet Philoſophus, qui ſic explicat, Quid ſit eadem ſubſtantiæ ratio, dicens [*Vt animal; & homo, atque bos; communi enim nomine horum vtrumque animal nominatur, & eſt ratio ſubſtantia eadem. Si quis enim aſſignet vtriuſque rationem, quid vtrumque eſt quo animal eſt, eandem aſſignabit rationem.* Ergo cum quidditas ſit illa, quæ explicat hanc conuenientiam; illa eſt ratio definitiua. Idem habet 4. *Metaph. t.*28. vbi ait. *Ratio enim, cuius ſignum eſt nomen, definitio eſt.* Hanc vniuocorum acceptionem vniuerſali plauſu accipiunt ſapientes. Hinc Faber, malè negat, illum conceptum quidditatiuum eſſe definitionem. Igitur ad vniuocationem acceptam, modo acceptato à ſapientibus, requiritur conuenientia in definitione; & ideò adæquata rationa amborum, vt infert S. Bonau. 1. *d.* 25. *art.*2. *q.* 2. *corp.* & *arg.* 3. loquens de perſonis Diuinis, & D. Thom. *hic*, vt poſt eos Valentia, & alij diſcurrunt. Hinc inferunt SS. DD. nomina exprimentia Deum, & creaturas, non prædicari de eis voiuocè: quia talis conceptus non adæquat eos, de quibus dicitur; vt enim conceptus ſit adæquatus, ſeu eadem definitio communis pluribus, requiritur eorundem conuenientia eſſentialis in aliquo prædicato, quod in nulla rerum, quæ ſic conueniunt, includat re ipſa intrinſecè, & quidditatiuè id, per quod res eædem differunt; vt ita demùm poſſit tale prædicatum adæquari per conceptum, ſeu definitionem talibus rebus communem. Cui conuenientiæ eſſentialiter obſtat infinita diſtantia Dei à creaturis; atque adeò infinitas cuiuſlibet diuinæ perfectionis. Sic notat Valentia, poſt SS. DD. præcipuè D. Bonau. *d.* 25. *loc. cit.*

104 Ex his incipit elucere inanis diſtinctio Scotiſtarum, quòd ſcilicet detur conceptus Metaphyſicus, & Logicus vniuocus Deo, & creaturis; vt enim notat S. Bonau. paſſim, præſertim *in* 1. *d.*33. *q.*2. conceptus animæ, vt ſit verus, & non falſus, aut chimericus, debet inniti ipſi obiecto. Maximè verò conceptus Metaphyſicus, qui cùm ſit conceptus ſcientiæ realis debet habere correſpondentiam in re, vt maximè vrgent Scotiſtæ, inter quos Faber in 1. *d.* 20. & *Theor.*93. poſt Scotum *in* 2. *d.*3. *q.*2. vbi ideò nituntur, dari à parte rei veritatem communem; eò quòd dantur conceptus, & propoſitiones à parte rei communes, quod, licèt non ſit verum, cùm ſufficiat à parte rei dari hanc, vel illam naturam, *à qua*, tanquam fundamento abſtrahens intellectus, & comparans eas inuicem, formet conceptum vniuerſalem: nam Metaphyſica eſt ſcientia realis, ex Fabro *Theor.* 12. & Scoto ibi adducto; & tamen non datur natura communis entis; ſed conceptus ſolus entis, ab intellectu formatus, vt nititur Faber, *Theor.*95. Quo fundamento nititur definitio, non autem quòd à parte rei detur illa communitas. Cùm enim hominem definio; non dico, eſt animal rationale, id eſt ſinguli homines habent naturam communem animalis, ante operationem intellectus formaliter. Hinc ſaltem deduco, ſecundùm Scotiſtas, definitioni debere reſpondere definitum & conceptui Metaphyſico, imò & Logico rem ipſam. Vnde Ariſtor. *in pradic. c. de ſubſtantia*, ait. *Corruptis primis ſubſtantiis, id eſt indiuiduis, impoſſibile eſſe aliquid remanere.* vbi etiam Logicè loquitur. Hinc inquam ſequitur, non dari conceptum commmunem vniuocum entis ad Deum, & creaturas; cùm iam conceſſum ſit, non dari à parte rei aliquid commune vniuocum. Et quod premit in noſtra ſententia, neque datur fundamentum talis conceptûs, imò contradictio, & oppoſitio inter entitatem, vt Deo conuenit, cum entitate, vt conuenit creaturis in omni genere ſummo; ſed ſolùm datur remota quædam imitatio.

. Assero primò. Ens, & entis genera non eſſe vniuoca Deo, & creaturis,

Probatvr à D. Bonau. 1. *d.*25. *quæſt. vlt. fund.*2. & *d.*9. *quæſt. vlt.* indicatur. Ea, quæ vniuocè conueniunt in aliquo genere vniuntur. Deus autem non conuenit in aliquo genere cum creaturis: Ergo. Ma: probatur ex definione Vniuocorum tradita. Mi: probatur, nam id, quod ponitur in aliquo genere, eſt finitum illi generi. Deus autem eſt infinitus ſimpliciter: eadem minor conceditur à Scoto. 105

Quare miratur Vaſq. *d.*22. *c.*5. quomodo Scotus concedat aliquid commune Deo, & creaturis, & tamen nolit Deum ponere in aliquo genere, ſeu prædicamento. 106

. Quòd verò neque ens ſit genus, probatur ex Ariſtot. 3. *Metaph. t.*10. vbi ait. *Ens non eſſe genus*: Et adducit hanc rationem, quia tunc differentia non eſſet ens, nam genus contrahitur per aliquid, quod eſt extra rationem ſui, vt ait Ariſtot. 7. *Metaph.* Deinde idem Ariſtot. 4. *Metaph. t.*2. vult, ens dici de entibus; ſicut ſanum, quod dicitur de multis analogicè, & vult, Metaphyſicam eſſe vnam ſcientiam; non quia omnia, quæ in ea tractantur ſint vnum, ſed *ad vnum*, id eſt analogicè.

Reſpondet Fauentinus, *c.* 6. è Scoto, dari conceptum entis communem Deo, & creaturis vniuocè; attamen ens non eſſe genus; quia generis proprietatibus caret, neque eſſe neceſſe ad vniuocationem conuenientiam in genere, imò hanc neque ſufficere, quia in generibus latent æquiuocationes; vt ait Ariſtot. neceſſaria eſt autem ad vniuocationem perfectam vnitas in ſpecie.

Vervm ex dictis Ariſtoteles, requirit, vt vniuoca conueniant in definitione, ſaltem quoad genus; & ideò vniuoci perfecti dat *loc. cit.* Ariſtoteles exemplum animalis, in quo vniuntur homo, & bos, Quòd verò lateant in genere æquiuocationes, ratione differentiarum, non prohibet, quin duo conuenientia in genere, ratione illius, non ſint vniuoca. Propterea fauentinus hoc argumentum præ cæteris, è pluribus Doctoribus grauibus allegatum, validum fatetur. Conuenientia verò conceptus debet fundari in re, vt ſuprà monui. 107

Probatvr ſecundò à S. D. *loc. cit. d.*8. *ad* 2. Ea, quæ vniuocè conueniunt habent genus ſuperiùs, in quo conueniunt; at Deus non habet genus ſuperiùs ſe: Ergo. Ma. patet ex dictis. Mi. probatur, nam genus ſuperius deſcendit ad Inferiora, per compoſitionem differentiæ. Deus autem eſt ſimpliciſſimus. Hæc ratio ſolidata eſt *d.*3. *quæſt.*3. Quòd ſi negea maiorem primi argumenti, Probatur. Sit ens genus; ſint verò differentiæ, A. & B. Quæro: An hæ differentiæ ſint entia, vel non. Si primum: Ergo in conceptu generis generaliſſimi clauduntur differentiæ, quæ ſunt genus generaliſſimum, nempè ens, & ita fiet nugatio. Si verò non ſunt ens; ſequitur, differentias entis eſſe non ens; quod eſt grauiùs abſurdum. 108

Respondet Scotus, & cum eo Faber, *loc. cit.* Ens non eſſe genus propriè, nec diuidi per differentias propriè, quia prædicaretur de eis in quale, vt: cùm

dico, rationale eſt animal. Diuiditur ergo per modos intrinſecos, qui ſunt eius differentiæ ſuo modo. Includitur verò ens in differentiis quidditatiuè; loquendo de differentiis non vltimis; neque tamen eſt nugatio, quia differentia non additur ſolùm quidditatiue, ſed etiam denominatiuè; non eſt autem abſonum, quod aliquod commune denominet ſeipſum particulariter ſumptum, & vario modo conceptum; ſicut albedo poteſt denominare ens, animal, hominem, & alia, abſque nugatione. Vel breuiùs dicas, quòd non eſt nugatio, quia non ponitur bis ens, eodem modo conceptum. Vnde licèt in differentia includatur ens, & in genere claudatur ens; diuerſo tamen modo includitur, & diuerſis conceptibus; & ideò non fit nugatio, quia in genere clauditur ſolùm quidditatiuè; in differentia quidditatiuè, & denominatiuè; ſicuti in hac non fit nugatio. *Animal eſt rationale*; quia rationale, licèt includat ens quidditatiuè, tamen vltrà hoc denominat, ac determinat animal. Sed in iſta fit nugatio. *Animal eſt rationalitas*; quia in rationalitate nulla eſt denominatio, nec determinatio, reſpectu animalis.

109 Vervm ad vniuocationem requiri, vt ſit genus, vel ſpecies, reſpectu inferiorum, oſtenſum eſt. Quòd genus differentias non includat, iam patefactum eſt. Reſponſio autem eſt inanis, & extra chorum, vt aduertit Caiet. *de ente, & eſſentia cap.*5. Nam Deus, & creatura vniuocantur in ratione communi entis, ſecundùm Scotum, ſub qua ratione denominat Deum, & creaturam; atque adeò ens bis adhuc denominatur; nempè ratione generis, & ratione differentiæ abſque alio addito; nec eſt ſimile de denominatione, quæ fit entis ad entia ſecundùm eſſe particulare additum, in quo non ponitur à Scoto vniuocatio; alioqui Deus, & creatura eſſent eiuſdem naturæ particularis.

110 Probatvr tertiò à S. Bonau. *in* 1. *d.*25. *quæſt. vlt. fund.*1. ratione, qua vtitur Henricus. Primò diuerſa in nullo vniuocè conueniunt. Deus, & creatura ſunt primò diuerſa. Ergo Ma eſt Scoti ex Licheto *in* 1. *d.*3. *quæſt.*1. & Fabru. *Theor.*90. Mi. eſt etiam Scoti, 1. *d.*8. *quæſt.*3. *ad* 2. vt fatetur Vrinenſis, *tract.*1. *quæſt.*4. *art.*1. *num.*1. & probatur à D. Bonau. 1. quia alioqui haberet, quò conueniret, & quò differret; & ità non eſſet ſimpliciſſimus. Deinde probatur à S. D. *hic*, & Scoto *loc. cit.* quia in nulla realitate conueniunt. Deus enim eſt ens independens: creatura dependens, &c. Ergò.

Reſpondet Faber, Deum, & creaturam non eſſe primò diuerſa in conceptibus, licèt in realitatibus nullo pacto conueniant: ideò conceptus entis diuiditur per modos intrinſecos, qui non ſunt differentiæ. Et ſic ens diuiditur per infinitum, & finitum; & tamen ens finitum non eſt compoſitum; ſicut nec ens infinitum; nec eſt abſonum, Deum hoc modo conuenire cum creatura, licèt diſtinguatur etiam ab ea. Idem reſpondet Scotus *loc. cit.* in Minori.

At ſuprà è Scotiſtis conſtat, diuerſitatem conceptuum pendere à rerum diuerſitate formali; & (in noſtra ſententia) fundamentali. Deinde oſtendi, Vniuocans debere eſſe genus, vel ſpeciem. Ad hæc, cùm ens diuidatur in ens finitum, & infinitum, oportet diuidi per aliquid metaphyſicè componens. Tandem, ſi hoc modo conuenit, & diſtinguitur. Ergo non ſolis conceptibus eſt primò diuerſus Deus. Prætereà ens primò diuiditur à Scoto *in Quantum*, & *non Quantum*; vt notat Faber *in* 1. *d.*21. *num.*36. *Quantum* eſt, quod habet quantitatem virtutis: *non Quantum* eſt, quod non habet perfectionem: ita vt Bonitas, quæ eſt paſſio entis tranſcendens non conueniat formaliter enti, *non Quanto*, vt docet Faber *loc. cit. num.*38. Vnde infert, relationes Diuinas, quæ ſunt ſub ente *non Quanto*, nullam babere perfectionem, & bonitatem. Ecce ens non diuiditur per modos intrinſecos, ſed per chimæricam ſectionem entia, ſeiunctam à bonitate, quod ſanè ipſis Scotiſtis eſt arduum ſolutione, vt fatetur Faber, *num. cit.* & compoſitionem admittit, quia oportet, vt bonitas ſit realiter diſtincta ab ente, vt potè ſeparabilis. Sed ea entis diuiſio refelletur, *tract.*2 *d.*3. *quæſt.*10.

Probatvr quartò à S.D. 1. *d.*35. *cit. quæſt. fund.*3. 111
Quæ vniuocantur in aliquo, æqualiter ſunt in illo: at nihil æqualiter participat creatura cum Deo: Ergo. Idem argumentum infertur de ente, vt diuiditur in ſubſtantiam, & accidens; & eſt argumentum, quo nititur ſuprà Caiet. Nullum vniuocatum, in ratione, vniuocati, babet aliquid pluſquam alterum vniuocatum. Subſtantia, & accidens ſunt vniuocata in ente, per vos. Ergo ſubſtantia, ratione vniuocati, non habet pluſquam accidens. Diſcurſus bonus, ſed Concluſio falſa. Ergo altera præmiſſarum. Non maior; quia illa habetur in *Antepradicamentis*. Ergo minor. Sed minor eſt concluſio Scoti: Ergo falſum eſt, quòd ens ſit vniuocum ſubſtantiæ, & accidenti. Falſitas concluſionis habetur, 7. *Metaph. t.*2. & 3. vbi dicitur, quòd in ratione accidentis, in quantùm ens, ponitur ſubſtantia: at in ratione, & conceptu ſubſtantiæ, vt eſt ens, non ponitur ſubſtantia, vel accidens, quia ſecundùm Ariſtotelem: & Commentatorem, conceptus entis abſtrabit ab vtroque, ſcilicet ab accidente, & à ſubſtantia.

Reſpondet Faber, inæqualitatem, quam babent Deus, & creatura: ſubſtantia, & accidens ſub ente, aduenire his, non vt entia ſunt; ſed Deo, vt Deus eſt; & accidenti, vt accidens eſt; & ideò poni ſubſtantiam in definitione accidentis, non vt ens, ſed vt accidens; quia in eo ponitur inhærentia in ſubſtantia. Vnde hæc ſunt verba formalia Ariſtotelis: *Accidens eſt ens, eò quòd entis*: quæ alio modo ponitur in prædicamentis; *Ancidens eſt, quod ſemper eſt in ſubiecto*, id eſt in ſubſtantia. Non eſt autem abſonum; alterum vniocatorum ſub ratione propria claudere aliquid, quod non includitur in altero, vt homo claudit aliquid, quod non habet equus; at, vt animalia, habent eandem definitionem.

Vervm hæc facilè eluuntur. Et primò quidem 112
oportet conſiderare verba Ariſtotelis: formalia, quibus nititur Faber; nam dicit. Accidens eſſe ens, eò quòd entis, vbi accidens, in ratione entis formaliter dicitur eſſe *ens*, quia *entis*, ideſt quia ordinatur ad ſubſtantiam, vt ens; alioqui non diceret id habere vt ens; ſed vt accidens, & tale ens. Quod obſeruauit acutè Anton. Trombetta ſelectus Scotiſta *in hac q.* confeſſus, in definitione accidentis, vt ens eſt, poni ſubſtantiam; nec eſt ſimile exemplum, quod affert Faber. Nam homo, vt animal, nil habet ampliùs, quàm bos; habet verò differentiam rationalis. Idem multò magis ſequitur de creatura, & Deo. Nam Deus, vt ens ſimpliciſſimum, creaturam infinitè tranſcendit; alioqui haberet aliquid in ſua eſſentia finitum, æquale creaturæ; & quia hoc perfectionis, ſeu bonitatis eſt formaliter diſtinctum ab ente, ſecundùm Fabrum, 1. *d.*21. *loc. cit.* iam dabitur ens formaliter diſtinctum in Deo finitum; quo quid abſurdiùs? Neque dicas, Deum, vt ens eſt, nihil ampliùs habere, quàm creaturam; nec aliquid minùs, ſed abſtrahere; nam vniuocata, ſub vniuocante participantia, poſſunt comparari, & comparantur, ſicut dicebat Faber de equo, & homine, ſub animali. Tandem totum argumentum patet ex fundamento.

Assero

Assero ſecundò. Neque dari conceptum vniuocum entitatiuum de Deo, & creaturis formalem.

Probatvr primò ex fundamento. Conceptus formalis ex obiectiuo pendet, & obiectiuus ex veritate rei (ſi Metaphyſicus ſit conceptus.) Sed per vos non datur vniuocatio in rebus. Ergo neque in conceptibus. Hoc fundamento, etiam argumenta pro prima aſſertione vrgent *hîc*. Nam, quæ habent conceptum vniuocum, ſunt in eodem genere ſub prædicamento; ſunt compoſita; ſunt finita (ſi conceptus eſt verè vniuocus.) Similiter infertur, Deum, & creaturas non poſſe habere communem conceptum vniuocum, quia ſunt primò diuerſa, &c. Ideò Ariſtoteles: 4.*Metaph. t.*2. ait. *Ens dici de entibus, non æquiuocè, ſed ſicut ſanum analogicè*. Et 7.*Metaph. t.*15. ait. *Accidentia eſſe entia*, ſicut Logici dicunt; *non ens*, eſſe ens; & ſicut dicitur ſalubre; in quibus omnibus ait, non eſſe vniuocationem.

Reſpondet Faber, Ariſtotelem ponere analogiam in rebus, non in conceptibus. Verùm obſerua, Ariſtotelem ibi loqui Metaphyſicè; vnde loquitur de conceptibus, vt hi pendent à rebus.

114 Probatvr ſecundò à S. D. *in* 1.*d.*1. *dub.* 5. *litt.* Conceptus, in quo vniunt aliquid, quod non conuenit ſecundùm rem, ſed ſecundùm ſimilitudinem, & proportionem, & participationem, non poteſt eſſe vniuocus. Sed ſic ſe habet conceptus de Deo, & creaturis: Ergo. Ma. eſt Ariſtotelis: *locus allegatis*. Mi. patet, & conceditur à ſapientibus.

115 Probatvr tertiò à S.D. *in* 1.*d.*8.*quaſt.vlt.* & *d.*25. *art.*2. *quaſt.*2. Illis, quæ maximè diſtant (quæ ſanè ſunt contradictoria ex Ariſtotele: 10. *Metaph. cap.*3. & alibi) nihil eſt commune vniuocum. Deus, & natura ſunt ſummè diſtantes, ſub extremis contradictionis: Ergo. Ma. probatur, quia omnis conceptus communis eſt neuter, reſpectu eorum, quibus eſt communis. Sed nullus eſt conceptus neuter, reſpectu contradictoriorum, quia eſt alter eorum, nec datur medium *ex* 1. *Poſter.cap.*1. Ergò. Mi. probatur. Deus eſt independens; creatura dependens. Deus eſt infinitus, creatura finita, &c.

Reſpondet Scotus, & poſt eum Fauent. Deum, & creaturam includere contradictoria; ſed dari ſubſtratum commune.

Contra, quia quodcunque ſubſternatur commune eſt Deus ipſe, independens, infinitus; alioqui dabitur in Deo aliquid, quod repugnet infinito, & independenti, & poteſt eſſe finitum, dependens, &c.

116 Vrgeo. Inter contradictoria, non datur medium per te, ſed entitas diuina, & creata, ſecundum quod dependens, & independens actu, ſunt contradictoria, nam tantùm ſunt actu, quantùm ipſe Deus, & creatura ſunt à parte rei: ſunt enim eſſentialia naturis. Subſumo. Sed actu eſt totus Deus: Ergo ſecundum ſe totum, non poteſt conuenire vniuocè; quod ſi ſecundum alios conceptus conuenit: Ergo ſunt extra Deum. Deinde ſequitur, Deum conuenire cum creatura ſecundùm aliqua realiter ab eo diſtincta, & eſſe compoſitum.

Patet etiam falſum eſſe dictum Fabri; poſſe hæc fieri contradictoria, ſed non eſſe; ſunt enim actualiſſimè, quicquid ſunt.

117 Probatvr quartò à S.D. *in* 1.*d.*25.*art.*2. *quaſt.*2. *fund.*3. Nullum vniuocatum in ratione ſui habet aliquid pluſquam reliqua vniuocata, ex Ariſtotele: in *Antepredicamentis*. Sed Creator Deus, & creatura per te ſunt vniuocata. Ergo Deus in ratione entis nî ampliùs habet, quàm creatura.

118 Vrgeo. Plus habet Deus, vt ens, ſuper creaturam, quàm habeat ſubſtantia ſuper accidens. Sed accidens, ex eo quod minùs habet, vt ens, non eſt ſubſtantiæ vniuocatum. Ergo multò minùs Deus reſpectu creaturæ. Hoc totum argumentum patet ex vltimo argumento, pro prima aſſertione.

Probatvr quintò à D.Bonau. 1.*d.*8 *quaſt.vlt.ad* 6. argumento, quod ſic dilatatur ab Aureolo, apud Ioannem Canonicum 1.*Phyſ. quaſt.* 3. & Fabrum *hîc*, & cenſetur demonſtratio. Conceptus, qui diuiditur ab intellectu per differentias, inter quas non eſt dare medium per abnegationem, non eſt vnus, ſed eſt ſpoliatus omni vnitate; vel, ſi ſit, eſt chimæra: ſed conceptus entis formatus ab intellectu, neceſſariò diuiditur in abſolutum, & reſpectiuum, quorum non eſt medium per abnegationem extremorum. Ergo conceptus entis, non habet vnam rationem. Ma. eſt clara. Mi. probatur, quia non poteſt imaginari aliqua ratio, quæ non ſit abſoluta, vel reſpectiua: dependens; vel independens. Ergo. Probatur. Mi. quia ab vna parte ſumo Deum, profectò totus eſt ab extrà independens, & abſolutus, ad intrà relatiuus; ſumo ex altera parte creaturam; tota eſt dependens à Deo, relatiua; ſi ſubſtantia, eſt abſoluta independens ab accidente; ſi accidens, dependens à ſubſtantia.

Reſpondet Faber. Abſolutum, & reſpectiuum non eſſe contradictoria; ſed diſparata, vt ſubſtantia, & accidens. Maiorem verò dicit eſſe implicantiam, quia dicere aliquem conceptum, qui diuiditur per differentias oppoſitas, non habere aliquid commune, implicat in ſe; quia ſi diuiditur per differentias oppoſitas. Ergo habet aliquid vnum commune.

Vervm hoc argumentum non aſſumit id, quod 119
obiicit Faber; ſed deſtruit, poſſe eſſe vnum vniuocum; & arguit eſſe vnum chimæricum confictum à Scoto. Quòd verò relatiua, & abſoluta ſint membra diuiſa per totalem abnegationem, & non merè diſparata, iam probatum fuit, quia ſe inuicem omninò deſtruunt; at diſparata non ſe deſtruunt, nam calor, & rubedo cum carbone ignito ſimul ſtant. Tunc ſic. Vbi eſt vna affirmatio, & vna negatio, quæ alterum deſtruit, ibi eſt oppoſitio contradictoria, *ex* 1. *Perhierm. cap.*5. Sed in diuiſione entis in abſolutum, & reſpectiuum, eſt vna affirmatio, & vna negatio de vno genere. Ergo. Quod verò dicebat Fauentinus de animali, quod diuiditur in rationale, & irrationale; non eſt ad rem, quia animal non diuiditur in ſpecies per ſe, vt facit ens; ſed per differentias additas, quæ ſunt extra rationem intrinſecam generis, vt habet Ariſtoteles: 7. *Phyſ.* & fatentur Scotiſtæ. Qui itidem 120
ſuſtinent, ens non per differentias, ſed per modos intrinſecos diuidi, cum Scoto 1.*d.*8.*quaſt.*3. vt notant Vtinenſis Scotiſta, *tract.*2.*quaſt.*4. *art.*1.*num.*1. Faber *cap.*6. & alij. Ideò in rationali, & irrationali ſeruatur animal commune; non ſic in entis diuiſione. Deinde dicat mihi Faber, vbinam eſt illud medium ens, quod neque eſt abſolutum, neque relatiuum? Certum eſt autem ens primò diuidi in abſolutum, & relatiuum, Deum, & Creaturam, vt oſtendit Seraphicus D. *hîc*, & *d.*30. *quaſt.vlt.* Ens verò creatum diuidit in ſubſtantiam, & accidens; è quibus ſubſtantia eſt abſoluta; accidentia verò entis entia. Rurſus aſſignet mihi illud ens, quod neque dependens ſit, neque independens. Hæc profectò eſt demonſtratio.

His argumentis Seraphici vtuntur poſteri ferè omnes, quibus ſic exploſa iacet opinio Scoti, vt Lichetus 1.*d.*8.*quaſt.*1. fateatur ingenuè, conceptum entis inter Deum, & creaturas eſſe analogum.

Assero tertiò, dari conceptum communem analogum Deo, & creaturis. Ita S.Bonau.*d.*1. *dub.*5. & *d.*25. & 30. *citatis*.

Probatvr à S. Bonau. Vbi eſt mera participatio, 121

ſecundùm

ſecundum aliqoam proporoonem, & ſimilitudinem, ibi eſt vnitas conceptûs analogi. Sed in creatura eſt mera quædam participatio, ſecundùm aliquam remotiſſimam proportionem, & ſimilitudinem cum Deo. Ergo eſt mera analogia. Ma. patet ex Ariſtotele locis adductis. Mi. probatur 1. Geneſ. *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram.*

Probatvr ſecundò, argumento Scoti, quod eſt SS. DD. alioqui non poſſemus è creaturis aſſurgere ad notitiam Creatoris.

Probatvr tertiò, quia Metaphyſica eſt ſciẽtia de ente, vt ens eſt. Ergo obiectum eius eſt aliquo pacto vnum.

Obiicies primò cum Scoto, & aſſeclis. Poteſt intellectus meus eſſe certus de Deo, & creaturis, quòd ſint ens; & dubitare: An ſint ens finitum, vel infinitum. Ergo datur aliquis conceptus communis entis, abſtractus à ſingularibus, cauſans mihi hanc certitudinem.

122 Respondetvr primò, argumentum petere principium. Supponit enim id, quod tenetur probare, & de quo eſt quæſtio: An conceptus entis abſtractus ſit vniuocus. Eſto conciplam de Deo, quòd ſit ens: & de creatura, quòd ſit ens; quia tamen immediatè per ſe diuiditur in infinitum, & finitum per modos intrinſecos, non probatur ille conceptus entis eſſe vniuocus; ſed tantùm analogus confuſus. Philoſophi ergo habebant vnum conceptum analogum.

Respondetvr ſecundò, negando Conſeq. Quod exemplis patet. Sint enim tres in vna camera obſcura, qui vocentur Socrates. Et aliquis illorum percutiat me ibi cæcutientem; tunc certus ſum, quòd Socrates me percuſſit; & incertus: An hic Socrates; vel ille. Ergone Socrates importabit vnum conceptum communem pluribus? Nequaquam. Similiter D. Thom. cum D.Bonau. dicit, Vniuerſale eſſe ens rationis. Scotus vult eſſe ens reale. Aliquis poteſt eſſe certus, hoc eſſe ens; dubitare verò, ob rationes iſtorum Doctorum: An ſit reale. Ergone dabitur vnus conceptus communis vniuocus de ente reali: & rationis? Abſit. Hæc tamen ſupponit Scotus petens principium, quaſi ens ſit vniuocè vnum, quod debebat probare.

Reſpondet Faber, hæc exempla non eſſe ad rem, quia in primo non ſum certus de aliquo conceptu; ſed de effectu: in altero non conueniunt in conceptu. Verùm in vtroque eſt conceptus certus; ex quo deberet ſequi illatio. Ergò vnus omnium.

Obiicies ſecundò. Si ens non eſſet vniuocum Deo, & creaturis, non poſſemus è creaturis aſſurgere ad cognoſcendum Deum.

123 Respondetvr primò, inter Deum, & creaturas dari analogiam imitationis; eatenus enim creaturæ ſunt entia, quatenus participant de ente per eſſentiam, & illud imitantur; ſicut autem imitantur imperfectè, vt veſtigium, vel imago; ità imperfectè analogicè conducunt ad ſuam cauſam cognoſcendam. Cùm enim video veſtigium bovis, nunquid deduco conceptum commonem vniuocum bovi, & veſtigio eius? Similiter, cùm video ſtatuam Papæ, numquid conceptum communem Papæ, & ſtatuæ eius induco? Quod ſi vniuocè creaturæ conuenirent cum Creatore, demonſtrarent Deum; ſicut animal oſtendit omnia animalia.

124 Obiicies tertiò. Si Deus non habet aliquid vniuocum cum creaturis, ſequitur non habere omnium perfectiones.

Reſpondetur, negando ſequelam, habet enim; ſed analogicè, & ſupereminenter.

Dices. Perfectiones vtrorumque ſunt eædem. Sic Bonitas creata & increata definitur diffuſiua ſui.

Reſpondetur. Eſto conueniant in aliquo effectu, conueniunt analogicè; non vniuocè; maximè verò in eſſentia; nam Bonitas creata eſt accidens, & qualitas finita; at increata eſt ſubſtantia infinita.

Dices cum Fabro. Virtus imitatur in ſuis effectibus naturam.

Reſpondetur, verum id eſſe de agentibus vniuocis; at bonitas increata eſt agens æquiuocum. Quare dato, nec conceſſo in effectibus ſimilitudinem eſſe, non infertur in cauſa.

Obiicit quartò Faber (vt ait) efficaciſſimè. Illud eſt vnum, quod prædicatur ſecundum nomen, & ſecundum rationem. Tale eſt ens: Ergo. Ma. patet ex *Antepradic.* Mi. probatur, quia omnia entia habent eſſe.

Reſpondetur, rationem futilem eſſe, nam ad vniuocationem requiritur vna ratio generica, vel ſpecifica, vt dixi in fundamento; at Dei, & creaturæ eſt vnum eſſe analogicum proportionis, vt notat D. Bonau. 1.*d*.1. *dub*.5. *litt*. & aliis citatis locis. 125

Dices. Tàm Deus, quàm creatura non ſunt nihil. Ergo vniuocè conueniunt.

Reſpondetur, negando Conſeq. Deus enim non eſt nihil, modo tranſcendente, & independente.

QVÆSTIO IX.

Vtrum hoc nomen Deus, *ſit nomen naturæ.*

D.Bonau. 1. d 4. q. 1. & vlt.
D.Thom. q.13. art.8. & q.39. art.4.

Assero primò, hoc nomen Devs, ſumptum eſſe ex operatione. Ita Damaſcen. *l*.1.*de fide c*.12. Vide D.Thom. *arg*.1. & D. Bonau. *d*.2. *dub*. 3. & opuſc. cui titulus *Principium Scripturæ Sacræ*, vbi dicit hoc nomen Deus imponi à *ἀπὸ τοῦ θέειν αἴθειν θεᾶσθαι* quod ſignificat currere, vrere, & intueri, nam Ethein ſignifica ardere; Thein fouere; Theastæ ſignificat videre. Vnde concludit, nomen Devs, impoſitum eſſe ab operatione; impoſitum tamen naturæ Diuinæ. Quare non rectè Trigoſius *in comment. quæſt*.8. *art*.9. ait, hoc nomen Devs, non ſignificare operationem, apud D.Bonauenturam. 126

Assero ſecundò, hoc nomen Devs, ſupponere perſonam, cùm illi apponitur actus notionalis, vt *Deus generat* ſtat pro Patre: aliquando ſtat pro pluribus perſonis; vt *Deus ſpirat* ſtat pro Patre, & Filio. 127

Probatvr primò à D. Bonau. *dub*.1. *litt*. *d*.4. è Symbolo, vbi dicitur. *Et in Ieſum Chriſtum Filium eius, Deum de Deo.* Idem habet, *q*.1.*arg*.1.

Ratio verò S.D. eſt quia cùm generatio ſit productio ſimilis in natura, & genitor ſit Deus; ſequitur, etiam genitum eſſe Deum.

Probatvr ſecundò à D.Bonau. *q*.*vlt*. Hoc nomen *homo* ſupponit pro omni habente naturam humanam. Ergo & hoc nomen Devs, pro omni habente naturam Diuinam. Eodem argumento vtitur D.Thom.

Assero tertiò. Hoc nomen Devs, ſi nil aliud addatur, ſignificare naturam Diuinam. 128

Probatvr à D.Bonau. Illud ſupponit naturam, quod ſtat pro omnibus, & ſingulis perſonis. Sed nomen Devs, ſtat pro omnibus, & ſingulis perſonis, nam verum eſt dicere. Pater eſt Deus. Filius eſt Deus. Spiritus Sanctus eſt Deus. SS. Trinitas vnus Deus, vt in Litaniis.

Nota, nomen Devs, ſignificare, & ſupponere eſſentiam

eſſentiam iu coneteto; ideſt pro habente Deitatem, ex ſuo modo ſignificandi; ſed benè è ſimplicitata diuina exprimit etiam Deitatem in abſtracto; quia in Diuinis idem ſunt Devs, & Deitas. Ea modo verò ſignificandi differunt, nam hæc eſt vesa: *Deus generat*; hæc autem falſa: *Deitas generat.*

Hsnc multa inſurgunt dubia, quæ *in Tract. de Trin.* vt: An detur ſubſiſtentia eſſentialis, ratione cuius, poſſit nomen Deus exprimete eſſentiam, & non perſonam; de quo, *d.6. quaſt.5.* & multæ aliæ quæſtiones, quas eacutiemus, *d.11. eiuſdem] tract.2.* Argumenta in oppoſitum patent, ex diſtinctione lata.

QVÆSTIO X.

An nomen Deus ſit communicabile creaturis.

D.Bonau d.4. q.3.
D. Thom. art.9.

ASssro primò. Hoc nomen Devs., naturaliter ſumptum, non eſt communicabile.

130 Probatvr primò à D.Bonau. *ad 14. Sap. ex illo* ibi: *Incommunicabile nomen lapidibus., & lignis impoſuerunt.* Nomen igitur Dei vniuocè prædicabant Pagani de Diis falſis, qui tantùm æquiuocè apud fideles Dij dicuntur, Idulum enim nil eſt, ex Apoſtolo; tametſi D.Thom. *art.10.* quandam admittat inter eos analogiam.

131 Probatvr ſecundò à S. D. *hic*; quia hoc nomen, naturaliter ſumptum, ſignificat diuinam naturam, ſed hæc non eſt multiplicabilis, ex dictis, *d.10. quaſt.2.* Ergo.

Assero ſecundò. Hoc nomen adoptiuè eſſe communicabile.

Probatvr à S.D. ea 1. Cor.8. *Siquidem ſunt Dij multi.*

132 Probatvr ſecundò ab eodem S.D. *ad 10. Ioan.* vbi ait Chriſtus: *Nonne in lege veſtra ſcriptum eſt. Ego dixi, Dy eſtis? ſi ergo illos dixit Deos, ad quos ſermo Dei factus eſt, & non poteſt ſolui ſcriptura*, &c.

Obiicit ſibi contra primum aſſertum, quod Geneſ. 1. dicitur. *In principio creauit Deus.* vbi Hebræus ברא אלהים Bara *Elohim. Creauit Dij.*

133 Rasponost S. Bonau. hoc oriri ex diuerſitate articulorum Hebraicorum, quibus exprimunt modo à nobis diuerſo; & ideò poſſunt dicere plures Deos; & quidem in Scriptura multa habemus loca, in quibus hæc, aut ſimilis articulorum diſſonantia repetitur, vt videbimus, *tract.2. d.1. quaſt.4.* vbi aliam Seraphici expoſitionem afferemus, volentis magno myſterio dictum eſſe, *Creauit Dy*, ad ſignificandum Myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis.

QVÆSTIO XI.

An nomen Devs, *&* Qvi est, *&* Tetragrammatom, *ſint nomina diſtincta.*

D.Bonau. ſerm. 11. Hexaëm. & Opuſc. cui tit. Principium Scrip.
D.Thom. art.15.

NOtat primò Nazarius *ad art. cit. D. Thom.* è D.Bonau. locis adductis, *q.9.* in nomine Devs, & ſimiliter in nomine Qvi est duo eſſe, ſcilicet id, à quo nomen imponitur; & id, ad quod nomen imponitur. Et quidem in nomine, Qvi Est. hæc duo differunt ſola ratione; nam idem *eſſe* diuerſimodè conſideratum eſt id, *a quo*; & id, *ad quod.* In hoc autem nomine Devs, diſtinguitur realiter, nam id, *à quo* eſt, Dei operatio paſſiue ſumpta; quia, vt docet Damaſcenus *1. de fide cap.12.* Nomen Θεὸς Theos, vnde Latinis eſt nomen Devs, ſumptum eſt è ἀπὸ τοῦ θεᾶσθαι, ſcilicet à verbo, quod ſignificat proſpicere, quia Deus omnia proſpiciat; aut à verbo θεῖν *Tein.* quod eſt currere: quia quaſi diſcurrens per omnia creata, ſingula foueat, & conſeruet; aut à verbo αἴθειν *Æthein*, quod eſt vrere, quoniam Deus, dicitur ignis, viria abſumens, quam vocis ethymologiam tradidit etiam Athanaſius *l. de definitionibus*, parum à principio; & ex parte probauit Nazianzenus, *orat.16. num.70.* Vide Seraphicum, *d. 2. dub. 3.* & Vaſq. *d.58.* Ex quo deducit Nazianzenus, magis eſſe proprium Dei nomen. Qvi est, quod ſignificat eſſe Dei. 134

Qvod ſi conſideretur nomen Devs, in ordine ad id, ad quod eſt ordinatum; ſanè ad exprimendam Deitatem eſt (ait Nazianzenus;) atque adeò magis propriè ex, vna parte exprimis, quàm nomen. Qvi est. quia *Deitas* eſt magis Deo propria, quàm *eſſe*; etenim *Deitas* importat illam naturam, quaſi ſub differentia ſpecifica: nomen verò, Qvi est ſignificat ſecundum rationem quaſi genericam: ex alia parte, ait, nomen, Qvi est, magis ſignificare Deum nobis ſub proprio conceptu ſecundo, quia explicat Deum ſimpliciſſimæ, & infinitæ perfectionis: quod enim eſt, ideò eſt infinitæ perfectionis: Hinc Nazarius reprehendit Scotum dicentem *in 1. d.3. quaſt.2.* ſimpliciorem, & perfectiorem conceptum Dei eſſe Ens infinitum. 135

Hinc etiam refellit Vaſquezium dicentem, nomen Devs, quoad id, ad quod ſignificandum ordinatum eſt, minus propriè ſignificare Deitatem, quàm nomen. Qvi est. contra D.Thomam, qui nomen Devs, magis proprium aſſeris.

Dsnds progreditur Nazarius in ſecunda Controuerſia cum D. Thom. *ad 1.* Nomen Tetragrammaton. magis proprium eſſe, quàm nomen. Qvi est: quo effato procul dubio infertur, hæc eſſe duo nomina diſtincta, nam comparantur ad inuicem, cuius oppoſitum ſentiunt multi illuſtres Doctores, quos citat Vaſq. ad hunc articulum, & Suarez *l.2. cap.32. num.25.* & Trigoſius, *quaſt.8. art.6. dub.5.* Cæterùm cùm D.Hieronymus, magnus Scripturæ *interpres, ep. ad Marcellam*, quæ eſt 138. aſſerat, hæc duo nomina eſſe diuerſa. Idemque aſſerant Burgenſis, Abulenſis, & Moderniores, quos refert, & ſequitur Tannet. *loco citando.* Ideò concludit cum D. Thom. Nazarius in hac ſententia. 136

Itaqve definit, nomen Tetragrammaton, Græcè, ſignificare nomen quatuor litterarum, & ſignificare nomen Dei in actu ſignato tantùm; nam nomen Dei apud Hebræos, & alias nationes, quatuor ſolet deſcribi litteris, vt notauit Baſres, *quaſt.2. art.1.* è Platonicis. Illud verò Diuinum nomen quadrilitteratum, apud Hebræos, eſt Sacroſanctum & ineffabile *Iehouah*, quod ſolus Sacerdos, cùm populo benediceret, pronunciabat, vt tradunt Rabbini, & ſignificat Ioſephus, *l.4. de bello Iudaico, cap.12.* Hinc Rabbinus, quo cum diſputabam, me illud nominantem carpſit, cui ſubriſi. Vocatur à Græcis Θεὸς. Latinis Devs, Perſis, Syris, Magis, Orsi. Ægyptiis Tevt. Arabibus Alha. Mahometicis Abdi. Italis Idio. Hiſpanis Dios. Gallis Diev. Omnia quadrilittera, vt exprimerent Diuinas excellentias; *Natura, Eſſe, Virtutis, & Operationis*, vt notat Bouerius *Demonſtr. 5. art.3.*

Ds

137 De hoc nomine, QVI EST: & nomine TETRAGRAMMATON, plura ſunt placita. Primum eſt Burgenſis *ad cap.* 3. *Exod.* Deum, cùm dixit, *Ego ſum, qui ſum*, noluiſſe ſibi nomen imponere, ſed ſolum indicaſſe, ſe præſtò futurum Hebræis. Vnde in Hebraico habetur. *Ego ero, qui ero. Qui erit miſit*: imponeret verò poſtea ſibi nomen, cùm ait: *Dominus Deus.* vbi eſt. IEHOVA. Ità & Beda adnotauit *ad c.* 3. *Exod.* & Lippomanus dicit; eſſe ſententiam Rabbinorum. Fauet Hugo de S V. *adnot. ad* c. 1. Exod.

SECVNDA ſententia eſt D. Hilarij, 1. de Trin. initio, D. Auguſt. *l.* 83. *q. q. quæſt.* 50. & aliorum dicentium, ſignificari hoc nomine, QVI EST, Dei immutabilitatem, permanentiam, & æternitatem.

TERTIA ſententia eſt plurimorum SS. PP. è quibus multos refert Vaſquez, qui dicunt, nomine, QVI EST, ſignificari diuinæ ſubſtantiæ Pelagus infinitum. Ita etiam D. Thom. *hic.*

Verùm comparando nomen, QVI EST; cum nomine IEHOVA, quidam dicunt, eſſe vnum nomen. Ita Molina *ad hunc art.* Vaſquez *d.* 59. qui multos PP. refert.

Alij verò dicunt, eſſe duo nomina. Ità ſupra allegatus D. Hieron. *ep.* 138. cum aliis.

QVID ſenſerit D. Bonau. paucis aperiam.

138 SERAPHICVS de his edifferit. Et primò quidem *tom.* 1. *opuſc.* cuius titulus *Principium Scripturæ*; ait, nomen Dei ſignificare formaliter authoritatis præſidentiam; dicitur enim Deus Græcè, ſecundùm Damaſcenum, id, quod ſignificat currere, vrere, intueri. Et hoc quidem ex Hebraica veritate manifeſtius eſt. Nam, quando debebat inſinuari inexcogitabilis ſuperexcellentia authoritatis diuinæ eſſentiæ, quæ nihil eſt eorum, quæ ſunt, vt S. Dion. *de diu. nom. cap.* 1. dicit; ſed ſuperexiſtens, & ſuperdea; hoc nomen DEVS, nequaquam communibus litteris ſcribebatur; ſed exarabatur illis characteribus, qui nomen Dei magnum efficiunt Tetragrammaton, vt docent Orig. *in lib. Num. cap.* 23. & Beda *homil.* 14. quod nomen tantæ venerationis erat apud Hebræos, quòd ipſum nomen ineffabile dicebatur; & ſubdit; hoc nomen exprimere primitatem in eſſendo. Ex quo habes, ideo nomen apud S. Bonau. eſſe, QVI EST, & IEHOVA. Addit, hoc nomen ſignificare primitatem inanteibilem, vniuerſalitatem illimitabilem, Dominationem æternam, vt dicitur: *Pſal.* 65. Eſſentiam, & Potentiam infinitam, & Oceanum omnium perfectionum. Idem habet *ſerm.* 2. de decem præceptis, quæ eſt ſententia Sanctorum Hilarij, 1. *de Trin.* Aug. *l. de vera, & falſa relig. c.* 49. & in ea verba Pſal. 101. *In generationem, & generationem.* & *l.* 83. *q. q. quæſt.* 10. & 5. *de Trin. cap.* 2. vt refert idem S. Bonau. de ſeptem Itinerib. æter. *Itinere* 5. *Diſt.* 4. & *in* 1. *d.* 22. *quæſt.* 5. Cyrilli Alex. *l.* 1. *Theſ. cap.* 6. Gregorij *M.* 18. *moral. cap.* 33. & ſuper Ezech. *homil.* 2. Damaſceni 1. *de fide, cap.* 12. apud D. Bonau. loco nuper deducto, vbi ait, *Nomen*, QVI EST, *principalius eſt nomen, omnibus nominibus Dei, quæ a Deo dicuntur. Totum enim in ſeipſo comprehendit, velut Pelagus quoddam ſubſtantiæ infinitum, & interminatum.* Idem habet Nouatianus apud Tertull. *l. de Trin. cap.* 4.

139 IDEM S. Bonau. *in* 1. *d.* 2. *dub.* 4. vult, nomen. QVI EST, eſſe nomen expreſſiuum Diuinæ ſubſtantiæ ſignificans entitatem diuinam in omnimoda perfectione. Idem ſentiunt Philo in lib. *Quod deterior potiori inſidiari ſoleat*, Iuſtinus, *orat. Parænetica ad Gentes* in medio, Nazian. *orat.* 36. quæ eſt 4 *de Theol. n.* 72. Orig *homil. in Lib. Reg.* ad illud Annæ: *Nullus eſt alius præter te.* Hieron. *tom.* 6. *in comment. mag. ep. ad Epheſ.* in id cap. 3. *Ex quo omnis paternitas.* Aug. 12. *de ciu. cap.* 2. Chryſoſt *hom.* 14. *in Ioan.* Damaſcen. 1. *de fide cap.* 11. ſupra adductus, Bernard. *l.* 5. *de conſider.* paulò ante medium, Nicetas, *orat.* 42. *Nazianzeni*, ad ea verba. *Deus, & ſemper erat.* Dicunt autem, ibi ſignificari ſubſtantiam Dei, quod ipſe ſolùm per eſſentiam ſuam, à ſeipſo ſit: cætera verò ab eo, eſſe participent. Ità etiam Seraphicus, *locis allegatus.*

Idem S. Bonau. *in* 1. *d.* 22. *quæſt.* 3. *in corp.* refert, è Damaſceno, quod ſuprà retulit De Itineribus. Nomen, QVI EST, eſſe inter omnia propriiſſimum Dei. Et *ſerm.* 11. *Hexaëmer.* ait Hoc nomen, QVI EST, eſſe propriè proprium exprimens omnes Diuinas perfectiones.

Fatetur tamen in primo loco, nuper *adducto* S. Dionyſium inter alia nomina primum locum dare huic. BONVI.

ASSERO primò; Nomen, QVI EST, eſſe nomen ſpeciale, quod ſibi Deus impoſuit. *Exod.* 3. Patet è Patribus, ſuprà adductis.

PROBATVR ſecundò à D. Bonau. *ſerm.* 11. *He-* 140
xaëmer. Illud eſt nomen præcipuum Dei, quod inter cætera magis Deum exprimit. Tale eſt hoc nomen. QVI EST. Ergo. Mi. probatur. Supponit autem nos, omnia nomina Dei aucupari è creaturis. Neque vllum conceptum cauſari naturaliter in intellectu viatoris, niſi ab his, quæ ſunt motiua intellectus noſtri naturaliter; hæc autem motiua naturaliter ſunt ſola obiecta in phantaſia, & in intellectu agente relucentia. Phantaſmata autem naturaliter quidem cauſant intellectionem; non efficienter, vt putant multi. Quod ſi inſtimantur à Deo, & infundantur, debent eſſe adaptata noſtro modo intelligendi materiali. Tunc ſic arguit S. D. Id, quod magis exprimit Diuinam eminentiam ſuper creaturas, eſt proprium, imò nobiliſſimum nomen Dei. Tale eſt nomen, QVI EST. Ergo. Mi: probatur à S. D. nam hoc nomen exprimit, omnia eſſe à Deo: ipſum verò eſſe primum principium immutabile continens omnes perfectiones, ſine mutabilitate tales, vt reſpectu eius omnia creata non ſint, vt habet D. Auguſt. 5. *de Trin. cap.* 2. & *l.* 83. *q. q. quæſt* 17. Significat igitur hoc nomen ſubſtantiam Dei explicitè, & diſtinctè, per ſe exiſtentem, ſimpliciter neceſſariam, infinitam, è qua omnes creaturæ per participationem habeat eſſe imperfectum. Quare non recipitur *hic*, QVI EST, communiſſimè, vt putat Nazarius; ſed eminentiſſimo modo, per eſſentiam, à quo ſunt omnia eſſe creata per participationem, quæque per analogiam dicuntur *eſſe*. Hoc idem probat tali modo S. Bonau. 1. *d.* 22. *quæſt.* 3. *arg. vlt.* & *in corpore.*

PROBATVR tertiò à S. Bonau. Opuſc. cui titulus, 141
Principium Scripturæ Sanctæ. Nam per hoc nomen arguit Philoſophus, Deum eſſe mouens primum immobile; nam ſi eſt. QVI EST. Ergo eſt ſtabilis in ſuo eſſe. Ergo nec incipere, nec deſinere eſſe poteſt. Probatur Conſeq. quia omne, quod incipit eſſe, incipit per mutationem, à non eſſe ad eſſe. Similiter quod deſinit ab eſſe; ad non eſſe tranſit.

Probatur quartò ibi à S. D. Nomen exprimens 142
Deum in puro actu, eſt nomen proprium Dei. Tale eſt nomen, QVI EST. Ergo. Mi. probatur. Nam, qui in ſua ſubſtantia habet aliquid mixtum de potentia, poteſt non eſſe ſecundùm id, quod habet de potentia, *ex* 12. *Metaph. t.* 30. Probatur, quia quod habet potentiam ad eſſe, habet quoque potentiam ad non eſſe. Sed, QVI EST, non habet mixtam potentiam. Ergo non poteſt, non eſſe. Ergo eſt actus purus, Ens neceſſarium. His rationibus vtitur etiam Vaſquez, *d.* 49. *cap.* 3.

Aſſero

143 Aſſero ſecundò. Nomen, QVI EST; & nomen IAHOVA, vel TETRAGRAMMATVM, eſt idem nomen. Probatur primo ex Clem. Alex. *l. 5. Strom.* Theodoreto *quæſt. 5. ſuper Exod.* & aliis Patribus Idiomatis Sancti gnaris. Idem docent è Recentioribus Pagninus, & Mercerus in Theſauro, Galatinus *l.2. de arcanis Cathol. ver. cap.*10. Lippomanus in Catena *ad 3. Exod.cit.* Eugubinus in eundem locum, Genebrardus, *l.1. de Trin.* Bellarm. *l.1.cap.*8. Suarez in fine lib. ſecundi *de attrib. Dei neg.* Omnes hi Hebraicæ linguæ eruditiſſimi.

Probatur à Vaſquez cap. 3. Quia nomen Tetragrammaton יהוה Iehoua, & verbum יהיה *Iehihe*, hoc eſt. *Erit.* Habent eaſdem conſonantes, niſi quod *Iod* mutatur in *Vau*, vt frequens eſt Hebræis.

Fallitur tamen Vaſquez, nam verbum *Ero.* Sic ſcri-
144 bitur אהיה. Quare non ſola *Iod* mutatur *in Vau*; ſed etiam *Aleph*, in aliam *Iod*, propter puncta, vt notauit etiam Tannerus infra allegandus.

Deinde. Si mutanda eſt vna vocalis *Iod*, quæ diuerſum facit ſignificatum. Ergo non ſignificat idem. Quod ſi *Iod* aliquando accipitur pro *Vau*; ſæpius tamen accipitur in propria ſignificatione. Quare hic eſt gladius Goliæ, qui in gladiatorem fulminatur, vt ait Nazarius ad 2. Eodem errore capti ſunt alij, dicentes, nomen TETRAGRAMMATON, eſſe vocem futuri temporis; vt Eugubinus.

Melius probatur à D.Bonauentura Opuſ. cit. *Principium Scripturæ Sacræ*, & *ſerm.*11. *Hexaemer.* & cæteris locis adductis, & deducitur è Scriptura. Quia nomen IEHOVA eſt deriuatum à *Eehie*, vt tenet Bellarm. *l.1. de Chriſto, cap.*7. Tannerus *d. 2. quæſt.*7. *dub.*5. Fallitur tamen Bellarminus: putans futurum verbi ſubſtantiui eſſe *Ihie* יהיה vel alio coniugationis modo יהיה *Iehene*, quæ eſt tertia perſona, non prima. Sed legitur אהיה *Exod.* Quare diuerſæ ſunt litteræ, vt notat etiam S. Hieronym. *loc. cit.* & *ad cap.*3. *Exod. ad cap.*1. Beda Burgenſis *ad cap.* 3. *Exod.* Hugo *ad cap.* 1. *Exod.* Brutiius *cap.* 1. & 2. nominis TETRAGRAMMATON, & multi Hebræi apud Lippomanum in Catena; attamen idem omnino ſignificari voluit Deus. Fallitur verò Tannerus, legens. *Aſcher ehie*, nam legendum eſt. *Aſcier*, vel *Eſer*, per *Sin*; non *chet.* QVI. Cùm enim Moyſes peteret à Deo, vt ſuum nomen panderet; Reſpondit Deus. *Ego ſum qui ſum*: ſeu *Ero qui ero*: vbi rem nomine ſignificatam expreſſit; nomen verò ſubiecit dicens. *Dominus Deus* vbi eſt IEHOVAH, quo ſignificatur idem, quod prius, nempè natura ſupereminens omnibus rebus, & hic complet reſponſionem interrogationis Moyſis. Et ideò ſubdit. *Hoc nomen mihi in æternum*, ideſt non commune mihi, & aliis; ſed mihi tantùm proprium. Per hoc enim diſcernitur Deus, à rebus omnibus, quod omnes aliæ dependent à Deo in eſſe: ipſe verò ſolus à nullo pendet; ſed ex ſeipſo ſolo perſeuerat in eſſe. Ita etiam Caietanus apud Pererium in hæc verba. Ita nomen IEOVAH eſt à radice EHEICH mutans א in י minimam, quæ dicitur SPATIVM. Eſt autem א ſapientiam ſignans vna è litteris, vnde formatur: futurum, י verò mutatur in ו quæ ſolet conuertere præteritum in futurum, pro vt punctabitur, & punctata CHOLEM, quieſcit. Hæc altè indicant in efformatione huius magni nominis, ſapientiam omnem creatam exinaniri in ſpatiis immenſis Diuinæ incomprehenſibilitatis. Omnia præterita mira diſparere, ac in futura videnda conuerti; imò tempora omnia fugacia euolantia, magno hoc nomine tonante, ſtuporibus ſiſti, & hoc puncto æternitatis, quo menſuratur hoc nomen grande, temporum ſecula, eorumque mira abſorberi. Quare ineffabile dicitur hoc nomen, quia, licèt ſenſibilibus litteris ſcriberetur; tamen ſenſu, & intellectu creaturæ, ſignificatio eius definiri non poteſt. Hinc obſeruat S.D. ex Origene *in lib. Num. cap.* 23. & *Beda homil.* 14. quod: quando volebant Hebræi denotare ſuperexiſtentiam Dei ſuper creaturas, adhibebant characteres nominis IEHOVAH, vel TETRAGRAMMATON, & hoc aſſignare primitatem in eſſendo, & neceſſitatem immutabilem Dei, qui non poteſt eſſe, & non eſſe, ſed neceſſario eſt, QVI EST.

Hoc autem probari dicit ex Pſal.67. *Qui dominatur in virtute ſua in æternum*: ſi enim eſſentia, & vir- 145
tus ſe habent ad idem principium, quia quod eſt cauſa eſſentiæ, eſt etiam cauſa virtutis, vt habetur 12. *Metaph. t.*28. conſequens eſt, vt *qui dominatur virtute ſua*, ſit etiam ipſum eſſe, vt poſſit dicere, *ſum qui ſum*, ſic (ait) Deuter.10. dicitur, *Deus Deorum, & Dominus dominantium*: & Exod.15. *Dominus regnabit in æternum.*

Ad D. Hieronymum dico, eum non diſtinguere ſubſtantialiter nomina ibi, nam ponit etiam diſtincta eſſe nomina *Eloah*, & *Elohim*, cùm tamen ſint vnum. Singulare, & plurale.

ASSERO tertiò. Nomen *Iehoua*, ſeu, QVI EST, non 146
minùs ſignificat perfectionem Dei, quam nomen Deus. Ita D.Bonau. locis adductis, quem ſequitur, Vaſquez contra D.Thom. loc. cit. Trigoſius *quæſt.*8. *art.*6.

PROBATVR à D. Bonau. Opuſ. cit. *Principium S. Scripturæ*, ex Hebraico vſu, nam quando volebant exprimere in Deo excellentiam Diuinam, *quæ nihil eſt eorum, quæ ſunt*, vt ait S. Dionyſ. cap. 1. de diu. nom. ſed *ſuper exiſtens, ſuperdea, &c.* exarabant illam characteribus, quibus ſcribitur nomen TETRAGRAMMATON, ideſt quatuor litteris *Iod*, *He*, *Vau*, *He*, quæ ſignificant. *Iſte principium vitæ*; vnde primitatem, neceſſitatemque Dei in eſſendo, & ſubſtantiæ nobilitatem, atque adeò virtutem exponebant, vt docent Origenes, & Beda, *locis citatis*. Hac ratione vtitur Vaſquez, ſed mutilatâ, dum ait; etiam nomen, QVI 147
EST Exprimere eſſentiam Diuinam; ſignificat enim eſſe Dei, qui maximè dicitur eſſe, eò quòd ex ſeipſo habeat eſſe; nec ipſe ſit aliud, quàm ſuum eſſe: è contra verò, creatura potiùs dici poteſt, *non eſſe.* Tum quia priuſquam crearetur, habuit æternum non eſſe. Deinde, ſi corruptibilis eſt, habebit etiam aliquando non eſſe æternum: ſin autem naturâ ſuâ incorruptibilis, vt Angeli; poteſt tamen habere *non eſſe*, quia in poteſtate libera eſt Dei conſeruantis. Ad hæc, etiam dum eſt, quia ſubinde mutabilis, & variabilis eſt, admixtum habet *non eſſe.* Poſtremò quælibet res creata, vt egregiè diſputat Plato in Theæteto, plus habet non entis, quàm entis, v. g. Homo habet eſſe tantùm hominis; ſed habet non eſſe cæli, Angelorum, aliarumque rerum poſſibilium, habet itaque vnum eſſe, & innumera non eſſe; tametſi earum, quæ ſunt, plurimarum habeat eſſe eminenter ſaltem; & plurimarum etiam formaliter.

DEVS autem ſemper fuit; ſi enim non ſemper fuiſſet; vel eſſet productus ab alio, & hoc non; quia à ſeipſo eſt: vel productus eſſet à ſeipſo: neque hoc, quia implicaret; Non quia producens iam fuiſſet: ſed quia productus nondum fuiſſet à parte rei.

PRÆTEREA ſequitur, Deum ſemper fore, tum 148
quia habens eſſe à ſeipſo, nunquam deſinet: tum quia, cùm ſit ipſum eſſe, non poteſt amittere eſſe: Sequitur etiam, ipſum eſſe immutabilem. Si enim mutaretur, participaret aliquo modo non eſſe,

Sed Deus nec habet à qoo mutetur, cùm ſit primum mouens, quod debet eſſe immobile; nec propter quod mutetur, cùm ſit actus purus, & vltimus finis.

149 Sequltur etiam, eum eſſe æternum; nam duratio catens principio, & fine, atque omnino immutabilis, & tota ſimul, eſt ipſa æternitas, & ad hoc affert S.Bonau. *Pſal.67. & Exod.15.*

Sequitur quoque; eſſe ſimplicisſimum, & actum puriſſimum. Si enim eſſet compoſitus, eſſet poſterior componentibus ipſum, & ab eis haberet eſſe.

150 Sequitur etiam, eſſe infinitum, nam cùm habeat eſſe à ſe, non poteſt eius eſſe determinari ab alio.

Item ſequitur, eum eſſe cauſam omnis eſſe, quod res creatæ participant, nam quod eſt per ſe, & à ſe tale per eſſentiam, eſt cauſa eorum, quæ ſunt talia per participationem.

Sequitur tandem, ipſum eſſe vnum, quia habet eſſe ex ſe, & omne eſſe, & infinitum eſſe; Vnde Iob *cap.25.* ait. *Ipſe ſolus eſt.* Hæc Pererius ferè ad ſyllabam deprompſit è D.Bonau. loco nuper adducto; è quibus deducitur, quanta inſignia Dei elaudantur hoc nomine, Qvi est, ac proinde iure nomen ineffabile cenſetur.

151 Hæc ideò verba in templis Ægyptiorum inſcripta eminebant. *Ego ſum omne, quod fuit, quod eſt, quod futurum eſt. Velum meum nemo vnquam reuelauit*, vt refert Eugubinus. Thales quoque. Mileſius quæſitus. *Quid eſt Deus?* Reſpondit. *Quod ſemper eſt, neque principium habens, neque finem*; vt refert Pererius *loc. cit.* Huc videtur ſpectaſſe Parmenides, dum ait. *Omnia vnum eſſe Ens immobile*, & Plutarchus refert, in valuis Templi Delphici inſcriptum *εἶ* Tv es. Idem refert Euſeb. *l.11. de Prepar. Euang. cap.7.* Optimè verò hanc Dei præcellentiam, inter antiquos Philoſophos, Plato in Timæo explicuit dicens. *Deum id eſſe, quod eſt prorſus immutabile, neque principium, neque finem habens; cætera verò potius dici poſſe, non eſſe, quàm eſſe.* Et rurſus, Fvit, (ait) *&*, Erit, *temporis ſunt ſegmenta, nec ſempiternæ debent attribui eſſentiæ, cui tantummodò congruit.* Est. Erit *autem, &* Fvit, *de iis conuenit dicere, quæ in tempore genita, cum tempore ipſo procedunt; iſtius modi enim differentiæ non ſunt æternitatis, ſed temporis, quod æternitatem emulatur.* Sic Plato Propterea Iuſtinus, *ſerm. hortatorio ad gentes*, Euſebius *l.11. de Præpar. Euang. cap.6.* Auguſt. *l.8. de ciu. Dei cap.11.* exiſtimant, Platonem legiſſe libros Scripturæ, aut ex Hebræis didiciſſe, dum Ægyptum peragraret. Porrò Ariſtobulus Iudæus, qui floruit temporibus Machabæorum, ſcribens ad Ptolomæum Philometorem, Ægypti Regem, prodidit (referente Euſebio) Moſayca volumina, etiam ante Imperiom Alexandri magni, & Perſarum Monarchiam, ex Hebræo ſermone, in Græcum tranſlata fuiſſe, & ex iis permulta Pythagoram, & Platonem accepiſſe. Idemque Ariſtobulus, apud Clementem, *l.5. Strom.* non dubitauit dicere, Philoſophiam Peripateticam, è lege Moyſis, & prophetis hauſtam. Vide Pererium.

152 Probatur verò ſecundò noſtra aſſertio à D.Bonau. eodem Opuſ. Nomen Devs, ex origine ſua, ſumptum eſt ex operatione, vt oſtendi *quæſt. 9.* & in hac quæſt. initio; ſumitur enim à *proſpiciendo, prouidendo, fouendo*, &c. Tunc ſic. Magis exprimit nomen exprimens eſſentiam, quàm exprimens operationem; at nomen Devs exprimit operationem: Qvi est, exprimit eſſentiam: Ergo. Hoc argumento nititur Vaſquez quod abſque cauſa videtur contemnere Nazarius; eſt enim argumentum Areopagitæ, *cap.5. de diu. nom.* illudque recitabo *ad 5.*

Aſſero quartò. Nomen, Qvi est, eſſe magis expreſſiuum Dei, ſi comparetur cum nomine Bonvs. 153
Probatur à D.Bonau.1. eodem argumento, quia ſignificat eſſentiam Dei abſolutam in ſe: at Bonvs explicat cauſatiuam. Quoniam verò eam ſignificat excellentiſſimè, ideò videtur magis exprimere Deum. Ita componit D. Damaſcenum cum Dionyſio *loc. cit. d.22.*

Probatur ſecundò à S.D. *Itinerario mentis in Deum.* 154
Nomen quod excellentiùs continet perfectiones Dei in ſe conſiderati, illud eſt excellentiùs, nam eſſe, eſt prius cauſalitate. Tale eſt nomen Qvi est, reſpectu aliorum nominum: Ergo. Mi: probatur, nam hoc exprimit eſſe Dei, quod eſt idem formaliter cum eſſentia; eſtque primum, vnde cogitari nequeat in Deo, *eſſe receptum*; ideò eſt Ens neceſſarium, ſimpliciter ſimpliciſſimum, ita, vt quicquid excogitari poteſt pertinere ad omnimodam plenitudinem, & nobilitatem, perfectionem, excellentiam, & beatitudinem ipſius eſſe, hoc totum cum infinita perfectione ſuperperfectiſſimè, ſuperſimpliciſſimè, & prorſus incomprehenſibiliter conueniat Deo excelſo, & adorando. Ex quo fit, vt ſit principium omnis eſſe, ſitque *α*, & *ω*. Principium, & finis: ſemper præſens, quia caret omni non eſſe, neque poteſt eſſe præteritum, vel futurum; ideò ſemper præſens, vt dicebat Plato; non enim fluit ab alio, nec deficit à ſeipſo, nec decurrit ab vno in aliud.

Secvndo arguitur ex his verbis eſſe ſimpliciſſi- 155
mum, & maximum, non habens compoſitionem actus, & potentiæ; ideò eſt maximum eſſe. Hinc etiam arguitur eſſe actualiſſimum, quia nihil habet de nouo eſſe, vel de poſſibilitate non eſſendi; ideò, quia tale, ſequitur eſſe immutabile, nihil enim de nouo acquirit, nihil habitum poteſt perdere. ſequitur etiam, habere eſſe perfectiſſimum, quia nihil habet defectibilitatis, cùm ſit infinitum, quippe à ſe; nihilque poteſt addi, nihil cogitari nobiliùs, maius, aut digniùs. Tandem arguitur, eſſe ſummè vnum, quia nihil habet diuerſitatis omnimodum, quia eſt omnis multitudinis principium; omnis enim multitudo fluit ab vno. Atque ità concluditur vniuerſalis cauſa efficiens, exemplaris, & finalis; eſt enim cauſa aliorum eſſendi, & ratio intelligendi, & ordo videndi. Ità tamen eſt omnimodus, vt non ſit forma rerum, ſed cunctarum rerum ſupereminentiſſima, ſufficientiſſima, & vniuerſaliſſima cauſa, cuius virtus, quia eſt ſummè vnita in eſſentia, ideò infinita eſt, & multipliciſſima in efficacia: Ergò ſummè Deum explicat. Ita etiam Pererius *loc. cit.* Vide Seraphicum aliis etiam mediis id probantem.

Assero quintò. Inter nomina Dei cauſalia nobi- 156
liſſimum eſſe, Bonvs.

Probatvr, quia ſignificat originem diffuſionis omnium rerum. Ità S.Bonau. loc. cit. D.Thom. *ad 2.*

Obiicies primò contra primum aſſertum, cum Rabbi Salomone, Trigoſio, & Burgenſi. *Exod. 3.* habetur. *Ero, qui ero*, quod non eſt nomen Dei. Confirmatur, nam ſtatim ſubiungit, nominans ſe Iehovah.

Reſpondet. Lippomanus, hanc eſſe hebraicam phraſim, quæ futuro vtitur pro præſenti; ſic, Geneſ.37. Quidam ait Ioſepho. *Quid quæris?* vbi Hebræus. *Quid quæres?* Iob 1. vbi dicitur. *Vnde venis?* Hebræus habet. *Vnde venies?* Id fatetur etiam Trigoſius.

Respondetvr meliùs cùm D.Bonauentura, in illo 157
præſenti, & futuro exprimi æternitatem quidem, ſed non ſolam, vt putat Trigoſius; ſed omnes ſuprà recitatas prærogatiuas, vt etiam notauit Vaſquez *loc. cit.*

Lyranus ad 3. Exodi; Caietanus ibi, cum Patribus ſuprà recitatis. Libeat afferre S.Dionyſium Areopagitam Theologorum Principem, *cap.5. de diu. nom.* vbi multis argumentis probat, Deum potiùs celebrari ab ipſo eſſe, quàm ab vllo alio effectuum eius; omnium enim, quæ à Deo procedunt, & fiunt principaliſſimum eſt *ipſum eſſe*, multas ob cauſas. Primò, quòd *eſſe*, primum omnium aduenit cuilibet rei; & vltimum omnium ab ea recedit. Secundò, eſt maximè Intimum cuicunque rei. Tertiò, eſt maximè independens. Quartò, eſt maximè neceſſarium. Quintò, eſt vniuerſaliſſimum. Sextò, eſt ſimpliciſſimum. Septimò, eſt quodammodo infinitum. Ergo cætera ſunt veluti quædam eius participationes: ipſum verò nullius eſt participatio. Nonò, eſt perfectiſſimum, continens eminenter omnes perfectiones. Ex quo deducit S.Dionyſius, ſic & in Deo, eſſe primum celebrandum: quia ſicut eſt primum participatum, ità eſt primum per eſſentiam, & magis intrinſecum. S. Gregorius Nazianzenus, orat. de Nat. Domini, *Deus, vt erat ſemper, & eſt, & erit; vel, vt rectius loquar, ſemper eſt. Atque hoc modo ſeipſum*
158 *nominat, cùm in monte oraculum Moyſi edidit. Vniuerſum enim quod eſt, in ſe complectitur, nec principium habens, nec finem habiturum, quaſi Pelagus quoddam eſſentiæ immenſum, & interminum.* Eadem habet S. Auguſt. Pſal. 9. & D. Gregorius 16. Moral. *cap.* 18. Egregiè S. Bernardus *l.* 5. de conſiderat. *Deus voluit hoc reſponderi.* Ego ſum, qui ſum. Qui eſt, miſit me ad vos. *Meritò quidem. Nihil enim competentius æternitati, quæ Deus eſt. Si enim bonum, ſi magnum, ſi beatum, ſi ſapientem, vel quidquid aliud tale de Deo dixeris, in hoc verbo inſtauratur;* Quod eſt, Eſt, *nempè hoc eſt, ei eſſe, quòd hæc omnia eſſe. Si centum talia addas, non receſſiſti ab eſſe. Si ea dixeris, nihil addidiſti ad eſſe. Si vidiſti hoc tam ſingulare tam ſummum eſſe, non ne in comparatione huius, quidquid hoc non eſt, indicas potius non eſſe, quam eſſe? Quid enim eſt Deus? ſine quo nihil eſt. Tam nihil eſſe ſine ipſo, quàm nec ipſe ſine ſe poteſt. Ipſe, ſibi ipſe omnibus eſt, ac per hoc quodammodo ſolus eſt ipſe, qui ſuum ipſius eſt, & omnium eſſe.* Similia habent alij Patres.

Ex quibus infero, non excidiſſe Hebraiſmum in hæc verba, ſed magna de cauſa ad altiſſimum Diuinæ eſſentiæ nomen aliquo modo exprimendum. Video præſens verbum *ſum, es, eſt*, deeſſe in hebraiſmo, vt conſtat; attamen non aſſulet ordinariè apponi, eius vice, futurum. *Ero*; tametſi Eugubino conceſſerim, aliquando fieri, ſed ponitur ſolùm nomen, vt: *Ego Deus Abraham.*

Obiicies ſecundò. Nomen. QVI EST. Significat ſolam exiſtentiam: at nomen DEVS ſignificat naturam Diuinam; magis autem intrinſeca eſt eſſentia, quàm exiſtentia.

159 Reſpondetur ex dictis cum D. Bonauentura. Nomen DEVS, ſumptum ex operatione Dei, quæ eſt magis extrinſeca illi, quàm exiſtentia. At nomen. QVI EST, ſignificare exiſtentiam, cum eſſentia, vt ſuprà.

Imò arguo ad hominem contra Trigoſium, & Nazarium, quorum eſt hoc argumentum. Idem eſt nomen *Iehoua*, & QVI EST, vt Probabile ipſi tenent; ſed nomen *Iehoua*, eſt magis proprium, quàm DEVS, ſecundùm ipſos. Ergo & nomen. QVI EST.

Obiicies tertiò. Hoc nomen DEVS, eſt notius: Ergo magis exprimit.

Reſpondetur, negando Conſequent. nomen enim illud eſt nobilius, quod nobiliori modo ex ſe exprimit Dei naturam; non autem ignorantibus. Tale autem eſt nomen, QVI EST. Sicut igitur non valet: Sanctiſſima Trinitas, magis exprimitur idiotis in Scamno tripede; quàm in Luce, ſplendore, & radio: Ergo ſcamnum eſt magis nomen expreſſiuum Sanctiſſimæ Trinitatis; non enim ab idiotarum apprehenſione, eſt menſuranda ſignificatio rerum. Ità *hic* reſpondeo.

Tandem Trigoſius prima concluſione fatetur, nomen. QVI EST, ſiue ſit idem cum *Iehoua*; ſiue non, eſſe nomen magis Deo proprium, ex communi Patrum ſententia. Subſumo. Patres ideò credunt, eſſe nomen magis proprium, quia eſt à Deo impoſitum, qui optimè ſe nouit, & explicare iuxtà noſtram capacitatem, & ſignificat id, quod eſt magis Deo intimum. 160

DICES. Nomen Dei inuentum eſt ad ſignificandam Dei ſubſtantiam; ſicut lapis, licèt dicatur à lædendo, tamen ſignificat optimè ſubſtantiam lapidis, vt ait Morandus, aliorum conſenſu.

Reſpondetur cum D. Bonauentura ſuprà, etiam nomen, QVI EST, inſtitutum ad ſignificandam Dei ſubſtantiam; habet verò ampliùs, vt etiam inde ſumptum ſit; at nomen Dei ab operatione, vt dixit Seraphicus *Opuſc. primo.*

Hæc latius excuſſi, quia hæc ſententia. *Ego ſum qui ſum.* Eſt altiſſimum Theologiæ fundamentum, & veluti celſiſſimum eius faſtigium, vt aduertit Pererius *in cap.3. Exod.* ad recitata verba; neque verò omnia, quæ de hoc nomine habet Seraphicus, *locis relatis*, aliiſque, recenſui; ſed multa relinquo lectoribus intacta, vt eos ad S.Doctorem ducam, vbi Diuina inuenient, diuinitus explicita, maximè verò in Opuſculo primo recitato, cui Titulus *Principium Sacræ Scripturæ.*

DISPVTATIO XIII.

De ſcientia Dei.

D.Bonau. d.39 & 41. paſſim.
D. Thom. quæſt.14.

PERPENSIS his, quæ ad Diuinam pertinent ſubſtantiam, operæ pretium eſt ea, quæ ad Diuinam 1
ſpectant operationem, penſitare. Quoniam verò operatio Dei alia eſt immanens in operante, vt intellectio, & volitio: alia extra pertranſiens. Ideo primò agemus de actibus Intellectus, & Voluntatis; poſtea de actibus potentiæ extrà prodeuntibus in effectus creatos. Quia verò ex actibus immanentibus alij ſunt eſſentiales, alij notionales. Ideò primò agemus de ſcientia, & volitione Dei eſſentiali; Deinde verò de notionalibus *in Tract. de Sanctiſſima Trinitate*: poſtea verò de actibus Dei ad creaturas producendas. Interim, quia *intelligere*, eſt *viuere Dei*, agemus poſtea de illo, *tract. de ſcientia Dei, & de Vita.* Et quia ſcientia verorum eſt; agemus de Veritate. Rurſus, quia omne cognitum eſt in cognoſcente, ſe-

cundum rationes, quæ ſunt Ideæ. Ideò poſtmodum de Ideis diſputabimus.

2 Scientia autem Dei vel reſpicit poſſibilia, & dicitur ſimplex intelligentia, vel futura; & dicitur Præſcientia, ſeu Viſio: vel conditionata non futurorum, & dicitur ſcientia media. De his omnibus agendum.

QVÆSTIO I.

An Deus habeat ſcientiam propriè.

D.Bonau. locis cit.
D.Thom. art.1.

Svppono autem, in Deo non eſſe ſcientiam, vt in nobis, quæ ſit accidens; eſt enim ipſe Deus: quia, quidquid eſt in Deo, eſt ipſemet Deus.

Assero Deum perfectiſſima ſcientia, ideſt cognitione certa, & euidenti cognuſcere.

Probatvr primò à D. Bonauentuta *in 1. d.39.*
3 *quæſt.1.* ex Pſal. 93. *Qui plantauit aurem, non audiet: aut qui finxit oculum, non conſiderat?* Quaſi dicat; hoc eſſe impoſſibile. Hinc eruitur argumentum. Prima cauſa continet eminenter perfectiones omnes effectuum. Deus eſt prima cauſa: Ergò. Sed inter effectus, præclarus eſt intelligere: Ergo continet omnes ſcientias abſque imperfectione.

Deinde Eccleſiaſtici 23. vbi magnificis verbis explicat Diuinam ſcientiam. *Omnia videt oculus illius: oculi Domini multò plus lucidiores ſunt ſuper Solem, circumſpicientes vias hominum, & profundum Abyſſi, & hominum corda intuentes in abſconditas partes. Domino enim Deo antequam crearentur, omnia ſunt cognita.*

Probatvr ſecundò à D.Bonauentura *citata diſt.*
4 *quæſt.2.* Ex Hierem.17. *Ego Dominus ſcrutans corda.* Heb. 4. *Omnia nuda, & aperta ſunt oculis eius.* Ioan. 21. *Tu omnia noſti.* Pſal. 138. *Mirabilis facta eſt ſcientia tua ex me. Tenebræ non obſcurabuntur à te, &c.*

Probatvr tertiò à D.Bonau. *in 4. d.46. dub.4. litt.* ex Rom.11. *O altitudo diuitiarum Sapientiæ, & ſcientiæ Dei.*

Probatvr quartò à S.D *in Diæta tit.6. cap. vlt. ex Iob* 11. vbi dicitur. *Sapientia Dei, longior terra; latior mari.* Et Rom.11. cit. Et Iacobi 1. *Si quis veſtrum indiget Sapientia; poſtulet à Deo*, &c. Et Sap.9. *Da mihi Domine ſedium tuarum aſſiſtritem Sapientiam. Scit enim illa omnia, & intelligit.* Vide quoque eundem S.D. in Comment.

Probatvr quintò à S.D. Opuſc. de ſeptem donis *cap.1.* ex Coloſſ.1. *In quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ Dei.* Et in fine eius operis, eundem locum allegat; & illud Pſal 149. *Cuius ſapientiæ non eſt numerus.*

Probatvr ſextò à D. Bonauentura ibidem. *De*
5 *dono Sapientiæ, cap.1.* ex Iacobi 3. *Sapientia mundi ſtultitia eſt apud Deum.* Et Sap. 7. *Candor eſt lucis æternæ, ſpeculum ſine macula, & imago bonitatis illius.* Idem probat ibi ex D. Auguſtino 1. *de Geneſ. ad litter. capite* 5. His authoritatibus vtuntur moderni. Capitulis verò ſequentibus efficaciſſimè arguit infinitam in Deo ſapientiam, eò quòd eam diffundit in infinitum: nemo enim dat, quod non habet. At Deus diffundit indeficienter: Ergò.

Probatvr ſeptimò à S. D. *d.39.* paſſim ex Ariſtotele: præcipuè 12. *Metaph.* & *in Ethicis*, vt infrà dicam. Idem cognouere Plato, Triſmegiſtus, & alij apud Ruirz *d.1. ſect.1.*

Probatvr octauò ab eodem S D. *d.39. quæſt.1.* 6
Omne agens liberum, agit intellectu, & voluntate. Deus eſt agens liberum: Ergo. Mi: probatur, nam Deus mouet omnia ad operandum, etiam libera agentia, quæ hic ſuppono exiſtere. Hoc argumentum Trigoſius, *quæſt.9. art.1. dub.1.* Scoticum acclamat, eo enim vtitur Scotus 1. *d.2. quæſt.2.* & validiſſimum; eſt tamen tertium Seraphici. *quæſt. cit.* Ma: probatur à D. Bonau. quia producens rem ſecundùm libertatem, debet producere ſecundùm ſapientiam propriam, non alienam; alioqui eius libertas impediretur, ſi deberet pendere à lumine, quod non poteſt liberè habere.

Probatvr nonò à S. D. *ibidem.* Omne agens, 7
producens res ordinatè, id eſt ad debitos fines, debet habere cognitionem perfectam. Talis eſt Deus: Ergo. Mi: probatur. Nam omne agens, agit propter finem Ex agentibus autem plurima ſunt, quæ finem non norunt; & tamen quærunt, & attingunt. Ergo debet dari aliquod agens cognoſcens fines omnium, dirigens agentia inferiora. Hoc argumento vtuntur Arriaga *d.15. ſect.1.* Trigoſius tacitu D.Bonau. Marcus *quæſt.14. art.1.*

Probatvr decimò à Seraphico, *arg.4.* In enti- 8
bus, quæ ſunt obiectum cognoſcibile, eſt ſtatus in primo, ex Ariſtotele 1. *cæli t.57.* Ergò & in cognoſcentibus, quæ ſunt ſpecies entis. Sed primum Ens entium, eſt principium omnium entium, & in quo eſt excellentiſſimè omnis entitas. Ergò & in hoc cognoſcente, debet eſſe omnis cognitio. Nam eſt perfectio ſimpliciter ſimplex. Et. *Propter quod vnumquodque tale, & illud magis:* ex 1. Poſter. t.5. Eodem argumento vtitur; ſed non ità efficaciter, Suarez *l.3. de attrib. Dei poſit. cap.1.* & Durandus 1. *d.35.* imò etiam Scotus 1. *d.39. p.2. quæſt.* apud Fabrum *d.54. cap.8.* & Arriaga *loc. cit.*

Probatvr vndecimò à S.Bonau. *arg. vlt.* Quia, ſi non ſciret omnia, neque poſſet ea dirigere, neque acta iudicare. Eodem nititur Arriaga ſuprà.

Probatvr duodecimò à S. D. Opuſc. cui titu- 9
lus, *Principium ſacræ Scripturæ.* Nemo dat (vt dixi ſuprà) quod non habet. Sed a Sede Dei emanat fluuius omnium ſcientiarum, & Scripturarum, eorumque omnium, quæ ſciuntur. Ergo Deus eſt ſapientiſſimus.

Confirmatur è multis Scripturis, in quibus Verbum dicitur Veritas, Sapientia; per Verbum autem manifeſtata ſunt arcana ſapientiæ Diuinæ. *Deus enim eſt ars plena omnium rationum*, vt ait S. Auguſtinus 6. de Trinit. cap.10. Vnde de Scriptura dicit D. Auguſtinus 22. de ciu. cap. 29. *Quam certa, & quam ſpecioſa omnium ſcientia, vbi Dei ſapientia de ipſo ſuo fonte potatur.* Et Iob 28. dicitur. *Sapiens ſcrutari profunda fluuiorum Dei.* De incredibili verò ſapientia, ad nos per Scripturarum riuos deriuatâ à Deo. Vide, obſecro, Seraphicum Doctorem ibi.

Probatvr tertiodecimò efficaciſſimè à S. D. 10
ſerm.11. Hexaemer. arg. D. Auguſtini 5. *de Trinit. cap.4.* ex ordine creaturarum, in quibus ſunt diuerſa rerum genera, à nobis intellecta, quæ admiramur vſque ad exceſſum, tanquam conditorem ſapientiſſimum demonſtrantia. Vide S. Bonauentura ibi.

Probatvr

PROBATVR quartodecimò à D. Bonauentura *in* 1. *d.* 39. *quæſt.* 2. *ad* 1. ratione, qua vtuntur Gabriel 1. *d.* 35. *quæſt* 1. Arriaga *loc. cit.* & alij. Omnis perfectio eſt Deo attribuenda. Sed ſcire, eſt perfectio: Ergo. Hæc argumenta, ferè omnia, demonſtrationes acclamat Trigoſius.

11 PROBATVR quintodecimò à D. Bonauentura *ead. quæſt.* argumento, quod eſt quintum fundamentum. Quantò aliqua ſubſtantia eſt immaterialior, tantò magis eſt cognoſcitiua. Sed Deus eſt immaterialiſſimus: Ergo. Ma: patet, nam magis cognoſcit anima rationalis, quàm Leonis; & magis Angelus, quàm anima noſtra, prout immaterialiores ſunt. Probatur ſecundò, quia immaterialis eſt aptus fieri omnia per repræſentationem, & cognoſcitiuam vnionem; debet enim obiectum fieri vnum cum potentia. Sic Ariſtoteles: ait, *intellectum fieri omnia*; hoc autem fit per abſtractiunem ſpecierum, atque adeò magis immaterialis, & abſtractus, magis eſt aptus fieri alia per repræſentationem. Hæc ratio eſt etiam D. Thom. *art.* 1. *in corpore*, cui plaudunt Theologi.

CONTRA hanc rationem inſurgunt Aureolus apud Capreolum *d.* 35. *quæſt.* 1. Gabriel *loc. cit.* apud Zumellum, & Bannem ad hunc locum, præſertim verò vrget Arriaga, *d.* 15. *ſect.* 1. *ſubſect.* 1. tametſi potiſſima ratio hæc ſit in hac materia, vt notat Trigoſius.

12 Primò, quia anima bruti eſt materialis, & tamen cognoſcitiua; & anima rationalis eſt in materia; & tamen cognoſcitiua. Item poteſt Deus creare naturam materialem cognoſcitiuam: & immaterialem non cognoſcitiuam: Ergo immaterialitas non eſt ratio cognoſcendi.

RESPONDET. Animam bruti aliquid habere de immaterialitate, recipit enim formas ſine materia intentionales: & rationalis anima, licèt materiam informans; eſt tamen independens. Hoc verò non videtur ſequi in via D. Bonauentura qui *in* 2. *d.* 17. *quæſt.* 2. tenet, animam noſtram è materia, & forma conſtitutam.

13 Reſpondet igitur ipſe ſibi; abſtractionem ſpecierum faciendam à materia corporea, in materialem ſpiritualem; atque adeò proportionatam ſpeciebus receptis abſtractis. Sic autem, & intellectus eſt eo pacto materialis. Itaque anima, & Angelus ſunt ſegregati à materia craſſiori, & ideò magis ſunt cognoſcitiui, quàm animæ bruti, quæ licèt non ſint compoſitæ ex materia; tamen ſunt magis compoſitæ, & immerſæ in materia. Cùm igitur Deus ſit magis à materia abſtractus, & à compoſitione, *ex qua*, & *in qua*, vtpotè immaterialis ſimpliciſſimus; ſequitur eſſe maximè cognoſcitiuum. Ex quo patet ad primum Arriagæ, qui inſtabat. Tam Angeli, quàm Deus ſunt immateriales; & ambo intellectiui. Ergo ex immaterialitate, non arguitur maior cognitio.

VRGET ampliùs Arriaga. Forma cæli non eſt magis materialis, quàm forma vermis; & tamen hæc eſt cognoſcitiua: illa non. Tertiò. Illa ratio petit principium; ſupponit enim. Deum cognoſcitiuum; & inde infert eius immaterialitatem; cùm potiùs eius vis cognoſcitiua probanda eſſet ex immaterialitate. Infert igitur, maiorem vim cognoſcitiuam non prouenire ex immaterialitate; ſed ex propria ſpecifica perfectione illarum rerum. Præterea poteſt dari ſubſtantia ſpiritualis non cognoſcitiua: ſi verò reſpondeas, immaterialia eſſe perfectiora. Contra, quia gratia, quæ eſt perfectior bruto, imò & Angelo, non eſt cognoſcitiua. Ergò aliquid non cognoſcitiuum eſt perfectiùs. Neque eſt neceſſe, vt, ſi genus rei ſpiritualis eſt perfectiùs genere rei materialis; etiam omnis ſpecies illius ſit perfectior omni ſpecie huius. Nam & genus incorruptibile, eſt melius corruptibili; & tamen ſpecies aliqua, puta cælum, eſt imperfectior bruto corruptibili. Præterea multa accidentia ſpiritualia participant veram ſpiritualitatem, & diuerſitatem à materialibus, ſine ordine ad cognitionem, vt patet in *Vbi* Angelico; & in vnione hypoſtatica animæ Chriſti eſt manifeſtum. Itaque etiam inter duas ſubſtantias poterit eſſe differentia ſpiritualis, & corporalis, abſque ordinatione ad cognitionem. Poterunt Ergo eſſe aliquæ ſubſtantiæ ſpirituales non cognoſcitiuæ. Quaptopter malè infertur. Deus eſt ſpiritualis: Ergo cognoſcitiuus.

HÆC, quæ homo iſte argutus è more conglomerat, Inania ſunt. Et primò quidem video, eum non adhuc percepiſſe vim argumenti. Quia enim ſubſtantia, quantò magis eſt à materia corporea abſtracta, tantò magis recipit ſpecies ſine materia, vt patet manifeſtè, nam anima Plantæ, non recipit ſpecies, quia magis materiæ immerſa, quàm anima bruti, & anima rationalis; quia abſtractior brutali quodammodo fit omnia, vt ait Ariſtoteles 3. *de anima*, *t.* 37. Et hic eſt ordo ſubſtantiarum, vt quantò magis à materia independentes, tantò etiam perfectiori modo ſint cognoſcitiuæ; vt notat Caſpenſis, *tract. de ſcientia, Dei ſect.* 3. Et hinc benè arguitur, Deum, quia ſubſtantia ſpiritualiſſima, atque adeò perfectiſſima, eſſe etiam perfectiſſimè cognoſcitiuum, quippè habentem perfectiſſimè quicquid aliæ ſubſtantiæ habent. Hoc autem venire ex ſpiritualitate, quæ eſt differentia ſubſtantiarum nobiliorum per ſe, ex quo fit, vt implicet, eſſe ſubſtantiam ſpiritualem non cognoſcitiuam, niſi Deus immutet naturas rerum. Porrò accidentia eis deſeruiunt, & licèt accidentaliter perficiant, puta gratia Angelum; non ſunt tamen perfectiones ſimpliciter ipſis ſubſtantiis; ſed ſecundùm quid; à quo non ſumitur ratio nobilitatis, vt notat D. Bonauentura 2. *d.* 26. *quæſt.* 3. gratia enim, & alia accidentia non ſunt bona ſibi, ſed aliis, vt indicat Marcus noſter, *loc. cit.* Quòd verò vnum genus nobilius ſimpliciter, ſit ignobilius ſecundùm corruptionem, puta cælum bruto; nil facit ad rem; nam hæc eſt perfectio ſecundùm quid. Similiter quòd aliqua accidentia ſpiritualia ſint neque cognoſcitiua, neque ordinata ad cognitionem, nihil ad rem; quia hæc ſunt ordinata ad perficiendam ſubſtantiam ſpiritualem tantùm in alio genere, puta moralis ſanctificationis, & phyſicæ pulchritudinis ſpiritualis; ſic habitus infuſi gratiæ, & virtutum; ſunt tamen accidentia ſpiritualia, quæ, cùm ordinentur ad cognitionem, ſunt etiam inſtrumenta apta, vt ſpecies ſupernaturales, & naturales, ac lumen gloriæ. Quòd verò neque hæc cognoſcitiua ſint, nil refert; quia ſunt accidentia deſeruientia ſubſtantiæ ad cognitionem, non autem ſunt ſubſtantiæ; quibus conuenit eſſe principium operandi per ſe, vt notat Ribas *Tract.* 4. *diſp.* 1. *cap.* 1. Argumentum verò Sanctorum Doctorum procedit de naturis perfectis ſubſtantialibus, quæ quantò ſpiritualiores, tantò magis cognoſcitiuæ, & hoc ſufficit, vt argumentum abſque petitione principij recta incedat. Vnio verò hypoſtatica non eſt accidens, ſed modus ſubſtantialis, de quo non eſt argumentum, ſed de ſubſtantiis perfectis. Quòd etiam è ſubſtantiis materialibus aliquæ ſint cognoſcitiuæ: aliæ non, nil refert;

nam, quæ ex his ſunt cognoſcitiuæ, ſunt aliquo modo magis à materia ſeparatæ. Similiter quòd aliquæ etiam immateriales ſint cognoſcitiuæ, nil obeſt; ſufficit enim, vt quantò magis ſunt immateriales, tantò magis ſint cognoſcitiuæ; exigunt enim proportionatam ſubſtantiæ operationem. Ideò penitùs negamus, poſſe dari ſubſtantiam completam immaterialem non cognoſcitiuam; etſi daretur, nihil adhuc refert, vt notat Trigoſus, ſed ſufficit, nunc rem ita ſe habere.

17 Quòd verò illa ſcientia ſit perfectiſſima, probatur à D.Bonau. *art.2. quæſt.1.* quia ſcientia Dei eſt ipſa eſſentia: Ergo perfectiſſima.

Deinde *quæſt.1. fund. 3.* quia in intelligentibus, ſicut & in entibus Deus eſt primum Ens. Ergo primum intelligens. Præterea *ead. quæſt.1. corp.* Quia illa ſcientia eſt perfectiſſima, quæ ſemper eſt in actu. Talis eſt ſcientia Dei: Ergo. Mi: probabitur *quæſt. ſequenti, arg.3.*

QVÆSTIO II.

An & quomodo Deus intelligat ſeipſum.

D.Bonau. d 39. paſſim.
D.Thom. art.2. & ſeq.

Aſſerendvm primò, Deum cognoſcere ſeipſum. Eſt de fide, 1. Cor.2. *Quæ nemo nouit, niſi ſpiritus Dei.*

18 Probatvr primò à D. Bonau. *d. cit. quæſt. 1. arg.4.* ad oppoſitum, quod in hoc concedit. Prima veritas, quæ eſt ratio cognoſcendi alia, eſt prima entitas, ex D.Auguſt. *l.1. ſolil. cap.5.* & hæc eſt maximè cognoſcibilis; eſt enim obiectum primum intellectus. Sed tale Ens, & talis veritas eſt Deus: Ergò maximè cognoſcitur à primo cognoſcente, qui eſt intellectus Diuinus: Ergo. Hoc argumento vtuntur Suarez, *l.3. de attrib. Dei poſit. cap.1.* Tannerus *d.2. quæſt.8. dub.2.*

19 Probatvr ſecundò à S. D. *ead. d. art.2. quæſt.1.* Intelligens perfectiſſimus debet eſſe ſibi ratio intelligendi reliqua; nec aliunde haurire cognitionem. Sed Deus eſt talis: Ergo eſt ſibi ratio intelligendi reliqua: Ergo in ſeipſo cognoſcit omnia. Sed non poteſt alia in ſe cognoſcere, niſi cognoſcat ſeipſum: Ergo. Ma: probatur, nam illud, quod intelligit in alio, & per aliud, ab illo perficitur; ab eo enim educitur de potentia ad actum, vt habet Ariſtoteles a1. *Metaph. t.9.* Nam intelligere eſt perfectio intelligentis, actuſque eius.

20 Probatvr tertiò *ead. diſt. quæſt.1. fund.3.* Propter quod vnumquodque tale, & illud magis. Sed propter Deum, omnia intellectiua intelligunt ſe, & Deum: ergo multò magis ipſe ſeipſum intelligit.

Probatvr quartò à S.D. *eodem fundamento.* Supponit autem in entibus, quoad omnes perfectiones, eſſe ſtatum. Tunc ſic. Ità eſt ſtatus in entibus ſecundùm perfectionem cognitionis, ſicut in perfectionibus cæteris. Sed in cæteris perfectionibus ens, quod eſt primum, & cauſa aliorum, habet eminenter cæteras perfectiones, abſque imperfectionibus eorum. Ergo & in primo cognoſcente eſt omnis perfectiſſima cognitio.

21 .Probatvr quintò à S. D. *eodem fund.* addita explicatione *in corpore.* Cognoſcens, qui eſt actus purus, & perfectiſſimum, ac primum Ens, habet ſemper in actu obiectum, & actum intellectionis perfectiſſimæ cum ſpecie, ſi quæ neceſſaria eſt. Deus eſt talis intelligens: Ergo habet ſemper totum in actu. At obiectum primum intellectûs maximè cognoſcibile eſt primum Ens; ſpecies eſt ipſa eſſentia Diuina, quippè extrà non poteſt emendicare cognitionem, vt diat: Ergo ſeipſum actu intelligit. Hæc eſt ratio D. Thom. quam variè formant Bannes, atque Nazarius. Sed meliùs Nazarius ex actualitate Dei nobiſcum deducit perfectiſſimam Dei cognitionem de ſe perpetuam.

22 Probatvr ſextò à S. D. omnibus argumentis, quibus ſuprà *quæſt.1.* oſtendimus, cognitionem Dei eſſe perfectiſſimam. Si enim Deus habet ſcientiam perfectiſſimam. Ergo cognoſcit ſeipſum, nam cognitio perfectiſſima debet præcipuè terminari ad primum obiectum intellectûs, quod eſt Ens primum per eſſentiam. Quo medio vtitur Argent. *1. d.33. quæſt.1. concl.1.* & D.Thom. *1. contra G. cap.44.*

Asserendvm ſecundò, Deum intelligere ſe, non alibi, quàm in ſeipſo.

23 Probatvr primò à S.Bonau. *quæſt.1. in corp.* arg. quo vtuntur etiam D. Thom. *art.4.* Intelligens aliquid extrà ſe, reducitur ab illo de potentia ad actum, ex dictis, *quæſt. præced.* At Deus non poteſt ab aliquo actuari: Ergo. Minor patet: eſt enim Actus primus infinitus, vt eum concipiunt Sophi.

24 Probatvr ſecundò à S.D. *art.2. quæſt.1. corpore.* Qui eſt ſua eſſentia, ſua ſcientia, ſuum intelligere, & non admittit aliquod accidens in ſe, nec mutationem; non poteſt per aliud, quàm per ſe, & in ſe ipſo intelligere. Talis eſt Deus ergo: Sic & Suarez *d.30. Metaph. ſect.15. & p.1. loc. cit.*

Ex his habes; ſcientiam Dei non eſſe ad modum actûs primi, qui dicit aliquam potentiam, vt actu ſecundo compleatur, & componatur. Neque rectè poteſt à nobis concipi ſine errore, cùm ſit actus purus neceſſarius, non more noſtro elicitus; ſed per eſſentiam in ſe ſubſiſtens, ipſeque Deus; vt ait D.Bonau. & latè cum eo Ribas *T.4. d.1. cap.2. & 3.* Doleat Trigoſ. *quæſt.9. art.1. d.1.* nihil ad hæc probanda è Seraphico haberi.

Asserendvm tertiò, Deum ſeipſum comprehendere.

25 Probatvr primò à S. D. *in 1. d.3. p.1. quæſt.1. ad 1.* ratione, qua vtitur D. Thom. *art.3.* Tunc res comprehenditur, quando cognitio eſt adæquata cognoſcibilitati rei. Sed cognitio Dei eſt huiuſmodi: Ergo. Ma: probatur. Tunc res aliqua comprehenditur, quando peruenitur ad finem ipſius rei, vt cognoſcibilis eſt. Sed ſic peruenitur, quando cognitio eſt adæquata cognoſcibilitati rei; tunc enim tangit eius fines: Ergo. Mi: principalis argumenti probatur: quia cognitio, quæ eſt ſimpliciter infinita adæquatur cuilibet cognoſcibilitati, & Deo. Talis eſt cognitio Dei: Ergo. Mi: probatur à S.D. primò *q. cit.* & *d 39. quæſt.1.* Quando cognitio eſt purus actus, non habens terminum aliquem, etiam adæquatur puro actui cognoſcibili. Cognitio Dei eſt purus actus: Ergo. Probatur ſecundò minor illa principalis è D.Bonau. *art.2. quæſt.1.* Quando cognitio eſt ipſamet res cognita formaliter, tunc adæquat rem: Cognitio Dei eſt ipſemet Deus: Ergo. Idem argumentum habet S. D. *in 3. ſent. loco mox referendo.*

Hic opponi poſſet, quia vt Deus ſe comprehendat, debet cognoſcere non modò ſe obiectum, ſed etiam cognitionem, & cognitionem cognitionum in infinitum; hoc autem dicit ſucceſſiuam notitiam compoſitam.

Salas 1. 2. *tract.2. d.3. ſect. 4.* Granado *p.1. 1. 1. contrau.2. tract.1. d.4.* non verentur in Deo concedere huiuſmodi cognitiones, ratione diſtinctas; nam &

alia

aliæ Dei perfectiones, nec non & res extrà, cognitionibus ratione diſtinctis, Deo innoteſcunt. Vnde infert Ribas, *Tract.4. d 2. cap.2.* difficilè poſſe confutari hunc infinitum progreſſum.

Franc. Suarez *d.30. Metaph.ſect.15.* & Valentinus Herize *Tract.5. d.4.* nituntur eum refellere, quorum rationibus ſpretis, intrat Ribas hoc argumento. Scientia Diuina eſt ipſa Dei ſubſtantia, atque adeò ſimpliciſſima. Addit Suarez eſſe ſubſtantiam primam; Herize comprehenſiuam.

Hæc ratio eſt Seraphici 1. *d 39. art.2. quaeſt.1.* qui videns his omnibus adhuc infirmam, quia adhuc poteſt eſſe è pluribus notitiis, ratione diſtinctis, ſicut, & aliæ notitiæ allatæ, neque ſatis retundi, eò quòd addat Ribas, debere eſſe vnam, quia in ea Deus beatur. Poteſt enim opponi eum beari in aliis præcipuis Diuinis perfectionibus, quas ipſe Ribas ait, *num.* 11. cognoſci notitià, ratione diſtinctâ. Ideò S.D. addit, eſſe vnam, quia illo ab obiecto, vno modo in ratione notitiæ, ſeo cognitionis per ſe ipſum inuariabilem omnia cognoſcit, ratione ſimpliciſſima, eàm & ſubſtantia, & ſcientia, & ſcite; in quo obiecta vniuntur, ſint vniſſimum, ſola ratione noſtra imperfecta, diſtinctum, non in ratione ipsâ cognoſcendi; ex qua attenditor modus cognoſcendi. Maximè verò, quia & obiectum cum ſuis notitiis, & ipſæ notitiæ, & notitiarum notitiæ vnum relatiuum ſtatuunt obiectum, quod in vno actu ſimpliciſſimo, qui eſt Dei eſſentia, maximè vnificari valet.

Porro omnes ſuas perfectiones comprehendit, & ſanè virtute diſtinctas, vt omnes ferè docent apud Chriſtophorum Gillium, *l.2. Comment. Theol.tract.6. cap.12.* Ribam *T.4. d.3. cap.2.* cognoſcit autem hæc omnia attributa in ſe, & vt in eſſentia; hoc enim ad cognitionem requiritur comprehenſiuam. Ideò & in ſe ipſis & ad ſe relationes intuetur pariter & in eſſentia. Similiter & ſe videt in creaturis expreſſum, vt aiunt Herize *d 4 cap.2.* Ribas *cap.3. &* 4. cum D.Bonau. 1.*d.39. vt inf.* exponam.

26 Probatvr ſecundò à S.D. *in 3.d.14. quaeſt.2.ad 2.* Primo enti debet attribui perfectiſſimus modus operationis perfectæ: at iſta eſt perfectiſſima cognitio, & hæc comprehenſiua. Ergo. Hinc illud effatum Iſidori, *l.1.de Summo bono c.2. §.1. Trinitas ſibi ſoli nota eſt.* Addit ſanè, *& homini aſſumpto*; ſed in ſuo genere.

27 Probatvr tertiò à S. D. *in 1. d.39. art. 2. quaeſt.3.* Obiectum præſentiſſimum, intelligibiliſſimum nobiliſſimè intelligitur ab eo, qui intelligit per eſſentiam infinitam. Talis eſt Deus. Ergo. Ma. probatur. Vnumquodque intelligitur in quantùm eſt obiectum intellectus; & ideò in quantùm eſt ens, & verum. Ergo ex ſe intelligibiliſſimum eſt intellectui optimo. Mi. probatur, nam Deus eſt primum ens, primumque cognoſcibile, & cognoſcit ſine variatione, ſine accidente ex ſua immutabili ſimplicitate, per ſuam infinitam eſſentiam: Ergò eius virtus actualis in cognoſcendo, æqualis eſt ipſi actualitati eſſentiæ. Hanc rationem Valentia, *d.1. quaeſt. 14.p.2.* optimam acclamat, eſtque ferè ratio D.Thom. ſupra relati.

QVÆSTIO III.

An Deus cognoſcat alia à ſe.

D.Bonau. d 39 q.1.
D.Thom. q.14. art.5.

Fvit error Auerrois, *l.12. Metaph. com.51.* vbi negat Deo cognitionem diſtinctam operum ipſius. Qui error etiam Ariſtoteli: 12. *Metaph. Sum.2.cap.4. t.51.* adſcribitur, non modò à Philoſophis, ſed etiam Theologis. Quamuis D. Bonau. *ad 1.* ad bonam frugem eum reuocare conetur dicens, voluiſſe tantùm negare, Deum cognoſcere alia à ſe, extra ſe; alioqui vileſceret. Sic etiam conatur interpretari Ferrarienſ. 11 *cont. G. cap.50.* & alij. Mox verò Capreolus *in 1.d.35. quaeſt.2.* & Aquarius ibidem referunt, Aureolum negaſſe, cognitionem Dei terminari ad creaturas ſecundùm eſſe earum formale. Verùm Aureol. *d.35.p.2. art.4.* ſolùm videtur aſſerere, Deum non cognoſcere creaturas in eis; ſed in ſeipſo, & refellit Ariſtotelem, Auerroem, & Auicennam, quaſi negarint, Deum cognoſcere diſtinctè ſingularia. Fateor tamen cum Tannero *d. 2.quaeſt.8.dub 3.* Aureolum *ibidem, art.1. & p.3. art.1.* dum Auerroem defendit, dubiè, & obſcurè loqui.

Ocham verò, & Gabr. dixere, 1.*d.35.* non poſſe probari certò, Deum cognoſcere alia. Omnes porrò Theologi conſentiunt, Deum intelligere omnia extrà ſe cognitione quidditatiuâ perfectiſſimâ comprehenſiuâ, etiam quoad differentias indiuiduales.

Assero igitur primò, Deum cognoſcere perfectiſſimè alia à ſe. Eſt de fide.

Probatvr à D. Bonau. ex *Pſal.93. & Eccleſ.23.* 28
allegatis *quaeſt.1.*

Probatvr ſecundò à D. Bonau. *hic.* Omne agens ordinatè, & liberè, agit per cognitionem. Talis eſt Deus. Ergo.

Probatvr tertiò à D.Bonau. Sicut datur ordo entium ad primum ens cognoſcibile; ità debet dari ordo cognoſcentium vſque ad primum, ne procedatur in infinitum. Sed primum ens eſt, à quo omnis entitas, & maximè cognoſcibile. Ergo primum cognoſcens eſt perfectiſſimè ſciens omnia; & cauſa omnis cognitionis. Ergo magis ipſe cognoſcens, quia, *Propter quod vnumquodque tale, & illud magis tale.*

Probatvr quartò à S.D. Si alia extra ſe non no- 29
uit; vel id euenit, quia non vult; vel quia non poteſt; non primum, quia prima cognitio præcedit voluntatem, & eam dirigit. Si ſecundum. Ergo imperfectiſſimus eſt Deus; quippè habens virtutem finitam intelligendi, conſequenter habet etiam eſſe finitum; at verò habet eſſe infinitum intellectiuum. Ergo & virtutem. Hæ autem res fuêre ab intellectu infinito cognoſcibiles, neque ob id neceſſe eſt, eas eſſe à parte rei; nam virtus infinita intellectûs, etiam non exiſtentia penetrare poteſt. Hanc rationem magni pendet Arriaga, *loco citando.*

Probatvr quintò à S.D. Agens ordinatum libe-
rum non poteſt agere ſine cognitione. Si ergo Deus 30
non habet cognitionem: Ergò non poteſt agere, & operari alia à ſe. Ma. probatur; nam agens ordinatum liberum agit propter finem cognitum, & electum.

Probatvr ſextò in corpore. Quicquid eſt perfe- 31
ctionis in creatura, eſt eminentiſſimè in Deo. At intelligere alia à ſe conuenit creaturæ. Ergo.

Probatvr ſeptimò à S.D. Sapientiſſimus artifex
agnoſcit ea, quæ operatur. Deus eſt Sapientiſſimus 32
artifex. Ergo. Vide argumenta hæc, & alia, *quaeſt.1.*

Assero ſecundò, Deum cognoſcere alia à ſe, in ſeipſo. Hoc oſtendetur *quaeſt.5.*

Interim probatur à D. Bonau. primò. Intellectus 33
extrà recipiens notitiam, reducitur ab obiecto de potentia ad actum, ab illoque perficitur, ac tranſmutatur; vt patet in noſtro intellectu, qui accipit ſpecies ab extrà. Ideò mutatur, perficitur, actuatur: at Deus non poteſt actuari, perfici, vel mutari ab alio: Ergò.

Confirmatur conſequenter ibidem. Purus actus reſpectu cognoſcibilis non perficitur, ſed perficit cognoſcibile. Deus eſt purus actus: Ergo.

34 PROBATVR ſecundò à S. D. ad 1. Eſſe rationem cognoſcendi, ſeu exemplar, dicit perfectionem in creaturis, & ſolùm eſt imperfectionis, eſſe limitatum ad hoc, vel illud obiectum. Ergo conuenit infinito modo ipſi Deo. Hoc argumento etiam Scotus vtitur apud Maſtrium, *d.3.quæſt.1.num.6.*

Obiicies primò. Si Deus cognoſceret alia à ſe, penderet à creaturis, tanquam à termino talis ſcientiæ; atque adeò perficeretur.

35 RESPONDET Arriaga, *d.19. ſect.5.* non eſſe indecorum, ſcientiam Diuinam pendere à creaturis, tanquam à termino, nam etiam omnipotentia pendet ab eis, vt termino. Ita cenſet etiam Faſolus, *quæſt.14. art.5. dub.3.* & alij recentiores. Confirmatur à Fabro, quia in eodem gradu neceſſitatis eſt res poſſibilis, quo & Deus; non quidem conſideratâ re extrà præcisè; ſed vt in Deo eſt eminenter, & potentialiter, quamuis neceſſitas, atque entitas rei ſit participata. vt libenter concedunt Maſtrio, *d.8. Log.quæſt.5.art.1. num.65* & in hac *quæſt.n.7.* tamen conſideratâ potentiâ Dei, eſſentia ità ſe habet, vt, niſi creaturas eminenter contineret, non eſſet eſſentia infinita. Et, ſi non poſſet producere muſcam, non eſſet omnipotens. Neque hoc (aiunt) facit, vt Creator pendeat à creatura, ſed è contrario, vt creatura pendeat à Deo; hanc autem dependentiam Deus neceſſariò terminare debet; neque poſſet, ſi creatura non eſſet poſſibilis, Sed hoc diſcutietur *quæſt.5. ad finem.*

36 Reſpondet Maſtrius confutato hoc reſponſo, Omnipotentiam, & omniſcientiam non eſſe perfectiones relatiuas ſecundùm *eſſe*; ſed ſecundùm *dici*, quæ de principali dicunt abſolutum, connotando creaturas poſſibiles, quæ nequeunt à nobis imperfectis quidditatiuè cognoſci abſque concepta relatione, neque ipſum principale abſolutum, quod eſt omnipotentia, poteſt abſque connotatis creaturis cognoſci; attamen potentia non pendet à poſſibilitate creaturarum, atque adeò Deus eſſet omnipotens, etiamſi implicaret, creaturas eſſe poſſibiles.

37 RESPONDETVR verò ad argumentum cum D. Bonau. *ad* 5. implicare quidem creaturas cognoſci à Deo per ſpecies à rebus acceptas, non autem in ſeipſo, & ſi cognitio ad eas terminetur. Quid enim eſt aliud cognitionem terminari ad creaturas formaliter, quàm creaturas formaliter cognoſci? Fateor in ipſo Deo, vt in exemplari, vt dicam *q.5.* omnes videri.

Hoc ferè modo reſpondent argumento D.Thom. *ad* 2. Richard. 1. *d.35. quæſt.3.* Ægidius ibidem, & alij, vt habet Trigoſius, *quæſt.9. art.1.* & patebit è reſponſo *ad* 2.

Obiicies ſecundò. Si Deus cognoſcit alia à ſe. Ergo cognoſcit ea, quæ non ſunt Deus. Ergo terminatur cognitio Dei ad extrà. Ergo cognitio eius eſt ab extrà tranſmutabilis, indigens exteriori, & eſt diuerſa ab ipſo.

38 Reſpondet D.Bonau. cognoſcere extra ſe eſſe tripliciter, aut per aliquid acceptum ad extrà; ſicut nos; aut quia, licèt ſpecies ſint infuſæ, tamen aſpectus egreditur extrà; vt Angelus. Et his modis non intelligit Deus. Aut quia illud, quod eſt aliud, habet ortum ab intra; & ità id, quod eſt extrà, cognoſcitur per id, quod eſt intrinſecus. Et hoc modo cognoſcit Deus per exemplar, quod eſt ipſe Deus. Itaque medium, per quod cognoſcuntur creaturæ, eſt ipſe Deus. Hoc ſignificat S.Auguſt. *l.83.q.q. quæſt.46.* & *4. ſuper Geneſ. ad litt.* & S.Dionyſ. *cap.7.de diu.nominibus.*

OBIICIES tertiò. Si Deus cognoſcit res extra ſe, profectò cognoſcit ab æterno: alioqui mutatus eſſet, incipiens intelligere in tempore; ſed ab æterno non potuerunt eſſe obiectum cognitionis. Ergo. Mi: probatur. Veritas, & entitas rei conuertuntur. Sed res ab æterno non habuerunt entitatem. Ergo neque veritatem, per quam cognoſcerentur. Smiſingius, *tract.3.d. 2.quæſt.3. num.33.* reſpondet, res in potentia eſſe merè priuatiuè, & cognoſci ad modum non entium; at res poſſibiles habent poſitiuam poſſibilitatem, vt notat Maſtrius, *d.8. Metaph quæſt. 5. art.3. num.3.* Et *p.1. d.3. quæſt.1. num.42.* cum D. Bonau. 1. *d.41.quæſt.4.* & *d.43.quæſt.3.*

RESPONDET ergo S.D. Res ab æterno habere eſſe in potentia, ſeu in ſua cauſa exemplari, ſecundum quam poſſunt produci, vel producendæ ſunt, & ideò habent entitatem obiectiuam, licet non ſubiectiuam. Sic reſpondent & Maſtrius *num.13.* è Scoto *d.36. q.vn.* Ruiz *d.19. ſect.5.* Morand. *tract.3.n.298.* 39

OBIICIAS quartò. Sicut ratio cognoſcendi eſt aſſimilatio cognoſcentis cum cognito, ſecundùm eſſe cognitum; ità ratio perfectiſſimè cognoſcendi eſt perfectiſſima aſſimilatio; at nulla res extra Deum perfectiſſimè Deo aſſimilatur, ſed ipſe ſolus ſibi. Ergo ſolùm ſeipſum agnoſcit.

Reſpondet S.Bonau. aſſimilationem neceſſariam ad cognitionem, non eſſe ſecundùm genus eſſendi; ſed ſecundùm rationem exprimendi; & quia ſumma, & prima veritas perfectiſſimè exprimit ſe, & alia; ideò ſumma aſſimilatio eſt, non ſolùm reſpectu ſui; ſed etiam aliorum.

Obiicies quintò. Sicut potentia ſe habet ad productionem: ità intellectus ad cognitionem. Sed Dei potentia non minuitur, etſi nil producat; Ergo neque intelligentia, etiamſi nil cognoſcat. 40.

RESPONDET S. Bonau. non eſſe ſimilem potentiam, & intelligentiam, nam facere eſt actus egrediens, & tranſiens in aliam: at verò ſcire eſt actus permanens, & habet ſe, vt actus ad rationem habitus: Itaque dicit perfectionem in intelligente perpetuam: facere autem non addit omnipotentiæ nouam perfectionem, ſed ſolum in rebus productis. Rationem reddam *ad* 6.

Obiicies ſextò. Ità ſe habet veritas creaturæ, comparata ad Dei veritatem: ſicut bonitas creata, ad bonitatem increatam. Sed hæc eſt veluti punctus comparatus ad lineam, qui ſi auferatur, nil diminuit lineæ. Ergo & veritas creata ità ſe habet, vt, etiamſi tollatur, & Deus cognoſcat ſolùm ſeipſum, in nullo minuatur Dei ſcientia. 41

RESPONDET S.Bonau. quòd, licèt creaturæ, dum productæ ſunt, nihil addant ad perfectionem Dei, nam Deus eſt æquè perfectus ante, & poſt creationem mundi; attamen; ſi daretur creatura à Deo non cognita, eſſet imperfectio magna in Deo; ſicut eſſet magna imperfectio Dei, ſi poſſet eſſe creatura independens à Deo in eſſe. Ratio autem eſt, quia productio creaturarum eſt libera, & hæc libertas dicit perfectionem in Deo. Vnde neceſſariò creando amitteret perfectionem. Itaque creando nil acquirit nouæ perfectionis: at intellectio eſt neceſſaria, & neceſſitas ad perfectiſſimè cognoſcendum non infert imperfectionem; imò non intelligere, dicit imperfectionem; vt rectè aduertit Maſtrius *loc. cit.* cum Scoto, & D.Bonau. *ad 5.* & *fund.* 3. vbi ait. Producens liberè, poſſe quidem non producere: ſed non poſſe non cognoſcere; nam, licèt producat cum libertate, tamen ſcire id, quod producitur, eſt neceſſariæ potentiæ; ſeu perfectionis, nam intellectus in Deo non eſt potentia, ſed ipſa eſſentia. 42

QVÆSTIO

QVÆSTIO IV.

Vtrùm Deus omnia alia à ſe diſtincta intelligat.

{ D.Bonau. d.39. q.2.
D. Thom. loc.cit.

43 OBSARVA primò ex D.Bonau. *d.* 35. *dub.* 3. & *p.*1. *Breuil. cap.* 8. Scientiam Dei ſimpliciſſimam à varietate obiectorum varia nomina ſortiri: & quidem (ait) Diuina Sapientia limpidiſſimè omnia cognoſcit bona, & mala; præterita, & futura; actualia, & potentialia. Quantùm enim reſpicit potentialia, dicitur: *ſcientia ſimplicis intelligentia*; quantum reſpicit ea, quæ fiunt, dicitur *viſio*; quatenus reſpicit ea, quæ benè fiunt, dicitur *approbatio*; quatenus cognoſcitiua futurorum, *præſentia*; quatenus reſpicit ea, quæ à Deo facienda ſunt, dicitur *diſpoſitio*; quatenus eſt cognoſcitiua præmiandorum, dicitur *prædeſtinatio*; quatenus eſt cognoſcitiua damnandorum, dicitur *reprobatio*. Et quoniam ipſa non ſolùm eſt cognoſcitiua, ſed etiam ratio cognoſcendi; ideò, vt eſt vniuerſaliter talis, dicitur *Lux*; in quantum eſt ratio cognoſcendi viſa, dicitur *Speculum*; quatenus eſt ratio cognoſcendi præciſa, atque diſpoſita, dicitur *exemplar*; quatenus eſt ratio cognoſcendi prædeſtinata, & reprobata, dicitur *Liber vitæ*. Eſt igitur Liber vitæ, reſpectu rerum, vt redeuntium: exemplar, vt exeuntium: ſpeculum, vt euntium: lux reſpectu omnium. Itaque Diuina ſapientia non diuerſificatur ſecundùm rationem intrinſecam, imò contingentia cognoſcit infallibiliter: mutabilia immutabiliter: futura præſentialiter: temporalia æternaliter: dependentia independenter: creata increatè: alia à ſe, cognoſcit in ſe perfectiſſimè. Ratio eſt, quia primum principium ex ipſo, quod primum eſt, & ſimpliciſſimum, perfectiſſimam habet cognitionem.

44 OBSERVA ſecundò, obiecta cognoſcibilia eſſe entia, & non entia: bona, & mala: neceſſaria, & contingentia: vniuerſalia, & ſingularia: oppoſita enunciabilia infinita, quæ per multos articulos diſcurrit Alenſis *p.*1. *quæſt.* 23. *M.* 3. Albertus *p.*1. *tract.* 15. *quæſt* 60. *m.*3. & D.Thom. *p.* 1. *quæſt.* 14. Nos igitur *hic*, in genere quæſtionem reſoluimus, vt poſtea ſingula ſcrutemur, ac videamus, quomodo à Deo cognoſcantur.

ASSERO, Deum omnia cognoſcere.

PROBATVR à D.Bonau. primò Hierem. 17. *Ego Dominus ſcrutans corda, & renes.* Heb. 4. *Omnia nuda, & aperta ſunt oculis eius. Et non eſt aliqua creatura inuiſibilis in conſpectu eius.* Ioan. vlt. *Domine tu omnia noſti.* Vide quæſtionem primam.

PROBATVR ſecundò, rationibus ibi allatis. Prima ſumpta eſt ex immaterialitate, vt dixi *quæſt.* 1. Secunda ex prouidentia, opificio, & iuſtitia Dei.

45 Conditor ſapientiſſimus, & iudex iuſtiſſimus debet diſtinctè cognoſcere omnia, quæ condit, gubernat, & iudicat, ſiue præmia largiendo; ſiue pœnas infligendo: Deus eſt omnium Conditor, Gubernator, & Iudex: Ergò.

Herize, *d.* 6. reſpondet, argumentum ſupponere id, quod probandum erat, nempè iam dari eam ſcientiam; nam hæc includitur in prouidentia.

Contrà. Nam ſi ex prouidentia, quæ lumine naturæ habetur, colligitur, dari ſcientiam; parum intereſt; An ea in prouidentia includatur; vt notat Arriaga, *d.* 20. *ſect.* 1. Confirmatur à D. Bonauent. *ſerm.* 11. *Hexaemer.* ex prouidentia etiam rerum minimarum; vnde ait. *Veſtri capilli omnes numerati ſunt; &c.* Matth. 16.

Probatur tertiò ratione. Vbicunque Deus eſt præſens, eſt etiam intelligens. Deus eſt omnibus rebus præſens: Ergò.

46 QVARTA ratio *ad* 1. & *loc. cit. Breuil.* Id quod eſt melius, eſt Deo tribuendum: at optimum eſt intelligere omnia, neceſſariumque primo principio agenti ordinatiſſimè, & liberè: Ergo. Hoc idem infert, *in corpore, quæſt.* 1. & *art.* 5. *quæſt.* 1. & *d.* 35. *quæſt.* 1. cum ait. *Eſſe prima cauſa, eſt intelligere.* Ergo in ea omnia ſunt cognita.

47 QVINTA ratio habetur, *d.* 39. *quæſt.* 1. *ad* 3. Ad perfectionem facit eſſe cognoſcitiuum, & rationem cognoſcendi, ſeu exemplar rerum. Ergo hæc perfectio in ſummo adſcribenda eſt Deo. Hac ratione vtitur Scotus ſuprà. His S. D. rationibus vtuntur Recentiores communiter. Suar. *d.* 30. *Metaph. ſect.* 15. Arriaga *loc. cit.* Veſq. *ad art.* 6. *D.Thom.* & Thomiſtæ, eaſque validiſſimas acclamant.

OBIICIAS primò. Omne nobilius eſt Deo attribuendum; at quædam melius eſt neſcire, quàm ſcire ex D.Auguſt. *in Enchir. cap.* 17. Ergo.

48 RESPONDET S.Bonau. ſimpliciter melius eſſe ſcire; at ſecundum quid, ratione mali, quod aliquis trahit è ſcientia, melius eſt aliqua neſcire, è D.Auguſt. At Deus bona è malis eruit.

Obiicies ſecundò. Intellectus noſter propter ſui immaterialitatem non intelligit ſingula ſingulorum. Sed Diuinus intellectus immaterialior eſt noſtro: Ergo non cognoſcit ſingularia.

49 HÆC ſanè exigunt eam quæſtionem. An ſingulare cognoſcatur ab intellectu, quam latè diſcutiam, *tract.* 9. qui de *Anima d.* 9. *ſect.* 10. *quæſt.* 3. vbi probabiliter ſuſtinebo aſſertiuè. Nunc verò dico, ſatis eſſe Seraphico ſoluere argumentum, & negare, argumentum benè procedere; quia non ex immaterialitate prouenit, vt intellectus non percipiat ſingulare, ſi illud non percipit; ſed ex materialitate potiùs, quia enim nos accipimus obiecta per ſpecies ſenſibiles, quæ ſunt materiales; ideò, vt tranſeant ad intellectum, debent ſpoliari conditionibus ſingularibus, & abſtrahi, & ſic intellectui præſentari.

Obiicies tertiò. Habitus noſter ſcientificus eſt tantùm neceſſariorum; non contingentium; quia, vt ait Boëtius, ſcientia eſt immutabilium. Si ergo Diuina cognitio eſt multò certior, videtur quòd non cognoſcat contingentia.

50 RESPONDET D.Bonau. noſtram cognitionem de contingentibus eſſe incertam, quia cauſatur, & pendet à rebus; at ſcientiam Dei etiam de rebus contingentibus eſſe certiſſimam, quia non eſt cauſata à rebus; ſed à lumine infinito, comprehendente omnes cauſas cum vltimis effectibus. Idem reſpondet Alenſis *loc. cit. art.* 4. *ad* 1.

Obiicies quartò *Abac.* 1. dicitur. *Mundi ſunt oculi tui, ne videant malum*: & *Matth.* 25. de malis dicitur. *Neſcio vos.* Quare Deus non videt mala; ſicut ea non poteſt facere. Idem aſſerere videtur S. Hieronymus ad locum *Abac. cit.* nempe Deum non cognoſcere diſtinctè minutula, puta quot culices, &c. Vaſquez *ad art.* 12. D. Thom. clamat, D. Hieronymum erraſſe. In quo tamen Vaſquez errat; vt notat Herize *d* 5. *num.* 5. Arriaga *d.* 19 *ſect* 2. Nam S. Hieronymus, ſubdit, ſe explicans, & ſolùm negans æqualem eſſe prouidentiam Dei circa nos, & circa culices, loquitur enim de prouidentia, vt notat etiam Coriolanus *quæſt.* 14. *art.* 2. Vt dicitur: 1. Cor. 9. *Numquid de bobus cura eſt Deo?* Ità etiam D.Thom.

D.Thom. *p.* 1. *quæſt.*22. *art.* 2. *ad* 5. Morand. *tract.*3. *num.*301.

51 Respondet ergo D Bonau. ad totum, Deum non poſſe facere malum culpæ, quia hoc non eſt potentiæ, ſed infirmitatis; vnde rectitudo non poteſt eſſe ratio faciendi malum; poteſt tamen, manens rectitudo, eſſe ratio cognoſcendi illud per ideam boni. Scire enim malum, non facit malum; ſed facere malum, reddit malum. Et hoc eſt in ſcriptura *non videre.* Neſcire verò, eſt deteſtari vel reprobare, vt dixi ſuprà initio quæſt. Quoad D.Hieronymum; Seraphicus *in* 1.*d.* 35. admittit reſponſum Magiſtri *ibi cap.*4. nec aliquid in oppoſitum affert, nempè Deum non habere notitiam illam practicam exactam de culicibus, quàm de hominibus gerit, præſertim electis. Idem reſpondet Hugo de S. V. *ſum. tract.*1. *cap.* 12. Valentia *quæſt.* 14. *p.* 4. Suarez *l.*3. *cap.*3. & alij ſuprà; Neſcire verò malum, aut malos, eſt reprobare.

Obiicies quintò. Nos ſi vnam muſcam ignoremus, non ob id noſtram ſcientiam minorem reddimus. Ergo etiam Deus poteſt aliqua ignorare.

Reſpondet S. Bonau. neg. conſequentiam; nam ſcientia Dei eſt infinita; ideò debet omnia ſcire. Ex dictis habes, aliquos falsò apud Trigoſium, *quæſt.*9. *art.*1. §. *tertium argumentum*, inurere D. Bonau. opinionem Aureolo adſcriptam. Deum non cognoſcere creaturas in proprio genere; nam ipſe eam formalem concedit Deo cognitionem. Ita *ad* 3. loquitur de rebus, vt in proprio genere, quas dicit cognoſci, vt in potentia ſunt. Deinde idem conſtat ex illius argumentis, quibus oſtendit, res etiam in proprio genere re eſſe Deo, cognitas.

QVÆSTIO V.

Quomodo Deus videat entia poſſibilia.

{ D Bonau d 35. q.1. & d 39. q.1. & ſeq.
D.Thom ſupra.

52 NOn agimus nunc. Quo pacto Deus videat creaturas ſecundùm eſſe eminens, nam ſimili modo videntur procul dubio in Diuina eſſentia; creatura enim in Deo eſt ipſa Dei eſſentia, vt habet D. Anſelmus *in Monol. cap.*34. & 35. apud D. Bonau. *d.* 36. *dub.* 1. & hac ratione omnia dicuntur in Deo vita. *Ioan.*1. è D.Auguſt. 5.*de Geneſ.ad litt.cap.*14. & *l.*83. *q.q. quæſt.*46. apud Seraphicum *d.*36.*quæſt.*3. Sed quæſtio eſt; Quo pacto Deus cognoſcat res poſſibiles in earum generibus.

Prima opinio eſt Scoti 1.*d.*36. *quæſt. vn.* Deum videre omnia poſſibilia in eſſe cognito eorum, producto ab æterno. Hæc opinio, quoniam atro carbone à multis ſignatur, quaſi poſuerit hoc eſſe cognitum diminutum aliquid extrà Deum ab æterno productum, diſtinctum formaliter tantùm à Deo; ideò referam quomodo à Scotiſtis explicetur.

53 Faventinvs, *d.*51. explicat. Deus cognita in primo ſigno eſſentia; in ſecundo producit creaturas in eſſe cognito intelligibili; & intelligit lapidem, quod eſt idem. Et hoc eſſe cognitum, eſt formaliter diſtinctum ab intellectu Diuino, & eſt eſſe diminutum creaturæ, quia non eſt ipſa eſſentia, vel exiſtentia creaturæ; ſed eſſe eius ſolùm quaſi intentionale; & ſimilitudo creaturarum, in qua Deus illas cognoſcit; & eſt terminus productus per Diuinam intellectionem, quæ formaliter à Diuina eſſentia differt. Ità & Poſnanienſis, *l.*1. *Deciſ.*

Secvndo explicatur à Rada, *controu.* 29. qui primò dicit, Deum cognoſcere creaturas in ſua eſſentia, ex mente Scoti; *quæſt.*14.*quodl.art.*2. & *quæſt.*16 *litt.X.* & *in* 3. *d.*14. *quæſt.*2. & *in* 1.*d.*35. vbi fatetur, res per cognitionem produci ad eſſe cognitum. Hinc fit, Deum non cognoſcere primò creaturas in ipſiſmet exiſtentibus in eſſe cognito; ſed primò eas cognoſcere in ſe, & ſic producere creaturas ad eſſe cognitum, in quo poſtea eas cognoſcit ſecundariò. Hoc verò eſſe cognitum, ait, non eſſe aliquam entitatem realem creaturarum, aut diminutam mediam inter realem, & rationis; ſed merè intentionalem in Diuino intellectu, eo ferè modo, quo ſecundæ intentiones in nobis ſunt.

Maſtrius, *d.*3.*quæſt.*1 *num.*29. Oblitus eſſe cogniti, 54
dicit, Deum è mente Scoti cognoſcere creaturas poſſibiles in diuina eſſentia, tanquam in obiecto primario, & medio priùs cognito. Et quidem non tanquam in cauſa virtualiter eas continente in ratione entis, quo pacto effectus virtualiter continentur in cauſa; ſed in genere cognoſcibilis: quia ſcilicèt, cùm ratio cognoſcendi ſit perfectio ſimpliciter; & hunc ſolum imperfectionis næuum dicat in creaturis, vt ſit ratio finita cognoſcendi tantùm aliquid, non omnia; Dei eſſentia profectò perfectiſſima, debet eſſe ratio cognoſcendi infinita. Et ob, Brancaſius, *d.*16. *quæſt.* 10. *num.* 18. infinitatem Diuinæ eſſentiæ adducit tanquam rationem à priori, cur ipſa eſſentia ſit ratio videndi omnes creaturas, non quidem infinitatem in genere, quæ eſt mera ratio remota huius perfectionis; ſed infinitatem in ratione exemplaris, ſeu repræſentantis, vt addunt Maſtrius ſuprà, & Smiſing. *tract.* 2. *d.*6. *num.* 192. Cæteri verò Scotiſtæ in auia abeunt, vt mox videbimus.

Secvnda ſententia eſt, Deum cognoſcere crea- 55
turas poſſibiles in ſe, tanquam in cauſa productiua, vel potente producere, & ità eſſentiam eſſe medium cognitum, per quod creaturæ cognoſcuntur. Ex quo fit, vt non cognoſcat Deus creaturas in eſſentia nuda; quia ipſa non agit ad intra, aut ad extra; nec eſt cauſa rerum, nec productiua creaturarum in eſſe poſſibili, vel reali; quia Deus ad extra agit per intellectum, & voluntatem, atque potentiam, quam oſtendemus à voluntate diſtinctam *d.* 24. *quæſt.* 7. Ideò ponunt eſſentiam eſſe rationem videndi creaturas, quatenus ſibi potentiam, voluntatem, & intellectum identificat, ſeu includit. Ità D.Thom. *p.*1. *quæſt.* 14. *art.* 5. & 6. & idem ſupponit, *quæſt.* 12. *art.* 7. & 8. Idem habet 1. *cont. G. cap.*48. 49. 52. & 54. quod ità exponunt, atque ſequuntur Capreol. 1. *d.*32. *quæſt.* 1. *art.* 1. Ferrar. *loc. cit. cont. G.* Caiet. *ad art. cit. D. Thom.* vbi Bañes, Nazar. Zumellus, & alij omnes Thomiſtæ: Capenſ. *d.* 5. *ſect.* 3. *in tract. de Viſione beatifica*, quo ſe remittit, *tract. de ſcientia Dei*, *d.*3. *ſect.* 3. *num.* 19. Molina *art.* 5. & 6. *diſp.* 7. Tanner. *d.* 2. *quæſt.* 8. *dub.* 3. *num.* 12. qui tamen, *num.* 18. vult, Deum cognoſcere in ſe, tanquam in cauſa radicaliter, prout continet perfectiones rerum antecedenter ad omnipotentiam, quæ eſt potentia executiua. Valentia *quæſt.* 14. *p.* 3. Suarez *l.* 3. *de attrib. poſit. cap.* 2. qui adducit Alenſem *p.*1. *quæſt.* 3. *m.* 2. *art.* 1. Henricum *quodl.* 9. *quæſt.* 2. Ægid. 1. *d.* 35. *quæſt.* 3. Durandum ibi, Argentinam *quæſt.* 1. Idem ſentit Faſolus *tom.* 2. *quæſt.* 14. *art.* 5. *dub.* 3. *concl.* 6. vbi pro hac opinione refert non modò Thomiſtas omnes, ſed etiam Scotiſtas, Maironem, Baſſolium 1. *d.* 36. & multos Nominales. Ideò Arriaga *d.*19. *ſect.*3. ait hanc eſſe communem Thomiſtarum, Scotiſtarum, & Auctorum ſuæ Societatis.

Vnde

Vnde è Scotiſtis Brancaſius, *d.*16. *quæſt.*10. hunc dicendi modum iudicat probabilem, nititurque in hoc puncto D. Thomam cum Scoto concordare, & vt amborum communem refert, & ſequitur Aueiſa *p.* 1. *quæſt.* 14. *ſect.*2. Eam verò habet Scotus *d.*35. *quæſt.*1. Tandem Fulienſis *l.*1. *cap.* 10. Ribas *Tract.*4. *d.*4. *cap.*2.

56 TERTIA ſententia eſt, Deum cognoſcere creaturas poſſibiles in eſſentia ſua, tanquam in ſpeculo, & ſpecie expreſsâ rerum omnium repræſentatiuâ. Vnde imaginantur iſti, Diuinam eſſentiam eſſe ſimilitudinem quandam formalem, & exemplar actuale creaturarum, in quo creaturæ relucent diſtinctæ, ſicut in ſpeculo, quam opinionem Aureolus 1. *d.* 35. *quæſt.*2. *art.*1. & Caiet. *p.* 1. *quæſt.*14. *art.*5. ſpernunt, vt rudem vulgi imaginationem. Attamen in ſenſo non quidem vulgari, ſed magis Theologico; vt eſſentia Diuina, quatenus eſt idem formaliter cum diuina intellectione, quæ eſt expreſſa ſpecies declaratiua, & expreſſiua rerum omnium, ſit medium in quo, & per quod Deus omnium aliorum à ſe ſortitur ſcientiam, ſequuntur eam Vaſquez *d.* 60. *cap.* 3. Becanus *p.*1. *tract.*2. *cap.* 10. *quæſt.* 4. Amicus, *d.*12. *ſect.* 2. Attident verò Concilium Senon. *cap.* 13. *in Decret. fidei*, *tom.*4. *Concil.* Anſel. *in cap.*17. *Matth.* Author libri de triplici habitaculo *cap. vlt. tom.* 9. *Operum D. Auguſt.* D. Thom. *p.* 1. *quæſt.* 12. *art.* 8. *ad* 2. & *quæſt.* 14. *art.* 5. Caiet. & alij *ibidem.* Scotus 3. *d.* 14. *quæſt.* 2. §. *Sed iſta via*, Capreol. 4. *d.*49. *quæſt.* 6. *art.* 1. & alij paſſim, vocantes Diuinam eſſentiam ſpeculum voluntarium, quod, ſi vult, videtur; ſi non vult, non videtur. Quod ſæpè in ore verſat S. Bonau. Tandem hunc modum probabilem fatetur Suarez, *loc. cit.* Pro hac Vaſquez adducit D.Thomam, Alenſem, Henricum, Ægid. ſuprà.

57 QVARTA ſententia eſt, res poſſibiles cognoſci à Deo in eſſentia Diuina, tanquam cauſa exemplari, ſeu Idea earum, quatenus eſt imitabilis, & participabilis ab omnibus, & ſingulis creaturis ſecundum varios perfectionis gradus, Tribuitur Altiſiodorenſi *l.*1. *ſumma*, *tract.*1. *cap.*8. *quæſt.*1. & D.Bonau. 1. *d.*35. *quæſt.*1. & aliis antiquis, vt refert Maſtrius *num.* 24. Eſt etiam Ruitz *d.* 10 *ſect.*6. qui citat D.Bonau. Albertum, & alios. Eandem tenet Morandus, *tract.*3. *quæſt.* 2.

58 QVINTA ſententia eſt, Deum cognoſcere alia à ſe per ſuam eſſentiam, tanquam per ſpeciem impreſſam eminentialem omnium creaturarum, ità vt eſſentia ſit ratio cognoſcendi creaturas; ſicuti eſſe ſolet ſpecies; non autem medium cognitum, in quo creaturæ cognoſcantur. Ita plurimi Recentiores, vt Arrubal, *p.* 1. *d.*31. Vulpes *d.*37. *art.* 4. quod è Scoto paſſim deducit. Eandem opinionem, tanquam probabilem, Scoto adſcribit Suarez, *num.* 11. Cæterùm Maſtrius, *num.* 26. & 27. cum aliis Scotiſtis negat, hanc eſſe Scoti opinionem, & miratur Vulpium auſum eſſe dicere, quòd Scotus nunquam docuit, Deum alia à ſe cognoſcere in eſſentia ſua.

59 SEXTA ſententia eſt complectens multas è præcedentibus opinionibus. Aſſeritque, Deum cognoſcere creaturas in ſeipſo, & vt ſpecie, & vt obiecto cognito.

Pro hac adducuntur à Vaſquez omnes ferè authores ſecundæ ſententiæ, eamque probabilem exiſtimat Suarez, rametſi dicat eſſe contra D. Thomam.

Dicunt igitur authores huius ſententiæ, Deum cognoſcere creaturas primò in ſe, tanquam in continente, virtuali cauſalitate, ſeu in potentiâ creaturas; ſeu in virtute radicali procedente omnipotentiam; ſi ea ponatur tantùm in potentiâ executiuâ: hinc verò formato earum Verbo, & Idea in illo, vel illa, quaſi reflexè eas cognoſcit. Authores refert & latè ſequitur Tannerus à *num.* 10. Fulienſis, *l.*1. *cap.* 12. Ribas *cap* 2.

AN verò hoc ſit, Deum videre creaturas in ſeipſo, vel in ipſis, eſt quæſtio de nomine, vt aduertunt Valentia *quæſt.* 14. *p.*3. Molina *quæſt.* 14. *art.*5. & 6. *diſp. vn.* Tanner. *num.* 21. & in fine quæſtionis explicabitur. Videt in ſeipſo motiuè, in ipſis terminatiuè.

QVOAD ſententiam D. Bonau. non dubito, quin concedat cum ſecunda ſententia, Deum cognoſcere creaturas in ſuâ potentia. Et primò quidem id deduco, quia vt vidimus, *d.*11. *quæſt.* 23. tenet, Beatos videre creaturas formaliter in Verbo; cum D.Auguſt. & Bernardo, quia à fortiori cum Thologis aſſeclis ſupponere debent, Deum ipſum in ſeipſo; tanquam in cauſa comprehendere creaturas, vt optimè infert Suârez, *num.* 3. Sed ne mihi reſpondeas, beatos quidem poſſe creaturas videre in Deo, tanquam in cauſa, egrediendo à cauſa ad effectus; & hoc non poſſe conuenire Deo; quia hic modus includit aliquam imperfectionem intellectionis, vt in argumentis diſſeretur. Et ideò S.Bonau. 1. *d.*35. *q.*1. videtur hunc modum cognoſcendi creaturas in Deo, ipſi toto cælo denegaſſe. Pace veſtrâ dixerim, id non denegaſſe Seraphicum Doctorem; imò potius aſſerere, Verbum eſſe genitum è cognitione omnium creaturarum poſſibilium in omnipotentia; alioqui omnipotentiam non comprehenderet; vt oſtendam *tract.* 2. *d.* 8. *ſect.* 2. *quæſt.* 10. & profectò hâc admiſſâ opinione ſequitur, Deum cognoſcere creaturas in ſua omnipotentiâ, vt optimè infert Maſtrius, *num.* 18. Brancaſius, Vulpes, & alij Scotiſtæ, qui ideò contra ſecundam ſententiam arguunt, ſequi, vt Verbum producatur è cognitione creaturarum poſſibilium. 60

Ad textum Seraphici D. deſidero Lectorem attentum. Ibi ergo prætendit oſtendere, Deum cognoſcere creaturas in Ideis. Et ideò confutat opinionem dicentium, Deum cognoſcere creaturas ſecundùm rationem cauſæ; non ſecundùm rationem ideæ; non confutat ſimpliciter, Deum cognoſcere in ſe, vt in cauſa; neque enim repugnat cognoſcere per cauſam, & per Deum, vt aduertit Seraphici diſcipulus, Richardus, *d.*36. *art.*2. *quæſt.*1. ſed ſolùm Deo negat cognoſcere creaturas per collationem cauſæ ad effectus; & è contra; vt patet ex eius argumento primo, quod id refellit.

SECVNDO negat, Deum cognoſcere creaturas ex ſe ipſo, tanquam ex cauſa, quod valdè diuerſum eſt à noſtro modo (*in cauſa*) & malè conceditur ab Arriaga, *d.* 10. *ſect.* 2. & *d.* 18. *ſect.* 4. Herize *d.*4. *cap.* 3. & *d.*5. *cap.* 5. Tunc enim cognoſcimus effectum ex cauſa, quando cauſa non eſt cognita comprehenſiuè; ſi enim talis fuiſſet cognitio; iam in ea cognouiſſet ordinem ad effectum, & in eo ordine ipſum effectum; vnde non eguiſſet rurſum ad effectum recurrere. Cognitio verò Dei eſt comprehenſiua, & infinitè perfecta. In quo valdè deceptus eſt Arriaga, *d.* 19. *ſect.* 3. concedens Deo cognitiones etiam finitæ perfectionis, ſeu imperfectas, dummodò non habeant imperfectionem poſitiuam; omnes enim perfectiones in Deo ſunt ſimpliciter ſimplices, & ipſa formaliter eſſentia infinitè perfecta.

Concludit ergo Trigoſius *quæſt.* 11. *art.* 1. ad textum §. *Quarto nota*, Seraphicum negare tantùm Deum cognoſcere creaturas in ratione cauſæ, diſcurrendo è cauſa ad effectum; non autem negare,

Deum

Deum cognoſcete creaturas in ſe, tanquam in cauſa. Vnde D. Dionyſ. *cap. 2. de diu. nom.* ait: *Cauſatiua habent cauſatorum imagines.* Et ſuum dictum confirmat Trigoſius ex Alenſi *1. p.quaſt.23.n.2.art.2.* qui idem aſtruit.

61 PRÆCLARE verò ſententiam ſecundam aſſeruit S. Bonauent. *in 1. d. 17. part. 2. quaſt. 2. in corpore,* vbi ait. Summus autem Spiritus in Patre ſe; & omnia vno aſpectu cognoſcit! Et cùm intelligit ſe, & alia cognoſcit, vt aliorum principium; & hinc infert, gigni Verbum. Et quia *argumento* 2. obiecerat, generationem Verbi eſſe neceſſariam; ſed creaturam contingentem. Reſpondet, quod quamvis actualis productio creaturæ ſit voluntaria; tamen potentia producendi, & ſcientia eſt neceſſaria. Impoſſibile enim eſt, Deum non poſſe, & impoſſibile eſt, Deum neſcite creaturas producere. Quare loquitur de cognitione poſſibilium, quam dicit Deum habere in ſe, tanquam principio omnipotenti. Cùm autem addat, impoſſibile eſſe, Deum neſcite creaturas producere, infertur cognitio eius in Verbo, ſeu Idea, vt dixit, *diſt.35.loc.cit.* quæ eſt cognitio ſecunda, ſeu reflexa. Itaque D. Bonauent. eſt pro vltima ſententia. Neque S. Doct. reſpuit modum dicendi tertiæ ſent, *in 1.d.39. q.1. ad 3.* vt dicam *in 2. fundamento.*

62 TRIGOSIVS *quaſt. 9. art.1. dub.* 3. ſe breuiter expedit, ponens D. Bonau. in ſententia D. Thom. dicens. Tertia opinio communis eſt, quòd Deus cognoſcit creaturas in ſua eſſentia, tanquam in obiecto, & per ſuam eſſentiam, tanquam per ſpeciem; non ſolùm ſecundùm eſſe, quod habent in ſeipſis, quia eſſentia Diuina repræſentat eas ſecundùm illud eſſe, quod habituræ ſunt in ſeipſis. Cum D. Bonauent. concordat D. Thom. Durand. Caietan. Bannes, & reliqui Thomiſtæ communiter. Et citat Seraphicum 1. *d.* 39. *quaſt.*1. *ad* 1. *&* 3. & 1. *part. Breuil. cap.* 8. eadem verba tranſcripta habentur in Coriolano, *quaſt.* 14. *art.*1. Profectò S. Doct. locis adductis *ad* 2. *&* 3. ponit, Deum cognoſcete creaturas in ſua eſſentia, tanquam exemplari, ſicut futuræ ſunt. Quare loquitor de futuris, quæ habent exemplar reſpiciens opus. Et hoc eſt, quod multi dicunt, videri in eſſentia Diuina, tanquam in ſpeculo, quam ſimilitudinem adduxit etiam Caietanus apud Bannes *ad art.* 6. & Coriolanum *quaſt.* 14. *art.* 1. §. *Denique hoc modo.*

63 QVARE mirantur id reprehendi ab eo, tanquam ſimilitudinem rudis vulgi. Quomodo autem eſſentia diſtinctè repræſentet apud D. Bonauent. creaturas, explicat Coriolanus id fieri, quia eſſentia Diuina eſt exemplar omnium rerum, & proptereà repræſentat omnia, ſicut & quælibet ſpecies repræſentat id, cuius eſt ſpecies: & eſſentia Diuina eſt velut ſpecies intelligibilis, per quam Deus cognoſcit omnia, ipſaque eſſentia Dei eſt obiectum immediatum cognitionis Diuinæ; & ipſa eſt id, *quo, & quod* cognoſcitur, & proptereà in ipſa, tanquam in obiecto, omnia debent neceſſariò repræſentari. Siue ergo conſideremus eſſentiam Diuinam vt ſpeciem, ſiue vt obiectum, ſemper habebit rationem exemplaris. Hæc Coriolanus.

Ex his igitur habeo, quod cùm hæc ſententia ſit D. Thom. & diſcipulorum, qui tenent; poſſibilia videri in Dei potentiâ cognitâ; & nunc addunt cognoſci, vt in ſpecie; omnes ſunt pro ſextâ ſententiâ, quoad modum cognoſcendi, vt in exemplari, reſpicere futura, concludunt.

64 FVNDAMENTVM primum, contra primam ſententiam. In Diuinis nihil eſt reale productum, præter duas perſonas; quod ſi etiam intellectus, eſſentialiter acceptus, eſſet productiuus, deberet producere aliquid reale diſtinctum à ſe: nam inter producens, & productum debet eſſe diſtinctio realis. Hinc Concil. Later. *in cap Damnamus* definit, in diuinis eſſe tantùm quatuor res, Patrem, Filium, Spiritum Sanctum, & eſſentiam; tamen non ſequi quaternitatem, quia tres perſonæ ſunt illa res, id eſt eſſentia, quæ nec generat, nec generatur. Quod verò eſſentia nec ſit generans, nec genita, probatur à Scoto 1. *d.* 5. *quaſt.* 1. & Fabro *d.* 32. argumento S. Bonauent. *in* 1. *diſt.* 5. *quaſt.* 1. *fundam.* 2. Generans, & genitum ſunt realiter diſtincta; quia nihil generat ſeipſum, ex D. Auguſt. 1. *de Trinit. cap.* 1. at eſſentia in Diuinis eſt penitus indiſtincta, omnia enim, quæ ſunt in Diuinis, ſunt idem realiter illi eſſentiæ. Ergo ipſa nec eſt generans, nec eſt genita; alioqui diſtingueretur realiter à generante, vel genito. Ex quo habemus, illud eſſe cognitum non eſſe aliquid productum ab intellectu Diuino; & formaliter diſtinctum, vt volunt Scotiſtæ. Primò quia eſſet ipſemet Deus, atque adeò quid reale, ac realiter diſtinctum ab intellectu producente, ob rationem ſuprà datam à Scoto, & eſſet Verbum eſſentiale productum ad intra ab intellectu eſſentialiter, in quo Deus videret creaturas ante generationem Verbi (ſunt enim apud Scot. actus eſſentiales, priores notionalibus) & ſic duo verba darentur in Diuinis; & quidem realiter diſtincta. Eſſentiale quidem realiter diſtinctum ab eſſentia, ſeu intellectu eſſentiali producente: Notionale verò idem realiter cum eſſentiali. Hinc malè admittunt aliqui, Deum in notitia producta, quæ ſit, quaſi *Verbum*, cognoſcere creaturas reflexè.

FVNDAMENTVM ſecundum è D. Bonauent. 65
1. *d.* 35. *quaſt.* 1. & 1. *part. Breuiloq. cap.* 8. Dei eſſentia ſimpliciſſima, eſt infinitis modis communicabilis infinitis creaturis, quia enim à nullis creaturis poteſt adæquari; ideò infinitis aliis ſemper eſt imitabilis. Licèt autem ſit vna entitas ſimpliciſſima, Infinitorum repræſentatrix; tamen vnumquodque repræſentat diſtinctè, ſaltem intellectui Diuino, qui videt quot gradus perfectionis poſſit participare quælibet creatura; & quibus modis eſſentialibus, & accidentalibus. Et videt conſequenter perfectiones, & imperfectiones, quæ conſiſtunt in carentia, quæ intrinſecè includuntur in formalitatibus creaturarum participatiuarum; non quòd ſint tot numero imagines, vt malè Marginiſta ſuſpicatur, voluiſſe D. Bonauent. *diſt.* 39. *quaſt.* 1. *ad* 3. hoc enim rude eſt, vt notat Caietan. *art.* 5. *cit. D. Thom.* & penitus alienum à S. Doct. vt patet legenti quæſtionem; & latius *citat. loco Breuil.* quod fuit veluti teſtamentum Theologicum S.Doct. Idem habet *d.* 35. *quaſt.*1. *in corp.* & *ad arg. & quaſtionibus ſequentibus.* Quæ cùm ità ſint, & cùm Diuina eſſentia ſit veluti Lux ac ſpecies, in qua omnia videntur; in natura ſua omnia repræſentat diuiniſſimo modo intellectui infinitæ capacitatis; hoc autem exhibetur ab illa Luce, antequam intelligatur modus executiuus operandi per potentiam: nam ſapientia eſt prior potentiâ ad opus faciendum; nec ideò ſcit Deus quia facere vult; ſed ideò facere vult, quia videt, quid ſit opus; attamen ſi conſideretur opus ſimpliciter, vt factibile, prius eſt in potentia, quàm in ſcientia; vnde primò poteſt, deinde ſcit ſuæ potentiæ virtutem, & omnia poſſibilia. Neque ſolum eſſe poſſibile Phyſicum habet res ab omnipotentia, ſed etiam poſſibile Logicum; id eſt non repugnans; nam ab eodem fonte oritur, vt res

poſſit

poſſit fieri,& nou repugnet fieri; nempè ab omnipo-
tentia; non cuim ideò res poſſibiles non repugnant
eſſe, quia ab intellectu proponuutur, vt non repug-
nantes; nam non repugnantes intelliguntur,quatenus
tales ſunt; ac proinde vt poſſibiles, ſunt ex propriis
quidem formalitatibus,vt in omnipotentia Dei.Quare
ablatâ omnipotenriâ,ridiculè reliuquitur,Deum adhuc
intelligere omnia non repugnare, atque adeo poſſibi-
lia; vt benè nouerunt Suarez, Faſolus, & Auerſa, &
Nazar. In quo valdè deceptus eſt Maſtrius, *n.*17. cum
Scoto 1.*d.*43. Confirmatur,nam omnia entia habent,
quidquid babent,participatum ab ente per eſſentiam.
Ergo & hanc non repugnantiam.

67 Cæterum, hanc notitiam Dei non ponimus iu
aliqua relatione imitabilitatis creaturæ,vt putat Seo-
tus & Fauent: priùs enim intelligitur creatura,vt par-
ticipatiua Diuinæ eſſentiæ; quomodo enim poteſt co-
gnoſcere creaturas referri realiter ad Deum ratione
participationis diuinæ eſſentiæ per omnipotentiam;
niſi priùs participabilitatem nouerit, quæ eſt funda-
mentum relationis? Vnde fallitur cum Scotiſtis etiam
Trigoſius ſuprà credens, reſpectum ad creaturas ad
conſtitutionem intrinſecam Ideæ pertinere; ſed eſt
quid conſequens. Quare Scotiſtæ loria trahunt S.S.
DD. quò neque per ſomnium euolarunt, vt aduertunt
Caietanus, & alij.

68 Porrò exemplar non ſolùm dicit Ideam, quæ eſt
etiam rei poſſibilis, ſed rem faciendam reſpicit. Ratio
verò à priori, ob quam talis perfectio Diuinæ eſſen-
tiæ conueniat, vt ſit ratio cognoſcendi creaturas, aſ-
ſignata eſt *q.*3.*&* 4.Quia cùm ſit perfectio abſque im-
perfectione; non debet deeſſe Deo & cùm omnes
perfectiones Dei ſint infinitæ, debet eſſe infinita,
cognoſcendo omnia. Quare Maſtrius, *num.*29. dum
confutatis aliis modis hunc aſſignat; non aliud aſſig-
nat, quam rationem; non autem modum,quo in Di-
uina eſſentia creaturæ videautur.

Assero primò. Deum non cognoſcere creaturas
in eſſe coguito, modo Scotico. Patet ex *fund.*5.

69 Probatvr primo. Omne ens eſt reale, vel ratio-
nis,ex Ariſt.5.*&* 6. *Met*: At hoc eſſe cognitum pro-
ductum non poteſt eſſe reale, vel rationis. Ergo. Mi:
probatur,quòd non ſit reale. Vel eſt aliqoid reale crea-
turarum,vel Dei. Neutrum diei poteſt. Ergo Mi:pro-
batur,quò ad primam partem. Si eſt aliquid Dei. Ergo
aliquid Dei ab æterno fuit productum, præter perſo-
nas, contra *Concil. Later.* Quod neque ſit aliquid
creaturarum; probatur. Cùm enim ſit in Deo, erit
ipſe Deus. Ergo creaturæ ſecundum eſſe reale ſunt
Deus;quod eſt damnatum in Concilio Conſt. *ſeſſ.*15.
Secundò ſequeretur, aliquam creaturam fuiſſe ab
æterno, quod eſt hæreticum, vt definitum eſt in Con-
cilio Later. ſub Innoc.III. c. *firmiter*. Et habetur Ge-
neſ.1.*In principio creauit Deus, &c.* vt omnes PP. ex-
ponunt. Et *Prou* 8. dicitur. *Dominus poſſedit me, &c.
antequam quidquam faceret, &c.* Et Ioan.17. *Clarifica
me Pater claritate,quam habui,antequam mundus fieret.*
Epheſ.1. *Elegit nos ante mundi conſtitutionem.*

70 Si verò reſpondeatur eſſe aliqnid intentionale crea-
turarum, vt reſpondent Faber, Rada, alijque. Vel hoc
fuit in Deo; vel extra Deum. Si in Deo. Ergo fuit ipſe
Deus. Cùm autem fuerit quid productum, diſtinctum
à Diuina eſſentia, ſequitur aliquid Dei præter perſo-
nas fuiſſe productum. Deinde ſequitur, diſtingui reali-
ter ab intellectu producente, vt oſtendi *fund.*2. Si di-
cas eſſe aliquid extra Deum. Ergo non fuit eſſe co-
gnitum Dei, nam eſſe cognitum immanet in cognoſ-
cente. Deinde eratne ſubſtantia, vel accidens? Et
quodcunque dicatur,eſt abſonum,vt patet.

Probatvr ſecundò ratione ducta è S.Bonauen.
*d.*35.*q.*1.*in reſ.*Ratio cognoſcendi eſt prior ipſa cogni-
tione,& ipſa re,vt cognita eſt,ſed eſſe cognitũ eſt ratio
Deo cognoſcendi creaturas,è Scoto;eſt enim velut ſpe-
cies intelligibilis. Ergo eſt prius ipſa Diuina cognitio-
ne,& ipſo eſſe cognito rerum. Ergo ſunt cognitæ an-
tequam ſint cognitæ. Ma: eſt Scoti *hic*, & Fabri *c.*2.
& patet;eſt enim cauſa cognitionis, & velut ſpecies in-
telligibilis. Mi: eſt etiam Scoti.conſequentia eſt recta.

Reſpondet Faber, quòd dum Deus producit lapi-
dem in eſſe cognito, cognoſcit etiam lapidem in eſſe 71
proprio;quia Deus cognoſcit res ſolùm in ſe; non ex-
tra ſe;non eſt autem par ratio de ſpecie,intelligibili in
nobis, & de hoc eſſe cognito in Deo;quia ſpecies in-
telligibilis in nobis,cauſatur ab obiecto extrà. Et ideò
poteſt mouere intellectum ad intelligendum. Vnde ob-
iectum extra mouet, mediante ſpecie, intellectum: at
illud eſſe cognitum diuinum, non cauſatur ab aliq o
obiecto extrà; ſed præciſè per intellectum Diuinum,
& eſſentiam Diuiuam;& eſt terminus cognitionis di-
uinæ; reſultat etiam è cognitione eſſentiæ, ideò non
præcedit intellectionem, ſed eſt ipſamet intellectio
realiter,non formaliter.

Hæc ſunt effugia per angulos. Et primò arguo ſic.
Idea eſt ratio cognoſcendi, & ſine Ideis ſapiens nemo 72
eſſe poteſt, è D Aug *l.*83.*qq.q.*46. Sed eſſe cognitum
eſt idea creaturarum Ergo eſt ratio cognoſcendi crea-
turas. Totum argumentum eſt Scoti, & Fabri à *n.*18.
Vnde *n.*21.concludit Fauentinus de mente Scoti. Ideæ
reſpectu creaturarum iu proprio genere ſunt ratio co-
gnoſcendi creaturas, quia creaturæ in ſe ipſis non co-
gnoſcuntur à Deo; ſed vt relucent in Ideis tantùm.
Quare non video, quomodo ſibi conſtet.

Vrgeo. Produci in eſſe cognito,eſt intelligi per vos,
eſſeque terminum intellectionis.Ergo productæ in eſſe 73
cognito,id eſt intellectæ,nou ſunt prima ratio cognoſ-
cendi eas,quia iam ſunt intellectæ per vos.

Ioannes Rada *contron.*29. *ar.*5. *concl.*9. concedit
eſſe cognitum,non eſſe rationem cognoſcendi;& hoc
probat. Contrà. Ergo Scotus definiens modum, quo
Deus cognoſcit creaturas, eſſe in eſſe cognito, non ad
rem definit. Deinde ſequitur, eſſe cognitum non eſſe
ideo rationem cognoſcendi contra Scotum, vt ſuprà.
De his *d.*14.*q*2.

Assero ſecundò, Deum cognoſcere creaturas poſ-
ſibiles in ſua omnipotentia.

Probatvr primò à D.Bonau. *in* 1.*d.*35.*q.*1. *arg.*1.
ad opp.& *in corpore* è S.Dion.*c.*7.*de diu: nom*: vbi ait. 74
*Neque enim ea,quæ ſunt,ex iis, quæ ſunt diſcens,nouit di-
uina mens,ſed ex ſe; & in ſe per cauſam rerum omnium
cognitionem ſcientiam,eſſentiamque anticipatam, & ante
comprehenſam habet; non quòd per ſpeciem ſingula conſi-
deret;ſed quòd vna cauſa complexu omnia ſciat,& con-
tineat. Quemadmodum etiam lux per cauſam in ſe tene-
brarum notitiam anticipatam,& informatam habet; quod
non aliunde, quam ex luce tenebras norit. Seipſam ergo.
noſcens diuina ſapientia,nouit omnia,ſine materia ea, quæ
ex materia conſtãt:ſine diuiſione ea,quæ diuidua ſunt,&c.*

Mirabitvr aliquis,me afferre hunc locum S.Dio-
nyſij ad hoc probandũ,cum S.Bonau.illi reſpondeat. 75
Sed oportet videre in quo reſpondeat; nempe in eo,
pro quo adducitur contra ſe *ea quæſtione*. Quod Deus
non cognoſcat per Ideas; ſed ſecundum cauſam. Reſ-
pondet autem, D.Diouyſium ſolùm negare, iu multi-
tudine idearum, Deum cognoſcere creaturas. Quò ad
coguitionem verò, ſecundum cauſam, pro vt includit
comparationem cauſæ ad effectus, concedit, non co-
gnoſci;attamen nou negat,cognoſci in cauſa.Sic enim
benè intellectus hic locus admiſſus eſt à D.Bonau. &
cæteris omnibus Theologis, nemine reluctante, ante
Vaſques; imò ab omnibus S.Dion. interpretibus, vt

ponderat Tannerus *l.c.n.*16. Quare miratur, Vaſquiom aliò ſenſum detorquere.

Neque enim ſolùm vult S. Dionyſius, ſcientiam Dei non eſſe à creaturis acceptam, vt interpretari conantur Vaſquez, Vulpes, & alij recentiſſimi, vt optimè vrgent Arriaga, Faſolus, Maſtrius, & cæteri. Nam S. Dionyſius laxis libris exponit modum, quo Deus cognoſcit creaturas per cauſam rerum omnium, &c. Suarez addit, *num.*3. hæc verba eſſe clara pro hac ſententia; attamen verba S. Dionyſij non eſſe tam clara, vt ſubterfugere non poſſit, qui contradicendi habet pruritum. Loquitur autem de cognitione omnium creaturarum, non futurarum tantùm, vt putat Vulpes. Nam ibi aſſignare intendit modum, quo Deus omnia cognuſcit. Et ideò dixit: *Rerum omnium notitiam in ſe per cauſam habet*; vt Maſtrius aduertit.

75 PROBATVR ſecundò à D. Bonau. in 1. *d.*27. *p.*2. *queſt.*1. *in corpore*: ex D. Anſelmo *in Monol.c.*3. vbi ait: *ſummus autem Spiritus in Patre, ſe, & omnia vno aſpectu, & eodem cognoſcit, & cùm intelligit ſe, & alia, cognoſcit vt alterum principium.*

Et ex D August. *l.*83. *qq. queſt.*63. vbi tractans illud. *In principio erat Verbum* ait: *Verbum æternum dicere reſpectum ad creaturas, quæ ſunt in operatiua potentia* & 15 *de Trin.cap.*10. *&* 11. ait: *Dei Verbum dici, vel generari, cùm Pater, ſe & alia cognoſcit*, ac proinde gigni è cognitione creaturarum: proptereà, non poſſe creaturas produci, niſi per Verbum, per quod omnia fiunt. Et *l.*83 *qq.q.*46. ait: *Deum nihil extra ſe intueri, ſed in ſe, tanquam in cauſa omnium.* Neque verò ſolùm vult S. Auguſt. Deum non cognoſcere creaturas extra ſe, vt putat Vaſques, & Vulpes, ſed aſſignat modum, (in cauſa) vt aduertunt Arriaga, Faſulus, & alij. Ideò *q.*64. ait: *Verbum dicit operatiuam potentiam.* Atque adeò res, vt ſunt in Deo ratione operatiuæ potentiæ, ità cognoſci ratione illius in generatione Verbi, vt obſeruat D Bonau. *d.*36. *q* 2. Confirmatur ex omnibus, quibus *q* 23. *diſput.*11. oſtendi, beatos videre in Verbo creaturas poſſibiles, maximè authoritate D. Auguſt.

77 Maſtrius, *num.*31. reſpondet, Patres ſolùm velle, Deum cognoſcere creaturas in ſua virtute cognoſcitiuâ. Sed hoc non eſt aſſignare modum cognoſcendi, vt ſuprà dixi. Imò hoc eſt illudere huic quæſt. Præterea hæc virtus non excludit, quin in potentiâ Dei cognitæ ſint creaturæ, ſufficit enim Maſtrio ad hoc, ſi in Deo reperiatur, tanquam perfectio.

PROBATVR tertiò ratione D. Bonau. *in* 1. *d.*35. *q.*1. *in corp.* qua vtuntur omnes ferè authores ſecundę ſentētiæ. Cognoſcens comprehenſiuè ſuam virtutem, cognoſcit quidquid ſua virtute poſſit producere. Deus cognoſcit comprehenſiuè ſuam virtutem, & potentiam. Ergo in ea videt omnia poſſibilia. Ma: explicatur à S.D. Si punctus comprehenderet ſuam virtutem, cognoſceret lineas omnes, & circumferentias, quas terminare poteſt, vt centrum. Similiter, ſi vnitas haberet virtutem cognoſcitiui, quâ ſe comprehenderet, cognoſceret omnes numeros, qui per ſui multiplicationem poſſent aſcendere, quia eſt cauſa omnium numerorum. Scire autem eſt rem per cauſam cognoſcere, per quam res eſt. Hæc ratio amplior legitur *ſerm.*11. *Hexaëmeronis.*

Reſpondet Maſtrius, licèt Deus ſit cauſa poſſibilitatis phyſicæ rerum per ſuam omnipotentiam, non eſt tamen cauſa poſſibilitatis logicæ earum, quia hæc conuenit creaturis ante Diuinam omnipotentiam; vnde reſpectu rerum, ſic poſſibilium, Deus adhuc eſſet omniſciens, etiam ſi non eſſet omnipotens. Verùm hoc eliſum eſt in *fundamentis.*

ADDIT, continentiam effectus in cauſa realem, non poſſe eſſe rationem cognoſcendi formaliter effectū, ſed ſolum virtualiter, nam effectus non habet eſſe formale in cauſa, ſed extra cauſā: eſſe verò, quod habet in cauſa, eſt eſſe eminentiale ipſius cauſæ, vnde totum hoc cognoſcendo, cognoſcit ſolum eſſe formale cauſæ; non autē eſſe formale effectus: neq; habitudo cauſæ ad effectum poteſt ducere in cognitionem eius intuitiuam; qualis eſt Dei, ſed ſolum in abſtractiuam, & confuſam.

AT hæc ſunt inania. Nam quicquid formale habet 78 effectus, totum habet à cauſa, & ideò licèt formalitas effectus non ſit in cauſâ æquiuocâ formaliter, eſt tamen effectiuè; atque adeò videns comprehenſiuè cauſam, videt in eius virtute, quos effectus valeat producere. Itaque elucent in eâ omnes effectuum dependentiæ. Quæ omnia intellectus Dei comprehendit, abſque eo, quòd extra cauſam egrediatur.

Addit Maſtrius, ad comprehenſionem cauſæ non facere comprehenſionem effectuum. At eſto: ait tamen, è comprehenſione Diuinæ omnipotentiæ non inferri comprehenſionem poſſibilitatis Logicæ creaturarum, cùm hæc eis conueniat antecedenter.

VARVM mirum eſt, potentiam, quæ intrinſecè ordi- 79 natur ad effectus, abſq; effectuum cognitione comprehendi. Nam, vt ait D. Aug. ep. 112. c. 9. *Illud comprehenditur, cuius fines circumſcribi poſſunt.* At verò non cognita virtute cauſæ, adhuc dilatandi remanent fines cognitionis eius: Idem enim eſt virtus in quantitate ſpirituali, quod moles in corporea, vt habet S. Bonau. *in* 3. *d.*14. *q.*2. *&* 3. Profectò primum principium non comprehenditur, niſi cognoſcantur res, quæ ab eo habent eſſe, vel habere poſſunt; vt notat D Bonau *l.c.* *Breuil.* & cum eo Suarez, *n.*5 & innuit D. Anſelmus ſuprà apud D. Bonau. Eſſe verò effectûs in cauſa, eſt eſſe formaliſſimum ipſius cauſæ, vt confitetur Maſtrius, *n* 35. Ergo vt comprehendatur, debet cognoſci effectus, etiam ſecundum Maſtrium ipſum. Quod verò refricat de potentia Logica, iam ruit ex dictis.

Addit Maſtrius, *ſcire*, eſſe rem per cauſam cognoſcere, non ſolùm per cauſam eſſendi, ſed etiam cognoſcendi.

AT Ariſt. dicit, cauſam eſſe, *per quam res eſt, & non contingit aliter ſe habere.* Scio, aliam eſſe cauſam veram rei, vt ignis eſt cauſa fumi, & Sol luminis: aliam virtualem, ſicut immutabilitas in Deo, eſt cauſa æternitatis; quia licèt ſit idem formaliter, tamen virtute eſt ratio, vt Deus in æternum duret. At verò dicere; *ſcire*, eſſe per cauſam ſciendi ſcire; eſt ludere. Quis enim ignorat ſcientiam produci per cauſam ſcientiæ.

ASSERO tertiò. Deum non videre creaturas in ſe, tanquam in exemplari, ideſt ſpeculo, diſtinctas; ſicuti omninò videmus res in ſpeculo.

PROBATVR primò à D. Bonau. *d.*35. *q.*1. *ad* 1. aperto 80 teſtimonio D. Dionyſij, ſuprà relato. Idem probat S.D. *eadem diſt.q.*2. è D. Auguſt. 6. *de Trin. c.*10. & oſtenditur, *diſput.* 14. vbi vnam tantùm Ideam realiter in Deo ponimus; non plures.

PROBATVR ſecundò à S.D. *q.*2. *cit.* quia Ideæ rerum 81 ſunt in Deo ipſa Diuina entitas, & veritas. Ideò vna. Ergo non ſunt tot ſimilitudines, quot ſunt res.

Oppones doctrinam in Seraphico notam, quia ſpeculum repreſentat objecta neceſſariò; at Deus eſt ſpeculum voluntarium; & aliqua manifeſtat, alia non. Ergo diſtincta ſunt. Dico, illud eſſe voluntarium creaturis, quæ vident ad menſuram, vt dixi, *diſp.*11. *q.*27.

PROBATVR tertiò ex D. Bonau. *d.*39. *q.*1. *ad* 3. quia ſpeculum ſupponit objecta in eſſe diſtincta, quæ ſibi objiciantur; alioqui ea non repræſentaret diſtincta; At creaturæ in Diuina eſſentia videntur, etiamſi non ſint: & licèt ſint cum Deo vna entitas; non tamen ſunt in Deo formaliter.

ASSERO quartò, creaturas non videri primò in Diuina eſſentia, tanquam in ſpeculo ab ipſo Deo; quaſi

eſſentia

eſſentia ſeipſa ſit ſpecies repræſentans creaturas, quatenus ipſa eſt idem cum intellectione Diuina.

82 Probatvr è D. Bonau. *d. 35. quæſt.1. in corp.* argumento ad hominem, contra Vaſquez *cap. 2.* Non poteſt aliquid eſſe medium cognoſcendi aliquid quidditatiuè perfectiſſimè, niſi contineat totam rationem illius formalem; at eſſentia Diuina non continet formaliter creaturas, vt eſſentia præciſè eſt, tanquam ſpeculum, vel ſpecies expreſſa. Ergo. Maior eſt Vaſquez, qui ob id vrget dicentes, Deum videre creaturas in Diuina eſſentia, tanquam medio priùs cognito. Quod ſi Diuina eſſentia; eò quòd creaturas continet tantùm eminenter, non formaliter, non eſt ſufficiens, *vt quod*, repræſentare eſſe formale creaturarum: Ergo neque erit ſufficiens, *vt quò*, ſeu tanquam ſpecies expreſſa, quia cùm hæc ſit formalis ſimilitudo Dei, non poteſt eſſe formalis ſimilitudo creaturæ; non poteſt autem fieri cognitio, niſi habeat cognoſcens ſimilitudinem cogniti; vel ipſe cognoſcens ſit ſimilitudo, vt arguit S. Bonau. Dicere autem, quòd cognoſcit primò in eſſentia, quatenus eſt idem cum intellectione Diuina, eſt idem, ac dicere, Deum intelligere formaliter, quia intelligit; at non oſtenditur in quo obiecto; nam intellectio non eſt obiectum, & multò minùs obiectum primum, in quo primò cognoſcuntur; quia intellectio ſupponit creaturas iam priùs intellectas, quàm in ea reflexè, quaſi in ſpeculo, ipſæ videantur.

Assero quintò, Deum videre creaturas in ſuis Ideis, tanquam in ſpeculo (ſecundùm noſtrum modum intelligendi) poſtquam intellectæ ſunt in omnipotentia. Eſt S. Bonau. & antiquorum, vt dixi.

83 Probatvr à D. Bonau. *d.35. quæſt.1. corpore*, & *quæſt.4. fund.1.* teſtimonio expreſſo D. Aug. *l.83. qq. quæſt.46.* vbi ait: *Idea eſt Deo ratio cognoſcendi omnia à ſe factibilia.*

Reſpondet Scotus *d.35. § Ad iſta*; D. Auguſtinum non dicere, Ideas eſſe Deo rationes cognoſcendi; ſed tantùm eſſe rationes, ſecundùm quas res formantur extrà. Ità etiam Maſtrius *num.33.* & alij Scotiſtæ.

84 Miror, viros ſubtiles, hac diſtinctione, fugam biuio meditari; nam ideò ſecundùm Ideas condidit res, quia ipſæ ideæ ſunt rationes, in quibus Deus intuebatur formas rerum. Ideò S. Aug. ait ibi. *Non enim extra ſe quicquam poſitum intuebatur, vt ſecundum id conſtitueret, quod conſtituebat; nam hoc opinari ſacrilegum eſt.* Propterea & ibidem reddens rationem, cur creaturæ ſiant diſtinctæ; homoque & equus ſint facti diſtincti, dicit, eam eſſe, quia alia eſt idea hominis, alia equi, ad quam Deus conditor reſpicit; vt ſæpe aduertit Seraphicus *d. 35. quæſt.3. fund.1.* & *quæſt.4. fund.1.* Quæ omnia ſunt luce clariora.

Reſpondet ſecundò Scotus, & Maſtrius *loc. cit.* cum ſuis. Si vnquam D. Auguſt. dicere voluit, Ideas eſſe Deo rationes cognoſcendi creaturas; ſenſum eſſe, non eſſe Ideas formalem rationem intelligendi; neque obiectiuam primariam; ſed tantùm ſecundariam; ità vt Ideæ ſint obiecta ſecundaria Diuinam cognitionem terminantia; vnde negatur, Ideam eſſe Diuinam eſſentiam, vt imitabilem à creaturis. Sic & Poſnanienſis *l.1. deciſ. cap 3. quæſt.6.*

Vervm prima pars reſponſi eliditur ab Ipſo Maſtrio *num.21.* & 32. Non enim *hic* eſt quæſtio de ratione formali, per quam Deus conſtituitur intelligens creaturas; ſed de ratione obiectiua. At per te, Idea eſt ratio obiectiua. Ergo eſt id, in quo Deus videt creaturas, iuxta noſtram quæſtionem. Quòd verò Ideæ ſint obiectum ſecundarium intellectûs Diuini, falſum oſtendam *d. 14. quæſt. 2.* & demonſtrabo, eſſe obiectum primarium. Qua verò ratione eſſentia Diuina Idea ſit creaturarum, dicam *ibi, quæſtione 3.*

85 Probatvr ſecundò à S. D. *loc. cit d.3. quæſt.1.* Similitudo rei eſt ratio rem cognoſcendi. Idea ſimilitudo eſt creaturarum: Ergo. Maior eſt vulgata apud Philoſophos, qui cum Ariſtotele fatentur, cognitionem fieri per aſſimilationem cognoſcentis, & cogniti. Ex quo deducit S. Bonau. *in corp.* debere cognoſcentem habere ſimilitudinem rei, vel neceſſe eſſe, vt ipſe ſit eius ſimilitudo. Minor probatur à D. Bonau. *d.35. quæſt.2. & 4.* ex D. Auguſt. *loc. cit. 83. qq.* Confirmatur, nam ſecundùm ideas ad vnguem formantur creaturæ, vt dicit D. Aug. *loc. cit.* etiam concedente Scoto, & aſſeclis ſuprà, è quibus elicere potes, in ſenſu Seraphici D. veram eſſe quintam opinionem; ſi verò vult, eſſentiam Dei ſeipſa continere primò ſpeciem creaturarum eminentiſſimè, & ideò primò habere rationem mouendi, & determinandi intellectum Diuinum ad cognitionem; non modò ſui, ſed etiam creaturarum, vt videntur velle authores quintæ ſententiæ, quibus adde Lezanam *tract.4. d.2. quæſt. 4.* falluntur; neque benè conceditur à Maſtrio *num.34.*

Assero ſextò, falſam eam eſſe modo explicito.

86 Probatvr falſitas huius opinionis, argumento S. Bonau. *d.35. quæſt.1.* Non poteſt aliquid eſſe ratio cognoſcendi quidditatiuè perfectiſſimè obiectum aliquod, niſi contineat totam rationem illius; at eſſentia ſeipſa ante omnem cognitionem non continet obiectiuè rationes formales omnium creaturarum, (præter quam in omnipotentia.) Ergo. Maior eſt certa, nam cognitio fit per ſimile: Ergo oportet rationem cognoſcendi habere ſimilitudinem propriam ad ipſum obiectum cognitum; vt etiam arguit Scotus *d.35. quæſt. vn.* Maſtrius *num.35.* & alij. Minor probatur, quia Dei eſſentia eſt ſimilitudo formalis Dei, qui omninò opponitur creaturis in rationibus quidditatiuis; nam Deus formaliter eſt perfectio; at creaturæ in ſuis formalitatibus ſexcentas claudunt intrinſecè imperfectiones; vnde omninò diſſimilis eſt illis. Ergo cognitus priùs non poteſt eſſe medium cognoſcendi creaturas, vt arguit Vaſquez *cap.2.*

Deinde probatur, quia ſpecies impreſſa, ſecundùm Vulpem *tom.1. d.23. art.5.* & Scotum paſſim, non eſt apta ad cognitionem intuitiuam, ſed ad abſtractiuam. Itaque malè admittunt, Deum videre creaturas in ſua eſſentia, veluti ſpecie impreſſâ creaturarum.

87 Probatvr à Maſtrio tertiò, quia ſpecies impreſſa ità eſt ratio cognoſcendi, vt non ſit obiectum cognitum; at Diuina eſſentia mouet intellectum Diuinum ad cognitionem creaturarum, quia primò mouet ad ſui intellectionem; & ideò Deus intelligit creaturas, quia intelligit ſe, eaſque in ſeipſo intelligit. Ergo non intelligit creaturas per ſeipſum, tanquam per ſpeciem impreſſam; ſed vt in medio cognito. Maior probatur exemplo ſpeciei Senſibilis oculi, & intelligibilis, quæ mouent ad obiectum cognoſcendum, etiamſi ipſæ non ſint cognitæ.

Quòd verò Deus creaturas videat in ſeipſo, vt in medio obiectiuè, & formaliter viſo, tenent inſigniores Doctores ex omni ſchola, etiam Nominalium, quos longo catalogo refert Faſolus *quæſt.14. art.5. dub.1. à num.10.* & hoc idem concedit Vulpes *diſp illa 27. art.1. not.1.*

88 Aſſero vltimò, falſum eſſe etiam modum, quem habet Maſtrius, nempe Deum cognoſcere creaturas in

ſua eſſentia, quæ cùm ſit perfectiſſima, debet continere omnes perfectiones ſimpliciter ſimplices. Et quia inter has eſt, vt creatura ſit ratio cognoſcendi, & ſolùm dicit imperfectionem, quia eſt ratio finita intelligendi hoc præcisè; non illud, neque omnia. Ideò hæc Deo adſcribenda perfectiſſimè, vt ſit ratio intelligendi omnia.

PROBATVR primò, quia in referenda ſua ſententia *num.* 29. non aſſignat modum, quo Deus videat in eſſentia creaturas; ſed ſolùm rationem à priori, quæ ſumitur ex perfectione Diuinæ eſſentiæ in eſſe cognoſcibilis, quatenus eſt entitas, quæ eſt ratio perfectiſſima cognoſcendi, vt dixi ſuprà.

PROBO verò ſecundò, ex ea perfectione non deduci intentum; imò repugnare, & ſumo argumentum primum, contra quintam ſententiam, quod eſt D. Bonan. *d.* 35. *queſt.* 1.

89 Obiectum aliquod priùs cognitum, non poteſt eſſe medium cognoſcendi aliud, quidditatiuo, & proprio conceptu; ſi in ſe non contineat totam rationem illius, & eiuſdem omninò rationis cum eo non ſit. Sed Deus non continet in ſe rationem creaturarum, imò penitus diſſimilis eſt illis. Ergo cognitus priùs non poteſt eſſe medium cognoſcendi creaturas. Maior probatur, quia cognitio fit per aſſimilationem. Ergo oportet rationem cognoſcendi habere propriam aliquam ſimilitudinem ad obiectum cognitum. Minor probatur ex dictis aſſertione ſexta; nam Diuina eſſentia eſt ratio cognoſcendi Deum, qui eſt perfectiſſimus, ac proinde ſimilitudo eius. Ergo non poteſt eſſe ſimilitudo creaturarum, quæ in ſuis formalitatibus includunt intrinſecè imperfectiones.

Reſpondet Scotus *d.* 35. *queſt. vn.* & cum eo Maſtrius *num.* 35. & alij, ſufficere ſimilitudinem antonomaſticè continentem omnem perfectionem ſimilitudinis formalis ſecundùm id, quod eſt ratio intelligendi. Et ità res ſe habet in Deo, qui continet perfectè ſimilitudinem formalem ſecundùm omnem perfectionem in ratione intelligendi, quoad cognoſcibilitatem creaturarum, licèt in Deo propriè, & formaliter non ſint creaturæ.

Hi authores, vt video, Rhetoricis figuris argumentantem titillant; non autem conuincunt Theologicis reſponſis. Vellem dicant mihi; quid ſit iſta ſimilitudo formalis creaturarum in Deo?

Profectò non poteſt eſſe ipſa eſſentia præcedens intellectionem, vt ſupponere tenentur; nam ſimilitudo formalis creaturarum, includere debet creaturarum imperfectiones formaliter, ſecundùm eos; alioqui ſolùm eminenter repræſentabit creaturas. Neque effugere poſſunt Scotiſtæ ad eminentiam, quam ipſi conclamant aſylum eſſe Caietani ab argumentorum iaculis, quia eminentia ſimilitudinis creatæ in eſſe cognoſcibili debet contineri in eſſentia, quæ eſt ſimilitudo formalis Dei, repræſentans ſolùm id, quod in creatura eſt perfectio eminenter.

Obiicies primò contra ſecundum aſſertum. Scientia creaturarum poſſibilium præcedit omnipotentiam, ſecundùm noſtrum modum capiendi. Ergo Deus non intelligit primò creaturas in ſua potentia. Antecedens probatur à Vaſquez, quia per ſcientiam ſuam operatur, & ideò per ſcientiam conſtituitur omnipotens. Probatur verò Antecedens à Maſtrio, è Scoto; quia poſſibilitas Logica rei eſt ante omnipotentiam. Ideò enim omnipotentia poteſt condere poſſibilia, quia non repugnant eſſe.

90 Reſpondetur negando Antecedens. Ad primam probationem reſpondemus cum D. Bonau. *loc. cit.* quem ſequuntur Suarez, Auerſa, Faſulus, & alij, ſcientiam tantùm, quoad modum directionis artificioſum, dirigere ipſam potentiam ad ea, quæ in ſua virtute continet, & poteſt, & exequenda: ſubſtantia verò actionis potentis eſt à potentia, tanquam à principio Phyſico. Ad probationem Maſtrij reſpondetur ex ipſo Maſtrio *hic*, *num.* 42. & *d.* 8. *Met. q.* 5. *art.* 3. *num.* 32. non repugnantiam Logicam importare poſſibilitatem poſitiuam. Hoc ſuppoſito, dico, eam poſſibilitatem non habere quidem eſſe ſecundùm rationes ſuas formales; ſed pro vt ſunt à ſuo principio, quod eſt potentia; ideò enim ſunt poſſibiles, quia datur potentia, quæ eas poteſt condere, vt dixi ſuprà.

Obiicies ſecundò. Sequitur, Deum cognoſcere creaturas virtuali quodam diſcurſu, à principio ad principatum.

Reſpondetur cum D. Bonau. *loc. cit.* ob id attendam à Deo intellectionem, quæ ſit per diuerſos actus. Alterum, quo cognoſcat potentiam, vt principium: alterum, vt à potentiæ procedens cognitione diſcurrat ad effectus poſſibiles, formali diſcurſu; quæ à Trigoſio *queſt.* 9. *art.* 2. dicitur cognitio in ratione cauſæ, quam dicit à Seraphico excludi. Deus enim ſimpliciſſimo conceptu, & actu videt in omnipotentia res poſſibiles, vt ait D. Dionyſius *cap.* 7. *de diu. nom.* & dicam *queſt.* 15. 91

Obiicies tertiò. Omnis cognitio fit per aſſimilationem cognoſcentis ad cognitum. Quare oportet, vt cognoſcens habeat ſimilitudinem, vel Deus ſit ſimilitudo, vt ſuprà oſtenſum eſt.

Hoc argumentum vrgetur à Seraphico, & oſtendit quidem, non poſſe creaturas poſſibiles à Deo videri ſecundùm cauſam, ideſt diſcurrendo à cauſa ad effectum, extrà Deum: vt prætendebant aduerſarij, quos confutat, quia cùm creaturæ ſint extrà, & non ſint aliquid actu, deberet dari earum ſimilitudo: at verò exponendo noſtrâ viâ; cùm Deus intueatur creaturas in omnipotentia, tanquam ratione, & medio cognito, continente eminenter in ſua virtute creaturas; non eſt neceſſaria ſpecies; quando enim obiectum eſt præſens, & proportionatum; non eſt neceſſaria ſpecies impreſſa; ſed ſit intuitiuè in obiecto, cui ſit ſimilis, cognoſcens ſua intellectione, quæ eſt Idea creaturarum omnium, in qua veluti reflexè videt omnia.

CÆTERVM aliud affert argumentum S. Bonau. *ibi*, quo probat, non omnia poſſibilia, vel futura videri in omnipotentia, quia mala, quæ eueniunt, vel poſſunt euenire, videntur à Deo, à quo tamen non poſſunt eſſe; de quo agam *queſt.* 14.

Obiicies quartò cum Scoto, contra quintum aſſertum. Res creatæ cognoſcuntur à Deo virtute Diuinæ eſſentiæ, priuſquam ipſa concipiatur ab eis imitabilis, & participabilis. Ergo eſſentia Diuina in ratione exemplaris participabilis non eſt ratio cognoſcendi creaturas poſſibiles. Probatur Antecedens. Omnis relatio ſupponit eſſe extremorum. Ergo priùs ſunt creaturæ cognitæ ab intelligentia diuina, quàm Diuina eſſentia dicatur imitabilis ab ipſa. Conſeq. probatur, quia eatenus eſſentia Diuina eſt imitabilis à creaturis, quatenus ipſæ cognitæ, vt poſſibiles, ad ipſam referuntur.

RESPONDETVR facilè, Creaturas eſſe primò cognitas in omnipotentia antequam inſurgant reſpectus creaturarum ad Deum, qui inſurgunt, ex eo, quòd poſſibiles ſunt. Cætera Scoti argumenta contra Ideas, ſoluentur *diſp. ſeq. q.* 2. præcipuè illud; quòd Diuina eſſentia eſt imitabilis à creaturis ſolùm ſecundum gradus communes, puta entis, ſubſtantiæ, viuentis, non quo ad gradus formales ſpecificos indiuiduos, 92

quia

quia ſub his rationibus includunt intrinſecas imperfectiones. Hoc vrget Maſtrius *num.*24.

93 Reſpondet D.Bonau. *d.*35. *quæſt.*1. *ad* 2. quòd, licèt creaturæ, quoad entitatem, includant formaliter imperfectiones, poſſunt tamen exprimi in ideis, quia exprimunt quidquid participant de eſſentia Dei per omnipotentiam. Vnde ideæ continent expreſſionem graduum Diuinæ perfectionis, quos poteſt quælibet creatura participare, & formalitates expreſſas in Diuino intellectu per potentiam, quæ reſpicit creaturas ſecundùm eſſe formale earum, vt creabiles ſunt. Cætera ex dictis facilè ſoluuntur.

Hic verò occurrit quæſtio. An præter cognitionem, quam in Deo admiſimus creaturarum mediatam, ſeu mediante cognitione eſſentiæ, poſſit dari cognitio immediata earum, ità vt Deus non reſpiciendo ſe; ſed creaturas immediatè poſſit eas intueri, tanquam per rationem formalem motiuam, & immediatam.

Prima opinio eſt affirmans. Ità Arriaga *d.*19. *ſect.*4. Herize *d.*5. *cap.*4. Becanus *p.*1. *tract.*1. *cap.*10. *quæſt.*4. Poncius *d.*5 *quæſt.*5. *num.*19. Arrubal *d.*31. dicens, Deum, vt continentem creaturas virtualiter in ſe, gerere munus ſpeciei impreſſæ ad hanc cognitionem. Hoc enim eſt extre ad cognoſcendas creaturas immediatè, vt aduertit Arriaga *ſect.*5. Quare huius ſententiæ ſunt authores, qui tenent Scientiam Dei ſe habere vt ſpeciem impreſſam creaturarum, vt Vulpes *d.*37. *art.*4. quam è Scoto deducit *quæſt.* 3. *Prol. lit.X.* & 1.*d.*10. *in calce*, & *d.*35. *ad argumenta principalia*, & *d.*39 *M.* & *in* 2.*d.*1.*quæſt.*1. *infra H.* & *quodl.*14. *ar.*2. *inf. Q.* quam opinionem Scoto tribuit etiam Suarez *l.*3. *cap* 2. *num.*15. eamque probabilem cenſet. Caſpenſis verò *tract. de eſſentia Dei*, *ſect.*5. *num.*20. vult, Deum videre creaturas immediatè; neque tamen Diuinum intellectum pendere à creaturis, tanquam obiecto motiuo, vel terminatiuo. Sic & Ribas *cap* 3.

94 Commvnis tamen ſententia Theologorum negat, creaturas poſſe eſſe rationem immediatè motiuam intellectus Diuini. Ità S. Bonau. locis mox adducendis in argumentis, quem cæteri ſequuntur, vt refert Maſtrius *num.*37.

Assero cum hac ſententia.

95 Probatvr primò à D. Bonau. *d.*35. *quæſt.*1. *in corp.* argumento Ariſtotelis 12. *Met.* quo nititur Scotus *d.*35. *B.* & *d.*39. *§. contra iſtud*, & *quodl.*15. *art.*2. & 2. *d.*1. *quæſt.*1. *art.*2. & alij ferè omnes, vt refert Maſtrius ſuprà. Si Deus moueretur ab obiectis creatis immediatè, tunc Diuinus intellectus vileſceret, nam eius actus ab illis obiectis ſpecificaretur, & perfectionem ſumeret; quæ quidem ratio eſt D. Dionyſij *cap.*7. *de diu. nom.* & ferè D. Aug. *l.*83.*qq.q.*46. vt ſuprà retuli. Et hoc concedit etiam Vaſquez *d.*60. *cap.*4. quem pro ſua ſententia *hic* citat Arriaga. Caſpenſis reſpondet. Deus non penderet ob id à creaturis, tanquam obiecto motiuo, quia ab eis non deſumit ſpecies; neque vt obiecto terminatiuo, quia omnis perfectio, quæ eſt in Deo, eſſet adhuc, etſi res non eſſent poſſibiles; exigit tamen, creaturas eſſe poſſibiles; vt Diuina intellectio ſit circa illas.

96 Contra, quia, ſi per ſpeciem Diuinæ eſſentiæ videt creaturas, terminatur ad eas. Mouetur etiam ab eis, *vt quod*; & exit Deus ad eas videndas, contra D. Dionyſium, & D. Auguſtinum.

Arriaga primò retorquet argumentum; nam etiam omnipotentia continet creaturas; nec tamen ſpecificatur ab illis. Præterea etiam à termino mediato ſpecificatur, & perficitur. Ergo non rectè inducitur tanquam abſurdum, ſequi tantùm ex cognitione immediata. Anteced. probatur, nam cæteris paribus perfectior eſt viſio Angeli, quàm formicæ, in Deo.

Deinde reſpondet, Deum poſſe habere cognitionem immediatam creaturarum abſque dependentia ab eis; ſicut poteſt habere mediatam abſque tali inconueniente. Addit non eſſe inconueniens, Scientiam, & eſſentiam, prout dicit potentiam connexam cum poſſibilitate creaturarum, pendere à creaturis poſſibilibus. Eodem modo reſpondet Poncius.

Sed hæc friuola ſunt. Primò quidem diſpar eſt ratio Scientiæ, & potentiæ; nam ſcientia ſupponit ſuum obiectum, & ideò, ſi mouet intellectum, eum perficit, ac determinat, & ſpecificat, & actuat: at verò omnipotentia non ſupponit res poſſibiles; ſed ipſa reddit eas poſſibiles, atque adeò non poteſt ab eis ſpecificari, quia ſe ſunt poſteriores. Deinde falſum eſt, Diuinam cognitionem perfici à termino mediato, cùm Deus cognitionem ab eo non accipiat; imò ipſum obiectum perficiat in eſſe cognito. Neque perfectior eſt cognitio Angeli, quàm formicæ hoc ſenſu, vt ab eis obiectis magis perficiatur; nam vtrumque videtur in Diuina eſſentia, & ità cognitio eſt perfectior, non ratione maioris perfectionis Angeli, quàm formicæ, ſecundùm ſe; ſed quatenus clarior videri debet eſſentia, vt videatur maior perfectio participata ab Angelo, quàm à formica. 97

Ex quo patet falſum eſſe, poſſe Deum ità accipere cognitionem immediatam à creaturis, ſicut mediatam; iam enim conſtat diſparitas ex differentia inter obiectum motiuum, & terminatiuum; nam illud cauſat cognitionem, eamque dat; non iſtud. 98

Denique maximam eſſe imperfectionem, ſcientiam Dei pendere à rebus poſſibilibus: patet ex ratione S. Bonau. quæ eſt Sanctorum Patrum.

Qvod verò Scientia Dei de rebus poſſibilibus pendeat à rebus, nihil obeſt in ſenſu recto, pendet enim hoc ſenſu, quod non intelligerentur poſſibiles, niſi eſſent poſſibiles; ab eis tamen non pendet formalis intellectio Dei; ſed à ſeipſo, in quo videt poſſibiles, & ex cuius omnipotentia euenit, vt ſint poſſibiles: neque eas videt ex indigentia, neque perficitur ab eis; ſed eas videt ex ſua infinita perfectione, quæ eſt Lvx, quam nihil poteſt latere, vt docet D. Bonau. *d.*39. *quæſt.*1. & 2. Sequitur Maſtrius *num.*38

Probatvr ſecundò à D. Bonau. *d.*35. *quæſt.*1. *fund.*4. In entibus eſt ſtatus ſecundùm eſſe: Ergo & in ratione cognoſcibilis, & cognoſcentis. Sed primum ens, in quo eſt ſtatus, eſt, à quo eſt omne ens per participationem, & eſt ratio omnis entitatis, extra quod nihil eſt, niſi ab eo. Ergo & in primo cognoſcibili eſt omnis ratio cognoſcendi omnia, & extra quod non eſt ipſa ratio cognoſcendi; & in primo cognoſcente eſt prima ratio cognitionis; eò quòd per ipſum omnia cognoſcantur, & ſine ipſo nihil.

Obiiciunt primò Arriaga, Riba, Caſpenſis. Intellectus infinitus tenetur ſcire omnia, omnibus modis, quibus ſine imperfectione poſſunt cognoſci. Sed creaturæ poſſunt ſic ſine imperfectione cognoſci: Ergo. Maior patet. Minor probatur, quia talis Scientia ex ſuo genere dicit perfectionem; cognoſcere enim obiectum immediatè, magna perfectio eſt.

Hoc argumentum probat ſententiam D.Bonau. quæ eſt ſexta, ſuprà allata; nempè pluribus modis, Deum cognoſcere creaturas, iis ſanè, qui dicunt ſimpliciter perfectionem; at in caſu noſtro dico, hunc modum dicere imperfectionem, vt ſuprà oſtendi; diceret enim dependentiam intellectus Diuini à creaturis: 99

diceret perfici; actuari; de potentia ad actum deduci. Vnde ab huc modo cauendum, vt monet Caiet. *q.*14. *art.*6. Dices. Deus vno modo immutabiliter cognoſcit omnia, ex D. Dionyſio *cap.*7. *de diu. nom.* & D. Aug. 15. *de Trin. cap.*13. & 1. *de Geneſ. ad litt.* Et ratio eſt, quia eius intellectio eſt ipſe Deus.

Reſpondetur ex parte Dei eſſe vnam; ſed multas rationes ex parte obiectorum. Ita egregiè explicat S.D. *d.*38. *dub.*1. *litt.* eodem modo vna eſt ſcientia ad prædeſtinationis, & reprobationis actûs requiſita; ſimplex nimirum intelligentia, & viſio, vt docet D. Bonau. *ibi dub.*3.

Obiicit ſecundò Becanus. Creatæ res ſunt in ſe immediatè cognoſcibiles. Ergo & à Deo, qui cognoſcit res, ſicuti ſunt, eò magis cognoſcuntur, quod cognoſcere immediatè eſt perfectius.

100 Reſpondetur, cognoſci res in ſeipſis perfectiſſimè terminatiuè; non motiuè, quia imperfectionem dicit. Quare, licèt à creaturis poſſint hoc modo cognoſci, non tamen à Deo.

Igitvr ex dictis habes. An cognoſcere creaturas in Deo, ſit cognoſcere in ſeipſis, cognoſcuntur enim in ſeipſis terminatiuè, in ratione obiecti cogniti; non in ratione medij cognoſcendi, ac motiui; vt aduertit Tannetus *d.*2. *quæſt.*8. *dub.*3. *num.*21. Non cognoſcit igitur Deus creaturas in ipſis, tanquam in obiecto motiuo, vt dixi. Et ità ſoluitur lis propoſita initio *quæſt.* quæ ferè de nomine erat ibi.

QVÆSTIO VI.

An Deus cognoſcat futura ex reali eorum præſentia in Æternitate.

{ D.Thom. quæſt. 14 art. 13.

Certissimvm eſt ex fide, Deum luce clariùs meridiana res omnes præſentes, futuraſque intueri. Hoc oſtenſum eſt *quæſt.*3. Scripturis, & rationibus, cum D. Bonau.

101 Probatvr inſuper à S. D. 1. *ad cap.*8. *Sap.* de ea verba: *Attingit ergo à fine vſque ad finem ſapientia fortiter, ſuauiterque diſponens omnia.* Vbi Seraphicus latè proſequitur hoc argumentum. Deum, ſcilicet omnia clarè intueri, cùm ea prouideat, gubernet, & in fines proprios adamuſſim dirigat, ſiue ad finem naturæ, ſiue gratiæ, ſiue gloriæ. Ipſum quæſo perlege, & theſaurum ſapientiæ effodies. Hoc idem argumentum aſſumit etiam 1. *d.*39. *quæſt.*1. *&* 2. vt vidimus *quæſt.*3. vbi multas authoritates attulimus, quas reſumunt Herize *d.*6. *cap.*1. Arriaga *d.*20. *ſect.*1. ſimul cum ratione, quia ſi Deus ab æterno habuit voluntatem creandi, iuſtificandi, glorificandi; ſequitur, cognouiſſe facienda.

Probatvr ſecundò à D. Bonau. ad cap.8. Sap. *Signa, & monſtra ſcit antequam fiant, & euentus temporum, & ſæculorum: ſcit præterita; & de futuris æſtimat: ſcit verſutias ſermonum, & diſſolutiones argumentorum.* Hæc verò ibi mirabiliter probat; & quidem noſſe præterita probat, quia docuit Moyſen ſcribere originem mundi, & annales ſæculorum. Quoad futura oſtendit ex illo *Deuter.*18. vbi Moyſes edoctus à Deo prædicit. *Prophetam ſuſcitabit, &c.* Quòd res occultas videat oſtendit, ex 39. Eccl. *Occulta prouerbiorum exquiret, & in abſconditis parabolarum conuerſabitur.* Vnde Chriſtus, in quo erant theſauri ſapientiæ Dei, vt habetur *Coloſſ.*2. non poterat capi in ſermone, vt habetur *Matth.*22. & alibi. Et Salomon omnia occulta explicuit Reginæ Sabæorum 3. *Reg.*10. Futuros verò euentus Deo notos, oſtendit ex 1. Actorum: *Non eſt veſtrum noſſe tempora, & momenta, quæ Pater poſuit in ſua poteſtate.* Eadem aſſumunt Recentiores.

Probatvr tertiò à S. D. *in* 4. *d.*1. *p.*1. *dub.*2. ex Geneſ. 1. *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat.* Idem habet in Dieta *cit.*8. *cap.*2. vbi per cuncta opera intelligit naturæ, gratiæ, & gloriæ.

Probatvr quartò à S. D. ad *Lucæ* 12. ex illis verbis: *Nonne paſſeres veneunt dipondio, & vnus ex eis non eſt in obliuione coram Deo? Sed & capilli capitis veſtri numerati ſunt.* Vbi ex ſubtiliſſima capillorum, auicularumque numeratione, & prouidentia deducit S. Bonau. exactiſſimam rerum maiorum cognitionem, & prouidentiam, maximè de nobis, in quorum comparationem Paulus 1. *Cor.*9. videtur prouidentiam de bobus negare, dicens: *Numquid de bobus cura eſt Deo?* Optima ſanè ratio à priori eſt illa D. Bonau. Si enim Deus etiam minutularum rerum habet prouidentiam, quas nequiret adamuſſim regere abſque ſcientia; quis negabit etiam de eis exactiſſimam in eo cognitionem? Hanc plurimi pendet Suar. *l.*3. *de attrib. poſit. cap.*3. vbi & loca Scripturæ allata à D. Bonau. recitat. Idem præſtat Valentia *quæſt.*14. *p.*5. & alij Recentes. Oppoſitionem verò Herize dilui *quæſt.*3. 102

Controuerſia ſemet circa modum, quo Deus videt futura; quod multis quæſtionibus eſt diſcuriendum. Nunc quærimus. An Deus videat res futuras ex reali earum præſentia in Æternitate.

Celebris eſt opinio quamplurium Thomiſtarum *p.*1. *quæſt.*14. *art.*13. res omnes temporales, ſeu in tempore productas, aut producendas, ſecundùm ſuum eſſe reale, & proprium, eſſe ab æterno, æternitati præſentes; & ex tali futurorum coëxiſtentia in æternitate, certò Deum cognoſcere illas intuitiuè. Ità Capreol. 1. *d.*36. *quæſt.*1. *art.*2. *&* *d.*38. *quæſt.*1. *art.*2. Ferrar. 1. *contra G. cap.*66. *&* 67. Caietanus *hic art.*13. vbi tremens Sanctos inuocat, quaſi rem difficillimam tueri cogatur; quam fatentur maximæ eſſe difficultatis Ferrar. *loc. cit.* Bannes *concl.*4. Gonzales ibi, Nauarrerus *controu.*52. §.2. licèt Salmaticenſes *d.*8. *de ſcientia Dei*, illis animos addant. Ex quibus deducunt Faſolus *p.*1. *quæſt.*14. *art.*13. *dub.*3. *num.*35. & Maſtrius *d.*2. *quæſt.*7. *num.*270. hanc opinionem eſſe vel falſam, vel inintelligibilem. Eam verò ſecutus eſt etiam Richard. 1. *d.*38. *quæſt.*3. & *d.*39. *art.*1. *quæſt.*1. & *d.*41. *quæſt. vlt.* vbi adducit pro hac etiam Seraphicum, quem pro ea citat Trigoſius *quæſt.*10. *art.*4. *ad* 2. & Marcus à Baud. *quæſt.*14. *art.*4. ac Corjolanus *quæſt.*14. *art.*5. eò quòd videtur ex æternitate complectente omnia tempora, colligere præſentiam rerum in cognitione Dei. Enim verò non intellexerunt Seraphicum, vt infrà oſtendam. Eandem videtur prima facie ſuſtinere Granado *tract.*4. *d.*1. *ſect.*2. Sed aliò declinat. Illam ſuſtinet verò Catharinus opuſc. *de præſentia, & prouidentia Dei*; Gillius *tract.*10. *de Æter. cap.*16. cum Toſtat. *ad* 18. *Matth. quæſt.*36.

Hanc aperto marte ſuſtinet Nazarius *quæſt.*14. *art.*13. *controu.*3. plurima afferens D.Th. loca ad id ſanciendum, multoſque Patres. Attamen hanc non fuiſſe D.Th. ſententiam alij ſentiunt, vt Syluest. in Roſa aurea *tract.*3. *quæſt.*45. Ægid. Rom. S. Thomæ diſcipulus *in Caſtigatorio* ſuper hunc articulum. Et ſanè D.Th. *p.*1. *quæſt.*14. *art.*8. *ad* 3. expreſsè habet; etſi ſcientia de creaturis futuris ſit ab æterno; ipſas tamen creaturas non eſſe ab æterno, neque æternas. Et hoc colligitur ex diſcurſu, quem habet *art.*13. vbi non arguit ſic. Res futuræ ſunt præſentes in tota æternitate.

æternitate. Ergo Deus ea cognoſcit. Sed è contra, ſic arguit. Cognoſcit Deus contingentia, quando erunt. Ergo eadem ab æterno cognoſcit, quia cùm eius cognitio menſuretur æternitate, quæ eſt tota ſimul, cognoſcit omnia ſimul, non ſucceſſiuè. Ergo omnia ab æterno ſunt Deo præſentia, ſcilicet obiectiuè; nam è cognitione inferri non poteſt, niſi præſentia obiectiua rei cognitæ. Eodem modo diſcurrit *p.1. quæſt.57. art.3.* De quo vide Faſolum *loc. cit.* Pennotum in ſuo Propugnaculo *humanæ libert. l.3. cap.16.* Arrub. *infra cit.* Auerſam *p.1. quæſt.14. ſect.6.* Maſtrium *loc. cit.* Caſpenſem *tract. de Scientia Dei d.5. ſect.2.*

103 Opposita ſententia, negans præſentiam realem futurorum in æternitate extra ſcholam D. Thomæ, eſt vniuerſalis, aſſerens, ſolum eſſe obiectiuum. Ita Scotus *1.d.39. quæſt.1.* quem ſequuntur diſcipuli Lichet. Bargius, Vigerius ibi, Baſſol. *d.38. quæſt. vn. art.1.* Mairon. *ibidem*, & Recentes, vt Rada *contron.30.* Fauent. *d.54.* Smiſing. *tract.2. d.4. quæſt.3.* Macedo *coll.9. d.4.* Brancaſ. *d.16. quæſt.21.* Vulp. *d.30. art.3.* Poſnan. *d.67.* Maſtrius *loc. cit.* E cæteris Durand. *1. d.39. quæſt.3.* Gabr. *d.38. quæſt.1. art.2.* Gregor. *quæſt.2. art.2.* Ægid. in ſuo Caſtigatorio *huius articuli*, vbi refert priorem ſententiam, à multis Doctoribus carbone ſigillatam Pariſiis, quam ait, falsò D.Th. adſcriptam. Plurimi quoque Thomiſtæ pro hac ſtantes, adducunt D. Th. Ità Deza *in 1. d.38. quæſt. 2. art. 2.* Heruæus *eadem diſt.* in Defenſorio doctrinæ D. Th. Caſpenſis *loc. cit.* Lezana *tract.4. d.3. quæſt.3.* Tanner. *d.2. quæſt.8. dub 6. num.11.* Amicus *d.12. ſect.4.* Arriaga *d.20. ſect.4. ſubſect.3.* Faſolus *p.1. quæſt.14. art.13. dub.3.* Suarez *opuſc. de Scientia Dei l.1. cap.7.* Vaſq. *p.1. d.64.* Arrubal. *d.41.* Valentia *quæſt.1.* Morand. *tract.3. quæſt.5. p.5.* Herize *d.6. cap 4.* Mirantur Valentia Vaſq. Arrub. Herie, Deza, Sylueſt. Ægid. D. Thomam *ad primam ſent.* loris trahi; at Macedo in illos, ad hanc vncino rapi. Subſcribit Fulienſis *l.1. cap.11.* Moncæus *d.3. cap.3.* Ribas *tract.2. d.6. cap.4.* Becan. *cap.10. quæſt.10.*

Hanc eſſe D. Bonau. ſententiam apertam aſſerunt, & meritò Suarez, Valentia, Tannerus, Caſpenſis, Vaſquez, Nazarius, Maſtrius, & alij, qui pro ea adducunt etiam eius Magiſtrum Alenſem *p.1. quæſt.23. m.4. art.3.*

104 Primo quidem S. Bonau. *d.35. dub.6. litt.* luce clariùs aſſerit, non omnia eſſe præſentia Deo ſecundùm veritatem; ſed ſolùm ſecundùm cognitionem, atque adeò Antichriſtum non eſſe Deo ſecundùm veritatem nunc præſentem. (Quidquid dicat Trigoſius) ſolam enim cognitionem ſemper eſſe præſentem, quippè æternitate menſuratam, aſſerit; ſicuti de D.Th. diximus cum Maſtrio. Et *d.35. quæſt.1. fund.2.* apertè ait. Res, antequam ſiot, non poſſe eſſe præſentes Deo ſecundùm veritatem; ſed ſecundùm ſimilitudinem, ſeu Ideam. Hoc loco torquetur Corjolanus. Idem aſſerit apertè *d.36. quæſt.1. & d.39. art.1. quæſt.3.* vbi ait *in corpore.* Cognoſcere omnia præſenter, dupliciter poteſt intelligi. Aut quod notetur præſentialitas à parte cognitorum, & ſic eſt falſa (quod Deus cognoſcat omnia præſenter) aut ita, quod notetur præſentialitas à parte cognoſcentis; & ſic habet veritatem. Ratio huius eſt, quia Deus omnium Ideas habet præſentes, & ſimul; per quas cognoſcit res futuras; ſicuti ſi eſſent præſentes; & iterum præſens ſuæ cognitionis, eſt præſens ſimpliciſſimum, quod circumplectitur omnia tempora. Et dat ſimilitudinem; quòd ſicut Deus ſua immenſitate complectitur omnes res: ità ſua cognitione omnia habet præſenter, & tamen illa præſcit. Complectitur ſanè res immenſitate, realiter ſolùm exiſtentes.

Quare malè Trigoſius, & Marginiſta hoc trahunt ad primam ſententiam. Obſeruandum eſt enim, cautè Seraphicum idem dicere, quod locis ſuprà allegatis, nempè non res, ſed cognitionem eſſe præſentem. Ideò dicit præſens ſuæ cognitionis, ideſt cognitio; non autem præſens ſuæ cognitioni, ideſt obiectum eſſe præſens ſimpliciſſimum, &c. Realiter verò pro illo tempore, quo ſunt res, vt leuiter concedit Trigoſius §. *Tertiò nota.* Eadem habet *d.40. quæſt.1.* & *lib.1. compend. Theol, ver. cap 19. & p.1. Breuil. cap. 8.*

Assero cum hac ſententia, res omnes non eſſe Deo præſentes ſemper in æternitate.

Probatvr à D. Bonau. primò *d.36. quæſt.1.* argumentis ſecundo loco, quæ in hoc à D. Bonau. roborantur. Primum eſt. Quod in ſe intrinſecè nihil eſt, non poteſt eſſe in alio extrinſeco, et ei coëxiſtere. Sed creaturæ in æternitate intrinſecè nihil fuerunt: Ergo ei non coëxtiterunt realiter præſentes. Maior eſt clara, nam coëxiſtentia dicit relationem realem, quæ ſupponit rem pro fundamento. Minor probatur. Quod creatum eſt in tempore, ante creationem nihil fuit. Sed omnia ſunt creata in tempore; de fide ex Concilio Later. *in cap. Firmiter*, & traduot Scripturæ, quæ abſolutè loquuntur, vt fatetur Nazarius, & docent SS. PP. omnes; ſolumque Deum extitiſſe. Imò ex exiſtentia reali in æternitate arguunt, Verbum eſſe Deum. Sic etiam Concilium Nicænum damnat Arium dicentem, Filium Dei aliquando non fuiſſe. Hanc rationem vſurpat Durandus, cui eam adſcribit Vaſquez, eamque adeò euidentem acclamat, vt non inueniat, quid reſponſi muſſitare queant aduerſarij. Eandem Scoto alij adſcribunt; inter quos Faber *num.27.* Maſtrius *num.274.* eamque amplectuntur, & dilatant Valentia *loc. cit.* Arriaga *num.30.* & alij ferè omnes. 105

Confirmatvr à D. Bonau. Quod eſt in aliquo, eſt in illo vel ſecundum ſe, vel ſecundum aliquid ſui. Sed res non ſunt ab æterno in Deo ſecundùm ſe, quia eſſent Deus; neque ſecundum aliquid ſui, quia nihil earum eſt æternum; ſed totum temporale. Ergo. 106

Respondet Caietanus, res eſſe præſentes in æternitate, non ratione *nunc* ſui proprij temporis; ſed ratione *nunc* æternitatis.

Contra, quia hoc ipſum eſt, quod argumento conuincitur. Si enim res futuræ nihil ſunt in ſe intrinſecè, in ſua duratione; non poſſunt coëxiſtere alteri extrinſecæ durationi æternitatis. Æternitas enim, licèt indiuiſibilis, eſt tamen infinita, vt ait S. Bonau. quæ comprehendit omnia tempora, & res, non ſimul, ſed ſecundum quod veniunt ſucceſſiuè; res enim non adæquant totam æternitatem, cum finitæ ſint; alioqui, ſi adæquatè ſe haberent, non fluerent. Et ſic, vt infert D. Bonau. *d.41. quæſt. vlt. fund.3.* cùm in æternitate fuerit Deo præſcos Chriſtus moriturus, ſequeretur, adhuc eum eſſe moriturum. Ergo cum mors, & curſus vitæ Chriſti tranſierit; alio modo ſe habet coram Deo, quam ante, vt notat cum D. Bonau. Fauentinus. 107

Respondent Bannes, & Nazarius, in Scoti argumento latere fallaciam à *ſecundum quid ad ſimpliciter*; nam res non dicitur propriè exiſtere, niſi exiſtat in propria duratione adæquata; vnde licèt hæc vera ſit: Antichriſtus eſt præſens Æternitati, ſeu ei coëxiſtit, vt *ly* nunc ſignificat inſtans æternitatis; attamen non valet inferre propoſitionem de ſecundo adiacente. Antichriſtus nunc eſt, quia res non dicitur eſſe in actu, quando exiſtit in menſura tantùm communi inadæquata; ſed quando eſt in propria, & adæquata

Eadem ratione non ſequitur. Antichriſtus eſt præſens Æternitati: Ergo actu iam eſt productus.

Contra, quia illa conſequentia non eſt à *ſecundum quid*, & inadæquato, ad *ſimpliciter*, & *adæquatum*, ſicut ſi diceremus: Homo ab æterno habet eſſe cognitum in Deo. Ergo habet eſſe, vt notat D. Bonau. *omnibus ferè citatis locis*, & Maſtrius *num.* 275. nam exiſtere reale in æternitate nihil diminuit rei; non enim faciunt præſentem in eſſe diminuto; ſed in eſſe reali exiſtentiæ. Ergo optimè tenet illa conſequentia. Antichriſtus coëxiſtit Deo ab æterno; quia talis eſt coëxiſtentia; qualis eſt exiſtentia, in qua fundatur, vt habet S. Bonau. *d.* 35. *dub.* 6. & *aliis locis adductis*, & eum eo Maſtrius.

108 Neque verò poteſt eſſe aliquid realiter in duratione aliena, quin ſit in propria, per quam primò, & intrinſecè exiſtit. Sic non poteſt eſſe aliquis in aliquo anno, niſi ſit ipſe intrinſecè exiſtens eo anno. Hoc verò malè explicat Maſtrius. Non poteſt eſſe Petrus in hoc anno, quin ſit in aliquo menſe iſtius anni; nec poteſt eſſe in hoc menſe; quin ſit in aliqua die huius menſis; nec poteſt eſſe in hoc die, niſi ſit in aliqua hora huius diei; hæc enim eſt menſura extrinſeca tota eiuſdem rationis extrinſeca Petro. Vnde ea ſimilitudine vtitur Zumellus pro ſe *quæſt.* 14. *art.* 13. *diſp.* 1. *not.* 2. & ità non concludit intentum; attamen iam argumentum ſuprà ſolidum manet. Vnde non fruſtra Scotus argumento Seraphici pugnat; ſed validiſſimè: nam res, quæ adhuc non eſt producta, non eſt; & conſequenter realiter non eſt. Si autem exiſteret in æternitate, iam realiter eſſet, vel exiſteret realiter, antequam producatur, & ſit: vel dic, produci in æternitate per aliam diſtinctam productionem. Diſtinctio verò illa, res futuras eſſe productas in aliena menſura, ideſt æternitate, eſt obſoleta, & inanis. Quia nulla res poteſt eſſe in aliena menſura loci, vel temporis communi ſibi, & aliis rebus, per eam menſuratis, niſi quatenus exiſtit in menſurâ propriâ, & ſibi adæquatâ; vt docet Ariſtoteles 4. *Phyſ. t.* 24. quod illuſtrat hoc exemplo. Res enim ſingulæ non poſſunt contineri ſub cælo, tanquam in loco communi, niſi quatenus continentur in loco proprio ſibi adæquato, & habent ſuum vbi intrinſecum. Sed æternitas Dei eſt menſura extrinſeca, & communis rebus præteritis, præſentibus, & futuris: Ergo non poteſt res eſſe exiſtens in æternitate, niſi quatenus eſt exiſtens in propria menſura durationis; vt paſſim vrgebo eum Seraphico Doctore.

109 Probatvr ſecundò à D. Bonau. Si creatura exiſtit in æternitate, vel eſt actu, vel potentia. Si actu. Contra: quia tunc dici poſſet: res actu eſt ab æterno, quod eſt falſum; nam ſic non produceretur in tempore, quia non educeretur de potentiâ ad actum; imò in actu bis poneretur. Hanc rationem Scoto adſcribit Fauent. eaque vtuntur Caſpenſ. & alij.

Reſpondet Nazarius, creaturas exiſtere in æternitate actu; non actu menſuræ propriæ: Quare negat conſequentiam; quia res non dicitur ſimpliciter in actu, quando eſt tantùm in menſura communi inadæquata, ſed quando eſt in propria, & adæquata. Eodem modo reſpondent Ferrar. & Bannes.

At verò ſuprà oſtendi, creaturam exiſtentem ſecundùm eſſe reale, exiſtere debere ſecundùm eſſe totum.

110 Probatvr tertiò à D. Bonau. *d.* 39. *quæſt. cit.* Præſcientia non eſt niſi futuri; at Deus præſcit creaturas ab æterno: Ergo non exiſtentes, ſed futuras. Maior eſt certa, & patet ex 19. Sap. *Præſciebat enim futura illorum.* Sic obſeruat S. Bonau. ad eum locum, & allegat etiam id Eccl. 23. *Domino Deo noſtro antequam crearentur omnia ſunt agnita.* Præſcientiam verò prædicant Apoſtoli; Petrus 1. *cap.* 1. Paulus *Rom.* 8. & 11.

Reſpondent Aduerſarij, Deum res præſcire, quia non ſunt ei præſentes in quolibet *nunc* temporis; ſed futuræ vſque ad determinatum tempus; ſunt tamen præſentes in *nunc* æternitatis complectente cuncta tempora. Hac diſtinctione exultat Caiet. ſicut exultant victores captâ prædâ, quando diuidunt ſpolia.

Contra arguit S. Bonau. In præſcientia ſunt duo, id eſt Scientia, & anteceſſio ſcientiæ reſpectu cogniti. Sed ſic eſt, quòd Deus res præſcit, tanquam ſint: Ergo. Minor probatur à S. D. *ad cap.* 8. *Sap.* ex illis verbis: *Scit præterita, & de futuris æſtimat* certitudinaliter. Cæterùm, quando res futuræ ſunt creandæ, ſunt nihil. Sic arguit & Faber *num.* 27. cum Scoto. 111

Probatvr quartò à Seraphico *loc. cit. arg.* 2. cum reſponſo. Id quod realiter eſt actu præſens ratione præſentiæ in ſenſu compoſito, neceſſarium eſt eſſe. Sed creaturæ ſunt per te realiter præſentes in æternitate: Ergo neceſſe eſt, eas eſſe: Ergo nullæ erunt contingentes, vel à Deo impediri poterunt.

Probatvr quintò à D. Bonau. *arg. vlt.* Quandocunque aliqua duo coëxiſtunt alteri, coëxiſtunt etiam inter ſe. Sed creaturæ non coëxiſtunt inter ſe: Ergo nec æternitati. Maior patet. Minor probatur; alioqui vera eſſent contradictoria; nam ſimul Petrus eſſet, & non eſſet. Chriſtus eſſet mortuus, & non eſſet mortuus. Hanc rationem Caiet. & alij adſcribunt Scoto; ſed Fauent. ingenuè fatetur, ſe in Scoto eam non inueniſſe; eſſe tamen efficacem ait.

Reſpondet Bannes, Maiorem veram eſſe, quando illa duo coëxiſtunt vni tertio ſimpliciſſimo formaliter, & non virtualiter; at æternitas, licèt formaliter ſit indiuiſibilis, eſt tamen virtualiter diuiſibilis; quia æquiualet omnibus differentiis temporum.

Hoc verò eſt pro me; nam ſi res non poſſunt coëxiſtere æternitati, vt habet virtualem latitudinem, atque adeò non coëxiſtunt æternitati adæquatè; ſequitur, non poſſe talem habere præſentiam realem, quæ ſit ratio, vt à Deo cognoſcantur pro tota latitudine æternitatis. Elicitur inſtantia à Fabro è doctrinis allatis D. Seraphici. 112

Caietanus reſpondet, res eſſe ſimul coëxiſtentes in æternitate; non in tempore.

Contra arguit Seraphicus, quia æternitas fuit ante tempora omnia, & in ea Deus; & tunc creaturæ omnes erant nihil; alioqui non fuiſſent creatæ in tempore.

Probatvr ſextò à D. Bonau. *in corpore*, ea ſimilitudine, qua vſus eſt Scotus, & poſt eum Vaſquez, Faber, Maſtrius, & alij. Ità eſt infinita immenſitas Dei, ſicut æternitas; at ſi darentur multa loca ſucceſſiuè fluentia, non adeſſet eis Deus ſimul, neque illa ſimul coëxiſterent Dei immenſitati. Ergo neque res ſucceſſiuæ ſimul coëxiſtunt æternitati. Hinc ruit fundamentum Thomiſtarum, nempè creaturas omnes coëxiſtere æternitati, quia infinita eſt. 113

Reſpondent, negando paritatem: nam immenſitas, ſeu exiſtentia Dei in rebus fundatur in aliqua actione tranſeunte productionis, vel conſeruationis, atque adeò exigit creaturas præſentes, & actu exiſtentes; at verò æternitas non fundatur in aliqua actione Dei circa res; & ità amplecti poteſt etiam res futuras. Ità Thomiſtæ aliqui apud Lezanam.

Contra eſt, quia immenſitas Dei eſt omninò independens, & ſequeſtrata ab actione. Quare dato, quòd Deus non eſſet omnipotens, adhuc intelligitur diſtincto attributo immenſus; immenſitas enim non habet pro ratione ſui potentiam, aut voluntatem; ſed infinitatem. Itaque etiam ante mundi creationem 114

erat

erat immenſus intrinſecè, veluti in actu primò; at in actu ſecundo, exiſtentia eius in rebus ſupponit quidem res; ſed non conſeruat ſuâ immenſitate illas.

Ex his habes, non poſſe realem aliquam creaturarum exiſtentiam eſſe rationem, quâ à Deo intelligantur; quia non exiſtunt: at dato etiam quòd exiſterent, non ob id hæc realis exiſtentia poſſet eſſe ratio, vt primò intelligerentur à Deo. Ratio eſt, ex dictis quæſtione præcedenti, quia priùs ſupponuntur cognitæ in omnipotentia, & Ideis, vt ait Ribas *t.4. d.5.cap.2.* Vaſquez *d.64.cap.3.*

115 Præterea Deus cognoſcit res futuras, vt futuræ ſunt, & obiectum præſcientiæ, vt conſtat. Ergo eas cognoſcit, vt futuras, etiam præciſâ præſentiâ rerum in æternitate, etiam ſi exiſterent in ea, vt arguit S. Bonau. *d.30. loc. cit.* & poſt eum Scotus, & Faber *num.33.*

116 Probatvr etiam ratione S.D. *d.35 q 1.in corpore*, Deum diſtinctè cognoſcere res futuras, abſque præſentia in æternitate, quia res futuræ ideò præſentes ſunt æternitati, quia futuræ ſunt: nam ea, quæ non ſunt futura, vel annihilata ſunt, non coëxiſtunt æternitati, vt cogitur concedere Nazarius §. *Reſpondetur admiſſo conſequente.* Tunc igitur arguit S. Bonau. Vnaquæque res diſtinctè producitur, & ad productionem deſtinatur, quia diſtinctè cognoſcitur: Ergò res futuræ, priuſquam deſtinentur ad eſſe, atque adeò priuſquam valeant coëxiſtere æternitati, cognoſcuntur à Deo: Ergo ſuperflua eſſet cognitio rerum in æternitate coëxiſtentium; & nihil aliud adderet, quam cognitionem extrà egredi ad exiſtentiam rerum, quod repugnat perfecto modo, quo Deus intelligit; vt oſtendi *quæſt.præced.* Et hoc eſſet multis modis ex parte Dei, & mutabiliter cognoſcere creaturas contra SS. Dionyſium, & Auguſtinum *ibi* adductos in calce quæſt. & ſic quodammodo haurire cognitionem à præſentia rerum. Vnde vileſceret cognitio Dei, vt oſtendit S.Bonau. *d.39. quæſt.1. primo argumento ad oppoſitum, addita reſp.* cum Ariſtotele 12. *Met.t.52.* Eodem modo arguit Fauent. *num 34.* qui alias rationes etiam affert.

117 Obiicivnt primò multos ſanctos Patres, & primò D.Aug. *l.2.ad Simplicianum*, vbi ait: *Quid enim eſt præſcientia, niſi ſcientia futurorum? Quid autem futurum eſt Deo, qui omnia ſupergreditur tempora? Si enim in Scientia res ipſas habet, non ſunt ei futura; ſed præſentes.* Vrget Nazarius alia loca Auguſt. *l.4. de Trin. cap.7.* & *l.5. cap.16.* & *l.15. cap.7.* & *in Solil. cap.26.* & *in Pſal.49.* & *l.83.qq.q.17.* Addit Hieronymum *ad Epheſ.cap.1.* Ambroſium *l.8. de fide ad Gratianum, cap.7.* Gregorium *l.2. Moral. cap.14.* & *l.4. cap.27.* & *l.9. cap.24.* & *l.12. cap.5.* & *homil. Dominica in paſſ.* Anſelmum *l. de caſu Diaboli, cap. 18. & 20.* & *in Monol. cap. 22.* & *cap.20.* & *l. de concord. præſc. & prædeſt. cap.1.* Iſidorum *l.1. de ſummo bono, cap.6.* Proſperum *l.1. de voc. gent. cap.24.* Gloſſam ſuper *Pſal. 89.* Petrum Dam. *epiſt. 4. de omnipotentia, Dei cap.8.* Richardum de S.V. *l.2. de Trinit. cap. 23.* Addunt alij Bedam *l. qq. quæſt.13.* Gloſſam *in 2. Petri*, vlt. ad ea verba: *Mille anni, ſicut dies vnus.*

Respondet S. Bonau. *d. 39. quæſt. vlt. ad 1.* Sanctos Patres negare de Deo præſcientiam, non quia cenſeant omnia eſſe realiter præſentia; ſed quia Dei cognitio infinita non eſt compoſita, aut perfecta aduentu rerum, ſed ſimpliciſſimo intuitu extenditur ad omnia remotiſſima futura; & ità cognitio Dei, æternitate menſurata, omnia habet præſentia obiectiuè, neque fit clarior aduentu rerum; ſicuti, ſi Deus in me ſeruaret ſpeciem Solis viſi occidui, iam non perficeretur mea viſio Solis nouo ortu. Et ita ſonant verba S. Auguſt. Alij verò Patres, præcipuè Ambroſius, volunt, Deum eodem modo cognoſcere præterita, præſentia, & futura; non ex parte cogniti, vt dixi cum D.Bonau. *d.39. art.2. quæſt.2.* ſed ex parte cognitionis Dei. Præſcientiam verò à Deo remouent, vt eſt præſcientia quædam apud nos imperfecta; quæ poſtea præſente obiecto elucidatur. Alij verò dicunt, omnia eſſe præſentia Deo in æternitate, quæ eſt duratio Dei, non tranſiens in præteritum; ſed tota ſimul; ac proptereà omnia Deo eſſe præſentia, quia cognoſcuntur cognitione æterna. Vnde D. Gregorius ait: *Nam, & quæcumque ſunt, non ab æternitate ideò videntur, quia ſunt, ſed ideò ſunt, quia videntur.* Quæ verba adeò præclarè noſtram ſententiam à tricis explicant, vt nihil addendum ſit. Itaque veritas rei, ſimul cum entitate rerum, attingitur à Deo ab æterno, vt ait S.Bonau. *d.39. quæſt.1.ad 3.* ac proindè omnia ſunt præſentia obiectiuè; non realiter. Ità reſpondet etiam Scotus, & alij. Vnde D. Auguſt. apud D. Bonau. *d.39.q. vlt. fund.2.* ait: *In veritate, quæ manet, præteritum, & futurum non inuenio.*

118 Vrget Aluarez *l.2. de auxil. d.8.* locum D.Aug. *è Soliloq.* non admittere noſtras reſponſiones, nam *cap. 26.* ait: *Quod ego, per ſucceſſus dierum, & temporalium, hinc ad mille annos huius temporalitatis, expecto; nonne in conſpectu æternitatis tuæ iam factum eſt; & quod futurum eſt, iam factum eſt.* Hæc verba de præſentia obiectiua non ſunt. Alium locum adducit Nauaret. *contro. 52. §. 2. concl. 3.* & *ſerm. 11. D. Auguſt. de verb. Domini*, vbi ait: *Elegit nos ante conſtitutionem mundi, Epheſ.1. Non vanè elegit nos, quos ab æterno habuit in ſua præſcientia, & ſua præſentia.* Ideſt (ait Nauaret.) obiectiuè, & realiter.

Respondetvr cum D.Bonau. ſuprà, Patres loqui de præſentia obiectiua, quæ adeò perfecta eſt, ac ſi res eſſent præſentes. Non enim eſt Dei præſcientia, ſicut noſtra obſcura, quæ rerum aduentu clareſcit. Et hoc è verbis eorum euidenter oſtendit Faſolus *dub.5.* non negant verò præſcientiam, quatenus dicit futuritionem rerum; alioqui negaſſent etiam prædeſtinationem, quæ vnâ cum præſcientia incedit, vt dicitur Rom.8. *Quos præſciuit, & prædeſtinauit.* Itaque D. Aug. *l. adducto* ab Aluarez, ſolùm exprimit perfectionem præſentiæ obiectiuæ; ac ſi res eſſent factæ. Quòd enim realem præſentiam rerum non admittat in æternitate, probatur ex *l.12. de ciu. cap.25.* vbi ait: *Et ſi potentiam ſuam, vt ità dicam, fabricatoriam rebus ſubtrahat, ita non erunt, ſicut antequam fierent, non fuerunt; ſed ante dico æternitate, non tempore.* Quibus verbis indicat; res antequam fierent, non fuiſſe Deo præſentes in æternitate, vt optimè obſeruant Vaſquez, & Maſtrius.

119 Alter locus à Nauareto adductus, non adducitur fideliter, vt Faſolus aduertit; nam ibi S. Auguſt. ait: *Habet Deus electos apud ſeipſum, non in natura ſua, ſed in præſcientia ſua.* Quæ verba potiùs negant realem rerum præſentiam.

Obiicivnt ſecundò. Æternitas eſt duratio indiuiſibilis ſimpliciter infinita, & tota ſimul, quæ ſine aliqua ſucceſſione continet omnia tempora. Ergo omnia futura ſunt illi actu præſentia. Conſeq. probatur; alioqui non contineret indiuiſibiliter, & ſine ſucceſſione omnes differentias temporum; ſiquidem aliquando eſſet præſens alicui rei temporali, cui antea non erat præſens. Hanc rationem valdè vrgent Bannes, Nazar. ſuprà, Gonzales *d.43.* Nauaret. *contro.52.* Cabrera *tom.3. in 3. p.quæſt.62. art.1. diſp.13.* & alij Thomiſtæ.

120 Respondetvr ex D. Bonau. *d.39. quaeſt. vlt. in reſol.* Deum in ſua menſura ſimpliciſſima infinita includere omnia tempora virtualiter; ſicut immenſitas complectitur omnia loca; & ità omnia quidem entia, & loca actu exiſtentia complectitur immenſitas actu: ea verò, quæ poſſent fieri, includit virtute, ſeu virtuali expanſione, vt dixi *diſp.7. quaeſt.7.* ſic æternitas ſimpliciſſimo ſuo, & infinito ſinu complectitur tempora, ſed ad modum, quo poſſunt recipi, ideſt ſucceſſiuè, provt aduenriunt, ſucceſſione ſe tenente ex parte rerum; ſicuti ſi per punctum in centro pilæ deducas lineam ſucceſſiuè ſtante puncto, & complectente immobiliter ex parte ſua lineæ tranſeuntis partes omnes; quam ſimilitudinem reprehendit Gonzales, eò quòd non explicat infinitatem æternitatis. Fateor explicare ſolùm quomodo tempus ſucceſſiuè tranſeat per punctum æternitatis; neque verò æternitas ità eſt infinita, vt putat Gonzales, & alij, modo materiali complectens formaliter omnia ſucceſſiua; ſed ſolùm virtualiter. Hinc verò inducunt abſurdum ſequi, quod aliqua eſſent præterita æternitati: aliqua futura. Sed concedo, aliqua eſſe talia, non eo ipſo eſſe intrinſeco æternitatis; ſed extrinſecè.

121 Contra reſponſionem arguunt Gonzales, & Cabrera. Implicat quòd æternitas incipiat in tempore continere aliquid, quod ab æterno non continebat, quia tunc ab æterno non attingeret omnes differentias durationum; & ità non eſſet ſimpliciter infinita in genere durationis. Præterea ei aliquid accreſceret in tempore.

Respondetvr cum D. Bonau. ſuprà, implicare, æternitatem, nouam virtutem accipere ad continendum; & aliquid virtualiter de nouo continere; non implicat autem aliquid ei addi formaliter extrinſecè; ſicut implicat aliquid virtuale addi immenſitati; at non implicat addi aliquid formaliter extrinſecè contentum. Sic enim mundus de nouo creatus, impletur de nouo à Deo; & idem mundus creatus cæpit addi potentiæ operanti, vt notat D. Bonau. *in 2.d.1. art.3. quaeſt.1.* & Verbo addita eſt nouiter humanitas vnita, vt habet *in 3.d.1. quaeſt.2.* Si igitur aliquid additum eſt de nouo immenſitati, potentiæ, & Verbo; cur negabunt addi æternitati extrinſecè? Inſtat Nazar. Si æternitas cæpiſſet in tempore continere alias durationes inferiores, quas non continebat, daretur in æternitate ſucceſſio.

122 Respondetvr, dari ſucceſſionem extrinſecè, quatenus per eam extrinſecè tranſit tempus, cum temporalibus. Quare ſucceſſio eſt in partibus temporis: æternitas verò ſucceſſionem habet in virtute continendi omnes durationes, ſucceſſiuè fluentes; ſed permanens abſque priori, & poſteriori, ad quam reducitur prius, & poſterius temporis, vt vt notat D. Bonauent. *in 2. d. 2. p. 1. quaeſt. 3. ad 5.*

Obiiciunt tertiò. Ità ſe habent res creatæ ad æternitatem, ſicut lineæ ad centrum, ſed lineæ, licèt diſtent inter ſe; tamen à centro non diſtant. Ergo. Aliud ſimile affert è D. Thom. *p.1. quaeſt.14. art.3. ad 3.* Qui vadit per viam, non videt venientes poſt ſe, at, qui è ſpeculo videt; videt ſimul omnes tranſeuntes per viam: ità & nobis, qui cognouimus futura contingentia, vt talia ſunt, certa eſſe non poſſunt; ſed ſoli Deo, cui è ſpeculo æternitatis omnia ſunt præclara.

123 Respondetvr, diſſimilem eſſe rationem, ex dictis, nam lineæ ſunt omnes præſentes, & vnà permanentes in centro fixæ ſtant; at verò res fluentes non ſunt ſimul in centro. Ità reſpondet etiam Scotus *d.39. in fine.* Ad alteram ſimilitudinem reſpondetur cum D. Bonau. *1. d.4. art.2. quaeſt.1.* argui ſolam præſentiam obiectiuam; non enim ſpeculo præſentes ſunt; qui ſunt tranſituri. Quicquid dicat Gonzales.

Obiiciunt quartò. Omnia loca, quantumuis inter ſe diſtantia, ſunt præſentia immenſitati. Ergo & tempora æternitati. Confirmatur; ſicut animæ rationali omnia membra; & ſi diſtantia, ſunt præſentia: Ergò & res temporales æternitati.

124 Respondetvr ex fundamento D. Bonau. ſuprà. Omnia loca actu exiſtentia, eſſe immenſitati præſentia. Et eodem ferè modo entia durantia æternitati. Sic & partes corporis coëxiſtunt animæ, quia exiſtunt; non ſic tempora æternitati coëxiſtere poſſunt, cum non exiſtant in ſe, vt ſuprà oſtenſum eſt.

Obiicivnt quintò Multipliciter ex Diuinæ cognitionis infinita perfectione. Primò, menſura Diuinæ cognitionis eſt æternitas. Ergo nihil poteſt à Deo cognoſci, niſi ſit præſens in æternitate. Secundò, quia Deus non poteſt cognoſcere res futuras, vt futuras; alioqui quando fiunt cognoſceret eas nouo modo accepto à rebus. Tertiò, cognitio Dei eſt intuitiua: Ergo rerum præſentium. Sed hæc eſt æterna. Ergo.

125 Reſpondetur cum D. Bonau. *d.39. quaeſt. vlt.* neg. primam conſequentiam, quia licèt menſura cognitionis ſit æternitas; non eſt tamen menſura obiecti cogniti, ſecundùm eſſe reale illius. Itaque Deus omnia præſentiſſimè cognoſcit, quia præſens diuinæ cognitionis, eſt præſens ſimpliciſſimum, quod complectitur omnia tempora. Non tamen infertur præſentia realis obiectorum ex eorum præſentia obiectiua.

Itaqve dico ad Secundum, Deum non cognoſcere rem aliquam, vt ſibi futuram obiectiuè, licèt verè ſecundùm eſſe reale futura ſit. Quod verò dicunt fore, vt poſtea, dum res fit, nouo modo cognoſceretur. Dico, idem ſequi contra eos, qui concedunt, rem in tempore fieri. Ergo facta incipiet nouo modo apparere Dei intellectui. Non variatur ergo Dei cognitio, vt notat S. D. *d.35. quaeſt.1. & ſeq.* quia videt res futuras in ſuis Ideis, cum omnibus circumſtantiis loci, temporis, &c. Itaque dum fiunt, non inſurgit in Deo noua cognitio. Ad Tertium dico cum S. D. *fund. 3. & corpore*, cognitionem Dei eſſe intuitiuam perfectiſſimam; ac proinde habere res præſentiſſimas obiectiuè, quia infinita luce intellectus, omnia, etiam remotiſſimè futura, præſenter intuetur. Ad cognitionem enim intuitiuam non eſt neceſſe præſentia materialis obiecti, ſed ſufficit præſentia obiecti, vt obiectum eſt, vt elicio è D. Bonau. *in corpore.* Et hoc ſoluit omnia.

126 Obiicivnt ſextò diſtruendo noſtrum fundamentum, (vt credunt) quod eſt, Non poſſe res coëxiſtere æternitati, menſuræ extrinſecæ; niſi priùs ſint exiſtentes in propria menſura. Primò arguunt, quia æternitatis menſura, eſt prior menſurâ temporis, quippè vniuerſalior, & continet tempus, & menſurat res immediatè, independenter à tempore. Præterea, res eſſe in tempore, non eſt ratio formalis, neque conditio neceſſaria, vt res menſurentur æternitate.

Reſpondetur ex dictis, hæc procedere ex noſtri fundamenti ignoratione. Nos enim ſcimus, & fatemur, æternitatem eſſe priorem ad ſuum intrinſecum menſuratum, atque independentem à tempore; attamen, vt res menſurentur æternitate, debent eſſe à

parte

parte rei, quamuis enim æternitas habeat à ſe independenter virtutem menſurandi in actu primo; attamen menſurari non poteſt res, non exiſtens. Sicuti vlna Geometrica, ſi fuiſſet creata ante mundum, haberet virtutem menſurandi; attamen res futuræ, puta ligna, lapides, agri non poſſunt menſurari, niſi poſtquam coëxiſterent vlnæ. Quæ luce clariora ſunt. His reſponſionibus ferè vtuntur Scotus cum aſſeclis, inter quos latè Maſtrius, & Faber, cum Valentia, Vaſquez & reliquis enitent.

QVÆSTIO VII.

Quo pacto Deus cognoſcat certò futura contingentia.

IAM vidimus *quæſt.* 3. futura omnia à Deo certè cognoſci, & multis probauimus argumentis, cum D. Bonau. *d.* 39. *quæſt.* 1. & 2. præcipuè verò ea ratione, qua vtitur Scotus *d.* 39. *p.* 2. *quæſt.* apud Fabrum *d.* 54. *cap.* 8. quia Primum ens debet habere omnem perfectionem. Ergo & cognitionem omnium ſecundum exiſtentiam.

QVÆSTIO autem vrget: Quomodo Deus futura certò cognoſcat. Equidem exploſi ſeorſim modum illum Thomiſtarum, *quæſt. præced.* quia longiorem exigebat diſputationem; nunc autem alij modi ſunt diſcutiendi.

127 ET quidem è futuris alia ſunt neceſſaria: alia contingentia. E contingentibus alia, quorum contingentia pendet ab impedimentis cauſarum naturalium, vt euentus pluuiæ, vel tempeſtatis: alia, quæ habent contingentiam à libero arbitrio, ſiue Dei, vt futura creatio; vel à noſtra libertate; vt Petri culpa; vel conuerſio. Et quò ad omnes priores contingentias ſimul, & neceſſitatem, certum eſt in voluntate ſua, Deum illas poſſe certiſſimè præcognoſcere, vt habet S. Bonau. *d.* 38. *quæſt.* 1. & in determinatione etiam vltimæ cauſæ, ex decreto Dei certiſſimè cognoſcuntur.

Quæſtio ergo vrget præcipuè de vltimo genere contingentium ex noſtra libertate; quo pacto videantur certò à Deo.

NOMINALES è fide confitentes, Deum certò hæc ſcire, vt habetur *Iſa.* 41. *Eccl.* 23. & 29. (hoc enim negare hæreticum eſt.) Ideò S. Auguſt. 5. *de ciu. cap.* 9. increpat Ciceronem, qui id negauit timens, ne libertas noſtra temerata iaceret, eumque carpit, dicens: *Dum voluit homines facere liberos; fecit ſacrilegos.* Quod etiam probat 13. *de Trin. cap.* 7. & *ſeq. lib.* 5. *de Geneſ. ad litt. cap.* 15. cum Tertulliano *l.* 2. *cont. Marcionem*, *cap.* 5. Anſelmo *de præſcientia, & prædeſt. cap* 1. Fulgentio *de fide ad Petrum, cap.* 31. & 33. & aliis Patribus, negarunt, medio aliquo rationum id poſſe oſtendi; ſed ſola nos fide niti. Allegantur Ocham 1. *d.* 38. *quæſt. vn. N.* Gabr. *ibi quæſt. vn. art.* 1. Gregorius *quæſt.* 2. *art.* 2. Marſil. 1. *q.* 40. Profectò Gregorius efficaciſſimis rationibus probat, propoſitiones de futuris contingentibus, eſſe determinatè veras: quod demonſtrabo *quæſt.* 8.

128. CATAANIS eſt primus modus, futura contingentia videri à Deo in diſpoſitione cauſæ proximæ, id eſt liberi arbitrij creati, à quo talibus circumſtantiis conſtituto, & non impedito certum eſt, effectum contingentem proditurum. Ità Bannes *p.* 1. *quæſt.* 14. *art.* 13. vbi ait, quod, etiamſi Deus non haberet futura contingentia in æternitate præſentia, adhuc ea cognoſceret in ſuis cauſis proximis, ſic diſpoſitis, Aluarez *l.* 2. *de auxil. d.* 12. Cabrera *tom.* 1. *in* 3. *p. q.* 1. *art.* 3. *diſp.* 2. Gonzal. *d.* 44. Nazar. *ibidem*, *contron.* 2. Ripa *dub.* 1. *cap.* 4. & alij Thomiſtæ, Molina *p.* 1. *quæſt.* 14. *art.* 13. *d.* 14. Argent. *p. d.* 39. & 40. Durand. 1. *d.* 38. *quæſt.* 3. Morand. *tract.* 3. *quæſt.* 5. Hanc verò ſententiam confutare nituntur communiter extra Scholam D. Th. præcipuè Fauent. 1. *d.* 54. *cap.* 1. Vulpes *tom.* 2. *p.* 1. *d.* 30. *art.* 6. Smiſing. *tract.* 3. *d.* 2. *q.* 4. *num.* 76. Faſol. *p.* 1. *quæſt.* 14. *art.* 13. *dub.* 9. Arriaga *d.* 20. *ſect.* 3. *num.* 18. Auerſa *quæſt.* 14. *ſect.* 17. Amicus *d.* 12. *ſect.* 6. Suarez *l.* 1. *opuſc.* & alij.

SECVNDVS modus dicendi eſt, Deum certò cognoſcere futura contingentia in ſola efficacia ſuæ præſcientiæ, quæ ſicut eſt cauſa rerum, ità eſt cauſa cognoſcibilitatis earum. Tribuitur Palatio 1. *d.* 38. *quæſt.* 1. quam opinionem refellunt Faber *d.* 54. *cap.* 1. Vulpes *d.* 30. *art.* 7. Smiſing. *tract.* 3. *d.* 2. *num.* 68. Eam verò ſeorſim refellam *quæſt.* 9. 129

TERTIVS modus eſt, Deum cognoſcere omnia futura contingentia infallibiliter in ſuis Ideis. Huius ſententiæ præfertur anteſignanus D. Bonau. *d.* 39. *art.* 2. *quæſt.* 3. Sequuntur Marcus noſter *quæſt.* 14. *art.* 4. *d.* 1. Thomiſtæ: Capreol. 1. *d.* 38. *quæſt.* 1. *art.* 2. Caiet. *p.* 1. *quæſt.* 15. *art.* 13. Bannes §. 1. *concl.* 4. Zumel. *d.* 8. *concl.* 5. & 6. Pennotus *in ſuo Propugnaculo l.* 3. *cap.* 10. Aluarez *l.* 2. *de auxil. d.* 14. Molina *d.* 14. & 15. Nauarret. *contron.* 52. §. 6. *concl.* 12. Nazar. *contron.* 2. *concl.* 5. Hanc verò opinionem impugnat Scotus 1. *d.* 39. *art.* 2. *quæſt.* 3. vbi Lichet. Bargius, Vigerius, Tart. Poſnan. & alij expoſitores. Faber *d.* 54. *cap.* 2. Vulpes *d.* 30. *art.* 5. Smiſing. *l. cit. num.* 64. Suarez *opuſc. de Scientia, cap.* 4. Vaſquez *d.* 65. *cap.* 1. Faſol. *quæſt.* 14. *art.* 13. *dub.* 10. Auerſa *ſect.* 18. Arriaga *d.* 20. *ſect.* 3. *ſubſect.* 3. Becan. *p.* 1. *tract.* 1. *cap.* 10. *quæſt.* 8. Turrian. *opuſc.* 4. *d.* 1. *dub.* 3. Albertin. *tom.* 1. *fol.* 283. & alij antiquiores Scotiſtæ, & Nominales, Mairo 1. *d.* 38. *quæſt.* 1. Baſſol. *quæſt. vn.* Aureol. 1. *d.* 38. *quæſt. vn. art.* 1. Gregor. *quæſt.* 2. *art.* 2. Gabr. *quæſt. vn. art.* 2.

QVARTVS modus eſt, Deum ex parte obiecti requirere ſolam veritatem obiecti; & ex parte intellectûs infinitam perfectionem. Eſt communis Doctorum Societatis Ieſu; qui licèt comparatione rerum, quæ immediatè à Deo producuntur, certitudinem diuinæ præſcientiæ petendam dicant ex decreto præuiſſo Diuinæ voluntatis; attamen comparatione eorum, quæ à Deo fiunt interuentu cauſarum ſecundarum, præſertim liberè agentium, de quibus eſt præſens controuerſia; contendunt, peti non poſſe, niſi ex altitudine Diuini intellectus, & ex veritate determinata futurorum contingentium in ſeipſis; ità videntur velle ante omnem actum Diuinæ voluntatis in ſe certò ſcire poſſe, quid ex cauſis creatis determinatè futurum ſit in quolibet rerum ordine; ex hypotheſi, quod Deus velit cum eis agere per quandam ſcientiam, quam dicunt mediam, decretum Diuinæ voluntatis antecedentem. Pro hoc dicendi modo allegantur Molina *p.* 1. *quæſt.* 14. *art.* 13. *d.* 14. & 16. Valentia *ead. quæſt. p.* 5. Becan. *p.* 1. *tract.* 1. *cap.* 10. *quæſt.* 9. & 11. Vaſquez *d.* 65. *cap.* 4. Suar. *opuſc. de ſcientia futurorum*, *l.* 1. *cap.* 8. Arriaga *tract. de Scientia Dei*, *d.* 20. *ſect.* 4. Amicus *d.* 22. *ſect.* 9. Faſol. *p.* 1. *quæſt.* 14. *art.* 13. *dub.* 12. vbi teſtatur eſſe omnium Theologorum ſuæ Societ. Idem docet Caſpenſ. *tract. de Scientia Dei*, *d.* 5. *ſect.* 5. *num.* 91. Arrubal *d.* 43. *cap.* 2. Auerſa *quæſt.* 14. *ſect.* 19. Mæracius *d.* 17. cum his tamen non rectè ſe miſcet Morandus *tract.* 4. *quæſt.* 5. quia ſtat cum Thomiſtis. Explicant verò Faſolus *num.* 191. & Becan. *quæſt.* 11. *concl.* 1. Senſum authorum Societatis eſſe, vt futura determinata cognoſcantur 130

certò

certò à Deo ex duplici capite, nempè ex infinita luce intellectus Diuini; & ex determinata veritate contingentium, quæ in conditionatis non ſupponit vllum decretum Diuinæ voluntatis; in abſolutis autem ſupponit. Res enim non eſſent futuræ, niſi Deus decreuiſſet eas producere vel per ſe, vel per cauſas ſecundas. Vnde fit, vt hæc veritas pendeat etiam à decreto Diuino, ſine quo res non eſſent futuræ. Non igitur negant Theologi Ieſuitæ, certam cognitionem futurotum pendere à decreto; ſed ſolùm dicunt, eam non ſufficere, neque eſſe primam radicem cognoſcendi futura libera, quod probat Suarez *cap.8. num.6.* quia decretum abſolutum ſupponit in Deo hanc ſcientiam conditionatam. Si ego hoc facio circa illum hominem, conſentiet. Si enim talis ſcientia non præiret, iam decretum præcederet vſum libertatis noſtræ, eamque deſtrueret. Quamuis autem Atriaga aſſerere videatur, decretum non eſſe neceſſarium *ſect.3. num.17.* vbi reiicit Vaſquez dicentem, futura abſoluta, ſaltem remotè, in decreto Dei poſſe cognoſci, tamen id infra admittit.

131 Sententia D. Bonau. hæc eſt in 1. *d.39 quæſt.1. fund.4. & quæſt.2. in corpore*, & *p.1. Breuil. cap.8.* rationem proximam, qua Deus videt futura contingentia incerta, certò, & infallibiliter, eſſe Infinitam perfectionem Diuini intellectus, qui eſt ſumma Lux, omnia comprehendens, intuitiſque perfectiſſimè. Et hæc eſt ratio ex parte intellectus. Ex parte verò obiecti eſſe Ideas, in quibus videt etiam indirectè mala oppoſita. Idem habet *d. 36. art. 3. quæſt.1.* & *d.39. quæſt. vlt.* Itaque intellectus Diuinus comprehendens Deum, eiuſque notitiam, & Ideas inſuper & voluntatem, & actum eius additum, videt cum Ideis, etiam voluntatis Diuinæ decretum cum præuio concurſu omnium cauſarum, quod ſanè decretum aſſerit rationem eſſe remotam *in 1. d.45. art.5. quæſt. 5. ad vlt.* videt obiectiuè præſentia ea, quæ ſunt futura, ac eorum exiſtentiam in tali differentia temporis. Hunc modum ſumptum ex infinitate Diuini intellectus, ait Vaſquez à ſe excogitatum, ac in Hiſpania, atque. Italia maximo plauſu exceptum, eumque poſtea in Scoto inueniſſe, & ab aliis etiam Theologis audiſſe vſurpatum. In cæteris verò Scholaſticis, ſe non inueniſſe de hoc quicquam.

Verum ſi D. Bonau. perlegiſſet; profectò hanc doctrinam adamuſſim ſæpè, ac ſæpius traditam inueniſſet, nihil enim in Seraphico antiquiùs, atque frequentiùs, quàm certitudinem Diuinæ cognitionis inde accipere, quia intellectus Diuinus eſt Lux infinita comprehendens totum quicquid in Deo; ſiue eſſentiam; ſiue emanationes; ſiue actus eſſentiales. Eundem modum ferè ſequitur Pennotus in ſuo Propugnaculo *l. 3. cap. 18.* Fulienſis *l. 1. cap. 11.* & alij plurimi. Eſtque ferè Scoti, & Fabri *num.40.* Ribæ *t.4.d.5. cap.7.* Oportet autem amplius explicare quomodo obiectum futurum integrum, tametſi contingens Deo certiſſimè verum obiiciatur. Deus igitur, qui primò in omnipotentia vidit omnia poſſibilia, illud videt quaſi reflexè in ſua cognitione, ſeu Ideis, quæ accedente decreto Dei fiunt exemplaria, quorum veritas eſt eadem cum eorum entitate, vt diſcurrit S. Bonau. *d.39. quæſt.1. argum.3. addito reſp.* entitas autem futura non eſt actu præſens, vt putabant Thomiſtæ; neque eſt eſſe cognitum, vt putat Scotus, quod oſtendi *quæſt. 5.* & rurſus probatur contra Fabrum *num.44.* quia ſi cognoſceret Deus in eſſe cognito futuras res; ſanè eas cognoſceret iam priùs cognitas futuras. Itaque hæc veritas non eſt eſſe cognitum veritatis earum, ſed eſt, eſſe futurum in exemplari, in quo voluntas Diuina diſpoſitis cauſis liberis, & conſentientibus, decreuit rem illam futuram. Intellectus igitur Dei infinitè comprehenſiuus, hæc ſimplici obtutu videns, cognoſcit certò futura. Hoc ferè modo explicat Suar. ſuprà *cap. 8. num. 1.* Vaſquez *cap.2. & 4.* Tannerus *d 2. quæſt.8. dub.7. num.9.* & alij, licèt Ideas omittentes, & impugnantes; ſolum exemplar in decreto Dei cum Scoto accipiant, quod rem poſſibilem in Ideis, & potentia ſupponit; & futuram exprimit. Eam ferè ſequitur Trigoſius *quæſt. 10. art.4. dub.2. concl. 2. & 3.* Becan. de Scientia Dei *cap. 10. quæſt. 6.* Macedo *coll. 10. diſt.1. ſect.4.*

Assero primò, Deum non videre futura contingentia in cauſis eorum.

Probatvr à Fabro *num.5.* Maſtrio *num.74.* & 132
aliis. Cauſa libera, quamuis proximè diſpoſita ad agendum, ſemper eſt indifferens, & cum dominio in oppoſitam partem flectendi. Ergo implicat in ea, quamuis diſpoſita, cognoſci effectum futurum infallibiliter. Quæro enim. Vel hæc determinatio cauſarum, in qua videntur effectus contingentes eſt aliquid præcedens effectum, & determinans voluntatem; & hoc non; quia non videretur effectus contingens; ſed neceſſarius: vel illa determinatio eſt aliquid præuium volontatis, ſinens adhuc eam indeterminatam in ſe; & tunc videretur certò effectus; ſed adhuc contingens, & indifferens. Hoc arguit S. Bonau. *d.38. art.5. quæſt.5. in corpore*, vbi ait. Si actus diuinæ præcognitionis pendet ex futuro; tunc, cùm in futuro, quantum eſt ex parte rei contingentis, nulla ſit certitudo, nec in Diuina præcognitione erit.

Reſpondent Bannes, Zumellus, & alij Thomiſtæ, 133
voluntatem proximè determinari à iudicio intellectus practico de proſecutione obiecti: inſuper prædeterminari ex antecedente Dei Phyſica motione, quæ tamen non aufert libertatem, quia, licèt in ſenſu compoſito nequeat voluntas, ſtante tali motione, aliter facere; tamen poteſt in ſenſu diuiſo, præſcindendo à tali motione. Hæc eſt famoſa illa opinio Thomiſtarum, Deum in tempore prædeterminare cauſas tàm naturales, quàm liberas ad earum effectus, proximè educendos; & ità etiam ab æterno prædeterminaſſe. Ità Aluarez *l.5. de auxil. d.7.* & *l.1. reſponſionum, cap.1.* Riſpolus *l.1. quæſt.5. concl.1.* Verdu *in relect. contra ſcientiam mediam.* Cabrera *tom.1. in 3. p. quæſt.1. art.3. d.1.* & alij paſſim *in p.1. quæſt.14. art.13.* Zumel. *d. 8.* Nauarret. *controu.56.* Ripa *dub.4. cap.1.* Nazar. *controu.1.* Macbin. *d.34.* Gonzal. *d.44. ſect.3.* & *d.45.* Hanc tamen non eſſe D. Thom. ſententiam inde colligit Pennotus *l. 3. Propugnaculi cap.53.* quia D. Thom. ſæpius elaborans ſedulò, vt rationem certitudinis Scientiæ Dei de futuris contingentibus redderet, nunquam ad hoc decretum recurrit, cùm tamen in promptu haberet hanc reddere rationem; multò minùs Seraphicus de hoc moſſitat. Ex quo fit, neutrum tenuiſſe, prædeterminationem illam, de qua 1.2. *tract. de Gratia, d.1. quæſt. 3.* De quæſtione verò illa. An voluntas determinetur à iudicio practico; agam 5.5. *tract. 1. d.13. quæſt.1.* vbi partem negatiuam comprobabo.

Interim verò prædeterminationem illam ab omnibus extra Scholam D. Th. reiectam ſic elido. Nam, 134
licèt in ſenſu diuiſo, ideſt præciſa illa præmotione ſaluetur libertas remotè; attamen poſita illa præmotione efficaci phyſica, impeditur libertatis vſus, qui debet

etisra

etiam in ſenſu compoſito, poſitis omnibus requiſitis ad agendum permanere.

Reſponſio verò trita Thomiſtarum, concurſum primæ cauſæ eſſe ſuauem, atque ideò non lædere libertatem, non eſt ſolida; nam præmotio efficax phyſica antecedens liberum arbitrium impedit, ne poſſit in alteram partem verti, omnemque ei adimit indifferentiam, vt aduertunt communiter.

135 PRÆTEREA ego ſic arguo. Determinatio voluntatis ad vnum in ſenſu diuiſo, tollit libertatem per vos; at veſtra prædeterminatio determinat voluntatem in ſenſu diuiſo. Mi: probatur. Illa eſt determinatio in ſenſu diuiſo, quæ fit à Deo ſolo; talis eſt hæc. Nam, libero arbitrio adhuc nihil agente, Deus prædeterminat illud: Ergo.

136 Præterea arguo, ratione ducta è D.Bonau. *d.*38. *art.*2. *quæſt.*1. Minùs ſe habet ſcientia Dei in ratione cauſæ ad violandum liberum arbitrium, quàm influxus cauſans, & præcedens actum liberi arbitrij, at præſcientia, ſi rerum futuritionem liberam præcederet, violaret libertatem: Ergo. Hinc rectè deducit Maſtrius *num.*76. cont. Bannem *hic*, §.3. & Nazar. *contron.* 6. §. 3. qui concedunt præſcientiam præeuntem futuritionem actuum liberorum, adimere eis libertatem; multò magis id præſtare Dei concurſum, ex legitima eorum conceſſione. Idem colligitur è D. Bonau. *d.*40. *art.*2. *quæſt.*1. maximè *ad argumenta*, vbi iterum ſuam ſententiam de certitudine præſcientiæ Dei aſtruit, vt ſuprà diximus.

QVÆ cùm ità ſint, videntes aliqui Thomiſtæ prædeterminationem phyſicam libertatis eſſe deſtructricem, ſi determinet voluntatem ad vnam partem; excogitarunt effugium, dicentes, arbitrium, etiam præmotum phyſicè, poſſe oppoſitum potentiâ reducibili ad actum, tametſi infallibiliter ſit operaturum hoc. Ita Aluarez *l.*2. *de auxil. d.*10. *ad* 3. Cabrera *tom.* 3. *in* 3. *p. quæſt.* 62. *art.*1. *d.*12. §.12. & *tom.*1. *quæſt.*18. *art.*4. *d.*2. § 8.

137 HÆc tamen reſponſio nec ſibi conſtat, nec difficultatem euacuat. Nam ſi voluntas agit, vt poſſit oppoſitum. Ergo non eſt phyſicè prædeterminata. Vel ſic, motio Dei phyſica efficax, erit inefficax, & caſſa.

Deinde, ſi tali prædeterminatione non eſt determinata voluntas ad vnam partem, ſequitur, non poſſe Deum in ea certò ſcire futurum.

Alij igitur videntes, prædeterminationem phyſicam eſſe libertati nocuam, recurrunt ad determinationem moralem; & dicunt, Deum infundere cogitationem adeò congruam, vt infallibiliter voluntas conſenſura ſit, & in hac videre infallibilem rei euentum. Ità Bellarm. *l.*4. *de gratia*, & *lib. arb. cap.*15. *ad* 6. Macbin. *d.*32. *ſect.*1. *dicto* 2. Granado *tract.*4. *d.*4 *ſect.*4. & alij.

138 VRGVM adhuc redit primum argumentum D.Bonau. quod adhuc voluntas eſt libera, & actus contingens; & ideò non poteſt eſſe obiectum certitudinis rei futuræ. Certitudo verò illa moralis non æquiparat certitudinem ſcientiæ Dei, quæ eſt neceſſaria, nec poteſt falli, vt oſtendit S.D. *d.*38. *quæſt. vlt.* & *d.*40. *quæſt.*2.

SCOTISTÆ aliqui, etſi phyſicas prædeterminationes voluntatis creatæ intrinſecas non admittant, vtpote Scoto inuiſas; admittunt tamen voluntatem in tempore prædeterminatam eſſe extrinſecè Dei decreto, atque adeò, Deum, in decreto ſuæ voluntatis determinante, immutabili, & inimpedibili, videre certò futuros actus liberos hominum viatorum. Id videtur ſentire Scotus 1. *d.*39. §.*Viſo de contingentia*, & 2. *d.*37. *quæſt.*2. §. *Contra iſtam*, & *quodlib.* 14. §.*Nunc intelligendum eſt*; & ſequuntur Sgheimma 22. *Phyſic. digreſſ.*18. *de facto*, *quæſt.*2. & 4. & alij relati à Faſolo, *quæſt.*14. *art.*13. *num.* 130. Maſtrio *d.*3. *quæſt.*3. *num.*142. Vulpe *d.*30. *art.*8. & 9 vbi probant, hanc non poſſe Scoti ſententiam, qui, cùm neget intrinſecas prædeterminationes æternas; conſequenter debet extrinſecas etiam recuſare in tempore, quia Deus eodem modo res producit in tempore, quo ab æterno decreuit. Itaque non poteſt admittere, Deum ab æterno prædeterminare actus noſtræ voluntatis; alioqui etiam in tempore eos prædeterminaret. Hinc infert Faber *d.* 54. *num.*41. actum non fore liberum. Tametſi magnus Macedo *Coll.*10. *diff.*2. *ſect.*6. pluribus diſtendat, aſtrui à Scoto decretum hoc eſſe antecedens, & textibus obtuat negantes.

Quoniam verò res grauis eſt, ſolidatur Scripturis, & Patrum teſtimoniis, validiſque argumentis, vt leges in Faſolo *p.*1. *quæſt.*14. *art.*13. *d.*17. Vnicum aſſumo oſtendens, extrinſecam prædeterminationem æternam, non eſſe medium aptum ad cognoſcendos euentus futuros humanæ voluntatis.

SVPPONO autem ſolidum illud fundamentum D. Auguſtini 5. *de ciu. cap.*10. & Anſelmi *l. de concord. cap.*1. & 2. & *l. Cur Deus homo*, *cap.*18. duplicem eſſe neceſſitatem. Altera eſt, quæ antecedit noſtram voluntatem, & eam ſubiicit, & eſt cauſa: altera, quæ noſtram comitatur voluntatem, & in eius eſt libera poteſtate, à qua hæc neceſſitas inducitur, vt ſi ſedeo, induco neceſſitatem conſequentiæ, ex ſuppoſitione quòd ſedeo, neceſſariò me ſedere. Et quidem prior neceſſitas libertatem tollit; & ideò dicitur antecedens: altera non lædit, & dicitur neceſſitas conſequentiæ. Vocantur etiam, altera conſequentis: altera conſequentiæ. Neque verò S. Auguſt. ſolam neceſſitatem naturalem vocat antecedentem, & libero arbitrio noxiam, vt vellet Aluarez, *l.*1. *de auxil. d.*7. *num.*16. Sed omnem neceſſitatem, quæ non ſit in noſtra poteſtate, vt oſtendit Valdenſis, *l.*1. *cap.*25. *num.*7. & *cap.*28. *num.*7. è D.Auguſt. *l.*3. *de lib. arb. cap.*3. dicente, in tantum aliquid eſſe in noſtra libertate; in quantum eſt in poteſtate noſtræ voluntatis. Itaque plurimi Thomiſtæ hoc fundamentum non reſpuunt ob tantorum PP. authoritatem, quibus ſubſcribit Nazarius *art.*13. *contron.*6. *notab.*2. 139

HOC eſt Seraphici fundamentum, vbique fixum: *in* 1. *d.*38. *quæſt.*1. & *art.*2. *quæſt.*1. *d.*47. *quæſt.*1. Ideò *in* 2. *d.*7. *p.*1. *art.*2. *quæſt.*2. *ad* 3. opponit liberè velle; & neceſſariò velle, quod de neceſſitate quauis antecedente intelligit. 140

Et *in* 3. *d.*12. *art.*2. *quæſt.*1. *ad* 5. neceſſitatem omnem, quæ non ſubeſt voluntati, & extrinſecus aduenit, vocat *coactionis*, & libertatis noſtræ inimicam, nulla ratione cum eâ compoſſibilem.

Et *in* 2. *diſt.*14. *p.*1. *art.*3. *quæſt.*2. *ad* 5. docet, neceſſarium id eſſe, quod non pendet à voluntario.

Et *d.*30. *q.*2. *ad* 6. ait, Nullum neceſſarium eſſe voluntarium. Loquitur verò de neceſſario antecedenter.

Et *d.*25. *p.*1. *quæſt.*2. *ad* 4. docet, neceſſarium non modo cogens; ſed etiam infallibiliter determinans, opponi voluntario contingenti.

HINC formo vnicum argumentum tanti ponderis, vt Leſſius *de gratia*, *cap.*3. *num.*11. & cum eo Maſtrius à Meldula, eruditiſſimi, meritò dixerint, Si hæc ratio non conuincit, hoc negotium libertatis eſt inter fidei myſteria obſcuriſſimum. Et addit Maſtrius, libertatem noſtram, vel ſolo nomine gaudere libertatis, vel inexplicabilem in viâ. Eſt autem ratio D.Bonau. 1. *d.*38. *q.*1. & *d.*47. *quæſt.*1. Neceſſitas antecedens 141

non, eſt in poteſtate noſtræ voluntatis, eiuſque temerat libertatem; at decretum voluntatis Dei prædeterminans actus noſtros imponit neceſſitatem antecedentem actibus noſtris. Ergo. Ma: eſt Sanctorum PP. Mi: probatur. Id quod ſe habet, vt cauſa determinans ad vnum, imponit neceſſitatem immutabilitatis. Tale eſt decretum determinans: Ergo.

Plvrima effugia huic iaculo intentaruna aduerſarij. Primò aliqui reſpondent, actus voluntatis euadere neceſſarios, neceſſitate ſolà infallibilitatis in ſenſu compoſito, ſtante tali prædeterminatione; non autem in ſenſu diuiſo, illà remotà.

142 Vervm contra arguit S.Bonau. 1. *d.*37. *quæſt.*2. Ad noſtram libertatem ſaluandam, oportet omnem cauſalitatem, ſeu prædeterminationem Influentem auferre, & ſola illa neceſſitas admitti poteſt, quæ eſt conſequens ad ipſum decretum, quod ex hypotheſi mera determinans manet, quia eſt conſequentiæ, reſpectu liberi actus, v. g. Si erit volitum, de neceſſitate erit, vt dicit D.Anſel. *loc.cit.de Concord.* Idem vrget, *d.*47. *quæſt.*1. *in reſol.* & cum eo Maſtrius *num.*150.

Reſpondet alij, Sanctos Patres dicere, prædefinitionem per modum neceſſarij, libertatem deſtruere; non autem eam pee modum linientis, & confortantis; qualis eſt hæc.

143 Varvm Paties illi omnem præfinitionem antecedentem à libertate excludunt, quippè quæ non ſit in noſtra libera electione, vt notat D. Bonau. *omnibus allegatis locis.* Quare non eſt apta ad leniendum argumentum illa reſponſio: nam decretum non lenit, aut oleo voluntatem inungit, vt faciliùs prodeat actus; ſed determinat modo Diuino immutabili, vt notat Seraphicus, & cum eo Maſtrius *num.*151.

Hinc ruit quoque reſponſio aliorum, tolli libertatem, in ſenſu compoſito; non in ſenſu diuiſo, vt ſuprà oſtenſum, nam ſenſus compoſitus non eſt, vbi decretum antecedenter prædeterminat; eſſet verò, ſi ſimul cum voluntate liberè ſe determinante; & non ante diuiſim ageret. Senſus enim compoſitus eſt iuxta Ariſtotelem 2. *Perhiermenias*, vnde ſumptus eſt, quando componitur actus in cauſis: & ſi eſt, quando eſt, neceſſe eſt eſſe; non autem, quando non eſt, in ſenſu diuiſo.

Reſpondent alij, prædeterminationem aliarum cauſarum tollere libertatem, & de hac loqui PP. non autem cauſæ vniuerſaliſſimæ, quæ agit cum libero arbitrio aptè. Ità Aluarez *d.*22. *&* 25. & alij.

144 Vervm cauſa vniuerſaliſſima, ſi determinat actum ad vnum ante omne eſſe eius, iam non facit contingentem, ſed neceſſarium reddit illum futurum. Hinc hæretici, maximè huius temporis, ea operatione gratiæ, quæ eſt à cauſa vniuerſaliſſima inducunt neceſſitatem, & tollunt libertatem; neque tantùm errant in conſequentia. *Deus ſuà gratià prædeterminat liberum arbitrium: Ergò tollit libertatem*; vt putant aliqui; ſed in antecedente, quo poſito; ſequitur in doctrina Patrum legitimè Conſeq.

145 Respondant Thomiſtæ, & cum eis Sghemma, & aliqui Scotiſtæ; Ideò præfinitionem primæ cauſæ non tollere libertatem, quia ea dat operari modo congruo. Vnde dicitur Sap.8. *Attingens à fine vſque ad finem fortiter, ſuauiterque diſponens omnia*; Itaque quando Deus decreuit antecedenter, vt voluntas hoc, vel illud faceret, decreuit quoque modum, vt liberè faceret. Hâc doctrinâ gloriatur Sghemma, omne argumentum ruere, quod vrgeat contra Dei præfinitiones.

146 Hæc reſponſio, In qua ſibi admodum adulantur Thomiſtæ, nil vrget. Primò quidem deſtruit eorum aſſertionem. Si enim Deus abſolutè non prædeterminat, ſed ſolùm actum in poteſtate voluntatis ſemper exequendum; vbi nam eſt prædeterminatio? Profectò prædeterminatio actus mei, futuri, v g. itineris Romam verſus, efficaciter determinat me ad illud ire; & ſi potero non ire, iam determinatio Dei caſſa eſt, vt arguit S.Bonau. *d.*47. *quæſt.*1.

Reſpondet rurſus Sghemma *ea digreſſ.*18. *quæſt.*5. & Trombetta, *quæſt. de præſcientia*, *art.*4. §. *Ad hæc*; prædeterminationem naturaliter determinantem impedire libertatem, non autem liberam Dei, qui ità liberè decernit; ſicut Ego liberè exequor.

Vervm hæc reſponſio ſaluat libertatem ſolùm in cauſa prima; ſed ridiculè libertatem noſtram eludit. Quid enim meæ libertati prodeſt, quod Deus liberè antecedenter mortem mihi deſtinauerit? Profectò decretum illud iam ſtatutum, eſt determinatiuum, & immutabile, ſi abſolutum; vt notat D.Bonau. *d.*45. *q.*1. neque ſolum decretum; Imò ſola ſcientia meam tolleret ſequentem libertatem; vt notat S. D. *d.*38. *quæſt.*1. Decretum enim Dei, ſicut & præſcientia, duo dicit. Actum Dei, qui eſt ipſe Deus; & creaturas connotatas. Et in his debet ſaluari contingentia; vt non ſubeant neceſſitatem, vt arguit Seraphicus, *d.*38. *quæſt. vlt.* 147

Reſpondent denique alij, ad libertatem voluntatis ſufficere, vt intellectus repræſentet ei obiectum eligibile, vt indifferens: etiamſi non ſit Indifferentia ex parte voluntatis.

Verùm hæc reſponſio minùs vrget præcedente, 248
nam radix libertatis eſt in Ipſa voluntate, vt oſtendam, *tract.*10. *de Anima*, *d.*9. *cap.*5. *quæſt.*3. alioqui hæreticis campum cederemus, qui non iudicij indifferentiam tolli per gratiam dicunt; ſed voluntatis. Ideò Concilium Trid. libertatem noſtram in eo ponit, vt poſſimus vocationi reſiſtere, etiam efficaci, de qua erat cum hæreticis controuerſia. Sed iam alias rationes pro aſſerto afferam.

Probatvr ſecundò à S.D. *d.*35. *quæſt.*1. quia ſi 149
Deus intelligeret extrà Ideas, vt volunt aduerſarij in cauſis, contingentiam, iam egrederetur extra ſeipſum, cont. S.Dion. *cap.*7. *de diu. nom.*

Probatvr tertiò à S. D. *d.*39. *art.*2. *quæſt.*1. Si Deus cognoſceret futura in eorum cauſis, iam multis modis diuerſis ea parte ſui ipſius intelligeret; & ideò plures haberet ſcientias ea parte ſui. Sed hoc eſt falſum; nam omnia in ſeipſo, & per ſeipſum intelligit, vt habet Ariſtoteles 12. *Metaph. t.*39. & PP. allegatis *quæſt.*5. *in fine*: Ergò. Probatur ſequela. Nam res poſſibiles In ſeipſo videret; res verò contingentes futuràs extrà ſe in cauſis earum; non in ſeipſo.

Probatvr quartò à D.Bonau. *loc. cit.* *quæſt.*2. 150
quia Deus penderet in ſua ſcientia à rebus, & ſic ab eis reduceretur de potentia ad actum; perficeretur, ac proinde vileſceret, vt infert Ariſtoteles 12. *Metaph. t.*53.

Probatvr quintò à S.D. *loc. cit.* Quia ſic ſcientia Dei eſſet mutabilis. Affert S.Bonau. exemplum, quo vtuntur Scotus, & aſſeclæ, præſertim Faber *num.*41. de quo agam, *quæſt.*17. Probatur ſeq. quia, vt arguit S.D. *in corpore.* Scientia pendens ab obiecto mutabili eſt mutabilis. Talis eſt ſcientia Dei, quæ ab obiecto contingenti penderet: Ergo.

Assero ſecundò, ſolum voluntatis Diuinæ decre- 151
tum Deo non ſufficere, ad omnia futura præuidenda.

Probatvr primò à D.Bonau. *d.*35. *quæſt.*1. *corpore*, & *d.*38. *quæſt.*2. *in fundamentis.* Ea, quæ Deus non poteſt velle, non poſſunt in decreto Diuinæ voluntatis videri. Sed multa ſunt huiuſmodi, nempè peccata: Ergo.

Reſpondent communiter, Deum decreuiſſe materiale peccati, ex quo formale culpæ precognoſcitur.

Contra

CONTRA arguo è D.Bonau. *ibi*. Id, quod non eſt ordinatum ex decreto ad illud formale culpæ, non poteſt illud formale oſtendere. Sed materiale peccati non eſt ordinatum ex decreto ad formale peccati: Ergo non poteſt in decreto cognoſci. Mi: probatur, nam materiale eſt quid phyſicum, habens à Deo debitam rectitudinem, & per accidens errorium à peccatore; alioqui Deus intenderet malum, ex Scoto *in 2.d.37.* & Fabro *d.54. cap.5. num.58. & 59.* ſequitur ergò peccatum in alio videri, quàm in decreto. Hoc argumentum valdè torquet aduerſarios.

Reſpondent alij, videri formale culpæ in decreto permittendi eam.

152 Contra, quia permiſſiua voluntas non reſpicit pro obiecto effectum producendum à cauſa; ſed ſolùm potentiam cauſæ, quam vult liberam eſſe ad producendum, vel non producendum effectum; non autem vult de facto talem effectum producere; vel non producere; hoc ſiquidem ſpectat ad voluntatem Dei poſitiuam, & effectiuam. Quo fit, vt in tali voluntate permiſſiua nequeat Deus videre infallibiliter actum peccati, vt acutè arguit Maſtrius, *d.4. quæſt.3. num.50.*

HINC arguo ad hominem contra Scotiſtas, & probo, neque materiale aliquorum peccatorum, quæ mala ſunt naturâ ſuâ, & ideò vetita, poſſe à Deo cognoſci in ſuo decreto. Decretum, quod vocant voluntatem permiſſiuam, non eſt Deo ſufficiens ad actum futurum determinatè videndum, ex Maſtrio *loc. cit.* ſecundum Scotum 1. *d.* 47. *ad* 1. apud Maſtrium *loc. cit. num.*47. Sed materiale talium peccatorum eſt tantùm permiſſiuè à Deo volitum, vt habet Faber *hic*, *num.* 61. cum Scoto: Ergo.

153 PROBATVR ſecundò à D. Bonauent. *d.45. art.5. quæſt.2. ad vlt.* Illud eſt ratio adæquata videndi res futuras, quod eſt adæquata cauſa futuritionis; ſed ſolum decretum non eſt tale: Ergo. Probatur Ma: Nam ſcire, eſt rem per cauſam cognoſcere, *ex* 1. *Poſter.* Et quidem ſcientia à priori conuenit Deo. Mi: probatur. Nam requiruntur etiam aliæ cauſæ contingentes, quibus Deus ſe accommodat; neque poteſt intellectus ſcire in illo decreto, quid voluntas mea factura ſit. Cùm enim includatur in illo decreto; imò potius ſecundùm Scotum ex Fauentino, *numer.* 49. ſit ante illud, quia Deus priùs præuidens quid voluntas mea liberè ſit factura; poſtea decernit effectum contingentem, ne vim arbitrio inferat, vt ait Faber. Ergo in illo decreto non videntur res contingentes. Huc argumento vtuntur Nominales.

154 Reſpondet Fauentinus, *num.*49. libenter concedendo, ſolum decretum Diuinum non eſſe ſufficientem rationem cognoſcendi futurum contingens; ſed debere etiam videre, quid factura ſit voluntas creata: Hoc autem Deus intuetur ex infinitate intellectus ſui in Ideis, in quibus videtur, quicquid præcedit decretum, vt infrà.

DICET aliquis Deum cognoſcere in Diuina voluntate. An velit dare auxilia efficacia, per quæ liberum arbitrium euitabit peccatum.

155 Reſpondetur ex dictis, hinc tantùm haberi certitudinem moralem, quia poteſt etiam efficaci auxilio reſiſtere.

PROBATVR tertiò à D.Bonau. *d.35. quæſt.1 in corpore.* Si decretum eſt adæquata ratio Deo cognoſcendi futura; ſequitur, Deum habere aliquod medium, in via aduerſariorum, extra ſe, per quod cogatur diſcurſiuè cognoſcere futura. Conſeq. eſt abſonum: Ergo. Hoc argumento vtitur Gregorius Ariminenſis.

RESPONDET Faber, hoc medium eſſe tantum formaliter diſtinctum ab eſſentia, idemque realiter cum illa; ideò non eſſe medium diſtinctum à Deo.

CONTRA. Si hoc decretum eſt formaliter diſtinctum à Deo; ſequitur, quòd cùm liberum ſit, debeat realiter diſtinctum eſſe à Deo, qui eſt Ens ſimpliciter neceſſarium; vel ſequitur, aliquid liberum, ſeu non neceſſarium formaliter diſtinctum, eſſe in Deo idem realiter.

156 Deinde non euitatur vis argumenti. Sequitur enim, Deum extra ſe exire ad cognoſcendum quid factura ſit cauſa libera; vt ipſe cooperetur, ac tandem decernat effectum; vtrumque enim non includitur in actu decreti, vt ſuprà conceſſit Fauent.

RESPONDET Vaſquez ob id non aſſeri, decretum eſſe Deo medium ad cognoſcenda futura; ſed ideo dici, res cognoſci in decreto, quia eo poſito, ponuntur futura, quæ eo ipſo cognoſci poſſunt.

157 CONTRA. Quia, licèt ità ſit, vt poſito decreto res futuræ ſint; attamen debet decretum eſſe medium cognitionis; nam *hic* non quærimus de futuritione quoad eſſe; ſed quoad cognoſci. Quod ſi per decretum non cognoſcuntur, oportet, vt extrà, illud cognoſcat à rebus, quatenus iam futuris, quod eſt abſurdius.

Vrgent alij. Decretum ſuper Ideas, & eſſentiam, non addit, niſi nouum Ens rationis, idest reſpectum rationis ad creaturas, ſed in hoc non poteſt Deus videre futuritionem rerum: Ergo. Ma: eſt certa; alioqui cùm decretum ſit liberum, ſi adderet aliquid reale; ſequeretur, aliquid reale non neceſſarium eſſe in Deo. Mi: probatur, quia Ens rationis ſit à noſtro intellectu ex imperfectione.

158 DICAT aliquis, Deum in huiuſmodi relatione videre futura.

Contra primò. Quia ſequeretur, Deum referri ad creaturas realiter, quia ab æterno relatio rationis nulla erat à Viatoribus impoſita.

DEINDE. Vt cognoſcatur relatio debet priùs cognoſci fundamentum: at fundamentum eſt creatura iam deſtinata ad eſſe, & realiter relata ad Deum. Ergo à Deo fuit agnita creatura in eſſe futuro, priuſquam relationem perciperet. Argumentum in ſimili, eſt totum Scoti, vt vidimus, *d.12. quæſt.6.* dum arguit contra D.Thomam.

159 Reſpondet Maſtrius *d.3. quæſt.3. num.*199. Deum ſcrutari perfectè ſuam voluntatem, vt dicitur 1. *Cor.*2. Itaque ſciens ſuam voluntatem cum connotatione talis creaturæ, quam liberè voluit pro tali tempore, poteſt in eâ ſic inſpectâ videre creaturam illam liberè futuram, ex vi ſui decreti, ad quam creaturæ connotationem recurrit etiam S.Bonau. *d.38. art.2. quæſt.2.* pro hac difficultate.

160 PROBATVR quartò ad hominem. Intellectus Diuinus tantæ virtutis eſt, vt, licet per impoſſibile Deus non eſſet per potentiam, & voluntatem cauſa productiua actu rerum; ſed eæ ab alio Deo producerentur; adhuc intellectus Diuinus eas intelligeret. Ergo decretum voluntatis non eſt ratio intrinſeca, vt Deus videat futura. Anteced. eſt Scoti, & aſſeclarum, vt vidimus *q.5. ad* 1. Conſeq. eſt Scoti 1. *d.11. quæſt.2.* vbi ratione ſimili probat, Spiritum Sanctum non diſtingui à Filio per relationem ſpirationis paſſiuæ, quia etiamſi per impoſſibile, non ſpiraretur à Filio; adhuc ab eo diſtingueretur. Hoc genus argumentandi ab impoſſibilibus laudat Fauentinus *d.52. num.36.*

161 ASSERO tertiò. Deum videre futura contingentia in Ideis ex infinitate obiecti, & intellectus. Pro hoc aſſerto Faber ait, nullum haberi à D.Bonau. argumentum; ſed gratis apponi. Sed vt contrarium pateat, mox plurima ex ipſo depromam.

PROBATVR primò à S. D. *d.35. quæſt.1.* Omne agens per intellectum extrà, agit ſecundùm Ideas, ſeu exemplaria oentis, in quibus videt res faciendas. Deus eſt agens per intellectum extrà producens creaturas. Ergo in Ideis inſpicit res faciendas. Totum argumentum eſt D. Auguſt. *l.83. qq. quæſt.*46. quem allegat Seraphicus, *fund.1. & corpore.*

Reſpondent Scotiſtæ, præſertim Maſtrius, flocci pendens Ideas; artificem intueri quidem res faciendas in Ideis aliquo modo; at non dictare Ideas, quando artefactum ſit faciendum. Sic Ideas oon repræſentare Deo futuritionem rerum, quæ à voluntate libera Dei omninò pendet; nam Ideæ ſunt quid Deo naturale præcedens liberum ipſius actum. Hoc reſponſo, omnia argumenta oostra ſolo æquata elamant. Quòd ſi velimus decretum Dei Ideis commiſcere, iam nos inuitos dare ſibi dexteras dicunt; vt ait Suarez *num.*8.

162 EGO autem, ne eadem repetere cogar ſingulis argumentis; hanc doctrinam elido ſic, argumento ducto è D. Auguſtioo ſuprà. Omnis artifex perfectus habet exemplar ſecundùm ea omnia, quæ ad ſubſtantiam, & modum neceſſarium, ac prouidum rei faciendæ, ſunt neceſſaria. Hoc autem ſæpe etiam tempus includit, nedum ſubſtantiam futuritionis. Sed Deus eſt artifex infinitè perfectus. Ergo in Ideis, ſeu exemplaribus intuetur ſubſtantiam, & modum rei faciendæ neceſſarium; vt ipſe Maſtrius concedit. Ad modum autem proni.lum ſpectat locus, tempus, & cæteræ circumſtantiæ. Ergo hæc omnia in Ideis Deus intuetur. Quòd verò ad hoc interet quoque decretum Diuinæ voluntatis, non eſt cedere campum; nam D. Thom. & S. Bonau. ità exemplaria intellexerunt. Quòd verò Scotus, & aſſeclæ malè intellexerint; ipſi viderint. Nobis ſat erit, ſi D Bonau. & D. Thom. & diſcipuli Ideas acceperint, iuxta antiquam PP. acceptionem. Quod probabo. Ipſi potius Scotiſtæ ſunt corrigendi, qui, vt nobiſcum digladientur, multa in Sanctorum Doctorum ſcriptis peregrina comminiſcuntur.

163 PRIMO igitur oſtendo, Seraphici Ideas eſſe ad mentem D. Auguſt. quem allegat. Is *quæſt. allegata* ait. *Sunt namque. Ideæ principales formæ quadam, vel rationes rerum ſtabiles, & cùm ipſæ neque oriantur, neque intereant, ſecundùm eas tamen formari dicitur omne, quod oriri, & interire poteſt; & omne quod oritur, & interit. Quis autem religioſus non profiteatur, omnia, quæ ſunt, Deo authore eſſe procreata, eoque authore omnia, quæ viuere, atque vniuerſalem rerum incolumitatem, ordinemque ipſum, quo ea, quæ mutantur, ſuos temporales curſus certo moderamine celebrant, ſummi Dei legibus continerè, ee gubernatore? Singula igitur propriis ſunt creata rationibus. Has autem rationes vbi arbitrandum eſt eſſe, niſi in ipſa mente Creatoris? Non enim extra ſe quicquam poſitum intuebatur, vt ſecundùm id conſtitueret, quod conſtituebat; nam hoc opinari ſacrilegum eſt: has rerum rationes Plato appellat Ideas, quarum participatione fit, vt ſit quidquid eſt, quoquomodo eſt. Quas rationes, vt dictum eſt, ſiue Ideas, ſiue formas vocare licet.* Hæc S. Auguſt. quibus apertè aſſerit, non modò res faciendas, ſed etiam modos, tempora, loca, &c. in Ideis videri, quia perfectiſſimæ ſunt. Eadem habet *tract.1. cap. in Ioan.* Et ſanè etiao artifices creati multas habent Ideas, quibus hæc videantur. Sic qui Anphitheatra volunt extruere, Romam priùs meditantur: qui Pyramides volunt fabricare, Ægyptum conſiderant; ſimiliter qui ſuperba Mahometanorum Regum monumenta extollunt; Platanorum, Palmarumque tempus pro morientium tempore, prius ſpeculantur in Idea. Sic qui in hyeme alio modo erigunt moles, vel nocte ſpectacula, vel certamina ortu Sol is, ſingula quæque priùs animo reuoluunt.

Quod ſi quidam Theologi ſubtiliùs perpenderent, non reſtringerent Diuinas Ideas infinitas, ad illas fabrorum cæmentariorum finitas, & imperfectas. Quare miror Suarez, & Vaſquez, tanquam ad arcem, Scotum tam facilè adiiſſe.

Alij porrò etiam Patres accipiunt Ideas noſtro ſenſu. Sic D. Iuſtinus, *orat. parænetica ad Gentes*, aſſerit, Platonem decerpſiſſe Ideas, ex eo 25. Exod. *Fac ſecundum exemplar, quod tibi in monte monſtratum eſt.* Itaque Faber *num.*18. concilians Sanctos Doctores cum Scoto, potuiſſet addere Sanctos Patres. 164

Præclarè verò S. Dionyſius *cap.5. de diu. nom.* ait. *Exemplaria autem dicimus eſſe eſſentiæ rerum effectrices rationes, quæ in Deo coniunctà ante fuerunt, quas prædeſtinationes Theologia vocat, & bonas, diuinaſque voluntates earum, quæ ſunt deſinitrices, atque effectrices, ſecundum quas ſuperſubſtantialis Deus omnia prædeſtinauit, atque produxit.* Loquitur autem de Ideis, vt notat Vrinenſis, *tract.5. quæſt.2. art.3. ſect.1 num.*19. Tannerius *d.2. quæſt.11. dub.1. num.6.* vbi tamen non rectè ait, Ideò vocari voluntates Dei, quia ſine Diuina voluntate, Ideæ ad opus non veniunt. Contra enim eſt, quia vocat pluraliter *voluntates*, certè quia includunt decreta Dei plurificata, ratione rerum, productarum.

PROBATVR ſecundò à D. Bonau. *ibi in corpore.* Omnis cognitio fit per aſſimilationem, atque adeò perfecta cognitio per aſſimilationem perfectam, ità, vt cognoſcens aut habeat ſimilitudinem, aut ſit rei ſimilitudo, ſi res cognoſcenda ſit extrà. Sed Ideæ ſunt ſimilitudines rerum extrà producendarum perfectiſſimæ: Ergo. Ma: eſt Ariſtotelis paſſim; maximè *in libris de Anima.* Mi: eſt D. Auguſtini *locis adductis*, 165

PROBATVR tertiò à S. D. ibidem, argumento, quo nititur Caietanus *quæſt.14. art.13.* Eſſentia Diuina eſt ſibi ratio cognoſcendi omnia, vt ſpecies; & blaſphæmum eſt dicere, Deum cognoſcere aliquid extra ſe, ex D. Auguſt. *loc. cit.* qui infert, eſſe rationem cognoſcendi etiam, vt obiectum; alioqui ipſa, vt principium cognoſcendi, non adæquaret ſeipſam, vt obiectum repræſentans omnia. Sed hæc ratio ſunt Ideæ: Ergo. Mi: probatur argumento irrefragabili S. Auguſt. *loc. cit.* vbi ſanè, vt oſtendat, Deum omnia futura facienda perfectiſſimè io Ideis ſuis intueri, ait. *Non enim extra ſe quicquam poſitum intuebatur, vt ſecundum id conſtitueret, quod conſtituebat: nam hoc opinari ſacrilegum eſt.* Infert igitur. Si io Ideia Deus non videret perfectiſſimè futura; cogeretur exire extrà, quod dicere, eſt ſacrilegium. Hoc argumentum redigitur *ad quæſt.5.* 166

Reſpondet Faber, falſum eſſe, Ideam eſſe eſſentiam Diuinam, &c. vt dicam *argum.6.*

Verùm hoc probabitur, *d.14. quæſt.2. & 3.* Cætera verò propria Caietani omitto.

CONFIRMATVR à D. Bonau. *in corpore.* Ratio perfectiſſima cognoſcendi eſt ipſa prima veritas: Ergo eſt ratio perfectiſſimè aſſimilandi; nam cognitio fit per aſſimilationem: veritas autem eſt in intellectu; non in voluntate. Ergo Deus non in decreto; ſed in intellectu habet perfectiſſimam aſſimilationem rerum omnium. Hæc ratio refricatur à S. D. etiam *quæſt.2. in corp.*

PROBATVR quartò à S. D. *quæſt. cit. fund.2.* Omne agens ſecundùm rationem, non caſu, vel neceſſitate præcognoſcit rem, antequam fiat; atque adeò habet in ſe rem cognitam, vel ſecundùm veritatem; vel ſecundùm ſimilitudinem idealem perfectiſſimè. Sed Deus 67

eſt agens perfectiſſimum ſecundùm rationem; nec habet res præſentes in ſe realiter, antequam ſint. Ergo ſecundùm ſimilitudinem perfectiſſimam, omnia repræſentantem comprehenſiuè proportionatam Diuini intellectus lumini infinito. Hæc autem eſt Idea, quæ definitur. *Similitudo rei, per quam res cognoſcitur, & producitur*: Ergo. Hæc ratio eſt etiam D.Thom.

168 Probatvr quintò à D.Bonau. *fund.* 3. Omne, quod determinatè, atque perfectè ducit in alterum cognoſcendum, habet in ſe ſimilitudinem cogniti; aut ipſe eſt rei ſimilitudo perfectiſſima. Sed Deus eſt ſpeculum perfectiſſimum repræſentans beatis res omnes perfectiùs, quàm extrà cognoſci queant, ex D. Auguſt. 11. *de ciuit. Dei, cap.* 29. Ergo in eo ſunt ſimilitudines perfectiſſimæ omnium rerum futurarum, ſecundùm omnes circumſtantias futuritionis, loci, temporis. Sed hæ ſunt Ideæ: Ergo. Mi: probatur ex verbis D.Auguſt. loc. cit. *Ipſam quoque creaturam melius ibi, hoc eſt in ſapientia Dei, tanquam in arte, qua facta eſt, quàm in ea ipſa, ſciant.*

169 Probatvr ſextò ab eodem D.Bonau. *loc. cit.* argumento ad hominem, contra Suarez, qui nobis aduerſatur. In eodem obiecto videntur creaturæ futuræ perfectiſſimè à Deo, & à beatis, ex ipſo Suarez *l.2. de attrib. neg. c.*26. *num.*18. vt vidimus, *d.* 11. *quæſt.* 23. Sed creaturæ futuræ videntur à beatis in Diuinis Ideis, ex D.Auguſt. loco nuper adducto, & *l.*83. *qq. loc. cit.* vbi ait. *Animam ex viſione Idearum beatiſſimam fieri.* Conſeq. roboratur ex D. Dion. *cap.* 7. *de diu. nom.* vt refert D.Bonau. *ad* 1. vbi vult in ſeipſo, Diuinum intellectum, non ſecundùm ideas diſtinctas; ſed ſecundùm vnam excellentiæ cauſam, nempè vnicum exemplar, omnia noſſe, & continere. Hinc eluditur id, quod ait Fauent. ad noſtrum argumentum tertium, quod Caietano adſcribit; nempè, Deum non cognoſcere in Diuina eſſentia res futuras formaliter, quia illa ſolùm eminenter continet creaturas, non formaliter. Reſpondetur, enim Diuinam eſſentiam, vt Ideam, continere formaliter ſimilitudines rerum, quamuis non plurificatas in ſe, ad modum, quo plura diſtincta obiecta videntur in ſpeculo.

170 Probatvr ſeptimò à S. D. *loc. cit. fund.* 4. Deus non minùs eſt perfectiſſima cauſa exemplaris, continens in eſſe tali perfectiſſimè res omnes, ſecundùm omnes conditiones futuritionis, temporis, &c. quàm ſit perfectiſſima cauſa efficiens omnium, ſecundùm omnes conditiones, & circumſtantias; & perfectiſſima cauſa finalis, ad quam omnia, ſecundùm omnia terminantur. Sed vt efficiens, & finis complectitur omnes effectus ſecundùm rationem temporis, loci, &c. Ergo vt Idea, & exemplar eos etiam continet.

171 Probatvr octauò à S. D. *loc. cit. ad vlt.* Artifex perfectiſſimus, qui non poteſt errare, habet Ideam repræſentantem rem faciendam, ſecundùm omnes conditiones ſapientiæ: quæque Idea ſit regula infallibilis, & inerrabilis. Deus eſt artifex ſapientiſſimus, qui non poteſt errare: Ergo habet Ideam repræſentantem omnia, ità vt regulam habeat inerrabilem. Ma: probatur, quia Idea eſt exemplar practicum, vt infra oſtendam. Idem habet S.Bonau. *d.*36.*q.*1 *fund.*1.

Ex quo eliditur trita Scotiſtarum reſponſio, Ideam, ſeu Exemplar non includere circumſtantiam temporis, vel futuritionem. Reſpondetur enim (eſto verum ſit de aliquibus exemplaribus artificum, qui imperfectè operantur, & ſæpè aberrant) hoc tamen non eſt cogitandum de ſupremo Artifice Deo, cùm & à tempore tali opera pendeant.

172 Probatvr nonò à D. Bonauent. *d.*36. *quæſt.* 2. *fund.* 1. ex D. Auguſt. 6. *de Trinit. cap.* 10. vbi ait. *Filius eſt Verbum perfectum, & ars quadam omnipotentis, atque ſapientia Dei, plena omnium rationum viuentium, incommutabilium, omnes vnum in ea. Vbi nouit omnia Deus, quæ fecit per ipſam. Et ideo cùm decedant tempora, non decedit aliquid, nec ſuccedit ſapientia Dei. Non enim hæc, quæ creata ſunt ideò ſciuntur à Deo, quia facta ſunt; ac non potiùs ideò facta ſunt, & mutabilia, quia immutabiliter à Deo ſciuntur.* Hinc habes etiam futuritiones rerum; & mutationes cognoſci in Ideis Diuinis à diuino intellectu. Hæc ratio eſt, quam indicat S. D. *d.* 35. *quæſt* 1. *corpore.*

Probatvr decimò à S. Doct. *eadem quæſt.* 1. 173
diſt. 35. *fund.*2. Id, quod eſt perfectiſſimum includens perfectionem ſimpliciter ſimplicem, eſt Deo, attribuendum; atque adeò perfectiones creaturarum, quæ non dicunt imperfectionem, ſunt Deo abſque dubio adſcribendæ, vt arguebat Scotus *d.* 35. *quæſt. vnic.* §. *Ad argumenta*, & cum eo Maſtrius, *art.* 3. *quæſt.* 1. *num.*6. & 29. Sed dantur creatæ Ideæ, continentes expreſſiones rerum, & quoad futuritionem, & alias circumſtantias, vt patet de exemplaribus Arcæ dato Moyſi; Templi dato Salomoni, Zorobabel, &c. & hoc nullam dicit imperfectionem formaliter (eſto per accidens) Idem in aliis Ideis, prophetis, datis: Ergo.

Probatvr vndecimò à S. Doct. *ead. quæſt. fun-* 174
dam. 3. In omni genere cauſæ, quæ non dicat imperfectionem, eſt ſtatus in vna cauſa tali ſimpliciſſima, continente omnes perfectiones talis cauſæ. Sic in genere efficientis, & finis id docet Ariſtotel. 2. *Phyſic.* t. 68. ergo & in cauſa exemplari, ſeu Ideali. Sed Deus eſt prima cauſa exemplaris, & Idealis: ergò continet omnes perfectiones poſſibiles Ideæ, & exemplaris, quæ non dicant imperfectionem. Sed exprimere opus faciendum exactiſſimè, ſecundùm circumſtantias loci, temporis, &c. dicit in exemplari perfectionem, abſque næuo poſſibilem. Ergo in Diuino exemplari hæ perfectiones admittendæ.

Probatvr duodecimò à D. Bonauent. *quæſt.* 1. 175
ad 2. vbi etiam affert doctrinam pro ſolutione argumentorum Scoti, Suarez, Fauentini, & aliorum. Forma, quæ eſt actus purus, & ipſa veritas, exprimit in ſe omne cognoſcibile; & omnia cognoſcibilia ſunt in eius potentia, & expreſſione. Sed Diuina Idea eſt actus purus, & ipſa veritas prima: Ergo. Confirmatur. Sicut vna ſimilitudo poteſt multa repræſentare: ita prima ſimilitudo poterit omnia. Hæc eſt Ideas è D. Auguſt. *locis adductis*: Ergò.

Dat exemplum S. Doct. Lucis, quæ vna, varias 176
colorum exprimit ſpecies. Idem habet *d.* 36. *dub.* 1. *litt. ead. diſt. art.* 2. *quæſt.* 1. *ad* 2. ait: Quòd res dicuntur vita in Deo, ratione notitiæ, & potentiæ ſimul, quia iſta duo concurrunt ad rationem exemplaris; non enim Deus eſt exemplar, niſi eorum, quæ cognoſcit, & poteſt. Ergò in Idea includitur quoque notitia decreti. Ibi habet etiam, eſſe vnam, quia eſt ipſa Dei eſſentia. Plurificare ergo realiter Ideas, eſt plurificare eſſentiam Dei, quod eſt hæreticum, de quo, *diſp. ſeq. q.*2. & 3.

Probatvr tertiodecimò à S. Doct. Artifex efficiens optimus habet Ideam, & exemplar optimum, reſpondens ſuæ efficientiæ, ſecundùm omnia adæquatè: at Deus eſt cauſa efficiens prima vniuerſalis, producens omnes effectus, & ſingulos, ſecundùm omnes penitùs circumſtantias. Ergo habet Ideam repræſentantem omnia ſecundùm diſcretiſſimam expreſſionem, quæ ſub efficientiâ cadunt, quoad omnes circumſtantias; inter has autem incidit tempus. Ergo, &c.

Probatvr

177 PROBATVR quartodecimò à S.D. *ead. diſt.* 35. *q.* 3. *fund.* 1. Omnis artifex agens ſecundùm Ideam exactiſſimè, habet rationem perfectam, ſecundùm quam, vnum diſtinctiſſimè ab alio repræſentatur. Sed Deus eſt artifex optimus, agens ſecundùm Ideas, diſtinctiſſimè producens res ſecundùm loca, tempora, & ipſam futuritionem tali, vel tali tempore, quæ multum facit ad diſtinctionem: Ergò habet Ideas omnia hæc repræſentantes. Totum argumentum eſt D. Auguſt. *l.* 83. *q. q. quæſt.* 46. Confirmatur à D. Bonau. quia D. Auguſt. cum Platone pluraliter nominat Ideas, ſecundùm quas diſtinctæ res producuntur: Ergo habent quidquid ad diſcretionem pertinet. Sed ad diſcretionem creaturarum pertinet diuerſitas locorum, temporum, &c. ne dum futuritio. Ergo Ideæ hæc omnia repræſentant; alioqui eſſent exemplaria imperfecta.

178 PROBATVR quintodecimò à S.D. *ead. diſt. quæſt.* 3. *fund.* 3. Inter Ideam, & ideatum datur relatio ſimilitudinis: Et quò perfectior eſt Idea, eò magis aſſimilat ſibi ideatum. Ergo Idea Diuina aſſimilat ſibi ideata producta in omnibus, vt perfectiſſima ſit relatio. Sed inter hæc eſt etiam, vt res fiat tali loco, tempore, &c. Ergo ſecundum hæc Ideam imitatur.

179 PROBATVR ſextodecimò, *ea quæſt. fund.* 4. Ratio cognoſcendi debet adæquari diſtinctioni cognitionis, vbi plurima diſtincta cognoſcuntur adamuſſim à ſimpliciſſimo cognoſcente: Sed ratio cognoſcendi adamuſſim creaturas futuras ſunt Ideæ. Ergo in his eſt diſtinctio adæquata cognitioni. Quod verò Ideæ ſint rationes cognoſcendi, & producendi, eſt D. Auguſt. *loc. cit.* 83. *q. q. quæſt.* 46.

180 PROBATVR decimoſeptimò à S.D. *quæſt.* 4. *fund.* 1. Ratio diſtinguendi, ſecundùm id totum diſtinguit; ſecundum quod diſtincta à Fabro producuntur. Sed Ideæ ſunt rationes non ſolùm diſtinguendi vniuerſale ab vniuerſali; ſed etiam indiuiduum ab indiuiduo, ſecundùm omnes conditiones indiuiduantes. Ergo, ſicut quia diſtinguit vniuerſalia, alia eſt idea hominis; alia equi: ità quia diſtinguit quoad omnes conditiones ſingularia, idea vnius ſingularis diſtinguit illud ab omni alio, ſecundùm omnes conditiones. Sed inter has eſt etiam tempus, locus, &c. Ergo. Totum argumentum ſumitur à D. Auguſt. *loc. cit.* Eſt ſimile argumento 14.

181 PROBATVR decimo octauò à D. Bonau. *quæſt.* 1. *in corpore* è D. Auguſt. *tom.* 2. *ep.* 115. *ad Nebridium.* Quicquid pertinet ad diſtinctionem, ne dum productionem ſingularum rerum, viuit in illo Diuino Exemplari diſtinctiſſimè. Sed ratio temporum, & ordo ſæculorum; ſpectat ad diſtinctam rerum productionem. Ergo in illo exemplari, ſeu in Idea viuit. Totum argumentum eſt D. Auguſt. *loc. cit.* vbi ait. *Dicó quantùm ad hominem faciendum pertinet, hominis tantùm eſſe rationem: quantùm verò ad ordinem temporis, varias hominum rationes in illa ſinceritate viuere.* Et adhibet ſimilitudinem, vt exactam rerum repræſentationem in Ideis edoceat. *Si quis (ait) velit facere angulum ſufficit habere anguli rationem: ſi quis autem velit fingere quadrangulum neceſſe eſt, quod rationem habeat quatuor angulorum.* Hæc authoritas confirmat omnia præcedentia argumenta.

182 PROBATVR à S.D. decimononò *ead. quæſt.* 4 *fund.* 2. Cognitio rei indiuidua veriſſima in artifice, eſt adæquata ſimilitudo artificis cognoſcentis cum re facienda. Sed cognitio Dei artificis, qua cognoſcit creaturas faciendas eſt indiuidua, veriſſima, & perfectiſſima. Ergo adæquatè aſſimilatur rei faciendæ ſecundùm omnia, & ideò ſecundùm futuritionem, &c. Sed ſimilitudo fit ſecundùm Ideam: Ergo.

PROBATVR vigeſimò à S.D. *loc. cit. fund.* 4. & 5. 183
Opera Dei ſecundùm omnes rationes ſunt cognita, iuxta quas ſunt diſtinctè facienda. Sed prædeſtinatio, & reprobatio, quæ ſunt opera Dei, exigunt, vt fiant ſecundùm rationem futuritionis, & quaſdam præcipuas loci, temporis, aliaſque circumſtantias. Ergo.

PROBATVR vigeſimoprimò à D. Bonau. *loc. cit. ad* 2. 184
Hoc intereſt diſcriminis inter artifices creatos, & Deum, nam illi quippe non adamuſſim habent Ideas perfectas, vnam, v. g. domus ideam applicant pluribus domibus eiuſdem exemplaris fabricandis: Deus autem, quippè Artifex exactiſſimus, habet ſingularum rerum ſingillatim Ideas, atque adeò debent repræſentare omnes ſingularum indiuiduas conditiones. Ergo & loci, temporis, &c. in quibus ſingula opera conſiderat.

PROBATVR vigeſimoſecundò à S.D. *quæſt.* 5. *fund.* 5. 185
& 2. è D. Auguſt. 9. *de ciu. cap.* 20. vbi habetur quod vna eſt ſapientia, in qua ſunt infiniti theſauri omnium rerum intelligibilium. Et 6. *de Trin. cap.* 10. ait. *Filius eſt ars plena omnium rationum viuentium, & ars infinita, vbi nouit omnia, quæ fecit per ipſum.* Tunc ſic. Ars infinita, in qua ſunt omnes rationes eorum, quæ facta, & facienda ſunt, debet continere futuritiones rerum ſecundùm proprias, ſingulareſque circumſtantias; alioqui non eſſet infinitè exacta. Ergo continet omnes futuros actus voluntaris, omnes cogitationes, &c. Confirmatur ex eodem D. Aug. *ibi*, vbi inter res, quæ continentur in iſta arte, numerat cogitationes, amores, & delectationes animarum. Confirmatur à D Bonau. *in corp.* & Pſal. 146. *Diuinæ ſapientiæ non eſt numerus.* Idem argumentum ſtatuit è D Auguſt. S. Bonau. *d.* 36. *art.* 2. *quæſt.* 5. *in corpore*, vbi addit D Anſelmum.

PROBATVR vigeſimo tertiò à D. Bonau. *d.* 36. *art.* 2. 186
quæſt. 5. *fund.* 1. & 2. ex D. Auguſt. *tract.* 1. *in Ioan.* Quicquid factum eſt, ſecundùm omnes modos, & rationes, fuit vita in Deo ratione Idearum; non ratione naturæ; earum vt addit S. Auguſt. *l.* 5. *de Geneſ. ad litt. cap.* 14. Sed tempus, in quo res ſingulæ factæ ſunt; eſt quid creatum. Ergo fuit Vita in Ideis. Ergo in eis viſum fuit.

CONFIRMATVR, *fund.* 4. Intelligere, eſt vna differentia vitæ, quæ quatuor modis dicitur ex Ariſtotele: 2. *de anima t.* 13. Si ergo intelligere; eſt viuere: Ergo ratio intelligendi, eſt ratio viuendi: & è contra, ratio viuendi intellectiuo modo, eſt ratio intelligendi. Sed omnes res ſecundùm ſuas ideas ſunt in Deo vita, ex D. Auguſt. ſuprà. Ergo ſunt in Deo rationes intelligendi. Inter hæc autem eſt tempus, & cætera: Ergo.

PROBATVR vigeſimo quartò à S. D. *ead. diſt.* 36. 187
art. 2. *quæſt.* 2. *arg.* 1. expoſito in corpore. Vbi res veriùs eſt expreſſa, ibi exprimitur ſecundum omnes conditiones indiuiduas. Sed omnia priuſquam fierent, erant in notitia facientis veriora, quàm in ſeipſis, ex D. Auguſt. *l.* 5. *de Geneſ. ad litt. cap.* 15. Ergò ſunt expreſſiùs, ſecundùm omnes conditiones, quàm in ſeipſis. Sed in ſeipſis continent futuritionem, & cætera: Ergò.

PROBATVR vigeſimo quintò à D. Bonau. *d. cit.* 188
art. 3. *quæſt.* 1. *in corpore.* Idem eſt Deo principium cognoſcendi ens, bonum, & priuationem, vt ait Ariſtoteles: 1. *de anima, t.* 85. vbi ait. Eadem ratione cognoſci Lucem, & tenebras: vocem & ſilentium. Sed Idea eſt principium Deo cognoſcendi bonum futurum: Ergo & oppoſitum, id eſt malum; ſed inter bona, & mala ſunt aliqua, quæ à tempore pendent, vt abſtinentia, vel tranſgreſſio ieiunij in vigiliis: Ergo.

Ergo. Eadem ferè habet D. Bonau. *l* 1. *Compend. Theol. cap.*25. Vnde ruunt argumenta contraria.

189 Probatvr vigeſimò ſexiò à S. D. *ead. diſt. quæſt. vlt. fund.*1. & D. Auguſt. *ep* 115. Conditor totius entis, debet cognoſcere totum Ens, minimaſque entis totius particulas in Ideis, ſeu rationibus, vt explicat etiam *l.*83. *qq.*46. Sed inter particulas rerum ſunt circumſtantiæ talis temporis, & cætera: Ergo.

190 Probatvr vigeſimoſeptimò ibi à S. D. *fund.*2. Omnis cognitio Dei eſt à priori. Sed ratio imperfecti eſt priùs in re, quàm perfecti. Ergo ſicut perfectorum habet Ideas; priùs eas habet imperfectorum, id eſt principiorum conſtituentium rem in eſſe. Sed inter principia conſtituentia eſt etiam tempus: Ergo.

191 Probatvr vigeſimò octauò à D. Bonau. *loc. cit. fund. vlt.* Omnis effectus artefactus aſſimilatur aliquo modo ſuo exemplari. Sed futuritio rei tali tempore, & loco, eſt effectus. Ergo habet aſſimilationem in ſuo exemplari.

192 Probatvr vigeſimononò à S. D. *d.*39. *quæſt.*1. Deus cognoſcens perfectiſſimus, ſimpliciſſimus, cognoſcit res præteritas, & futuras vno modo, è D. Dionyſio, *cap.*7. *de diu. nom.* ſed non cognoſcit res præteritas, vt præteritas in decreto nudo faciendi (nam decretum non oſtendit rem iam factam;) ſed in Idea, in qua videt exemplar, iam exemplatum, ſeu opere expreſſum.

193 Probatvr trigeſimò à S.D. *d.*39. *quæſt. vlt.* ratione, quam Faber adducit. Omnis cognoſcens intuitiuè vel habet rem, vel ſimilitudinem eius. At Deus etiam futura, vt futura, cognoſcit intuitiuè. Ergo habet res præſentes, vel ſimilitudines. Non res, vt oſtenſum eſt *quæſt.*6. Ergo ſimilitudines. Sed hæ ſunt Ideæ: Ergo futuritionem in eis intuetur.

194 Probatvr trigeſimoprimò *ibi*, ratione, quam Faber negat eſſe rationem; quia Ideæ ſunt perfectiſſimæ, atque adeò repræſentant res futuras cum omnibus conditionibus exiſtentiæ, &c. Eſt autem ratio huiuſmodi. Cognitio ſe extendit ſecundùm modum formæ, quæ eſt principium cognitionis: quod patet ſic. Quia enim ſpecies ſenſibilis vnum repræſentat; ideò ſenſus vnum cognoſcit: ſpecies verò intelligibilis, quia plura repræſentat, plura etiam exhibet cognoſcenda; vt proſequitur etiam D. Thom. *quæſt.*14. *art.*12. Sed Idea eſt ſpecies Diuinæ cognitionis, ex D. Auguſt. *l.*83. *qq. quæſt.*46. & 11. *de ciu. cap.*29. & patet ex argumentis, tota diſt. 35. allatis, quæ hîc ſupponit. Ergo in tantùm erit Idea futurorum perfecta, in quantùm cognitio perfecta erit. Sed cognitio Dei eſt perfectiſſima, reſpectu omnium contingentium: Ergo habet Ideam, perfectiſſimè repræſentantem etiam exiſtentiam futuram, & cætera omnia. Hæc ratio hîc indicata, latius fuit à S. D. tradita *d.*33. vt fateri cogetur inuitus Faber.

195 Probatvr trigeſimò ſecundò à S. D. *ſerm.* 12. *Hexaëmer.* Creatura egreditur à Creatore. Sed non per naturam, quia alicuius naturæ eſt infinitè diſtantis; nec eſſentia ad extra naturaliter producit; ſed artificialiter. Sed ad eſſe artificiale rerum ſpectat earum futuritio exiſtentiæ. Ergò & ſecundùm hanc rationem egrediuntur, ſecundùm rationem artis. Sed hæc operatur per Ideas: Ergò.

196 Probatvr trigeſimotertiò à D. Bonau. *loc. cit. Hexaëmer.* & *ad cap.*1. *Ioan.* ex illis verbis. *Quod factum eſt, in ipſo vita erat.* Inter ea, quæ futura ſunt, multa exigunt repræſentationem futuritionis in ipſa ipſarum rerum cauſa, vt ſunt remunerationes, punitiones, dona gratiæ & gloriæ. Tempora auxiliorum, pœnarum, &c. iuxta cuiuſque meritum. Ergo eorum habentur exemplaria in arte, quæ, cùm ſit cauſa, debet continere exemplara; ſunt enim rationes practicæ, quæ praxim rerum omnium perfectiſſimam, vt decet Diuinam, continet cum decretis, &c. Ex quibus omnia ferè Scotiſtarum argumenta ruunt.

Qui Opera Seraphici attentè perlegerit, alias quoque rationes reperiet pro hac aſſertione. Retuli triginta tres, vt intelligat Faber, non eſſe Seraphicum rationis inopem, & ſi aliquæ videntur idem dicere, referuntur, vt videat ſe potuiſſe rationes paſſim refricatas in S. Doctore inuenire. Vrgent autem ex his multæ ad hominem.

Asserо quartò. Proximam rationem certitudinis ſcientiæ Diuinæ eſſe infinitam Lucem Diuini intellectus, quâ in Ideis omnia futura clare intuetur.

Probatvr à S.D. *locis adductis*. Intellectus ſimpliciter, infinitæ virtutis neceſſariò comprehendit quidquid intelligibile eſt; alioqui, ſi non intelligitur ab intellectu infinito ſimpliciter; à quo alio percipietur? In eo autem proximè eſt veritas. Sed futura contingentia intelligibilia ſunt, quia ſunt determinatæ veritatis, vt dicam, *quæſt. ſeq.* Verum autem, & Intelligibile conuertuntur. Ergo à Deo intelliguntur, & cùm debeant intelligi eo modo, quo ſunt, id eſt futura, vel non futura; ſequitur ſcientiam de illis in Deo eſſe certiſſimam; nam ſi decipi poſſet Deus, iam lateret Deum aliquid intelligibile verum; quod eſt abſonum. Hæc ratio eſt clara, & obuia, ſi probetur id, quod aſſumitur in minori, futura contingentia eſſe determinatæ veritatis, quod oſtendam, *quæſt. ſequenti.* 197

Hæc eſt ratio illa in Hiſpaniâ, & Italiâ à Vaſquez tradita, quam poſtea ait ſe in Scoto Laconicè legiſſe indicatam, quæ ſæpè à D Bonau. adducitur latè.

Probatur quoque. Ma: ab ipſo S D. *d.*39. *quæſt.*1. *fund.*4. à priori. Sicut in ente cognoſcibili datur ſtatus in ſummo; ità in intelligentibus debet dari primus præclarè continens virtutem cognoſcendi omne cognoſcibile. Idem habet, *d.* 39. *quæſt.* 2. *in corpore, & alibi*, vbi hanc virtutem vocat Lucem-infinitam Diuini intellectus.

Remanent duo videnda. Primum: An in hoc obiecto includatur decretum, vt Deus certitudinem habeat futuri contingentis; An verò ſatis ſit videre obiectum per ſcientiam mediam, præcedentem decretum, vt volebat Arriaga, qui per diſcurſum virtualem, ait, Deum videre certò futura libera, tali pacto. Si vocauero Petrum tali auxilio, reſpondebit, & cùm videt Deus ſe velle decernere vocare Petrum, eo auxilio; videt certò futuram conuerſionem Petri, & infert. Ergò Petrus conuertetur. 198

Secundum eſt. An in hac cognitione futurorum ſit Deo neceſſaria ſcientia media ante decretum; vt libertas in decreto ſaluetur, ità, vt Deus videat: ſi Petrum tali auxilio præuenero, reſpondebit; decernit autem hæc libero Petri conſenſu conditionaliter præuiſo: Et ſic libertas conuerſionis ſaluatur. Hoc ſanè tenent communiter omnes Patres Societatis Ieſu, vt ſuprà dixi, Et è Scotiſt. Faber 1. *d.*54. *cap.*5. *&* *d.*55. *cap.*1. Poncius *in ſuo Curſu Theol. d.*3. *quæſt.*7. *n.*36. Cauellus *tract. de peccatis, in manuſcrip. quæſt. An Deus ſit cauſa peccati*; & annuit Lichetus 2. *d.*37. *q. vn.* poſſe in via Scoti ſuſtentari. Cæterùm, contra vtramque opinionem Arriagæ, & aliorum reclamant omnes Thomiſtæ, & Scotiſtæ reliqui, è quibus acriter Vulpes *d.*30. *art.*7.8. *& ſeq.* & *d.*31. Smiſing. *tract.*3. *d.*2. *quæſt.* 5. Sghemma, 2. *Phyſ. digreſſ.*18. *q.*3. Maſtrius, *d.*3. *q.*3. *art.*3. *&* 4. 199

Qvoad D. Bonau. habes ex dictis, non ſuſtinere illum primum modum Arriagæ; nam admittit neceſ-

ſarium decretum, ad certitudinem ſcientiæ de futuris contingentibus; vt vidimus ſuprà. Scientiam verò mediam ad libertatem ſaluandam in decreto admittit, *primo d.40. art.2. quæſt.1. §. Ex hoc patet*, & *alibi*, ex quo oſtendam *quæſt.12* Doctorem Seraphicum eſſe authorem ſcientiæ mediæ, inter Theologos, Primum; neque verè à Patribus Societatis Ieſu, adſcribi Molinæ, vt notat Maſtrius, *d.4. quæſt.4. num.89.*

200 Quoad primum igitur aſſero, Scientiam mediam non ſufficere ad certitudinem habendam noſtri actus liberi futuri.

Et quidem Scotiſtæ pluribus id proſequuntur. Suppono autem, Deum non præcognoſcere ſuum decretum, antequam ſit, vt monet Vaſquez *d.65.n.25.* Molina *quæſt.14. art.53. d.17.* Arrubal *d.47. cap.4.* Arriaga *d.20. ſect.6.* Auerſa *ſect.20.* & Moncæus *d.3. cap.17.* Nihil enim reale prius, & poſterius datur in Deo, quoad actus intellectus, & voluntatis, vt docet D.Bonau. *d. 45. art.2. quæſt. 1. ad 5.* & oſtendam, *tract. de Trin. d. 14. quæſt. 5.* multò minùs prius, & poſterius duratione, quod exprimitur, dum dicitur, decretum futurum, vt aduertit Sanſing *quæſt.4. cit. à num. 93.* Maſtrius *num. 123.*

201 Hinc quoque arguo, falſum eſſe diſcurſum virtualem, quem Arriaga Deo adſcribit. Si vocauero Petrum tali auxilio, reſpondebit. Deus ſcit ſe vocaturum. Ergo ſcit Petrum abſolutè reſponſurum. Nam, dum aſſumit, Deum ſcire ſe vocaturum Petrum, vel ſupponit decretum vocandi factum, quod iam Deus ſciat; vel prætendit, Deum ſcire ſe facturum decretum, ſeu voliturum. Et hoc modo recidit in primum errorem; nempè dari prius, & poſterius duratione in Deo. Adde hac ſcientiâ non poſſe determinatè ſciri, Deum velle, niſi Deus habeat actum volitionis.

Adde; Arriagam ſic admittere diſcurſum in Dei ſcientia, vt notat D.Bonau. *d.35.q.1. corpore.*

202 Probatur ergo, Scientiam mediam non eſſe ſatis ad certitudinem futuri abſolutè liberi, argumento D.Bonau. *d.38. quæſt.1.* quo abutitur Vulpes, *d.30. art.7. num.5.* Nihil poteſt determinatè futurum eſſe, niſi Deus abſolutè decernat illud eſſe, aut permittat, ſi ſit culpa. Ergo ante voluntatis actum non ſcit Deus, Petrum abſolutè conſenſurum gratiæ in tempore, niſi Deus hunc actum velit.

Vulpes ſic infert. Ergo Deus ante decretum neſcit quid facturum eſſet liberum arbitrium Petri, ſi tali auxilio vocaretur. Hoc autem vrget ad negandam ſcientiam mediam. Sed negatur Conſeq. nam ſicuti Deus nouit ſcientiâ mediâ conditionali, quid Petrus eſſet facturus ſub tali conditione, ſi vocaretur; ſupponit ex hypotheſi, quod Diuina voluntas concurreret; atque adeò voluntas Dei conditionaliter includitur, quod vidit Maſtrius, *d.3. quæſt.3. num.114.* qui multa affert argumenta tum aliorum; tum ſua, quæ hoc ſcopulo franguntur, vt dicam. Nos enim ſupponimus in ea conditionali eodem paſſu Diuinam voluntatem concurrere conditionaliter. Si Petrus conſentire deberet, vt agnouit Maſtrius; non tamen decretum; vt dicam, *quæſt.12.*

203 Quoad ſecundum verò, dico, radicem cognoſcendi effectum liberum eſſe ſcientiam mediam.

Probatur argumento ducto è D. Bonau. *d.40. art.2. quæſt.2. ad argumenta*, & clariùs *diſt.38. quæſt.1.* Nequit Deus, ſalua libertate noſtra, abſolutè, determinateque decernere futura à cauſis liberis, quin priùs ante huiuſmodi decretum certò ſciat conditionatè, quid pro ſua libertate vnaquæque faceret pro quolibet rerum ordine ex hypotheſi, quòd Deus velit cum eis concurrere. Ergò, antè omne decretum abſolutum, nouit Deus futura contingentia conditionatè, atque adeò ſcientia media prærequiritur ad habendam certam notitiam de futuris liberis.

Probatur aſſumptum; nam ſtante Dei decreto abſoluto; vel creata voluntas poteſt in oppoſitum prodire; vel non. Si ſecundum: Ergo non agit liberè. ſi primum: Ergo redderetur decretum Dei inefficax. Deinde voluntas creata ageret independenter à Diuino concurſu, cùm in ſe habeat actum contra Dei decretum. Ergo Diuina voluntas poteſt caſſari, vt infert S. Bonau. *d.38. quæſt.1.* & *d.40. art.2. quæſt.1.* Confirmatur, quia, ſi ſaltem conditionatè non ſciret Deus omnia futura ante decretum, impoſſibile eſſet, illa velle poſtea abſolutè futura, quia voluntas non fertur in incognitum; vel ſaltem illa cæco, & confuſo modo decerneret futura, quia nullo modo præcognita ſunt, vt talia. Quod argumentum tangit Suarez *cap 6 num.6.* cum D.Bonau. *d.35. quæſt.1 corp.* & *d.36. quæſt.1.* & *d.40 art.2. quæſt.1.*

Respondet Maſtrius, *num.137.* decretum huiuſmodi non eſſe antecedens, ſed comitans; atque adeò non lædere libertatem. Quamuis verò in ſenſu compoſito voluntatis cum illo decreto, nequeat voluntas in contradictoriam partem deliberare; tamen non læditur libertas, quia adeſt aliud decretum generale, quòd cuicumque cauſæ liberæ afferatur concurſus ad vtrumlibet, ſpectans ad actum primum, ratione cuius, in ſenſu diuiſo poteſt voluntas in oppoſitum eius, quod determinatum eſt prodire; atque ideò talis actua non eſſet determinatus Dei concurſus: eſſet verò, ſi eo ipſo, quòd determinet Deus concurrere cum creata voluntate ad actum, v. g. amoris, concurſu determinato ad talem actum, denegaret concurſum ad oppoſitum, v g. odij, tunc enim Diuinus concurſus non relinqueret in mea voluntate potentiam ad oppoſitum. 204

Ad confirmationem, negat Conſeq. Quamuis enim, priuſquam ſtatuat Deus, effectum à voluntate creata futurum non cognoſcat: quid illa ſit determinatè factura in hoc, vel illo caſu, nec abſolutè, nec conditionatè; tamen per naturalem ſcientiam cognoſcit eam, his, vel illis circumſtantiis conſtitutam, poſſe hoc, vel illud facere; & poſt decreta conditionata videt, quid eſſet factura conditionaliter; & purificata conditione de illa ponenda in tali rerum ordine, virtute præcedentium cognitionum, ſapientiſſimè ſtatuit, quòd in tali rerum ordine poſita, ſit factura hoc, non illud, decreto comitante libertatem creatam. 205

Contra arguo, & probo primò, tolli eo decreto libertatem. Senſus compoſitus tunc non tollit libertatem, quando compoſitio ſit cum ſuppoſitione conſequenti, quæ ſit in poteſtate noſtra, quatenus *omne, quod eſt, quando eſt; neceſſe eſt eſſe*, vt ait Ariſtoteles: *1. Perhierm. c.6.* ex qua propoſitione ortum habuit diſtinctio de ſenſu diuiſo, & de ſenſu compoſito, vt arguit S.Bonau. *locis adductis*, præcipuè *d. 38. quæſt. 1. ad 3.* & concedit Maſtrius, *num. 251.* Iam verò decretum non componitur cum actu voluntatis iam exiſtente; vnde oritur neceſſitas, *ſi eſt; neceſſariò eſt*; ſed cum actu nondum educto in lucem; & eſt decretum abſolutum determinans ad vnum, auferens conſequenter indifferentiam. Quòd verò detur antecedens decretum generale ſinendi res omnes motus proprios agere, iuxta naturam propriam, nil penitus iuuat: nam decretum particulariter determinans actum ad vnum, non ſinit exerceri hanc indifferentiam; eſt enim ſingulariter determinans hanc cauſam, vt notat D Bonau. *d.40. quæſt.1. art.1. in corpore.* Itaque hoc decretum generale antecedens, ſubſequenti 206

quenti

quenti particulari applicito, determinat hanc cauſam ad hunc effectum, & non alium producendum. Ex quo ruiſus ſequitur, vt ſi hic eſt efficax, deſtruat indifferentiam primi, & relinquat actum determinatum, quia immediatè denegatur concurſus ad eius oppoſitum; alioqui decretum oppoſitum non eſt efficax.

207 Ex his etiam ſequitur, Deum ante decretum ignorare, quid actura ſit voluntas in tali caſo, atque adeo operari cæcutiendo, vt ioferebat S.Bonau. *d.35.q.1.* & *d.38. quæſt.1.*

Quòd enim ſciret, quod poſſet facere, non ſufficit. Decretum verò conditionatum, in quo Deus videret conditionaliter, eſt inoperfectum, & indignum Deo, noo minùs, quam ſcientia illa incerta Dei, ante decretum, quam ipſe Maſtrius reprehendit, *num.112.* à Fabro *d.55. cap.2.* traditam.

208 Hinc meritò arguit Sghemma, *quæſt. 4.* contra hoc decretum concomitans, multis argumentis. Hoc ſolum affero, quod ſuprà adduxi, nam continentia virtualis cauſæ ſecundæ in voluntate primæ abſolotâ, & determinatâ, neceſſitatis determinationem indoelt abſolutam; nam ex eo, quod eſt, neceſſè eſt eſſe, non oritur libertas eius, quod nondum eſt. Multa excogitauit Maſtrius cum illo ſuo Ioſepho à Drepano *in tract. de concord.* & Vulpe, *tom.2. p.1. art.8. & 9.* & *tom.1.p.2 d.7. art.vlt.* & alibi, quibuſcum latè oſtendit, hanc eſſe Scoti ſententiam, ſio explicitam etiam à Vigerio, & Baſſoli, *d.38.art.2.* ac è Neutralibus à Faſolo. Oſtendit ergo, non repugnare, primò à poſteriori, quia etiam inter nos, vnus interdum incidit in determinationem alterius, nulla in eo exiſtente præſcientia determinationis alterius, ex ſola ſimilitodine Ingenij, vel complexionis, vel mero caſu. Et hoc æſtimatur inter homines perfectio; Deo autem concedendum quicquid eſt perfectionis; imperfectiones verò, inconſiderantiæ, &c. ſupplentur continentiâ eminentiali voluntatis diuinæ, quâ omnes voluntates creatas ita continet, vt eis conformetur, ac ſi expectaſſet eas, aut decretum earum cognouiſſet.

209 Hæc tamen abſona ſunt. Et primò quidem meritò fatetur, illos ocurſus voluntatom noſtrarum dicere imperfectiones; eaſque intrinſecas; eò quòd à ratione non ducaotur ex naturâ ſuâ; ac proinde non ſunt Deo attribuendi. Neque adhuc poſſunt eſſe in Deo, qui quicquid facit ex propoſito decreto, ex notitia facit, & in hac diſparitate conſiſtit huius comparationis inepta ſimilitudo. Nam ſi concurrunt duo in eaodem deliberationem ex genij ſimilitudine ita ſe habent, vt alter in alterum non influat, atque adeo libertatem non lædat: at verò Deus agens è propoſito, & decernens actum noſtrum, influit ad determinandum, & eſt tale agens, à quo pendet & noſtrum operari.

Reſpondet Maſtrius, Deum, ſicuti eſt primum ens continens omnia entia; ita quia eſt primum efficiens, continet omnes cauſas: & quia eſt primum intelligens, & intelligibile, continet omnes intellectus, & omnia intelligibilia. Itaque. Ex quo eſt primum volens, continet omnes voluntates liberas, & poteſt præfinire omnes volitiones earum, abſque libertatis detrimento.

210 Multa reſpondet Sghemma *loco cit. quæſt.4.* Sed ego ea ſola accipiam, quæ è Seraphico hauſit. Primò quidem impropria eſt illatio Maſtrij. Sed ſolum infertur, voluntatem Dei continere volontates omnes concurrendo ad modum earum, modo debito; quod enim determioet voluntates ad vnum, & relinquat indifferentes; implicat. Ideò S. Bonau. *d.39. quæſt.1. fund.4.* contineotiam eminentialem admittit in cæteris; ſed in hoc non admittit, quia implicantiam inuoluit. Poteſt quidem noſtra voluntas Diuinæ conformata eſſe; ſicot & Diuina noſtræ. Sed maoentibus vtriſque io ſuo ſtatu, itá vt Diuina non influat determinatiooem ad vnum in actum noſtrum; vt docet D.Bonau. *d.48. quæſt.1.* Debet igitur voluntas Dei coagere; ſed ſecundum modum contingentis concauſæ, vt effectus ſit contingens, vt diſcutrit D.Bonau. *d.40. art.2. quæſt.3.* Neque ſufficit concomitantia determinans; ſed debet è ſcientia media ſe habere, ſicut præſcientia ſubſequens determinationem liberam; vt notat D.Bonau. *loc.cit. ad 1.* vt ſuprà oſtenſum eſt.

Multo minùs ſaluat Maſtrius libertatem ex infinitate voluntatis Dei, quæ magis habet (inquit) in ſua poteſtate noſtras voluotates, quàm nos ipſi eas habeamus, & ſicot nos eas flectimus quocunque velimus, abſque libertatis detrimento; itá & Deus; idque confirmat è D. Auguſt. *lib. de correp. & gratia, cap.14.* 211

Reſpondetur enim, habere quidem Deum media quædam, ſeu motiua, quæ applicita voluntati, eam inclinant ad conſenſum, vt ſunt vocationes exquiſitæ moraliter mouentes; atque hoc volt S.Auguſt. at determinatio phyſica decreti implicat libertatem, atque adeò omnipotentia non valet vtrumque ſaluare. 212

Quæ verò addit Maſtrios, maximè è D.Chryſoſtomo, nil pro eo faciunt; nam cum Chryſoſt. dicat. *Non antecedit voluntates noſtras, ne lædatur arbitrium noſtrum*; non volt inferre. Ergo concomitans decretum non lædit, vt infert Maſtrius; imò potius contra eum infert. Quicquid præcedit determinationem noſtram, infert vim arbitrio; at decretum illud comitans præcedit determinationem noſtram; nam eam determinat, vt non poſſimus renuere. Ergo Infert vim libertati. Probatur Ma: nam determinat eam, non præuiſo eius actu abſolutè, neque ſub conditione; quo fit, vt decretum ſit abſolutè præcedens, vt notat Suarez, Molina, Vaſquez, Faſolus, & alij; quod fruſtra conatur Maſtrius, *num.195.* reducere ad continentiam illam, ſuprà reiectam, eminentialem, quæ libertatem tali modo oon ſaluat. 213

Confirmatvr. Ideo enim P.P. arguunt, præſcientiâ non tolli noſtram libertatem, quia non eſt ſuppoſitio præcedens; ſed conſequens noſtram libertatem, quod exprimunt P.P. dicentes, non ideò actum futurum, quia præſcitum; ſed è contra: fuiſſe præſcitum, quia futurum. Ergo & determinatio Diuinæ voluntatis noo lædit libertatem, quia ſubſequitur eam abſolutè; vt arguit S.Bonau. *d.40.art.2.quæſt.1.* & poſt eum Neutrales: qui nec Thomiſtæ, nec Scotiſtæ ſuot. Hoc ſimile rectè vrget S.Bonau. *d.40.art.2. quæſt.1.* quod gratis negat Maſtrius, *num.195.* fingens, ſe non aduertere noſtrum fundamentum. 214

Tandem vrgeo, argumento S. Bonau. *d. 35.q.1. in corpore*, & *d.38. quæſt.1.* Sic enim ſequitur, Deum determioare abſolotè poſitiuam, ac realem actionem peccati, antequam illa ſit, & præuideatur futura aliquo modo. Conſequens verò eſt maximum abſurdum, apertè pugnans cum infinita ſanctitate Diuinæ voluntatis, vt infert D.Bonau. *d.46.quæſt.2.* 215

Hanc rationem tanti fecit Suarez, vt *tom. 1. de gratia, prolog. 2. cap. 9.* dixerit, hanc abſurditatem ſæpè inculcandam, ac millies repetendam, ac latè tractandam, quia res eſt ſummæ conſideraoonis.

Reſpondet Maſtrius, *num. 196.* argumentum vrgere prædifinitiones Thomiſtarum; at Scoticas non magis lædi, quam noſtras, qui admittimus concurſum Dei ſimultaneum in tempore, ad quamlibet actionem poſitiuam.

Vsvm nos ab hoc nodo facilè ſoluimur, quia 216 ponimus

potiùs Dei concurſum, ſuppoſitâ ſcientiâ conditionali; hominemque ſic voliturum, ſi tali in ordine ponatur. Vnde potius eſt ſubſequens voluntatem, vt fatetur Maſtrius, *num.* 195. At verò ipſi Scotiſtæ ponunt, Deum ita comitari, vt voluntas non ſit libera ad vtrumlibet; & hoc, quia decretum à latere determinans abſolutum aſſiſtit, influens determinationem, vt ſuprà oſtendi.

Obiicies primò contra primum aſſertum cum Zumel *d.*7. effectus poteſt cognoſci in cauſa determinata ad effectum efficaci, & infallibili. Talis eſt voluntas Dei, reſpectu cuiuſque voliti ab illius voluntate. Ergò.

Respondetvr; negando Mi: de effectibus noſtri arbitrij: Sic enim tolleretur libertas.

217 Obiicies ſecundò. Hæc conſequentia eſt euidens. Deus vult abſolutâ voluntate, vt hoc ſit futurum. Ergo hoc erit. Ergo in eo ſigno cognoſcitur conſequens illud.

Reſpondet D Bonau. *d.*40.*art.*2.*quæſt.*1.*ad* 1. Ea volita, quæ ſunt dependentia à noſtra voluntate, non eſſe à Deo volita, decreto antecedenti; ſed ſuppoſitâ noſtrâ voluntate; vnde ſequitur, verum eſſe, neceſſitate conſequentiæ; non conſequentis, ſeu antecedenti.

218 Obiicies tertiò. Deus ſuæ voluntatis efficaciâ fecit, vt eſſent entia contingentia. Ergo in huiuſmodi præfinitione Deus illa cognouit.

Respondet D.Bonau. ibidem *in corpore, & ad argumenta*; radicem futurorum contingentium, proximè non eſſe efficaciam Diuinæ voluntatis; ſed noſtram libertatem in actu exercito in Ideis expreſſam, vt dixit S.Bonau. *d.*35.*quæſt.*1. *& ſeq.*

Obiicies quartò. Dei voluntas eſt cauſa omnium effectuum in particulari, & eſt cauſa infallibilis ab æterno poſita ante præuiſionem determinationis cauſarum ſecundarum. Ergo Deus in ſuæ voluntatis præfinitione effectus omnes videt.

219 Reſpondetur cum S.D. *loc.cit.* *d.*38.*quæſt.*1. negando Anteced. ſi de cauſis liberis loquamur, vt diai, tum quia mala non ſunt à Deo; tum quia cætera libera, non ſunt à Deo prædeterminata.

Obiicies quintò cum Aluarez loc.cit. Si Deus præuidit, aut prædixit, aliquid eſſe futurum, illud neceſſariò erit ex hoc, tanquam ex ſuppoſitione antecedente, vt dicitur Lucæ 24. *Oportebat pati Chriſtum*, vt ſcripturæ implerentur, quæ præceſſerunt de ipſo. Sed hæc neceſſitas libertatem arbitrij non tollit, quia adhuc Chriſtus voluntariè paſſus eſt. *Oblatus eſt enim, quia ipſe voluit.* Iſa.53. Ergo in hac præfinitione Deus potuit videre mortem Chriſti.

220 Respondet D.Bonau. *d.*38.*quæſt.*1. negando Ma. quia non ideò aliquid futurum eſt, quia Deus præuidit; ſed è contra. Neque neceſſitas aliqua antecedens ex prædictione oritur; ſed ſola conſequens, non modò in actibus liberi arbitrij noſtri malis, qui nullo modo ſunt à Deo; ſed à nobis tantùm; ſed neque in actibus bonis. Neceſſitas verò mortis Chriſti fuit conſequens, non modò qua parte à malitiâ Iudæorum erat proditura; ſed etiam qua acceptanda à Chriſto. Prædictiones verò præceſſère temporis anteceſſione; non ordine cauſalitatis, vt habet S.Bonau. *d.*32. *art.*2.*quæſt.*1. *&* 2. & *d* 40 *dub.*6. vbi etiam oſtendit peccata præuiſa, vt dicitur *Matth.*26. *Marci* 14. *Ioan.* 19. *Lucæ* 22. & tamen, liberè, contingenterque Petrus peccauit; alioqui coactus fuiſſet peccare.

Obiicies ſextò cum eodem. Eadem Chriſti paſſio fuit antecedenter à Deo decreta; & tamen pependit ea libera Chriſti voluntate. Ergo cum efficacia Diuini decreti ſtat libertas arbitrij.

Respondetvr, decretum de morte Chriſti fuiſſe 221
ſubſequens eius voluntatem, vt oſtendam 3.*p.* *tom.*1. *d.*22.*quæſt.*3.

Obiicies ſeptimò. Quod eſt à Deo præuiſum, neceſſe eſt euenire, & illud adhuc liberè euenit. Ergo cum ſuppoſitione antecedente primæ cauſæ ſtat libertas. Sic ſuppoſitio Diuinæ prædeſtinationis eſt antecedens; & tamen libertatem non tollit.

Respondetvr cum D.Bonau. *d.*38. *quæſt.*1. *in* 222
corpore, negando Conſeq. nam Diuina prouidentia, reſpectu effectuum, facit talem ſuppoſitionem, quale eſt genus cauſæ, in quo operatur. Itaque reſpectu eorum, quæ ſunt ab ipſo immediatè, abſque interuentu alterius cauſæ, ſupponit antecedentes: ſi verò agit cum cauſa libera, facit ſuppoſitionem ſubſequentem. Ad confirmationem reſpondetur cum D.Bonau. *d.*40. *art.*2.*quæſt.*1. negando, prædeſtinationem eſſe omninò antecedentem, vt oſtendam *d.*11.*quæſt.*20. Cætera patent ex dictis.

Obiicies octauò cum Sghemma 2. *Phyſ.digreſſ.*18. *quæſt.* 2. Ideò voluntas noſtra eſt libera, quia Deus conſtituit eam in eſſe libero. Ergo non tollitur libertas, ſi Deus præuoluit eam, vt vellet liberè.

Respondetvr cum D Bonau. *d.*40. *art.*2.*quæſt.*1. 223
& clariùs, *d.*47.*quæſt.*1. totum eſſe verum; ſed æquiuocè exhibitum; quia Deus ità dedit libertatem, vt eâ vtamur, neque ab eius voluntate cogamur. Itaque argumentum laborat in æquiuoco, & potius infert. Ideo voluntas noſtra eſt libera, quia Deus conſtituit eam in eſſe libero. Sed hoc eſſe liberum conſiſtit, vt ſit indifferens: Ergo non debet prædeterminari ad vnum. Prædeterminare autem, non eſt præuolère, vt velit liberè. Itaque vel ſecum pugnat, vel nil concludit.

Obiicies nonò. Ad velle Dei ſequitur, vt homo 224
ſit naturâ liber. Ergo ad velle Dei, vt actus eius ſit liber, ſequitur eſſe liberum. Probatur Conſeq. quia nihil plus requiritur ad actum liberum, quàm ad eſſe naturâ liberum.

Reſpondetur ex D. Bonau. *d.*38. *quæſt.*1. negando paritatem, quia eſſe liberum, requirit eſſe à Deo ſolo per creationem, at operari liberè, exigit operationem indifferentem, in qua Deus ſe accommodet naturæ operantis liberè.

Obiicies Decimò. Decretum Dei eſt extrinſecum. Ergo non tollit libertatem intrinſecam. Probatur Conſeq. quia decretum Dei non tollit modum operandi naturalem. Ergo nec liberum.

Respondetvr cum D.Bonau. *d.*40.*art.*2.*quæſt.*1. negando Conſeq. nam decretum primæ cauſæ prædeterminans, vt ſit efficax, tollit indifferentiam; licèt non tollat operari naturaliter, quia ſanè eſt proportionatum modo agendi naturali, quod eſt determinatum.

Obiicies vndecimò. Deus non præuidet hunc vſurum benè libero arbitrio, niſi quia vult, & præordinat iſtum benè vſurum. Ergo vſus liber eſt ex decreto Dei libero.

Reſpondetur cum D.Bonau. *d.*40. *art.*2. *q.*1. Deum non prædeterminaſſe vſum liberi arbitrij bonum; ſed illum ordinaſſe, ſuppoſitâ ſcientiâ mediâ operationis, ſi in hoc, vel illo ordine poneretur; & præſciuiſſe quid facturum eſſet.

Obiicies duodecimò. Cauſa, quæ agit vt mota, ità mouet, vt mouetur. Sed cauſa ſecunda mouetur liberè à Deo. Ergò liberè agit.

Reſpondetur ex dictis, cauſam ſecundam non eſſe 225
mouendam liberè per decretum prædeterminans; nam ea, quæ agit, præcedendo determinat, vt habet S.Bonau. *loc.cit.* Cætera Sghemmæ obiecta patent ex dictis.

Obiicias

Obiicies adhuc cum Thomiſtis. Si decretum Dei non præcederet; ſequeretur, Deum expectare quid nos agamus, vt agat: contra phraſim Sanctorum P.P. quæ dicit, Deum agere, vt agamus.

226 Reſpondetur, Deum agere primò excitando; ad agendum verò, expectare noſtrum concurſum per ſcientiam mediam, ſeu conditionatè præuiſam: Deum verò ipſum applicare concurſum, vt agamus poſt eam præuiſionem.

Obiicies primò contra ſecundam aſſertionem. Velle Dei eminenter, includit omne velle creatum. Ergo.

Respondetur hoc ex dictis ſolutum eſſe, ſimul cum illa chimærica eminentiali continentia voluntatis creatæ in Diuina.

Obiicies ſecundò, per id noſcuntur futura à Deo, noſcente illa in ſe ipſo poſſibilia, per quòd è ſtatu poſſibili ad futurum deducuntur. Sed hoc eſt decretum: Ergo. Hanc rationem Scoti, Phoenicem nominat Macedo.

Reſpondetur, ex dictis conſtare, decretum præciſum non eſſe totam cauſam, ſed debere in Ideis videri etiam cauſas liberas, ſaltem conditionaliter, vt dixi ſuprà.

Obiiciunt multa Scotiſtæ contra Ideas, atque gloriantur adeò nos conuinci, vt, cùm non habeamus quid reſpondere poſſimus; manus inuiti eis demus.

Sed ex dictis hæc omnia concidunt.

227 Obiiciunt primò cum Scoto. Ea, quæ ſunt rationes cognoſcendi terminos ſimplices, non ſunt rationes ſufficienter cognoſcendi complexionem illorum terminorum, quamuis ſint rationes perfectiſſimæ; niſi illa complexio nata ſit cognoſci è ſimplici apprehenſione terminorum. Sed Ideæ Diuinæ ſunt rationes cognoſcendi terminos ſimplices rerum; nec complexio contingens nata eſt cognoſci è ſimplicibus terminis. Ergo Ideæ non poſſunt eſſe Deo rationes cognoſcendi futura contingentia. Ma: patet. Mi: probatur, quia ſi complexio contingens nata eſſet cognoſci ea terminis, non eſſet contingens, ſed neceſſaria.

228 Respondet D. Bonau. *d.35. quæſt.1.* Ideas eſſe rationes producendi, quod probat, *d.38. quæſt.1.* ex D. Auguſt. 15. *de Trin. cap.13.* defectus verò cognoſcit in Idea ex oppoſito. Igitur Idea includit etiam voluntatem producendi: Intellectûs autem Diuinus, qui eſt infinitus intuens in eſſentia, etiam prout eſt voluntas, & prouidentia, quidquid operatura ſit cauſa libera, vel alia contingens; videt futura contingentia cum omnibus circumſtantiis. Ita etiam Caietanus, Bañes, Molina, Pennottus, & alij.

Inſtat Faber. Ideas non ità ſumi à Patribus, & Scholaſticis, præcipuè D. Thom. pro vt includunt etiam voluntatem liberam, & prouidentiam. Sed ſumi, pro vt ſunt rationes naturales repræſentantes res ſub eſſe poſſibili: ſic verò ſumendo Ideas, potas, nos dare dexteras Scoto.

Reſpondetur ex dictis, ità ſumi à P.P. & Scholaſticis, vt nos accipimus. Quod verò ita ſumantur etiam à D.Thom. confitetur Faber *num.19. §. Confirmatur.* Imò *d.51. cap.3. initio*, fatetur eodem modo exponi à D.Auguſt. & ex hac expoſitione arguit cum Scoto.

229 Miror verò, Scotum aſſerere, Ideam ſumptam cum decreto, eſſe compoſitam, quo modo loquitur etiam Faber; & tamen ibi non eſt diſtinctio realis ſecundùm eos; ſed formalis: Ergo hæc etiam componit realiter. Ergo in Deo admittit compoſitionem realem, etiam ex attributis, eſſentiâ, & relationibus; inter quæ formalem aſtruit diſtinctionem.

Instat verò Scotus, quem comitantur Vaſquez *loc. cit.* Faber ſuprà, Maſtrius, *d.3. quæſt.3. num.84.* Idea merè naturaliter repræſentat, vt fatentur ſapientes. Ergo eſt ante omnem actum voluntatis. Anteced. probatur, nam Ideæ per vos ſunt etiam rerum poſſibilium: Ergo Idea, vt Idea, non repræſentat res futuras. Confirmatur, nam Idea fungitur duobus muneribus. Alterum eſt, vt ſit ratio cognoſcendi: alterum, vt ſit ratio operandi. Et vtrumque ſpectat ad intellectum; non ad voluntatem; nam Idea domûs, quam habet architectus, non repræſentat illi domum certò faciendam. Ergo actus voluntatis eſt extra rationem Ideæ.

Respondetur ex dictis, Ideam Diuinam eſſe perfectiſſimam, habetoque rationem exemplaris rei faciendæ, ſecundùm omnes conditiones futuras; neque menſurandam cum Ideâ creatâ Fabri lignarij. Itaque repræſentat rem poſſibilem, pro vt continet rationem naturalem: repræſentat verò etiam futuritionem, pro vt addit voluntatem, liberam quidem; ſed tamen immutabiliter exhibentem intellectui infinito comprehendenti omnia tempora, omniaque futura, quidquid ſupra rationes naturales addit decretum; neque aliqua mutatio interuenit in Idea, vt malè infert Faber; ſicuti non inducitur mutatio in eſſentia, ex eo, quod priùs in ea videntur naturalia, deinde libera ſecundum, Scotum, & aſſeclas. 230

Obiicit etiam Suarez. Idea, vt ſic, non habet rationem obiecti, quod poſſit terminare intellectionem; ſed ſolùm ſe habet, vt ſpecies intentionalis, & ratio cognoſcendi. Ergo non poteſt Deus in Idea videre res poſſibiles.

Respondetur, idem eſſe in Deo rationem cognoſcendi, & obiectum cognitum; quod probat S.Bonau. è ſimplicitate Diuinæ ſcientiæ ità *d.35. quæſt.1.2. & 3.* & *d.39. quæſt.1. in corpore*, & hoc fatetur Suarez ipſe *l.3. de attrib. poſit. cap.2.* & *l.2. de attrib. neg. cap.25. num.41.* vbi docet, ſpeciem in mente diuina non eſſe meram rationem cognoſcendi, ſed ex ſua infinita perfectione eſſe etiam medium cognitum. Speciem autem vocat, quaſi Verbum, & Ideam. 231

QVÆSTIO VIII.

An futura contingentia ſint determinatæ veritatis.

{ D.Bonau. d.38. art.2. q.1. ad 3.

VT ſtem promiſſis quæſt. præcedenti; & ad ſolidiùs firmandam rationem D.Bonau. pro quarta aſſertione, hanc quæſtionem pertracto.

Aristoteles: *primo Perhierm. cap.8.* negat, has propoſitiones eſſe determinatæ veritatis; & ità nequaquam alteram eſſe veram determinatè: alteram falſam. Sed quamlibet eſſe veram, vel falſam, vt hæc: Cras bellum nauale erit; vel non erit, vera eſt; non tamen pugnam naualem cras fieri eſt neceſſe; neque rurſus, non fieri. Vult igitur Ariſtoteles, propoſitiones ſingulares de futuris contingentibus eſſe veras in ſenſu diſiuncto, eſt autem ſenſus diſiunctus, quando vtriuſque membrum propoſitionis ità debet accipi ſub diſiunctione, vt de nullo ſigillatim idem dicatur, quod de vtroque ſub diſiunctione dicitur; ſicut in allato exemplo non eſt neceſſaria aliqua ex illis partibus. *Nauale bellum erit: Nauale bellum non erit*; & tamen illud totum, *Erit: vel non erit.*, ſimul ſumptum, eſt neceſſarium. 232

Negat autem, eſſe veras in ſenſu diſiunctiuo; ſeu diſtincto, qui eſt, quoties de aliqua parte verè dicitur id,

id, quod enunciamus. Vt ſi quis dicat. Petrus diſputat; vel Petrus non diſputat: altera illarum pars vera eſt. Et non ſolùm totum completum ſub illa diſiunctiua propoſitione.

Hoc ita ſenſiſſe Ariſtotelem: aſſerit D.Bonau. *loc. cit.* Catherinus *Opuſc. de veritate enunciationum.* Ocham, vt refert Maior 1. *d.*38. *quæſt.*1. Gregor. *ibi quæſt.* 1. *art.* 1. & Caſpenſ. *tract. de ſcientia Dei, d.*5. *ſect.* 6. Hinc intulit hæc Deo incerta eſſe; errorem que ex eo ebibit Cicero *l. de fato*, & *l.*2. *de diuinatione.*

233 FABER, *d.*54. ait. Ariſtotelem ſolùm velle, quòd in propoſitionibus de futuris contingentibus non eſt determinata veritas, eo modo, quo in præteritis, & præſentibus; quia in his alterum extremum iam eſt poſitum in eſſe, neque ampliùs in poteſtate cauſæ eſt illud ponere: vel non ponere in eſſe. Et hoc ſufficit ad inducendam neceſſitatem deliberationis, & conſilij. Vnde infert Ariſtoteles; quod ſi eodem modo eſſet determinata propoſitio de futuro, quo propoſitio de præterito, vel præſenti; non oporteret conſiliari, vel negotiari Itaque videtur incidere in opinionem Richardi, 1.*d.*38. *art.*1. *quæſt* 5. *ad* 1. & Mainris *loc. cit.* Ariſtotelem voluiſſe ſolùm, propoſitionem alteram dè futuro contingenti non eſſe determinatè veram, ideſt neceſſariam, ſicut ſunt præteritæ.

CONTRA arguit S. Bonau. quia ibi Ariſtoteles non probat, ſed ſupponit, vt notum, futura non euenire ex neceſſitate; ſed liberè: aſſerentes verò, propoſitionem eſſe determinatæ veritatis, inducit ad hoc abſurdum, quòd ſequeretur, nihil euenire à caſu, & omnia neceſſariò euenire; & ideò propoſitionem, ſi admittatur determinatè vera, vel determinatè falſa; fore neceſſariò talem. Ergo non accipit pro eodem *determinatè*, & *neceſſariò*; ſed vnum ex altero conſequens, vt benè etiam arguit Vaſquez poſt D Bonau.

234 EST igitur ſententia Ariſtotelis manifeſta, in propoſitionibus de futuro contingenti, non eſſe alteram veram: alteram falſam diſtinctè. Hanc ſententiam defendit Catherinus *loc. cit.* & Aureol. 1. *d* 39 *quæſt.* 1. *art.* 1. *concl.* 1. & *art.* 3. *concl.* 2. Hinc falſa foret hæc propoſitio. Deus diſtinctè nouit Antichriſtum futurum. Sed ſolùm; fore, vel non fore; diſiunctè, vel confusè. Ità concedere Aureolum aſſerit Gregorius.

Citantur pro hac ſententia à Tannero Alexander, Ammonius, D. Thom. Louanienſes. & Toletus ad eum locum Ariſtotelis: S.Thomas itidem *in* 2.2.*q.*171. *art.* 3. Molina *p.* 1. *quæſt.* 14. *art.*13. *dub.*17. vbi vocat eam ſententiam communem, & *d.*18. *m.*1. Macedo *Coll.*10. *d.*1. Zumel. 1. *diſp. var. dub.* 3. & 5. & Valentia *quæſt.* 14. *p.* 5. §. 3. Ideò reprehendit Tannerus eos, qui hanc opinionem malcolentem in fide dicunt.

235 CATHOLICA tamen ſententia eſt, propoſitiones de futuris contingentibus eſſe determinatæ veritatis in Diuino intellectu. Ita S. Bonau. qui oppoſitam ſententiam vocat hæreticam, & impiam, *in corpore quæſtionis.* Eum ſequuntur Richardus, 1.*d.* 38. *art.*1. *quæſt.*5. *ad* 1. Maior *loc. cit.* Capreol. 1.*d.*39. *quæſt.*1. *art.*2. Scotus *ibi*, *quæſt.*1. Nominales, Suar. *l. de ſcientia futurorum*, *cap.*8. Vaſquez *d.*69.*cap.*4. Becan. *c.*16. *quæſt.*11. Amicus *d.*12.*ſect.*9. Ruiz. *d.* 29. *ſect.*1. Arriaga *d.* 20. Metac. *d.*27. Maſtrius *d.*10. *Log. quæſt.* 2. *art.*5. & *tom.*1. *Theol. d.*3.*quæſt.*3. Tanoer. *d.*2.*quæſt.*8. *dub.*6. Conimbricenſes, & alij in Logica, Caſpenſis, *tract. de ſcientia Dei d.*5. *ſect.*6. & alij apud iſtos. His adde Coriolanum, *quæſt.* 14. *art.*11. Marcum à Baudunio *quæſt.*14. *art.*4. *d.*1. Ribam *T.*4.*d.*5.*cap.*1. & eſt Theologorum communis.

ASSERO cum hac ſententia, propoſitiones de futuris contingentibus eſſe determinatæ veritatis.

PROBATVR à D. Bonau. primò *ad cap.* 8. *Sap.* ex 236
illis verbis: *Scit præterita, & de futuris æſtimat, verſutias ſermonum, & diſſolutiones argumentorum, ſigna & monſtra ſcit, antequam fiant, & euentus temporum, & ſeculorum.*

PROBATVR ſecundò à S. D. Non minùs verè prædixerunt Prophetæ præterita, quàm futura, vt probat de Moyſe, qui præterita in Gen. ſi ſcripſit, & futura in Deuteronomio. Eodem argumento vtitur *in* 1.*d.*39. *quæſt. vlt. in corpore.* Quo argumento vtitur Vaſquez.

PROBATVR tertiò à S.D. *in cap.*14. *Ioan.* ad ea verba *Et nunc dixi vobis priuſquam fiat.* Scilicet Paſſio, 237
Reſurrectio, Aſcenſio; *vt cum factum fuerit, credatis.* Sic enim certò præuidit; atque prædixit futura contingentia paſſionis, &c. vt inde eſſent Apoſtoli credituri eum eſſe Deum, iuxta id 41. Iſa. *Dicite nobis, quæ ventura ſunt, & ſciemus quia Dij eſtis vos.*

Reſpondet Catherinus, propoſitiones de futuro contingenti eſſe quidem veras, quatenus reuelatæ ſunt à Deo, vel ab eo ſcitæ, eò quòd Deus eas habeat in ſua æternitate præſentes; at verò ſi referantur ad cauſas, ex quibus futuræ ſunt; alteram partem contradictionis non eſſe determinatè veram; ſed aut veram; aut falſam diſiunctiuè.

CONTRA arguit Vaſquez. Si ità res illa præſens, 238
vel realiter, vel obiectiuè Deo vera eſt; & ideò verè enunciatur; ſequitur, eam habere determinatam veritatem. Deceptus eſt autem Ariſtoteles, & cum eo Cicero, neſcientes conciliare præſcientiam certam Dei, cum libero arbitrio, quod facilè eſt conciliare; ſi credatur Deus habere infinitum intellectum, comprehendentem quidquid facturæ ſint omnes cauſæ, ſub omnibus conditionibus. Et ità manente contingentiâ cauſarum, Deus certò præſcit ab æterno, quid tandem ſint facturæ, vt diſcurrit S.Bonau. *p.*1. *Breuil. cap.*8 & oſtendemus *quæſt.*11.

PROBATVR quartò à S.D. *in hac quæſt. ad* 1. ex D. Anſelmo, *lib. de concord. præſc. prædeſt. & lib. arb.* vbi è profeſſo diſputat contra Ariſtotelem: oſtendens certitudinem præſcientiæ Dei de futuris contingentibus, neque tamen libertatem hinc temerari.

IDEM docet D. Auguſt. 5. *de ciu. cap.* 9. & 13. *de Trin. cap.*7. & *l.*5. *de Geneſ. ad litt. cap.*15. Tertullianus *l.*2. contra Marcionem *cap.*5. Fulgen. *de fide c.*35. & 33. & alij paſſim.

Vide præcipuè D. Anſelmum; ad quem remittit S.Bonau.

PROBATVR quintò à S.D. *in corpore.* Id, quod eſt 239
perfectiſſimum, abſque imperfectione, eſt Deo attribuendum. Comprehendere omnes cauſas vſque ad vltimam concluſionem contingentis effectus, eſt nobilius, quàm non comprehendere: Ergo. Si igitur Deus ſcit, ea futura: Ergo ſunt determinatæ veritatis. Probatur Conſeq. nam ex Ariſtotele: *cap.*8. *cit.* Si propoſitio eſſet vera; is, qui ante annum pronunciaret, diceret verum. Ergo ſi aliquis eam pronuncians dicit verum; ſequitur, eam eſſe veram. Talis eſt Deus, qui omnes actus cauſarum ſecundarum comprehendit ſuo infinito lumine. Ergo.

PROBATVR ſextò à S D. 1 *d.*39.*q.*2. *ex c.*4. ad Heb. 240
Omnia nuda, & aperta ſunt oculis eius. Hac authoritate vtitur Scotus, *d.*39.*q.*1. Confirmatur à D. Bonau. *in* ex Pſal.137. *Intellexiſti cogitationes meas de longe*, &c.

PROBATVR ſeptimò à D.Bonau. optimo argumen- 241
to. Deus eſt Conditor, & Conſeruator prouidiſſimus, Iudex iuſtiſſimus: Ergo prouidet omnibus contingentibus: Ergo omnia præuidet, vt præmiis prædicet actus rectos; & ſuppliciis reos: Ergo hæc omnia ſunt determinatæ veritatis.

PROBATVR

Probatvr octauò à S. D. *d.39. quæſt. vlt. arg.5. ad opp.* addito reſponſo. Plus diſtant ens, & non ens, quàm ens neceſſarium, & contingens. Sed ea, quæ non ſunt, habent certam ſcientiam in Deo, vt oſtendam *quæſt.*14. Ergo multò magis contingentia.

242 Probatvr nonò à S. D. *in corpore.* Si futura contingentia non haberent certitudinem in mente Dei; ſequeretur, Deum accipere ſcientiam à rebus, & ab eis pendere, & mutabilem eſſe ad mutationem rerum, & fallibilem, ac contingentem. Sed hoc eſt maximum dedecus Deo iniuſtum. Ergo. Hac ratione vtitur Scotus *d.39. q.1.* apud Fauentinum *d.54. cap.*8. Similiter ſequeretur, fallaces, & incertas eſſe prophetias, & prædictiones Diuinas: Hoc autem eſt falſum, & ratio eſt, quia Deus circumuenit omnes cauſas vſque ad vltimam reſolutionem; & ideò poteſt præuidere, & prædicere futura contingentia infallibiliter. Hâc doctrinâ ſoluuntur argumenta oppoſita. His rationibus S.D. vtuntur poſteri.

Obiicsas primò. Contingentia ſunt indifferentia. Ergo & cognitio eorum, nam cognitio pendet à rebus; & tunc eſt intellectus verus, quando aſſerit id, quod eſt.

243 Respondat D. Bonau. locis adductis, maximè *in Breuil.* & *d.38 quæſt. vlt.* verum eſſe de ſcientia creata; quæ omninò pendet à rebus, & ſuſpenſa manet, rebus ſuſpenſis: at verò Deus ſuâ infinitâ Luce pertingit quicquid facturæ ſunt cauſæ contingentes, in quam partem ſe ſint determinaturæ, &c. independenter ab ipſis, vt oſtendi *quæſt. præcedenti.*

Obiicies ſecundò. Sequeretur, illas res non contingenter futuras; ſed neceſſariò: aut ſi contingenter, poſſe Deum falli.

244 Reſpondet D. Bonau. *d.38. art.2. q.1. fund.4.* & *in corpore*, præſcientiam Dei præuidere res, eo modo, quo futuræ ſunt; ideò nullam rebus neceſſitatem imponere, vt oſtendam *quæſt.*11. At num ideò D.Th. & alij errant? Abſit, reſpondeo enim cum Tanner. Volunt, futura eſſe indeterminata nobis, & ſæpè Angelis; non autem Deo.

Alio modo componit Macedo, eas non eſſe veras ante decreti diuini determinationem. Id ſenſit Scot. *1.d.39. quæſt. vn.* Quare & Salmaticenſes *tract.3. de ſcientia Dei, d.7. dub.*6. ad Scotum accedunt.

QVÆSTIO IX.

Vtrum Scientia Dei ſit cauſa futurorum.

{ D.Bonau. d.38 q.2.
{ D.Thom q.14. art.8.

245 SCito primò ex D. Bonau. *l. 1. compend. Theol. cap.*29. quod licèt ſcientia Diuina ex parte Dei ſit vna ſimpliciſſima; tamen ex parte rerum cognitarum poteſt diuidi. Nam alia eſt ſcientia Dei de ſe: alia de creaturis. Rurſus ſcientia de creaturis, vt poſſibiles ſunt, dicitur: *Scientia ſimplicis intelligentiæ*: quatenus reſpicit futura, dicitur: *Præſcientia*: quatenus reſpicit ea, quæ benè fiunt, dicitur: *Approbatio*: quatenus reſpicit omnia, quæ fiunt ſiue bona, ſiue mala, dicitur: *Viſio*; quo nomine dicitur etiam præſcientia. Quatenus verò eſt cognitio eorum, quæ ab ipſo Deo facienda ſunt, dicitur: *Diſpoſitio*, vel *Prouidentia*: quatenus eſt cognoſcitiua præmiandorum, dicitur: *Prædeſtinatio*: quatenus eſt cognoſcitiua damnandorum, dicitur: *Præſcientia reprobatiua.*

246 Idem habet *p.1. Breuil. cap.*8. vbi ait quod Diuina ſapientia, quoniam non modo eſt cognoſcitiua omnium; ſed etiam ratio cognoſcendi omnia: *Ideò quatenus eſt ratio cognoſcendi omnia, dicitur Lux: quatenus eſt ratio cognoſcendi omnia viſa, & approbata, dicitur Speculum: quatenus eſt ratio cognoſcendi præuiſa, & diſpoſita, dicitur Exemplar: quatenus eſt ratio cognoſcendi prædeſtinata, & reprobata, dicitur Liber Vitæ. Eſt igitur Liber vitæ, reſpectu rerum redeuntium ad Deum; Exemplar, vt exeuntium; Speculum, vt euntium. Lux, reſpectu omnium.*

Qvoniam verò ex parte Dei vnica eſt ſcientia tuitoria, quæ ſit Deus ipſe; ideo ſubdit *cognoſcit contingentia infallibiliter: mutabilia immutabiliter: futura præſentialiter: temporalia æternaliter: dependentia independenter.* Hæc S Bonau.

Ex hac doctrina ſcientiæ Diuinæ habetur etiam ſcientia Practica, & ſpeculatiua iuxta diuiſionem aliorum. Speculatiua eſt de obiecto, non ordinato ad opus, vt quòd relationes ſint quatuor. Tametſi Scotus oppoſitum dixerit, quem refellit Suarez *l.c.* Vaſquez *d.*69. Practica verò, quæ ordinatur ad opus, vt cognitio creaturarum; quo pacto etiam dicitur Ars, Prudentia, &c. Ita etiam Suarez *l.3. de attrib. poſit.c.*4. Arriaga *d.18. ſec.*1. 247

An verò ſcientia ſit cauſa rerum; & quæ: eſt in controuerſia, circa præſcientiam.

Prima opinio eſt recentiorum Thomiſtarum quorundam, qui nimis ſuas prædeterminationes Zelantes, vt notat Faſolus, *quæſt.14. art.8. dub.*3. ac timentes, ne ſi diceretur Deus ideo res præſcire, quia futuræ ſunt: atque è contra volentes, ideò res futuras, quia præſcitæ, poſuerunt ſcientiam etiam viſionis eſſe cauſam rerum. Vide D.T. quem ſequuntur Caietanus, Bannes, & alij ad hunc *ar.*8. Aluarez, *l.2. de auxil. d.*16. Gonzal. *d.*38. Ripa *ar.13. dub.*4. Nauaret. *ar.13. controu.*53. Eam ſententiam adſcribunt Palatio 1. *d.38. quæſt.*2. qui ſi attente legatur, non vult, ſcientiam nudam à decreto Dei præſcendentem, eſſe cauſam rerum, vt ei adſcribunt.

Idem contendit Gregor. de Valentia *quæſt.14. p.*8. imò ante omnes citatur Magiſter *d.*38. & nonnulli alij. Sed Magiſter oppoſitum aſſerit; vt notat D. Bonau. *d.38. dub.3. litt.*

Opposita tamen ſententia eſt D. Bonau. *hîc*, quem ſecuti ſunt ferè omnes. E Scotiſtis, Faber *d.54. cap.*1. Vulpes *d.30. art.*7. Smiſing. *tract 3.d.2.num.*68. Maſtrius *d.3. quæſt.3. num.*88. aliique. E cæteris, Suar. *loc. cit.* Vaſquez *ad art.* hunc D. Thom. & *d.68. cap.*6. Molina *quæſt. 14. art.*8. Zumell. *ad art. cap.* D. Thom. & videtur fuiſſe opinio Alenſis *p.1. q.*24. Alberti *d.*38. Gregorij ibidem, quos allegat, & ſequitur Tanner. *d.2. quæſt.8. dub.*10. Hi omnes concedunt quidem, ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, vt directiuam, eſſe cauſam rerum, quippè quæ oſtendit Deo practicè quomodo res debeant fieri, atque accedente voluntate approbante eſſe cauſam rerum effectiuam, attamen ſcientiam viſionis, quæ eſt præſcientia, non eſſe cauſam rerum, ſed futuritionem rerum ſupponere. Ità præfatos Doctores cum D. Bonau. explicat Trigoſius *quæſt.10. art.4. dub.*3. Ribas *t.4. d.5. cap.*8. 248

Advarta autem primò, S.Doctorem videri quidem cum priori ſententia velle, præſcientiam eſſe cauſam rerum, ſed eius ſenſus eſt, præſcientiam, ſumptam pro re, quæ eſt ſcientia Dei, eſſe cauſam rerum, quia dirigit voluntatem ad opus artefactum, ſeu ſecundùm artem faciendum; at verò ſumpta præſcientia pro hoc nomine *præſcire*; ſolùm antecedit futura duratione; & ſupponit ea iam decreto

ſtatuta eſſe, vt ſint: Sumitur enim pro Scientia Dei, vt præuidet res, eo modo, quo futuræ ſunt, & ſcientiæ Dei addit, *præ*, ſeu *anteceſſionem* reſpectu rei creandæ, vt admonet Bouërius *demonſtr.*1. *in Ath.art.*18.

249 Rvrsvs aduertè, S. Doctorem diſtinguere futura. Alia enim ſunt, quæ à ſolo Deo ſunt, & horum ait S. Bonau. Scientiam Dei eſſe totam cauſam, non quidem totam, vt excludit Dei voluntatem; ſed vt excludit alias concauſas creatas. Alia ſunt, quæ ſunt à Deo, & à cauſis ſecundis cooperantibus; & horum non eſt tota cauſa Diuina ſcientia, cum Diuina voluntate; alia ſunt, quæ ſunt mala; atque adeò Diuina ſcientia nollo modo eſt cauſa, quia ad culpas patrandas non ordinat, vel dirigit Diuinam voluntatem, neque approbat eas, ſicut approbat entia futura; vnde etiam dicitur Approbatio.

250 Notandvm tertiò, Præſcientiam dicere ſcientiam præcedentem res; atque adeò præſcientia non reſpicit præterita, vel præſentia; ſed ſola futura. Similiter de impoſſibilibus non eſt præſcientia, neque de ſempiternis neceſſariis, quæ non poſſunt aliter ſe habere; ſed de ſolis futuris, quæ poſſunt non eſſe.

Asserò primò, Scientiam Dei eſſe rationem, qua diuina voluntas producit futura. Eſt de fide.

251 Probatvr à D. Bonau. primò *ad cap.*7. *Sap.* ex illis verbis: *Omnium enim Artifex docuit me ſapientia*, quam vocat artificem ſuperiorum mediorum, & inferiorum. Et ſubdit: *Attingit autem à fine vſque ad finem fortiter, & ſuauiter diſponens omnia. Omnibus mobilibus mobilior.* Ideſt velocior ad operandum. *Ad cap.*9. vrget id. *Feciſti omnia verbo, & ſapientia conſtituiſti, &c.* Et id 1. *Cor.*1. vbi Dei ſapientiam *virtutem vocat.* Et id Pſal.103. *Omnia in ſapientia feciſti.* Hoc probat illo præſertim *Prou.*8. præclaro oraculo. *Quando appendebat fundamenta terræ, cum eo eram cuncta componens.* Confert autem ea verba cum his, Sap.9. *Sapientia tua, quæ nouit opera tua, quæ & affuit tunc, cum orbem terrarum faceres, &c.* Idem probat S.D. *ad cap.*1. *Ioan.* ex illis verbis: *Omnia per ipſum facta ſunt.* Vbi quærit, cur potius Pater per Filium dicitur omnia condidiſſe, quàm Filius per Patrem. Et reſpondet, hoc dici, quia ſapientia Filio adſcribitur. Ità *Pſal.*103. dicitur: *Omnia in ſapientia feciſti.* Deinde, quia Filius eſt ars, & Idea omnium. His authoritatibus vtuntur Suarez, Trigoſius, & alij, innominato Seraphico.

252 Probatvr ſecundò à D. Bonau. ex D. Auguſt. *l.*15. *de Trin. cap.*13. vbi ait: *Vniuerſas autem creaturas ſuas ſpirituales, & corporales, non quia ſunt, ideo nouit; ſed quia nouit, ideo ſunt; non enim neſcierat, quæ fuerat creaturus. Quia ergo ſciuit, creauit; non quia creauit, ſciuit.* Hoc autem explicat de entibus; non de culpa, quæ non ideò eſt, quia Deus præſciuit, vt ait D. Auguſt. *l.*5. *de ciu.cap.*10.

253 Probatvr tertiò *hic* à S.D. *arg.*2. *cum reſponſo.* Ea eſt cauſa, ad quam ſequitur eſſe effectûs, ſed ad ſcientiam Dei ſequitur multitudo futurorum. Ergo. Maior patet, quia eſt definitio cauſæ ex 2. *Phyſ.t.*61. Minor probatur ex allatis Scripturis.

Probatvr quartò à S.D. ibi *arg.*3. *cum reſponſo.* Quidquid entis, & boni eſt extra Deum, eſt à Deo; qui eſt prima cauſa. Deus operatur per artem, atque adeò per intellectum, & ſcientiam; nam opera Ideis aſſimilantur, ex Ariſtotele 7. *Met.t.*23. Ergo.

Probatvr quintò à D. Bonau. *arg.*4. *cum reſp.* Quod eſt in ſciente per modum exemplaris, eſt in eo vt cauſa. Res futuræ ſunt tales: Ergò. Maior patet, quia ità ſe habet forma exemplaris ad artem, ſicut forma naturalis ad opus naturæ. Sed hæc non agit, vt actuat ſubiectum; ſed vt inclinatur à naturâ ad opus: ergò & exemplaris, quæ voluntatem includit inclinantem ad opus. Hæc ratio eſt D.Aug. *l.*83. *q.*46. D.Th. *q.*14. *art.*8. Trigoſij, & Bouëtij *loc.cit.*

Obiicias. Scientia practica, quæ eſt cauſa rerum poteſt errare: at Scientia Dei nequit errare: Ergo.

Reſpondet Arriaga *d.*18. *ſect.*1. *ſubſect.*3. contra Herize *d.*9.*ſ.*3. & Scotiſtas, ſufficere ſcientiæ practicæ eſſe operatiuam, etſi ſit fallibilis; ſicut ſufficit contemplationi ſiſtere in ſuo obiecto. Adde, Scientiam Practicam Dei infinitam non eſſe erroribus obnoxiam.

Assero ſecundò. Scientiam Dei, non eſſe cauſam omnium futurorum.

Probatvr à D. Bonau. primò Deus nullius eſt 254
cauſa, niſi per voluntatem: ſed multa præſcit, ad quæ non eſt eius voluntas: Ergo. Maior probatur è Scripturis. *Omnia quæcunque voluit fecit.* Pſal. 113. *Ipſe dixit, & facta ſunt: ipſe mandauit & creata ſunt.* Pſal.148. Et oſtendetur *diſp.*16. Minor probatur; quia Deus non vult peccata, vt latè oſtendam *diſp.*16. *quæſt.*13. Igitur mala inferuntur futura vi illationis è Scientia Dei, ſed non tanquam è cauſa futuritionis, quod alio modo alij dicunt, ſecundum rationem inferendi; non eſſendi, vt docet D.Bonau. *ad* 2.

Assero tertiò. Præſcientiam, vt ſumitur à Theo- 255
logis propriè pro ea, quæ præuidet futura, non eſſe cauſam rerum. Hoc latè apparebit *quæſt.*11.

Probatvr à D. Bonau. primò è Patribus, præcipuè D. Anſelmo *l. de concord. &c.* vbi neceſſitatem futuritionis rerum ait ſumendam, non ex eo, quòd res præſciantur à Deo; ſed ex eo, quòd iam decretæ ſint futuræ ad eſſe: Deum verò præſcire res ex ſuppoſitione, quòd ſunt futuræ: ſcientiam verò, quæ eſt cauſa rerum, non eſſe præſcientiam. Idem volunt D. Aug. *loc. cit.* ſuprà, & D. Gregor. *l.*20. *Moral. c.*24. qui ſolùm negant, ſcientiam à Deo hauriri è rebus ipſis, quod aſſerit etiam S. Bonau. Hanc aſſertionem aſtruunt multi alij PP. Iuſtinus *l.qq. à gent. poſitarum q.*58. Orig. *in epiſt. ad Romanos, cap.*8. Hieronym. *ad* 28. *Hier.* & 2. *Ezech.* Leo *ſerm.*16. *de Paſſ.* Chryſoſt. *hom.*60. *in Matth.* Cyrill. *l.*9. *in Ioan. cap.*10. Beda *l. quæſt. q.*13. Damaſc. *Dial. cont. Manich.* Boët. *l.*5. *de conſ. proſ.*3. Rop. *ad* 2. *Iſa.*

Respondet D. Th. Origenem (& ſic alios velle ſolùm, res eſſe cauſam, vt Deus ſciat eas ſecundùm illationem conſequentiæ, non ſecundùm rationem eſſendi ipſius ſcientiæ.

Contrà arguit Tanner. *num.*7. Nam hac ratione etiam dici poſſet, ideò futurum peccatum, quia Deus præſciuit; quod tamen nemo dicet; & negatur à Patribus allegatis.

Nazarius *quæſt.*14. *art.*8. *contron.*1. multas interpretationes Origenis affert. Prima eſt, quæ eſt D. Th. Secunda eſt iuxta noſtram ſententiam, Non ideo res eſſe futuras, quia Deus ſcientiâ viſionis eas nouit; ſed potius Deum ità præſcire, quia ità futurum eſt.

Aliam expoſitionem affere dicens; Origenem lo- 256
qui de actibus malis, qui non ideo futuri ſont, quia à Deo præuiſi, cùm Deus non ſit cauſa eorum; & hic ſenſus eſt etiam D.Bonau. *hic.*

Alio modo exponit, vt ſola ſcientia abſque beneplacito Dei non ſit cauſa rerum futurarum. Porrò id, quod dicitur, ideò præſciri à Deo, quia futurum eſt, non eſſe à futuritione, tanquam à vera cauſa, ſed tanquam à conditione, ſine qua non. Ita exponitur à Magiſtro, *ea diſt.* ſed renuit S. Bonau. *quæſt.*2. vt mox dicam *quæſt.ſeq.*

Probatvr ſecundò à D. Bonau. Si præſcientia Dei 257
eſt cauſa rerum. Ergo cùm præſciat peccata, eſſet cauſa eorum. Ex hoc fundamento elicitur alia ratio. Scientia,

quæ

quæ eſt cauſa rerum, determinatur per voluntatem liberam ad opus, vt fatetur etiam D. Th. *hic*; at ſcientia viſionis non determinatur à volnntate Dei libera, nam ſequitur res iam decretas à Deo: Ergo. Ità etiam Tannerus *d.2. quæſt.8. dub.10. num.9.*

PROBATVR tertiò à S. D. Si præſcientia Dei eſſet cauſa rerum; ſequeretur, eos, quibus Deus communicauit rerum præſcientiam, accepiſſe etiam poteſtatem, eas res creandi.

ALIAM rationem habet S. Bonau. *quæſt.* 2. quia ſcientia ſupponit ſuum obiectum, vt dicam *quæſt. ſeq.*

258 Obiicies. Si ſcientia Dei non eſſet cauſa rerum, niſi prout determinantur à voluntate libera; ſequitur, ſcientiam ſimplicis intelligentiæ eſſe liberam, ſicuti eſt libera voluntas determinans.

Reſpondetur cum S. Bonau. quem ſequitur Tanner. *num.*12. ſcientiam, quæ eſt cauſa rerum, eſſe in ſe neceſſariam; ſed approbatione voluntatis denominari liberam.

IN reſponſione *ad* 4. præclaram habet doctrinam. Argumentum erat contra hoc aſſerendum. Omne, quod ſcitur, eſt in cognoſcente, tanquam in ſua cauſa Sed omne futurum eſt ſcitum à Deo: Ergo eſt in Deo, tanquam cauſa: Ergo præſcientia Dei eſt cauſa omnium futurorum.

259 RESPONDET. Omne, quod ſcitur, eſſe in Deo ad modum recipientis; & quidem res futuræ ſunt in Scientia Dei, tanquam cauſa dirigente voluntatem ad rete facta; culpæ autem in Deo non ſunt, tanquam in cauſa, quia Deus non poteſt eſſe cauſa culpæ, quam nouit, vnde videt defectum futurum ex malitia animæ; ſicut Faber videt defectum ſtatuæ futurum ex vitio nodoſæ materiæ ligni. Ità *ad* 4. Neque ſunt in Deo per propriam Ideam, quia priuatio boni non poteſt habere Ideam; ſed cognoſcitur per Ideam ſui oppoſiti: Præſcientia verò, quia ſubſequitur decretum, non poteſt eſſe in Deo, tanquam in cauſa rerum quoad influxum ad productionem; ſed ſolùm quoad anteceſſionem durationis. Cætera argumenta patent ex dictis ſecundùm diſtinctas aſſertiones. Concludit verò, omnem Scientiam Dei importare cauſalitatem aliquam, ſiue in eſſendo, vt eſſentia; ſiue in inferendo, vt culpæ.

QVÆSTIO X.

Vtrum Præſcientia Dei, ſit cauſata à rebus.

{ D.Bonau. d.38. quæſt.2.

260 QVÆSTIO eſt de præſcientia; nam ſcientia practica dirigens voluntatem Dei ad opus, cùm ſit cauſa rerum, non poteſt eſſe earum effectus.

MAGISTER *d.*38. dicit, res futuras eſſe cauſam, ſine qua non eſſet præſcientia Dei; eum tamen benignè interpretantur Albert. M. *ea diſt.* & alij; res futuras dici cauſam, ſine qua non diceretur præſcientia: & ideò eſſe cauſam denominandi; & ex verbis Magiſtri poteſt hæc interpretatio erui, nam inducit pro abſurdo, res eſſe cauſam præſcientiæ Dei; alioqui æternum penderet à temporali; quod profectò ſequitur, ſi primo modo ſumatur futurum eſſe cauſam, ſine qua non, præſcientiæ Dei. Vnde aduerte non adſcribi eo modo Magiſtro à D. Bonau. vt aliqui putant.

261 ADVERTIT autem S. D. triplex eſſe genus cauſæ, vt ad præſens ſpectat: alia eſt cauſa in eſſendo, quæ propriè eſt cauſa; quia eſt productiua effectus: alia eſt cauſa inferendi, quia in bona conſequentia vnum infertur ex alio: alia eſt cauſa denominandi.

IAM verò aſſerit primò; futura non eſſe cauſam eſſendi præſcientiæ Dei.

PROBATVR à D. Bonau. primò. Omnis cauſa eſt nobilior ſuo effectu. Res creatæ non ſunt nobiliores Deo: Ergo. Hoc argumento vtitur etiam Magiſter. 262

PROBATVR ſecundò à S. Dionyſ. Increatum non poteſt eſſe productum à creato. Scientia Dei eſt increata: Ergo.

VASQVEZ, hanc rationem ait futilem, deceptus, putans, Seraphicum hac vti ad probandum, res creatas non eſſe cauſam præſcientiæ, ſaltem in inferendo; cum tamen in corpore ſe declaret, ea vti pro hac aſſertione excludente cauſalitatem realem tantùm, non autem inferendi, quam etiam ipſe Vaſquez *d.67. cap.6. num.* 46. concedit. Quo ſenſu eam admittit etiam S. Iuſtinus M. ſuprà *cit. loc.*

CONFIRMATVR à S.Bonau. *in corpore* ex Origene ſuprà citato *in cap.8. ad Rom.* vbi concedit quidem; *Quia res futura eſt, Deus illam præſciuit*; & negat propoſitionem conuerſam, quæ eſt. *Quia Deus rem præſciuit; futura eſt.* Vnde prima opinio corruit.

ASSERO ſecundò, futura eſſe cauſam inferendi præſcientiam Dei; & vice verſa.

PROBATVR. Valet enim: Res eſt præſcita: Ergo futura. Et hoc ex infallibilitate Diuinæ Scientiæ. Similiter valet: Res eſt futura: Ergo præſcita ex infinitate Diuinæ Scientiæ, quam nihil poteſt latere. 263

ASSERO tertiò, præſcita eſſe cauſam, vt ſcientia denominetur præſcientia; & ſic explicari poteſt Magiſter. Probatur, quia particula, *præ*, denotat anteceſſionem. Vnde inſurgit relatio rationis ad ſuccedentem rem, quæ refertur ad præſcientiam.

Obiicies primò. Si res non eſſent futuræ, iam non eſſet præſcientia de eis, vt futuræ ſunt: Ergo aliqua ſcientia deeſſet Deo, quæ eſt à rebus præſcitis cauſata.

Reſpondet S. D. ſcientiam, quoad rem, eſſe neceſſariam in Deo: præſcientiam verò addere ſupra ſcientiam, ſolam præexiſtentiam, reſpectu futuri; ità, vt denominatio noua addatur. 264

VNVM in littera parit difficultatem, quia S. D. ait. Futurum eſt cauſa præſcientiæ, ſecundùm rationem dicendi; ſed non è conuerſo. Sed hoc eſt difficile, quia ſicut futurum eſt cauſa dicendi præſcientiæ: ita præſcientia eſt cauſa nominandi præſcitum.

Reſpondetur, rem ita eſſe; attamen præſcientia non eſt cauſa denominandi res eſſe futuras; nam ſupponuntur futuræ ante præſcientiam; & hoc eſt, quod negat Seraphicus Doctor. 265

QVÆSTIO XI.

Quomodo Præſcientia Dei ſtet cum futurorum contingentia.

{ D.Bonau. d.38. art.2. quæſt.1 & 2.
{ D.Thom. art.9. & 13.

STOICI, omnia nobis à Fato euenire neceſſariò, ſunt arbitrati; vnde eſt illud Cleantis apud D. Aug.5. de ciu. Dei cap.8. *Ducunt volentem fata; nolentem trahunt.* Hunc errorem ſecutus eſt Vuiclephus *art.*27. damnatum in Concilio Conſt.*ſeſſ.*8.& Lutherus *art.*36. vbi laudat errorem Vuiclephi. 266

eſt tranſgreſſus ; facere mala , & non fecit. Prima Cor.9. *Non ſum liber ? Non ſum Apoſtolus ?* Act.5. *Nonne manens tibi manebat ; & venundatum in tua erat poteſtate ?*

274 Tertivm caput eſt eorum, in quibus conditio includitur libera ad virtutem ; & oppoſitum. Iſa.1. *Si volueritis, & audieritis me, bona terræ comedetis.* Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi ſerua mandata.* Ibidem. *Si vis perfectus eſſe , vade , vende omnia , &c.* Lucæ 9. *Si quis vult poſt me venire abneget ſemetipſum.*

275 Qvartvm caput eſt eorum, quæ continent reprehenſionem. Sequitur enim , potuiſſe hominem non facere ea , quæ fecit , vt *Geneſ.*3. Deus ait Mulieri : *Quare hoc feciſti ?* Geneſ. 4. *Quare iratus es, & cur concidit vultus tuus ? non ne ſi benè egeris recipies ?* Si enim neceſſariò id feciſſent non diceretur ei : cur feciſtis ? ſicuti non dicitur Oui : cur fugis Lupum ?

Qvintò ſunt loca , quæ continent laudes Sanctorum Patrum , Noë , Abrahæ , Iſaac , Iacob , Ioſeph, Moyſis , Iob , Dauid , Tobiæ , Prophetarum , de quibus *in Eccleſiaſtico*, & *in epiſt. ad Hebræos* habentur Panegyrici.

276 Item ea , quæ continent præcepta , conſilia , cohortationes. Qualia ſunt Prouerbia Salomonis. Liber Eccleſiaſtici. Magna pars Pſalmorum. Prophetarum. Euangeliorum. Epiſtolarum Petri , Pauli , Ioannis, Iacobi , Iudæ. Hæc omnia conuincunt , hominem eſſe liberi arbitrij, vt colligit S. Auguſt. *l. de Gratia, & lib. arb. cap.*2.

Hæc , & alia loca recitat Bellarm. vbi ſuprà , quæ paſſim reperiuntur In Seraphico Doctore.

277 Tandem loca omnia , in quibus à Deo pœnæ , & præmia pro meritis ſtatuta ſunt. Hæc enim conuincunt , hominem ad eos actus liberum eſſe ; nam pro his , quæ neceſſariò agimus , nec laudem , nec vituperationem ; nec præmium , nec pœnam meremur. Deus autem in dicendo eſt verax , in iudicando iuſtiſſimus ; neque poſſet iudicare hominem de eo , in quo non fuit liber , vt arguit S. Gaudentius Epiſcopus Brixiæ *tract.*3. *in Exodum* , & S.Bonau. *hic.*

Probatur verò à S. D. ratione naturali etiam contra Stoicos : (Dicerem & contra hæreticos, niſi Stoicis ſtupidiores eſſent) ſumitur autem à conſenſu totius orbis terrarum. Nulla eſt enim , aut fuit vnquam Reſpublica ; nullum Imperium ; nullum Regnum, quod non habuerit publicum Concilium , Magiſtratus , Leges , pœnas , præmia. Quæ omninò ſupernacanea eſſent ; ſi libertatem arbitrij Deus impediret ſuâ præſcientiâ , vel operatione ; & quod mirandum eſt , ij etiam hæretici , qui talibus Inſaniis debacchantur , docent , ſuadent , imperant , indicunt præmia , & pœnas ; hortantur , ſolliciti ſunt de rebus futuris præcauendis ; vltiones , defenſiones parant ; reiiciunt media ; alia eligunt , &c. vt notauit ex Aphrodiſæo Euſebius *l.* 6. *de præparat. Euang. cap* 7. Ideò *cap.*5. ait , eos , qui blaterant , omnia fieri ex neceſſitate , euertere humanam vitam vniuerſam.

278 Probatvr ſecundò *fund* 3. à S. D. Deum , quò ad aliqua , nihil lædere ſuâ præſcientiâ arbitrium. Vt Deus ſuâ præſcientiâ tollat contingentiam rerum , debet aliquid influere in res ipſas , vel in arbitrium cauſatiuè. Sed ſic eſt , quod multa ſunt , quæ Deus non cauſat ; vel ſi cauſat , non cauſat ſe ſolo. Ergo , &c. Maior probatur ; nam cùm liberum arbitrium poſitiuè ſit liberum (vt ſuppono) in actibus ſuis , oportet dari aliquid tollens vel impediens hunc effectum. Minor probatur à S. Bonau. quoad alteram partem ; nam peccata nullo modo ſunt à Deo ; neque habeat cauſam efficientem ; ſed deficientem. Quoad alteram partem verò probatur. Quia , quando aliquis effectus pendet à duabus cauſis , quarum altera poteſt efficere ; vel non efficere ; vel quia poteſt impediri ; vel quia liberè vult ; tunc is effectus eſt ſimpliciter contingens. Sed effectus contingentes pendent à Deo 279
operante per intellectum (adde etiam per voluntatem, profectò liberè , quod eſt dicere eminenter contingentiam ; nam contingentia ſimpliciter ſonat aliquam imperfectionem , vt notat Caietanus *art.*13. & Valentia *loc. cit.*) pendent etiam à libero arbitrio ; vel aliis cauſis contingentibus. Ergo effectus erit contingens. Hoc argumentum probat , quod , etiamſi Deus ageret ex neceſſitate , adhuc effectus eſſet contingens , vt notat Valentia *loc. cit.* Sed pro nunc, valeat pro ſtatu rerum præſenti. Maior probatur ; nam ſi cauſa , quæ poteſt non operari , non operaretur ; tunc ſimpliciter effectus non fieret , neque ab illa, neque ab alia cauſa. Hoc enim eſt , effectum à pluribus cauſis pendere , id eſt , ità nimirum debere eſſe à pluribus ; vt vna deficiente , non fiat effectus. Hæc ratio elicitur. è D. Auguſt. *l.* 3. *de lib. arb. cap.*4. *tom.*1.

Si dicas , contingentiam effectuum lædi à præſcientia Dei , non vt cauſæ ; ſed vt cognitio eſt.

Contrà primò , quia ſcientia per ſe non influit 280
aliquid in effectum contingentem ; neque verò Deus influit vnquam per ſolam ſcientiam ; ſed per ſcientiam , & voluntatem , vt ſuprà oſtendit *art.* 1. maximè *quæſt.*1. *fund.*1. & *corpore* ; & dixi *quæſtione* 9.

Deinde arguit quartò Valentia , è D. Bonau. ad 281
vlt. Si præſcientia , vt ſcientia , tolleret contingentiam rerum , maximè quia poſſet falli , ſi res præſcitæ non euenire poſſent ; at hoc non ſequitur : nam , ſi ponas effectum non euenire ; debes & ponere, non fuiſſe à Deo præſcitum ; nam præſcientia reſpicit res futuras. Ità nulla Dei præſcientia erit falſa.

Probatvr tertiò à S. D. *fund.*4. Id , quod eſt 282
poſterius alio , non valet eius tollere eſſentiam. Sed actus Diuinæ præſcientiæ eſt poſterior futuritione contingenti rerum. Ergo nihil lædit contingentiam. Et ideò , ſi præſcit aliquem peccaturum , præſcit eum aliter poſſe facere ; & liberè peccaturum , quia attingit totam ſeriem contingentiæ , vſque ad vltimam reſolutionem voluntatis incluſiuè. Maior patet ; nam id , quod tollit aliquid , debet influere aliquid in illud. Ergo ſecundùm aliquam prioritatem ſe habet ad talem effectum. Minor probatur è pluribus Sanctis PP. qui habent illud Axioma recitatum à S. D. hîc, & in corpore. *Res eo modo ſunt præſcita , quo futura ſunt.* Et ideò præſcientia ſequitur rerum futuritionem. Hi ſunt Infrà referendi , quibus addatur Origenes *in cap.* 8. *epiſt. ad Rom.* adductus iam à Seraphico *d.* 38. *art.* 1. *quæſt.*2. *arg.*1. & expoſitus in corpore. Quia aliquid eſt futurum , ideò ſcitur à Deo antequam fiat. Vbi S. D. exponit , res eſſe cauſam præſcientiæ non ſecundùm eſſe , id eſt non eſſe cauſas Phyſicas Scientiæ Dei ; ſed benè ſecundùm rationem denominandi ; quia Scientia Dei à rebus præſcitis iam futuris accipit nomen præſcientiæ ; quod non eſt aliquid reale additum in Deo , cùm reſpiciat effectus liberos , & ab eis deſtuatur ; at verò omne , quod eſt in Deo, eſt ipſe Deus ens neceſſarium ſimpliciter ; ſed addit ſupra ſcientiam, ſolum reſpectum rationis ad creaturas præuiſas. Itidemque eſſe cauſas inferendi ſe mutuò. Sequitur enim: hoc eſt præſcitum : Ergo eſt futurum. Hoc eſt futurum : Ergo

præſcitum; diuerſo tamen ex fonte, vt dixi *quæſt.*10. Quæ omnia veriſſima ſunt, vt fatetur Vaſquez *d.*68. *cap.*6. *num.*44. licèt paulò ante, id eſt *num.*35. aſſeruerit, S. Bonauenturam ſuprà negare, præſcientiam eſſe poſt futuritionem rerum, quod mirabile admodum eſt, etiam raptim percurrenti duas quæſtiones S. Doctoris allegatas. Igitur, Deum præſcire futura eo modo, quo iam futura ſunt, aſſerunt etiam alij SS. PP. D. Anſelmus *l.*1. *de concord. præſcien.* & *lib. arb. cap.*2. adductus à D. Bonau. *hic, arg.*1. & expoſitus in corpore. Ait autem. *Hoc ipſo, quòd præſciri aliquid dicitur, futurum eſſe pronunciatur. Non enim, niſi quod futurum eſt, præſcitur, quia ſcientia non eſt, niſi veritatis. Quare, cùm dico. Si Deus præſciuit aliquid, neceſſe eſt illud eſſe futurum, idem eſt, ac ſi dicam; ſi erit, ex neceſſitate erit. Sed hæc neceſſitas non cogit, nec prohibet aliquid eſſe, aut non eſſe.* Vbi aduerte rationem D. Anſelmi, quam affert etiam S. Bonau. in argumento. Ideo res præſupponuntur vere futuræ, dum præſciuntur à Deo futuræ, quia ſcientia non eſt, niſi veritatis. Et hæc eſt etiam ratio D. Auguſt. 4. *de Geneſ. ad litt. cap.*32. vbi ait: *Neque enim cognitio fieri poteſt, niſi cognoſcendum præ-*
284 *cedat. Quælibet enim Scientia ſupponit ſuum obiectum, quod ſciat*; vt habet D. Bonau. & poſt eum Vaſquez *num.*39. quod idem de cognitione Dei ſpeculatiuà verum eſt. Præſcientia autem dicit, & ſcientiam, & præceſſionem, vt dixit Seraphicus *art.*1. *quæſt.*1. *fund.*2. Ideò idem habet D. Auguſt. *l.*3. *de lib. arb. cap.*4. *tom.*1. adductus à D. Bonau. *fund.*1. Ibi enim D. Auguſt. primò oſtendit, præſcientiam in ratione præſcientiæ non lædere arbitrium, dicens: *Si tu præſcires, aliquem peccaturum, non continuò peccare cogeres, quem peccaturum eſſe præſcires, quamuis ſine dubio peccaturus eſſet. Non enim aliter id futurum præſcires.* Proſequitur verò latè hoc Axioma. Vide ipſum. Idem habet 5. *de ciu. Dei, cap.*9. *tom.*5. vbi latè proſequitur errorem Ciceronis, & Stoicorum, vt recenſet etiam S. Bonau. *in corp.* referens opiniones relatas à D. Auguſt. & ab ipſo ebibitam doctrinam, quam etiam D. Auguſtini rationibus confirmat, vt dicam infrà. Hæc proſequitur Bouërius *loc. cit.*

Miror autem Vaſquez *cap.* 6. dicere, quòd D. Auguſt. ſolùm *cap.* 10. *in fine* hanc doctrinam habet, non vniuerſalem; ſed de ſolis peccatis, ideſt præuiſa eſſe à Deo, quia futura ſunt, cùm habetur vniuerſaliter *cap.*9.

285 Imo tangit doctrinam ſoluentem difficultates, dicens: *Et ipſæ quippè noſtræ voluntates in cauſarum ordine ſunt, qui certus eſt Deo, eiuſque præſcientia continetur, quoniam etiam humanæ voluntates humanorum operum cauſæ ſunt; atque ita, qui omnes rerum cauſas præſciuit, profectò in eis cauſis etiam noſtras voluntates ignorare non potuit, quas noſtrorum operum cauſas eſſe præſciuit.* Indicat igitur, qua ratione in cauſis inſpiciendo, videat effectus, quia videt earum omnes actus contingentes, vſque ad vltimam determinationem illarum iam futuram.

286 Id eleganter ſcribit S. Gaudentius, Brixienſis Epiſcopus, & ciuis, *tract.*3. *in Exod.* ſuper ea verba: *Tollat vnuſquiſque* Agnvm. *Non addit*, Occidat; *ſed* Occidat; *Synagoga quippè Iudæorum, quod erat crudeliter factura, prædictum eſt; non vt fieret, iuſſum eſt, vt ſcilicet occiderent Chriſtum, cuius figura erat agnus; nec ideò factum eſt, quia prædictum erat; ſed ideò prædictum eſt, quia erat futurum; vt præſcientiam Deus in his, quæ per libertatem arbitrij hominum futura erant, oſtenderet. Libertatem diximus, quia voluerunt facere Iudæi, quod fecerunt; & vtique ſi noluiſſent, non feciſſent. Præſcientia quidem Dei non fallitur; ſed nec homini conceſſa ſemel voluntatis libertas aufertur, ne nihil de eo iudicare poſſit, qui non fuerit liber in agendo.* Per hæc, omnia aduerſa ſoluuntur. Hæc S. Gaudentius, qui, teſtibus Bellarmino, & Valentiâ, fuit S. Ambroſio æqualis, à quo fuit ad Epiſcopatum raptus.

Idem ſentit Boëtius *l.*5. *de conſol. proſâ* 3. allega- 287
tus à Seraphico *arg.*4. vbi ait: *Si aliorſum, quam prouiſa ſunt, detorqueri valeant res prouiſa; iam non firma fuerit præſcientia.* Hoc verò aſſerit, quia iam ſupponit, futurum eſſe, quod præſcitur, & ſi eſt præuiſum, non poterit aliter euenire; alioqui non videretur futurum; ſed eſſet illuſio. Ipſum vide. Sic enim intelligitur etiam à D. Bonau. *ad argumenta.*

Plurimi alij PP. hoc aſtruunt, vt Iuſtinus *l. qq. quæſt.* 58. Chryſoſtomus *homil.* 60. *in Matth.* Damaſcenus contra Manichæos. Cyrillus *l.* 9. *in Ioan. cap* 10. Hieron. *in* 2. *Ezech.* & 26. *Hier.* & Beda *tom.*8. *l. qq. quæſt.*13. apud Vaſquez *cap.*6. & allegati *num.*255.

Hinc habes, Scientiam viſionis, vel præſcientiæ eſſe ſpeculatiuam, non Practicam, vt dixi. Non enim ad futura facienda dirigi poteſt, cùm iam facienda præſupponantur.

Hinc rectè admonet Vaſquez *num.*41. poſt D.Bo- 288
nau. duas in Deo ſcientias eſſe. Alteram approbationis rei ad eſſe, quæ eſt Practica: Et hæc eſt cauſa rerum futurarum, & ideò ratione huius, res ideò futuræ ſunt, quia ſciuntur, vt docet D. Auguſt. 15. *de Trin. cap.*3. & *cap.*13. *tom.*3. relatus à Seraphico *d.*38. *q.*1. & 2. argumentis primis ad oppoſitum. Memini illum dixiſſe *q.*8. aliquam ſcientiam latæ approbationis reſpicere etiam res mox futuras. Hæc eſt rerum laudatio, vt Geneſ. 1. *Vidit cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona.* Altera verò eſt ſcientia Speculatiua, quæ reſpicit futura, iam decreto facta.

Ad dicta S. Auguſtini, res eſſe futuras, quia ſciuntur à Deo.

Reſpondet Vaſquez è D. Bonau. *d.* 38. *quæſt.*2. *ad* 1. quòd loquitur de ſcientia practica, non de ſcientia præſcientiæ, vel viſionis.

Probatvr quartò à D. Bonau. *fund. vltimo*, & 289
in corpore, rationibus S. Auguſt. *l.*3. *de lib. arb. cap.*4. & 5. *de ciu. cap.*9. ſuprà adductis, quæ validiſſimæ ſunt. Si præſcientia Dei imponeret neceſſitatem rebus futuris contingentibus; ſequitur tolli omnes caſus fortuitos, & caſuales; tolli liberum arbitrium; tolli conſiliationes; perire meritum, & demeritum; laudem, & vituperationem. Sed hæc ſunt abſona: Ergo. Sequela patet. Neceſſitas enim repugnat libertati noſtræ, quæ eſt ad contraria, & contradictoria. Sic Apoſtolus 1. *Cor.* 7. ait: *Non habens neceſſitatem, ſed poteſtatem habens ſuæ voluntatis.* Eccleſ. 15. *Deus reliquit hominem in manu conſilij ſui. Adiecit mandata, & præcepta: Si volueris mandata ſeruare, conſeruabunt te. Appoſuit tibi ignem, & aquam: Ad quod volueris, porrige manum tuam. Ante hominem vita, & mors, bonum, & malum, quod placuerit ei dabitur illi.* Neque verò officit reſponſio hæreticorum, hoc dictum eſſe pro tempore innocentiæ; nam etiam opera temporis innocentiæ erant præuiſa à Deo ab æterno. Ergo ſi libera manebant; ſequitur præſcientiam nihil obeſſe. Ita cum SS. PP. & Concilio Arauſic. *cap.*2. aliiſque Concilijs, quæ contra Manichæos decreta ediderunt. Tandem cum Trident. *ſeſſ.*6. *cap.*5. tenent Scholaſtici, præcipuè D. Bonau.

in

in 2.d.15. relati à Bellarmino, *tom.4.de Gratia,& lib. arb.l.3.& cap 5.*

290 PROBATVR ſecundò, neceſſitatem libertati obeſſe. Si enim ad liberum arbitrium ſufficeret immunitas à coactione; ſequeretur etiam in pecoribus eſſe liberum arbitrium, nam & illa ſine coactione ſua ſponte feruntur ad paſcua. Secundò ſequeretur, etiam in pueris, & ſomniantibus eſſe liberum arbitrium, vt oſtendit S.Bonauen. *in 2.d.25.p.p.q.1.* & *p.2.q.6.* & poſt eum Bellarminus, eaſdem rationes adducens *l.c.*

291 TANDEM probatur à D. Bonauen. *ibi,q.2.* nam ſi liberum arbitrium eſſet tantùm circa neceſſaria, tollerentur conſultationes, deliberationes, electiones, &c. quæ admittuntur etiam ab Ethnicis, vt infrà dicam. Nullus enim de neceſſariis,& impoſſibilibus conſilia init, vt dixi.

Hæc ſequela conceditur à Tullio, qui ideò, vt *faceret hominem liberum, fecit ſacrilegum*, vt notat S.Aug. *loc.cit.de ciu.Dei.* vt enim liberum arbitrium tueretur; quo ritè ordinata Reſpublica valeat Senatuſconſulta liberè inire, ac prouidere præuiſis ad libitum ſapientum; dixit *Deum ignorantem, improuidum*, vt notat D.Bonauen. *hic.*

Hoc autem eſſe impium, probatur rationibus allatis *q.3.& ſequentibus* ex S.Bonauen.

292 OPTIMA eſt autem illa allata à S.D. *d.39.artic.1. q.1.fund.3.& q.2.fundamento 5.* Deus eſt prima Cauſa; eſt Conditor, & Iudex rerum omnium, etiam contingentium, earumque optimus Prouiſor: Ergo ea optimè prænouit.

EGREGIA eſt etiam illa, quam habet S. Bonauen. *q.1. illius diſt. fund.4.* Non minus deueniri neceſſe eſt ad vnum primum in ente, quod eſt obiectum intellectûs, & cognoſcibile, quàm ad cognoſcentem omnia entia. Sed ratio naturalis dictat, dari vnum ens continens perfectiones omnium entium. Ergo debet eſſe etiam intelligens actu omnia entia.

293 QVONIAM verò Caluinus, Vuicleph, & alij huius farinæ homines, argumenta opponunt; ea ſoluere paramus. Et quia ſolutiones Seraphici D. omnium optimæ, tamen extortæ impugnantur à Suarez, Vaſquez, & aliis, qui tandem, nec verbo quidem addito, S.Bonauenturæ ſolutiones ſibi adſcribunt; aliqua ſunt prælibanda.

SCITO primò, quòd in triplici differentia ſunt cauſæ, prout ad nos ſpectant. Neceſſariæ, Contingentes, & Liberæ. Cauſa neceſſaria eſt, quæ poſitis requiſitis ad operandum neceſſariò obtinet ſuum effectum, nec poteſt impediri. Sic poſito Sole in capite, & Lunâ in cauda Draconis, cum ambo ſint ſub Ecliptica, interponitur terra, & hæc interpoſitio cauſat neceſſariò Eclipſim Lunarem. Contingens eſt, quæ, licèt nequeat non producere effectum, cùm producit; poteſt tamen impediri. Sic vapor Roridus, oppoſitus Soli, cauſat Iridem, quamvis enim, cùm poteſt Irim formare, neceſſariò formet; tamen poteſt impediri, Verbi gratia à Luna interpoſita in capite, vel cauda Draconis, coëunte cum Sole; vel à vento diſſoluente. Cauſa libera eſt, quæ poſitis debitis requiſitis ad operandum, tamen poteſt non operari. Ex hac varietate cauſarum, effectus etiam emanant; alij neceſſarij, qui poſitis cauſis neceſſariò ſemper eueniunt. Alij contingentes naturæ, qui, poſitis cauſis, poſſunt impediri. Alij liberi, qui poſitis omnibus requiſitis, vt ſint, poſſunt tamen eſſe, & non eſſe. Hîc autem liberos actus, & contingentes voco, quatenus neceſſariis opponuntur; nam etiam liberi poſſunt impediri intrinſecè à voluntate renuente; ſicut alij contingentes ab alia extrinſeca cauſa.

294 SCITO ſecundò ex S.Bonauen. *hic,& q.ſeq.* effectum contingentem poſſe ſumi dupliciter, vel in actu, vel in cauſa. Contingens in actu eſt, cùm iam productus eſt, & tunc quidem, ſi adhuc eſt præſens, contingens eſt ſecundum naturam, quia poteſt non continuari, & non eſſe; attamen ſecundùm ſtatum eſt neceſſarius, quia eſt extra cauſam; & quia id, quod eſt, quando eſt, non poteſt non eſſe. in ſenſu compoſito; & tali ſenſu, verum eſt hoc dictum Ariſt. *1. Perhierm. cap 6.* vt exponit S.Bonauen *hic,ad 3.* Contingens verò in cauſa, propriè eſt contingens; poteſt enim euenire. & non euenire, attamen verum eſt, quod ſuppoſito, quòd ſit euenturus, neceſſarius eſt ex hypotheſi; minùs tamen, quàm cùm eſt actu, quia dum actu eſt, iam habet eſſe extra cauſas; at cùm eſt futurus, eſt tantùm obiectiuè, vt docet S.Bonauen. *d.38.ar.2.q.2.* & poſt eum Vaſquez. Nam effectus in actu partim conuenit cum præterito, qui non poteſt non eſſe præteritus, eſto poſſit Deus abſolutâ potentiâ exiſtentiam illam reproducere, & facere præſentem, vt probabiliter tenent multi; at verò præſens,& futurus, licèt ex hypotheſi, quòd ſint præſentes, & futuri, non poſſint non eſſe tales; tamen poſſunt ſimpliciter non eſſe; poteſt enim præſens deſtrui,& futurum non produci. Ità D. Anſelmus,& D. Bonau. *in corpore & ad argumenta.*

SCITO tertiò, hinc haberi duplicem illam celebrem 295
neceſſitatem. Aliam abſolutam antecedentem, quæ etiam dicitur conſequentis; aliam reſpectiuam conſequentem, quæ etiam dicitur conſequentiæ à D.Bonau. hîc. Neceſſitas antecedens eſt, vt ait S. Anſelmus *l. de concord. praſc.& lib. arb.c.1.* quæ ex cauſa inducit neceſſitatem in effectum. Talis eſt neceſſitas Eclipſis Lunaris, poſito Sole in capite, & Lunâ in cauda Draconis. Ideo nunc dicendum. *Res erit*, quia neceſſariũ eſt, eam fore. Neceſſitas conſequens non inducit neceſſariò effectum; ſed eum ſupponit, & ex ſuppoſitione effectûs optima conſequentia ſequitur; & ideò etiam dicitur comitans. Talis eſt neceſſitas ſuprà adducta. *Res quando eſt, neceſſe eſt eſſe.* Nam hoc dicto ſolùm inferimus, impoſſibile eſſe rem ſimul eſſe, & non eſſe; & futurum ſimul eſſe futurum,& non eſſe futurum. Quæ tamen neceſſitas non tollit rerum contingentiam, & libertatem, vt timuit Ariſt. *l.de Interpretatione,c.8.* At verò neceſſitas illa antecedens prorſus libertati repugnat, vt notat S. Bonauen. poſt D. Anſelmum, nam cum ex parte cauſæ veniat, influit in effectum determinationem ſimul cum ipſo eſſe.

SCITO quartò, quod ſcientia ſimpliciter præcedit 296
voluntatem, quia ipſa dirigit voluntatem; & ideò voluntas ſemper fertur in præcognitum, vt notat S Bonauen. *1. d.39.q.1. fund 5.* At verò præſcientia ſequitur voluntatem, quia, vt ſuprà neruosè probaui, reſpicit futurum, iam à ſcientia approbatum,& voluntate decretum. Hinc ſequitur, præſcientiam non eſſe cauſam rerum, cùm ſit poſt eas ordine, quia quæuis ſcientia ſupponit obiectum, quod cognoſcit, ea ſaltem ratione, quâ cognoſcit. Dixi obiectum, quod cognoſcitur, ſupponi; nam ſi loquamur de obiecto ſcientiæ practicæ, quod eſt opus eius; vt effectus eius non antecedit, ſed ſubſequitur: ſic res futuræ comparantur cum ſcientia practica Dei, quam S. Bonauen. & S.T. vocant *Approbationis.* Hæ namque, ſicut ex Dei voluntate, tanquã ex cauſa futuræ ſunt, ſic etiam pendent ex ſcientia ipſius, quę hoc, aut alio modo illas fieri dictat. Hinc eſt, vt præſcientia nihil omninò obeſſe queat libero arbitrio, cùm ſit poſt eius deliberationem. Eatenus enim Deus præſcit res, quatenus futuræ iam ſunt. Ideo S. Proſper in *ep. contra reliquias Pelagianorum, tom.7.operum D. Aug.* dicit. *Quoſdam nouo abſurditatis genere confixiſſe; nec agenda, præſcita eſſe.* Loquitur autem ad mentem D. Aug. paſſim, præcipuè *l.de Prædeſt.*

diſt. Sanct. c.14. vbi ait. *Deum præſcire, quod futurum*
297 *eſt; non quod futurum non eſt.* Cùm igitur præſcientia ſit poſt futuritionem; quid quæſo in eam influit impedimenti ad eius contingentiam? Sapientia enim Dei, quia *attingit à fine vſque ad finem*, vt habetur *Sap.*8. & notat S.Bonau.*in comment.* videt vſque ad vltimum actum deliberationis,& ſic præſcit.

298 Alium quoque modum explicandi hanc concordiam affert P.Galinius, *p.p.Phil.l.1.tract.6.q.4.* Trigoſius, *q 10.ar.4. dub 4* & placuit P.Theodoro Foreſto Magiſtro eius, & meo, nempè Diuinum intellectum ex infinito ſuo lumine comprehendere omnia, eo modo,quo ſunt futura. Et ideò contingentia videt futura contingenter. Quod S. Bonauen. cum D. Aug. explicat exemplo. Sicut enim memoria, quam habeo de re præterita,non cogit rem illam,vt neceſſariò fuerit; ita neque præſcientia cogit,vt contingentia euentura ſint neceſſariò. His viſis,facilè eſt argumenta hæreticorum ſoluere.

299 Obiiciunt ergo primò.Deus præſciuit,aut prædixit Petrum peccaturum ergo Petrus peccabit. Conſeq.eſt bona Antec.neceſſarium: Ergo & conſequens,*Petrus peccabit*, eſt neceſſarium: Ergo non eſt liberum Petro peccare. Gloriatur Vuicleph. in hoc argumento enodando, Armacanum viginti annos conſumpſiſſe, & tandem dixiſſe; Chriſtum in ea præuiſione errare potuiſſe. enim verò hoc falsò inurit hæreticus Armacano, vt notat Vualdenſis.

Vaſquez in ſolutione argumentorum totus eſt, ac confutatis aliorum reſponſionibus, gloriatur, ſe Catholicam fidem illuſtraturum.

300 Primò refert ſolutionem S.Thomæ,quæ eſt. Conſequens eſſe neceſſarium, relatum ad antecedens, ideſt eo modo, quo antecedens, Deus præſciuit Petrum peccaturum,eſt neceſſarium; & quia ſolùm eſt neceſſarium, vt eſt in ſcientia Dei. Ideò eo modo, etiam conſequens eſt neceſſarium. Quia aliquid,quando eſt, neceſſe eſt eſſe vt habetur 1.*Perhiermen.* Hanc ſolutionem pluribus confutat Ariminenſis & defendit Caietanus, quem vide, cum Morando *num.*336. Mærac. *d.*29.

30s Secundò refert aliam ſolutionem,quam dicit ſemper in Scholis vſurpatam; nec tamen ſoluere argumentum Hanc dicit eſſe D.Bonau. *d.*38. *art.*1.*q.*3. *in ſolutione argumentorum*, quam ſecuti ſunt Richard. *q.vlt.ad* 2. Scotus *q.*1. Faber 1.*d.*54. *num.*67. & alij. Antecedens illud eſſe quidem neceſſarium; & conſequens ſimiliter,ſed conſequens,neceſſitate ſolùm conſequentiæ, non conſequentis, neceſſarium eſſe; velut in hac illatione. *Si currit,mouetur*; eſt quidem neceſſarium conſeq. *mouetur*; ſed neceſſitate ſolùm conſequentiæ; eò quòd neceſſariò ex illo antecedenti infertur.

302 Hanc ſolutionem impugnat Vaſquez, ſimilitudinem illius argumenti non eſſe ad rem; nam in hoc, ideo conſequens eſt neceſſarium ſolùm neceſſitate conſequentiæ, quia neceſſariò ſub conditione ex illo antecedenti infertur; ſed ſicut antecedens; *ſi currit*, eſt contingens; ſic etiam conſequens ex terminis conſideratum; tametſi ex illo antecedenti neceſſariò ſequatur. At in argumento Vuicleph: non ſolùm conſequens neceſſariò ſequitur ex antecedenti, ſed cùm antecedens ſit neceſſarium; quod mutari non poteſt: nempe Deus ſciuit Petrum peccaturum;ſequitur conſequens etiam. *Ergo Petrus peccabit*; eſſe quoque neceſſarium, & non ſolùm inferri neceſſariò ex antecedenti.

303 Quod ſi reſpondeas cum D.T. *ad* 3. Conſequens eſſe neceſſarium ex ſuppoſitione, quod Deus ſciuerit in ſenſu compoſito; non tamen abſolutè ex ſe, non ſuppoſitâ ſcientiâ Dei, quod vocant in ſenſu diuiſo. Contrà. Nam debemus tueri libertatem immunem à quocunque extrinſeco oppoſito. Ideò debemus ſuſtinere,liberum arbitrium, etiam cum neceſſitate, quæ ſequitur ex præſcientia Dei.

Enim verò Vaſquez affert ſolutionem Seraphici 304
mutilam. Eſt igitur hæc; non *q.*3. ſed 5. Primò in fine corporis ſupponit. Quòd cùm præſcientia ſit poſt futuritionem rerum (quia præſcientia præuidet res, eo modo,quo iam futuræ ſunt), ſequitur, quòd præuideat Deus contingentia; vt contingentia,eo modo, quo futura ſunt, quia omnes actus cauſarum comprehendit ſua infinita ſcientia. Hoc poſito,reſpondet ad argumentum; quòd antecedens: Deus præſciuit, Petrum peccaturum, non eſt neceſſarium abſolutè, ſed neceſſitate conſequentiæ. Quia ſi ſic futurum eſt; ſequitur neceſſariò quòd ſic prouideatur à Diuina ſcientia,quæ non poteſt falli.Vnde etiam conſequentia eodem modo eſt neceſſaria: Ergo Petrus peccabit neceſſariò; ideſt ſuppoſito quod Petrus eſt peccaturus; ſequitur quod Deus neceſſariò hoc præſciuit. Ergo ſi peccatum Petri futurum eſt; ſequitur quod ſit futurum; ſicuti futurum,quando eſt iam futurum, neceſſe eſt eſſe futurum; quæ eſt minor certitudo, quàm illa, Id, quod eſt de præſenti, quando eſt, neceſſe eſt eſſe; vt dixi in *Notandis*; & S.Bonauen. proſequitur *ad* 3. Vnde *ad* 2.explicans neceſſitatem propoſitionis. *Deus præſciuit Petrum peccaturum*; ait, non eſſe de ineſſe ſimpliciter.Vnde non tollitur,quin liberè Petrus peccaturus ſit,quia neceſſitas huiuſmodi nullo modo eſt antecedens; ſed conſequens. Hanc doctrinam tradidère Origenes *l.7. ep. ad Rom.* ad ea verba. *Quos præſciuit &c.* Iuſtinus M.*q.*58.*ad gent.*Hieron.*in c.*26. *Hier.*Damaſcenus *l.contra Manichæos paulo ante finem.* Beda *l.q q.tom.*8.*q.*13.Boët.*de conſol.proſa* 6. Athanaſ. *ſerm.de Paſſ.* & alij, apud Herize *d.*10.*c.*1. Arriagam *d.*20 *ſec.* 5. *ſubſec.* 1. poſt D Bonau. Soto *d.*38. *primi, ſent.* & alios: Macedo. *Coll.*10. *diff.*1.*ſec.*5. Laconicè hoc reſponſo totum concludit negotium.

Hanc Romæus apud Herize ait, eſſe omnium ferè veterum. Hanc ſolutionem ſibi adſcribit Vaſquez, quam adhibent Faber *l.c.* Morand. *trac.*3. *num.*334. Nazarius *hic,contro* 6. Ribas *a n.*65.

Alivd reſponſum affert Vaſquez,quod Seraphico 305
adſcribit *d.*38. *ar* 2.*q.*2. *in reſol.* quodque aſſumpsère Richard.*q.*6.*ad* 7.Scotus *q.*1.& alij. Antecedens illud: *Deus ſcit Petrum peccaturum*, eſſe contingens; potuit enim non ſcire illud,ſi ſtatuiſſet ita præuenire Petrum, vt non peccaret; quod ſanè facere potuit. Ergo ſi Anteced. eſt contingens; non ſequitur Conſeq. eſſe neceſſarium. Quamuis enim ſcientia; quam Deus habet de rebus futuris ſit ipſa eius eſſentia,quæ non poteſt non eſſe, quatenus ad ſe eſt, tamen quia habet rationem præſcientiæ, non quatenus eſt nuda eſſentia, & ad ſe ipſam; ſed pro vt reſpicit creaturas futuras relatione rationis, quæ relatio conuenit Deo liberè; ſicut res ipſæ futuræ,liberè futuræ ſunt. Ideò optimè dicitur, antecedens illud. Deus ſcit Petrum peccaturum, eſſe contingens, quatenus de Deo enunciat ſcientiam futurorum. Hanc confirmat Fauentinus,*d.*54. *num.*66.

Contra arguit Vaſquez nam argumentum non 306
contendit, futura eſſe neceſſariò futura, ſi ex ſe, & naturâ ſuâ conſiderentur; ſed ex ſuppoſitione ſcientiæ Dei, atque ideò debemus libertatem tueri immunem à quolibet extrinſeco. Itaque, ſi ſuppoſitâ ſcientiâ Dei neceſſarium eſt, Petrum neceſſariò peccaturum; hoc aduerſario ſat eſt. Pergit Vaſquez occurrere reſponſionibus,quas poſſit aliquis afferre pro roboranda prima ſolutione.

Enim

Enim verò non refert Vaſquez fideliter reſponſionem S. Bonau. Inſtituit ergo quæſtionem S. D. Vtrum neceſſarium ſimpliciter ſit, Deum præſcire quicquid præſcit. Et reſpondet *in corpore*, eſſe contingens, ratione connotati, quod ſimpliciter futurum eſt contingens; & ideò poteſt non eſſe futurum. Scientia tamen Dei ab exitu actuali rei non pendens eſt certa, etiam ante exitum, imò neceſſaria, vt eſt ſcientia, quia eſt ipſe Deus; ſed quia ſignificatur per modum præſcientiæ, & tranſit ſuper futurum, iam futurum eſt contingenter; hinc fit, vt hæc propoſitio. *Deus ſcit, Petrum peccaturum*, intellecta ſimpliciter, ſit contingens; ex ſuppoſitione autem futuritionis rei, quam Deus præuidet contingenter euenturam, ſit neceſſaria, neceſſitate immutabilitatis; ſupponatque ſemper fuiſſe verum in præſcientia Dei, hoc futurum, quod futurum ſupponitur. Vnde nulla infertur contingentiæ neceſſitas ex ſuppoſitione præſcientiæ; quia præſcientia non eſt præſcientia, niſi quatenus connotat futurum iam futurum, eo modo, quo ſtat in ſuis cauſis, ſi contingentibus, contingenter. Idem ſentiunt Scotus, & Richard. diſcipuli S. Bonauenturæ Albert. Durand. Gabr. Ocham, Marſil. Ferrar. Suar. Albertin. & alij, quos refert, & ſequitur Tanner. *d.*2. *quæſt.* 8. *dub.*11. *num.*9. vbi teſtantur hanc eſſe germanam Seraphici reſponſionem; quod fatentur cæteri, qui S. Doctorem perlegerunt.

307 Per hoc ſoluitur alia obiectio Vaſquez ex Caietano. Ait autem, quod hæc propoſitio de præterito. *Deus ſciuit Petrum peccaturum*, non ſolùm eſt neceſſaria neceſſitate immutabilitatis, ſed ea neceſſitate, qua præteritum non poteſt, non fuiſſe; ad quod nulla eſt potentia. Additque cum Suar. *Opuſc. de præſcientia Dei, cap.* 9. etiamſi proferatur in tempore præſenti, adhuc neceſſariam eſſe, vt non poſſit, non eſſe vera: Ergo non manet in noſtra libertate. Tertiò, etiamſi concedam, illam propoſitionem eſſe neceſſariam ſola neceſſitate immotabilitatis; ſequitur eodem modo, conſequens in noſtro arbitrio ampliùs non eſſe.

308 Enim verò hæc inſipida ſunt, nam, vt notat S. Bonau. præſcientia non eſt aliquid præteritum ſimpliciter, ſed præteritum tantùm in noſtra exiſtimatione; nam actus Dei ſemper eſt præſens, vt docet *in qq. de prædeſt.* ad quas remittit in fine *quæſt.* imò connotat futurum, & hoc contingens. Ideò, quia illud connotatum eſt ſemper contingens, quouſque ſit iam factum, & præſcientia connotat, ſupponitque illud iam futurum contingens, vt ſuprà dixit; ideo à præſcientia Dei nullam ſugit neceſſitatem, ſiue de præterito, ſiue de præſenti affirmetur. Neceſſitas verò immutabilitatis non derogat libertati. Hæc enim immutabilitas non eſt ſimplex, qualis aſt Dei; ſed ex ſuppoſitione; & ſtat in hoc, vt, quia vidit futurum, iam futurum ex cauſatum contingenti determinatione, quæ quidem determinatio eſt contingenter ſecutura; nihil ponens in actu, quia liberè fit; ideò ex vna parte ſemper videat affectum contingenter futurum, quia ſic futurus eſt; ex alia verò immutabiliter videat effectum mutabilem, quia non dependet Scientia Diuina ab exitu rei, eo modo, quo dicitur: Petrus dixiſſe verum. Cras bellum nauale erit. Sed attingit vſque ad vltimam determinationem cauſarum incluſiuè, eamque ſupponit. Vnde ſartamtectam ſeruat libertatem; quia immutabilitas præſcientiæ eſt poſt præſcientiam, & præſcientia poſt futuritionem rei. Vnde ſi ipſa præſcientia non lædit contingentiam; neque eam lædet immutabilitas eius. Quia id ſolum facit immutabilitas, vt futurum ex ſuppoſitione ſemper futurum appareat Diuinæ præſcientiæ. Hanc reſponſionem adhibet & Scotus *in d.* 39. *quæſt.* 4. *later.* apud Fabrum *d.* 54. *num.* 72. Amicus *ſect.* 10. Murand. *num.* 336. Hinc Boët. 5. *de conſol. proſa* 6. ait: *Si video iacentem, non infertur ei neceſſitas à viſu meo, vt iaceas; ſed potius à iacente infertur mihi neceſſitas, vt videam; ſic, &c.*

309 Andit deniqoe Vaſquez, ſe miſſa facere ea, quæ D. Auguſt. *l.*3. *de lib. arb. cap.*4. congerit, vt difficultatem reſoluat; eò quòd non ſatisfaciant argumento.

Mira Vaſquij in tantum Patrem deſpectio. Profectò Bellarminus *tom.*4. *controu. De Gratia, & lib. arb. l.*4. *cap.*13. fatetur, hanc rationem D. Auguſt. ſatis eſſe ad argumentum ſoluendum. Euidenter autem à D. Auguſt. demonſtrari argumentum eſſe friuolum, probatur. Nam ibi Dialogum habens cum alio, eum interrogat. *Vnde tibi videtur aduerſum eſſe liberum arbitrium noſtrum præſcientia Dei? Quia præſcientia eſt; An quia Dei præſcientia eſt?* Reſpondet diſcipulus. *Quia Dei potius.* Arguit igitur S. Auguſt. è conceſſis: *Ergo concedis, quòd ſi tu certò præſcires peccaturum eſſe aliquem, non eſſet neceſſe, vt peccaret.* Reſpondet diſcipulus. *Imò neceſſe eſſet, vt peccaret; non enim aliter eſſet præſcientia mea, niſi certa præſcirem.* Contra arguit S. Auguſt. *Ergo neceſſitas venit ex eo, quòd præſcitum eſt certò; non ex eo, quod præſcitum à Deo, contra id, quod dixeras.* Reſpondet aduerſarius. *Concedo; ſed quorſum iſta?* Reſpondet S. Auguſt. *Quia tu non cogeres peccare, quem peccaturum eſſe præſcires, non enim aliter id futurum eſſe præſciretur.* Hinc ergo ſuâ ſolitâ doctrina ſuprà allatâ in *fundamento*, quam Vaſquez *cap.*6. *num.*36. diſſimulat, ideò vult, præſcientiam, neque vt cognitionem, neque ad modum cauſæ inducere neceſſitatem, quia reſpicit rem, iam vt futuram; eamque reſpicit eo modo, quo futura eſt in ſuis cauſis. Quæ eſt optima omnium ratio, adduciturque à D. Bonau. *in corpore* (& quod mirandum eſt) hanc poſt longum verborum anfractum, vnicam acclamat Vaſquez argumenti conuulſiuam. Ità etiam Suarez *loc. cit.* Ribas *loc. cit.* Bouërius ſuprà.

310 Argvmentvm aliud addit S. Auguſt. laudatum à Valentia dicens: *Non eſt conſequens, vt ſi Deo certus eſt omnium ordo cauſarum, nihil ſit in noſtra voluntatis arbitrio, vt ipſa quippe noſtra voluntates in ordine cauſarum ſunt, qui certus eſt ordo, atque ita, qui certas rerum cauſas præſciuit, profectò in eis cauſis etiam noſtras voluntates ignorare non potuit, quas noſtrorum operum cauſas eſſe præſciuit.* Vult dicere, quòd Deus attingens à fine ad finem, videt voluntatem vſque ad reſolutiones, & deliberationes; & ideò non lædit earum libertatem, præſciens eam ſic deliberaturam.

311 Annit S. Auguſt. aliam doctrinam, qua vtitur etiam D. Bonau. fund.1. *Mihi concedes, te meminiſſe multorum, quæ tu non feciſti; cur ergo & non concedis, Deum multa præſcire, in quæ non influit vllo modo?* Hæc reſponſio oſtendit, Dei præſcientiam, vt cauſam, non poſſe inducere neceſſitatem in contingentibus.

312 Obiicies ſecundò. Ex maiori neceſſaria, & minori propoſitione de ineſſe, ſequitur concluſio neceſſaria. Fiat ergo hic Sylogiſmus. Omne præſcitum, futurum eſſe neceſſe eſt. Sed hoc eſt præſcitum: Ergo.

Affert Suarez primam reſponſionem, quam ait eſſe D. Bonau. minorem eſſe contingentem, quia poteſt non eſſe vera, & ideò nullam ei ineſſe neceſſitatem, nec antecedentem, nec conſequentem.

Vervmta

Vervmtamen hoc non dixit S. Bonau. ſed, imò eſſe neceſſariam ſecundum quid, & reſpectiuè, ac conditionaliter, vel ex ſuppoſitione, quod idem eſt (ſecundum Alenſem) vt ſuprà dixit *reſp. ad* 1. & notat Trigoſius in margine *q.* 10. *ar.* 3. Idem habet S. Bonau. *quæſt.* 2. maximè ad argumenta, vbi perſiſtit in aſſerendo, neceſſitatem ſecundum quid in præſcientia, quia, licèt potuiſſet Deus non præuidere, eò quòd potuit res aliter eſſe; attamen in ſenſu compoſito neceſſitate conſequentiæ Deus præuidit ita neceſſariò verum, quia iam res futura eſt in ſuis cauſis determinatæ veritatis. Itaque Deus non præuidit rem futuram neceſſariò; ſed ex ſuppoſitione, quod futura eſt (quod Deum latere non poteſt) præuidit neceſſariò neceſſitate conſequentiæ futuram. Idem vult dicere S. Bonau. *qu.* 1. *ad vlt.*

313 Respondet ergo eodem modo Suarez, hanc propoſitionem minorem eſſe neceſſariam tantùm ſecundùm quid, ex ſuppoſitione futuritionis rei, quam præſupponit Diuina præſcientia; nam ipſa præſcientia Diuina ex ſua infinitate videt omnia; eo tamen modo, quo futura ſunt ex determinatione voluntatis humanæ, & decreto Diuino. En reſponſio Seraphici iam allata in fine *corporis*, addita reſponſione *ad* 1. quæ connexa eſt fini reſolutionis; quod ſedulò notandum moneo.

Addit ſecundò Suarez, Minorem non dici neceſſarium ſimpliciter, quia includit futuritionem ipſius rei. En alia reſponſio S. Bonau. *quæſt.* 2. Tandem concludit, non eſſe neceſſariam propoſitionem ſimpliciter; eſt enim ſcientia Diuinæ viſionis, quæ eſt poſterior futuritione; vnde illatio eſt à poſteriori, quæ non facit neceſſitatem ſimpliciter. En reſponſio S. Bonau. *vtraque hac quæſt.*

314 Obijciunt tertiò hæretici. Diuina præſcientia certiſſima eſt, nec falli poteſt: Ergo obiectum illius non poteſt aliter euenire, quàm ipſe Deus præſcierit; nam ſi aliter eueniret, iam Deus falleretur. Sed Deus præſcit Antichriſtum futurum, Petrum peccaturum, &c. Ergo neceſſariò Antichriſtus erit; & Petrus peccabit. Hoc eſt quartum argumentum ad oppoſita.

Respondet D. Bonau. Diuinam ſcientiam non poſſe falli; neque tamen ſequi neceſſitatem ſimpliciter in re; falſitas enim oritur è diſcordia intellectus, à rei veritate, quoniam verò præſcientia vidit futurum contingens infallibiliter, eo modo, quo futurum iam eſt; eueniet iuxta id, quod præſcitum eſt, neque aliter in ſenſu compoſito poteſt euenire; id eſt non poteſt eſſe, vt Deus vno modo præuiderit, & alio modo eueniat, quia ex ſuppoſitione, quòd ita futurum ſit, Deus illud vidit ſuâ infinitâ ſcientia, eo modo, quo erit. Ideò non inducitur aliqua neceſſitas antecedens, quia, vt ſuprà dixit, præſcientia non eſt ante futuritionem rei, ſed poſt illam; ideò neceſſitate ſola conſequente, quæ nil lædit contingentiam, effectus eueniet. Itaque Deus potuit aliter præſcire, quia potuit aliter decerni; tamen ſuppoſito decreto, iam infert Deus neceſſitate conſequentiæ, ità futurum eſſe, quia videt rem ſcientia viſionis, qua videtur, eo modo, quo futura eſt. Eodem modo reſpondet Vaſquez *l. c.* Arriaga *d.* 20. *ſec.* 5. *ſubſec.* 3.

315 Obijciunt quartò argumentum, quod ſibi opponit etiam Scotus *hic*. Si Deus noſſet me ſeſſurum cras; & tamen non ſederem cras; Deus deciperetur. Ergo etiã valet: Si Deus nouit, me ſeſſurum cras; & ego poſſum non ſedere cras: Ergo Deus decipi poteſt: Ergo admiſſa contingentia; Deus non nouit certò futura contingentia. Prima conſeq. patet. Secunda probatur. Sicut enim ad duas propoſitiones de ineſſe, ſequitur concluſio de ineſſe; ita ex vna de ineſſe; & alterâ de poſſibili, ſequitur concluſio de poſſibili. Poſita ergo hac de ineſſe, Deus nouit me cras ſeſſurum certiſſimè; & poſitâ iſtâ de poſſibili, Poſſum non ſedere cras: ſequitur iſta de poſſibili: Ergo Deus poteſt decipi.

Respondet Scotus, & cum eo Faber *cap.* 8. ſatis prolixè. Reſpondetur autem cum D. Bonau. *ad vlt.* non poſſe eſſe, vt vno modo Deus præſciat, & aliter eueniat; quia ſcientia Dei infinita attingit obiectum, vt iam futurum. Vnde ſi aliter eſſet euenturum, aliter præuideretur à Deo. Poſſum ergo cras ſedere; & non ſedere; attamen nouit Deus comprehenſiuè alteram partem, ad quam determinabor; & ad hanc determinationis cognitionem præuiſam, ſequitur infallibilitas præſcientiæ. 316

Cùm autem ad propoſitionem de ineſſe ſequatur ex ſuppoſitione ratione materiæ etiam concluſio ex ſuppoſitione; non ſimpliciter neceſſaria; hinc eſt, vt ſuppoſito, quòd Deus nouerit me ſeſſurum, ego ſeſſurus ſim infallibiliter, quia præuidit ſeſſionem meam liberè iam futuram; & ſi futura eſt; non poteſt ſimul, eſſe non futura. Hæc eſt reſponſio Seraphici *l. c.* quam Scotus, & Faber ſequuntur; necnon Ribas *l. c.* & alij.

Hinc ſoluitur etiam ſecundum argumentum allatum à Scoto; quod, ſcilicet poſſit poni ineſſe tanquam poſſibile; quòd ſcilicet ego ſedeam; non obſtante, quòd Deus præuiderit, me non ſeſſurum. Reſpondetur enim, hoc implicare. Nam ſi Deus præſciuit, me ſeſſurum; ideò præuidit, quia iam ſeſſurus ſim. Vnde impoſſibile eſt, me non ſedere ex ſuppoſito, quòd ſeſſurus ſim. Implicat enim contradictionem. Hæc eſt reſponſio D. Bonauen. *in corpore, & ad argumenta*, quam ſumunt Scotus, & Faber. 317

Obijciunt quintò. Quando res eſt, neceſſe eſt, eſſe, ex 1. *Perihermen.* Ergo ſi præſcitum nunc eſt, neceſſe eſt, eſſe. Ergo ſi futurum eſt, neceſſe eſt, eſſe futurum.

Respondet D. Bonauen. Minorem eſſe veram de re, quæ habet actu ſuum eſſe; non autem de eo, quod non habet eſſe actu; illud enim eatenus erit, quatenus ponetur in eſſe. Et quia Diuina præſcientia ex ſe reſpicit quidem actu; ſed tamen reſpicit futurum contingens eo modo, quo futurum eſt; ideò, licèt verum ſit, quòd Diuina præſcientia eſt neceſſariò actu de re futura, quia Deus non poteſt eam ignorare; tamen eam reſpicit, vt futura iam eſt; ideò non ſequitur neceſſitas in re præuiſa. 318

Obijciunt ſextò. Deus præſcit aliquid eſſe futurum. Aut ergo poſſibile eſt non futurum eſſe: aut eſt impoſſibile. Si ſecundum: Ergo neceſſarium. Si primum; Ponatur in actu: Ergo Deus præſciuit falſum. 319

Respondet B. Bonau. quod præſcitum à Deo in ſenſu diuiſo poteſt aliter euenire. Si dicas, ponatur in actu aliter euenire. Reſpondet S. D. quod ſi aliter eueniat; amplius non poteſt dici, quòd Deus præuiderit illud; nam cùm præſcientia Dei habeat pro obiecto rem iam futuram, ſequitur, quòd non poſſit reſpicere rem non futuram; vel preſcire aliquid vno modo eſſe futurum; & quòd alio modo ſuccedat. Et hoc modo in ſenſu compoſito non poteſt aliter euenire, quàm præſcitum eſt. Ità etiam Trigoſius, Ribas, & alij.

Contra hanc reſponſionem arguit Vaſquez. Si enim in ſenſu compoſito, id eſt, ex ſuppoſitione præſcientiæ Dei, non poteſt aliter euenire: Ergo non manet libera.

Respondetvr ex D. Bonau. ſenſum compoſitum complecti futuritionem rei, & ſimul præſcientiam; ſuppoſito autem, quod res futura ſit, Deus eam præuidit:

uidit : & ſuppoſito quod præuidit ; (hæc enim omnia coniuncta ſunt) non poteſt aliter euenire id, quod ſic iam futurum eſt ; Et ſic præuiſum eſt eſſe futurum. Ideò neceſſitate conſequentiæ ad futuritionem, & præſcientiam rei, non poteſt res aliter euenire. In quo deceptus eſt Vaſquez non percipiens ſenſum compoſitum, iuxta mentem Seraphici expreſſam ; non enim eſt ſenſus compoſitus inducens neceſſitatem ſimpliciter antecedentem, ſed conſequentem ad futuritionem rei, & præſcientiam. Vocat autem S.D. ſenſum compoſitum includentem formam implicatam ; ſenſum verò diuiſum, non includentem formam implicatam.

Contra hæc arguit Faber, & Caiet. quia : eſto neceſſitate ſola conſequenti id futurum eſt, quod præuiſum ; tamen ſuppoſitâ Dei præſcientiâ, quæ multo iam tempore tranſacto præuidit Petrum peccaturum, non poteſt mutari ; & multò minùs decipi : Ergo ſuo tempore nulla manebit libertas.

320 Hanc obiectionem vocat Caietanus inſolubilem.

Reſpondetur ergo, manere quidem neceſſitatem immutabilitatis ex eo, quòd voluntas iam ſic volitura eſt liberè ; atque ſic poterit voluntas aliter facere ; attamen quia non faciet ; ideo intellectus Diuinus, qui eſt infinitus videt, quid voluntas volitura ſit ; in quo non video aliquam repugnantiam libero arbitrio aduenire ; vt notat etiam D. Aug. *l.3. de lib. arb. c.4.*

321 Reſpondet D. Bonau. ſecundò, quod, vt dicetur *d.41. quæſt.*10. Actus Diuinæ ſcientiæ non eſt ſimilis actibus noſtris, qui tranſeunt, ſed ſemper eſt actu, & ideò ſemper videt actu ; & ſic in indiuiſibili æternitatis, Deus videt vno actu ſimpliciſſimo, & perpetuo præſenti hominem peccaturum : hominem peccantem, & eundem peccaſſe, quam doctrinam hauſit Scotus, vt ibi dicam, & Morand. *hic, num.*335. adducens D.T. *quæſt.6. de ver. ar.3. ad* 11. & *in* 1 *d.39. quæſt.1. ar.1. ad* 1.

322 Contrà arguit Suarez *l.c.* Molina *q.14. ar.* 13. *d.*16. Actus Dei non ſolùm eſt nunc ; ſed cùm inſtans æternitatis, in quo ſunt illi actus, coëxiſtat toti tempori, ſequitur quod ille actus iam fuit in præterito. Deinde etiamſi actu ſit ; tamen nequit actu non eſſe.

Reſpondet Fauentinus, hæc procedere è falsâ imaginatione, quòd Actus Dei tranſeant in præteritum ; nam ſemper manent actu, licèt à nobis in tempore apprehendantur vt præteriti ; neque enim debemus actus Diuinos externa omninò menſura metiri, idest tempore, quo metimur mutabilia ; ſed æternitate : vnde impropriæ ſunt locutiones, cùm Dei actibus *futurum* adſcribimus, vel *præteritum*.

Ad aliud, iam ſuprà ſatis, ſuperque feci ; & iterum reſpondeo, quòd Diuina præſcientia eſt actu (eſto quoad nos reſpondeat etiam tempori præterito) ; attamen cùm ſuccedat futuritioni rei, ab eaque iudicet euentum, nullam penitus valet inducere neceſſitatem.

323 Hanc doctrinam de præſentia perpetua actus Dei accepit Penntous in ſuo *Propugnaculo, l.4. cap.*24. ad conciliandam noſtram libertatem cum Dei præſcientia, & decreto, atque teſtatur, vnicam eſſe. Quia aliter, ſi actus Dei iam tranſijt in præteritum, & decretum eſt, neceſſariò ita eueniet, vt manente immutato actu Dei, non poſſit aliter euenire. Hæc ſanè doctrina ab eo accepta è D. Bonau. *d.40. ar.2. q.*1. placuit Scoto *ead. diſt. ad* 1. & Fabro *d.54. c.5. n.*50. & *d.56. cap.2. num.*29.

Eam verò acriter inſectatur Maſtrius *d.3. quæſt.3. num.*206. & *d.4. quæſt.*4. ſed eius oppugnationes euertam *d.* 11. *q.*20.

Ex dictis ſoluta eſt quæſtio ſequens D. Bonau. An neceſſe ſit, Deum præſcire quidquid præſcit. De qua Trigoſ. *q.10. ar.4. dub.*6.

Aſſero enim, non eſſe ſimpliciter neceſſarium. Itaque tales propoſitiones : Deus ſcit Antichriſtum futurum ; Petrum negaturum, &c. non ſunt ſimpliciter neceſſariæ. Ita D. Bonau. *ibi*, Alenſis *p.p. q.24. m.4.* Scotus *d.39. ad quæſtionem quintam* D.T. *q.14. ar.13. ad* 2. & *in* 1. *d.38. q.1. ar.5.* 324

Probatur à D. Bonauen. Si enim eſſet abſolutè neceſſarium, tolleretur libertas, ita, vt neque per abſolutam Dei potentiam fieri poſſet, quin Petrus neget, &c. Eſt igitur neceſſarium ſecundum quid, & ex ſuppoſitione ; ſed ſimpliciter contingens. Hæc eſt doctrina Seraphici, quam laudat Valdenſis *l.1. de doctrina fidei, c.*19. qui dicit eſſe doctrinam D. Aug. quam explicat exemplo. Sol illuminat omne ſibi præſens, illuminatio quidem ſolis eſt neceſſariò ; quòd verò huic illuminationi ſit præſens homo, vel equus, contingens eſt. Eodem modo actus Dei ſcientis eſt neceſſarius, quia Deus non poteſt quin ſcire : at verò quòd per illũ actum ſciatur Antichriſtus futurus, vel negatio Petri ; hoc eſt contingens, ſimpliciter loquendo : Ex ſuppoſitione autem, quod futurum ſit, hoc neceſſarium eſt præſciri à Deo. Idem aiunt Scotus, & alij apud Trigoſium ; eſto enim hæc propoſitio ſit de præterito ; tamen eſt pro futuro contingens ſimpliciter ; at neceſſariũ ſolùm ex ſuppoſitione, quod ſit futurum ; non quòd (ait Trigoſius) ſcientia Dei pendeat à certitudine futuri ; vt videtur ſentire Scotus, & alij, ſed quia futurum eſt adhuc contingens, & incertum, eritque certum ſolùm in tempore ; at præſcientia Dei eſt certa ab eterno ; ſed quia, licèt ex parte actus principaliter, qui eſt Deus, tales propoſitiones ſint neceſſariæ ; tamen connotant futurum contingens, ideo ſunt contingentes. Equidem non credo, Scotum adeò craſſa Mineruâ locutum, vt dixerit, ſcientiam Dei pendere à rebus in ſenſu Trigoſij ; ſed eatenus pendere, quatenus non eſt præſcientia, niſi poſt futuritionem rei : Ergo eam ſupponit. Et hoc ſenſu ab ea dicitur pendere. 325

Per hæc, ſoluta iacent etiam argumenta ad oppoſitum.

Colligo etiam, non benè Trigoſium *hic* ſoluere quæſtionem. Quomodo ſtet præſcientia cum libertate, dum ait *concl.*2. optimum modum ſaluandi præſcientiam cum libertate, eſſe, quia omnes cauſæ, & modi cauſandi earum ſubduntur Diuinæ prouidentiæ, qua Deus prouidit, vt aliqua neceſſariò ; aliqua contingenter eueniant. Scio Catholicis id eſſe confeſſum ; at hæretici dicent, nos petere principium, ſupponendo id, quod probandum ; Diuinam prouidentiam, & præſcientiam infallibilem, & neceſſariam : ſimiliter voluntatem efficaciſſimam relinquere locum libertati. Neque rectè explicat efficaciam rationum Seraphici contra hæreticos. 326

QVÆSTIO XII.

An detur in Deo ſcientia media.

Iam anteactis quæſtionibus vidimus, Deum ſcientiâ ſimplicis intelligentiæ videre purè poſſibilia ; & Scientiâ viſionis futura, non modò abſolutè neceſſaria, ſed etiam contingentia, ſiue à cauſis ſecundis naturalibus, vt mutationes temporum ; ſiue à cauſis liberis, vt actus morales ; etiamſi multæ ſint conditiones adimplendæ. Iam ingens eſt Diſputatio : An detur ſcientia, inter has, media Dei, quâ certò cognoſcat conditionalia moralia ex obiecto, quæ nunquam erunt : puta ſalutem Iudæ, quæ poterat euenire eo pœnitente.

Prima ſententia eſt quorundam Thomiſtarum ; 327
hanc ſcientiam formaliter non eſſe in Deo, ſed tantùm

virtute

virtute, & eminenter. Ità Nauarretus cum aliis *contron.* 56. §. 2.

328 SACVNDA ſententia eſt aliorum Thomiſtarum aſſerentium, dari quidem hanc ſcientiam in Deo formaliter; non tamen omninò certam; ſed tantùm coniecturalem. Ita Cabrera cum aliis 3. *p. quæſt.* 1. *ar.* 3. *d.* 1. §. 22. quibus videtur conſentire Faber 1. *diſp. ſeiunctâ* 45. *c.* 2. *n.* 30. qui tamen, *c.* 2. *num.* 35. ſibi pedem fodit dicens, ſcientiam eſſe fallibilem, indignam ſcriptura, & Deo. Catherinus, *opuſc. de prædeſt. p.* 2. Ianſenius, c. 47. *concord. ad ea verba Matt.* 11. *Si in Tyro, & Sidone, &c.* Cabezundo 3. *p. q.* 2. Verdu *p. p. q.* 14. *ar.* 13. Ripa, *quæſt.* 14. *ar.* 13. Zumel *d.* 8. Cornejo *d.* 3. *dub.* 2. cæteris reclamantibus apud Ruitz *d.* 61. *ſec. præter* Burgen.

329 TERTIA ſententia eſt, dari hanc ſcientiam in Deo certam ante decretum, etiam conditionatum. Ita omnes P.P. Societatis Ieſu, quorum anteſignanum huius ſententiæ inuentorem ſe iactat Molina in *concord. q.* 23 *ar.* 4. & 5. *d.* 5. *m. vlt.* alij tamen dicunt, Molinam accepiſſe hanc doctrinam à ſuo Magiſtro, Petro Fonſeca, qui eam indicauit 6. *Met. ſec.* 8. Eam verò è Scotiſtis ſecuti ſunt Poncius, *d.* 5. *n.* 28. Fauentinus 1. *d.* 55. *c.* 2. vbi allegat Scotum, *quo.* 16. Cauellus *tr. de pecc. q. De cauſa peccati*, adducens Scotum 2. *d.* 37. *q. vn.* §. *ad ſolutionem iſtorum*, vt ait Lieher. *ibi.*

Hanc latè proſequitur Suarez *Opuſc. de Praſc. l.* 2. *cap.* 3. qui adducit D. Thomam, & D. Bonauenturam. Valentia *tom.* 1. *d.* 1. *q.* 14. *p.* 5. Vaſquez *d.* 67. Bellarm. *tom.* 4. *contron. l.* 2. *de amiſſ. gratia c.* 17. Peſantius *ad ar. cit. D. Thomæ*, Faſolus *dub.* 14. Amicus *d.* 12. *ſec.* 12. Arriaga *d.* 21. Machin. *d.* 34. Arrubal *d.* 45. Caſpenſis *trac. de ſcientia Dei d.* 6. *ſec.* 5. & 6. Pererius *tom.* 2. *in Geneſ. l.* 15. *d.* 7. Stapleton. *in Antid. ſuper c.* 9. *ad Rom. annot.* 2. Maſcarenas *de auxil. d.* 2. *p.* 4. *num.* 27. & 28. & *d.* 3. *p.* 4 *num.* 8. Albertin. *tom.* 1. *p.* 4. *q.* 4. *corol.* 3. Driedo *l. de concord. lib. arb. cum gratia p. p. cap.* 4. *ad* 3. Ruard. *ar.* 7. Vualdenſ. *tom.* 1. *doct. c.* 23. Tanner. *d.* 2. *q.* 8. *dub.* 5. & 6. omnium copioſiſſimè Didacus Ruitz *à d.* 60. *vſque ad* 80. Theophilus Raynaudus, *d.* 8. *q.* 3. & *ſeq.* Fulienſis *l.* 1. *cap.* 13. citans D. Thomam *p. p. q.* 23. *ar.* 5. *ad* 1. & *ar.* 1. *q.* 92. Ludouicus de Ribas *Tr.* 4. *d.* 6. *c.* 5. Becanus, *c.* 10. *q.* 3.

Hi aſſerunt, conditionalia libera, quæ habent conditionem per ſe connexam cum effectu; eſſe à Deo certiſſimè cognita ex infinitate Diuinæ ſcientiæ, ante omne penitus decretum etiam conditionatum.

330 QVARTA ſententia eſt, Deum certò quidem hæc ſcire; non tamen ante omne decretum, ſed poſt decretum conditionatum. Ita Scotus *in* 4. *d.* 16. *quæſt.* 2. & aliis locis, quem ita interpretari ſequuntur Smiſing. *trac.* 3. *d.* 2. *q.* 5. Vulpes *d.* 31. *ar.* 2. Sghemma 2. *Phyſ. digreſſ. de Fato q.* 3. & *Opuſc. cit. q.* 8. Maſtrius *d.* 3. *q.* 4. qui vnanimes conclamant, hunc eſſe Scoti germanum ſenſum; nam ipſe paſſim, præſertim in 1. *d.* 39. §. *Viſo de contingentia*, & *quodl.* 16. §. *Hic intelligendum*, planè docet, propoſitiones omnes contingentes, ante Diuinæ voluntatis decreta, nullam ex ſe habere determinatam veritatem; ſed eſſe omninò neutras, indeterminatas, indifferentes; atque ideò non poſſe à Deo certò, & determinatè cognoſci, ante decreta; ſed ſolùm poſtea. Porrò futura conditionata, certò eſſe Deo cognita, docet Scotus *in* 3. *d.* 21. Vnde id deducit Vulpes clariùs *in* 3. *d.* 14. *q.* 2 §. *contra rationem*, & *in* 4. *d.* 16. *q.* 2. Vnde id colligit Maſtrius *n.* 210. Idem colligitur ex eodem Scoto, & Fabro *allatis q.* 7. Scoto quidem *d.* 39. *q.* 1. Fabro *d.* 54. *num.* 16. qui ſic arguunt contra Ideas. Ea, quæ ſunt rationes cognoſcendi terminos ſimplices, non ſunt rationes cognoſcendi complexionem terminorum, niſi illa complexio nata ſit cognoſci è ſimplici apprehenſione terminorum. Sed quicquid habet in Deo rationem repræſentandi, ante decretum, non eſt ratio cognoſcendi terminos ſimplices rerum: Ergo nec complexio contingens nata eſt cognoſci ex eis terminis. Sequitur acie ordinatâ Macedo, *inf. c.* 331.

331 Hæc ſententia eſt communis omnium Thomiſtarum, ſcientiam mediam negantium eo modo, quo ponitur à tertia ſententia. Hi volunt, Deum videre futura conditionata libera, ſuprà dicta, in decreto conditionato, conditione cadente ſuper obiectum; quia enim nequeunt negare multas Scripturas aſſerentes, Deum certò hæc ſcire, puta traditionem Dauidis, ſi remanſiſſet Ceilæ, &c. dixère, hæc ſciri à Deo, ſed poſt decretum conditionale, nempe: Volo permittere Ceilitis, vt Dauidem tradant Sauli; huncque ad capturam deſcendere, ſi ille remaneat Ceilæ. Volo, vt Tyrij peniteant; ſi Chriſtus apud eos miracula faciat; ſic Ludouicus Dolanus *p.* 2. *ſui operis*, Motand. 3. *p. tract.* 3. *q.* 7. alijque apud hos, & apud Ruitz. Accedit P. Bonagratia noſter, in ſumma, adducens Seraphicum, *d.* 29. *ar.* 5. *q.* 2. & *d.* 3. *ar.* 1. *q.* 1. *ad* 3. vbi duas tantum ſcientias in Deo agnoſcere viſus eſt, ideſt *ſimplicis Intelligentiæ*, & *Viſionis*, ſeu approbationis. Alius citat S. Bonauen. 1. *d.* 45. *ar.* 2. *q.* 1. & 2. & *in* 2. *d.* 37. *ar.* 1. & 2. vbi ait, Dei voluntatem eſſe cauſam rerum.

332 HÆC tamen decreta conditionalia, etiam è Thomiſtis, non nulli refellunt, vt Aluarez *l.* 2. *de auxil.* Zumellus, *q.* 14. *ar.* 13. *diſp.* 8. *concl.* 3. etſi *tom.* 1. *variar. diſp. fol.* 117. §. *c. ſed dicent*, & *fol.* 150. ea admittat; in quo aſſentitur Nazar. *q.* 24. *ar.* 13. §. *Reſolutio*; ea maximè probabilia acclamans, & ſui Zumelli deridens inconſtantiam; ſcientiam verò mediam Semipelagianam ſobolem Sanctis Patribus, maximè Auguſtino proclamans inuiſam. Nec modeſtior Aluarez eam iubet ab Eccleſia exulare. Porrò Salmaticenſes, *tom.* 1. *tract.* 3. *d.* 10. *dub.* 3. aiunt, plurimos eruditos poſt diſputatam quæſtionem coram Clemente VIII. concluſiſſe, non dari hanc ſcientiam: atque Pontificem conſenſiſſe.

333 OBSERVA, defenſores ſcientiæ mediæ variis eam modis compellare. Quidam enim vocant naturalem, quia præcedit omne decretum liberum voluntatis. Ita à ſe vocatam olim fatetur Molina, *d.* 18. *m.* 2. cui adhærent, qui eam vocant *ſimplicis intelligentiæ*, vt Suarez, Bellarm. Becanus, Leſſius, Valentia, Albertinus, Arrubal, Vaſquez ſuprà.

Alij vocant eam *ſcientiam liberam*, ac *Viſionis*. Ità interdum Suarez, quia prout verſatur circa hoc obiectum, vel illud, potuit non eſſe in Deo; ſi liberum arbitrium etiam ſuppoſita hac, vel illa conditione, non eſſet hoc, vel illud facturum. Plurimi vocant eam *ſcientiam mediam* inter ſcientiam viſionis, & ſimplicis intelligentiæ: ſiue inter ſcientiam naturalem: & liberam. *Mediam* inquam per participationem extremorum, non per abnegationem eorundem: vt malè Thomiſtæ adſcribunt; quod notat Faſolus, & Maſtrius. E regione autem ſcientiam conditionalium ad liberam reuocant Authores quartæ ſententiæ, qui volunt, haberi per decretum, vt videre eſt in Nazario, *contron. cit.* § 6. & Aluarez. Quare deceptus eſt Vulpes, *d.* 31. *ar. vlt.* dicens, eos illam reducere ad ſcientiam naturalem; Doctorum exercitûs recenſet Macedo, omiſſo Seraphico Bonau.

334 Quid hac in re ſenſerit Seraphicus paucis aperiam. Is *in* 1. *d.* 35. paſſim, præcipuè verò *quæſt.* 5. vult, Deum in ſe habere Ideas infinitas, in quibus futura, & non futura, nec non conditionata præclarè nouit; & contingentia, non in cauſis; ſed in ſe ipſo ex ſui intellectûs infinitate clarè percipit. Hoc ſanè Doctorem ſanctum pro hac comprobat ſententia, vt rectè aduertit,

uertit Suarez ſuprà, & Trigoſius citandus vltima ratione, pro noſtra aſſertione ſecunda, quæ eſt ratio D. Bonau *ad* 2. pro ſcientia media.

335 Deinde eadem *diſt. dub.* 3. *litt.* Scientiam Dei ex parte rerum diuidens, ponit, vt membrum diſtinctum, eam, quæ non notat euentum; ſed ad prouidentiam ſpectat, eamque etiam à ſcientia efficiente ſecernit. Hæc autem eſt ſcientia conditionatorum, quam diſcurrimus, quam indicare videtur etiam *p.* 1. *Breuil. cap.* 8. ſub nomine *diſpoſitionis*. Idem videtur dicere *l.* 1. *compend. Theol. cap.* 29. Quod ſi eam velis ad ſimplicem intelligentiam è mente Seraphici reuocare, nihil obeſt, vt notat Vaſquez *num.* 29. & dixi ſuprà. Hinc verò fundamentum P. Bonegratiæ noſtri Haſbenſis euertitur.

336 Præclare verò ſcientiam mediam docet S.D. *in* 1. *d.*40. *art.*2. *quæſt.*1. vt obſeruat acutè P. Bartholomæus Maſtrius à Meldula *tom.*1. *d.*3. *quæſt.*3. *art.* 4. & *d.*4. *quæſt.*4. *art.* 3. *num.* 89. vbi ſcientiæ mediæ eum acclamat Ducem ſtrenuiſſimum; atque adeò hanc ſcientiam non eſſe Neotericorum inane inuentum, vt clamant Thomiſtæ nonnulli.

Igitur S. Bonauent. *loco adducto*, vt conciliet liberum arbitrium noſtrum cum efficacia Diuinæ prædeſtinationis, & infallibilitate ſcientiæ abſolutè futurorum; ſic loquitur, & eſt exemplom Boëtij *l.*5. de conſol. proſa 4. *Quod ſi aliquis aſpiceret de loco eminenti circumiacentem regionem, vbi eſt multitudo viarum, quas omnes ſimul, & vno aſpectu videret; ambulans per locum ſuum, quamuis poſſit per diuerſas vias ire; non poſſet eius viſum latere, pro eo quod per nullam viam poſſet ire, quam ille non videret; ſi ergo intelligatur vnus eſſe viſus, qui poſſet omnes vias preuidere, & totum poſſe cuntis; nullo modo quis eum preuenientem circumuenire poſſet; & talis eſt aſpectus Diuinæ præſcientiæ, quia ab æterno cognouit, quid ab æterno cogitare poteramus, vel velle; & ſimul cum hoc vidit in quam partem noſtra voluntas, & operatio inclinatur. Et quia totum poſſe, & velle, & agere complectitur; ideo non poteſt falli; & quia prædeſtinatio claudit præſcientiam, hinc eſt, quod concordat cum libero arbitrio; & non poteſt diſcordare; & non poteſt caſſari; neceſſariò infert ſalutem; ſed non neceſſariò efficit.* Hæc S. Doctor.

337 Vbi Maſtrius ponderat ea verba: *Et talis eſt aſpectus Diuinæ præſcientiæ, qui ab æterno cognouit, quod cogitare poteramus, vel velle, & ſimul cum hoc vidit, in quam partem noſtra voluntas, & operatio inclinatur.* Quamuis enim priora verba explicari queant de ſcientia *ſimplicis intelligentiæ*, ſeu *poſſibilium*, quatenus cognoſcens diſpoſitionem, & propenſionem cuiuſlibet creatæ voluntatis cum quolibet volibili, conſequenter cognoſcit etiam, quid velle poſſit in hoc, vel illo rerum ordine conſtituta; attamen cùm ſubdit poſteriora verba: *Et ſimul cum hoc vidit, in quam partem noſtra voluntas, & operatio inclinatur*, non amplius loquitur de ſcientia poſſibilium; ſed futurorum ſub conditione; & quidem ante quodcumque decretum Diuinæ voluntatis, vti de eo loquuntur Patres Ieſuitæ. Quod adhuc clariùs colligitur ex verbis ſequentibus: *Et quia totum poſſe, & velle, & agere complectitur; ideò non poteſt falli.* Quod autem id intelligat de notitia ante decretum, indicat verbis immediatè ſequentibus. *Et quia prædeſtinatio claudit præſcientiam; hinc eſt quòd concordat cum libero arbitrio.* Quibus verbis docet; ideò Diuinum decretum conformari cum libero arbitrio, quia includit præſuppoſitiuè ſuâ ſcientiâ, quid ex ſua inclinatione acturum eſſet; non enim per eam ſcientiam, quam dicit prædeſtinatione includi; & eſſe cauſam cur concordet cum libero arbitrio, intelligere poteſt ſcientiam viſionis, quæ ſequitur decreta abſoluta. Quia cùm hæc ſequatur Diuinum decretum nihil conferre poteſt, vt Diuina voluntas conformetur, vel concordet cum libero arbitrio; vt ſatis de ſe conſtat. Clariſſimè igitur hoc loco S. Doctor admittit ſcientiam mediam, & ex vi illius concordat efficaciam Diuini decreti cum libertate noſtra. Hæc Maſtrius, vir eruditus promit.

Ad hunc autem modum explicandum, nempè 338
ad percipiendam concordiam gratiæ cum libero arbitrio; ad conciliandа Patrum dicta inter ſe; ad intelligendam diſtinctionem gratiæ in ſufficientem, & efficacem; ad demonſtrandam infallibilitatem diuinæ prædeſtinationis; & ad decretum cum noſtra libertate componendum, adducta eſt in Scholas ſcientia media, vt notat Maſcharenus *loc. cit.* & alij tertiæ ſententiæ authores.

Idem S. Bonauent. *in* 1. *d.*47. *quæſt.*3. *in corpore* 339
ait: *Quod Deus debuit permittere hominem peccare volentem; & nolentem conſeruare, & ſic permittere peccata.* Ex hoc habeo, Deum non prædeterminaſſe actiones malas; ſed vſum ſcientiâ mediâ. Eandem admittit *in* 2. *d.*3. *p.*2. *dub.*1. vt dicam in probanda aſſertione ſecunda, & cùm ſoluam argumentum quartum.

Præterea *in* 3. *d.*1. *art.* 2. *quæſt.* 2. ſuſtinens, 340
Filium Dei non fore venturum, Adamo non lapſo; vt reſpondeat argumento, quòd prædeſtinatio Chriſti, quæ eſt bonum maximum, eſſet bonum occaſionatum à peccato. Reſpondet negando ſequelam, quia Deus ideò condidit Adamum, quia ſe eum redempturum cognouit. Quo fit, vt hic ordo à D. Bonau. ſtatuatur in ſignis Diuinæ prouidentiæ. Ante decretum creandi hominem præceſſit ſcientia, quòd ſi crearetur; lapſurus eſſet; deinde ſi laberetur, poſſet per Incarnationem optimè reparari.

Tandem decreuit. Creemus homines; nam ſi labentur, redimam. En ſcientia media, vt ait Bellarm. *loc. cit.* Id docuit D. Cyrillus Alex. *l.* 5. *theſ. cap* 8. vt oſtendam 3. *p. tract.*1. *diſp.*4. *quæſt.*1. Idem innuit S. P. Franciſcus in oratione *p.*1. *chron. l.*1. *cap.*93.

Adhuc *in* 3. *d.*14. *art.*2. *quæſt.* 3. *in corpore*, putat 341
inconueniens, Chriſtum aliqua, quæ Deus facere non decreuit; ſi ea aliquando faceret, non cognoſcere. Non vult dicere, poſſe Deum nouum decretum condere contra ea, quæ ab æterno decreuit; hoc enim abſit à Seraphico Doctore, vt putet, quòd Deus, ſi ab æterno decreuit vnum tantùm mundum creare, nunc reuocet decretum, & ſtatuat creare multos; ſed vult, Chriſtum ſcire ea, quæ Deus facere non decreuit, quia non ſunt poſitæ tales conditiones, quibus poſitis, decretum fuiſſet: puta decreuiſſet facere, vt Antichriſtus ſaluaretur, ſi voliturus eſſet.

Denique Seraphicus hanc ſcientiam mediam confitetur *ad cap.*4. *Sap.* & *in cap.*11. *Lucæ*, vt dicam in ſolidanda Scripturis hac opinione. Eam D. Chryſoſt. innuit, vt dicam *d.*11. *num.*210.

Hinc malè Arriaga *d.*21. *ſect.* 2. & alij. Molinam, vel Fonſecam ſcientiæ mediæ inuectorem Societati applaudunt, & P. Macedo complaudit Patriæ eorum, ſuæque Luſitaniæ *collat.*10. *diff.*4. *etſi coll.*12. *diff.*1. §. *Authoris iudicium*; illam agnitam potius fateatur à Toſtato *ad* 21. *Matth. quæſt.*52. & à Lirano ibi, qui tamen poſteriores Seraphico fuerant.

Asssero primò, Deum certâ formali notitiâ ſcire ea, quæ è conditione liberâ pendent.

342 Probatvr primò *ex 1. Reg. 23.* vbi Dauid conſuluit Deum. An, ſi maneret Ceilæ, venturus eſſet Saül; & num, Saül vrbem obſidente, eſſent eum Ceilitæ tradituri. Reſpondit oraculum. *Deſcendet Saül. Tradent te viri Ceila.* Quo audito aufugit, & neque Saül venit, neque Ceilitæ eum prodiderunt. Tota ergo veritas poſita eſt in illis conditionalibus. *Si expectaueris*, veniet Saül. *Si venerit* Saül ad obſidendam ciuitatem, tanquam hoſpitium ſui hoſtis; iam viri Ceilitæ prodent te: quæ omnia ſunt libera, & contingentia. Ita intellexêre Abulenſis *quæſt.* 13. Dionyſ. Carthuſ. & Lyranus *ibi*, qui addit, expreſsè conditionem fuiſſe reuelatam, quæ ad ſui veritatem non requirit, vt aliquid in eſſe ponatur.

343 Reſpondent aliqui, quod hæc ideò prædixit Deus, quia tunc & Saül erat huius intentionis perſequendi Dauid: & Ceilitæ, eum tradendi; ideò Deus locutus eſt, ſecundum præſentem rerum diſpoſitionem, ſiue actualem, ſiue habitualem, aiunt Nazarius, & Morandus.

Contra arguunt Suarez, & Faber, quia hæc reſponſio vilificat veritatem Scripturæ, & Oraculi. Nam Dauid conſuluit Oraculum pro eo tempore, quo iam Saül obſideret Ceilam: & Deus reſpondit determinatè, ac reſolutè pro eo tempore; reſponſio autem Dei ſecundum præſentem tantum diſpoſitionem Saülis reddit ſcientiam Dei merè coniecturalem pro tempore requiſito, quod eſt abſonum; vt notarunt etiam Pennottus *l. 3. cap. 27.* & Maſtrius *num. 212.*

Reſpondet Aluarez, Interlinearem itâ explicare. *Tradent te*, ideſt, habent voluntatem tradendi.

344 Adverte Gloſſam Interlinearem plerumque ſenſus habere inadæquatos; ſicut & hìc. Et primò non ſatisfieret petitioni Dauidis; nam Ceilitæ poterant mutare ſententiam; ipſe autem petebat, quid eſſent volituri, obſidente Saül Ceilam, vt ab ea vexatione ſe eximeret. Deinde ſenſum inadæquatum eſſe patet, quia non eſt verum, Saülem habuiſſe voluntatem tunc adueniendi Ceilam. Itaque malè exponitur. *Deſcendet Saül*, ideſt nunc habet voluntatem deſcendendi, & gratis id imaginantur aduerſarij.

Hinc ruit etiam reſponſio dicentium; Deum ſolâ morali coniecturâ hoc aſſerere; non autem Metaphyſicâ certitudine. Tum quia, cognitio incerta Deo eſt indigna. Tum quia Deus reſolutè reſpondit. *Deſcendet. Tradent.*

345 Alii reſpondent, hæc aſſerta ad modum amplificandi malitiam Saülis, & animum Ceilitarum abiectum. Ità Catherinus *opuſc. de prædeſtinatione p. 2.* circa finem.

Verum certiſſima, & reſoluta Dei reſponſio hanc reſponſionem refellit.

Dices, non eſſe imperfectionem, cognoſcere obiectum ſolùm coniecturaliter, ſi ipſum non ſit alio modo cognoſcibile.

Reſpondetur, imò id eſſe perfectionis Diuinæ cognoſcere obiectum, ſicuti eſt: at verò non cognoſcere obiectum, ſicuti eſt; oritur ex imperfectione potentiæ cognoſcentis. Iam verò obiectum, aut eſt verum, aut falſum determinatè. Quod ſi incertè cognoſcitur, planè oritur ex imperfectione cognoſcentis.

346 Probatvr ſecundò à D. Bonau. *ad 4. Sap.* ex illis verbis: *Raptus eſt ne malitia mutaret intellectum eius, aut ne fictio deciperet animam illius.* Vbi obſeruat S. Dionyſ. cum D. Auguſt. *l. de bono Perſeuer. cap. 9.* Deum certò præſciuiſſe Henoc lapſurum, ſi vixiſſet; atque adeò neceſſarium fuiſſe, eum ab hoc mundo eripi, vt à peccatis ſeruaretur immunis. Idem de multis aliis dicendum. Ait verò D. Auguſt. *Poterat illos Deus præſciens, eſſe lapſuros, antequam id fieret, auferre de hac vita.* Sic *& de corr. cap. 8.* Idem aſſerit Nyſſenus *in l. de iis, qui præmaturè abripiuntur*, vbi ait: *Veriſimile eſt, eum, qui id, quod futurum eſt æquè, atque præteritum cognouit, progreſſum vitæ infantis ad perfectionem prohibere; ne quod vi præſciâ malum animaduerſum eſt in eo, qui ità victurus fuiſſet perficiatur, atque ei, qui ea voluntate, arbitrioque victurus fuiſſet, vitij, nequitiæque materia vita fiat.* Hoc ipſum dixit etiam Porphyrius, cuius ſententiam refert, & probat Cyrillus *l. 3. in Iulianum.*

347 Reſpondent Aluarez, & Morand. loqui Spiritum ſanctum non è certa notitia; ſed penſatis periculis. Hoc autem probant è D. Auguſt. *l. de prædeſt. Sanct. cap. 14.* vbi ait: *Dictum eſt enim, quod raptus eſt ſecundum pericula vitæ huius; non ſecundum præſcientiam Dei, qui hoc præſciuit, quod futurum erat; non quod futurum non erat, id eſt, quod ei mortem immaturam erat largiturus, vt tentationi ſubtraheretur incertò, non quod peccaturus eſſet, qui manſurus in tentatione non eſſet.* Colludit his Trigoſius *loco citando, num. 349.*

Minor, virum cordatum non aduertere, præſcientiam apud D. Auguſt. ſtrictè ſumptam reſpicere ea, quæ futura ſunt; non alia; atque adeò damnationem illius iuſti rapti non fuiſſe præuiſam; at verò quòd non fuerit certò ſcita, non inueniet in D. Auguſt. imò certò ſcitam *l. 2. de bono Perſeuer. cap. 9. citato*; vbi aduerto, aliquando aſſumi à D. Auguſt. nomen *præſcientiæ* latè.

348 Probatvr tertiò à D. Bonau. *ad 10. Lucæ*, & *in 3. d. 1. quæſt. vlt.* ex illis verbis, quæ habentur etiam Matth. 11. *Væ tibi Corozaim, væ tibi Bethſaida: quia ſi in Tyro, & Sidone facta eſſent virtutes, quæ facta ſunt in vobis; in cilicio, & cinere pœnitentiam egiſſent.* Vbi Seraphicus D. obſeruat, ita certò præuiſam eſſe pœnitentiam Tyriorum, & Sidoniorum, ſi Filius Dei aduenisſet ad eos, miracula patrando; ſicut nunc alios etiam conuertendos in plenitudine temporum, ad quos venturus erat; remanentibus in obſtinatione Iudæis Corozaim, & Bethſaidæ. Id obſeruat S. Bonauent. cum D. Auguſt. *l. de bono perſeuer. cap. 9.* vbi poſt verba ſuprà allegata, ait: *Sed nunquid poſſumus dicere, etiam Tyrios; & Sidonios talibus apud ſe virtutibus factis credere potuiſſe, aut credituros non fuiſſe, ſi fierent cum eis?* Quaſi diceret: Minime. Reddit rationem his verbis: *Ipſe Dominus atteſtatur, quod acturi eſſent magnæ humilitatis pœnitentiam, ſi in eis facta eſſent diuinarum illa ſigna virtutum.* Quaſi dicat. Cùm Dominus ità prædixerit; quis audeat oppoſitum affirmare? Neque verò poteſt reſponderi, Deum id aſſeruiſſe, quia tunc populi ad id eſſent diſpoſiti, vel inclinati, vt gratis fingit Trigoſius, neſcio quos allegans.

349 Reſpondet Aluarez, Chriſtum præuidiſſe Tyrios acturos pœnitentiam ex miraculis, & auxilio efficaci Diuinæ gratiæ præuenientis, quod Deus ſtatuit illis miſericorditer dare, ſi mira illa ſigna facta fuiſſent; vnde veritas illius futuræ conditionalis non antecedit decretum illud Diuinæ voluntatis;

ſed

ſed ſubſequitur potiùs. Ideò non cognoſcitur à Deo per *ſcientiam mediam*; ſed per *ſcientiam liberam*. Ita etiam concludit Trigoſius *quæſt*.10. *art*.4. *dub*.2. *ad* 4.

Enim verò author hic Deum nobis ſimilem fingit poſt ancipites cogitationes deliberantem; & pro diuerſis euentibus incertis remedià parantem; contra D. Proſp. *ad Genu.reſp*.8.

Deinde cum Tyrij iam eſſent reprobati; Deus in via Thomiſtarum, non modò non præparauerat auxilia efficacia, ſed abſolutè denegauerat; nam reprobatio, ſecundùm Aluarez, eſt ante decretum dandi media. Ergo fruſtra confingit decretum de porrigendis auxiliis efficacibus ad conuerſionem, & ſalutem.

Præterea oſtendat mihi hoc decretum reuelatum. Ea enim, quæ à voluntate Dei libera pendent, temerè abſque reuelatione aſſeruntur, vt docet D.Th. 3.*p.quæſt*.1. *art*.3.

350 Contra adhuc: Ea, quæ competunt Deo naturaliter, & non ex decreto, cognoſcuntur à Deo per ſcientiam aliquam, priorem decreto, ex Aluarez *numer*. 23. Sed hæc ſcientia conditionalis conuerſionis Tyriorum competit Deo naturaliter: Ergo. Minor probatur, nam fundatur in ſola potentia dandi, non in ſtatuto dandi. Quod ſi dicas, ſtatuiſſe dare, ſi miracula facta fuiſſent; petit principium; hoc enim eſt dicere. *Vole efficaciter auxiliari Tyriis; ſi voluero auxiliari efficaciter*. Nihil enim amplius dicit. Hoc autem eſt illudere noſtræ ſaluti; & ſi decreuit dare ſuppoſitis miraculis, & præuidit Tyrios conſenſuros, ac conuertendos; cùm miraculis totum orbem reliquum repleuerit, videtur eos non iuſtè deſeruiſſe. Vrgeo. Nam ſic inanis eſſet increpatio facta Corozaim, & Bethſaidæ; nam dicerent. Ideò illi conuerſi eſſent, quia præparauerat auxilium efficax: nobis autem nequaquam. Quid ergo mirum, ſi illi præuenti auxilio efficaci conuerſi eſſent?

Profectò Iudæis exprobrat, quod non obſtante maiori auxilio gratiæ, ſunt indurati. Ideò etiam Sodomis remiſſiùs agendum teſtatur, vt notat D.Bonauent. ad ea verba Lucæ 10. *Si in Sodomis, &c.*

Reſpondent alij, Chriſtum id aſſerere è coniecturis. Ideò *Matth*.11. dicitur: *Forſan, &c.*

351 Hæc ſanè Diuinam ſcientiam vilificant. Ideò obſeruat S. Bonauent. ad hunc locum Lucæ, præuiſam à Deo pœnitentiam Tyriorum non minùs certò, quàm Niniuitarum: particula verò *Forſitan* non incertitudinem innuit, ſed noſtram libertatem, vt grauiter aduertunt PP. D. Hieron. in id Hierem. 26. *Noli ſubtrahere verbum, ſi forte audiat*; vbi ait: *Verbum ambiguum* Forſitan *Maieſtati Diuina non poteſt conuenire; ſed noſtro loquitur affectu, vt liberum ſeruetur arbitrium*. Idem docuit *ad* 2. *Ezech*. Et D. Auguſt. in id Pſalm. 2. *Ne quando iraſcatur Dominus*. Et *tract*. 37. *in Ioannem* ad ea verba: *Si me ſciretis; forſitan & Patrem meum ſciretis*. Chryſoſtomus *homil*. 78. *in Matth*. ad ea verba: *Fidelis ſeruus, & prudens*. D. Gregorius *homil*. 9. *in Ezech*. ad ea verba: *Si fortè audiant*. D. Ambroſios *l. de Panit. cap*. 5. Idem ſentiunt Theodoretus *Hierem*.26. & *Ezech*.2. & Euſebius *l*. 6. *de præpar. Euang. cap*.9.

352 Idem verò obuerſat D. Seraphicus *ad cap*. 4. *Ioan*. ad id; *Forſitan petiiſſes ab eo*. Vbi deducit certam donationem gratiæ, quæ olim data fuiſſet Samaritanæ, ſi petiiſſet; atque certam Dei de hoc notitiam, & ad *cap*. 5. *Ioan*. ad id: *Si crederetis Moyſi, forſitan crederetis & mihi*, vbi cum Gloſſa obſeruat, hoc dici non dubitando; ſed ad irriſionem; vel certè ad libertatem eorum conteſtandam, ſicuti cum ait: *Forſitan verebuntur filium meum*.

Rurſus *ad cap*. 8. *Ioannis* ad ea verba: *Si me ſciretis, forſitan, & Patrem meum ſciretis*. vbi è D. Auguſt. *tract*. 37. *in Ioannem* ſic explicat. *Ille, qui omnia ſcit, quando dicit forſitan, non dubitat, ſed increpat. Eſt enim verbum dubitationis, quando dicitur ab homine neſciente; quando vero a Deo, eſt verbum increpationis*.

Prætarea, vt notat D. Bonauent. loco vltimo adducto, aduerbium, *Forſan* Explicatur per aduerbium, *vtique*; & vnum pro altero habetur in Græcis codicibus. Sic notat etiam Abulenſis ad locum adductum *Matth*. & *l*. 1. *Regum* Ianſenius *cap*. 47. *concordant*. Titelmanus, Carthuſianus *ad* 11. *Matth*. Toletus ad ea loca *Ioannis*. Vaſquez *loc. cit. cap*.2. Maſtrius *num*.211. Caſpenſis *tract. de ſcientia Dei, d*. 6. *ſect*.3. Sic *Exod*.34. ex Hebræo. *Ne forte ferias fœdus cum eis, & fornicentur*. Mox 3. *Reg*. habes. *Certiſſimè auertent*, & legitur allegatus locus ſic. אמן; quæ vox *certè* ſonat. 353

Neque *hic* apta eſt reſponſio, Deum loqui iuxta diſpoſitionem, in qua erant illæ gentes, nam Sodoma erat deſtructa cum ciuibus, & quando viuebant erant peſſimi. *Geneſ*. 13. Similiter & Tyrij, qui ideò comparantur dæmonibus; & eorum Rex Lucifero *Ezech*.27.28. 354

Probatur quartò à D. Bonauent. *ad cap*. 4. *Ioan*. ex illis verbis: *Sciens Ieſus, quòd Iudæi eſſent venturi, vt raperent eum, & facerent eum Regem fugit in montem*. Vbi præuidit, ſe ibi manentem; rapiendum ad thronum Regalem, & ad coronam, fugit autem, & non fuit deductus. Alia refert Macedo *ſectione* 3. §. 1. obſeruando non hyperbolè illa eſſe dicta, ſed verè. 355

Probatur quintò è Sanctis Patribus ſuprà relatis etiam à D. Bonau. à Vaſquez, Riba, Suarez, Faſolo, Amico, & aliis Societatis Theologis. Qui etiam hanc eandem ſcientiam colligunt è diuerſis *q.q*. hanc ſcientiam concernentibus, quas tractant SS. PP. V.g. Cur creauerit Angelos, quos 356
ſciebat fore malos, ſi crearentur; quam etiam quæſt. indicat S. Bonauent. *in* 2. *d*.3. *p*.2. *dub*.1. & *quæſt*.1. Et reſpondet id feciſſe, vt ad bonum, eorum caſus ordinaretur. Cur Adamum, quem ſciebat lapſurum, ſi crearetur? quam quæſtionem agit D. Bonauent. 3. *d*. 1. *art*. 2. *quæſt*. 2. cum SS. Cyrill. *l*. 9. *in Ioan. cap*. 10. Damaſc. *dial. cont. Manich*. Auguſt. *de orig. animæ, cap*.12. nec omitto Tertullianum *l*.2. *cont. Marc. cap*.7. Cur elegit Iudam, præſciens traditorem, ſi vocaretur; de quo D. Bonau. ad id Ioan.6. *Elegi duodecim, & vnus ex vobis diabolus eſt*. Et reſpondet ex D. Auguſt. *tract*. 27. *in Ioan*. id Deum feciſſe, vt malo, prauoque Iudâ benè vteretur ad noſtram ſalutem; quod clariùs habet idem S. Auguſt. 18. *de ciuit. cap*.49. ibi adductus à Seraphico. Idem reſoluit è D. Chryſoſtomo *homil*.46. *in Ioan*. Vt oſtenderet Deus, quod in poteſtate noſtra eſt, & ſaluari, & perire. Hæc autem Scientiam mediam probant, vt notat Maſtrius *numer*. 214. De his perlege etiam Baſilium homil. *Quòd Deus non ſit author malorum*. Nazianzen. *orat*.42. Hieron. *dial. cont. Pelag*. Theodoret. *quæſtione* 37. in Geneſim, & D. Bonauent. *in* 2. *d*. 4. *art*. 2. & *d*. 23. *quæſtione* 2. & alibi. Luce clariùs D.Auguſt. *epiſt*.49. *quæſt*.2. quærens; cur Verbum tali tempore venerit? reſoluit. *Tunc voluiſſe Chriſtum*

In hominibus apparere, & apud eos ſuam doctrinam prædicari, quando ſciebat, & vbi ſciebat eſſe, qui eſſent credituri. Eadem habet verba *l. de præd. ſanct. cap.* 9. Quare non retractauit ibi, vt aliqui dicunt. Fateor, cum infra addere aliam etiam huius rationem, è diuina electione decerptam. Hoc eluecebit *num.* 413. Vide alios in Macedo, §. 2.

357 Probatvr ſextò rationibus D. Bonau. Prima habetur *in* 1. *d.* 35. *quæſt.* 5. Ad perfectiſſimam Dei ſcientiam ſpectat cognoſcere omnia, etiam poſſibilia. Sed hæc conditionata ſunt poſſibilia. Ergo. Hoc argumento vtitur Faber *loc. citat.* Maſtrius *num.* 215. Maior probatur à D. Bonau. *fund.* 4. Nihil Deus poteſt producere, cuius non habeat cognitionem, & Ideam. Sed Deus poteſt hæc conditionalia producere: Ergo horum habet Ideam. Intellige præciſà ratione exemplaris, vt dixi *quæſt* 7.

Confirmatvr à Maſtrio, ratione, è communi omnium ſenſu adductà. Quando enim quæſita conditionalia proponuntur. Quid faceret, V. g. Pontifex, ſi totius orbis eſſet Dominus temporalis? Quid faceret, ſi adhuc viginti annis viueret? Statim ab omnibus ſolet reſponderi. *Deus ſcit*; quod ſanè intelligi nequit; niſi de ſcientia conditionata; hæc enim decet Diuinam ſapientiam; & ignorare dedecet.

358 Probatvr ſecundò. Deus cognoſcit certò futura contingentia, vt vidimus *quæſt.* 7. & 8. Ergo cognoſcit, & partem illam contingentiæ, quæ eſſe poterat poſitis talibus conditionibus, & non eſt futura; alioqui neſciret contingentiam effectuum. Hoc argumentum eſt D. Bonauent. *d.* 39. *quæſt. vlt. ad* 4. Debet enim Deus cognoſcere contradictoria, & ſi vnum videt futurum, poſitis conditionibus, debet cognoſcere alterum non futurum, non poſitis conditionibus. Efficaciſſimum ſanè argumentum, quod ex D. Bonau. etiam *d.* 39. *quæſt.* 1. & 2. colligitur.

359 Probatvr tertiò à S. D. *d.* 39. *quæſt.* 1. *fund.* 1. & *quæſt.* 2. *fundam.* 6. ex Diuina prouidentia, quæ omnibus rebus, maximè liberis iuxta earum libertatem, & contingentiam, prouidere debet; atque adeo cognoſcere, quid talibus conditionibus poſitis ſecuturum ſit; vel non ſecuturum; alioqui ſcientia Dei eſſet finita, vt arguit S. D. *quæſt.* 1. *fund.* 5. & *quæſt.* 2. *fund. vltimo.* Hoc argumento vtitur Faber; ſed non ſatis rectè, imò videtur ſcientiam Dei, & prouidentiam comparare cum ſcientia vili mercatorum, quæ anceps diſcurrit. Quod eſt abſonum, vt ait Vaſquez.

360 Probatvr quartò à Vaſquez, & Maſtrio. Eodem modo res ſe habet ad fore, vel non fore ſub conditione, atque ad fore, & non fore abſolutè. Sed inter ea, quæ futura ſunt abſolutè, vna determinata eſt vera: altera falſa cognita à Deo: Ergo & inter ea, quæ futura ſunt ſub conditione. Hoc argumentum elicitur è D. Bonau. *d.* 39. *quæſt.* 1. & 2. & *quæſt. vlt.*

Reſpondent tamen aduerſarij, res determinatè futuras cognoſci in decreto præfinitiuo Dei; at verò contingentes non futuras, nullum, ſecundùm nos, admittere decretum, & ideò non poſſe certò noſci. Maſtrius *num.* 215. ſe expedit admittens etiam in his decretum conditionatum. Nos verò cum Seraphico locis ſuprà citatis, debemus reſumere omninò idem etiam de conditionalibus, non futuris contradictoriis, quæ ſub talibus conditionibus poſſibilibus eſſent futuræ. Ratio verò eſt; alioqui ſcientia Dei eſſet limitata, nec eſſet omniſciens; non tamen decretum admittimus.

361 Assero ſecundò, Deum habere hanc cognitionem mediam, ante omne decretum. Hæc eſt præcipua controuerſia, in qua habemus aduerſos Thomiſtas, & Scotiſtas.

Probatvr primò ex illo 1. *Regum* 23. vbi Deus prædixit aduentum Saülis, & proditionem Ceilitarum; quæ tamen non euenerunt. Ergo de eis non fuit decretum. Antecedens patet è Scriptura. Conſequentia probatur, quia ſcientia libera, quæ eſt poſt decretum, eſt ſolùm de exiſtentibus.

Respondet Aluarez *numer.* 21. Nazarius *ad* 5. Maſtrius *num.* 252. Morand. *num.* 350. concedendo quidem, Deum habere ſcientiam eorum conditionalium; ſed poſt decretum conditionale, quo ſtatuit permittere aduentum Saülis, & traditionem Ceilanam; niſi Dauid inde aufugiſſet.

362 Oportet hoc decretum inſectari, quia eſt Aſylum aduerſariorum, quod irridet Zumellus *quæſt.* 14. *art.* 13. *d.* 8. *concl.* 3. quia cùm illæ cauſæ maneant in eſſe poſſibili; nec ſint ponendæ in eſſe, ſed potiùs oppoſitum eius, V. g. Fuga Dauidis; non mora Ceilæ; vt quid Deus more imperfecti diſcurrentis circa ignoratos euentus decerneret: ſi remanſerit, &c. *Volo permittere, &c.* Profectò hæc eſt inutilis prouidentia, inutiliter ſollicita, vt notat Faſolus *dub.* 16. *num.* 282.

Reſpondet Maſtrius *num.* 247. & *num.* 260. admitti à noſtris etiam decreta conditionata; vt illud Reg 4. cap. 13. *Si percuſſiſſes quinquies, percuſſiſſes Syriam vſque ad conſumptionem.* Et Apoc. 3. *Ego ſto ad oſtium, & pulſo. Si quis aperuerit ianuam, intrabo.* Et 1. Tim. 2. *Deus vult omnes ſaluos fieri.*

363 Respondetvr, diſparem eſſe rationem, nam hæc 4. *Regem* eſt conditionalis diſparata; quia conditio non infert ex natura rei euentum, V. g. percutere iaculo terram quinquies, non infert: Ergo delebis Syriam ad internecionem, vt docent Faſolus *dub.* 13. *num.* 252. Amicus *d.* 12. *ſect.* 13. *num.* 243. Arriaga *d.* 21. *ſectione* 7. Vaſquez *d.* 67. *cap.* 4. Nec in hoc ſenſu repugnat Lezana dicens, tales propoſitiones diſparatas eſſe determinatæ veritatis *tract.* 4. *d.* 2. *quæſt.* 4. ſed hæc connexio fuit ſolùm è verbo Dei, & decreto, quod talem percuſſionem prærequiſiuit ad Syriæ conſumptionem; at verò aduentus Saül connectitur cum proditione Ceilitarum. Sic etiam conuerſio Tyriorum cum præcedentibus miraculis, & gratia efficaci: ſic & ingreſſus Chriſti in animam, ad cænandum cum illa collatis gratiarum epulis, ex reſpondentia liberi arbitrij; ſicut & ſalus noſtra ex eodem fonte, oritur. Ideo ad hæc non eſt neceſſarium decretum, vt certò Deus hæc ſciat. Addunt alij, Deum decreto abſoluto, quantum ex ſe eſt, velle omnes ſaluos, quod probat Maſtrius *num.* 260. quia, ait, Deus vult fieri de præſenti ſaluos,

Inſtat Maſtrius, & ad hæc non eſſe talem connexionem neceſſariam, quæ faciat conſequentiam Metaphyſicè certam, qualis decet Diuinam Sapientiam; atque adeò requiri decretum, vt nos quoque conceſſimus *quæſt.* 7. Verum redit adhuc in argumenta pro primo aſſerto.

364 Respondetvr ergo melius, Nullum decretum conditionatum fuiſſe circa factum illud 4. *Reg.* ſed ſolum ſtatutam deſtructionem Syriæ abſolutam ad numerum percuſſionum. Et quia tres percuſſiones vidit, & ordinauit; etiam ordinauit tres ruinas. Id verò. *Si quinquies percuſſiſſes, deleuiſſes vſque ad internecionem*, quæ quinque

Syriæ

Syriæ percuſſionibus compleretur, colligitur ſolùm ex implicito decreto abſoluto. Ideò ait: לְהַכּוֹת Lehabboth. Percutiendum quinque, vel ſex vicibus; quod ſua deductione iratus propheta addit.

365 Qvoad illud. *Si quis aperuerit intrabo.* Et. *Deus vult omnes ſaluos fieri.* Non eſt decreto conditionato innixum; ſed abſoluto volendi ſalutem omnium, quantum ea ſe eſt; atque adeò omnibus porrigendi auxilia neceſſaria. Quod eſt ſignum voluntatis, non conditionatæ, ſed abſolutæ, vt dicam *diſp.16.quæſt.9.*

Inavrgit P. Macedo *ſect.9.* hæc loca nihil fauere, maximè in ſenſu D. Auguſt. quem arbitrum deſignarunt Clem. VIII. & Paulus V. in controuerſiis iſtis de Gratia: nam S. P. *l. 2. contra 2. epiſt. Pel. L. de gratia, & lib. arb. cap. 23.* De *corrept. & gratia, cap.8.* De *præd.ſanct. cap.13. & 14. epiſt. 105. cap.13.* Exponens id *Sap.* docet, raptos, ſi viuerent peccaturos, & perituros; at raptos eſſe; quia iam erant prædeſtinati, vt ſaluarentur: è contrà verò *in Enchir. cap.95. & de dono perſeu. cap.9. & 14. dicit,* Tyrios allatos fuiſſe conuertendos, ſi miracula vidiſſent, dato quod iam fuiſſent prædeſtinati: at quia non erant prædeſtinati ideò erant perituri. Hinc ſequitur, non è ſcientia media, ſed ex Habita prædeſtinatione factam eſſe diſcretionem. Quod ſi è ſcientia media, en reiecti Tyrij; quia crediturij; electi, rapti; quia peccaturi, quæ eſt iniuſtitia. Igitur non à ſcientia media dirigitur Dei voluntas, vt dicitis ad eligendos congruos: & Incongruos reprobandos. Addit, ſcienda non eſſe merita conditionata Tyriorum, niſi agnito decreto adiuuandi efficaciter, vnde merentur.

Hæc amplè ſoluam poſt aſſerta. Interim dico cum D.Bonau. *d.41.* S. Auguſtinum admittere ante decretum prædeſtinationis, motiuum ex gratia, vnde fiat diſcretio; non tamen ex iuſtitia; & quamuis media ex parte ſuâ congrua omnibus parauerit, non tamen eximia miracula dat ſingulis, ſed quibus ſecundùm ſuam arcanam ſapientiam voluit. Nec tamen conqueri poſſunt Tyrij, v.g. ſi data ſint populo Iudæo, forſan ex meritis Sanctorum Patriarcharum. Neque datâ ſcientiâ mediâ infertur, eos damnatos, quia erant credituri; eſſent quamquam credituri, medijs eximiis: ſicuti, nec raptos, quia erant peccaturi, eſſe ſaluatos; ſed ne peccarent, fuiſſe quidem raptos, & hoc reuocat S. Aug. ad arcana motiua prædeſtinationis, agnitâ ſcientiâ mediâ, & deſtinatâ ex gratia; vnde aliàs locis cum Apoſtolo clamat. *O altitudo, &c.* vt obſeruat S. D. *diſt.41.* Ad hæc autem ſcienda, non exigi decretum, infrà oſtendam. Neque negantes, futura ante decretum ſciri, idem dicunt quò ad conditionata obiecta, vnde negent ſcientiam mediam, vt infrà.

Qvoniam verò P. Macedo eximius S.Auguſtini Interpres, ac fidus, quando non diſtractus à Scoto, plurima è S.Patre aggerat, vt nos expugnet; obſerua cum D.Bonau. *2.d.28. paſſim*, quem conſuluere cæteri, S.Auguſtinum ex profeſſo in iis libris egiſſe contra Pelagianos, qui negotium ſalutis ſoli arbitrio demandabant, & contra Semipelagianos ſalutis initium eidem acceptum ferentes, è quibus aliqui occultiùs præuenientem gratiam ſpecioſo cooperandi colorem tegebant. Ideò alta Dei arcana profundiùs penetrare nolens, omnia ad antecedentem Dei gratiam euocabat, tam prædeſtinationes, quàm vocationes, iuſtificationes, &c. Et in harum occultum motiuum, vtpotè arcanam gratiæ prolem cum Apoſtolo exclamabat; hoſce etiam conſtanter *poſt retract.* motiuum admiſiſſe, grauiter teſtatur D. Bonau. *d.41.art.2.q.1. in 1. ſent.* ad hoc autem ingreditur ſcientia media, vt faten-

rur aduerſarij; ſed cautè de hoc dicere renuit, Apoſtolum imitatus, tum quia erat occultum: tum, vt ab aduerſariorum erroribus exulantes & licita ſilendo ad ea mentem applicemus, quæ Dei benignitatem, & gratiam è noſtrâ miſeriâ commendant; & vt ad ſalutatem adeò nos humilitatem alliceret, ſicut monet *S.D. l.c. in 1.ſent.* Interim S.Pater aliqua interdum indicauit in tranſitu, maximè ante ſubtiles cum Semipelagianis controuerſias; vt in lib. ad ſimplicianum *q.2.* qui eſt *in 4. Tom.* & aliis operibus, vbi rationem eligendi redigit ad congruitatem gratiæ cum voluntate liberâ, è ſcientia media, quâ Iacob è maſſa damnata emerſit; Eſau relicto, quia peccaturus præuiſus erat, vt notat D.Bon. *d.41.a.1. litt.* & *art.2.q.1.* vbi ſolùm reprehendit præſumentes arcana dicere. Ideò in eo *l.ad ſimpl.* poſtquam arbitrij partes ſuſtinuit, Incipit ab eis verbis: *Sed quid hoc querimus*, gratiæ patrocinium ſuſpicere; at ſolum debitum excludit, vt conſtat: ſed non motiuum ſanè hoc excludit è nudo arbitrio, & hanc expoſitionem ſibi reuelatam, cum hæc ſcriberet, ait *l.2. retract. cap.1.* & motiuum occultum, puta ſi foret actus fidei, Deo adſcribendum monet, ſicuti & totum ſalutis negotium, *ad reprimendam hominis inflationem*, vt D. Seraphicus *loc. cit.* aduertit.

Vt autem id, quod dixi eniteat; affero ex tomo eodem alium textum D. Auguſtini ipſi Macedo ſuper omnes formidabilem, *l.83.qq.q.68.* vbi diſcretionem prædeſtinatorum à reprobis ad occultiſſima merita ſæpius reducit, atque: *Nonnullam eſſe inter eos diuerſitatem, & præcedere aliquid in peccatoribus, quo quamuis non ſint iuſtificati, digni efficiantur iuſtificatione.* Hunc locum adducit D.B. *d.41. dub.3. litt.* & exponit *in qq.*

Reſpondet Macedo primò nihil hoc ad ſcientiam mediam ſpectare, quæ meritis arcanis non nititur; ſed apertis.

At S.Doctor Oſtendit, occultiſſimas eſſe congruas operationes prædeſtinationis motiuas. D.verò Auguſt. ſcientiâ quidem mediâ dirigitur ad conciliandum arbitrium cum gratia, quod eſſentiale eſt merito, vt fatetur Macedo, atque ideò omni merito neceſſarium. Quod verò nos lateat, quodnam ſit congruum illud motiuum prædeſtinationis; nihil obeſt.

Videns hîc Macedo S. Auguſtini doctrinam, ſe non ſoluiſſe, fatetur ingenuè, ſe diù in hoc percipiendo inſudaſſe, aliorumque ſibi potius probatam haberi Doctorum expoſitionem, ſcilicet D. Auguſtinum id retractaſſe; ſic enim ſenſit Magiſter; at tandem ſe comperiſſe, ait, nullam fuiſſe cauſam palinodiæ canendæ; Inueniſſe autem nouam nemini agnitam expoſitionem; Non agi nimirum de meritis, ante prædeſtinationem, & vocationem; ſed poſt eam, quibus ad iuſtificationem iam vocati peccatores congruè diſponuntur. Hanc explicationem dedit S.Bonau. *dub. illo allato*, vbi adnotauit, non de hac ſola Auguſtinum loqui; ſed de multis congruitatibus; quæ latiùs dicuntur merita ad gratiam ſanctificantem, atque etiam ad vocationem, quæ eſt primus effectus prædeſtinationis, non modò in executione, ſed & in prædeſtinatione, cui reſpondet, hæc autem occultiſſima ait S. Bonau. *art.2. quæſt.1.* hoc declarans, oriti ſanè ex operè, gratiâ gratis omninò datâ. Quod autem ſit opus, quo diſcernuntur Iacob ab Eſau: Nabuch. à Pharaone, Dei ſapientiæ ſcrinio reconditum clamat Apoſtolus, vt ait S.D. Quod verò de hoc prædeſtinationis motiuo loquatur Apoſtolus; vidêre Magiſter in D. Aug. voluntatis *1.d.41.* Henric. *quodl.8.q.5.* cum D.Bonau. tametſi primus dicat id D.Aug. retractaſſe, cui non vult ſe opponere S.Bonau. ſed propriam addit expoſitionem, alienam ab ea Henrici, merita effutientis; at S.D. vocat congruitatem, quam oſtendam *d.21.quæſt.12.*

Iam ergo videamus, hunc eſſe D. Auguſtini ingenuè ſenſum. Quæſtionis eſt titulus: *De eo quod ſcriptum eſt. O homo tu quis es, qui reſpondeas Deo. Quæſtio* 68. Sumitur è *cap.9. ad Rom.* vbi ſequitur: *Numquid dicit figmentum ei, qui ſe finxit. Quid me feciſti ſic?* Planè agit de prædeſtinatione. In eo perſiſtens, ſæpius titulum repetit. Audi in re ſequentem. *Hic fortaſſe conturbatus ad illam quæſtionem redis. Cuius vult miſeretur, & quem vult obdurat: quid adhuc conqueritur? Voluntati enim eius quis reſiſtit? Prorſus cuius vult miſeretur, & quem vult obdurat. Sed hæc voluntas Dei iniuſta eſſe non poteſt, venit enim de occultiſſimis meritis, quia & ipſi peccatores, cum propter generale peccatum vnam maſſam fecerint, non tamen nulla eſt inter illos diuerſitas.* Hæc ſanè prædeſtinationis actum dicunt. Sequitur D. Auguſt. *Præcedit ergo aliquid in peccatoribus, quo, quamuis nondum ſint iuſtificati, digni efficiantur iuſtificatione, & item præcedit in aliis peccatoribus, quo digni ſint obtuſione.* Vult inferre. Si aliquid congruum præcedit erutionem è maſſa. Ergò & in vocato, aliquid præcedit ad iuſtificationem. P. Macedo prima verba omiſit cautè, quia ſibi contraria, & ſolum Antecedens, ſicut & verbum conſequens, quod minus eſt, affert, quod tam patitur reſtrictionem, quam adhibet; at D. Bonau. qui totum perlegit locum, multas præcedentes aſſerit congruitates, tum vocationem in executione: tum etiam prædeſtinationem præcedentes: in qua referenda, S. Aug. ait, occultiſſimas congruitates adeſſe, è quibus æterna ſalus oriatur.

Hic ſanè locus, etſi à magno Macedo, qui tot volumina in D. Auguſtinum contexerat, eiuſque Diuinæ mentis oraculum extiterat; inter difficiliora eius opera, difficillimus aſtruatur. En à D. Bonauent. quinque lineis elucidatur. Hinc coniice Diuinum Seraphici Doctoris ingenium. Num autem P. Macedo hoc ipſius Commentarium legerit, qui nullibi, omnibus perlectis, ſe id inueniſſe teſtatur, plurimum ambigo; quòd ſi vidiſſet, ſibi contrarium inueniens non reclamaſſet, cùm textui apertè ſit obuius. Profectò niſi Scoti res funditus iacèret. Hic præclarus Auguſtini Interpres, Seraphico Bonauenturæ dexteram dudùm dediſſet.

366 Secvndo arguunt contra decretum conditionale, Albertinus *fol.* 297. Arrubal. *d.* 45. & 46. & Vaſquez, vt dicam *diſput.* 16. Amicus *ſection.* 12. *num.* 209. Decreta conditionata eſſent libera (ſi darentur) Itaque oporteret ad hoc, vt eſſent, dari aliquam mutationem. At in Deo, non poteſt eſſe mutatio in decreto libero, quod habuit; & ante (ſecundum modum capiendi) non erat cum omni eo, quod eſt Deus, & neceſſarium. Ergo facta eſſe debet mutatio in rebus volitis conditionaliter; at nulla talis mutatio reperitur; nam adhuc ſunt in eſſe tantùm poſſibili.

Hoc tamen argumentum mihi non probatur, quia inuenitur mutatio in rebus, vt ab eſſe poſſibili tranſeat ad eſſe conditionaliter futurum ab æterno; in tempore verò fit in eis mutatio, dum eſſent, ſi tranſiret conditio, & non ſunt, omiſſa conditione. Neque eſt neceſſaria mutatio tranſiens in creaturam; ſicuti cùm Deus, decretis rebus futuris, decreuit reliqua poſſibilia non futura, non tranſit aliqua mutatio ad res: ſed manent adhuc ſub mero eſſe poſſibili.

Melior eſt ratio Arriagæ *d.*21. *num.*17. Ribæ *num.*44. Nam incredibile videtur, Deum *de facto* habere tot; imò infinita decreta conditionata, quæ deberent eſſe in tota ſerie poſſibilium, vt, ſi alium mundum voluiſſem creare; volo iam, vt in eo fuiſſent tot folia arborum, tot guttæ, tot pulices, &c. Si verò eſſet alia ſeries; volo, vt tunc eſſent tot. Et ſic diſcurrendo per infinities infinitas combinationes rerum imaginabiles. Quis autem non iudicet abſonum, quòd omnes Dei volitiones de facto formentur ex tot infinitorum infinitis prouiſionibus ineptis?

Reſpondet Maſtrius *num.*266. non magis abſurdum eſſe dicere, tot decreta à Deo facta tot combinationum, quàm admittere, omnia hæc cognoſci à Deo; quod ſi hoc Diuinæ ſcientiæ concedunt; debent & illud Diuinæ prouidentiæ non denegare. 367

Verum adeò lata eſt diuerſitas, vt mirum ſit, eruditum Maſtrium hæc reſpondere. Diuerſitas autem affertur à D. Bonau. *in* 1. *d.*45. *q. aſt.*2. Quia enim ſcientia eſt per modum habitus, debet, vt ſit perfecta, extendi ad omne ſcibile, & omne verum; quia ſcire, eſt omne verum ſcire; atque ideò perfectionis; at velle, eſt per modum actus, qui reſpicit totum id tantùm, quod rationabile eſt, vt ſit. Et quia ratio, & prouidentia dictat creaturas fieri in numero finito, quia numerus infinitus rebus non competit; ideò voluntas infinitum refugit. Adde decreta conditionata dedecere etiam Deum; ſicut enim velleitates Deum dedecent, non modò ex parte obiecti, vt concedit Maſtrius, ſed ex parte actus, quia rectè exprimuntur, non per præſens, *Volo*; ſed per *vellem*, *ſi*, &c. & ità non ſunt volitiones; non enim eſt volitio *vellem* ſed *volo*. Adde volitiones Dei liberas ſola reuelatione ſciri.

Probatvr tertiò, non dari hoc decretum conditionale, ab Amico *ſect.*12. *a num.*205. Si extaret decretum, ſanè concomitans, iam actus ille non eſſet in noſtra poteſtate. Sequela probatur, quia cùm decreuit conditionaliter. Si fierent miracula Tyri; Tyrios conuerti, ſi nec præuidiſſet, quid eſſet facturum arbitrium, improuidè decerneret ità faciendum, puta Tyrios conuertendos, quippè, cùm conditionalem conuerſionis Tyriorum veritatem non præcognouerit ante decretum; iam in poteſtate Tyriorum non remanet perſiſtere in peccato; atque adeò non ſola neceſſitate conſequentiæ, vt putat Maſtrius; ſed concomitante, actum determinando, cogerentur Tyrij ad Deum conuerti. Dicere verò cum Maſtrio, decretum Dei coincidere cum noſtra deliberatione, etiam non præuiſâ, eſt facere, vt Deus caſu concordet; cùm ignoret quid liberum arbitrium velit; ac proinde poſſit etiam diſcordare, ac determinare liberum arbitrium, quomodo vellet. 368

Neque dicat Maſtrius, ibi eſſe concomitantiam; non cauſalitatem. Nam decretum Dei (eſto) comitans, eſt prima cauſa determinans liberum arbitrium, ità vt, non priùs incipiat determinari à ſe, quàm ſit determinatum à Deo, qui totum illius actum determinat, ita vt nullo inſtanti, etiam rationis, ſit indifferens; & cùm Deus illum determinet huc; ignorans: An liberum arbitrium ipſum huc velit tendere; ſequitur auferre libertatem ad contradictorium, & contrarium. Itaque ligat arbitrium; ſicut ferè decretum prædeterminans Thomiſtarum. Parum autem refert: An ego vinctus trahar fune ad collum à pendente; an à comitante, ſi trahor, quò non vellem.

Probatvr quartò. Sequeretur, Deum determinaſſe hominem ad peccatum. Probatur *ſeq.* Sumo actum, qui non poteſt eſſe ſine peccato, vt odium Dei. Si Deus decreto comitante determinauit Luciferum ad hunc actum vitalem odij Dei; ſequitur Luciferum, *ſi in tali ordine ponatur*, verbi gratia, in Empyreo talibus circumſtantiis; peccare, Deo authore. Similiter, 369

ſi Deus ſciuit hanc conditionalem propoſitionem in decreto. *Si Adam in tali ordine ponatur, peccabit*; & ſi in hoc ordine Deus illum determinauit ad hunc actum; iam Deus erit author peccati.

Reſpondet Maſtrius, *num.*267. Deum non eſſe authorem peccati, quia ideò ab æterno ſtatuit, Adam lapſurum, ſi in tali rerum ordine poneretur, quia Adam lapſurus erat pro ſua libertate, non quod hoc præuiderit ante decretum, ſed ratione dictæ concomitantiæ fundatæ in continentia eminentiali creatæ voluntatis in Diuinâ; ratione cuius habet Deus, vt in æternis decretis ſtatuendis circa actus noſtros liberos poſſit coincidere in eandem determinationem, quam pro noſtra libertate facimus in tempore, perinde, ac ſi eam præuidiſſet.

370 Vervm enim verò, hæc continentia eminentialis reiecta eſt *quæſt.*7. & iterum eam refello. Nam hæc continentia eminentialis eatenus complectitur voluntatem noſtram, quatenus eſt prima cauſa libera habens quicquid habet noſtra voluntas; at ex hoc non ſequitur, vt poſſit determinare voluntatem alienam, illæſa libertate eius. Nam neque hæc eſt perfectio noſtræ voluntatis; ſed ſolùm determinandi ſe ipſam, non aliam. Igitur neque ex eo, quod Dei voluntas eſt prima libera; ſi determinet alienam voluntatem, ſinet liberè agere. Cùm igitur Deus noſcat peccata noſtra in ſuo decreto, & eum non poſſit cognoſcere, niſi prædefiniat, aut definiat comitanter; ſequitur, Deum prædefinire noſtra peccata, contra Concilium Arauſicanum.

Neque dicat Maſtrius, *num.*277. hoc argumentum vrgere ſolas Thomiſtarum prædefinitiones; non autem comitantes. Nam cum in decreto videat Deus actus malos ante deliberationem arbitrij; ſequitur, iam liberum arbitrium non eſſe liberum ad determinandum ſe in bonum; atque adeò neceſſitate non conſequenti; ſed determinante peccabit. Itaque non ſtatuit, Adam lapſurum, quia iam lapſurus erat; ſed ipſe ad lapſum illum determinauit: quod dicere impium eſt.

Igitvr decreto illo conditionato exploſo, proſequor argumenta pro Aſſerto.

371 Probatvr ergo ſecundò à D. Bonauen. ex illo Matthæi, & Lucæ. *Si in Tyro, & Sidone*, allato ſuprà.

Reſpondent Aluarez, & Nazarius, Deum præuidiſſe illos acturos pœnitentiam ex miraculis, & auxilio gratiæ efficacis præuenientis, quod Deus ſtatuit illis dare, ſi mira illa fuiſſent patrata; vnde veritas illius futuræ conditionalis non antecedit decretum illud Diuinæ voluntatis; ſed ſubſequitur. Et ſic non cognoſcitur per ſcientiam mediam; ſed per ſcientiam liberam.

372 Hæc reſponſio ſuprà eſt reiecta. Addo. Illam conditionem *ſi facta eſſent virtutes in Tyro*. Non ſe tenuiſſe ex parte obiecti; ſed ex parte Dei, ideſt. Si Deus vellet facere virtutes. Quare ſi in decreto conditionato hoc ſcitum eſt; in tali decreto ſcitum fuit. *Si vellem dare, dediſſem*. Quod idem eſt, ac dicere. *Volo*; *ſi vellem auxiliari Tyriis*, Vnde infallibiliter conuerterentur. Deinde. Volo non auxiliari Tyriis ad conuerſionem, & hoc quoque decretum priori contrarium, eſſet inane, vt arguit amicus, *ſec.*12.*n.*210.

Reſpondeat Maſtrius, & Morandus, decretum primum conditionatum de conuerſione Tyriorum, non eſſe otioſum, quia hinc conducit ad manifeſtandam Dei bonitatem in eo, quod voluerit Tyrios ad pœnitentiam adducere; illinc verò eorum malitiam; ſicut in ſecundo decreto abſoluto negatiuo elocet iuſtitia. Itaque non ſunt decreta contraria, cum è diuerſis motiuis oriantur.

Sed dicant obſecro. Quæ bonitas, & benignitas Dei, decernere? *ſi vellem conuertere Tyrios, conuerterem*: Potius eſſet inutilis potentiæ oſtentatio. Aut quæ iuſtitia? *volentibus, nolo cooperari ad ſalutem.* Aut quæ eorum malitia, dum ex auxiliorum ſolo defectu tacent?

Probatvr tertiò ex Matt.24. *Niſi breuiati fuiſſent dies illi, non fieret ſalua omnis caro; ſed propter electos breuiabuntur dies illi.* Sed decretum efficax erat de ſaluandis quibuſdam per te, ante omnem gratiam remouentem occaſiones Antichriſti: Ergo non aderat decretum conditionale, quod non ſaluarentur. 373

Hinc fuit reſponſio Aluarez, Deum in decreto, quo ſtatuit dare auxilia efficacia electis, vt ab eis occaſionibus liberati, non perirent, præuidiſſe perituros, ſi diù duraret tentatio. Altera reſponſio Aluarez mox repelletur.

Contra enim eſt: nam per Ipſum, erant abſolutè prædeſtinati, priùſquàm Deus præuiderit, vel determinauerit media illa auxiliorum. Ergo repugnabat, poſtea ſanciri decretum conditionale, vt perirent ex defectu auxiliorum, & duratione actis tentationis, ſecundùm ipſius fundamenta. Quorſum quæſo decreta hæc? ſanè otioſa forent.

Probatvr quartò à D. Bonauen. *l.c. ad c.*4. *Ioan.* ex illis verbis. *Cùm ſciret, quia venturi eſſent, vt raperent eum, & facerent eum Regem; fugit in montem*; & ex illo Ioan.5. *Si alius venerit in nomine meo, illum recipietis.* Vbi Dominus prædicit abſolutè; ſed non vidit in decreto conditionato, vt oſtendi. Ergo. 374

Reſpondent Aluarez, & Nazarius, Chriſtum hæc vidiſſe ſolùm incertè. Addit Nazarius *ad* 3. contra ſecundam concluſionem, Deum hæc, & ſimilia probabiliùs vidiſſe, quam dæmones, qui oracula dabant incerta; quia licet Deus in indiciis ſapientiæ ſuæ ante determinationem voluntatis non poſſit certò cognoſcere, quid ſit volitura; maximam tamen habet probabilitatis euidentiam.

Hæc ſanè vilem reddunt Diuinam ſapientiam, vt arguit Maſtrius, contra Fabrum.

Probatvr quintò ex 1. Iſa: *Niſi Dominus reliquiſſet nobis ſemen, quaſi Sodoma fuiſſemus.* 375

Reſpondet Aluarez primò, Deum per ſcientiam naturalem cognouiſſe, quod niſi per Apoſtolos; aut prædicatores alios, aut per ſe nota faceret Myſteria fidei, periſſent ex Iſraëlitis, qui ſalui facti ſunt.

Contra arguo ad hominem. Ea, quæ fundantur in aliquo decreto Dei, non cognoſcuntur aliqua ſcientia naturali per te. *num.*11. & 12. Sed per te hæc conditionalis. *Niſi Dominus reliquiſſet nobis ſemen, periſſemus*, fundatur in decreto Dei: Ergo. Minor probatur è ſecunda reſponſione Aluarez, quæ eſt, quòd Deus in decreto, quo ſtatuit per prædicationem ſuorum ſaluare credentes, cognoſcit, quod perituri eſſent, niſi ſemen illud paruum, ideſt Apoſtoli eſſent ſuperſtites; negatiuum enim noſcitur per poſitiuum, vt docet D.T. *q.*14.*ar.*10.

Contra hunc modum adhuc vrgeo, quia in eo ſigno, quo ſtatuit ſaluos facere illos per prædicationem, iam erant illi prædeſtinati abſolutè per vos. Nam prædeſtinatio ad gloriam, vt ad finem, eſt ante decretum mediorum neceſſariorum ad ipſam prædeſtinationem. Ergo poſtea non decreuit perdendos ſine talibus mediis, nec in tali decreto, aut alio; nec alio modo præuidit perdendos ſine talibus mediis; cùm non eſſent ampliùs ſub conditionali perditionis; ſed abſolutè erutì è maſſa perdendorum. Tale profectò decretum eſſet ridiculum.

Probatvr deinde ex Patribus. Primus Ioannes Chryſoſtomus, *homil.*31. *in Matt.* ait: *Deus vocauit* 376

tali tempore Paulum, quia ſciebat ipſum reſponſurum; non vocans autem alio tempore, quia ſciebat repugnaturum.

Reſpondet Aluarez, Deum per ſcientiam liberam in decreto, quo ſtatuit prædeſtinatos ſaluare, agnouiſſe, quid eſſent reſponſuri.

Verum non reſpondet Aluarez, ad id, in quo ſtat oppoſitio, Paulum reclamaturum; ſi in alio tempore vocaretur. Ex quo deſumimus ſcientiam mediam.

Deinde S. Aug. *l. 1. ad ſimplicianum, q. 2.* loquens de reprobis ait. *Si vellet & ipſorum miſereri, poteſt illos ita vocare, quomodo illis aptum eſſet, vt mouerentur, & intelligerent, & ſequerentur.*

Reſpondet Aluarez, id ſolum aſſeri, Deum noſſe vim ſuæ gratiæ, quia occultè quoſdam ita vocat, vt vocando conuertat; & ideò videat ità vocatos aſſenſuros, quia vocando facturus eſt, vt aſſentiantur.

377 Contrà. Nam D. Aug. intendit dari vocationem proportionatam homini, quem vocare ſtatuit, vt vocationem non reſpuat: Ergo priùs nouit, quid facturus ſit homo vocandus; nam vocatio datur proportionata neceſſitati eius. Quidquid dicat Nazarius, qui efficaciam Diuinæ vocationis accipiendam è prædeterminatione illa ſua clamat.

Idem probatur è multis quæſtionibus, quas SS. PP. exagitant; vt dixi primâ aſſertione. Vt cum diſputant. Cur Deus homines, & Angelos creauerit, eiſque præceptum indixerit, cùm ſciret, eos peccaturos? In hac quæſtione includitur ſcientia media; nam præſcientia abſoluta ſupponit iam creationem, & lapſum Angeli, & hominis, cum permiſſione Dei. Hanc quæſtionem agitat S. Bonauen. *in 2. d. 3. p. 2. dub. 1. litt.* poſt D. Auguſt. *l. 11. de Geneſ. ad litt. cap. 21. & 22.* Adducit verò contrà illud Iob. *Ipſe eſt principium viarum Domini, vt illudatur ab Angelis.* Et illud Pſal. 103. *Draco iſte quem formaſti ad illudendum ei.* Quæ loca adducuntur ab aduerſariis Manichæis, vt oſtendant, Angelos dæmones factos eſſe malos. Ipſe autem S. Auguſt. ſic explicat, quod Deus ante ſciens, Angelum futurum ſua voluntate malum; fecit tamen, vt illo bonis prodeſſet; dum enim bonos tentat, & hi reſiſtunt; ab eis deridetur. Idem proſequitur S. Bonau. *dub. cit.* exponitque particulam. *Vt illudatur*, conſecutiuè, id eſt ſciens, ſecuturam illuſionem, ſi faceret; tamen fecit; vel cauſaliter; id eſt ad exercitium bonorum. Ex quo habes, Seraphicum etiam *hic* admittere ſcientiam mediam. Eandem doctrinam docet de hoc *in 2. d. 23. q. 1.* quærens. Cur Deus voluerit facere hominem peccabilem; ſciens peccaturum, ſi crearetur?

Hanc autem creationem adſcribit miſericordiæ Dei, qui præuiderat, poſſe redimi, & redimere volebat morte Filij ſui, quam primò videat conditionaliter efficacem.

378 Hinc habes pro ſcientia media validum contra Thomiſtas argumentum. Per vos decretum Incarnationis fuit poſt præſcientiam peccati. Si tollatur ſcientia media; ſequitur prædeſtinationem Chriſti, ipſumque Chriſtum eſſe bonum occaſionatum à peccato, quod eſt abſurdum; quia Chriſtus eſt maximum bonum ad extrà. Sequela probatur. Nam ſecundùm vos, Chriſtus fuit prædeſtinatus, quia Adam peccauit: & Adamo non peccante, non fuiſſet prædeſtinatus. Quippè prædeſtinatus eſt, vt Saluator. Ergo prædeſtinatio Chriſti eſt ſimpliciter ordinata ad remedium peccati, tanquam medium ad finem. Tunc ſic. Finis eſt principaliùs volitus, quam media. Sed ſalus hominis peccatoris per vos fuit ſimpliciter finis prædeſtinationis Chriſti. Ergo. Hæc autem abſona ſunt; nam Chriſtus eſt primus prædeſtinatus, & finis aliorum, vt habetur *Coloſſ. 1.* vbi dicitur. *Primogenitus omnis creaturæ*; & hoc modo de Chriſto homine intelligitur à Concilio Epheſino, *tom. 1. cap. 4. & 5.* & *tom. 4. in Appendice vlt. cap. 26.* Item *Rom. 8.* dicitur. *Primogenitus in multis fratribus.* Quod de Chriſto homine intelli- 379
gitur, vt notat Chryſoſt. *homil. 15.* Neque ſoluitur argumentum reſponſo Vaſquij; dici primogenitum, ratione nobilitatis, nam eodem modo ſequitur, eſſe finem, vt ſit nobilior, atque adeo priùs intentum. Finem autem eſſe mediis nobiliorem, & magis intentum, docet etiam Ariſt. *1. Moral. Nicom. cap. 7.* & *2. Phyſ. t. 23.* & *1. Moral. Eudemiorum* in calce.

Deinde probatur, Chriſtum, vt homo eſt, eſſe finem omnis creaturæ, & omnis prædeſtinationis. Nam Apoſtolus ſubdit. *Quoniam in ipſo condita ſunt vniuerſa; & ipſe eſt caput corporis Eccleſiæ, qui eſt Primogenitus ex mortuis, quia in ipſo complacuit, omnem plenitudinem inhabitare: & per eum reconciliare omnia, pacificans per ſanguinem eius, ſiue quæ in cælis ſunt.* Quæ quidem Chriſto homini competunt, licèt in ipſo condere omnia etiam, vt Deus eſt, illi conueniat, vt multi PP. exponunt. Hoc quidem argumentum efficaciſſimum reor contra Thomiſtas. Nec habent quid reſpondeant ſatis, vt oſtendunt Scotiſtæ. Nos verò per ſcientiam mediam aptè illud reſoluemus *3. p. diſp. 4. quæſt. 1.*

Ad primum. Reſpondet Aluarez, Deum præuidiſſe Angelum, & hominem lapſuros, in decreto ponendi eos in tali occaſione, & concurrendi ad ſubſtratum culpæ; & ideò per ſcientiam liberam: at verò ſcientiâ naturali vidiſſe lapſuros, ſi in talibus circumſtantiis ponerentur.

Contra primum argoo. Voluntas permittendi ca- 380
ſum Angelorum, & hominum, eſt effectus Diuinæ prouidentiæ, vt ordinat res ad finem, ex D. T. *p. p. q. 23. ar. 3.* Ergo priùs in intellectu Diuino cognita eſt finis, qui eſt maius bonum, & maior Dei gloria, ex D. Auguſt. *in Enchir. à cap. 25.* Ergo priùſquàm decreuerit ponere hominem, & Angelum in tali occaſione, vidit, quod ſi peccabunt, elicietur maius bonum. Hoc autem non vidit per ſcientiam naturalem. Probatur contra ſecundum caput reſponſi. Quia ſcientia merè naturalis eſt de merè poſſibilibus vt ſic, quæ non ponit tali, vel tali tempore, vt ſi mundus creabitur, durabit tot ſæculis: at verò hæc futura conditionata per te ponunt ſic infallibilitatem talem. Ponit ergo receſſum à poſſibili, & acceſſum ad futurum. Ergo eſt media. Idem poſteà vidi obſeruatum à Fabro, *c. 2. n. 27.*

Probatur tandem à D. Bonau. *1. d. 35. q. 5. ad 2.* 385
Idea de ratione ſui nominis primi, non connotat ideata, quæ exiſtunt actualiter, ſed quæ poſſunt exiſtere. Ergo in Deo dantur Ideæ, non ſolùm futurorum, ſed etiam poſſibilium, & conditionalium. Probatur Anteced. quia Idea eſt ratio cognoſcendi, & exemplar operandi; poteſt autem habere primum ſine ſecundo, vt patet de architecto, qui habet Ideam templi, quod nunquam ædificabit, vt notat Seraphicus, *d. 35. dub. 5. litt.* Eſt autem in hoc architectus Deo ſimilis, vt notat D. Aug *l. 83. qq. q. 46.*

Hanc rationem magni facit Trigoſius, *q. 11. ar. 6. dub. vnico.*

Fundamentum primæ ſententiæ conuulſum eſt. Arguebant enim. Conditionalia formaliter non ſunt certò cognoſcibilia; ſed intrinſecè arguunt imperfectionem obiecti opinabilis, & coniecturabilis. Vide *quæſt. 7. & 8.*

Obicies primò cum ſecunda ſententia Scripturas, 382
quæ dum loquuntur de futuris conditionalibus, vtuntur particulis dubitandi. Sic Geneſ. 3. dicitur Deus eiecisse Adam ex horto Eden. *Ne forte mittat manum*

ſuam,

ſuam, & ſumat de ligno vitæ. Exod.23. *Noli ſubtrahere verbum, ſi forte audiant, & conuertantur.* Ezech.2. *Loquere ad eos; ſi forte audiant, & ſi forte quieſcant.* Deut 4 *Cuſtodite ſollicitè animas veſtras, ne forte decepti faciatis vobis ſculptam ſimilitudinem.* Deinde PP. eadem phraſi vtuntur. Sic D. Auguſt. *de prædeſt. Sanctorum, c.*14. explicans id. *Raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum eius,* ait: *Dictum eſt hoc ſecundum pericula huius vitæ; non ſecundum præſcientiam Dei, qui hoc præſciuit, quod futurum erat; non quod futurum non erat.* Idem docet, *lib.de anima, & eius origine.*

Similiter S.Proſper *ep. ad. Aug.* quæ habetur ante librum citatum *de prædeſt. ſanctorum.*

Respondetur ex dictis, Scripturas vti illis particulis, dubitationem redolentibus, ad oſtendendam facti difficultatem, vel libertatem arbitrij. Vide ſuprà.

383 Ad Sanctos PP. reſpondent communiter, Vaſquez, Turrian. Pennott. Amicus, Vulpes, Smiſing. & alij; Patres negare præſcientiam conditionatam, non ſimpliciter; ſed cum addito; hoc eſt, non negant, præſciri à Deo opera libera conditionaliter futura, vt conſtat ex aliis locis ſuprà citatis ex PP. præcipuè D. Auguſt. ſed negant, præſciri à Deo illa opera, vt habentia rationem meriti, vel demeriti, ſecundum quæ adiudicari debeant homines ad præmium, aut pœnam; quia merita, & demerita conditionatè præciſa, & non futura, non ſunt cauſa præmij, vel ſupplicij, vt aſſerebant Pelagiani, contra quos diſputabant PP. Dicebant enim, Deum præmiare hominem propter bona opera conditionatè præuiſa, & non reipsâ futura, & punire propter peccata eodem modo præuiſa. Et ideò apponit S. Auguſt. Henoch raptum iuſtum *ne malitia mutaret cor eius.* Sinè non fuiſſe punitum ob peccata, conditionaliter præuiſa, oſtendit S. Auguſt. quia alioqui nullum à Deo beneficium recepiſſet in ſuo raptu, ſi puniendus erat, etiamſi peccata non commiſiſſet. Hæc reſponſio apertè colligitur ex D. Aug. *l de bono perſeuer. cap.*10. Et hoc eſt abſurdum, quod exaggerat S. Proſper.

384 Hæc reſponſio, quamuis ſit bona; non videtur tamen omnibus Patrum locis quadrare, qui negant præſcientiam conditionatam ſimpliciter; quia contendunt, obiectum proprium præſcientiæ eſſe futurum. Et hoc ſenſu planè loquitur D. Auguſt. *l.c.* dum negat, præſciri à Deo peccata iuſti, quæ futura fuiſſent, ſi iuſtus ſupernixiſſet; non alia de cauſa, niſi quia præſcientia eſt de obiecto abſolutè futuro; cuiuſmodi eſt mors illa iuſti immatura. Itaque PP. impugnant Pelagianos, & Semipelagianos, non ſolum, quia malè ſentiunt contra fidem; ſed etiam, quia abutuntur nomine præſcientiæ, quæ ſola futura reſpicit, vt notat S.Bonau *d.*35.*dub* 3. & *ar.*1.*q.*1. adducens D.Auguſt. & *d.*39,*dub.*3. adducens Magiſtrum Eſt autem eadem doctrina etiam Hugonis de S.V. *l.*1. *de ſacram. p.*2. *cap.*16. Damaſceni, *Dial.cont. Manichæos,* & aliorum. Hanc ſolutionem laudat Maſtrius, *n.*220.

385 Obiicit ſecundò Nauaretus *l.c.* rationes. Prima eſt. Cognitio ſub conditione importat intrinſecè imperfectionem: Ergo non eſt Deo tribuenda. Probatur aſſumptum. Nam conditionalis particula (*ſi*) vel ſe tenet ex parte Dei, vt ſit ſenſus, verbi gratia. *Si in Tyro facta eſſent virtutes,* Deus auxilio ſuo efficaci concurreret cum Tyriis: vel ex parte rerum, vt ſignificet, quòd attentâ naturâ, & conditione illorum hominum, ſequeretur conuerſio. Si primum, ponit imperfectionem in Deo, quia cogit Deum expectare aliquid extra, ſe ad determinandum quid ipſe ſit facturus. Si ſecundum. Contra; quia Deus in ſola natura liberi arbitrij determinatum effectum liberum cognoſcere nequit.

Respondetur, negando aſſumptum. Ad probationem dico, conditionalem (*ſi*) ſe tenere ex eo omni, quod eſt in antecedente conditione per illam particulam affectâ. Itaque in exemplo Tyriorum ſenſus eſt Si Tyriis tali modo affectis Deus oſtendiſſet miracula, quæ poſtea exhibuit Iudæis; fuiſſent conuerſi. Quæ ſuppoſitio nullam in Deo à creatura dependentiam ponit; ſed ſolam rei alterius creatæ ſuppoſitionem, quæ non eſt abſurda apud etiam Thomiſtas, qui dicunt, Incarnationem non futuram, ſi Adam non peccaſſet, &c.

Opponit ſecundò. Iudicium conditionatum eſt naturâ ſuâ practicum; & quantum eſt ex ſe, non habet executionem operis. Ergo eſt imperfectum, & non conuenit Deo.

Respondetur cum D. Bonau. ſuprà, ſcientiam futurorum non eſſe practicam, cum non cauſet; ſed ſupponat res futuras. At eſto ſit practica, ſufficit ad eſſe practicum, poſſe reduci ad opus, non autem neceſſe eſt reduci actu, vt ſit perfecta, ſicut potentia creatiua non accipit perfectionem ex eo, quòd ad actum creationis venit. 386

Opponit tertiò. Futura conditionata, quæ nunquam erunt, nullum habent eſſe, niſi in cauſis indifferentibus, & indeterminatis: Ergo non habent determinatam veritatem.

Reſpondent aliqui talia conditionata non habere eſſe merè poſſibile, ſed futurum, poſitâ tali conditione. Et ideò habere eſſe determinatum. Ita Faſolus, *dub.*13. *n.*248. Leſſius *Opuſc. de auxil. c.*20. *num.*7. Arriaga, *d.*21. *ſec.*3.*n.*19. 387

Contra arguit Maſtrius, *d.*3. *q.*3. *n.*130. & *q.*4. *n.*222. Primò, quia hic modus non ſufficit ad videnda futura abſoluta, quæ ſicuti non poſſunt exire in lucem abſque diuino decreto; ità ſine cognitione eius, ſeu ante cognitionem decreti nequeunt cognoſci: at eſto futura poſſent obiectiuè eſſe præſentia Deo, quia habent eſſe futurum; tamen conditionata, quæ nunquam erunt, nequeunt habere hanc præſentiam, atque adeò videri cognitione intuitiuâ, quæ ſola Deo competit. Hæc eſt maxima difficultas, vt notat Suarez *l.*2 *de ſcientia Dei, c.*7. *num.*2. Itaque concludit Maſtrius, neceſſarium eſſe decretum conditionatum, in quo videantur. In hoc argumento Dolanus gloriatur.

Respondetur, Maſtrium ità arguere, ac ſi iſti Doctores in ſola actione ſolitaria creaturæ, abſtracto concurſu Dei, ponant Dei cognitionem. Quando ergo Deus cognoſcit hæc futura contingentia, nunquam futura, putà, Ceilitas traditutos Dauidem, ſi morâ faceret, implicatur debitum ſub conditione concurrendi cum arbitrio ad actum Phyſicum. Itaque Deus benè nouit. Si Tyriis eo tempore eam dedero vocationem, additis miraculis, & cum eis cooperatus fuero (quod in ordine Prouidentiæ claudimr) fiet. Non eſt igitur neceſſe, vt decernat, *volo concurrere, ſi tales res fiant,* quæ non ſunt faciendæ, putà in Tyro; nam tale decretum eſt ſuperfluum, tum ad eſſe rei, quæ nunquam eſt futura; tum ad cognitionem conditionalium, vt notat Vaſquez *d.c. num.*12. Neceſſarium eſt itaque ad entia abſolutè futura dignoſcenda decretum cognoſcere, à quo ſimpliciter dependent; at verò hæc conditionalia, non modo egent magis cognoſci in decreto, quia futura non ſunt, vbi errat Maſtrius; quinimò ob id non eſt neceſſe cognoſcere decretum; ſed Intellectus Diuinus infinita ſua luce videns talem connexionem ſui concurſus, debiti illi actui; cognoſcit talem effectum producendum fore, ſi talis occurrat circumſtantiarum ſeries. Cognoſcit inquam intuitiuè, ſicut & non futura, ex decreto non creandi illa. Videt enim hæc omnia cõditionalia in Ideis directè; vel indirectè, vt dixi, *q.*7. 388 389

Opponit

390 OPPONIT quartò. In Deo non ponitur formaliter voluntas conditionata : Ergo neque ſcientia conditionata.

Reſpondetur ex dictis contra Maſtrium, diſparem eſſe rationem. Vide ſuprà.

Opponit quintò. Quia futura conditionata diuerſa ſunt à futuris abſolutis, quæ habent determinationem ad vnam partem; conditionata verò nequaquam, cùm nunquam futura ſint.

RESPONDETVR, etiam futura conditionata determinari per conditionem includentem concurſum Dei, vt cognoſcantur pro ſua conditione, vt dixi.

Opponit ſextò, quia in futuris ſunt contradictoriæ, quarum altera eſt determinatæ veritatis; altera non: non ſic in conditionalibus.

391 RESPONDETVR, etiam conditionales in ſuo ordine habere ſuas contradictorias. Sic iſta, *Tyrij, ſi vidiſſent miracula pœniterent*: eſt contradictoria iſti; *Tyrij ſi, &c. non pœniterent.*

OPPONIT ſeptimò: eſto altera illarum propoſitionum ſit determinatè vera: altera falſa; non cognouit tamen per actum poſitiuum alteram illarum formaliter. Sic *Chimæra eſt: & Chimæra non eſt*, ſunt contradictoriæ propoſitiones; tamen Deus veritatem harum determinatam non nouit formaliter per actum poſitiuum, ſed tantùm eminenter, cùm Deus merè negatiuè ſe habeat circa Chimæram.

RESPONDETVR cum D Bonau. *citatis locis*, & *d.39. q.1. & 2.* repugnare infinitæ luci Diuini intellectûs dari aliquam propoſitionem determinatè veram, nec cognoſci à Deo. Sic cognoſcit, & Chimæram non eſſe, quia licèt non faciat entia rationis; tamen cognoſcit ea à nobis facta

Opponit octauò. Licèt in conditionatis futuris vna pars ſit neceſſaria, tamen non eſt neceſſe, quod Deus poſitiuè iudicet de altera illarum.

392 Reſpondetur, ambas partes contradictionis eſſe contingentes; non neceſſarias: ſi verò per neceſſarium intelligat determinatè verum, inſanum eſt dicere, non cognoſci à Deo.

OBIICIT primò Cabrera, *tom.3. in 3. p. q.62. ar.1. diſp 12. à n.*368. Talia futura non habent veritatem infallibilem.

RESPONDETVR, habere veritatem infallibilem in Diuinis Ideis.

393 Obijcit ſecundò. Deus non cognoſcit certò futura conditionata, quæ pendent à ſua voluntate. Ergo neque ea, quæ pendent à noſtra. Antec. probatur; tum quia, alioqui Deus ante omne decretum ſuum cognoſceret certò futura abſoluta; tum quia hæc cognitio futurorum in Deo eſt libera. Probatur conſeq. quia conditionalea pendentes à Diuina voluntate ſunt magis veræ.

394 RESPONDETVR, Deum certò cognoſcere decreta à ſua voluntate pendentia, vt ſi Adam non peccaſſet, non venturum Verbum; & innuitur Pſal.80. *Si populus meus audiſſet me, pro nihilo forſitan humiliaſſem inimicos, &c.* Ad probationem reſpondetur, non ſequi, vt dixi, cognoſcere futura abſoluta ante decretum. Non enim eadem eſt ratio, nam abſoluta reſpiciunt eſſe futurum abſolutum, quod habere debent à Diuina voluntate (ſi entia ſunt) at conditionalia, cùm non ſint vnquam futura, non egent decreto, neque ad conditionalem eorum cognitionem hoc neceſſe eſt; vt dixi cum Vaſquez.

Obijciunt alij. Conditionatum medium eſt fictum: Ergo & ſcientia media, cuius eſt obiectum. Probatur Anteced. quia cauſa actus illius eſt futura, vel non futura (ſunt autem contradictoria, inter quæ non eſt medium.) Si futura. Spectat ad ſcientiam viſionis; ſi non futura, ad ſcientiam ſimplicis intelligentiæ.

RESPONDETVR cum D. Bonau. *d.39. quæſt.1. ad 3.* rationem cognoſcendi eſſe ipſam veritatem; & quia illud conditionatum non eſt nihil; eſt enim verum in ſua cauſa, quæ produceret illud, poſita tali conditione. Itaque neque illa cauſa eſt abſolute productura, neque omnino continens illud verum in eſſe poſſibili ſolo; ſed ineſſe futuro medio conditionato, & eo modo vera eſt, ac proinde poteſt cognoſci. Eodem modo reſpondet Maſtrius, *n.*225. 395

Arguunt adhuc. Poſita ſcientia conditionata de peccato Petri futuro, ſi in tali occaſione ponatur, & poſita ea occaſione (quæ duo præcedunt futuritionem rei abſolutam) non poteſt non eſſe abſolutè peccatum. Ergo talis ſcientia conditionata tollit libertatem. 396

Valdè inſudat Arriaga, *d.21. num.*30. in argumento ſoluendo.

Hoc ſanè argumentum nil vrget contra nos, qui non admittimus decreta conditionalia de liberis futuris; nam dicimus, Deum nil decernere huiuſmodi, quod priùs non præuiderit per ſcientiam conditionatam conditionate futurum; & ad hoc ſcientia media eſt in Scholas inuecta.

Vrget ſanè argumentum, non modò Thomiſtas, ſed etiam Scotiſtas. qui ponunt decretum concomitans, vt ſuprà vidimus.

OBIICIT Quarta ſententia multos Patres, multaſque rationes leuioris momenti, ac non conuincentes, vt fatetur Maſtrius, *q.3. ar.4. & q.4. n.*232.

Opponunt primò D. Aug. *ep.*105. vbi ait: *Chriſtum ante decretum neſciſſe, qui eſſent in eum credituri.* Idem habet *de prædeſt. ſanct. c.*17. 397

RESPONDETVR ex dictis, reſponſum è D. Auguſt. præberi. Vult enim, tantùm futura præſciri; nam præſcientia eſt de abſolutè futuris decretis ad eſſe. Ideo credituros abſolutè ante decretum neſciuit.

RESPONDETVR ſecundò, ex dictis, S. Auguſtinum agere contra Pelagianos, qui volebant, hominem puniri ob peccata, quæ non commiſit; commiſſurus tamen erat, ſi vixiſſet; at S. Auguſt. arguit. Raptus eſt Henoch, ne peccaret, *Sap.*4. Ergo non fuit punitus ob peccata, quæ viuens commiſſurus eſſet; alioqui nil beneficij Deus illi rapiendo conferet. Ea autem peccata illum certò commiſſurum ſupponit; &, ſanè ante omne decretum, alioqui reſpondiſſent Pelagiani. Is non eſt punitus, quia certò non erat peccaturus. Et ita D. Aug. ineptè argumentaretur. Ità reſpondet etiam Arriaga, *diſp.21. ſec.*5. 398

OBIICIVNT ſecundò, & grauiter vrgent Aluarez, Nazarius, & alij, hanc ſcientiam mediam eſſe doctrinam Semipelagianorum, qua vtebantur ad probandum, Deum expectare noſtri arbitrij vſum ad dandam gratiam: allegant epiſtolam D. Proſperi ad D. Auguſt. & D. Hilarij ad eundem. Itidem inſiſtunt; etiam Arrianos eâdem ſcientiâ mediâ vſos ad probandum, Chriſtum electum in Filium Dei, ex præuiſione boni vſûs arbitrij, vt habet D. Alexander, Epiſcopus Alexandrinus. 399

RESPONDETVR, hæreticos abuti etiam Scripturis, neque tamen ob id damnandæ ſunt. Volebant autem hæretici, liberum arbitrium primò operaturum nudis viribus naturæ; & hoc abſolutè præuiſum à Deo ſcientiâ viſionis, & ob id præparaſſe eorũ meritis gratiam cooperantem) nam operantem, ſeu præuenientem negabant.) Quare hæc erat præſcientia, non autem ſcientia media conditionalis. Iſti igitur aſtruebant merita futura è nudis viribus naturæ, quæ verè non ſunt merita; nos autem non conuenimus cum Semipelagianis; nam gratiam præuenientem credimus moraliter mouentem; 400

uentem; neque volumus, aliquid noſtri Deum expectare, vt operetur nobiſcum ad meritum.

Objiciunt tertiò. Deus ante decretum neſcit quot Angelos, vel homines eſſet producturus. Ergo nec quid eſſet hic, vel ille facturus, tali data occaſione. Conſeq. probatur. Nam, quidquid Deus operatur ad extra, etiam media cauſa ſecunda, pendet è decreto Dei.

Respondetur, negando conſequentiam, non enim eſt par ratio; nam in primo caſu non adeſt obiectum ſufficiens; at in ſecundo ponimus adaptationem voluntatis Diuinæ ſub conditione in particulari. Deus igitur ſcit: An Petrus eſſet aſſenſurus cum tali auxilio, quod ſimul cum libero arbitrio eſt cauſa adæquata effectus, nam liberum arbitrium non agit ſola determinatione extrinſeca, vt malè ſupponunt aduerſarij; ſed ſe ipſum determinare poteſt; alioqui non eſſet liberum. Omnia autem ita infallibiliter euentura penetrat Deus ſuo intellectu infinito; at verò in antecedente decreto nil determinatum habetur. Vnde ſi volebant arguere à ſimili, debebant dicere. Deus ignorabat quot homines eſſent naſcituri, ſi ipſe concurreret cum trecentis generationibus gemellis. Ergo neque quos actus eliceret Petrus tali auxilio Diuino. Idem habet Arriaga, *l.c.*

Aluarez aliquas reſponſiones, vt reor, ſuo marte confingit, vt triumphet.

Ex dictis habes, non dicere nos, Deum hæc ſcire ex influxu cæli, vel nuda hominis inclinatione, ſed cognita virtute ſui auxilij, &c. coniuncti cum homine.

Objiciunt quartò. Sequeretur è ſcientiâ mediâ, dari motiuum prædeſtinationis.

Reſpondetur concedendo, vt oſtendam, *diſp.* 21. *quæſt.* 12. quo ſuppoſito, non obeſt tertia Macedi ratio, & quinta.

401 Objiciunt quintò. Impoſſibile eſt abſque cauſa ſequi effectum. Sed cauſa rerum eſt decretum Dei. Ergo non poteſt ſciri effectus futurus, quin ſciatur decretum; quod determinatè vult illud futurum; atque adeò ante omne Diuinæ voluntatis decretum nequit certò ſcire intellectus Diuinus, quid determinatè eſſet facturum liberum arbitrium Petri, ſi in aliquo rerum ordine cum certis circumſtantiis poneretur. Ita arguit Vulpes, *d.* 30. *ar.* 7. *n.* 5. Macedo, *ſec.* 13.

Respondetur, argumentum procedere, ac ſi Diuinus Intellectus per ſcientiam mediam videat quid ageret liberum arbitrium Petri ſe ipſo, vt notat Maſtrius, *d.* 3. *q.* 3. *n.* 114. At nos dicimus Diuinum intellectum videre quid actura eſſet voluntas mea, vel Petri, ſuppoſito etiam, quòd Deus vellet concurrere cum Petro, neque concurſum denegaret. Itaque dicimus, quòd ſicut Deus videt futura abſoluta in Ideis, quibus ineſt decretum; ita videt futura conditionalia, ſuppoſito, quod vellet Deus agere cum voluntate, non denegans concurſum, quem denegauit igni Babylonis, vt tres pueri ſeruarentur. Quare argumentum eſt floccidum, vt ingenuè fatetur Maſtrius, & oſtendit Caſpenſis noſter.

Objicit Macedo, Vulpes *l.c.* & *ar.* 8 *num.* 12. & Morand. *num.* 541. Liberum arbitrium, in quouis ordine ponatur, remanet indifferens, poſito quouis auxilio: Ergo nequit actus eius inde certò videri ante decretum.

402 Respondet Maſtrius, *num.* 115. hanc rationem eſſe friuolam; dicimus enim, Deum infinito ſuo intellectu videre comprehenſiuè, quid futurum eſſet, ſuppoſita tali combinatione arbitrij cum auxilio tali, operante Deo ipſo efficaciter. Et hoc clarè videt in ſuis Ideis, vt dixi *quæſt.* 7. Nam conditionalia, etiamſi nunquam futura, habent eſſe in ſe ipſis conditionale, quod poteſt in Deo videri, vt reſpondet Faſolus, *q.* 14. *ar.* 13. *dub.* 13. *num.* 248. & 265. & *dub.* 17. *num.* 415. Pennott. *l.* 3. *Propugnaculi*, *c.* 30. *n.* 5. & 8. Sufficit autem ad conditionalem determinationem, decretum conditionaliter ponendum, ſi conditio poneretur, vt notat Caſpenſis. Falſum eſt etiam id, quod Thomiſtæ hic ſupponunt, liberum arbitrium, poſito tali auxilio, egere, vt de nouo determinetur à Deo; habet enim liberum arbitrium, ſic eleuatum, virtutem ſe determinandi. Deus autem agit cum arbitrio, non antecedenter. In quo decepti ſunt Thomiſtæ, quod benè aduerte; nam in materia de gratia hoc fundamento conuulſo, ruit eorum ædificium. Benè quidem agit Deus antecedenter, moraliter illuminando intellectum; vt docet D. Bonau. *in* 2. *d.* 26. Cauſa quidem indifferens naturalis, verbi gratia oculus ad videndum album, & non nigrum, eget ſpecie albi, vt prædeterminetur ad illud: at voluntas ſe ipſam determinat, vt notat Caſpenſis. Quare deceptus eſt Macedo inferens ex hac determinatione læſam libertatem. Eſt enim neceſſitas conſequens.

Hinc ruit argumentum Thomiſtarum præcipuum, quod exagerat Sghemma, 2. *Phyſ. digreſſ.* 18. *quæſt.* 3. Si Deus non priùs definiret, quàm videret, quid eſſent acturæ noſtræ voluntates; ſequeretur, Deum nobis ſubeſſe, ac noſtris voluntatibus ſubordinari; nam expectaret voluntatum noſtrarum determinationes, nec ipſe faceret, vt faceremus; ſed nos faceremos, vt ipſe nobiſcum faceret, & ſic inuertitur ordo cauſæ primæ, & ſecundæ. Vrget Macedo. Voluntas ad malum prona, non determinata à gratia præueniente, ſemper malum eligeret. 403

Respondet Faſolus *dub.* 17. *cit. n.* 417. Pennotus, *l.* 3. *c.* 30. *num.* 8. negando ſequelam, nam cum dederit voluntati eſſe, & virtutem operandi; ipſeque in omnibus cooperari debeat, & ex indigentia, non ſua, ſed creaturæ, exhibeat concurſum ſuum ad modum recipientis voluntatis, quæ debet relinqui in ſua indifferentia in actu primo, ipſeque actus ſit totus etiam à Deo ita, vt ſine Diuino concurſu nihil faceremus; nihil proinde obeſt, ſi Deus, antequã decernat abſolutè, videat, quid voluntas, ſuo Diuino auxilio adiuta ageret; non enim ſic Deum nos expectare arguit imperfectionem, ſed miſericordiam eius extollit. Sic enim & Iſa. 5. dicitur *Expectaui, vt vinea mea faceret vuas*, &c. & cap. 30. *Expectat Dominus, vt miſereatur noſtri.* Ipſe igitur Deus facit adiuuando, vt faciamus; ſed liberè. Et ideò præuenit auxilio, adiuuat, & offert auxilium ad alia, vt ait Caſpenſis; ſed relinquit indifferentem, nec cogere vult. In actibus verò malis Deus facit, quia nos facimus; id eſt concurrit cum materiali culpæ, quæ ex malitia noſtra conſequitur. Macedo ex his reſpondet, non relinqui voluntatem ſolam, ſed aptè præuentam moraliter auxilio congruo, inclinatam ad bonum gratiæ cooperari. 404

Objicit Smiſing. *tract.* 3. *d.* 2. *q.* 5. *n.* 153. Ea, quæ ſola ratione differunt non poſſunt ſeparatim objici Diuino intellectui. Concurſus arbitrij noſtri, & concurſus Dei differunt ſola ratione. Ergo concurſus liberi arbitrij non poteſt priùs à Deo videri, ſed ſimul debet videri decretum voluntatis Dei. Maior probatur, quia Deus non poteſt facere entia rationis, quia hæc eſt imperfectio. Minor eſt aſſertorum ſcientiæ mediæ, vt notat Leſſius *in diſp. Apolog.* c. 10. n. 8. & 13.

Respondetur primò, negando eundem eſſe concurſum Dei, & cauſæ ſecundæ, vt ſuo loco dicam. 405

Reſpondetur ſecundò, etiam dato non diſtingui realiter, argumentum nullius eſſe ponderis. Nam fatemur nos, etiam Deum videntem quid meum arbitrium ageret in tali ordine, videre etiam implicitè decretũ ſuum

non

difficultatibus reſpondere ; ideò vnum credere : alterum non credere , quia ille præuiſus eſt conſenſurus pro ſua libertate , ſi tali auxilio vocaretur ; non ille : Vnum liberari ; alterum non ; quia vidit hunc non vſurum benè libero arbitrio : illum verò vſurum. Confirmatur , nam cùm D. Auguſt. *ep.*49. docuiſſet, Chriſtum veniſſe tunc , & ibi , quando , & vbi ſciebat futuros eſſe , qui eſſent credituri. (Qua authoritate nos vtimur ad ſcientiam mediam confirmandam) : poſtea S. Pater retractauit ſententiam hanc, *l. de præd. Sanctorum,cap.*9. & *l.de bono perſeuer.c.*9.

413 Respondetvr , hanc doctrinam nullibi à D. Auguſt. eſſe retractatam ; eamque ſequitur D. Bonau. *in* 3. *d.* 1. *quæſt. vlt.* & 4. *p. Breuil. capite* 4. Retractauit autem ſolùm quoad id, quod videbatur referre Diuinam prædeſtinationem in præſcientiam liberi arbitrij tantùm ; vt reſpondet Pennotus ; at non retractauit , ſcientiam conditionatam de his, qui eſſent credituri. Eandem enim aſtruit, *l. de prædeſt. Sanct. capite nono* , *& l. de bono perſeuer. capite* 9. vbi ait : *Sine præiudicio latentis conſilij Dei , & aliarum cauſarum , hoc de præſcientia Dei dicere voluiſſe , quod conuincendæ Paganorum infidelitati , qui hanc obiecerant quæſtionem , ſufficere videretur.* Ex quo patet , Deum hæc cognouiſſe etiam præſcindendo à Diuino Decreto. Nam ait , ſe ex ſola Diuina præſcientia , ſine præiudicio latentis conſilij Diuini, & aliarum cauſarum , attuliſſe rationem & reſponſionem , quæ ſufficeret ad Paganam perfidiam conuincendam,

Addit Amicus *diſput.* 11. *ſect.* 15. *numero* 518. cum D. Bonauent. *primo* , *d.*41. *quæſtione ſecundâ*, etiam admiſſa ſcientia conditionali , quodcunque actuale decretum præcedente , non reduci ad humanum velle , quòd vnus credat,altero non credente ; ſed ad ipſam electionem Dei abſolutam , vel conditionatam , quam Auguſtin. vocat *latens conſilium* ; & de quo Apoſtolus clamat. *O altitudo diuitiarum ſapientiæ , & ſcientiæ Dei !* nam electio Dei adhuc gratuita fuit , etiam præuiſo motiuo conditionali , ſiue abſoluto.

414 Arguit ſecundò principaliter Maſtrius *num.* 238. Cùm Deus reuelat in Scriptura huiuſmodi futura conditionalia , aſſignat conditionem ſolùm ex parte obiecti , non ex parte actus diuinæ voluntatis. Vt *Si in Tyro , & Sidone facta eſſent virtutes , pœnitentiam egiſſent* , ſi apud eos facta eſſent ſigna , ait. Audiunt enim hæc, & faciunt , quibus datum eſt ; non autem faciunt , ſiue audiant, ſiue non audiant,quibus datum non eſt.

Reſpondet Pennotus *numero* 5. *loc. cit.* & Amicus, *numero* 202. Auguſtinum ibi non reddere rationem, cur pœnitentiam egiſſent , ſi illa vidiſſent ſigna ; ſed cur non fecerit ſigna , quibus viſis ad pœnitentiam conuerſi fuiſſent. Verùm videtur vtrunque aſſignare, vt notat Maſtrius, *n.*249.

415 Facilis eſt mihi reſponſio, aſſignari conditionalem tantùm ex parte obiecti ; ſcilicet, *ſi mira in Tyro eſſent patrata*, quia cuique modicè ſenſato compertum eſt , intelligi ſimul concurſum Dei neceſſarium , ſine quo mira non patrarentur. Quod verò è D. Auguſt. ſubdit , facilè ex dictis patet. Profectò cum miraculis externis neceſſariò componendum fuiſſe Diuinum auxilium neceſſarium, ſine quo miracula non prodeſſent ; hoc tamen auxilium non fuit decreto, vel etiam conditionali actu ſtatutum ; ſed viſum à Deo præparandum fuiſſe, ſi miracula fuiſſent patranda, ſicut enim effectus fuiſſet ſub conditione ponendus ; ità decretum ſub conditione fuiſſet ponendum, vt toties dixi.

Argvit tertiò. Quia in conditionalibus non cauſantibus , nulla eſt connexio conditionis cum effectu, niſi ex Decreto Dei. Vt, quòd vaſtatio Syriæ ſequatur è percuſſione quinta terræ.

Reſpondetur ex dictis, nulla fuiſſe decreta conditionalia.

Argvit quartò. Hæc decreta maximè conuenire Diuinæ prouidentiæ, ad quam ſpectat decernere, quæ facturus eſt Deus ; imò & omnia, quæ eſt facturus, vel non facturus, ſi tales occaſiones occurrerent.

Verùm ſatis oſtendi ſuprà , ſimilia decreta eſſe inutilia. Confirmatur , quia ad regimen rerum non poſſunt conducere , cum non ſint futura , vt probat Caſpenſis, *tract. de ſcientia Dei, diſp.*6.*ſec.*6.

Argvit quintò , *numero* 251. ſequitur, vnum hominem ſe ipſo ab alio diſcernere in gratuitis, contra Apoſtolum *primâ* , *Cor.*1. Probatur ſeq. Nam ante omne decretum Dei vnus præuidetur conſenſurus , ſi vocetur : alter non conſenſurus. Et hoc pro ſua libertate : Ergo ille ſeipſum diſcernit ab iſto, 416

Reſpondetur, diſcretionem euenire ex Diuina gratia abſolutè iuſtificante , quæ hic ſupponitur. Sed de hoc 1.2. *tract. de Gratia, d.* 1.*q.*4.

Obiicit multa Nazarius , vt deſtruat hanc ſcientiam mediam , nempè, quia omne , quod exit à cauſa Intellectuali , vel procedit ab ea , vt eſt natura, vel vt eſt libera;atque adeò omnis ſcientia Dei, vel eſt naturalis , quæ eſt ſimplex intelligentia , vel libera, & eſt præſcientia. Ita vrgent etiam Cabrera *tom.*1. *in* 3. *p. quæſtione* 1. *ar.* 3. *d.*1. §. 22. Verdu *in relec. tant. ſcientiam mediam.*

Respondetvr ex ipſo Naxario , ſcientiam liberam latiùs patere , quàm præſcientiam , quæ eſt viſio; 417 quia viſio dicit futuritionem rei decretæ, ſic viſam : at ſcientia libera, vt ſic, extenditur ad conditionalia, quæ futura , non ſunt. Itaque ſcientia hæc media eſt inter ſimplicem intelligentiam, & viſionem ; eſt tamen ſpectans conditionaliter ad liberam , quatenus dicit res futuras, poſita conditione : ſpectat verò ad naturalem, ſeu ſimplicis intelligentiæ, quatenus futurum non eſt id , quod cognoſcitur. Itaque videtur magis ad hanc accedere , vt ait Scotus 3.*d.*14. *q* 2. & notat Maſtrius *num.*284. Sed quocunque modo vocetur , parum meâ intereſt vt dixi initio;nec erat, cur adeò Naxarius contra hoc inſudaret ; nullus tamen P.P. Ieſuitarum dixit, hanc eſſe mediam per abnegationem extremorum, ſed per participationem eorum, vt oſtendit Faſolus, & dixi initio.

Argvit adhuc principaliter,quia hæc ſcientia derogat exactiſſimæ Dei prouidentiæ:Nam Deus ſic reſ- 418 picit obiecta,nil prouidendo ; ſed ſemet nudum exhibendo ſpectatorem.

Verùm hæc inania ſunt , nam Deus videt, in quam partem liberum arbitrium cum auxiliis , & circumſtantiis regat, vt prouideat iuxta neceſſitatem, & conditionem liberam.

Inſtat Nazarius. Quod eſt præcipuum in cauſa libera, eſt applicatio Dei ad hanc numero operationem ; in hac ſanè ſtat præcipua eius prouidentia: at verò hæc opinio reddit Diuinam voluntatem pediſſequam noſtri arbitrij. Hoc acriùs vrget Dolanus.

Verùm hæc inſtantia ſatis diluctur, *diſp.*16.*q.*15. & 1. 2. *trac. de Gratia, diſp.*1.*q.*4.*dub.*1.*& ſeq.*

Obiicit vltimò. Deus cognouit omnia diſtinctiſſimè ſub omnibus conditionibus , quas habent , vel habere poſſunt, non dependenter à creatura ; quia eius ſapientia non tantùm eſt cognoſcitiua ; ſed etiam ratio cognoſcẽdi omnia, vt habet D. Bonau. *p.p. Breuil. cap.*8.*& in* 2.*d.*7.*p.*2. *ar.*1.*q.*3. ea autem conditionalia

non poteſt cognoſcere,niſi in ſois cauſis extra ſe:Ergo ſecundùm D.Booau.non datur ſcientia media,imò oeq; ſecundùm veram Theologiam,quæ docet Deum omoia cognoſcere in ſe ipſo. Ità obiecir mihi quidam Prælector.

Respondetvr facilè ex D.Bonau.*d.35.q.1.& 6.* quod ſicut ſcientia Dei iofinita nouit in ſuis rationibus, quid futurum ſit contingenter ; non pendens ab exitu rei ; ità in eiſdem videt,quid tali tempore futurum eſſet,poſitis talibus cauſis operantibus, V.g.libero arbitrio Petri io tali ſtatu,& tanto auxilio gtanæ. Neque verò ſolam diſpoſitionem arbitrij comprehendit infioitus Dei intellectus ; ſed etiam omnes actus,quos eliceret voluntas tali, vel tali modo conſtituta. Cùm enim Dei ſcientia infinita ſit,nec pendeat ab actnali exiſtentia obiecti creati, poterit æquè comprehendere obiecto exiſtente, & non exiſtente. Sicut enim habet Deus rationes , & Ideas futurotom omnium : habet etiam Ideas eorum , quæ futura eſſent,niſi impedirentur , vt ootat D. Bonaoent. *d.35. quæſt.6.* Ideò in his omnia videt.Ita reſpoodet etiam Valentia,*diſp.1.q.14. puncto 5.*

Ideò ex hac doctrina D.Bon.colligit optimè Sua-
420 rez , Seraphicum admittere ſcientiam mediam. Hoc etiam clarè appatet in reſpoofiooe *ad* 2.vbi ait. *Ideam primò non connotare rem futuram. Ideò Deum habere Ideas etiam earum rerum, quas produceret ; licèt non ſit producturus.* Hinc etiam Trigoſ. *q.11.ar.6. dub. vn.* ex mente D. Bon. deducit ſcientiam mediam. Mulia alia eoogerunt;ſed omnia Clypeo hoc franguntur, ſcilicet Deum videre conditionalia , iocludentia etiam voluntatem Dei concurrentem cum conditione;ac proindè decretum Dei,quod ſotet ; non autem, quod ſit actu. Neque eſt æquiuocatio,vt putat Maſtrius,*num.*141.deceptus illo ſuo fundamento iam euerſo. Quod verò aiunt,*n.*332. Salmaticens:eſt fictum,quia Pontifex nil declatauit, vt habes in vita Bellarmini;ſed opinionem etiam noſtram æquè admiſit intactam , vt notat Baſſæus *mor. opere.*

QVÆSTIO XIII.

Vtrùm Deus cognoſcat actu infinita.

{ D.Bonau. d.35.q.5.& d. 39.q 3.
{ D. Thom. quæſt.14. ar.2.

Scholastici vnanimiter aſſeuetaot , omoia poſſibilia,& futura cognoſci à Deo ; at verò,num cognoſcens hæc omnia,cognoſcat infinita actu ; magnæ quæſtionis eſſe inter Scbolaſticos,aſſerit Vaſquez *d.*63. Ego verò puto eſſe quæſtionem ferè de oomine ; idem ſentit Suarez, *infrà cit.*

Primò quidem ille refert Dorand. 1. *d.*39. *quæſt.*1.
421 Almainum, 3.*d.*14.*q.*1. dicentes, animam Chriſti videre quidem omnia futura ; attamen non cognoſcere iofinitum actu,qood dicitur Categorematicum ; ſed infinitum in potentia , quod Syncotegarematicum dicitur. Quo fundamento idem dicendum de intellectu Diuino apud Durand. cùm enim oeget res futuras , Verbi gratia cogitationes hominum & Angelorum , quæ erunt iofinitæ,in tota æternitate eſſe realiter Deo præſentes ; eo modo erunt ei præſentes, quo in ſeipſis erunt ; erunt aotem infinitæ Syncategotemaricè. Pro hac refert multos Modernos ; eſſeque io Scholis ſatis plauſibilem alt. Eam tenet Suarez 3. *p. tom.*1.*d.*26. *ſec.*3. & Valentia , *d.*1. *quæſtione* 14.*p.*6. qui adducit D.Thom.3.*p.quæſtione* 50.*ar.*3. Non longè abit Peſantius id *hunc ar. D.Thom.* & Molina ibidem , ac Tannerus , *d.* 2. *quæſtione* 8. *dub.*4. *numero* 8. & aliꝫ, apud Amicum , *trac.* 18. *Phyſ. quæſt.* 6.*d.*5. ac Ribas, *tr.*4.*d.*8. *cap.*1.

Secvnda igitur ſententia refertur , Deum abſolutè cognoſcere infinita tam rerum futurarum , quàm poſſibilium. Citatur à Vaſquez D. Bonauent. *in* 1. *d.*39. *quæſtione tertiâ* , ad argumenta. D. Thom. *quæ-
ſtione* 14. *ar.*12. vbi Caietanus , & *primo* , *contra* 422
gent. capite 69. vbi Ferrar. Richardus *primo* , *d.*39. *ar. primo* , *quæſtione tertiâ* Vualdenſ. *tom. primo* , *l.*2. *capite* 14. vbi agit contra Vuiclephum dicentem , poſſibilia eſſe fioita. Idem Nazarius *ad ar. cit. D. Thoma, controu. vnica.* Obſetuat autem Vaſquez *numero ſeptimà*. Eam multitudinem cognitam à Deo eſſe infioitam actu , non quidem infinitam exiſtentium actu ; ſed infinitam actu in mente Dei , vt oon ſit accipere in ea multitudine vltimam , quæ poſſit numerando aſſignari. Sic & Molina *quæſtione* 24. *ar.*12. Hurtad. *d.* 13. *Phyſ. ſec. ſecundâ*, Ruiz 3. *Phyſ.* 1. *ſecundâ* , *quæſtione ſecundâ.* Muteia *d.* 2. *quæſt. vltim.* Quare falsò Tanner. & Amicus aiunt , illos Doctores , præcipuè Seraphicum malè adduci à Vaſquez , quia ipſi ſolùm dicunt , Deum actu cognoſcere iofinita ; oon autem dicere , hæc , quæ ità cognoſcit , eſſe infinita actu.

Non enim Vaſquez ita eos eitat, vt vidimus. Quare erit quæſtio ſolùm de oomine,ſi in re ipſa ſiſtamus. Sic Tannerus pro hac ſententia citat authores primæ opinionis.

Igitur S. Bonauent. *d.* 35. *quæſtione quintâ* , docet, in Deo eſſe Ideas infioitas rerum , ideſt , earum omnium , quæ futuræ ſunt , & quæ poſſibiles ſunt ; in eiſque res omnes cognoſcere ; quo fit , vt omnes infinitas cogitationes futuras io Ideis actu cognoſcat , licèt res ſint futuræ in ſe tantùm Syncategorematicè infinitæ.

Dist. *verò* 39. *quæſt. cit.* quætit : An ſcientia Dei poſſit augeri. Et reſponder abſolutè ; non poſſe ſci-
ēntiam augeri ; poſſe tamen augeri præſcientiam, quia 423
poteſt plura facere , quàm factutus ſit , non in ſenſu compoſito ; qoaſi poſſit creare alios mundos ; non obſtante qoòd creare decreuerit ſolùm vnum. Hoc enim ex ſuppoſitione primi decreti non poteſt eſſe ; ſed quia decretum creandi eſt liberum ; & ſicut poteſt decernere decem mundos ; poteſt etiam centum. An autem vera ſit illa opinio , qoam ſequitur Silueſt. quòd Deus manet ſemper in eadem libertate , ſuppoſito quouis decreto, eò quòd decretum non impediat , quia non tranſit in præteritum ; ſed ſemper eſt præſens ; dicam, *diſp.*16.*q.*3.

Ex his habemus , Deum cognoſcere actu futura infinita , eaque actu repræſentari Deo in Ideis , licèt non exiſtant omnes actu à parte rei. Et idem aſſerit etiam D. Thom. Ex quo habeo , non tenuiſſe Angelicum, res futuras eſſe omnes realiter præſentes Deo in tota æternitate.

Assero primò, Deum cognoſcere infinita poſſibilia,quæ poteſt producere.

Probatvr à D. Bonau. *d.*43. *quæſtione* 3.*corpore.* Quæ ſunt formaliter idem, ità ſe habent , vt ſi vnum
ſit infinitum ; ſit infinitum & alterum. Sed ſic ſe ha- 424
bent eſſentia, potentia, & ſapientia : at eſſentia eſt infinita : Ergo & potentia ; contra Voickph : Ergo ſapientia , quæ pariter eſt infinita , videt infinita , qoæ producere poteſt potentia. Idem habet argumentum, *q.*2.

Hinc

Hinc arguit S.Bonauent. *ibi, quæſt.4. fund.2.* Sicut ſe habet ratio ſciendi ad ſcientiam Dei; ita ratio producendi ad potentiam: & vicibus verſis. Sed quia Diuina ſcientia eſt infinita, habet in ſe infinitas rationes cognoſcendi: Ergo cùm Diuina potentia ſit infinita, ſimiliter & rationes producendi habet infinitas; ſicut & rationes ſciendi. Ideo ibi Seraphicus D. vocat ſententiam Vuicleph: erroneam, & ſtultam. Sed de hoc, *diſp.24.*

Svpposito autem, quòd Deus poſſit infinita producere; arguit D.Bonau. *d.35.q.5. fund.4.* Artifex operans ſecundum artem per intellectum, & voluntatem nil poteſt producere, quod non cognoſcat. Sed Deus eſt agens per intellectum, & voluntatem artificiosè: Ergò. Sed poteſt infinita: Ergo habet Ideas infinitas.

425 Probatvr ſecundò à S.D. *in corp.* è Pſ.146. *Diuinæ ſapientiæ non eſt numerus.* Ergo infinita nouit: Ergo habet infinitas rationes rerum. Confirmatur Seraphici D. fundamento primo, è D. Aug. *9. de ciu. c.20.* vbi ait. *Vna eſt ſapientia, in qua ſunt infiniti theſauri rerum intelligibilium.*

426 Probatvr tertiò à S.Bonau. Arg. *S. Aug. 12. de ciu. c.18.* Deus cognouit omnes ſpecies numerorū: ſed iſtę ſunt infinitæ: Ergo. Maior probatur, quia hoc negare, à S.Aug dicitur impietatis vorago. Maior probatur, quia in quocunque numero finem feceris, poteſt augeri, & duplicari, & multiplicari. Vide Sanctos D.D.

Probatvr etiam à D.Bon. *d.39 q.2.* alioqui ſcientia Dei eſſet finita imperfecta.

Assero ſecundò. Deum cognoſcere actu futura infinita.

427 Probatvr primò argumento S. Bonaū. *in corpore,* quo vtitur Vaſquez, In ea multitudine rerum futurarum, quas Deus habet in ſuo conceptu, non poſſumus aſſignare primum, & vltimum. Ergo eſt multitudo actu infinita. Probatur Antec. è Pſ.146. *Sapientia eius non eſt*

428 *numerus.* Conſ. probatur. In hoc enim differt infinitum actu, ab infinito in potentia, quod illud eſt totum actu ſimul: hoc verò partim actu, partim potentia, *ex 3. Phyſ. c.6.* Confirmatur à D.Bonau *fund.3.* Nam ſi ea omnia, quæ ſimul cognoſcuntur eſſent à parte rei, daretur multitudo categorematicè infinita. Sed eadem ſunt in cognitione Dei: Ergo. Hoc argumento vtitur Suar.

429 Probatvr ſecundò à D.Bonauen. *in fundamentis.* Id, quod eſt ipſe Deus, eſt infinitum categorematicè. Sed Ideæ ſunt ipſe Deus; Ideæ autem ſunt omnium rerum futurarum, quæ ſunt infinitæ: Ergo. Minor probatur, nam cogitationes hominum, & Angelorum per Æuum erunt infinitæ. Confirmatur à Seraphico D. ex D. Auguſt. *6. de Trin. capit. 10.* vbi ait: *Filius eſt Ars plena omnium rationum viuentium.* Ergo eſt infinita.

430 Pro conciliandis opinionibus nota è D. Bonauen. *d.39. quæſt.5. ad 2.* quod tota illa multitudo rerum, ſecundùm eſſe formale eſt in potentia, non tamen eſt finita actu in Diuino intellectu; ſed infinita, quia in eo non eſt prima, & vltima aſſignabilis, & in Deo ſunt actu omnium rationes infinitæ. Eam autem multitudinem eſſe infinitam, oſtendit S.Bonau. *fund. vltimo,* quia non datur alia extrà eam; quam Deus cognoſcit actu. Ità aduertit etiam Vaſquez *num.6. & 7.* Hinc ruit Achilles Amici, nimirum eo modo cognoſci res, quo ſunt.

431 Neqva tamen ſequitur, illam multitudinem eſſe in ſe infinitam categorematicè; ſicuti neque aſſeritur à Deo eſſe talis. Itaque verum eſt: Deus actu categorematicè infinita cognoſcit. Sed falſum eſt hoc: Deus cognoſcit multitudinem, eſſe actu categorematico infinitam. Quæ videntur obſeruaſſe Trombetta, *quæſt. vlt. de præſcientia futurorum contingentium,* & Valentia, *loc. cit.* Nec iuuat Ribam dicere, infinitum, vel finitum eſſe, ſumi ex ente; iam enim hoc ſolutum eſt.

Hoc idem arbitror, Almainum, & alios primæ ſententiæ auctores voluiſſe, vt aduertit Suarez, & Tannet. Non enim adeo cæcos credere poſſum, vt negent, Deum cognoſcere actu infinita obiectiuè categorematicè. In quo falluntur Valentia, & Tannerus, inuoluentes cum Durando eruditiſſimum Anteceſſorem, qui ſi attentè legatur, negat ſolùm, cognoſci à Deo infinita exiſtentia, alioqui futurum erit poni infinitum actu extra Deum. Hunc diſcurſum Tannerus non attendit.

Ex hac enim finitorum cognitione ſequeretur, 432
Deum aliquas Angelorum cogitationes futuras ignorare; eaſque incipere ſcire Æui decurſu, quod eſt inſanum.

Porrò ex argumentis eorum conijcio, id ſolùm negaſſe, quod negabat Aureolus.

Primum eorum argumentum eſt. Eodem modo res cognoſcuntur à Deo, quo ſunt. Sed res ſunt Syncategorematicè infinitæ: Ergo. Volunt autem dicere; quod, ſicut ſunt Syncategorematicè infinitæ; ſic aſſeruntur à Deo.

Secvndvm eſt. Si Deus cognoſceret res futuras actu infinitas, poſſet producere infinitum actu. Volunt dicere. Si ea tota multitudo eſt categorematicè actu. Ergo poteſt dari infinitum actu.

Tertium eſt. Scientia viſionis eſt futurorum; at verò nunquam erunt infinita actu; ſed tantùm in potentia. Volunt dicere obiecta nec eſſe, nec futura categorematicè infinita.

Qvartvm eſt. Si actu categorematico infinita videret, iam videret totum continuum diuiſum in partes infinitas actu. Sic inferunt, continuum non videri diuiſum in partes infinitas; ſed ſemper diuiſibile; attamen, Deum videre omnes eas partes diuiſibiles in actu.

Itaque infinita multitudo rerum à Diuino intellectu comprehenditur; non tamen quia a Diuino intellectu comprehenditur, illico infinita euadit; ſed benè dicitur contineri totaliter Dei intellectu infinito ſimpliciter, in quo plurima infinitorum genera percipiuntur. Ità & Vaſquez cum D. Aug. *12. de ciu. Dei, c.18.* apud D. Bonau. ſed relatus à Vaſquez *num.9.* numeris inuerſis.

Ex his habes, non aſſeri à nobis, futura, vt talia ſunt, cognoſci à Deo ſucceſſiuè; vt fingit Rouius, *3. Phyſ. trac.2. q.2.* Sed dicimus, cognoſci futura ſucceſſiuè, ita vt nunquam finiatur illorum numerus, etſi in inſtanti æternitatis totus à Deo actu comprehendatur; vt ait cum D.Bonauen. ſuprà Ludouicus Ribas, *d.8. num.7.*

QVÆSTIO XIV.

Vtrùm Deus cognoſcat non entia, & quomodo.

{ D Bonau. d.39. q.3. fund 1. addita reſol.
D.Thom. art.9.

Ex dictis oſtenſum eſt, Deum videre non entia, quæ tamen poſſibilia ſunt.

Deus enim cognoſcit, quæcumque producere poteſt; 433
poteſt autem omnia poſſibilia: Ergo. Maior probatur à S. Bonauent. *quæſt.1. fund.2. d.35. quæſt.3.* Nam agens per intellectum rationabiliter, cognoſcit ea, quæ producit. Talis eſt Deus: Ergo. Hac ratione vſus eſt Valentia *d.1. quæſt.14. p.6. & p.7.* poſt D. Thomam *hic.*

Non cognoſcuntur autem ſcientiâ viſionis iſta merè poſſibilia; nam, ſicut ſcientia viſionis videntur eæ res ſolùm, quæ habent eſſe extra videntem; ſic ea, quæ ſolùm habent eſſe in Dei omnipotentiâ, non poſſunt ſcientiâ viſionis cognoſci.

434 Hinc fit, hæc poſſibilia nunquam futura, non terminare obiectiuè Diuinam cognitionem ſecundùm aliquod ſuum eſſe proprium reale, diſtinctum à ſuis cauſis. Probatur à Seraphico, *dub.* 39. *quæſt.* 3. *fund.* 1. addita expoſitione corporis. Nam deberent habere aliquod ſuum eſſe reale. Verum namque eſt, quod terminus notitiæ cum ente conuertitur; hoc autem non habent, res poſſibiles nil enim ad extrà habet eſſe reale, niſi à Deo. At res merè poſſibiles non ſunt productæ, vel producendæ à Deo. Ergo. Maior eſt de fide; vt ait D. Auguſt. 1. *de Trin. cap.* 6. & alij Patres apud Valentiam, hac ratione vſum *p.* 7. Igitur hæc merè poſſibilia terminant Diuinam cognitionem, vt ſunt in omnipotentia; non ſecundum eſſentiam, ad extrà, vt putant Molina ad hunc *ar.* & Nazar. *controu.* 2. eò quòd habeant eam ab exiſtentia independentem. Hi non aduertunt, Deum extra non egredi ad obiecta, ne vileſcat, vt monet S. Doctor 1. *dub.* 36. *ar.* 3. *q.* 1. Sed de hoc ſatis actum, *q.* 5.

435 Qvæstio eſt autem, quo pacto Deus cognoſcat negationes, priuationes, & impoſſibilia.

Suppono hæc infinito Dei intellectu eſſe perſpicua. Ideò & *Geneſ.* 1. tenebris ſibi profectò notis, à luce diuidendis, dicitur incubuiſſe.

Prima opinio eſt, non entia à Deo videri in conceptibus oppoſitorum entium, veluti nos per lucis deficientiam tenebras ſentimus. Sic Thomiſtæ non nulli, è quibus Nauaretus apud Granadum, *tract.* 10. *dub.* 2. Naxar. *hic, contron.* 1. & videtur D. Dionyſij, *cap.* 7. *de diu. nom.* poſt medium apud D. Bonau. *diſt.* 35. *quæſt.* 1.

Fvndamentvm eorum eſt, qoia Deus debet cognoſcere illas negationes ad modum ſui obiecti primarij, quod eſt ipſa Diuina eſſentia, ſeu Deus, qui eſt ens poſitiuum. Verùm hoc eliditur à Granado *l. cit.* & Arriaga *diſp.* 19. *ſec.* 6. è D. Bonauen. *in* 1. *diſt.* 36. *ar.* 3. *quæſt.* 1. quia inde etiam fieret, creaturam debere cognoſci inſtar Dei; hoc autem eſt abſonum. Imò, vt arguit Seraphicus, ſequeretur, etiam peccata debere à Deo cognoſci inſtar ipſius Dei; & inſtar creaturarum, quæ in Deo habent Ideas.

436 Arriaga *l. c.* cenſet, negationes poſſe per aſſenſum à Deo cognoſci, verbi gratia: Priuatio eſt carentia formæ in ſubiecto apto. Subſcribit Ludouicus Ribas *trac.* 4. *d.* 8. *c.* 1. Cognoſcit perfectiſſimè vnam rem eſſe hanc, & non eſſe aliam.

At Suarez *dub.* 54. Met. *ſec.* 2. Valentia *diſp.* 1. *quæſt.* 14. *p.* 7. Molina *quæſt.* 14. *ar.* 10. Smiſing. *tract.* 3. *diſp.* 2. *quaſt.* 6. *num.* 193. Auerſa *quæſt.* 14. *ſec.* 7. Morand. *tract.* 3. *num.* 305. Arrubal *diſp.* 35. *cap.* 10. Vaſquez *diſp.* 61. *&* 62. volunt, Deum nunquam cognoſcere negationes per affirmationes ità,: vt dicat: *Sunt tenebræ. Petrus eſt cæcus*; ſed per diſſenſum. *Non eſt lux: Petrus non poteſt videre.* An verò cognoſcantur negationes in ſe ipſis; An verò in cauſis, verbi gratia; tenebra in luce defectibili, varij ſunt. Quid ſenſerit D. Bonau. in aſſertione explicabo.

Assero. Deus cognoſcit non entia impoſſibilia, ſimplici aſpectu eſſentiæ ſuæ, in cognitione entium.

437 Probatvr à D. Bonauen. *diſt.* 35. *quæſt.* 1. *in corp.* & *diſt.* 39. *quæſt.* 2. *in corp.* addito quarto fundamento, ad quod appellat. Intellectus habens rationem cognoſcendi à prima veritate, quæ eſt lux ſumma infinita, cui nihil poteſt occultari, eſtque ſimpliciſſimus; vno actu ſimpliciſſimo comprehendit omnia vera. Sed intellectus Diuinus eſt talis. Ergo vno actu ſimpliciſſimo comprehendit omnia vera; at impoſſibilia; Verbi gratia. *Aſinus eſt homo*, ſunt verè impoſſibilia. Ergo. Hanc rationem vſurpat Trigoſius *quæſt.* 9. *ar.* 3. *dub.* 1. Hinc colligit Arriaga *diſp.* 19. *ſec.* 7. poſſe bas negationes cognoſci à Deo, tum in ſuis cauſis; tum in ipſis formis, quibus priuant: tum in ſubiectis carentibus: tum in cognitionibus noſtris; tum in ſe ipſis. Hæc enim omnia vera ſunt, Verbi gratia: Lux defectibilis eſt cauſa noctis, &c. Omnia tamen in ſua eſſentia, non extrà egrediendo, videt, vt ait D. Dionyſ. *citandus quæſt. ſequenti*, & D. Bonauent. *hic.*

Probatvr ſecundò à D. Bonauent. Nam omnia 438
in ſuis Ideis videt, vt oſtendi *quæſt.* 5. *&* 7. & dicam *diſp.* 14. At impoſſibilia, & culpæ non habent Ideas, Ergo per oppoſitum ad Ideam ea agnoſcit. Id tandem cogitur fateri Ribas *num.* 5. hæc dicens obiectiuè eſſe in Deo, non idealiter, aut formaliter, vel eminenter, niſi velit Deum extra ſe egredi.

Itaqve eo modo, quo ſunt entia, ſunt etiam vera, vt diſcurrit S. Bon. *d.* 39. *q.* 1. *ad* 3. Vnde, ex eo quod carent entitate reali, carent etiam veritate reali, qua affirmationi ſubijciantur. Itaque Deus ea cognoſcit, non aſſerendo, ea eſſe, vel ea concipiendo ad modum entis; ſed diſſenſu, ideſt, ea non poſſe eſſe; nam ex Ariſt. 1. *Poſt. cap.* 2. Quòd non eſt, non cognoſcitur, ideſt, non affirmatur ab intellectu ſciente; alioqui aſſereretur, quod non eſt: poſſunt tamen aſſeri per copulam (eſt) ſonantem negatiuum eſſe; vt notat Arriaga. Probatur deinde è D. Dionyſio, cui non benè reſpondet Vaſquez, vt dicam *quæſt. ſeq.*

Habes etiam, hæc non cognoſci à Deo per pri- 439
uationem, quæ ſit in cognoſcente; ſicut auris mea ſentit ſilentium, dum non audit ſonum; & oculus videt tenebras, cùm lucem non videt; hoc enim redolet imperfectionem; at verò cognoſcuntur per priuationem, quæ eſt in re, ſicuti Lux cognoſceret tenebram; ſi haberet vim cognitiuam; nam Deus eſt actus purus, Lux, & Veritas, vt differit S. Bon. *d.* 36. *ar.* 3. *q.* 1. *ad vlt.*

Videat ergo non entia, impoſſibilia, priuationes, 440
&c. ex infinita virtute ſui diuini intellectus, prima veritate omnium veritatum expreſſiua comprehendendo; non per accidens, ad modum, quo dicitur, ſenſus percipere priuationes; hoc enim dicit etiam aliam imperfectionem, præter aſſignatam, quòd ſenſus non percipit verè priuationes, Verbi gratia: oculus tenebram; ſed potiùs oculus priuatus luce, quæ eſt ipſius obiectum, priuatur actu; quod aduertens intellectus conijcit tenebras. Itaque tenebra non à ſenſu; ſed ab intellectu percipitur: at verò Deus per ſe eâdem potentiâ percipit omnes veritates ſimpliciſſimo intuitu, quia eſt Lux infinita, *cui tenebræ ipſæ non obſcurabuntur*, vt dicitur *Pſalm.* 138. Vnde luce ſua videt lucem, & tenebras: entia; & non entia; vt docet S. D. *d.* 39. *quæſt.* 2. *in corp.* & poſt eum Vaſquez *l. c.* Ratio verò totius optima aſſignatur à Seraphico *diſt.* 39. *quæſt.* 1. *fund.* 4. & *ad* 3. Quia ſicut in entibus eſt. Primum, ita vt in eo ſiſtatur, & in eo ſint omnes entitates, & ab eo omnes proueniant; ita quoq; in veritatibus eſt prima, ità vt illa veritas ſit cognoſcitiua comprehenſiuè omnium veritatum. Addo tamen priuationes, quoad poſitiuam aptitudinem in ſubiecto, poſſe poſitiuè percipi etiam à nobis.

Qvæstio

QVÆSTIO XV.

An Deus cognoſcat malum culpæ in Bonitate ſua: An in bonitate virtutis.

D.Bonau. d.36. ar.3. quæſt.1.
D. Thom. ar.10. quæſt.14.

IAM vidimus omnes priuationes, è quibus ſunt etiam culpæ proprils conceptibus entitatiuis non cognoſci à Deo, ſed luce oppoſitā. Cùm verò priuatio ſit alicuius habitus priuatio; & militia ſit priuatio bonitatis, controuerſia eſt: An ad hoc, vt Deus comprehendat malitiam ſatis ſit, eum comprehendere ſuam bonitatem. An verò neceſſe ſit, vt cognoſcat etiam bonitatem creatam oppoſitam illi malitiæ. verbi gratia, vt cognoſcat culpam infidelitatis, neceſſe ne ſit cognoſcere fidem oppoſitam?

341 ALIQVI moderni Thomiſtæ aſſerunt, Deum cognoſcere malitiam peccati, agnita ſua bonitate; ſicuti Sol cognoſceret per ſuam lucem tenebras. Hæc videtur D.Bonau. *l.c. ad vlt.* & D.Dion. *cap. 7 de diu.nom.* vbi ait. *Quemadmodum etiam lux per cauſam in ſe tenebrarum notitiam anticipatam, & informatam habet, quod non aliunde, quàm ex luce, tenebras nouit.*

PROBATVR verò ratione, quia cùm Deus ſit ſumma bonitas, comprehendit omnem receſſum, & priuationem, quæ malitiam peccati conſtituit. Ità Zumellus ad hunc ar. D.T. At Nauaret. *controu.* 50. dicit primò, eſſentiam Diuinam eſſe Deo rationem cognoſcendi peccata, vt peccata ſunt, ideſt, vt dicunt primam priuationem. Deinde ait, peccata, vt mortalia, non cognoſci per virtutes oppoſitas. Tertiò, Deum cognoſcere peccata mortalia per eſſentiam Diuinam, vt participatam per gratiam. Quartò, rationem cognitionis vitiorum ex parte rerum cognitarum, ſumi in Deo, ex cognitione virtutum.

442 SECVNDA ſententia eſt, Deum videre culpas in bono oppoſito creato. Ita D.Bonau. *hic*, vt notat Vaſq. qui eum ſequitur, *d.*62. Valentia, *d.*1. *q.*14. *p.*7. Tanner. *d.*1. *q.*8. *dub.*8. *n.*5. Ribas, *trac.*4. *d.*7. *c.*1. Suarez, *l.*3. *c.*3. *n.*11. Nazar. *hic controu. vnica*, qui adducunt etiam Alenſem, *p.p.q.*23. *m* 3. *ar.*3. Richard. *d.*36. *ar.*1. *q.*2. *ad argumenta*, D.Thomam *hic ad* 2. & 3. Porrò, eos non velle, cognoſci culpam per oppoſitam bonitatem increatam; ſed per creatam oſtendit Vaſquez, nam iſti Doctores, præcipuè D.Bonauen. loquuntur de bono creato, quod in Deo habet ſimilitudinem, ſeu ideam; bonitas autem Dei non habet in Deo ideam, vt obſeruat etiam Trigoſ. *quæſt.*9. *ar.*3. *dub.*1. Idem cenſent Ruitz, *d.*19. *ſec.*3. Molina, *q.*14. *ar.*10. Becan. *cap.* 10. *q.*14. Amicus, Morandus, *trac.*3. *n.*30.

CASPENSIS, *trac. de ſcientia Dei, d.*3. *ſec.*6. aduertit, in ſententia eorum, qui putant, malitiam moralem conſiſtere in aliquo poſitiuo, peccata cognoſci in ſeipſis: in ſententia verò aſſerentium, mala hæc in priuatione conſiſtere; cognoſci in bonitate creata, quæ opponitur; cùm bonitas increata non opponatur formaliter. Non enim Deus eſt formaliter temperantia, cui opponitur luxuria, & gula; nec eſt fides, cui opponitur infidelitas.

Iſte igitur, qui *tract. de peccatis, d.*1. *ſec.*1. negat, culpam conſiſtere in aliqua priuatione; ſed cum Vaſquez *d.*95. *c.*9. vult conſiſtere in relatione diſconuenientiæ ad rationem, conſequenter in hac aſſerit videri à Deo peccatum, attamen Vaſquez nobiſcum eſt.

ASSERO primò, Deum cognoſcere peccata.

PROBATVR à D. Bon. 1. *dub.* 39. *q.* 2. Hierem. 17. *Prauum eſt cor hominis, &c. Ego Dominus ſcrutans corda.* Probatur ab eodem S. D. etiam in Pſalmos, ex illo Pſalm. 50. *Tibi ſoli peccaui, & malum coram te feci.* & ad Pſalm. 68. *Delicta mea à te non ſunt abſcondita.* 443

PROBATVR ſecundò à D.Bon. *ibi fund.*6. Optimus gubernator, & Iudex debet omnia bona, & præmio digna: & omnia delicta pœnis plectenda videre. Deus eſt optimus omnium Gubernator, & Iudex: Ergo. Roboratur hoc argumentum illis omnibus ſcripturis, quibus Deus aperit peccata, & iudicat, vt *Geneſ.*3. peccatum Adæ, & Æuæ ac ſerpentis *Geneſ.*4. peccatum Caini. *Geneſ.*6. vbi iudicat peccata totius mundi. *Geneſ.*18. vbi iudicat peccata Pentapolitanorum. Talibus Scripturis plenæ ſunt omnes ſacræ paginæ. 444

ASSERO ſecundò, Deum cognoſcere peccata in ſe ipſo (licèt in ipſo non ſint.)

PROBATVR à D.Bon. 1. *hic d.*36. *ar.*3. *q.*1. *arg.*2. *ad opp.* D.Auguſt. ſuper *Geneſ. l.*5. *cap.*9. Quod in Deo vident Angeli, videt & Deus ipſe; at Angeli vident in Deo bona noſtra, quæ ei placent, & mala, quæ diſplicent, è D.Aug. Ergo. 445

PROBATVR ſecundò *ibi* à S.D. Si Deus extra ſe egrederetur ad videnda mala culpæ, egeret alio ad cognoſcendum; atque ab eo perficeretur, & educeretur de potentia ad actum ſed hoc eſt abſonum: Ergo.

PROBATVR tertiò ab eodem *in corp. ex Ariſt.* 1. *de anima*, *t.*85. 446 Nam ſicut rectum eſt ratio cognoſcendi etiam obliquum: etiam veritas, & lux, vt ait D. Dionyſ. *capite* 7. *de diu. nom.* eſt ratio cognoſcendi tenebras, & falſitatem, vt iam dixit *dub.*35. *quæſt.*1. *ar.*1. *ad opp.*

ASSERO tertiò, Deum cognoſcere peccata in ſe ipſo per Ideas vitiorum; non per aſpectum nudæ eſſentiæ.

PROBATVR à D. Bonauent. Oppoſitum. Per oppoſitum cognoſcitur: ſed vitia, & peccata oppo- 447 nuntur formaliter virtutibus, & actibus earum; non autem Diuinæ bonitati: Ergo. Minor probatur, nam intemperantia non opponitur formaliter diuinæ bonitati; ſed temperantiæ, quæ ſtat in moderanis immodicis delectationibus Tactûs, & Guſtûs. Hoc argumento vtitur Vaſquez *cap.*2. Becan. *l.c.* Valentia, *l. c.* Morand. *trac.*3. *numer.* 308. & ante eos Durand. & hoc docuit D.Dionyſ. dum ait. *Lucem diuinam eſſe rationem cognitam, cognoſcendi culpas*, accipit enim, non eſſentiam nudam, ſed vt habet rationem Ideæ; non quod ſingulorum ſingulæ Ideæ in Deo ſint diuiſæ. Sic explicat S.Bon. *l.c d.*35. & poſt eum Valentia. Idem dic de eo, quod *in hac quæſt. ad vlt.* reſpondet.

Vaſquez dicit, S.Dion. *ibi* nõ loqui de cognitione, qua Deus intelligit peccati malitiã, attamen hoc falſò dicitur. Nam *ibi* loquitur vniuerſaliter de cognitione Dei.

Reſpondet ſecundò, diſcrimen eſſe manifeſtum in exemplo. Nam lux eſt forma oppoſita tenebris; aut ſic bonitas Dei opponitur peccato.

AT hoc non eſt exponere, ſed negare exemplum S. Dion. eſſe ad rem. Sed iam ſenſus eſt expoſitus: & mox referetur.

Reſpondet tertiò, ſolùm velle explicare modum, quo Deus habet cognitionem anticipatam omnium rerum.

Neque hoc ſatisfacit; nam loquitur de cognitione; rerum oppoſitarum boni & mali. Ergo ſiue anticipata ſit, ſiue non, debet eſſe, ſicut dixit S.Dionyſios.

Ad rationem allatam pro priori ſententia reſpondetur; Deum, vt eſt bonitas formaliter, non eſſe formaliter oppoſitum peccatis immediatè; ſed ſolùm, vt eſt obiectum, & finis, à quo recedit malitia; at priuatio nõ cognoſcitur per obiectũ, v.g. cæcitas non cognoſcitur per colorem, in quem fertur viſus. Debet ergo cognoſci 448

per formam oppoſitam ſpecialiter. Vnde nec ſufficit cognoſcere gratiam, vel rectitudinē naturalem, quæ eſt forma oppoſita omnibus peccatis; ſed oportet cognoſcere virtutem ſpecialem oppoſitā ſingulis peccatis. Ità Vaſquez: qui ideò meritò laudat D. Bonau. dicentem, Deum cognoſcere mala culpæ in bono oppoſito formaliter, quod in Ideis relucet. Hinc ſequitur contra eum, Ideas repræſentare creaturas formaliter, contra id, quod dixit *dub.* 50. vt vidimus *diſput.* 11. *quæſtione* 23.

Qværit is *p.p. dub.* 118. *cap.* 4. An Deus cognoſcat entia rationis. Et negat; alioqui (ait) ea faceret.

Suarez, *d.* 54. *Met. ſec.* 2. *num.* 20. concedit, Deum noſſe quidem entia rationis; at non facere.

Sed Gillius, *l.* 2. *Comp. Theol. trac.* 6. *cap. vlt.* vult hæc noſci à Deo; & fieri.

Miror, negari Deo notitiam entium rationis, cùm ipſe videat cognitione infinitâ etiam actus noſtros, qui ſæpè eſſe poſſunt otioſi, & digni pœna.

Fateor hæc à Deo non fieri, quia ſunt fictiones aliter cogitantium, quàm res ſint.

Invtilis porrò eſt aſſertiò Ribæ, *trac.* 4. *d.* 7. *n.* 16. Entia rationis fieri à Deo mediatè; tum quia cooperatur intellectui noſtro fingenti, tum quia cognoſcit facta à nobis, eaque nouit ab æterno.

Hoc ſanè non eſt ſuo intellectu facere; vt patet.

Vervm ens rationis adſcribunt Deo plurimi apud Ribam, *tract.* 4. *d.* 5. *cap.* 10. *&* *d.* 6. *c.* 8. dicentes, Deum cognoſcere abſolutè decreta conditionatè futurorum, quæ nunquam erunt. Talia enim non habent decreta, vt dixi .12.

Cognoſcit tamen ſcientiâ mediâ quid in tali, & tali caſu, qui nunquam erunt, eſſet decernendum; alioqui nec ſcientiam mediam haberet, vt dixi *quæſt.* 12. Ideò enim & reuelatum eſſe oſtendi, quid eſſet faciendum. Ideo & 1. Reg. 13. *Quod ſi non feciſſes, iam præparaſſet Dominus Regnum tuum ſuper Iſraël in ſempiternum.*

QVÆSTIO XVI.

Vtrùm Scientia Dei ſit compoſita, & diſcurſiua.

D. Bonau. d. 41. art. 2. quæſt. 1.
D. Thom. art. 7. & art. 14.

449 Scito primò, compoſitionem conſiſtere in affirmatione, vel negatione prædicati de ſubiecto in propoſitione; vt docet D. Bonauen. *hic*, ex Ariſt. *l.* 1. *Perhierm.* Diſcurſus autem eſt veluti curſus ex vna cognitione ad aliam.

Scito ſecundò ex D. Bonau. *hic*, aliud eſſe cognoſcere compoſitionem, & diuiſionem: aliud eſſe cognoſcere componendo, & diuidendo. Ità notat etiam Richard. *dub.* 38. *q.* 4. & Durand. *eadem diſt. q.* 2. Trigoſius *quæſt.* 9. *ar.* 7.

450 Suppono autem ex dictis, Deum cognoſcere compoſitiones omnes, & diuiſiones, ac diſcurſus.

Probatvr à D. Bonau. *in corp.* Quia res cognoſcuntur à Deo, ſicuti ſunt, & intelliguntur ab omnibus; cùm ſciat omnes cogitationes hominum, *Pſalm.* 93. Harum propoſitionum, horumq; diſcurſuum, in quibus ſunt aliquæ contingentiæ, notitiam Deum habere in Ideis, dixi *q.* 6. Idem habet D. T. *ar.* 14.

451 Obiicies. Ideæ non ſunt compoſitæ. Reſpondetur, ideas ſimpliciſſimas eſſe rerum compoſitarum: immutabiles mutabilium: immateriales materialium rerum, vt docet D. Bonauen. *dub.* 35. *quæſt.* 2. *in corp.* & *quæſtione* 4. *ad vlt.* Imò etiam in creatura intellectiua Ideæ rerum compoſitarum, putà domorum, templorum, ſunt ſimplices qualitates; multò magis erunt ſimplices in Deo; vt reſpondet D. Bonauen. ſoluens argumentum. Quare non erat, cur Trigoſius *q.* 9. *ar.* 7. in fine commentarij ſolutionem emendicaret è D. T. *hic*, *ar.* 14 *ad* 2. & *in* 1. *d.* 48. *q.* 1. *ar.* 3. *ad* 2. & à Richardo *ibi*, *q.* 4. *ad* 1. Id enim ſæpius etiam in opuſculis refricat, vt dixi, *q.* 7.

Assero, Deum non cognoſcere componendo, diuidendo, ſeu diſcurrendo. 452

Probatvr à Seraphico. Cognoſcere componendo, &c. eſt cognoſcere per multa, & multis. Sed hoc repugnat intellectui ſimpliciſſimo Dei: Ergo. Eadem ratione vtitur in argumentis ſecundo, & tertio loco; & D. T. *art.* 7. Valentia, *diſp.* 1. *quæſtione* 14. *p.* 8. *initio.*

Probatvr ſecundò à S. D. è D. Dionyſ. *c.* 7. *de diu. nom.* vbi ait: quòd *partita impartitè cognoſcit: vniformiter multa.*

Probatvr tertiò, *arg. vltimo.* Si cognoſceret *componendo, diuidendo*, &c. per propoſitiones; cum multæ veritates varientur ſecundùm mutationem, & viciſſitudinem rerum; variarentur etiam propoſitiones in Deo; atque adeò, & ſcientia eius.

Obicies. Quod eſt perfectius, eſt Deo attribuendum. Sed cognitio per compoſitionem, & diſcurſum eſt perfectior ſimplici apprehenſione: Ergo. Probatur Minor: nam ſimplex cognitio etiam brutis conceditur. 453

Respondet D. Bonau. intelligere eſſe nobiliorem modum, quàm ſentire. Nam percipit perfectiùs, ſpiritualiùs, & plura; & ità omnis ſpecies intellectionis eſt perfectior omni ſpecie ſenſationis; Ratio eſt, quia apprehenſio ſenſitiua non eſt ſimplex; ſed imperfectè compoſita: haurit enim ſpeciem naturalem ab obiecto, & illud imperfectè apprehendit; quia non cognoſcit quantum cognoſcibile eſt. Sed merè apprehendit, impotens reflectere, cognoſcere naturā rei, &c. Intellectus verò apprehendit, & componit, & tam in apprehenſione, quàm compoſitione rem perfectiùs ſubſtantialiter cognoſcit, & ità habet apprehenſionem, vt ſenſus; & compoſitionem, vt diſcurſus, qui apprehenſioni imperfectæ addit perfectionem. Intuitio autem ſimpliciſſima Dei eſt perfectiſſima, ac comprehenſiua cognitio, & ità excludit imperfectiones apprehenſionis ſenſitiuæ; & perfectiones compoſitionis intellectiuæ creatæ. Itaque perfectiſſimâ ratione, comprehenſiua cognitio, abſque neceſſitate aliò diſcurrendi ad cognoſcenda ea, quæ deſunt cognitioni ſenſitiuæ brutorum, debet in Deo poni. 454

Hæc eſt germana Seraphici ſolutio *in corpore.* Hinc non benè reſoluit Trigoſius è mente D. Bonauen. negando ſimpliciter, quod cognoſcere per modum compoſitionis ſit nobilius ſimplici apprehenſione. Neque erat, cur aliam ſuo marte adderet ſolutionem, dicendo, eandem quidem rem cognoſci ab intellectu, & ſenſu; ſed intellectum percipere primò vniuerſale, mox ſingulare: ſenſum verò ſolum ſingulare. Vis enim argumenti non retunditur perfectè per aliquid additum à Trigoſio.

QVÆSTIO XVII.

Vtrum Scientia Dei ſit immutabilis.

D.Bonau. d.39. art.1. q.2. & d.41.art.2.q.2.
D.Thom. art.14. & 15.

ASSERO primò, ſcientiam Dei eſſe immutabilem.

455 PROBATVR à D. Bonau. primò è D. Dion. *cap.7. de diu. nom.* vbi ait: *Cognoſcit Deus omnia mutabilia immutabiliter*, & è D. Auguſt.15. *de Trin. cap.*13. vbi ait: *Eius ſcientia inamiſſibilis, & inuariabilis.* Idem ſentiunt omnes Patres apud Ruitz *d.*37.*ſect.*1.

PROBATVR tertiò à D. Bonau. Id, quod eſt perfectius, Deo eſt attribuendum. Scientia immutabilis eſt perfectior: Ergo, &c. alioqui Deus eſſet imperfectus. Eadem ratione vtitur Arriaga *loco citando.*

456 PROBATVR quartò à D. Bonau. Quod eſt in aliquo, eſt in eo ad modum eius, in quo eſt, ex Ariſtotele 3. *de anima t.*4. Et hoc maximè eſt verum in Deo, in quo omne, quod eſt, eſt ipſum, ſeu ipſe Deus. Deus eſt immutabilis: Ergo ſcientia, quæ eſt in Deo, eſt immutabilis. Hæc ratio eſt etiam D, Thomæ. Hanc, ait Morandus *tract.*3. *num.*356. pati difficultatem, quam diſentere, dicit inutile.

457 CONTRA hanc rationem inſurgit Vaſquez *in comment. illius articuli*; nam res non ſunt in Deo formaliter; ſed obiectiuè, ideſt in ipſo repræſentantur. Ex quo non ſequitur, debere eſſe immutabiliter. Deinde, licet ſcientia, quam Deus habet de rebus, ſit ſua ipſius ſubſtantia, connotat tamen reſpectum ad creaturas. Itaque licèt variaretur ſcientia, non variaretur eſſentia Dei; ſed ſolus reſpectus rationis. Porrò autem ſcientiam Dei connotare conſtat reſpectum rationis ad creaturas, ſine quo non diceretur ſcientia creaturarum: Ergo ſcientia creaturarum non eſt idem omninò cum eſſentia Dei, ſed connotat ſupra eſſentiam ad creaturas relationem, quæ eſt rationis. Igitur, licèt ex mutatione illius relationis creaturæ alio modo viderentur in Deo; non ſequitur habendam mutationem in Diuina eſſentia. Hæc tamen non ſunt ad rem. Nam Deus non pendet quidem à creaturis; ſed tamen, quia eſſentia Diuina eſt primum ens præhabens omnem entitatem, & conſequenter virtutem neceſſariò, eadem neceſſitate habet, vt poſſit omnia poſſibilia producere; & ità non eſſet Deus niſi omnipotens, quia ſic eius virtus, atque eſſentia, à qua virtus manat, eſſet finita, & ita, licèt creaturæ, vt ſic, non eſſent ità neceſſariæ; ſicut Deus adæquatè; attamen poſſe Deum condere creaturas, eſt paris neceſſitatis, vnde æquiuocè abit Vaſquez. Itaque à loco intrinſeco. Si nulla eſſet creatura poſſibilis, non eſſet Deus, vt oſtendi *d.*11. *quæſt.*2. & oſtendam *d.*24. *quæſt.*1. *& ſeq.* & optimè aduertit etiam Nazarius *ad art.*14. *controu.*1.

458 QVOD verò primò ex eo deducebat, variari poſſe ſcientiam Dei, inuariatâ eſſentiâ, eò quòd res ſunt tantùm obiectiuè; non realiter formaliter in Deo, abſonum eſt, & æquiuocum ſonat; nam variatio ſcientiæ ſumitur ex eſſe obiectiuo rei cognitæ; ſic, licèt eadem, V.g. Sphæra ſtaret: & ego prius ſtantem, poſtea motam, obiectiuè acciperem, mutaretur mea cognitio.

Ex his patet etiam ad oppoſitiones Arriagæ *d.*18. *ſect.*1. *ſubſect.*1. qui eam rationem acriùs carpit, quia ſcientia libera nullam nouam entitatem realem dicit. Ergo ex eo, quòd noua ſcientia adueniret ei, non adueniret mutatio aliqua intrinſeca, niſi ad ſummum, quoad denominationem, quæ non repugnaret Deo in tempore, etiamſi eſſet intrinſeca. Sic enim & Verbum accepit in tempore denominationem intrinſecam *incarnati*; multò magis recepit relationes *Creatoris*, *Domini*, &c.

RESPONDETVR enim cum Riba ex D. Bonau. 459 nullam nouam ſcientiam addi liberam, quippè Deus in æternitate omnia futura vidit, non ſub conceptu præteriti, præſentis, vel futuri, quod concedit Arriaga ibi cum Seraphico *d.*41. *art.*2. *quæſt.*2. *arg.*1. ſed videt res futuras pro determinato puncto, quo ſunt futuræ. Itaque ſit mutatio ſolum in obiectis. Hæc autem mutatio non poteſt fieri in tempore; ſicuti non poteſt in tempore fieri nouum decretum. Quamuis enim relatio illa rationis ſit extra eſſentiam Dei; nec ſit ratio Diuinæ cognitionis, tamen fundatur in actu reali Diuinæ cognitionis. Itaque manente eodem fundamento, manent illæ relationes immotæ, vt docet Ferrar. 1. *contra G. cap.*83. atque adeò, ſciente Deo tali actu creaturas, non poteſt mutari habitudo rationis, quin mutetur actus, cui innititur, vt ait & Nazar. ad D. Th. Ad confirmationem dico, poſſe de 460 nouo Deum eſſe Creatorem, & Dominum, quia aduenìunt hæ relationes è nouâ actione producente creaturas, quæ terminant eam. Sic & Incarnatio; nec tamen mutari Deum oſtendi *tract.*3. *d.*1. *quæſt.*1. & 3. *p. tract.*1. *d.*1. *quæſt.*3. At ſcientia eſt immanens in Deo, vt Idea. Hinc arguit Morand. *num.*356. Quod ſemel eſt verum pro aliquo tempore, immutabiliter eſt verum. Talis eſt viſio Dei: Ergo. Hic notat Valentia è D. Bonau. *in vtraque quæſt.* in hoc ſtare inuariationem ſcientiæ Dei, vt ſemper ſciatur, quod ſemel ſciebatur; nec aliquid neſciatur, & poſtea ſciatur. Hanc autem ſcientiæ varietatem non admittimus, etiamſi dicam in ſenſu diuiſo poſſe ſcire, quæ iam non ſcit; vt ſi decreuiſſet non condere mundum, non præſciuiſſet, mundum futurum; quòd verò decreuerit creare. Et Deus primò ſciat futurum, & poſt ſciat in ſenſu compoſito, non eſſe futurum; implicat. Sic & Molina *hic, art.*15. Morand. *num.*357. cum Durando 1.*d.*36. *quæſtione vnica.*

HINC videbis. An poſſit admitti ea propoſitio. 461 *Deus poteſt ſcire plura, quàm ſcit*, vt v.g. ſi decreuiſſet creare plures Angelos; plures præuideret; quod D. Th. *ad* 2. & Valentia timent concedere; quia videtur facere ſenſum compoſitum, quaſi Deus primò neſciuerit aliqua, & poſſit incipere ſcire.

Attamen, in ſenſu diuiſo accipiatur, ità vt Deus poſſit ſcire, & ſemper etiam ſciuerit plura, quàm nunc ſciat, vt v.g. ſi plures Angelos decreuiſſet, & eos omnes in primo ſigno cognouiſſet; certè plures videret Angelos creatos, quàm nunc videt. Et hoc ſenſu admittitur à D. Bonau. *d.*39. *quæſt.*3. vbi S. D. ex profeſſo hanc propoſitionem diſcutit. Ideò in fundamentis eam probat, quia poſſunt eſſe plura, ſi Deus de illis decretum ſtatuiſſet. Idem habet *in corp. & ad* 2. eam negat in ſenſu compoſito; & concedit in ſenſu diuiſo.

Hoc clarè conſtat *ex reſp. ad vlt.* quod erat. Si 462 Deus poteſt ſcire plura. Ergo ſcientia Dei poteſt augeri. Probatur conſeq. quia augentur obiecta præſcita: Ergo & præſcientia.

RESPONDET primò, quòd, etiamſi præſcita poſſint augeri; non tamen augetur præſcientia Dei, quia Deus vnica cognitione, & vnico medio, ideſt ſua eſſentia nouit pauca, & plura. Ideò, etiamſi res varientur; non tamen variatur ſcientia Dei, quæ eſt Diuina ſubſtantia. Ità etiam Morandus *tract.*3. *num.*357. Molina *quæſt.*14. *art.*5.

463 Reſpondet ſecundò, negando, præſcita poſſe augeri. Nam augeri eſt, quòd primò ſciat pauca; & poſteà plura, quod Deo non poteſt conuenire. Aut enim vis dicere, præſcita poſſe eſſe plura, quia de paucioribus poſſunt fieri plura: & hoc concedo. Sed hoc modo ſcientia Dei non augetur, quia ſi fiant plura, iam erant præſcita ab æterno; aut vis dicere quòd ab initio potuerunt eſſe plura, & concedo: quia ab æterno potuit decernere plura, eaque præuidere; neque ob id ſcientia Dei augetur; quia vt augeatur, debet priùs ſcire pauca, & poſteà plura. Vnde ex maiori numero rerum non infertur conſequentia: Ergo creuit & ſcientia; imò eſt ſophiſma, vt ait D. Bonau. quia ex pluribus cauſis neceſſariis ad hanc veritatem, quòd augeatur ſcientia, vna tantum affertur, ideſt pluralitas rerum, ſed omittitur, quòd hæ res ſimul ſcitæ ſunt initio à Deo. Hanc reſponſionem affert & Richardus, Seraphici diſcipulus *d.39. quæſt.3. ad 3.* Ex his habes, falsò ab Auerſa, & Molina, hoc dictum adſcribi Seraphico; fieri non potuiſſe, vt Deus sciret plura; quia ſi non vidiſſet veritates, quæ nunc ſunt, vidiſſet earum contradictorias.

464 Hoc etiam non rectè ſic refelleret Morandus *num.*359. quia ſi nullum decretum condidiſſet; nulla propoſitio de futuro eſſet vera, quod & proſequitur, Aluarez *d.7.num.*30. Hoc enim poteſt ſtare; & tamen quod pauciora non cognouerit Deus, ſi contradictoria cognouiſſet. Cæterùm S. Bonau. opponit quidem ſibi illud argumentum de contradictoriis; ſed negat intentum arguentis inde ſequi.

465 Tandem confirmatur inuariabilitas diuinæ ſcientiæ ex parte actus diuini à D. Bonau. *in corp.* ex 1. Iacobi: *Apud quem non eſt tranſmutatio, nec viciſſitudinis obumbratio*, qua nititur etiam Valentia; non tamen excluditur variabilitas; ſi intelligatur ſtatus eſſendi rerum; nam cognoſcit Deus res eſſe variabiles.

Circa hanc authoritatem *Iacobi* 1. Miror doctrinam quandam Molinæ *ad art.*15. *D.Th.* vbi docet ex noua cognitione Dei, quam ſuprà reiecimus, non ſequi in Deo mutationem; ſed ſolùm viciſſitudinis obumbrationem; quæ Dei repugnat immutabilitati. Hoc ſanè ridiculum proclamat Nazarius, quia non datur medium inter mutationem, & immutabilitatem.

466 Porro ad Diuinæ ſcientiæ Immutabilitatem explicandam affert S. D. exemplum de oculo, qui fixus in parietem abſque receptione ſpeciei, vnico aſpectu videret omnes pertranſeuntes; iſte profectò, quamuis mutarentur tranſeuntes, tamen non mutaretur; ſic Dei ſcientia eſt ipſe Dei oculus intellectiuus, qui eſt ipſe Deus immutabilis non recipiens notitiam à rebus; ſed in ſeipſo omnia intuens, qui quamuis mutentur res; non mutatur.

Hanc ſimilitudinem aſſumit Scotus, vt explicet hanc rem.

467 Hinc procedit S.D. *d.41.quæſt. cit.* ad reſoluendum: An Deus ſciat omnem rem, quam antè ſciebat, & omnem propoſitionem, quam ante nouerat. Eſt autem inter rem, & propoſitionem hæc differentia; quòd res eò vſque permanent, quovſque manet earum veritas; & è contra: quia ens reale, & verum conuertuntur; at propoſitiones remanent, etiam non manente veritate, V.g. Hæc. *Ecce veniet Saluator*; & ſimiles durant in Sacra Scriptura etiam poſt aduentum Saluatoris; habent tamen veritatem, quia probatæ ſunt pro tempore, quo erat venturus, & nunc manent, vt teſtimonia à ſæculis prophetata de futuro aduentu Meſſiæ; licèt, ſi intelligantur, vt iacent, non habeant veritatem *pro nunc*.

In primis igitur refert opinionem Nominalium dicentium. Primò, propoſitionem, quæ ſemel eſt vera, ſemper eſſe veram. Secundò, quòd vnitas enunciationis ſumitur ex vnitate rei ſignificatæ; & ità, ſi eadem res ſignificatur per propoſitiones temporum *Futuri, præſentis, præteriti*, erit idem enunciabile; tametſi exprimatur per diuerſas differentias temporum. Tertiò dicunt, quòd quando per vnum enunciabile in diuerſis temporibus prolatum, non ſignificatur eadem res, licèt modus ſignificandi ſit idem; non erit idem enunciabile. V. g. ſi quis dicat. *Hodie Petrus comedit*, non erit eadem enunciatio, ſi alio die proferatur: *Hodie ſcil.* &c. quia eſt alia comeſtio. Hoc dictum eſt etiam in Magiſtro *d.44. cap. vlt.* 468

Hinc inferunt Nominales, quòd omne enunciabile, quod Deus ſciuit, ſemper ſcit.

Probatvr ab eis; quia vnitas enunciabilia ſumitur ab vnitate rei ſignificatæ; ſed eadem res ſignificatur per enunciabilia futuri temporis, præteriti, & præſentis. Ergo idem erit enunciabile in quocunque tempore proferatur. Probant minorem, quia, ſicut *albus, alba, album* propter veritatem rei ſignificatæ ſunt vnum nomen, quamuis ſignificent rem albam ſub diuerſis generibus: ità cùm eadem res ſignificetur per has tres propoſitiones: *Christus ſaluauit, Saluat, Saluabit.* Erit idem enunciabile. 469

Contra hanc opinionem arguit S. Bonau. primò contra primum dictum, quia eſt contra Ariſtotelem *cap. de ſubſtantia*, vbi ait; quod vna propoſitio nunc eſt vera, & poſt modum falſa. 470

Contra ſecundum dictum arguit, quia, licèt verum ſit, nomina plurium generum facere vnum nomen apud Grammaticos, vt *albus, alba, album*; tamen ſi Logicè conſiderentur, plura ſont; nam Logicus ſignificat nomen, quatenus eſt vox ſignificatiua. Cùm ergo hæc ſint tres voces, erunt etiam tria nomina. Probatur conſeq. Nam multiplicato genere, multiplicatur & ſpecies. Sed vox eſt genus nominis Logici, vt habet Ariſtoteles a. *Perhierm.* vbi definit nomen. *Eſt vox ſignificatiua ad placitum, ſine tempore.* Ergo malè dicunt iſti, has eſſe tres voces, & vnum nomen.

Præterea propoſitio non ſignificat nudam rem; verum etiam modum, quo res ſe habet. Sed res ſignificata per tempora *præteritum, præſens, & futurum* ſe habent diuerſo modo. Ergo ſunt tria enunciabilia hæc: *Christus eſt naſciturus: Christus naſcitur: Christus natus eſt.* 471

Argvit S. D. contra tertium dictum Nominalium, & Magiſtri, quòd ſcilicet tempus præſens pronunciatum in diuerſis temporibus faciat diuerſam propoſitionem, ita vt iſta propoſitio. *Petrus currit hodie*, ſit diuerſa ab illa, quæ cras profertur. *Petrus currit hodie.* Contrà enim eſt, nam verbum temporis præſentis ſignificat in communi quodcunque tempus præſens, quandocunque proferatur; ſicut hoc nomen *homo* ſignificat in communi hominem præteritum, præſentem, &c. Ergo erit idem enunciabile: *Christus naſcetur* prolatus ſæpiùs ante partum Mariæ. 472

Asserit ergo D. Bonau. ſi *ſcire* ſumitur pro nudo *cognoſcere*, ſine aliquo connotato, tunc eadem enunciabilia, quæ ſemel Deus cognoſcit, ſemper cognoſcit.

Probatvr argumentis ad oppoſitum, præcipuè ſecundo, quia quæcunque ſcit Deus, ſcit immutabiliter: Ergo ſemper. Probatur conſeq. Nam æternitas ex immutabilitate Dei conſequitur; nam quod deſinit, mutatur. Antec. probatur. Nam ſcire Dei, eſt eſſe Dei; ſed eſſe Dei eſt immutabile: Ergò. Hæc ratio roborata eſt ſuprà. 473

Probatvr

PROBATVR etiam quarto argumento, quia quòd deſinit ad deſitionem alterius, pendet ab eo. Sed ſcientia Dei non pendet à creaturâ: Ergo.

474 IGITVR Deus ſcit omnem propoſitionem in quâvis differentiâ temporis, V.g. in quouis tempore nouit hanc propoſitionem. *Chriſtus eſt naſciturus.* Itaque propoſitio illa materialiter ſumpta, immutabiliter eſt in Deo, quia hæc veritas. *Decretum eſt Chriſtum naſci tali tempore*, ſemper ſcitur à Deo.

475 ASSERO ſecundò, propoſitiones ſumptas, pro vt tali modo exprimunt veritatem per copulam, non ſemper eodem modo ſciri à Deo. Et hoc eſt, quod ait S.Bonau. ſi ſumatur *ſcire*, prout eſt verbum *prohæreticum*, ideſt adhæſiuum, ſiue aſſertiuum, non ſemper ſcitur eodem modo à Deo.

PROBATVR à S. D. *in fundamentis.* Sicut præſcire ſe habet reſpectu futuri; ità ſcire reſpectu veri præſentis. Si enim actu ſcitur, actu eſt verum. Sed Deus deſinit præſcire rem, quando è futura fit præſens ex mutatione connotati, non ſcientiæ Dei: Ergo & deſinit ſcire, quando res è vera fit falſa.

476 Confirmatur argumento ſecundo. Sicut Diuina acceptio reſpicit bonitatem: ità viſio veritatem. Sed Deus deſinit hominem acceptare, quando perdit bonitatem. Ergo deſinit rem cognoſcere, quando perdit veritatem.

PROBATVR tertiò à D. Bonau. *fund.* 3. Si Chriſtus ſcit quodcunque enunciabile, quod ſciuit. Ergo cùm ſciuerit ſe moriturum, ſcit etiam nunc, ſe moriturum, quod eſt contra Apoſtolum. *Chriſtus reſurgens ex mortuis, iam non moritur, mors illi vltra non dominabitur.*

477 PROBATVR quartò à S.D. Si Deus ſemper idem ſcit. Ergo cùm ſciuerit aliquando, te non eſſe in rerum natura; ſequitur, ſcire etiam nunc, te non eſſe in rerum natura. Sed cùm tu ſcis à parte rei, ſcit te eſſe. Ergo ſcit duo contradictoria, nunc *Te eſſe*: *Te non eſſe nunc.*

Hinc patet, quò ſenſu vera ſit propoſitio. *Deus, antequam Chriſtus moreretur; ſciebat, Chriſtum moriturum*; iam verò nunc ſcit, Chriſtum non moriturum.

478 RESPONDET S. Bonau. Valentia *d.*1. *quæſt.*14. *p.*8. & Trigoſius *quæſt.*9. *art.*8. Si particula *ſcit*, & particula *nunc* ſumantur ex parte cognitionis Dei; vera eſt, quòd Deus ſcit, Chriſtum moriturum; ideſt habet eandem cognitionem de veritate iſtius propoſitionis, Chriſtum ex decreto Dei eſſe moriturum pro tali tempore, quod eſt veriſſimum, quia cognitio Dei eſt æterna, & immutabilis. Si autem ſumatur hæc propoſitio. *Deus ſcit Chriſtum moriturum*, prout ſe tenet ex parte rei pronunciatæ ſecundùm modum talis temporis; ſic non eſt vera; eſſet enim ſenſus. Nunc verum eſt, quod Chriſtus adhuc eſt moriturus; & hoc aſſeritur; & creditur à Deo. Hoc autem eſt falſum.

HANC doctrinam ſequuntur Durandus 1. *d.* 39. *quæſt.*1. *ad* 1. alterius partis argumentum, Ferrar. 1. *cont.G. cap.*67. Caiet. *hic ad* 3. cum ipſo D. Thoma: Montandus *num.*329. Auerſa *quæſt.*14. *ſect.*23. Valentia *puncto* 8. Ruitz *d.*37. *ſect.*4. Ribas *tract.*4.*diſp.*10. *cap.*2.

479 PER hanc diſtinctionem Seraphici ſoluuntur omnia alia argumenta, V.g. quòd Deus modò plura; modò pauciora ſciat, &. ſimilia.

480 RESPONDETVR enim, quòd, cùm Deus ab æterno comprehendat omnia mutabilia immutabiliter, ſequitur, vt viderit ſemper futura pro tempore præfixo. Et ideò ſemper eadem ſciuit; at verò facta mutatione in ſolis rebus connotatis, aliqua, quæ erant vera, cœpêre falſa; quæ, licèt pro tunc Deus mutata videret; tamen ea, hoc modo, vidit in æternitate ſic tali tempore mutanda. Ideò ex parte ſui Deus eadem ſemper ſciuit, Et ſcit.

DISPVTATIO XIV.

De Ideis.

{ D.Bonau. d.35.
{ D.Thom. q.15.

TRACTATVM de ſcientia Dei comitatur Diſputatio de Ideis, & meritò, nam cognitio fit per aſſimilationem cognoſcentis ad cognitum. Vnde Philoſophus 3. *de anima t.*37. ait. Intellectum eſſe quodammodo omnia, quia per cognitionem aſſimilatur rebus cognitis: cùm autem Ideæ ſint rerum ſimilitudines, optimè de iis, poſt diſputationem de ſcientia Diuina, agitur.

QVÆSTIO I.

An dentur Ideæ in Diuino intellectu, & quid ſint.

{ D.Bonau.q.1.
{ D.Th. art.2.

VT cautè procedamus. Scito, nomen *Idea* Græcum eſſe, ac Latinè *formam* ſignificare, quæ ſit ratio cognoſcendi, & exemplar operandi ad extrà. Ità nomen, & quidditas Ideæ intelligitur à D. Aug. *l.*83. *quæſt.*46. vt notat D. Bonau. *hic,fund.* 1. Dicitur verò Idea *ab Ides*, quod Latinè primam formam ſignificat; ſicut *Hyle* dicitur prima materia. Eſt enim Idea prima forma, ad cuius ſimilitudinem omnes formæ conſtitutæ ſunt. Vnde ſecundùm ideam diuerſam, Homo diuerſus ab Equo formatur, vt obſeruat S. Bonau. *in compend. Theol. l.*1. *cap.*25. è D.Auguſt. *loc. cit. & hic d.*35. *quæſt.*3. *fund.*1. Idea dicitur etiam. *Ratio*, quatenus eſt ſimilitudo rerum in intellectu: *Sapientia*, quatenus eſt ipſius agentis perfectio, qui ſapienter operatur. *Species*, in quantum eſt medium cognoſcendi: *Paradigma*, quatenus ſecundùm reſpectum eius ad res Deus operatur; venit enim à *Para*, 2 quod eſt *iuxta*, & *Digma*, quaſi *docens operari.* Dicitur etiam à Platone in Tymeo. *Mundus Archetypus* ab *arches*, quòd ſignificat princeps, & typus exemplar. Dicitur etiam *Liber vitæ*, quatenus in Ideis omnes habent vitam, vt dicitur Ioan.1. *Quod factum eſt in ipſo vita erat.* Ita S.Bonau. *loc.cit. Compend. & in* 1. *d.*6. *quæſt.*3. *in corpore*, *& ad* 4.

SERAPHICVS *loc. cit. Compend.* docet, Exemplar, quod eſt ratio operandi Deo, eſſe Deum, quatenus eſt forma, ad cuius ſimilitudinem res fiunt: Ideam verò dicere cauſam efficientem conformem effectui; & hanc eſſe Deum, qui eſt omnium rerum principium. Hæc autem ait ità differre, vt Exemplar ſit vnum, quia hoc connotat cauſalitatem; cauſata verò, in cauſa ſunt vnum. Sed Ideæ ſunt plures, quia dicuntur reſpectu rerum. Arbitror velle dicere, Deum dici exemplar, quia eſt primum directiuum operis, agens

agens ſecundùm artem ad ſui ſimilitudinem: at Idea eſt directiuum immediatum, ſecundum cuius immediatam, & propriam, formalemque ſimilitudinem formatur opus indiuiduum ſingularum creaturarum:
4 vnde Ideæ multiplicantur. Sit *exemplum*. Si Cæſar pictor vellet depingere ſe: ipſe eſt exemplar primum directiuum; Idea verò eſt ſimilitudo ſui, quam è ſpeculo accepiſſet. Itaque pictor eſt cauſa efficiens, & exemplaris, ſeu primum directiuum, Idea verò ſui eſt immediatum directiuum. Hanc diſtinctionem indicauit Amicus *tom.*1. *d.*23. *num.*13. quam immeritò deridet Arriaga *de Scientia Dei*, *d.*23. *ſect.*1. At verò Maſtrius *d.*3. *quaſt.*2. *num.*43. dicit, quod ſi Amicus per exemplar intelligit exemplar externum: Ideam verò pro interno, non eſt deridendus. Satius verò explicatum eſt ſuprà, vt ita ad rem noſtram applicetur; nam in Deo non eſt exemplar externum, & Idea interna; ſumuntur tamen etiam pro eodem, vt infrà.

5 Divina Idea definitur à D. Auguſt. loc. cit. *Eſt forma ſeu ratio, & exemplar æternum immutabile, ad quod reſpiciens Deus producit res ſimiles.* Ità quoque definitur à D. Bonau. argumento, *ſed contra*, & ferè à Scoto *d.*35. *quaſt. vnica*, §. *Ad iſta*, ex Auguſtino.

6 Hinc Ideæ Diuinæ conditiones quatuor enumerat S.Bonau. Prima eſt, vt ſit forma, non componens rem; ſed ſimilitudo rei faciendæ, à qua profectò debet eſſe diſtincta, vt notat etiam Caſpenſis *tract. de Diu. attrib. d.*12. Eſt autem forma analogicè, vnde non conſtituimus quinque genera cauſarum, vt putat Suarez apud Nazarium, *contron. vnica* contra ſextam concluſionem.

7 Secunda eſt, vt ſit quid æternum, immutabile. Per hoc omnia creata à ratione Diuinæ Ideæ excluduntur.

8 Tertia, vt ſit principium rei obiectiuum, in quo res cognoſcatur, tanquam in ſibi ſimili, quodque & ipſum cognoſci debet; nam reſpiciendo ad ipſum res efficitur, & ob id eam ſpeculo comparat S. Bonau. qui idem habet *in compend. loc. cit.* Per quod excluditur ſpecies intellectiua, quæ non eſt ratio cognita ſecundùm probabilem opinionem, licèt & oppoſitum probabile ſit, eſſe ſcilicet principium formale, atque etiam obiectiuum, vt dixi *d.*11. *quaſt.*23.

9 Quarta conditio eſt, vt ſit principium operationis per modum exemplaris; quandoquidem ad eius ſimilitudinem res debet effici. Eaſdem conditiones accipit Valentia *d.*1. *quaſt.*15. *p.*1. Caſpenſis *loc. cit.* qui addit, Ideam eſſe & practicam, & Speculatiuam. Nam exprimit omnia poſſibilia; at verò vt exemplar ſolùm exprimit futura. Sic docet D. Bonau. *d.*35. *q.*1.
10 *&* 5. atque adeò exemplar eſt ſolùm practicum, id eſt ſolùm earum rerum, quæ faciendæ ſunt, vt habet S.D. *d.*35. *quaſt.*4. *arg. vltimo*, & *d.*6. *quaſt.*3. *in corp.* vbi ait. Creaturas emanare à Deo, vt exemplatum ab exemplari. Et ſic exemplar importat cauſalitatem formalem reſpectu exemplati; at verò Filius manat vt ratio exemplandi; vnde dicitur à D. Auguſt.6. de Trin. cap.10. *Ars plena omnium rationum viuentium.* Hinc ortum eſt dictum. Qui negat Ideas eſſe, negat Filium Dei. Idem habet S. Bonau. *in* 3. *d.*11. *quaſt.*5. & in hac diſtinctione Ideæ ab exemplari, conſentiunt alij plaudentes, vt accinit Suarez *l.*3. *de attrib. poſit. cap.*5. Vaſquez *d.*74. *cap.*1. D.Thom. *quaſt.*15. *art.*3. Tanner. *d.*2. *quaſt.*9. *dub.*1.

Assero primò, dari Ideas Diuinas.

11 Probatur primò à D. Bonau. *fund.* 1. ratione ducta è D.Auguſt. *tract.*1. *in Ioan.* quam S. D. *in comment. eiuſdem capitis* proſequitur. Omne agens rationabiliter per intellectum, & voluntatem, habet ſimilitudinem rei faciendæ. Sed Deus eſt talis Artifex. Ergo. Eandem rationem ſæpè refricat *d.*35. & *loc. cit. compend.* quam amplectuntur communiter, Suarez *loc. cit.* Valentia *ad art. cit. D. Th.* Vaſquez *d.*71. Tanner. *loc. cit. num.*2. & alij, poſt D. Th. Maior probatur. Nam hæc eſt differentia inter agens naturale, & rationale; quòd naturale agit, motum ab alio; & ità non habet exemplar, per quod agat; ſed agens rationale, agit motum à ſe per rationem, quam habet in ſe.

Probatur ſecundò à D. Bonau. & confirmatur 12
ſuperior ratio. Nam mundus non eſt creatus caſu, ſed electione, & ſapienter; in omnibus autem, quæ caſu non fiunt, forma eſt finis generationis rei; omne autem tale agens habet ſimilitudinem formæ intentæ, vel ſecundùm eſſe naturale, vel ſecundum eſſe intelligibile; ſed res, antequam ſint creatæ, nequeunt habere eſſe naturale. Ergo habent eſſe intelligibile, & Ideale in mente Dei.

Probatur tertiò à S.D. *fund.*3. Omne, quod 13
ducit in cognitionem alterius, habet in ſe ſimilitudinem illius, vel ipſum eſt rei ſimilitudo. Sed ſpeculum æternum ducit in cognitionem omnium creatorum è D. Auguſt. 11. *de ciuit. cap.*29. Ergo ſunt in eo ſimilitudines rerum. Sed ſic eſt, quod ſunt in eo, vt cognoſcente, quia non ſolùm aliis eas repræſentat, ſed multò magis ſibi: Ergo. Sed hæc eſt Ideæ ratio: Ergo.

Alias rationes vide in Seraphico, & Trigoſio *quaſt.*11. *art.*1. *dub. vnico.*

Assero ſecundò, has Ideas eſſe ipſum Deum.

Probatur primò à D. Bonau. *loc. cit. Compend.* 14
& *ad cap.*1. Ioan.1. *Quod factum eſt in ipſo vita erat.* quod egregiè ibi proſequitur S. D. poſt D. Auguſt. Malè tamen ait Trigoſius *loc. cit.* ab omnibus Patribus hunc locum de Ideis exponi, nam ab aliquibus aliter exponitur, vt benè aduertit Suarez *num.*3. Aſſerit quidem D. Auguſt. *l.*83. *qq. quaſt. cit.* impium eſſe negare Ideas modo dicto. Vide S Dionyſ. *cap.*5. *de diu. nom.* ita autem exponentes reſeram *d.*15. *quaſt.*3.

Probatur ſecundò à D. Bonau. *in corp. hic.* In 15
cognoſcente, qui eſt purus actus, & ſibi ratio cognoſcendi, ſuaque cognitio ſimpliciſſima, neque ab alio poteſt actuari, & perfici, vel informari, & inſtitui; debet idea eſſe idem cum eo. Talis eſt Deus. Ergo.

Probatur tertiò à D. Bonau. *quaſt.*2. *in fundamentis*; primò ex D.Auguſt. *lib. de Trin.* ſuprà adducto, vbi ideas vocat Filium Dei.

Deinde. Id, quod eſt perfectius, Deo eſt attribuendum. Sed perfectius eſt vno, & ſe ipſo poſſe cognoſcere omnia: Ergo.

Præterea id probat. In omni genere cauſæ ſiſti- 16
tur in vno ſimplici, maximè in genere efficientis, & finalis, ex Ariſtotele 2. *Phyſ.* t.68. Ergo & in genere Ideæ, & exemplaris debet deueniri ad vnum ſimplex, quod non ſit ab alio. Ergo debet eſſe quid increatum: nam ſi eſſet Idea creata, deberet eſſe creata ad exemplar alterius; & hæc alterius; & ſic in infinitum. Ergo deueniendum eſt ad primum, quod ſit Idea, & exemplar increatum: Ergo debet eſſe Deus. Hoc argumento vtitur etiam Suarez, vbi ſuprà.

Hic multi afferunt errorem Vuiclephi dicentis, creaturas ab æterno fuiſſe in Deo, & fuiſſe Deum. Verùm Suarez arbitratur *num.*5. hunc Hæreticum lapſum potiùs ex ignorantia in explicatione, nominando creaturas, eas, quæ ſunt idealiter in Deo, cùm ibi ſint tantùm obiectiuè, & hoc perſuadetur; quia in Concilio Conſtantiæ *ſeſſ.* 18. vbi errores Vuiclephi damnantur, nihil de hoc dicitur. Idem iudicat

de

de Vuiclepho Vualdenſis *tom.* 1. *cap.* 5. *&* 8. & Vaſquez *d.* 70.

Multò minùs verum eſt, Scotum virum ſanctum & egregium catholicum, in errorem Vuiclephi eſſe lapſum, vt oſtendam *quæſt. ſequenti.*

17 S.BONAV. *in* 2. *d.* 1. *p.* 1. *quæſt.* 2. *ad* 3. dubitat: An Plato ſenſerit de Ideis eo modò, quo ei adſcribit Ariſtoteles, dari Ideas abſtractas extra Deum, & extra res omnes. Reſpondet, ſi hoc dixit, erraſſe. Nam formæ rerum extra Deum à ſingularibus ſeparatæ, nihil omninò faciunt ad operationem, neque ad cognitionem. Attamen Vaſquez *d.* 71. *cap.* 1. cenſet cum aliis, Ariſtotelem falsò eam Platoni adſcribere ſententiam, & hoc videtur ſentire etiam D.Bonau. *ibi* cum D.Auguſt. *l.* 83. *qq. quæſt.* 46. vbi eum ſequitur. Ipſum verò Platonem ponere Ideas in mente Diuina conſtat è D. Auguſt. 12. *de ciu. cap.* 26. Quod ſi res ità ſe habent, malignè Ariſtoteles 1. *Met. cap.* 5. eam adſcribit Platoni ſententiam de Ideis ſeparatis, quarum participatione ſingularia producantur. Fateor tamen, multos Patres magni nominis eam ſententiam Platoni inurere. Ideò Seraphicus rem hanc indefinitam relinquit.

QVÆSTIO II.

An Ideæ ſint res creatæ obiectiuè in mente Diuina: An verò ipſa Dei eſſentia.

QVAMVIS hucvſque oſtenderim, Ideas in Deo eſſe, eaſque eſſe Deum, dixerim, quia quicquid eſt in Deo, eſt ipſe Deus; attamen videndum eſt, quidnam præcisè in Deo dicatur Idea, maximè propter Scotiſtas, qui Ideas à Deo diſtinguunt, & ſanè aliqui realiter, non obſtante quod Scotus *d.* 35. *q.* 1. hac ratione oſtenderit illas eſſe Deum, vt referunt Corjolanus, Vtinenſis, & alij infrà citandi.

18 PRIMA opinio eſt, Ideas creatarum rerum propriè, & formaliter ſumptas, eſſe ipſaſmet creaturas in eſſe cognito, vt factibiles: adeò vt obiectiuè tantùm in Diuina intelligentia contineantur, tanquam reales conceptus obiectiui. Ità Scotus 1. *d.* 35. *quæſt.* 1. §. *Ad iſta*, quem ſecuti ſunt Nominales. Durand. 1. *d.* 36. *quæſt.* 3. Alliacenſis 1. *quæſt.* 6. *art.* 3. Baccon. 1. *d.* 6. *art.* 1. & Scotiſtæ ibidem, Tartaret. Lichet. Vigerius, Bargius, Faber, Sghemma 2. *Phyſ. digreſſ.* 14. *quæſt.* 5. Conſentit Auerſa *quæſt.* 15. *ſect.* 3. Arriaga *d. cit.* 23. *ſect.* 2. Vulpes *d.* 29. *art.* 6. Maſtrius *d.* 3. *quæſt.* 2. Poncius *tom.* 3. *Curſu Phil. d.* 18. *quæſt.* 5. Eandem ſententiam probabilem cenſet Maior *d.* 35. *q.* 1. Richard. *d.* 36. *art.* 2. qui tamen concedit etiam, eſſentiam eſſe Ideam, quod pariter concedit Durand. & Alliac. qui addunt, eſſe Ideam imperfectam analogicè rebus aſſimilatam, non vniuocè. Hanc ſententiam Peſantius ad hunc articulum, & Suarez *d.* 25. *Metaph. ſect.* 2. adſcribunt D. Thom. *de Ver. quæſt.* 3. *art.* 3. Alios adducit. Sequiturque Macedo *collat.* 9. *Differ.* 2.

Quoniam verò aliqui Thomiſtæ de hac Scoti ſententia malè ſentiunt, ita vt ad errorem Vuiclephi trahant; videndum eſt, quid adamuſſim ſentiat.

19 DOCET igitur Doctor ſubtilis *loco adducto*, Deum primò intelligere eſſentiam ſub ratione merè abſoluta. Hinc producere creaturas in eſſe intelligibili, ideſt intelligere creaturas, & inſurgere relationem in creatura intellecta, & terminari ad Diuinam intellectionem. Hoc verò intelligibile creaturæ vocat eſſe cognitum; eſſeque diminutum eius, aitque hoc eſſe intelligibile, ſeu cognitum creaturarum eſſe Ideas. Ita deſcribit ſententiam Scoti Fauentinus *d.* 51. *cap.* 4. Macedo *collat.* 9. *Differ.* 2. *ſect.* 4.

PER hoc autem eſſe diminutum non intelligit Scotus ens quoddam medium inter ens reale, & rationis, 20
vt ei inuunt Bannes, Caiet. Zumellus cum eo, & Pennottus *l.* 3. *cap.* 1. quorum interpretationi ſubſcribit Poncius, quem latè corrigit Maſtrius *d.* 3. *quæſt.* 2. *art.* 2. Sed per eſſe diminutum intelligit ipſum eſſe poſſibile creaturarum, quòd ab æterno creaturæ habent in ſeipſis quidem formaliter, non tamen à ſe ipſis, ſed principiatiuè ab intellectu Diuino, quod Doctor eſſe diminutum vocat, & ſecundùm quid rerum, & ab intellectu diuino productum, vt illud diſtingueret ab eſſe reali ſimpliciter, quod poſteà in tempore recipiunt per veram, & phyſicam productionem; & appellat eſſe cognitum; non quia ſit ſolùm ens rationis materiale, & derelictum, aut ſola extrinſeca denominatio ex terminatione Diuinæ cognitionis in creaturis derelicta, ſed quia eſt illud ipſum eſſe creaturarum non ſimpliciter, & abſolutè ſumptum, ſed quatenus ſubſtat Diuinæ intelligentiæ, & ex eius terminatione denominatur à paſſiua cognitione cognitum; ſicut paries è terminatione viſionis denominatur viſus. Et hoc modo creaturas ab æterno cognitas quilibet Theologus concedere tenetur ea certitudine, qua cogimur fateri, Deum ab æterno creaturas cognouiſſe, vt benè inquiunt Suarez *d.* 31. *Met. ſect.* 2. & Auerſa *quæſt.* 14. *ſect.* 9. apud Maſtrium *num.* 52. qui tamen ibidem non timet aſſerere, Ideas eſſe realiter realiter ab eſſentia Diuina diſtinctas, vt Bannes inurebat Scoto; & increpat Fabrum, vt timidiorem, qui noluerit hoc Thomiſtis concedere.

VERUM non rectè agit neque in Theologia; vt 21
oſtendam; neque ad mentem Scoti, qui hanc diſtinctionem omninò nunquam poſuit, vt vidit Corjolanus *quæſt.* 15. *art.* 1. *fol.* 161. vbi allegat Scoti verba, negantis hanc diſtinctionem.

P.MACADO, ſapiens ænigmatum Oedippus, huc pulſus, adactuſque ſoluere pauens ſibi animos addit, & tandem reſoluit. Eſſe cognitum, eſſe quidam poſſibile, virtuale, eminens, nihil habens reale eſſentiæ, vel exiſtentiæ, capax eſſendi tamen actu; eſſeque rationes obiectiuas cognitas in Dei eſſentia, atque adeò contentas non in eſſe caduco, ſed in eſſe Diuino immortali, quod habent intra Deum. Ità ſunt cum eo idem realiter præcisâ omni creatâ entitate, quam antecedunt, & per iſtam cognitionem producuntur in eſſe obiectiuo intelligibili, & fiunt quaſi fœtus, & partus Diuinæ cognitionis, intra quam manent, & viuunt. Quamobrem multò ſunt ibi meliores, quàm in ſuo eſſe reali; dici verò ens imminutum comparatiuè ad diuinam eſſentiam, reſpectu cuius eſt ens ſecundùm quid. Inſuper reſpectiuè ad eſſe rerum, quod eſt finis illius eſſe cogniti, habentis eſſe inchoatum. Hæc textibus Scoti exhibens concludit, has eſſe veras à Platone, & Patribus deſcriptas Ideas.

OPPOSITA verò ſententia eſt. Diuinam eſſentiam eſſe Ideam. Hi tamen vario modo explicant, in quo formaliter eſſentiæ, ſit ratio Ideæ.

PRIMVS modus eſt, Ideam eſſe ipſum actum in- 22
telligendi, quo Deus concipit creaturam factibilem, ſicuti cauſa Idealis in vniuerſum eſt conceptus formalis in mente artificis. Citantur Alenſis *p.* 1 *quæſt.* 23. *m.* 4. *art.* 1. D. Bonau. *in* 1. *d.* 35. *quæſt.* 1. Capreolus *d.* 36. *quæſt. vnica*; ſed falsò, vt notant Smiſing. *tract.* 3. *d.* 2. *quæſt.* 7. *num.* 200. quia potius docent, Ideam Diuinam eſſe conceptum obiectiuum. Eam tamen ſuſtinent multi moderni dicentes, Eſſentiam Diuinam eſſe

Ideam,

Ideam, prout eſt cognitio, verbum, ſimilitudo, ſiue ſpecies expreſſa creaturarum. Ita Suar. *d.35. Metaph. ſect.1.* Tanner. *d.2. quæſt.11. dub.1. num.6.* allegans Seraphicum; Vaſquez *p.1. d.72. cap.1.* Amicus *d.23. concl.3.* Herera *in 1.d.16. quæſt.1.* & alij *p.1. quæſt.15.* Morand. *tract.3. in Apen. quæſt.1.* Mætac. *d.30.* imò Vaſquez, eſto concedat in artifice creatu conceptum obiectiuum habere rationem Ideæ; id tamen negat in Deo. Quia ille in operando non poteſt imitari ſuum conceptum, ſed ſulùm aliquod exemplar externum, eò quòd conceptus huius artificis ſolùm confusè repræſentet opus futurum; Diuina verò cognitio omninò diſtinctè, atque perfectè repræſentat opus faciendum, atque opus factum. Ideóque ad eius cognitionis imitationem immediatè, & abſque recurſu ad aliud exemplar, Diuinum opus perfici poteſt. His adde Ludouicum de Ribas *tract.4. d. vn. cap.1.* vbi adducit Seraphicum *1.d.35. quæſt.1.* diuerſum à S. Thoma. At Tanner. *d.2. quæſt.11. dub.1. num.6.* allegat D. Bonau. & D.Thomam.

23 SECVNDVS modus eſt, Ideam eſſe eſſentiam Diuinam, prout continet eminenter creaturas per modum cauſæ æquiuocæ; & prout directè cognoſcitur ab intellectu Diuino ſub diuerſis reſpectibus imitabilitatis à creaturis. Hæc eſt ſententia D. Thomæ *p.1.quæſt.15. art.2.* quem ſequuntur ibidem, Bannes *concl.3.* Zumell. *d.2.* Nazar, *concl.2.* Gonzal. *d.47. ſect.2.* Valentia *p.2.* Molina *d.2* Lezana *tract.4. d.4.* de Ideis *quæſt.2.* Faſol. *p.1. quæſt.15. art.1.* & alij Thomiſtæ ibidem, Auerſa *quæſt.15. ſect.4.* Caſpenſ. *d.12.* Arrubal *ad quæſt.15.*

24 TERTIVS modus eſt, rationem Ideæ obiectiuè conuenire eſſentiæ Diuinæ, prout obiicitur illi imitabilis à creaturis; cognitionem verò Dei eſſe Ideam formalem, vt terminat ad eſſentiam ſic viſam. Ita Granado *p.1. tom.1. tract.7. d.2. ſect.3.* adducinit & Molina *quæſt.15. art.1. d.1.* à Riba. Sic & multi Recentes. Poſnan. 1. *d.35. d.3.* Smiſing. *loc. cit. n.108.* nec abeſt Valentia *puncto citato.*

RICHARDVS verò *d.36. art.1. quæſt.1.* vult, Diuinam eſſentiam eſſe Ideam, vt eſt imitabilis tantùm, non vt cognita imitabilis, & ità omnes conceptus excludit. Denique Baſſolis *ibidem*: etſi Scotiſta, ait tamen, rationem Ideæ primò eſſentiæ Diuinæ conuenire, participatiuè verò creaturis cognitis. Raynaudus verò *d.1. quæſtione 2. art.3.* ait. Eſſentiam Diuinam eſſe Ideam remotè: proximam verò primariam eſſe creaturam, prout obiectiuè in mente Diuina lucet: proximam verò ſecundariam eſſe cognitionem Dei practicam, operis directiuam.

25 QVOAD Seraphicum, arbitror, eum eſſe cum authoribus ſecundi modi, vt oſtendi *d.13. quæſt.5.* ipſe enim cenſet, eſſentiam eſſe Ideam, prout eſt cauſa creaturarum cognita.

Cotjolamus nititur Seraphicum ſic Scoto conciliare. Ideam, nempè ſumptam identicè, eſſe Diuinam eſſentiam, vt dicit S.D. cum S.Th. formaliter verò eſſe *eſſe* obiectiuum, vt docet Scotus, ſeu eſſe cognitum. Hæc tamen diſtinctio inepta videtur. Nam ſic materialiter tantùm eſſentia Diuina eſſet Idea: formaliter verò non eſſet conceptus obiectiuus eſſentiæ. prout dicit potentiam ad omnia poſſibilia, vt vult S.Bonau. ſed tantùm eſſet creatura obiectiuè in mente Dei, ſeu in eſſe cognito, vt vult Scotus. Quare nobilis hic Commentator Seraphicum in ſenſu formali refellit, vel ad Scotum trahit inuitum.

Ioannes Maria Zamorus *tract. 5. quæſt.2. art.3. ſect.3.* primò, grauiter reprehendit Maſtrium, alioſque dicentes, Scotum diſtinguere Ideas realiter à Diuina eſſentia, imò oppoſitum Scoti verbis refert *ſect.1. num.14.* & *ſect.3. num.35.* Hinc progreditur dicens, Scotum nihil aliud aſſerere, quàm, quod aſſerunt D Bonau. & D.Th. nempè Ideas eſſe Diuinam eſſentiam, non abſolutè, ſed vt cognitam. Et ideò in formali ideatum ratione contineri cognitionem. Hanc ipſe opinionem ſequitur.

EANDEM verò eſſe D. Bonau. ſententiam *num.28.* 26
ait, quia D. Bonau. *in 1. d.35. quæſt.1.* dicit, Ideam eſſe rei cognitæ ſimilitudinem, pariter & rationem cognoſcendi.

Aduertit verò *num.40.* Seraphicum, dum ait, creaturarum Ideam eſſe Diuinam veritatem, illum, veritatis nomine intelligere eſſentiam; verùm ſub ea ſolùm ratione, qua cognita eſt, ſeu vt eſt in Diuina intelligentia.

At longè à Scoti ſenſu abeſt. Nam Scotus *d.35. quæſt.1.* negat, Ideas formales eſſe intelligendi rationes; quaſi obiecta prima, & mouentia intellectum; ſed ſolùm, vt ſunt obiecta ſecundaria, terminantia intellectum. Hinc colligo, non eſſentiam, vt cognitam, quæ eſt obiectum primarium Diuini intellectus, apud Scotum; ſed creaturas in eſſe cognito, quæ ſunt obiectum ſecundarium, eſſe Ideas: & nullus Scotiſtarum, aut aliorum illo modo exponere Scotum valuit.

TRIGOSIVS *quæſt.11. art.3. dub.1.* refert S. Bonau. 27
cum authoribus primi modi ſecundæ ſententiæ, eò quòd dixerit vbique, Ideam eſſe ſimilitudinem expreſſam, per quam res cognoſcitur, & producitur. Hæc autem eſt verbum mentale, ſiue aſſeratur eſſe ipſa cognitio; ſiue terminus per illam productus.

HOC tamen eſt omninò contra mentem D. Bonau. qui, cùm doceat, Deum primò videre creaturas in Ideis, vt dixi *d.13. quæſt.6.* non poteſt aſſerere, Ideam eſſe ipſam cognitionem, quæ ſecundùm aliquos eſt Verbum, & multò minùs poteſt eſſe Verbum, ſecundùm noſtram ſententiam, qui dicimus eſſe expreſſum è cognitione, vt notat Suarez *l. 3. de attrib. cap.2. num.17.* Nam Idea præſupponitur primæ cognitioni, & termino eius, ſecundùm D. Bonau. ſententiam. Deinde Seraphicus *quæſt. 3. ad 2.* expreſſè negat, Ideam eſſe Verbum. Et *quæſt. 2. ad 3.* negat, eſſe ſimilitudinem impreſſam, vel expreſſam, licèt exprimat. Itaque non eſt idem de Idea artificis creati, & Dei, vt putant Suarez *loc. cit.* Ribas *num.4.* P. Galirius *p.1. Phil. de cauſa Ideali*; nam Idea in mente artificis eſt merè conceptus formalis. Sic Ariſtoteles *7. Metaph. t.23.* ait: *Ab arte autem fiunt, quorum forma eſt in anima.* Secundò, quia agens artificiale ponitur in actu per formam artificialem; ſicut naturale per formam naturalem. Sed conceptus obiectiuus non informat animam. Confirmatur: Nam artifices, primi rerum inuentores, formarunt ſibi Ideas rerum, quas non viderant; at verò Idea in Deo eſt ipſa eſſentia Dei, ſanè vt intellecta. En ratio diuerſitatis, quam Ribas ignorat.

HINC habes, malè pro hac ſententia adduci D. 28
Bonau. à Vaſquez & à P. Galirio, qui allegat eum *in 2. d.1.p.1. quæſt.1. ad 3.* vbi ſolùm aſſerit, Ideam non eſſe ipſam rem; neque aliquid eius reale; neque eſſe extra mentem artificis; non dicit autem, eſſe aliquid mente formatum, & in ipſa mente ſubiectatum, vt patet legenti.

Pergit Vaſquez notandum eſſe ex Bonau. *loc. cit.* 29
d.35. quæſt.1. corp. & ad 2. triplicem poſſe dari inter aliqua duo ſimilitudinem. Prima eſt communicationis vniuocæ in natura, & hæc non poteſt eſſe inter Deum, & creaturam. Secunda eſt imitationis analogicæ. Et talis eſt inter Deum, & creaturas. Tertia eſt ſimilitudo ſecundùm expreſſionem, qualis eſt inter ſpeciem ſenſibilem, vel intelligibilem; & obiectum,

&

& quantò perfectior eſt ſpecies : tantò perfectiùs repræſentabit obiectum ; cúmque Deus perfectiſſimo modo intelligat res quidditatiuo conceptu, fit, vt eius eſſentia, quæ eſt ipſi cognitio, & ſpecies expreſſa creaturarum (ait Vaſquez) perfectiſſimo modo eas repræſentet. Eandem notationem Vaſquez, è D. Bonau. ponderat Arriaga *p.* 1. *d.* 23. *ſect.* 3.

30 Hoc tertiò modo, ſimilitudo eſt ratio cognoſcendi. Et hæc dicitur Idea. Addit verò, quòd diuerſo modo ſe habet in nobis, & in Deo: In nobis enim ratio cognoſcendi eſt ſimilitudo ; & res cognita eſt veritas. Nam in nobis eſt ſimilitudo accepta, & impreſſa ab extrinſeco propter hoc, quòd intellectus noſter reſpectu cogniti eſt paſſibilis ; & non actus purus. Ideò ponitur in actu per aliquid cogniti, quod eſt ſimilitudo eius. In Deo autem eſt è conuerſo, quia ratio cognoſcendi eſt ipſa veritas ; ideſt Deitas : & cognitum eſt ſimilitudo veritatis, ideſt ipſa creatura, quæ dicitur ſimilitudo diuini eſſe : tum quia fit ad ſimilitudinem eius ; tum quia comparata ad Diuinum eſſe, non habet eſſe, & quia ratio cognoſcendi conſiſtit in ipſa veritate prima. Ideò ratio cognoſcendi in Deo eſt ſummè expreſſiua. Et quoniam omne id, quod ſummè exprimit, perfectiſſimè aſſimilat cognitum, aſſimilatione competente cognitioni, ideò patet, quòd ipſa veritas ex hoc, quòd facit cognoſcere, eſt perfecta ſimilitudo expreſſiua, & Idea. Hanc diuerſitatem hinc didicit Vaſquez, quam falsò negat Ribas.

En S. D. non in aliquo verbo expreſſo ; ſed in ipſa Diuina eſſentia, quam vocat primam veritatem, expreſſionem, ne dum expreſſiuam, ponit rationem Ideæ. Itaque S. Dionyſ. eſt cum ſecundo modo D. Thomæ.

31 Fundamentum primum è D. Bonau. *d.* 35. *q.* 1. *corp.* & *ad* 2. & D. Thom. 1. *d.* 36. *quæſt.* 1. *art.* 2. *ad* 3. eſt : Diuina eſſentia habet quidem tantùm eminenter creaturarum perfectiones, eò quòd creaturæ in formalitatibus ſuarum perfectionum contineant intrinſecè imperfectiones. Sanè creaturas in ſuo eſſe formali eſſe imperfectas, omnibus comperium eſt. Ex eo enim, quòd vnaquæque res ſub determinato genere clauditur contracta ad determinatam ſpeciem, ſortitur ſuam formalitatem : Sapientia, V. g. quæ, prout eſt cognitio, eſt in Deo, participatur à creatura, vt contracta ad prædicamentum qualitatis, & ad ſpeciem habitus. Hæ autem formalitates ſuper ſapientiam Diuinam includunt tantùm perfectiones. Nam quicquid eſt in ea perfectionis ſimpliciter reperitur in Deo. Hinc Intellectus Diuinus, qui eſt Lux infinita, contemplando Diuinam eſſentiam, quæ eſt infinitis modis participabilis, comprehendit in ea, quo gradu vnaquæque creatura participet ; & quid illi deficiat : quot modi multiplicentur ; & in modis comprehendit defectus participationis, qui in formalitatibus continentur. Nam comprehendit, quicquid deficiat perfectionis, & in hoc, & illo modo, V. g. in ſapientia, accidente, qualitate, habitu, &c. Et ſic reſpiciendo eſſentiam, videt perfectiſſimè formalitates rerum, quæ ſunt Ideæ, quatenus non ſolùm cognitæ ſunt ; ſed ab intellectu ordinabiles, vel ordinatæ ad opus, vt ſuprà dixi. Idea enim perfecta, non eſt ſimplex imago rei ; ſed imago ordinabilis ad opus ab agente per intellectum, cui præſto eſſe debet Idea, vt ſine errore operetur. Hoc tamen non videtur ſatis.

32 Fundamentum ergo ſecundum ex dictis *d.* 13. *quæſt.* 6. Diuina eſſentia includit in ſuo conceptu formali etiam omnipotentiam, quæ omnes præcisè rerum formalitates poteſt condere. Itaque Diuinus intellectus infinitus, comprehendens omne ſcibile, vt ſuprà *d.* 13. *quæſt.* 2. *& ſequentibus*, oſtendi, reſpiciens in ſe, videt quid participabile de eminenti ſua entitate poſſit creatura accipere, & quid ei deſit in formalitatum imperfectionibus, quas ſanè formalitates in Diuina omnipotentia diſtinctiſſimè videt expreſsè. Et hoc eſt, quod vult Granado apud Arriagam, & Maſtrium, dum ait. Diuinam eſſentiam, quatenus oſtendit modum, quo debeat res producere, eſſe earum Ideam. Ex his ruit penè pale fundamentum Durandi, Scoti, aliorumque, qui nequeunt percipere, quo pacto in Diuina eſſentia creaturæ formaliter percipiantur, & audent dicere ; Diuinam eſſentiam eſſe Ideam imperfectam creaturarum ; eò quòd non formaliter ; ſed eminenter tantùm creaturas continet ; & ſoluitur marmoreum illud fundamentum, circa quod, nos deſudare clamant Scotiſtæ.

Hinc quoque appareat, quàm inepta ſit Vaſquez ad hoc ſimilitudo *d.* 72. *cap.* 1. vbi ſic diſcurrit. Quod ſicut videns Solis lucem, non habet Ideam caloris, eò quòd eminenter ſolùm continetur in luce : ita in propoſito, Deus non habet Ideam creaturarum, quia in Deo ſunt creaturæ tantùm eminenter. 33

Reſpondetur enim, quòd ſicut intellectus, comprehendens lucem, & virtutem eius, videret etiam calorem formaliter, qui in participatione lucis diffundi poteſt : ità in propoſito noſtro, vt dixi.

Habetur etiam, ſolam nudam eſſentiam, vt imitabilem, non eſſe Ideam, vt volebat Richardus. Nam Idea dicit ordinem ad intellectum artificis, vt poſſit eâ vti ad opus. 34

Habes quoque, nos non admittere, Diuinam eſſentiam contemplando producere Verbum creaturarum, quod infrà oſtendam ; in eſſentia enim Diuina comprehenſa, expreſſæ videntur ſatis creaturæ. Imò non benè olet, ponere aliquid productum in eſſentia ; alioqui debebit eſſe diſtinctum ab intellectu producente realiter ; vt mox dicam. 35

Habes tandem, nos non incidere in opinionem Scoti, vt putat Vaſquez & Arriaga, non enim dicimus, Ideas eſſe creaturas in eſſe cognito, productas per intellectionem, ſed ipſam eſſentiam formaliter cognitam. Imò dico, Vaſquez potius in Scoti ſententiam labi, vt probat Fauentinus *cap.* 3. nam verbum illud eſt *eſſe cognitum* Scoti.

Aſſero primò, Diuinam eſſentiam eſſe Ideam perfectam creaturarum. 36

Hæc aſſertio probata eſt *diſp.* 11. *quæſt.* 23. & *diſp.* 13 *quæſt.* 6.

Probatur primò à S. Bonau. *d.* 35. *quæſt.* 1. *fund.* 1. è D. Auguſt. *l.* 83. *qq. quæſtione* 46. vbi ait : *Exiſtimare Ideas eſſe aliquid extra Deum, ſacrilegium eſt*. Et pergit dicere, in Diuina mente nihil eſſe, niſi æternum incommutabile, & Idearum viſione, animam fieri beatiſſimam, vt retoli *locis adductis*.

Alia adſcribit Ideis D. Auguſt. *tract.* 1. *in Ioan.* ad ea verba : *Quod factum eſt, in ipſo vita erat*, nempè res omnes, etiam ſaxa, perfectiſſimè viuere in Deo ; eò quòd ibi habent Ideas, quæ ſunt ipſa Diuina mens. Et 6. *de Trin. cap.* 10. ait : *Vna eſt prima, & ſumma Vita ars quædam omnipotentis, atque ſapientis Dei, plena omnium rationum viuentium incommutabilium, & omnes vnum in ea*. Ità refert, & probat S. Bonau. *ad cap.* 1. *Ioan.* Ibi quoque refert D. Anſelmum *in Monol. cap.* 38. vbi ait. *Res, prout ſunt* 37

in Deo, ſunt prima ipſa eſſentia, & prima eſſendi veritas. Refert etiam Chryſoſtomum *homil. 4. in Ioan. ante medium.* Alias quoque recenſet in quæſtionibus Sanctorum authoritates, vt D. Auguſt. 9. *de ciuit. cap. 20.* & *epiſt. 115.*

38 IDEM verbis magnificis oſtendit S. Dionyſ. *cap. 5. de diu. nom.* dicens: *Exemplaria dicimus in Deo exiſtentium rationes ſubſtantificas, & ſingulariter præexiſtentes, quas Theologia prædefinitiones vocat diuinas, & bonas voluntates, exiſtentium definitrices, atque effectrices, ſecundum quas ipſe ſuperſubſtantialis Deus, omnia, quæ ſunt prædefiniuit, atque produxit.* Ecce Ideas vocat rationes ſubſtantificas Dei, & Diuinas voluntates.

NAZARIVS *ad quæſt. 14. art. 1. controu. vn. ad 10. concluſionem*, recitat è S. Dion. verba illa ſic. *Quas Theologia prædefinitiones vocat, & bonas voluntates prædeterminatiuas.* Sed malè, vt aquam ad molendinum rapiat ſuarum prædeterminationum. D. quoque Clemens Alexand. *l. 4. & 5. Strom.* aſſerit, Diuinam eſſentiam eſſe Ideam omnium rerum, Damaſc. *orat. 1. de Imag.* & Scholiaſtes Nazianzeni *ad orat. 33.* idem aſſerunt.

39 DENIQVE alij PP. recitati à Recentioribus, adſcribunt Ideis Diuina attributa, vocantes eas diuinas, æternas, incommutabiles. Ità Ambroſius, Cyrillus, Iuſtinus M. è quibus aliquos retuli *d. 13. quæſt. 7.* His authoritatibus vtuntur Vaſquez *d. 71. à num. 11.* Suar. *l. 3. de attrib. Dei poſit. cap. 5.* & latius *d. 15. Metaph.* Valentia *d. 1. quæſt. 15. p. 2.* Ribas *num 5.* & alij. Quare non verè Macedo *ſect. 3.* negat, dixiſſe Patres, in quo conſiſtant.

Reſpondet Faber *num. 30.* Sanctos Patres hoc ſolùm velle; Ideas eſſe eſſentiam Diuinam realiter, non tamen formaliter; illud verò *eſſe cognitum* Scoti differt ab eſſentia.

40 CONTRA primò, quia præter relationes nihil eſt à parte rei diſtinctum, vt oſtendi *d. 3. quæſt. 8.*

CONTRA Secundò, nam illud *eſſe cognitum*, eſt liberum, ideſt potuit non eſſe in Deo reſpectu creaturarum futurarum. Ergo ponunt aliquid in Deo contingens formaliter, vel realiter à Deo diſtinctum, quod SS. PP. deteſtantur, qui Ideas ipſas incommutabiles, Deique ſubſtantiam vocant.

Reſpondent Arriaga, & Maſtrius; Patres ſolùm negare Ideas aliquas æternas extra Deum exiſtentes in eſſe reali actuali, quales Plato aſſerebat.

41 VERVM præclarè aſſerunt, Ideas eſſe ipſum Deum, neque ſolùm negant eis *eſſe creatum* Platonicum; ſed dicunt: *Eſſe increatas Dei voluntates*, &c. Et Damaſcenus *conſilium eius æternum.* Vt diſcant Scotiſtæ eas, etiam decreta includere.

Reſpondet Arriaga *d. 23. ſect. 2.* Patres ſumere Ideas non obiectiuas, ſed earum cognitionem. Quo ſenſo dicitur Ioan. 1. *Quod factum eſt, in ipſo vita erat*; ideſt creaturæ cognitio in Deo erat vita. Idem habet Scotus §. *Ad iſta*, & Maſtrius *numero* 49.

CONTRA. Nam, ſi quod factum eſt, intelligitur cognitio Dei. Ergo ipſa facta eſt. Deinde nunquam Idea pro cognitione à Doctoribus ſumpta eſt, vt docet ipſe Arriaga *d. 23. ſect. 3. num. 17.*

42 PROBATVR ſecundò à D. Bonauent. *in corp.* Id, quod eſt ens ſimpliciſſimum, eſt ſibi cognitio, & cognitum, & ratio cognoſcendi. Sed Diuina eſſentia eſt ſimpliciſſima de fide. Ergo eſt ſibi cognitio, &c. Si autem ponamus, Ideas eſſe illud eſſe cognitum, diſtinctum formaliter à Deo; Ideæ autem ſint ratio cognoſcendi; ſequitur, eſſentiam Diuinam non eſſe rationem cognoſcendi ipſi Deo, atque adeò actuari, & reduci de potentia ad actum à creaturis per illud eſſe cognitum. Ergo ſequitur compoſitio in Deo. Conſeq. eſt Ariſtotelis *in Metaph.*

RESPONDET Maſtrius *num. 70.* è Scoto *d. 35. K*, Ideas eſſe rationes cognoſcendi, non motiuè, & principiatiuè, cùm talis ratio cognoſcendi ſit eſſentia; ſed tantùm terminatiuè, & ſecundariò. Sunt etiam rationes cauſandi, non effectiuè, ſed exemplariter tantùm; & quidem in Diuino artifice non cauſant practico modo regulando, & dirigendo actionem eius, cùm non egeat regulis Diuinus intellectus, qui eſt prima regula neceſſariorum; neque Diuina voluntas, quæ eſt prima regula contingentium. Vnde ſolùm ſpeculatiuè funguntur Ideæ ſuo munere repræſentando formaliter, per modum exemplaris, operabilia ad extrà Diuino intellectui, abſque vllo dictamine de *ſic*, vel *ſic* operando.

VERVM multa intermiſcet falſa. Et primò, quæ 43
veritate poteſt dicere, rationem motiuam, & principiatiuam cognoſcendi creaturas, eſſe Diuinam eſſentiam? Ratio principiatiua cognitionis eſt, vnde accipitur formalis cognitio rei; at eſſentia non eſt talis: Ergo. Minor probatur argumento Scoti, quod Maſtrius, & alij Achillem acclamant, nam eſſentia non habet, vnde oſtendat creaturas formaliter, cùm eas contineat ſolùm eminenter. Deinde, Ideas non cauſare modo practico, falſum eſt; nam D. Auguſt. & alij PP. ſuprà allegati, laxis fibris aſſerunt, Ideas eſſe practicas rationes, vt oſtendi etiam *d. 13. quæſt. 6.*

PROBATVR tertiò à S. Bonau. *quæſt. 2. fund. 3.* In 44
genere cauſæ, eſt deueniendum ad primam ſimpliciſſimam, & in ea ſiſtendum, ex Ariſtotele 2. *Phyſ. t. 68.* Sed Idea eſt vera cauſa: Ergo deueniendum ad primam. Sed prima non poteſt eſſe illud eſſe cognitum, imò potiùs eſt ratio ſecundaria. Ergo pergendum ad eſſentiam Dei, quæ ſit prima, ac ſimpliciſſima Idea.

VASQVEZ gloriatur, ſe miſſas facere aliorum friuolas ratiunculas; hanc verò ſuam vnicam afferre, quæ eſt inſtar omnium, quam habet etiam Molina. Idea eſt forma illa exemplaris, quam artifex aſpiciens ad inſtar illius, aliquid aliud operatur. Sed res conceptæ in eſſe cognito non ſunt diſtinctæ; ſed eædem. Eſt autem D. Bonau. *in 2. d. 1. p. 1. quæſt. 1. ad 3.* & *in 3. d. 11. quæſt. 2. arg. vlt.*

Reſpondet Faber, negando Minorem. Nam res ſunt ipſe Deus realiter, licèt formaliter diſtinctæ.

CONTRA hanc reſponſionem, vrgeo nouum Sera- 45
phici argumentum *ſerm. 12. Hexaemer.* Creatura egreditur à Deo artifice perfectiſſimo, non per naturam, (eſt enim diuerſæ naturæ) Ergo per artem. Neque enim eſt alius modus nobilis exeundi, quàm per naturam, & per artem, ſiue per voluntatem. Sed ars illa diuina eſt ipſe Deus; alioqui non eſſet præſtantiſſima cauſa exemplaris agens per ſe formaliter. Ergo habet rationes in eſſe formali præſtantiſſimæ cauſæ: Ergo eas habet à ſe, non à rebus. Sed ſi eſſe cognitum eſt Idea, haberet eas à rebus: Ergo non eſſet artifex perfectiſſimus formaliter, operans ad normam propriæ artis. Nam formaliter differt: Ergo non eſt prima, ac perfectiſſima cauſa exemplaris formaliter; ſed formaliter eſſet cauſa exemplaris imperfecta.

HOC magis vrget Maſtrium, & alios Scoti- 46
ſtas, qui perperam ſuſtinent, Ideas realiter diſtinctas à Deo, quia ſunt eſſe poſſibile rerum cognitum.

EX hac eorum doctrina etiam ſequitur, res eſſe cauſam ſui ipſius. Nam res ſunt cauſæ Ideæ, quæ

quæ eſt cauſa rerum. Probatur ſeq. Quod eſt cauſa cauſæ, eſt etiam cauſa cauſati. Tandem res eſſent ante Ideas ſui: Ergo ante cauſam ſuam, vt cauſa eſt.

47 Reſpondet Arriaga *d. 23. ſect. 1.* in definitione Ideæ non inueniri, vt debeat eſſe aliud ab Ideato. Deinde, poſſe idem eſſe cauſam ſui ipſius. Sic Chriſtus in Euchariſtia eſt cauſa ſui ipſius apud Thomiſtas. Sic etiam cauſa finalis eſt cauſa ſui ipſius; eſt enim eademmet ſanitas, quæ obtinetur, quæque priùs mouit ægrum ad ſui aſſecutionem. Ergo ſimiliter poteſt dici eademmet creatura, obiectiuè cognita, eſſe id, quod Deus vult producendo exprimere; atque adeò, Ideam eſſe exemplar ſui. Itaque friuola omnia, quæ contra Scotum obiecta ſunt, clamat.

48 At inconcinna ſunt, quæ ad Scoti defenſam colligit. Et primò, Ideam ad cauſam efficientem reducunt Philoſophi, & aſſerunt Scotus 1. *d.2. quæſt.2. art.1. § Quantum ad articulum primum.* Suar. *in Met. d. 25. ſect. 2.* Pererius *l. 8. cap.1.* Ruuius 2. *Phyſ. tract.6. quæſt.3.* poſt D. Bonauent. *in 4. d.43. art.1. quæſt. 6. ad 2.* & *in 1. d. 8 quæſt. vlt.* Sicut enim ſe habet natura ad agens naturale; ſic Idea ad artificiale. Sed natura reducitur ad efficientem: Ergo. Ità arguit optimè P. Galitius *p.1. Phil l. 2. tract.4. quæſt. 3. num 7.* Maior probatur. Sicut enim natura determinat intrinſecè ens naturale ad motus naturales: ità artificialis ad motus artificiales. Minor probatur: eſt enim natura principium motus, & quietis ex 2. *Phyſ.* & ſi forma eſt, iam eſt principium actiuum: Ideam autem eſſe formam conſtat ex Ariſtotele ſupra relato, qui eam definit *formam in anima.* Idem do-
49 cet S. Bonau. *in 3. d.19. quæſt.1.* Confirmatur. Omne directiuum ſpectat ad id, quod dirigitur; at Idea eſt directiuum agentis: Ergo. Cùm igitur nihil poſſit efficere ſeipſum; ſequitur, Ideam non eſſe cauſam ſui. Neque corpus Chriſti ſeipſum producit in Euchariſtia, ſed ab omnipotenti Deo fit. Quæ verò de fine ſubdit, non ſunt ad rem. Eſt enim alia ratio cauſandi, nempè vt amatus; ac proinde poteſt mouere, cùm adhuc non exiſtit res intenta, neque ſimiliter poteſt dici: Domus, quam volo facere, eſt Idea domus faciendæ.

Reſpondet, domum faciendam, prout exiſtit in mente mea, eſſe Ideam.

Iam igitur Idea eſt tantùm ſimilitudo domus faciendæ; realiter diſtincta conſequenter à domo; nam dicit relationem realem ad eam, tanquam ſimilitudo eius: Vnde domus non eſt idea ſui.

50 Sed oportet aduertere, alio modo ſe habere in Deo, cuius eſſe eſt ſimpliciſſimum. Idea enim debet in Deo eſſe ipſe Deus formaliter; alioqui admitteretur in Deo aliquid realiter, à Deo diſtinctum. Eſt enim Idea in mente artificis, ait D. Auguſt. *l.83. qq. quæſt.46.* & quia creaturæ ſunt plures, oportebit admittere in Deo tot Ideas realiter diſtinctas, quod auſus eſt concedere Arriaga *ſect 4. num.25.* contra Concil. Later, *cap firmiter*, vt dixi *d.3. quæſt.8.*

Reſpondet Maſtrius *num. 65.* Ideam non debere eſſe realiter diſtinctam ab Ideato, cum non ſit cauſa realis phyſica; ſed moralis, præſertim in Deo, in quo Ideæ non ſunt practicæ, ſed ſpeculatiuæ, atque adeò nullam cauſalitatem exercent in Ideata, ad extrà factibilia; ſed tantùm merè ſpeculatiuè illa repræſentant Diuino intellectui. Subſcribit Faſolus, poſſe aliquam rem in eſſe obiectiuo, eſſe Ideam ſui in eſſe reali. Quare ſequitur argumentum eſſe leuioris momenti.

51 Explicat verò Maſtrius *num.52.* quo pacto id ſit. Dicit igitur, creaturas, vt ſunt in Deo obiectiuè, eſſe Ideas, atque à Deo realiter diſtingui; diſtingui autem diſtinctione potentiali, non actuali, ſicut ipſæ Ideæ obiectiuè tantùm, non realiter dantur in Deo, è Scoto 1. *d.39. X.* & cum dicitur. Quicquid eſt in Deo, eſt ipſe Deus; notum eſt etiam ipſis Tyronibus, id intelligi de his, quæ ſunt in Deo ſubiectiuè; non de his, quæ in ipſo ſunt obiectiuè tantùm; ſicut Ideæ. Itaque non fuit Thomiſtis cauſa proclamandi opinionem Scoti temerariam.

Gaudeo ad bonam frugem reuocari Scotum; 25
verùm ſi in vi opinionis ſtemus; Ideæ ſunt res poſſibiles, vel futuræ in eſſe obiectiuo; non autem eſſentia Diuina; & tamen eſſentia eſt prima ratio motiua cognoſcendi. Oportet igitur, Deum extra ſe à rebus accipere illud eſſe cognitum, & illud producere per intellectionem. Iam verò illud eſſe cognitum Dei, nonne eſt actus Dei, & ſubiectiuè in Deo? Ergo ipſe Deus; eſſe enim obiectiuè in Deo, non ſubiectiuè, conuenit tantùm rebus, vt extrà ſunt in eſſe reali. Profectò hoc eſſe cognitum non ſunt res ipſæ realiter. Sunt igitur eſſe obiectiuum, & cognitum earum, & hoc eſt Idea. Iam verò ſumo hanc Ideam, eſſe, hoc eſſe cognitum, profectò non eſt, eſſe poſſibile rerum, ſeu potentiale in cauſis; ſed eſſe cognitum actu, & hoc cognitum actu eſt Idea. Tunc arguo: hoc eſſe actu cognitum, eſt ens in Deo cognoſcente ſubiectiuè; niſi velimus Platonicorum ſuſcitare Ideas. Igitur hoc eſſe cognitum non eſt ſubiectiuè in rebus, quia debet eſſe immanens in cognoſcente: Ergo in Deo ſubiectiuè: Ergo eſt ipſe Deus, realiter ſaltem. Profectò arbitror, Scotum id ſanè ſentire; verùm modus dicendi, maximè ad interpretationem Maſtrij, & Arriagæ, non eſt ſanus. Et cautiùs loquitur Faber, qui ſolam diſtinctionem formalem illius eſſe cogniti à Diuina eſſentia admittit. Quamuis neque hanc diſtinctionem dari, ſtatim oſtendam.

Probatur quintò à S. Dion. *loc. cit.* & in *Ioan.* 53
cap.1. Id, quod prædicatur in abſtracto, verificatur formaliter. Sed Ideæ prædicantur in abſtracto: Ergò. Maior oſtenſa eſt *d.3. quæſt.8.* Minor probatur è D. Auguſt. *tract.1. in Ioan.* ad ea verba: *Quod factum eſt, in ipſo vita erat.* Vnde colligit Seraphicus, hanc artem eſſe ſummè vnam in Deo.

Probatur ſextò à D.Bonau. *d.35. quæſt.1. fund.2.* 54
& *in 3. d.11. quæſt.2. argum. vlt. cum reſponſo*, ratione, qua vtuntur Molina *d.2.* Zumel *d. 2. concl.3.* Faſolus, & Arrubal *loc. cit.* Omnis effectus præſupponit ſuas cauſas neceſſarias. Sed creatura, etiam vt poſſibilis, eſt effectus poſſibilis Dei, ſicuti futurus effectus decreti Dei, ità vt priùs intelligatur eſſe poſſibilis Deo, quàm ipſa in ſe ſit, quæ eſt exemplatum. Ergo ipſa res, vt cognita, non eſt Idea; ſed Idea eſt quid prius, etiam Diuinâ intellectione. Hoc autem primum nihil aliud eſſe poteſt, quàm Diuina eſſentia: Ergo.

Reſpondet Maſtrius *numero 66.* cum Arriaga, me ſupponere, productionem creaturarum æternam in eſſe cognito; eſſe formationem rerum in aliquo eſſe reali, à Deo actualiter diſtincto, quod eſt falſum. Quod ſi vis eſſe tantùm productionem in eſſe cognito, ſupponis falſum, nempè ad hoc eſſe cognitum neceſſariam eſſe Ideam, cùm Idea requiratur ſolùm ad productionem rerum in eſſe reali.

Hæc tamen effugia ſunt inania, nam volumus tan- 55
tùm, quod non ſint multiplicanda entia ſine neceſſitate. Itaque ſi eſſe cognitum formale creaturarum, eſt Idea

diſtincta realiter à Diuina eſſentia; & hoc eſſe cognitum habetur ex repræſentatione eſſentiæ, oportet, iuxtà primùm Scotiſtarum fundamentum, in eſſentia repræſentari illud eſſe cognitum; ac proinde in eſſentia poſſe Deum aſpiciendo videre, qua ratione formandæ ſint creaturæ. Quod ſi Diuina eſſentia ſufficienter non repræſentat creaturas; non repræſentabuntur ſufficienter in illo eſſe cognito; quòd ſi ſufficienter; oportet, vt illud eſſe cognitum ſit ex Idea, ſeu, vt ſtringam ſenſum, è formali repræſentante, quod ſufficiens ſit Idea. Quorſum igitur tot Idearum dantur diuerſitates.

56 Probatvr ſeptimò à D. Bonau. *locis adductis.* Prima cauſa eſt immediatum omnium principium. Deus eſt prima cauſa: Ergo. Si autem cauſaret per eſſe cognitum realiter diſtinctum; cauſaret non immediatè, ſed medio illo eſſe cognito.

57 Probatvr octauò à S.D. *loc. cit.* Prima cauſa infinita continet in ſe omnes cauſas formaliter, vel eminenter. Deus eſt prima cauſa infinita: Ergo continet omnes cauſas, etiam exemplarem formaliter, vel eminenter; alioqui eſſet cauſa imperfecta, recipiens ab extrà Ideas.

Maſtrius *num.*69. concedit, Deum pendere à creaturis, tanquam à principali, ratione exemplaris, ſeu Ideæ. Verùm D. Auguſt. *l.*83. *qq. q.*46. id vocat blaſphæmum.

Assero ſecundò, Diuinam eſſentiam non eſſe Ideam creaturarum, prout eſt imitabilis tantùm, præciſa cognitione.

58 Probatvr à D. Bonau. *d.*35. *quæſt.*1. *fund.*1. *&* *corpore*, è D. Auguſt. *l.*83. *qq. quæſt. cit.* vbi idem definit. *Idea eſt forma æterna incommutabilis, ad cuius ſimilitudinem res cognoſcuntur, & producantur.* Ideò in Diuina eam collocat intelligentia. Similiter D. Dion. *cap.*5. *de diu. nom.* ait: *Idea eſt Diuinæ mentis præfinitio.* S. Maximus *in Scholiis* ait: *Idea eſt exemplar ſempiternum Deo ſemper præſens; ad quod Deus aſpiciens, cuncta, quæ ſunt, fabricatus eſt.* Idem habet D. Anſel. *in Monol. cap.*38. Imò Seneca *epiſt.*66. Plato in Timæo, Ariſtoteles 1. *Met. cap.*5. Cicero *l.*1. *Tuſcul. quæſt.* & omnes Philoſophi, ac Theologi explicant definitionem Ideæ in ordine ad intellectum. Inter hos S. Bonau. *d.*35. *paſſim*, & *d.*36. & *d.*6. *quæſt.*3. & *in* 3. *d.*11. *loc. cit.* Præclarè autem id demonſtrat S.D. *ad cap.*1. *Ioan.* cum D. Auguſt. *tract.*1. *in Ioan.* vbi ait. *Ideam artificibus præparatam ad cognoſcendum opus extrà, illudque patrandum.* Et addit: *Architectum habere in intellectu Ideam domus, ſecundùm quam, intellectam ædificat domum; & eo modo eſſe in Deo.*

59 Assero tertiò, Ideas in mente Diuina non eſſe aliquod Verbum productum per cognitionem, nec eſſe ipſam cognitionem productam ab eſſentia.

Probatvr primò, argumento S. Bonau. *in corpore*, quo vtuntur Arriaga *d.*23. *ſect.*3. Maſtrius *d.*7. *Phyſ. num.*145. Principium, ſeu ratio cognoſcendi ante cognitionem eſt. Sed Idea in mente Diuina eſt principium, & ratio cognoſcendi primò creaturas formaliter: Ergo non eſt ipſa cognitio formaliter. Maior patet. Nam principium debet eſſe ante omne principiatum. Minor patet ex dictis
60 *d.*13. *quæſt.*6. Hoc argumentum vrget Trigoſium, & reliquos, concedentes, Deum videre creaturas in Ideis, vt dixi *loc. cit.* Ex quo ſequitur, Deum in Verbo videre creaturas tantùm reflexè; & ſatis videre in ſe, antequam reflectatur in ſuam cognitionem, eſſeque per ſolam cognitionem directam Sapientiſſimum artificem. Ergo Idea non eſt ſcientia de creaturis reflexa.

Reſpondet Suarez apud Maſtrium, ad rationem Ideæ exigi notitiam reflexam ſolùm virtualem, quæ in omni perfecta cognitione reperitur, quæ eſt cognoſcitiua ſui ipſius. Ità in Deo fit, & hoc ſufficit, vt conceptus formalis ſit Idea.

Contrà. Ea cognitio, quæ eſſentialiter ſufficit ad rationem Ideæ, excludit tanquam ſuperfluum, quicquid aduenit per accidens, ſeu per aliud. Sed ratio Ideæ completur perfectiſſimè in cognitione directa Dei: Ergo reflexa, addita per aliud, ratione perfectionis diuinæ cognitionis, vt ſic, eſt ſuperflua. Porrò eſſentia Ideæ ſumenda eſt ab eo, quod præcisè conſtituit Deum ſufficienter in eſſe artificis, exemplar habentis.

Probatvr ſecundò à D. Bonauent. *quæſt.*2. 61
*d.*35. *ad* 2. Si Idea eſſet verbum creaturarum, ſequeretur, Deum à creaturis actuari, & informari verbo, ab eis accepto. Sed hoc eſt falſum. Nam Deus eſt puriſſimus actus: Ergo. Probatur ſequela. Nam verbum exprimitur ex aliqua re cognita; eſtque veluti ſimilitudo eius. Si ergo Deus ſecundùm vos format Verbum ad extra, ex creaturis; ſequitur ab eis actuari. Vrgeo. Si Verbum, quod eſt ratio operandi, eſt Idea, vt docet D. Auguſt. *l.* 83. *qq. quæſtione* 46. Sequitur, Deum accipere non ſolùm rationem cognitionis, ſed etiam operationis à creaturis. Nos verò concedimus ſanè Verbum æternum gigni è cognitione creaturarum, ſed acceptâ in Deo, & à Deo,

Probatvr tertiò à S. Bonauent. *d.*35. *quæſt.*3. 62
ad 2. Verbum eſt dicentis Verbum; & ideò ad dicentem refertur. Quod ſi Idea ſe tenet ex parte ſolùm dicentis, non ſecundùm rationem intelligendi ex parte cogniti: Ergo ſicut Deus dicens, eſt vnus: ità omninò eſſet Idea vna, nec aliquam diſtinctionem rationis poſſumus in Ideis inuenire; ſicut Verbum à Patre genitum, licèt è cognitione creaturarum; tamen vnum ſimpliciſſimum eſt, nec ratione à ſeipſo differens.

Probatvr quartò. Si daretur verbum crea- 63
turarum ab intellectu eſſentialiter productum; darentur duo Verba diuina. Probatur *ſeq.* nam datur etiam Perſona Verbi. Hinc etiam ſequitur, realiter eſſe diſtinctum ab intellectu producente, ac proinde non eſſe Deum; darique in Deo quaternitatem contra decreta Conciliorum Rhemenſis, & Lateranenſis, vt dixi *d.* 3. *quæſtione* 8. Hinc etiam ſequitur, Verbum illud, quoad creaturas futuras, fore contingens; atque adeò daretur Verbum Diuinum, quod poſſet non eſſe. Hoc verò ipſi acriter proclamant contra nos, *Tractat.*2. *d.* 9. *ſect.* 2.

Quod ſi dicas, illud verbum eſſe ipſam cognitionem. Inſto cum Arriaga, nullum è Patribus ſic Ideam aſtruere. Hinc D. Auguſt. *quæſtione* 46. adducta ait: *Ideam eſſe in intelligentia.* Non intelligentiam. Accipit verò intelligentiam pro actuali notitia, vt notat Maſtrius *num.*44. cum D. Bonau. *d.*35. *quæſtione* 1. & *tract.*1. *in Ioan.* ait: *Sapientiam Dei eſſe artem, quæ continet omnia, quæ facta ſunt.* Miror autem Riham *num.* 8. inferre, intellectionem actualem Dei *hic* aſſeri Ideam. Aſſerit quidem ſuprà D. Auguſt. *Sapientia eſt ratio, qua terra facta eſt*; at ſapientia non dicit actum intellectionis, ſed attributum ad modum habitus. Deinde ſonat, vt mox exponit, Ideas eſſe in Dei ſapientia, vt oſtendi *d.*11. *quæſt.*23.

Nec premit nos dicens, relatos Patres docere, 64
Ideas eſſe prædeſtinationes, conſilia diuina, &c. ibi enim deſcribunt quid Ideæ includant, non

enim

enim ſolam formalitatem, vt patet legenti; ſic & materiale, &c. includunt, vt ità philoſophicè loquar.

VRGEO ratione, qua Ribas *num.9.* ſuam promouet ſententiam. Id habet rationem Ideæ, quod dirigit Deum in productione creaturatum. Sed ſola cognitio practica non eſt talis: Ergo. Minor probatur, qoia cognitio ipſa in obiectum dirigenda eſt, eſto aberret, vel caſu in illud tendat. Maior eſt Ribæ. Minor oſtenſa eſt. Quare falſa eſt eius Minor, ſimul & probatio; quòd ſola cognitio dicit modum, quo creatura facienda ſit.

Inſtat. Idea nequit eſſe abſque ſimilitudine proprij effectus, ſeu repræſentatione eius; hæc autem eſt in ſola cognitione.

Reſpondeo, cognitionem practicam rei faciendæ ſupponere rationem, ad cuius ſimilitudinem res eſt facienda; neque hæc ipſa eſt ſibi ratio. Hæc cum S Bonau. confirmabo *quæſt.6.*

65 ASSERO quartò, Diuinam eſſentiam cognitam, vt imitabilem à creaturis, eſſe earum Ideam. Eſt D. Bonau. *d.35.* & alibi, vt aduertunt Smiſing. *tract.3. d.2. quæſt.7. num.*200. Maſtrius *num.*43. & Viinenſis ſuprà, licèt nimis ad Scotum trahat, & poſt Trigoſium, Corjolanus §. *Quantùm ad tertium*; non tamen id benè colligunt; eò quòd S.Bonau. dixerit, Ideas ſignificare Diuinam eſſentiam in relatione ad creaturas; nam etiam vt participabilis, dicit reſpectum ad creaturas, facta conſideratione per intellectum noſtrum. Debet igitur illa intellectio Ideas conſtituens, eſſe Dei. Præterea §. *Vt autem*, Ideas aſſerit Corjolanus, eſſe cognitionem diuinæ eſſentiæ communicabilis, ac poſtea per iſtas Ideas Deum cognoſcere creaturas, vt producendas, ac proindè in Verbo ponit Ideas, contra D Bonau.

QVONIAM verò S. Dionyſ. vbique ferè plura docet, ac probat, quàm proponat in titulis, ex ingenij ſuperna fœcunditate, quamuis de hoc quæſtionem præcipuam non inſtituat, id tamen multipliciter paſſim probat, cuius rationes afferam, vt appareat falſum quòd ait Vaſquez Seraphicum eſſe pro ſua ſententia; & nos nullam pro hac rationem habere; ſed gratis aſſerere, in hoc Ideam conſiſtere.

66 PROBATVR ergo primò à S. D. *quæſt.1.d.35.* vbi affert D. Auguſt. *l.83.qq. quæſt.*46. dicentem, Ideas eſſe formas æternas, quæ in Diuina intelligentia continentur. Qua authoritate vtitur Auerſa *ſect.4. concl.2.* Hæc verò probat, Ideam in Diuina cognitione poni. Quoniam verò Scotus, & eius aſſeclæ deducunt, non eſſe eſſentiam, ſed actualem notitiam, in qoa eſt Idea; atque adeò eſſentiam, prout repræſentat diuino intellectui omne factibile ad extrà, non poſſe habere rationem Ideæ. Imò arguunt è D. Auguſtini definitione. *Idea eſt ratio æterna in mente, vel intelligentia Diuina exiſtens, ſecundùm quam, aliquid eſt formabile ad extra*: Ergo Ideæ ſunt ipſæ res obiectæ.

67 PRIMVM oſtendo, non eſſe res obiectas, qoia D. Auguſt. vocat Ideas rationes æternas incommutabiles, ac proindè eis attribuit Diuinitatem. Inſuper ait, eas eſſe in Diuina mente; quòd ſubiectiuè intelligendum ſuprà oſtendi; atque eſſe aliqnid Dei probat S. Auguſt. ibi, qoia ſine his ſapiens, aut beatos nemo eſſe poteſt. Igitur ad rationem intrinſecam ſapientiæ diuinæ ſpectant. Præterea, eas eſſe in mente Diuina ſic probat D.Auguſt. *Has autem rationes, vbi arbitrandum eſt eſſe, niſi in ipſa mente Creatoris? Non enim extra ſe quicquam poſitum intuebatur, vt ſecundum id conſtitueret, quod conſtituebat: nam hoc opinari ſacrilegium eſt.* Et ſubdit rurſus; *Has rationes in mente diuina contineri.* Oſtendi autem *d.3. quæſt.8.* omnia hæc in Deo eſſe vnum formaliter.

Hinc errat Macedo è Scoto dicens, illas ſpe- 68
ctare ad obiectum Sapientiæ, & beatitatis ſecundarium.

RESPONDET Scotus, §. *Ad iſta*, vocari Ideas æternas incommutabiles, non in ſeipſis formaliter, ſed vt ſunt in mente Diuina, & vt ſubſtant diuinæ intelligentiæ. Nam ſic participant eſſe diuinæ cognitionis, vt ipſe Scotus docet *in 4. d.1. quæſt.1.*

VERVM hæc frigida ſunt: Nam S.Auguſt. ſubdit, 69
recitatis verbis: *Quod ſi hæ rerum omnium creandarum, creatarumve rationes in Diuina mente continentur; neque in diuina mente quicquam, niſi æternum, atque incommutabile poteſt eſſe, atque has rerum rationes Ideas appellat Plato, non ſolùm ſunt Ideæ; ſed ipſæ veræ ſunt, quia æternæ ſunt, & eiuſmodi, atque incommutabiles manent, quarum participatione fit, vt ſit, quicquid eſt, quoquomodo eſt.*

Ibi D.Auguſt. ait, has Ideas eſſe æternas, incommutabiles, quia quicquid eſt in Deo, eſt æternum, incommutabile, ideſt Deus; nam cùm non ſint eſſe rerum, oportet vt ſint id, quod ſolùm eſt ab æterno, ideſt Deus, niſi cum Vuiclepho, ſeu Ioanne Hus elabamur.

DEINDE, ſi Ideæ ſunt immutabiles nòn formali- 70
ter: Ergo ſunt mutabiles formaliter: Ergo ſunt creatura. Sed hæ ſunt ab æterno in mente Dei: Ergo ex æternitate in Deo fuit aliquid formaliter creatum. Neque effugient dicendo, eſſe creaturas obiectiuè, nam hoc obiectiuum, cùm non ſit eſſe reale creaturarum, oportet, vt ſit vel ens rationis, vel formaliter Deus, nam obiectum eſt in intelligente: at Ideæ ſunt in mente Dei, quæ eſt obiectum, in quo creaturæ videntur, & in Ideis videntes beantur, vt ait D. Auguſt. Ergo ſunt ipſe Deus, ipſa eſſentia, vt oſtendi ſecundo aſſerto. Vrgeo; nam è D. Auguſt. Sine Ideis nemo poteſt eſſe beatus.

PROBO iam, Ideas eſſe eſſentiam Diuinam, vt 71
intellectam participabilem. D. Auguſt. 11. *de ciuit. cap.29.* ait: *Angeli ipſam creaturam meliùs in Dei ſapientia, arte, qua facta eſt, quàm in ea ipſa ſciunt.* Et D. Dion. cap.7. de diu. nom. *Diuinum intellectum cognoſcere non ſecundum Ideas diſtinctas ſingulorum, ſicut nos*, vt obſeruat D. Bonau. *d.35. quæſt.1. ad 1.* & *quæſt. 2.* refert D. Auguſt.6. *de Trin. cap.10.* idem dicentem. Idipſum refert *quæſt.5.* & *quæſt.4.* refert eundem D. Auguſt. *epiſt.* 115. dicentem, in Ideis eſſe rationem hominis: & *quæſt.5.* affert idem S.D.9. *de ciuit. cap.* 20. vbi ait: *Vna eſt ſapientia, in qua infiniti ſunt theſauri rerum intelligibilium.* Vide alios Patres ſuprà, hoc aſſerentes.

PROBATVR ſecundò à S. D. *d.35. quæſt.2. in cor-* 72
pore. Idea eſt illa, ad cuius ſimilitudinem fiunt creaturæ. Sed creaturæ fiunt ad ſimilitudinem Diuinæ eſſentiæ, vt cognitæ imitabilis: Ergo. Hac ratione vtuntur Baſſolis, & Valentia. Totum argumentum eſt D. Auguſt. *l.83. quæſt.46.* vbi ait: *Ideas eſſe rationes æternas, quarum participatione fit, quicquid fit.* Vrget Faſolus. Creaturæ non ſunt participationes ipſarummet creaturarum; ſed Diuinæ eſſentiæ.

Reſpondet Maſtrius *num.69.* res Ideatas non imitari Diuinam eſſentiam; ſed imitari ſeipſas in eſſe obiectiuo, & ità creaturæ à parte rei ſimiles ſunt ſibi ipſis, vt cognitis.

73 Verum non ſatisfacit, quia D. Auguſt. *loc. cit.* aſſerit, Ideas eſſe rationes æternas beatificas (certè vult Diuinam eſſentiam) quarum participatione, &c. participant autem Ideata de eſſentia Diuina, vt aſſolent PP. loqui. In hac verò participatione res habere ſuam diſtinctionem formalem, probat S.Bonau. *d.35. paſſim*, è D. Auguſt. quia per Ideas, homo eſt alius ſpecie, ab equo. Igitur vult ex participatione Diuinæ eſſentiæ, velutI Ideæ, accipere eſſe Ideatum diſtinctum equi, hominis, &c.

Probatur tertiò à S.Bonau. *d.35. quæſt.1. fund.1.* Illa eſt Idea, quam adhibet agens per intellectum, vt ad eius ſimilitudinem, & exemplar operetur ſecundùm artem, vt notat etiam Vaſquez *d.61. cap.1.* & PP. ità loquuntur. Ergo Idea eſt Diuina eſſentia, vt cognita.

74 Probatur quartò à S.Bonau. *fund.3.* Id, quod ſe habet, vt exemplar repræſentans, & ducens in cognitionem rerum, habet reſpectum ad intellectum. Talis eſt eſſentia Diuina, vt Idea: Ergo. Maior patet. Minor probatur. Nam è D. Auguſt.11. *de ciuit. cap.19.* Illa eſt ars, per quam perfectiſſimè in ſe Deus operabilia videt, & beatis oſtendit. Ergo eſt in Deo, vt cognoſcente, & cognoſcibili. Ergo reſpicit intellectum.

75 Probatur quintò à S. D. *quæſt.2. in corp.* Id, quod eſt vna ſimpliciſſima ars, in qua omnia ſunt vnum, habet ſuum eſſe perfectiſſimum, vt eſt cognitum; ſed tales ſunt Ideæ, ex D. Auguſt.6. *de Trin. cap.10.* Ergo. Maior probatur ex Ariſtotele 1. *Rhetor. cap.1.* vbi ſcrutari intellectui arti attribuit, & *cap.7.* quærens, quæ Rhetorica conſideret, ait: *Artem conſiderare vniuerſalia.* Et *l.1. Moral. Nicom. cap.1.* ait: *Omnis ars, omniſque diſcendi via, actio, item atque electio bonum quoddam expetere videtur.* Et l.1. Magnorum Moral. cap.33. ait: *Circa futura, & quæ in faciendo poſita ſunt; ars.* Vult autem, talem eſſe, vt ab intellectu moderata. Et *l.1. de part. animal. cap.1.* circa medium, ait: *Artem operis eſſe rationem, omni abiunctam materia, certum eſt.* Et 1. Met. cap.1. ait: *Fit autem ars, cùm è multis experimentalibus conceptibus vna de ipſis fiat opinio, &c.* Et l.6. Moral. Nicom.
76 cap.4. ait: *Ars autem omnis contemplatur, vt eorum aliquid fiat, quæ & eſſe, & non eſſe poſſunt.* Ibi addit, artem omnem eſſe habitum, rectà cum ratione effectiuum; & è contra; omnem talem habitum eſſe artem. Et *in Problem. ſect.30.* ait: *Quod ratio artis eſt ſpectare, quod melius eſt.* Et *l.2. Moral. Nicom. cap.4.* oſtendit, in iis, quæ vnam habent Ideam, vnam ſcientiam eſſe. Idem habet paſſim, maximè 1. *Met. cap.4.* & *l.7. cap.12.* vbi Ideas ſeparatas Platonis confutat. Quorſum autem in intellectu Ideæ ponerentur, niſi ad intellectum ſpectarent? Præcipuum Scoti argumentum eſt ſolutum in fundamentis, contra priorum aſſertum.

Obiicit primò Scotus, & Faber *d.51. cap.3.* Rada *contrau.29.* & Maſtrius *loc. cit.* Idea eſt exemplar, & ratio in mente diuina, ſecundùm quam Deus format res ad extrà, ex D. Auguſt. *loc. cit.* at res formantur à Deo ſecundùm illud eſſe cognitum, quod habet in mente ſua de creaturis: Ergo. Minor probatur à Macedo; Ioan.1. *Quod factum eſt, in ipſo vita erat*, ſeu Idea.

77 Respondetvr, neg. minorem. Nam Deus format creaturas ſecundùm Ideam, quæ eſt in mente Diuina, quæ ab eo cognoſcitur; itaque eſſe cognitum non eſt Idea; ſed eam ſupponit, vt oſtendi; & ſolùm eſt conditio applicans eam Ideatis. Ioan. autem vult, creaturas in Ideis eſſe vitam, vt dixi *num.37.*

Obiiciunt ſecundò. Cognitio, & ſimilitudo expreſſa creaturarum, eſt Idea earum ſecundùm aduerſarios. Sed eſſe cognitum, & diminutum eſt cognitio creaturarum ſecundùm Scotum: Ergo ſecundùm eos, eſſe cognitum, eſt Idea illarum.

Reſpondetur, neg. Maiorem ex dictis. Igitur Idea eſt eſſentia, vt cognita, imitabilis, &c.

Obiiciunt tertiò principaliter. D.Auguſt. accepit Ideas à Platone. Plato autem, è D. Auguſt.12. *de ciu. cap.26.* & *l.14. cap.25.* non poſuit Ideas eſſe quidditates rerum per ſe ſubſiſtentes, vt ei adſcribit Ariſtoteles; ſed quidditates rerum in mente Dei. Ergo apud Platonem Ideæ ſunt quidditates rerum, habentes eſſe cognitum in mente Dei. Hæc ratio viſa eſt Fabro *loc. cit.* & Maſtrio *d.7. Phyſ. quæſt.7.* & *hic num.49.* efficax. Vrget eam Macedo.

Respondetvr facilè D.Auguſtinum, non à ſo- 78
lo Platone accepiſſe eſſentiam Ideæ; imò dicit, ab aliis ſapientibus credendum eſt fuiſſe diſputatum rectè de hac materia: nam ſine Ideis, nemo ſapiens eſſe poteſt. Igitur vult S. D. quòd ſi Plato poſuit, Ideas eſſe Diuinam mentem, quæ eſt ipſe Deus; rectè locutus eſt. Sunt enim rationes æternæ, immutabiles, beatificæ. Si autem eas poſuit extra Deum, non eſt locutus catholicè. Dubitat enim de ſenſu Platonis catholico; vt patet *l.83. quæſt.46.* vbi ex profeſſo de hoc agit. *Lib. autem 12. de ciuit. cap.26.* ſolùm dicit, quòd ſecundùm Platonem vniuerſas rerum ſpecies æterna intelligentia continebat; at verò de eſſe cognito rerum nihil dicit. Aliud eſt enim dicere, Ideas eſſe in Dei intellectione; aliud dicere, eas eſſe ipſum eſſe cognitum, ſeu res in eſſe cognito. Sanè *l.14.* ab eis *cit.* id non dixit S. Auguſt. Exhibeant igitur, vbi id aſtruat.

Obiiciunt quartò contra eandem aſſertionem, & contra tertiam. Scotus *loc. cit.* & Faber *cap.2.* Idea ſecundùm vos dicit intrinſecè relationem ad creaturas: Ergo non poteſt eſſe ratio cognoſcendi primò creaturas. Probatur conſeq. Cognitio relationis ſupponit cognitum fundamentum; ſed fundamentum relationis ſunt creaturæ: Ergo primò cognoſcuntur creaturæ, quàm Ideæ. Vrget Macedo *coll.9. diff.2.* aliter hi reſpectus reales ſunt.

Hoc argumentum vrgeret Trigoſium *quæſt. 10.* 79
art.3. dub.3. qui Ideas in relatione intrinſecè poſitas, aſtruit. At neque D. Bonau. neque D. Thom. hoc dicunt; licèt fateantur per relationem ad creaturas cognoſci Ideas à nobis, vtpote imperfectis. Itaque ratio Ideæ conſiſtit in eſſe participabili eſſentiæ cognito, ex quo inſurgit poſteà realis relatio creaturæ ad Deum; & mox relatio rationis Dei ad illas. Et hoc vult S.Bonau. *d.35. quæſt.3. ad 1.* hic verò reſpectus eſt poſterior Idea. Sed de hoc rurſus agam, *quæſt.6.* vbi ſoluam argumentum.

Obiicies quintò cum Scoto, Fabro, Suarez, Vaſquez Arriaga, Maſtrio, & aliis. Id, quod eſt ratio formalis cognoſcendi aliud diſtinctum, debet illud continere. At Diuina eſſentia, non continet formaliter creaturas, ſed eminenter: Ergo. Confirmatur. Nam ex eo quod Sol continet eminenter calorem, non eſt Idea caloris; imò homo continet eminenter eſſe Leonis, non eſt tamen Idea Leonis; ita ad rem, licèt eſſentia Diuina contineat creaturas eminenter, non ſequitur, illam eſſe earum Ideam.

Respondet D.Bonau. *quæſt. 2. ad 2.* Diuinam 80
eſſentiam, cùm ſit ſimilitudo extra genus, & virtute continens omnia eminenter, poteſt oſtendere intellectui infinito omnes gradus rerum formales, vt oſtendi *in fund.1.* Ità reſpondet etiam Granado. Adde Deum continere hos gradus formaliter in ſua potentia, quæ ad Ideam ſpectat. Per hoc corruunt alia obiecta.

Neque

Neque verò labimur in opinionem Scoti, vt putat Arriaga, quod ſuprà oſtenſum eſt.

Hinc habes, Ideas eſſe formaliter in Deo. Nam in eo ſunt formaliter exemplaria rerum faciendarum, de quo Trigoſios, *q.* 11. *ar.* 3. *d.* 4.

Obiicies ſextò. Idea eſt conceptus obiectiuus rerum creandarum, ex D. Bonau. ſed res in eſſe cognito ſunt Ideæ creatæ: Ergo idem vult de Ideis Diuinis. Nam de omnibus indifferenter loquitur S. D. *in* 2. *loc. cit.*

Respondetur, Seraphicum, vt dixi, nolle, *hoc eſſe obiectiuum*, eſſe res; ſed Diuinam eſſentiam.

QVÆSTIO III.

An plures ſint Ideæ Diuinæ, & quomodo.

{ D. Bonau. d. 35. q. 2. & 3.
D. Thom. ar. 2.

Fvit error quorundam, quos refert D. Bonau. *q.* 2 Ideas in Deo eſſe realiter plures actu, atque entia nobiliora eſſe inferiorum exemplaria. Ità quidam Cleans Philoſophus, apud D. Dionyſium.

Secvnda opinio eſt, Ideas Diuinas diſtingui realiter eo modo, quo realiter diſtinguuntur creaturæ; ideſt, in eſſe potentiali. Ità Scotus apud Maſtrium, *d.* 3. *quæſt.* 2. *num.* 52. debet tamen concedere, diſtingui formaliter actu, vt notat Tannerus. Plures verò realiter eſſe, ſi ſunt ipſæ Res cognitæ, vt vult Scotus; docet Durand. *d.* 36. *q.* 4. Nazar. *infra*, qui aduertit, etiam Nauarretum, *controu.* 66. diſtinctionem formalem admittere inter Ideas, quam aſtruit & Ribas, *trac.* 4. *d.* 11. *cap.* 2. & ſi addat ſubdiſtingui; non ſine ordine ad intellectum, & ſi ante eum; eſſent plures formaliter.

81 Commvnis autem & vera ſententia eſt, Ideas Diuinas ſola ratione diſtingui. Ita D. Bonauen. & D. T. *hic*, Alenſis *p. p. quæſt.* 23. *m.* 4. *ar.* 1. Albert. 1. *d.* 35. *ar.* 9. Richard. *d.* 36. *ar.* 2. *q.* 3. Ægid. *ar.* 2. *q.* 2. Argent. *q.* 1. *ar.* 1. Marſil. *quæſt.* 1. *Prol. ar.* 1. Vaſquez *d.* 73. Suarez, *l.* 3. *de attrib. poſit. c.* 5. *num.* 14. Valentia, *d.* 1. *q.* 15. *p.* 3. Tanner. *d.* 2 *q.* 9. *dub* 1. Trigoſius *q.* 11. *ar.* 3. *dub.* 6. Caiet. & Recentiores Thomiſtæ ad *ar.* 2. *q.* 15. vbi Nazarius *contron.* 1. Durand. etiam *d.* 36. *q.* 4. concedit, poſſe Ideas dici eſſentiam, & tunc non eſſe re plures ſubſcribunt Morand. *trac.* 3. *in Append.* Caſpenſ. *d.* 12.

Assero primò, Ideas non eſſe plures realiter actu, ex D. Dionyſ. *c.* 7. *de diu. nom.* vt iam oſtendit S. Bonau. *quæſt.* 1.

82 Probatvr à D. Bonau. *quæſt.* 2. primò ex D. Auguſt. 6. *de Trin. c.* 10. vbi ait: *Filius eſt ars quædam omnipotens Dei, plena omnium rationum viuentium; & omnia in ipſo vnum ſunt.*

Secvndò, quia perfectius eſt Deo attribuendum. Sed perfectius eſt, vno poſſe cognoſcere plura, & operari, quàm pluribus: Ergo. Maior eſt D. Dionyſij, *c.* 2. *& 7. de din. non.* Eſt autem ratio etiam Alenſis *q.* 23. *m.* 2. *ar.* 3.

83 Tertiò, quia ſi plures actu Ideæ à parte rei diſtinctæ eſſent; ſequeretur in Deo compoſitio deteſtabilis. Probatur ſeq. à D. Bonauent. Pluralitas rerum abſolutarum realiter diſtinctarum facit compoſitionem, vt omnes Theologi ſentiunt. Talis eſſet pluralitas Idearum, quæ ſolam relationem rationis in Deo ponunt: Ergo.

Si dicas, Ideas eſſe relatiuas. Contra arguit S. D. Vel illud relatiuum, ſecundùm quod differunt, eſt aliquid reale; vel non. Si primum: Ergo vel eſſentia, vel perſona. Ergo tot erunt eſſentiæ, vel tot perſonæ, quot res ideatæ, quod eſt hæreticum. Idem argumentum refellit diſtinctionem formalem Scoti, vt vidimus *d.* 3. *q.* 8. Hac ratione vtuntur Moderni, præcipuè Suarez *l. c.* Vaſq. *d.* 116. & 120. Tanner. *n.* 1. Quod verò non differant potentialiter, oſtenſum eſt *q. præced.*

Assero ſecundò, Ideas Diuinas diſtingui ratione ratiocinata, ſeu virtualiter.

Probatvr à D. Bonau. *quæſt.* 3. *primò*, ex D. Auguſt. *l.* 83. *quæſt.* 46. Vbi plures Ideas vocat, & probat, quia alia ratione factus eſt homo: aliâ equus. Idem habet D. Dionyſ. *c.* 5. *de diu. nom.*

Secvndò, quia Idea dicit ſimilitudinem ad cognitum; ſimilitudo autem dicit modum dicendi reſpectiuum ad alterum; plurificatio autem ſimilitudinis relatiuæ eſt à re, cui aſſimilatur: Ergo cùm Ideata ſint plura, erunt virtute plures & Ideæ. Hac ratione communiter vtuntur Theologi, quos ſequuntur Valentia, & Vaſquez *ſuprà*. 84

Tertiò. Deus, antequam producat res, diſtinctè in Ideis eas cognoſcit. Sed non eſt diſtinctio in Deo, vel in conceptu eius, neq; in eſſentia cognita, in qua ſunt Ideæ: Ergo in ratione cognoſcendi.

Probatvr quartò, à D. Bonauent. *in reſp ad* 2. ex differentia Idearum *ab arte, ſcientia, & verbo*. Nam ars ſe tenet ex parte artificis; ſicut & ſcientia ex parte ſcientis, in quo eſt magis, quàm ex parte obiecti; quamuis autem reſpiciant & ipſæ ſuum obiectum; attamen reſpiciunt illud, vt vnum formaliter (eſto materialiter plura ſint.) Ideæ verò ſe tenent ex parte Ideatorum, quorum ſunt ſimilitudines, ſimilitudo autem magis reſpicit id, cuius eſt ſimilitudo, quàm id, in quo eſt. Similiter Verbum magis reſpicit dicentem, quia Verbum eſt dicentis alicuius Verbum. Ideò eſt vnum; at Ideæ, quia ſunt ſimilitudines rei cognitæ, eamque reſpiciunt, vt ordinabilem ad opus, vel vt ordinandam; ideò multiplicantur ad multiplicationem Ideatorum, & vnius artis ſunt plures Ideæ. Ità ſoluit & Ribas. 85

Adverte autem, Artem ſæpè ſumi pro Idea, ſicut accipit Ariſt. 12. *Met. cap.* 4. *t.* 24. & tunc multiplicatur. Cùm igitur in Deo ſit idem modus ſciendi, quia omnia ſunt ei pro ſe nota; & idem obiectum formale, quod eſt eſſentia, in qua omnia nouit, vnica eſt in Deo ſcientia. Similiter cùm Idea ei ſit modus operandi per intellectum, & voluntatem, eadem eſt ars, licèt diuerſa operetur. Erunt tamen plurimæ Ideæ. Nam ſub eadem arte, plures Ideæ contineri poſſunt, pro varietate operum ſubiectorum illius artis. Idem habet S. Bonauen. *l.* 1. *Compend. Theol. cap.* 25. Et quod dixi de ſcientia, & arte, dic de dominio, quia reſpicit plures res, prout ſunt ſub vna virtute dominatiuâ.

Rationem hanc, ait Vaſq. ſe ex Durando collegiſſe, eamque ſibi adſcribit, Suar. *l. c.* Eam verò à D. Bonau. accepit ante eos Richard. *d.* 36. *ar.* 2. *q.* 3. *ad* 3.

Illud tamen carpit Vaſquez Ideam aſſeri à nobis diſtinctam à Verbo, quod oſtenſum eſt, *quæſt.* 2. Ex his habes etiam, malè Arriagam *d.* 23. *ſec. vltima*, dixiſſe, nullam cauſam exiſtere diuerſitatis Idearum, quàm vſum loquendi Philoſophorum, & Theologorum plurificantium Ideas, ad pluralitatem Ideatorum.

Obiicies primò, contra primum aſſertum ex D. Auguſt. *l.* 83. *q. c.* Ideæ ſunt formæ plures: Ergo abſolutè plures.

Respondet S. Bonauent. Ideas eſſe in Deo actum ſimpliciſſimum: vocari verò formas plures, ratione connotatorum. Neque ſtatim, ac audis formam, audis vnum abſolutum. Nam forma etiam, quæ eſt intrinſeca quidditas rei, refertur ad materiam: forma verò exemplaris, de qua agit D. Auguſt. refertur ad exemplata. 86

87 Obiicies ſecundò. Si vna eſſet realis Idea omnium, ſequeretur, non dari diſtinctionem rerum. Probatur ſeq. Quæ ſunt ſecundùm totum ſimilia vni tertio, ſunt ſimilia inter ſe. Sed per vos omnes res ſunt ità ſimiles, & eædem in diuina eſſentia Ideæ: Ergo & inter ſe; & ità non differt equus ab homine.

Respondet S.D. neg. Minorem, nam licèt ſimilitudo in genere, quæ eſt vnius, non ſit aliorum, genere diuerſorum; quia eſt finita, & accepta à rebus; tamen ſimilitudo extra genus poteſt plura diuerſa, exprimere, ita vt, licèt omnia ſint diuerſa repræſententur in infinita Idea, quæ eſt actus purus, & ipſa veritas, vt ſatis explicui, *q.2.fund.1.*

Obicies tertiò. Si eſt vna Idea. Vel eſt communis omnibus; & tunc nullam creaturam particularem repræſentabit in indiuiduo: vel eſt vna particularis, & tunc vni conueniet, non cæteris.

Respondet S. Bonau. eſſe vnam ideam vniuerſalem, eminenter continentem ſingula, dicto modo *q.2.* Sed de hoc iterum tidibit ſermo. *q.4.*

Obicies quartò. Vbi eſt vna Idea, ibi eſt vna tatio cognoſcendi præciſa. Idea per te eſt vna in Deo: Ergo eſt vna tatio cognoſcendi: Ergo non eſt cognitio plurium, quia cognitio eſt ſecundùm rationem cognoſcendi.

88 Reſpondet S. Bonau. In hoc ſtare Diuinam excellentiam, vt Deus vna ratione cognoſcendi omnia cognoſcat, quia illa tatio eſt infinitæ perfectionis.

Obiicies primò, contra ſecundum aſſertum. Si Ideæ ſola tatione diſtinguuntur; ſequitur eſſe plures fictè.

Respondet Seraphicus, ſubeſſe pluralitatem reſpectuum è reali pluralitate connotatorum, quam pluralitatem habent Ideæ, vt illa reſpicientes.

Secundum argumentum ſumebatur è ſimilitudine artis, quæ non multiplicatur ratione obiectorum, ſimiliter ex Verbo. Verùm id ſuprà ſolutum eſt, *n.85.*

Obiectas tertiò. Si Ideæ ſint plures ſecundùm connotata, ſequitur, quòd cum Ideæ ſint ab æterno, etiam connotata ſint æterna; vel ſi non ſunt ab æterno; ſequitur neque Ideas conuenire Deo, niſi in tempore, ſicut nomina *Creatoris, & Domini.*

89 Respondet D. Bon. creaturas connotari ab Ideis, vt ſunt in intellectu Diuino, qui eas reſpicit vt futuras: Et ità ſub hac ratione ab æterno connotantur in Diuino intellectu. Ex hoc verò non ſequitur, res ab æterno fuiſſe, quia connotantur vt futuræ. Sic reſpondent ex D.T. *ad* 3. Ægyd. *d.*36. §. *ſecunda principali, q.2.ad* 3. Richard. *l.c.ad* 1.

Igitur ea, quæ connotantur ad modum habitus ab æterno, poſſunt eſſe æterna *in connotatione*; ſed temporalia *in eſſe*; ſicut etiam prædeſtinati. Que verò connotantur ad modum actus; ſunt, cùm connotantur, vt homo *creatus*, *redemptus*, &c.

Obicies quartò. Si Ideæ ſunt plures ratione Ideatorum; vel ſunt plures, provt ideata ſunt in Deo; vel provt ſunt in proprio genere. Si primum: Contrà. Ideata in Deo ſunt vnum: Ergo non plures. Si ſecundum: Ergo cùm eſſe in proprio genere habeant ſolùm in tempore, vel ſequitur temporale eſſe cauſam æterni; vel Ideas eſſe ſolùm in tempore.

90 Respondet S. Bonauent. Ideas eſſe plures ratione connotatorum, vt ſunt in proprio genere; & licèt *illud eſſe* ſit temporale; tamen Ideæ ſunt plures ab æterno, quia reſpiciunt res ſecundùm eſſe, quod habituræ ſunt, vel poſſunt habere, provt ſunt in Diuina cognitione. Ita habet etiam Ægid. *ad* 1.

Obicies quintò. Ideæ, ſi ſunt aliquid reale in Deo, & plures. Ergo ſunt plures res in Deo ab æterno; & quidem non plures perſonaliter. Ergo eſſentialiter.

Respondet S Bonauen. neg. conſequentiam, quia 91
res dicit ens actu: Idea verò dicit reſpectum ad rem futuram, vel poſſibilem. Et ità cùm Ideæ in connotato includant pluralitatem rerum, non actu, ſed futurarum, provt ſunt in Diuino intellectu; non ſequitur, eas res eſſe debere ab æterno. An verò ſola ratione noſtrâ diſtinguantur, requirit alia in *q.6.* dicenda.

QVÆSTIO IV.

Quarum rerum dentur Ideæ.

{ D. Bonau. d.39. q.4. & d.36. ar 3.
D. Thom ar.7.

Henricus *quodl.7.q.5.* cenſuit, Ideas ſingularium non eſſe in Deo, ſed tantùm vniuerſalium.

Communiter tamen ſentiunt Doctores, dari Ideas ſingularium perfectorum, quia ad ea producenda ordinatur ars Diuina. Attamen diuerſa ſentiunt circa reliqua.

D.Thomas *ad* 4. cenſet, non dari Ideas generum 92
diſtinctas ab Ideis ſpecierum, quia genera in ſpeciebus continentur. Loquitur autem de Idea, pro vt ſignificat exemplar rei faciendæ; non pro vt Idea eſt ratio: aſſerit *quæſt.3. de verit.ar.8. ad* 2. etiam genera habere Ideas. Quò ad materiam verò aſſerit *ad* 3. *huius articuli*, non exiſtere aliquam illius Ideam, cùm ſit pura potentia: quem ſenſum communiter ſequuntur Thomiſtæ. Attamen Nazar. ad *hunc articulum, controu.vn. con.l.7.* cenſet è mente D.T. materiam habere Ideam, vt ratio eſt; vt verò vt exemplar, non habere ideam perfectè, ſed imperfectè. Sic habet *in 1.d.36 ar.vlt.* & *quæſt.3. de ver. ar.5.* & hoc idem eum voluiſſe *hîc*, ait Nazarius, non autem ſententiam retractaſſe, vt putat Caietanus. Quoad accidentia, quæ neceſſariò ſunt cũ ſubiecto, dicit ea habere eandem cum ſubiecto Ideam, vt eſt exemplar, nam hoc ſenſu, Idea ordinatur ad opus vnum. Eſt autẽ vnum opus ſubiecti, & accidentiũ eius: ea verò accidentia, quæ ſuperueniunt ſubiecto, aliam à ſubiecto Ideam habere, putat ob eandem rationem; quia fiunt poſt ſubiectum factum. Mali verò ideam negat D.Thomas vbique in Deo conſtanter, vt notat Nazarius. Quicquid dicat author tabulæ aureæ, *dub.* 713. vbi ait: D. Thomam concedere Ideam mali, pro vt cadit ſub cognitione practica, licèt non vt operabilis.

Molina ad *ar.cit. D.Thomæ* ait: Ideam vt exemplar eſſe ſolùm faciendorum: at vt rationem, eſſe omnium, quæ eſſe poſſunt. Singularium quidem indiuiduarum ſubſtantiarum eſſe diſtinctas Ideas: Vniuerſalium verò in eis incluſorum non eſſe diſtincta exemplaria. Accidentium verò, quæ & inter ſe, & à ſubſtantiis re ipſa diſtinguuntur, eſſe in Deo diſtinctas Ideas practicas. Materiæ verò primæ dari propriam Ideam; ſicuti tamẽ ex materia, & forma fit vnum per ſe: ità in Deo Idea materiæ efficit vnam Ideam, totalem cum Ideâ formæ ſubſtantialis, per quam informatur. Tandem mali, & aliorum entium rationis, non eſſe Ideam in Deo concludit.

Valentia *d.1.q.15 p.4.* ait: Ideam, vt exemplar, eſſe etiam rerũ merè poſſibilium. Deindè Ideam boni, eſſe etiam Ideam mali oppoſiti. Tandem materiæ primæ non eſſe Ideam, tanquam rei per ſe exiſtentis; aut in aliquo gradu ſpecifico per ſe conſtitutæ, ſed tanquam partis compoſiti. Et hanc ait eſſe mentem Angelici.

VASQVEZ *d.74.* vult, Indiuiduorum ſingulas dari Ideas: Deinde generum, & ſpecierum non eſſe Ideas diſtinctas ab Ideis ſingularium, ſiue futurorum, ſiue poſſibilium. Mox addit, materiam primam habere propriam Ideam, omni modo ſumptam. Similiter omnia accidentia, à ſubiecto realiter diſtincta, habere ſingulas Ideas, etiam practicas.

SVAREZ *l.3. de attrib. poſit. cap.5.* ait, Deum habere Ideas rerum ſingularium; non autem Ideas diſtinctas generum, & ſpecierum. Materiam porrò habere propriam Ideam, non ambigit.

TANNERVS *d.2. q.9. dub.2.* aſſerit, dari Ideas omnium ſingularium ſubſtantiarum perfectarum, ſeu futurarum, ſeu poſſibiliũ ſecundùm rationes indiuiduas.

An verò etiam ſecundùm rationes ſpecificas, & genericas; incertum eſſe. Deindè pergit, materiæ, & formæ non dari diſtinctas Ideas, quia Ideæ ſunt prototypa rerum faciendarum; at neque materia, neque forma per ſe fiunt; ſed compoſita. Addit, malorum nullas eſſe Ideas proprias, & diſtinctas. Accidentia verò, quæ inſeparabiliter comitantur ſubiectum, quia ſimul fiunt cum ſubiecto, non habere proprias Ideas; ea verò, quæ ſuperueniunt ſubiecto, probabilius eſſe ait, non habere ideas; licet incertum ſit.

NAZARIVS *loc. cit.* 1. negat, malum formaliter ha-
94 bere Ideam. Secundò, poſſibilia mera, non futura, habere Ideam; non vt exemplar; niſi virtute, ſed tantùm, vt rationem. Tertiò, genera, & ſpecies non habere Ideas, vt exemplaria ſunt, diſtinctas ab indiuiduis. Quartò, Ideam, vt exemplar, priùs reſpicere ſingulare, quoad naturam ſpeciei, quàm vt ſingulare eſt. Quintò, genera, & ſpecies habere in Deo propriam Ideam, vt eſt ratio. Sextò accidentia inſeparabiliter comitantia ſubiectum eandem cum ſuo ſubiecto habere Ideam; vt exemplar; reliqua verò diuerſam. Hæc tamen & illa propriam habere Ideam, prout eſt ratio. Septimò, materiam primam non habere Ideam, vt exemplar in Deo perfectè; ſed imperfectè; habere tamen Ideam, vt ratio eſt, aut ſimilitudo, tandem affirmat.

LVDOVICVS Ribas *trac.4. d.11. cap.3.* dicit, Deum habere Ideas tantùm entium realium, quorum valet quoquomodo eſſe cauſa libera. Ideò non entium, vel priuationum non dari Ideas; neque emanationum ad intrà, quia ſunt neceſſariæ. Hinc etiam infert, Deum non habiturum Ideas etiam creaturarum, ſi ageret neceſſariò, vt docet etiam Granado *t.1. trac.7. d.6.* qui tamen admittit, pictorem in amentiam lapſum, ac libertate carentem, vſurum exemplari.

95 Ità igitur Ribas ait, Deum habere Ideas omnium entium etiam poſſibilium, quæ nunquam erunt, vt ex eis ſeligat facienda; de cæteris debeat habere rationem, aptam dirigere, ſi vellet condere.

Vult hic haberi Ideas omnium indiuiduorum tam ſubſtantialium, quàm accidentalium, quæ re ipſa diſtinguntur. Ideò materiam habere Ideam, diſtinctam ad Idea formæ, & compoſiti. Sunt enim entitates diſtinctæ: accidentia quoque etiam cum ſubiecto producta, habere diſtinctas Ideas, quia ſunt à ſubiecto diſtincta. Vnam tamen eſſe Ideam totius, vnitate ordinis, vt exponit D.T. *q.15. art.3. ad 4.*

Vniuerſales naturas, non habere Ideas ab indiuiduorum Ideis diſtinctas, ait; ea enim nequeunt produci aliter, quàm ad productionem indiuiduorum.

MATERIALIA peccati, & habitos vitioſos habere Ideas, ait; concurrit enim Deus ad iſta ex cognitione practica; contra Granadum, *d.4.* cuius ratio erat, quia Deus horum non eſt cauſa ſimpliciter, & ſunt potiùs defectus. Sed reſpondet Ribas, nec Ideas eſſe cauſas ſimpliciter; eſſe tamen entitates, ad quas Deus ex cognitione cooperatur.

Quæ verò Seraphicus aſtruit exponam.

ASSERO primò, dari in Deo Ideas vniuerſalium.

PROBATVR à D. Bonau. *ad 1.* ex D August. *ep. 115.* vbi ait: *Dico quantùm ad hominem faciendum pertinet, tantùm quamdam hominis, non meam, vel tuam ibi eſſe rationem: Quantùm autem ad orbẽ temporis, varias hominum rationes in illa ſinceritate viuere.* Ità ſenſiſſe Augustinum fatetur Suarez: Quoniam verò ibi videtur negare, Ideas ſingularium, quas concedit, *l.83 qq. q.46.* & alibi, obſeruat, eum velle tantùm Ideas vniuerſales ſpecificas, &c. ſatiſque eſſe ad naturas, quo ad eſſentialia, prodocendas; attamen quoad indiuidua, quæ varia temporum curſu producit, dari etiam Ideas indiuiduorum. Ideò concludit, vt obſeruant Suarez, Vaſquez, & Margo Trigoſij. *Nam in diſciplina metiendi, alia eſt ratio anguli; alia quadranguli. Itaque quoties demonſtrare angulum volo, non niſi vna ratio anguli mihi occurrit. Sed quadratum non ſcriberem, niſi quatuor ſimul angulorum rationem intuerer: Ita quilibet homo vnâ ratione, qua homo intelligitur, factus eſt. At vt indiuiduorum diſtinctus populus fiat, quamuis & vna ratio ſit, non tamen hominis ratio, ſed hominum. Si ergo pars huius vniuerſi eſt Nebridius, ſicut eſt: & omne vniuerſum partibus conſiſtit, non potuit vniuerſi conditor Deus, partium rationem non habere.*

PROBATVR ſecundò à D. Bonau. *fund.2.* Omne ens 96
habet Ideam in Deo. Vniuerſale eſt ens. Ergo: Maior probatur, quia cognitio debet eſſe totius rei, vt ſit perfecta: Ergo cùm Deus intelligat omnia, quæ ſunt extra per Ideas: ſequitur, &c. Minor probatur. Nam datur conceptus communis verus, ſaltem fundamentaliter à parte rei; & formaliter in intellectu, ex quo apparet Ideas vniuerſalium formales, vt ſunt exemplaria, non eſſe in Deo, quia creatio eſt ſingularium; benè tamen, vt eſt ratio ſpectans ad perfectam cognitionem, quia vniuerſale eſt ante ſingularia, quæ ei addunt conditiones indiuiduantes, vt docet D Bonau.

ASSERO ſecundò, Deum habere Ideas etiam ſingularium.

PROBATVR à S D. *in fundamentis.* Intellectus di- 97
ſtinguens exactiſſimè res ſecundum rationes, habet rationes diſtinctorum. Intellectus Diuinus diſtinctiſſimè cognoſcit non modò vniuerſalia, ſed etiam ſingularia: Ergo.

Maior eſt D. Aug. *l.83. q.46.* Minor eſt de fide. 98

VRGET *eadem fund.* Producens diſtinctè, ſecundùm Ideas diuerſa indiuidua ſpecie, debet habere Ideam repræſentantem non modò eſſentialia; ſed & indiuiduantia; at Deus producit ſecundùm Ideas, diuerſas ſpecies rerum: Ergo. Maior & Minor eſt D. Auguſt. *loc. cit.* vbi diuerſitatem Idearum colligit ex eo, quòd equus eſt productus ſpecie diuerſus ab homine; vnde requiri, ait, etiam diuerſas Ideas. Itaque cùm & Petrus producatur diuerſus à Paulo indiuidualiter, debent dari Ideæ etiam indiuiduales vtriuſque. Hoc argumento probatur etiam, dari Ideas accidentium, quia diuerſa eſt entitas eorum ab aliis entitatibus. Nam Idea, quæ eſt exemplar, ſolùm addit ſuper Ideam ſpeculatiuam, eſſe principium operis, vt arguit etiam Vaſquez, *numero 11.*

SECVNDVM fundamentum. Cognitio diſtinctiſſima 99
eſt totius entis diſtinctiſſimè. Deus cognoſcit diſtinctiſſimè. Ergo non modò naturam hominis vniuerſalem; ſed etiam additas conditiones indiuiduantes: Ergo habet earum Ideas.

TERTIVM fundamentum. Eorum habet Deus Ideas, 100
circa quæ, diuerſo modo operatur ſua voluntate. Sed Deus operatur diuersè circa prædeſtinatos, & circa reprobos. Hos reprobando: illos eligendo: Ergo.

QVARTVM fundamentum. Ideæ multiplicantur in diuinis,

diuinis, ratione reſpectus ad Ideata: Ergo ad multiplicationem horum, multiplicantur Ideæ. Sed homo multiplicatur in Indiuiduis, ſicuti etiam Leo, Bos, &c. Ergo & Ideæ:

101 PROBATVR quintò à D. Bonau. *in corp.* Idea toties multiplicatur: quoties exiſtit ſimilitudo ad cognitionem; & exemplar ad praxim. Sed Ideæ ſunt ſimilitudines multiplices indiuiduorum; alioqui Deus illa non cognoſceret, nec ad Ideas reſpiciendo illa produceret, contra D. Aug. *l. c.* Ergo.

ASSERO tertiò, dari in Deo Ideam materiæ primæ, formæ, & accidentium.

101 PROBATVR à D. Bonau. 1. *d.* 35. *arg.* 2. allato pro prima aſſertione. Omne ens actu habet Ideam. Materia eſt ens actu entitatiuo prædita: ſimiliter, & accidentia ſunt entia actu diſtincta: Ergo. Minor oſtendetur quoad materiam, *tr.* 5. *d.* 1. *q.* 12. Altera pars patet, è ſeparabilitate accidentium à ſubiecto.

PROBATVR etiam argumento 1. 2. *&* 4. allatis pro ſecunda aſſertione.

103 PROBATVR verò ex profeſſo à S. Bonau. *d.* 36. *quaſt. vlt. in fundamentis.* Primò è D. Auguſt. *ep.* 115. Secundo, Omnis cognitio Dei eſt à priori. Sed in compoſito, priùs ſunt componentia, è quibus eſt materia, & forma in compoſito ſubſtantiali; & accidentia in accidentali. Ergo priùs hæc Deus cognoſcit. Viget hoc, quia Deus, vt operetur compoſitú, opus eſt, vt videat è quibus componentibus id præſtet, ne caſu cóponat, ad morem atomorum Anaxagoræ. Tertiò Diuinum exemplar exprimit rem ſecundùm totam entitatem: Ergo etiam ſecundùm partes. Quartò probat in *corpore.* Omne, quod habet entitatem, poteſt aſſimilari in Deo, ſecundùm illam rationem entis, quam habet. Materia eſt ens: Ergo.

104 Reſpondet D. T. *in* 1. *loc. cit.* Diuinam eſſentiam imperfectè eſſe imitabilem à materiæ eſſentia. Verùm omnia infinitè diſtant à perfecta Dei imitatione. Præterea accidentia, quæ ſuperueniunt ſubiecto, ſunt imperfectiora, quàm materia; quia accidens non eſt ens; ſed entis ens; & tamen ſecundùm D. T. *hic, p. p. ad* 3. habent diſtinctam Ideam. Igitur reſpondet Seraphicus *d.* 38 *ar.* 3. *quaſt.* 1. *ad* 2. quòd, licèt imperfecta non habeant aſſimilationem cum Deo, in conditionibus ſpecialibus; habent tamē in generalibus. Et hoc ſufficit; habent enim omnia rationem boni, & pulchri & entis.

ASSERO quartò, mala non habere in Deo Ideam.

105 PROBATVR à D. Bonau. *d.* 36 *art.* 3. *quaſt.* 1 primò è D. Auguſt. *lib.* 3. *de lib. arb. cap.* 14. vbi ait: *In tantum res rectè vituperantur, in quantum earum vituperator artem, in qua factæ ſunt, videt, vt hoc in eis vituperet, quod in arte non videt.*

SECVNDÒ. Omne, quod eſt in Deo Idealiter, eſt in ipſo, & per ipſum, ſeu per artem eius, è D. Auguſt. *l. de præd. ſanct. c.* 10. & Magiſtro *d.* 36. Sed mala non ſunt ex Deo, nec per Deum: Ergo. Hac ratione vtitur Tannenis *n.* 6. D. T. *q.* 3. *de ver. ar.* 4. Nazar. *l. c. §. Reſolutio;* Caſpenſ. *d.* 12. Morand. *Append.* Maior eſt Ariſt. 6. *Phyſ.* vbi docet, Artem eſſe principium factiuum cum ratione.

106 TERTIÒ. Ratio exemplaris attenditur ſecundùm aſſimilationem. Sed Dei ad malum nulla eſt aſſimilatio: Ergo. Probatur Minor; quia optimum ſummè diſtat à malo. Deus eſt optimus, & ipſa Bonitas: Ergò. Hac ratione vtuntur communiter. Idem quoque dicendum de falſitate, aduertit Seraphicus.

107 PROBATVR quartò à S. Bonauen. *in corpore.* Quia ſicut rectum eſt Index ſui, & obliqui; ſic ſumma Veritas, & Lux, & Ars, eſt ratio cognoſcendi non tantùm lucem, veritatem, & actum; ſed etiam obliquitatem, tenebram, & priuationem.

Deindè id probat, quia Idea eſt, ſecundùm quàm Deus omnia producit, è D. Auguſt. *l.* 83. *q.* 46. at Deus non producit malum: Ergo.

OBIICIES primò contra primam aſſertionem, cum Suarez, & Riba. Species non fiunt niſi in indiuiduis. Vnde non fiunt niſi per ideas indiuiduorum. Ergo non dantur Ideæ ſpecierum.

Reſpondetur cum D. Bonauent. Ideas vniuerſalium diſtinctas, non dari in ordine ad praxim, quia non fiunt extra ſingularia; dari tamen, vt rationes cognoſcendi. 108

Obijcies ſecundò. Si Deus videret vniuerſalia in ſuis Ideis diſtinctis, haberet primò conceptus confuſos rerum: deindè diſtinctos.

RESPONDET D. Bonau. neg. ſeq. imò quia vniuerſalia ſunt rerum conſtitutiua in eſſe quidditatiuo, oportet, vt ea ſint Deo nota; neque tamen priùs habet ſeorſum conceptus confuſos; ſed vno actu ſimpliciſſimo videt etiam indiuidua clarè. 109

Obiicies tertiò cum Vaſquez; Deus non diſtinguit obiectiuè indiuidua, & ſpecies, abſtrahendo vniuerſalia, vt facimus nos: Ergò non habet diſtinctas eorum Ideas.

Reſpondetur, Deum cognoſcere abſque vlla abſtractione, non modò rationes indiuiduas diſtinguentes ſingularia; ſed etiam rationes conuenientiæ in eſſe ſpecifico, atque generico. Hæc autem conuenientia, & ſimilitudo non includitur in conditionibus indiuiduis, & hæc nemo poteſt inficiari, vt aduertit Suarez ipſe; quo fit, vt habeat diſtinctas Ideas ſpeculatiuas. 110

Obiicies primò contra ſecundum aſſertum. Quod eſt ſummæ nobilitatis, eſt Deo attribuendum. Sed vnâ Ideâ condere multa, eſt ſummæ nobilitatis, & laudatur in artifice creato.

Adde, Ideas indiuiduorum eſſe magis compoſitas, quàm Ideas ſpecierum; & Ideas ſpecierum magis, quàm Ideas generum. Hæc ferè opponit Henricus.

RESPONDET S. Bonau. neg. Minorem. Non enim poteſt ſpecies vniuerſalis continere indiuiduas rationes diuerſas, quibus tanta indiuiduorum varietas producatur. Sic Idea hominis præciſa non poteſt eſſe ratio producendi Petrum album: Paulum nigrum. Hunc ingenioſum: illum ſtolidum; & alias ſexcentas varietates, quæ vni ſoli nequeunt conuenire. Quod ſi artifex creatus eâdem Ideâ domus multis applicatâ, multas domos molitur; quid mirum? Sunt enim eiuſdem rationis, eodem ordine puta Corinthio, Ionico, &c. Totidem ornatam aulis, tot patentem feneſtris videbis. Neque ſequitur compoſitio aliqua. Nam Architectus etiam creatus habet Ideam Vaticani, vt ſimplicem qualitatem; multò magis Deus, qui compoſita ſimpliciſſimè nouit, vt ait D. Auguſt. & D. Bonau. *ad* 3. Vnde & *ad* 4. negat, ſequi in Deo priorem eſſe cognitionem in Idea vniuerſali, quam in ſingulari: vt volebat Suarez *arg.* 2. contra primum aſſertum. 111

OBIICIES cum D. Th. contra tertium aſſertum. Exemplar, vt ſic, eſt forma, & actus purus, & ſimplex, excluditque potentiam, quæ eſt materia, & compoſita, atque imperfecta.

Reſpondet Vaſquez *num.* 9. cum D. Bonau. *ad* 3. Materiam habere aliquam entitatem ad praxim, & ideò habere etiam Ideam, quia non poteſt illa entitas eſſe Deo ignota. Et quamuis materia habeat actum entitatiuum, non formalem; habet tamen in ſua ratione bonum, quod cum ente conuertitur. Eſt enim ſubſtantia, quæ creatur, vt concedit D. Th. 112

OBIICIES ſecundò. Artifex eâdem Ideâ cognoſcit

domum

domum, & accidentia eius: Ergo & Deus eâdem Ideâ cognoſcit hominem, & eius accidentia.

Responsetvr, artificem habere quidem Ideam adæquatam domus; tamen habere Ideas partiales etiam cubiculorum, feneſtrarum, &c. Sic etiam Deus, licèt ſimpliciſſimam habeat, & quidem ad opus, vnam Ideam hominis, & accidentium, vt conſtituat Petrum; attamen, vt cognoſcat, habet Ideas ſpeculatiuas diſtinctas. Nam accidentia aliqua vni conueniunt; alteri non, ſaltem in eadem perfectione.

Obiicies primò contra quartum aſſertum. Omne, quod cognoſcitur ab aliquo, qui eſt ſua cognitio, & ſibi ratio cognoſcendi, eſt in illo tanquam in cognoſcente. Deus eſt talis cognoſcens mala: Ergo mala ſunt in illo, vt Idea, & exemplari.

113 Respondet S. Bonau. arguere, aliquid eſſe in Deo ſimpliciter, quia eſt in eo, vt cognoſcente; eſſe fallaciam accidentis, quæ committitur, quando ex duobus diuiſim ſumptis infertur aliquid coniunctum ſecundùm accidens. Vt, iſte eſt albus. Iſte eſt monachus: Ergo eſt monachus albus: non valet; ità & *hic*. Quælibet præmiſſarum eſt vera. Sed conſequentia falſa, quia quamuis ſit idem cognitio Dei, & Deus; tamen aliud connotat eſſe in cognitione Dei, aliud eſſe in Deo, vt exemplari. Nam primum conuenit omnibus, quæ cognoſcuntur à Deo, ſiue ſint bona, ſiue mala, eſſe verò in Deo, conſideratur in eo ſecundùm aliquod genus cauſæ; & eſſe in Deo, vt exemplari, eſt eſſe in eo, vt faciendum. Sicut igitur non valet: Scientia, & potentia Dei ſunt idem. Sed mala culpæ ſunt in ſcientiâ Dei. Ergo & in potentiâ, committiturque fallacia antecedentis, & etiam fallacia conſequentis ad poſitionem antecedentis, vt ſi Mel eſt; rubeum eſt: Ergo ſi rubeum eſt, mel eſt; non valet. Ita in propoſito, ſi mala ſunt in ſcientia Dei: Ergo & in exemplari, atque adeo in potentia; non infertur.

Obiicies ſecundò. Deus cognoſcit mala in ſeipſo, non extrà. Ergo habet in ſua Idea malum.

114 Respondet S. Bonau. eam eſſe fallaciam conſequentis; quia plus ponitur in eo, quàm ſit in antecedente. Nam eſſe in Deo, vt cognoſcente in ſe, ſolùm requirit, vt Deus in ſe habeat rationem cognoſcendi, vel directè, vel indirectè, vti diximus, Ideam boni eſſe indirectam rationem cognoſcendi malum; at habere in ſe mala, requirit vt Deus ipſe ſit eorum exemplar.

Obiicies tertiò. Si Deus cognoſceret mala in Idea boni, cognoſceret ea per accidens.

115 Respondet S. Bonau. eam non eſſe cognitionem per accidens ex parte Dei; ſed ex parte cogniti, quod non poteſt habere ſui Ideam.

Contra hanc reſponſionem arguunt D. T. 1. *d.*36. *quæſt.*1. *ar.*2. *ad* 4. & Ægid. *ead. diſt.*1. principaliter *q.*2. *ad* 3. quia cognoſcere per aliud eſt imperfectionis, quæ à Deo abeſt.

Respondet S. Bonauent. in *fundamentis* imperfectionis non eſſe cognoſcere per aliud, quod non poteſt cognoſci per ſe. Iam verò mala non habent, quo per ſe cognoſcantur, quia cognitio fit per aſſimilationem; nil autem habent, quo Deo aſſimilentur, neque habent vt Deum cauſam, & conſequenter neque vt exemplar.

116 Obiicies quartò. Quod non cognoſcitur ab aliquo per priuationem, cognoſcitur per ſimilitudinem, & Ideam. Malum non cognoſcitur à Deo per priuationem, quia nulla poteſt in illo Exemplari cadere priuatio, cùm ſit purus actus. Ergo ſi cognoſcit mala, non cognoſcit per priuationem; ſed per ſimilitudinem. Sed hæc eſt Idea: Ergo.

117 Respondet S. Bonauen. cognoſcere per priuationem, quæ ſit in cognoſcente; vt cùm oculus videt tenebras, quia priuatus eſt luce; eſſe imperfectionis; at cognoſcere priuationem, quæ ſit in obiecto cognito, non eſt imperfectionis; ſicuti, ſi lux haberet cognitionem, intelligeret carentiam ſuæ perfectionis fore priuationem, quam tamen ipſa non haberet, & hoc modo Deus cognoſcit mala per priuationem. Eodem modo reſpondet Alenſis, vtens eodem exemplo; quod eſt S. Dionyſij. Sic & Ægidius reſpondet *l.c.*

S. Thomas reſpondet *ad* 3. Deum, contemplando eſſentiam ſuam, comprehendere vnam quamque rem, quantùm de ſua bonitate participet, & in quo deficiat, & ità cognoſcere malum, quod eſt bonitatis priuatio. Et hoc modo cognoſcit Deus etiam imperfectiones formalitatibus rerum intimas; vt dixi *quæſt.*2. *fund.*1. Cum S.S. D.D. 118

Ex his poteſt exponi id, quod ait Ægid 1. *d.*36. *quæſt* 1. *ar.*2. vbi docet, Deum per cognitionem ſuæ eſſentiæ ſolius cognoſcere omnia mala. Non enim eſt Seraphico contrarius, vt putant aliqui; ſed vult, cognoſcere mala immediatè in eſſentia ſua, vt dicebat D. Bonau. per priuationem boni oppoſiti creati; vt dixi, *d.*13. *quæſt.*15.

QVÆSTIO V.

Quot ſint Ideæ.

{ D.Bonau. quæſt 5. d.35.

ASSERO Ideas in Deo eſſe infinitas, ratione diſtinctas, vt ſuprà.

Probatvr à D. Bonau. 1. ex D. Auguſt. 9. *de ciu. cap.*20. *Vna eſt ſapientia, in qua infiniti ſunt theſauri rerum intelligibilium.* & ex eodem *lib.*6. *de Trin. c.*10. vbi ait: *Filius eſt ars plena omnium rationum viuentium.* Sed ars illa eſt infinita: Ergo. Idem confirmat ex Pſal. 146. *Sapientia eius non eſt numerus.* Certum eſt quidem, vnam eſſe ſapientiam, vt in Deo. Ergo ſi innumerabilis eſt; hoc euenit ratione Idearum. 119

Probatvr ſecundò à D.Bonau. Deus cognoſcit omnes ſpecies numerorum. Sed hæ ſunt infinitæ. Ergo habet Ideas infinitas. Hinc verò Marginiſta Trigoſius malè deducit, poſſe produci infinitum in actu. Hoc enim ſatis exploditur à D. Bonauent. *ad* 2. & alibi, vt oſtendam, *diſp. de potentia*: & oſtendi *d.*6. *quæſt.*2. Benè tamen ex hoc habetur, poſſe Deum alias, & alias rerum ſpecies in infinitum perfectiores producere.

Probatvr tertiò à S. D. Agens per intellectum, habet Ideas eorum omnium, quæ poteſt producere: Sed Deus eſt agens per intellectum, potens infinita producere: Ergo habet Ideas Infinitas. 120

Probatvr quartò à S. D. Omnibus finitis poſſunt excogitari plura, quia omni finito poteſt excogitari aliquid maius. Sed neque Deus, neque creaturæ habent plura, quam ea, quæ cognoſcuntur à Deo, alioqui eius ſcientia eſſet finita: Ergo.

Ervnt igitur rerum poſſibilium Ideæ infinitæ: & futurorum tot, quot ſunt res futuræ. Ita cum D.Bonauen. communiter Theologi, D.T. *q* 15. *ar.*2. Alenſis *p.p.q.*23. *m.*4. Albertus, & Heruæus 1. *d.*35. Scotus *d.*36. *q.*1. Ibi Durand. 4. Richard. *ar.*2. *q.*3. & cæteri, vt refert Suarez *l.*3. *de attrib. Dei poſit. c.*5. *n.*14. Argumenta in oppoſitum facillima ſunt. Vide etiam Trigoſium *q.*11. *ar.*6. De his alibi dicam.

QVÆSTIO VI.

An Ideæ Ordinem habeant.

NOTAT Trigoſius, quæſtionem inſtitui à D. Bonauen. de Ideis tantùm exemplaribus; ideſt, futurorum, in quibus poteſt eſſe ordo.

QVÆRIT autem: An, ſicut ad Ideata habent Ideæ reſpectum, habeant etiam ordinem inter ſe, vel prioritatis, vel originis, aut nobilitatis.

ASSERO primò, Ideas uon habere ordinem inter ſe aliquo modo.

121 PROBATVR à D. Bonauent. primò. Quia ſi daretur ordo originis, vna procederet ab alia, & ſic producta à producente realiter differret. Si ordo prioritatis, vna eſſet poſt aliam. Si ordo nobilitatis, vna eſſet infra Deum; at omnes ſunt eſſentia Diuina, ſimpliciſſima, æterna. Ergo.

122 PROBATVR ſecundò à S.D. *fund.* 3. Omnis infinitas tollit ordinem, aut perfectionem eius, & complementum. Sed in Ideis eſt infinitas. Ergo vel nullus ordo, vel incompletus. Sed non datur ordo incompletus, & imperfectus, quia in Deo non poteſt eſſe: Ergo. Probatur Maior: quia infinitas, dari primum, & ſecundum prohibet: Ergo tollit ordinem: tollit verò perfectionem ordinis, quia numerus eſt in infinitum augmentabilis, quia non poteſt dari tam magnus, quin detur Maior; & ſic ſemper eſſet incompletus, ſi eſſet infinitus.

Ex hoc argumento habes, Seraphicum agere etiam de Ideis poſſibilium, inter quas dubitari poteſt; an ſit ordo prioritatis, originis, & nobilitatis; ſicuti ſi daretur cumulus infinitus è milio, tritico, & lente conflatus.

123 PROBATVR tertiò à S.D. *in corpore.* Quæ ſunt vnum ſimpliciſſimum, non ſunt ordinata. Ideæ ſunt vna ſimpliciſſima eſſentia Diuina · Ergo.

ASSERO ſecundò, Ideas dicere ordinem ad Ideata.

PROBATVR à D. Bonau. 1. è D. Aug. *l.* 83 *qq. q.* 46. vbi habet. Alia ratione conditus eſt homo: alia conditus eſt equus.

124 PROBATVR ſecundò à D. Bonau. *in corpore.* Ideæ ordinantur ad plura ideata producenda, ideò de ratione ſui nominis dicunt reſpectum ad ideata. Ergo habent ordinem ad illa.

ORITVR verò hîc quæſtio: An iſte ordo, ſiue hæc relatio ad ideata ſit intrinſeca, & eſſentialis Ideæ. Huic nectitur alia difficultas. An reſpectus ille rationis Idearum ad ideata diſtinguatur à ſolo intellectu viatore: An etiam à Beatis, & ipſo Deo.

125 VASQVEZ *d.* 73. adeò alienum putat reſpectum rationis, quo Ideæ diſtinguuntur, eſſe conſtitutiuum Idearum, vt ſit mera noſtri imperfecti intellectus excogitatio; & ita neque à beatis, neque à Deo Ideas diſtingui. Idem exiſtimat Valentia, *q.* 15. *p.* 4. Suarez *l.* 3. *de attrib. Dei poſit. c.* 5. Tannerus, *d.* 2. *q.* 9. *dub.* 2. & dicunt, eam eſſe communem ſententiam. Theologorum D.T. *q.* 15. *ar.* 2. Alenſ. *p. p. q.* 23. *m.* 4. D.Bonau. Alberti. Heruæi 1. *d.* 35. Scoti *d.* 36. *q. vn.* Durandi *q.* 4. Richardi *ar.* 2. *q.* 3. Capreoli, *q.* 1. *ar.* 1. & aliorum omnium. Volunt igitur, relationem non in formali ſignificato includi, ſed in modo ſignificandi. Idem ſentit Capreolus, 1. *d.* 36. *ar.* 1. Caſpenſis, *d.* 12.

ATTAMEN ſententia multorum eſt, præcipuè Thomiſtarum, Idearum relationes eſſe, non quidem differentias conſtitutiuas earum, ſed pertinere ad modum Intrinſecum. Ita Caietan. *ad ar.* 2. *q.* 15. & omnes moderni expoſitores D. Thomæ, quos referunt, ſequunturque Nazarius ibi *controu.* 2. Bannes, Zumellus *ibi*, & Trigoſius *quæſtione* 11. *art.* 3. *dub.* 5. §. *Tertio nota*, vbi ait, priorem opinionem eſſe contra D. Bonauent. & D.Thom. Pro hac adducunt D. Thom. *de ver. quæſtione tertia, artic. ſecundo, in corp.* imò in *reſp. ad* 2. videtur aſſerere, Ideam principaliter in ſua eſſentia dicere relationem.

SENTENTIA D. Bonauent. *d.* 35. *quæſtione* 3. *in corpore*, eſt, Ideas formaliter eſſe quid abſolutum, tamen ſecundùm modum intelligendi, atque dicendi, reſpectum includere ad creaturas. Hoc quidem aliqui aſſerunt de D.Thoma. 126

VIDETVR autem S.Doctor. *hic*, & *p. p. Breuil. cap.* 8. & *l.* 1. *Compend. Theol. capite* 25. admittere, Ideas percipi à Deo diſtinctas, non quidem per aliquid abſolutum, aut relatiuum reale; ſed quia infinità ſuæ cognitionis luce, comprehendit ſuæ Ideæ virtualitates, quibus ab innumeris creaturis, innumeris modis, eſt participabilis; non quod effingat aliquid, vel diuidat id, quod eſt vnum; ſed quia infinitas virtualitates vnius eſſentiæ Diuinæ percipit, vt dixi.

ASSERO primò, Deum actu directo cognoſcere Ideas virtualiter diſtinctas. Ita vult S. D. *d.* 35. *quæſtione* 3. *ad* 3. & alibi, dum ait: Ideas ab æterno continere Ideas habitu, idque paſſim probat in quæſtionibus iſtis. Idem aſſerit Valentia *loc. cit. ad* 1. dum ait, Ideas plures eſſe virtualiter, quatenus ità repræſentant plura; ac ſi vnum ſolùm repræſentarent adæquatè. 127

PROBATVR à D. Bonauent. *d.* 35. *quæſtione primâ*, primò è D. Auguſt. *l.* 83. *qq. quæſtione* 46. vbi docet, *Ideas eſſe formas æternas, incommutabiles in Diuina mente, & intelligentia.*

SECVNDÒ. Omne agens rationabiliter, non caſu, vel neceſſitate præcognoſcit diſtinctè res faciendas. Sed omnis cognoſcens habet rem cognitam vel ſecundùm veritatem, vel ſecundùm ſimilitudinem; res autem antequam ſint non poſſunt haberi à Deo ſecundùm veritatem: Ergo ſecundùm ſimilitudinem, & Ideam: Res autem ſunt plurimæ, & diuerſæ: Ergo diuerſas Ideas cognoſcit. 128

TERTIÒ. Omne, quod determinatè ducit in cognitionem alterius, habet penes ſe ſimilitudinem cogniti; vel ipſum eſt eius ſimilitudo. Sed ſpeculum æternum mentes videntium ducit in cognitionem diſtinctam creaturarum, quia ſicut dicit D. Auguſt. 11. *de ciu. capite* 9. *Rectius ibi cognoſcunt, quàm alibi*: Ergo in Deo ſunt diſtinctæ ſimilitudines, cognitæ ab ipſo Deo.

PROBATVR quartò *in corpore.* Id, quòd ſummè exprimit, perfectiſſimè aſſimilat cognitum ſecundùm differentias. Tales ſunt Ideæ: Ergo. Confirmatur; nam eſſentia cognita comprehenſiuè, eſt ſumma Lux, ſuma Veritas; ideò exprimit, quibus modis ſit participabilis extrà. eſt quoque ratio D. Thom. *artic. ſecundo.* 129

PROBATVR quintò à D. Bonauent. *quæſtione* 2. *in fundamentis.* Conditor, qui producit vnum, diuerſa ratione ab alio diſtinctum; diſtinctè etiam cognoſcit rationes producendi. Sed Deus alia ratione condidit hominem; aliâ equum, &c. ex D.Aug. *l.* 83. *qq. quæſt. loc. cit.* Ergo Confirmatur à D.Bonau. *ibi*, quia D.Aug. & alij Patres exprimunt Ideas in numero plurali, ſecundùm earum eſſe. 130

PROBATVR ſextò à S. Bonauent. *ibi.* Idea dicit ſimilitudinem ad cognitum. Sed ſimilitudo quamuis ſit quid abſolutum, habet tamen modum ducendi ad alterum, ſiue reſpectum: ſed plurificatio ſimilitudinis relatiuæ eſt à rebus, quibus aſſimilatur. Ergo cùm res 131

Idearæ

Ideatæ ſint plures, erunt plures & Ideæ ſecundùm modum intelligendi. Idem habet *in corpore*, vbi ſic arguit: Id, quod eſt ratio cognoſcendi plura diſtincta, debet habere in ſe aliquam diſtinctionem cognitam, vel actualem, vel virtualem, ſecundùm diuerſitatem cognitorum. Sed Ideæ ſunt tales: Ergo.

132 Probatvr ſeptimò *ad* 3. Id, quod connotat plura, vt plura ſunt, habet aliquid, per quod plura in eo videantur. Tales ſunt Ideæ: Ergo.

Probatvr octauò à S. D. *q.*4. *fund.*1. Id, quod eſt ratio diſtinguendi plura diſtinctè, debet virtute ſaltem plurificari in cognitione. Tales ſunt ideæ, è D. Aug. *loc. cit.* Ergo.

133 Probatvr nonò, *fundament. tertio*, Deus, reſpiciens in Ideis, diuerſa operatur, Verbi gratia, aliquos prædeſtinans; alios reprobans. Ergo habet aliquid cognitum virtualiter diſtinctum, per quod iſtos ab aliis ſecernit. Confirmatur à Seraphico *in corpore*, è D. Auguſtin. *ep.*115. vbi ait: *Varias hominum rationes in illa ſinceritate viuere.* Vbi S. Auguſtin. aſſignat: Quid ſint illæ Ideæ, non quomodo à nobis concipiantur.

Confirmatur à D. Bonauent. *quæſtione quintâ, argument.* 1. è D. Auguſtin. 9. *de ciu. capite* 20. vbi ait: *Vna eſt ſapientia, in qua ſunt infiniti Theſauri rerum intelligibilium.*

134 Probatvr decimò *quæſtione quintâ, fundament.*4. Nihil poteſt Deus producere, cuius non habeat cognitionem, & Ideam. Deus poteſt infinita producere: Ergo habet infinitas virtualiter diſtinctas, & cognitas Ideas. Argumentum eſt D. Aug. *l.*83.*q.q.q. cit.*

Assero ſecundò, Ideas non includere reſpectum rationis, vel tanquam differentiam, aut rationem formalem; vel tanquam modum intrinſecum.

135 Probatvr à D. Bonauent. *d.*35. *quæſtione* 2. Vel ille reſpectus conſtitutiuus intrinſecè, ſeu completiuus Idearum modus, eſt aliquid, vel nihil. Si nihil, non poteſt conſtituere Ideas, quæ ſunt ipſe Deus. Si aliquid. Contrà. Quicquid eſt in Deo, eſt ipſe Deus. Sed reſpectus rationis non eſt Deus: Ergo non conſtituit Ideam; alioqui Deus conſtitueretur per ens rationis. Hac ratione vtuntur Valentia, & Suarez.

Respondet Trigoſius, hoc argumentum probare tantùm, relationem rationis non eſſe conſtitutiuam quidditatis Ideæ; at verò non probare, quòd non ſit conſtitutiua alicuius modi intrinſeci; ſicuti nec opinio dicitur ens rationis; licèt dicat priuationem certitudinis, quæ eſt relatio rationis; neque fides, quæ includit priuationem claritatis, quæ eſt entitas rationis, dicitur ob id ens rationis. Poteſt enim aliquod ens in reale includere in ſui complemento ens rationis.

136 Contra primò, quia non eſt ad rem afferre exempla creata, quæ admittunt mixtionem ex ente reali, & rationis. At Ideæ ſunt ipſe Deus, de quibus aſſeruntur à Patribus propoſitiones, quæ enti rationis nequeunt adaptari; aſſeruntur enim eſſe ſuperſubſtantiales, atque Diuina ſubſtantia, quæ ens rationis penitùs excludit.

Deinde carentia certitudinis in opinione, & obſcuritas in fide, quæ dicit carentiam claritatis, non ſunt entia rationis; ſed negationes entis realis, connotatæ ab ente reali oppoſito.

137 Probatvr ſecundò, argumento Scoti. Si relatio eſſet de intrinſeco ideæ conceptu; ſequeretur, Deum non videre primò creaturas in Ideis. Sed hoc eſt falſum, vt dictum eſt *tota hac diſputatione*, & *diſp. præcedenti, quæſtione* 6. & *ſequentibus*: Ergo. Probatur ſequela. Vt cognoſcatur relatio debet priùs eſſe cognitum fundamentum. Sed fundamentum conſtitutiuum relationis Idearum eſt creatura. Ergo debet eſſe priùs cognita creatura, quàm ille reſpectus rationis concipiatur. Eſt S. Bonau. *d.*35 *q.*1.

Reſpondet Trigoſius, negando ſequelam, quia ille reſpectus ſequitur cognitionem Diuinam, qua Deus cognoſcit creaturas in ſua eſſentia. Imò ille reſpectus quodammodo efficitur, & producitur per Diuinam cognitionem; quatenus illa cognitio facit comparationem, in actu exercito, Diuinæ eſſentiæ ad creaturas. Itaque negatur ſequela; quia Idea non eſt Deo ratio cognoſcendi, ſecundùm eſſe reſpectiuum; ſed ſecundùm eſſe abſolutum, quod illi reſpectui rationis præſupponitur.

Verum non effugit, neque aliud facit, quàm re- 138
petere ſuam opinionem. Si enim reſpectus rationis eſt modus intrinſecus complens Ideam; ſequitur, Ideam ante illum reſpectum non eſſe completam in eſſe Ideali. Sed ille reſpectus eſt poſt cognitionem directam creaturarum: Ergo cognitio directa creaturarum non poteſt eſſe primò ex Ideis: quia nondum Ideæ ſunt completæ; contra ea, quæ ſuprà dixi.

Nos autem non offendimus in hunc lapidem; nam dicimus, Deum cognitione directâ videre Ideas, quæ ſunt eſſentia Diuina, vt innumeris modis participabilis, eo quòd eſt actus purus, eas comprehendens intellectu infinito, qui videt non ſolùm participationem gradum Diuinæ perfectionis; ſed etiam quid ſingulis creaturis conſequenter deſit in ſingulis participationibus. Hinc fit, vt videantur Ideæ in connotatione creaturarum, quæ referuntur ad Deum conſequenter. Ex quo poſtea ſequitur relatio rationis Idearum ad creaturas, quæ eſt poſterior Ideis.

E quibus ſequitur, relationem rationis eſſe ad Idearum entitatem extrinſecam. Nihil enim entis rationis poteſt ingredi rationem entis realis Diuini. Ideæ ſunt ens reale Diuinum: Ergo.

Obiicies primò. Etiam in tua ſententia, Idea eſt ens rationis, nam dicit eſſentiam, vt intellectam à Deo.

Respondetvr, non eſſe ens rationis, quia intel- 139
lectio Dei non eſt aliud extrinſecum ad eſſentiam intellectam; ſicut apud nos extrinſeca eſt ad obiectum, intellectum per illam; ſed eſt intrinſecè ipſa eſſentia Diuina; atque, vt intellecta à Deo, eſt ens reale, vt notat Valentia *l.c. ad* 2. poſt Caietanum *hic. art.*2.

Obiicies ſecundò. Si ob diuerſos reſpectus rationis, qui non obiectiuè, ſed formaliter tantùm ſignificentur vocabulo Idearum, dicuntur in Deo eſſe plures Ideæ, poſſunt etiam dici in Deo eſſe plures ſpecies intelligibiles: Nam eodem modo eſſentia Diuina, vt eſt Deo vice ſpeciei intelligibilis huius, vel illius rei, alium, & alium reſpectum rationis habet ad hanc, & illam rem; at nemo Theologus poſuit hactenus in Deo plures ſpecies intelligibiles: Ergo

Respondet Valentia poſt D.T. *ad* 2. Si rem ipſam 140
ſolam ſpectemus, poſſe ſimiliter diſtingui in Deo plures velut ſpecies intelligibiles, iuxta varios reſpectus rationis eſſentiæ Diuinæ ad res: attamen in modo loquendi, cautè incedendum, quia diſpar eſt ratio: Nam multiplicatio Idearum ſe habet, vt multitudo obiectorum cognitorum; plurima autem obiecta cognoſcere, non eſt imperfectionis; ſed perfectionis; at verò ſpecies intelligibilis ſe habet vt principium intellectionis; multiplicare autem principia intellectionis ſonat imperfectionem.

Verum tamen non ſatis aſſignat diſparitatem. Nam etiam Ideæ non modò ſunt cognitæ, ſed ratio cognoſcendi res: Ergo eadem ratione, erit imperfectio multiplicare rationes intelligendi.

141 RATIO ergo diſparitatis eſt ea,quam aſſignat S.Bonauent.*quæſt*.3.*ad* 2.Quòd Idea ſe tenet magis ex parte cogniti ; vnde eam multiplicare,non eſt componere , vel multiplicare Diuinam entitatem : at verò ſpecies intelligibilis;ſicuti & ars,& ſcientia,quæ ex ſpeciebus componitur,ſe tenet magis ex parte intelligentis; ideò plures Ideæ oon poterent in Deo compoſitionem;vt Dixi *n*.85.

OBIICIES tertiò. Diſtinguens non eſt poſterius rebus diſtinctis ab illo. Sed homo diſtinguens Ideas, eſt ſolùm in tempore ; at verò Ideæ ſunt ab æterno plures diſtinctæ , vt docent S.S. P.P. Ergo non ſunt plures ſolùm per noſtrum intellectum. Eſt argumentum Argentinæ.

Reſpondet Vaſquez. Quòd,quando diſtinguo plures Ideas ab æterno , non debeo intelligere diſtinctas actu, ſed fundamentaliter, ideſt, ſi tunc daretur creatus intellectus diſtingueret,eas comparando cum pluribus creaturis.

HÆC tamen reſponſio non ſatisfacit dictis Sanctorum,Dionyſij,Auguſtini,aliorumque Patrum, qui plures Ideas ab æterno ſtatuunt.

142 RESPONDETVR ergo , diſtingui virtualiter, eo ferè modo,quo attributa,quæ ſunt vna ſimpliciſſima entitas. Et tamen ſunt plura virtualiter , quæ ſic virtute diſtincta etiam à Deo cognoſcuntur , non ſolùm noſtro conceptu,vt putat Vaſquez : attamen omnes iſtæ virtualitates vnà comprehenduntur à Deo , vno conceptu adæquato, oon per partes , vt nos facimus. Et hoc docui, *d*.3.*q*.8.

E x his multa reſoluuntur , de quibus prolixè diſputat Trigoſius.

Primò, Ideas non eſſe ſimpliciter attributa Dei.

143 Multas aſſignant differentias. Richard. *d*.36. *art*.2. *q*.6. & Trigoſ.*q*.11. *art*.3.*d*.4. Sed eas tantùm adduco, quæ è D.Bonau.colliguntur.

PRIMA eſt,attributa, licèt extrà habeant etiam obiecta diuerſa;ſicuti Omnipotentia, quæ reſpicit omnia factibilia ; & Sapientia , quæ omnia reſpicit ſcibilia ; tamen magis ſe tenent ex parte Dei. Et ideò nec potentia , nec ſapientia multiplicantur, quia reſpiciunt ea obiecta ad modum vnius formalis ; at Ideæ ſe tenent magis ex parte obiectorum, quia illa reſpiciunt vt diuerſa,cognoſcenda, atque producenda;Sunt enim artis Diuinæ ſimilitudines indiuiduales. Ita S. Bonauent. *d*.35.*q*.6.& *alibi d*.35.

SECVNDA eſt. Quia attributa ſunt merè oaturalia, at Ideæ addunt Diuinam intellectionem ; & quo ad futuritionem addunt decretum , qoo ſiunt exemplaria. Ita D. Bonauent. adductus *d*. 13. *quæſt*.6. *& hac diſp. quæſt*.2.

Tertia differentia eſt. Ideæ ſunt rationes cognoſcendi res , vt earum ſimilitudines,eaſque producendi , vt earum exemplaria,ad modum artis.

COLLIGE etiam , Ideas Diuinas non pugnare cum Diuina ſimplicitate.

144 PRO quo ſcias ex D. Bonau. *l*.1. *Compend. Theol. capite* 25. eſſentiam Diuinam eſſe omninò ſimpliciſſimam , quæ omnium eſt exemplar , quamque omnia entia imitantur , in quantum bona ſunt ; at verò plures ratione diſtinguimus Ideas;quia res imitantur Diuinam eſſentiam inadæquatè diuerſis modis,& ſecundum diuerſos gradus participationis Diuinæ eſſentiæ, quæ vt eſt cauſa vna , in qua ſunt omnes res ; dicitur vnum exemplar. Omnia enim cauſata vniuntur in cauſâ ; tamen quia reſpicit effectuum diuerſitatem , dicitur multiplicari in illa arte ratio Idearum, & exemplarium ; quia Ideæ dicunt eſſentiam cognitam , vt innumeris modis imitabilem à creaturis. Et ita cognoſcuntur creaturæ , quæ in cognoſcente ſunt ſecundùm proprias rationes diuerſas ; ſecundùm quas hominem , diuerſum producit ab equo , vt dicebat D. Auguſtin. *loco cit*. Hæc verò omnia ſunt in Deo vna ſimpliciſſima entitas , ſicuti ſimpliciſſimum centrum innumeras è circumferentia deductas terminet lineas, quæ in centro ſunt vnum ſimpliciſſimum , licèt extrà realiter diſtinctæ ; ſic & Ideæ in Diuina eſſentia ſunt vnum ſimpliciſſimum , licèt multiplicentur in participatione , (quaſi lineæ emanantes) creaturæ diuerſæ. Hac ſimilitudine D.Bonauent. vſi erant etiam Aleoſis *p.p. quæſtione* 14. *m*.4. Albert. apud Trigoſium *quæſtione* 11. *art*.4. *dub*.7. quibus à nonnullis adſcribitur opus *Compendij Theologicæ veritatis* , quod eſt D. Bonauenturæ , vt oſtendit Compilator operum eius, iuſſu Sixti V.

145 PROBATVR verò, eſſe vnum ſimpliciſſimum à D. Bonauent. *d*. 35. *quæſtione ſecundâ, in fundamentis* , quibus vtitur Trigoſius , tacito Seraphico. Quod eſt perfectius , eſt Deo adſcribendum. Sed perfectius eſt, vno ſimpliciſſimo exemplari cognoſcere , & operari : Ergo, &c.

SECVNDÒ , id probat alio optimo argumento. In omni genere cauſarum , maximè *efficientis* , & *finis*, deueniendum eſt ad vnum primum ſimpliciſſimum , in quo ſiſtatur : ex Ariſtot. 2. *Phyſ. t*.68. Cùm ergo Deus ſit primum principium , & primum exemplar , debet eſſe maximè vnum ſimpliciſſimum , continens omnes rationes, Ideas,& Exemplaria.

146 E x his quoque colligere potes , rationem Ideæ conuenire Deo quidem, ratione eſſentiæ , vt docet Seraphicus, *d* 35. *quæſtione* 3. maximè *ad* 2. Nam habet rationem cauſæ exemplaris ad opera creata, quod ſanè indiuiſum eſt , & commune ; quoad eſſe verò poſſibile , reſpicit Idea creaturas , vt cognitas ad opus reducibiles , quæ omnia Deo , vt vnus eſt , conueniunt.

147 VERVM enim verò, per appropriationem conuenit Verbo ratio Ideæ , vt docet D. Auguſtin. 11. *de ciu. capite* 19. & *tract*.1. *in Ioan*. explicans id, *Quod factum eſt , in ipſo vita erat* , & hoc volunt S.S. D.D. Bonauent. & Thomas , dum aiunt paſſim Verbum eſſe Ideam creaturarum. Verbum enim procedit per intellectum Patris , tamquam expreſſa ſpecies rerum omnium. Vide Seraphicum, *d*.36.*q*.3. D Thomam 4. *cont.G.c*.13. *&* 35. & *de ver.q*.3.*art*.2. & *q*.4.*art*.5. & *p.p.q*.34. *art*.3.

148 HINC etiam habes , Diuinam eſſentiam , licèt ſit Idea creaturarum ; non tamen eſſe Ideam Filij , vel Spiritus Sancti. Hoc enim eſt certiſſimum ; & oppoſitum eſt temerarium. Probatur, quia Idea eſt cauſa exemplaris , ad quam artifex reſpicit , vt opus arte factum condat. Sed eſſentia Diuina non eſt exemplar Filij ; neque producitur Filius per artem , ſed per naturam : Ergo. Eſt enim Idea, extrinſeca forma reſpectu illius ,cuius eſt Idea ; at Diuina eſſentia eſt intrinſeca Verbo ; ſicut & Patri. Hinc productio Filij non eſt factio ; vnde Pater intuens eſſentiam ad productionem , Filij non intuetur eam veluti cauſam exemplarem : idem dic de Spiritu Sancto. Vide Trigoſium *quæſtione* 11. *artic. tertio* , *dub*.3. Amicum *d*.13. Auerſam *quæſtione* 15. Smiſing. *tract*.3. *d*.2. latiùs de his differentes.

DISPVTATIO XV.

De Exiſtentia Rerum in Deo.

D.Bonau. d.36.
D.Thom. q. 14.

1 ORDINE egregio Seraphicus, poſt diſput. de ſcientia, & Ideis Diuinis, agit de Exiſtentia rerum in Deo. Res enim cognitæ ſunt in cognoſcente: & productæ in producente, ratione Idearum. Quoniam verò ſunt in intelligente, qui eſt viuens; imò vita ipſa: rectè D.Thomas *quæſt.* 18. agit de vita Dei, & rerum in Deo; Et quia ſcientia, & Idea eſt de veris, agit S.Thom. de veritate; de qua nos ea tantùm attingemus, quæ Deo conueniunt, reliqua Metaphyſicis relinquentes. Hæc verò, quæ dicuntur, adduntur ad maiorem explicationem ſupradictorum. Vndè ad modum dicendi ferè ſpectant: nam de ſcientia Dei actum eſt; & de Potentia agam *diſput.* 22.

QVÆSTIO I.

Vtrùm res fuerint in Deo ab æterno.

D.Bonau. d.36.q.1.
D.Th. q.14. art.2.

2 OBSERVA primò cum D. Bonauent. *d.* 36. *dub.* 1. *lit.* variis modis aliqua dici eſſe in Deo. Primò, aliqua ſunt actu ſubiectiuè formaliter, vt attributa, Ideæ, &c. Secundò eminenter actu ſubiectiuè, vt formalitates creatæ. Tertiò obiectiuè, vt creaturæ in propriis generibus. Quartò, aliqua ſunt virtualiter, vt omnia poſſibilia. Nunc quærimus: An res fuerint obiectiuè in ſcientia Dei; & potentia virtualiter. Aduerte autem è D. Bonauent. *loc. cit.* D.T. *ibi, quæſt.* 1. *art.* 1. Alenſi, Richardo, Ægidio, & aliis apud Trigoſium *quæſt.* 11. *art.* 1. quod aliud eſt, eſſe in Deo; aliud eſſe in eſſentia Dei; aliud eſſe in ſcientia; vel potentia Dei. Eſſe in eſſentia Dei, ſignificat eſſe in Deo abſolutè. Ideò debet eſſe idem cum Deo. Sic attributa, Ideæ, &c. ſunt in Diuina ſubſtantia; Ergo ſi dicantur creaturæ eſſe realiter in Diuina eſſentia, ſenſus fit falſus: quia non ſunt idem cum Deo, quia Deus eſt nomen, quod poteſt dicere reſpectum ad creaturas, & ità habet potentiam, qua poteſt producere illas; habet Sapientiam, qua illas optimè comprehendit. Cùm verò dicitur creatura eſſe in Creatore *creatrix eſſentia*, intelligitur creatura eminenter, vel exemplariter. Similiter dicuntur omnia entia, eſſe in potentia Dei; mala autem nequaquam; ſed ſolùm in ſcientia, vt dixi *q.* 4. *d.* 14. & docet Seraphicus, *d.* 36. *dub.* 3. & *q.* 1. *ar.* 3.

3 OBSERVA adhuc cum D. Bonau. *dub.* 4. *einſdem diſt.* Apoſtolum *Rom.* 11. habere ea verba. *Ex ipſo, per ipſum, in ipſo ſunt omnia*, quæ licèt videantur idem ſignificare; tamen diuerſos modos denotant, quibus res cauſaliter à Deo ſunt. Ita *Ex ipſo*, ſunt tanquam primo principio, non aliunde moto. *Per ipſum*, tanquam principium ſufficientiſſimum, quod omnia agit per ſe ipſum. *In ipſo*, tanquam principio infinito, quod omnia operatur in ſe ipſo, ità vt extra ea eſſe non poſſit. Vide etiam Trigoſium *loco cit.*

ASSERO primò, poſſe dici res omnes eſſe in Deo, vt cognoſcente.

PROBATVR à D.Bonauent. quia intelligens, intelligit externa per ſpeciem cogniti, quæ eſt in cognoſcente. Vnde ait Ariſtoteles 3. *de anima*, *t.* 37. quòd *anima eſt quodammodo omnia*. Eodem fundamento vtitur D.T. *q.* 14 *art.* 2. 4

ASSERO ſecundò, poſſe dici omnia entia eſſe in Deo, vt *Cauſa*.

PROBATVR à Seraphicò. Omnis effectus eſt in ſua cauſa. Sic omnes formæ materiales ſunt in materia, & virtute agentis, &c. Sed omnes creaturæ ſunt effectus Dei: Ergo poſſunt dici, eſſe in Deo, vt *Cauſa*. 5

PROBATVR à D. Bonauent. quia ſcientiam, & potentiam de his rebus habet Deus immutabilem. Ergo æternam. 6

OBIICIES primò. Quod nihil eſt, nuſquam eſt. Creaturæ, ante creationem, nihil ſunt. Ergo nuſquam: Ergo neque in Deo.

Reſpondet D. Bonauent. tribus modis aliqua eſſe in Deo. Primò ſecundùm realem exiſtentiam. Secundò modo, tanquam in exemplari, ideſt, ſecundùm ſui ſimilitudinem. Tertiò, vt in cauſa. Res igitur ante creationem ſunt in Deo ſecundo, & tertio modo; licèt non primo. 7

OBIICIES ſecundò. Quod eſt in aliquo, eſt in illo vel ſecundùm ſe totum, vel ſecundùm aliquid ſui. Res non ſunt in Deo ſecundùm ſe totas; quia alioqui eſſent eſſentialiter Deus; nec ſecundùm aliquid ſui, quia nihil creaturæ eſt æternum: Ergo.

RESPONDET S. Bonauent. Res eſſe in Deo ſecundùm aliquid ſui, quia ſunt in eo ſecundùm exemplar, quod eſt ſimilitudo, & cauſa rerum.

Obijcies tertiò. Res non ſunt in Deo ab æterno, *actu*, vt conſtat; neque ſunt *potentiâ*, nam eſſent in Deo mutabiliter; quod enim eſt in potentia, mutabile eſt ad actum.

RESPONDET S.Bonauent. Res eſſe in Deo actualiter ſecundùm exemplar: eſſe etiam potentialiter, quia poſſunt produci, non mutabiliter ex parte potentiæ Dei, quæ eſt actus purus; ſed ex parte connotati, quod tranſit de potentia ad actum. 8

Obijcies quartò. Si creatura eſt in Deo, quia poteſt eſſe à Deo; ſequitur non eſſe in Deo ab æterno, quia non poteſt creatura produci ab æterno.

RESPONDET S.Bonauent. quòd, licèt creatio non poſſit eſſe ab æterno, non euenit ex defectu potentiæ Dei, quæ eſt æterna; ſed ex parte connotati, quod non poteſt creari ab æterno. Itaque in æternitate eſt potentia, imò & actus Dei; ſed pro tempore, quo eſſe poteſt creatura. Hinc habes, non dari formas æternas Platonis extra Deum; ſed ſolùm veritates de rebus, ſecundùm quas eſſentiæ rerum ſunt æternæ, non exiſtentiâ, ſed veritate. Semper enim vera fuit. *Homo eſt animal*. Vide Trigoſium *quæſtione* 12. *artic.* 2. *dub. vnico*. 9

QVÆSTIO II.

Vtrùm res ſint in Deo ratione eſſentiæ, vel ratione perſonarum.

D Bonau. d.36.q.2.
D.Thom. q 14.ar.6.

QVIA ſuprà definitum eſt, creaturas eſſe in Deo ab æterno, vt exemplari; vt ſcientia, & vt cauſa potente, potentia autem attribuitur Patri; exemplar verò, atque Sapientia Filio: quæſtio oboritur: An res eſſe in Deo, conueniat Deo ratione eſſentiæ, vel perſonarum.

10 OBSERVAT Seraphicus tria in Deo. Primò ipſam eſſentiam communem tribus. Secundò proprietates perſonales, vt Paternitatem, Filiationem, & Spirationem. Tertiò aliqua communia quidem tribus perſonis; ſed alioqui ſingulariter appropriata, id eſt, Potentiam, quæ attribuitur Patri; Sapientiam, quæ appropriatur Filio; & Bonitatem, quæ adſcribitur Spiritui Sancto. Hæc autem habent relationem aliquam ad res, quæ poſſunt produci, quæ ſciuntur, poſſuntque participare de bonitate Dei.

ASSERO primò; res eſſe in Deo ratione appropriatorum verè communium.

11 PROBATVR à D. Bonau. Quod eſt commune ineſt Deo, ratione communium. Scire creaturas, & poſſe eas producere, ineſt ratione potentiæ, & ſapientiæ, quæ ſunt communes: Ergo.

ASSERO ſecundò, res eſſe in Diuinis perſonis; ſed ratione tantùm communium appropriatorum.

PROBATVR à D. Bonau. Actiones ſunt ſuppoſitorum: Ergo & creatio, hæc autem non conuenit Patri, vt eſt Pater, &c. Sed vt Deus omnipotens; Filio vt ſapiens, &c. Ergo ratione appropriatorum conuenit tribus perſonis. Hinc malè Trigoſius ait, producere per creationem, eſſe meram relationem, non actionem; & ideò non operatiuam. Creare enim, eſt actio realis tranſiens; vt dicam *trac.3. d.1.q.2.*

12 PROBATVR ſecundò à D.Bon. è D. Aug. *l.83.qq. q.63.* vbi ait: *Verbum dicit operatiuam potentiam*, quia enim Verbum oritur ex intellectione, exprimit omnia, eique attribuitur eſſe exemplar, & cauſa Idealis rerum; licèt Idea ſit in eſſentia.

13 PROBATVR tertiò à S. D. è D. Auguſt. 11. *de ciu. cap.24.* vbi ait: Quod *in vnaquaque creatura intelligitur inſinuata Trinitas, nam cùm ait. Fiat Lux. Loquitur Deus; & quia Pater eſt, qui pronunciat ad intrà Verbum, ei attribuitur loqui etiam extrà ad producendas creaturas. Quia Verbum intrà procedit; ideo attribuitur ei Verbum extrà formatum. Et quia Spiritus Sanctus eſt ſumma communicatio Diuinæ bonitatis ex amore; ideo ei attribuitur communicatio omnis, extrà, Diuinæ bonitatis.* Idcircò S. Auguſtin. ſubtiliter aduertit, creationem exprimi ſic. *Dixit Deus*, & per *dicentem*, Patrem deſignari: per Verbum extrà pronunciatum. *Quo cæli firmati ſunt*, vt dicitur Pſalm. 32. & omnis creatura fabrefacta, exprimi Filium: & per acclamationem. *Vidit, quod eſſet bonum*, exprimi Spiritum Sanctum.

QVÆSTIO III.

An omnia creata ſint in Deo vita.

D Bonau. d.36. art.2. q.2.
D Thom. q.18. art 4.

NOTANDVM primò è D. Bonauent. *fund. vltim.* aliqua dici viuere, prout operantur, mota aliquo modo a ſe. Ideò quantò perfectiùs ſe ipſa mouent: tantò perfectiori vita fruuntur. Quatuor autem genera viuentium collegit Ariſt. 2. *de anima t.13.* Aliqua enim ſunt, quæ mouent ſe, non habito reſpectu ad formam, & finem determinata ſibi à naturâ; ſed ſolùm quo ad executionem motus. Hæc autem viuunt vitâ vegetatiua vt Plantæ. Alia mouent ſe, etiam quantum ad formam, quæ eſt principium motus, quam per ſe acquirunt. Hæc ſunt ſenſitiua, quorum motus principium eſt forma, non à naturâ indita, ſed per ſenſum accepta, vnde quantò perfectiorem ſenſum habent: tantò perfectiùs mouent ſe ipſa; nam ea, quæ habent ſolùm ſenſum tactus, mouent ſe ipſa ſolùm motu dilationis, & conſtrictionis, vt Oſtreæ: quæ verò habent virtutem ſenſitiuam perfectam ad cognoſcenda, non ſolùm coniuncta tangentia, ſed etiam remota, mouent ſe in diſtantiam motu proceſſiuo. Verùm, licèt hæc per ſen- 14

ſum accipiant formam, quæ eſt principium motus; non tamen per ſe ipſa præſtituunt ſibi finem ſuæ operationis, vel ſui motus; ſed eſt eis inditus à natura, cuius inſtinctu mouentur ad agendum per formam, ſenſu apprehenſum. Vnde nobiliora ſunt, quæ mouent ſe ad finem, quem ſibi præſtituunt; & tales ſunt creaturæ ratione vtentes per intellectum, qui proportionem finis percipiunt, & mediorum ad finem. Enim verò etiam intellectus creatus habet prima principia, & vltimum finem: Vnde circa aliqua non mouet ſe; ſed mouetur. Ille igitur, qui in nullo determinatur ab alio, aut mouetur, tenet apicem vitæ. Talis eſt Deus; vnde in Deo eſt nobiliſſima vita, imò quia intelligere eſt ipſe Deus; ipſe eſt vita ipſa. Vnde Ariſt. 12. *Met. t.51.* Oſtenſo, quod Deus ſit intelligens perfectiſſimè, oſtendit quòd habeat vitam perfectiſſimam, & ſempiternam, quia intellectus eius eſt perfectiſſimus, ſemper in actu. Idem habet D.T. *q.18.ar.3.* 15

INSVPER aduertendum, *viuere*, primò ſumi pro eſſe vitali. Ita accipitur ab Ariſt. 2. *de anima, t.37.* vbi ait: *Viuere in viuentibus eſt eſſe.* Secundò, ſumi pro operatione vitali. Ità ſumitur ab eo 9. *Eth. c.11.* cùm ait: *Viuere, principaliter eſt ſentire, vel intelligere*; ex operationibus autem vitalibus, colligitur eſſe vitale, vt notat Vaſquez ad *art.1. q.18.* Nazar. *ibidem*, Suarez *l.1. de eſſentia Dei, c.3.* D.Bonau. *hic.* 16

NOTANDVM ſecondò cum D.Bonau. *in corpore*, tribus modis res eſſe in Deo. Primò, vt in cauſa producente; & ſic ſunt in Deo ratione potentiæ; & hoc pacto non ſunt vita; imò ſunt nihil. Secundò ſunt in Deo, vt in fine conſeruante; & hoc pacto eo modo ſunt in Deo, quo in eo conſeruantur; conſeruantur autem ſecundùm proprium eſſe, quod habent, & ſic quædam viuunt: quædã non. Tertiò ſunt in Deo, vt eſt exemplar exprimens creaturas ratione notitiæ; & hoc modo ſunt omnia vita; quia omnia habent ſuum exemplar in Deo intelligente. Illud autem exemplar eſt Deus ipſe, qui eſt vita, vt dixi *notando* 1. ideò benè D. Ioan. *cap.1.* 17

ait:

ait: *Quod factum eſt, in ipſo vita erat.* Quod amplè expoſuit S.D. ad hunc locum cum D. Auguſtin. & affert exemplum artificis, qui habet in intellectu Ideam templi, quæ quidem in artifice eſt viua; licèt templum in ſe non viuat; ſic igitur omnia etiam inani-
18 mata, quia habent Ideam ſui in Deo, habent eam viuam, & viuunt in Idea. Imò, quia Idea eſt ipſe Deus, qui eſt vita; ideò ſunt in Deo vita; nam Idea eſt aliquid rei, nempè ſimilitudo exemplaris. Et quia omnia non modò futura, ſed etiam poſſibilia mera, habent Ideam, licèt non exemplatizatam; ideò etiam illa ſunt vita in Deo.

ASSERO, omnia eſſe in Deo vitam.

19 PROBATVR primò à S.D. ex illo Ioan. 1. *Quod factum eſt, in ipſo vita erat.* Sic autem debet legi. *Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil.* Et hîc figitur punctus. *Quod factum eſt, in ipſo vita erat.* Ità legunt Latini ferè omnes, & aliqui Græcorum. D. Auguſtin. *tract. primo, in Ioan.* Ambroſius, *l.3. de fide, capite* 3. Tertullian. *aduerſus Hermogenem*, Origenes, *tom.3.* Clemens Alexand. *l.1. Pedag. capite* 6. Cyrillus *l.1. in Ioan. capite* 6. Athan. *in reſcripto ad Liberium Papam*, & *in ep. de ſententia Dionyſ. Epiſcopi*, & *ep. ad Serapionem de Spiritu Sancto*, Nazianzen. *orat. de fide.* Cyprianus *l.2. cont. Iudæos, capite tertio*, ſic habetur in exemplari trilingui complutenſi, & in editione vulgata. & ſtylus Ioan. arridet: Nam ab initio capitis incipit ſequentem particulam, ſeu colum, per verbum præcedentis. *In principio erat Verbum*, mox, *Verbum erat apud Deum*, rurſus, *ſine ipſo factum eſt nihil. Quod factum eſt, in ipſo vita erat.* Huius expoſitionis meminit Origenes, & eam ſequitur *homil.2. in diuerſos*; & magno iam plauſu excipitur.

Hac authoritate oſtenſum eſt, omnia ea eſſe vita in Deo, quæ decreto Dei ſunt ad eſſe ordinata.

20 De poſſibilibus autem probatur à D. Bonauent. primò è D. Auguſtin. 6. *de Trin. capite* 10. vbi ait: quòd *Deus eſt ars plena omnium rationum viuentium*: at non completur, niſi rationibus infinitis: Ergo non ſolùm futurorum, ſed etiam poſſibilium. Et *l.83. qq. quæſtione* 4. ait argute. *Ratio eſt, etiamſi nihil per eam fiat.*

21 PROBATVR tertiò à D. Bonauent. *fundamento vltim.* & *in fine corporis*, è duobus iactis notandis. Intelligere, eſt vna differentia vitæ: Ergo omnis ratio intelligendi eſt ratio viuendi. Sed res ſunt in Deo ſecundùm ſuas rationes intelligendi; in eo autem ſunt exemplaria futurorum, & Ideæ omnium rerum etiam poſſibilium: Ergo in Deo ſunt viuentia: Attamen viuunt per participationem: Ergo ſunt in Deo vita ipſa. Eodem modo probatur à D. Thom. Richardo *d.36. artic. primo, quæſtione* 3. Alberto *p.p. tract.* 13. *q.*55. *m.*2. *artic.*3. *q.*1. incidenti, Moraodo *tract.3. in App.* Trigoſio *q.*12. *artic.*3.

22 Aliam quæſtiunculam ſoluit in fine: Quare omnia dicantur in Deo Vita, & Lux, non autem Sapientia, Potentia, vel Eſſentia; quam quæſtionem ſoluit etiam Alenſis *p.p.q.23. m.4. ar.1.*

Reſpondet S. Bonauent. dici *vitam*, quia in Deo ſunt creaturarum Ideæ, quæ ſunt ipſe Deus, qui eſt vita; & quia ſunt rationes intelligendi, qui eſt actus vitæ. Præterea vt oſtenderet, res eſſe in Deo ad modum Dei, ideſt, non veſtitas ſuis imperfectionibus corporeitatis, variationis, &c. dixit, eſſe vitam; nam vita eſt actus ſpiritualis fluens ab ente quieto, & ſempiterno.

23 CVR autem non dicantur in Deo Sapientia, Potentia, Eſſentia; non aſſignat rationem in hoc textu. Quarè miror Trigoſium dicere, præſtantiores ab ipſo S.D. afferri rationes in textu, quàm ab Alenſi. Ratio verò allata fuit à S. Bonauent. *d.35 paſſim*, præſertim *quæſt.3. ad* 2. Nam ſcientia, potentia, ars, & multò magis eſſentia ſe tenet ex parte cognoſcentis, potentis, exiſtentis. Et ſi aliqua reſpiciunt obiectum; illud reſpiciunt vt vnum formaliter: at verò cùm dico *creaturas*, ſonat diſtinctionem earum in proprias differentias, etiam indiuiduas, quæ ſunt obiectum artis, ſcientiæ, potentiæ, &c. Itaque dicendo: Creaturæ ſunt potentia, ſapientia, &c. dicere eſſe, non obiectiuo, ſed ipſam ſapientiæ facultatem, & virtutem Dei, eſſeque tales, vt multiplices ſunt, quæ ſunt falſiſſima. Eadem eſt ratio Alenſis. Similiter creaturæ non dicuntur *eſſentia*, quia eſſentia eſt abſoluta, non relata. Atque adeò oporteret identitatem inferre creaturarum in proprio genere cum Diuina eſſentiâ, vt habet D. Bonauent. allegatus in primo fundamento. Ità etiam Alenſis.

CVR autem dicantur creaturæ Lux; ait Alenſis, ita dici, quia relucent in Dei cognitione. D.T. *d.36. q.1. art.3. ad* 3. reſpondet, dici Lucem, ideſt, Ideam, quia eſt principium, quo Deus cognoſcit res: & ità exponunt multi locum Ioannis, *Vita erat Lux.*

VERVM hæc non quadrant textui Ioan. nam, vt 24
obſeruat S.Bonau. ad hunc locum Ioan. poſt D.Auguſt. *tract.1. in Ioan.* non dicitur abſolutè *Lux*, ſed *Lux hominum*, quia ab ipſo homines illuminantur; non pecora, quæ ſunt irrationalia. Idem habet Chryſoſt. *homil.4. in Ioan.* Igitur non loquitur de Ideis, vt ſunt in Deo ratio intelligendi. Cur autem dicantur res eſſe in Deo Lux; facilè reſpondetur è D.Bonau. *d.3. p.1. q.1.* & *d.35. q.1.* Nam res, vt ſunt in Deo ſunt ipſa eſſentia Dei, quæ eſt primum ens, & ideò ſummè cognoſcibilis, vt dixi *d.11. q.1.* ideò dicuntur Lux.

OBIICIES. Si omnia ſunt in Deo vita ratione notitiæ. Ergo mala ſunt in Deo vita, quia ſunt nota Deo.

Reſpondet S.Bonau. eſſe in Deo vitam ratione no- 25
titiæ, & potentiæ, quæ duo requiruntur ad eſſe Ideæ. Adde, ratione voluntatis, quæ requiritur ad decretum; vt Idea habeat rationem exemplaris. At malum culpæ non eſt horum capax.

QVÆSTIO IV.

An res ſint veriùs in Deo, quam in proprio genere.

D Bonau. d. 36. at. 2. q. 2.
D.Thom. q.14 ar.5.

ASSERO primò, res veriùs eſſe in ſuo genere, ſeu in ſeipſis. Quod eſt eſſe earum ſimpliciter quàm ſint in eſſe cognito, quod eſt eſſe ſecundùm quid.

PROBATVR ratione indicata S.Bonauen. Res habet 26
eſſe veriùs, vbi eſt ſimpliciter, quàm vbi eſt ſecundùm quid. Sed res in ſeipſis habent eſſe ſimpliciter; in eſſe autem cognito ſecundùm quid. Ergo.

PROBATVR ſecundò, à S.D. Res veriùs ſunt, vbi ſunt ſecundùm ſua principia intrinſeca, quàm vbi ſunt ſecundùm extrinſeca. At vbi ſunt in ſeipſis, ſunt ſecundùm principia intrinſeca, vbi autem ſecundùm eſſe cognitum, ſunt ſecundum extrinſeca: Ergo.

PROBATVR tertiò à S.D. Res veriùs eſt, vbi eſt ſecundùm ſuam entitatem, quàm vbi eſt ſecundùm ſui ſimilitudinem. Sed in ſe eſt ſecundùm ſuam entitatem; in Deo cognoſcente ſecundùm ſimilitudinem: Ergo.

ASSERO ſecundò, ſimilitudinem rerum in Deo, 27
comparatam ad res, habere eſſe verius. Ità S.Auguſt. 5.

ſuper Geneſ. ad litt. cap. 15. vbi ait: *Omnia priùs quàm fierent erant in notitia facientis, & vtique ibi veriora, vbi æterna, & immutabilia.*

Probatvr ſecundò à S. D. quia ſimilitudines rerum ſunt ipſa Diuina eſſentia, quæ eſt ipſa veritas.

Tertiò. Quia habent eſſe in intellectu Diuino viuentes: Ergo nobilius, ac verius, quàm in ſe.

Obijcies. Sicut res ſe habent ad eſſe: ità ad cognoſci. At res veriùs cognoſcuntur in Deo, quàm in proprio genere: Ergo ſimpliciter veriùs ſunt in Deo contra primum aſſertum.

28 Reſpondet S. Bonau. dogma illud non eſſe abſolutè verum, quia multa ſunt cognita, quæ non ſunt. Senſus ergo eſt; eadem eſſe principia eſſendi, & cognoſcendi.

Ex dictis facilè conciliantur diuerſi modi dicendi relati à Trigoſio, *q.* 12. *art.* 4. *dub.* 2. Nam res, vt ſunt in Deo, ratione Ideæ, habent eſſe perfectiùs, ac veriùs in Deo, quia ſunt ipſa creatrix eſſentia, vt dicit S. Anſel. in *Monol. cap.* 5. & D. Aug. *l.* 5. *de Geneſ. ad litt. cap.* 6. at verò quia in proprio genere habent ſua prædicata formalia; ideò ſecundùm prædicationem ſunt veriùs in proprio genere. Nam Leo in ſuo genere eſt formaliter Leo; at in Diuina eſſentia non eſt formaliter Leo; ſed Deus.

Qværit Seraphicus *hac diſt.* An mala, & imperfecta ſint in Deo. Sed de his egimus, *d.* 14. *q.* 4. Reliqua ſunt facilia apud Trigoſium.

DISPVTATIO XVI.

De voluntate Dei.

D. Bonau. d. 45. & ſeq.
D. Thom. quæſt. 19.

Optime poſt Tractatum de intellectu Diuino, agendum de Diuina voluntate.

QVÆSTIO I.

Vtrùm in Deo ſit voluntas.

D. Thom. quæſt. 1.
D. Bonau. art. 1.

1 Aſſero de fide in Deo eſſe voluntatem.

Probatvr à D. Bonau. primò ex 1. Epheſ. *ſecundùm conſilium. Secundùm propoſitum voluntatis ſuæ operatur omnia, & prædeſtinauit, &c.* Hoc in tota ſcriptura manifeſtum eſſe, aduertit S. Bonau. ſic *Sap.* 11. *Matth.* 26. *Ioan.* 3. *Rom.* 12.

Probatvr ſecundò à S. D. ex Ariſt. 12. *Met. t.* 39. vbi concludit, quòd voluntas eſt actus ipſius Dei.

Marginiſta apponit, textum dicere. Voluptas; non autem voluntas eſt actus. &c.

2 Varvm, vt notat S. Bonau. *fundamentum* 3. idem eſt apud Ariſtotelem voluptas, & actus voluntatis. Nam voluntas eſt ea, in qua conſiſtit voluptas ſumma. Beatus enim eſt, qui habet quicquid vult. Hinc. 7. *Moral. Nicom.* in fine oſtendit, Deum voluptate ſumma frui; quia immobiliter quieſcit in bono. Nam voluptas in quiete conſiſtit. At verò motus eſt iucundus ex prauitate, Hinc opponit delectabilem quietem voluntatis delectationi motus, ortæ ex malitia. Et *l.* 2. *Mag. Moral. cap.* 2. ait: *Deum ſibi ſatis eſſe, & ſe ipſo frui, quia bona cuncta obtinet.* Ecce voluptatem Dei ponit in voluntate, cuius obiectum eſt bonum. Idem habet *l.* 9. *Moral. Nicom. c.* 4.

Hoc autem aſſumpſit probandum 12. *illo Met.* vt patet à *cap.* 1. & *cap.* 2. oſtendit, quomodo Deus per immobilitatem voluntatis in bono moueat alia: Ait enim. *Mouet autem hoc modo concupiſcibile; & intelligibile mouet, non motum; horum autem prima eadem ſunt; deſiderabile namque quod apparet bonum; primum verò affectabile, quod eſt bonum, &c.* & pergit oſtendere, immobilitatem Dei in bono. Et ideò ſummam eſſe voluptatem voluntatis in ſuo obiecto immobilis, & addit. Maximè delectabilem eſſe etiam intellectionem. Ergo loquitur de illa delectatione, quæ eſt appetitus rationalis, quæ Marginiſta tenebatur aduertere. 3

Eodem ferè modo arguit D. Thom. *in corpore*, vbi ex eo, quòd Deus habet intellectum, colligit habere etiam appetitum ad cognitum; & quietem in eo iam habito, Et conſequenter voluntatem, ac voluptatem; ſicut & naturalia ad naturalem formam habent inclinationem, vt eam conſequantur, & quieſcant, eâ obtentâ. Hoc eſt argumentum D. Bonauen. 2. *d.* 25. *q.* 1. *arg.* 3. *ſecundo loco*, quo vtuntur Tannet. *d.* 2. *quæſt.* 10. *dub.* 1. & alij. Et eſt D. Athanaſij *trac. de definitionibus*, vbi ait: *Quiſquis intelligit, conſtat, quod etiam voluntate ducatur.* 4

Hanc verò rationem impugnat Arriaga, *d.* 24. *ſec.* 1. & *d.* 11. *de anima, num.* 127. quia non repugnat diuinitùs aliquid eſſe intellectiuum; non volitiuum. 5

Omiſſis autem illis, quæ habet Herize, *d.* 11. *num.* 7. ſuppoſito quòd Deus, & natura nihil fruſtrà faciunt, nec facere poſſunt. Omnis natura habet appetitum ſibi proportionatum, vt agat ſecundùm ſuas vires ad finem. Natura ergo rationalis debet habere appetitum rationalem, ne ſit fruſtrà. Hic autem eſt voluntas. Ergo omnis natura rationalis habet intrinſecè voluntatem.

Reſpondet Arriaga, hinc colligi, intellectum habere ſecum appetitum ad aliquid à ſe diſtinctum: Ergo non ſequitur eſſe ad volitionem; ſed ad ſummum ſequitur intellectum appetere ſe per modum gaudij, vel appetere ſuam conſeruationem.

Doctor hic ore tenus priùs clamat, ſe à quæſtionibus de nomine abhorrere; ſed ſæpè ac ſæpius in eas labitur. Eſto enim non requiratur diſtinctus ab intellectu appetitus; quis non videt hunc appetitum, quem ipſe concedit, eſſe voluntatem, eamque liberam? vt optimè deducit S. Bonau. *loc. cit.* Nam cùm intellectus, ſeu ratio ſit potentia præcellens ſenſitiuæ; debet etiam appetitus ſequens eſſe nobilior; & cùm intellectus omne verum conſideret; debet voluntas ſequens ad omne bonum extendi, atque hoc, vel illud bonum poſſe liberè velle. Quòd verò Deus poſſet alios fines naturæ inſtituere, atque adeò alias naturas, atque intellectum diuerſæ naturæ, ad quem non ſequatur appetitus, eſt extra rem. Hic tantùm diſputamus. An intellectui, *vt nunc*, conueniat appetitus conſequens; quòd verò ſit diſtinctus, vel non, nihil refert; dummodò appetitum rationalem concedat Arriaga.

Addit Ribas, *trac.* 5. *d.* 1. *c.* 1. per nullam potentiam eſſe poſſe cognitiuam potentiam ſine appetitu, quia eſt intrinſecè apta oſtendere obiectum proſequendum, vel fugiendum; ideò ſi non adeſſet appetitus, illa careret intrinſeco reſpectu.

6 Probatvr tertiò à D. Bonau. *fund.* 2. quicquid perfectionis attribuimus naturæ creatæ, debemus etiam id Deo concedere (ſeclusis imperfectionibus.) Sed naturæ rationali creatæ tribuimus appetitum rationalem, qui ſequitur propoſitionem intellectus: Ergo concedendus etiam in Deo, qui eſt intellectiuus, & potentiſſimus. Hæc ratio præ aliis eſt efficaciſſima, vt notat Vaſquez *ad art. primum D. Thom.* Aliquid verò addit de præcellentia intellectus: Sed hoc parum refert.

7 Probatvr quartò à S. D. *fund.* 3. Is, qui ſumma fruitur fælicitate, habet voluntatem. Talis eſt Deus: Ergo. Hoc videtur argumentum Ariſtotelis ſuprà.

8 Probatvr quintò *fund.* 4. Is, in quo eſt iuſtitia, liberalitas, &c. habet voluntatem. Talis eſt Deus: Ergo. Maior probatur, nam iuſtitia eſt rectitudo voluntatis, & liberalitas ex amore prouenit, qui in Deo reperitur, vt oſtendam *d.* 17. Vnde huius aſſerti noua ratio habetur.

9 In corpore verò eaſdem refricat rationes, addens, diuerſo modo, Voluntatem eſſe in Deo; & nobis. Nam in nobis diſtinguitur, & ſeparatur à fine, ideò ſecum fert indigentiam, & ſic appetitus propriè eſt boni non adhuc obtenti; & fuga, quæ eſt à malo oppoſito, eſt etiam triſtitia, quia poteſt in malo cadere; ſicuti ſerpit malitia, qua poteſt à bono obliquari. Secundò, quia differt voluntas noſtra à ſuis actibus; ideò poteſt mutari, & quia differt à ſubſtantia, in qua aliæ potentiæ radicantur, & inter eas eſt nobiliſſima; ideò præſidet eis imperando. Non ſic in Deo, nam eius voluntas eſt eius ſubſtantia, & actus. Ideò inuariabilis; & quia eſt quieſcens in ſummo bono, ideò non obnoxia appetitui; fugæ, triſtitiæ, malitiæ. Vide Seraphicum Doctorem.

Per hanc doctrinam corruunt omnia argumenta, quibus impugnaretur diuinæ voluntatis lumine naturali notæ neceſſaria exiſtentia. Si quid enim vrgent, eò quòd voluntas Dei poteſt velle; & non velle aliqua, & ſimilia; Dico arguere variabilitatem ſolùm

10 in effectibus. Non enim Deus poteſt habere actum, & non habere eum, quia eſt ipſe Deus; ſed poteſt velle effectum eſſe; & velle non eſſe effectum. Vnde cùm dicitur de Deo *velle*, & *nolle*, dicitur impropriè iuxta noſtrum modum imperfectum concipiendi. Sed Deus ſemper vult effectum eſſe, vel non eſſe. Quæ autem ſit voluntas Dei, videbis in calce *quæſt.* 4.

QVÆSTIO II.

An Deus velit omnia alia à ſe, & An neceſſariò.

D Bonau d. 45. d. 1. litt. & q. 2. D. Th. art. 2. & 3.

11 Svppono primò, Deum velle neceſſariò ſeipſum, tanquam obiectum primarium. Eſt enim ipſe finis ſui, vt notat D. Bonau. *in corp.* & D. Th. *art.* 3. Ergò neceſſariò ſe ipſum vult, ſuamque bonitatem. Et cùm non amet actu medio diſtincto, non poteſt ab exercitio deſiſtere; atque adeò ſeipſum neceſſariò amat, non modò quoad ſpecificationem, quia non poteſt habere actum odij contra ſummam bonitatem, quæ eſt ipſe Deus; ſed etiam quoad exercitium, vt dixi, quia voluntas Dei non vult medio actu diſtincto à ſe, vt etiam Suarez obſeruat. An verò amore amicitiæ.

12 Reſpondet Arriaga *d.* 24. *ſect.* 1. *ſubſect.* 2. cum Herize, negans in Deo eſſe amicitiam, quæ exigit redamationem; atque adeò pluralitatem amorum, quæ in Diuinis non datur.

At D. Bonau. 1. *d.* 15. *quæſt.* 3. videtur concedere, amorem amicitiæ inter perſonas Diuinas, vbi non ſunt plures naturæ, aut voluntates, quod Arriaga non negat *num.* 28.

Iam verò probant alij, Deum neceſſariò velle ſeipſum, quia eſt purus actus.

Contrà inſtat Vaſquez *d.* 79. *num.* 1. Nam Idem Deus, licèt ſit purus actus; tamen liberè vult creaturas.

Probatvr igitur validè à Seraphico *quæſt.* 1. *in corp.* & *quæſt.* 2. *arg.* 3. quia Deus eſt omne bonum ſemper ſibi præſens. Et cùm ſit ſuus actus, vt dixit *quæſt.* 1. ideò coniungitur obiecto, non per potentiam, quia ſemper eſt in actu. Hanc rationem magni pendent Vaſquez *loc. cit. num.* 2. Suar. *l.* 3. *de attrib. poſit. cap.* 6. Arriaga *d.* 24. *ſect.* 4. *ſubſect.* 1. Bonum enim trahit voluntatem: Ergo bonum infinitum comprehenſum trahit neceſſariò. Eadem vtuntur Morand. *tract.* 4. *quæſt.* 2. Tanner. *quæſt.* 10. *dub.* 1. Caſpenſ. *d.* 2. *ſect.* 1. Valentia *d.* 1. *quæſt.* 19. *p.* 3. Marcus *quæſt.* 19. *art.* 1. *dub.* 1. Trigoſ. *quæſt.* 13. *art.* 2. *d.* 1. & alij. 13

Respondet Herize, hanc rationem non conuincere demonſtratiuè, quia hæc tractio poteſt eſſe intra limites libertatis; alioqui etiam inferretur, Deum ſe neceſſariò creaturis communicare, nam bonitas eſt diffuſiua. Ergo bonitas infinita eſt infinitè diffuſiua neceſſariò.

Respondet Arriaga, falſum eſſe aſſumptum. Nam 14 ſi experimur bonum finitum rapere prope modum vi; quid non aget bonum infinitum? Aliam rationem affert Herize apud Arriagam *num* 27. quam laudat ipſe. Deus eſt ſummè beatus, vt lumine naturæ conſtat. Sed ad beatitudinem pertinet fruitio: Ergo Deus in ſe complacet, ſe fruitur: Ergo ſe amat. Vel alio modo. Gaudere de ſua bonitate eſt perfectio ſimpliciter ſimplex: Ergo Deo attribuenda neceſſariò, vt docet S. D. *in argumentis.*

Hinc Ludouicus Ribas *tract.* 5. *d.* 1. *cap.* 2. concedit Deo appetitum innatum, quippe qui non dicat intrinſecè motum in bonum per phyſicam productionem alicuius actus; ſed propenſionem ad proprium eſſe, & bonum naturæ neceſſariò etiam poſſeſſum, idque per modum amoris, non deſiderij, vt videre eſt in beatis, qui feruntur gaudio in ſuam inamiſſibilem fœlicitatem. Itaque appetitus innatus non dicit defectum boni concupiti, nec actum à ſe diſtinctum, quo tendatur in bonum, vt aduertit cum S. D. *hîc*, & alibi paſſim Suarez *d.* 30. *Met. ſect.* 16. vbi etiam aduertit, non eſſe Dei voluntatem veluti in actu primo ad eliciendos more noſtro actus volitionum, diceret enim imperfectionem, nam ad tales actus eſſet Deus in potentia, ab eiſque perficeretur, & accidentaliter cum illis componeretur, tanquam ex rebus diſtinctis.

Porrò ipſum Deum trinum, & vnum eſſe obiectum primarium Diuinæ voluntatis, non inficior: in hoc enim eſt tota ratio Diuinæ bonitatis per eſſentiam; non in ſola Diuina eſſentia, vt volunt aliqui; nam ſola eſſentia ſine attributis, & Perſonis, non eſt Deus perfectiſſimus; alioqui hæc adueniret. In quo fallitur etiam Ribas *tract.* 5. *d.* 2, *cap.* 1.

Qvæstio vrget. An creaturæ, vt obiectum ſecundarium, à Deo ſint volitæ. Futuræ quidem libero decreto fiere amatæ. Id probat Maſtrius *d.* 4. *quæſt.* 1. cum D. Bonau. *quæſt.* 1. ex illo Epheſ. 1. *Omnia operatur ſecundum conſilium voluntatis ſuæ.* Cùm enim

creaturæ ſint finitæ bonitatis, non habent, quo moueant neceſſariò Deum ad productionem.

15 Devs igitur liberè vult creaturas in tempore; non ità tamen, vt poſſit in tempore incipere velle productionem; ſed ab æterno debuit determinari, vt notat Maſtrius *loc. cit.* cum D.Bonau. *d.44. quæſt. vlt.* & *quæſt.45. quæſt.1. ad vlt.* & *in 3 d.32. quæſt.1.*

An verò poſſit dici Deus, contingenter velle effectus, quos liberè producit. Scotus quidem *d.39. q.1.* ità loquitur. Eum reprehendit Caiet. *p.1. quæſt. 19. art.3.* ſed immeritò: nam Scotus non loquitur de contingentia priuatiua, ſed de poſitiua: quæ ortum
16 habet ex libertate, quæ eſt magnæ perfectionis in cauſa, vt etiam benè notauit Suarez *d.30. Metaph. ſect.16. num.43.* Vaſquez *p.1. d.79. num.16.* & alij cum D. Bonau. *d.45. quæſt.1. ad vlt.* vbi eam vocat contingentiam eadentem in effectum, non in actum; de quo latiùs *quæſt. ſeq.*

Nvnc igitur quæſtio eſt: An Deus velit, ſeu amet omnes creaturas etiam poſſibiles: Et an neceſſariò.

Prima opinio eſt, Deum nullo modo amare, aut velle creaturas, in proprio genere conſideratas poſſibiles præciſè. Hæc opinio à Vaſquez & Riba adſcribitur Alenſi *p.1. quæſt.34. m.4.* & D.Bonau. *hic, q.1.* in eamque aſſerit Vaſquez inclinare D.Thomam, *art.3. & 6. ad 2.* Et Ribas addit propendere Suarez *d.30. Met. ſect.16. num 42.* Eam verò ſequuntur Salmaticenſes *hic*, & Ferrar. *1. cont. Gent. cap. 81.* & *l.4. cap.13.* Illos Vaſquez citat, quia docent, Deum non eſſe omniuolentem; ſicut eſt omniſciens.

17 Secvnda ſententia eſt Deum ſimplici affectu complacentiæ neceſſariò diligere creaturas poſſibiles, tàm neceſſitate ſpecificationis; quàm exercitij. Hæc eſt ſententia D.Bonau. *d.45. locis citatis*, quam Vaſquez profitetur ſe à Scoto didiciſſe *in 3.d.32.quæſt.vn.* Richardo *1.d.45. ad vlt.* Dion. Carthuſ. *quæſt.1.* circa finem, Caietano *ad quæſt. 34. art.3.* & plurimis è Schola D. Th. Eam ſequuntur Vaſquez *d.79. cap.2.* Suarez *d.30. Met. ſect.6. & l.1. de attrib. poſit. cap.6.* & *l.11. de Trin. cap.2.* in fine, Ruiz *loc. cit.* Turrianus *opuſc.5. d.1. de Voluntate Dei, dub.4.* Faſolus *p.1. quæſt.19. art.3. dub.2.* Arriaga *d 24. ſect.6.* Vulp. *t.2. p.1. d.33. art.3.* Smiſing. *tract. 3. d.3. quæſt.3.* Rada *tract 1. controu.11.* Baſſol. *1. d.45. quæſt.2. art 1.* Auerſa *quæſt.19. ſect.1.* Tanner. *d.2. quæſt.tn. dub.1.* Caſpenſis *tract. de Voluntate Dei, d.1. ſect.3.* Morand. *tract.4. quæſt.2.* Amicus *d.16. ſect.2.* Becan. *cap.11. quæſt.3.* Mærac. & alij; è quibus Trigoſius *quæſt.13. art.2. dub.2.* qui obſeruat *concl.4.* Seraphicum non negare abſolutè eam propoſitionem: *Deus volendo ſe, vult omnia*; niſi quatenus ſonat voluntatem efficacem, quæ ad ſola futura reſtringitur; quod colligit *ex dub. cit. d.45.* Idem colligit inde Corjolanus *q.19. art.2.* Nazar. *ad art.3. D. Th.* circa finem controuerſiæ, Maſtrius *loc. cit. num.13.* Amicus *d.14. ſect.2.*

18 Tertia opinio eſt media, aſſerens contra primam ſententiam, Deum affectu complacentiæ velle creaturas poſſibiles: contra ſecundam verò addit, non neceſſariò, ſed liberè illas adamare, ſaltem quoad exercitium. Ita Bannes *ad art.3. cit. D. Th.* Zumel. & Molina *ibidem*, Valentia *d.2. quæſt.8.* & alij quamplures; & videtur opinio Scoti, vt refert Maſtrius *num. 4.*

19 Qvarta opinio eſt, creaturas extra Deum, prout dicunt connexionem cum Diuinâ omnipotentiâ, & ſcientiâ amari à Deo amore neceſſario, quo ſeipſum amat; at verò conſideratas abſque tali connexione, amari à Deo liberè; ſaltem quoad exercitium; & addunt nonnulli; etiam quoad ſpecificationem. Ità Lezana *tract.4. d.4. quæſt.6.*

Profectò authores ſecundæ ſententiæ, cùm aſſerunt, poſſibiles creaturas amari à Deo affectu complacentiæ, loquuntur in priori ſenſu, prout ſunt obiectum omnipotentiæ.

Assero primò, Deum amore complacentiæ velle neceſſariò creaturas poſſibiles, non ſolùm quoad ſpecificationem; ſed etiam quoad exercitium. 20

Probatvr primò à D.Bonau. *dub. cit. litt.* argumento, quo nituntur Amicus, Faſolus, Morand. Tanner. Arriaga, & alij Recentes. Amans aliquid, à quo ſunt alia, tanquam neceſſariò dependentia, & ſine quibus ipſum non eſſet, debet neceſſariò & illa coamare, ſine quibus amatum non eſſet. At Deus amat neceſſariò ſuam eſſentiam, atque potentiam, à qua neceſſariò ſunt creaturæ poſſibiles; & ſine qui-
bus non eſſet potentia. Similiter amat neceſſariò ſuam 21
bonitatem, ad quam omnia, tanquam finem terminantur, quorum, niſi eſſet terminus, ac finis, non eſſet ſumma bonitas, finis vniuerſalis, & perfectiſſimus: Ergo neceſſariò amat etiam creaturas, quæ ab omnipotentia ſunt, & ad bonitatem tendunt, tanquam ad finem.

Mastrivs reſpondet, negando, creaturas poſſibiles habere eam connexionem cum Deo, vt ipſis implicantibus, implicaret eſſe Deum; alioqui Deus à creaturis dependeret. Prætereà, quantumvis neceſſariæ ſint creaturæ poſſibiles, ſunt bonum participatum; Deus autem eſt ens per eſſentiam ſummè neceſſarium.

Vervm hæc ſoluta ſunt *d.13. quæſt.6.* non enim 22 ſequitur directè, Deum pendere à creaturis; imò ſequitur Dei magna excellentia, vt Dei potentia valeat producere infinita, eaque ideò à ſe dependentia. Vnde, ſi non eſſent poſſibiles creaturæ, ſeu producibiles à Deo, iam Deus eſſet impotens. Similiter quòd creaturæ ſint participatiuæ Diuinæ bonitatis, & conſequenter ad ipſam ordinatæ; quæ dependentia eſt Dei à creaturis? Quòd verò etiam ſub hac connexione, ac relatione res non ſint tantæ neceſſitatis, quàntæ eſt Diuina omnipotentia; falſum eſt. Nam, ſi Diuina omnipotentia producere non poſſet omnia poſſibilia, non eſſet omnipotentia. Atque adeò non eſſet Deus; ſed ens imperfectum. Igitur creaturæ poſſibiles in eſſe ſuo ſunt ens participatum; at neceſſariam habent connexionem cum eſſe per eſſentiam, vt
oſtendi, & oſtendunt etiam Amicus, Faſolus, & 23
alij. Itaque voluntas non poteſt ferri in ſuam omnipotentiam, quin feratur in eam, vt reſpicientem omnia poſſibilia, neque in bonitatem, quin feratur in eam, vt participabilem ab omnibus, & vt omnium finem. Ità arguit etiam Baſſolus *loc. cit.*

Itaque Maſtrius *num.8.* tandem reſpondet, talem 24 amorem eſſe neceſſarium, quia eſt amor ipſius omnipotentiæ, & bonitatis diuinæ, vt participabilis, & eam amoris neceſſitatem eſſe, reduplicatiuè, vt tendit in bonitatem Dei; & ſpecificatiuè in creaturas per quandam conſequentiam neceſſariam. Sed hoc ſufficit. Sic enim & vult dicere D.Bonau. *loc. cit.* & argumento, quod ſubdo.

Probatur ſecundò à D. Bonau. *quæſt. 2. cit. arg. 1.* Deus vult ſuam perfectionem. Sed perfectio Dei eſſentialis eſt, poſſe producere omnes creaturas poſſibiles: Ergo.

Probatvr tertiò à S.D. *arg.2.* quo vtuntur Baſſo- 25
lis, Vulpes, & Smiſing. Ita ſe habet Voluntas Diuina ad bonum neceſſarium; ſicut Intellectus ad verum neceſſarium. At intellectus neceſſariò intelligit omne verum, in quo ſaluatur ratio veri, quod eſt obiectum intellectus: Ergo & voluntas amat neceſſariò omne bonum neceſſarium, quod eſt obiectum voluntatis.

Adnotat

Adnotat verò D. Bonau. *in reſponſione ad argumentum*, non ſeruari comparationem vniuerſalem, ità vt voluntas Diuina velit omnia, ſicut intellectus cognoſcit omnia. Nam malum non ſeruat rationem obiecti voluntatis rectè.

Reſpondet Maſtrius, neg. paritatem. Nam intellectus, quia eſt potentia naturalis fertur neceſſariò in ſuum obiectum; at voluntas, quia libera, non fertur neceſſariò, niſi in bonum infinitum.

Contra, quia creaturæ ſunt ſimpliciter connexæ cum eſſe infinito, quod non eſſet tale, ſi ipſæ non eſſent poſſibiles. Quod ſi poſſet eas non diligere; poſſet etiam odiſſe.

26 Reſpondet, tantùm ſequi, poſſe Deum ſuſpendere actum dilectionis; non autem odiſſe.

At non poteſt actus Diuinus eſſe ſuſpenſus, vt notat Amicus, & docet Scotus 1. *d.*45. hoc enim eſt imperfectionis, ideſt potentialitatis, vt ſuprà dixi *num.*14.

27 Probatvr quartò à D. Bonau. Sicut Deus eſt ſummum verum, & cognoſcendo ſe, cognoſcit creaturas: ita eſt ſummum bonum, & volendo ſe, vult eaſdem poſſibiles. Ita arguit etiam Vulpes. Confirmatur à Baſſolio. Voluntas, quæ neceſſariò vult aliquod obiectum; vult etiam omne neceſſariò participans bonitatem illius obiecti. Sed voluntas Diuina neceſſariò vult ſuam bonitatem. Ergo & omne poſſibile, quia participat de ea neceſſariò.

Reſpondet Maſtrius, negando paritatem. Quia intellectus eſt potentia naturalis; at voluntas libera. Ad confirmationem reſpondet, creaturas participantes bonitatem Dei, non neceſſariò amari, quia non ſunt media ad eam, nec eam augent.

Veruntamen ſuprà oſtenſa eſt connexio intrinſeca, & neceſſaria vtrinſque.

28 Probatvr quintò à D. Bonau. *arg.*4. Bona voluntas eſt, quæ ad bona extenditur. Ergo melior voluntas ad plura; & optima ad infinita. Sed voluntas Dei eſt infinitè bona. Ergo ad infinita bona extenditur. Sed inter hæc ſunt etiam poſſibilia: Ergo. Hac ratione vtitur Vaſquez *cap.*2. ex Baſſoli.

Reſpondet Maſtrius, voluntatem infinitam amare quidem omne bonum, non tamen neceſſariò. Sed hæc reſponſio hîc non ſoluit, quia amat neceſſariò bonum, à quo poſſibile bonum non poteſt ſeiungi. Aduerte, D. Bonau. ſoluere allata argumenta, prout poſſent prætendere, poſſibiles creaturas eſſe volitas efficaciter. Eadem ferè argumenta habet *in* 3. *loco citando.*

29 Probatvr vltimò à Maſtrio *num.*15. ex Vaſquez *cap.*2. argumento, quod præ cæteris validum aſtruit. Eſt autem D. Bonau. 1. *d.*40. *art.*2. *quæſt.*1. *ad* 4. & *d.*45. *dub.*9. *lit.* Si Deus creaturas liberè diligit. Ergo potuit non diligere. Si ergo non diligeret, nulla variatio eſſet in rerum natura. Similiter cùm poſſet non diligere, & dilexerit; oportet vt aliqua variatio facta ſit. Sed non in Deo, qui eſt immutabilis; neque in rebus poſſibilibus, quia nihil noui habent: Ergo non diliguntur liberè. Eodem ferè nititur Suarez *l.*3. *de attrib. cap.*6. *num.*10. quia in Deo nequit intelligi volitio libera, niſi quatenus per illam aliquid efficit, aut vult in obiecto, quod ſine illa volitione non eſſet; ſed ex vi illius volitionis Dei, nihil in eis fit, quod ante non haberent: Ergo nequit concipi in Deo volitio libera circa poſſibilia, vt ſic; atque adeò, ſi eas diligit, amat neceſſariò. Subſcribit Herize *d.*17. ſed variat in fundament. vt dicam.

Lvdovicvs Ribas *tract.*5. *d.*4. *num.*6. & *d.*8. *cap.*1. hanc rationem cribrat. Primò adnotat, Vaſquium prætendere fieri mutationem realem, quæ fundet nouam relationem creaturæ ad Deum; & Dei ad creaturam, hæc enim non eſt ficta.

Hoc refellit, quia reſpectus rationis non eſt de entitate actus Diuini; & nihil confert, nos concipere talem reſpectum. Fatetur tamen, quoties Deus liberè aliquid vult, ad minùs reperiri aliquam mutationem, ſaltem obiectiuam; quia ex vi decreti incipit eſſe futura res, quæ erat ſolùm poſſibilis: vel mutationem moralem in ordine ad æſtimationem moralem, quæ moralia reſpicit obiecta, qualia ſunt relaxatio votorum, remiſſio pœnarum. Id concedit cum Suario *de prædeſt. l.*1. *cap.*15. Tametſi dicat Herize, per quemuis actum Dei liberum fieri realem mutationem phyſicam in creatura, vt actus impleatur, quod à nobis reiectum eſt, *quæſt.*3.

Reſpondet Lezana *loc. cit. quæſt.*6. è dilectione Dei erga creaturas poſſibiles, reſultare in eis variationem, non intrinſecam, ſed extrinſecam obiectiuam, quia, è non dilectis, fiunt dilectæ. Deinde ait, amorem creaturarum poſſibilium in Deo importare variationem, non quidem formalem, ſed eminentialem.

Contra arguit Maſtrius *num.*15. è Scoto, & D. Bonau. ſuprà. Non poteſt fieri tranſitus à contradictorio in contradictorium, ſine mutatione reali intrinſeca in altero extremorum. Vnde varia denominatio extrinſeca in vno extremorum denotat varietatem intrinſecam ſaltem obiectiuam; alioqui non eſſet maior ratio, cur nunc ſit vera vna pars contradictionis; quàm altera. Nam extrema, eodem modo ſe habentia, nequeunt eſſe fundamentum contradictoriarum denominationum. Reliqua diſcutiam *quæſt. ſeq.*

Obiiciunt primò. Creaturæ poſſibiles nullam habent in ſe entitatem: Ergo neque bonitatem. Igitur non poſſunt terminare actum Diuini amoris, qui fertur in bonum. Probatur prima conſequentia. Quia ens, & bonum conuertuntur.

Respondet D. Bonau. *in* 3. *d.* 32. *quæſt.*1. *ad* 1. 30
Ens verbaliter ſumptum, vel participialiter, quod ſignificat actu exiſtens, habere bonitatem actu exiſtentem; ſed tale ens non eſt illud, cuius adæquata paſſio eſt bonitas. Sed ens nominaliter ſumptum pro eo, quod poteſt eſſe, & primò diſtinguitur à figmentis, & eſt ens in cauſa, potens terminare Diuinam operationem; & obiectum Diuinæ omnipotentiæ, & habet bonitatem tranſcendentem, & hoc poteſt eſſe obiectum amoris. Sicut enim ad cognitionem rei ſufficit veritas rei in ſua cauſa: ſic ad amorem ſufficit bonitas in ſuo principio producente. Eodem modo reſpondet Maſtrius *num.*19. Arriaga *d.*24. *ſect.*5. *n.*35. Tannerus, Riba, & alij.

Obiiciunt ſecundò. Deum amare creaturas, eſt velle illis bonum effectiuè, non affectiuè: at Deus creaturis poſſibilibus nullum vult bonum effectiuè. Ergo.

Respondet Maſtrius è D. Bonau. *loc. cit. ad* 3. ve- 31
ram eſſe Maiorem de dilectione efficaci, quæ connotat effectum actu, vel habitu; non de amore complacentiæ.

Obiiciunt tertiò. Nulla res eſt bona per ſuam eſſentiam. Ergo creatura conſiderata ſecundùm eſſe poſſibile non eſt bona, ac proinde nequit à Deo diligi.

Respondet Maſtrius è Seraphico *loc. cit. ad* 1. 32
Ens poſſibile eſſe bonum in cauſa; & hanc bonitatem habere ante decretum Dei in ſua natura, prout eſt obiectum omnipotentiæ Diuinæ; hæc autem bonitas creabilis eſt, licèt non creata. Et per hoc ſoluuntur alia.

Obiiciunt

Obiiciunt quartò. Deus eſt omniuolens, ſicut eſt omnipotens; ſed vult tantùm futura. Ergo.

33 Respondet Maſtrius è S. Bonau. *d.* 45. *dub.*2. *litt.* & *quaſt.*2. Deum non eſſe omniuolentem efficaciter voluntate determinante res ad exiſtentiam; dicitur tamen omniuolens voluntate complacentiæ (excluſo ſolo malo culpæ) & hoc ſenſu loquitur S. Bonau. cùm negat Deum omniuolentem.

34 Obiiciunt quintò. Deus creaturis poſſibilibus non confert aliquam bonitatem. Ergo non amat illas.

Reſpondet Maſtrius è D. Bonau. *in* 3. *loc.cit.* *ad* 2. concedendo, non amare eas amore efficaci connotatiuo effectus.

Obiiciunt ſextò. Effectus hic complacentiæ, modo explicito, rerum exiſtentiam non reſpicit. Ergo vel eſt confictus, vel eſt iudicium merum intellectus, quo approbat rerum poſſibilitatem. Probatur conſeq. nam experimur nos nunquam aliquid velle, niſi in ordine ad exiſtentiam eius.

35 Respondet Maſtrius cum D. Bonau. *hic*, negando conſeq. Ad probationem reſpondetur, dari quidem gaudium de re exiſtente; attamen dari poſſe etiam complacentiam in re, quæ eſt tantùm poſſibilis. Sic Rex complacet ſibi in potentia etiam eorum, quæ non eſt facturus, vt etiam obſeruat Tannerus.

Obiiciunt ſeptimò. Actus, quo Deus amat neceſſariò, reſpicit ſolam ſuam bonitatem. At hæc eſt prorſus independens à creaturis poſſibilibus: Ergo.

36 Reſpondetur cum D. Bonau. *dub. cit. litt.* quem ſequitur Vulpes, bonitatem, & potentiam Dei non pendere à creaturis; ſed creaturas ità à Deo pendere, vt ab eo eſſe poſſint, & ad eum ordinentur, ità vt coëxigantur ſimul ad diuinam omnipotentiam, & bonitatem in eſſe poſſibili participabili. Cætera ſoluuntur ex dictis.

Quæres; quomodo Deus amore complacentiæ fertur neceſſariò in creaturas poſſibiles; & tamen voluntas creata non fertur hoc modo, niſi in ſolum Deum clarè viſum. Hinc ſanè videtur Diuina voluntas imperfectior.

37 Respondetur è D. Bonau. *queſt.*1. *in corp.* hanc diuerſitatem oriri ex maxima Dei perfectione; & noſtra imperfectione, quia enim homo longè abeſt à fine, qui eſt ſummum bonum; ideò in obiectis creatis, vel in actu amandi creaturas ipſas, inuenire poteſt aliquam rationem veri mali, aut apparentis; ſicuti etiam poteſt ratione viæ, in quâ pergit, declinare à bono honeſto ad malum ſub ſpecie boni. Similiter, quia actus creaturæ differt ab ipſa potentia voluntatis, & ſubſtantia, poteſt viciſſitudines varias in actibus pati. At voluntas Diuina, quæ fixa eſt in ſummo bono clariſſimè intellecto, non poteſt nolle bonum: & quia creaturæ poſſibiles ſunt omninò bonæ, ac neceſſariò tales, quatenus ſunt neceſſarium obiectum Diuinæ omnipotentiæ; ideò voluntas Diuina rectiſſima non poteſt eas odiſſe. Et quia actus Diuinæ voluntatis eſt ipſa ſubſtantia Dei neceſſaria; ideò actus ille ex parte ſua eſt neceſſarius, ſolùm admittens in obiecto libertatem; & quia obiectum, vt dixi, eſt neceſſariò bonum; ideò non poteſt deſiſtere ab actu (vt ità loquar) incepto amoris; ſicut non potuit non amare. Hac reſponſione vtitur quoque Vaſquez *num.* 10. Arrubal, & alij.

38 Arriaga *d.*24. *ſect.*4. *ſubſect.*1. inſtat cum Herize; incertum eſſe: An vbi non eſt ratio mali, ibi non ſit libertas. At non percipit vim, quæ ſita eſt in hoc. Vbi non eſt ratio mali, ex obiecto, & perfectiſſima eſt rectitudo voluntatis, ſicut præſupponitur in Deo, ibi eſt neceſſariò amor; quòd ſuprà ipſemet conceſſit.

Ex his habes, Deum liberè velle creaturas futuras, quia non ſunt Deo neceſſariæ, vt ait etiam D. Th. & Vaſquez *num.*11. Probatur argumentis ad oppoſitum D. Bonau. Sed de his redibit ſermo *diſput.* 17.

Colliges etiam cum D. Bonau. quo pacto dicatur Deus omniſciens, & omnipotens; non autem omniuolens. Cùm enim *poſſe* ſaluetur ſolùm circa obiectum, quod ſit ens, quia poſſe malum, non eſt poſſe: ratio autem volendi ſaluetur etiam circa obiectum malum; nam velle peccare, eſt velle; non autem eſt poſſe ſimpliciter, ſed deficere. Igitur Deus non vult peccatum, quod homo vult, nec poteſt illud velle; ideóque non eſt omniuolens. Rurſus, quia *poſſe*, dicit habitum: *velle* autem, dicit actum. Deus autem poteſt omnia poſſibilia, quæ non vult efficaciter, quoad exiſtentiam; ideò potentia ſe extendit ad plura; & dicitur omnipotens; non omniuolens. Tandem quia ſcire etiam malum, eſt ſcire, & eſt perfectionis. At verò velle malum, facit volentem malum. Ideò Deus eſt omniſciens; non omniuolens. Vide Seraphicum.

Colliges tertiò, Deum vnico actu velle ſeipſum, & creaturas.

Probatur *argumento* 3. *S. Bonau.* Sicut enim vno actu videt ſe, & alia; ità & vult ob ſuam ſimplicitatem, nam voluntas ſequitur intellectum. Eadem ferè ratione vtitur Suarez *l.* 3. *cap.*6. *num.*7. 39

Probatur alia ratione D. Bonau. *d.* 45. *dub.*2. Qui vult aliquid propter aliud, vult eodem actu, quatenus vult ſub hac ratione; vt eſt ad aliud; & hoc eſſe verum etiam in nobis probat S. Bonau. 2. *d.* 38. *dub.*4. *litt.* & dicam 1.2. *tract. de actibus hominis*, *d.*4. *quaſt.*2. Sed Deus vult creaturas propter ſe. Ergo. 40

Colliges vltimò, quid velit dicere D. Bonau. dum ait, Deum non velle creaturas poſſibiles, quia voluntas dicit actum circa res, & quia ſolæ futuræ accipiunt aliquid, quo reducantur de potentia ad actum. Vult dicere, hinc ſequi, Deum circa futuras res ſolas, habere actum voluntatis liberum, qui eſt efficax; non enim poteſt intelligi actus liber Diuinæ voluntatis, niſi ponatur in obiecto aliquid, quod ſine tali actu non eſſet; at circa creaturas poſſibiles, vt ſic, nihil tale apparet. Nam ſemper retinent eandem habitudinem ad potentiam Dei, cuius ſunt obiectum neceſſarium. Ergo nullus actus liber circa eas datur; vt dixi in argumento laudato à Maſtrio. 41

QVÆSTIO III.

Quid ſit velle liberum Dei, & quo pacto ſtet cum Diuina immutabilitate.

{ D. Bonau. d. 45. art. 2. quæſt. 1. D. Th. q. 19. art. 2.

Svppono hic cum Seraphico 2. *d.*25. *p.*2. *quaſt.* 1. & cum omnibus Catholicis, in Deo eſſe liberum arbitrium, nobiliori ratione, quàm in creatura. Tum quia in omnibus perfectionibus Creator infinitè prælucet creaturæ. Tum quia, cùm liberum arbitrium ſit facultas ſeruandi rectitudinem, ex D. Anſelm. *lib. de lib. arb. cap.*3. & 13. præcedente lumine cognitionis; hanc nobiliori modo in Deo reperiri quis inficiabitur? 42

Hæc igitur Diuina libertas, vt poſſit velle aliqua, dubio procul, eſt magna Dei perfectio eſſentialis, vt omnes fatentur. Eſt autem diſceptatio de

actu libero volendi aliqua. Cùm enim Deus ità velit aliquas creaturas, vt potuerit non velle; videtur ponendus in eo aliquis actus voluntatis liber ad contradictionem, qui potuerit abeſſe; & proinde aliqua
43 perfectio, quæ potuerit abeſſe à Deo. Quòd ſi velimus dicere, actum omnem voluntatis neceſſariò ineſſe Deo; ſimul aſtruimus, Deum neceſſariò omnia velle; quod eſt hæreticum: Nam certum eſt, Deum velle exiſtentiam creaturarum liberè; vt habetur *Rom.*8. *&* 9. & paſſim aliis Pauli epiſtolis. Idem habetur in Pſalmis, *Eccl.*39. vt docet vbique S.Bonau. *in* 2. *precipuè loc. cit.* & *in* 3. loquens de Incarnatione in Procemio; quod probat ex *Epheſ.*2. *Coloſſ.*1. *ad Titum* 3. & alibi.

Hæc autem libertas Dei videtur repugnare Diuinæ immutabilitati, quia ſi potuit velle, & nolle; potuit mutari.

44 Devm profectò immutabilem fides aſtruit, vt vidimus *d.*6. ex Concilio Later. & Scripturis, atque rationibus. Hanc porrò Dei excellentiam agnouit cum cæteris Philoſophis Ariſtoteles 8. *Phyſ. &* 1. *de cælo, ſum.*9. vbi ait: *Diuinum ipſum intranſmutabile eſſe, neceſſe eſt omne primum, ac maximè ſummum.*

Et quidem Poncius *in Curſu Theologico, d.* 3.
45 *quæſt.*3. *num.*24. aſſerit, poſſe Deum recipere nouos reſpectus ad creaturas, ſiue ſimilitudinis, ſiue diſſimilitudinis, de nouo productas; eò quòd non arguant imperfectionem; at ea ſola mutabilitas à Deo abhorret, quæ imperfectionem redolet.

Verùm hæc doctrina affinis eſt eorum errori, qui ponebant quaſdam intentiones ſuperadditas Diuinæ eſſentiæ, ac proinde facientes cum ea accidentalem compoſitionem. Et quidem è Diuina ſimplicitate cum Concilio Later. probat S. Bonau. 1. *d.*8. *p.*1. *art.*2. *quæſt.*1. *in corpore*, & cum eo Scotus *d.* 8. *quæſt.*5. Deum eſſe immutabilem ad quamcumque formam realiter diſtinctam. Confirmatur; nam, vt arguit Scotus 1. *d.* 30. *quæſt.*2. §. *ad ſecundam quæſtionem*, cum D.Bonau relato *d.*5. *quæſt.*4. Quidquid eſt in Deo, eſt ipſe Deus ſimpliciſſimè. Ideò nullum accidens poteſt ei aduenire.

Hoc etiam adducit S. Bonau. *loc. cit. fund,*3. *& corp.* Deus eſt actus purus, cui omnis potentialitas ad quamcumque formam diſtinctam penitus repugnat. Sanè hanc efficaciſſimam rationem, contra Poncium, acclamat Maſtrius *d.*2. *quæſt.*4. *num.* 134. qui latè Poncium refellit.

46 Vervm Diuinæ immutabilitati videtur repugnare Dei libertas, quam Deus exercet ad extrà. Nam in hac videtur eſſe indifferentia ad velle, & non velle, quæ eſt libertas exercitij, & contradictionis. Similiter, & ſpecificationis; & contrarietatis in poſſe velle, & nolle; atque adeò ſequitur, Deum carere aliquo actu, vel eum habere; ſiue etiam habere actum oppoſitum; actus autem volitionis habent ſuam perfectionem formalem omnes: Ergo mutabiles in Deo. Quæ omnia à Diuina immutabilitate abhorrentia ſunt, vt diſſerit S. Bonau. *loc. cit. in argumentis oppoſitis.*

Hæc eſt vna ex arduis Theologiæ quæſtionibus, qua omnes Theologi territi ſunt. Quapropter Morand. *quæſt.*5. cum Suarez *d.*30. *Met. ſect.*9. *&* 3. *p. d.*5. *ſect.*1. vocat hoc vnum noſtræ Religionis Myſterium, quod in hac vita cognoſci nequit. Et Vaſquez *d.*80. nodum inſolubilem, ſolis beatis manifeſtum.
47 Idem habet Molina *quæſt.*14. *&* 19. Amicus 1.1.*d.*14. *num.*41. ait eſſe vnam è difficultatibus humano ingenio inextricabilem. Idipſum habet Smiſing. *tract.*2. *d.*3. *quæſt.*1. Arriaga *p.*1. *tom.*1. *d.*28. acclamat ſummam Theologiæ difficultatem, in qua facillimum eſt aliorum ſententias refutare; aliquid autem dicere, quod poſſit vel apparenter ſatisfacere, nobis eſſe impoſſibile. Faſolus *p.*1. *quæſt.*19. *art.*3. *d.*4. ait, eſſe incomprehenſibilem. Et P.Ludouicus Bigonius Theologus eximius dicit, hoc Myſterium Sanctiſſimâ Trinitate obſcurius.

Inſulſus Caluiniſta apud Tannerum *d.*2. *quæſt.*10. *d.*4. ait, Decreta hæc eſſe accidentia voluntatis Dei; nec ſimpliciter æterna. Itaque phyſicam mutationem in Deo admittit, ſicut & compoſitionem.

Fvit verò prima opinio Caietani *quæſt.*19. *art.*3. dicentis, velle Deum creaturas producere, eſſe perfectionem intrinſecè, & formaliter in ipſo; eam tamen liberam eſſe; qua additione ſperat errorem declinare. Per talem enim perfectionem liberam, intelligit diminutam quandam, quàm non repugnat abeſſe à Deo. Ideò ſi ab æterno noluiſſet producere mundum, caruiſſet hac perfectione, abſque ſuæ infinitæ perfectionis detrimento. Hanc ſententiam Doctori ſuo Angelico adſcribit, eò quòd *art.*2. ait: Communicare ſe, ſpectat ad perfectionem Diuinæ voluntatis. Enim verò S. D. id ſolùm vult, communicare ſe ad extrà, eſſe ſignum perfectionis illius, qua Diuina voluntas poteſt ſe communicare; vt notat Valentia *d.*1. *quæſt.*19. *p.*3. Nuſquam autem hanc opinionem docuit S. Doctor; vt notat Ferrar. 1. *contra Gent, cap.*75. Vaſquez *d.*8. *num.*10.

Hunc errorem, ab omnibus etiam Thomiſtis exſi- 48
bilatum, ſequitur Ripa *ad art. cit.* D. Thomæ, & quidam alij Recentiores; eumque Amicus citatus attribuit Fonſecæ 1. *Met. cap* 8. *quæſt.* 5. *ſect.*4. *&* 5. Salæ *p.* 2. *quæſt.*6. *art.*3. *tract.*3. *d.*1. *ſect.*8. Verum Fonſeca *ſect.*3. vocat ſententiam Caietani audacem; ac minùs tutam. Salas verò *ſect.*8. *num.*104. *concl.*4. oppoſitum Caietano docet.

Cæteri verò contra eam conclamant, Bannes, Zumelluſque vocant eam malè ſonantem. Valentia, & Vaſquez abſurdam. Tannerus parùm in fide tutam. Omitto reliquos. Ioannes tamen Paulus Nazarius *quæſt.*19. *art.*2. *controu. vnica* ait, verum Caietani ſenſum has cenſuras non meruiſſe. Dicit igitur, Caieta- 49
num non ponere in Deo perfectionem liberam, ideſt liberè Deo additam: ſed vocari perfectionem liberam, quia licèt in Deo conſiderata ſit neceſſaria; tamen liberè refertur ad obiectum, & ad illud ordinatur voluntariè, cùm ab obiecto creato non dependeat; nec habeat aliquid, quò neceſſariò ad tale obiectum ordinetur; quàm Caietanus *art.*3. vocat perfectionem extenſiuam Diuinæ voluntatis, quatenus liberè extenditur ad creaturas. Idem videtur innuere Caietanus 3. *p. quæſt.*1. *art.*1. Et ſanè mihi veroſimile eſt, ità Caietanum ſentire. Neque rectè eum impugnat Maſtrius *num.*153.

Secvnda ſententia eſt aliorum, qui vt Scyllam, è 50
prima ſententia ſurgentem euitarent; in alium extremum ſcopulum impetierunt. Hi dicunt, Deum non habere vllum actum intrinſecum, quo velit creaturas; ſed velle creaturas, nihil eſſe aliud, quàm eas producere, cùm in eius eſſet poteſtate eas non producere. Hanc opinionem Capreol. 1. *d.*45. *art.*2. & Gregor. 1. *d.*47. *quæſt. vn.* adſcribunt Aureolo *d.* 47. *quæſt.*1. *art.*1. Sed Aureolus nihil tale voluit, imò pro tertia ſententia ſtat *d.*47. *art.*1. vt habet Herize. Eam quoque Scoto videtur adſcribere Faber *d.*53 *num.*33. Pro qua ſententia Arriaga *d.*28. *ſect.*1. refert Arnibalem *p.*1. *d.*54. Granadum *t.*2. *tract.*3. *d.*5. *ſect.*3. Herize *d.*16. *cap.*10. & Vaſquez *d.*80. *cap.*2. Hæc igitur ſententia ſic Diuinam defendit immutabilitatem, vt liber Diuinæ voluntatis actus dicat ſolùm denominationem meram extrinſecam, fundatam in mutatione

creaturæ

creaturæ ad eſſe; & tunc Deum dici velle liberè.

51 Tertia ſententia eſt, Dei velle liberum, eſſe Diuinam eſſentiam ſignificatam per modum actus vitalis, & effectus eliciti, cùm reuerà ſit ipſa ſubſtantia Dei; includere tamen habitudinem quandam rationis ad res futuras, quæ liberè Deo conuenit; ſicut etiam res liberè futuræ ſunt. Ita Vaſquez d.80. cap.2. Trigoſ. quæſt.13. art.3. dub.3. Ferrar.1. cont. G. cap.75. & 76. Molina quæſt.14. art.15. & quæſt.19. d.2. Capreol. 1. d.45. quæſt. vn. art.2. Arrubal d.54. Granad. tom. 2. tract. 3. d.5. ſect.3. Citatur Herize d. 16. cap.10. apud Salam t.1. in p.2. tract.3. d.3. ſect.6. nec diſcrepant à Vaſquez, vt putat Arriaga d.28. ſect.2. Nam, licèt Vaſquex addat denominationem extrinſecam, quam aliquando à forma reali dicit prouenire; attamen hoc loco denominationem ponit merum rationis reſpectum. Vide quoque DD. apud Ruitz d.11. ſect.3.

Libet hìc meliùs afferre opinionem Herize, qui dicit, in Deo nullum eſſe actum immanentem, ſeu internum, prodeuntem à principio indifferenti, vt ſic; ſed ſolam actionem externam, atque ideò Dei libertatem, ſeu libertatis exercitium conſiſtere imme-
52 diatè in ſola actione externa. Hanc vocat libertatem Dei efficacem, quæ ſupponit volitionem Diuinam, quæ eſt puriſſimus actus ſubſiſtens, non ad modum noſtri à potentia egredientis; quia in Deo voluntas non eſt per modum potentiæ, ſed per modum actus puriſſimi Itaque hic eſt cum ſecunda ſententia.

Qvarta ſententia eſt volitionem liberam in Deo, eſſe ipſum actum neceſſarium Diuinæ, voluntatis, vt liberè connotantem extrinſecam productionem effectus, à ſe liberè pendentis. Ita Turrian. opuſc.5. d.2. dub.4. Amicus d.14. ſect.3. num.82. pro qua allegat Arrubalem p.1. d.44. cap.3. Granadum p.1. tract.3. d.5. ſect.3. Alarconem de Voluntate Dei d.4. cap.8. & ex antiquis Alenſem p.1. quæſt.34. m.2. Aurçolum 1. d.47. art.1. & 2. Altiſiodor. l.1, cap.12. Sobſcribit Fulienſis l.1. cap.15. Non longè ab his abit Ferdinandus, Salazar de Immaculata Concep. B.V. cap.24. §.3. ſect.3. à num.51. dicens. Volitionem Dei liberam, eſſe ipſum actum neceſſarium, quo Deus amat creaturas omnes poſſibiles, cum determinatione libera ad eas producendas; hanc verò determinationem liberam actui neceſſariò additam, ait, eſſe efficaciam Diuinæ voluntatis ad operandum, in actu primo poſitam: & fortaſſe moralitatem quandam, quæ poteſt adeſſe, & abeſſe, abſque mutatione intrinſeca.

53 Qvinta opinio eſt, velle liberum Dei, eſſe Diuinam eſſentiam, quæ eſt pelagus infinitum perfectionum, continens etiam id, quod dicit perfectionem in agente libero creato, ideſt hoc, & illud velle facere liberè; in Deo tamen non eſt per actum elicitum, neque per multiplicitatem actuum; ſed vno actu ſimpliciſſimo, qui, quia infinitus eſt, continet omne, quod habent omnes actus noſtri neceſſarij, & liberi; & quia eſt actus ſimpliciſſimus vult omnia creata abſque variatione. Itaque cùm ſit puriſſimus actus, nullam in Deo ſupponit mutabilitatem ſubiectiuam, ad actum formalem ordinatam; & ità remanet magna illa difficultas, quantùm mortalibus licèt, enodata; eſt enim Diuina voluntas arcana, vt clamat Apoſtolus, præcipuè Rom.11.

Hanc ſententiam docet, & latè declarat S. Bonau. in 1. d.8. p.1. quæſt.1. art.2. expreſſiùs d.45. art.2. q.1. & in 2. d.25. p.2. quæſt.1. Ex quo crue, malè à Trigoſio allegari Seraphicum pro tertia ſententia. Hanc ſequuntur magno ſanè plauſu recentiores. Ità Suarez d.30. Metaph. ſect.9. Ribas t.5. d.6. num.34. Zumel. p.1. quæſt.19. d.2. Nazar. ibidem, controu. vn. Albertinus in Coroll. tom.1. prin. phil.6. coroll.2. p.2. Ruitz d.13. ſect.2. Mærac. d.1. ſect.3. Præp. quæſt.19. art.3. d.1. Ambroſius Machinus p.1. d.40. ſect.3. Lezana t.4. d.5. quæſt.7. Becan. tom.1. cap.11. quæſt.4. Faſolus p.1. quæſt.19. art.3. Smiſing. tract.2. d.3. quæſt.1. Vulpes tom.2. p.1. d.33. art.4. Caſpenſ. tract. de voluntate Dei, d.3. ſect.2. Albiz. eadem d.6. ſect.1. Tanner. d.2. quæſt.10. dub.4. num.20. Valentia d.1. quæſt.19. p.3. 54
Maſtrius d.2. quæſt.4. num.160. vbi hunc modum cæteris digniorem acclamat; eumque ſequi Recentiores ferè omnes, tam Scotiſtas, quàm exteros, Doctorem ſubtilem agnoſcentes, vt vnicum eius authorem. Nequeo ſatis etiam, atque etiam mirari, tot viros eruditiſſimos, nunquam legiſſe doctrinam hanc, multos antea annos à Seraphico traditam locis citatis, maximè in 1. d.45. art.2. quæſt.1.

In hanc tandem incidit inuitus Arriaga d.28. ſect.6. vbi in Diuioæ infinitatem voluntatis ſe proiicit; vt hoc maximum arcanorum detegat. Hanc ſecutus Morand. num.401. eam adſcribit D. Thom. 1. cont. G. cap.76. & 82. & quæſt.46. art.3. ad 6. & Scoto in 1. d. 39. §. Iuxta prædicta, Durando 1. d.43. quæſt.4. & aliis antiquis, ac Præpoſito quæſt.19. art.3. dub.5. Mærac. d.32. ſect.3.

Fvndamentvm primum è D. Bonau. d.45. q.1. 55
corp. & in hac quæſt. arg.1. addita ſolut. In Diuina voluntate eſt conſiderare ipſum actum intrinſecum, quo Deus vult, & connotatum illo actu. Eſt autem connotatum creatura volita, quæ eſt effectus decreti voluntarij; ideò non poteſt eſſe conſtituta decreti. Nam cauſa debet ante effectum intelligi omniuò completa. Quo fit, vt nequeat connotatum cum eſſentia, actum voluntatis conſtituere.

Mvlto minùs autem id poterit reſpectus ratio- 56
nis, qui non ſolùm eſt poſt connotatum, ſed etiam poſt relationem realem ipſius connotatæ creaturæ ad Deum. Refertur enim creatura iam volita ad Deum habitu ab æterno; & poſtea actu, quando fit, vt docet Seraphicus d.35. quæſt.3. ad 3. ex qua relatione reali concipimus in Deo quandam relationis mutuitatem, vt docet S.D. d.35. quæſt.2. ad 1. & paſſim tota diſt. Hæ autem relationes ſupponunt fundamentum, 57
nempè creaturam iam volitam, vt notat S. Bonau. & ità nequit ad ſe ipſam volendam influere. Itaque ſicut connotatum, ideſt creatura eſt effectus voluntatis, poſterior illâ; ità multò magis eſt poſterior omnia relatio, è creatura iam volita, conſurgens; & ideò non poteſt eſſe de ratione conſtitutiua, vel completiua decreti; alioqui ſimul eſſet cauſa, & effectus. Hoc autem benè notandum; eſt enim aduerſariis nodus indiſſolubilis; vt tandem ingenuè fatetur Vaſquez. Alia quoque ratione, reſpectus rationis non poteſt conſtituere actus voluntatis Diuinæ reales, quia reſpectus rationis à nobis confictus eſt; & ità faceret actus Diuinæ voluntatis non eſſe reales, contra Scripturam, quæ vbique eos reales aſtruit. Imò in poteſtate noſtra eſſet facere actus Dei, vt arguunt Auerſa quæſtione 19. ſect. 11. Mærac. d. 31. ſect. 2. Morand. tractat. 4. de Voluntate Dei, quæſtione 5. num.396.

Fvndamentvm ſecundum ex D. Bonau. d.45. 58
art.2. quæſt.1. in reſol. Quamuis Diuina eſſentia ſit vnum quid ſimpliciſſimum; eſt tamen pelagus ſubſtantiæ infinitum; & ideò omnia, quæ in nobis diſperſa ſunt; ea, inquam, in Deo ſunt vnum ſimpliciſſimum; verè tamen, & perfectiſſimè. Vnde ſicut in nobis eſt ſcientia cognoſcens res; potentia potens producere res; & voluntas volens aliqua neceſſariò; aliqua liberè: ità & in Deo. Quoniam verò infini-

tatem

tatem diuinæ perfectionis vno conceptu non valemus complecti; ideò multis modis Deum intelligimus, & intellectu concepium modo diuerſo exprimimus. Concipimus igitur veram in Deo voluntatem, cui proprium eſt eſſe cauſam rerum liberam, mouente bonitate ad communicationem. Hæc igitur Diuina voluntas illo ſimpliciſſimo actu, qui eſt ipſa ſubſtantia Diuina, Includit quicquid perfectionis in actibus noſtris reperitur. Sicut igitur in nobis eſt actus liber: ita & in Deo, ſed diuerſo modo, vt dixi *quæſtione* 1. *in corp.* In nobis enim actus, quia ſunt accidentia, addunt aliquid perfectionis voluntati, quotieſcumque eliciuntur; & poſſunt eſſe, & non eſſe: at verò actus Diuinus; quia eſt ipſa ſubſtantia Dei ſimpliciſſima, & actualiſſima, ſemper eſt neceſſarius ſubſtantialiter; eminenter autem liber, non in ſe; ſed ratione obiecti, in quod ſolum ingreditur mutatio, in ſe autem ſimpliciſſimus, qui vno modo vult, quæcumque vult, vt ait S. Doct. 1. *d.*43. *dub.*4. *&* *d.*47. *art.*1. *quæſt.*2. Rurſus, quia actus in nobis ſunt accidentia; abſunt, & adſunt, & nunc volo; nunc careo omni actu; nunc actum oppoſitum elicio; at in Deo, quia actus eſt ipſa Diuina eſſentia immutabilis, ſemper eſt actus; & ideò Deus vult hoc fieri; & eodem actu vult non fieri, factâ in ſolo obiecto mutatione. Ex quo fit, vt velle Dei liberum, non addat Deo mutationem, aut perfectionem indifferentem ad eſſe. Sed tantùm indifferentem ad terminari; & nôn terminari extrà ab obiectis creatis, ſeu, & ordinati ad hæc, vel illa obiecta extrà, vt monet S. D. 1. *d.* 39. *dub.*5. *litt.*

59 Ex quo etiam habetur, diuinæ voluntati, ac volitioni aliquam veram, & propriam indifferentiam actiuam, & contradictionis potentiam conuenire, ſine qua non eſt intelligibilis aliqua libertas, & indifferentia ad vtrumlibet; nimirum per habitudinem, non ad intrinſecos actus, ſed ad extrinſeca obiecta. Vnde immeritò potentiam hanc à D.Bonau. aſſignatam 1. *d.* 47. *art.*1. *quæſt.*1. *ad* 3. ſolito ſpectans ſupercilio Caietanus, vocat imaginationem Scoticam. Eam enim tenent D. Thom. 1. *cont. G. cap.*8. Vaſquez *d.*79. *num.*16. Valentia *p.*4. *aſſert.*3. Bannes *p.*1. *quæſt.*19, *art.*10. *dub.*2. & alij paſſim, vt refert Maſtrius *num.*161. Porro fundamentis Seraphici omnia liquida ſiunt.

60 Assero primò contra hæreticum Caluiniſtam, volitionem Dei liberam non eſſe accidens Deo additum. Patet ex dictis *d.*6. *quæſt.*1. & *in hac quæſt. initio.*

Assero ſecundò contra Caietanum, velle liberum Dei non addere perfectionem intrinſecam Deo liberam.

61 Probatvr primò *ex fundamento* 2. D.Bonau. validiſſimè. Quidquid eſt in Deo, eſt ipſiſſima eſſentia Dei, & vna perfectio abſolutiſſima, ſimpliciſſima, neceſſaria, ipſeque Deus. Sed illa perfectio per Caietanum à Doctoribus communiter expoſitum, eſt contingens, quæ potuit abeſſe. Ergo non eſt ipſe Deus, etiam identicè; ſed realiter diſtinguitur. Probatur conſeq. illo irrefragabili metaphyſico axiomate. Separabilitas eſt certiſſimum ſignum diſtinctionis realis inter ſeparabilia. Cùm igitur illa perfectio intrinſeca, Deo adueniens è libero decreto, potuerit ſeparari, ſequitur, diſtingui realiter à Deo, & ità dabitur entitas abſoluta in Deo, realiter ab alia diſtincta, contra Concil. Rhemenſe, vt tradit S.Bernardus *ſerm* 80. *in Cantica.* Hoc argumento vtuntur Vaſquez, Valentia, Trigoſ. Ferrar. Maſtrius, Morand. & alij.

62 Arriaga *d.*28. *ſect.*5. ait, probari quidem hoc definitum a D. Bernardo *art.*1. *in Concilio Rhem.* at negat definitum in Concilio; ſed quicquid ſit, admittit compoſitionem damnatam ab eodem Concilio Rhem. & Later. *cap. firmiter*; nam pluralitas realis abſolutorum inducit compoſitionem, vt oſtendi *d.*3. *quæſt.*8.

Reſpondent aliqui, opinionis Caietani defenſores, hanc perfectionem, eo ipſo adiunctam Deo, illico fieri de ſubſtantia Dei; ſicut Filiatio, & Spiratio paſſiua ex ſua productione identificantur in Deo.

63 Verum hæc reſponſio deſtruit principium illud Metaphyſicum. Separabilitas eſt ſignum diſtinctionis realis. Quamuis enim illi actus liberi ex ſuppoſitione; & ſecundum quid, nequeant ſeparari; tamen ſimpliciter potuerunt. Nam Deus potuit non velle creare mundum. Neque exemplum de Diuinis relationibus eſt ad rem: Nam relationes ſimpliciter ſunt neceſſariæ in Deo; nec vnquam potuerunt non eſſe.

Deinde non poteſt cum Deo, qui eſt ens ſimpliciter neceſſarium, identificari id, quod potuit non eſſe.

Reſpondent alij apud Arriagam, *ſect.*4. actus liberos eſſe formalitatem veram, realem, quæ in Deo potuit non eſſe. Et vt argumenta deuitent, dicunt, diſtingui virtualiter ab actu neceſſario. Et hoc ſufficere, vt de ea verificetur contradictorium actus neceſſarij, nempè quòd potuerit non eſſe.

Contra hos viget acriter Arriaga principium Metaphyſicum allegatum, quo negato, tota corruit Philoſophia. Confirmatur. Nam potuiſſet eſſe Deus perfectior, ſi plura voluiſſet.

64 Assero tertiò, Deum vero actu reali velle creaturas, contra ſecundam ſententiam.

Probatvr à D. Bonau. 1. *d.*45. *quæſt.*2. Pſal.113. *Omnia quæcumque voluit fecit.* Vel ergo per *Voluit*, intelligit actum Diuinæ voluntatis. Et tunc habeo intentum: vel ſignificat ipſam factionem, ſeu actum faciendi; & tunc erit ſenſus. Omnia quæcumque fecit, fecit, quod eſt ridiculum. Hoc teſtimonio arguit Gregorius Arim. & Morandus. Præclarè autem Scriptura diſtinguit inter velle, & operari, è quibus velle præcisè & operari, eſt actus liber, determinans operationem, tanquam ſuum effectum, à quo ſupponitur vt cauſa. Id aduertunt Maſtrius, Ribas, & alij.

65 Probatvr ſecundò à S.D. *hic*, *quæſt.*1. Omnis perfectio creaturæ, ſimpliciter ſimplex, eſt Deo attribuenda; at in creatura eſt actus verus intellectus, & voluntatis, qui eſt perfectio ſimpliciter ſimplex: Ergo. Maior probatur, quia Diuina eſſentia eſt pelagus infinitæ perfectionis. Sed opus ad extrà non eſt actus immanens, qualis eſt voluntatis, in quo conſiſtit primum libertatis exercitium. Ex quo infero, ſequi nullum fuiſſe actum liberum ab æterno, vt ait Ribas; non enim eſt actus liber, niſi volens determinet ſe ad aliquid obiectum. At Doctores ſecundæ ſententiæ, præſertim Herize *d.* 19. *cap.* 12. *num.*102. determinationem omnem liberam dant ſoli actuali operationi creaturæ, imò is negat omnem actualem determinationem eſſe liberam, ſiue æternam, ſiue temporalem. Ergo nulla eſt in Deo ab æterno libera volitio in ratione actus. Hoc autem eſt abſurdum, ex Apoſtolo ad Epheſ. 1. *Elegit nos ante mundi conſtitutionem*, vt obſeruat S. D. 1. *d.*40. *art.*3. *quæſt* 1.

66 Reſpondet Herize Dei voluntatem fuiſſe ab æterno liberam in ratione principij operandi; non in

ratiune actus volendi, id autem ſatis eſſe, vt libertas, atque dominium ad rerum productionem ſaluetur.

At non percipio quomodo decernat liberè ab æterno actu voluntatis, & poſſet non decernere, ſeu velle creare mundum, & velle non creare, niſi actus ſit formaliter liber; aut eminenter. Nam libertas ad opus eſt ad contradictoria, vt poſſet velle non decernere. Eſt enim decretum liberum voluntatis æternum, non adhuc ponens aliquid in eſſe, ſed volens ponere liberè, cùm poſſet illud decretum non velle aliquid ponere. Sanè cum libertas ſit intrinſeca voluntati, debet eſſe in ipſo velle, ſeu productione eius.

67 Probatvr tertiò à D. Bonau. *art.* 2. *quaſt.* 1. & ſæpè vrgetur. Deus in ratione principij eſt cauſa rerum per voluntatem, vt clamant Scripturæ, & Patres, præcipuè D. Hilar. *lib. de Synod.* & D. Auguſtin. *l.* 1. *contra Manich. cap.* 2. & ſanè eſt cauſa immediata adeò vt non inferatur productio rerum ex eo, quòd poſſit, aut ſciat eas; ſed quia velit, vt notat S. Doctor. *quaſt. ſeq.* & in præcedenti innuit. Ergo in ratione volendi eſt cauſa. Actus autem volendi eſt immaneus: Ergo in ratione actus liberi decernit; alioqui non poſſet verè dici, *liberè vult*, & ità actus decreti eſt liber; non enim capio voluntatem determinari extrà; & non intrà priùs.

68 Vrget S. Doctor. *fund.* 4. *allata queſtionis.* Deus in ratione principij reſpicit creaturas, aut ergo per naturam, aut liberè per voluntatem, aut caſu ex Ariſtotele 2. *Phyſ. t.* 61. *&* 7. *Met. t.* 30. Non caſu, vel fortunâ, quia hoc eſt agere improuidè ad finem; nec per naturam, quia produceret Deos. Ergo per actus vitales intellectus dirigentis, & voluntatis liberè eligentis vnum opus præ alio, illudque decernentis actu immanenti. Ergo ad productionem, quæ eſt effectus tranſiens extrà, ſupponitur actus immanens ſanè æternus, ne Deus mutetur in tempore, factus de non volente, volens: Ergo libertas ſtat in volendo ab æterno, & non in ſolo actu producendi. Sic arguunt contra Herize etiam Maſtrius *numer.* 144. & Ribas *à num.* 27. illum deducens in circulum inuiſum, quia concedit: Dei voluntas eſt libera, quia rei productio eſt libera, & non poteſt negare, hanc eſſe liberam, quia cauſa eſt libera ad producendum, & ad ipſam productionem. Quare idem eſt cauſa, & effectus huius libertatis.

69 Probatvr quartò à D. Bonauent. *in corp.* Id quod coniungit cauſam efficientem, & finalem ad effectum, eſt cauſa effectus. Talis eſt voluntas, quæ inducit bonitatem ad ſui communicationem efficaciter: Ergo. Subſumo; at actus voluntatis eſt vitalis; non autem mera productio, vt patet. Ergo. Probatur ſubſumptum, nam velle fuit æternum; at productio eſt in tempore, quod probat Seraphicus *d.* 49. *art.* 3. *quaſt.* 1. ex illo Epheſ. 1. *Elegit nos ante mundi conſtitutionem*; & *d.* 35. *quaſtione* 3. *ad* 3. confirmat, quia ab æterno Deus voluit, quæ facturus erat in tempore; nec tamen fecit ab æterno.

70 Probatvr quintò è *fund.* 1. quia denominatio illa eſt poſterior ipſo decreto. Ergo non eſt conſtitutiua decreti; vel datur circulus, quia decretum eſt cauſa illius denominationis; & denominatio eſt cauſa decreti.

Dices. Deum in tantum dici, aliquid ab æterno voluiſſe, quatenus ab æterno fuit verum dicere, quòd illud eſſet Deus in tempore facturus.

Contra primò, quia in tantum Deus nouit ſcientia viſionis aliquid in tempore futurum, v.g. mundum; quatenus decreuit mundum in tempore producere; vnde ſublatis liberis decretis neſciret quid eſſet in tempore futurum, vt notat D. Bonau. in *hac quaſt.* & *d.* 38. *quaſt.* 1. *&* 2.

Deinde, quia etiamſi ego cras ſim aliquid facturus, non dicor ob id nunc velle cras hoc facere, niſi circa illud habeam ſpecialem volendi actum: Ergo nec Deus dicitur voluiſſe aliquid ab æterno ex eo, quod ſit illud in tempore facturus; niſi etiam circa illud obiectum habuerit ab æterno actum volendi; vt arguit S. D. *hic, in corpore*, & Maſtrius *n.* 142. Tandem, vt arguit S. Bonau. *hac quaſt. arg.* 1. *cum ſolut.* ſequeretur, Deum non velle ſeipſum eſſe, quia per hoc nihil producit. 71

Assero tertiò. Decretum liberum Dei non eſſe poſitum in reſpectu rationis Dei ad creaturas. 72

Probatvr primò ex *fund.* 1. quia ſic admittitur circulus; nam ille reſpectus eſt effectus decreti, & eo poſterior. Nam ſupponit creaturam volitam, & mox relatam ad Deum realiter. Ergo ſi decretum conſtituitur ab hac relatione rationis, eſt poſterius ipſa relatione. Et ità eſt prius, & poſterius: cauſa, & effectus.

Hinc validum vrget arietem D. Bonau. *arg.* 1. addita ſolutione. Id, quod eſt poſterius, non poteſt eſſe cauſa prioris ſe: Sed creatura connotata, & multò magis reſpectus realis eius ad Deum; & multò adhuc magis reſpectus rationis Dei ad creaturas, ſunt poſteriora decreto libero Dei: Ergo. Maior patet. Minor probatur; quia omnis effectus eſt poſt ſuam cauſam: at creatura eſt effectus voluntatis liberæ Dei: Ergo eſt poſt eam. At reſpectus rationis eſt poſt creaturam, & poſt relationem realem eius ad Deum: Ergo multò magis eſt poſterior ipſo decreto. Atque adeò non poteſt eſſe conſtitutiuus eius. Addo fore, vt volitio Dei eſſet ens rationis. Sic vrgent Montanus, & alij. 73

Hoc argumentum eſt inſolubile. Ideò Vaſquez ſuam confeſſus imbecillitatem, circulum in ſua opinione dat. Sed Turrianus, & Arrubal gloriantur circulum vitare, quia licèt vera ſit hæc: Ideò creatura exiſtit, quia liberè vult Deus eam exiſtere; habet enim creatura dependentiam à libera Dei volitione; tamen non conuertitur. Ideò Deus liberè vult creaturam exiſtere, quia illa exiſtit, quia actus liber Dei, quo vult eſſe creaturæ, priùs intelligitur completus, quàm creatura ſit; exiſtit enim per cauſalitatem Dei. Multa in Riba vide, ſed infirma ad retundendum. 74

Contra arguo, quia per vos libera Dei volitio dicit entitatem Diuinam neceſſariam completam, denominatione extrinſecâ ſumptâ è cauſalitate, ſeu à productione, quæ complet volitionem in ratione liberæ, certum eſt autem hanc volitionem in decreto æterno liberam fuiſſe ante productionem: oportet ergo aſſignent in alio liberi rationem; cùm in entitate Diuina nihil non ſimpliciter neceſſarium inueniant; imò eam reperire tenentur in productionis radice, quæ eſt formalis volitio; quam totam tamen aſſerunt neceſſariam. Quare in ſolo effectu erit liberi actus complementum, quo poſito circulantur cum aliis, vt ſuprà oſtenſum. Inſuper de medio tollent diuiſionem Voluntatis Dei in efficacem, & inefficacem, ab omnibus ferè conceſſam; vt dicam *num.* 484. 75

Arriaga *d.* 28. *ſect.* 1. *ſubſect.* 2. hoc medio vtitur; Sequeretur, Deum ab æterno non voluiſſe creare mundum, nec liberè adamaſſe, quia in 76

volitione

volitione libera includitur etiam creatura eſſentialiter, tanquam pars. At creatura ſolum in tempore exiſtit. Sic pugnat etiam Morandus.

Huic argumento reſpondent, non compleri volitionem Dei per creaturam, ſed per futuram cauſalitatem, quam ab æterno reſpexit. At reſpectus hic eſt quid rationis ſubſequens, & ità decidunt in circolationes Vaſquij. Sed argumentorum Arriagæ ictibus non video aduerſarios contuſos, vt credit Morandus.

77 Sub *numer.* 8. arguit ille ad hominem contra Vaſquez, qui *d.* 120. ex eo, quòd ad Diuinam miſſionem requiritur, præter æternam proceſſionem, etiam effectus temporalis, deducit, miſſionem eſſe temporalem, quia non habeat totum eſſe æternum. Infert verò hinc Arriaga: Ergo neque amor eſt æternus, quia requirit creaturam temporalem. Sic argueret etiam contra D. Bonauent. qui *d.* 15. *q.* 2. ob id ponit miſſionem temporalem. Et *d.* 40. *q.* 2. ponit æternum actum amoris, tametſi creatura ſit in tempore futura.

78 Illa tamen inſtantia futilis eſt. Quia diſpar eſt toto cælo vtriuſque ratio: Miſſio enim connotat effectum productum actu, & exiſtentem in tempore: at voluntas libera non requirit creaturam productam; ſed producendam, vt docet D. Bonauent. *locis adductis*; futuritionem verò fruſtra ad nihilum redigere conatur Arriaga, ipſeque ſuis ſe telis configit, vt dixi: Nam res futura habet ſufficientem entitatem, vt ſit obiectum amoris; vt ſæpe reſticat alibi Arriaga cum D. Bonauent. 3. *d.* 32. *quæſt.* 1. *ad* 1. & *in* 1. *d.* 38. *dub.* 2. *litt.* Melius ergo vrget ratio Seraphici, quia futuritio ipſa ſupponit amorem liberum, ſeu decretum: Ergo non potuit eſſe pars decreti; Et hic eſt nodus, quo inuoluuntur aduerſarij: nec filum inuenere, quo tramitem Labyrinti peruaderent. Et eo vtitur Arriaga *ſubſect.* 7. optimè.

Herize, & alij reſpondent, nullam eſſe Deo ab æterno volitionem liberam diſtinctam re, aut ratione à neceſſaria; ſed ab hac prodire creaturas in tempore.

79 Enim verò certum eſt, Deum ab æterno babuiſſe decretum magis erga vnum opus, quàm erga aliud; puta creandi hunc mundum magis, quàm alium; prædeſtinandi hunc potiùs, quàm alium; vt habetur Rom. 9. Malach. 1. *Antequam boni, vel mali quidquam feciſſent, Iacòb dilexi; Eſau autem odio habui*, &c. Epheſ. 1. *Elegit nos ante mundi conſtitutionem*, &c. Similiter præuidit, me hoc potiùs facturum, quàm illud; atque adeò decreuit concurrere ad hoc magis, quàm aliud; ac proinde fuit de hoc Dei voluntas libera ab æterno, vt arguit Arriaga *ſect.* 1. *ſubſect.* 4. poſt D. Bonau. *d.* 40. *quæſt.* 1. in fundamentis, & *in* 3. *d.* 32. *quæſt.* 1. & alibi.

80 Confirmatur. Nam Deus magis dilexit ab æterno Chriſtum, quàm Iudam; vel Petrum Apoſtolum magis, quàm Simonem Magum; vt docet D. Auguſtin. apud Magiſtrum 3. *d.* 32. & probatur ibi à S. Bonau. *quæſt.* 3. 4. *&* 5. at iuxta reſponſum Herize, æqualiter dilexiſſet Iudam, & Chriſtum. Nam amore neceſſario non minùs potuit Verbum naturæ humanæ Chriſti, quàm Iudæ hypoſtaſim ſuam communicare; nouam autem complacentiam, & amorem non habet, etiamſi maiora conferat bona: Ergo iſta propoſitio eſt veriſſima: Deus non habet ſpecialem complacentiam in Chriſto magis, quàm in Iuda; quod horrerent aures; cùm & ipſe Pater teſtatus ſit. *Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui*; non autem id ait de Iuda, imò odium expreſſit. Hoc argumentum vrget etiam authores ſecundæ ſententiæ.

Multas alias rationes congerit Arriaga; ſed leuioris momenti. 81

Assero quartò, actum Dei liberum non eſſe ipſum actum neceſſarium Diuinæ voluntatis, liberè connotantem extrinſecam productionem effectus, liberè à ſe dependentis.

Probatur primò argumentis factis contra ſecundam ſententiam, quæ volebat, actum liberum Dei ſuper entitatem neceſſariam actus neceſſarij addere tantùm productionem rei, & denominationem inde reſultantem.

Probatur verò à Maſtrio *num.* 155. *arg. S. Bonau. d.* 45. *art.* 2. *quæſt.* 1. *arg.* 1. *addita ſolutione.* Creatura connotata eſt effectus Diuini decreti: Ergo non eſt conſtitutiua eius. Probatur antecéd. quia ideò futura eſt creatura ad exiſtentiam, quia Deus eam ſtatuit creare. Probatur conſeq. quia quod eſt poſterius, non poteſt eſſe conſtitutiuum prioris; at effectus eſt poſterior causâ: Ergo. Confirmatur; quia licèt cauſa ſub ratione cauſæ connotet effectum; tamen fundamentaliter eſt prior naturâ ipſo effectu, etiam pro eodem inſtanti, quo effectus producitur; prius enim eſt, effectum pendere à cauſa; quàm effectum eſſe extra cauſam. Ita Tannetus *num.* 12. Morand. *num.* 400. 82

Reſpondet Turrianus, volitionem Dei liberam ſecundùm intrinſecam perfectionem eſſe priorem cauſalitate; attamen vt liberam formaliter, eſſe priorem quidem termino, ſeu effectu producto, non tamen eſſe priorem ipſa cauſalitate connotante, atque adeò connotationem conſtituere poſſe actum liberum in eſſe completo. Eadem reſponſione nititur Amicus *num.* 102. 83

Contra arguit Maſtrius *num.* 156. Quia actio, qua creatura producitur à Deo, non eſt aliquid re ipſa diſtinctum ab ipſa creaturâ productâ. Vnde creatio Angeli, re ipſa identificatur cum Angelo producto; nec eſt aliquid re vera medium inter Deum, & Angelum. Ergo ſi volitio, vt libera, eſt prior effectu producto, velut eius cauſa; ſic erit prior ipſa actione, qua producitur. Antec. eſt D. Bonau. oſtendendum *tract.* 3. *d.* 1. *quæſt.* 3.

Reſpondet vlteriùs Amicus, volitionem Dei non eſſe creaturarum cauſam, vt formaliter liberam, ac veluti in actu ſecundò; ſic enim connotat creaturas, vt libera dicatur. Sed eſſe cauſam creaturarum, vt eſt libera in actu primò, ſeu quatenus eſt liberum principium productiuum ad extra; & vt ſic, præcedit illas. Ita quoque Auerſa *loco citato*, & Salazar. 84

Instat Maſtrius *num.* 157. quia cùm philoſophi aiunt, cauſam præcedere effectum prioritate naturæ, loquuntur de cauſa etiam in actu ſecundò; nam etiam vt actu ſecundo cauſans, præcedit effectum prioritate naturæ: Ergo diuina volitio, etiam vt actu cauſans, & vt libera in actu ſecundò, præcedit effectum, & in illo priori concipitur abſque connotatione effectus. Fruſtra ergo ad hanc connotationem confugiunt, vt conſtituatur actus Diuinæ voluntatis liber.

Deinde arguit S. Bonau. eodem argumento primo ad oppoſitum, quod non reſpuit. Si volitio Dei eſt actus Diuinus, prout connotat, & dicit relationem rationis: Ergo Deus non vult ſuum 85

eſſe. Probatur conſeq. quia circa ſe, nihil efficit connotandum.

Tandem denominatio reſpectus rationis , & connotatio extrinſeca , prout ſunt à nobis compoſita , ſunt entia rationis , quæ non poſſunt eſſe volitio Dei , quæ eſt realis. Si verò accipiantur pro fundamento , iam de eo quæritur , quidnam ſit. Et quidem debet eſſe aliquid increatum : Ergo neceſſarium ; quia eſt Deus. Vnde non apparet Diuina libertas ; vel oportet eum Caietano labi. Vide Seraphicum *d.* 8. *p.*1. *queſtione* 1. *art.*2. *in corpore.*

86 Contra Salazarum arguo ; nam Deus ab æterno liberè determinauit ſe ad creandas è poſſibilibus res aliquas ; & ad alias relinquendas in eſſe mero poſſibili , & quidem circa iſtas , quæ obſecro efficacitas in actu primò. Imò nec circa illas aſſignabitur in actu primo proximo. Ergo talis efficacia non eſt determinatio volitionis Dei liberæ.

Deinde , ſi hæc determinatio libera ad has potius creaturas volendas , eſt efficacia in actu primo , vel eſt ipſa operatio , vel quid antecedens , quodcunque ſit , eſt per ſe ipſa entitas actus neceſſarij : Ergo cùm ſit ipſe Deus , eſt ſimpliciter neceſſarium , nec libertatem includit , niſi ad Eminentias noſtri Sancti Cardinalis confugias. Id verò quod addit , Forſan eſſe ens morale , non ſaluat , quia per te eſt Idem cum phyſica Dei entitate : Ergo neceſſarium : Vel petit principium nihil declarans. Eſt enim idem ac dicere , eſt actus liber rectitudine præditus , in hoc enim ſtat moralitas actus boni. At quomodo liber , ſi eſt ipſe Deus ? Quod ſi diſtinguas illud à Diuinâ entitate, ponis in Deo etiam ab æterno entitatem extraneam, quod eſt Vuiclephicum.

87 Aſſero quintò. Velle liberum Dei , eſt ipſa voluntas Diuina, eminenter continens noſtros actus liberos , modo in fundamentis expoſito.

Probatvr , confutatione aliorum modorum. Et ſanè hic modus eſt probabilior , ab aliorum abſurdis remotus , concedens diuinam libertatem Deo intrinſecam , neceſſariam in ſe , non habere tamen neceſſariò ſuum quaſi effectum formalem integrum , in ordine ad obiectum ſuum non neceſſarium ; ſed pro arbitratu Dei volentis producere ; vel non producere. Dixi (*quaſi effectum*) quia velle Diuinum non eſt forma informans , nam tali formæ actus ille eminens puriſſimus non poſſet adſcribi , ſed eſt perfectiſſimus actus , continens quicquid in libertatis perfectione reperitur , & hoc , modo eminentiſſimè Diuino , in quo eſt pariter omnis perfectio actu , ad repræſentandos plures mundos futuros , nec tamen habet ſuum effectum in ordine ad obiecta ; eò quòd non eſt decretum à Deo plures eos mundos condere. Vide Suarez *loco citat.* Ribam *num.* 38. Ità defectus venit ex obiectis.

88 Probatvr ſecundò à S. Doctore *locis citatis in fundamentis.* Deus amans , vult res verò actu vitali diuino , continente omnes perfectiones noſtri actus liberi ; ſed actus liber creaturæ nihil continet imperfectionis in volendo hoc potiùs , quàm illud rationabiliter. Ergo eſt in Deo. Sed in Deo non eſt actus elicitus ; ſed ipſa voluntas , & ſubſtantia diuina : Ergo ſua Diuina voluntate , & ſubſtantia , ratione ſuæ eminentis perfectionis , decernit ad extrà.

Probatur tertiò à D. Bonauent. *d.*8. *p.*1. *queſt.*1. *articuli ſecundi ad* 3. ex differentia , in fundamentis allata inter diuinam , & creatam voluntatem. Libertas diuina non eſt per modum potentiæ , ſed actus puriſſimi , & infiniti in genere vitalis appetitus. Ergo is eminenter habet per modum actus ſecundi, quicquid formaliter requiritur ad volendum quodcunque obiectum volibile ; atque adeò quodcunque vult , aut renuit Diuina voluntas neceſſariò , vel liberè ; hæc omnia præſtat vnico , ac ſimpliciſſimo actu pluribus numero , vel ſpecie æquiualenti , abſque vlla additione , vel mutatione in ſeipſa.

Probatur conſeq. quia , ſi talis additio eſſet ne- 89
ceſſaria , tunc Diuina voluntas non eſſet infinita in ratione potentiæ volitiuæ , neque Diuina voluntas in ratione actus appetitiui. Confirmatur. Sicut enim in noſtra voluntate deprehenditur libertas ob potentiam ad plures actus. Nam ex indifferentia ad multiplicitatem actuum intelligitur libertas ad oppoſita obiecta : ità ex perfectione vnius actus infiniti , æquiualentis omnibus noſtris , colligitur libertas Dei ad oppoſita volenda. Ita arguit Maſtrius *num.*163. *&* 165. cum Seraphico *loc. cit.* & *hac quaſt.* & *in* 2. ſuprà adductis.

Deus enim , vt dixi , continet omnes nobiles per- 90
fectiones noſtræ voluntatis , vno ſimpliciſſimo actu, vt docet Seraphicus *d.* 45. *loc. cit. ad* 1. Hoc argumento vtitur Caſpenſis *num.*31. Maſtrius *num.*163. Morandus , & alij.

Si quæras per quid determinetur ille actus. Reſpondet Caſpenſis *num.*32. determinari ſeipſo , & hoc eſt magnæ nobilitatis in Deo. Ità etiam Tannerus *num.*16. cum Suar. & Albertino.

Probatvr quartò à D.Bonau. *d.*45. *cit. quaſtio-* 91
ne in corpore , & ad argumenta , ex comparatione voluntatis cum ſcientia , & potentia ; quo argumento nituntur Faſolus , Lezana , Mærat. & alij moderni. Nam ex infinitate ſcientiæ oritur , vt vnicus intelligendi actus ſit ſimul ſimpliciter neceſſarius , reſpectu rerum poſſibilium ; & liber reſpectu actualium , nulla facta mutatione in actu ſciendi ; ſed ſolùm in obiecto ſcibili , quod per determinationem Diuinæ voluntatis de ſimplici poſſibilitatis actu, tranſiuit ad eſſe futurum. Idem pariter dicendum de actu omnipotentiæ , qui eſt ſimpliciſſimus , circa omnia poſſibilia neceſſarius , & ad futura liber. Eodem igitur pacto ; diuinæ voluntatis actus ſimpliciſſimus tendit neceſſariò in ſeipſum ; & liberè in creaturas producendas.

Maſtrivs *num.*164. licèt concedat allatam pa- 92
ritatem ; tamen diſcrimen aſſignat, Nam ſcientia , vt è neceſſaria fiat libera , ſeu ex intelligentia ſimplici fiat viſio , requirit decretum liberum voluntatis , & mutationem ſaltem obiectiuam in creatura ; atque adeò per actum liberum voluntatis fit hæc mutatio. Quare ante illum nulla talis mutatio inuenitur. Facilè igitur poſſumus percipere ſcientiam in priori ſigno eſſe obiectiuè neceſſariam , quatenus ad obiectum neceſſarium terminabatur ; deinde in poſteriori liberam , cùm intelligitur , terminati ad obiectum contingens , ſine vlla additione facta in Diuino intellectu , quia mutatio facta eſt in obiecto , quòd de ſtatu poſſibili ad futurum tranſiit ; hoc autem de actu voluntatis dici non poteſt , quia omnis mutatio , quæ in obiectis poteſt intelligi , ab ipſa voluntate trahit originem ; vnde remanet adhuc integra difficultas : Quomodo actus neceſſarius diuinæ voluntatis fiat liber per ſolum tranſitum ſuper creaturas futuras , nulla prorſus facta mutatione in ſeipſa.

Vervm non aduertit id , quod obſeruat D.Bonau. 93
reſponſione ad allegatum argumentum ; nempè etiam

ſcientiam

ſcientiam in priori ſigno, cùm res ſunt poſſibiles; eſſe ſimplicem, & ſpeculatiuam intelligentiam; at in poſteriori, eſſe diſpoſitionem, ſeu practicam, quæ quidem dictum decretum voluntatis non excludit; ſed tamen in ſe ipſa mutat rationem ſpeculatiui in practicum; neceſſarij in liberum; & hoc etiam ante decretum, dum per conditiones proponit Diuinæ voluntati; quid ſit faciendum.

94 Hæc S. Bonau. pro humano captu. Ex quo habetur, non rectè Artiagam *ſect. vlt.* dixiſſe, nos nullam etiam apparentem rationem, aut explicationem huius myſterij afferre poſſe; aut reddere rationem; cùm ad id teneamur, vt ait Apoſtolus. Iam enim oſtendi, poſſe nos lumine fidei, & Theologiæ reddere rationes. Abſonum enim eſt dicere, Deum non dediſſe nobis argumenta, vt rationem reddamus, ſicuti tenemur, huius arcani, atque etiam cæterorum.

Reliquum eſt, vt ſoluamus argumenta, quæ magnam hanc quæſtionem excitarunt.

Obiicies primò. Volitio Dei libera non eſt aliquid ratione confictum; ſed aliquid reale in Deo; & hoc poteſt adeſſe, & abeſſe. Ergo eſt aliquid reale in Deo mutabile, quod poteſt adeſſe, & abeſſe.

Subarguunt. Id, quod poteſt ab alio ſeparari, eſt ab eo realiter diſtinctum. Talis eſt actus liber, quo vult futura: Ergo.

95 Respondent communiter authores quintæ ſententiæ cum D. Bonau. *locis adductis*, volitionem Dei liberam, eſſe aliquid reale, ipſumque eſſe Dei ſimplicissimum, de cuius ratione eſt infinitas perfectionis, continens in ſe omnes perfectiones libertatis, ſparſas in creaturis. Itaque eſt ens reale neceſſarium, quoad eſſe ſubiectiuum: liberum verò quoad terminari.

Instat. Hoc terminari, quod poteſt adeſſe, & abeſſe, vel eſt aliquid reale in Deo, vel aliquid reale creaturæ. Si in Deo. Ergo datur aliquid in Deo reale potens abeſſe; & ità abimus cum Caietano. Si in creatura. Ergo volitio Dei libera, eſt ſola creatura; ſeu ſolum eſſe productum. Et tunc in ſecundam, vel quartam ſententiam cadimus.

96 Reſpondet Lezana, hanc terminationem, quoad entitatem eſſe in Deo neceſſariam; ſed quoad terminationem ad obiecta, actiuè eſſe in Deo; paſſiuè verò in creatura, quæ poteſt eſſe, & non eſſe.

Vrget Arriaga *d.* 28. *ſect.* 3. illa ratio terminationis, qua conſtituitur actiuè volitio libera, eſt aliquid reale, vt eſt conceſſum; alioqui velle liberum Dei eſſet nihil; ſeu res conficta. Sed hoc potuit ab æterno à Deo abeſſe. Ergo eſt aliquid in Deo reale, quod potuit abeſſe.

97 Reſpondet Maſtrius *num.* 168. è Scoto *d.* 37. §. *Iuxta prædicta*. Et D. Bonau. *d.* 8. *p.* 1. *art.* 2. *quæſt.* 1. *ad vlt.* actum Dei æternum volitionis non eſſe nudè actum cauſatiuum liberum; ſed prout terminatur ad creaturas, diſpoſitione mutatas, euadentes futuras è ſtatu mero poſſibili. Hæc autem terminatio eſt productio rei in eſſe volito; ſed pro tempore determinato. Sicut cùm ego nunc dico. Cras volo audire miſſam vel legere; in quo actus ipſe non ſe habet aliter, ſed facit, vt creatura, quæ eſt obiectum, aliter ſe habeat. Vnde determinatio Diuinæ voluntatis debet concipi per modum alicuius cauſalitatis obiecti, vel ad eſſe ſimpliciter, vel ſecundum quid, nempè ad futuritionem, per quam obiectum mutatur ab eſſe poſſibili, ad eſſe præparatum exiſtentiæ,
98 vt etiam notat Mayro *d.* 38. *quæſt.* 1. Sicut igitur, quando Deus producit creaturam liberè, percipimus Deum libere producere per ſolam mutationem creaturæ, quia actus Diuinæ voluntatis, & potentiæ eſt ſimpliciſſimus, & neceſſarius in ſe; tamen extenſiuè per eminentiam ſuæ perfectionis eſt liber; ità quando ab æterno voluit; concipi debet neceſſarius in eſſendo; ſed liber in cauſando; eſtque volens ille, qui eſt ſua volitio; ſicuti eſt agens, qui eſt ſua actio; neque eſt nobis ſimilis, qui agimus actione à nobis diſtinctâ, & volumus volitione, quæ à nobis differt, nobiſque eſt accidentalis; vt ait D. Bonau. *loc. cit. ad* 3. Itaque ſicut producit ad eſſe creaturam, factâ ſolùm mutatione in ipſa; ita eam ab æterno determinauit ad eſſe; & produxit in eſſe volito, ſola facta mutatione in creatura, tranſeunte ab eſſe poſſibili, ad futurum. Et ſicut potentia Dei, dum exit in actum, non mutatur, quia eſt ſuus actus: ità ipſe actus non inducit in Deo mutationem, quia eſt actus infinitus, continens eminenter eſſe liberum, & neceſſarium creaturarum virtualiter; ex quo poſſunt verificari contradictoria, vt dixi etiam de attributis *d.* 3. *quæſt.* 8. & hoc vult S. Bonau. *d.* 45. *quæſt.* 1. *ad* 4. dum admittit contingentiam in effectu; non in actu.

99 Qvod verò quærebatur. An totum, quod dicit volitio, ſit reale. Reſpondetur, maximè, non tamen eſt Deo totum intrinſecum; quia extrinſecè, vel terminatiuè tendit ad obiectum. Neque labimur in opinionem quartam. Quia illi volebant, effectum eſſe conſtitutiuum formale Diuini decreti liberi, Diuinæque volitionis; nos autem, non connotatum; ſed connexionem Diuinæ eſſentiæ cum productione ponimus, vt ait Maſtrius *num.* 170. quod S. Bonau. *d.* 45. *art.* 2. *quæſt.* 1. *ad* 1. appellat ſubſtantiam, ſic ſignificatam per modum voluntatis, decernentis creaturam ad eſſe. Ideò ponimus decretum Dei liberum antecedenter ad exiſtentiam creaturæ, non modo actualem, ſed etiam futuram.

100 Neque nos premit inſtantia de actu, quo Deus volt ſuum eſſe. Nam illud *eſſe*, eſt obiectiuum, quod actui eſt neceſſarium, quia nullus eſt actus intellectus, aut voluntatis ſine obiecto. Sic etiam cùm Deus decernit, aliqua non creare, habet *non creare* pro obiecto ſui decreti.

Igitvr, cùm hæc terminatio libera, ſit Dei cauſalitas, quà Deus dat creaturæ eſſe reale in tempore, & obiectiuum ab æterno; planè eſt aliquid reale; non quidem intrinſecè ſuperadditum diuinæ voluntati, quia Deus non agit per actum potentiæ ſuperuenientem, ſeu additum, vt notat D. Bonau. *d.* 8. *loc. cit.* dicit verò aliquid ſuperadditum ex parte creaturæ; & ità negatur Arriagæ, ſequi aliquid reale ìdentificatum Deo, eſſe contingens: Et ſic iacet ſolora obiectio, cui neque apparenter reſponderi poſſe gloriatur. In his reſponſionibus Maſtrius intermiſcet aliqua in via Scoti, quæ reiicio.

101 Hinc facilè ſolues etiam ſubſyllogiſmum oppoſitum, quod roboro: Id, quod poteſt ab alio ſeparari, eſt ab eo realiter diſtinctum. Actus liber poteſt ſeparari à Dei voluotate: Ergò. Maior eſt in Metaphyſica lapis Lydius. Si enim ſeparatum eſſet idem; eſſet diuiſum à ſeipſo; quod ſi ſeparatum eſſet deſtructum, identificaretur ens poſitiuum cum negatiuo, & cum nihilo. Minor probatur; quia potuit Deus non decernere mundi creationem, & nunc non habet decretum rurſum mittendi Filium ad mortem, quod potuit habere.

102 Reſpondet Ribas *cap.* 5. diſtinguens Maiorem. Id, quod poteſt ſeparari ſimpliciter, eſſe diſtinctum;

at ſi quoad effectum ſolum ſeparetur, & ſecundùm quid, & æquiualenter, perinde ſe habens, ac ſi eſſet ſeparatum, neganda eſt maior.

AD Minorem negat, effectum quaſi formalem diuinæ volitionis liberæ non eſſe ſimpliciter ſeparabilem, quoad ſufficientiam à Dei volitione, quæ ſemper habet perfectioοem ſufficientem intrinſecè ad volendum liberè quoduis obiectum contingens, licèt ſeparetur quoad efficaciam æquiualenter in exercitio, deficiente conditione ad efficaciam requiſitâ. Sic; licèt non habeat volitionem efficacem nouæ Incarnationis, vel poſſet non habere actum quoad efficaciam creationis mundi, tamen habet perfectionem ſufficientem, vt extenderetur, ſi ab æterno voluiſſet non incarnari, aut decernere non creare hunc mundum. Ità formalis effectus ſeparatus reddit actum ſolùm æquiualenter diſcretum, ac ſi verè diſtingueretur, cùm ſit tamen vna entitas Diuina inſeparabilis.

103 Hæc reſponſio non placet: nam conditio illa, quæ reddit ſeparabilem actum liberum, quem ſanè neceſſarium vbique acclamat, eſt decretum, quod eſt volitionis actus, ſeu in ratione actus, vt vrgebat contra Herize, eſtque ipſe Deus. Itaque adhuc confitetur, ſeparari actum ſimpliciter liberum decreti, atque adeò diſtingui realiter ab entitate Dei, quæ eſt ſimpliciter neceſſaria. Inanes ergò inuehit diſtinctiones, & defectum formalitatis, vocat defectum conditionis. Magna ſanè conditio, quæ aufert actum vitalem volitionis, & decreti.

104 IGITVR calcato tramite Seraphici, dico, perfectionem Diuinæ voluntatis infinitam, continentem eſſe liberum, & neceſſarium eminenter ſubiectiuè, inſeparabilem ſemper ſtare; ſeparatur verò eſſe obiectiuum, & terminatiuum. Deeſt igitur decretum ſeparabile, quoad terminationem ad futuritionem rerum. Ea enim voluntas, quæ vult hunc mundum eſſe; potuit velle, eundem non eſſe, facta ſeparatione, non ſubiectiuâ diuinæ entitatis, ſed terminatiuâ. Vnde non ſequitur realis diſtinctio.

Obiicies ſecundò. Non poteſt forma eadem ſecundùm eſſe reale dare denominationem intrinſecàm, & manens eadem non denominare eam naturam. At Deus denominatur volens à forma, vel quaſi forma intrinſeca. Ergo nequit manens eadem, denominare non volentem.

105 RESPONDET Suarez *num.*45. Vulpes *loc. citat.* Poncius, & cæteri cum D. Bonau. *d.* 45. *loc. cit.* Maiorem veram eſſe de forma finita: non de infinita, qualis eſt diuina volitio, quæ ſicut valet ſe ipſa vniri obiectis, & non vniri extrà. Ità Deo volenti denominationem præſtare, & non præſtare. Hæc eſt diuina illius actus eminentia, vt iuxtà exigentiam obiectorum tendat in illa. Itaque in hoc conſiſtit eminentia huius myſterij, quod hic actus, cùm non ſit forma inſurmans; ſed actus puriſſimus, eminentiori modo conſtituit Deum volentem, & attingit obiecta cum eminenti quadam poteſtate non attingendi, abſque ſui mutatione, vel additione; cùm ſeipſo velit, actu ſimpliciſſimo infinito, qui non eſt forma; ſed habet rationem cauſæ efficientis, vt notat Maſtrius *numer.*177. & Faſolus *quæſtione* 19. *numer.*57. Sco-
106 tus 1. *d.* 39. cum Seraphico *loc. citat.* Itaque licèt voluntas Dei, vt formaliter Deus, præſtet ſibi totum effectum formalem, faciens Deum neceſſariò ſe ipſum amantem, tamen in ordine ad creaturas, ſe habet vt ratio agendi; vel tanquam ipſa cauſalitas ad cauſam efficientem. Vnde fruſtrà laborat Amicus, dum ſemper inculcat effectum formalem amoris Diuini erga creaturas actuales.

INSTAT Amicus, nos incidere in opinionem quartam; quia ponimus actum vitalem Dei, quem dicebamus antecedere connotatum, conſiſtere in terminatione illa, quæ includit connotatum.

RESPONDETVR, illum etiam *num.* 79. docere, 107
productiunem extrinſecam formaliter complere liberam Dei volitionem, non quidem in recto; & conſtituere; ſed in obliquo connotatiuè, vt formaliter dicat tantùm actum intrinſecum vitalem, qui non poteſt conſtitui per connotatum non vitale; connotare verò productionem. Idem dicimus & nos. Vnde facilè erit reſpondere ad quodam eius argumentum. Illud, ſine quo nequit res eſſe; vel intelligi diſtincta ab aliis; eſt de eſſentia rei: Nam idem eſt principium conſtitutiuum, & diſtinctiuum: Sed nequit libera Dei voluntas eſſe, vel intelligi, ſine extrinſeca terminatione, & connotatione obiecti, vt vos fatemini: Ergo hæc ingreditur liberæ volitionis diuinæ eſſentiam. Confirmatur, quia præciſa hac terminatione, totum, quod remanet in Diuina volitione, eſt neceſſarium.

Reſpondetur, Maiorem eſſe veram in abſolu- 108
tis; non in connotatiuis, in quibus, id, per quod differunt, non primariò ſignificatur, ſed connotatur; vt inductione patet. Sic v.g. priuatio à negatione differt, quia eſt in ſubiecto apto, nec ob id dicimus, connnotationem ſubiecti eſſe rationem formalem priuationis. Idem docet P. Bartholomæus, Patris Amici frater, 4. *Phyſ. tract.* 20. *quæſt.*4. *d.*4. *art.*2. Ad confirmationem reſpondetur, actum volitionis Dei eſſe liberum in actu primo ante terminationem, licèt ſit neceſſarius in eſſendo; quia adhuc habet eminenter in actu primo quicquid eſt libertatis noſtræ.

OBIICIES tertiò. Impoſſibile eſt tranſire à contradictorio ad contradictorium, niſi facta mutatione in altero extremo. Deus tranſit à contradictorio, ideſt non volendi liberè; ad contradictorium volendi liberè aliquas è creaturis poſſibilibus: Ergo neceſſaria eſt aliqua mutatio. Sed non poteſt aſſignari in creatura: Ergo eſt in Deo. Minor ſubſumpta probatur. Quia velle Diuinum verſatur quoque circa poſſibilia nunquam futura, in quibus nulla mutatio etiam obiectiua valet aſſignari. Deinde neque res futuræ, per futuritionem mutantur: quia ante productionem nihil earum eſt, vt vrget Arriaga. Tertiò; quia poteſt Deus aliquid morale decernere abſque variatione creaturæ. V.g. remittere peccata, vota relaxare per extrinſecam condonationem, immotâ manente creaturâ.

RESPONDETVR, negando minorem ſubſumptam. 109
Et quidem quoad creaturas poſſibiles dico, poſſe ſubire mutationem obiectiuam; vt cum Deus decernit, V. g. hæc facere: illa verò decernit non creare.

Ad ſecundum dico, creaturam poſſibilem, ex vi decreti, mutatam à ſtatu poſſibili ad futurum, recipere mutationem obiectiuam in æternitate. Et per hoc patet ad Arriagam; nam res futura, licèt non ſit actu; habet tamen eſſe in cauſis, in quibus ponitur per decretum, vt notat Maſtrius *n.*185. è Seraphico *d.*39. *quæſt.*1. *ad* 3.

AD id, quod additur, reſpondent aliqui, negan- 110
do, poſſe remitti peccatum abſque mutatione peccatoris retractantis. Alij verò cum Suarez *opuſc. de Scientia Dei*, *lib.*2. *cap.*7. *numer.*10. & *part.*5. *tract.*2. *l.*2. *cap.*15. dicunt, ſufficere mutationem moralem. In Faſolos *p.*1. *quæſt.*19. *num.*71. Machin. *d.*34. *ſect.*2. Gonzal. *d.*44. *num.*23. Zumel. *tom.*1. *var. diſp.* *pag.*117.

*pag.*117. de quo agam 1. *ſecunda*, *tract. de gratia*, *d.*3. *quæſt.*7. aſſerens, neceſſariam mutationem moralem, eamque ſufficere.

A t Scotus 4. *d.*16. *q.*2. inſtat, ſolam mutationem moralem non ſufficere ad verificanda contradictoria; ſed requiri phyſicam in altero extremo, vt etiam docet Auerſa *loco cit.*

111 Facilius ergo reſpondendum eſt cum D. Bonau. *d.*39. *quæſt.*3. *ad arg.* & *d.*35. *dub.*9. & *quæſt.*1. *ad* 4. & *d.*8. *p.*1. *art.*2. *quæſt.*1. *ad vlt.* quòd, quicquid facit, & faceret in tempore, eſſet ſtatutum ab æterno; atque adeò ſi remitteret peccatum hoc anno, iam decretum fuiſſet ab æterno, vt toto tempore ante hunc annum 1674. maneret reus, & poſteà ſolutus eſſet; & hoc pacto nulla interueniret contradictoria; ſed ambæ ſunt veræ, pro diuerſis temporibus ſuccedentibus; ſed in Diuina voluntate ſimul exiſtentibus. Quare illæ propoſitiones in æternitate non ſunt contradictoriæ. Ità etiam Scotus *loco cit.* & hanc reſponſionem laudat Maſtrius, *n.*186. Scoto eam adſcribens.

Obijcies quartò argumentum, quod contra Aureolum vrgebamus. Tendentiam enim Diuinæ voluntatis in res, explicuimus per modum cuiuſdam cauſalitatis, quam circa illas exercet. Ergo iam explicamus Dei libertatem, quatenus eſt productiua cum Aureolo, nec per actum vitalem, qui eſt immanens, nec per productionem, quæ non eſt vitalis, poteſt compleri.

112 Reſpondetur, nos ab ea ſententia longè diſtare: nam illi ponebant actum Dei liberum in ſola productione rerum; at nos in volitione producendi res. Eſt autem talis volitio vitalis, reſpiciens tamen extrà exitum creaturæ à Deo per decretum æternum.

Obijcies quintò. Volitio libera Dei, vel eſt aliquid extrinſecum, vel intrinſecum, vel mixtum. Si intrinſecum. Ergo eſt neceſſarium, cùm ſit Deus. Si extrinſecum: Ergo non eſt actio vitalis. Si mixtum: Ergo non eſt eſſentialiter actio vitalis.

113 Reſpondetur, eſſe entitatiuè, quoad perfectionem, intrinſecum; ſed quoad terminari extrinſecum. Igitur eſt formaliter actus vitalis; ſed tendens ad creaturas.

Obijcies ſextò. Si libera volitio Dei nil addit actui neceſſario, quo Deus ſe diligit; ſequitur nunc poſſe liberè nolle, quod ab æterno voluit, quia hæ mutationes non eſſent per aliquam intrinſecam mutationem in Deo; ſed per ſolam mutationem in obiectis creatis.

Aliqui non timent concedere, poſſe Deum velle in tempore, quod ab æterno noluit. Ità Delphinus, *opuſc. de futurorum euentu*, Lichet. 2. *d.*1. *q.*2. §. *Iſtis ergo*, Gillius *l.*2. *trac.*8. *c.*10.

114 Opposita tamen ſententia communis eſt apud S.S. P.P. atque Theologos D. T. *p.*1. *quæſt.*19. *art.*7. D. Bonauent. *d.*45. *art.*2. *q.*1. & aliis locis ſuprà allegatis. Scotum *ibi*, *d.*39. *quæſt.*3. quos ſequuntur cæteri, quibus ſuperior opinio malè redolet.

Probatur verò è Scripturis à Seraphico *l.* 1. *Comp. Theol cap.*19. vt dixi *d.*8. ex illo Malach.3. *Ego Deus, & non mutor.* Idem habetur *Num.*23. *Prou.*19. quæ loca de immutabilitate decretorum diuinorum interpretantur Patres.

115 Quòd autem interdum Scriptura ſignificet, Deum pœnitere; non propriè debet intelligi; ſed Metaphoricè, ratione facti; quia ità ſe geſſit Deus delendo hominem, Verbi gratia, *Geneſ.*7. ac ſi pænituiſſet. Ità communiter exponunt Patres, quibus arridet Seraphicus *in medit. vita Chriſti, cap.*2. & dicit, eſſe figuram Antropospathos. Idem docet *d.*45 *d.*10. & Toſtat *q.*11. ibi Multas rationes afferunt Theologi huius immutabilitatis moralis Dei; quas fusè recitat Maſtrius *d.*x. *q.*4. *ar.*4. Ego eas tantùm referam, quæ ſunt D. Bon.

Probatur ergo primò à Seraphico, *d.*45. *q.*1. *in corp.* Ea, quæ ſunt vnum formaliter eodem modo ſe habent. Sed ſubſtantia, virtus, & actus Dei ſunt vnum formaliter ſimplicisſimum. Ergo, ſicuti ſubſtantia Dei non poteſt mutari; ità neque actus Diuinæ voluntatis. 116

Dices, licèt maneret immutabilis actus; attamen poſſet variari tendentia.

Contrà. Nam etiam tendentia eſt quid diuinum æternum, & eadem duratione menſuratum, qua & ſubſtantia diuina, ità vt, ſi ab æterno tendat in aliquod obiectum determinatum per actualem tendentiam in illud, neceſſe ſit, vt in æternum cum ſubſtantia duret. Hoc argumentum laudat Maſtrius *num.*209. & Scoto adſcribit 1. *d.*39. *L.* 117

Probatur ſecundò à S. Bonau. *ead. diſt. art.*2. *q.*1. *corpore.* Illa voluntas, quæ eſt infinitæ perfectionis, eligit ex finita ſapientia, omniaque videt, quæ ad bonum proſequendum conducunt, eſtque in bono ipſo, quod eſt finis vltimus, quieſcens: ità vt eadem ſit cauſa efficiens, & finalis. Sed Dei voluntas eſt talis: Ergo. Explicatur à D. Bonau. Deus eſt ſumma bonitas, quæ cùm ſit vltimus finis, eſt ratio mouens agentem Deum. Nam omne agens ordinatum rationabiliter operans, agit propter finem; agit autem, & eligit rationabiliſſimè, agens ex ſummæ bonitate, & propter ſummum bonum, tanquam finem, vt docet D. Dionyſ. *cap* 4. *de diu. nom.* Tandem in Diuina voluntate ſunt omnes nobiles proprietates, quia eſt ipſa Diuina ſubſtantiæ, vt volens, actuſque puriſſimus nullam potentialitatem admittens. Cùm igitur etiam inter nos ſit ſignum pru- 118
dentiſſimæ electionis; ſequitur, &c. Iam verò mutare 119
ſententiam arguit imperfectionem inconſtantiæ, quæ etiam homine prudente cenſetur indigna; niſi noua ratio in contrarium ſuperuenìat. Et hæc nouæ rationis ſuggeſtio teſtatur imperfectam primam cognitionem, qua percitus primo deliberauit, atque adeò, licèt rationabiliter mutetur decretum, tamen includit imperfectionem primæ deliberationis, ſiue inaduertentiæ, ſiue ignorantiæ, ſiue non rectiſſimæ electionis; quæ omnia à Diuina voluntate ſunt aliena. Ergo id, quod ab æterno decreuit, nunquam mutat. Hanc rationem latè proſequuntur Suarez *d.*30. *Met. ſec.*9. *à num.*50. Amicus, *tom.*1. *d.*6. *ſec. vnica*, *num.*16. Faſolus *in p.p.t.*1. *quæſt* 19. *art.*3. *dub.*8. *num.*72. Arriaga *d.*29. *ſec.*1. Vulpes *d.*23. *artic.*5. Maſtrius *loco cit. num.*204. eamque tangit Scotus 1. *d.*45. *quæſt. vn.* vt notat ipſe Maſtrius.

120 Ex his habes Smiſing. *d.*3. *num.*47. Nazarium *p.p. q.*19. *art.*7. §. *Poſtremo notandum*, Tortianum, *Opuſc.*5. *d.*x. *dub.*5. & alios ſuprà allegatos non rectè docere, nullam, in Diuinæ voluntatis mutatione, ſequi moralem imperfectionem, eò quòd, cùm Deus non ſemper velit, quod melius eſt, poteſt illud poſteà ex aliis motiuis eligere; ſiue etiam ad merè exercendam libertatem; alioqui (aiunt) ſi mutatio voluntatis quæcunque diceret imperfectionem; ſequeretur, eum, qui priùs volebat vxorem ducere, & poſteà voueri in Religione caſtitatem, imprudenter agere. Confirmat Nazarius diſcurrendo per ſingulos mutationis modos, putà ſi ab æterno Deus voluiſſet condere mundum, vel condere hunc ſolùm; & in tempore decerneret condere multos, ac perfectiores, &c. Neque eſſet imprudentia, ait Smiſing. cùm Deus res producat liberaliter, & nullis teneatur legibus; ſed omnia agat è ſumma ſua poteſtate libertima.

121 Hæc tamen dicuntur ex inaduertentia noſtræ reſponſionis, quamuis enim noua perfectiorque res producta non indicet imperfectionem in formali illa productione præciſa; tamen eo ipſo, quod in prima

electione ita ſtatutum eſt, & poſteà decernitur oppoſitum; iam conuincitur, in prima illa deliberatione non præuidiſſe omnia mortua; & aliquid de nouo didiciſſe, quo cognouit, ſe priùs non ità rectè deliberaſſe.

QVOD verò addebant de libertate, & poteſtate Diuina, licèt ſpecioſum veritatis colorem obijciat; attamen nihil ſolidi affert. Suppoſito namque quòd Deus ab æterno per infinitam ſapientiam ſuam nouerit, quidquid ab æterno velle poteſt, & omnes rationes, connexiones, & volendi modos; & nihilominus decernere differat per totam æternitatem; planè à defectu prudentiæ, & prouidentiæ excuſari non poteſt. Neque ſatisfacit Poncius dicendo, id è ſua libertate Deum facere; nam libertas non rectè procraſtinat volendum, quod iam volendum vidit.

Obiiciunt primò, admiſsâ mutatione Diuini decreti, meliùs ſaluatur noſtra libertas, & ſimul Diuina.

122 RESPONDETVR, decreta Diuina æterna nihil lædere noſtram libertatem, quia non antecedunt noſtrum præuiſum conſenſum, ſaltem conditionalem, vt oſtendam *quæſt*.20. *d*. 21. Neque mutabilitas decreti facit ad diuinam libertatem; ſed potiùs leuitatem præ ſe ferret; in Deo autem non eſt liberum arbitrium vertibile; ſicut in nobis, vt diſſerit Seraphicus *in* 2. *d*.25. *p*.2. *quæſt*.1.

Obiiciunt ſecundò. Actus Diuinus liber ſemper eſt liber in tota æternitate, quæ eſt vniformis menſura; & ita poteſt prædeſtinatus damnari; & reprobatus ſaluari. Quod ſi Deus non poſſet in tempore oppoſitum eius, quod ab æterno voluit, non poſſet nunc impedire, quin veniat Antichriſtus.

Reſpondetur, Deum liberum eſſe ad vtrumlibet in ſenſu diuiſo; at ſuppoſito, quod velit vnam partem contradictionis liberè, non poteſt aliam velle. Hanc autem quomodo velit, oſtendam *quæſt*.15.

123 QVOAD illam propoſitionem. Prædeſtinatus poteſt damnari; non eſt ſenſus; Prædeſtinatus in ſenſu compoſito, reduplicatiuè, poteſt damnari, vt dicam *d*.21. *quæſt*.21. Ad illud de Antichriſto reſpondetur, licèt contingenter ſit futurus Antichriſtus; tamen ſuppoſito diuino decreto, cum cauſis cohærente, infallibiliter erit. Quæ diſcutiam *quæſt. cit.* Non negatur tamen Deo potentia ad vtrumque, vt diſſerit Maſtrius *num*.14. referens multos, & Trigoſius *q*.14. *art*.2. *dub*.5. & eſt ſententia Seraphici *d*.47. *quæſt*.1. *ad* 3. Sed de hoc diſſeram *quæſt*.15.

Obiiciunt tertiò. Sequeretur actus Diuinæ voluntatis nullos eſſe liberos, ſi in æternitate ſunt. Nam non datur inſtans, in quo non fuerint.

124 RESPONDETVR, ſatis eſſe in æternitate ità exiſſe liberè decreta, vt poſſent non exire; at non requiritur, vt ante non fuerint; hoc enim nihil facit ad rem; ſicuti nihil facit vt actus, quo generatur homo, ſit liber, eò quòd anteà non erat.

Obiiciunt quartò. Deus amat hominem, dum eſt iuſtus; & eundem numero peccatorem odit. Ergo mutatur.

RESPONDET D. Bonau. *d*.8. *cit. ad arg. & d*.45. *ad vlt.* quòd Actus Diuinus, cùm ſit ſimpliciſſimus, & idem cum eſſentia Diuina, non variatur; ſed variantur ſolùm obiecta, quæ ſanè variabilia ſunt. Sic Deus amat Petrum, V. g. pro eo tempore, quo eſt iuſtus; & odit pro tempore, quo eſt peccator: Atque adeò facta mutatione ſolùm in Petro.

Inſtat Arriaga *num*.4. Sequitur, Deum ità odiſſe Petrum nunc iuſtum; ſicut cum erat peccator; quia actus Dei non eſt mutatus.

Reſpondet Arriaga concedens, manere in Deo odium peccati Petri, licèt Petrus non ſit obiectum eius. Contrà. Nam Deus negatorem Chriſti Petrum deteſtabatur, vt dum peccatum eius, nunc autem non odit: Ergo mutatus eſt. Probatur aſſumptum: quia: *Odio ſunt Deo impius, & impietas eius.*

RESPONDET Maſtrius è Scoto *in* 4. *d*.16. *quæſt*.2. 125
quod Deum odiſſe Petrum, eſt, eum ordinare ad pœnam, ſi iudicetur; nimirum quando eſt in reatu culpæ. Sed hæc volitio eſt conditionata; amor verò, quo proſequitur beatum in patria eſt abſolutus. Licèt igitur duret in Deo actus ille odij; tamen quia abſolutè amat; & odio habuit ſolùm conditionaliter pro eo tempore, quo erat reus; at nunc conditio abeſt; non odit Petrum; reſpiciebat enim odium tempus, in quo erat reus; at Petrus non eſt nunc in eo tempore. Ità reſpondet etiam Aretinus ad eum locum 4. *d*.16. *quæſt*.2. *art*.3.

Verùmtamen odium Dei aliquid aliud dicit, quàm ordinare ad pœnam, vt oſtendam t. 2. *tract. de peccato.* Neque diſtinctio illa abſoluti, & conditionati eſt ad rem. Nam ſicuti odit conditionaliter Petrum pro eo tempore, quo eſt reus; ita amat pro eo tempore, quo eſt innocens: eſto non prædeſtinauerit ipſum ad gloriam.

MELIVS igitur S. Bonau. *in* 3. *d*.32. *dub*.5. probat 126
è D. Auguſt. *l*.5. *de Trin. cap*.16. noſtram aſſertionem. Ait enim S. Auguſt. *Abſit, vt Deus temporaliter aliquem diligat, quaſi noua dilectione, quæ in ipſo antè non erat.* Mox obiicit ſibi argumentum ſuprà factum. Deus odit Petrum peccantem; mox amat pœnitentem: ergo mutatur.

Reſpondet, Deum amare Petrum ab æterno ſuæ voluntatis actu; amare autem in ordine ad obiectum connotatum variabile, ità vt amor, qui nunc fertur in Petrum pœnitentem, fuerit æternus immutabilis ſubiectiuè, quia eſt ipſa Dei voluntas; ſed terminatiuè mutabilis, ſicuti eſt odium. Atque ita fieri mutationem in ſolo connotato; quia actus Dei reſpicit ſuum obiectum; & ità, dum adeſt obiectum amoris, ille actus tendit in illud, ſeu terminatur in illo; dum autem eſt reus, non tendit in ipſum; ſicut dixi de actu voluntatis diuinæ libero in genere. Itaque odium, & amor Dei erga Petrum, cùm neceſſariò reſpiciat obiectum reitatis, & ſanctitatis, non durant; non quia deſinat actus, ſed quia deſint obiecta.

Reliqua attuli *diſp*.8. *quæſt*.1. quam vide.

QVÆSTIO IV.

Vtrùm euidenter probari queat, Deum extrà operari voluntate, non naturâ.

D. Bonau. d. 45. art. 1 q. 1.
D. Th. q. 19. art. 4.

NOTANDVM ex dictis *quæſt*.3. cum D. Bonauent. *hic*; tametſi omnia abſoluta ſint in Deo vnum ens ſimpliciſſimum; virtualiter tamen diſtingui, vt oſtenſum eſt *d*. 3. *quæſt*.8. atque adeò aliqua iure meritò adſcribi naturæ: aliqua voluntati, vt verè dicamus, Deum aliqua operari per naturam, ſeu in quantùm eſt; aliqua voluntate, ideſt, in quantùm vult. 127

FVIT error Ariſt. adſcriptus à Molina, & aliis, Deum extrà operari neceſſariò per naturam; non liberè per voluntatem. Vide Vaſquez *d*.81. Bellarminum *tom*. 3. *lib*3. *cap*.15. Id verò ebibit Vuicleph in *Trialogo c*.10. 128

Lutherus

Lutherus *in aſſert. articuli* 36. Bucerus *l. de concordia Dei cum libero arbitrio.*

129 CATHOLICA tamen doctrina aſtruit, Deum extrà liberè operari. Id probaui etiam quæſt. ſuperioribus.

PROBATVR primò à D. Bonauent. *ad* 11. *Sap.* ex illis verbis. *Nihil odiſti eorum, quæ feciſti, nec enim odiens aliquid conſtituiſti, aut feciſti. Quomodo autem poſſet aliquis permanere, niſi tu voluiſſes.* Itaque vult, Deum nihil odientem conſtituiſſe, quaſi inuitum; ſed liberè, &c. Hac authoritate nituntur D.T. *hic*, Bellarm. *cap.*8. & alij.

130 PROBATVR ſecundò à D.Bonau. *d.*45. *q.*1. ex illo Pſalm. *Omnia, quæcunque voluit, fecit*, qua authoritate nituntur Bellarm. *cap.*16. & alij. Alia loca habet S. Bonau. *d.*45. *quæſt.*1. vt Epheſ.1. *Omnia operatur ſecundùm conſilium voluntatis ſuæ.* Vide *q.*1 & 2.

PROBATVR à S.D. in *hac quæſt.* primò è D.Hilario *l. de Synod.* vbi ait: *omnibus creaturis ſubſtantiam voluntas attulit; ſed filio natura dedit.*

131 SECVNDÒ. Omnis cauſa eſt cauſans ſecundùm modum proprium, quo res ſunt in illa. Sed modus proprius, quo res ſunt in Deo, eſt per intellectum: Ergo, & ſecundùm voluntatem. Ergo ſecundùm hanc operatur. Minor probata eſt *diſp.*13. & 14. vbi oſtendimus. Res eſſe in Deo, vt in Idea, & exemplari, quod eſt cauſa artificialis rerum cum D.Bonau. *d.*35.38. & 39. Idem probauit D.T. *quæſtionibus ſuperioribus.* Vnde non benè Vaſquez ait, Id probandum fuiſſe à D.T. alioqui rationem inualidam eſſe: Vel igitur eſt cauſa ſolùm vt potens, vel vt ſciens, vel vt volens. Non vt ſciens, vel vt potens; quia multa poteſt, & plura ſcit, quæ non facit: Ergo vt volens. Idem argumentum habet *d.*45. *quæſtione* 1. *argum.*3. quo vtitur Bellarm. *cap.*16. Vaſquez *num.*5. cum D.T. Ferrar. 2. *contra gent. cap.*23. & aliis.

132 TERTIÒ. Deus eſt cauſa rerum. Ergo vel per naturam, vel per voluntatem; vel caſu, & fortunâ, ex Ariſt. 2. *Phyſ. t.*61. Non per naturam; alioqui produceret alium Deum: neque caſu, quia operaretur imperfectè non attingens finem intentum: Ergo voluntate. Hæc eſt ratio ſecunda D.T. ex qua etiam ſoluitur oppoſitio, quæ fieri poteſt ſecundo argumento, Non videri inferri. *Deus facit per intellectum res.* Ergo *per voluntatem.* Nam Pater intellectu generat; nec tamen voluntate. Reſpondetur enim cum Nazario *hic*, ſermonem eſſe de effectu, qui non poteſt eſſe, niſi res creata, cum qua diuina bonitas non habet neceſſariam connexionem.

133 Contra hanc rationem objicies. Poſſent effectus Dei operantis per naturam limitari per ſecundas cauſas, quas ſibi adiutrices haberet; & ità non produceret alium Deum. Sic enim etiam Sol agit neceſſitate naturæ; neque tamen producit Solem. Ideò ait S.Dionyſ. quod *ſicut Sol non agit præconcipiendo; ità & Deus.*

134 Reſpondetur cum Caietano *loco cit.* & Vaſquez *num.*4. Deum operaturum etiam abſque cauſis ſecundis effectus ſpirituales, qui toti eſſent à Deo, nec haberent alias concauſas limitantes. Nam vt notat Seraphicus, *d.*45. *artic.*2. *quæſt.*2. Deus eſt cauſa vniuerſaliſſima rerum, potens producere totum effectum, & aliquorum ſanè eſt tota cauſa, vt animarum, Angelorum, &c. Ad locum D. Dionyſij reſpondet S. Bonauent. Deum non agere præconceptione, præcedente voluntatem, & ratiocinante.

135 PROBATVR quartò à S.D. *in corpore* eruditè. Supponit autem, eſſentiam Diuinam eſſe pelagus infinitum omnium perfectionum ſimpliciter ſimplicium, virtute diſtinctarum in ente ſimpliciſſimo. Ità eſt ratio communicabilitatis, quæ eſt bonitas, & ratio operandi, ac ſe diffundendi liberaliter, ſcilicet voluntas, quæ eſt ratio producendi extrà. Ideò, quatenus voluntas eſt cauſa rerum propter finem, cui eas coniungit. Sicut autem reſpectu ſui non datur aliqua diſtantia finis, cùm imò ſibi ipſa bonitas; neque egeat aliqua re extra, vt in fine quieſcat. Hinc omnia extra liberè vult; non neceſſariò. Quoties enim finis poteſt haberi ſine aliquo medio, illud medium eſt liberè volitum. Hac ratione vtitur etiam D.T. *artic.*3. Morand. *trac.*4. *quæſt* 3. Vult igitur Deus hæc potiùs, vt ea fini iungat, ideoque liberaliter, & liberè operatur.

Hinc habes, qua ratione dicatur in Deo appetitus innatus, ſeu propenſio ad bonum neceſſaria, reſpectu ſui, quia complacet in bonitate ſua ſibi neceſſariâ, quæ eſt ipſa Diuina eſſentia. Neque enim neceſſe eſt, vt appetitus ſit ad obiectum realiter diſtinctum, vt monent Smiſingh. *trac.*3.*d.*3.*q.*1. Amicus *d.*16. *ſec.*1. Morand. *num.*372. Etenim id dicit, ſeu potiùs ſupponit imperfectionem, vt dixi *n.*14. 136

HABES quoque in Deo appetitum ad ſe extrà communicandum; qui appetitus non eſt in Deo potentia quædam, ſicut in nobis diſtincta in actu primò; ſed eſt ipſa Deitas virtute habens quicquid eſt in noſtro appetitu perfectionis ſimplicis, vt docet D.Bonauent. *hic*, & alij apud Auerſam *hic, quæſt.*19. *ſec.*1. Arriagam *d.*24. *ſec.*2. vbi non rectè is admittit actum primum. Eſt enim actus puriſſimus, vt arguit S.D. cum D. Baſilio *l.*2. *cont. Eunomium*, vbi ait: *In Deo eſſe ſapientiam, & amorem, non tanquam habitum, & aptitudinem*, & D.Maximo apud Euthymium *in Panoplia*, vbi ait: *In ſimplici & infinita Trinitate non eſſe quærendas aptitudines, vel habitus ad intelligendum & volendum*, vt refert Caſpenſis *d.*1. *ſec.*3. *de voluntate Dei.* 137

HINC verò appetitus Dei ad extrà ſe communicandum, eſt innatus in radice bonitatis, vt monent Suarez in *Met. diſp.* 30. *ſec.*15. Ruiz *de voluntate Dei, d.*1. *ſec.*2. Smiſing. *trac. cit.* Arriaga *d.c.* Morand. *ſupra.* Eſt tamen liber; quia creaturæ non ſunt Deo medium neceſſarium, vt dixi; cùm ſibi ſit ſufficiens, & in nullo, aut à nullo præterquam à ſe egeat determinari, vt docent D.Bonauent. *hic*, & D.T. *ad* 5. Vult igitur omnia ad extrà eſſe liberè, tum quoad ſpecificationem; tum quoad exercitium. Primum probatur, quia actu poſitiuo poteſt velle contrarium, vt euidens eſt, ac monent Suarez *d.*30. *Met. ſec.*1. Vaſquez *p.p.d.*79. *à n.*17. Mærat *loco cit. ſec.*1. Auerſa *ſec.*9. Morand. *n.*381. Eſt enim talis libertas contrarietatis. 138

Alterum probatur. Quia res extrà non ſunt neceſſariæ Deo ad finem bonitatis eius, ideò poteſt eas velle non eſſe. Hanc verò libertatem quoad exercitium non poſſe dici potentiam contradictionis, ait Morand. *num.*384. cum Caietano *artic.*7. Ruiz, *ſec.*3. & aliis contra Suarez *loco cit. ſec.*16. *numero* 34. Vaſquez *numero* 16. 139

PROBAT quintò. In Deo non eſt potentia productiua volitionis, & receptiua: Ergo neque potentia contradictionis. Probatur conſeq. quia potentia contradictionis dicitur in ordine ad actum immediatè, qui poſſit eſſe, & non eſſe. Sed hoc non habet locum in Deo: Ergo. 140

SED dicis cum Suarez, dari hanc libertatem in Deo reſpectu obiectorum, non reſpectu ipſarum volitionum. Poteſtas ſanè contradictionis in actu eſt, vt ille actus poſſit eſſe; & non eſſe. At Dei actus cùm ſit Deus, non poteſt non eſſe; libertas verò eſt in ordine ad terminum, ſeu terminatiuè, modo dicto *quæſt.*3.

PROBATVR ſextò à S.D. *in* 3.*d.*17. *art.*2. paſſim, & Bellarmino. Si Deus ageret, bonaque daret ex neceſſitate naturæ, fruſtrà exhiberentur orationes, offerentur ſacrificia, vt obtinerentur. Reliqua patent ex dictis. 141

Vide

Vide Trigoſium *quæſt.* 14. *artic.*4. *dub.*1. Ruitz *d.*8. Mætarium *d.*31. Auerſam *quæſtione* 8. Notandum *ſupra.*

QVÆSTIO V.

Vtrum voluntas Dei ſit cauſa rerum propinquior, & immediatior, quàm intellectus.

{ D Bonau. art.2. q.1. & alibi.
D.Th art.4.

142 SVAREZ *in Met. d.*30. *ſect.*17. *à num.* 45. cenſet, proximum, & principale agendi principium in Deo eſſe potentiam.

VALENTIA vult; ſi loquamur conceptu perfecto, intellecta voluntate, potentia, & ſcientia, eas æquè immediatè ſe habere; at verò ſi noſtris imperfectis conceptibus rem iudicemus; cauſam proximam eſſe voluntatem.

VASQVEZ *d.*81. *cap.*2. refert è Durando *d.*45 *q* 2. opinionem quorundam dicentium, ſcientiam Dei eſſe cauſam proximam rerum: remotam verò eſſe voluntatem.

Aliorum etiam recenſet placitum dicentium, ſcientiam in ratione dirigentis eſſe cauſam propinquiorem; non autem in ratione mouentis, quod alij dicunt, quoad ſpecificationem; non quoad exercitium. Ipſe cum Durando decernit abſolutè, voluntatem eſſe cauſam proximam rerum.

NAZARIVS *quæſt.*14. *artic.*8. *controu.*2. profitetur, hanc eſſe D.T. ſententiam, quod ipſe ambabus amplectitur vlnis. Si ſcientia, potentia, & voluntas concipiantur præcisè, & proportionaliter ad ſimiles perfectiones, quæ in nobis cauſant; nec ſcientiam, nec voluntatem, ſed potentiam eſſe cauſam rerum. Citat D.T. *quæſt.*19. *art.*4. *ad* 4. *&* *quæſt.*2. *artic.*1. *ad* 4. Si verò ſumantur ſecundùm conuenientiam, quam in Deo habent ad inuicem; ſcientiam eſſe immediatam cauſam per imperium: Itaque ſimpliciter loquendo, ſcientiam eſſe immediatam cauſam rerum; nam imperium, quod eſt actus ſcientiæ diuinæ, eſt actiua rerum productio, & actus executiuus, Voluntatem verò eſſe, ſecundùm quid, cauſam rerum immediatam, quia eſt prima in ratione mouentis.

NOSTER Trigoſius *quæſt.*13. *artic.*4. primò definit in *dub.*2. ſecundùm noſtrum modum intelligendi, immediatiorem eſſe voluntatem, quia ſic in nobis prior eſt ſcientia; deinde voluntas faciendi rem; nil enim volitum, quin præcognitum; ſi autem loquamur ſecundùm rem, vt eſt in Deo; hoc modo nil eſt priùs, aut immediatiùs. Concludit igitur, quoad exercitium immediatiorem eſſe voluntatem, modo noſtro, quæ eſt ſententia D.Bonau. *d.*45. *art.*2. Addit verò Trigoſius, quantum ad ſpecificationẽ, immediatiorem eſſe Ideam: nam effectus aſſimilatur Ideæ, non voluntati, de quo ſatis *diſp.*14. cum D.Bonau. *d.*35.

IN ſequenti dubio agit quæſtionem illam: An Dei voluntas; imò. An Deus immediatè concurrat ad omnes effectus; Et affert opinionem Durandi 2.*d.*1. *q.*5. dicentis, Deum eatenus concurrere effectibus creaturarum, quatenus eis dedit virtutem ab initio ad operandum, quam opinionem tuetur Ludouicus Dolanus, cuius opuſculum approbat, ſed opinionem refellit P. Galitius *p.p. Phil. l.*2. *tract.*3. *q.*1. vbi etiam egregiè non minùs euertit opinionem Gabrielis 4. *d.*1. *artic.*1. *q.*1. in altero extremo dicentis, cauſas ſecundas nihil agere; ſed Deum ad earum nudam præſentiam totos effectus operari. Quam opinionem ſecutus eſt quaſi probabilem Areſius *de Gener. d.*2. *q.*20. *ſec.*4. *concl.*5. Vtraque autem ſententia extrema contra torrentem Philoſophorum, ac Theologorum, temerè enititur, quas latè refellam *tract.*3. *d.*1. *q.*5. & *tract.*5. *diſp.*17. *q.*2.

ITAQVE communis ſententia eſt, Dei voluntatem 143
immediatè quidem omnia operari, non tamen auferre cauſis ſecundis coefficientiam. Ita D.Bonau. 2. *d.*7 *p.*2. *art.*2. *q.*1. in corpore, & aliis locis infrà adducendis, è quibus argumenta eruemus. D.T. 3. *cont. gent. cap.*69. *&* 70. & *p.p. q.*105. *art.*5. & *prima* 2. *q.*79. *art.*2. *&* 3. Caietanus, & Ferrar ad ea loca; Capreol. *in* 2. *d.*1. *q.*2. *art.*1. *concl.*6. & alij Thomiſtæ cum Zanardo 2. *Phyſ. q.*14. Alenſis *p.p. q.*35. *m.*2. Henricus, *quodl.*14. *quæſt.*1. Richard 1. *d.*45. *art.*2. *quæſt.*2. Argentina ibidem, *art.*1. *conc.*2. & clariùs *in* 2. *d.*20. *art.*3. Trigoſ. *q.*13. *art.*3. & *art.*4. *dub.*2. & *q.*16. *art.*2. *dub.*2. *ad* 3. & circa vltimum dubium. Fonſeca 5. *Met. cit. q.*7. *&* 9. Valentia *tom.*1. *d.*3. *q.*1. *p.*1. Tolet. 2. *Phyſ. q.*8. *concl.*4. Colleg 4. *Phyſ. cap.*7. Molina, *q.*14. *art.*3. *d* 5. præ cæteris affluentior, Pererius *l* 8. *cap.*8. Suarez *d.*18. *Met. ſec.*1. Titelmanus *l.*2. *ſuæ Phil. cap.*25. Ruuius 2. *Phyſ tract.*4 *q* 2. *&* 7. Hurtadus *d.*9. *ſec.*2. & *d.*10. *ſec.*2. quos imitatur P. Galitius *loco cit.*

NOTANDVM eſt autem primò, agere immediatè, 144
dupliciter euenire. Primò, immediatè immediatione virtutis. Secundò, immediatione etiam ſuppoſiti. Agere immediatè immediatione virtutis, eſt per virtutem propriam naturalem operari; ſicut ignis calefacit proprio calore: immediatio ſuppoſiti eſt, quando inter cauſam, & effectum, non mediat aliud ſuppoſitum. Sic ipſe ignis calefacit, Poteſt tamen vtraque immediatio ſeparari. Sic cùm Ego ſcribo calamo; Ego ſum agens immediatum virtute; calamus autem mediatum, quia ſcribit vt motus à me: at verò calamus ipſe eſt agens immediatum ſuppoſito; ego autem mediatum; quia inter me, & ſcripturam mediat calamus.

ASSERO primò, Voluntatem Dei eſſe immediatam cauſam rerum contra Durandum.

PROBATVR primò è Scripturis. In primis proba- 145
tur à Seraphico *d.*45. *q.*1. *fund.*1. ex 1. Epheſ. *Omnia operatur ſecundum conſilium voluntatis ſuæ*, & aliis ſimilibus, quibus referta ſunt Sacra Biblia, aſſerendo, nihil fieri in cælo, vel in terra, ſiue magnum, ſiue paruum, quod à Deo non fiat, vt notat S. Bonauent. *loco cit.* Sic Iſa.26. *Omnia opera noſtra operatus es in nobis.*

PROBATVR ſecundò à S.Bonau. *in* 2. *d.*7. *p.*2. *art.*2. 146
*q.*1. ex illo Ioan.5. *Pater meus vſque modo operatur & ego operor.* Reddit autem rationem, cur in Sabbatho potuerit curare paralyticum, nempè, quia eſt Deus, qui omnia, quæ creauit etiam nunc adminiſtrat, & regit, omnes cauſas adiuuando; & cum eis cooperando, vt obſeruat S.Bonau. *hic*, & ad eum locum Ioan. cum D. Auguſt. *tract.*17. *in Ioan. &* *ep.*146. vbi id explicat de omni etiam minimo opere generationum, *ſerm. de* 10. *præceptis*, initio: idem probat ex illo Iob 10. *Manus tuæ fecerunt me, & plaſmauerunt me totum in circuitu. Pelle; & carnibus veſtiſti me. Oſſibus, & neruis compegiſti me*, & Hierem.1. *Antequam te formarem in vtero noui te*; & ex illo Deut.11. *Oculi veſtri viderunt opera magna, quæ fecit Dominus, &c.* Pſ.146. *Qui producit in montibus fœnum, & herbam ſeruituti hominum. Qui dat iumentis eſcam ipſorum, & pullis coruorum inuocantibus eum.* Pulchrè autem dicuntur coruuli Deum inuocare, à quo recipiant eſcam, quia Deus comparat illis eſcam, dum à parentibus deſeruntur, vt notat S.Bonau. ad eum locum.

RESPONDENT Durand. & Dola, hæc ſaluari, ſi dicatur.

catur. Deus mediatè operari, quatenus initio dedit virtutem creaturis.

147 Contra arguit S. Auguſt. *ep.* 146. quia non modò dicitur operatus; ſed eodem modo, quo ab initio, coniunctiuam apponit; *Et ego operor.* clarè autem refellitur, 2. *Machab.* 7. vbi illa ſancta mater ad filios. *Neque ego vitam donaui vobis, & ſingulorum membra, non ego ipſa compegi; ſed mundi Creator, qui formauit hominis natiuitatem.*

Probatvr ſecundò à D. Bonauent. *hic,* & 2. *d.* 14. *p.* 1. *art.* 3 *q.* 1. ex Ariſt. 8. *Phyſ. cap.* 5. vbi ſupponit, primum motorem immobilem, mouentem omnia, quæ mouentur, & è D. Auguſt. 3. *de Trin. cap.* 4. vbi vult, Deum eſſe primam cauſam, & ſummam omnium motionum. Idem habet Ariſt. 7. *Phyſ. c.* 1. & 2. *Met. c.* 2.

Probatvr tertiò à D. Bonauent. primò; *fund.* 2.
148 *huius quæſtionis.* Ille, qui eſt cauſa prima eſſendi, à qua omnes cauſæ pendent ſecundùm eſſe, eſt etiam cauſa, à qua omnes pendent in operando. Deus eſt cauſa prima eſſe creaturarum: Ergo & operandi. Quod ſi creaturæ in operationibus omnibus non adiuuarentur à Deo, neque egerent adiuuari ad ſui eſſe per conſeruationem, quæ eſt continua productio. Probatur ſequela quia non minùs, eget natura adiutorio vt ſit, quàm vt operetur. Itaque omnes cauſæ omninò pendent à Deo in eſſe, & operari. Eſt argumentum D. Gregorij 4. *Moral. cap.* 18. Hoc argumento vtuntur P. Galitius *loco cit. num.* 15. Caſpenſ. *tract. de Voluntate Dei, d.* 5. *ſec.* 3. Trigoſius, *concl.* 3. Bellarm. *l.* 4. *de gratia, & lib. arb. cap.* 4. Imò eſt argumentum D. Auguſt. *tract.* 17. *in Ioan.* vbi ex eo deducit cum ipſo Chriſto *Ioan* 5. Filium cum Patre operari ad regimen, & operationes omnes creaturarum, quia cum Patre omnia condidit. Nam, *Omnia per ipſum facta ſunt.* Eſt quoque D. Chryſoſt. argumentum, *homil.* 4. *in Ioan.* vbi quærit, Cur Ioannes vno verbo dicit, *Omnia per ipſum facta ſunt,* & non explicat productam lucem, & cætera ſingillatim; ſicut dicitur in Geneſi, maximè cum nouum teſtamentum ſit declaratio veteris.

Reſpondet egregiè, vt obſeruat S. Bonauent. *ad*
149 *cap.* 1. *Ioan.* Cùm ſatis cognitum eſſet, Deum omnia condidiſſe corporea; Ioannes *hic*, etiam incorporea, omniaque adeò à Deo producta ſupponit, vt nihil ſit in rerum natura, quod ab eo non producatur. Hæc ſunt Chryſoſtomi verba, *Verùm Ioannes, & quæ Moyſes proſecutus eſt, & quæ conticuit prætermiſſis, paucis omnia comprehendit. Omnia inquit per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil; quod factum eſt. Nihil ſine Filij virtute productum eſt, vel conditum.*

Vnde habemus ſolidum argumentum contra Du-
150 randum. Si enim (vt exponunt multi etiam alij Patres) Ioannes, poſtquam explicuit creationem rerum. *Omnia (dicens) per ipſum facta ſunt*, ſubdit. *Et ſine ipſo factum eſt nihil, quod factum eſt*, ideſt, nulla res producitur, nullus effectus ſit ſine Deo; eo fundamento, quia Deus eſt author omnis eſſe, meritò infertur noſtra concluſio. Quod Iſaias aliis verbis dicit. *Omnia opera noſtra operatus es in nobis Domine*, vbi immediationem virtutis, & ſuppoſiti complectitur in Diuina operatione.

Probatvr prima Maior à Seraphico, *d.* 39. *q.* 1.
151 *fund.* 4. In entibus eſt ſtatus, ità, vt deueniendum ſit ad vnum ens per eſſentiam, à quo eſt omnis entitas participata, vt docet Ariſt. 2. *cæli t.* 57. & 2. *Met. t.* 4. vbi ait: *Id quod eſt maximè ens, eſt maximè verum, & cauſa omnis entis, & omnis veri* Quo argumento vtitur quoque D. T. Subſimo: Sed omnis effectus creatus eſt ens per participationem: Ergo eſt ab ente per eſſentiam.

Reſponſio ſectantium Durandi opinionem eſt, Deum omnia operari, ſed non immediatè; ſed mediatè, quatenus operantur creaturæ per virtutem à Deo acceptam. Sic & quidam Modernus, Durandum ſecutus, reſpondet.

Vervm hæc reſponſio inſulſa eſt. Nam ſic impro- 152
priè loquerentur Scripturæ, & Patres, vt luce clariùs eniiet; neque ſatisfactum eſt argumentis, vt legenti patet. Sic enim nihil Deus operaretur ad generationem rerum.

Probatvr quartò aſſertio *fund.* 3. Cauſa prima eſt immediata ex Ariſt. 1. *Poſter. cap.* 2. *t.* 6. Deus eſt prima cauſa rerum. Ergo immediata. Si dicas ad Maiorem, Primam cauſam eſſe immediatam ad demonſtrandum, ſeu cognoſcendum. Tunc ſic. Sicut res ſe habet ad eſſe; ità ad cognoſci, ità vt eadem ſint principia eſſendi, & cognoſcendi, vt exponit S. Bonauent.

Probatvr quintò à S. D. *ſequenti fundamento.* 153
Cauſa, quæ in totum effectum influit, eſt immediata. Deus in totum effectum influit. Ergo: Maior probatur. Cauſa, quæ cauſat totum eſſe cauſæ; cauſat totum operari eius. Talis autem cauſa debet perfectè penetrare intimè totum effectum. Ergo talis cauſa eſt immediata. Minor patet è Scripturis allatis, & è conſenſu benè philoſophantium.

Probatvr ſextò à D. Bonauent. *fund.* 5. Omnis cognoſcens perfectiſſimè, agnoſcit per cauſam immediatam. Sed videntes Deum, vident in eo perfectiſſimè creaturas, vt oſtendi *d.* 13. *q.* 6. & *d.* 11. *quæſt.* 23. Ergo: Maior eſt Ariſtot. in poſter. vbi definit cognitionem perfectiſſimam, quæ eſt demonſtratiua ex prioribus, immediatis, cauſis, &c.

Probatvr ſeptimò à D. Bonau. *fund. vlt.* Omnia 154
ſunt Deo perfectiſſimo modo attribuenda, quæ ei conueniunt. Sed Deo conuenit eſſe cauſam: Ergo perfectiſſimo modo. Talis autem eſt cauſa immediata, ſua virtute, & ſuppoſito: Ergo.

Probatvr octauò à D. Bonauent. *in corpore.* Omnis perfectio cauſarum ſecundarum eſt Deo attribuenda. Sed cauſa vniuerſalis attingit omnia immediatè; vnde ait Ariſtot. 2. Phyſ. *Sol, & homo generant ſimul hominem.* Cauſa verò particularis creata eſt actualiſſimè penetrans immediatè: Ergo hæ perfectiones ſunt Deo concedendæ.

Probatvr nonò à S. D. *d.* 45. *artic.* 2. *q.* 1. *fund.* 1. 155
& *q. præſenti, fund.* 2. Illa cauſa, quæ poſita certiùs ponit effectum; & qua remota, cæteris poſitis, non ſequitur effectus, eſt immediata. Sed data volitione Dei ſequitur effectus; quia *Omnia quæcunque voluit fecit*; & cæteris poſitis, non ponitur, quia, vt teſtatur Scriptura paſſim; & ratio dependentiæ entis participati ab ente per eſſentiam in eſſe, & operari, conuincit, nihil poſſe creaturam ſine Dei concurſu. Ergo: Eadem Maior eſt clara, vt rectè aduertit Trigoſius *q.* 13. *art.* 4. *ad textum.* Idem habet *d.* 38. *q.* 1.

Probatvr decimò à S. D. *in* 2. *d.* 14. *p.* 1. *art.* 3 *q.* 1. 156
ratione D. Auguſt. 3. *de Trin cap.* 4. & D. Dionyſij *de Eccl. Hier.* quia datur ſubordinatio in motibus; ità vt prima cauſa attingat ordines omnes cauſarum, vt in ſuis ſpeciebus perfecti ſint; alioqui dabitur confuſio. Enim verò Dola Scotum allegans ait, hoc non inferri.

Probatvr vndecimò *in* 2. *d.* 37. *quæſt.* 1. Illa cauſa, quæ eſt vniuerſaliſſima amplectens in ratione cauſæ omne ens vſque ad nihilum, producit immediatè omnem actionem, quæ eſt ens. Deus eſt cauſa huiuſmodi. Ergo: Maior probatur, nam talis cauſa eſt, à qua omne ens dicit dependentiam. Minor probatur à D. Bonau.

ex

ex illo Ioan. 15. *Sine me nihil poteſtis facere.* Et quòd intelligatur de omni actione, etiam ſubſtratâ peccato, Probatur à Seraphico ex *Iſa.* 10. Vbi creaturæ omnes comparantur inſtrumento in manu Fabri. Sicut autem inſtrumenta non ſunt per ſe agentia ità; neque creaturæ, vt exponit Gloſſa. Confirmatur è D. Anſelmo, *l. de concordia præſeſt.* quia omnis actio eſt à Deo.

157 Probatvr duodecimò *ibi.* Cauſa primordialiſſima eſt maximæ influentiæ in creaturas, ità vt quicquid habet rationem cauſæ, egeat cooperatione immediata primæ.

Probatvr tertiodecimò *ibi, in corpore.* Omnis entitas, quæ ſecundùm totum ſuum eſſe, eſt defectibilis, eget ſecundùm illud totum, quod eſt, quod poteſt, & facit Dei adiutorio: at omnis creatura in omni ſuo eſſe, in duratione, & in operatione eſt defectibilis, vt pote ex nihilo: Ergo eget continua, & immediata Dei operatione.

158 Probatvr quartodecimò, argumento illo S. Bonauent. familiari, quo vtitur P. Galitius. Eadem eſt ratio, & idem ordo cauſæ efficientis, & finis, vt qui eſt vltimus finis omnium entitatum, ſit etiam earum efficiens. Sed Deus eſt finis omnium actionum: Ergo etiam efficiens. Quod ſi aliqua actio non eſſet à Deo; neque eſſet ad Deum. Vide Seraphicum 4. *d.* 1. *dub.* 7.

Probatvr vltimò à S. D. *d.* 37. *q.* 1. tum ex illo Io. 15. *Sine me nihil poteſtis facere*, & *in corpore*; Omnis potentia reducitur ad actum per ens actu: id eſt, Deum. Sed omnis creatura eſt in potentia: Ergo in omni actione debet reduci ad actum per ens actu, quod eſt Deus. Maior patet ex Hilario 7. *de Trin.* vbi ait: *Solus Deus eſt, cuius eſſe eſt actus.*

159 Assero ſecundò, Deum eſſe cauſam immediatam non modò virtutis, ſed etiam ſuppoſiti. Eſt D. Bonau. vt notat Trigoſius ad *textum*, & *dub.* 3. *concl.* 2. & hoc examinatum eſt, *d.* 7. *queſt.* 1. vbi ex operatione Dei præſentiam eius immediatam ſecundùm ſuppoſitum arguimus.

Assero tertiò. Ità Deus concurrit ſua voluntate ad omnia, vt tamen res omnes ſuos agere motus ſinat, contra Gabrielem.

160 Probatvr à D. Bonauent. primò, 2. *d.* 7. *p.* 2. *art.* 2. *quaſt.* 1. Omnis eſſentia habet ſuam virtutem, & operationem à ſe manantem. Omnis creatura habet eſſentiam: Ergo, & virtutem, & operationem. Maiorem, ait S. D. eſſe notiſſimam, & probatiſſimam Philoſopho, Auguſt. Damaſceno, &c. Et quidem Ariſt. 1. *Phyſ.* & ſequentibus, & 7. *Met.* docet, Formas ab agentibus naturalibus educi de potentia materiæ, & 7. *Met. cap.* t. docet, ſuperiora influere in inferiora, vt notat Seraphicus, *quaſt. ſequentibus*, D. Auguſt. 7 *de ciu. c.* 30. ait: *Deus ſic adminiſtrat omnia, quæ creauit, vt ipſa proprios exercere motus, & actus ſinat*, D. Damaſcenus *l.* 2. *de fide* idem aſtruit, & D. Dionyſius *cap.* 5. *de Eccl. Hier.* docet, inferiora per ſuperiora dirigi in ſuis operationibus. Confirmatur; alioqui virtus in creaturis eſſet fruſtrà, Verbi gratia, Lux in Sole ad illuminandum. Quid enim euidentius, quàm Solem illuminare? ignem calefacere, &c? vt notant Suarez, Molina, & alij cum D. Bonau. *hic.*

161 Probatvr ſecundò à S. D. Corruptio vnius eſt generatio alterius, ex Ariſt. 1. *de Gener. t.* 17. & 2. *Met. t.* 10. Sic per expulſionem frigoris inducitur calor. Sed agens naturale expellit contrarium, puta, aqua calorem pellit, ignis frigus eliminat. Ergo & inducit formas oppoſitas.

Probatvr tertiò à D. Bonau. Certum eſt ſenſu, ignem calefacere; quod ſi Deus ſolus ad præſentiam ignis calefaceret, cur magis calefacit ad præſentiam ferri candentis, quàm ſtupæ? Ad præſentiam fornacis, quàm vnius ſcintillæ? Cur ſucceſſiuè inducit calorem in ſubiectum, non ſtatim? nam virtus Dei eſt infinita, atque adeò non eget diſpoſitionibus præcedentibus; vti neque temporis ſucceſſione, quia, vt arguit Ariſt. deberet mouere in inſtanti.

Probatvr quartò à S. D. quia quales ſunt cauſæ, tales ſunt effectus, Verbi gratia, ad præſentiam bouis generatur bouis ſimilitudo in ſpeculo, non Leonis. Et ad præſentiam vaccæ, generatur vetus bos; & ſic per ſingula diſcurrendo. Quod ſi ſolus Deus operaretur ad præſentiam meram cauſæ ſecundæ; iam occluderetur omnis via cognoſcendi, atque argumentandi ex effectibus cauſas; & è cauſis effectus, vt rectè notauit P. Galitius *numero* 11. cum Suarez.

Quare inſulſa eſt reſponſio Gabrielis, ab Ocham 162
accepta, non aliud ſenſu deprehendi, quàm ad præſentiam bouis, gigni bouem. An verò bos ſit ille, qui generet bouem, non poſſe iudicari. Hæc enim ſunt adeò abſona, vt extremum colophonem imponam effato Seraphici; egere hos Doctores ſenſu ad hoc cognoſcendum. Itaque in ignem mittendus, vt dicant ignem calefacere.

Probatvr quintò à D. Bonauent. *in* 2. *d.* 37. *quaſtione tertia*, *ad* 3. Si Deus ſolus produceret res; ſequeretur, nunquam produci monſtra, & alia imperfecta, Verbi gratia infans cæcus, claudus. Hæc enim ſunt indigna operatione illâ, quæ eſt ſolius Dei. Oportet igitur ibi concurrere cauſam ſecundam imperfectè, vel cum errore agentem.

Probatvr ſextò à S. D. *eadem diſtinct. artic.* 2. 163
quaſtione ſecunda. Quidquid caſu fit, temerè fit, ex D. Auguſtino *l.* 3. *quaſtione* 24. ſed multa caſu fiunt, vt occiſio filij, dum laxatur rota tormenti bellici contra Lupum. Ergo multa fiunt temerè: Sed hæc, vt ſunt temerè facta, etiamſi non ſint mala culpæ, non poſſunt eſſe ab agente perfectiſſimo, qui ſemper finem conſequitur. Ergo: Multa alia argumenta in D. Bonau. *ea diſt.* habentur.

Assero quartò. Voluntas Dei ſimpliciter eſt im- 164
mediatior cauſa rerum, noſtro modo intelligendi. Ita D. Bonauent. *loco cit.* & D. T. *quaſtione* 14. *artic.* 8. & *quaſtione* 2. *de verit. artic.* 14. *in corpore*, vbi ait: *Mediante Diuina voluntate proueniunt res à ſcientia Dei.* Ità aduertit Tannerus, *d.* 2. *quaſtione* 8. *dub.* 10. *num.* 9.

Probatvr multis S. D. rationibus, ſuprà allatis pro prima aſſertione, præcipuè, *d.* 45. *artic.* 2. *quaſt.* 1. *fundamento* 3. quia poſita voluntate Dei, ponuntur effectus; non autem poſita ſcientia, & potentia Dei; multa enim poteſt, & ſcit, quæ non ſunt facta; at *omnia, quæcunque voluit, fecit.*

Probatvr ſecundò è D. Bonauent. *d.* 45. *artic.* 2. 165
queſt. 1. *in corpore* & *ad* 2. & 3. Eodem ordine philoſophari debemus de intellectu, & voluntate Dei ad opera extrà, quo etiam de intellectu, & voluntate artificis. Sed in artifice creato, primò intellectus proponit opus, & modum faciendi. Deindè voluntas vult illud eo modo fieri. Et tandem ſequitur executio ad nutum voluntatis, nullo actu intellectus interiecto, inter electionem voluntatis, & executionem facultatis exequentis: Ergo. Hoc argumentum ſummè probatur Vaſquio, *num.* 8. Addit tamen S. Bonau. *ad* 3. Artem in nobis non eſſe omnipotentem. Ideò nobiliùs agit natura in nobis, quàm ars.

Reſpondet Nazarius, negando Antecedens, vt cla- 166
ret è D. T. doctrina, *quodl.* 6. *artic.* 1. nempè omnes actus naturæ intellectualis, eſſe intellectuales, medio imperio

imperio voluntatis quæ à diuinâ potentiâ non diſtinguitur; ſicut in nobis differt; ſed vtraque clauditur intrinſecè in actu imperij, qui eſt actus ſcientiæ practicæ, per quem actum omnes res à Deo ſunt productæ.

F A L S V M eſt, imperium eſſe intellectus, vt oſtendam, *tract. de anima, diſput. de Volunt. & t. ſecunda, d.13.* Neque aliter intellectus concipi poteſt, niſi per modum apprehenſionis, vel iudicij: Cui enim imperat intellectus Diuinus? non ſanè ipſimet Deo, qui neque per correlatiuum obedientiæ ſubditur, neque creaturis. Quia creaturæ dum ex nihilo producuntur, non intelligunt; ſed Metaphoricè declaratur efficacia diuinæ voluntatis; cùm; dicitur. *Vocat ea, quæ non ſunt tanquam ea, quæ ſunt.*

Reſpondet Nazarius negando, imperium abſolutè ordinari ad res animatas. Nam imperium nihil eſt aliud, quàm ordinatio ad opus, quæ poteſt fieri ab intellectu abſque eo, quòd alicui præcipiat. Neque verò obedientiam eſſe correlatiuam imperij, ſed ſolius imperij, directi ad naturam intelligentem.

167 H Æ C tamen falſum claudunt. Nam ordinatio intellectiua eſt merum *proponere, indicare, &c.* at imperare eſt potentiæ, quæ eſt domina; & talis eſt voluntas: niſi velimus abuti ipſo nomine imperij. Scientia enim Dei practica, quæ immediatè proponit voluntati rei faciendæ conuenientiam; dictat, & indicat modum, quo debet fieri; eſt cauſa rerum in genere cauſæ exemplaris tantùm; at decretum eſt à voluntate in genere cauſæ efficientis; & eſt vera cauſa effectiuè mouens, & imperans, qua poſita infallibiliter ponitur in re proſecutio operis, vt notat Caſpenſis ſuprà *cit. ſectione ſecunda, poſt* D. Bonauent. 1. *d.* 38. *quæſtione prima.* Quamuis autem ſcientia, & potentia ſe habeant vt cauſæ habituales, tamen voluntas eſt cauſa actualis, imò, ipſa facit ſcientiam ſpeculatiuam eſſe practicam diſpoſitionem; & potentiam deducit ad actualem executionem.

D I C E S. Si voluntas reducit potentiam ad executionem, ipſaque opus patrat. Ergo eſt cauſa immediatior, quàm ſit voluntas imperans; ſicuti miles occidens alium, eſt immediatior occiſioni, quàm iuſſio Regis imperantis.

168 Reſpondet Caſpenſis, voluntatem eſſe formaliter potentiam executiuam; voluntas autem eſt potentia, vt habet rationem principij efficacis.

M A L I V S reſpondet D. Bonauentura *d.45. quæſtione prima, ad tertium,* Deo velle, eſſe poſſe actu omnia; eſt enim voluntas omnipotens, omniaque actu producens; non quia non adſit potentiâ attributum, habens rationem cauſæ habitualis; ſed quia potentia ipſa per voluntatem habet eſſe actu; ità vt virtus, ſeu potentia actualis moueatur ad operandum, & actu à voluntate Ducatur operante immediatè; imò immediatiùs, quàm potentia; quia eam mouet toto actu; nec eſt ſimile de Rege iubente homicidium; quia ſolùm imperium Rex impendit, non actualem executionem phyſicam confert ad opus.

Trigoſins falsò reſpondet, potentiam executiuam propiùs pertinere ad intellectum, quàm ad voluntatem, quod probat. Quia, *dicere* pertinet ad intellectum; at *dicere* eſt cauſa immediata rerum, vt dicitur Geneſ.1. *Dixit Deus. Et facta eſt Lux. Dixit, fiat Firmamentum, & factum eſt.* Et Pſalm.148. *Ipſe dixit, & facta ſunt.* Ob id dicitur Prouer.8. *Dominus ſapientia fundauit terram* & Pſalm. 103. *Omnia in ſapientia feciſti.* 169

H I C Doctor ſibi apertè contradicit, dum vult, intellectum eſſe cauſam immediatiorem rerum; cùm tamen ſuprà dixerit; & intra eaſdem lineas infrà intermiſceat, voluntatem in executione eſſe immediatiorem. Quòd verò admiſcet *dicere*, de quo Geneſis, & Pſalmi, ad intellectum pertinere; falſum penitùs eſt. Nam, vt docet Seraphicus *in ſecundo, d.13. dub. tertio*, vbi laxè proſequitur hunc locum. *Dicere*, eo loco non ſignificat dictionem intellectiuam, quæ eſt interna, & ſignificat videri du intueri; vt ait S. Anſelmus; ſed ſumitur prout ſignificat producere manifeſtando ſe ipſum, vt oſtenderet, Deum produxiſſe omnia ad ſuam bonitatem manifeſtandam. Et quidem produxiſſe ſumma facilitate; non quia aliqua vox præceſſerit; vel quia hæc productio ſit dictio intellectiua. Poteſt tamen ſic explicari, Deum omnia, dicendo, produxiſſe, quia in Filio genito, qui eſt Verbum, omnia diſpoſuit. Itaque. *Dixit.* Idem eſt ac *Iuſſit*; vt exponit S. Ambroſius de officiis *l. quarto, capite quarto*, & habetur in Breuiario *fer. quarta, infra octauam Corporis Sanctiſſimi Chriſti.* Imperium autem eſt voluntatis.

Obijcies primò cum Durando. Si Deus ageret immediatè cum creaturis; ſequeretur, effectum produci à duabus cauſis totalibus immediatis; aut Deum eſſe cauſam partialem, quod derogat Diuinæ efficaciæ. 170

R E S P O N D E T D. Bonauentura, duas cauſas creatas particulares non poſſe concurrere ad eundem numero effectum totum producendum; ſecùs autem cauſam vniuerſalem, & particularem: Deum, & creaturam, quæ ſunt cauſæ ſubordinatæ; ità tamen, vt vtraque ſimul attingat effectum, dependente cauſa ſecunda à Prima.

Obijcies ſecundò. Vel Deus agit eadem actione, qua creatura; vel diuerſa. Si eadem: Ergo in vtraque eſſet eadem virtus numero; ſi diuerſa. Vel attingit vtraque ſimul effectum; vel vna eſt prior. Si ſimul: Ergo vna eſt ſuperflua; ſi altera eſt prior: Ergo altera ſuccedens nihil operatur. 171

R E S P O N D E T V R eſſe eandem actionem è duplici virtute ſubordinata ſimul agente, quæ ideò non eſt ſuperflua, ſed creata pendet à Deo, cui ſubopeeratur.

Obijcies cum Gabriele. Deus ſe ſolo eſt efficax ad totum effectum: Ergo alia cauſa non datur.

R E S P O N D E T V R, Deum virtute ſuâ infinitâ adhibitâ poſſe totum effectum ſe ſolo producere; attamen adhibere etiam concauſas, ſe accommodando earum conditioni, vt effectus modo connaturali fiant. 172

Q V Æ verò contra tertiam aſſertionem obiiciuntur, corruunt, data diſtinctione; ita eſſe ſecundùm noſtrum modum concipiendi; & negando imperium intellectui.

QVÆSTIO VI.

An detur aliqua cauſa Diuinæ Voluntatis.

D.Bonau. d.41. quæſt. 2. & d.45. dub 3. litt.
D. Thom. quæſt. 9. art.5.

SONCINAS 5. *Met. quæſt.* 2. aſſerit, Diuinam voluntatem habere ſuarum volitionum cauſam finalem, quam tamen ait eſſe Metaphoricam.

173 OMNIVM Theologorum calculis aſtruitur, nullam omninò cauſam realem cuiuſque rationis Voluntati Diuinæ aſſignari poſſe, non modò materialem, formalem, vel efficientem, quod ſatis patet; ſed neque finalem, quod ſupponit S.Bonauent. *d.*41. *quæſt.*2. *in corpore*, & *d.*45. *artic.*2. *quæſt.*1. & probat. Non quidem poteſt talis cauſa eſſe ipſe Deus. Nam actus Diuinæ voluntatis ſunt ipſa voluntas, quæ eſt ipſe Deus ſimpliciſſimus. Itaque, cùm ſit vnum non poteſt eſſe cauſa realis. Nam inter cauſam, & effectum exigitur diſtinctio realis, neque poteſt eſſe creatura, quia Deus eſt ſumma bonitas, vltimus finis omnium, atque efficiens, quo fit, vt neque poſſit actus Diuinus cauſari meritoriè, vt arguit Ribas *Tract.*5. *d.*9. *cap.*1. cum D Bonauent. 1. *d.*41. *q.*1. *&* 2. & D.T. *pp. quæſt.*23. *artic.*5.

Hac ratione vtuntur Vaſquez *d.*82. *capite primo*, Arriaga *d.*24. *ſec.*8. & Thomiſtæ, præcipuè Nazarius *hic*, Morand. *tract.*4. *quæſt.*13. Ruitz *d.*15. Præpoſit. *hic*. Arriaga *d.*24. Ribas *tr.*5. *d.*9. *c.*2. Eſtque D.T. *q.*19. *art.*5. ſi rectè percipiatur.

174 PROBATVR ſecundò à S.D. .s. *d.*29. *q.*1. *in corpore*. Quia finis melior eſt his, quæ ſunt ad finem. Sed nil Deo melius reperitur.

PROBATVR tertiò à S. D. *loco cit.* quia cauſa eſt prior ſuo effectu. Nil autem Deo prius.

PROBATVR quartò à S. D. *d.*45. *in corpore*. Quia finis appetitur, vt obtineatur: at voluntas Dei eſt ſemper intimè, ac perfectiſſimè per eſſentiam fini coniuncta vniuerſali; ideſt, ſuæ bonitati. Ideò ea non poteſt mouere appetitum, in ſe quieſcentem.

HINC verò ibidem colligit, noſtræ voluntatis actuum dari cauſam. Nam voluntas noſtra eſt à fine diſtans; ideò poteſt in ea eſſe appetitus eius. Deinde voluntas differt ab actibus realiter; ſunt enim actus eius accidentia, quæ habent cauſam efficientem, ideſt, voluntatem, quæ eſt etiam cauſa materialis. Habent etiam cauſam formalem, nempè naturam accidentalem conſtitutricem. Idem habet Seraphicus. *dub. cit. litt. & art.*2. *q.*2.

NVNC eſt controuerſia: An noſtro modo intelligendi poſſit aſſignari Diuinæ voluntati aliqua ratio volendi per modum finis.

175 STATVIT prima ſententia, dari aliquam rationem actuum Diuinæ voluntatis actiuam; ſicut aſſignatur inter attributa; vt ſimplicitas ſit ratio immutabilitatis; immutabilitas æternitatis. Ita Durand 1. *d.*41. *q.*2. *num.*5. Corduba *quæſt.*56. *opin.*5 *p.*2. *ad ſecundum dub.* Suarez *l.*3. *de attrib poſit. cap.*7. *&* 3 *p. d.*41. *ſec.*4. Morand. *tract.*4. *quæſt.*13. Tannerus *d.*2. *quæſt.*10. *dub.*5. *num.*8. Arriaga *d.*24. *ſec.*8. Præpoſit. *art.*5. Et multi Thomiſtarum, vt Peſantius ad hunc articulum, qui vocat eam moralem cauſam; eamque docent eſſe Diuinam bonitatem. Addunt, inter obiecta etiam creata vnam eſſe rationem volendi aliud. Itaque concedunt, Deum velle vnum obiectum creatum propter aliud; & velle vnum, quia & vult aliud; & non tantùm velle vnum eſſe propter aliud. Omnia verò vult ob ſuam bonitatem. Hæc videtur ſententia D.T. 1. *contra Gentes capite* 86. & *initio capitis* 87. ſubſcribit Ribas *loco cit. & d.*3. *capite ſecundo*, Inclinat Turrianus, *opuſc.*3. *d.*3. *dub.*2. Beccanus *p p. tract.*1. *c.*11. *quæſt.*9. Herize, *d.*18. *cap.*2.

SECVNDA ſententia eſt Caietani *hoc art.* dari aliquam rationem voluntatis paſſiuè acceptæ; non tamen actiuè, ideſt, dari quidem rationem inter ipſa obiecta creata, propter quam ſit verum dicere, aliquid eſſe volitum; non tamen dari rationem, ob quam dicatur, Deum velle.

TERTIA ſententia eſt, tametſi Deus velit, vnam rem creatam eſſe propter aliam; non tamen velle vnam propter aliam; ſed omnia creata velle propter ſuam bonitatem. Quare inter obiecta creata, nullum eorum eſt ratio volendi aliud; ſed ſola ſua bonitas eſt ratio per modum finis volendi reliqua. Ita Alenſis *p.p. quæſtione* 28. *m.*3. *artic. tertio*, & *quæſtione* 31. *m.*3. Henricus, *quodl. quarto, quæſtione* 19. *litt.* O. Gabr. *in primo d.*14. *quæſtione prima, artic. ſecundo, poſt tertiam concl.* Driedo *de concord. lib. arbitr. & prædeſtin. p.p. capite quarto, ad quartum*, Ferrar. 1. *contra gent. capite* 86. *&* 87. Granad. *p.p.t.*2. *tract.*1. *d.*3. Vaſquez *d.*82. qui allegat etiam D.Thomam *quæſt.*19. *art.*1. *ad* 3. *& art.*2. *ad* 2.

SIC igitur loquendum in hac ſententia, Deus vult omnia propter ſuam bonitatem. Non tamen ex obiectis creatis hoc vult Deus propter illud, ideſt, hoc voluit; quia voluit illud. Nam vnum non eſt ratio volendi aliud. Rectè tamen dices: Ex obiectis creatis Deus voluit, vnum eſſe propter aliud.

CASPENSIS, *tract. de Voluntate Dei, d. ſexta, ſec. prima*, refert primò, quoſdam Recentiores admittere Diuinam bonitatem eſſe cauſam finalem realem Diuinæ volitionis. Refert è regione idem negantes omninò. Ipſe medius aſſerit primò, non dari propriè cauſam finalem realiter Diuinæ volitionis; dari tamen rationem abſque dependentia actuum; & hanc eſſe Diuinam bonitatem. Et concedit etiam, Deum velle vnum obiectum propter aliud terminatiuè, ità vt hoc ſit ratio; cur Diuina voluntas terminetur ad aliud. Sic dicitur in Symbolo, Deum propter nos, & propter noſtram ſalutem deſcendiſſe de cælis.

GREGORIVS de Valentia hîc ità concludit, Deum non velle vnum actum propter alium; neque obiectum eſſe cauſam actus voluntatis. Si tamen ſignificetur, Deum certa cum ratione, & concilio velle id, quod vult; rectè dici poſſe, Deum velle vnum propter aliud. Et ità videtur ad ſecundam ſententiam accedere.

NAZARIVS ad hunc *artic. cont.* dicit primò, Diuinam bonitatem eſſe rationem, vt finem, volendi alia. Secundò, nullum bonum creatum eſſe cauſam Diuinæ voluntatis, etiam ſecundùm noſtrum modum intelligendi. Tertiò, nullum bonum creatum eſſe Deo rationem volendi aliud creatum, propriè loquendo. Quartò, vnum bonum creatum eſſe rationem, & cauſam alterius boni creati, vt ſit à Deo volitum. Quintò, actum Diuinæ voluntatis, prout attingit vnum bonum creatum, eſſe cauſam volendi aliud.

TRIGOSIVS *quæſtione* 13. *artic. quinto, dub. quarto*, ait, non dari ſanè cauſam aliquam actuum Diuinæ voluntatis;

voluntatis; tamen ex parte determinationis, ſeu ordinationis diuinæ ad hoc, vel illud volitum, benè poſſe dari cauſam minùs principalem, ex parte alicuius voliti; ſicut Deus vult, me ſaluandum, quia vult me meri in gratia. Hanc concluſionem ait eſſe communem omnium, eamque teneri à Seraphico *dub. cit.* vbi ait: Voluntas noſtra cùm excitetur à volito, cauſam, & rationem reſpectu illius habet, & quantum ad volitum; maximè cùm vult aliquid, quod eſt propter finem. Sed voluntas Dei, cuius actus eſt ipſe Deus, cùm vult aliquid, quia non excitatur aliqua ratione, aliâ à ſe; cauſam, quantùm ad ſe, nequit habere; ſed quantùm ad volitum benè poteſt eam habere, itavt volitum habeat aliam cauſam præter Dei voluntatem: aliquando verò ſolam Dei voluntatem, vt in mundi creatione, & tunc voluntas habet rationem; ſed non cauſam; quia non eſt irrationalis. Vnde non habet rationem, tanquam diuerſam à ſe; ſed idem re.

Ex his habes, Deum non habere cauſam actuum ſuæ voluntatis realem, quorum quidem ipſa non eſt cauſa. Quia non differunt realiter voluntas, & actus. Neque creatura, vt dixi, quia ipſe Deus eſt vltimus finis omnium. Et ità ſolam ſuam bonitatem habet pro ratione omnium ſuorum actuum; aliquos tamen eſſe inter ſe ordinatos, vt vnum velit propter alium, putà Incarnationem, ob noſtram etiam ſalutem; & diluuium, ob punienda peccata; cum tamen operis alicuius nullum aliud motiuum habuerit præter Diuinam ſuam voluntatem & bonitatem. Itaque concludit, Deum velle, vnum eſſe propter aliud: ac ſimiliter, vnum velle propter aliud.

Arrvbal *p.p. d.51. à capite tertio*, docet primò, bonitatem creatam nullo modo eſſe obiectum formale volitionis Diuinæ, ſed ſolam Dei bonitatem. Secundò ait, bonitatem creatam eſſe poſſe obiectum formale, terminans diuinam volitionem. Tertiò dicit, duplicem bonitatem creatam eſſe obiectum formale volitionis Diuinæ, alteram, intrinſecam creaturarum intellectualium: alteram, honeſtatem virtutum, quæ ordinantur ad benè operandum circa alios. Sic & Luiſius Turrianus reſolutè, *loco citando*.

Lvdovicvs Ribas *loco cit.* quæſtionem inſtituit de obiecto formali Diuinæ voluntatis, & prænotat, ſe abſtinere à dicendo obiectum motiuum; eò quòd dicat motionem efficienter, quod næuum habet; ideò carpit Molinam, *p. p. quæſtione* 19. *artic. ſecundo*, *d.3.* ſic loquentem. Mox relatis aliorum placitis, concludit primò, Aliquid creatum eſſe obiectum formale proximum multorum actuum diuinæ voluntatis, quoad intrinſecam illorum perfectionem, quia non capit, aliquid eſſe obiectum illorum actuum, & non quoad intrinſecam eorum rationem vitalem; cùm ſint ipſe Deus. Tandem ait, nullam creaturam à Deo eſſe amabilem, quæ non ametur ob ſuam Diuinam bonitatem.

Assero primò, Bonitatem Dei eſſe rationem Diuinæ volitionis actiuè, contra Caietanum.

176 Probatvr. Sicut vnum attributum eſt ratio alterius: ità & actus. Conſequent. probatur; quia actus ſunt ab attributis. Confirmatur, quia voluntas habet à ſcientia, vt hoc magis velit, quàm aliud; quia hoc eſt cognitum ad finem, ratione ſcientiæ dirigentis; vt notat Seraphicus, *d.45. artic. ſecundo, quæſtione prima, argum. ſecundo, ad opp. addito reſponſo.* Sicut autem vnum attributum, ideſt, ſcientiæ, dirigit in ratione quaſi efficientis: ità bonitas poteſt mouere in ratione finis.

Neqve verò ſolùm bonitas eſt ratio ex parte effectuum, quòd vnus effectus alium conſequatur, nec tantùm, quòd vnus cauſet alium; ſed quia bonitas volita inclinat voluntatem Dei ad illum efficiendum. Ergo ſi datur ratio ex parte effectuum, datur quoque ex parte voluntatis; vt rectè infert Suarez *l.2. de prædeſt. c.22.* Hoc probatur è Scripturis, & Patribus à Ruitz *d.15. ſec.2.*

Assero ſecundò. Vnum effectum eſſe à Deo volitum propter alium. Ita D. Bonauent. *in 2. d.15. artic.2. quæſt.1.* D.T. *quæſt.25 art.5.* Vt aduertit Nazarius, *concl.7.* 177

Probatvr primò à D. Bonauent. quià omnes creaturæ factæ ſunt propter hominem, vt ait Apoſtolus 1. Corinth. 3. *Omnia veſtra ſunt: vos autem Chriſti: Chriſtus autem Dei.* Ideò *Geneſ.* 1. *& nono*, datur homini dominium ſuper creaturas ſenſibiles. Et Ariſtoteles 2. Phyſ. textu 24. *Homo (inquit) eſt finis quodammodo omnium eorum, quæ ſunt.* Confirmatur ab eodem S. D. Omnia bonum appetunt, non quodcunque, ſed ſummum, vt latè docet S. Dionyſ. *toto capite quarto, de Diu. nom.* & Ariſtoteles 1. *Eth. capite primo.* Sed inter creaturas inferiores ſolus homo natus eſt immediatè ad Deum pertingere. Ergo aliæ creaturæ ordinantur in finem mediante homine. Tunc ſic. Illud, quod in finem ordinatur, alio mediante, eſt propter illud. Tales ſunt creaturæ ſenſatæ, mediante homine: Ergo omnia ſenſibilia ad eum ordinantur tanquam in finem. 178

Reſpondet Vaſquez, omnes creaturas eſſe media; ſunt enim bonum vtile; nullum autem medium habet rationem finis, reſpectu alterius medij, ex Ariſtotele. quod ſe probaturum 1. *ſecundæ, quæſt.1. art.4.* promittit.

Hæc tamen reſponſio, quæ eſt Achilles Vaſquij propugnans eius ſententiam; & noſtram impugnans, imbellis cernitur. Nam, licèt medium, vt medium, non poſſit eſſe finis; tamen aliquod medium reſpectu vnius, erit medium; & reſpectu alterius, erit finis. Ideò Ariſtoteles vocat hominem finem creaturarum ſenſibilium; non quidem finem vltimum; ſed immediatum. Et Apoſtolus proportionaliter diſſerit, omnia eſſe noſtra: ſicut nos Dei, Fines verò intermedios eſſe fines, oſtendam 1. *ſecundæ, tract.1. q.9.* & interim eſt ſententia Seraphici mox citata.

Itaque neque video, qua ratione Deus velit, vnum eſſe propter aliud (profectò vt finem) & is non ſit ratio aliqua finalis; vt notat Tannerus. Nam hoc ipſo, quod Deus vult, hoc eſſe propter aliud; ratio aliqua volendi hoc eſt, aliud.

Ex dictis etiam colligo, non malè dixiſſe Doctores ſuprà, dari aliquam rationem moralem actuum Diuinæ voluntatis, non quidem actus Diuini; ſed terminationis ad tale obiectum.

Probatvr à D. Bonauent *d.41. quæſt.1. & 2.* quem imitantur Arriaga, & alij. Nam cauſa moralis eſt, quæ præuiſa mouet ad volendum aliquid; at ex parte noſtrâ, bona opera mouent Deum, vt det nobis præmium; mala verò, vt pœnas infligat: Ergo.

QVÆSTIO VII.

An, & quomodo rectè aſſignetur ordo inſtantium, & ſignorum in actibus Diuinis.

GABRIEL *in 3.d.2. quæſtione prima, artic.3. dub.3.* Omnem ordinem inſtantium, vel ſignorum è Diuinæ ſcientiæ, & voluntatis actibus eliminat. Idem cenſetur voluiſſe Ocham *in primo, d. 9. quæſtione tertia*, tametſi hîc videatur ſolam prioritatem realem negare, vt aduertit Arriaga, *d.24. ſec.9. ſubſec.2.*

179 ENIM verò communi Theologorum applauſu admittitur aliquis ordo in actibus diuinis; vt aduertit Ruiz d.22. *de Volunt. ſec. ſecunda*, Morandus *tract. quarto, quæſtione* 12. Et hoc quidem quoad actus ad intrà docet D. Bonauent. *primo, d.12. quæſtione prima*, vbi inter generationem Filij, & ſpirationem Spiritus Sancti admittit prioritatem Originis. Sicut inter Patrem, ac filium. Similiter & priùs authoritate eſt Patrem ſpirare quàm filium. Eodem modo loquitur, *d.20. artic. ſecundo*, per duas quæſtiones, & *d.19. quæſtione prima*. De quibus agam, *tract. de Trin. d.2. quæſtione ſexta, & d.14 quæſtione quinta.*

In actibus verò Diuinæ cognitionis ad extrà *d 35. 36. & 38.* paſſim, ordinem aſtruit S. D. In actibus Diuinæ voluntatis, *d.45. 46. 47.* & *in tertio, d.1. artic. ſecundo, quæſtione ſecunda*, maximè *ad quintum*, quem omnes Theologi imitantur, vt referunt Vaſquez *d.82. capite tertio*, Tannerus *d. ſecunda, quæſtione 10. dub. quinto*, Arriaga *d.24. ſec. nona*, Caſpenſis, *tract. de Voluntate Dei, d. ſexta, ſec. ſecunda*, Nazar. *quæſtione 23. artic. primo, controu. ſecunda*, Suarez, *l. tertio, de attrib. Dei poſſit. capite tertio*, & *3. p. d.5. ſec. prima*, Faber *in tertio, d.20.* Herize *d. 17. & ſequentibus*. Granado, *tract. quinto, d.8.* Ribas, *tract. ſeptimo, d. ſecunda*, Moncæus, *d. quarta*, Arrubal *d.74.* Aluarez *d.37.* Gonzal. *d. 73.* Salaza *de Immaculata Conceptione Beata Virginis, capite 24.* Molina *p.p. quæſtione 23. artic. quarto, & quinto, d.1.* Hurtad. *d.14.de anima*; tametſi nonnulli circa finem, & media; intentionem, & executionem id negent; cæteri autem variè opinantur.

180 PROBATVR primò Quia enim Deus vult aliquid propter aliud, vt oſtenſum eſt *quæſtione præcedent.* rectè ſtatuitur aliquis ordo Diuinæ voluntatis, maximè verò hoc tenuitati noſtri captus accommodatur, qui de Deo cogimur philoſophari, ſicuti ferè de noſtris definitionibus, intentionibus, &c. Ita Suarez, aliique communiter, & ex parte Granado, & Ribas.

Hæc tamen ratio non placebit Molinæ, Herize, Hurtado, qui vno actu indiuiſibili amari dicunt media, & finem. Id verò diſcutiam *1. ſecunda, tract.1.d.5. quæſt.256.*

PROBATVR deinde, à S.S.P.P. D. Auguſtin. *l.1. ad ſimplicianum quæſtione ſecunda*, in id Rom. 9. *Vt ſecundùm electionem propoſitum Dei maneret*, dicente. *Non tamen electio præcedit iuſtificationem; ſed electionem iuſtificatio:* Idem habet S. Proſper, *ep. ad. Auguſt.* quæ eſt ante opus D. Auguſtini *de prædeſt. ſanctorum.*

181 PROBATVR etiam ratione D. Bonauent. *1. d.41. quæſtione prima, & ſecunda*, qua vtitur Concilium Valent. ſub Lotario. Nam voluntas damnandi in Deo, eſt poſt præuiſa demerita, quæ ſupponunt media ſalutis à Dei voluntate exhibita, & permiſſionem caſus, alioſque actus voluntatis Dei; at è contrà voluntas ſaluandi ante præuiſa merita, &c. Confirmatur ex dictis in fine *quæſt. præced.* vbi oſtendi dari aliquam cauſam moralis terminationis actuum diuinorum, ex parte noſtra. Qua ratione vtitur Arriaga *loco cit.*

MAGNA verò diuerſitas inuenitur inter ſcholaſticos in aſſignandis inſtantibus iſtis rationis, in diuinis actibus ad extrà. Vnuſquiſque enim pro ſuorum varietate fundamentorum ſtruit ordinem iſtum, quo vaſtam nimis erigerem quæſtionem; ſi omnium placita latiùs proſequerer.

182 PRIMÒ quidem certum eſt, inter actus Diuinos, priùs, ſecundùm noſtrum conceptum, & captum, eſſe actus neceſſarios, quam liberos, adeoque amor Dei erga ſeipſum, eſt prior amore libero creaturarum. Extra controuerſiam enim eſt, ens neceſſarium prius eſſe libero, vt dixi *q.2.*

DEINDE, inter ipſos actus neceſſarios Diuinæ Voluntatis prior, ſecundum rationem, eſt amor Dei erga ſe ipſum, quàm amor creaturarum, ſecundùm eſſe poſſibile: Extra controuerſiam enim eſt Deum eſſe rationem amandi creaturas. Priùs ergo Deus vult ſeipſum, quàm creaturas, etiam vt poſſibiles.

QVÆSTIO igitur vertitur, quoad actus liberos Diuinæ voluntatis, in quibus apparebunt admixti etiam actus intellectus concurrentes.

183 PRIMA regula traditur à Scoto *in tertio, d. ſexta, quæſtione tertia, & d.19. quæſtione prima*, Fabro *loco citato* Vaſquez *loco cit. capite quarto*, Tannero *numero* 10. Inter actus liberos diuinæ voluntatis, talem ordinem ſeruandum, ſeruata tali proportione; ſecluſis imperfectionibus, qualis cernitur in conſultatione humana, non qualicumque, ſed benè ordinatá. In hoc neminem diſſentire, ait Tannerus, idque docet S Bonau. *in 1.d.45.ad 7.*

184 Hinc inferunt ordinem eorundem actuum deſumendum à ſubordinatione obiectorum inter ſe, ſecundùm ordinem aliquem cauſalitatis, & dependentiæ; ita vt, quæ obiecta habent inter ſe hunc ordinem, ea quoque in diuinæ proceſſu conſultationis, in actibus Diuinæ voluntatis, rationis ordinem conſtituant. Ità ea omnium ſenſu tradunt Suarez *loco cit. in tertia, p.* Valentia *quæſtione 19. p. 5.* Vaſquez *capite quinto, numero* 16. Tannerus *numero* 11. Cùm enim ex parte diuinorum actuum non ſit pluralitas, non poteſt ordo aliquis reperiri. Ergo debet ſumi ordo è ſolis obiectis, non materialiter ſumptis; ſed quatenus inter ſe ſubordinata ſunt, vel à Diuina voluntate ordinantur, vt aiunt Suarez, Vaſquez, Ribas, & Herize.

185 CVM autem triplex ſubordinatio inter obiecta poſſit dari. Prima, ſecundùm ordinem dignitatis. Secunda, ſecundùm ordinem durationis. Tertia, ſecundùm ordinem cauſalitatis, & dependentiæ. Et duo primi ordines nil conducant; ideò poteſt Deus ſumere pro arbitrio priora dignitate, ſeu digniora, & priora tempore, & ea ad poſteriora ordinare. Sumendus autem maximè eſt ordo cauſalitatis, & dependentiæ, vt oſtendam, *3.p.tract.1.d.3.q.1.*

186 CVM autem in proceſſu ordinato cuiuſque conſultationis duplex ordo conſtituatur, alter intentionis: alter executionis, qui ordine contrario ità ſe habent, vt quod eſt primum in intentione, ſit vltimum in executione, & è contra, vt docent cum D Bonau. paſſim Suarez, Arrubal, Aluarez, Salazar, Gonzales, Ribas, Arriaga, Tanner. Vaſquez, Herize,

Granadus,

Granadus, Moncæus, & communiter Philoſophi in Ethicis: Quapropter finis, qui primus in artificis intentione fuit, eſt vltimus in executione: Media autem, quæ ſunt poſteriora in intentione, ſunt priora in executione. Et inter hæc, quantò fini ſunt propinquiora; tantò priùs ſunt intenta cæteris, & poſteriùs conquiſita. Exemplo fit euidens. In conſultatione medica, primò intenditur ſanitas; deinde medicinæ potio; mox compoſitio eius; deinde ob id conquiſitio herbarum, pulυerum, &c. Ordine verò executionis primò conquerentur herbæ; mox componitur pharmacum; deinde propinatur, & hinc ſanitas. Hic eſt bonus ordo, vt ait Seraphicus 2.*d*.3. *quæſtione prima*, *& ſequent.* Hunc ſeruat Deus, vt ait S. D. 2.*d*.1.*p*.2. *quæſtione primo*, *artic*.2. & *in* 1. *d*.44. 45. 56.

187 Vbi aduertit Tannerus cum Vaſquez, cauſam efficientem vt ſic, comparari ad effectum, vt medium ad finem, atque adeò hac ratione priùs in intentione eſſe effectum, quàm cauſam, ſaltem qua talis eſt, & ſecundùm ſuam efficientiam; non tamen ità comparari ſubiectum ad formam accidentalem, quæ ipſi ſubiecto inhæret; cùm potiùs ſubiectum ſe habeat vt finis (*cui*) reſpectu accidentis, quod proinde ordine intentionis non poteſt eſſe volitum priùs, quàm ſubiectum. Secùs ſe res habet in meritis, & præmio, quòd re vera finis rationem habet reſpectu accipientis præmium; priùs proinde ſecundùm ordinem intentionis volitum, non ab ipſo ſolùm; ſed ab ipſo Deo conferente præmium.

188 In mediis autem ad finem ordinatis, non eſſe attendendum ordinem propinquitatis ad finem, ſecundùm rationem entitatis, aut dignitatis; ſed ſecundùm rationem efficaciæ, per quam vnum medium propiùs conducit ad finem; aſſerunt Caietanus, & Thomiſtæ omnes 3.*p*. *quæſtione* 1. *art*.3. Vaſquez *numero* 23. & Tanner *numero* 15. qui dicit, eſſe communem Doctorum ſententiam; etſi in contrarium citetur Scotus 3. *d*.7. *quæſtione* 3. & *d*.19. *quæſtione* 1. Ratio ſumitur ex dictis, quia totus ordo intentionis, fundatur in ordine cauſalitatis; non dignitatis, & hoc, etiamſi aliquando variet in rebus naturalibus, in quibus digniora meliùs conducunt ad finem naturalem; tamen hoc eſt per accidens; neque ſemper verum, quia poteſt gemma, cùm integra eſt, ratione ſuæ figuræ, quantitatis, &c. multò pretioſior eſſe, quàm cùm eſt in pulυerem contrita; atque ad medicinam præparata; cùm tamen hac ratione propiùs ad finem ſanitatis conducat, vt notat etiam Ribas *cap*.1. vbi exempla parum apta ponit.

189 Addit Tannerus *numero* 16. poſſe aliquid, quod vna ratione eſt poſterius in intentione, quia remotius à fine; tamen alia ratione eſſe priùs, vtpotè conducens ad eundem, vel alium finem. Ità Incarnatio ordinata ad Sacramenta exhibenda, alio reſpectu eſt prior Sacramentis, ex parte intenti Chriſti.

Deinde aſſerunt Tannerus, *n*.20. Bellarm. *l*.2. *de gratia*, *& lib.arb.c*.14. Suarez *hic*, *l*.1.*c*.8. *n*.50. *& l*.3. *de auxil.c*.18.*n*.4 cum aliis multis relatis, *num*.186. qui defendunt prædeſtinationem ad gloriam, ante præuiſionem meritorum, dari etiam in voluntate ipſa ordinem executionis. Sed de hoc *d*.21.*q*.7. cum Vaſquez *relato*, *num.cit*.

190 Circa prædicta occurrunt mihi aliqua dubia. Et primò; tametſi nos ſumeremus media efficaciora ſimpliciter eligi, vt ordinatè operemur; tamen Deum ex altiori libertate, & operandi ratione, non ſemper efficaciora ſimpliciter ad eum finem inſumere: ſic ad intentam ſalutem Petri, non adhibet gratiam ſingularem, & exquiſitam; ſed ordinariam, non confirmando in gratia, non miraculoſa auxilia præſtando. Et hoc aliqu liter attigère Suarez *l.c.* Medina 3.*p*.*q*.1. *ar*.3. Arriaga *d*.24. *ſec*.9.*ſubſec*.4 *à num*.72. cum Caietano ibidem. Neque tamen ob id deficiet ordo Diuinæ voluntatis, vt putat Faber, vult enim Deus, non ordine naturæ, neque neceſſario, ſed libero ad ſuæ præſcriptum prouidentiæ. Et hoc præclarè videtur docere S. Bonau. *in* 2. *d*.23. *q*.1. *&* 2. vbi diſſerit; Cur Deus, volens primum hominem ſaluum fieri non præſeruauerit illum efficaciter à tentationis conſenſu; nempè, vt cum efficacia Diuinæ prouidentiæ ſeruaretur etiam ſuauitatis, ſinendo, omnes res motus proprios agere, vt ait D. Aug. 7. *de ciu. Dei*. Erit igitur tale medium magis ſuaue connaturalitati arbitrij, non autem efficaciùs ad ſalutem, quę eſt finis.

Attamen D. Bonau. dubium ſoluit. Cùm enim finis intentus ſalutis debeat regi, non modò à potentia, ſed à ſapientia, à iuſtitia, & prouidentia; erunt illa media efficaciora ad eum finem, ità affectum, ſuauiter obtinendum: vt latè *allegatis locis* ediſſerit Seraphicus. Vnde illam regulam ſuprà docet de electione mediorum. 191

Secundò aduerto circa id, quòd ordo ſumendus ſit tantùm ex parte obiectorum, non benè Vaſquez ſibi conſtare. Nam *c*.1. reprehendit Caietanum, eò quòd dixit, poſſe hinc aſſignari rationem Diuinæ voluntatis paſſiuè, non autem actiuè ſumptæ. Ratio Vaſquij eſt; quia idem eſt aliquid eſſe Deo volitum propter aliud: & Deum actiuè velle vnum propter aliud; ſicut idem eſt, rem aliquam intelligi à me propter aliam: & me intelligere actiuè vnam rem propter aliam. Ità ego ſimile argumentum iacio. Datur ratio paſſiuè actuum Diuinæ voluntatis ex parte obiectorum, quatenus vnus effectus diuinæ voluntatis eſt ratio alterius: Ergo cùm illi effectus ita ſæpè ſe habeant, vt ſequantur; non quia vnus cauſet alterum; ſed quatenus vnus inclinat Diuinam voluntatem ad alterum dandum, qualis eſt diſpoſitio ad dandam iuſtificationem; ſequitur actum, quo dat diſpoſitionem, eſſe alterius rationem, quo dat iuſtificationem. Hoc clariùs elucet in inflictione pænarum, quas Deus non vult à ſe, ſed à nobis prouocatus, vt ait S. Damaſcenus *l*.2. *de fide c*.29. *&* 30. Itaque cùm Deus priùs velit Iudam ſaluum, determinatur ab eius obſtinatione; vt illum velit perdere. Neque hoc repugnat Diuinæ perfectioni. Ita enim cognitio vnius rei eſt Deo ratio cognoſcendi aliud. Decretum eſt ratio cognoſcendi futura entia; ſic enim Deus præſcit futura; quia vult illa, vt ait D. Hilarius *l*.9. *de Trin*. Ità ergo, vna res volita à Deo, eſt ratio obiectiua voluntatis volendi aliud. 192 193

Clariùs oſtenditur è Seraphico *in* 2.*d.c*. Nam in ordinatione actuum voluntatis Diuinæ ad ſalutem hominis promouendam, vnus, Verbi gratia, promouetur à miſericordia, putà vocare Iudam: Hic verò actus ita à iuſtitia temperatur, vt gratiam vlteriorem renuenti primam, non addat. Sic ex ſuppoſitione vnius procedιtur ad alteram conditionem volitionis, vt notat Suar. *l*.2. *de præd.cap*.22. qui hæc docet cum D.T. *q*.19. *ad* 3. & 1. *contra.g.c*.8. *ad* quartam rationem, & *c*.86. vbi Ferrar. Capreol. 1.*d*.41.*q*.1.*art*.2. Durand. *q*.2.*n*.5. Gabr *q vn.* initio, Greg. *q*.1.*art*.2. Marſil. *q*.41.*art*.1. Alenſ. *p.p q*.28. *m*.3 *art*.3. Itaque fateor quidem cum Arriaga, ex parte obiectorum oriri, vt vnum ſit ratio alterius; attamen ſentio, vnum eſſe rationem obiectiuam Diuinæ voluntatis, quæ licèt vno ſimpliciſſimo actu velit, vnum eſſe propter aliud, aut eſſe diſpoſitionem ad aliud; tamen ità cauſalitas vnius effectus reſpectu alterius non eſt, niſi media voluntate Diuina, inclinando illam ad ta- 194

195 lem effectum, Verbi gratia, oratio cauſat rem poſtulatam, mouendo Deum ad concedendum; vt dicitur Ioſue 10. *Obediente Deo voci hominis.* Sic & petens eleemoſynam eatenus cauſat clementiam, quatenus mouet dantis voluntatem. Ità eam explicat D.T. 22. *quæſt.* 83. *art.* 1.

Poteſt autem Deus vnico reali ſimpliciſſimo actu hæc omnia, ſecundùm rationem, diuersè ordinare, dum à ſapientia regitur; vt hoc ad illud ordinet; & hoc propter aliud facere velit ex diuerſis motiuis miſericordiæ, vel iuſtitiæ, vt dicebat Seraphicus: quæ omnia fieri nequeunt, niſi conſideratis in obiectis variis conditionibus, & rationibus eorum, quæ hunc, vel illum modum voluntatis poſtulent.

196 Circa illam quoque regulam. *Priùs volitum eſſe ſubiectum, quam formam.* Obſeruo, non omninò eſſe verum, ſi forma ſit finis intentus, Verbi gratia, Deus voluit priùs vnionem hypoſtaticum; quàm naturam humanam indiuiduam, in qua fieret; cuius illa forma eſt finis, non abſtractè ſumpta (in quo deceptus eſt Vaſquez) ſed vt in ſubiecto illo, & ita priùs eſt volita cum ſubiecto; quam ſubiectum ſit volitum ſolitariè; quia volens vnionem hypoſtaticam; quæ eſt maxima communicatio Diuinæ bonitatis efficaciſſima ad finem Diuinæ gloriæ, decreuit condere naturam humanam aptam. Ita S.Bonau. *in* 2. *d.* 23. *q.* 2. *in corp.* & *in* 3. *d.* 1. *art.* 2. *q.* 2. *ad* 5. quem multi ſequuntur Recentiores apud Vaſquez.

197 Ita igitur Seraphicus *in* 3. ſoluit argumentum, quod ſibi adaptauit Scotus. Si Adamo non peccante, non eſſet venturus Filius Dei; ſequeretur, Chriſtum eſſe bonum occaſionatum.

Reſpondet D.Bonau. negando ſequelam, quia Deus ideò fecit hominem, quia ſe recuperaturum cognouit. Et ideò principaliùs in intentione fuit reparatio lapſi, quàm conditio, ſeu creatio eius ad lapſum poſſibilis. Itaque creauit, vt bonitatem vnionis communicaret illi.

198 Neque id repugnat his, quæ dixit S.Bonau. *d.* 45. *dub.* 3. creationem non habere aliam cauſam, quàm diuinam voluntatem: Nam in hoc non habet cauſam, cur potiùs hunc, quàm alium mundum condiderit; at vero cur mundũ hunc creauerit cum natura rationali, habet hunc finem communicationis Diuinæ bonitatis ſupremæ per vnionem hypoſtaticam Verbi ad redemptionem; ſuppoſito quòd natura humana laberetur, ſicut præuiſa erat lapſura, ſi crearetur; vt docet Seraphicus *d.* 41. *q.* 2. *arg. vlt. addita ſolut.* Vel dic, non habere quidem creationem cauſam aliam motiuam efficienter Diuinæ voluntatis; habuiſſe tamen finalem, ideſt, gloriam ſuam, & Incarnationem.

Vaſquez concedit, formam, quæ habet rationem finis, volitam eſſe ſimul cum ſubiecto, non ante illud. Notat verò, ſubiectum, puta hominem, non eſſe medium reſpectu illius formæ, ideſt, gratiæ.

199 Enim verò, cùm, ſecundùm Vaſquez, tam humanitas, quàm vnionis hypoſtaticæ gratia ordinetur ad gloriam Dei manifeſtandam, vt etiam docet S.Bonau. *in* 2. *d.* 23. *cit.* & ad Diuinam bonitatem; neutra autem ſit finis alterius; ſequitur, eam eſſe priorem in intentione, quæ eſt vicinior fini; talis autem eſt vnio hypoſtatica reſpectu nudæ humanitatis. Ideò ſequitur, priùs volitam vnionem hypoſtaticam, quàm naturam vniendam, vt docebat Seraphicus Doctor *in* 3. *loco cit.*

Malè etiam Vaſquez è ſuis fundamentis aſſerit, formam creatam, quæ eſt finis cuius gratia, à Deo ordinari ad ſubiectum, tanquam ad finem (*cui*) puta humanitati; nam ipſe initio capitis negat, creaturam poſſe dici finem creaturæ alterius, ſed ipſam bonitatem ſolam eſſe finem omnium, *cuius gratia*; & conſequenter ſolùm Deum eſſe finem. *Cui.*

Poteſt & aliquid alteri comparari, tanquam medium, 200
ad conſecutionem illius; ſed medium poteſt eſſe morale, & per modum meriti; & tunc dat Vaſquez hanc regulam. Tametſi in intentione Dei ſit priùs id, cui merita noſtra comparantur, vt media; nihilominus non eſt priùs in intentione peculiari, & efficaci, quam præuideantur merita; ſed in intentione quadam ſimplicis complacentiæ inefficaci, qua placet Deo, quemlibet hominem conſequi ſuis meritis id, quod omnibus, vt finem proponit. Ratio eſt. Quia datur propter aliud, tanquam propter meritum; datur intuitu illius. Ergò cùm datio in tempore fiat intuitu meritorum in æternitate, voluntas dandi non poteſt eſſe ex ſe abſoluta, ſed intuitu etiam meritorum, vt arguit Vaſquez *numero* 22. cum D. Bonauent. & latè oſtendam *d.* 11. *quæſt.* 7.

Tertiò, vnum alteri comparatur, vt cauſa phy- 201
ſica illius, propter quod eſſe dicitur. Omnis enim cauſa propter ſuum effectum videtur eſſe. Sed vt regulam inſtantium circa hæc conſtituat Vaſquez diſtinguit: Aut enim effectus aliquis cauſæ phyſicæ pendet ex libero arbitrio, aut eſt omninò naturalis. Exemplum prioris. Datur homini vocatio, vt reſ-
pondeat. In his eſt regula hæc: Quamuis effectus, ad 202
quem cauſa ordinatur per modum finis, debeat eſſe prior in intentione efficaci, & omninò determinata; tamen affectu ſimplici complacentiæ, Verbi gratiâ, non priùs decreuit efficaciter Deus Petrum vocare, quàm ipſum viderit reſponſurum vocationi; aliàs enim ſine illo decerneret conſenſum voluntatis. Hæc regula eſt contra prædeterminationes Thomiſtarum, quam carpit Nazarius *ad quæſtionem* 12. *artic.* 5. *controu.* 1. *in calce*, & *quæſtione* 23. *artic.* 4. diffuſis controuerſiis: nos autem hanc regulam proſequemur 1.2. *trac.* 5. *d.* 1. *q.* 4.

Contra verò; vbi effectus eſt omninò naturalis, 203
priùs poteſt eſſe finis in intentione voluntate efficaci. Veluti cùm voluit Deus eſſe pluuiam, vt eſſet abundantia frumenti, poſſumus dicere; priùs in intentione fuiſſe abundantiam frumenti, quàm pluuiam; è contrà verò in executione, prior eſt pluuia, effectus enim ille eſt veluti medium magis propinquum fini, quem Deus vult, quàm ipſa pluuia.

Addit Tannerus *numero* 28. præter ordinem inten- 204
tionis, & executionis in mente Dei, addi tertium ordinem, qui dicitur independentiæ cuiuſdam, ſiue ſecundùm ſubſiſtendi conſequentiam. Quomodo priùs illud volumus, quod volumus independenter ab altero, ita vt etiamſi aliud non eſſet; tamen adhuc iſtud vellemus. Ita Caietan. 3. *p. quæſtione* 1. *artic.* 3. Albert. *tom.* 1. *princ.* 6. *phil. coroll.* 1. Explicatur. Poteſt euenire, vt finem non velimus etiam ordinatè, niſi per vnum aliquod certum medium, Verbi gratia, ſanitate per pharmaca; non autem per vſtionem, ſectionem, &c. Quo caſu, tametſi finis ordine intentionis priùs ſit volitus, quàm deſignatum medium; non tamen ordine independentiæ: ſeu quoad ſubſiſtendi conſequentiam; cum potiùs hoc ordine ſimul vtrumque, finis ſcilicet, & medium illud, ſimul ſit volitum. Qua regula docent, Incarnationem ordine intentionis priùs à Deo volitam; quàm redemptionem hominum; & tamen Incarnationem non futuram, ſi homo non peccaſſet. Sed de hoc 3. *p. Trac.* 1 *q.* 3. *q.* 1.

Tandem colligit Tannerus, ordinem actuum in- 205
tellectus, & voluntatis Dei; ſupponit verò ante omnem actum voluntatis præire actum aliquem intellectus, quia nihil volitum, quin cognitum. Eſt igitur

tut hic otdo. Primò, eſt ſcientia naturalis, qua Deus ſeipſum comprehenſiuè cognoſcit. Secundò, amor naturalis erga ſeipſum. Tertiò, ſcientia naturalis iàm ſpeculatiua, quàm practica creaturarum, ſecundùm eſſe poſſibile. Quartò, amor naturalis complacentiæ in illas. Quintò, ſcientia media futurorum contingentium. Sextò, liberum decretum producendi hæc; non illa. Vltimò præſcientia, quæ eſt abſoluta ſcientia libera futurorum. In hac autem idem otdo proportionaliter ſeruandus, qui & in actibus voluntatis. Nam & decretis liberis ſcientia ſubſequens eodem ordine reſpondet.

Vasqvez *cap.* 6. refert, & refutat conſequenter opinionem Recentiotum quorundam dicentium, poſſe dari ordinem actuum Diuinæ voluntatis etiam ſine dependentia obiectorum; ſed ſola libera ordinatione vnius obiecti in aliud, ad quod re ipſa noo ordinetur. Probat, quia ſine mutatione retum inter ſe, non poſſumus varias otdinationes Diuinæ voluntatis colligere.

206 Seo laborat, vt reor, in æquiuoco. Nam aliud eſt, Deum conſtituere vnum otdinem rerum; & poſtea deſtruere, V. g. decernere, nos ſaluari per Chriſtum; & poſtea non ſaluari per eum, (vt Vaſqui) vtar exemplo) & tunc fateor, ſine mutatione retum, non mutari ordinem; alioqui deberet mutatio eſſe in Deo: aliud eſt, ordinem nouum à Deo conſtitui diſparatum, v. g. velle aliquid fieri per aliquam cauſam, quæ neque phyſicè neque moraliter ad eam ordinatur per otdinem liberum Dei, & tunc profectò facta mutatione io illa cauſa, quæ ordinatur lege ordinaria; illa res coodueet in ratione cauſæ ad effectum illum, ad quem ex ſe non ordinabatur, Deo id liberè
207 volente. Igitur ſecundum illam otdinationem, quam res ſortiuntur à Diuina libertate, poſſunt inſtantia in Diuinis decretis ordinari noſtro modu concipiendi, vt ſuprà. Ex quo ſequitur, quando obiecta ità ſe habent, neceſſariò debere priùs eſſe volitam rationem volendi; non è contra. Ità Morand. *tract.* 4. *quæſt.* 12. Dices ex Smiſing. *d.* 3. *quæſt.* 2. *num.* 30. Arriaga *d.* 24. *ſect.* 9. *ſubſect.* 2. *à num.* 72. Deus eſt liber. Ergo non pendet à rerum connexione.

Reſpondet Morand. è Seraphico, Deum poſſe ea velle eſſe; & velle non eſſe; attamen ſi vnam velit neceſſariò pendere ab alia, V. g. Ecclypſim Solis ab interpoſitione Lunæ; non poteſt quomodolibet velle. Plura apud Alarconem *d.* 3. *cap.* 6. Becanum *quæſt.* 10. iouenies.

QVÆSTIO VIII.

Quotuplex ſit Voluntas Dei.

{ D.Bonau d.45. art 3 q.1. D.Th. art.9.

Tametsi vna ſit voluntas Dei ſimpliciſſima, vt dixi *quæſt.* 1. attamen diuiditur in otdine ad obiecta; & ob attributionem multarum rerum ad Di-
208 uinam Voluntatem. Ideò Scriptura multas Dei voluntates aſſerit, vt notat D.Bonau. *fund.* 1. & Suarez *l.* 3. *de attrib. poſit. cap.* 8. Valentia *d.* 1. *quæſt.* 19. *p.* 2. Caſpenſ. *tract. de Volunt. Dei*, *d.* 7. *ſect.* 1. Ita Pſal. 102. *Notas fecit filiis Iſraël voluntates ſuas.* Pſal. 110. *Magna opera Domini, exquiſita in omnes voluntates eius.* Act. 13. *Qui faciet omnes voluntates meas.* Et ſexcentis aliis locis. Vide Trigoſium *quæſt.* 13. *art.* 5.

209 Celebris eſt primò illa diuiſio Voluntatis Dei, in Voluntatem *Beneplaciti*: & Voluntatem *Signi*. Voluntas Beneplaciti eſt ipſa inclinatio, vel propenſio Dei in obiectum à ſe cognitum, quæ propenſio propriè Voluntas Diuina nuncupatur. Voluntas autem ſigni vocatur illa, quæ apud nos eſt ſignum voluntatis Diuinæ, quod aſſolet eſſe ſignum, Deum id velle. Solet in exemplum afferri præceptum datum Abrahæ immolandi filium. Fuit ſignum Diuinæ voluntatis; cùm tamen non vellet Deus, Iſaacum efficaciter occidi; ibi tamen fuit etiam voluntas Beneplaciti, volens promptitudinem Abrahæ ad ſuum præceptum, vt aduertunt Marcus à Baudunio *q.* 19. *art.* 3. Ribas *tract.* 5. *d.* 10. cum D. Bunau. 1. *d.* 45. *dub.* 11. *litt.*

Hinc habes primò, Voluntatis Diuinæ diuiſio- 210
nem iſtam, eſſe analogicam. Nam voluntas ſola Beneplaciti eſt vera voluntas: Voluntas autem ſigni, ſolùm per habitudinem ad veram Dei voluntatem. Et quidem voluntas *Beneplaciti* complectitur totum velle Dei erga omnia obiecta creata, vt notat Suarez *loco cit. cum D.Bonau. hic.*

Habes ſecundò, ſigna non ſemper inferre volun- 211
tatem *Beneplaciti*, vt notat Caſpenſis *num.* 3. Vaſquez & alij cum Seraphico, contra aliquos. Id patet in caſu relato Abrahæ. Benè tamen ſigna illa indicant ſemper, Deum aliquid velle. Sic præcipiens Abrahæ immolationem, volebat promptam Abrahæ voluntatem exercere.

Hinc igitur ſoluitur ea quæſtio. An voluntas *ſigni* 212
formaliter ponat aliquem actum in Deo.

Reſpondetur enim negatiuè, ex D.Bonau. *d.* 46. *art.* 3. *quæſt.* 2. quem ſic exponit Trigoſius *quæſt.* 13. *art.* 6. *dub.* 1. Sic S. Thomas *quæſt.* 19. *art.* 11. Alenſis *p.* 1. *quæſt.* 36. *m.* 1.

Probatvr à D.Bonau. *quæſt. hac, ad* 3. Quia ſig- 213
num externum alicuius rei non eſt ipſa res realiter, ſed tropicè per Metonymiam ſignorum. Igitur præceptum datum Abrahæ, quod fuit ſignum apparens beneplaciti, fuit voluntas ſolùm Metonymica, non eſt autem Metonymia reſpectu ipſorum ſignorum, quæ propriè Deus vult; ſed reſpectu ſignificati.

Secvnda inſignis diuinæ voluntatis diuiſio eſt, 214
quam primus tradidit S. Chryſoſt. *homil.* 1. *in Epheſ. epiſt.* & poſt eum Damaſcenus 2. *de fide, cap.* 29. ad ea verba, 1. Tim. 2. *Deus vult omnes homines ſaluos fieri*; in voluntatem *antecedentem*, & *conſequentem*.

Varij ſunt io hac diſtinctione enodanda Scholaſtici.

Prima ſententia eſt, voluntatem antecedentem 215
eſſe merè ſignum Diuinæ voluntatis; voluntatem verò conſequentem eſſe beneplaciti. Ità docet Bannes *quæſt.* 19. *art.* 6. Zumel. *ibi d.* 1. eamque omnium commodiſſimam (abſtracto fundamento, quo nititur,) aſſerit Valentia, *quæſt.* 19. *p.* 2. vbi pro ea refert D. Bonau. 1. *d.* 47. Scotum, Ocham, Gabrielem, Hernæum *d.* 46. quibus Vaſquez *d.* 83. addit Alenſem *p.* 1. *quæſt.* 36. *m.* 2. Maiorem 1. *d.* 26. Marſil. *quæſt.* 45. Driedonem *de concord. lib. arb. & prædeſt. p.* 1. *cap* 4. Caietanum *ad locum cit. Apoſtoli*, D. Bonau. verò allegat *d.* 46. *quæſt.* 1. eamque probabilem cenſet Trigoſius *quæſt.* 13. *art.* 6. *dub.* 2. ſed eam detorquet, vt voluntas *ſigni* ſit velleitas quædam Dei, quæ exponitur per *Vellem*.

Miror, Seraphicum pro hac ſententia adduci, qui 216
eam refellit *d.* 46. *quæſt.* 1 & probat duobus primis argumentis, voluntatem antecedentem eſſe *beneplaciti*. Et in *corpore* aſſerit, ea argumenta rectè hoc probare. Et ibidem docet, Deum velle omnes homines ſaluos fieri voluntate antecedente; non voluntate *ſigni*, vt notat Trigoſius *quæſt.* 13. *loc. cit. d.* 47. *quæſt.* 1. *corp. Notandum* (ait) *quod ſecundum Damaſcenum*

Voluntas beneplaciti *eſt duplex, ideſt antecedens, ſiue conditionalis, qua vult, in quantum in ſe eſt, omnium ſalutem; & abſoluta, ſiue conſequens, qua determinatè vult aliquid, quod nouit, certitudinaliter euenire.* Imò S. D. in hac *quæſt.* hanc ſententiam refellit eiſdem mediis, quibus nititur Vaſquez, vt dicam in aſſertione. Ità ſentit etiam *l.1. compend. Theol. cap.32.*

217 Secvnoa ſententia eſt, voluntatem antecedentem eſſe eam, quæ uou terminatur ad rem aliquam in ſe; ſed ad aliam antecedentem, ex qua ſufficienter poteſt altera fieri, licèt fortaſſe impedienda ſit, ne fiat. Pro hac Suarez *l.3. de attrib. poſit.* allegat Durandum 1. *d.47. quæſt.1. num.5.* D. Bonauenturam *quæſt.1.* Heruæum *d.46. quæſt.2.* Gabrielem *quæſt.1.* & alios, quos retulit *in relect.1. d.1. ſect.2. num.8.* Sic Deus dicitur, velle reprobos ſaluari, quia dat eis gratiam, in qua velut antecedenter continetur gloria; licèt non velit gloriam. Eſt opinio Duardi *tr.4. quæſt.11.*

218 Sed neque hanc ſententiam eſſe D. Bonau. oſtendo. Nam eam refellit *d.46. quæſt.1. fund.1. addita reſolutione*, eodem modo, quo nititur Suarez *num.5.* Qnia enim voluntas antecedens vera eſt, non Metaphorica ſigni, vt ratione eius dicatur Deus velle aliquid, V.g. ſalutem omnium hominum 1. *Tim.2.* neceſſe eſt, vt talis volnntas ſit aliquo modo terminata ad rem volitam in ſeipſa. Igitur voluntas antecedens ſecundùm D. Bonau. eſt, quæ vult, quantùm eſt in ſe, ipſam ſalutem, & gloriam, & ideò dat media, nec deeſt fini, quantùm eſt ex ſe, quod docet etiam Suarez *num.9.* qui fallitur allegans Seraphicum mutilum; non enim S. Bonau. vult, eam eſſe voluntatem Dei antecedentem, quæ vult tantùm media, vt ipſe Suarez refert; & non vult finem; ſed eam, quæ vult etiam, quantùm eſt ex ſe. Et ideò præparat omnibus media. Implicat enim, Deum velle efficaciter media ſufficientia nobis ad finem vitæ æternæ; niſi eis velit etiam finem vitæ æternæ, non enim poſſet amari medium, vt medium; ſeu vt vtile ad finem, quin præcedat amor finis, cuius gratia amatur, vt notat Caſpenſis *d.8. ſect.2.* Ergo volitio diuina ſupradicta, non tantùm terminatur ad auxilia ſufficientia; ſed etiam ad ſalutem æternam; & hoc exprimit Seraphicus dicens. *Velle ergo hominem antecedenter ſaluare, eſt ordinatum ad ſalutem facere, & volenti peruenire; non deeſſe.* Deceptus eſt autem Suarez; quia S.D. ait, voluntatem antecedentem non connotare effectum, ideſt efficaciter, ex voluntate acceptantium, vel recuſantium media. Quæ cum ità ſint malè adducitur S. Bonau. à Suarez.

219 Alii diſtingunt ſic. Voluntas antecedens eſt, quâ Deus vult ante omnia merita, ſeu cauſas, & occaſiones; habens pro ratione ſolam ſuam voluntatem, vel liberalitatem. Voluntas verò conſequens eſt; qua Deus vult conſequenter ad noſtra merita, ſeu alias cauſas. Ita videntur exponere Chryſoſt. & Damaſcenus, adductus à D. Bonau. *d.46. quæſt 1. fund.2.* Non dubio quidem, quin in Deo reperiantur illæ duæ voluntates. Nam voluntas creandi mundum antecedens, eſt nixa voluntate ſola Dei gratis, modo dicto *quæſt. præced.* conſequens verò, erit voluntas aliquem damnandi, præuiſis demeritis, vt notat Suar. *num.6.* poſt D.Bonau. *d.45. dub.3. litt.* vt dixi *quæſt.6.* Ea verò vtemur & nos.

220 Non videtur tamen modus aptus ad explicandam adæquatè hanc diſtinctionem; neque ità allegari Patres à D. Bonau. Nam voluntatem antecedentem aſſerunt eam, de qua loquitur Apoſtolus loc. cit. *Deus vult omnes homines ſaluos fieri*; at ibi Apoſtolus aſſignat huius voluntatis cauſam, ideſt mortem Chriſti, & Redemptionem, dicens: *Vnus enim eſt mediator Dei, & hominum, homo Chriſtus Ieſus, qui dedit ſemetipſum redemptionem pro omnibus.* Ergo volnntas antecedens non ſemper omnem cauſam volitionis antecedit. Poteſt tamen dici antecedens reſpectu noſtri; & quia ad noſtra opera diſtinguenda dirigitur. Ideò eâ etiam eo ſenſu vtar.

Qvarta igitur ſententia eſt D. Bonau. Voluntatem antecedentem eſſe quidem *beneplaciti*, & ſimplicis complacentiæ, non connotantem effectum, & ideò inefficacem; voluntatem verò conſeqnentem ſemper eſſe efficacem, & connotare effectum. Idem ſentiunt D.Th. *quæſt.19. art.6. ad 1.* Richard. 1. *d.46. quæſt.1.* Corduba *l. quæſtione quæſt.56.* Suarez *l.3. de attrib. poſit. cap.8.* Vaſquez *d.83. cap.4.* Caſpenſis *tract. de voluntate Dei, d.7. ſect.1.* Trigoſ. *quæſt.14. art.1. dub.1. & 2.* Nazar. *quæſt.19. art.6. contro.1.* Tanner. *d.2. quæſt.10. dub.4.* Marcua ſuprà, Cumelan. *quæſt.19. art.7.* cum D.Bonau. Ludouicus Ribas *tract.5. d.1. cap.2.* 221

Opponvnt autem Molina, Suarez, Ribas, aliique primò, S. Damaſcenum, diuerſo modo, ponere voluntatem antecedentem; qnia illam aſſerit ſæpè efficacem. Atque talem non nunquam eſſe probant Suarez, & Vaſquez; qnia vocationes efficaces, & prædeſtinationes antecedentes ſunt. Similiter voluntas creandi mundum anteceſſit omnem præuiſionem; cùm ſola Dei voluntate ſit decretum ad eſſe vniuerſum.

Reſpondetur cum D. Bonau. & Nazario, D. Damaſcenum non aſſerere voluntatem antecedentem efficacem. Addo, ad ſummum poſſe fieri in aliquibus efficacem, vt in electis; eſto offerat Damaſcenus exemplum inſinuans efficaciam; Quod ſi D. Thom. & D. Bonau. ſolam diuiſionem voluntatis Diuinæ à S.Damaſceno hauſêre; non autem modum; perperam à Gregorio Ariminenſi carpuntur. 222

Qvoao prædeſtinationes, &c. dico cum D.Th. vt notat Suarez, & Nazarius, eas eſſe voluntates, conſequentes ea omnia, quæ conſideranda ſunt. Et hoc magis reſplendet in via D. Bonau. qui vult, prædeſtinationem fieri ex motiuis. Idem de vocatione docet; cùm de prædeſt. & de primo effectu eius idem ſit dicendum. Similiter, & mundus hic decretus eſt voluntate conſequenti, vt ait D. Bonauent. 3. *diſt.* 1. *artic.* 2. *quæſtione* 1. *ad* 5. quia ideò fecit mundum hunc, quia volebat redimere hominem, oſtendere bonitatem, &c. Aduerte autem, hanc voluntatum diſtinctionem non ad omnia excogitatam; ſed ad ſolum negotium ſalutis enodandum, vt dicam *quæſt. ſeq.* Exponendo locum Apoſtoli 1. *Tim.2.* Vide Caſpenſem *tract. de Volunt. Dei, num.8.* vbi exempla refert huius *diſt.* puta in Iudice, qui voluntate antecedenti vult omnes ciues ſaluos; ſed conſequente, aliquos mori ob delicta. 223

Assaro primò, voluntatem antecedentem non eſſe meram voluntatem *ſigni*, neque ſolùm mediorum. 224

Probatvr primum à Seraphico *d.46. quæſt.1. fund.1.* ex prima Tim.2. *Deus vult omnes homines ſaluos fieri*, quæ eſt voluntas non conſequens, vt patet; ſed antecedens, vt docet Damaſcenus 2. *de fide, cap.3.* ſed hæc non eſt voluntate *ſigni* volita; nam hæc eſt aliquod inditium Diuinæ voluntatis de re, quam ſæpè non vult; hìc autem non exprimitur talis effectus, vel tale ſignum. Nam talia ſigna ſunt quinque: Præceptum, Prohibitio, Permiſſio, Conſilium, & Impletio, vt dicam *quæſt.11.* Sed voluntas Dei expreſſa *hic* ab Apoſtolo non eſt aliquod ex his; Ergo. Hinc habes, quàm malè Vaſquez alleget Seraphicum cum prima ſententia.

Probatur

225 Probatur ſecundum à D.Bonau. *hic, in corpore*, & *d.47. quæſt.1.* Voluntas antecedens eſt ea, qua Deus, quantùm eſt ex ſe, vult omnes ſaluos fieri, quod aſſequerentur omnes, ſi vellent. Ergo ex parte Dei eſt voluntas beneplaciti circa finem. Probatur antecedens. Nam Deus dat omnia media neceſſaria ad ſalutem conſequendam. Ergo eam ſalutem vult, quia ordinatè volens, non vult media, qui non vult finem. Hac ratione vtitur Vaſquez *num.11.* Arriaga *d.25. ſect 3. ſubſect.4.*

Ex his habes, malè Suarez inurere S.Bonau. quod velit eam voluntatem ferri in media; non in finem.

226 Asserendvm ſecundò, eam voluntatem eſſe inefficacem ſemper.

Probatvr à D. Bonau. quia alioqui confunderetur cum voluntate conſequenti, à qua diuiditur à D. Damaſceno. Ex quo deducit S.D. mentem D. Damaſceni non eſſe, vt antecedens etiam efficax ſit.

QVÆSTIO IX.

An Deus voluntate Beneplaciti *velit omnes ſaluos fieri.*

{ D Bonau.d 46.q.1.
D.Th.q 19.art.6.

227 Premit huius rei deciſio ad Prædeſtinationis declarationem, vt oſtendam *d.21.quæſt.7.* & 12.Ideò accuratè de eâ agendum. Primò exiſtimant aliqui Deum voluntate *meri ſigni* optare omnium ſalutem Vaſquez *d.83.cap.1.* adducit Alenſem *p.1. quæſt.36. m.2.* Seraphicum *hic*, Scotum *quæſt. vn. ad 1.* vt oſtendi *q.8.* & oſtendam.

Alii voluntatem ſanè Dei admittunt *beneplaciti*, ſed eſſe reſtrictam volunt, iuxtà varias D.Auguſtini expoſitiones: Prima eſt Deum velle omnes, qui ſaluantur, ſaluare. Sic *epiſt.107. Enchir.cap.97.* & 103. *l.4. cont. Iul. cap.8. l. de præd. ſanct. cap.8.* Ità dicitur magiſter docere omnes pueros vrbis, nempè omnes, qui docentur.

228 Secvnda eſt, velle omnes, nempè non ſingulos generum indiuiduos; ſed genera ſingulorum, ſeu aliquos de omni genere, Græcis, Latinis, Barbaris, ſicuti dicuntur omnia animalia fuiſſe in arca Noë *Enchir.cap.103. l. de corrept.* & *gratia, cap.14.*

229 Tertia, Deum velle, per nos, omnes Saluari, nempe vt cooperemur omnium ſaluti orationibus, hortationibus, &c. ità *l. de corrept.* & *gr. cap.15. l. de bono perſev. cap.21.* & 23.

Primam afferunt, & amplectuntur D.Fulgent. *l.de Incar.* & *grat. l.2. de remiſſ. pecc. cap.2.* Proſp. *de lib. arb.* & *ad capita Gallorum, obiect.4.* Anſel. & Beda *in locum Pauli ad Timot.* & à Scholaſticis recipitur *in 1. d. 46.* poſt Magiſt. vbi Albert. Alenſ. D. Bonau. D.Th. Rich. Dur. Greg. & videtur Auguſtino grata, quippè eam ſæpè tradat.

230 Secvndam approbant iidem ferè Patres, & Doctores.

Tertiam probat Hugo Victor. *ſum. tractat. 1. cap.13.* & ipſe D.Auguſt. 22. *de ciu. cap.1.* & *de corr.* & *gratia cap.16.*

Omnes hos ſenſus reſtrictiuos approbat Remigius cum Eccl. Lugdun. *l. de tribus epiſt.* & *l. de tenenda ver.ſcriptu*, *Cenſ. in conſ.3.cap.Conuent.Cariſiaci*; Guiliel. Eſtius *in 1. ſent. d.46.* & *comment. in 1. ad Tim. cap.2.* Hugo Card. & Beda, qui alium ſenſum voluntatis generalis non admittunt. Sequuntur Greg. *1. d.46. quæſt.1. art.1.* Aluar. *l.5. de Aux. d.33.* Eſtius *in 1 Timot.* & *1. d. 46.* Cæſar Vaninus *exercit. 16.* Maldonat. *in cap.1.* Ioan. Vulp. *d.33. art.10.* Vaſquez *d.83. cap.1.* Macedo *in Cortina in ſcrinio S. Aug. De clau. Petri* & *Collat.12. differ.2. ſect.5.* alios adducens, & quotquot dicunt *quæſt.5.* & 6. *d.22.* non dari omnibus auxilia ſufficientia. Hi ſuſtinent (ait Maced.) Deum non habuiſſe hanc voluntatem vniuerſalem ſalutis omnium.

Enim vero hinc bonam in Deo voluntatem aſtruunt D. Bonau. *hi.* cum D.Thom. præcipuè *ad 1.* Caiet. ſupponens. Ioan. à S Th. *d.10.* Salmantic. *tr.4. de vol. Dei, d. 9. dub.2.* & alij Thomiſtæ Scotus 1. *d 46. quæſt. vn.* vbi Lichet. Faber *d.48. cap.5.* Smiſing. *tract.3. d.5. quæſt.2.* Maſtrius *1.d.5. quæſt.1.* adducens Seraphicum. Scotus *in cap.9.* ad Rom. Catharin. *de præd.* Molin. *quæſt.19. art.6. d.1.* Ribas *tract 5. d.2. cap.1.* Suar. *de præd. l.4 cap.2.* Vaſquez *d.88. cap.2.* Valent. *quæſt.19. p.2.* cum Dur. *d 47.* & Carthuſ. *d 46.* & aliis, quos refert, ſequens Tanner. *d.2. quæſt 10. dub.4.* Faſol. *quæſt.19. art 6. d.1.* Amicus *d.16. ſect.1.* Arriag. *d.2. ſect.3. ſubſect.3.* Turrian *opuſc.5. d.4.* Auerſa *p.1. quæſt 23. ſect.2.* Lezan. *t.1. tract.4. d.9. quæſt.4.* Pernot. *l.5. Propug. cap.10.* Ruiz *de vol. Dei, d.19. ſect.8.* Alarcon. *d.6. cap.3.* Perez de Prun. *d.1. cap.5. quæſt.6.* Bellar. *l.2. de gr.* & *lib arb. cap.3.* & 8. Annatus in *Auguſtino vindicato l.2. cap.4* & 5. Anton. Moraines *diſp.25.* & 26. Thomas Auguſtinus in *ſua defenſ. l.2. cap.16.* & alij apud iſtos. Eam probabilem ait Bannes *art.6.* Zumel. *d.2.* apud Nazar. *quæſt.19. art.6. contr.1.* nobiſcum aſſerens cum aliis, quos referam *d.21. quæſt.7.* 231

Est autem D. Auguſtini ſenſus pluribus locis apud Theologos relatis. Primus eſt *l.1. de Geneſ. ad l. c.3. addito cap.10.* Sed ibi non reperitur. Vnus ſit inſtar omnium *l. de ſpir.* & *litt. cap.33.* quo vtuntur allegati, & Antagoniſtæ Ianſenij: *Vult autem Deus omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire; non ſic tamen, vt iis adimat liberum arbitrium, quo benè, vel malè vtentes iuſtiſſimè iudicentur.* 232

Reſpondet Macedo, *Scrinio S. Auguſt. cap.13.* & *hic, ſect.5.* hoc dictum repeti à D. Auguſt. obiectum à Semipelagianis, quippè cum eo connexum, de quo agebatur; ità de eo nihil definire, cùm aliis locis declaraſſet reſtrictum, & ità etiam *hic* ſtringit ad adultos fideles. Quare ait, nos hinc nihil proficere.

At nobis fauere oſtendo. Agit quæſtionem de initio ſalutis, vnde ſit; & arguit: *Si dono Dei, cur non omnibus, cùm omnes homines velit ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* En hìc includuntur ex profeſſo Infideles, vt mox declarat, includuntur paruuli, quibus neceſſaria eſt fides infuſa, & reddit rationem; cur omnibus dat, quia cum omnes velit ſaluos, dat omnibus media. En quæſtio, non autem dictum obiter. Verba autem primò allata inferunt ſolutionem etiam alterius membri quæſtionis: *Si natura, quare non omnibus, cùm ſit Deus omnium Creator*, eſſe donum Dei ait, ſed adultis cooperandum. Quin his reſoluit explicans, eam aſſertionem Pauli reſtringi quò ad efficaciam, quia multi renuunt ex ſe; & paruulis non datur baptiſmus, quem infrà ait requiri, vt medium. Ità Maſtrius *art.1. ex D. Bonau.* explicat, hanc propoſitionem aliâs reſtrictam, nihil obeſſe nobis; vt putat Macedo.

Qvod includat in voluntate antecedente etiam paruulos, probo è *l.4. cont. Iulian. cap.8.* Diſputat ibi contra hunc Pelagianum, volentem omnes ex diuina voluntate ſaluari, ſi velint, nudo arbitrio, & petant, pulſent &c. at S. Pater probat hoc eſſe donum 233

Dei

Dei principaliter trahens, & adducit paruulos, qui non vtuntur arbitrio, non petunt, non pulſant, & intrant in cælum. Reſtringit efficacem voluntatem cum eodem Apoſtolo *Rom.5.* extendit verò beneplacitum ad eos etiam paruulos, qui pereunt, etſi non reclament vocanti, & Deus, qui vult omnes homines ſaluos fieri, hos etiam includat, quod probat ſic: *Nunquid aut homines non ſunt, vt non pertineant ad id, quod dictum eſt, omnes homines?* Hæc eſt vera Auguſtini expoſitio, quam videns P. Macedo, illam diſtrahit. Ita ad lectionem huius loci.

PRÆCLARVS eſt locus, ex Libro ad articulos ſibi falsò impoſitos; *Sinceriſſimè credendum eſt, atque proferendum, Deum velle, vt omnes homines ſalui fiant; ſi quidem Apoſtolus, cuius iſta eſt ſententia, ſollicitè præcipit, quod in omnibus Eccleſiis fideliſſimè cuſtoditur, vt Deo pro omnibus hominibus ſupplicetur.* En Auguſtinum, ſua dicta alibi, quia malè ab aduerſariis expoſita, ampliantem ad omnes homines.

Reſpondet Macedo *ſect.3.* eum librum non eſſe Auguſtini; ſed Proſperi.

At illegitimi excluſi ſunt à Louanienſibus, qui alios ſegregarunt, vt ipſe dicit.

Deinde S. Proſper à Cæleſtino I. declaratur fidus Interpres doctrinæ S.Auguſtini, quod ſæpè fatetur Macedo. Idem alia loca Auguſtini *hic* pro nobis exponit. Ideò pro hoc inſtant Suar. *l.4. de Præd. cap.1.* Salmaticenſes *tract.4. d.9. dub.3. §.2. & 3.* Maſtr. *d.5. quæſt.1. art.2.*

Alia loca afferunt alij, ſic Bellarm. *l.2. de gr. & lib. arb.* & Alarcon *d.6. cap.3.* afferunt *l. de nat. & gr. cap.67. licèt ſit cap.68.* & *l. de lib. arb. cap.19.* ſiue 18. Maſtrius *num.7.* affert *l.6. Hypogn.* qui non creditur Auguſtini. Adde, Ruitz *d.19. ſect.1.* & Macedum *ſect 3.* oppoſitum apponere.

PRODEAT D. Proſper *l.2. de vocat. gent.* cap.19. *Illud de bonitate Dei piiſſimè creditur, quod velit omnes ſaluos fieri.* Id ampliùs declarat cap.25. *Siue nouiſſima contemplemur ſecula, ſeu prima, ſeu media, rationabiliter & piè creditur, omnes homines ſaluos fieri, Deum velle, ſemperque voluiſſe; & hoc non aliunde monſtratur, quàm de iis beneficiis, quæ vniuerſis generationibus communiter, atque indifferenter impendit.*

Libro *ad capitula Gallorum*, *ſent.* 8. reſpondet obiicientibus, dixiſſe Auguſtinum, non velle Deum omnes homines ſaluos fieri, ſed certum numerum prædeſtinatorum; negat eum id dixiſſe: id enim à gratia Dei eſt alienum, qui omnes vult ſaluos.

PROTESTATVR autem initio libri: *Se in nullo receſſurum à tramite earum definitionum, quæ in ſancti viri diſputationibus continentur.* En ſanctus Interpres D. Auguſtinum pro nobis ſtantem declarat; quod non ritè negat Macedo *ſect.5.*

Alios Patres afferam *d.21. quæſt.7. & 12.* præſertim D.Clementem Papam, & Matt. *l 2.conſtit. Apoſt. cap.59.* vbi ait, ſe hanc noſtram ſententiam de ore Domini noſtri IESV-CHRISTI audiuiſſe, D.Damaſc. *l.1. de fide, cap.29.* apud D.Bonau.

Reſpondet Vulpes *t.2.p.1. d.33. art.10.* Patres vocaſſe voluntatem illam *beneplaciti, reſpectu mediorum*; at in ordine ad finem eſſe negatiuam, quatenus nullum ante demerita reiecit.

AT allata teſtimonia tangunt poſitiuè gloriam. Vnde & Chryſoſt. vocat: *Primariam voluntatem & ingentem ipſius erga nos, cum flagranti deſiderio coniunctam benignitatem.*

Quare Salmaticenſes *tr.4. de vol. Dei, d.9. dub.3.* aiunt, D.Auguſtinum, à D.Hilar. admonitum, limitationem malè audiri, recantaſſe. Meliùs dicitur illam explicuiſſe, vt ſuprà.

Obiicit Macedo *ſect.5.* hæc voluntas generalis defendebatur à Semipelagianis, qui eam ex Auguſtino probant, vt conſtat ex epiſtolis Hilarij, & Proſperi. Idem ſensère & moderni Semipelagiani cum Arminio *in exam. Prædeſt. Perchinſiana, fol.581.* vt legitur *in epiſt. dedic. libri ad Senat. Roterodami*, & Remonſtrantes in Synodal. vbi Auguſtinum refellunt, auferentem vniuerſalem voluntatem, quæ PHILANTHROPIA dicitur.

DICO Semipelagianos dixiſſe, omnes vocari ad regnum, ſiue ad ſalutem per naturalia, quia homines ſunt; atque hoc efficaciter, vt conſtat epiſtolis allatis: at ſuprà vidimus, quid reſponderit. Fateor hoc, negotium faceſſere multis Scholaſticis, vt videbis *d.25. quæſt.7. & 12.*

IGITVR communis ſententia vera eſt, Deum voluntate *beneplaciti*, velle, ac proſequi omnium ſalutem; quæ eſt expreſſa ſententia D.Bonau. *d.46. quæſt.1.* quem Scotus ſequitur ad vnguem, vt ait Maſtr. *n.6.* Idem ſenſit D.Thomas *quæſt.19. art.6.* Reſtringitur verò à D.Auguſt. quoad efficaciam, vt ait D.Bonau. cum Gloſſ. *ord. ad locum Apoſtoli.* Quare non ritè S. Auguſt. carpitur, vt monent Aluar. *d.33.* Nazar. *loc. cit. §. Poſtremo.*

Iuſtinianus Cornelius à Lapide ad hunc locum, & Arriaga, dicunt, S. Auguſt. retractaſſe expoſitionem illam, quæ videtur excludere voluntatem *beneplaciti*, quæ aſtruitur communiter, vt refert Vaſquez *cap.2.* eamque ſequuntur Valentia *quæſt.19. p 2.* Suar. *l.3. de attrib. poſit. cap.8.* Tannerus *loc. cit.* alios referentes.

ASSERENDVM cum hac ſententia, Deum voluntate *beneplaciti* velle omnium ſalutem antecedenti voluntate modo, iam explicito.

PROBATVR à Seraphico ex loco Apoſtoli, qui 234
non admittit expoſitionem de voluntate *ſigni*, vt oſtendi *quæſt. ſuperiori.* Nam Deus vult omnes ſaluos fieri eadem volitione, quâ nos vult, vitam rectam agere, reſpondere vocationibus, gratiiſque omnibus. Sed hoc vult voluntate *beneplaciti.* Ergo. Maior probatur ex Apoſtolo *ibi*, vbi ait. *Obſecro igitur fieri obſecrationes pro omnibus hominibus, vt quietam, & tranquillam vitam agamus in omni pietate, hoc enim bonum eſt, & acceptum coram Saluatore noſtro Deo, qui vult omnes homines ſaluos fieri.* Qui enim agit ordinatè, ac vult finem, vult quoque media; & è contra. Minor patet. Nam negatiuè circa hæc non ſe habet Diuina voluntas; ſunt enim bona. Neque poſſunt diſplicere; imò diſplicet oppoſitum peccatum, peruicacia, obſtinatio, vt ſæpè teſtatur: Ergo. Ita attentè intuenti diſſerit S.Bonau. *in corp.* Eadem ratione vtuntur Vaſquez *num.12.* Arriga *d.25. ſect.7. ſubſect.4.* qui ex nullo ferè alio capite hoc arguunt.

AT D. Bonau. validis quoque rationibus aliis pro- 235
bat. PRIMA eſt, quam attuli probando, non poſſe eſſe voluntatem ſigni. Deinde è D.Damaſceno. SECVNDA. Omnis verè diligens alium ordinatè, & ſummè, vult ei proportionatum bonum. Deus diligit omnia entia, vt habetur *Sap.11.* & latè oſtendit Seraphicus *3. d.32.* & nos oſtendemus *diſp.17.* nam cauſa naturaliter inclinatur in cauſatum. Ergo Apoſtolus rectè de omnibus ait, Deum velle eorum ſalutem.

Ex quo etiam ruit Nazarij reſponſio, *ibi* Apoſto- 236
lum hortari fideles, vt orent pro omni genere hominum, non pro ſingulis. Nam vt ſuprà argumentabar: Pro his hortatur Apoſtolus, vt oremus, quos Deus vult ſaluos, quia pro eis mortuus eſt; ſed mortuus eſt non modò pro generibus ſingulorum; ſed pro ſingulis, nullo omiſſo, vt euidentiſſimè è Scriptura conſtat: Ergo ſingulos voluntate *beneplaciti* vult

Deus

Deus ſaluos, iuxtà dictum Apoſtoli; ſicut notat Caſpenſis *d.7. ſect.2.* Cùm igitur, è communi Theologorum ſenſu, verba hæc propriè poſſint exponi, ità ſunt exponenda, abſque tropo, vt docet D. Auguſt. *l.3. de doctrina Chriſt. cap.*10. Idem confirmabo *diſp.21. quæſt.7.*

Obiicies. Cùm quis poteſt aliquem ſaluare, & non ſaluat; ſignum eſt, nolle ſaluare. Sed Deus poteſt omnes efficaciter ſaluare, & non ſaluat: Ergo non vult; vel ſi vult, eius voluntas eſt imperfecta, quia fallitur.

237 Reſpondet Vaſquez *cap.5. è D.Bonau. ad* 1. Deum velle omnium ſalutem ſuauiter aptatam libero arbitrio. Itaque, quantùm in ſe eſt, vult omnes ſaluos. Quod ſi non omnes efficaciter vult ſaluos (quod probat tantùm aduerſarius,) venit è defectu nolentium ſalutem. Nam Deus, quantùm eſt ex ſe, vno modo ad omnia ſe habet, vt docet D.Bonau. *in 3. locis citatis, ex Ariſtot.12. Met. t.52.* Ergo omnes vniformiter diligit, ordinariè loquendo; (aliqui enim ſunt exquiſitè dilecti) nullus tamen odio habetur, quantùm ex parte Dei, vt oſtendam *d.21.* Vult igitur fieri omnes ſaluos ſimplici complacentia, quæ eſt conueniens regimini Dei erga homines, qui ſunt liberi. Deus igitur ſecundùm ſuam ſapientiam attingit à fine ad finem fortiter, & ſuauiter diſponit omnia, ſinens omnes cauſas actus ſuos exercere, vt ait D. Auguſt. Neque hæc voluntas otioſa eſt, vt putat Trigoſius, quia ſic: *iuſtificata eſt ſapientia a filiis ſuis*, vt ait Chriſtus *Luca* 7. & ità poteſt dicere: *Perditio tua ex te.* Neque tenetur aliquis habere voluntatem efficacem, quando non decet regimen ſuum, neque eſt imperfectio habere inefficacem, quando, iuxta regiminis inſtitutionem non tenetur habere efficacem.

QVÆSTIO X.

An Voluntas antecedens ſit abſoluta, vel conditionata.

238 Dixi quæſtionibus præactis, omnem voluntatem antecedentem eſſe inefficacem, ac includere conditionem. Locutus autem ſum de voluntate antecedente, prout inuenta eſt ad moralia; Dixi etiam creationem mundi, quæ ex ſcientia media redemptionis peracta eſt efficaciter, fuiſſe conſequentem; tametſi D. Bonau. *d.45. dub.3. litt.* dicat è mera Dei voluntate factam; addit tamen, eam rationabiliter, ſeu ratione aliqua motam, Diuinam voluntatem perfeciſſe, atque adeò eſſe conſequentem. Idem dixi de vocatione efficaci, ac prædeſtinatione, quæ ex motiuo fit, atque præſcientia: & in ſententia Suarez, & Vaſquez includit connexionem cum futuris conditionalibus, vt vidit Nazarius *quæſt.19. art.2. controu.1. ad* 1. Quare non rectè eam vocant antecedentem.

Qvæstio igitur noſtra eſt de illa voluntate, quâ Deus vult ſalutem omnium, etiam reproborum; an ſit conditionata.

239 Commvnis ſententia eſt, eam eſſe conditionatam ſimpliciter, ac quandam velleitatem. Citatur D. Th. *quæſt.19. art.6. ad* 5. Soto *in cap 9. epiſt. ad Rom.* Corduba *l.1. quæſt.56.* Adducuntur à Vaſquez *d.83.* & Patres: Ambroſius, Theophylact. Oecumenius ad id 1. Tim.2. *Deus vult omnes ſaluos fieri.* Proſper *in ſecunda reſp. ad obiect. Vincentianas*, Chryſoſt. *homil.7. in Ioan.* ad id Ioan.1. *Illuminat omnem hominem*, Theophylact. *ibidem*, & alij.

Vasqvez *diſp.*83. admonet, nullum actum vo- 240
luntatis conditionalem poſſe dari, qui explicetur per optatiuum *Vellem*; quia id non dicit actum, qui ſit, ſed qui eſſet, & non eſt; licèt apud nos accipiatur pro eodem, ac *opto*. Sicut nullus eſt actus videndi, qui explicetur per *viderem* Igitur omnis actus, qui ſignificatur per *vult*, ſignificat voluntatis actum præſentem, vt dicam *t.2. tract.1. d.9. quæſt.4.*

Itaqve voluntas Dei antecedens, quâ, V.g. vult 241
omnes ſaluos fieri, eſt actus abſolutus, quo Deus è propria voluntate complacentiæ vult omnium ſalutem; includit tamen conditionem quoad efficaciam; *ſi* homines reſpondeant gratiæ. Ideò ait S. Bonau. *d.46. quæſt.1.* hanc eſſe voluntatem præſentem *beneplaciti*, quantùm eſt ex ſe; tamen includere conditionem ſuprà allatam; & ideò benè Nazar. *loc. cit. concl.2.* ait, voluntatem antecedentem eſſe primariò abſolutam; & ſecundariò conditionalem. Id omninò ſentit D.Bonau. *in corp. & ad* 3. & D.Th. vt teor, cum Patribus adductis, qui non rectè exponuntur à Vaſquez, quaſi aſſerant, eam omninò conditionalem; cùm tamen omnes cum Seraphico concedant, Deum antecedenter ferri in ſalutem tanquam bonam; & conditionalis addatur in ordine ad efficaciam, ſicuti ſi duæ concauſæ ad aliquem effectum concurrerent concordes; & altera velit effectum, ſolùm cooperante altera; cum tamen effectum amet; ſimpliciter tamen efficaciter eum non vult, ſi impediatur; altera cauſa non cooperante, & hoc Magiſtri ſenſere, vt ait S.Bonau. *in corporis calce*, eoſque refert, & ſequitur Smiſing. *d.5. quæſt.2. à num.36.* aliique apud Tanner. *num.6.* cum Nazar. *quæſt.19. art.6. controu.1.*

Asserendvm, voluntatem, qua Deus vult omnium ſalutem, eſſe abſolutam complacentiæ voluntatem.

Probatvr efficaciſſimè *arg.3.* D. Bonau. *ſecun-* 242
do loco. Si Deus vellet ſalutem omnium ſimpliciter ſub conditione, vel hæc conditio ſe teneret ex parte Dei; vel ex parte hominum; non ex parte Dei; quia eſſet ſenſus: *Vellet Deus, ſi vellet*: ſi ex parte hominum correſpondentiæ; ſi ipſi velint; ſequeretur, Deum non velle ſalutem omnium, vt ait Apoſtolus, nam infantes non poſſunt hanc conditionem volendi ſalutem apponere; & ità eſſent voliti ad damnationem abſolutè.

Addo verò, conditionaliter velle efficaciter effectum. Probatur à D. Bonau. quia ad efficaciam effectus requiritur voluntas noſtra correſpondens.

Inſtat Arriaga *d.25. ſect.3. à num.26.* Quomodo eſt efficax conditionalis; ſi non ſaluantur omnes, cùm poſſet Deus ſaluare apponendo media efficacia, ſalua noſtra libertate?

Dico talem eſſe ordinem prouidentiæ Dei ordinariæ.

Ex his definitur etiam illa quæſtio: An voluntas antecedens ſit formaliter in Deo: an ſolùm eminenter.

Aliqvi ſanè volunt, eminenter tantùm eſſe in 243
Deo, quos ſequuntur Morandus *ſuprà*, & Trigoſ. *quæſt.14. dub.2.* alios allegans, tametſi probabilem putet etiam oppoſitam, quam videtur amplecti Seraphicus, *citato corpore, & ad* 4. & Arriaga, qui nullam in his actibus imperfectionem Dei; ſed libertatem, & operationem ſuauem circa creaturas inuenit. Probatur ergo, hanc voluntatem formalem eſſe; quia Scripturæ exprimunt, hanc voluntatem eſſe in Deo. Sic Rom.2. *Ignoras, quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit.* Secunda Petri 3. *Non tardat Dominus promiſſiones ſuas; ſicut quidam exiſtimant; ſed patienter agit propter vos, nolens aliquem perire; ſed omnes ad pœnitentiam reuerti.* Prætereà toto Euange-

lio,

lio, & in prophetis paſſim habetur diuina, ne dum humana Chriſti voluntas ſaluandi homines.

Reſpondet Trigoſius, talem voluntatem eſſe intrinſecè imperfectam, inefficacem, otioſam; ſi formaliter ſumatur; atque adeò ſolùm eminenter poſſe in Deo reperiri. Idem ait Morandus.

244 Contrà. Quia non velle efficaciter, quando non tenemur; ſed potius decet ſimplicem habere complacentiam, ob rationabiles cauſas; non eſt imperfectionis: Deum autem decere ſimplicem in hoc complacentiam, oſtendi *quæſt. præced. in fine.* Debent autem Scripturæ proprio ſenſu exponi, ſi commodè poſſint, vt ait D. Auguſt. *l. 3. de doctrina Chriſt. cap.* 10. & ipſe Trigoſius, & alij probabilem exiſtimant hanc expoſitionem.

QVÆSTIO XI.

Quæ ſint Diuinæ voluntatis ſigna.

{ D. Bonau. d. 45. art. 3. quæſt. 1.

SIGNA Diuinæ voluntatis quinque numerantur. Præceptum, Prohibitio, Permiſſio, Conſilium, & Impletio. Ità Magiſter *d.* 45. D. Bonau. & alij Sententiarij *ibi* D.Th. *quæſt.* 19. *art.* 12.

245 SVPPONO primò, Voluntatem *ſigni*, non eſſe voluntatem *beneplaciti*, contra Mayronem, & Lyranum apud Trigoſium *quæſt.* 13. *art.* 6. *dub.* 1. ſed eſſe tantùm inditium Diuinæ voluntatis apud nos, quia, qui præcipit, vel ſuadet rem aliquam, videtur eam velle, inter nos; ſic qui permittit apud nos, cùm poteſt, & debet impedire, ſignat, ſe velle; non tamen in Deo ſemper ſignificant hæc ſigna, Deum ità velle. Sic præceptum datum Abrahæ, non erat ſignum Diuinæ voluntatis apud Deum; ſed tantùm apud nos; apud Deum verò erat ſignum obligandi. Permiſſio verò peccati multò minùs eſt ſignum, Deum velle peccatum voluntate *ſigni*, vt malè putat Durand. *d.* 45. *quæſt* 3. & Bannes ad hunc articulum D.Thom. quia Deus non tenetur impedire, cùm iuxta prouidentiam ſapientiſſimam, res omnes motus ſuos agere ſinat. Eſt ergo ſignum, Deum nolle impedire, vt ait S.Bonau. iuxta D. Auguſt. *in Enchir. cap.* 95. ideſt nolle denegare concurſum generalem. Impletio verò, dicitur voluntas Dei, quando illa operatio non attingit rem illam, cuius eſt voluntas *beneplaciti*; ſed aliud, quod erat medium, V.g. Deus per Baptiſmum vult ſaluare omnes pueros. Vnus infans baptizatus ſtatim moritur, & ſaluatur; & alter baptizatus viuit, & perit. Tunc voluntate *ſigni*, quæ dicitur operatio, poteſt dici, Deum noluiſſe ſalutem eius; qui damnatus eſt; quia illa operatio Dei non habuit effectum ſalutis; at verò altera iuſtificatio; qua ſanctificatus eſt ille, qui ſaluatus eſt, dicitur voluntas *beneplaciti*, quia eſt actus, & effectus eius, quem ipſa attigit.

246 HÆC autem voluntas *ſigni* eſt metaphoricè, ſeu metonymicè voluntas Dei. Quamuis enim Deus voluntate *beneplaciti* velit ſignum illud; tamen metonymicè ſignum ipſum dicitur voluntas Dei; ſignum inquam, naturale, quia apud nos ità ſignatur. Et hoc dicitur voluntas Dei, quod non euenit in omni ſigno, puta in arbitrariis, vt denominetur ipſum ſignatum. Ita circulus in taberna, qui eſt ſignum vini, non denominatur vinum. Sed hoc euenit tantùm in ſigno naturali, vt denominetur res ipſa analogicè. Ità vrina, quæ eſt ſignum ſanitatis, denominatur ſana. Ità Seraphicus *ad* 3.

Breuiter explicat S. Bonau. ſufficientiam ſignorum Diuinæ voluntatis dupliciter.

PRIMO ſic: Voluntas Diuina aut reſpicit actum, dum 247
fit: vel dum eſt factus (nam ad præſens, & præteritum ſe habet eodem modo:) aut reſpicit actum, dum eſt futurus. Si actus eſt præſens; vel eſt bonus. Et ecce Impletio; vel eſt malus. Et ecce Permiſſio. Si verò futurus ſit. Vel eſt malus; & ecce Prohibitio; vel eſt bonus neceſſarius. Et ecce Præceptum: vel eſt bonus ſupererogationis. Et ecce. Conſilium. Quoniam verò bonum ſupererogationis, vt tale non habet malum oppoſitum, cùm poſſit fieri, & omitti, V.g. vel ſeruare virginitatem; vel nubere; ideò Conſilium non habet ſignum oppoſitum. Habet quidem minus bonum. V.g. caſtitas habet oppoſitum conſilio matrimonium, circa quod non eſt aliquod ſignum diſtinctum; ſed vel erit conſilium, ob aliquam cauſam meliorem vel præceptum ex neceſſitate.

SECVNDO modo aſſignantur hi modi ſic: Voluntas 248
Diuina aut vult abſolutè, aut conditionaliter; ſiue in quantum in ſe eſt. Voluntas autem abſoluta poteſt comparari ad aliud, aut per modum complacentiæ; aut per modum diſplicentiæ; & quia voluntas abſoluta ſemper impletur; ſi Deus vellet aliquid, quod ſibi diſpliceret, illud impleretur; ſed non poteſt Deus facere aliquod malum ſibi diſplicens. Ergo hæc voluntas non poteſt ſignari aliquo ſigno. Si verò per modum complacentiæ; aut placet id, quod fit. Et ecce Impletio; aut placet aliud ex illo. Et ecce Permiſſio. Rurſus voluntas conditionalis, aut poteſt exprimi per modum complacentiæ, ità vt oppoſitum diſpliceat: & ecce Præceptum, aut per modum diſplicentiæ: & ecce Prohibitio; vel per modum complacentiæ, ita vt oppoſitum non diſpliceat; & ecce Conſilium. Hanc explicationem è D.Bonau. ſumpſit Durandus *d.* 45. *quæſt.* 3. Hæc ſigna hoc carmine explicantur.

Præcipit, ac prohibet, permittit, conſulit, implet.

Hæc autem, vt dixi ità ſignantur apud Deum, vt 249
Præceptum ſignet Diuinam voluntatem obligandi; non autem voluntatem Dei efficacem, vt res præcepta impleatur, vt patet in præcepto dato Abrahæ, quo Deus voluit non immolari Iſaac, ſed Abraham velle immolare, vt docet D Bonau. *d.* 47. *dub.* 5. *litt.* è contrà Prohibitio indicat voluntatem prohibendi efficacem, & diſplicentiam illius rei. Permiſſio indicat voluntatem, non ſanè peccati (abſit,) ſed voluntatem non denegandi concurſum generalem volenti illam actionem, quæ habet adiunctum peccatum; ac proinde voluntatem non impediendi; atque voluntatem boni, qui inde eruitur (vt ait Seraphicus) Conſilium Indicat iudicium Dei, quod illa res ſic melior. Operatio verò eſt ſignum voluntatis Diuinæ, quæ vult illud facere, vel ad id concurrere; quia omnia per ſuam voluntatem operatur.

ADVERTE, Seraphicum probare, dari volunta- 250
tem *ſigni*, quæ dicitur *Præceptum*; ex illo Apoſtoli 1. Theſſal. 4. *Scitis enim, quæ præcepta dederim vobis in Chriſto Ieſu, hæc eſt enim voluntas Dei ſanctificatio veſtra.* Obſerua autem, Apoſtolum ibi loqui cum iuſtificatis, quibus præcepta ſunt ſigna. Hinc non benè Vaſquez negat hoc intelligi de voluntate *ſigni*; ſed de *beneplacito* exponendum,

Obiicies primò. Impletioni opponitur cohibitio. Ergo & hæc debet habere ſignum.

Reſpondet S.Bonau. quod cohibitio impedit effectum, & impletionem boni; at Deus non vult oppoſitum bono. Deinde cohibitio non eſt ſignum, ſed ipſa voluntas exercita.

Obiicies ſecundò. Conſilio opponitur Diſſuaſio.

Reſpon

Reſpondet S.D. Sicut opinio continet in ſe contratias partes, quia eſt aſſenſus ad vnum cum formidine oppoſiti; ità & Conſilium comprehendit ſuaſionem, & Diſſuaſionem.

QVÆSTIO XII.

Vtrum Deus velit mala pœnæ.

{ D.Bonau.d 46. quæſt. 2. D.Th art.9.

SVPPONO duplex eſſe malum, id eſt culpæ, quod propriè eſt malum; & pœnæ, quod eſt potiùs bonum.

251 ASSERENDVM, Deum velle mala pœnalia. Patet è ſexcentis Scripturarum locis.

PROBATVR à D. Bonau. *fund.* 3. Voluntas iuſta vult omne, quod iuſtum eſt: Sed omnis pœna eſt iuſta è D. Auguſt. *l.*3. *de lib. arb. cap.*18. Ergo. Ex quo argumento infertur, Deum velle etiam ipſius culpæ ordinationem ad bonum; ſicut fuit ordinatio culpæ originalis ad redemptionem, vt ait S.Bonau. *in* 3. *d.*1. *art.*2. *quæſt.*1. *ad* 5. Vnde canit Eccleſia. *O felix culpa! quæ talem, ac tantum meruit habere Redemptorem!*

VIDETVR quidem S.Th. *art.* 9. docere, Deum velle malum pœnæ per accidens, quatenus vult aliquod bonum, cui coniungitur tale malum; ſicut volendo iuſtitiam, vult pœnam; attamen videtur, poſſe dici, velle per ſe malum pœnæ, cùm ſit obiectum iuſtitiæ; at cùm Deus iuſtitiam velit; vult quoque illius obiectum. Non enim eſt volita virtus per ſe; & obiectum eius per accidens. Adducitur S.Th. & *art.* 10. *ad* 2. à Tannero *d.*2. *quæſt.*10. *dub.*1. *num.*8. ſed ibi id non dicit.

252 PROBAT verò, malum non eſſe volitum per ſe, ex illo Sap.1. verſ.13. *Quoniam Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione viuorum. Creauit enim, vt eſſent omnia, & ſanabiles fecit nationes orbis terrarum, &c. Impij autem manibus, & verbis accerſierunt illam.*

SERAPHICVS ad locum Sap. allegatum ſibi obiicit ex D. Auguſt. *de moribus Eccl. cap.*3. & *l.*83. *qq.* & *in Pſal.*32. Omnes appetunt vitam, & beatitudinem: Ergo nullus mortem, & perditionem.

253 Reſpondet, nullum ſibi appetere mortem, & perditionem per ſe; ſed per accidens, quatenus volunt culpam, quæ eſt cauſa damnationis. Sed infert, mortem eſſe volitam, vt pœnam peccantium, quod probat ex 11. Eccl. vbi dicitur: *Vita, & mors: paupertas, & honeſtas à Deo ſunt.* Quomodo ergò dicitur, Deus mortem non fecit? Reſpondet; loqui de morte culpæ; vel ſi de morte naturæ, loquitur quantùm ad priuationem; non quantùm ad ſenſum doloris, quia vt author naturæ, eam non deſtruit; mortemque culpa induxit, non Deus ex ſe.

Obiicit verò. Omnis pœna iuſta eſt bona, & omne bonum eſt volitum à Deo.

254 Reſpondet, omnem pœnam iuſtam, vt pœna eſt, eſſe bonam, non ſecundum id, quod eſt à culpa. Similiter adducit id Prou.1. *Ego quoque in interitu veſtro ridebo.* Reſpondet, non delectari in interitu, vt ſic; ſed vt eſt pœna iuſtè inflicta. Ideò reddit rationem, cur nolit perditionem hominum, quia creauit illus; ideò non amat perditionem naturæ, ſed effectum iuſtitiæ.

255 PROBAT etiam hoc argumento Tannerus, Deum per accidens velle malum pœnæ. Quandocumque aliquod malum coniunctum eſt cum aliquo bono magis appetibili; quàm ſit bonum, quò priuat malum; tunc illud malum appeti poteſt ratione boni; tale autem eſt malum pœnæ, & naturæ, quocum coniungitur bonum iuſtitiæ diuinæ, & bonum ordinis naturæ. Hinc arguo ſic, & probo, eſſe volitum per ſe. 256 Quod eſt bonum, eſt appetibile per ſe: Ergo maius bonum eſt magis appetibile per ſe; at pœna eſt malus bonum, quam bonum naturæ, quo priuat: Ergo eſt appetibile per ſe magis, quàm illud bonum. Probatur Minor ratione Tanneri. Nam bonum, quod eſt obiectum iuſtitiæ Dei, eſt maius obiecto ſimplici naturæ: at pœna eſt bonum, quod eſt obiectum iuſtitiæ diuinæ: Ergo & magis appetibile; & quidem per ſe, quàm bonum vitæ, vel aliud bonum ordinis naturæ. Itaque etiam hoc probabile eſt.

QVÆSTIO XIII.

An Deus velit malum culpæ.

{ D.Bonau d 38 art.2. q.1. & d 46. q.2. & d.47.q 3.& 4. D Th.q 19. art.9. & 1.2.q.79. art.1.

HORRESCVNT aures brutorum, villis horridæ, audientes, Deum peccatorem, ſeu volentem peccatum: attamen & horribilibus audiendis nos ipſos hæretici aſſueſcunt. Ideò eorum maledicta ſunt audienda, vt retundantur.

Phalangem hæreticorum hanc eudmentium blaſphæmiam enumerant Bellarm. *tom.*4. *controu. l.*2. *de cauſa peccati* per multa capita, Valentia *tom.*1. *q.*19. *p* 3. Bouërius *exam.*1. *in Luth. Atheiſ.*5. Dux fuit harum Simon Magus apud Lyrinenſem *in commonitorio aduerſus prophanas vocum nouitates.* Eum ſecuti ſunt Cerdoniſtæ, Marcioniſtæ, Manichæi, Priſcillianiſtæ, Albigienſes. 257

CLARE verò Zuinglius Caluini Magiſter *ſerm. de Prouidentia, cap.*5. Caluinus *l.*1. *Inſt. cap.* 17. §.11. *& cap.*18. §.1. *&* 2. & *l* 2. *Inſt. cap.*4. §.2.3. *&* 4. & *l.*3. *Inſt. cap.*23. §.4. *&* 7. & *l. de prædeſt. pag.*905. *&* 916. *&* 944. *&* 946. & *in Inſtitutione aduerſus Libertinos, cap.*14. Idem tenet Beza Caluini diſcipulus *in reſp. ad Caſtalionem*, quibus locis docent, Deum authorem peccati; dicunt tamen, eum non peccare; attamen velle malitiam poſitiuè, & ad eam impellere. Horum loca refert Bellarminus *cap.*3. Quare non rectè Smiſing. *tract.*3. *d.*1. *quæſt.*3. *num.*62. Pennott. *l.*4. & Maſtrius *d.*4. *quæſt.*3. *art.*2. dicunt, hos hæreticos noluiſſe aſſerere, Deum velle formale malitiæ; ſed ſolùm prædefiniuiſſe actus malos, quoad eorum naturalem entitatem, quod obſeruat Bouërius.

CATHOLICI igitur vnanimes aſtruunt, Deum non velle poſitiuè peccatum ſecundùm ſe. 258

PROBATVR à D.Bonau. primò *fund.*1. *d.*46. *q.*2. ex 12.Eccl. *Altiſſimus odio habet peccatores.* Et Sap.14. *Abominabiles ſunt Deo impius, & impietas.* Eadem loca adhibet *in* 3. *d.*28. *quæſt.*3. *arg.*2. *ad opp.* Ibi addit id Pſal.138. *Nonne, qui oderunt te Domine, oderam.* Cùm ergo peccatores odio habeat Deus, quos punit; ſequitur illos agere contra Diuinam voluntatem. Eundem locum *Sap.*14. refricat *in* 4. *d.*15. *p.*1. *q.* 5. & ad *locum cit. Sap.* vbi allegat etiam id *Eccleſiaſtici* 12. *ſuprà cit.*

IDEM probatur *d.*39. *quæſt.*2. *ad* 5. ex 1. Abacuch. 259 *Mundi ſunt oculi tui Domine ne videant malum*, id eſt ne velint. Sic ait etiam dicere *Matth.* 25. reprobis: *Neſcio vos.* Nam quoad ſcientiam omnia

nuda, & aperta ſunt oculis eius; vt iam oſtendit
*fund.*2. *ex* 4. *ad Heb.* & *Hier.*17. Idem S. Bonau. *in* 3.
*d.*38. *quæſt.*3. *ad arg. primum*, hoc idem probat ex
*Pſal.*37. ex illo: *Putrcuerunt cicatrices meæ.* Et Geneſ. 18.
Clamor ſodomorum venit ad me. Et Pſal. 5. *Non Deus
volens iniquitatem tu es. Odiſti omnes, qui operantur
iniquitatem: Sepulchrum patens eſt guttur eorum.* Et in
id Pſal. 118. *Increpaſti ſuperbos; maledicti, qui decli-
nant à mandatis tuis*; vbi aduertit, peccatores increpari
à Deo. *Ad Titum* 1. *Hierem.*11. & 48. & *Deu-
ter.*27. Maledicit eis. Ergo non eſt voluntas Dei, eos
peccare. Et *in cap.*4. *Sap.* Idem oſtendit illis verbis:
*Illos autem Dominus irridebit, & diſrumpet eos infla-
tos ſine voce, & commouebit eos à fundamentis, & vſ-*
260 *que ad ſupremum deſolabuntur.* Vbi addit. Ideò dici
Pſal. 2. *Qui habitat in cælis, irridebit eos.* Hierem. 23.
Dabo vos in opprobrium ſempiternum. Oſeæ 13. *Diſ-
rumpam eos.* Iob 22. *Sublati ſunt ante tempus ſuum, &
fluuius ſubuertit fundamentum eorum.* Et Matth. 25.
quod punientur donec reddant nouiſſimum quadran-
tem. Et Pſal. 33. *Vultus Domini ſuper facientes mala,
vt perdat de terra memoriam eorum.* Hæc, & alia indi-
cans, Deus, oſtendit tantùm abeſſe, vt ipſe ſit author
peccati, vt potiùs acerrimo proſequatur odio. Ideò
ſubdit in Sap. *Et traducet ex aduerſo iniquitates ipſo-
rum*, iuxta id Hierem. 2. *Arguet te malitia tua.* Et ſu-
per *cap.*17. *Sap.* obſeruat, ibi proclamari fugientes à
Diuina prouidentia, iuxta id Ioan. 3. *Qui mala agit,
odit lucem.* Ideò peccata dicuntur opera tenebrarum.
*Rom.*13. quia Deo nolente fiunt, & ab eo, qui eſt
Lux, aufugiunt. Idem probat S. Bonau. *ad cap.*1. *Ioan.*
ex illo: *Sine ipſo factum eſt nihil*; ideſt peccatum, vt
notat D. Auguſt. Idem probat S. D. *in* 4. *d.* 40. *art.*4.
*quæſt.*1. *arg.*4. è Pſal. 90. *Hodie ſi vocem Dei audieri-
tis, nolite obdurare corda veſtra.* Cùm igitur adeò ſe-
uerè inuehatur in peccata, vt in tota Scriptura le-
gitur; eáque reprehendat, inſectetur, puniat, ab eis
261 retrahere ſatagens. Apoc. 3. *Ego ſto ad oſtium, &
pulſo.* Ioan. 6. *Si quis venit ad me, non eiiciam*, vt
refert D. Bonau. 1. *d.* 40. *art.*4. *quæſt.*2. Vbi etiam il-
lud refert: *Peccata veſtra diuiſerunt inter vos, &
Deum.* Hierem. 59. profectò certiores efficimur,
Deum nolle peccata. His, & aliis Scripturarum teſti-
moniis hoc confirmat S. Bonau. quibus vtuntur Bel-
larminus, Valentia, & alij controuerſiarum autho-
res. Eſt autem argumentum hoc Seraphici ſolidiſſi-
mum, D. Ambroſij *l.*1. *Hexaemer. cap.*8. D. Auguſt.
*l.*3. *de lib. arb. cap.*16. vt referam. Deus cupit eradi-
cari malitiam, & ideò eam prohibet, & carpit, &
punit: Ergo non vult illam; alioqui Deum verſipel-
lem iſti Sectarij conſtituunt. Hoc argumentum ſæ-
pè, ac ſæpiùs refricat *allegatis locis* Seraphicus
Doctor.

Respondent Caluinus, & Beza ſuprà, & Pſeu-
do-Martyr Petrus *in cap.*1. *ad Rom.* Deum non velle
peccata fieri, ea voluntate, quæ in Scripturis de-
clarata eſt, quam Theologi vocant voluntatem *ſigni*,
& de hac intelligi Scripturas allatas: attamen alia
voluntate Deum velle, vt homines peccent, quia
alioqui non aſſequeretur finem promouendæ gloriæ
ſuæ, in condonatione, vel punitione peccati. Porrò
callidus Calu. *l.*1. *inſt. cap.*18. §. 3. voluntatem hanc
aſſerit arcanam.

262 Hanc reſponſionem longè vidit S. Bonau. *d.*46.
*quæſt.*2. Ideò *fund.*1. vbi Scripturam refert, etiam
reſponſum eludit. In Deo non poſſunt eſſe contra-
riæ voluntates circa idem; ſed velle peccatum, &
odio habere peccatum, ſunt voluntates contrariæ:
Ergo cùm Deus odio habeat peccata, vt ipſe pro-
teſtatur, allegatis Scripturis, inſanum eſt aſſerere,
Deum velle culpas. Proteſtatur, Ier. 19. *Ædificaue-
runt excelſa Baalim, &c. quæ non præcepi, nec locutus
ſum, nec aſcenderunt in cor meum.*

Ita altam addit impugnationem ſic. Inſanum eſt 263
fingere de Deo contra id, quod ipſe de ſe reuelauit
in Scripturis. Sed reuelauit in Scripturis, ſe odio
habere peccata: Ergo inſanum eſt dicere, eum velle
peccatum. Quòd verò permittat conſequenter; eſt
ſignum ſolùm, ſinere, res motus ſuos agere. Itaque
arcana hæc à Caluino inuecta, vana ſunt.

Impugnatur tertiò à S. D. *d.*45. *art.*3. *quæſt.*2. 264
& *d.* 46. *quæſt.* 1. *arg.* 1. Quia Voluntas *ſigni* eſt
tantùm, vbi exprimitur aliquod è ſignis allatis
*quæſt.*11. nempe Præceptum, Prohibitio, Conſi-
lium, Permiſſio, vel Impletio, ſed in multis ex
allegatis Scripturis exprimitur ipſa prohibitio Dei de-
teſtans peccatum, vt conſtat: Ergo. De cætero vti-
que Scripturarum prohibentur ſub hac ratione, *in-
uiſi, deteſtati.*

Hinc impugnatur quartò à Seraphico *d.*47. *quæſt.*4.
quia, cùm Deus in Scripturis, voluntate ſigni pro-
hibente, oſtenderit, ſe non velle peccatum, quia de-
teſtatum, daret ſignum mendax. Dices etiam Abra-
hæ præcipit immolationem Filij, & tamen eam non
volebat.

Reſpondetur primò, negando paritatem; nam
In præcepto volebat, deduci ad mortem, & vo-
luntate immolari; at negatio eſt omnium deſtru-
ctiua.

Probatur ſecundò à D. Bonau. aliis Scripturis, 265
quæ exprimunt, Deo authore, nos non tentari ad
malum, vel adduci. Sic *in* 2. *d.* 21. *art.*2. *quæſt.*1.
affert id Iacobi 1. *Nemo, cùm tentatur, dicat, quoniam à
Deo tentatur; Deus enim intentator malorum eſt; vnuſ-
quiſque vero tentatur à propria concupiſcentia abſtra-
ctus, & illectus.* Idem habet *dub.*3. *litt. eiuſdem diſt.*
vbi etiam contra Bezam oſtendit, non cogi nos
tentationi ſuccumbere, illis verbis 1. Cor. 10. *Ten-
tatio vos non apprehendat.* Et Pſal. 91. *Qui habitat
in adiutorio altiſſimi: Dicet Domino, &c.* quod oſten-
dit S. D. *eadem diſt. art.*2. *quæſt.*2. ex illo Pſal. 33.
Declina à malo, & fac bonum, vbi affert deductio-
nem D. Hieronymi. Ergo mala veniunt ex inſtinctu
Diaboli: bona verò ab inſtinctu Dei.

Reſpondet Petrus Martyr primò, reiiciendo diſtin- 266
ctionem D. Auguſt. *l.*2. *de conſ. Euang. cap.*30. du-
plex eſſe genus tentationis, alterum ad probandum;
alterum ad ſeducendum. Et de priori ſcribi Geneſ. 22.
Tentauit Deus Abraham; de ſecunda verò ſcribi:
Deus intentator. Iacobi 1. quam refert etiam S. Bo-
nauent. *locis adductis in* 2. *d.*21. & *ad cap.*6. *Ioan.*
Et 4. *Lucæ.*

Respondet ergò hæreticus, alias eſſe tentatio-
nes internas; alias externas: & Deum tentare non-
nunquam externis: internis etiam tentare ſupradixi,
non ità tamen, vt homo ſit excuſabilis, & de his in-
telligi Iacobum.

Contrà arguitur è D. Bonau. 2. *d.*21. *art.*2. *quæſt.*1. 267
Nam Deus tentat Sap. 3. *Deus tentauit illos, & in-
uenit eſſe dignos ſe.* Tentat quoque Diabolus. Act. 5.
Cur tentauit Satanas cor tuum. Tentat caro, Iacob. 1.
Vnuſquiſque tentatur à concupiſcentia ſua. Debet er-
go tentatio dici æquiuocè tentatio; cùm nihil com-
mune hæc cum Deo habeat. Ideò ait Iacobus ab-
ſolutè. *Deus intentator malorum eſt*; ſi autem in eo
ſolo differt, vt homo non ſit excuſabilis, eſſet ea-
dem cum tentatione Diaboli; nam & per eam non eſt
excuſabilis, ſi labitur.

Tandem

Tandem Eccleſiaſtici 15. ait Dominus. *Non dixeris, per Deum abeſt: Quæ enim odit, ne feceris. Non dicas; ille me implanauit: Non enim neceſſarij ſunt ei homines impij.* Hoc teſtimonio Spiritus ſanctus adamuſſim refutat errorem aduerſariorum. Primò dicit. *Ne dixeris, per Deum abeſt*; id eſt Deum te non adiuuare, & ideò neceſſariò labi, vt dicebat Beza. Deinde *Non dicas: Deus me implanauit*; ſeu induxit, vel impulit; vt dicit Beza. Tertiò: *Non enim ſunt ei neceſſarij homines impij*; nempe ad oſtendendam miſericordiam, & iuſtitiam, neceſſariò non vult peccata; vt latrabat Pſeudo-Martyr.

268 Probatvr deinde à D.Bonau. è Patribus, è quibus præcipuè adducit Auguſtinum, quem inter cæteros hæretici æſtimant. Is tres contexuit libros de libero arbitrio, hac præcipuè de cauſa, vt oſtenderet, Deum non eſſe cauſam peccati. Et epiſt.105. *Iniquitatem* (ait) *quam rectiſſima veritas improbat, damnare nouit ipſe, non facere.* Et l.13. de Trin. cap.12. *Modus,* (inquit) *quo traditus eſt homo in Diaboli poteſtatem, non ita debet intelligi, tanquam hoc Deus fecerit, vel fieri iuſſerit; ſed quod tantùm permiſerit.* Et l.5. de ciu. cap.8. *A Deo ſunt omnium poteſtates, quamuis ab eo non ſint omnium voluntates.* Et cap.19. *Sicut omnium naturarum Creator eſt; ita omnium poteſtatum Dator; non voluntatum. Mala quippe voluntates ab illo non ſunt, quoniam contra naturam ſunt, quæ ab illo eſt.* Lib.12. Confeſſ. cap.11. *Hoc ſolum à te non eſt, quod non eſt; motuſque voluntatis à te, qui es, ad id, quod minùs eſt, quia talis motus delictum, atque peccatum.* Idem de Spiritu, & litt. cap.31. *Nunquam legimus, non eſt voluntas niſi à Deo, & rectè non ſcriptum eſt, quia verum non eſt; alioquin etiam peccatorum* (quod abſit) *author eſt Deus, ſi non eſt voluntas, niſi ab illo; quoniam mala voluntas iam ſola peccatum eſt, etiamſi deſit effectus; id eſt non habeat poteſtatem.* Et l.2. de peccat. merit. cap.17. *Nullius culpa humana in Deum referas cauſam.* Et cap.18. *Malam* (ait) *voluntatem ad authorem Deum eſſe referendum, nefas eſt dicere.* Item: *Si ergo voluntas aut bona eſt, aut mala, & vtique malam non habemus ex Deo; reſtat, vt bonam habeamus ex Deo.* Lib. de prædeſt ſanct. cap.10. *Preſcire* (inquit) *potens eſt Deus, & quæ ipſe non facit, ſicut quæcunque peccata.* Et l.3. de lib. arb. cap.16. ità concludit. *Omnino non inuenio, nec inueniri poſſe, & prorſus non eſſe confirmo; quomodo tribuantur peccata noſtra Creatori noſtro Deo; quando & in ipſis laudabilem eum inuenio, non ſolùm quod ea punit; ſed etiam quod tunc fiunt, quando ab eius veritate receditur.* Denique libro primo de ordine, cap.1. ait: *Sequitur, aut Diuinam prouidentiam non vſque ad hæc ima pertendi; aut mala omnia Dei voluntate committi. Vtrumque impium; ſed magis poſterius.* Quid clarius?

Avthor libri Hypognoſt. inter opera D. Auguſt. lib.6. *Abſit* (inquit) *hoc à ſummo bono iudico, auctore omnium bonorum Deo; damnatore verò cunctorum malorum: quia mala Iuda, vt prædixit, præſciuit, non fecit.* Idem dicunt SS. Gaudentius, Fulgentius, aliique apud Bouërium.

Idem S. Bonau. *ad cap.1. Ioan.* diffusè idem probat è D. Auguſt. *tract.1. in Ioan.* vbi ſic explicat id. *Sine ipſo factum eſt nihil*, id eſt peccatum.

269 Affert quoque D. Gregorium *l.14. Moral. cap.10.* vbi ait: *Peccatum eſſe defectum, & nihil; & ita non eſſe à Deo.*

Libro verò ſecundo Pharetræ, cap.1. id probat ex illo Pſalmi: *Impulſus euerſus ſum, vt caderem, & Dominus ſuſcepit me.* Pſal.117. vbi obſeruat cum D. Bernardo *ſerm.85. in Cant.* antitheſim inter impellentes ad caſum, & Dominum; nam Dominus adiuuans eſt; è regione Diaboli, mundi, carnis, præcipitanter eoſdem impellentium.

Deinde *cap.2.* id probat alio argumento D. Gre- 270
gorij *l.18. Moral. cap.8.* vbi ſic arguitur. Qui vult peccatum committi, delectatur de illo commiſſo. Sed Deus non delectatur peccato commiſſo, imò abhorret à delectationibus. Vnde ait S.Gregorius, *Deum apprehendere non vales, qui adhuc in delectatione peccati iacet.*

Probat deinde *l.2. cap.4. Pharetro*, alio argumento, Deum non impellere ad peccatum. Quandocunque Deus lætificatur de aliquo, ſignum eſt, non velle oppoſitum: Sed Deus lætificatur, nos reſiſtere tentationibus, eaſque vincere: Ergo. Maior patet. Minor probatur è D. Gregorio *homil.30. in Euang.* non multum ab initio, vbi ait. *Ille verè Deum amat, cuius videlicet mentem, delectatio praua ex conſenſu non ſuperat.* Et è D.Bernardo l. Medit. cap.14. vbi inquit. *Demonum eſt, malas ſuggeſtiones ingerere: noſtrum eſt illis non conſentire. Nam quoties reſiſtimus, Diabolum ſuperamus, Angelos lætificamus, Deum honoramus.* Sic arguit & D.Ambr. *l.2. de Cain. cap.9.* & *l.1.Hexaëmer.cap.8.* vbi aduerſus Eccleſiæ turbatores clamat. Hoc quoque probat *cap.5. l.2. Pharetræ.* Id, quod Deum irritat, non eſt à Deo volitum; ſed quoties peccamus, Deum irritamus, è D. Gregorio *homil.9. in Ezech.* Ergo. Et *homil.12.* poſt medium, & habetur in multis Scripturis.

Alio argumento idem probat *eodem cap.* Infligens 271
pœnam iuſtè, non eſt particeps culpæ. Sed Deus iuſtiſſimè infligit pœnam, ità vt pœna ex Deo ſit. Ergo culpa eſt ex homine punito tantùm. Hoc eſt D. Gregorij argumentum *in regiſtro, l.5. indic.14. cap. 107.* & Fulg. *l.1. ad Mon. cap.23.*

Probatvr à Seraphico *d.46.* rationibus. Prima 272
ſumitur ab eo *in dub.4. & fund 2. quæſt.2.* A nullo ſapiente homine fit homo deterior: Eſt autem Deus omni homine ſapiente præſtantior. Multò igitur minùs homo, Deo authore, fit deterior. Eſt argumentum S.Auguſt. *l.83. qq. quæſt.3.* Aliam rationem habet in in eodem fundamento. Idem eſt, aliquid fieri aliquo volente, & aliquo authore. Si Deus ergo vult peccatum: Ergo eſt author peccati. Eſt Fulgentij *l.1. ad Mon. cap.2.*

Tertia ratio habetur *fund.3.* Omnis voluntas aut 273
denominatur à volito, aut denominat volitum. Si ergo Deus vult malum; aut ergo malum denominat bonum aut ipſum malum denominat voluntatem Dei, malam, & peccatricem. Sed Deum dicere peccatorem, eſt maxima blaſphæmia: Ergo. Hinc D.Clem.l.5. recogn. *Quid agitis o homines? blaſphematis. Si enim omne, quod cogitamus, ipſe nobis adducit ad mentem; ipſe ergò nobis cogitationes adulterij ſuggerit, & auaritiæ, &c. Deſinite quæſo ab huiuſmodi blaſphæmia, & quis ſit Deo dignus honor, intelligite.* Annuit D.Clem. Alex. *l.4. Pedag.* hæreticos proclamans, qui Deum iniuſtitiæ authorem dicunt.

Qvarta ratio habetur *fund.4.* In Dei operibus ni- 274
hil poteſt eſſe non plenum ſapientiæ, & rationis: Ergo non poteſt velle, niſi id, quod bonum eſt, & iuſtum; vel ſi reputat peccatum iuſtum, & bonum; decipitur. Eſt ratio S Fulgentij *l.1. ad Monim.cap.21.22.23.*

Reſpondet Beza, licèt peccatum non ſit iuſtum; tamen ordinari ad iuſtitiam. Sed contrà arguit D. Fulg. & cum eo D.Bonau cum D.Greg. allegati vltimo argumento, ſumpto è Pharetra. Iuſtitia iuſta non erit, ſi puniendum reum non inueniſſe; ſed feciſſe dicatur. Idem colligitur è Seraphico *ad 3. quæſtionis huius.*

Si dicas voluntatem poſſe velle malum. Contra 275
eſt D. Dionyſius *cap.4. de diu. nomin.* ſaltem de

voluntate ordinata, vt notat D. Bonau. Deinde, nul-
lam voluntatem poſſe ferri in malum, vt malum,
oſtendam *tract.9. de anima, diſp.9. cap.5. quæſt.12.*

Quinta ratio eſt. Omnis, qui vult aliquid, quod
ipſe non poteſt, eſt miſer. Deus ſecundum hæreticos
non poteſt peccare, ſicut vult peccatum: Ergo eſt miſer.

276 Sexta ratio eſt D. Bonau. in corpore è D. Auguſt.
l.83. qq. quæſt.4. & 21. quam habet magiſter *d.46. c.*11.
Quiſquis omnium entium, quæ ſunt, eſt author, &
ad cuius bonitatem id pertinet, vt ſit omne, quod
eſt bonum; oppoſitum cauſare non poteſt. Sed op-
poſitum eſt malum: Ergo non poteſt eius eſſe author.
Hac ratione vtuntur plurimi Patres. Athanaſius *orat.
cont. Idola*, vbi ait: *Id abſurdum ſimul, & impoſſi-
bile fuerit: non enim ex bono malum; neque in eo eſt;
neque per eum. Alioqui pro bono haberi non poſſet, cùm
aut miſcellaneam, & contrariam naturam haberet, aut*
277 *cauſa, authorque malorum exiſteret.* Nazianzenus
*orat.*1. in Iulianum, ante medium. *A quibus conſiliis,
ideſt Dei, ait non ille excitatus eſt: Deus enim nullo mo-
do cauſa eſt mali, quippe naturâ bonus; vitiumque eius
eſt, qui eligit, aut tamen ab impetu ſuo, animique pro-
poſito regreſſus eſt.* Baſilius *homil.*2. de opere ſex die-
rum. *At* (inquit) *à Deo malum profluxiſſe, pium non
eſt dicere.* Et clariùs tota oratione. *Quod Deus non ſit
author malorum.* Epiphanius hæreſi 66. ait: *Abſur-
dum eſt malitiam Deo tribuere; & Diuina, & Eccle-
ſiaſtica Scriptura character hoc confitetur, Deum peni-
tus alienum, & impermixtum à malo eſſe; Deus enim
nihil mali fecit; ſed omnia valde bona; vt qui bo-
nus ſit naturâ, incomprehenſibilis eſſentiâ, omnia con-
tinens, à nemine contentus. Neque igitur malum ſem-
per erat, neque ex Deo factum eſt malum.*

278 Septima ratio. Omnes communiter execrantur
Marcionem; Manichæum, & alios hæreticos ve-
teres, qui quemdam Deum faciebant authorem pec-
cati; at illi ſaltem vocabant Deum malum, diuer-
ſum à noſtro Deo bono. Sed libertini, & Calui-
niſtæ magis execrandi, Deum noſtrum bonum pro-
clamant authorem mali ſummi, ideſt culpæ. Ex quo
etiam ſequitur, quod inferebat Seraphicus *fund.*2.
*è D. Auguſt. l.83. qq. quæſt.*3. Deum proclamari pecca-
torem; quia, idem eſt fieri aliquo volente, & ali-
quo authore, & qui talis eſt, denominatur pecca-
tor, vt inferebat *fundamento tertio.* Porrò & vete-
res Philoſophi de bonitate Dei talia ſentire non vo-
luerunt. Plato *lib.2. de Rep.* Deum bonorum tantùm
cauſam aſſerit; non malorum. Mercur. Trimeg. *Ni-
hil mali in Deo; nihil boni extra eum.* clamat. Pim.
cap.6. Sic & Plotin. 12. *de ſum. bono.* Latiùs Philo
de confuſ. ling. & *l. de profugiis.* Hinc Tullius de
vniuerſo. *Fas non eſt, nec vnquam fuit, quicquam,
niſi pulcherrimum facere eum, qui eſſet optimus.* Eru-
beſcite hæretici, diuinæ Bonitati perduelles. Hæc ra-
tio eſt etiam Cyrill. Hieroſol. *catecheſi* 2. Baſil. *ho-
mil.*2. Hexaëmer. Auguſt. *quæſt.*21. *ex l.83. qq.* Dices
malum culpæ eſſe volitum à Deo per accidens.

279 Contra arguit Seraphicus *fund.4. & corpore*, &
loco citando, & D. Th. *hic.* Tunc malum poteſt ap-
peti per accidens, quando bonum, quo cum eſt con-
iunctum, magis eſt appetibile, quàm bonum aliud,
quo priuat. Sed nullum bonum, cum quo ſit con-
iunctum malum culpæ, eſt magis appetibile, quàm
bonum illud, quo priuat malum culpæ: Ergò. Mi-
nor probatur. Nullum enim bonum eſt magis appe-
tibile, quàm bonum diuinum; & rectus ordo crea-
turæ ad illum. Nam in hoc continetur ratio boni
honeſti, quæ eſt omnium optima. Hac autem ra-
tione boni honeſti priuat culpa. Confirmatur à S.D.
d.46. quæſt.3. fund. vlt. argumento Apoſtoli *Rom.* 3.
vbi reprehendit dicentes: *Faciamus mala, vt eueniant
bona*, profectò ob eam rationem, quia nullum bo-
num eueniens è culpa, eſt magis appetibile, quàm
bonum, quod ipſa culpa aufert. Hanc vrget Ribas
tract.5. d.3. cap.4.

Confirmatvr ſecundò à S. D. *quæſt.2. fund.4.* 280
& *quæſt.* 3. ex illo philoſophico dicto: *Finem, &
Bonum eſſe idem.* Id habet Ariſtoteles 2. *Phyſ. t.31.
l.5. Met. cap.2. lib.1. Eth. cap.7. &* 8. *Eth. cap.3.*
Vnde primo Eth. ait: *Omnis ars, omniſque doctrina,
& electio bonum appetere videtur.* Qua de cauſa anti-
qui dixere. *Bonum eſt, quod omnia appetunt*; vt
notat S. Bonau. *d.1. art.3.* & D. Dionyſ. allegatus
hic, quæſt.2. fund.4. cap.4. de diu. nom. ait: *Etiam ma-* 281
*lorum omnium initium, & finis bonum eſt; nemo enim
propoſito ſibi malo operatur.* Vnde D. Auguſt. 2. *Con-
feſſ. à cap.4. vſque ad* 10. probat, neminem eſſe,
qui in peccato, quod facit, non quærat rationem
boni. Idem habet 3. *de Trin. cap.3.* & *in Enchir.
cap.26.* ait: *Beati eſſe volumus: at miſeri non ſolum
eſſe volumus; ſed neque velle poſſumus.* Hinc patet fal-
ſum dixiſſe Scotum 1. *d.1. quæſt.4.* nos poſſe odiſſe
beatitudinem. Hinc Ariſtoteles 1. *Eth. cap.* 1. ait:
*Multitudo verò decipi videtur ob voluptatem, ipſa nam-
que bonum, cùm non ſit, bonum videtur.* Sed de hoc
latiùs *tract.9.* qui de Anima *d.9. quæſt.*12. diſputabitur.

Probatvr etiam aliis rationibus à D. Bonau. 282
d.47. quæſt. vlt. Deum non velle peccatum. Prima
ratio eſt, qua vtitur Valentia, quæque adducitur à
Seraphico etiam *d.46. quæſt.2. in corpore.* Voluntas,
quæ vult malum, vt malum, eſt inordinata; nam
vult contra rationem actionis tendentis in Deum: &
ideò contra boni honeſti rationem, quod ad Deum
ordinatur. Hæc ratio eſt D. Fulgentij *l.1. ad Moni-
mum, cap.*21. 22. *&* 23. Auertit enim à Deo, fine no-
bis dato; vt arguit Bouërius.

Reſpondet Beza, ordinari ad iuſtitiam patefa-
ciendam.

Contra. Ergo Deus eſſet Turcimanus, ducens ad
malum, vt puniat. Profectò non eſt pœna iuſta, quæ
puniendum reum non inuenit; ſed facit; vt ſuprà
dixi cum eodem D. Fulgentio. Sanè non Dei ſuas
creaturas amantis hoc eſt, ſed aduerſarij, vt ait D.
Cypr. *epiſt.*52.

Secvnda ratio habetur *fund.2. & corpore.* Si Deus 283
vellet culpam, & ad illam nos induceret; ſequere-
tur, nos impunè poſſe peccare; & conſequenter pec-
catores damnarentur iniuſtè, ob rationem mox alla-
tam, impugnando Bezam. Hæc eſt ratio D. Fulgen-
tij *l.1. ad Mon. cit.* & Concilij Valent. *cap.*2. Quare
blaſphæmat Beza dicens, Deum impellere homines
ad peccatum, vt puniat. Hac ratione vtitur Valentia,
& Ribas, eſtque SS. Iuſtini *dial. cum Tryph.* Athan. *in
Idol.* Baſil. *hom.2. Hex.* Probatur quoque *d.47. fund.*1. 284
quæſt. vlt. Si Deus eſſet author peccati, ipſe quoque
peccaret; at cùm peccare ſit infirmi, vt ait Apoſtolus
*Rom.*5. 6. inferunt, Auguſt. *ſerm.*119. & Iſidor. Peleuſ.
*epiſt.*117. quòd peccare Deo repugnat: Ergo. Proba-
tur ſeq. Nam ſi vellet, homines peccare, eſſet coope-
rans ad peccatum: Ergo peccaret. Minor probatur
argumentis, quæ trita ſunt in D. Bonau. maximè verò
1. *d.34. art.*2. Peccare eſt deficere. Deus non poteſt
deficere, quia eſt infinitum, & ſummum bonum: Er-
go. Hoc argumento vtitur Scotus 2. *d.5.* apud Fa-
brum 2. *d.28. num.*10. Confirmatur. Nam peccare eſt
à regula Diuinæ ſapientiæ deficere.

Confirmatvr à D. Bonau. *d.47. q. cit fund.*4. Deus 285
præcipit mala non fieri, ideſt prohibet. Ergo ſi præci-
pit etiam fieri, præcipit oppoſita, & impoſſibila; at ve-
rò ad impoſſibilia non tenetur quiſquam; ac proinde
præcepta

præceptis Dei non obſtringitur. Quoniam verò audent hæretici aſſerere, Deum præcipere impoſſibilia. Ideò Seraphicus contrà arguit. Præcipiens impoſſibilia, ſeu ea, quæ non poſſunt fieri, eſt ſtultus, vel impius. Stultus quidem ſi ignoret; at ſi ſciat, & velit ſubditum morte damnare æternâ, niſi exequatur ea, quæ impoſſibilia ſunt, erit impius, iniquiſſimè damnans. Quare Deum velle impoſſibilia à nobis obſeruari, eſt propoſitio à Patribus antiquis, & à Concilio Trident. damnata *ſeſſ.6.cap.11.* Vnde & D.Hieronymus eum, Qui dicit, Deum præcipere impoſſibilia, anathemate cenſet. Eam verò exſibilabo 1. *ſecunda, tract.5. d.1.* Intereà vide Bellarminum, *tom.4. l.4. de Iuſtificatione, à cap.11.* qui & *l.2. de cauſa peccati, cap.10.* argumenta omnia ſumpſit è D. Bonau. penu ad noſtram aſſertionem comprobandam. Vide, & D.Hieron. *l.3. in Pelag.* & *ad cap.5. Matth.*

Seraphicvs Doctor, vt fundamenta hæreticorum funditus conuelleret, qui dicebant, Deum velle peccata, quia bonum eſt ad Dei miſericordiam, & iuſtitiam exerendam; Ideò *d.46.* poſtquam oſtendit *quæſt.2.* Deum non velle peccata; inſtituit tertiam quæſt. qua firmiter probat, peccata fieri, non eſſe bonum, & vtile ad aliod; quam ſanè quæſtionem hîc agito, quia egregiè inſeruiet ad obiecta hæreticorum euertenda.

286 Observat igitur S. Bonau. triplici via aliquid conducere ad bonum. Primò tanquam cauſam efficientem, influentem ex intentione. Secundò influendo caſu; vt effoſſio terræ cauſat inuentionem theſauri. Tertiò vt occaſio; vt patientia è percuſſione elicitur. Sic dicitur *culpa felix*, quia inde bonitas Dei occaſionem, & anſam arripuit redemptionis.

287 Rurſus occaſio diuiditur à Seraphico in actiuam, & paſſiuam. Actiua eſt, quæ non influit quidem efficiendo rem, ſed tamen aliquo modo excitat. Sic malum exemplum eſt occaſio peccandi. Occaſio paſſiua eſt, quæ nullo modo influit; ſed arripitur; ſicut ex mala alicuius vita, accipimus occaſionem rectè vitam traducendi.

288 Probat igitur *in corpore*, malum culpæ, vt tale eſt, non eſſe vtile ad bonum, tanquam cauſam ad effectum. Sic. Omne, quod eſt cauſa boni, eſt in ſe ordinabile ad bonum, & habet aliquam bonitatem. Sed malum culpæ non habet bonitatem: Ergo. Maior patet. Nemo dat, quod non habet. Minor probatur à Seraphico in *fundamentis*.

289 Primo. Si malum culpæ haberet bonitatem; productio mali eſſet bona. Tunc ſic. Cuius generatio eſt bona, ipſum quoque eſt bonum ex Ariſtotele *3. Top. cap.2.* ſed per te productio mali eſt bona: Ergò malum per ſe eſt bonum.

290 Secvndo. Malum fieri non eſt aliud, quàm bonum de medio auferri, eoque nos priuari, ſiue corrumpi. Sed per te malum fieri eſt bonum: Ergo bonum corrumpi, & deſtrui nullo alio genito eſt bonum. Tunc ſic. Cuius corruptio eſt bona, ipſum eſt malum. Sed per te corruptio boni eſt bona: Ergo bonum eſt malum.

291 Tertio. Conuertibilia ita ſe habent, vt ſi vnum eſſet bonum; & alterum eſſet bonum; ex Ariſtotele *2. Top. cap.1.* Sed malum fieri; & malum facere ſunt conuertibilia: Ergo ſi malum fieri eſt bonum; & malum facere erit bonum. Tunc ſic. Pro bono nullos eſſet puniendus. Mala facere eſt bonum: Ergo non eſt puniendus, qui mala facit.

292 Qvarto probatur. Sicut ſe habet oppoſitum ad oppoſitum; ita & in propoſito: ſed malum fieri, per te, eſt bonum: Ergò bonum fieri, eſt malum.

Qvinto probatur. Si malum fieri eſt bonum; vel eſt bonum in ſe, vel quia ex ipſo conſequitur aliquod bonum. Non in ſe, vt patet; ſi autem quia inde euenit bonum. Ergo bene dicebant illi *Rom.3.* reprehenſi à Paulo: *Faciamus mala, vt veniant bona.*

Quòd verò peccatum non ſit occaſio actiua boni. 293
Probatur à D.Bonau. Quia nihil habet virtute bonitatis. Solùm ergo paſſiuè eſt occaſio, quatenus Deus è peccato commiſſo, ex mera ſua bonitate, imò exceſſu bonitatis, cùm deberet peccatorem exterminare, arripit anſam miſericordiæ, vt vbi abundauit delictum, ſuperabundaret & gratia. Sic, è peccato Iudæorum, Deus arripuit occaſionem ſaluandi eos. Idem ſentiunt Alenſis *p.1. quæſt.40. num.2.* Albertus *p.1. tract.20. quæſt.40. art.3.* D.Th. *1. d.46. quæſt.1. art.2.* Richardus *ead. diſt. quæſt.6.* Ex quo ſequitur falſam Bezæ propoſitionem; *facere malum, eſſe bonum.*

Hinc S.D. *quæſt.4.* infert ac probat, mala fieri, eſſe verum. Quia de quolibet, affirmatio, vel negatio eſt vera; de nullo ambo ſimul *1. Perhier.* ſed hæc eſt falſa. Nulla mala fiunt: Ergo oppoſita eſt vera; nempe mala fieri. Reliqua vide in S.D.

Hinc pergit Seraphicus *quæſt.5.* diſcutere. An malum ſit à Diuina voluntate ordinabile; vt fundamenta hæreticorum diſſoluantur. 294

Notandvm autem cum S.D. *in corpore*, quod 295
ſicuti ſanum dicitur tripliciter. Primò ſubiectiuè; vt animal dicitur ſanum. Secundo diſpoſitiuè, vt potio. Tertiò oſtenſiuè, vt vrina. Ità & ordinabile tripliciter aliquid dicitur, aut vt ordinis ſuſceptiuum; aut ſicut diſpoſitiuum; aut vt oſtenſiuum. Ordinis ſuſceptiuum eſt ſolum ens, & natura aliqua: & ità malum non eſt ordinabile, niſi per accidens, ideſt per bonum ei ſubſtratum. Sicut diſpoſitiuè malum eſt ordinabile per accidens, quatenus priuans ordinem naturæ, ordinat ſubiectum; vt ſit obiectum pœnarum à Diuinâ iuſtitiâ læsâ. Ordinabile quoque eſt, vt ſignum oppoſitum. *Quia oppoſita iuxta ſe poſita magis eluceſcunt.* Itaque malorum deformitas oſtendit boni pulchritudinem oppoſitam. Probat igitur, malum non eſſe ſubiectum ordinis, rationibus, quæ hoc ſolum oſtendunt.

Primo è D. Auguſt. Nulla priuatio eſt ſubiectum 296
formæ, cuius eſt priuatio. Sed malum eſt priuatio modi, ſpeciei, & ordinis, è D. Auguſt. *l. de natura boni, cap.4.* Ergo.

Secvndo. Quod non habet eſſe participialiter, non poteſt ordinari. Sed malum, vt malum non habet eſſe participialiter; idest ens; licèt habeat eſſe verbale, quia verum eſt, dari malum: Ergo. Maior eſt Ariſtotelis *1. Perhierm.* & ità explicatur à Seraphico in *corpore.*

Tertio. Omne ordinabile eſt ordinanti poſſibile; at malum non eſt poſſibile fieri à Deo, vt ſuprà oſtendi: Ergo.

Qvarto. Si malum eſt ordinabile. Aut eſt ordinabile ratione partium in totum; aut in finem. Non primo modo; quia malum nullius eſt pars: ſi ſecundo modo: Ergo cùm malum ſit ordinabile in finem bonum, iam malum erit bonum.

Deinde probat, malum eſſe diſpoſitiuè ordinabile, 297
ratione demeriti, quod ad iuſtitiam exequendam ordinatur. Dat ſimile. Sicut enim circulus quocunque vertatur ſemper ad centrum refertur. Sic Dei prouidentiam non effugiet homo, quocunque vertatur. Si enim recedat à gratia; incidet in iuſtitiam.

Probatvr à D. Bonau. Omne peccatum, ſeu demeritum ordinatur ad pœnam.

Præterea docet, peccatum eſſe ſignum Diuinæ ordinationis. Probatur; quia, vt ait D. Auguſt. 11. *de ciu. Dei, cap.*23. Sicut pictura cum colore nigro ſuo loco poſito, pulchrior eſt: ita vniuerſitas rerum è peccatoribus euadit pulchrior; & malum benè ordinatum euidentiùs commendat bonum, vt ait D. Auguſt. *in Enchir.*

Tandem probat, bonum ſubſtratum peccato eſſe ordinabile. Eſt enim ens.

298 Observat denique reſponſione *ad vlt.* quòd malum, cùm non ſit actiuè ad ordinem tendens, ſed paſſiuè ordinabile per accidens ad finem, non eſt appetendum antecedenter; ſed conſequenter poſt factum ordinatur ad bonum. Et ità: *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*, etiam peccata, vt ait Gloſſa *ad cap.*8. *Rom.* & D. Auguſt. *l.*14. *de ciu. cap.*13. illam eleuatam profert ſententiam. *Audeo dicere; ſuperbis vtile eſſe incidere in aliquod apertum, manifeſtumque peccatum, vt inde ſibi diſpliceant, qui ſibi iam placendo corruerant.*

Tandem aliam quæſtionem reſoluit. An peccata ſint de complemento vniuerſi.

299 Respondet; non modò potentiam liberam ad bonum, & malum eſſe de vniuerſi decore; ſed etiam peccata, non per ſe; ſed per accidens. Quia commiſſa benè ordinantur ad iuſtitiam exequendam; non autem, vt volebat Beza, quòd Deus antecedenter illa velit, vt iuſtitiam exequatur in peccatores. Hæc enim eſſet iniuſtitia, vt dicebat S. Fulgentius ſuprà. Faciunt quoque ad decorem vniuerſi, quate-
300 nus ex oppoſito magis elucet bonum. Vel etiam ratione boni eliciti occaſione peccati; non quidem operante peccato; ſed Diuina bonitate per amoroſam antiperiſtaſim, vt apparet in his, quæ geſta ſunt in noſtra reparatione.

Verùm enim verò hic eſt decor accidentalis, quia ſine culpis adhuc ſubſtantialiter eſſet mundus decorus. Quare ad ſubſtantialem decorem vniuerſi non operatur malum per ſe, nec per accidens.

Concludit etiam, vniuerſum eſſe magis decorum poſt culpam, abundante Diuina miſericordia, vt canit Eccleſia. *O fælix culpa, quæ meruit habere talem, ac tantum Redemptorem.*

Affert exemplum de vaſe chryſtallino integro; & confracto, quod non ſolum redintegratur; ſed etiam religatur auro. Sic etiam cicatrix in vultu benè ſita, maximè diuinitùs curata, decorem facit.

301 Probat igitur, malum ad ſubſtantialem vniuerſi decorem non facere. Quia ante peccatum: *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona.* Geneſ.1. Idem probat è D. Auguſt. *l.* 3. *de lib. arbitr. cap.*5.

Tertiò. Quia pulchrius eſt, quod eſt deformi impermixtum; ſicut albius eſt, quod eſt impermixtum nigro, vt dicitur 5. *Phyſ.t.*19. & 3. *Top.*34.

302 Tandem. Quia bonum, & pulchrum ſunt idem è D. Dionyſio *l. de diu. nom. p.*1. *cap.*4. Vnde & in lingua ſancta exprimitur eodem nomine שוב Tob.

Quòd verò ad decorem accidentalem faciat; probatur à Seraphico ex 33. Eccleſ. *Contra bonum malum, & ſic intuere in omnia opera Altiſſimi.* Vnde & D. Auguſt. *l.*12. *cap.*18. *de ciu.* loquens de malis; cur Deus illos patiatur, ait. *Deus vniuerſum, quaſi quibuſdam antithetis honeſtauit.*

303 Si obiicias cum Beza, malum eſſe priuationem boni: priuationem autem facere ad decorem. Sic enim ad decorem ſermonis facit ſilentium interpoſitum; & ad perfectionem motus, etiam quies.

Respondet S.Bonau. illas priuationes naturales non auferre aliquid decoris, quia priuationem oſtendunt tantùm boni moleſti ex parte, neque propriè bonitatem corrumpunt; at peccatum corrumpit perfectum bonum ſupernaturale, & retrahit à Deo, atque auertit; cum è regione priuationes naturales ſub regula diuini operis ſtent.

Tandem ad *vltimum* obſeruat, quòd ſi non eſſet 304
peccatum, adhuc manifeſtaretur Dei miſericordia, & iuſtitia in ſua origine. Quia videntes Deum cognoſcerent eum iuſtum, & viatores cognoſcentes potentiam, & bonitatem, cognoſcerent etiam iuſtum, & miſericordem. Deinde adhuc actus miſericordiæ exercerentur præſeruando à caſibus, donando vltra meritum, bona largiendo; cognoſceretur quoque iuſtitia in retributione meritorum. Quare non fuit neceſſaria impietas, vel impius, vt ait Eccleſiaſticus ſuprà ad hæc diuina pandenda; Quo obſtruitur os Bezæ.

Hæc intermiſcui. Quia ad hæreticorum argumenta eradenda conferunt. Alia etiam apponam *quæſt. ſeq.* probando, permiſſionem eſſe actum Dei poſitiuum.

Obiiciunt autem primò multas Scripturarum authoritates diuiſas in plures claſſes.

Prima claſſis eſt earum Scripturarum, quæ viden- 305
tur aſſerere, peccatum à Deo eſſe decretum, & prædeſtinatum, vt Act.2. *Hunc definito conſilio, & præſcientiâ traditum per manus iniquorum affligentes interemiſtis.* Et Act.4. *Conuenerunt aduerſus ſanctum tuum Ieſum, quem vnxiſti, Herodes, & Pilatus, facere; quæ manus tua, & conſilium tuum decreuerunt fieri.* Et Lucæ 22. *Filius hominis, ſecundum quod definitum eſt, vadit.* Et Geneſ.45. *Non veſtro conſilio; ſed Dei voluntate huc miſſus ſum.* Et cap.50. *Nolite timere: num poſſumus Dei reſiſtere voluntati?*

Respondet Seraphicus *ad* 22. *Lucæ*, Deum de- 306
creuiſſe paſſionem Chriſti, vt noſtra peccata lauaret; vt dicitur Iſaiæ 53. *Poſuit Dominus in eo iniquitates omnium noſtrum.* Ideò prædixit per prophetas, paſſionem Chriſti volitam à ſua Diuina maieſtate ad ſalutem; Sed exequendam à Iudæis ignorantibus. Vnde Apoſtolus Petrus eos excuſat. Act.3. *Et nunc fratres ſcio; quia per ignorantiam feciſtis; ſicut & Principes veſtri; Deus autem, qui prænunciauit per os omnium prophetarum, pati Chriſtum ſuum; ſic impleuit.* Paſſio ergo Chriſti fuit definita à Deo; at verò voluntates Iudæ, & Iudæorum malæ non placuerunt. Vnde & ibi ait: *Veruntamen væ homini illi, per quem tradetur.* Quia, licèt in effectu ſit concordia; in voluntate tamen eſt ſumma diſcrepantia. Deus enim volebat ex charitate, vt habetur Epheſ.2. *Deus autem, qui diues eſt in miſericordia, propter nimiam charitatem, &c.* Iudæi volebant ex crudelitate. Ideò conſpiratores *Sap.*2. aiebant. *Contumelia interrogemus eum. Morte turpiſſima condemnemus eum.* Iudas autem voluit ex auaritia, vt dicitur *Act.*1. Hanc autem actionem è malitia illis volentibus permiſit Deus; non voluit, nec prædefiniuit; ſed præſciuit, & permiſit, vt multi Patres aſſerunt, præſertim D. Auguſt. *locis ſuprà citatis*, S.Pro- 307
ſper. *in reſp. ad capitula Gallorum, cap.*12. & *ad capitula Vincent. cap.*5. 7. *& ſequentibus.* Et D. Fulgentius *loc. cit.* ſuprà, qui de hac re acuratiùs ſcripſere. Hinc D. Auguſt. *tractat.* 62. *in Ioan.* conſiderans Chriſti verba ad Iudam: *Quod facis, fac citiùs*, ait: *Non præcipit ei facinus; ſed prædixit Iudæ malum, nobis bonum. O verbum libentiùs parati mori, quàm irati. Fac* (inquit) *citiùs: non quia tu potes, ſed quia hoc vult, qui totum poteſt.* Vide ibi. Itaque præuiſâ malâ voluntate Iudæ, permiſit ita occidi conſequenter, & antecedenter voluit Chriſtum mori

ad

ad redemptionem, & decreuit virtutes, meritaque Chriſti ex charitate. Et hoc voluit S.Leo *ſerm.16. de Paſſione*; nempe Voluntatem Dei bonam, è mala Iudæorum voluntate hauſiſſe bonum redemptionis tali modo, vt notat Bouerius.

308 Sic igitur eodem ordine, & modo, Deus antecedenter voluit bonum Ioſeph iuſti; præuidens verò malitiam eius fratrum in eo vendendo, ac in Ægyptum pellendo; vertit hoc in bonum, eruens è malo, bonum exaltationis, vt inde ſurgeret; vnde præcipitandus fuerat. Hinc ait Geneſ.45. *Vos cogitaſtis de me malum: Deus autem vertit illud in bonum; vt exaltaret me, & ſaluos faceret multos populos.* Ideo fatetur. *Non veſtro conſilio, ſed Dei voluntate huc miſſus ſum*, intellige, *ad meam exaltationem, & ſalutem.* Nam fratres eum in ergaſtulis claudendum tranſmiſerant venditum

309 Iſmaelitis. Id autem, quod addit, cap.50. *Num Dei poſſumus reſiſtere voluntai?* Non ſignificat fuiſſe voluntatem Dei, vt proderent; ſed, vt exponit S.Bonau. *d.47.quæſt.1.* Non poſſe fratres reſiſtere Dei voluntati, ne ex eorum iam præcedente proditione, & eiectione Ioſephi in Ægyptum, Deus illis inuitis hinc bonum eliceret exaltationis ipſius, & ſalutis multorum. Quia dum voluntas antecedens Dei odientis, & nolentis peccatum eorum, fruſtrata eſt; coacti ſunt ſubijci conſequenti, quæ ex eorum proditione tot bona decreuerat.

Ludouicus Ribas, *tract.6.d.3.n.13.* ex textu Græco, & Hebræo colligit hunc ſenſum. *Nolite timere. Non poſſum licitè reſiſtere Deo, iubenti parcere.* Id ſanè ſonat. *Nunquid pro Deo Ego. Quin Diuino obtemperem præcepto.* Certè Dei voluntas eſt, nos eſſe ſanctos, non prauos, vt habes 1. *Theſſal.c.4 & 5. 1. Petri 2. Ioan. c.4. ſeq.* Quoniam verò hinc arguebant hæretici. Qui vult deliberatè aliquid, vult omne id, quod ei neceſſariò eſt adnexum, & conſequens. Sic, qui vult eſſe Abbas Monachorum, debet velle eſſe Monachus. Deus vult aliquod bonum, quod non poteſt eſſe ſine malo, vt filium ſuum occidi: Ergò.

310 Respondet S.D. *d.46.q.1.* Maiorem eſſe veram de eo, qui illud antecedenter vult; quia is ſuæ cauſalitatis totum continet effectum, ac ideò cùm ſit cauſa cauſæ, eſt etiã cauſa neceſſariò cauſati: At falſa eſt de eo, qui ſolùm conſequenter id vult; non enim is ſubijcit ſibi totum, & conſequenter nec cauſata quantumuis neceſſariò, aut adnexa: Iam verò Deus voluntate antecedenti vult ſeipſum, & quia ipſe eſt ſummum Bonum, vult ſolùm bonum, totumque adnexum eſt bonum, & ita non vult antecedenter ea opera, ad quæ cooperatur cauſa ad malum deficiens. Cum hac igitur cooperatur tantùm conſequenter ad entitatem phyſicam, ex qua præuidit volitam à libero arbitrio, abutente conſequenter, culpam. Itaque concurrit ad entitatem phyſicam, vt author naturæ, concurſu generali; culpa verò, quæ non ex vi naturæ ſequitur ſed ex malitia arbitrij creati, eſt tota à creatura, cùm ſit defectus rectitudinis, non effectus. Sic voluit Filij paſſiones, & hominis redemptionem: poterat autem ſe ſolo Filium immolare; at data occaſione malitiæ Iudæorum volentium occidere Chriſtum, ſtatuit concurrere ad actum phyſicum, vnde oriebatur connexa malitia Deicidij ex mera culpa Iudæorum, reſumpſitque, Ex hac elicere noſtram ſalutem, & ipſorum occidentium. Ità decretum fuit ſolùm permittendi, vt ait etiam Ribat, qui ſic exponit ea etiam, quæ indicant præceptum, vt maledictio Semei, &c. Hoc clypeo omnia ferè aduerſariorum tela retunduntur, vt ait Bouerius.

311 Reſpondet ſecundò S.D. poſſe aliquem, voluntate conſiliata, velle aliquid; & non velle aliud ei neceſſariò adnexum. Sic poſſum velle aliquem ſurgere, etſi diſpliceat eumdem cecidiſſe.

Reſpondet tertiò. Velle aliquid ſine alio, dupliciter euenire. Aut velle hoc; & non velle aliud; quia vnum placet, & alterum diſplicet, & hoc poſſibile eſt etiam in his, quæ ſunt neceſſariò coniuncta. Non enim volo ſeparatum vnum ab alio, quia eſt impoſſibile in ratione entis, ſed volo ſeparati in ratione placentis. Itaque dum ſubleuo Petrum, quia placet mihi ſubleuati, tametſi optimè videam non poſſe ſurgere, ſi non cecidiſſet; attamen ſubleuo, quia placet eius ſubleuatio; & diſplicet caſus. Enim verò velle inſeparabilia ſeparatari, ità vt velim entitatem ſubleuationis, vt non fuerit entitas caſus, neceſſariò ſuppoſiti, eſt impoſſibile. Hæc S.Bonauent. ad vlt. Ità aduerſarios delitos vocat Elias Cret. *in or. actionem p. Nazianzeni.*

312 Quo fit, vt non ſequatur, Deum velle caſum Adæ, quia voluit bonum Redemptionis inde conſequenter eruere. Neque è concurſu Dei phyſico ad eſum pomi, & multò minùs è creatione ſecuta eſt infectio originaria; ſed ex malitia Adæ Capitis, in quo naturaliter, & moraliter eramus incluſi, vt membra; & in eo ideò peccauimus, vt notat D. Auguſt. *l.3. de pecc. merit. c.7.* Hoc ſenſu dici nos natura filios iræ *Eph.2.* ait *tr.44. in Ioan.* Sic neque cauſans cum Iudæis actum phyſicum, mortis Chriſti poteſt incuſari, vt cauſa execrandi facinoris, è libertate Iudæorum ſecuti; quia culpa non ex vi actionis phyſicæ ſequitur, ſed ex malitia, Verbi gratia Iudæorum: nam poterat ab eis occidi meritoriè, ſicut fuiſſet occiſus Iſaac à parente. Dat S. D. *in 2. d.37. artic.2. quæſt.1.* exemplum. Virtus motiua animæ cauſat motum progreſſiuum animalis, ſed non claudicationem coniunctam; ſed hæc cauſatur à concauſa tibia deficiente. Hanc doctrinam pretioſam acclamat Morandus, *tract.4. n.439.* Eſtque etiam D.T. 2. *d.37. quæſt.2. art.1.*

Secundum caput Scripturarum eſt, quæ indicant Deum creare impium, vt in eo rigorem iuſtitiæ exerceat. Sic Prou.16. *Vniuerſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus; impium quoq; ad diem malum.* Rom.9. *An non habet poteſtatem figulus facere aliud vas in honorem; aliud in contumeliam?* Exodi 9. *Idcircò autem poſui te, vt oſtendam in te fortitudinem meam, & narretur nomen meum in omni terra.* Vel vt Apoſtolus refert Rom.9. *In hoc ipſo excitaui te, vt oſtendam in te virtutem meam.*

313 Reſpondet D.Bonauent. *d.40. quæſt. vlt.* Deum ordinaſſe peccatores ad debitas pœnas, ſuppoſitâ præuiſione culparum; & licèt poſſet impedire culpas, tamen voluiſſe permittere, vt reos puniret; at verò quòd ideò creauerit, vt reddens reos, ipſos puniret; eſt hæreticum, vt dixi ſuprà cum D.Fulgentio. Ità reſpondet D.Aug. *ep.106. & in Enchir. cap.27.* Et hoc expreſſit Spiritus Sanctus *loc.cit. Prouerb.* dum ait: *Omnia propter ſemetipſum Deum creaſſe*; in *omnibus* autem includuntur omnes homines; mox ſubdit; *Impium quoque ad diem malum*; nempè iam impium præuiſum ad damnationem; non autem hominem ad impietatem, & damnationem, vt latrant Caluinus, & Beza. Ità nobiſcum diſſerit S.Auguſt. *l.3. in Iulianum, c.18.*

314 Hoc etiam colligitur ex ſecundò loco Scripturæ; vt aduertit S. Bonau. *d.41. quæſt.2.* nempè Deum aliqua vaſa è terrenæ materiæ maſſâ iam culpatâ compoſuiſſe ad pœnam. Id autem à ſeipſis habent, vt ſint vaſa in contumeliam, licèt à Deo haberent vt ſint vaſa; at vaſa in honorem, habent vtrunque à Deo, & vt ſint vaſa, & vt ſint in honorem. Quamuis enim aliquo motiuo eos Deus præparet in honorem; tamen adhuc non eſt ex merito; ſed Dei beneplacito, vt aduertit

S.D. Ità exponit etiam D.Aug. *ep.*103.*&* 106. Quare Beza videns, præclarè locutum S.Auguſt. negat illius authoritatem, & infert. Quod ſi maſſa accipienda eſt iam deprauata peccato originali; non autem maſſa terræ, ex qua primò conditus homo, tam nota eſſet cauſa deſtinationis ad iram; quàm deſtinationis ad miſericordiam. Cur autem Apoſtolus clamaret? *O altitudo diuitiarum.*

Reſpondet per maſſam intelligi genus humanum corruptum. Sic exponitur non modo à D.Auguſt. ſed etiam S.Ambroſio, Haymone, Primaſio, Beda, S.Anſelmo, S. Thoma, & D. Bonauent. & hoc oſtendit Apoſtolus dicens, Deum odio habere vaſa illa iræ: Ergo non fecit illa, quippè nil odit ſuorum operum. *Sap.*11, 25.

Ad argumentum Bezæ reſpondit Seraphicus *loco cit.* exclamare Apoſtolum; non quia Deus reprobet iniquos; hoc enim eſt ratione manifeſtum; neque cur Iacob eligat: Eſau non eligat ex ſua mera voluntate, hoc enim non eſſet arcanum, ſed voluntarium euidenter.

Admiratur autem incognitam rationem, ob quam voluntas Diuina, quæ eſt rationalis ex eadem maſſa vnum eligat; alium non; vt dicam *diſp.*21. *quæſt.*12. Non ad culpas verò aut pœnas conditum hominem clamant Ambroſ. *de Parad. cap.*8. Auguſt. *de corrept. cap.*12. Chryſoſt. *de interd. arboris.*

315 Instat ſecundò. Quia Deus dicitur feciſſe vaſa iræ. Reſpondetur cum Seraphico *loco cit.* & *d.*40. *ar.*4. *quæſt.*2. Deum facere vaſa iræ; id eſt, ea, quæ deprauata ſunt peccato, exponere pœnis, & facere vaſa pœnarum, quæ per iram intelliguntur. Sic enim ſæpè Deus dicitur effundere iram, cùm punit. Ad illud de Pharaone; reſpondetur cum S.D. *loco mox adducto*, Pharaonem non fuiſſe à Deo creatum ad ruinam, antecedenter ad præſcientiam peccati; ſed peccatorem iam præuiſum iuſtè fuiſſe punitum; ſiue etiam poteſt dici, Deum, cùm præuideret hunc ſceleratiſſimum fore, & poſſet occidere, vel impedire, ne thronum aſcenderet; tamen conceſſiſſe, vt in eo oſtenderet Iuſtitiam; non autem quod velit dicere; excitaui te ad peccatum, vt prauè exponunt hæretici.

316 Tertium caput Scripturarum eſt, quæ videntur aſſerere, Deum impellere homines ad peccatum vt 2. Reg. cap.24. *Addit furor Domini iraſci contra Iſrael, commouitque Dauid dicentem, Vade, numera populum.* Et cap.16. ait: *Dominus præcepit Semei, vt malediceret Dauid.* Et 3. Reg.22. ait Spiritui nequam, *Vade decipies Achab, & præualebis. Vade, & fac ita.* Et Ioan.13. *Quod facis, fac citiùs.* Idem 3.Reg.cap.11.& 12. *Rebellauit Ieroboam contra Roboam.* Et 4.Reg.cap.9.& 10. Ieheu contra Achab, & hoc dicitur factum à Deo. Simile eſt præceptum Oſeæ fornicandi; & Iudæis in Exod.11. furandi theſauros Ægyptiorum.

317 Reſpondet Seraphicus ad eum locum Ioan. è D. Auguſt. *tract.*62. *in Ioan.* Deum non præcepiſſe, neque ſuaſiſſe peccatum; ſed tantùm permiſiſſe, ac prædixiſſe quid facturi erant peccatores, Deo permittere volente talia facinora.

Addit cum D. Chryſoſt. *homil.*71. *in Ioan.* verba ſuprà allegata non eſſe præcipientis, neque ſuadentis; ſed exprobrantis, & oſtendentis, quod volebat corrigere peccatorem; ſed quia incorrectè ſe habebat eum dimiſit; ſicuti ſolemus dicere. *Non vis audire ſancta conſilia? abi in malam crucem.* Ita reſpondet Valentia in Analyſi fidei *l.*8. *cap.*3. *ad* 3. ſumptum è Scripturis argumentum, & Cano ibi allegatus, De numeratione populi. Id de Iuda patet, in quem intraſſe Sathanam poſſeſſorem, cùm dixiſſet Ioannes, ſubdit *&*, ſeu *ergo*, vt habet Græcè *dixit ei.* Quaſi dicat. Tu te ſatanæ dediſti obſtinate, Vade.

Ad illud de numeratione populi dico, Deum commouiſſe Dauid ad numerandum populum ex prouidentia; poſtea verò præuiſo, quod is inde ſuperbiret, eum commouit ad bonum, etiamſi videret, inde illum arrepturum malum. Id phraſis indicat, *Commouit Dauid dicentem*, vt Deus volentem, tandem permiſerit ad pœnam. Enim verò numeratio populi fuit mala ex defectu ſolutionis ſicli omiſſæ, quam Deus non intendit, vt notat Toſtatus Abulæ Epiſcopus.

Quò ad illud de Semei. Reſpondetur cum Seraphico in Diæta *tit.*7. *cap.*1. quòd Deus non præcepit Semei maledicere; ſed illi volenti maledicere, indixit inuenire Dauid, elicientem ex illo malo bonum humiliandi ſe. Et ideò præcepit, vt oſtenderet in Dauid hoc ſignum patientiæ, ſuppoſito, quòd volebat illi maledicere. Ità exponit D.Auguſt. *lib. de gratia, & lib. arb. cap.*20. quem referam *quæſt. ſequenti.* Obſeruo etiam verbum *dixit*, ſonare Hebraicè אמר Omer *Geneſ.*1. & in hoc cap. ſed vbi dicitur: Præcepit Dominus, legitur אמר Emar, & ſignat Ironicum iuſſum merè permiſſiuum. Sic Æneid.4. I, *ſequere Italiam ventis.* 318

Ad illud de Achab; reſpondet D.Bonau. *in* 2.*d.*10. *dub.*1. *litt.* quòd in opere diaboli ſunt duo *Poteſtas: & vſus*; poteſtas ei à Deo collata eſt: vſus verò poteſtatis non eſt à Deo præcipiente; ſed potiùs permittente. Igitur permiſſiuè conceſſit diabolo iam volenti poſitiuè אמר, vt id aſſequeretur; & quia hoc Achab merebatur à Deo permiſſum eſt in ordine ad pœnam ſceleſtiſſimi Regis, eodem modo ſoluit illud Pſalm.77. *Immiſſiones per Angelos malos.* Idem reſpondet in 2. *d.*37. *art.*2. *quæſt.*1. *ad* 1. vbi etiam aduertit, quod verbum *imperatiui modi*, in Scriptura aliquando ſignificat præceptiuè, aliquando conſultoriè; aliquando inſinuatoriè; & aliquando permiſſiuè; quod aliquando patet è Scripturis. Sic exponit S.Aug. *l.*2. *ad ſimpl. quæſt.*2. vbi ait: *Cum audiris. Ego Dominus ſeduxi prophetam illum; merita illius cogitare, quem ſic obdurari, vel ſeduci permiſit.* Idem habet *l. de gratia, & lib. arb. cap.*23. 319

Respondet ſecundò in 2. *d.*37. *quæſt.*1. Deum catenus velle peccata aliquorum, quatenus vtitur illis, tanquam inſtrumentis ſuæ iuſtitiæ, ad alios puniendos; & ad hoc affert illud Iſaiæ 10. vbi ſecundùm Gloſſam vocat Senacherib, & alios barbaros, *ſecurim, virgam furoris ſui; ſerram.* Et c.13. Dicitur Deus velle ſuſcitare Medos, & Perſas, & initio ait: *Præcepi ſanctificatis meis.* Et Hier.51. *Excitauit Dominus ſpiritum Regum Medorum.* Et cap.50. Rex Babylonis vocatur. *Malleus vniuerſæ terræ.* Igitur actiones iſtorum inſtrumentorum erant ſecundùm actum poſitiuum voluntatis ordinatæ ad puniendos peccatores, quos virtute etiam ad reſiſtendum priuabat; vt habetur *Pſ.*88. at verò malitiæ, qua ipſi ſæuiebant, erat à Deo ſolùm permiſſiuè. Sic Venator dicitur immittere canem in leporem, etſi tantùm ſoluat. Hæc ferè reſpondet etiam Bellarm. qui eodem fundamento, & alia loca ſoluit, vt Pſalm.118. *Inclina cor meum in teſtimonia tua; & non in auaritiam.* Tamen S.Bonau. ad eum Pſalm. ità exponit. *Inclina per diſciplinalem diſpoſitionem, & illuminationes, id eſt, fac me ità diſciplinatum, vt tendam in tua teſtimonia; & ne contaminer auaritia, quæ eſt radix omnium malorum, ſicut humana trahit fragilitas.* 320 321

Ad ea, quæ afferuntur de Imperio impiè vſurpato à Ieroboam, & Iehu. Reſpondet Seraphicus 2. *d.*44. *art* 2. *quæſt.*1. dato, & non conceſſo, hos viros fuiſſe vſurpatores regni, ſicuti vrget Caluinus, ex illo Oſeæ 8. *Ipſi regnauerunt, & non ex me; Principes extiterunt, &* 322

non

non cognoui; poteſt hoc comparari vel ad meritum ſubditorum, vel ad voluntatem iſtorum Tyrannorum. Quò ad primum, volita eſſe potuit tyrannis eorum ad probationem bonorum, vel pœnam populorum iniquorum. Sic dicitur Iob 38. *Facit regnare Hypocritam propter peccata populi.* Et Oſeæ 13. *Dabo eis Regem in furore meo.* Igitur negat Deus, ſe voluntate antecedente voluiſſe horum tyrannidem; ſed voluntate conſequente, nempè ſuppoſita eorum tyrannide, ab eis volita, Deum voluiſſe eam dirigi in bonum populi; ſiue ad exercitium bonorum; ſiue ad emendationem malorum. Neque verò voluntate approbante Deus eorum imperium voluit; quia non approbauit quoad cauſam, quæ anteceſſit: Nam Deus non approbauit infidelitatem Salomonis in Diuinam Maieſtatem; eiuſque rebellionem contra Dominum, vnde mereretur, etiam populos à ſe deſciſcere; tamen ſuppoſito peccato Salomonis, & conſpiratione Hebræorum, ac Ieroboam vſurpatione intentatâ, placuit Domino permittere, Hebræos deficere à Solomone; & Ieroboam Imperium arripere.

323 Vae. dic, non placuiſſe vſum Ieroboam, & Iehu, atque aliorum, qui impiè rexerunt ſceptrum ſibi datum à Deo. Et quidem probabilius eſt, hos duos non peccaſſe; imò ſceptrum ſibi datum à Deo obtinuiſſe; vt colligit S. Auguſt. *l.17. de ciu. Dei cap.*21. & 22. *ex 3. Reg. cap.*11. *&* 12. Quoad Ieroboam; ibi enim Deus comparat Ieroboamum cum Danide, & promittit protectionem ſuam, & deterret Roboamum, ne exercitus contra eum ducat, dicens: *A me enim factum eſt verbum hoc.* Similiter Iehu nihil talia cogitantem, iuſſu Eliſæi, vnxit filius prophetarum dicens. *Hæc dicit Dominus. Vnxi te Regem, &c.*

Hinc etiam facilè ad multas alias Regnorum vſurpationes, aut inuaſiones reſpondemus. Addont adhue hæretici illud Pſalm. 43. *Declinaſti ſemitas noſtras à via tua.*

Reſpondetur ex D. Bonauent. ad eum Pſalm. illam declinationem non eſſe ad peccata, ſed receſſum ab auxilio; ideò ſubdit: *Exurge, quare obdormis Domine? Exurge, ne repellas in finem.*

324 Ad illud Oſeæ 1. reſpondet S. Bonau. *d.47. quæſt. vlt.* Deum non præcepiſſe actum libidinoſum; ſed ſolùm, vt ſumeret non ſuam, quod eſt malum in ſe; ſed tamen à Deo factum, eſt bonum; quia cùm ſit Dominus, fecit eam illius, mutando materiam præcepti.

Ad id de Iudæis. Reſpondetur, Deum, vtpotè Dominum omnium, tranſtuliſſe dominium, & meritò, quia res dedebantur ea mercede. Ità etiam Baſſolis 1. *d.46. quæſt. vnica, artic.*3. Maſtrius, *d.4. quæſtione* 3. *num.*55.

325 Adverts autem cum Seraphico, *hac quæſt.* quod quamuis Deus permittat peccatum, non poteſt dici cauſa eius directè; neque indirectè; neque per ſe; neque per accidens. Quòd non directè, iam oſtenſum eſt. Quòd neque indirectè, probatur. Nam Diuina voluntas non attingit ad ipſum peccatum, tanquam ad effectum efficaciter procedentem ab ea, quod ſanè requiritur, vt aliqua cauſa dici queat attingere effectum indirectè, & per accidens; vt cùm Petrus vcoando peruenit ad theſaurum, licèt non fuerit talis inuentio ab eo intenta. Quòd ſi aliquis latro rapiat à Petro illum theſaurum, quem reuelauit, non dicitur Petrus cauſa illius furti; licèt detexerit theſaurum, quia actio defoſſionis theſauri non conducit ad rapinam eius. Deinde: Deus non tenetur impedire peccatum: Ergo non eſt cauſa indirecta, eo modo, quo eſſet cauſa ſubmerſionis nauis, ille nauta, qui, cùm teneatur aſſiſtere; deſerendo, fineret eam mergi.

326 Bellarminvs *cap.*13. Quartam reſponſionem affert, ſi fortè aliæ non ſatisfacerent. Deum non ſolùm permittere impios mala agere, nec ſolùm deſerere pios, vt à ſceleſtis mala ſubire cogantur, ſed etiam præſidere ipſis voluntatibus malis, eaſque flectere, vt à Diuina prouidentia ad vnum potiùs malum, quàm ad aliud ordinentur permiſſiuè. Imò etiam poſitiuè inclinando in vnum, & auertendo ab alio, occaſionaliter, & moraliter immittendo cogitationem aliquam bonam, ea qua malus è ſua malitia anſam arripiat iudicandi, melius eſſe nocère huic, quàm illi, vel huic iniquitati ſeruire, quàm illi; & hoc ſenſu à D. Auguſt. & Theodoreto, ait exponi illud *Pſal.* 104. *Conuertit cor eorum, vt odirent populum ſuum.* Sic benefaciendo Hebræis, vnde Ægyptij anſam arriperent eos perſequendi. Per hanc doctrinam reſpondet locis ſuprà adductis ab hæreticis, & dicit, eſſe doctrinam Hugonis de S. Victore, *l.1. de ſacram. p.5. cap.*29. & D. T. *in cap.9. ad Rom.* Idem docet Maſtrius, *d.3. n.*180. *& d.4. quæſt.* 3. *num.*53.

Hæc tamen doctrina nulla mihi ratione probatur, eamque impugnat Richardus, *d.46. q.*2. vbi refert Hugonem *l.1. p.4. capite* 12. qui idem habet *p.5. cap.*29.

Impvgnatvr quoque à Seraphico, *d.46. quæſt.*2. è D. Aug. relato à Magiſtro *ea diſt.* Rationibus etiam eam oppugnat *quæſt.*3. vbi oſtendit, mala fieri, non eſſe bonum, vt ſuprà vidimus. Maximè verò, quia ſequitur, Deum determinare voluntatem ad malum, vel eam inclinare, dum talem cogitationem immittit ad hoc. Quòd ſi dicas, immittere cogitationem ſolùm ad bonum; ſed præuidere illum ex ſua malitia indè deflexorum ad malum; adhuc eſt ſola permiſſio, ſeu voluntas conſequens permiſſiua; & nihil ampliùs; & non poſitiuum quid, vt addit Bellarminus; neque aliquid ampliùs colligitur ex illo *Pſal.* 104. quàm quod Deus contulit Hebreis beneficia, non è quibus Ægyptij odio accenderentur; ſed quibus præuideret Deus, Ægyptios in deterius abituros, ex paſſiua occaſione. Deus autem nihil actiui contulit ad hoc; ſed meram conſequentem permiſſionem. Quare vel nihil addit reſponſionis D. Bonau. vel ſi poſitiuum quid influens in culpam, non poteſt ſuſtineri, quia redolet, Deum authorem culpæ. Sanè nil poſitiui admittit D. Auguſt. vt habes *tr.53. in Ioan. l.5. in Iul.* & *ep.*105. vt notat Bouer. 327

Vrgeo. Si bona illa cogitatio non inſinuat malum; ſed tantùm bonum, vt dicit Bellarminus. Ergo ea minùs cooperatur ad euentum malum ex parte Dei, quàm carentia ſanctæ cogitationis. Sed carentia ſanctæ cogitationis ſolùm priuatiuè obdurat. Ergo, &c. Hoc pacto intelligendus eſt D. Aug. *l. de gratia, & lib. arb. c.*20. *&* 21. & *l. de correp. & gratia, c.*4. quæ Bellarminus detorquet.

Qvartvm caput Scripturarum ab hæreticis opponitur, quæ aſſerunt, Deum indurare, vt *Exod.* 7. 8. *&* 9. vbi dicitur, *Indurauit Deus cor Pharaonis.* Deuteron. 2. *Indurauerat Dominus ſpiritum Sehon.* Ioſue 11. *Domini ſententia fuit, vt indurarentur.* Primò Reg. 2. *Non audierunt vocem patris ſui, quia Dominus voluit occidere eos* 3. Reg. 12. *Non acquieuit Rex populo, quoniam auerſatus fuerat eum Dominus:* Iſaiæ 19. *Miſcuit in eis ſpiritum vertiginis*, & cap. 63. *Induraſti cor noſtrum, ne timeremus te.* Hierem. 20. *ſeduxiſti me Domine, & ſeductus ſum.* Ioan. 12. *Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Iſaias. Excæcauit oculos eorum, & indurauit cor eorum.* Rom. 1. *Tradidit eos in reprobum ſenſum, vt faciant, quæ non conueniunt.* Rom. 9. *Cui vult miſeretur, & quem vult, indurat.* 328

De his ediſſerit D. Bonauent. *d.*40. *artic.*4. duabus quæſt. & nos agemus, *diſputat.* 22. *quæſtione quarta.*

Reſpondet

329 Reſpondet ergò S. D. *quæſt.2. ad 1.* cum vniuerſis ſanctis Patribus, vt fatentur Petrus Martyr. *in cap.1. ep.ad Rom.* & ferè Caluinus, *l.2. Inſt.cap.4.§.4.* vbi tamen addit, in quibuſdam fieri aliquam obfirmationem miniſterio Satanæ.

Igitvr reſponſio ſanctorum Patrum ea eſt, Deum ad obdurationem nihil poſitiue efficere, ſumpta obduratione, vt dicit peruicaciam, & pertinaciam in peccato; ſed tantùm priuatiuè, non conferendo ampliora auxilia, & ſinendo eum obdurari, Idem reſpondent D.T. 3. *contra Gent. cap.162.* Et eruditè inter Scholaſticos Cano *de Locis l.2. cap.4.* & alij referendi quæſtione citatâ.

Quamuis autem hæretici fateantur, hunc eſſe ſanctorum P.P. vnanimem conſenſum; attamen probatur cum D. Bonauentura præcipuè è D.Aug. *trac.1. & 53. in Ioan.ep.105. l.1. ad ſimplicianum, q.2. l.3. in Iulianum, cap.3.*

Idem habent Chryſoſtm. *homil.3. in epiſt. ad Rom.* D.Gregorius *l.25. Moral.cap.12. & 13.* Damaſc. *l.4. de fide, cap.10.* Iſidorus *l.2. de ſummo bono, c.19.* Clem. Alex. *l.1. Strom. in illud* Matth. 13. *Ideò in parabolis loquor.*

330 Observat autem Seraphicus, *obdurare* è rebus corporeis tranſlatum eſſe ad ſpiritualia. In corporeis autem, Verbi gratia lapidum duritie, tria habentur. Primò enim, durum eſt inhabile ad ſuſcipiendum. Secundò ſtabile ad ſic permanendum. Tertiò eſt forte ad reſiſtendum. Sic & cor obduratur. Et primò eſt inhabile ad impreſſionem gratiæ ſuſcipiendam. Et hæc eſt paſſio, & pœna ſequens culpam. Secundò cor obduratum in peccato ſtabilitur, & hoc modo eſt peccatum non nouum; ſed antiquum, cum diſpoſitione ad alia patranda. Tertiò obduratum cor dicitur rebelle, veritatem agnitam impugnans, & Spiritui Sancto reſiſtens. Et hoc eſt peccatum ſpeciale in Spiritum Sanctum.

331 Igitvr, vt pœna eſt, à Deo venit, quatenus iuſtè priuat obſtinatum vlterioribus auxiliis, quod S.Aug. ad ſimplicianum *loco cit.* vocat *nolle miſereri.*

Quòd verò, vt culpa eſt, non ſit à Deo; neque Deus concurrat agendo, contra aliquos Probatur à D.Bonau. ex 1. Ioan. *Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Lux in tenebris lucet.* Vbi adducit S.D. cum D. Auguſt. elegantem ſimilitudinem. Sicut cæco poſito in ſole eſt præſens lux, & non defectu ſolis, ille nequit videre; ſed ſua cæcitate eſt abſens Soli; ſic omni cæco præſens eſt ſapientia, & ipſe eſt abſens.

332 Affert quoque illud Apoc. *Ego ſto ad oſtium, & pulſo. Si quis aperuerit, intrabo, &c.*

Adducit ſimiliter illud D. Anſelmi. *Non ideò non habet homo gratiam, quia Deus non dat; ſed quia homo non accipit. Ideò Deus ſolùm ſinit, eum perire, quia ità vult.*

Qvoniam verò Caluinus procax replicat, ridiculum eſſe dicere; Iudicem punire ſolùm permittendo. Omitto eum refelli à SS.Chryſoſtom. *in 2. ad Timot. cap.3.* Aug. *ll.cc.*

333 Id ſoluit S. Bonauentura *d.4. quæſt.2. citata ad 1.* dicens, Magnam hanc eſſe punitionem, priuando iuſtè rebellem gratia, qua ſaluaretur. Sicuti ſi aliquis eſſet dignus perire fame; & iudex ſineret illum perire, cùm poſſet cibare. Ità iudex eſſet cauſa mortis illius tantùm permiſſiuè; & ipſe Iudex diceretur iuſtè feciſſe; tametſi nihil fecerit, & ad hunc modum Scriptura, & Patres ſub nomine actionis ſignificat hanc derelictionem, vt notat Seraphicus, & cum eo Bellarminus, poſt D.Damaſc. *l.4. de fide c.20.* apud Bouerium.

Igitvr Deus indurat, non infundendo gratiam; quam tamen non infundit, quia ille peccator è ſua peruicaciâ, & habitu, in peccato obfirmatus non vult; quod ſi vellet; Deus daret, vt ſuprà oſtendi cum D.Bonauent. exemplo cæci. In quo deceptus eſt Bellarminus, dicens, impium dici cæcum, quia moraliter non poteſt videre, eò quòd Diuino deſtitutus auxilio, nequeat obtinere auxilium ſuæ congruum neceſſitati; cuius oppoſitum pluribus demonſtrabo, *diſputat.22. quæſt.6.*

Sic ſoluitur Rom. 1. *Tradidit illos Deus, vt contumeliis afficiant corpora ſua.* Cui reſpondet D. Bonau. *in 2.d.27. artic.2. quæſt.1.* referens Gloſſam dicentem, *Immundas actiones, quibus afficiunt, & inficiunt corpora ſua, habent non aliunde; ſed a ſemetipſis; non tamen habent hoc à Deo.* 334

Poſſet quidem dici peccator morali difficultate preſſus, quatenus malo habitu in peccato adhærens, ab illo non vult recedere, nec oculos cælo aperire; & hoc videmus in maximis peccatoribus, vt Pharaone, & aliis.

Concludit ergo S. Bonauentura, Deum obdurare, quatenus priuationem illam gratiæ ordinat ad puniendam pertinaciam obſtinati, qui ſe reddit inhabilem voluntariè, vt de eo dicat Hierem. 13. *Si poteſt Æthiops mutare pellem ſuam, & Pardus varietates ſuas; ita & vos poteſtis benefacere,* vt refert S.D. *ad 13. & ad c.12. Ioan.* cùm Encherio Lugdunenſi *de qq.* 335

Ex his reſpondetur ex Seraphico ad Scripturas. Pharao quidem habuit auxilia ſufficientia; & ideò ei obijcit Deus c 9. *Vſquequo non vis ſubijci mihi?* Ipſeque confitetur. *Dominus iuſtus eſt: Ego autem, & populus meus, impij.* Iudem dicitur ipſe aggrauaſſe, & induraſſe cor ſuum, & auxiſſe peccatum ſuum; ſi autem Deus eum poſitiuè feciſſet obſtinatum; non fuiſſet Rex in culpa, fuit autem reus. 336

Ad illud Hierem. Reſpondetur cum D. Hieronymo, Deum ambiguè locutum ad Intellectum eius; & ideò ipſum, diuersè intelligentem, ſeductum fuiſſe. 337

Ad illud *Ioan.12.* Reſpondet S.Bonauent. ad eum locum Ioan. Excæcationem non fuiſſe à Deo poſitiuè; ſed quia non dat gratiam illuſtrantem. Vnde Iob 34. *Inducit noctem, & conterentur.* Vbi S.Gregorius, *l.25. Moral. cap.9.* ait: *Ibi inducere noctem, dicitur Dominus, non quod ipſe tenebras inferat; ſed quia obſcura corda peccantium miſericorditer non illuſtrat.* Et D. Auguſt. *l.1. de Geneſ.* contra Manichæos, cap.3. *Dominus dicitur facere tenebras, quia lumen non dat; vel quia lucem detrahit. Et ideò in Iob dicitur. Si incluſerit hominem, nullus eſt, qui aperiat.* Vbi S. Gregorius l.11. Moral, cap.5. *Includere Dei eſt clauſis non aperire; & indurare per iuſtitiam dicitur, quando cor reprobum per gratiam non emollit, & ſequitur, vt non credant, quod facit iuſtitia; ſinens eos facere, quod volunt. Cuius vult, miſeretur, & quem vult indurat,* Rom.9. Et cap.11. *ex parte contingit cæcitas in Iſrael.* Et de his Chryſoſt. homil.57. in Ioan. *Scilicet illud, quod ait Iſaias, cauſale non eſt; ſed euentus. Sic poſitum eſt: Non poterant, ideſt, Noluerant, & hoc prædixit infallibiliter Iſaias.* Sic diſſerunt Aug. *tr.53. in Io.* Chryſ. Hom.27. Orig. ad *Philoc. c.27.* Iuſtin. *Dial. cum Tryph.* 338

Igitvr infert, quòd non poterant credere, quia ipſi erant nolituri, quod Iſaias iam viderat futurum, & ideò ex hâc hypotheſi non poterat aliter fieri. Ità reſpondet etiam Bellarminus *c.14.* De his agam, *diſp.22. q.4.* Eodem ferè pacto intelligitur id Ioan. 5. *Quomodo poteſtis credere, qui gloriam ab inuicem accipitis.* Non enim aſſerit eis impoſſibile credere; ſed aſſignat magnum illorum voluntarium impedimentum, ideſt, ſuperbiam: Nam credere, eſt ex humilitate cordis Diuinæ gratiæ ſe ſubijcere, *captiuando intellectum in obſequium* 339

ſequium Chriſti, vt ait Apoſtolus 2. *Cor.* 10. Ità D. Bonau. & poſt eum Bellarminus.

340 VLTIMVM caput Scripturarum, in quibus Deus ipſe dicitur malum operari. Lucæ 2. *Ecce poſitus eſt hic in ruinam, & reſurrectionem multorum, & in ſignum cui contradicetur.* Ioan. 9. *In iudicium veni in mundum, vt qui vident cæci fiant.* Iſaiæ 8. *Erit Dominus in lapidem offenſionis, & petram ſcandali duabus domibus Iſrael, in laqueum, & in ruinam habitantibus Hieruſalem.* Idem habet Rom. 9. Prima Petri 2. & 2. Cor. 5. *Chriſti bonus odor ſumus Deo aliis quidem odor mortis in mortem.* Et Iſaiæ 45. *Ego Dominus creans malum.* Tandem vrget Caluinus, *l. 2. Inſt. cap.* 17. §. 2. illud 2. Reg. cap. 12. *Hæc dicit Dominus. Ego ſuſcitabo ſuper te malum de domo tua, & tollam vxores tuas in oculis tuis, & dabo proximo tuo, & dormiet cum vxoribus tuis in oculis Solis huius. Tu enim feciſti abſconditè: Ego autem faciam in conſpectu omnis Iſrael, & in conſpectu ſolis.*

RESPONDET Seraphicus, Deum voluntate antecedente nullum peccatum voluiſſe, at voluntate conſequente, ſuppoſitâ malitiâ peccatorum, voluiſſe ordinare illorum culpas, ad pœnas eis infligendas.

341 ET quidem ad primum reſpondet præcisè in *Comment. Luca* 2. Ruinam pœnalem eſſe inflictam Diuino iudicio in pœnam contradictionis factæ Chriſto, qui venerat ſaluare illos. & hanc quidem fieri voluntate conſequente eorum obſtinatam contradictionem. Hinc Iſaiæ 41. dicitur. *Peribunt viri, qui contradicunt tibi.* Et Eccleſ. 14. *Ne contradicas verbo veritatis vllo modo.* Sic reſpondet & S. Fulgentius *l. 1.* ad Traſimundum *c.* 4. & Bellarm. *c.* 15.

342 ILLVD verò *Ioan.* 9. Sic explicat D. Bonauentura *Comment.* Poſtquam cæcus illuminatus adorauit Chriſtum, manentibus Iudæis in ſua pertinacia, dixit Ieſus. *Ego in iudicium veni, vt qui vident, cæci fiant.* Reſpondet autem; Chriſtum per ſe veniſſe, vt illuminet omnem hominem, quia ipſe de ſe teſtatur. *Ego ſum lux mundi.* Lux autem non eſt cauſa obtenebrationis. Igitur notandum docet è D. Auguſt. *tract.* 22. *in Ioan.* Primum actum diſcretionis eſſe, quo diſcernuntur credentes à non credentibus; ſicut lux à tenebris. Et ſic Deus venit diſcernere credentes à ſuperbis, credere nolentibus, & putantibus, ſe Aquilis perſpicaciores. Secundùm eſt iudicium damnationis, & ad hoc non venit in priori aduentu. Ideò in primo ſuo aduentu cæcos vocat, qui ſuam confitentur; medico infirmitatem videntes verò vocat eos, qui ſe gloriantur videre, & medicum ſpernunt. & quia tales nolunt illuminari; ſed auertunt ſe; ideò dicuntur cæci fieri, non à Deo efficiente; ſed à ſuperbia ſua auertente illos à vera Luce. Hinc *cæcitas ex parte intrauit in Iſrael*, vt ait Apoſtolus, & gentes apprehenderunt iuſtitiam. Ipſe enim ità poſitus eſt in ruinam, & reſurrectionem; at ſuppoſitâ obſtinatione Iudæorum, eſt ipſis in ruinam.

343 SIMILE eſt illud Iſaiæ 45. *Ego Dominus creans malum*, cui reſpondet S. Bonau. *ad c. 1. Ioan.* è D. Aug. *l. de moribus Manich. cap.* 7. Creare, ideſt, ordinare malum puniendum ad bonum. Sicut enim creatio ex nihilo eſt; ità bonum, quod ex malo eſt, ex nihilo fit. Nam peccatum eſt nihil, vt dicitur *Ioan.* 1. *Sine ipſo factum eſt nihil.* Dicitur autem creare malum; ideſt, quod eſt nihil vertere ad bonum, ſeu ordinare ad bonum, & pœnæ malum è culpæ abyſſo eruere, vt ait Tertul. in Marcionem.

344 EX his explicitus manet locus 2. *Reg.* Non enim antecedenter impulit Deus Abſalonem ad inceſtum (abſit) ſed ſuppoſito peccato Dauid, quod merebatur pœnam talionis; & ſuppoſito conſilio prauo Achitophelis, illum politicè conſulentis inhonorare Patrem in vxoribus; vt populi rebellarent in Dauidem, ſecurè ſcientes non poſſe ampliùs Patrem Filio reconciliari; neque timerent pannos obſitos ad aëra ſpargendos; vt fert vulgatum ſermone prouerbium. Deus ordinauit tantùm dedecus ad pœnam, & pœnitentiam Dauidis; & cùm poſſet impedire Abſalonis facinus; illud tamen permiſit.

Addit Beza ad Caſtalionem, illud Epheſ. 1. *Qui operatur omnia ſecundum conſilium voluntatis ſuæ.*

Reſpondetur cum D. Bonauentura *d.* 45. *quæſt.* 1. *in corpore, q.* 2. non eſſe ſenſum; Deum eſſe omniuolentem, ſed operari omnia, quæ operatur, conſiliatè, ideſt, prudenter. Sic D. Hier. *ibi.*

CERTVM eſt adeò, SS. PP. Catholicam hanc veritatem vnanimes confiteri; Deum ſcilicet Optimum, Maximum, nullo modo eſſe cauſam peccati, vt nihil clariùs. Eorum præcipuus S. Aug. adeò ſæpè id aſtruit, vt Seraphicus *d.* 46 *quæſt.* 2. tanquam exploratiſſimum acclamet, & ad multa in Magiſtro *d.* 46. loca perlegenda dimittat. Id enim fatetur *l. de ſpiritu, & litt. cap.* 31. *l. 2. de peccat. merit. cap.* 5. 17. & 18. *in tribus lib. de lib. arb.* ad hunc finem contextis. *Ep.* 105. *l.* 13. *de Trin. cap.* 12. *l.* 5 *de ciu. c.* 8. & 9. & *l.* 12. *Confeſſ. c.* 11. Tractatibus in Ioannem, præſertim ad *c.* 1. *libroque de Prædeſt. ſanct. c.* 10. & *aliis locis ſuprà citatis.* 345

AVDENT tamen hæretici loca aliqua D. Auguſt. pro ſe allegare, quæ ſolam permiſſionem Dei aſtruunt, vt latè obſeruat Bellarm. *cap.* 16. & notauit S. Proſper ad *ad Obiec. Vincentianas*, 10. & *ſeq. ad* 17. vbi inſanos, ac mente captos proclamat, qui hanc blaſphæmiam D. Aug. inurunt. 346

Obijciunt primò D. Auguſt. *l.* 9. *Confeſſ. c.* 8. vbi ait: *Quid egiſti Deus meus, vnde curaſti? (ideſt, Monicam adhuc puellam à vinolentia) nonne protuliſti durum & acutum ex altera anima conuicium, tanquam medicinale ferrum, & vno ictu putredinem illam præcidiſti?*

RESPONDETVR è D. Bonau. *d.* 46. *quæſt.* 3. Deum non antecedenter, vel comitanter eum illa famula iaculatum eſſe conuicium; ſed illud iam conceptum, & iaculatum direxiſſe, & ordinaſſe ad bonum, permittendo famulam conuiciari. Hinc ibidem ait. *Tu, cui nihil omninò malum; ſed nec vniuerſa creatura tua, quia nihil eſt extra te, quod corrumpat, quem impoſuiſti.* Hinc ordinationem ſolam fuiſſe à Deo volitam conuincitur; non conuicium; alioqui ordinem à ſe poſitum in vltimum finem, perueiteret vt ait D. Aug. *ibi*, & *ll. cc.* 347

Obijciunt ſecundò Caluinus, & Beza D. Auguſt. *in Enchir. c.* 100. ait: Peccata non fieri præter voluntatem Dei, Deumque non inuitum, vel otioſum permittere peccata; ſed volentem. Ergo inanis diſtinctio Catholicorum; Deum nolle peccata; ſed tantùm permittere. Confirmatur. Nam permiſſio eſt ſignum voluntatis apud vos. 348

RESPONDET Seraphicus, *d.* 47. *dub.* 2. *litt.* Quòd Deus circa peccatum ſe habet, ita vt non velit illud, quia iuſtus eſt; neque nolit voluntate efficaci, dicens: Nolo ſequatur iſte effectus; Sed volo permittere eum defectum, quem præuideo, creatum arbitrium liberè voliturum. Permiſſio autem eſt ſignum, quòd Deus velit non id, quod permittitur; ſed id, quod ex eo elicitur; vult tamen actu poſitiuo permiſſionem, vt tenent S. Bonau. & alij, & probabo *quæſt. ſeq.* cum Trigoſio *q.* 15. *art* 3. *dub.* 1. quod probat è *loco cit. Enchir.* nam quia vult ſeruare ordinem vniuerſi, vt ait D. Aug. *l.* 7. *de ciu. cap.* 30. ideò, cùm homo ſit naturæ liberæ; ſi velit peccare, debet Deus ſinere eum velle liberè malum. Et in hoc ſtat permiſſio. Hæc Seraphicus D. *d.* 47. *q.* 3. *in corpore.*

ADDIT verò S. D. *quæſt.* 1. Deum voluntate antecedente beneplaciti nolle peccata, ea voluntate, qua vult omnes ſaluari; ſed quia vult ſimul, omnes liberos liberè 349

agere,

agere, vt ait *quæſt.*3. Ideò voluntate conſequente vult, non quidem peccatum; ſed vult permittere, vt qui non vult benè agere, malè agat. Ideò peccans facit non ſolùm contra voluntatem ſigni, vt putat Bellarminus, *cap.*16. ſed contra voluntatem antecedentem beneplaciti, qua Deus odio proſequitur impium, & impietatem; vt ſupra dixi. Et hoc modo, vt ait S. Bonauent. *d.*46. *quæſt.*5. *in corpore*, ille, qui peccando facit contra ordinem naturæ; incurrit in ordinem iuſtitiæ. Non ergo impudenter, vel otioſè Deus circa peccata ſe gerit. Et per hoc ruit hæreticorum oppoſitio. Neque verò hanc ſolam voluntatem *beneplaciti* habet Deus, vel vt non fiat peccatum; vel vt puniatur; ſed habet voluntatem antecedentem, vt non fiat; licèt hæc voluntas non ſit omnino abſoluta; vt benè ait etiam Bellarminus; attamen non laudo, quod eam vocet tantùm *ſigni*.

350 INSTANT hæretici è D. Auguſt. in Enchir. *cap.*96. vbi ait: *Vt non ſolùm bona, ſed etiam mala ſint bonum.* Ergo Deus illa vult.

RESPONDET D. Bonauentura *d.*46. *quæſt.*3. *ad* 4. malum eſſe bonum, & iuſtum, non in ſe, ſed occaſionaliter tantùm, quatenus eo vtitur Diuina prouidentia ad bonum; & hæc non eſt occaſio actiua; ſed paſſiua ad bonum, quatenus Deus inde elicit iuſtam punitionem, qua exhibet exemplum aliis, & ſuam iuſtitiam oſtendit, & ratione boni ſubſtrati eſt occaſio actiua, quæ ſola eſt volita à Deo. Et hoc ſenſu ait, verum eſſe illud Apoc.22. *Iuſtum eſt, vt qui in ſordibus eſt, ſordeſcat adhuc*, qui ſermo eſt improprius, & per accidens, quatenus iuſtum eſt, vt ille relinquatur à Deo; & ità ſordeſcere permittatur. Vult ergò D. Auguſt. Deo volente fieri mala. id eſt, volente permittere; non autem volente, quod fiant; hoc enim non poteſt percipi in Deo, & ipſe D. Auguſt loco ab hæreticis adducto ait, quòd: *Nihil fieret, niſi aut Deus faceret; aut ſineret fieri*, hoc autem eſſe bonum, occaſione paſſiuà captà à Diuina prouidentià, & iuſtitià; non tamen in ſe vnquam aliquid haberet appetibilitatis. Ità Seraphicus *loco cit.* & Bellarminus.

351 Obijciunt tertiò hæretici è D Auguſt. *loco cit.* vbi ait: *Aliquando homo vult voluntate malà, quòd Deus vult bonà.* Ergo Deus vult peccata; ſed bonà intentione.

RESPONDET D. Bonauentura *d.*48. *quæſt.*1. S. Aug. loqui de his, quæ non ſunt mala per ſe, ſed quia contra præceptum ſunt, vel ex circumſtantia finis. Igitur poteſt (vt ait S. Auguſt.) eſſe, vt Deus velit Patrem alicuius mori ex miſericordia, vt eum liberet à periculis damnationis: & Filius velit idem volitum à Deo, id eſt, mortem Patris, non ex charitate, in qua tenetur conformari Deo; ſed ex odio, vel auiditate hæreditatis. Tunc Deus vult idem, quod filius ille; nec tamen ille conformatur peccato illius; quia conformatur tantùm in volito; & filius quidem conformatur Deo in volito; tamen vult mortem Patris alio fine, etiam malo. Quare inſanam hæretici conſequentiam inducunt, vt ait Bouerius.

352 Obijciunt quartò è 6. *Geneſ. ad litt. c.*4 vbi S. Aug. ait, id euenire neceſſariò, quod Deus vult. Hinc infert Caluinus, Deum ab æterno decreuiſſe peccatum Adæ.

RESPONDET S. Bonauent. *d.*47. *quæſt.*1. ex eodem D. Auguſt *in Enchir. c.*107. *& de ſpiritu, & litt. c.*33. voluntate abſolutam Dei adimpleri conſequenter, poſito debito ordine rerum, & ità contingentia contingenter: & neceſſaria neceſſariò, quia vult omnia ſecundùm proprium modum, fieri. Neceſſitate igitur conſequentiæ omnia neceſſariò eueniunt decreto Dei; neque vnquam voluntas Dei fruſtratur; nam ſi homo non facit, quod Deus vult, voluntate antecedente, Deus facit de ipſo, quod vult, voluntate conſequente; & ita ſemper impletur Dei voluntas de homine; & ab homine. Licèt autem voluntatis Diuinæ actus ſit neceſſarius; tamen comparatus ad connotata contingentia, eſt contingens; & ideò effectus eius euenit contingenter. Suppoſito autem quod cauſa contingens vult, volente etiam Deo; tunc ex ſuppoſitione, ſequitur effectus neceſſariò.

ADDO quòd S. Bonauentura tangit difficultatem, 353 quæ poterat in D. Auguſt. oriri; ſi eius dictum vniuerſaliter intelligatur. Sed D. Auguſt. ibi loquitur de effectibus neceſſariis, qui neceſſariò etiam eueniunt; vnde extra chorum ſaltant hæretici, eum referentes.

Obijciunt quintò D. Auguſt. *l.*6. *in Iulianum, cap* 3. vbi tractans ea verba, Rom. 1. *Tradidit eos in paſſionem ignominiæ*, reprehendit Iulianum, quod dixerit, vt nos dicimus; Deum tradere in malum, ſolùm deſerendo.

RESPONDET S. Bonauent. *ſerm.*2. *de* 10. *Præcept.* 354 Deum in pœnam præcedentium culparum (vt ait Apoſtolus) tradere impios, meritò deſertos, poteſtati dæmonis, qui eà abutens illos in noua inducit crimina; vnde qui deſeritur, fit reus; quia volens cedit, vincitur, & capitur. Ità quocunque modo tradat, ſiue deſerendo, ſiue alio imaginabili, id propterea euenit, quia id meretur impius in pœnam à Deo ſummè bono, & iuſto, & ideò volente, malum culpæ iuſtè, & ordinatè conſequenter ad rei malitiam, prouenire permiſſiuè, & ordinari ad puniendum, & errantem reducendum, & hoc neganti Iuliano opponit. Hic eſt ſincerus D. Aug. ſenſus, quem latè Bellarminus, *cap.*16. paucis mittatis, obſcuriùs proſequitur.

Obijciunt ſextò ex *lib. de gratia, & lib. arb. cap.*20. *&* 21. vbi dicitur Deus, inclinare voluntates hominum, ſiue ad bonum pro ſua miſericordia, ſiue ad mala pro ſua iuſtitia.

RESPONDETVR cum D. Bonauentura ſuprà, Deum 355 conſequenter inclinare voluntatem in ſe proprio vitio malam (vt ait ipſe D. Auguſt.) non quidem ad malum; ſed inclinatam ad malum, dirigit malum ad bonum, permittendo malum. Hoc explicat S. Aug. *cap.*23. vbi ait: *Cùm Audītis. Ego Dominus ſeduxi prophetam illum, & quem vult induxit; eius merita cogitate, quem ſit obdurari, vel ſeduci permiſit.* En clarè permiſſionem tantùm admittit S. Auguſtinus.

Obijciunt ſeptimò ex *eodem lib. cap.*7. vbi ait: *Cùm* 356 *audiuimus. Nonne Ego duodecim elegi; & vnus ex vobis diabolus eſt, illos debemus intelligere electos per miſericordiam, iſtum per iudicium. Illos ergo elegit ad obtinendum regnum ſuum; illum ad effundendum ſanguinem ſuum.*

RESPONDET D. Bonauentura ad locum illum Ioan. è D. Auguſt. ipſo, *tract.*27. *in Ioan. & l.*18. *de ciu. Dei, cap.*49. Chriſtum præuidiſſe, quod Iudas à ſe electus ad bonum, ſe peruerſurus in malum; abutendo donis Diuinis ad proditionem, & ideò elegit conſequenter iam antea volentem, ad impletionem Diuinæ diſpoſitionis de ſua paſſione, tradens ſemetipſum eius poteſtati, & perferens, vt redimeret nos, ſinens eum liberè volentem prodere. Quia Deus non ex neceſſitate facit bonos, neque electio violenta eſt, vt ait D. Chryſ. *homil* 40. *in Ioannem poſt medium* apud S Bonauentura. Ità & Ribas *tract.*6. *d.*3. *cap.*2. addens mentem D. Aug. è locis primò allatis eſſe notiſſimam, ideoque hæc obſcuriora admonet benigniùs ibi exponenda.

MVLTAS quoque rationes conglomerant hæretici, vt ſuam perſuadeant inſaniam.

Obijcit primò Caluinus, *l. Inſtit. cap.*23. §. 7. Si Deus non decreuit peccatum Adæ; ſequitur creaſſe nobiliſſimam

ſimam creaturam ſine incerto. Non enim creauit, vt non peccaret efficacitet, vt patet. Si ergo neque vt peccaret: Ergo in ambiguum. Confirmatur. Sicut è duobus oppoſitis immediatis oportet, alterum eſſe ſcitum; ità è duobus volitis alterum eſſe volitum.

357 RESPONDET S.Bonauentura *in 3. d.1.artic.2. quæſtione prima, ad quintum*, Deum condidiſſe hominem, quem ſcientiâ mediâ cognouerat lapſurum, ſi crearetur; adhuc tamen voluit, hoc non obſtante, create; quia præuidit poſſe redimi, & inde maiorem ſui nominis gloriam teſultare. Creauit igitur, non vt laberetur, ſed vt lapſo profunderet viſcera bonitatis, & miſericordiæ. Ita teſpondet etiam Bellsrmious *c.17*, Et per hoc ruit Caluini confirmatio. Præuidit enim ante decretum; hominem, ſi conderetut, lapſurum; ſi laberetur, redimi poſſe. Igitur creauit, permittens labi, vt redimat. Falſa eſt verò ſimilitudo Caluini, vt docet D.Bonauentura *d.46. quæſtione 1.ad 2.* Nam ſcientia eſt teſpectu omnium, quæ fiunt; voluntas autem *beneplaciti* eſt tantùm teſpectu entium poſitiuorum; non defectuum, qui ab agente perfectiſſimo non ſunt. Neque ſunt contradictoriæ iſtæ. Deum velle fieri; & Deum velle non fieri. Quia volitio in vtroque affirmatur: & negatio tantùm ſe habet circa volitum. Ita quoque D.Thomas *quæſt.19.artic.9.* Porrò dicentibus, aliquem ad malum eſſe prædeſtinatum, anathema dixêre C.C. Arauſ.2.*can.*15. & Valentinum *c.*2.

Ergo objicit ſecundò. Non eſt factum naturalitee, vt omnes peccarent in Adam: ergo è decreto Dei.

358 RESPONDET S.Bonauentura *in 2.d.18.artic.2. quæſtione 3. ad 2.* nos, ex 2. *ad Epheſ.* naſci naturâ filios iræ, quia anima, cùm vnitur carni infectæ, ſtatim inficitur, & contrahit culpam originalem, quia ex Adam traducitur caro, cui anima vnitur; naturam enim vitiauit Adam; dum iuſtitiam originalem, quam pro ſe, & pro filiis è peccato acceperat, profudit. Idem docet S. Auguſtin. *tract.44. in Ioan.* & fatetur Caluinus ad eum locum. Et ſic teſpondet Bellatminus: Quamuis ergo Adamus voluntariè peccauerit, tamen naturam totam vitiauit, cuius ipſe erat ſtipes.

Objicit tertiò cum Beza. Homo labi non potuit, Deo inuito; neque Deo ignorante, vel otioſè ſpectante; quia primum repugnat Dei potentiæ; ſecundum ſapientiæ; tertium prouidentiæ. Ergo Deo volente labitur.

359 RESPONDET S. Bonauentura *d.46. quæſtione 2. & ſequentibus*, & *d.47. quæſtione 3.* Deum non ſe habere circa peccatum, Ita vt efficaciter velit illud, vel nolit; ſed antecedenter quidem & priuatiuè; imò contrariè, quantùm in ſe eſt, illud prohibet; quia tamen ità conſtituit vniuerſum, vt res omnes motus ſuos ſinat peragere; ideò videns, hominem è libertate velle malum; vult conſequenter permittere; & quia vidit poſſe ad bonum particulare, & vniuerſi ordinari occaſionaliter; ideò ex malo arripit anſam eruendi maius bonum: Et ecce præſcientia; & prouidentia Dei. Sic manifeſtat miſericordiam, dando gratiam, & ſanguinem filij omnibus volentibus; manifeſtat quoque iuſtitiam, puniendo peccatores, quos reos ad pœnas deſtinauit: Ecce iuſtitia, & miſericordia prouida. Bellarminus quoque ità teſpondet.

Objiciunt quartò. Vnum peccatum ſæpè eſt pœna alterius, vt probat D.Auguſt.*l.5.cont.Iulianum, cap.3.* ſed pœna eſt à Deo: Ergo.

360 RESPONDET Seraphicus Doctor *d.46. quæſtione 2. ad 3.* pœnam eſſe à Deo, ſecundùm quod pœna eſt; & ideò iuſta. Iam verò peccatum non eſt iuſtum in ſe; ſed ratione ordinis; & ideò peccatum à Deo, ſecundùm quod eſt formaliter, non eſt volitum. Igitur, vt egreditur à voluntate, non eſt à Deo; at verò, vt paſſiuè in voluntate pœnam infligit, eſt à Deo. Hanc autem pœnam infligit Deus, priuando auxiliis efficacioribus, ſinendo relabi. Ità etiam Bellarminus.

Objicit quintò Zuinglius *l.de prouid. capite quinto*, Debebat homo cognoſcere iuſtitiam, & veritatem. Nam ad hoc creatus eſt; ſed non potuit cognoſcere, niſi è contrario iniuſtitiæ, & mendacij. Ergo debuit Deus ea illi oſtendere. Sed id non poteſt, niſi reddendo hominem impium: Ergo. Confirmatur *ex 11. de ciu. Dei, capite 18.* vbi loquens de malis, quare permittantur, ait D.Auguſtin. *Deus quibuſnam antithetis mundum decorauit; ſicuti pictura alba, cum colore nigro pulchrior eſt: ità vniuerſum cum malis.* Simile argumentum habet Beza.

RESPONDET S.Bonauentura *d.46. quæſtione ſexta*, 361
quòd peccata per accidens faciunt ad mundi decorem accidentalem, vt dixi in *fundamentis*; attamen ad ſubſtantialem decorem nihil faciunt. Similiter, vt ibi oſtendi, miſericordia, & iuſtitia, ac veritas fuiſſent cognitæ abſque peccato in donorum profuſione, in promiſſarum ſeruatione, in meritorum remunetatione, & omnia fierent ſuper abundanter ſuprà debitum, vel promiſſum, a largitione gratiarum, &c. vt ſuprà.

CATHOLICI etiam ad veritatem magis, magiſque elucidandam afferunt argumentum. Quod eſt cauſa cauſæ, eſt etiam cauſa cauſati: & qui vult antecedens, vult quoque id, quod neceſſariò inde ſequitur. Sed Deus vult, & cauſat actionem phyſicam, ex qua neceſſariò ſequitur peccatum: Ergo & peccatum. Maior eſt euidens: Minor, probatur. Nam concurrit ad actionem, qua percutitur innocens à ſicario; ad enunciationem verbi blaſphæmi. Ad actum vitalem odij Dei.

DVRANDVS 2. *d.1. quæſtione quinta*, reſpondet; Deum dediſſe cauſis ſecundis virtutem quidem ab initio; nec immediatè concurrere ad actiones cauſarum ſecundarum.

Sed hæc opinio exploſa eſt *quæſt.5.* Neque aliquid 362
confert ad Dei innocentiam ſeruandam.

Reſpondet Scotus *d.37. quæſtione prima*, Malitiam non adſcribi Deo; ſed creaturæ. Quia Deus non tenetur rectitudinem actioni tribuere; ſed ſola tenetur creatura; rribueret tamen, ſi homo vellet; quia paratus eſt omnia opera recta facere.

Impugnatur à quibuſdam, quia multi ſunt actus, qui non admittunt rectitudinem, vt odium Dei. Ergo non ſemper eſt bona iſta ratio, cùm nequeat creatura dare iſtis rectitudinem.

FABER *in 4.d.8.* conatur probare, odium Dei poſſe habere rectitudinem. At ſecundò impugnatur. Quia per hoc non euitatur, quin Deus ſit cauſa peccati; ſed ſolùm, quòd ei non imputetur, vt notat Vaſquez *d.129. capite ſexto*, D.T. 1. *ſecunda, quæſt.79. artic.2.* docet cum D. Bonauentura *in 2.d.37. artic.2. quæſt.1. ad 4.* in peccato eſſe duo, effectum, & defectum. Et quòd Deus eſt cauſa effectus; non defectus. Sicut claudicare tribuitur tibiæ imperfectæ; non autem tibiæ ſimpliciter. Eſt Doctrina D. Auguſt. 12. *de ciu. cap.7.* Richardus reſpondet, Deum non eſſe cauſam malitiæ, quia non ſequitur ad actionem, ad quam Deus concurrit, vt dixi *n.312.*

OPTIMA eſt autem reſponſio Seraphici in 2. *d.37.* 363
quæſtione prima, quem ſequuntur communiter, vt Cano, Soto, Vaſquez *cap.7.* alios adducens. In peccato ſunt duo, nimirum actio phyſica; qualis in homicidio eſt laxatio rotæ, & bellici tormenti eiacula-

tio. Deinde malitia quæ in ademptione iniuſtâ vitæ poſita eſt. Deus ergo concurrit ad primum; noo ad ſecundum. Cùm igitur malitia moralis non ſequatur ex defectu Dei; ſed ex malitia arbitrij; ſeqoitur illum non eſſe cauſam. Quòd verò ad moralem malitiam non concorrat; Probatur. Quia nec ſuaſione, nec imperio mouet liberum arbitrium; ſed ſinit concurrens ſolùm vt cauſa perfectiſſima vniuerſalis, à qua non venit particularitas omnis, nempè defectus moralis, qui à ſola deficiente cauſa poteſt euenire. His Bellarminus omnia ferè ſoluit.

364 Notat verò Motand. è D.T. relato *numero* 310. aliquid poſſe cauſare Vnum; nec poſſe cauſare alterum ei adnexum. Sic color cauſat in oculo notitiam ſui; non ſui tamen, vt eſt ens. Hæc altiùs explicanda ſunt ad mentem D. Bonauenturæ explicitam *quæſt. cit.* cum D. Anſelmo *l. de Concordia.* Deus ad omnem actiooem concurrit quoad totum illud, quod eſt actus poſitiuus, atque adeò ad totum ens, dicens perfectionem. Similiter ad actus entitatiuos, tametſi in genere entis imperfectos, qualis eſt motus, qui eſt actus in potentia, prout huiuſmodi.

Hinc omninò ſequitur, omne id, cui Deus cooperatur, eſſe ens, & bonum, & ita in tantum fieri à creatura, cuius potentia eſt deficiens, in quantum adiuuatur à Deo, qui eſt ens actu. Itaque quidquid deficientiæ conſequitur in actione, eſt à cauſa deficiente, non à Deo, qui quodcunque peragit, bonum efficit. Sinit quidem creaturam naturâ defectibilem io eo deficere, qui quidem defectus non ſequitur neceſſariò ex actione, vt adiuuatur à Deo; ſed ex actione; vt fit à cauſa deficiente; quo fit, vt ille defectus non ſit Dei; ſed cauſæ deficientis. Ita D. Bonauentura *in* 2. *d.* 37. *art.* 2. *q.* 1. *&* 3. & *in* 1. *d.* 46. *q.* 1. *ad vlt.* vt dixi *n.* 310.

365 Præterea ſcias, Deum concurrere cum cauſa ſecunda libera ad modum cauſæ vniuerſalis, quæ tangit quidem effectum particularem, vt particularis eſt; attamen magis tangitur, quantùm ad hoc, à cauſa particulari.

Igitur cum liberum noſtrum arbitrium ſit cauſa particularis; ad coorraria, bonum nimirum, & malum, defectibilis. Deus autem ſit cauſa vniuerſalis ad bonum tantùm; profectò deficientia non poteſt ab agente optimo, aut ſolo, aut vt concauſa oriri, ſed à ſolo arbitrio deficiente.

366 Adhuc obſeruandum; quiboſdam actibus phyſicis coniunctam eſſe inſeparabiliter malitiam, vt in blaſphæmia, & odio Dei. Non enim poteſt odium in Deum, flecti ad bonum, vt putat Faber, cùm ſit malum per ſe, à quo vel ſpecificantur, vel dignoſcitur actus ſpecificari. Cum hoc tamen ſtat, vt actus ſecundum eſſe phyſicum non ſit malus. Hoc verò non benè probat Faber ex eo, quod poteſt eſſe in inſano, vel puero; hi enim non habent actum odij Dei, niſi in materia remota. Nam materiale proximum eſt actus vitalis, qui fertur in Deum cognitum; alioqui non habet diſpoſitionem vltimam, vt ſit actus moralis; vt latè probatur *prima ſecundæ*, *tract.* 1. *d.* 14. *quæſtione prima*, Igitur in actu odij Dei ſunt hæc. Primò vt ſit actus vitalis voluntatis creatæ intrinſecè ab eâ fluens: Et propterea non poteſt à ſolo Deo infundi. Secundò habet, vt ſit actus in ſpecie odij. Tertiò, vt habeat Deum iam cognitum pro obiecto. Et quidem creata omnia, præter hoc vltimum, ſunt materialia; hoc verò eſt formale odij, vt feratur odio in Deum cognitum, dignum non odio, ſed amore; in hoc enim declinat à rectitudine; & quantùm ad hoc, eſt à ſola cauſa deficiente. Vnde non eſt materiale; vt putat Faber, ſed formale, quod in hoc ſtat, vt Deus iam cognitus odio habeatur, in hoc enim ſiſtit malitia moralis; cætera verò habent eſſe naturæ; & ideò id, quod eſt formale, non ſequitur ex cooperatione Dei neceſſariò; ſed ex malitia arbitrij deflectentis in odium ſummi boni cogniti.

Idem in blaſphæmia elucet. Nam hæc habet vt ſit pronunciatio verborum, quæ ex placito hominum ſignificant contumeliam in Deum. Igitur illa pronunciatio verborum ſignificantium contumeliam in Deum, eſt materiale: ſi verò addas ità cognoſci ab homine; illa combinatio cognitionis, vt ſequitur expreſſionem illius enunciationis ad contumeliam Deo inferendam, eſt formale, quod non ſequitur è prolatione verborum neceſſariò. Nam poſſum dicere ſeparatim: *Deus eſt malus.* In formali igitur cognito, voluntaria ſtat deficientia creaturæ, & deficientiæ huius ne quæras cauſam efficientem; ſed deficientem, è D. Auguſtin. *lib.* 12. *de ciu.* *capite ſeptimo*, vt ſæpè refricat Seraphicus. Igitur Deus adiuuat ad totum bonum naturæ; at liberum arbitrium ſolùm deuiat deficiendo. In hoc autem Deus nil habet operationis; veluti ſi Sol, & Leo generant Leonem. Sed Sole ex parte ſua operante coogruenter: Si Leo deficiat ex frigiditate, & non ſequatur generatio, vel ſequatur imperfecta, non eſt defectus adſcribendus Soli; ità in propoſito (vt ait S. Bonauentura ad 4.) Deus, & homo operatur eundem actum bonitate naturæ; ſed liberum arbitrium priuat illum actum bonitate, non naturæ; ſed moris, ex ſua malitia. 367

368 Addo, quòd in blaſphæmia, odio in Deum, &c. homo fertur in illud obiectum ſub ratione alicuius boni apparentis, quod vero Bono præfert; at, quis non videt; hoc iudicium oon eſſe à Deo? Et hanc electionem eſſe ex deficientia potentiæ creatæ, quæ eſt agens imperfectum particulare? Vnde effectus ei aſſimilatur, cùm ſit actus eius particularis; non autem Deo, qui concurrit, vt agens vniuerſale. Sicuti quando Sol cum Leone producit Leonem; Leo non aſſimilatur Soli; ſed Leoni.

369 Svnt autem in creaturis tres defectus, ob quos redditur cauſa particularis deficiens, quos refert ſæpè S. D. & cum eo Bellarminus *capite* 18. Primus eſt, quia eſt ex nihilo, & ideo poteſt deficere, vt docet Seraphicus præcipuè *in primo*, *d* 45. *quæſtione prima*, cum D Auguſtin. *l.* 2. *de Nuptiis, & concupiſ. cap.* 18. Secundus defectus vicinior peccato eſt, quia voluntas non eſt ipſa bonitas; ſed longè diſtat à fine; vt ait S. D. loco nuper adducto cum D. Auguſtin. *in Enchir. capite* 12. Hinc enim fit, vt non ſemper attendat ad regulam æternam. Tertius defectus proximus peccato eſt, quòd noo aduertit ad regulam rationis; vnde voluntas non operatur ad præſcriptum eius: qui defectus eſt carentia voluntaria, non quia ſit à voluntate; ſed quia eſt in poteſtate eius attendere; vel non attendere ad regulam rationis dum operatur. Neque eſt hic defectus, quatenus actum peccati, malum aliqoid naturale præcedit; quia tunc peccatum etiam, quod inde naſcitur, eſſet naturale, nec poſſet homo non ſemper peccare; & ideò nec propriè peccaret. Eſt igitur defectus ille, vt præcedit peccatum; at verò vt comitatur actum, induit rationem mali, malum eſt enim operari, non attendendo ad regulam. Hæc Bellarminus, cum Seraphico Doctore.

His igitur defectibus cauſa particularis imbuta, abutens auxilio generali cauſæ vniuerſaliſſimæ, deficit producens effectum culpæ: Deus autem ſolo influxu perfecto concurrit; at ſinit deficere, cùm tamen homo noo deficeret, ſi Dei operationi rectè cooperaretur.

Dices.

Dices. Si res ita ſe habet: Ergò Deus non eſt cauſa actuum bonorum. Nam ad eos concurrit ſolùm vt agens generale.

Respondetvr, ad ſupernaturales præbere auxilium ſpeciale; ad morales verò, licèt auxilio generali concurrat, tamen rectos intendit, ſuadet, imperat in particulari, vnde eſt cauſa eorum in particulari.

370 Ad argumentum initio poſitum reſpondet Bellarminus, illud non habere locum, vt plurimum, in cauſa vniuerſali, quæ adhibet influxum quemdam communem, & indifferentem ad multa. Nam ſæpè defectus oriuntur ex ſolâ cauſa particulari, Verbi gratia Sol eſt cauſa hominis; non tamen eſt cauſa filij claudi ab eo geniti; quia Sol producit hominem perfectum ex parte ſuâ; quòd verò claudus claudum gignat, eſt defectus Patris; non Solis.

Respondetvr ſecundò ex dictis. Quod eſt cauſa cauſæ, eſt etiam cauſa cauſati, neceſſariò ſequentis è cauſa; at peccatum non neceſſariò ſequitur è materialitate ex parte Dei, vt dixi. Sic peccatum Originale non ſequitur ad infuſionem, vel creationem animæ ex parte actionis Dei; ſed ex parte naturæ materialis infectæ recipientis, & inficientis animam, ob corruptionem voluntariam Adæ. Ita D. Bonauentura *in 2. d.32. artic. tertio, quæſtione ſecunda, ad 2.*

371 Ex his quoque ſoluitur obiectio vltima allata à Seraphico *d.46. quæſtione ſecunda*, Qui vult aliquid, vult etiam id, ſine quo illud haberi non poteſt; ſed Deus vult aliquid bonum, quod non poteſt haberi ſine malo, vt mortem Filij, &c. Ergo. Huic ſatisfactum eſt *n.310.*

Obijcies adhuc. In omni actione Deus eſt principale operans: Ergo ei adſcribenda actio mala.

372 Respondet S. Bonauentura, agens cooperans ad id tantùm, quod eſt actus, non ad defectum, non eſſe cenſendum cauſam eius.

Obijcies tertiò. Si aliquis per ſui præſentiam eſt cauſa alicuius; etiam per ſui abſentiam eſt cauſa oppoſiti, ex *ſecundo Phyſ. t.37.* vt ſi Nauta per ſuam præſentiam eſt cauſa ſalutis nauis; erit per ſui abſentiam cauſa ſubmerſionis, ſed Deus per ſui præſentiam eſt cauſa operationis iuſtæ: Ergo per ſui abſentiam, ſeu permiſſionem eſt cauſa mali, non impediendo illud.

373 Respondet D. Bonauentura *d.37. artic. ſecundo, quæſtione prima*, Maiorem eſſe veram de eo, qui voluntate ſua, nullâ habitâ cauſâ rationabili recedit; at Deus operatur rationabiliter; ſinendo cauſas omnes motus ſibi proportionatos peragere; neque tenetur aliqua lege ad actionem illam remouendam; ſic neque nauta erit reus; ſi recedat à naui, cui non tenetur aſſiſtere.

Obijcies quartò. Qui adiuuat ad actionem vetitam peccat, vt qui adiuuat furem ad portam frangendam; at Deus adiuuat peccantem ad actionem furandi, occidendi: Ergo.

374 Respondet Seraphicus *ad tertium*, diſparem eſſe rationem: Nam furi coadiuuans cooperatur malitiæ; at Deus concurrit ad actionem ſolam non vetitam ſibi; & ex officio cauſæ vniuerſalis concurrendo cum omnibus cauſis ad modum earum, & ſinendo omnes cauſas motus ſuos peragere, & ſanè liberas liberè, vt ait D. Auguſtin. *7. de ciu. cap.30.* Adde, Deum è malo elicere ſemper bonum; non ſic creaturam.

Obijcies quintò. Actio dandi eleemoſynam ob malum finem, eſt mala ex relatione illa ad eum finem, puta inanem gloriam. Sed illa relatio eſt ens: Ergo à Deo.

Respondet D. Bonauentura, illam relationem, prout eſt tendentia ad obiectum, eſſe ens; non autem prout eſt deordinatio à fine debito, quo pacto non eſt à Deo. Et eſt ſimile in claudicatione, in qua eſt ambulatio cum defectu, nam ambulatio eſt à virtute motiua, at claudicatio eſt à defectu tibiæ. Eſt autem exemplum etiam D. Thomæ obuium, ſumptum è D. Auguſt. *l. de reſp. iuſtitia, q.4.* quos ſequitur Bellarminus. 375

Obijcies ſextò. Homo peccat, dum quieſcit in creatura, At hæc quies eſt ens: Ergo à Deo.

Respondet S. Bonauentura, Quòd quies dicit poſitionem, quatenus dicit dilectionem, & delectationem creaturæ; dicit verò etiam priuationem, quæ eſt, non tendere in finem debitum; Et in hoc eſt poſitum peccatum; nec eſt à Deo. 376

Obijcies ſeptimò. Nobilior eſt voluntas, vt deliberatiua, quàm vt natura. Sed omne, quod eſt à voluntate, vt naturâ, eſt à Deo: Ergo multò magis, vt eſt libera. Sed culpa hoc ſecundo modo eſt à Voluntate: Ergo.

Respondet S. Bonauentura *ad vltim.* culpam non eſſe à voluntate, vt deliberatiuâ præciſè; ſed vt defectiuâ, quamuis actus ille non cadat, niſi ſuper actum deliberatiuum. Hinc ſi fiat tale argumentum. Voluntas deliberatiua eſt à Deo; & malitia eſt à voluntate deliberatiua: Ergo eſt à Deo. Peccat argumentum ſecundùm accidens contra illam regulam, *Quod eſt cauſa cauſæ, eſt etiam cauſa cauſati*; ità enim poteſt eſſe Sophiſma in cauſando, ſicut in eſſendo. 377

Obijcit quoque Petrus Martyr, hæreticus. Permiſſio in Scriptura ſignificat velle poſitiuè, vt 1. Cor. 16. *Spero me aliquantulum futurum apud vos, ſi Dominus permiſerit.* Et Hebr.6. *Et hoc faciemus, ſi permiſerit Deus.*

Reſpondet Bellarminus, permittere *hic*, verè ſignificare ſinere, quia Deus aliquando impediebat Paulum volentem aliò ire; vt conſtat *Act.16. Rom.1.* 378

Verùm non benè reſpondet. Quia tunc Paulo vel iniungebat præcepto eò ire; vel negatiuo prohibebat.

Respondetvr ergò cum S. Bonauentura *primo, d.47. quæſtione ſecunda, ad vltim. Permittere* ſignificare aliquando ſolùm ſinere, ſeu non cohibere; aliquando non punire, vt *Matth.19.* dicitur, *Moyſes permiſit libellum repudij:* Tertiò non prohibere, vt Gloſſa ait ad Pſalm.4. *Iraſcimini, &c. Permittit, quod neceſſitatis eſt, ideſt, non prohibet.* Quartò indulgere minùs bonum, vt 1. Cor.7. *Hoc autem dico ſecundùm indulgentiam.* Gloſſa, *Permittit.* Ex his igitur liquet *Permittere*, non ſemper in Scriptura ſignare velle poſitiuè. 379

Dices permittere, eſt conſentire, vt dicit Gloſſa in *cap.1. ad Romanos.*

Respondet S. Bonauentura *d.47. quæſt. 3. ad 1.* Permittere nullo modo cohibendo, neque puniendo, cùm ad ſe ſpectet, eſſe conſentire. Sed Deus dat gratiam, & auxilium remouendo, deterrendo, minando, & reos punit: ideò non conſentit. 380

QVÆSTIO XIV.

An permiſſio peccati ſit actus Dei poſitiuus.

§ D. Bonau. d.47. q.3.
& dub.3. litt.

381 PRima opinio eſt Richardi *art.7. de lib.arb.concl.9. & 10.* Permiſſionem Dei nihil eſſe aliud, quàm concedere homini libertatem, & relinquere illum in manu conſilij ſui; vt, ſi vult, eligat bonum; ſin verò, declinet ad malum. Sequitur Calpenſis, *tract. de Prouid. Dei, d.2. ſec.4. n.35.*

382 Secvnda opinio eſt Scoti *1. d.47. q.vn.* Permiſſionem eſſe negationem actus diuini poſitiui; ideſt, non velle prohibere illud fieri; ſiue non velle dare auxilium efficax ad non peccandum. Eandem docet Morand. *tract.4. q.11. n.453.* vbi addit, eſſe actum poſitiuum reflexè, quatenus cognoſcit, ſe permittere, & non dare ea auxilia, quibus infallibiliter peccatum non fuiſſet, actuque poſitiuo vult illam permiſſionem. Sic igitur licet dicere, volitam eſſe permiſſionem, non autem volitum peccatum permiſſum.

383 Tertia opinio eſt, permiſſionem eſſe actum Dei poſitiuum. Ita D. Bonauentura *hic*, Alenſ. *p.p.q.36. m.1.* D.T. *p.p.q.23. art.3.* & ibi Thomiſtæ, Nazar. verò *art.5. controu.3.* in concluſionibus, Tannerus *d.3. q.3. dub.3. n.7.* Vaſquez *d.95. c.4. & 9.* Suarez *l.5. de Reprob. c.7.* Maſtrius *d.4. q.3. num.53.* & ſequentibus, Smiſing. *d.5. q.2. à num.23.*

Assero primò, permiſſionem non eſſe meram libertatem hominis.

384 Probatvr à D. Bonau. *in 2. d.28. art.2. q.2. in fund.1.* Homo poſtulat à Deo. *Ne nos inducas in tentationem*, Matt.6. ideſt, ne permittat cadere, non autem, vt ſit liber; nam habet iam liberum arbitrium. Petit ergò, quia ex ſe non poteſt omni tentationi reſiſtere: vt Deus auxilium præbeat, nec ſinat cadere.

Assero ſecundò, Permiſſionem eſſe actum poſitiuum Diuinæ voluntatis.

385 Probatvr à D. Bonau. in *dub. adducto*, Permiſſio Dei eſt actus Dei: Ergo eſt ipſe Deus, quia Deus eſt ſuus actus: Ergo eſt ens poſitiuum. Antecedens eſt D. Aug. in *Enchir. c.100.* vbi ait: *Non fieret, ſi non fineret; neque vtique nolens ſinit; ſed volens.* Et c.101. ait: *Deum voluiſſe permittere, impium eſſe vſque in finem, vt in die iudicij oſtenderet iuſtitiam ſuam in eius iuſta condemnatione.* Alludit S. Aug. ad illud Prouerb. 16. *Vniuerſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus; impium quoque in diem malum.* Non quia creauerit ad hunc finem, voluntate antecedẽti, ſed ſuppoſitâ malâ vitâ præuiſâ creauit, quem præuidit malum extremo iudicio puniendum. Idem Antec. probatur à S.D. *d.45. q.1.* ex Ariſtotele *12. Met. t.39.* vbi ait: *Voluntas eſt actus ipſius Dei.*

386 Probatvr ſecundò, à Seraphico è D. Gregorio ad id Iob. 12. *Abundant tabernacula prædonum*, vbi S. Gregorius: *Omnipotens Deus, quod fieri non prohibet, iuſtum eſt, vt fieri ſinat*, vbi omnipotentiæ adſcribitur permiſſio.

Idem habet S. Auguſtin. *l.5. in Iulianum, capite 3.* Hac ratione vtitur etiam Cano *l.2. de locis Theol. capite 7. ad 7.*

387 Probatvr tertiò à S.D. *in corpore*, è D. Aug. *l.7. de ciu. cap.30.* *Deus ſic res conditas adminiſtrat vt eas agere proprios motus ſinat.* Vbi prouidentiæ adminiſtranti attribuit permittere. Et 12. *de ciu. c.17. & 18.* ait: *Deus nullum faceret, quem malum præſciret, niſi etiam noſſet, quòd bonis vſibus accommodaret.*

388 Probatvr quartò à S.D. *ad vltim.* Permittere aliquem cadere, eſt opus iuſtitiæ, pro vt dicit condecentiam Diuinæ ſapientiæ, & bonitatis, & ſæpè etiam iuſtitiæ vindicatiuæ: Ergo eſt actus poſitiuus. Probatur Antec. è Patribus ſuprà. Conſeq. Probatur. Nam Diuina prouidentia, & iuſtitia negat tale auxilium, quo poſito, homo non caderet; Hæc autem negatio dicit actum: *Nolo dari*; ſeu *volo non dare*; non autem negatiuè *neque volo; neque nolo.*

Probatvr vt imò à D. Bonauentura *in corpore*. Id, quod eſt bonum, volitum eſt à Deo. Permiſſio peccati eſt bona: Ergo volita à Deo: Maior patet. Nam bonum eſt obiectum voluntatis. Minor probatur. *Id*, quod eſt ordinabile ad finem, habet aliquam bonitatem. Talis eſt permiſſio, quæ ordinatur ad Diuinam miſericordiam, vel iuſtitiam manifeſtandam e D. Aug. in *Enchir. cap.99.* Ergo. Idem argumentum habet Seraphicus, *d.46. q.5.* 389

Probatvr etiam à Trigoſio ratione, quam ipſe vexillariam acclamat. Si Deus ſe haberet merè negatiuè in permiſſione peccati; ſequeretur, quòd eodem modo ſe haberet in ea, ſicuti ſe habet circa creaturas poſſibiles, circa quas ſe habet merè negatiuè, nil prouidendo. Sed hoc eſt abſonum, derogans prouidentiæ, quæ etiam reprobos ad finem perducit: Ergo. Similiter ſequeretur, quod eodem modo ſe haberet in permittendo peccato Petri; ſicuti ſe habet circa Aſinum deducendum ad beatitudinem. Nam circa hunc, ſe habet merè negatiuè, nil prouidens ad hunc finem. 390

Hæc ratio debilis eſt. Nam circa creaturas poſſibiles ſe habet contrariè (vt cùm Seraphico loquar) ideſt, *volo eas non producere*: ſicut è contrario, futuras vult producere: circa peccatum verò habet actum diſplicentiæ, & circa permiſſionem actum. *Volo permittere*: Circa ea verò, quæ inepta ſunt, ſic vult, Verbi gratia. *Volo Aſinum ad beatitudinem non deducere.* Ratio autem, cur circa poſſibilia merà ſe habet contrariè, ideſt, *volo non, &c.* eſt, quia nolle ea creare eſt bonum; & ideò volitum à Deo, omnia dirigente ſapientiâ, & prouidentiâ. Ità Vaſquez *d.79. c.vlt.* 391

Si dicas, Deum priùs non velle; deinde negatiuè ſe habere. contra arguit Vaſquez: Ergo facta eſt mutatio aliqua, vel circa Deum, vel circa creaturas. Sed non eſt facta circa creaturas poſſibiles, quæ eodem modo ſemper ſe habuere; multò minùs circa Deum. Ergo creaturæ ſemper eodem modo referuntur ad Diuinam voluntatem. Sed ſic eſt, quod Deus primò eas voluit non facere: Ergo ſemper id voluit. Neque enim Diuina libertas eſt talis, vt poſſit habere actum, & deſiſtere ab omni actu; ſed quia poteſt velle facere rem, & velle non facere: Poteſt quidem in aliquo ſigno rationis intelligi priùs indifferens in his, quæ habent aliquam rationem; vt in volenda beatitudine nobis; ad hoc, vt intelligatur volens. Sed hæc eſt anterioritas noſtro ſolo modo concipiendi.

Imò dico, eodem modo ſe habere Diuinam voluntatem circa permiſſionem, & circa rem non futuram in hoc; nam permiſſio dicit negationem auxilij poſſibilis. Et ſicuti circa hoc negandum, Deus poſitiuè aliquid deliberat; ità circa permiſſionem. Eſt Doctrina S. Bonauent. *d.47. quæſt.3.* 392

Neque tamen hoc poſitiuum permiſſionis eſt velle peccatum. Nam velle permittere, eſt tantùm velle auxilium ſubtrahere cadenti, quod iuſtè fit, volẽti cadere. 393

Igitvr cum Scripturarum teſtimonium exprimant in Diuina voluntate actum poſitiuum circa peccatum & Sancti PP explicent actum eſſe permiſſionis, volunt nobiſcũ, permiſſionem eſſe aliquem actum Dei poſitiuum. Cur autem Scriptura indicet, etiam voluntatem Dei poſitiuam peccati; id explicant dictum, ob varias cauſas allatas *quæſt. præc.* Prima eſt, quia Deus interdum

dum vnum peccatum ordinat in pœnam alterios præcedentis. Et ità peccatum non vult antecedenter; ſed volitum à reo, & à ſe permiſſum, volt ſub ratione pœnæ, & ob banc cauſam dicitur Deus, obdurare, obcæcare, tradere in reprobum ſenſum, quando peccata ſequentia permittit in pœnam præcedentium, & in eundem finem ordinat. Ità præcipuè D. Auguſt. *l.5.cont.Iulianum,c.3.* & *l.de gratia, & lib.arb.c.*21.

Deinde, quia voluntas Diuina peccati permiſſiua habet adnexam complacentiam, & intentionem alicuius boni finis, quem Deus elicere nouit è malis culpæ, vt explicat D.Auguſt. *in Enchir.c.*100.dicens, *Non ſineret Bonus fieri mala, niſi etiam Omnipotens de malo facere poſſet bonum.*

394 Tandem, quia Deus habet intentionem ponendi aliquod bonum, quod nouit fore occaſione peccati, vt cùm voluit ſigno viſibili applaudere ſacrificiis Abel; ex quo videbat, Cainum arrepturum inuidiæ anſam; Dare victoriam Dauidi contra Gigantem, ex quo Saul occaſionem ſumeret perſequendi Dauidem. Hæc tamen non eſt occaſio actiua, ſeu data. vt putat Bellarm. *loco cit.* & Maſtrius *d.4.q.3.n.*53. ſed paſſiua, & arrepta, vt dicitur in materia de Scandalo. Hoc ſenſu Scripturas huiuſmodi exponunt SS. Hieronymus *ep.*105. Chryſoſt. *homil.67.in Ioan.* Gregor.15. *Moral.cap.*12 & 13. Damaſcenus *l.4.c.*20.& alij, præcipuè verò D.Auguſt. *l.de gratia, & lib. arb. cap.*20. vbi loquens de maledictione Semei, quam Dauid ait, ei præcepiſſe Deum, *Sinite illum, vt maledicat, quoniam dixit illi Deus, vt videat humilitatem meam: Non enim iubendo dixit; ſed quod eius voluntatem proprio vitio ſuo malam in hoc peccatum iudicio ſuo iuſto, & occulto inclinanit.*

Ex his corruunt argumenta aduerſariorum.

QVÆSTIO XV.

An Deus ab æterno decreuerit ſingulas actiones liberas.

Nondvm quæro: An Deus prædeterminauit omnes actus noſtros liberos, ante præſcientiam noſtri arbitrij; ſed: An ſingulos actus ſimpliciter in æternitate decreuerit, etiam eos, è quibus ſequitur culpa.

395 Svarez *l.2.de auxiliis,c.*7. Zumellus *q.22.art.4. d. vnica*, Vaſquez *d.87. c.*1. Aluarez *d.*18. referunt ſententiam quorundam negantium, ſingulas actiones noſtras indiuiduas, eſſe à Deo præfinitas ab æterno. Hanc opinionem Nazarius *quæſt.22.art.4.dub.*1. tribuit Molinæ, à qua opinione nititur Pennotus Molinam liberare *l.4. Propugnac. cap.8.num.*5. ſed Maſtrius ait, fruſtrà laborare, nam laxis fibris aſſerit, mortem natantis præter intentionem eius ſecutam, non fuiſſe intentam, & volitam à Deo; ſed tantùm permiſſam; Amicus verò *d.14. de volunt. Dei, ſec.*5. negat, hanc præfinitionem
396 actuum in indiuiduo eſſe neceſſariam, vel ad perfectam Dei prouidentiam; vel ad eſſentialem ſubordinationem cauſarum ſecundarum ad Deum ſartamtectam ſeruandam. Eam tamen (ait) admiſſam poſt ſcientiam conditionatam nil libertati detrahere (quod fatebimur *quæſt. ſequent.*) Hanc inter Societatis Theologos magis communem ait. Refertur Vaſquez *tom.1.3.p. d.47. cap.*8. Moncæus *d.9. c.*12. & verè à Ludouico Riba *tracta.6. d.3. cap.6.*

397 Commvnis verò ſententia eſt, Omnes actus noſtros liberos, non modo bonos ſimpliciter, ſed etiam eos, ad quos ſequitur malitia, fuiſſe à Deo decretos ab æterno. Ita D.Bonauentura *d.45. quæſt.2.* & *dub.3. litt.* & aliis locis, quæ in argumentis adducam. D.T. *p.p.quæſtione 23. artic.1. ad 1.* & *quæſtione 25. artic.5. ad 1.* & *quæſt.116. art.1.3. & 4.* & *q.5. de verit. art.5. ad 1.* & *l.3.cont G.capite* 90. Idem ducent omnes Thomiſtæ, alijque Recentiores. Et quoad peccati permiſſionem etiam Molina *p.p. quæſtione 14. artic.13. d.18. m.3.* & de ipſis quoque actibus peccati, Vaſquez *d.99. cap.8. num.*99. Tannerus *loco cit. num.*7. Hanc ſententiam habet etiam Scotus *1.d.38.D.* & *d 39.§. Viſo de contingentia*; & alibi, quem ſequuntur Scotiſtæ, & communiter alij, vt refert Maſtrius *numero* 26. Trigoſius *quæſtione 15.artic.6.dub.*2. vbi ait, oppoſitam ſententiam non eſſe ſanam. Sequitur Ludouicus Ribas *tract.6.d.3.n.*48. adducens Suarez *l.1.de Auxil.cap.12. n.*11. Hurtad.*d.10.Phyſ.ſec.*4.

Asserendvm cum hac ſententia, Omnes hominum actus, tam liberos bonos, quàm ad quos ſequitur culpa, fuiſſe ab æterno decretos à Deo.

Probatvr primò à D.Bonauentura *ad 8.Sap.* illis 398
verbis: *Attingit ergo à fine vſque ad finem fortiter, & ſuauiter diſponens omnia*, quam expoſitionem egregiè proſequitur.

Deinde id probat *ad cap. 11. Sap.* ex illis verbis. *Omnia in menſura, & numero, & pondere diſpoſuiſti. Virtuti brachij tui quis reſiſtet? Quoniam tanquam momentum ſtateræ, ſic eſt ante te orbis terrarum. Quomodo autem poſſet aliquid permanere, niſi tu voluiſſes? aut quod à te vocatum non eſſet, conſeruaretur?* Vbi Seraphicus inter alia obſeruat, Deum ità diſponere omnia etiam minutula, ſicut momentum ſtateræ diſponit, & regit trapeſita. Eſt autem ſtateræ monumentum id, quod veluti lingua huc, illucque mouetur pro ſtateræ inæqualitate, ità vt, ſi ſcrupulus in auri ponderatione præponderet, lingula deflectatur ad partem grauiorem. Quid clarius.

Reſpondet Caſpenſis, illud teſtimonium primum 399
*Sap.*8. non eſſe ad rem; non enim ibi ſumitur finis pro cauſa finali potente terminare intentionem; ſed prout dicit extremitates rerum: & particula, *Fortiter*, ſignificat continuè.

Explicat verò D. Bonauentura *à fine*, Ideſt, ab æterno, in æternum; è Gloſſa; *Fortiter*, ideſt, virtute Diuina efficaci, ita vt prima, & extrema in æternum diſponat efficaciter.

Certè hæc diſpoſitio eſt in finem; quia ſi omne agens agit propter finem; ſi ſapienter agit; multò magis ſapientia ipſa. Quare nihil ſolidè opponit Caſpenſ. Effectiuum enim non fit efficiens, niſi propter finem, vt notat Seraphicus, *d.45 q.1.in corpore.*

Probatvr tertiò à S.D. *ad 1.Sap.* vbi enixè Deus 400
admonet iudices, ne à iuſto deflectant, quia habent Iudicem ſcrutatorem renum; & omnium vſque ad intima prouiſorem. *Quoniam* (ait) *Spiritus Domini repleuit orbem terrarum, & hoc quod continet omnia, ſcientiam habet vocis.* Ex omnibus autem locis elicitur argumentum. Cùm enim Deus omnia ab æterno prouiderit, oportet, vt voluntate ſingula adamuſſim præordinauerit. Quæ ratio eſt etiam D.Irænei *l.2. aduerſus hæreſes, c.*45. vbi ait. Per Dei prouideniam vnomquodque eorum, quæ facta ſunt, & quæ fiunt, & fient à Deo ordinem, numerum, & quantitatem accipere; & accepiſſe propriam. Confirmatur; quia Diuina Prouidentia non ſolùm includit actum intellectus, quo Deus reſpiciat ſingulas creaturas; ſed etiam præcipuè actum voluntatis, quo eas diſtrictè, & adamuſſim velit; vt oſtendam *diſputat.* 20. *quæſtione tertia*. Si ergo humani actus non eſſent à Deo ab æterno voliti, iam neque eſſent voliti in tempore, ne mutatio fieret in Deo

Euenient ergo præter Dei voluntatem. Hoc argumentum refricat S.Bonauentura 1.*d*.45. *dub*.9. *litt*. *&* *q*.1. *&* 2. *&* *artic*.2. *quæſtione* 1. *&* 2. *&* *d*.46. *artic*.3. *quæſt*.1.

Reſpondet Amicus; ſatis eſſe Diuinæ prouidentiæ, vt actus ſint voliti mediatè in cauſa, ideſt, ſi voluntas ipſa creata cooperari voluerit.

401 Verum; eſto conditionaliter; voluntate antecedenti Deus ſatis feratur in actus humanos entitatiuos conditionaliter; attamen quia voluntas antecedens *beneplaciti* poteſt fruſtrari, vt patet de voluntate, qua vult omnes ſaluos: oportet dare voluntatem abſolutam, quæ non fruſtretur, vt aduertit S Bonauentura d.47.*quæſt*.1. cum D.Auguſt. in *Enchir. cap*.107. & *de ſpiritu*, *&* *litt*.*cap*.13. Et idem colligit S.D. ex illo Geneſ. vlt. *Num Dei poſſumus reſiſtere voluntati?* Rom.9. *Voluntati eius quis reſiſtit?* Et ex Gloſſa ad 1.Tim cap.2. *Vult omnes ſaluos fieri*. Rogandus eſt, vt velit. *Quod ſi vult; neceſſe eſt fieri*, neceſſitate ſcilicet conſequenti. Hanc autem neceſſe eſt fuiſſe æternam, ne detur mutatio in Deo, vt ſuprà dixit Seraphicus *d*.45. *dub*.9. Per voluntatem verò conditionatam, non ſatis homines ad finem ſuum deduceret. Ea enim non eſt efficaciter deducens.

402 Aduerte autem, circa peccata, aliam eſſe prouidentiam, vt dixi *quæſt*. *præced*. & *dicam quæſt*.17. cum D. Bonauentura nam bonorum Deus eſt auctor: mala verò ſolùm permittit, vt docet S.D.*d*.46.*quæſt*.2. cum D.Auguſt.*l*.83.*qq*.*q*.3.& *de fide ortodoxa*, & *in Enchir. cap*.95.*&* 96. Itaque licèt concedamus, dari ordinationem prouidam peccati in finem abſque prædefinitione eius; non tamen benè inferunt Amicus *loco cit*. & Caſpenſis *n*.3. idem quoque dicendum de entitatibus voluntatis, quæ ſunt à Deo volitæ efficaciter ab æterno ſimul cum aliis bonis.

403 Ex eodem loco *Sap*.1. oportet aliud cum D.Bonauent. ibi adnotare. Aſſerit ibi ſapiens. *Nolite zelare mortem, &c. Quoniam Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione viuorum. Creauit enim, vt eſſent omnia.* Obſeruat autem, Deum dici voluiſſe ab æterno ea omnia, quæ fecit in tempore. In tempore verò ea ſolummodò fecit, quæ non ſunt mala culpæ, & hanc vocat mortem; quam ideò opponit ſaluti viuorum, vel intelligit mortem, pro vt eſt à peccato. Nam quoad pœnale mortis, probat à Deo factum ex illo Eccl.11. *Bonum, & malum: vita, & mors à Deo ſunt*, vt colligit etiam Eccleſia Lugdunenſis *tom*.2.*auctorit*. *Patrum*,*pag*. 1072. cum ſuo Seraphico Antiſtite, contra Ioan. Erigenam Scotum, vt aduertit Tanner. *num*.8. Ità, vt locus Sap. neget, Deum voluiſſe mortem, voluntate antecedente; cùm mors ſit à peccato, non volito à Deo. Eccleſiaſticus autem aſſerat, factam à Deo mortem, voluntate conſequente, vt iuſtam pœnam.

404 Probatur quartò à D.Bonauentura *d*.40.*quæſt*.1. *art*.3. ex illo Epheſ.1. *Elegit nos ante mundi conſtitutionem, vt eſſemus ſancti, & immaculati coram ipſo.* Obſeruat autem S.Bonauentura *d*.41.*quæſt*.2. cum D. Auguſt.*de prædeſt*. *ſanct*. *cap*.19. Deum ab æterno voluntate eligiſſe, vt exequeretur in tempore dando eis gratiam, & ſanctitatem ad opera ſingula bona, quæ præparauit Deus, vt in illis ambulemus. Idem probat, *d*.45.*q*.1. ex illo Epheſ.1. *Omnia operatur ſecundùm conſilium voluntatis ſuæ.*

Hæc verba ſic exponit D.Athanaſius ad hunc locum. *Sciens autem hæc parauit Deus, quæ differri non poterunt, neque prætermitti, quin peragantur, tanquam diuinitus ſint præfinita, idque per multam erga nos prouidentiam.*

Idem expreſsè colligitur ex eodem textu *Epheſ*.1. Deum omnia, quæ vult, velle conſilio voluntatis ſuæ, nempè prudentiſſimo decreto æterno.

Probatur quintò à Seraphico D.in ſpeculo B.V. 405
lec.8. è 13. Eſther, *Domine in ditione tua, cuncta ſunt poſita, & non eſt, qui poſſit tuæ reſiſtere voluntati. Tu enim feciſti cælum, & terram; & quidquid cæli ambitu continetur. Dominus omnium es, nec eſt, qui reſiſtat tuæ maieſtati.* Et Pſalm.113. vbi diuinæ voluntatis efficaciam oſtendit, ex eo quòd, Omnia: quæcunque voluit ab æterno, fecit in tempore.

Et ex Iudith 9. vbi orans ipſa ait. *Domine Deus Patris mei Simeon, qui dediſti illi gladium in defenſionem alienigenarum, qui violatores extiterunt in coinquinatione ſua, & denudauerunt fœmur virginis in confuſionem. Tu enim feciſti priora, & illa poſt illa cogitaſti. Omnes enim viæ tuæ paratæ ſunt, & tua iudicia in tua prouidentia poſuiſti. Deus cælorum, Creator aquarum, & Dominus totius creaturæ exaudi me miſeram deprecantem.*

Obſerua verò, hic alludi ad facinus *Geneſ*.34. à 406
Simeone patratum trucidandis Sichimitis; illi autem dicitur dediſſe Deus gladium; ideſt, hoc conſequenter diſpoſuiſſe ſuâ probidentiâ ad bonum, atque alia omnia prouidiſſe, quæ ſunt à Deo creata, & gubernantur.

Ex his eruitur à D.Bonauentura *locis citatis*, validiſſima ratio. Quidquid Deus in tempore facit producendo, gubernando, totum ſuâ prouidentiâ ab æterno voluit facere, è D.Auguſt. *l*.3.*de lib*.*arb*.*c*.3. vbi ait: *Iam ſemel ſtatuit, quemadmodum feratur ordo vniuerſitatis, quam condidit. Neque enim aliquid noua voluntate adminiſtrat*; ſed omnia quæcunque ſunt entia, ſunt à Deo: Ergo. Hoc argumento vtuntur Scotus *in* 2.*d*.1. *quæſt*.2.*litt*.*D*. Maſtrius *n*.27.& alij Scotiſtæ; Tannetus, *num*.14. alijque; Maſtrius, *n*.28. ait, Suarez, *d*.22.*ſec*.4. & Molinam reſpondere, Deum habuiſſe ab æterno voluntatem futuritionis actuum quorumcunque liberorum; non tamen abſolutam; ſed conditionatam; ſi cauſa ſecunda velit cooperari.

Quod ſi ità volunt, vt neque poſt ſcientiam conditionatam noſtri concurſus, Deus velit abſolutè, vt adſcribunt Nazarius, & Maſtrius Molinæ, Amico, Suarezio; impugnatur argumento Seraphici, *dub*.9. Quia cùm Deus efficaciter velit in tempore, oportet ità voluiſſe etiam ab æterno; alioqui Deus eſſet mutatus: voluntas enim conditionata nihil efficaciter caucat, niſi purificatâ conditione, tranſeat in abſolutam.

Quod ſi dicas, in tempore velle abſolutè, ſuppoſitâ voluntatis noſtræ determinatione.

Contra, quia ſic fuiſſet etiam ab æterno; & vtro- 407
tris modo ſequitur, Deum non eſſe cauſam omnium rerum, vt benè arguit Vaſquez *d*.99. *cap*.5. cum D.Bonauent. *d*.45. *dub*.9. Nam cauſa in actu non eſt, niſi quando facere vult. Itaque ſi non vult, niſi poſtquam voluntas operata eſt; ſequitur, Deum ad illum actum non eſſe operatum, & cùm hoc currat etiam de operationibus ſupernaturalibus; ſequitur, voluntatem operari actus ſupernaturales ſine Deo. Et ecce Semipelagianum; vel gratiæ cooperanti detrahit, dum aſſerit, noſtram operationem eſſe naturâ priorem concurſu Diuino, quod redolet Pelagianiſmum. Secundo. Cùm circa opera ſupernaturalia verſetur ſingularis Dei prouidentia, oportet, vt circa ea verſetur etiam
voluntas; ità enim neceſſe eſt concedere ſingularem 408
Dei prouidentiam circa ſingula ab æterno; ſicuti in tempore. Atqui Deus in tempore ſingula opera noſtra operetur. Ergo etiam ab æterno eodem modo ea prædefiniuit. Id autem expreſsè docuit ex Patribus, Gregorius Magnus *l*.12. *Moral*.*cap*.2. dicens. *Cuncta*

Deus

Deus præſciens ante ſecula decreuit, qualiter per ſecula diſpoſuit. Idem docuere Elias Cretenſis in *orat. prima, Nazianzeni* in ea verba. *Sede ne omnium voces.* Et Concil. Valent. ſub Lothario Imperatore *cap.* 3. Fulgentius *l.* 1. *ad Monim. cap.* 14. & paſſim Aug. vt notat Vaſquez *d.* 99. *n.* 33.

409 PROBATVR vltimò à D. Bonauentura *d.* 36. *art.* 2. *q.* 1. & *ad c.* 1. *Ioan.* Ea, quorum Deus habet exemplaria, ſeu Ideas practicas, ſunt à Deo volita ab æterno. Sed Deus omnium entium futurorum habet exemplaria, vt docet D. Aug. *l.* 83. *qq. q.* 46. & *l.* 6. *de Trin. cap.* 6. Ergo.

Obijciunt primò. Si actus noſtri liberi eſſent à Deo prædefiniti ab æterno; iam non remaneret nobis libertas ad illos actus. Hoc vrgent Philippus Moncæus, & Vaſquez.

Reſpondet Ribas, negando ſequel. quia in multis ſpeciebus actuum offert concurſum pro ſingulis, vnde liberi ſumus, & ad ſpecificationem, & ad exercitium.

410 Reſpondetur meliùs, facilè hoc ſequi ſolùm in opinionibus ponentibus prædefinitionem phyſicam antecedentem vſum noſtræ libertatis, vt volunt Thomiſtæ; vel concomitantem, vt volunt Scotiſtæ; & probaui *diſp.* 13. *q.* 7. at in noſtra ſententia, quæ ponit, Deum præfinire poſt cognitam noſtram voluntatem conditionaliter in ſcientia media; quam probauimus *diſp. cit. quæſt.* 12. nihil habent difficultatis. Quia, licèt ordine durationis præcedat; non tamen præcedit ordine cauſalitatis.

411 Obijciunt ſecundò. Si prædefinitio Dei eſt neceſſaria ad actuum noſtrorum futuritionem; ſequitur, nos non poſſe oppoſitos elicere, quia non ſunt prædefiniti.

Reſpondetur, eodem fundamento, id non ſequi in ſententia noſtra; non enim prædefiniuit Deus actus illos, determinando voluntatem; ſed relinquendo liberam cum auxilio parato ad omnia. Et ità poteſt in ſenſu diuiſo, etiam actum oppoſitum.

Obijciunt tertiò multos Patres negantes hanc prædefinitionem. Sic Origenes *homil.* 3 *in Geneſ.* ait: *Multa ſine eius voluntate geruntur; nihil ſine prouidentia.* Damaſc. l. 2. de fide cap. 30. ait: *Deum omnia quidem præſcire; ſed non omnia prædefinire, præſcit enim ea omnia, quæ in noſtra poteſtate, & arbitrio ſita ſunt; at non ea item prædefiniri. Neque enim vitium admitti vult; neque voluntati vim affert.* Gregor. Nyſſ. l. 8. Phil. c. 4. ait: *Ea, quæ pendent ex noſtra libera voluntate, non eſſe ſubiecta Diuinæ prouidentiæ.*

412 Reſpondetur, hos Patres eximere à prædefinitione ſola peccata, vt expreſsè conſtat in Damaſceno; vel ſi de actibus etiam bonis loquuntur; volunt excludere ſolam prædefinitionem, quæ antecedit vſum noſtræ libertatis, quæ neceſſitatem imponit; quo pacto Damaſcenum exponit D. T. *p. p. q.* 23. *art.* 1. *ad* 1. Nyſſenus tamen videtur loqui in ſenſu philoſophorum; & ità negat prouidentiam in ſenſu eorum, qui prouidentiam aſſerebant eſſe ordinem rerum immobilem, fatalem, & inducentem neceſſitatem.

OBSERVA autem rurſus, quòd licèt Dei prouidentia decreuerit entitatem phyſicam, malo culpæ adnexam; attamen vſus obtinuit apud Patres, vt dicantur actus moraliter mali eſſe præſciti, non præuoliti; vt benè aduertit Pennotus *l.* 4. *cap.* 8. & Maſtrius *n.* 37. quia cùm volitum denominet voluntatem, vel denominetur ab ea, & non poſſet dici actus ille bonus, vt circumſtantiis omnibus indutus; non debet dici volitus à voluntate bona, cùm non poſſit aut actum illum ſic bonum denominare, & multò minùs ipſa voluntas à malo mala dici, vt aduertit S. Bonauentura *d.* 46. *q.* 2. *fund.* 3.

MVLTA opponit etiam Pennottus *l.* 4. *cap.* 11. ſed 413 ea probant tantùm prædefinitionem Dei eſſe poſt ſcientiam conditionatam. Ità D. Anſelmus *l. concord. c.* 2. dicens, *Dubitari non poteſt; quia eius prædeſtinatio, & ſcientia non diſcordant; ſed ſicut præſcit, ita etiam prædeſtinat.* S. Auguſt. l. 6. Hypognoſt. ait: *Deus quidquid, antequam fiat ſicut præſcit; prædeſtinat: propterea prædeſtinat, quia quale futurum ſit, præſcit,* Damaſc. l. 3. de fide, cap. 30. *Diuina iuſſio cum præſcientia definitionem efficit.* Demùm Patres dicunt, ideò Diuinam ſcientiam rebus præſcitis neceſſitatem non imponere; quia non præcedit res ſcitas, neque eſt illarum cauſa, vt probat S. Bonau. *d.* 38. *q.* 1. Præſcientiam autem *hic* accipiunt ſcientiam futurorum conditionalem.

Obijcit etiam. Ideò hæretici negant liberum arbitrium; quia omnes actus humani ſunt prædefiniti efficaciter, ante omnem præſcientiam conſenſus voluntatis humanæ, & tamen illi ab Eccleſia damnantur.

RESPONDETVR, hæreticos ideò negare liberum 414 arbitrium: Quia actus ſint ab æterno decreti, decreto immutabili; ſed nos ſuprà oſtendimus, hoc non obeſſe. Quia, licèt decretum ſit antecedens, duratione, noſtrum actum; tamen non antecedit cauſalitate.

Deinde dicimus etiam, decretum Dei æternum non tranſire in præteritum; ſed ſemper eſſe præſens cum æternitate, quam doctrinam ipſe *l.* 4. *cap.* 24. vnicam fatetur ad ſeruandam libertatem, ſimul cum decreto Dei; eamque iure, ac meritò adſcribit Seraphico 1. *d* 40. *artic.* 2. *q.* 1. Quare mirum eſt, cur tam anxiè illo *cap.* 11. inſtet ad probandum, illud decretum debere eſſe poſt præuiſionem noſtræ determinationis abſolutæ; cùm adhuc, ſecundùm ipſum, non ſatis ſaluet noſtram libertatem.

Multa alia congerit, quæ id ſolùm probant, decretum Dei ſemper actus noſtros liberos ſupponere ſcientiam mediam; vt obſeruat Maſtrius.

ARGVIT vltimò è Diuina prædeſtinatione, & re- 415 probatione, quæ neceſſariò ſupponunt præſcientiam bonorum, vel malorum operum.

RESPONDETVR, prædeſtinationem ſupponere aliquod motiuum in præſcientia, vt dicam *diſp.* 21. Sed non eſt ad rem noſtram; non enim decretum prædeſtinationis eſt ſolùm de actibus illis præuiſis; ſed de cæteris etiam, reſpectu eorum, per ſcientiam mediam præcognitis.

DENIQVE non ſatis admiror, tot eſſe nobis Docto- 416 res aduerſarios hac in re; atque adeò improuidum Deum conſtituere; quod probo argumento Seraphici *d.* 45. *art.* 2. *fund.* 3. Deus eſt cauſa omnium rerum per ſcientiam, potentiam, & voluntatem, vt aduerſarij fatentur. Ergo omnia ſunt à Deo ità efficaciter volita, ſicuti efficaciter ſunt producta.

TANDEM vrgeo argumentum quartum Seraphici, 417 citato loco. Omnis cauſa aut eſt cauſa per naturam, aut per voluntatem; aut per caſum, & fortunam, ex Ariſtotele 2. *Phyſ. t.* 61. & 7. *Met. t.* 30. Sed Deus non eſt cauſa rerum per naturam; alioqui Deum produceret ſibi ſimilem; neque per caſum, & fortunam: Ergo per voluntatem efficacem: vel ſi non per voluntatem efficacem: Ergo eueniunt omnia caſualiter Deo, abſque eo, quod dirigantur ad finem. Hoc argumento vtuntur Maſtrius *n.* 29. & alij.

Dicunt aliqui, ſatis eſſe præſcientiam eorum actuum, ne caſu res eueniant.

CONTRA. Quia ſi actus illi ſunt conditionaliter 418 voliti: Ergo non ſunt certò futuri; ac proinde præſcientia de illis non eſt certa; ſed incerta, & conditionalis.

lis. Probatur ſeq. nam è Sanctis PP. ſuprà allatis eo modo ſunt res præſcitæ, quo futuræ ſunt in Diuina prædeſtinatione. Neque ad certitudinem ſufficit, Deum auferre auxilium, ad quemuis actum, vt putat Caſpenſis.

419 Hinc funditus corruit reſponſio Caſpenſis *num.*8. dicentis; nihil abſurdi eſſe, aliquid fieri præter intentionem Dei; imò peccatum ita euenire, neque ob id inferri, ea caſu euenire; quia ſunt præcognita; ea verò, quæ præcognita ſunt, non eueniunt caſu.

Nostrvm argumentum erat, ſequi aliquod ex his, quæ fiunt in tempore, fieri præter intentionem eius, quia non ſunt volita, neque certò præſcita. Vel ſi volita in tempore, & non ab æterno; ſequitur voluntatem Dei mutari.

Reſpondet Caſpenſis, multa fieri in tempore, quæ Deus efficaciter priùs noluit, vt entitates malorum actuum.

Hic Author ludit; nam quoad entitates malorum actuum phyſicas, cùm non ſint prædefinitæ ab æterno, vt ipſe docet *num.* 3. neque ſunt conſequenter ſecundùm ipſum volitæ in tempore. Nam eadem ſemper ſunt volita à Deo immutabiliter. Quod verò ab ipſo non ſint volitæ ante, & poſtea fiant. quia volitæ ſunt ab homine peccante, non facit ad rem.

420 Ex dictis habes, quid de opinione Caſpenſis ſentiendum, qui *tract. de Prouidentia*, *d.*2. *ſect.*1. docet, Diuinam prouidentiam purè moralem, ſeu reſpicientem actus liberos creaturæ, poſſe ſine prædefinitione conſiſtere: ad naturalem verò prouidentiam, neceſſariam eſſe prædefinitionem, ſaltem virtualem. Deinde *ſect.* 2. ait, poſſe Deum prædefinire certò quoſlibet actus bonos liberos; & adducit Suarez, & alios, quos refert, & ſequitur Tannerus *d.* 2. *quæſt.*10. *dub.*8. contra Vaſquez, Molinam, & Valentiam. Tandem *ſect.*5. concludit, omnes actus liberos ſupernaturales; & naturales honeſtos, eſſe à Deo prædefinitos.

QVÆSTIO XVI.

An actus liberi boni ſint prædefiniti ante vſum libertatis.

421 Prima opinio eſt, Deum, ſicuti phyſicè antecedenter præmouet liberum arbitrium in tempore, ità ab æterno antecedenter, non modò duratione; ſed cauſalitate, prædeterminaſſe actus noſtros liberos bonos. Ità Recentiores Thomiſtæ omnes Aluarez *lib.* 2. *de Auxil. diſp.* 7. & *leg.*1. *reſp. cap.* 1. Riſpolus *leg.*1. *quæſtione* 2. *concl.*1. Verdù *in relect. contra ſcientiam mediam*, Cabrera *tom.*1. *in* 3. *p. quæſt.*1. *art.*3. *d.*1. & alij paſſim *in* 1. *p. quæſt.*14. *art.*13. Zumel. *d.*8. Nauarct. *contr台.*56. Ripa *dub.*4. *cap.*1. Nazar. *contron.*1. Machinus *d.* 34. Gonzalez *d.*44. *ſect.*3. & *d.*45. Pro hac allegant D. Thomam, ita vt Nazarius *quæſt.*22. *art.*4. *contron.*1. dicat. D. Thomam in hac ſententia perpetuum. Idem ait Morandus *t.*4. *quæſt.*8. vbi eam ſequitur. Attamen Pennottus *l.*3. *Propugnac. cap.*23. *num.*4. id omnind negat, vt vidimus *diſp.*13. *quæſt.*7. vbi hanc Thomiſtarum ſententiam confutauimus, quam etiam refellam *t.*2. *tract.*5. *d.*2. *quæſt.*4.

422 Secvnda eſt quorundam Scotiſtarum, qui, licèt prædeterminationes intrinſecas in tempore negent; attamen extrinſecas Dei volitiones æternas dant. Ita Sghemma 2. *Phyſ. digreſſ.* 18. *de fato*, *q.*2. & 4 Putant hi, hanc erui è Scoto 1. *d.*39. §. *Viſo de contingentia*, & *d.*37. *q.*2. §. *contra iſtam*: & *quodl.*14. §. *Hic intelligendum*. Ideò illi Thomiſtarum præfinitiones adſcribunt multi. Sed Faſolus *quæſt.*14. *art.*13. *num.*130. id falſum eſſe oſtendit io Scoto. Sic probant, & Vulpes *d.*30. *art.*8. Maſtrius *d.* 3. *quæſt.* 3. *art.* 6.

Tertia ſententia eſt fidelium Scotiſtarum negantium prædefinitiones; ſed ponentium concomitantiam decreti cum noſtris voluntatibus. Eos repuli *diſp.*13. *quæſt.*7.

Qvarta ſententia eſt, actus noſtros liberos decretos quidem ab æterno. Sed non niſi poſt abſolutam præuiſionem noſtræ determinationis liberæ. Ità 423
Pennottus *l.*4. *Propugnac. cap.*12. Ludou. de Ripas *tract.*6. *d.*3. *num.*36. trahens Marſilium 2. *d.*40. *art.*2. *p.*1. *concl* 4. Gabr. 1. *d.*45. & *in* 2. *d.*1. *quæſt.*2. *art.*2. Andream de Caſtro nouo 1. *d.*22. *præſertim quæſt.*2. *ad* 2. Sotum 1. *de nat. & grat. cap.*16. Vegam *l.*1. *in Trident. cap.* 7. Cordubam *l.*1. *qq. Theol. quæſt* 55. *dub.*8. & alios apud Suar. *l.*1. *de aux. cap.*14. ipſum quoque, necnon Molinam præcipuè *p.* 1. *quæſt.* 14. *art.*13. *d.*18. *m.*3. & 4. Leſſium *Apolog. de gratia efficaci*, *cap.*5. *num.*13. D. Thomam *p.* 1. *quæſt.* 25. *art.*5. *ad* 1. Angeſtum in Moral. *cap.*2. *com.*2. *not.*1. Addo Amicum *d.*14. *ſect.*5. qui ait in Societate hanc eſſe communiorem. Et Faſolum *p.*1. *quæſt.* 14. *art.*13. *d.*7. dicentem, eſſe omnium tuentium ſcientiam mediam. Sic Tannerus *d.*2. *quæſt.*10. *dub.* 7. Fulienſis *l.*1. *cap.*18. refertur.

Mihi quidem non videntur ritè, omnes pro hâc ſententia tumultuariè afferri. Fateor Pennottum, Ribam, Amicum eſſe aſſertores; Molinam, Leſſium, ac Suarez huius ſententiæ fauere, nec non Faſolum in illam propendere cum paucis; aliqui tamen reſtringuntur ad eos actus phyſicos, ad quos ſequitur culpa. Malè autem alios infarciunt, eis addentes Catherinum, *opuſc. de præſcientia*, *cap. vlt.* & Oſorium *l.*1. *de iuſtitiâ*.

Arbitror autem veram ſententiam dicentium, 424
Deum, ſuppoſitâ ſcientiâ mediâ, ſeu conditionatâ, quâ videt, quem actum eliceret arbitrium, ſi in tali, vel tali occaſione poneretur, decernere, & exhibere parata ad plures actus auxilia, ſimulque ſe determinare cum libro arbitrio cooperaturum, dum eodem inſtanti ſe applicat ad eundem cum Deo actum producendum. Hæc mihi videtur ſententia D. Bonau. *locis adductis d.*13. *quæſt.*7. & 12. Nihil autem temeratur libertas, vt monet Vaſquez *p.*1. *d.* 99. *cap.*6. & 7. ſuppoſitâ ſcientiâ conditionali. Neque fauemus prædeterminationibus, vt putat Ribas *num.*33. Et ſanè non capio, qua ratione poſt ſcientiam conditionatam, quam Doctores Societatis aſtruunt ante Dei decretum, & abſolutum concurſum; ſed ſolo liberum arbitrium ante decretum Diuini concurſos, ac proinde ante concurſum determinet ad vnum actum, & plures ſe ſolo valeat eligere; decretum verò concurſus abſoluti expectet operationem creaturæ omnino à Dei cooperatione independentem. Idem autem inconueniens ſequitur in decreto, & in executione, quia eo modo Deus in tempore exequitur, quo decreuit exequi; alioqui mutaretur.

Video decretum à quibuſdam poni conditionatum concurrendi ad omnes actus liberos. Sed eſt imperfectè prouidentis, & imponit Deo neceſſitatem infinitorum decretorum ſuperfluè, vt arguebam *d.*13. *à num.* 366. Deinde ſi decretum eſt conditionatum

concurrendi

concurrendi ad eum actum, ad quem anima ſe voluerit applicare, ac determinare; iam illa electio huius actus è reliquis, erit à ſolo arbitrio, non à Deo, qui ſolum decretum iniit cooperandi huic actui, quem elegerat eliciendum, vel huic operi, quod prælegerit; nam electio libera huius actus præ aliis exigit vitalem determinationem: Hanc autem in noſtra ſententia non præcedit Dei operatio, nec abſque ſcientia liberæ conditionatæ volitionis decretum. Quare neque cum Thomiſtis, neque cum Scotiſtis temerandæ libertatis diſcrimen incurrimus. Quod clamat Ribas *num.* 46. nos non offendit.

Assero primò, actus noſtros libros nôn fuiſſe ab æterno prædefinitos, ante vſum liberi arbitrij.

425 Probatvr primò à Suarez *l.* 2. *opuſc. cap.* 7. Si Deus abſque futurorum ſcientiâ conditionatâ prædefiniret actum voluntatis meæ, non poſſet non applicare media, quibus meam voluntatem ad talem actum eliciendum prædeterminaret. Sed hæc prædeterminatio repugnat libertati: Ergo. Maior probatur. Quia prædefinitio infallibiliter debet impleri. Ergo oportet, vt ex vi eius moueatur voluntas humana, vt omninò infallibiliter efficiat actum prædefinitum. Ergo, ſi illa motio non poteſt eſſe infallibilis ex præſcientiâ conditionatâ; oportet vt ſit infallibilis ex efficacia ſua; atque adeò vt prædeterminet omninò voluntatem. Minor probatur è dictis *d.* 13. *quæſt.* 7. & probabitur 1. 2. *tract.* 5. *d.* 1. *quæſt.* 4. Vnde fruſtrà Nazarius *quæſt.* 19. *art.* 10. *controu. vnica*, & *quæſt.* 22. *art.* 4. eam negat.

Probatvr autem adhuc Minor è D. Anſelmo *l. de concord. cap.* 1. *&* 2. & *l. Cur Deus homo*, *cap.* 18. vbi duplicem illam neceſſitatem tradit, nempè antecedentem, quæ facit rem: & conſequentem, quam res facit. Et primam neceſſitatem ait pugnare cum arbitrij libertate; non autem ſecundam. Eandem doctrinam tradit S. Auguſt. *de ciu. cap.* 10. Neque ſatisfaciunt dicendo, D. Auguſtinum eam ſolam neceſſitatem opponere libertati, quæ eſt naturalis; nam ille omnem neceſſitatem reiicit, quæ non ſit intra noſtram libertatem; ſiue ſit à cauſa naturali illata; ſiue à libera ſuperioris ordinis, vt laté probat Thomas Vual. *l.* 1. *cap.* 25. & *cap.* 28. ex eodem D. Auguſt. *l.* 3. *de lib. arb. cap.* 3. dicente: *In tantùm aliquid eſſe in noſtra libertate, in quantum eſt in poteſtate noſtra voluntatis.* Quæ doctrina diſplicet Aluarez *l.* 2. *de Aux. d.* 7. *num.* 16. in fine tertiæ probationis.

426 Ex hoc principio, quod eſt D. Bonau. vt oſtendi *d.* 13. *quæſt.* 7. claré deducitur, non poſſe prædeterminationes phyſicas abſque libertatis violatione concedi. Cùm enim, non modò ordine durationis in æternitate; ſed ordine cauſalitatis antecedant noſtrum arbitrium; nullo modo ſunt in noſtra poteſtate. Et conſequenter, eo ipſo, quòd actus noſter eſt antecedenter à Deo abſolutè decretus; nullum in nobis vſum libertatis circa eum admittit.

Rationem laté attuli *d.* 13. *quæſt.* 7. quæ Thomiſtis eſt nodus Gordianus, ità vt Caietanus *p.* 1. *quæſt.* 22. *art.* 4. dicat, ſe non capere, quomodò effectus prædefinitus à Deo infallibiliter eueniat; & tamen liberè eueniat; vt refert Morandus *num* 419. qui miris, veris tamen modis ab hoc argumento torquetur; nec ſe expedire valet. Sic ſecunda quoque opinio confutata iacet.

427 Probatvr ſecundò à Tannero, ſuppoſita exiſtentia ſcientiæ mediæ in Deo. Priores ſunt actus neceſſarij, quàm liberi; præſertim reſpectu eiuſdem obiecti; at ſcientia conditionata futurorum contingentium eſt aliquo modo neceſſaria; omnis autem prædefinitio efficax eſt omnimodè libera: Ergo ſcientia media eſt prior prædefinitione. Cætera vide *locis allegatis*, vbi argumenta etiam Thomiſtarum iacent ſoluta, cum Scotiſtarum prædefinitionibus.

428 Asserendvm ſecundò, prædefinitionem abſolutam non comitari futuritionem noſtri actus liberi, modo Scotiſtarum. Probatur è dictis *d.* 13. *quæſt.* 7. vbi eam repuli.

Obiicies cum Thomiſtis, Epheſ. 1. dicitur: *Deus omnia operatur ſecundum conſilium voluntatis ſuæ.*

Reſpondetur, non ſignificari ibi prædefinitionem; ſed rationabilitatem Dei in volendo, vt exponunt SS. Hieron. & Anſelmus *ib.* Et innuit S. Bonau. *d.* 45. *quæſt.* 1. *fund* 1. quod explicat ſequentibus.

Assero tertiò. Decretum Dei abſolutum, non eſſe poſt abſolutam arbitrij determinationem.

429 Probatvr ex dictis in aſſerto. Sequeretur cauſam eſſe poſteriorem effectu, nam omne creatum ens eſt à Dei voluntate, de fidè. Scio aduerſos reſpondere, Deum definire concurſum ad actus liberos ſolùm ſub conditione, & hypotheſi, ſi cauſa ſecunda ſe ad hunc, vel illum actum determinauerit, poſitâ autem determinatione cauſæ ſecundæ, decretum Dei conditionatum tranſit in abſolutum. Sic omnium nomine reſoluit Ribas *num.* 36. *ad litteram.*

Hinc argumentor. Quidquid ante decretum Dei abſolutum, eſt abſolutè futurum, id à Dei cauſalitate eſt independenter futurum. Determinatio abſoluta liberi arbitrij per te eſt ante Dei decretum abſolutum. Ergo independenter à Deo. Maior eſt euidens Ribæ *num.* 46. Quod eſt enim ante aliud, non eſt cauſatum ab eo; quia cauſa non eſt poſterior effectu, & quod non eſt, non poteſt efficere aliud.

430 Assero quartò. Dei decretum è ſcientia conditionata comitatur voluntatem creatam. Patet è confutatione aliarum opinionum; & explicatum eſt in aſſerto.

Qvod verò arguit Ribas *num.* 46. Voluntatem Diuinam concurrendi abſolutam antecedere libertatem, neque iuuare ſcientiam conditionatam, ſi ex ea abſolutè operetur; neque ea oſtendet rem futuram ſub conditione, ſed res erit abſolutè futura ex vi præcedentis decreti, & tollitur libertas quoad ſpecificationem, quia determinatur concurſus ad vnum actum; tollitur etiam quoad exercitium, quia iam editum eſt decretum abſolutum.

Resolvo breuiter, voluntatem Diuinam decernere præuisâ liberi arbitrij conditionatâ determinatione, qua fit, vt determinetur concurſus cum liberè volente; neque vnum auxilium decernatur; ſed quot ſunt ad talem coniuncturam requiſiti; quo fit, vt libera maneat voluntas quoad ſpecificationem, etiamſi daretur concurſus vni actui, quia illi notum eſt liberè ſe applicaturum arbitrium, in tali circumſtantiarum ordine poſitum. Erit libera etiam quoad exercitium, quia auxilium ex ſcientia libero arbitrio aptum, cooperatur actui ab arbitrio electo, & Deo noto.

QVÆSTIO XVII.

Vtrum Deus prædeterminauerit entitatem phyſicam, nexam culpæ, ante liberum arbitrium.

Non eſt quæſtio de prædefinitione permiſſiua, quæ ſupponit actus ipſos, & eſt conſequens, vt oſtendi *quæſt.* 13. Neque de formalitate peccati, quam ibidem vidimus, non eſſe à Deo volitam: ſed de prædefini

prædefinitione efficaci ſubſtratæ peccato entitatis.

431 PRIMA opinio eſt Thomiſtarum plurimorum, Deum ab æterno abſolutè prædeterminaſſe actus noſtros malos, quoad phyſicam entitatem. Ità Capreol. 2. *d.* 37. *quæſt.* 2. *art.* 3. Ferrar. 3. *cont. G. cap.* 71. in fine, & *cap.* 89. *ad* 3. *Scoti.* Soto *de nat. & grat. l.* 1. *cap.* 18. Medina 1. 2. *quæſt.* 79. *art.* 2. & *quæſt.* 109. *art.* 2. Melchior Canus *de locis, l.* 2. *cap.* 4. *ad* 7. Bannes *quæſt.* 19. *art.* 10. Nauaret. *controu.* 25. & 26. Nazar. *quæſt.* 22. *art.* 4. *controu.* 3. allegans Salmaticenſ. Aluarez, Cabreram, Riſpolum, & alios; vbi adducit etiam D. Thomam 2. *d.* 37. *quæſt.* 2. *art.* 2. cum D. Auguſt. *l.* 2. *de lib. arb. cap.* 19. & 20. Eam ſequitur Morand. *tract.* 4. *quæſt.* 10. alios adducens.

SECVNDA upinio ex altero extremo eſt, Deum non prædefinire has entitates vllo modo, ſed reſpectu horum actuum dari meram permiſſionem. Ità nonnulli ex aſſertoribus ſcientiæ mediæ, vt Pennottus *l.* 4. *cap.* 18. *num.* 6. & quod magis mirandum, etiam aliqui ex aſſertoribus phyſicæ prædeterminationis, quibus malè redolet, Deum optimum, Maximum, ab æterno nos prædeterminare ad actum peccati, antequam ille ſit, aut præuideatur futurus, & poſtea in tempore ad illum eundem actum efficiendum præmouere. Ità Gonzales *p.* 1. *quæſt.* 14. *art.* 13. *d.* 44. *num.* 14. 28. 38. Machin. *d.* 48. *ſect.* 3. Blaſius, Verdù *fol.* 12. *in relect. contra ſcientiam mediam*, Lezana *t.* 4. *d.* 5. *quæſt.* 10. & alij. Quidam etiam vocant *permiſſiuè*, velle ex ſuppoſitioue concurrere. Sic Ribas *tract.* 5. *d.* 3. *cap.* 4

432 TERTIA opiniu eſt Scoti 1. *d.* 37. *quæſt.* 2. § *Ad ſolutionem iſtorum*, negantis quidem præfinitiones Thomiſtarum; at velle abſolutè entitatem culpæ ſubſtratam, contra ſecundam opinionem; ſic *in* 1. *d.* 41. *quæſt. vn.* § *Primum iſtorum*, & *d* 47. *ad* 1. hæc autem non conſequenter volita aſtruit, vt putant Faſol. *quæſt.* 14. *art.* 13. *d.* 11. & Cauell. 2. *d.* 39. ſed concomitanter, modo expoſito *d.* 13. *quæſt.* 7. vt ait Maſtrius *d.* 4. *quæſt.* 3. *art.* 1. cum aliis Scotiſtis relatis *ibi*.

QVARTA opinio eſt aſſertorum ſcientiæ mediæ dicentium, tales actus definitos poſt præuiſionem conditionatam determinationis noſtræ voluntatis. Ità Suarez. *l.* 1. *de ſcientia abſoluta futur. cap.* 8. *num.* 12. Ribas *tract.* 6. *d.* 3. *cap.* 4. Faſol. *p.* 1. *quæſt.* 33. *art.* 4. *d.* 2. *num.* 22. & *quæſt.* 24. *art.* 13. *d.* 17. allegans omnes
433 ſuæ Societatis Theologos. Quare immeritò Lezana Patribus Ieſuitis ſecundam inuiit ſententiam. Subſcribit Petrus à S. Ioſeph, Fulienſis, *l.* 1. *cap* 18.

EANDEM omninò ſententiam ſuſtinet Caſpenſis *tract. de Prouid. diſp.* 2. *ſect.* 4. poſt D. Bonau. 1. *d* 46. *quæſt.* 2. *ad vlt.* & *quæſt.* 5. *in corp.* vbi ait „malum non eſſe ordinabile, niſi per accidens, per bonum ſubſtratum. Igitur ab æterno eſt volitum ſubſtratum peccati; non antecedenter ad ſcientiam mediam; vt dixi *quæſt. præced.* Malè autem Trigoſius *quæſt* 14. *art.* 2. *dub.* 3. *concl.* 2. colligit è D. Bonau. *loc. cit. ad* 1. & *alia argumenta*; omnia eſſe à Deo præfinita, etiam peccatum; eò quòd dicit S. D. omnia ſubiacere Diuinæ prouidentiæ. Nam *in reſp. ad vlt.* ait: *Ad illud, quod quæritur, qua ordinatione ſit ordinabile peccatum. Dicendum, quod ordinatione ad finem. Sed hoc eſt ſolum poſt factum.* Sola igitur permiſſio culpæ eſt à Deo decreta; vt ipſe Trigoſ. fatetur *quæſt.* 14. *art.* 6. *dub.* 2. *concl.* 2. Et poſt factum, ſeu conſequenter per ordinationem ad bonum. Igitur cantiùs loqui tenebatur. Quoad entitatem quidem phyſicam ipſe gradiens fundamentis Thomiſtarum, vt conſtat *quæſt.* 14. *art.* 6. *dub.* 1. & *quæſt.* 18. *art.* 8. *dub.* 5. *dubitatione* 3. primam ſuprà relatam opinionem ſequitur, quam nullibi docet S. Bonauentura.

ASSERO primò, Deum non prædefiniiſſe antece- 434
denter ſubſtratum malitiæ.

PROBATVR primò à Seraphico 1. *d.* 46. *quæſt.* 2. *ad vlt.* & *in* 2. *d.* 37. *quæſt.* 1. *arg. vlt.* addito reſponſo. Qui vult aliquid antecedenter ſe ſolo; vult omne id, quod neceſſariò ad illud conſequitur. Sed Deus per vos ſe ſolo vult ſubſtratum peccati, ſecundùm ſuam totam entitatem, ad quam ſequitur neceſſariò deformitas culpæ: Ergo vult etiam deformitatem neceſſariò conſequentem. Cùm enim creatura non interueniat ad ſubſtratum, ſequitur; malitiam ſequi, non ex deordinatione creaturæ; ſed Dei.

HINC elicies; ideò Deum probibere non nudam 435
deformitatem culpæ; ſed etiam ſubſtratum neceſſarium. *Non occides. Non concupiſces vxorem proximi tui*, vt teſtetur ſe antecedenter nolle etiam ſubſtratum huiuſmodi primaria ſua intentione, vt obſeruat Maſtrius *num.* 44. cum Seraphico *ſerm. de decem præceptis*, vbi non ſolùm adorationem Idolorum; ſed etiam ſculpturam, ſeu facturam ſculptilium vetitam obſeruat.

Cònfirmatur à D. Bonau. *in* 2. *d.* 36. *quæſt.* 1. Nam prohibuit eſum pomi Adæ, & conſequenter ne faceret contra ſuam prohibitionem; Ergo Deus antecedenter non potuit præmouere Adamum ad eſum pomi; ſed ſolùm volenti edere cooperari actui, phyſico, concurſu vniuerſali; quod non poteſt, è lege ordinaria, denegare creaturæ.

Quòd ſi antecedenter Deus ſtatuiſſet eſum pomi 436
Adæ: homicidium Cain: adulterium Lamech: blaſphæmiam Senecherib, proditionem Iudæ, quoad ſubſtratum; iam voluiſſet efficaciter etiam conſequens; atque adeò non fuiſſet in poteſtate eorum vias ſuas facere malas; quod eſt damnatum à Concilio Trid. *ſeſſ.* 6. *can.* 6. vbi definit. *Si quis dixerit, non eſſe in poteſtate hominis, vias ſuas malas facere; ſed mala opera, ita vt bona, Deum operari, non permiſſiuè ſolum, ſed propriè; & per ſe, adeò vt ſit proprium eius opus non minus proditio Iudæ, quàm vocatio Pauli, anathema ſit.* Reſpondent aliqui, Deum ad bona opera non modò phyſicè concurrere; ſed etiam moraliter ſuadendo, inclinando, hortando, præcipiendo; quo pacto ad actus malos non concurrit; ſed potiùs prohibet. Hanc reſponſionem acceptat Vulpes *d.* 33. *art.* 7. *num.* 5. vt ſufficientem, ne Deus proclametur peccati author.

Contra arguit Maſtrius *num.* 44. quia adhuc Deus 437
ex intentione operans antecedenter, eſſet vera cauſa per ſe, *ex* 2. *Phyſ.*

Verum ſtatim reſpondet, Deum operari actum phyſicum, ſecundùm eſſe naturæ; non verò morale, quod conſequitur, non ex vi operationis Dei; ſed ex peccatoris malitia. Quam reſponſionem hauriunt è D. Bonau. *locis adductis*; & eadem *quæſt. ſecundi ſent. ad* 2. vt dixi *diſp. hac, num.* 310. & *ſeq. ac* 361. & *ſeq.*

Nazarius admodum prolixè explicare conatur hoc 438
argumentum; dicit autem, Deum ab æterno, ante omnem ſuæ voluntatis determinationem, præuidiſſe, quòd ſi Petro conferat auxilium tantùm ſufficiens, infallibiliter deficiet. Paulus verò, ſi auxilio efficaci tangatur, conuertentur. Deinde decreuit Paulo auxilium conferre; & in tempore confert, quia id, quod ab æterno prædefiniuit, exequitur in tempore; alioqui noua in tempore Deo adueniret deliberatio. Petri verò negationem non prædefiniuit; ſed decreuit tantùm ſufficiens conferre auxilium; & ità in tempore confert; vnde ſequitur lapſus. In actu igitur negationis Petri eſt actus, vt ſic, genericus in ordine naturæ. Deinde eſt ratio ſpecifica actus moralis.

Tertiò,

Tertiò deordinatio. Quartò totus actus moralis ſimul. Illa duo prima ſunt à Deo: tertium verò abſit. Difficultas autem eſt, quomodo actus ſpecificus moralis, in quo eſt quid poſitiuum, neceſſariò tamen coniunctum cum malitia, ſit à Deo; vt in negatione Petri.

Aduertit igitur, moralem ſpeciem eſſe vltimam rationem actus, in quam primò tendit humana voluntas. Quia, quod vltimum eſt in effectu, eſt primò intentum, & primò cadit in voluntate agentis. Iam igitur poſt dictam Petri determinationem ad actum moralem malum; Deus eam voluntatem Petri determinat ad actum, ſecundùm ſpeciem naturæ; & eadem ratione præuiſa ab æterno dicta voluntatis determinatione ad ſpeciem actus moralem, prædefinit actum illius, ſecundùm ſpecificam entitatem naturæ, quia quod Deus operatur in tempore, prædefiniuit ab æterno. Eadem ferè dicit Morand. *num.*443.

439 Verum hæc non probatur. Et quidem primò non intendit Petrus deordinationem, etiam ſecundùm D.Th. vt ipſe Nazar. fatetur §.6. Itaque eſt per accidens volita.

Quoad actum igitur totum moralem, categorematicè ſumptum, includentem poſitiuum, & deformitatem; eſt à voluntate creata, tanquam à prima cauſa, ſeipſam determinante, vt docet S. Th. 1.2. *quæſt.*9. *art.*6. *ad* 3. & aliis locis, vt fatetur Nazarius paulò ante allegato loco. Igitur cum voluntas ſe primò determinet ad actum moralem totum, in quo eſt poſitiuum; ſequitur non probari à Deo etiam quoad poſitiuum. Sumo enim Petrum volentem negationem Chriſti. Primò ille fertur in actum moralem, quoad poſitiuum, nempè in bonum illud ſibi commodum euitandi mortem, quod ſanè commodum anteponit honeſto; ac proinde illud ſibi intendit, licèt videat eſſe deformitate peccati conſpurcatum. Quapropter, ſi ad hoc non præmouetur à Deo in tempore; ſequitur neque ab æterno prædeterminatum, ſeu prædefinitum.

440 Præterea cogitur Nazarius Inuitus ad ſcientiam mediam refugere, vt determinet auxilia, vt prædefiniat cooperationes. Ergo neque ab æterno; neque in tempore prædeterminat.

Vrgeo. Entitas illa actus moralis poſitiua, quia eſt neceſſariò coniuncta cum deformitate culpæ, per te non eſt prædefinita ab æterno, nec in tempore prædeterminata. Hæc autem entitas eſt quidem moralis, quatenus volita; ſed quatenus poſitiua, eſt in aliqua ſpecie entis naturalis: Ergò entitas naturalis culpæ non eſt prædefinita ſecundùm ſuum eſſe totum ſpecificum, vt dicebas.

441 Moranvs reſpondet, quod, licèt actus odij, & ſimiles nequeant elici liberè abſque peccato; non ſequitur, Deum concurrere ad formale. Quia, vt liberum includit actum, cauſam ſecundam dicit deficientem, quæ non poteſt eam entitatem cauſare, quin cauſet malitiam; at non ſic reſpectu Dei, cùm ſit extra obiectum eius adæquatum.

Contrà. Hæc diſtinctio petit principium, quia ſi neceſſariò ſequitur malitia deficiens; ſequetur reſpectu omnis agentis, qui cognoſcit, id ſequi, & antecedenter vult, ac proinde intra obiectum eius clandi.

Vrgent Morandus *num.*450. Aluarez *num.*31. Salmaticenſes *num.*158. Idem ſequi in concurſu ſimultaneo. Sed falluntur. Nam Deus in noſtra ſententia præſtat concurſum indifferentem, quo tenetur ad cooperandum cauſis ſecundis inter agendum; vnde non præbet determinatum concurſum ad culpam, quæ eſt ex defectu agentis ſecundi volita; non ſequitur autem, quod inferunt; ſic tolli determinatam, ſeu exactam ſubordinationem cauſarum ſecundarum.

Reſpondetur enim, eas ſubordinari ad bonum; 442
non ad malum. Non eſt autem culpa aliquid in ſe ordinabile; vt acutè repetit ſæpe S.D. at ſi Deus præueniret, vtique ſubordinaret ad malum, quod neceſſariò ſequitur.

Porro multa argumenta Suarezij *l.*2. *cit.* indicat 443
Nazarius, contra ſe allata, probare ſolùm actum malum non eſſe à Deo prædefinitum ſecundùm ſpeciem naturæ, ante determinationem creatæ voluntatis ad eundem actum ſecundùm ſpeciem moris. Et hoc docuiſſe D.Th. 1.2. *quæſt.*80. *art.*1. *ad* 3. vbi ait: *Quod determinetur ad malum conſilium voluntas humana, hoc directè eſt ex voluntate humana.* Idem ait docere Capreolum 2. *d.*45. *quæſt.* 1. *art.*3. *ad* 4. *Scoti*, contra ſecundam concluſionem, Conradum *in* 1.2. *quæſt.*79. *art.*1.

Contrà tamen eſt: quia prima applicatio, prima- 444
que intentio voluntatis eſt ad bonum; nunquam enim liberum arbitrium appetit malum; ſed bonum; quod eſt obiectum ſuæ voluntatis, vt fatentur Thomiſtæ, & oſtendam *tract. de Anima*, *diſp.*9. *cap.*5. *quæſtione* 12. & ſi appetit malum, hoc eſt ſub ratione boni; quia bonum exiſtimat, vt notat S.Bonau. *in* 2. *d.*25. *p.*1. *quæſt.*3. quod probat etiam è D. Aug. *l.*22. *de ciu. cap. vlt.* & Marginiſta addit D.Thomam *p.*1. *quæſt.*63. *art.*1. Itaque peccator primò intendit bonum, adeo vt, ſi ab actu prauo; bono delectabili, & vtili manente, ſepararetur malum; adhuc illud vellet; vt notat quoque Maſtrius *num.*45. Ratio enim malitiæ caret vtilitate, & entitate, vt notat Seraphicus 2. *d.*38. *art.*2. *quæſt.*1. *corpore.*

Probatvr ſecundò à S. D. *in* 2. *d.* 37. *quæſt.*1. 445
præcipuè *arg. vlt. addito reſponſo.* Cauſa prima, & principalis, phyſicè præmouens voluntatem, eſt auctrix illius voluntatis. Deus per vos eſt talis cauſa prædeterminans voluntatem ad actum moralem, etiam malum, ſecundùm eſſe poſitiuum, quod intrinſecè habet coniunctam malitiam: Ergo. Totum argumentum probatur è D. Auguſt. l. de ſpiritu, & litt. cap. 31. *Nunquam legimus in Scripturis, non eſt voluntas, niſi à Deo; & rectè non ſcriptum eſt; quia verum non eſt; alioqui etiam peccatorum* (quod abſit) *auctor eſſet Deus; ſi non eſt voluntas, niſi ab illo.* Et l. de prædeſt. Sanct. cap. 10. *Prædeſtinatione Deus ea præſciuit, quæ fuerat ipſe facturus, præſcire autem potens eſt etiam, quæ ipſe non facit; ſicut ſunt peccata.* D. Fulgentius ad Monimum, l.1. *Poteſt peccatum ex prædeſtinatione eſſe; ſi poſſet aliquis hominum iuſtè peccare. Non eſt autem Deus auctor eius; cuius eſt vltor. Nunquam hoc potuit Deus prædeſtinare, quod ipſe diſpoſuerat præcepto prohibere.*

Neqve valet effugium dicentium, Patres loqui de 446
formali peccati. Nam loquuntur de actu peccantium: malitia autem nuda non eſt actus, *ex* 1. *Phyſicorum*, cùm ſit priuatio; neque fit. Non excludunt autem Patres cooperationem Dei; Quia omnis cauſa ſecunda dependet à prima: quoad totum id, quod eſt actio entitatiua; ſed prædeterminationem phyſicam; vt notat Faſolus *dub.*17. *cit. num.*336. Maſtrius *num.*46. cum D.Bonau. *quæſt. cit. ad vlt.* Hoc elucet in verbis D.Auguſt. allatis, vbi negat, actum peccati eſſe à Deo volente, vt auctore, ſeu prædeterminante ante hominis conſenſum; non autem tanquam à cooperatione, & volente comitari, ait enim. *Quod peccati auctor eſſet Deus; ſi non eſſet voluntas, niſi ab illo*, id eſt peccati eſſet auctor; ſi ſe ſolo ab æterno antecedenter decerneret actum peccati; & non potiùs con-

comitantes

comitanter cum voluntate creata, per ſimplicem condeſcenſionem, ne libertatem tollat; & contra ſuam primariam intentionem: Quod maximè notandum eſt; alioqui huiuſmodi auctoritates etiam adduci poſſent contra prædefinitionem, quoad durationem, licèt concomitetur, vel conſequatur cauſalitatem voluntatis humanæ. Igitur concedo comitantem quidem, ſuppoſita ſcientia media, quoad actum phyſicum, ſeu ſubſtratum peccati; conſequentem verò quoad malitiam.

Effugium verò Nazarij iam præcluſum eſt ſuprà.

447 Quòd verò frequentiùs reſpondent Thomiſtæ, defectum malitiæ è creatura reſultare; non ex Deo, quia creatura eſt cauſa deficiens, non iuuat. Nam, licèt Deus cooperando non eſſet cauſa defectus concauſæ, vt ſuprà dixi cum S. Bonau. 2. *d.37. art.2. q.1. ad* 4. exemplo infantis geniti claudi, non defectu Dei; ſed concauſæ ſecundæ; ideſt parentum; tamen. Si Deus determinaret parentes ad hanc actionem numero phyſicam defectuoſam, iam auctore Deo, naſceretur filius claudus. Scio, hunc totum effectum eſſe phyſicum. Reliqua ſoluam 1.2. *tract.5. d.1.q.4.*

448 Observa igitur cum Seraphico 2. *d.37. quæſt.1. ad* 5. Deum non concurrere cum voluntate ad actus; ſicut duo homines ad portandum vnum lignum partialiter. Sed quia Deus eſt intimè agens in omni actione, & intimus ipſi potentiæ operanti, ita vt potentia ipſa non exeat in aliquid, quod non ſit ab ipſo. Neque ob id actio erit tota bona, & tota mala. Nam Deus illi actioni dat ſolùm eſſe bonum naturæ: liberum autem arbitrium non priuat eam bonitate naturæ; ſed bonitate moris. Itaque eſt bona bonitate naturæ: mala autem moraliter, quod non implicat. Hoc autem euenit (vt ait S.Bonau. *ad vlt.*) quia Deus cooperatur, ſinens tamen cauſam ſecundam motus ſuos facere, non enim excitat liberum arbitrium ad
449 faciendam illam operationem. Excitatio enim, dicit aliquem effectum gratiæ, qui præuenit ipſam voluntatem: Hæc autem requiritur ad bona, puta meritoria; ad alia verò, puta indifferentia, vel etiam mala materialiter, Deus adeſt eſſentialiter, & præſentialiter, ſicut enim conſeruat creaturam in eſſendo; ſic adiuuat in operando; propter quod conceditur, ibi eſſe cooperationem; non præuentionem; vel ſubſecutionem. Hæc S. Bonauentura.

E quibus luce clariùs enitet, Seraphicum non tenere præmotionem phyſicam Dei, vt cauſæ vniuerſalis ad omnes effectus, vt cenſent Thomiſtæ; ſed ad actus naturales, & aliquos morales, necnon ad indifferentes, & ſubſtratos culpæ, cooperari operantibus, virtute acceptâ in creatione. Ad actus verò supernos præuenire moraliter ſolùm excitando; cùm phyſicè, vt cauſa prima, tantùm cooperetur. Hoc pacto explicat, quod dixit in quæſt. Deum, vt cauſam primam, mouere omnes cauſas, nempe eis dando initio virtutem, eique à natura neceſſariò *hic* applicitæ, ſolùm cooperando ad ſingulos effectus. Et concludit *allegata quæſt. in corp.* cum D. Anſelmo. *Omnes actiones, & omnes motus facit Deus, quia ipſe facit res, à quibus, & ex quibus, & per quas, & in quibus fiunt; & nulla res habet potentiam volendi, vel faciendi, niſi eo dante.*

Hinc non inclinat tamen ad errorem Durandi, de concurſu mediato, vt dixi *quæſt.5. hic*, & oſtendam *tract.5. d.17. q.2.* & ipſe S.D. *ad vlt.* proteſtatur.

Hæc innui, vt oſtenderem, quàm falsò Nazarius *quæſt.22. art.4. controu.1.* circa initium dicat, ſuas prædefinitiones ab omnibus veteribus, ante hoc ſeculum, vnanimi conſenſu acclamatas; & à Recentioribus immeritò reiectas.

Probatur tertiò à D.Bonau. 1. *d.40. quæſt. vlt.* 450 *ad prima tria argumenta.* Si Deus prædeterminaſſet ſubſtrata peccatorum; ſequeretur, illum cauſare obſtinationem peccatoris, poſitiuè influendo. Sed hoc eſt contra SS. PP. Ergo. Probatur ſeq. quia prædeterminando ad actionem illam, quæ eſt reſiſtentia veritatis agnitæ, determinat ad illam culpam, quæ meretur ſubtractionem gratiæ. Minor probatur à D. Bonau. è D. Aug. *ad cap.1. Ioan. l. de prædeſt. & grat. cap.34.* & *l.1. ad ſimplicianum quæſt.2.* & *l.20. de ciu. cap.19.* & *Tract. 13. in Ioan.* & *ex D. Anſelmo, l. de concord. gratia, & lib. arb.* Eutymio in Pſal.76. Chryſoſtomo *homil.6. in Ioan.* Hieronymo *quæſt. 10. ad Hedibiam*, Damaſceno *l.4. de fide cap.20.* Reſponſiones ſoluam *tract. citato de Auxiliis.*

Probatur quartò à S.D. *ad 6. Ioan.* in ea verba: 451 *Nemo venit ad me, niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum.* Si Deus prædefiniiſſet homines ad actus peccati, iam non eſſent ampliùs peccatores digni reprehenſione. Probatur ſeq. Quia de ratione actionis laudabilis, vel vituperabilis eſt, vt ſit libera; vt habetur apud Ariſtotelem 3. *Eth. cap.1.* & D. Gregorium Nyſſ. *l.5. phil. cap.1.* Tunc autem non eſſet liber homo ad non peccandum; quia non poteſt prædefinitioni phyſicæ reſiſtere, vt ſit inanis, cùm efficax ſupponatur; ac proinde implicet contradictionem aliter euenire; nam illa prædeterminatio eſt tanquam grauitas, pertrahens voluntatem in profundum peccati.

Reſpondent Aluarez, & Nazarius, concurſum phyſicum Dei ad actum peccati, non eſſe prædeterminationem voluntatis ad actum, ſecundùm ſpeciem eius naturalem, niſi præſuppoſitâ, ſecundùm ordinem intentionis, determinatione voluntatis ad eundem actum, ſecundùm ſpeciem eius moraliter malam.

Reſponſio hæc ſuprà exploſa eſt. Quod enim primò vult peccator, eſt bonum, vtpotè obiectum.

Tandem multas Scripturas affert Suarez *l.2.* Mi- 452 hi admodum illa probatur Hierem. 19. *Repleuerunt locum iſtum ſanguine innocentium. Et ædificauerunt excelſa Baalim, &c. quæ nec præcepi, nec locutus ſum, nec aſcenderunt in cor meum.* Vbi loquitur de materialibus peccatorum, & hæc dicit, neque in cor ſuum aſcendiſſe.

Reſpondet Nazarius, loqui de materialibus actibus, in ſpecie morali mala, & de prædeſtinatione ſimpliciter; & eodem reſponſo ait corruere alias auctoritates, quæ adducuntur.

Contrà, quia actus illi materiales ſunt ſubſtrati culpæ, vt concedit Nazarius *ibi.* Hi verò non ſunt prædeterminati vllo modo.

Assero ſecundò, Deum non ſolùm permiſſiuè, 453 ſed etiam abſolutè voluiſſe, ſeu decreuiſſe concurrere ad entitatem ſubſtratam culpæ comitanter, ſuppoſitâ ſcientiâ mediâ.

Probatur primò à D. Bonau. 2. *d.37. quæſt.1.* ſuppoſito fundamento iacto *in 1. d.45. dub.9. litt.* Nihil Deus agit in tempore, quòd ab æterno non prædefinierit ſe facturum; alioqui noua ex tempore adueniret deliberatio, cùm nihil abſque præuia ſuæ voluntatis determinatione Deus operetur. Eſt autem fundamentum nixum D. Auguſt. *l.3. de lib. arb. cap.3.* vbi ait: *Iam ſemel ſtatuit quemadmodum feratur ordo* 454 *eius vniuerſitatis, quam condidit; neque enim aliquid noua voluntate adminiſtrat.* Tunc ſic arguit Seraphicus. Quidquid Deus in tempore efficaciter operatur, fuit ab eo volitum ab æterno. Actus omnes entitiui in tempore ſunt à Deo operati, ſimul cum creatura: Ergo ab eo æternè definiti. Minor probatur à S.D. ex dignitate primæ cauſæ, à qua dependent omnes cauſæ ſecundæ. Et quidem etiam quoad actus ſubſtratos malitiæ,

malitiæ, non produci à creatura, ſine Deo: eſt ſententia D. Auguſt. *l.6. Hypognoſt.* circa medium. Eſt argumentum à multis adhibitum, vt dixi *quæſt.*15. ſitiuntque Scripturis relatis *ibi*.

Reſpondet Lezana *quæſt.*10. *cit.* concurſum quidem Dei, ex vi cauſæ primæ, eſſe debitum ad ſubſtratum illud culpæ producendum. Nam omnes cauſæ ſecundæ, ſunt cauſæ per participationem; at prædefinitionem non eſſe neceſſariam; ſed ſatis eſſe, ad eſſe eius futurum, voluntatem permittendi illud.

455 Contrà. Prædefinire, eſt velle rem prædefinitam, & eſſe cauſam eius, ex Lezana *ibi*; nam Deus non operatur niſi volendo. Ergo ſi in tempore concurrit ad materiale peccati, debuit illud ab æterno velle operari, vt dicit D. Auguſt. ſuprà; ne noua Deo adueniret deliberatio.

Confirmatur primò, nam *quæſt.* 9. probat, neceſſariam eſſe præfinitionem aliorum actuum, ſiue bonorum, ſiue indifferentium. Quia voluntas Dei eſt cauſa cuiuſcumque entitatis creatæ, in quocunque ſtatu conſideretur. At eſt cauſa etiam actuum ſubſtratorum culpæ, vt ipſe confitetur. Ergò eos prædefiniuit.

456 Confirmatur ſecundò. Quia voluntas Dei æterna ſtat immutabilis: ſed ab æterno voluit ſolùm permittere actus ſubſtratos. Ergo & in tempore, eodem modo, vult tantùm permittere; Permittere autem, non eſt eos producere; ſed ſinere tantùm vt producantur.

Reſpondet Pennottus *l.4. cap.*18. *in fine*, falſum eſſe, Deum prædefinire ab æterno ea omnia, quæ in tempore cauſat; nam prædefinitio infert cauſalitatem, non quamcunque; ſed illam, quæ eſt cum intentione, & volitione efficaci effectus; cauſalitas autem poteſt eſſe ſine tali intentione, quando Deus offert ſuum concurſum voluntati creatæ, quo præuidet, voluntatem velle eo abuti ad malum. Sed tamen iure creationis tenetur illum concurſum illi præbere; neque poteſt denegare, illæſa manente eiuſdem voluntatis libertate; in eo enim caſu, voluntas Diuina non vult effectum, qui inde ſequitur, efficaci intentione.

457 Verùmtamen hæc reſponſio confutatur è D. Bonauent. *d.*45. *dub. illo* 9. *litt.* Nam ſi poteſt dari cauſalitas in tempore, non prædefinita ab æterno; ſequitur poſſe velle aliquid in tempore, quod non voluit ab æterno; & conſequenter Deum mutari.

Nec iuuat dicere, ſufficere voluntatem æternam permiſſiuam. Nam voluntas permiſſiua in hoc diſtinguitur ab efficaci; è Pennotto *cap.* 19. *num.*11. quod permiſſiua non reſpicit effectum, vt ſit; vel non ſit; ſed ſolùm cauſam, quam vult eſſe liberam: ſicut è contrà, volitio abſoluta reſpicit effectum, vt ſit, vel non ſit determinatè; quia vult eſſe, vel
458 non eſſe. Igitur ſi Deus in tempore vult efficaciter effectum, quem ab æterno voluit tantùm permittere, oportet, vt noua Deo voluntas adueniat. Neque verò in ſententia noſtra, & aſſertorum ſcientiæ mediæ, ſequitur, Deum velle peccatum, vt ſæpiùs oſtendi; quia Deus concurrit, ſuppoſito quod ſic homo velit; ac proinde voluntas Dei prædefiniens eſt abſque illa intentione cauſaliter antecedente, quæ Diuinam dedecet bonitatem.

Probat ſecundò Maſtrius aſſertionem *num.* 50. è certa cognitione, quam habet Deus de actu peccati futuro, ad quam non ſufficit vt voluntate permittatur; nam voluntas permiſſiua non reſpicit effectum producendum à cauſa; ſed ſolùm potentiam cauſæ, quam vult eſſe liberam ad producendum, vel non producendum effectum.

Hæc ratio falſa eſt. Nam ſi ad perfectam certam 459
cognitionem futurorum requiritur voluntas abſoluta decernens efficaciter producere illum effectum, & non ſufficit permiſſiua; ſequitur, Deum aut non cognoſcere certò peccata futura, quoad malitiam; vel decernere, ea operari efficaciter, quorum vtrumque eſt hæreticum. Diuerſa eſt enim ratio ſcientiæ, & voluntatis in ordine ad res, vt obſeruat Seraphicus *diſt.* 45. *quæſtione* 2. & *d.* 46. *quæſt.* 2. *ad* 2. Nam Diuinus intellectus fertur in omne ens, quia eſt verum, bonum; & in omnes entis, & & veritatis, ac bonitatis priuationes: & ita ſcire falſum, & malum, eſt ſcire perfectè, dicitque perfectionem; at voluntas Diuina, cuius obiectum eſſe bonum, non poteſt ferri in malum culpæ, licèt ab intellectu Diuino perfectiſſimè cognoſcatur.

Contra primum aſſertum, obiiciunt primò loca Scripturarum, quibus hæretici conantur probare, Deum eſſe peccati auctorem; inducere ad peccatum, &c. Pſalm. 104. *Conuertit cor eorum, vt odirent populum ſuum*: Iſa. 5. *Quare errare nos feciſti de viis tuis, indurasti cor noſtrum ne timeremus te?* 2. Reg. 12. *Tollam vxores tuas, & dabo proximo tuo.* Matth. 6. *Ne nos inducas in tentationem.*

Respondet D. Bonau. *d.* 37. *quæſt.* 1. huiuſmo- 460
di textus loqui de actionibus malis, vt actiones ſunt, non vt malæ. Ad actionem autem, vt actio eſt, concurrit Deus immediatè; non ita tamen, vt aut in tempore prædeterminet, aut ab æterno prædefinierit cauſaliter intentione prima; ſed ſolum comitanter ſuppoſita conditionali ſcientia. Cur autem hac phraſi vtatur Scriptura, dixi *quæſt.* 13. Sic etiam ibi explicitæ fuerunt Scripturæ; quæ prædefinitionem æternam reſonant.

Obiiciunt ſecundò. Deus eſt cauſa omnium, vt 461
ſupponit D. Auguſt. *l.* 83. *qq. quæſt.* 21. & id negare eſt hæreticum. Cùm igitur Deus ſit prima cauſa, debet primò omnia cauſare, determinare, præcedere, niſi vellimus omnem ordinem inuertere, faciendo vt cauſa prima determinetur à ſecunda. Cùm igitur materiale peccati ſit ens, debet à Deo eſſe primò cauſatum. Et quia Deus eodem modo, quo ab æterno definiuit, exequitur in tempore; ſequitur ab æterno materiale peccati eſſe definitum.

Confirmant auctoritate D. Auguſt. *lib.* 15. *cont. Iulianum*, *cap.* 3. vbi ait: *Deum inclinare voluntates hominum quocumque voluerit, ſiue ad bonum pro ſua miſericordia; ſiue ad malum pro meritis eorum.* Hic eſt Achilles Thomiſtarum; quem adornant, armant, & extollunt.

Respondetvr, eos decipi; quia non diſtin- 462
guunt, in quo conſiſtat ratio cauſæ primæ. Igitur cauſa prima eſt, quæ dedit omnibus ſecundis virtutem pro cuiuſque conditione, & ſe exhibuit modo earum accommodato concurrere ad ſingulas operationes. Itaque ſua libera voluntate ſtatuit, vt cauſa libera agat liberè, & determinet ſe; & ipſe cum ea vult concurrere; neque tamen contulit ideò munera cauſæ primæ cauſis ſecundis, vt clamant Thomiſtæ; ſed ipſe Deus hoc naturâ liberâ præditis contulit conſequenter ſe determinare; & ipſe ad modum liberarum cauſarum cooperatur; vt rectè admonet S. Bonau. & cum eo authores noſtræ ſententiæ, præſertim Leſſius *ad* 6. Inclinat verò Deus per accidens ad malum, vt dixi *quæſt.* 13.

Obiicies primò contra ſecundum aſſertum cum 463
Pennotto *lib.* 4, *cap.* 17. & 18. Nullus Patrum au-

ſus eſt dicere, actus malos, etiam quoad materiale, eſſe à Deo prædefinitos, ne cum hæreticis conſentire viderentur.

Respondetvr ex ipſo Pennotto *l.4. cap.8.* licèt actus peccati, quoad eſſe poſitiuum ſit à Deo; tamen vſus ità obtinuit apud Patres, vt ſolùm præuiſi dicantur, non præfiniti; quia apud multos præfinitio dicit voluntatem antecedentem; Deus autem ſolum cooperatur cognito ſcientiâ mediâ arbitrio. Deus enim ſinit, omnes res motus ſuos agere, vt docet D. Auguſt. teneturque ex vi creationis concurrere. Ita S.Bonau. *in 2. d.37. quæſt.1. ad 5.* Et hoc voluit D. Auguſt. ipſe *lib.2. de lib. arb. cap.20. l.3. cap.1. lib.1. Retract. cap.9. lib. de perfectione Iuſtitiæ*; & *l.12. Confeſſ. cap.11.* Hinc Concilium Trident. *ſeſſ.6. cap.6.* definit, Deum permiſſiuè tantùm concurrere ad mala, quia licèt ad materiale poſitiuum concurrat poſitiuè; non tamen concedit abſolutè concurrere, quia denominatio fit à formali, ad quod Deus non concurrit poſitiuè influendo; ſed permittendo.

464 Obiicit ſecundò Pennottus. Si ab æterno decretum fuit efficax: Ergo Deus prædefiniuit.

Respondetvr ex dictis primò *d.46. quæſt.2. ad vlt.* hoc non ſequi. Nam Deus vult voluntate conſequenti, ſuppoſita voluntate hominis conditionaliter præuiſâ.

Obiicit tertiò Pennottus. Sunt quidam actus, à quibus inſeparabilis eſt malitia moralis: Ergo impoſſibile non eſt, eos prædefiniri, niſi prædefiniendo eorum malitiam neceſſariò adnexam.

Respondetvr cum D. Bonau. loco mox indicato, hoc probare tantùm, non poſſe illa ſubſtrata eſſe volita voluntate, quam D. Damaſcenus ait antecedentem. Sic enim euitari non poſſet, quin Deus eſſet peccati auctor. Ità reſpondet etiam Maſtrius *num.64.*

465 Obiicies cum Lezana *quæſt.* 10. Cùm Deus ſit ſummè bonus, non eſt credendus prædefinire materiale peccati; vnde ſequitur culpa; nam complaceret ſibi in eo. Tunc enim ſequeretur, primam radicem peccati eſſe Deum. Rurſus ſequeretur, Deum velle fieri talem actum; & non fieri. Fieri, quia prædefiniuit; non fieri, quia prohibet. Tandem non poteſt Deus mouère voluntatem creatam ad peccandum, etiam quoad materiale.

Respondetvr cum D. Bonauent. *loc. cit.* Deum, voluntate antecedenti, non velle; ſed conſequenti, qua (vt ipſe Lezana non dubitat concedere) Deus in tempore concurrit. Quod ſi eſſet malum, Deum iſta prædefiniſſe ab æterno; eſſet etiam malum concurrere in tempore. Vnde non eſt proiicienda radix peccati in Deum, quia vtrobique conſequenter ſe gerit.

Ad tertium reſpondetur cum D. Bonau. *loc. cit.* & in eadem *diſt.46. quæſt.1.* non implicare, aliquid volitum, voluntate conſequenti; non antecedenti; vel è contra.

QVÆSTIO XVIII.

a

An poſtquam Deus decreuit aliquid, habeat potentiam phyſicam, vt illud non ſit.

Spectabat ad tertiam quæſt. hoc perſoluere dubium, vbi quidditatem Diuinæ libertatis penſitaui; & quo pacto eadem cum immutabilitate Dei conſiſtat: & ex parte reſolui, eas ſibi ſimul compati aſſerendo; verùm, vt magis etiam eluceant, quæ his poſtremis quæſtionibus reperij, Deum id omninò in tempore exequi, quod voluit ab æterno; latiùs quæſtionem hanc diſcutiendam aſſumo.

Svppono primò ex illa tertia quæſt. Deum eſſe liberum. Plenæ autem ſunt ſacræ paginæ diuina libertate; dum actus eſt in procinctu ad effectum: Nam poſito effectu, non manet libertas ad illum. 466

Svppono ſecundò è D. Bonau. *d.45. quæſt.1.* libertatem Dei non eſſe ad plures actus oppoſitos, ſed tantùm ad oppoſita obiecta; hoc enim ſpectat ad perfectionem potentiæ, vt tendere valeat vno actu in omne id, quod eſt ſui obiecti; inter volibilia autem, multa ſunt oppoſita.

Svppono tertiò, Dei voluntatem eſſe immutabilem in actibus. Numer. 23. *Non eſt Deus, quaſi homo, vt mentiatur; neque vt filius hominis, vt mutetur.* Et Iacobi 1. *Apud quem non eſt tranſmutatio, nec viciſſitudinis obumbratio.* Ideſt non tranſiens eſt de vice in vicem, vt exponit S. Bonau. *1. d.8. dubit.10.* Idem definitum eſt in Concilio Tolet. 8. *cap.2.* Vnde ſumptum eſt illud capitulum. *Immutabilis Dei voluntas*, vt habetur *diſt.22. quæſt.4.* Vide Gratianum. 467

Probatvr à D. Bonau. *d. 45. quæſt. 1. in corp.* Voluntas, quæ eſt ſuus actus, eſt immutabilis ſecundùm actum, manente ipſa immutabili. At voluntas Diuina eſt ſuus actus, ex Ariſtotele 12. *Metaph. d. 39.* vt dixi *quæſt. 1.* eſtque ipſe Deus formaliter immutabilis: Ergo. Hoc argumento nituntur Gillius in Commentationibus Theolog. *lib. 2. tract.8. cap.11.* Fonſeca 7. *Metaph. quæſt.5. ſect.6.* Eſtque D. Auguſt. 12. *Confeſſ. cap. 15. initio*, vbi ideò ait: *Voluntatem noſti; non eſſe extra ſubſtantiam Dei, quia ex mutatione Voluntatis Diuinæ, conuincitur phyſica mutatio in ipſa Dei ſubſtantia. Id autem ſic oſtendit: Si Dei voluntas mutaretur, non eſſet æterna, ſed viciſſitudini obnoxia, & menſurâ variante menſurata. Itaque aut voluntas non eſſet Deus, qui eſt æternus; aut, ſi eſſet ipſe Deus, eſſet immutabilis.* 468

Reſpondet Ribas *tract.5. d.7. cap.2.* non ſequi ex mutatione actuum Diuinæ voluntatis mutationem in Deo phyſicam, quia actus liberi nihil addunt in Deo reale diſtinctum, ſuper entitatem eius neceſſariam. Ergo eorum mutatio non inducet in eo phyſicam mutationem. Neque D. Auguſt. infert inde immediatam mutationem phyſicam. 469

Hæc tamen futilia ſunt, nam mutata Dei entitate vitali; mutatur Dei ſubſtantia. Actus liber volitionis Dei eſt ipſa Dei ſubſtantia, vt oſtendi *d.13. quæſt.12.* cum ipſo Riba. Ergo. Vrgeo; nam is, *tract. 5. d. 6. num.36.* ponit formalitatem actus liberi diſtingui in Deo, à formalitate actus neceſſarij. At eſto ſolum virtute diſtinguatur, iam mutata entitate actus liberi, mutatur & entitas neceſſaria; quæ eſt eadem. Hanc autem eſſe phyſicam probo, quia poſſet eſſe mutatio contradictionis ad obiecta non moralia, vt ſi hodie vellet creare nouum mundum, & cras non creare; vel ſi ab æterno decreuiſſet mittere filium; & in tempore nollet; vtrumque enim poteſt abſque morali labe, vel mutatione. Hanc verò eſſe immediatam mutationem in Deo patet, quia actus eſt ipſa Dei ſubſtantia. Ideò infert D. Auguſt. mutato actu; mutari Deum.

Qvod verò ait Suarez *d.30. Met. ſect. 9. num.58.* non ſequi mutationem, ſed inconſtantiam, nihil

obeſt

obeſt; hinc enim ſequitur, illam voluntatem eſſe finitam, atque adeò mutabilem; vt ipſe dicit.

470 Reſpondet Vaſquez *ad art.7. quæſt.* 19 poſſe reſponderi à ſuis aſſeclis, ex mutatione actus liberi Diuinæ voluntatis, non inferri mutationem phyſicam in Deo; ſed in ſolo reſpectu rationis, quem ſolùm addit actus liber, ſupra neceſſarium.

Enim verò ipſe hinc argumentatur, fore in Deo mutationem, quia, licèt reſpectus ille rationis non ſit aliquid Dei; tamen non poteſt mutari in tempore, ſicuti nequeunt creaturæ incipere in tempore eſſe futuræ; ſed debuere eſſe futuræ ab æterno.

Ego hanc rationem flocci facio, qui rideo, actum Dei vitalem aſſeri ens rationis; Vnde etiam abſurda intuli *quæſt.*3. Hæc autem ratio non eſt immediata.

Ribas *num.*9. hac vna ratione ait probari poſſe Dei voluntatem immutabilem, quia cùm ab æterno omnia nouerit, & ſapienter eligat, ſequeretur imperfectio moralis leuitatis. Sic & Herize *diſp.*2. *cap.*2. & Suarez *loc. cit.* Hæc ratio meliùs vrgetur à D. Bonauent. *d.* 45. *quæſt.* 1. Cùm Deus infinitâ ſapientiâ, & amore quieſcat in ſummo bono, & ordinatè omnia ad illud dirigat; iam imperfectio eſſet ſapientiæ, quaſi non optimè nouerit; vel bonitatis, ſi mutaretur ab ordine incepto

Mutatur quidem decretum Dei in effectibus, vt Geneſ. 7. *Pœnitet me feciſſe hominem*, eſt autem figura Antropostropos, vt ait D. Bonauent. *in Medit. vita Chriſti*, & alibi, ac Toſtatus, nam ſic exponit, *ac ſi pœnitens.* Sic *Iſa.*38. indicit mortem Ezechiæ: *Diſpone domui, quia morieris.* Mox. *Viues.* Sic *Iona* 3. indicitur ſubuerſio Niniue; mox relaxatur. Sic *Hierem.*18. ſpondet ſe acturum pœnitentiam, ſi nos pœnituerit.

471 Aliqua verò explicantur dicta comminatoriè, vt ſæpius legimus in prophetis.

Addit Trigoſius *quæſt.*15. *art.*2. *dub.*4. Sic exponi & illud Geneſ. 49. *Non auferetur Sceptrum de Iuda, & dux de femore eius, donec veniat Meſſias*, ideſt niſi culpis impellatis Deum ad Sceptrum intempeſtiuè euellendum. Sed hoc mihi ſummoperè diſplicet. Eſt enim contra ſenſum ſanctorum Patrum; vnumque è præcipuis teſtimoniis contra Iudæos euertat, de quo 3. *p. tract.*1. *diſp.*1. *q.*1. Alium non vidi, præter Baſilium Poncium cum Trigoſio, ita exponentem.

Iam quæſtio eſt: An Deus habeat potentiam phyſicam ad volendum in tempore oppoſitum eius, quod ab æterno decreuit, *verb. grat.* vt Antichriſtus non ſit.

Prima opinio eſt Caietani *p.*1. *quæſt.*19. *art.*7. Deum ad id habere tantùm potentiam Logicam, ideſt non repugnantiam ex parte terminorum. Ita & Ferrar. 3. *cont. G. cap.*83.

472 Secunda opinio eſt, manere, nedum potentiam Logicam, ſed etiam phyſicam, & realem. Ità Scotus 1. *d.*39. §. *Quantum ad ſecundum articulum*, quem ſequuntur Scotiſtæ, e quibus Maſtrius *d.*2. *quæſt.*4. *num.*114. allegans Vaſquium, Zumellum, Turrianum, & alios.

Hæc eſt Seraphici ſententia 1. *d.*40. *art.*2. *quæſt.*1. *ad* 4. & *d.*47. *quæſt.*1. *ad* 3.

Fundamentum è D. Bonau. *loc. cit.* volentes menſurare aliquid, debemus propriam rei adhibere menſuram. Sic vlnâ pannum; amphorâ vinum metimur.
473 Quod ſi amphorâ vtamur ad metiendum campum, impertinens eſt. Actus igitur Dei, cùm ſint ipſe Deus debent menſurari æternitate, quæ eſt menſura Diuinæ durationis: Æternitas autem non tranſit in præteritum. Itaque non poſſumus propriè dicere. *Deus voluit, decreuit, cognouit*, quia hæc ſignificant facta in tempore; ſed debemus ſemper dicere: *Deus vult hoc eſſe*; & ex mutatione connotati: *Deus vult hoc non eſſe.* Impropriè autem loquimur, quoties dicimus ad modum humanum. V. g. *Deus* 474
voluit, decreuit, &c. Quia actus Dei, temporis legibus non ſunt obnoxij, vt ſubeant præteritum; vel futurum.

Pro hoc elucidando ſcias è D. Bonauent. *d.*8. *p.*1. *art.*2. *quæſt.*1. *ad vlt.* Quòd in Deo idem eſt *volitio, voluntas, & Deus volens.* Et ſicut ab æterno eſt Deus, & voluntas; Ita & volitio; & ità non vult aliquid de nouo, quod in æternitate non velit. Poſſum dicere *voluerit*, quatenus effectus con- 475
iungitur voluntati pro tali tempore. Quia licèt ab æterno velit; tamen vult pro tali tempore, vt notat D. Bonau. *d.*45. *dub.*9. *& alibi.*

Hinc igitur fit, actum eſſe immutabilem, quia eſt ipſe Deus. Poteſt tamen mutari connotatum; quia exit tali tempore, & hoc magis verificatur de effectu libero, qui non obſtante Dei decreto, adhuc liberè producitur; alioqui nihil in tempore eſſet liberum, nihil contingens; ſed omnia neceſſaria. At diſputationem concordiæ prædeſtinationis cum libero arbitrio differendam cenſeo *ad diſputat.* 21. *quæſt.*20. E quibus iam ſequitur, vt, licèt Deus habeat potentiam ad volendum oppoſitum effectum eĩ, quem voluit ab æterno, quia potentia non deſtituitur proprio actu, quod tamen voluit, infallibiliter eueniat.

Assero primò, Deum habere potentiam phy- 476
ſicam ad oppoſitum ei, quod ab æterno vult. Vide S. Bonauenturam.

Probatur primò à Seraphico *d.*47. *quæſt.*1. *arg.*1. Id, quod eſt contingens, vel liberum, non obſtante quouis decreto Dei; liberè contingenterque euenit. Ergo Deus velle poteſt effectum illum impediri. Confirmatur *fund.*2. à S. Doctor. Cauſa, quæ per aliam coagentem explerur, poteſt, illa deficiente, fruſtrari effectu, ſi coagens poteſt deficere. Sed Deus cum cauſis ſecundis creatis agit plurima, illæ autem cauſæ poſſunt deficere, vel ſi liberæ; oppoſitum velle; at Deo non inuito: Ergo Deo conſequenter volente: Ergo potuit oppoſitum velle. Probatur conſeq. Nam Deus agit cum cauſis ſecundis ad modum earum.

Probatur ſecundò à D. Bonau. *fund.*3. Omnis 477
cauſa rationalis, cuius virtus ſe extendit ad contrarium, poteſt oppoſitum velle. Sed Diuina eſſentia eſt huiuſmodi; aliquid enim vult Deus ab æterno, quod poteſt non eſſe, vt iſtum damnari: Ergo. Omne autem poſſibile, eſt poſſibile in actu.

Probatur tertiò *fund. vlt.* Voluntas vult ali- 478
quid, quod Deus vult ipſam velle. Aut ergo poteſt velle contrarium; aut non poteſt; ſi poteſt. Ergo Diuina voluntas poteſt oppoſitum; ac proinde Deus aliud velle. Quia nihil, Deo nolente abſolutè, neque permittente, fiet. Si non poteſt; iam Diuina libertas arctatur.

Assero ſecundò, infallibiliter tamen ſequi effectus volitos ab æterno; non autem oppoſitos.

Probatur reſponſionibus Seraphici *ad argumen-* 479
ta. Quia, licèt maneat in Deo potentia phyſica ad tale oppoſitum; tamen, quia voluntas Dei æterna efficax connotat infallibiliter effectum, quippè cum neceſſariis concauſalitatibus, ſiue liberis, ſiue alio modo contingentibus, decretum ſanxe-

rit ; ſequitur , effectum illum infallibiliter futurum , & in hoc ſenſu videtur locutus Caietanus. Sic Trigoſ. *quæſt.* 14. *art.* 2. *dub.* 5. vtramque ſententiam ad concordiam reuocat ; tametſi ſecundam cum D. Bonau. ſuſtineat , allegans quoque D.Th. 1. *cont. G. cap.* 83. & hoc modo videtur etiam D.Bonau. *d.* 47. *quæſt.* 1. *ad* 3. dum ait ; Deum poſſe velle contrarium ſuæ voluntatis , voluntate ad illud volendum non mouente ; non tamen poſſe velle contrarium , voluntate mouente. His ruunt oppoſita.

480 Obiicies tamen. Si Deus haberet potentiam ad oppoſitum ei , quod ab æterno voluit , ſequeretur in Deo mutabilitas. Probatur ſeq. ex Ariſtotele 9. *Met. cap.* 9. vbi dicitur. Potentia contradictionis dicit mutabilitatem in eo , in quo eſt.

Respondetvr , negando conſequentiam. Ad Ariſtotelem dico , eum loqui de potentia paſſiua ad contradictoria. Et ſi de actiua ſit ſermo ; erit mutatio , ſi velit hoc , & velit etiam eâdem efficaciâ oppoſitum , ità vt ſequatur ſeu volutate mouente efficaciter ad effectum in ſenſu compoſito. Itaque licèt ex volitione vnius , V.'g. Antichriſtum eſſe , non impediatur potentia phyſica ad non eſſe ; tamen impeditur infallibilis effectus , neceſſitate conſequentiæ. Itaque hæc quæſtio mihi videtur cæremonialis , & duobus verbulis , ſuperque à Seraphico definita.

QVÆSTIO XIX.

An omnem voluntatem Dei neceſſe ſit impleri.

D.Bonauent.d.47. art 1.
D. Th. q.19. art.6. & 8.

Geminas inſtituit quæſtiones S. Bonau. *d.* 47. *art.* 1. Altera eſt. An omnis voluntas beneplaciti impleatur : Altera : An omnis voluntas ſigni. In his, alias multas ſoluit.

481 Qvoad primam cenſet , voluntatem beneplaciti antecedentem non ſemper impleri.

Probat. Quia : *Deus vult omnes homines ſaluos fieri* : voluntate beneplaciti , 1. *Tim.* 2. & tamen non omnes ſaluantur. Quare immeritò Vaſquez *d.* 83. *cap.* 1. refert Seraphicum noſtrum cum dicentibus, voluntatem beneplaciti ſemper impleri ; voluntatem verò de omnium ſalute , apud eum ; eſſe voluntatem ſigni.

482 Probatvr deinde à S.D. voluntatem beneplaciti antecedentem non ſemper impleri. Quando ſunt duæ concauſæ , & altera ſinit alteram ſuo modo operari ; tunc , ſi altera deficit , vel ex imperfectione naturali , vel ex libertate , fruſtrantur alterius cauſalitas ; & ſi cauſæ agunt per intellectum , & voluntatem , fruſtratur voluntas concauſæ. Deus ad actus contingentes quoſcunque ita agit cum cauſis , vt voluntate beneplaciti velit effectus ; ſed ſinendo cauſas ſecundas motus ſuos agere , vt ait D. Auguſt. Ergo dum ſecundæ cauſæ deficiunt , fruſtratur voluntas antecedens. Vide Seraphicum Doctorem.

Idem probatur de effectibus nonnullis naturalibus ; nam Deus concurrit cum Sole ad terram exſiccandam , ità tamen , vt cum Luna concurrat ad humectandam , ſinens vtrumque Luminare mo-
483 tus ſuos agere. Itaque aliquando præualet Luna, atque humectat ; ſimpliciter tamen loquendo in cauſis naturalibus non adhibetur diſtinctio voluntatis antecedentis ; & conſequentis. Sed circa hæc, ſola voluntas Dei efficax conſideratur : voluntas verò antecedens , à conſequente diſtinguitur , penes actus liberi arbitrij ; ſimiliter & efficax abſoluta , ab efficaci conditionali , dependente conditionaliter à libero arbitrio , ſuppoſita ſcientia media. Sed Nazarius *quæſt.* 19. *controu.* 2. vocat Chimæram ; nos
verò probabimus 1.2. *tract.* 5. *d.* 1. *quæſt.* 4. Qui alla- 484
ti *quæſt.* 3. *num.* 57. cenſent , actum Diuinæ voluntatis liberum compleri denominatione reali extrinſeca , ſumpta ab effectu ; conſequenter negant , dari actum Diuinæ voluntatis ſine effectu. Inter hos Baſilius Poncius *p.* 1. *variarum* , *quæſt.* 6. *Scholaſtica, cap.* 12. Sic abyſſum inuocat. Enim verò Granados *tom.* 2. *in p.* 1. *tract.* 3. *d* 5. *ſectione* 6. Arrubal *d.* 60. *num.* 14. Herize *d.* 17. *cap.* 3. ne diuiſionem omnium ferè Theologorum calculis datam negent , dicunt, dari voluntatem aliquam inefficacem in fine , ſed habentem efficaciam in mediis , vt in volitione ſaluandi reprobos. At diuiſionem voluntatis ſufficientis , & efficacis , non diſtinguunt in membris , dum nullam merè inefficacem dant. At verè datur inefficax etiam in mediis , quæ ſæpè recuſantur à pertinacibus. Prouerb. 1. *Vocaui* , *& renuiſtis* ; vnde & negatur maior gratia oblata. Ità reſoluit Ribas *d.* 2. *cap.* 1.

At aduerſi reſponderent , eam voluntatem ha- 485
bere actum efficacem offerendi , & voluntatem hanc connotare efficientiam , & aliquem effectum , puta immittendi ſanctam cogitationem. Ità vidit S. D. *hic* , *ad* 2. nec Riba reſoluere valet , ſatis autem eſt & neceſſe , vt actui Diuino detur aliquod obiectum.

Dat igitur Seraphicus Doctor alia exempla. Deus voluntate beneplaciti vult omnibus finem ſalutis. Dat quibuſdam ordinationem actualem per media ; aliis ſolam ordinabilitatem , vt infantibus, qui ex vi naturæ non habent actu media , ſed neceſſariò ex vi naturæ in vtero moriuntur , nec Baptiſmo , Martyrio , vel alio medio poſſunt ſaluari. Circa hos eſt voluntas inefficax , etiam quoad media , vt acutè vidit S. Doctor. Nec deeſt obiectum huius voluntatis inefficacis , & eſt illus finis , & media , ſed dependenter à curſu naturali, cui accomodat ſuam prouidentiam. Itaque benè oſtendit S. Doctor. voluntatem antecedentem merè inefficacem. Quare illi authores malè aſſerunt, actum Diuinæ voluntatis liberum , non dari ſine efficacia , in qua compleatur , vt innui *quæſtione* 3.

Assero ſecundò , voluntatem Dei , circa actus 486
liberos ſimpliciter abſolutam , eſſe efficacem.

Probatvr à S. D. ex vlt. Geneſ. *Num Dei poſſumus reſiſtere voluntati ?* Rom. 9. *Voluntati eius quis reſiſtit ?* & Gloſſa *primæ Tim.* 2. *Pſal.* 119.

Probatvr ſecundò à S. D. Voluntas omnipotens non poteſt impediri. Dei voluntas eſt omnipotens : Ergo. Hæc eſt ratio valida , vt ait Vaſquez *ad art.* 6. *D.Th.*

Probatvr tertiò à S. D. quia voluntas Dei eſt prima , & ſuprema omnium cauſa ; hâc verò impeditâ , quis obſecro effectus producetur à cæteris cauſis neceſſariò dependentibus ? Sic autem 487
arguit cum D. Thoma. Nihil fieri poteſt extra ordinem primæ cauſæ vniuerſalis. Sed voluntas Dei eſt prima , & vniuerſalis cauſa omnium rerum Ergo. Minor iam probata eſt ſuprà *quæſtione* 4. & probabitur *diſtinct.* 13. Maior dupliciter probatur.

Primò

Primò è proportione cauſarum efficientium ad cauſas
formales, & ex differentia inter cauſas vniuerſales, &
488 particulares ſic: Eadem eſt ratio in cauſis agentibus,
quæ & in cauſis formalibus. Sed in formalibus, li-
cèt poſſet aliquis effectus deficere à forma particulari
aliqua; tamen à forma vniuerſali nihil poteſt defice-
re. Ergo & in agentibus, licet aliquis effectus poſſit
fieri extra ordinem cauſæ particularis; tamen non
effugiet, quin ſtet ſub ordine cauſæ vniuerſalis, ſub
qua omnes cauſæ particulares comprehenduntur. Ma-
ior probatur; quia effectus conformatur, ſaltem ge-
nericè, agenti ſecundùm ſuam formam. Minor pro-
489 batur. Quia poteſt eſſe effectus, qui non ſit homo;
non tamen, quin ſit ens. Confirmatur. Quia ſi ali-
qua cauſa particularis deficit à ſuo effectu, hoc eſt
propter aliquam cauſam particularem impedientem,
quæ cauſa particularis impediens continetur ſub or-
dine cauſæ vniuerſalis: Ergo ſequitur, quòd effectus
non poteſt exire extra ordinem cauſæ vniuerſalis. An-
tecedens manifeſtatur in corporalibus. Poteſt enim
impediri aliqua ſtella, ne inducat ſuum effectum; ſed
tamen quicumque effectus è cauſa corporea impe-
diente in rebus corporalibus conſequatur, oportet,
vt reducatur per aliquas cauſas medias in vniuerſalem
virtutem primi cæli, vel ſaltem Dei.

490 Probatvr quartò à D. Bonau. & D.Th. argu-
mento, quod tacitè reſpondet obiectioni. Obiectio
eſt. Peccator recedit à Diuina voluntate peccando:
Ergo non ſemper Diuina voluntas impletur. Antec.
probatur. Nam peccator recedens à voluntate bene-
placiti diuini, incidit in voluntatem ſigni; dum ab ea
cogitur pœnas ſubire.

491 S.D. ex abundanti probat impleri ſemper Dei vo-
luntatem abſolutam, abſque libertatis noſtræ in ſuis
actibus præiudicio, quia volens, ſuſit antecedenter
illos eſſe liberos. Sed de hoc agetur *diſp*.21. *quæſt*.20.
Ideò & contingentes cauſas ſinit agere contingenter.
De hoc erit *quæſt*.12. *d*. 24.

492 Qvoad alteram quæſtionem. An poſſet aliquis
facere contra voluntatem ſigni.

Reſpondet, poſſe aliquem contra tria ſigna Diui-
næ voluntatis facere, nempe contra præceptum,
prohibitionem, & conſilium; non autem contra
493 impletionem, & permiſſionem. Probatur à D.Bonau.
quia illa tria ſigna reſpiciunt opus faciendum liberè,
& ſic poteſt fieri, vel non fieri: alia verò duo reſpi-
ciunt opus, quod iam fit in præſenti, & ſic non po-
teſt non fieri, quando fit.

494 Secvndo, quia illa tria priora ſigna ſignificant
voluntatem Dei antecedenter, contra quam poteſt
aliquis agere: hæc verò duo poſteriora ſignant vo-
luntatem conſequentem, contra quam nihil poteſt
fieri.

Idem ſentiunt Alenſis *p*.1. *quæſt*.40. *m*.4. D. Tho-
mas 1. *d* 47. *quæſt*.1. *art*.2. Durandus *ibi*, *quæſt*.1. Ri-
chardus, *quæſt*.2. Ægidius, *quæſt*.2.

QVÆSTIO XX.

An Deus ſemper neceſſariò velit id, quod eſt optimum.

495 Devm ad extrà liberum fides confitetur. Quare
poteſt innumeros mundos magis perfectos con-
dere, hunc tamen liberè ſelegit ex infinito Idearum
Muſæo creandum. Solùm igitur eſt quæſtio, iam ſup-
poſitâ voluntate creandi hunc numero mundum.

An neceſſitate phyſica, vel ſaltem morali decenti
teneretur condere omnibus numeris abſolutum, op-
timum phyſicè, vt melior eſſe nequeat, vel mora-
liter, vt ad maiorem ſui gloriam non poſſet or-
dinari.

Lvdovicvs de Ribas *tract*.5. *d*.11. *cap* 3. refert 496
nonnullos Recentiores, neceſſitatem moralem aſſere-
re optimæ ordinationis. Affert quoque Granadum
p.1. *tom*.2. *tract*.2. *d*.3. velle, Deum neceſſitate mo-
rali teneri condere non ex ſuppoſitione optimum
etiam phyſicè in oppoſitis contradictoriè, qualia
ſunt creare; vel non creare; mundi exiſtentia, &
non exiſtentia; at in his, in quibus proceditur in
infinitum, vt in mundis ſemper melioribus, negat.
Addit verò *ſect*.6. *num*.31. quòd ſi Deus aliquid me-
liùs neceſſariò, puta vnum crearet mundum è tot
poſſibilibus, non eſſet Deus. Hæc tamen non eſt 497
opinio adæquata Granadi, nec video aliquem Theo-
logum id ſenſiſſe. Ille quidem vult, in ipſa produ-
ctione rerum conſiſtere Dei libertatem, vt dixi
diſp. 16. *quæſt*. 3. Itaque adhuc non determinatus
ſupponitur anteà.

Assero igitur; nullam moralem neceſſitatem de-
terminare Dei voluntatem.

Probatvr à Riba *num*.17. argumento D.Bonau. 498
in 2. *d*.1. *art*.2. *quæſt*.1. *ad* 4. Quia nullum adeſt hu-
ius neceſſitatis fundamentum: Cùm enim Deus in ſe
per eſſentiam beatus ſit, nullius rei extrà egens, eiuſ-
que voluntas cùm infinitè ſit perfecta, ac libera, &
ſui fruitione ſatiata, amore neceſſariò adæquato fer-
tur in ſe ſolum, & ſpecificatiuè in bonum, ità vt
malum nequeat velle; ſed non fertur neceſſariò in
bonum præciſum extrà. Vide S.Doctorem tota quæ-
ſtione.

Obiicit Granadus Concilium Francofurd. vbi ait:
Credamus eum omnia velle, quæ meliora ſunt. Hinc
arguit, voluiſſe filiationem propriam; non adopti-
uam. Addit Clementem Alex. *lib*.6. *ſtrom*. Cyrillum
Alex. *lib*.2. *Theſ*. *cap*.1. Baſilium *homil*.9. *ex variis*,
Nyſſenum *orat.cathec.cap*.1. Damaſcenum *lib*.2. *de fide* 499
cap.9. D. Auguſt. *lib. de quantitate animæ, cap*.33. *lib*.3.
de lib. arb. cap.5. *& lib*.1. *cont. aduerſar. legis*, *cap*.14.
qui aſſerunt, Deum ſemper velle, quod melius eſt.

Respondet Ribas *num*.22. *è D. Bonau. loc. cit.* &
adducto *d*.16. *quæſt*.9. *num*.237. & *in* 3. *d*.1. *art*.2.
quæſt.1. *& alibi*, Deum aſſeri, velle quod eſt melius ad
finem intentum ſuæ prouidentiæ; non ſimpliciter,
quod eſt optimum phyſicè; neque quod ad maiorem
ſui gloriam, ſed ſolùm velle omnia propter ſe, ſuamque
gloriam, & bonitatem, quam neceſſariò vult. Sic
Concilium *epiſt. ad Epiſcopos Hiſp.* dicit, voluiſſe 500
filiationem illam, vt aptiorem ad redemptionem,
imò neceſſariam. Idem de aliis Patribus, qui loquun-
tur, reſpectu finium ſpecialium. Sic Clemens, &
Auguſt. Aliqui loquuntur de volitis ad intrà, vt
D.Cyrillus; alij ad excludendum defectum, vt Baſi-
lius, Nyſſenus, Damaſcenus.

Eo ſenſu D. Anſelmus *lib*.1. *Cur Deus homo*, ait,
Deum illa facere, quæ decentiora intelligit: Mundum
autem meliorem condere potuiſſe, oſtendam *tract*.3.
diſput.1.

Ee 3 DISPVT.

DISPVTATIO XVII.

De Amore Dei.

ADVERTIT D.Bonau. *in* 3. *d.*32. *ad litt. Magiſtri*, ſpectare ad primam partem agere de Amore Dei, quippè actu Diuinæ voluntatis, licèt de hoc diſſerat *in* 3. vt Magiſtri ſetiem ſequatur. Atque hoc etiam in aliis Tractatibus eſt adnotandum.

1 E voluntate prodeunt multæ affectiones, è quibus primogenita eſt Amor, ex D.Bonau. 1.*d.*10. *quæſt.*2.*corp.* & *in* 3. *d.*26. *art.*2. *quæſt.*3.*ad* 2. cum D.Auguſt. 14. *de ciu.cap.*6. *&* 15. Nam fertur per ſe, & vniuerſaliter in obiectum voluntatis, quod eſt bonum.

2 Dicitur amor, quaſi animorum vnio. Dicitur dilectio, quaſi duorum ligatio. Dicitur chatitas, id eſt cara vnitas, è D.Bonau. *l.*1. *compend.Theol. cap.*24. Hic eſt triplex: Gra-

3 tuitus, Naturalis; & Vitioſus; & ſinguli diuiduntur in concupiſcentiam, & Amicitiam. Amor concupiſcentiæ eſt, quo diligitur alius, vel aliud, non propter ſeipſum; ſed propter vtilitatem, vel delectationem amantis. Sic amantur pecuniæ, honores, fœminæ.

4 AMOR amicitiæ definitur à Seraphico 3. *p. Centil.* ſect.44. *Eſt voluntas bona erga aliquem, gratia illius, qui diligitur.* Addit. Si ſit mutuus. *Cum eius pari intentione, qui diligitur.* Subdit. Huius primum officium eſt idem velle, & idem nolle; alterum ſecretò admonere; & palam laudare.

5 ADVERTIT autem S.D. primò *de Itinerib. Ætern. itinere* 4. *d.* 2. Dilectionem, Amorem, & charitatem, in Scriptura pro eodem ſumi frequenter, vt ait D. Dion. *cap.*4. *de diu. nom.* & D. Auguſt. 8. *de Trin. cap.*10. vbi ait: *Nihil aliud eſt charitas; niſi amor boni.*

6 ADVERTIT ſecundò ex eodem Areopagita *loc. cit.* quod vnus eſt amor increatus, quia ſua superſubſtantiali, & vniuerſali appetibilitate ingignit amorem creatum omnibus rebus, qui amor eſt inclinatio in bonum. Et ideò S. Dion. diſtinguit diuerſos amores, ſecundùm diuerſas inclinationes ad bonum appetibile, dicens: Quando amorem nominamus, ſiue Diuinum, ſiue Angelicum, ſiue Rationalem, ſiue Animalem, ſiue Naturalem, deſignamus nomine amoris quandam virtutem vnitiuam. Vbi Commentator ait: *Amor eſt connexio, & vinculum, quo omnium rerum vniuerſitas copulatur.*

AMOR naturalis dicitur inclinatio in bonum, non actu ex aliqua cognitione; eſtque inditus omnibus ad ſui conſeruationem. Vnde *Iob* 37. dicitur: *Frumentum deſiderat nubes*, ideſt habet naturalem inclinationem ad hoc bonum. 7

Amor animalis dicitur inclinatio in bonum cognitum, cognitione ſenſuum & ideò eſt in ſolis ſenſibilibus. Amor intellectualis eſt inclinatio ad bonum orta ex cognitione rationali, vt Commentator ait, quæ eſt in homine. Et hæc eſt duplex. Alia inclinatio in bonum, quod non ſupponit, niſi cognitionem naturalem, & eſt à voluntate non deliberata; alia eſt inclinatio ad bonum è cognitione acquiſita, & dicitur amor electiuus, qui propriè dicitur dilectio. Si autem per aliquem habitum ſupernaturalem producitur, dicitur Charitas.

AMOR Angelicus eſt quidem intellectualis; ſed ſpecificatur hoc nomine. Quia oritur è ſingulari altiori cognitione, quàm ſit humana. Vnde intellectualis, qui eſt genericus relinquitur homini; aſſolet enim nomen generis manere imperfectioribus; ſic brutis remanet nomen *animalis*, quod tamen etiam homini conuenit.

AMOR Diuinus dicitur à D. Dionyſio: 9 circulus in bonitate gyrans, & permanens; iungens principium fini perfectiſſimè. Et ideo dicunt, Deum Zelotem, ideſt abundanter amantem omnia quæ exiſtunt. Dicitur amor, quatenus ipſe eſt virtus mouens; & quaſi ſurſum agens omnia ad ſe naturaliter apppetendum; ſicut adamas quieſcens facit, vt ferrum moueatur. Ità S. Dionyſius, & Seraphicus Doctor *loc. cit.*

QVÆSTIO I.

An Deus amet ſeipſum amore proprie ſumpto.

D.Th.q.20 art.1.

TAMETSI vnus ſimpliciſſimus ſit actus Diuinæ voluntatis; in eo tamen eſt ratio plurimorum actuum noſtrorum, quos in Deo ratione diſtinguimus, vt modum volendi Dei exprimamus: exprimimus autem ſecundum ordinem, quo in nobis ſunt. Triplicem verò ordinem in noſtra voluntate intelligimus. Primus eſt; ſecundùm eum ordinem quo paſſiones numerantur, quatenus in voluntate ſpiritualiter eſſe poſſunt, ſecluſa perturbatione paſſionum. Secundus eſt, ſecundùm ordinem actuum, qui in humana actione, & conſultatione interueniunt, vt Intentio, Electio. Tertius ordo actuum poteſt numerari ſecundùm varias virtutes voluntatis, vt Iuſtitiæ, miſericordiæ, Veritatis, Charitatis, &c. 10

ET quia in priori ordine vndecim actus numerantur à D.Bonau. citando *d.*18. *quæſt.*1. & D.Th. 1.2. *quæſt.*23. *&* 25. qui ſunt Amor, deſiderium, delectatio; quibus opponuntur odium, Fuga, Triſtitia, & dicuntur

dicuntur paſſiones Concupiſcibilis: alij dicuntur Iraſcibilis, vt ſpes, Deſperatio, Audacia, Timor, & Ira.

Sane in priori ſerie omnes Deo communiter conceduntur propriè, excepta Triſtitiâ.

11 Et quidem quoad amorem, oportet adnotare, ſæpè Gaudium, & deſiderium cum Amore confundi; cùm tamen ſint affectus diſtincti, vt dicam 1.2. *tr.* 1. *d.* 18. *quæſt.* 3. *&* 7.

Nonnulli è Recentioribus negant, Deum amore propriè dicto, ferri in ſeipſum. Quia amor propriè eſt via ad amatum obiectum; at Deus non eſt in via ad ſe; imò in ſe quieſcit. Deinde quia amor, prout differt à Gaudio, abſtrahit ab exiſtentia obiecti amati: At Deus non poteſt cognoſcere ſuam bonitatem; vt abſtrahentem ab exiſtentia; ſed neceſſariò illam, vt exiſtentem videt. Hi tamen Recentiores timentes à SS. PP. & Scholaſticis, Dei in ſeipſum amorem conclamantibus, eos explicant loqui de Gaudio. Enim verò, vt amorem Dei in ſe Scholaſticis concederent, dixêre, Deum habere erga ſe actum, vt ſi per impoſſibile non eſſet; vellet ſe eſſe. Sic Arrubal *quæſt.* 20. *in Notationibus.* Ribas *tract.* 5. *d.* 12. *cap.* 1. explicans, non amare ſuam bonitatem immediatè agnitam, ſed beoè vt cognitam in alio. Herize autem *d.* 13. *cap.* 2. negat abſolutè, vt acriter reprehendat hoſce modernos, quaſi timentes habere omnes Theo-
12 logos aduerſarios; cùm ſolus talem amorem aſtruat Suarez *l.* 3. *de attributis poſit. cap.* 7.

Attamen hic amor aſſeritur etiam à D. Th. *p.* 1. *quæſt.* 20. *art.* 1. vt notat Arriaga *d.* 25. *ſect.* 4. *ſubſ.* 1.

13 Alii Recentiores dicunt, in Deo amorem eſſe propriè, qui terminatur ad prædicta eſſentialia; eumque vnum è prædicatis eſſentialibus ſit exiſtere, dicitur in Deo amor proprius, qui etiam eſt Gaudium, & fruitio; quia ad exiſtentiam terminatur. Hos refert Arriaga *d.* 25. *ſect.* 4. *ſubſect.* 2.

14 Et ſanè amorem Dei in ſeipſum admittit D.Bonau. 1. *d.* 1. *quæſt. vlt. ad* 3. & *d.* 10. *quæſt.* 2. *corp.* & *art.* 2. *quæſt.* 1. *corpore*, & *in* 3. *d* 32. *quæſt.* 1. ad argumenta, maximè *ad vlt.* quibus in locis propriam Dei in ſeipſum aſtruit dilectionem. Eam verò alicubi etiam gaudium, & fruitionem nominat.

Neque ſatis arguit Herize, Gaudium eſſe quidem de obiecto exiſtenti; at amorem abſtrahere ab exiſtentia obiecti ex D.Thom. *hîc*; ac proinde non poſſe in Deo reperiri, qui non poteſt à ſua abſtrahere exiſtentia.

15 Etenim cùm poſſit eſſe amor, etiam habens exiſtens obiectum, non ceſſabit eſſe amor, etiamſi obiectum ſit neceſſariò exiſtens. Sicuti, licet intellectus feratur in obiectum abſtrahens ab actuali exiſtentia; non ob id ceſſabit obiectum eſſe intellectus, ſi præſens ſit; imò cùm præſentia obiecti, & exiſtentia faciat ad perfectionem obiecti intellectus, & actuum eius; illud eſt perfectiſſimè obiectum intellectus, quod eſt præſens. Et ità intellectio intuitiua, non modò eſt intellectio, ſed perfectiſſima intellectio. Sic igitur, & amor perfectus, & completus, vel eſt gaudio admixtus; vel ſine illo non eſt, vt docet Ariſtoteles 8. *Eth. cap.* 1. & 1. *Rhet. cap* 5. vt notat D. Bonau. 1. *d.* 10. *quæſt.* 2. *corpore*, & *ad* 1. *&* 2. Eandem doctrinam ſequitur Arriaga *loc. cit. ſubſect.* 3. ſic igitur ſumptus hoc ſenſu amor eſt colligatio actualis amantis, cum amato.

Asserendvm primò, in Deo eſſe amorem propriè.

16 Probatvr à D. Bonau. *d.* 10. *loc. cit.* & D.Th. *loc. cit.* Si amor in Deo non eſſet, nullus alius actus eſſet voluntatis. Probatur ſeq. quia deſtructo primo, deſtruuntur & reliqua; ſed amor eſt primus inter affectus, & actus voluntatis. Ergò. Ità etiam Tannerus *d.* 2. *quæſt.* 10. *dub.* 2. *num.* 2. Hoc idem confirmat S.D. *ad* 11. *Sap.* ex illo: *Diligis omnia, quæ ſunt.* Vbi id probat etiam ex eo, quod fatetur Geneſ. 1. *Omnia, quæ fecerat, erant valde bona.* Idem probat S.D. de ſeptem donis: *De dono intellectus, c.* 5. ex illo 1. Ioan. 4. *Deus charitas eſt.*

Assero ſecundò, Deum propriè diligere ſe- 17
ipſum.

Probatvr à D.Bonau. primò *d.* 10. *loc. cit.* ex *Ioan.* 17. Vbi Chriſtus precatur: *Sint vnum; ſicut & nos vnum ſumus.* Non poſtulat autem, vt nos ſimus vnum in natura, & plures tantùm in perſonis; ſicuti Pater, & Filius, vt aduertit Seraphicus ad hunc locum; ſed vt ſimus charitate vniti participatione charitatis diuinæ. Vnde Rom. 4. *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis.* Idem vrget *quæſt. ſeq.*

Probatvr ſecundò *in corpore.* Id, quod dicit ſum- 18
mam perfectionem, atque fælicitatem, eſt Deo attribuendum. Sed amor amicitiæ, vel eſt beatitudo, vel non ſine illa, ex Ariſtotele 8 *Eth. cap.* 1. & 1. *Rhet. cap.* 5. Ergo eſt amor propriè inter perſonas Diuinas.

Probatvr tertiò à D. Bonau. *ad* 3. Spiritus ſan- 19
ctus ſpiratur, vt verus amor: Eſt autem ille, quo Pater, & Filius ſe inuicem amant. Confirmatur. Producunt enim illum etiam amando ſeipſos; ſicut Pater generat filium intelligendo ſuam bonitatem, vt notat idem S.Bonau. *in fundamentis*, *quæſt.* 2. Hoc laudat, & Ribas *num.* 12. vbi notat cum Seraphico, 1. *d.* 10. *art.* 1. *quæſt.* 3. *ad* 3. amorem hunc inter nos eſſe ex diuerſis naturâ affectibus, ſicque tradi ab Ariſtotele; qui non agnouit ſpirationem Diuinam; ſicuti neque generationem perſonæ in eadem numero naturâ.

Observa circa propoſitionem. *Amor eſt primus* 20
actus voluntatis, fons, & origo omnium affectionum; ità aſſeritur à D. Bonau. & D.Th. quia fertur in obiectum voluntatis vniuerſale, & prius eſt, quod per ſe; quàm, quod eſt per accidens. Vnde S Dionyſ. *cap.* 4. *de diu. nom.* ait: *Propter amorem boni, omnia agunt, quæcumque agunt.* Quam doctrinam docet etiam D.Auguſt. *l.* 13. *de ciu. Dei.* Idem habet Seraphicus *in* 1. *d.* 10. *loc. cit.* & *in* 2. *d.* 26. *art.* 2. *quæſt.* 3. *ad* 2. vbi ait. Amor eſt principium omnium affectionum, ſecundùm imperfectionem ſtatus; ſed ſecundùm ſuam perfectionem, eſt omnium affectionum terminus, & complementum; vnde omnes affectiones animæ eo ordinantur, vt ametur Deus perfectè per charitatem. Igitur, ordine executionis, eſt primus amor imperfectus; ſed ordine intentionis, eſt primus amor perfectiſſimus charitatis. Et hoc docet S.Thomas 1.2. *quæſt.* 26. *art.* 4. D.Bonau. *l.* 5. *comp. Theol. à cap.* 23. & *Itinere* 4. *Ætern. diſt.* 2. & 4. *&* 5. paſſim.

QVÆSTIO II.

An ſit in Deo Amor erga creaturas.

{ D. Bonau. in 3 d 32. q 1.
{ D.Thom. quæſt 20. art. 1.

Assero. Probatur à Seraphico *hîc*, & *ad Sap.* 11. ex illo: *Diligis omnia Domine, & nihil odiſti eorum; quæ feciſti.*

Probatvr ſecundò à S.D. *l.* 5. *Compend. Theol.* 21
ver. cap. 24. ex illo 1. Ioan. 4. *Deus charitas eſt.*

Probatvr tertiò ab eodem *loc. cit.* in prima

quæſt. de Itineribus Æter. è Scriptura *Exodi* 20. & alibi, vocante Deum Zelutem, quod eſt abundanter amantem.

PROBATVR quartò à S.D. ad cap.3. Ioan. *Sic Deus dilexit mundum, &c.* & Rom.5. *Commendat autem charitatem ſuam Deus; quoniam cùm peccatores eſſemus dilexit nos.* Hæc præclarè explicata a Chryſoſtomo, *homil.*26. *in Ioan.* annuis.

22 PROBATVR quintò à D. Bonauentura ad 14. Ioan. *Qui habet mandata mea, & ſeruat ea, diligetur a Patre meo, & Ego diligam eum.* Et addit expoſitionem D. Auguſt. *tract.*75. *in Ioannem.*

Confirmatur è ſequentibus verbis: *Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, &c.* Vbi affert S.D. etiam Patres.

23 PROBATVR ſextò à S.D. 1. *d.*45. *quæſt.*1. *argumento allato, quæſt. præcedenti.* Vbi eſt voluntas, ibi eſt primus actus eius. In Deo eſt voluntas. Ergo ibi eſt primus actus eius in obiectum ſitum, quod eſt bonum. Creaturæ autem ſunt bonæ, *Geneſ.*1. Ergo.

24 PROBATVR ſeptimò à D. Bonauentura 3. *d.*30. *quæſt.*2. Omne bonum eſt amandum. Omnis creatura eſt bona, Geneſ.1. *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona.* Ergo.

25 PROBATVR octauò à S. D. loco nuper adducto *fundamen.*3. *& in corpore,* & *ad* 1. Amare aliquid, eſt velle illi bonum, ex Ariſtotele 2. *Rhetoric. capite* 4. Deus vult creaturis bonum exiſtentiæ, & multis bonum beatitudinis: Ergo. Ità etiam Vaſquez *d.* 84. *cap.*2. De his egi ſatis *d.*16. *quæſt.*2. vbi oſtendi, creaturas etiam poſſibiles amari à Deo amore Complacentiæ.

26 ADVERTE autem Seraphici doctrinam. Quòd ſicuti res priùs eſt vera in ſua cauſa, quàm agnoſcatur in ea: ità res priùs eſt bona in potentia Dei, quàm ametur in ea. Eſt autem bona etiam vt poſſibilis: Ergo vt talis amatur à Deo. Itaque bonitas, quæ eſt entitas creaturæ, eſt effectus Dei; vt ait Seraphicus. Nam diligere eſt velle bonum: Sic ergo diligit Deus creaturam bonam, bonitate participabili in potentia, vel participatâ à Diuina voluntate. Hinc percipies quid velit S. Bonauentura *in tertio, d.*32. *quæſtione prima, in corpore,* dum ait. Deum diligere creaturas, etiam non exiſtentes, neqne bonas in actu; bonas tamen in potentia ſua. De quo vide Trigoſium *q.*16. *art.*1. *d.*2. Debuit igitur omnimodè creatura priùs fuiſſe bona in eſſe intellecto, quàm amata. Ita etiam Richardus 3. *d.*32. *q.*3.

27 AN verò eodem amore Deus ſeipſum diligat, & nos; diſputabitur *Tract.*2. *qui de Trin. d.*10. *quæſt.*8. Interim cum Seraphico *in tertio, d.*32. *quæſtione prima, ad quintum, & tertium,* dico, eſſe eundem amorem ex parte actus ſimpliciſſimi; non ex parte connotati. Nam Deus eſt amatus neceſſariò, vt bonum infinitum, eique vult eſſe Diuinum: at creatura futura amatur liberè; vt poſſibilis verò, ſolùm vt obiectum potentiæ, neque aliquid vult eſſe illi Deus. Itaque dilectio Dei erga creaturas, etiam futuras, non eſt infinita ex parte effectus; ſicuti eſt infinita in ſeipſum. Sed erga eas eſt infinita ſolùm ratione actus diuini. Ità S. Bonauentura *q.*3.

QVÆSTIO III.

An Deus amet creaturas Amore concupiſcentiæ.

DIVISIMVS initio diſputationis amorem, in amorem Amicitiæ, quo quis aliquem propter 28
ipſum: & amorem Concupiſcentiæ, quo amat aliquid alteri.

Obſeruat autem Vaſquez *d.*84. *c.*2. cum D. Bonauentura *in* 2. *d.*5. *quæſt.*1. hos amores diſtingui per reſpectus, non in ſe abſolutè; eſt enim vnus actus, quo volumus bonum, & quo illud volumus alicui. Ob id *tract. de Angelis, d.*7. *q.*2. eludam argumentum Scoti, quo conatur oſtendere, Luciferum primò amore amicitiæ ſui peccaſſe; deinde concupiſcendo, ſeu ambiendo ſibi honores. Hoc tamen non inuenio in D. Thoma 1. *ſecunda, q.*26. *art.*4. allegato à Vaſquez.

CELFARIS eſt ſententia, Deum amore concupiſ- 29
centiæ diligere irrationabilia; creaturas verò rationales amore amicitiæ. Ita D.T. *quæſt.*20. *art.*2. *ad* 3. & 1. *cont. Gent. cap.*91. Suarez *Relec.*1. *de actibus Diuinis, d.*1. *ſec.*2. *num.*15. *& ſeq.* & *l.*3. *de attrib. Dei poſit.c.*. Fulienſis *cap.*17. Vaſquez *d.*84. *cap.*2. Trigoſius *q.*16. *artic.*2. *dub.*1. adducens Seraphicum *in* 3. *d.*32. *quæſt.*2. *ad* 1. *&* 2. Scotus *in* 3. *d.*32. *quæſt.*1. *ad* 2. Durand. *q.*1 Paludanus *quæſt.*3 *art.*3. Gabr. *quæſt.*1. *art.*1 *notab.*2. & *art.*2. *concl.*3. Capreol. *in* 1. *d.*45. *quæſt.*1. *art.*1. *concl.*1 s. Morandus *Appendice de amore Dei, quæſt.*1. Ribas *tr.*5. *d.*12. *num.*14. qui addit *num.*15. irrationabilia diligi à Deo etiam beneuolentia amicali, volens eis perfectiones. Sic & Ferrar. 1. *cont. Gent. cap.*91. Molina *q.*20. *art.*2. referens Scotum, Gabrielem, Durandum. Ità & Salas 1. *ſecunda, tract.*9. *d.*3. *ſec.*1. Richardus tamen 3. *d.*32. *quæſt.*1. *ad* 2. vult, amorem Dei erga inanimes creaturas non eſſe concupiſcentiæ; neque amicitiæ. Idem infertur de amore erga homines.

ASSERO primò, Deum amore quodam amicitiæ diligere rationales creaturas.

PROBATVR à D. Bonauentura 1. *ad* 14. *Ioan.* ex 30
illis verbis: *Vos amici mei eſtis, ſi feceritis, quæ præcipio vobis. Vos autem dixi amicos, quia quæcunque audiui à Patre, nota feci vobis.*

PROBATVR ſecundò à S.D. *de ſeptem Donis: de Dono Sap. cap.*5. ex illo Cant. *Comedite amici, inebriamini chariſſimi.* Vbi adnotat, vocare nos amicos ante mortem etiam in via; ſed in patria etiam acceſcere, vt chariſſimi vocemur. Sic autem explicat in Diæta *tit.*8. *cap.*1. Vocari in gloria tanquam amicos, non triuiales; ſed chariſſimos: *Bibite & inebriamini amici mei chariſſimi.* Idem habet in *Soliloquium,* dicens. *Hic bibunt amici; ſed inebriabuntur chariſſimi.*

PROBATVR tertiò à S. D. *ad Sap.*7. ex illis verbis. 31
Amicos Dei conſtituit; quod confirmat ex illo Ioan. 15. *Iam non dicam vos ſeruos, ſed amicos; quia quæcunque audiui a Patre meo, nota feci vobis.*

PROBATVR quartò à Seraphico D. *ad* 3. *Ioan.* ex illis verbis, *Amicus autem ſponſi, &c.* vbi adnotat, verum, propriumque amicum dici.

PROBATVR quintò, rationibus, quas indicat *locis adductis* S.D. Prima habetur *loco cit.* à Trigoſio. Quia homo Deum charitate amat; Charitas eſt amicitia inter Deum, & hominem: Ergo. Secunda: quia amicitia eſt communicatio in bonis eiſdem, mutua ex beneuolentiâ. Sed inter Deum, & hominem eſt communicatio in eiſdem bonis: Ergo. Minor probatur à Seraphico *Itinere* 2. *Æter. cap.*3. vbi hoc eruit argumentum ex illis verbis: Cant.5. *Bibite amici, inebriamini*

mini

mini chariſſimi. Comedite (ait) corpus meum; bibite ſanguinem meum, & inebriamini diuinitate mea. *Verbum caro factum eſt, vt cibus Angelorum fieret cibus hominum*, ait D. Gregorius *l.5. Moral. cap.19.* Cùm igitur in omnibus bonis gratiæ, gloriæ, ipſáque Dei ſubſtantiâ, & filij Dei corpore, animâ, & diuinitate, homo communicet; ſequitur amicitiæ amorem eſſe inter Deum, & hominem, cuius omnia bona ſunt Dei. Hanc quæſtionem reſumam, *tract. de Charitate, diſp.8. quæſt.3.2.2.*

33 Assero ſecundo, creaturas irrationales, non diligi à Deo amore amicitiæ, ſed concupiſcentiæ.

Probatvr à D. Bonauentura *d.33. quæſt.2. ad 1.* quia non diliguntur charitate, ideſt, amore beneuolentiæ per ſe; quæ eſt doctrina, & ratio Ariſtotelis 8. *Eth. cap.2.* amantur enim ſolùm, vt nobis vtiles, non vt obiectum per ſe amoris; ſed per accidens. Id enim, quod eſt obiectum amicitiæ, debet eſſe obiectum beneuolentiæ, cùm beneuolentia ſit principium amicitiæ, vt ait Ariſtoteles 9. *Eth.c.5.* & *l.7. Eth. ad Eudemum, cap.8.*

Obijcies primò contra primum aſſertum. Amicitia eſt voluntas bona erga aliquem, propter ipſum, qui diligitur cum eius pari intentione, à quo diligitur, è D. Bonauentura *3.p. Centil. ſec.44.* & Ariſtotele *locis adductis*, vbi beneuolentiam dicit, eſſe initium amicitiæ. Quia adhuc non eſt mutuus amor amici propter ipſum amatum. Homo autem eſt propter Deum, non è regione.

34 Respondetvr cum Seraphico *d.32. loco cit. ad 1.* Suarez *num.3.* Vaſquez *num.8.* Deum amare homines ſibi filios, ob eorum bonitatem, atque ad eorum bonum vltimum. Quòd verò omnia ad ſuam dirigat bonitatem, nihil obeſt. Nam etiam amor inter amicos refertur in Deum.

Obijcies ſecundò. Inter amicos requiritur æqualitas, ex Ariſtotele 8. *Moral. Nicom.* & *3. Polit. cap.12.* at quæ æqualitas hominis cum Deo eſſe poteſt?

35 Respondetvr reperiri æqualitatem proportionis, & condeſcenſionis, quæ ſufficit ex Ariſtotele *l.8. cap.13.* vbi admonet, inæquales amicos debere reddere, quod proportione ſupereminentiæ requiritur, & *cap.14.* ait, eam eſſe veram amicitiam, in qua ſuperior dat inferiori, quantum poteſt.

36 Obijcies tertiò. Homo etiam communicans in bonis cum Deo eſt ſeruus: at inter ſeruum, & Dominum non poteſt eſſe amicitia, vt habetur 8. *Moral. cit.* Ideò, & B.V. ſe vocat ancillam; tametſi inter homines ſuperexaltata ad Dei gratiam; & Moyſes exaltatus ad eam communicationem in arcanis, propter quam *Ioan.14.* ait Chriſtus, *Iam non dicam vos ſeruos, ſed amicos. Quia omnia, quæ audiui à Patre, nota feci vobis*; adhuc vocatur ſeruus, Numer.12. *Si quis fuerit inter vos propheta Domini, in viſione apparebo ei; at non talis ſeruus meus Moyſes, qui in omni domo mea fideliſſimus eſt. Ore enim ad os loquar ei.* Vnde Apoſtolus *Hebr.3.* antitheſim ponit inter Moyſen: & Chriſtum, & allegaris prædictis verbis ait: *Moyſes quidem fidelis erat, tanquam famulus: Chriſtus autem tanquam filius.*

37 Respondetvr ex D. Bonauentura ad locum citatum Ioan. Chriſtum hac de cauſa, nempè ob communicationem in ſecretis, vocare Apoſtolos amicos, non quia ſint ideò ſibi æquales, & filij per naturam; ſed per gratiam, & condeſcenſionem. Moyſes igitur in ſe erat adhuc ſeruus; ſed tamen amicus, & filius; inferior tamen Chriſto, qui non eſt extraneus; ſicut adoptati, vt docet Concilium Francofurd. ſed per naturam Dominus, & hæres in domo.

Observat autem S. Bonauentura *de ſeptem Donis. De dono Sap. cap.9.* Iuſtos eſſe Reges, & Dominos à Deo conſtitutos, atque adeo amicos, quod probat ex *Ioan. loc. cit.* & *Apoc.19.* vbi dicitur *Rex Regum.*

Obijcies contra ſecundùm aſſertum. Quia bruta amabilia ſunt à Deo, vt habent ſuas perfectiones: Ergo amicitiâ amantur.

Respondetvr ex dictis, ea omninò eſſe propter aliud, nec Bruta communicare poſſe, ratione illarum in bonis amicabilibus. Quare non meretur talis amor nomen amicitiæ.

QVÆSTIO IV.

Vtrum Deus dilexerit creaturas æternaliter.

D.Bonau.3.d.32. quæſt.1.
D.Thom.3.d.31.q.1 ar.3.

Nomina *Amoris, Dilectionis, & Charitatis* aliquo modo differunt, vt docet D. Bonauentura *cit num.20.* & 1. *d.10. dub.1. litt.* & *3.p. Centil. ſec.40.* 38
Amor enim dicit adhæſionem affectus amato; Dilectio autem addit electionem; vnde dicitur dilectio, ideſt, è diuerſis electio. *Cant.5. Dilectus meus electus ex millibus.* Charitas verò addit ſuper hæc magnam appretiationem. Charum enim dicitur, quod magni æſtimatur. Ideò Apoſt. 2. *Tim.1.* vocat fideles chariſſimos; ideſt, caro pretio æſtimatos. Tamen pro eodem etiam apud Patres accipiuntur, vt elicitur è D. Dionyſio; *cap.4. de diu. nom.* vbi reprehendit dicentes, dilectionem eſſe affectionem ordinatam; amorem verò inordinatum, quod eſſe falſum docet etiam D. Auguſt. ad *c.21. Ioan.* Imò & Chriſtus, modò interrogat Petrum *Diligis me?* modò. *Amas me?* Igitur non incongruè D. Bonauentura modò quærit: An Deus diligat, modo: An amet.

Scias præterea è S.D. *3.d.32. quæſt.1. ad argumenta*, amorem Dei non eſſe affectum; ſed ipſum Dei ſubſtantiam.

Assero, Deum ab æterno dilexiſſe creaturas.

Probatvr primò à D. Bonauentura *in fundamentis.* Epheſ. 1. *Elegit nos antè mundi conſtitutionem.* Ergo dilexit, nam dilectio, vt dixi, è multis electio eſt. 39

Probatvr ſecundò à D. Bonauentura *fund.2. & dub.2. litt.* è D. Auguſt. *l.5. de Trin. c.16.*

Probatvr tertiò à S D. Dilectio Dei eſt eius ſubſtantia, vt ait etiam Magiſter: Sed ſubſtantia Dei eſt æterna: Ergo & dilectio.

Probatvr quartò à D. Bonauentura, Deus non dilexit res ante, vel poſt; non poſt, quia hoc ſupponit res, nec etiam ante, quia non eſt aſſignandum in actibus Dei initium; ſicut neque in eſſentia. Ergo. 40

Probatvr quintò à Seraphico. Si Deus ab æterno non dilexit creaturas; cùm poſteà dilexerit, vt oſtendi *quæſt.2.* Ergo eſt mutatus. Ita arguit & Vaſquez *diſputationibus de Voluntate Dei.*

Probatvr ſextò *in corpore.* Amare, eſt velle bonum, ex Ariſtotele 2. *Rhet. cap.4.* Sed Deus ab æterno voluit creaturis bonum exiſtentiæ, &c. Ergo.

Advertit autem Seraphicus, *diligere*, pro principali, dicere actum Dei; ſed connotare creaturam amatam, etiam futuram, atque ita poſſe amari, ſicut poteſt ſciri; attamen *diligere* connotat effectum magis in actu, quàm *ſcire*: poſſumus enim ſcire etiam impoſſibilia; non autem electione amare, vt oſtendam *tract. de Ang. d.7. q.3.* Ex dictis ſoluuntur obiecta. 41

QVÆSTIO V.

An Deus omnia diligat generaliter.

D.Bonau. d 32. q.2.
D Thom.in 3.d.32. quæſt.1.art.2.

42 ASSERO. Probatur à D. Bonauent. *ex* 11. *Sap.* & ex *Geneſ.*1. vt dixi *quæſt*.2.

PROBATVR ſecundò à S. D. Quæcunque bona ſunt, diliguntur à Deo, cuius voluntas eſt rectiſſima. Omnia, quæ facta ſunt, bona ſunt, *Geneſ.* 1. Ergo.

PROBATVR tertiò à S. D. Qui dat bona, amat. Deus dat omnibus bona quæcunque poſſident: Ergo. Eodem argumento vtitur D.T. *p.p.q.*20. *art.*2. *& loco cit. in margine.*

Hoc argumentum nititur ea doctrina *epiſt. prima Ioan. cap.*3. vbi ex bono, quod datur, arguitur amor; & ex non dando, quando debet dari, arguitur carentia charitatis. Vnde S.Euangeliſta ait: *Si quis viderit fratrem neceſſitatem habere, & clauſerit viſcera ſua ab eo; quomodo charitas Dei manet in illo?*

43 OBSERVAT autem S. D. *in corpore*, amorem Dei non eſſe affectum, ſed actum, qui eſt ipſiſſima Dei eſſentia, & connotare effectum ex illo acto. Iam verò cùm Deus omnibus voluerit effectum; ſeu bonum naturæ, & rationabilibus bonum gratiæ; ſequitur, eum omnes dilexiſſe; eos quidem, quibus voluit antecedenter tantùm gratiam, & gloriam amore communi; at verò electos amore efficaci. Eodem ferè modo reſpondet Durandus *in* 3.*d.*32.*quæſt.*1. verbum pro verbo referens è D.T. Idem ſentit Scotus *ibi, quæſt.*1. Richardus *quæſt.*1. Qua diſtinctione ſoluuntur obiecta. Vide Seraphicum, & Trigoſium *quæſt.*16. *art.*2. qui inſtituit ſecundum dubium: An Deus ſimul amore, & odio peccatorem proſequatur. Reſpondetur, Deum odiſſe peccatorem, ratione culpæ; amare verò, ob naturam.

44 Quamuis enim contraria ſint diligere, & amare idem, ratione eiuſdem; non ſunt tamen contraria circa idem, ratione diuerſorum.

QVOMODO autem non ſit mutatio in Deo, eò quòd hominem nunc iuſtum diligat; mox impium odio proſequatur ſatis ſuprà declaratum eſt *diſput.*16. *quæſt.*3. *& vltima.*

QVÆSTIO VI.

An Deus æqualiter omnes diligat.

D.Bonauent. in 3. d.32.q 3.
D.Thom.q.10 art.3.& in 3. d.32.q.1.art.3.

45 ASSERO primò ex parte actus Diuini nullam eſſe inæqualitatem.

PROBATVR à S Bonauent. primò ex lib. de Cauſis, propoſitione 24. *Prima cauſa eodem modo ſe habet ad omnia.*

PROBATVR ſecundò à S.D. Eadem dilectione, qua Deus Pater diligit filium, diligit etiam creaturas; & hæc eſt actus Dei infinitus, in quo non poteſt eſſe maius, & minus.

PROBATVR tertiò. Ità ſe habet intellectus ad cognita; ſicut voluntas ad volita. Sed actus intellectus Diuini, cùm ſit ipſe Deus, non eſt perfectior ad nobiliora ſcita; ſed omnia æqualiter intelligit: Ergo ex parte eiuſdem actus æqualiter amat.

ASSERO ſecundò, ratione connotati Deum effectus, inæqualiter diligere.

PROBATVR à D.Bonauentura primò. Quia dilectio Dei eſt effectus, non affectus tendentis: Ergo eos plus diligit, quibus plura, vel maiora confert bona. Nam amare, eſt velle bonum, vt dicitur 2. *Rhet. capite* 4. ab Ariſtotele: Ergo. Sed bona inæqualiter confert, & quidem plura rationalibus, quàm irrationalibus; inter rationales, plura confert electis: & inter electos datur inæqualitas in gloria, quibus omnibus præcellit Chriſtus, vt ait D.Auguſt. *tract.*110. *in Ioannem*: Ergo. Hac diſtinctione aſſertionum omnia ſoluuntur obiecta. Eadem diſt. vtuntur Alenſis *p.p.q.*31.*m.*1.2. *&* 3. & D.T. *loco cit.* Scotus *ibi, quæſt. vnica ad* 3. 46

ADDIT Scotus vnum notabile documentum (ait Trigoſius *quæſt.*16. *artic.*3.) quòd, ſcilicet Deus non ſolùm ratione connotati inæqualiter diligit, quia inæqualia ſunt bona volita delectis; ſed etiam ex parte actus diligentis, quia ille actus dilectionis tranſit ſuper volita, ſecundùm quendam ordinem: nam omnis rationabiliter volens, priùs vult finem; deinde media. Et ſic de cæteris, iuxta dicta *diſp.*16.*quæſt.*7. Idem ait tenere Seraphicum.

ENIM verò fallitur. Nam *in corpore, & fundamentum.* 3. explicat, ſe oppoſitum ſentire. Nam ordo, qui eſt finis ad media, eſt inter obiecta ipſa, è quibus aliqua comparantur ad alia, vt media ad fines; non in ordine ad actum, vt eſt ipſa Dei eſſentia. Itaque non magis hic ordo dicit inæqualitatem actus, quàm ordo rerum in ſucceſſione, & in nobilitate rerum diſparatarum. Idem autem actus ſimpliciſſimus vtrobique perſeuerat indiuiſibilis. 47

QVÆSTIO VII.

Vtrum Deus magis diligat hominem; an Angelum.

D.Bonauent 3 d. 32.q.4.
D Thom 3.d.32. q.1. art.5. quæſtiunc.1.

ASSERO primò, quoad bona naturæ, magis eſſe dilectum Angelum.

PROBATVR à D.Bonauentura. Qui maiora bona accipit, eſt magis dilectus. Angelus, ſecundùm naturam, maiora bona recepit: Ergo. Maior probatur. Sicut ſe habet ſimpliciter ad ſimpliciter: ita magis ad magis; ſed ſimpliciter amare, eſt velle bonum, ex 2. *Rhetor. cap.*4. Ergo, qui maiora bona recipit, eſt magis à Deo amatus: Minor probatur. Ille plura, & maiora bona recipit, qui magis ad Dei perfectionem accedit. Talis eſt Angelus, quoad naturalia, qui ob id dicitur Antonomaſticè, *ſignaculum ſimilitudinis.* Ezech. 28. Et 2. *Petri* 2. dicuntur maiores; quippè meri ſpiritus, immortales. Vide Ferchium *quæſt.*6. 48

ADDVNT Alenſis *p.p. quæſt.*32. *m.*1. & D. T. *p.p. quæſt.*20. *artic.*4. *ad* 2. ſumpta naturâ indiuiduâ, plus diligi naturam humanam; *Nuſquam enim Deus Angelos apprehendit; ſed ſemen Abrahæ.* Hebr.2. vt probat altiùs D.Bonau. *fundamento primo.*

ASSERO

Assaro ſecundò, quoad gratias, magis dilectum hominem.

49 Probatvr à D. Bonauentura præcipuè, quia Filius Dei humanam oaturam aſſumpſit, vt pro nobia moriens, bona gratiæ, & gloriæ indignis, & inimicis emeret. Si enim maiorem charitatem nemo habet, quàm vt quis vitam pro amico profundat; quanta erit Filij Dei dilectio, vitam tot paſſionibus coortitam effundentis? Profectò Abilam, & Calpen charitatia tranſcendit, vt arguunt Auguſtinus *ibi*, & Bernardus.

50 Addit tamen, Angelos, ratione ſtatus patriæ, hominibus præcellere. Ideo Chriſtus, cùm inter homines Ioannem exaltaſſet, ſobdit. *Qui autem minor eſt in regno calorum, maior eſt illo.* Matth.11. Sed Epheſ.2. ait Apoſtolus, *Deus, qui diues eſt in miſericordia, propter nimiam charitatem, qua dilexit nos Deus, Filium ſuum miſit, &c.* Vide Seraphicum eximia proferentem.

QVÆSTIO VIII.

Vtrum Deus magis dilexerit totum genus humanum, quàm Chriſtum Dominum.

D Bonauent. loco cit. quæſt.5.
D. Thom. ibi, q.1. art.5. quæſtiuncula 3.

51 Asseno Deum dilexiſſe magis Chriſtum, quàm genus humanum.

Probatvr à D. Bonauentura 1. *ex Philip.*2. vbi dicitur exaltatus ſuper omnes creaturas, eaſque omnes illi proſterni, & ex 3. Ioan. *Non ad menſuram dat Deus Spiritum Filio ſuo.*

Probatvr ſecundò à S.D. Quia meritis Chriſti ſingulis totum genus humanum eſt in rigore æqualitatis; imò ſuperabundanter redemptum. Ideò ait Clemens V. in Extrauag. Vnigenitus. *Vnâ guttâ ſanguinis acquiſiuit ſibi theſaurum infinitum.*

Probatvr tertiò à D. Bonauentura, Eſſe Deum, eſt infinitè maius quocunque creato; at Chriſtus eſt Deus. Ergo magis dilectus à Deo, quia maiora bona recepit.

Dices Ioan.3. dicitur. *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium ſuum vnigenitum daret.* Ergo magis dilexit homines, pro quibus dedit filium. Nam propter quod, vnumquodque tale, & illud magis tale.

52 Reſpondet Seraphicus, neg. Conſequentiam. Nam propter nimiam charitatem, Deus, qui diues eſt in miſericordia, redundans pretium, pro nobis dedit vitam Filij, non abſolutè eam alienando; ſed ad tres dies ſuſpendendo, vt tertia die reciperet illam magis glorioſam. Prætereà, quamuis Chriſtus ad redemptionem noſtram ſit ordinatus; tamen ipſe eſt finis omnium, vt dicam 3.*p.* cum D. Bonauentura *d.*1. *art.*2. *queſt.*1.*ad* 5. Vide Seraphicum egregiè diſſerentem cum D. Thoma.

Dices. Homo eſt pretium meritorum Chriſti. Reſpondet S. D. Chriſtum acquiſiuiſſe ſibi theſaurum, vt ſuprà.

QVÆSTIO IX.

Vtrum Deus dilexerit magis Petrum; an Ioannem.

D. Bonau. loco cit. q.6.
D. Thom. q.20 art 4. ad 3.

Assero primò, videri ex vna parte magis dilectum Ioannem, cui dicitur ſæpè. *Quem diligebat Ieſus*, & hoc antonomaſticè, alios non excludendo, vt notat S. Bonauentura. Secundò, quia de eo canit Eccleſia. *Hic eſt Ioannes, qui priuilegio amoris præcipui meruit à Deo cæteris altiùs honorari*, vt notat Seraphicus. Confirmatur ab eodem S. D. è ſignis præclariſſimæ dilectionis ei à Chriſto exhibitis. 53

Assaro ſecundò, videri ex parte altera Petrum magis dilectum.

Probatvr à D. Bonauentura. Quia *Ioan.*21. acclamatur plus aliis amans Chriſtum. Quod colligitur ex interrogationibus. *Simon Ioannis diligis me plus his?* non enim ſic interrogaſſet, niſi cognouiſſet, eum præſtantiori charitate exardeſcere, vt aduertit Gloſſa *ibi*, & D. Auguſtinus. 54

Addit, ſecundùm D. Auguſtinum, Petrum amatum magis, quoad ad bona gratiæ, & charitatis infuſa. Et quidem, vt eſſet omnium caput, & Pontifex: Quoad ſigna verò aliqua beneuolentiæ, magis adamatum Ioannem. Et ſi dicas, debuiſſe propterea maiora ſigna exhibere beneuolentiæ magis adamato. Reſpondet S. Auguſtinus id feciſſe, vt oſtenderet iucunditatē maiorem, ac familiaritatis dulcedinem vitæ contemplatiuæ, quæ in Ioanne exprimitur; cui etiam dicitur. *Sic eum volo manere:* at Petro debebatur labor vitæ actiuæ, vt vniuerſali Paſtori; non autem tanta familiaritas conuerſationis. Ideò illi dicitur. *Tu me ſequere.*

Reſpondet ſecundò cum D. Bernardo, quod Petrus diligebat ferueutiùs, & diligebatur fortiùs: Ioannes dilexit dulciùs, & diligebatur familiariùs. 55

Reſpondet tertiò, ſecundùm modum communem dicendi, quod Petrus diligebat Deum in proximo; & ideò demandata eſt illi Eccleſia. Ioannes verò magis diligebat Deum in ſe, ideò recepit gratiam contemplationis.

Concludit tamen cum D. Thoma, præſumptuoſum eſſe, ex nobis velle abſolutè hoc definire. Quia ſpirituum ponderator eſt Dominus, & non alius, vt dicitur, *Prouerb.*16.

Qværes: An Deus magis diligat iuſtum præſcitum; an peccatorem prædeſtinatum. 56

Reſpondetur cum D. Bonauentura 3.*d.*32. *dub.*3. *litt.* dilectione approbationis, ſecundùm præſentem iuſtitiam, magis diligi iuſtum illum: Ideò in Concilio Conſt. *ſeſſ.*15. damnantur negantes, prædeſtinatum vnquam eſſe membrum Diaboli. Et Prou.8. dicitur. *Ego diligentes me diligo.*

Attamen dilectione electionem inferente, diligitur magis prædeſtinatus. Quia hæc dilectio reſpicit tempus futurum, in quo iſte erit iuſtus finaliter: ille verò impius.

Qværes adhuc: An Deus magis diligat pœnitentem; an innocentem. 57

Reſpondet S. Bonauentura *quæſt.*6. ſuprà, diligere magis eum, qui intenſiorem habet charitatem: accidentaliter verò innocentem magis diligi. Idem habet D. Thomas *q.*20. *art* 4. *ad* 4. Valentia *d.*1. *quæſt.*20. *p.*3. Trigoſius *quæſt.*16. *art.*6. *dub.*2. De hoc 1.2. *tract. de Gratia, diſp.*3. *quæſt.*15.

DISPVT.

DISPVTATIO XVIII.

De cæteris actibus Diuinæ voluntatis

QVÆSTIO I.

An in Deo ſit odium propriè.

1 ADVERTE, nouem affectinnes à D.Thoma 1. 2. *quæſt*. 25. communiter enumeratas, nempè, Amorem, Odium, Deſiderium, Fugam, Spem, Deſperationem, Timorem, Gaudium, ſeu Delectationem, & Triſtitiam; ſparſim etiam à D.Bonaueorura numerari. Nam Opuſc.de profectu Religioſi *l*.2.*cap*.21. ſeptem recenſet, quæ ad rem faciebant, ideſt, Amorem, Odium, Spem, Timorem, Gaudium, Triſtitiam, & Pudorem. Infrà verò ponit Deſiderium, & Fugam, ſeu Execrationem; Deſperationem verò innuit fugiendam, dum
2 Spem laudat. Talia innuit & *in* 2.*diſt*.36.*q*.2.

ADVERTE adhuc è Seraphico 1.*d*.45.*quæſt*.1.*in corpore*, in Deo non capi multitudinem horum actuum, vel paſſionum; quia vnus eſt ſimpliciſſimus indiuiſibilis actus, qui eſt ipſa Diuina eſſentia immutabilis;
3 diſtinguuntur autem, quoad connotata.

QVÒ ad odium. Fuit opinio Ferrar. 1. *cont. Gent. cap*.96. Capreol.1. *d*.45.*q*.1. *art*.1. negantium in Deo odium propriè, etiam in ſententia D.Thomæ, quos imitatur Trigoſius noſter *quæſt*.16. *art*.2. *dub*.2. *in fine*,
4 & Nazarius *q*.19.*art*.1.*controu.vnica*.

AT contrarium aſtruit D.T. *q*.20.*art*.2.*ad* 4. quem ſectantur Suarez *l*.3.*de attrib.poſit.cap*.7.Vaſquez *d*.84. *cap*.3.Tanner.*d*.2.*q*.10.*dub*.2.*num*.4. Ruitz *d*.45. poſt Seraphicum 1.*d*.41. *q*.1. *ad* 2. vbi Trigoſ.*q*.18. *art*.9. *ad* 2. conanir iterum trahere D.Bonauenturam ad primam ſententiam, eò quòd dixerit, in Deo noo eſſe odium, quoad affectum; ſed quoad effectum, quaſi verò odium Dei non ſit actus Dei odientis; ſed ſolùm volentis effectum punitionis; cùm tamen S.Bonauentura, ibi expreſsè dicat contrarium; nempè odium æternum Dei, duo dicere; & principale ſignificatum, quod eſt actus Dei proponentis punire; & connotatum, ideſt, punitionem; & primum non poſſe à pec-
5 catore mereri. Quod autem S.D. neget affectum, eſt; quia odium in Deo non eſt affectus, ſeu paſſio; ſicut in nobis; attamen non vult dicere, in Deo non eſſe actum odij erga malos; alioqui deberet Trigoſ. dicere, neque amorem eſſe in Deo in ſententia S.D.quia *in* 3. *d*.32.*quæſt*.1.*ad arg*. eiſdem verbis aſſerit, Deum amare non affectu, ſed effectu: quem locum vidit Trigoſ. *q*.16.*art*.1. *ad* 3. nec detorſit. Sequuntur Recentiores
6 apud Ribam, *tract*.5. *d*.12.*c*.3.

ASSERO primò, in Deo eſſe formaliter odium mali.

PROBATVR primò ex definitione odij à D. Bonauentura *opuſc.Explicationis terminorum Theol*.poſt medium. *Odium eſt voluntas affectans proximo malum, vt careat bono, quod ipſum odientem contriſtat*; ſecluſa autem paſſione, quæ etiam in amore à Deo excluditur, Deus habet voluntatem contra peccatorem, vt malum ei iuſtè inferat, vt dicebat S.Bonau. 1.*d*.41.*q*.1. *ad* 2. Idem probat S.D.*ad* 1.ex illo Rom.9. *Eſau odio habui*.

NOTA è D. Bonauentura *in* 4.*d*.14 *p.p.artic*.2. *q*.1. 6
ad 3. duplex eſſe odium, ideſt, diſplicentiæ, ſeu abominationis, & inimicitiæ, ſeu vindictæ: quam diſtinctionem ſequitur Caietanus *p*.2. *quæſt*. 29. *artic*.1. Odium abominationis eſt diſplicentia mali, quod nos patimur; aut alij patiuntur; Odium inimicitiæ, & vindictæ, eſt velle alicui malum, quatenus malum illius eſt, ex diſplicentia perſonæ. Addit verò Seraphicus, priùs odium eſſe in concupiſcibili: poſterius verò in Iraſcibili.

Aduerte, in odio inimicitiæ eſſe duplicem actum: 7
alter negationis, & fugæ in ordine ad perſonam, & hic conſtituit odium inimicitiæ, quod in diſplicentia conſiſtit: eſt etiam reſpectus ad malum, quod deſideramus perſonæ; & illud reſpicit per modum complacentiæ; ſicut amor reſpicit rem concupitam; ſed non conſtituit actum amoris, quia deficit reſpectus complacentiæ in perſona.

ODIVM quoque abominationis eſt diſplicentia mali, vt dixi, qui actus duplicem habet reſpectum, vnum ad perſonam per modum affirmationis complacentiæ: alterum ad malum per modum negationis, & fugæ, ſeu diſplicentiæ, ex quo habet rationem odij abominationis. Ergo odiſſe aliquid odio abominationis, eſt nolle malum in aliquo, & deteſtatio eius, in quo eſt.

ASSERO, in Deo eſſe odium, quod dicitur abominationis.

PROBATVR à D. Bonauentura *in* 3. *d*.32. *quæſt*.2. 8
ad vltim. & à nobis *d*.16. *quæſt*.13. Et enim verè diſplicet peccatum, quod verè eſt malum, ac proinde odit, & peccatores, *Odio ſunt Deo impius, & impietas*, vt notat ibi S. Bonauentura *Sap*. 14. Sic & Fulienſis *cap*.17.

HINC enim probatur odium inimicitiæ eſſe in Deo; quia odio proſequitur peccatores, eiſque pœnas intentat.

PROBATVR à Seraphico *ad* 11. *Sap*. ex Eccleſia- 9
ſtici 12. *Altiſſimus odio habet peccatores*. Idem probat *in* 3. *loco cit*. quia Deus vult homini pœnam, vt malum eius eſt. Non eſt autem aliquis in eò affectus, vt dixit ſuprà allegans S.D.*&* 14.*Sap*.ad allegata verba. Idem *in* 3. *loco cit*. probat ex illo Malachiæ, *Eſau odio habui*.

QVÆSTIO II.

An ſit in Deo deſiderium, & Fuga.

ASSERO, hos actus, in ordine ad proprium bonum, non eſſe in Deo.

PROBATVR à D. Bonauentura 1. *d* 45. *quæſt*.1. *in* 10
corpore, argumento, quod affert Vaſquez. Quia cùm voluntas Dei ſit in ſummo Bono immobiliter quieſcens, non habet aliquid boni, vel mali futurum, quod proſequatur, vel fugiat.

Aſſero tamen, poſſe habere deſiderium noſtri boni; & fugam noſtri mali. Ita etiam Suarez *l*.3. *cap*.7. *cit*. Vaſquez *d*.48. *cap*.1. Tannerus *d*.2. *quæſt*. 10. *dub*.2. *num*.6. D.T. *quæſt*.20. *art*.1. *ad* 2. vbi deſiderium Deo negat ſolùm, modo dicto in aſſertione prima; tametſi Nazarius *loco cit*. *quæſt*.1. mordicùs ſuſtineat, omninò à D.T. negatum Deo deſiderium.

PROBATVR à D.Bonauentura *d*.45. *art*.3. *quæſt*.1. & *ſerm. Dom*.2. *Quadrag*. ex illo 1. Theſſ.4. *Hæc eſt voluntas Dei ſanctificatio veſtra*, & ex 6.Ioan. *Hæc eſt voluntas eius, qui miſit me Patris, vt omne, quod dedit mihi non perdam, ſed reſuſcitem, &c.*

PROBATVR

Probatvr ſecundò à S. D. frequentiſſimè locis illis Scripturarum, quæ teſtantur Dei deſiderium pro noſtra ſalute, & fugam noſtræ perditionis.

Neque verò quidquam obſtat, etiamſi Bonum non ſit futurum Deo; ſed ſufficit, ſi ſit futurum nobis, vt aduertit etiam Tannerus ſuprà.

QVÆSTIO III.

An in Deo poſſit eſſe Spes.

11 Assero, non eſſe in Deo Spem.

Probatvr à D. Bonauentura, *in 1. d. 10. quæſtione ſecunda, ad quartum*, ratione, qua vtitur Tannerus *numero octauo*. Quia ſpes eſt circa arduum aggrediendum. At Deo nihil eſt impoſſibile, nihil arduum. Vaſquez reſpondet, ſpem eſſe etiam circa facilia. Sed hoc redarguam 2. 2. *tract. ſecundo, d. 4. quæſtione tertia*. Et quidem ſpes Theologica, quæ eſt vera ſpes, reſpicit beatitudinem, quæ eſt ardua, vt dicitur Matth. 11. *Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.*

12 Deinde, quia ſpes definitur ab Ariſtotele 2. *Eth. capite primo.* Eſt ſuſpicio futuri boni; vt notat Seraphicus *in tertio, d. 26. dub. ſecundo litt.* Deo autem nihil incertum eſt; nihil boni futuri aduenire poteſt. Hoc argumento vtitur S. D. ibi *d. 26. artic. ſecundo, quæſtione quarta*, & *d. 31. quæſtione ſecunda.* Qua ratione probat S. D. in beatis Spem non manere. Ergo minùs in Deo. Confirmatur ex 8. Rom. *Spes autem, quæ videtur, non eſt ſpes. Nam quod videt quis, quid ſperat?*

13 Vasqvez fingit, nos ita ratiocinari. Spes non eſt circa id, quod euidenter cognoſcitur eſſe futurum; vt enim ait Apoſtolus, Rom 8. *Spes autem, quæ videtur non eſt ſpes. Nam quod videt quis, quid ſperat?* Sed Deus nouit euidenter omne futurum: Ergo non ſperat.

Iſte Doctor non percipit, aut fingit, ſe non percipere noſtrum argumentum ex Apoſtolo concinnatum. Non enim accipit Apoſtolus verbum *videndi*, prout dicit viſionem futuri; ſed prout dicit præſens bonum beatitudinis, quæ in viſione Dei ſtat. Vult ergo dicere. Obiectum Spei eſt beatitudo, ſeu viſio Dei. Si autem ſpes, ideſt, quod ſperamus, ideſt, Diuinam eſſentiam videmus clarè, non eſt de ea ſpes: Cùm igitur Deus videat, & fruatur omni bono, non ſperat.

14 Hæc ferè eſt ratio D. Bonauenturæ *1. d. 45. quæſt. 1. in corpore.* Voluntas Dei eſt immutabiliter vnita fruens ſummo Bono. Ergo non capit illos effectus, qui bonum futurum, vel alio modo abſens reſpiciunt.

Tandem Vaſquez probat, Deo non competere ſpem. Quia hæc reſpicit alium potentiorem, à quo ſperat bonum obtinere. Nam à ſe nullus ſperat. Sed Deus à nullo, maximè ſuperiori poteſt aliquid obtinere: Ergo.

15 Ex his habes, multò minùs Deſperationem Deo inurendam: Nam deſperatio eſt circa bonum impoſſibile. Deo autem omne bonum eſt intimum per eſſentiam.

QVÆSTIO IV.

An Deo conueniat Gaudium, ſeu delectatio.

Hæc Deo conuenire aſſerit S. Bonauentura paſſim, & D. T. *quæſtione 20. artic. 1. ad 1.* & communiter Theologi omnes. Vnde Ariſtoteles 7. *Eth. cap. vltimo* ait: *Deum vna, & ſimplici operatione gaudere.* Eſtque ſine controuerſia, vt notat Morand. *Apend. de Amore Dei, q. 1.* 16

Probatvr à D. Bonauentura *in Diata, tit. 8.* ex illo Cant. 1. *Lectulus noſter floridus* ſignificat autem quietis voluptatem puriſſimam, in qua Deus quieſcit. Deinde, quia nil ei eſt volitum, quod non eſt habitum, vt dicitur Pſalm. 113. *Omnia quæcumque voluit, fecit.* Eodem argumento vtitur Tannerus *numero 4.* Idem probat ex 25. Matth. *Intra in gaudium Domini tui.* Vide ibi Seraphicum *cap. vltim. Diæta*, vbi è cœleſti beatitudine id eleganter arguit. *Et de ſeptem Donis. De dono Sap. capite 9. 10. & 11* ideò dicitur Pſalm. 35. *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos*, quo textu vtitur etiam Tanner. *num. 4.* Vide S. D. *loco cit.* præclarè è Scripturis, & P. P. hæc comprobantem.

QVÆSTIO V.

An Ira Deo conueniat.

Lactantivs nullum in Ira næuum agnonit, quo Deo negetur. Eum ſequitur Suarez *l. 3. de attribut. cap 7.* & *opuſc. de Iuſtitia Dei, ſec. 5.* 17

Communis tamen Scholaſticorum ſenſus eſt contrarius apud Vaſquez *d. 44. cap. 4.* Ribam, *tract. 5. d. 12. capite 4.*

Assero primò, in Deo non eſſe Iram. Explicat S. D. *opuſc. de eſſentia Dei ad finem* docens. Iraſci dicitur Deus, non omni motu, vel qualibet perturbatione, quod illi omninò accidere non poteſt; ſed creaturæ delinquenti iuſtam dicitur inferre vltionem, hoc eſt reddere illis, quæ merentur. Propter hoc etiam vltio Diuina, furor eius dicitur.

Et ad Pſalm. 36. ad ea verba. *Et ne declines in ira à ſeruo tuo*, ait: Declinat à quibuſdam in ira, quando non corrigit.

Clariùs in 1. *d. 45. dub. 10. litter.* probat, non poſſe in Deo eſſe Iram, niſi tropicè. Quia ira habet coniunctam imperfectionem, vt etiam arguit Tannerus. Nam reſpicit malum arduum repellendum. Idem docet S. T. *q. 20. art. 1. ad 2.* 18

Advertit autem S. Bonauentura 1. *d. 45. dub. 10.* quòd Deus habet ſigna Iræ, non quæ ſignificant iram in ipſo, ſed quæ ſignificant iram in nobis; ex quo patet, Vaſquez non legiſſe Seraphicum. Nam *d. 84. capite quarto*, dicit, ſe alium non legiſſe è Scholaſticis, qui hoc doceat, præter D. Thomam, *quæſt. 20. art. 1. d. 2.* Eadem eſt ſententia ſanctorum Patrum, quos refert Vaſquez.

Probatvr ergo à Seraphico *loco cit.* Id, quod includit intrinſecè imperfectionem, non eſt Deo attribuendum formaliter; Talis eſt Ira. Ergo: Maior patet, & explicatur. Sunt aliqua, quæ intrinſecè quidem in nobis dicunt imperfectionem, vt ſapientia, quæ in nobis eſt accidens; attamen abſtractè dicit tantum 19

cognitionem altiſſimam veri, quæ poteſt eſſe, etiam ſi non ſit accidens: ſunt verò alia, quæ in ſua ratione formaliter dicunt imperfectionem; vt Ira, quod patet è definitione eius apud Ariſtotelem 1. *de Anima, t.16.* vbi duas habet Iræ definitiones, altera eſt materialis. *Eſt ſanguinis, aut caloris eius, qui circa cor eſt, feruor, ebullitiove*: Altera formalis. *Eſt appetitio doloris viciſſim aduerſario inferendi.* Eodem modo alij Philoſophi Iram definiunt, vt Cicero apud Lactantium *cap.7.* circa finem de Ira Dei, Poſſidonius apud eundem Lactantium *loco cit.* Seneca *l.5. de fide cap.16.* Nyſſenus *l.4. Philoſophia, cap.13.* qui ait, definitionem hanc Ariſtotelis: *Ira eſt recruciationis appetitus*; eſſe formalem. Ideò Ariſtoteles 2. *Rhet. capite* 4. ait. *Qui iraſcitur, dolet.*

21 Vnde immeritò Lactantius reprobat hanc definitionem, aliam apponendo. *Ira eſt motus animi, ad coercenda peccata inſurgentis.* Quando enim de aliquibus rebus tractamus philoſophicè, debemus eſſentiam rerum, iuxtà philoſophantium definitiones aſſignare. Nam ſi ad libitum nouas definitiones confingamus, multa ponemus indigna in Deo.

Hæc ſunt fundamenta, quibus S. Bonauentura *in primo ſent. loco cit.* negat in Deo Iram. Eiſdem fundamentis *in 3.d.15.q vlt.* docet, loquendum cautè in aſſerenda in Chriſto Irâ.

22 Eandem doctrinam habet in 1.*d.*10. *quæſt.*5. *ad* 4. negans in Deo Iram. Tum quia eſt vindex læſæ concupiſcentiæ, vt ait Damaſcenus 3. *de fide, capite* 36. at Dei voluntas non ità læditur paſſiuè, vt quod efficaciter volt illi, vel rapiatur, aut impediatur. Tandem, quia ita ſtat in vincendo arduo diſconuenienti: Deo autem nihil eſt arduum vincendum diſconueniens.

Remaneret videndum de Triſtitia, & Timore; ſed res eſt facilis. Nam cùm Deus ſummo fruatur bono per eſſentiam; nihil triſte ei euenire poteſt, vt arguit S. Bonauentura 1.*d.* 45. *quæſtione* 1. *in corpore*, Timor etiam eſt de malo futuro difficile vincendo; at nil mali Deo poteſt euenire. Qua ratione à Deo etiam abeſt Audacia.

QVÆSTIO VI.

An actus voluntatis deliberatæ conueniant Deo.

23 Actvs huiuſmodi ſunt Intentio, Electio, Vſus, Fruitio.

Asseranovm primò, in Deo eſſe Intentionem. Probatur à Suarez *l.3. capite ſeptimo*, Tannero *num.9.* è communi modo loquendi Theologorum, qui Deo tribuunt Electionem, quæ ſupponit Intentionem, ſecumque trahit Vſum, quam rationem habet S. Bonauentura *in* 1. *d.*40. *artic. tertio, quæſtione ſecunda, ad vltim.* Sed de Electione Diuina agemus *diſputat.* 51. Omnis enim eligens agit ex intentione finis, & vtitur mediis.

Assero ſecundò, etiam Fruitionem Deo conuenire.

Probatvr à D.Bonauentura 1.*d.*1. *artic.*2.*quæſt.*2. Quia ipſe eſt ſummum bonum, in quo eſt ſumma quies.

QVÆSTIO VII.

An ſint in Deo actus virtutum.

Qvò ad eam varietatem actuum, quam ſecum fert varietas virtutum. Certum eſt non eſſe in 24
Deo, e virtutibus Theologicis, Fidem, cùm ſit cognitio obſcura rerum Diuinarum, neque Spem. Quia eſt de bono arduo futuro. Quò ad Charitatem, dixi *diſputat.*17.

E Cardinalibus non ſunt propriè illæ, quæ circa paſſiones verſantur immediatè, vt Temperantia, & Fortitudo, Manſuetudo, & ſimiles. Quæ verò in Voluntate ſunt, & circa operationes verſantur, vt ſunt Liberalitas, Magnificentia; aliæque ſimiles, *ſunt in* Deo.

De Iuſtitiâ autem, & Miſericordiâ erit ſpecialis diſputatio. Religio autem, & Obedientia, qua ſuperiorem reſpiciunt, nequeunt eſſe in Deo.

DISPVTATIO XIX.

De Iuſtitia, & miſericordia Dei.

Inter actus voluntatis, qui circa operationes verſantur, inſignes ſunt Iuſtitiæ, & Miſericordiæ actus. Agimus autem de Iuſtitia non vniuerſali, quæ rectificat omnes operationes ad Deum, ad nos, & ad proximum; & conſtituunt iuſtum; quod eſt dicere ſanctum, vt notat S.Bonauentura *l.5. Compend. Theol. cap.*34. *&* 37. Sed de ſpeciali, quæ in æqualitate commutationum, atque diſtributionum ſtat.

QVÆSTIO I.

An inter Deum, & nos intercedat Iuſtitia Commutatiua.

Cvm Iuſtitia in ſeruanda æqualitate dati, & ac- 1
cepti verſetur: Æqualitas verò duplex ſit, altera, quam vocant Arithmeticam, quæ eſt æqualitas vnius rei cum alia, vt 100. aureorum pro Equo: altera, quam nominant Geometricam, quæ eſt, non rei cum re; ſed proportionis inter duas res, cum alia proportione aliarum duarum rerum: vt minimum ſequitur duplicem eſſe Iuſtitiam, altera eſt commutatiua, quæ attendit æqualitatem Arithmeticam inter duas res: altera Diſtributiua, quæ reſpicit æqualitatem inter duas proportiones, quæ dicitur Geometrica. Iuſtitia ergo commutatiua conſiſtit in mutua datione, & acceptione, vt in emptione, & venditione, in qua ſeruatur æqualitas Arithmetica; quia iuxtà valorem rei tantum datur pretij. Diſtributiua verò verſatur in diſtributione bonorum communium Reipublicæ, vt detur de bonis Reipublicæ vnicuique proportionaliter, iuxta merita, & hæc iuſtitia

ſeruas

ſeruat proportionem dignitatis, ſeu meriti vnius ad dignitatem, ſeu meritum alterius, quam Ariſtoteles 5. *Eth. cap.*4. vocat æqualitatem Geometricam; qualis eſt inter numeros iſtos 1.2.4.8. qui numeri, licèt inter ſe non ſint æquales; eſt tamen inter eos æqualis proportio, ideſt, dupla. Primò igitur quæremus: An inter Deum, & nos ſit Iuſtitia Commutatiua. Mox quæſtione ſequenti; An ſit etiam diſtributiua.

2 PRIMA igitur ſententia docet, Dei ad nos eſſe Iuſtitiam commutatiuam in meritorum compenſatione. Huius opinionis anteſignanus eſt Suarez, *tom.*1.3.*p.d.*4. & *in Opuſc.l. de Iuſtitia Dei, & l.*12.*de Gratia, cap.*30. ſequuntur recentiores quamplurimi. Arriaga *p.p. d.*31. *ſec.*2. qui adducit Valentiam *quæſt.*21. *p.*2. Granadum ad eandem quæſt. *tract.*7 *d.*4. qui *ſec.*2. refert Hurtadum 3.*p.d.*52. Tannerum *d.*1. de Incar.*quæſt.*10.*dub.*6. & *p p. d.*2. *quæſt.*10. *dubio* 2. Albertinum 3.*p. loco cit.* Medinam, Aluarez, Raguſam, Romæum, Hoſium, Sotum; & addit Theologos Societatis Ieſu communiter ſtare pro hac ſententia, Maſtrius *loco citando* adducit Valentiam, Zumellum, Bellarminum, Monteſinum, Caſpenſem, Ioannem à S.Thoma, Lezanam. Et è Scotiſtis Poncium, & Bellutum. His addit Tanner. Albertinum *t.*1. *princip.*1. *corol.*18. Lariùs verò diſſerens de hoc *tom.*4.*d.*1.*quæſt.*2. *dub.*6. vbi plurimos allegat, ſic & Fulienſis *l.*1. *cap.*17. Rebell. *de oblig. Iuſt. l.*1.*quæſt.*4.

HANC ſententiam non omnes eodem modo defendunt. Nam aliqui ſuſtinent, eam eſſe rigoroſam Iuſtitiam, ſecundùm omnes conditiones, quæ etiam apud nos ſeruantur. Ita Poncius, Arriaga, & alij nonnulli. Cæteri verò concedunt, non eſſe præditam omnibus conditionibus, quæ apud nos ſunt, ſed iis exutam, veluti imperfectionibus ad eſſentiam non pertinentibus, reperiri in Deo altiori quadam ratione. Ita Suarez, Monteſin. & alij quam plures.

3 SECVNDA ſententia eſt, non dari Iuſtitiam commutatiuam Dei ad homines. Ita Vaſquez *d.*85. qui omnium Scholaſticorum antecedentium ſuam ætatem, eſſe vnanimem conſenſum teſtatur. Pro hac allegat Alexandrum *p.p. quæſt.*39. *m.*1. Scotum 1. *d.*46. *quæſt.*1 *in ſolut. argumentorum*, Richardum *artic.*1. *quæſtione* 1. Durandum *quæſtione* 1. Palud. *quæſt.*1. *artic.*1. Capreolum 1.*d.*45.*quæſtione* 1.*art.*1.*concl.*14. *& art.*3. *ad argumenta*, D.Thomam 1. *cont. Gent. cap.*39. vbi Ferrar. Hoſium in Confeſſ. Polonica, *cap.*73. Ruardum *artic.*11.*§. tertia eſt differentia*, Sotum 3. *de nat. & grat. capite* 7. & 3. *de Iuſt. quæſtione* 5.*artic. vltim ad* 1. Caietanum *p.p. quæſtione* 21. *artic.*1. Ioannem Bunderium *in concertationis compend. tit.*16.*artic.*7. Supplem. Gabrielis 4.*d* 49.*quæſtione* 4.*artic.*3.*dub.*3. D.Bonauentura 4.*d.*46. *artic.*2. *quæſtione* 1. *ad* 2. vbi de omni iuſtitia affirmat, non eſſe in Deo, quo ad debitum. Idem docet Trigoſius *quæſtione* 17. *artic.*1. *d.*1. Seraphicum allegans eodem loco. His adiungit Maſtrius 3. *d.*3. *quæſtione* 5.*num.*153. Turrianum, 2.2 *tract.*2.*d.*5. Arrubalem, Alarconium, Loccam, Coninchium, Amicum, Ouiedum; & è Scotiſtis Hiquæum *in* 4.*d.*46. *quæſt.*1. Gallum 3.*d.*20. *diſputat.*2.*ſec.*1. Smiſing. de Deo vno *tract.*3.*d.*4 *quæſtione* 5. vbi hic author, dicit, in hac Recentes, & Antiquos vnanimes conſpirare. Tandem Nazarius *p.p. quæſtione* 21. *artic.*1. *controuer.*1. adducit D.Thomam ibi, & Thomiſtas Bannem, Zumellum, Peſantium, & alios. Idem ſentit Morand. *de Iuſt. quæſtione* 2. cum Præpoſito *p. p. quæſtione* 21. *artic.*1. *d.*1. Baudunius *quæſtione* 21. *art.*1. & ibi Coriolanus, ac Trigoſ. *q.*17. *art.*1. *d.*1. qui adducunt Sanctos Doctores, Leſſ. *de perf diu. l.*13.*c.*2. Ludouicus Ribas *tr.*5. *d.*16.*c.*2. Lugo *de Incar.d.*3.

MASTRIVS, *num* 155. medius, docet; inter Deum, & nos non eſſe iuſtitiam propriè, vt prima fert opinio, nec eam eſſe meram fidelitatem ex promiſſis; & Iuſtitiam veluti Metaphoricam, vt credunt (ait) authores aliqui ſecundæ ſententiæ, ſed medio modo eſſe Iuſtitiam ſecundùm quid; qualis eſt inter Patrem, & Filium: Dominum, & ſeruum. Hanc ait eſſe germanam Scoti ſententiam 4. *d.*46. *quæſtione prima*, Baſſolij *ibidem*, & aliorum veterum Scotiſtarum, quam ſequitur Vulpes *tom.*2. *p.p. d.*43. *artic. octauo*, & eodem ſenſu, ait Maſtrius locutos Scotiſtas allegatos pro prima, & ſecunda ſententia. Itaque Gallus, & Hiquæus, qui negant veram iuſtitiam commutatiuam inter Deum, & nos, loquuntur de iuſtitia rigoroſè ſumptâ: qui verò concedunt Deum ex iuſtitia commutatiuâ remunerare, loquuntur de Iuſtitia latè ſumptâ, vt Bellutus & alij volentes; non è ſolo fidelitatis motiuo remunerare; & ea Iuſtitia Metaphorica. Ita etiam Lezana *tract. ſeptimo, d.*8. *quæſtione ſeptima*, & alij, præcipuè Auerſa *quæſtione* 114. *ſec.*22. vbi in remuneratione meritorum ſolùm negat; iuſtitiam rigoroſam interuenire, quæ in commutatione verſatur cum tranſlatione dominij; eam verò admittit magis abſtractè ſumptam, pro vt ſignificat remunerationem æquiualentem pro obſequio exhibito faciendam ex promiſſione, & obligatione. Hoc ſenſu locutus eſt etiam D. Bonauentura, vt oſtendam. Neque cæteri ſecundæ ſententiæ authores Metaphoricam iuſtitiam aſtruunt. Præclarè verò hanc mediam ſententiam aſtruit Seraphicus *in* 2.*d* 27.*q.vlt.* 4

FVNDAMENTVM primum è S. Bonauentura, *loco adducto*, & alibi paſſim, & D.T. *p.p quæſt.*20.*art.*1.*ad* 2. Ea, quæ creaturis conueniunt, ita Deo attribuenda, vt ab omni imperfectionis fæce ſegregata ei adſcribantur. Dupliciter autem poteſt aliqua imperfectio eſſe in affectu, vel alia perfectione, quæ ex creaturis in Deum transfertur. Aut enim imperfectio in eſſentia, ſeu ratione formali etiam abſtracta intrinſecè exiſtit; & tunc illa affectio non poteſt Deo attribui propriè. Qua ratione Iram à Deo excluſi *diſp.*18.*q.*5. ſi autem imperfectio ſit extra rationem formalem eius abſtractam; ſanè poteſt Deo attribui. Sic, licèt ſciẽtia dicat eſſe accidens, & eſſe habitu; tamen quia in ſua ratione abſtracta dicit ſolùm cognitionem certam, & euidentem per cauſam propriam; ſiue cauſa cognoſcatur actu præcedente, ſiue non; ideo in Deo admittitur ſcientia. Quæ cum ità omninò ſint: ſi iuſtitiæ ineſt intrinſecè aliqua imperfectio, non poterimus illam in Deum transferre. 5

FVNDAMENTVM ſecundum è S D. *loc. cit.* & infrà adducendis, ex definitione Iuſtitiæ habeatur, ei quid ipſa eſſentialiter ſit, & quæ ſint extra eſſentiam eius. Pluribus autem locis Seraphicus refert definitiones Iuſtitiæ, acceptas à peritiſſimis viris; iuxtà quas nobis incedendum. Nouas enim proprio marte definitiones confingere non licet; ſed de natura rerum iudicandum ad ſententiam peritorum, vt ſæpè admonet Vaſquez cum D. Bonauentura, & cæpi admonere *d.*1.*Proœm.q.*5. & poreſtatur Ribas, *num.*10. 6

DEFINITIONAS varias iuſtitiæ ex antiquis Doctoribus refert paſſim S.D.3 *p.Centil.ſec.*44. Definit eam è Tullio in *Reth.l.*2. de Inuent. *Iuſtitia eſt habitus animi communi vtilitate ſeruata, ſuam vnicuique tribuens dignitatem.* E Macrobio l.1. de ſum.Scip. *Iuſtitia eſt vnicuique ſeruare quod ſuum eſt.* Eandem refert S.Bonau. etiam *lumine* 7. *Æternitatis, d* 5. 7

E D.Aug. *l.*1.*de lib. arb.* c.13. *Iuſtitiam quid dicam eſſe, niſi virtutem, qua ſua cuique tribuuntur?* Et ſuper illud Matth.5. *Beati, qui eſuriunt Iuſtitiam, Iuſtitia eſt ſuum cuique tribuere.*

E Seneca. *Quid eſt iuſtitia, niſi natura tacita conuentio in adiutorium multorum inuenta.* E D. Iſidoro, *Iuſtitia eſt ordo, & æquitas, qua homo cum vnoquoque re benè ordinatur.* Alias definitiones refert Iuſtitiæ latè generalis, provt dicit rectitudinem voluntatis.

Tandem refert definitionem Iuriſtarũ, quæ habetur *Inſtit. de iuſt. & iur.* initio, *Iuſtitia eſt conſtans, & perpetua voluntas ius ſuum vnicuique tribuens.* Quam definitionem acceptant etiam aduerſarij, vt fatetur Arriaga *d. 30. ſec. 1.*

IN Opuſc. declaratorio terminorum Theologiæ ſic eam definit, *Iuſtitia eſt virtus, quâ cuique tribuitur, quod ſuum eſt.* Eaſdem refricat definitiones in *Diæta ſalutis tit. 5. c. 8.* Idem habet in *Compend. Theol. ver. l. 5. c. 37.* In Pharetra *l. 2. c. 42.* Eandem Iuſtitiæ definitionem refert è Bernardo *ſerm. 3. de Adu.* Gloſſa Matt. 5. Tullio ſuprà.

8 Ex his omninò euidens eſt, Iuſtitiam intrinſecè includere imperfectionem debiti, ad æquitatem & æqualitatem ſeruandam, ex intrinſeco rei; non ex promiſſione; aut ex mera benignitate, vt notat S. D. *in 2. loco cit. ad argumenta*, & hac doctrina nituntur omnes authores ſecundæ, & tertiæ ſententiæ. Itaque in Commutatiua intrinſecè includitur æqualitas debita dati cum accepto, ex natura rei. In quo hallucinatur Fulienſis, putans nos ponere næuum in debito ex fidelitate. Neque ſi homini bona donentur à Deo, eorumque capeſcat dominium; his fiet cum Deo commutatio ſtrictè iuſtitiæ commutatiuæ, in quo rurſus decipitur Fulienſis.

9 FVNDAMENTVM tertium ex D. Bonauentura *in 4. d. 46. art. 2. q. 1. ad 1.* & *in 2. loco cit. & ad 17. Lucæ.* Nullum eſſe Dei ad nos proprium debitum: Id autem probat vtrobique ex illis verbis Chriſti 17. Lucæ. *Quis autem veſtrum habens ſeruum arantem, aut paſcentem boues, qui regreſſo ad agro dicat illi: ſtatim tranſi, & recumbe: Et non dicat ei: para quod cænem, & præcinge te, & miniſtra mihi donec manducem, & bibam, & poſt hæc tu manducabis, & bibes? Nunquid gratiam habet ſeruo illi, quia fecit, quæ ei imperauerat? Non puto. Sic & vos, cùm feceritis omnia, quæ præcepta ſunt vobis, dicite: ſerui inutiles ſumus. Quod debuimus facere, fecimus.* Affert verò Interlinearem ibi. *Quid mirum, ſi facit ſeruus, quod debet; cuius eſt laborare, & ſeruire aſſiduè?* Et id Eccleſiaſtici 33. *ſeruum inclinant operationes aſſiduæ.* Vbi notat S. Bonauentura, hæc dici, quia Dominus non tenetur gratias ſeruo agere, non quia eius opera non acceptet, cùm ibi dicatur: *ſi eſt tibi ſeruus fidelis ſit tibi ſicut anima tua; quaſi fratrem, ſic eum tracta; quoniam in ſanguine animæ comparaſti illum.* Sed hæc dici, quia, quod facit ſeruus, magis eſt debitum, quàm donum. Magis iuſtitia mercationis, quàm gratia ſupererogationis. Et hoc magis eſt verum hominis debitum ad Deum, quod probat ex illo Iob 35. *Porrò ſi iuſtè egeris, quid donabis ei, aut quid de manu tua accipiet?* Quem locum affert etiam D. Thomas 1. 2. *q. 114. art. 1. ad* 2. & ait Vaſquez *cap. 4.* optimè ad rem noſtram probare. Confirmatur ex Iob 22. *Quid prodeſt Deo, ſi iuſtus fueris, aut quid ei confers?*

10 CONFIRMATVR à S Bonauent. ex Gloſſa ad hunc locum dicente: *Si homo ab homine ſeruo non vniforme, ſed multiplex miniſterium exigit, nec gratum habet; quantò magis nec vos, qui ſine me nihil poteſtis, non vnius vſum operis, vel laboris exercere debetis, ſed ſemper nouis ſtudiis augere priora. Si enim verum eſt iſtud in homine ſerue alterius hominis, quod ſeruitia eius magis ſunt debita, quàm grata; hoc multo verius eſt in homine ſeruo Dei.*

VVLT dicere, quòd ſi inter homines non eſt iuſtitia Patris ad filium: Domini ad ſeruum, vt docet Ariſtoteles 5. *Eth. cap. 6.* Ergo multò minùs inter Deum, qui eſt ſummus Dominus, & hominem, qui ad Deum ſe habet, vt omninò ſeruus. Quod ſi aliquid iuris concedit ſeruo erga dominum, vt aduerſarij obijciunt; hoc non eſt conſequenter concedendum homini ad Deum. Eſt enim longè altius dominium Dei in nos. Ideò ſi aliquod ius ſeruis inter nos conceditur; hoc eſt, quia non ſunt omninò in omnibus ſubditi, vt notat S. D. *loco cit.* & cum eo Vaſquez, at verò omnia noſtra Dei ſunt. 11
Quod probatur à S. Bonau. *ad 17. Lucæ, ex Iſaia 40. Quis appendit tribus digitis molem terræ, & librauit in pondere montes, & colles in ſtatera. Ecce gentes quaſi ſtilla ſitulæ, & quaſi momentum ſtateræ reputatæ ſunt. Omnes gentes, quaſi non ſint; ſic ſunt coram eo, & quaſi nihilum, & inane reputatæ ſunt ei.* Quo conſtat omnia noſtra, noſque ſimul in ſtatera diuinæ Iuſtitiæ nihil ponderis habere. Idem confirmat ex Iſa. 26. *Omnia opera noſtra in nobis operatus es Domine.* Et 1. Paral. 29. *Tua ſunt omnia; & quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi.* Et Philip. 2. *Deus eſt enim, qui operatur in nobis velle, & perficere pro bona voluntate.*

CONFIRMATVR à S. D. ex 16. Prou. *Vniuerſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus.* Quo fit, vt nullum ius acquiſierit homo. Vnde Apoſtolus 1. Cor. 10. admonet: *ſiue manducatis, ſiue bibitis, &c. omnia in gloria Dei facite*, nempè quia omnia ei debentur.

ADDIT Seraphicus, Ideò nos ſeruos inutiles debere 12
confiteri, quia indigni redempti ſumus pretio magno è ſeruitute diaboli, & ſi adoptiui facti ſumus filij, cùm extranei eſſemus, inimici, perditi; omnia debemus ad vnguem Deo; nec ſatis habemus ad ſoluendum. Id innuit Paulus primæ. Cor. 6. *An neſcitis, quod non eſtis veſtri? Empti enim eſtis pretio magno,* & Petrus 1. c. 1. *Scientes quod non corruptibilibus auro, vel argento redempti eſtis de vana veſtra conuerſatione paternæ traditionis; ſed pretioſo ſanguine, quaſi agni immaculati, Ieſu Chriſti. Animas veſtras caſtificate in obedientia, &c.*

IGITVR ſerui inutiles ſumus, non quia opera noſtra 13
non ſint Deo grata, aut nullam habeant remunerationem; ſed quia nihil in hoc Diuinæ bonitati conferimus. Pſalm. 15. *Dixi Domino Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.* Nihil etiam eſt, quod facimus, ſi comparentur cum his, quæ accipimus, & Deo debemus. Hinc Gloſſa ad hunc locum. *Qui venit miniſtrare, non miniſtrari, debitores nos fecit ſibi, ne noſtris operationibus confidentes, ſed eius examen expaueſcentes, omnibus, quæ præcepta ſunt impletis, nos imperfectos eſſe cognoſcamus.* Ideò dicebat Propheta Pſalm. 115. *Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi?* Item nihil eſt, quod nos ſuſtinemus reſpectu eius, quod expectamus, Rom. 8. *Non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.* Ideò addit S. Bonauentura, illos vigintiquatuor Seniores *Apocal. 4.* proſtratos, Diademata depoſuiſſe ad thronum Dei, ab eo merita, & coronas agnoſcentes. Et *Dan. 9.* dicitur de viris perfectis. *Nobis confuſio faciei, principibus noſtris, qui peccauerunt: tibi autem Domino Deo noſtro miſericordia, & propitiatio.* Ideò ſingulis diebus dicere debemus: *Regi ſæculorum, &c. Soli Deo honor, & gloria,* 1. Tim. 1. hæc S. Bonauentura, quibus noſtra ſententia mirificè ſolidatur.

FVNDAMENTVM quartum ex D. Bonauentura *in 4.* 14
d. 46. artic. ſecundo, quæſtione prima, ad 2. & 3. Si iuſtitia Commutatiua non intercedit inter Deum præmiantem; & hominem emeritum; multò minùs ſtat inter meritum, & præmium. Iuſtitia enim ex Ariſtotelem 5. *Eth. cap. 1. & 2.* conſtituit æquale inter vnum hominem, & alium. Et ità inter rationales ſolùm intercedit.

tercedit, vt patet ex definitionibus Iuſtitiæ, allatis cum D. Bonauentura, quem ſequitur Vaſquez *num.* 16. contra Caietanum, & Bartholomæum Medinam.

Huius rei aſſignat rationem Seraphicus. Quia conditio operantis, quæ reſpicit ipſum, ſecundum naturam, communicatur quidem operi. Sic dicitur creatura bona, à Deo bono: at conditio operantis, quæ reſpicit actum, communicatur operationi; non tamen rei ſic operatæ; tametſi in ratione condignitatis redditæ noſtris meritis, dicatur aliquo modo Deus iuſtus; & redditio iuſta à D. Paulo 2. Tim. vlt. *Repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, quam reddet mihi Dominus iuſtus iudex*; non tamen denominatio tranſit ad coronam. Vnde non dicitur corona *iuſta*; ſed *corona iuſtitiæ*. Quod ſi nomen Iuſtitiæ Commutatiuæ Deo non competit, reſpectu præmij redditi; multò minùs conuenire poteſt ipſi præmio. Hoc ſenſu Franciſcus Romæus *l. de libertate, & neceſſitate operum, veritate* 22. ait: *Noſtris operibus, vt ſunt a Spiritu Sancto, ſecundùm æquitatem iuſtitiæ, præmium vitæ æternæ deberi.* Vbi non dixit ex iuſtitia deberi; ſed ex æquitate iuſtitiæ, ideſt, ex condignitate, quæ tamen ad veram iuſtitiam Commutatiuam non ſufficit, vt notat Vaſquez *num* 8.

15 VBI inſuper aduertit, dari aliquas partes iuſtitiæ ſubiectiuas; aliquas verò poteſtatiuas. Subiectiuæ ſunt, quæ retinent rationem genericam Iuſtitiæ, & ſpecificam commutatiuæ, vel Diſtributiuæ. Poteſtatiuæ autem, quæ aliquam ſimilitudinem ſeruant cum iuſtitia, quia ſunt ad alterum; ſed non ſeruant rationem propriam Iuſtitiæ. Siue quia habent ſolam æqualitatem; & deficit ratio debiti; vel aliqua alia Iuſtitiæ differentia. Talis eſt Religio, quâ Deo vota reddimus. Et hoc ſenſu S. Bonauent. *in Centiloquio, & in Compend. Theol.* recenſet ſpecies Iuſtitiæ.

ASSERO inter Deum, atque homines, non eſſe Iuſtitiam Commutatiuam.

16 PROBATVR primò à D. Bonau. locis adductis, præcipuè *in 4. ſent.* Quod intrinſecè includit in ſua formalitate, ſeu eſſentia imperfectionem, non eſt Deo attribuendum. Talis eſt Iuſtitia cõmutatiua ad nos. Ergo. Maior patet ex primo fundamento. Minor probatur, quia includit debitum, ratione accepti, proprium. Sed Deus ex eo capite non tenetur, neq. eſt debitor nobis. Ergo. Maior probatur è definitionibus Iuſtitiæ, allatis *fundamento ſecundo.* Minor probatur, quia omnia ſunt à Deo, & ſunt Dei, vt oſtendi *fundamento tertio.* Confirmatur ex Patribus, qui negant Deum debitorẽ eſſe. D. Anſel. Proſol. c. 10. *Iuſtus es, non quia reddis debitum; ſed quia facis quod decet te ſummè bonum* S. Auguſt. l. 1. Confeſſ. c. 4. *Reddis debita, nulli debens.* D. Bern. ſerm. 1. de Annunc. *Neque talia ſunt hominũ merita, vt propter ea vita æterna debeatur ex iure; aut Deus iniuriam faceret, niſi eam donaret*; & ſerm. de Quadr. debitum concludit. *Totum ergo quod es, illi debes, a quo totum habes, illi præcipuè Domino, qui & te fecit, &c.* Aliorum Patrum prælongam refert ſeriem Smiſingius.

17 HI autem Patres non ſolùm negant debitum Dei operibus noſtris, ſolo libero arbitrio nixis, vt reſpondet Poncius *d. 6. q. 5. n. 35.* ſed operibus etiã ex gratia profectis, vt conſtat ex allegatis verbis Hinc idem S. Aug. *ſerm. 16.* de verbis Apoſtoli ait: *Reddo quod promiſiſti, quia fecimus quod iuſſiſti*, vbi excludit debitum rigoroſæ Iuſtitiæ ab operibus etiam ex gratia factis. Idem ſentiunt alij Patres apud Smiſing. tametſi non negauerim, aliquando etiam in eo ſenſu loqui de operibus, vt ſunt à nudo libero arbitrio, excludendo debitum præmij.

18 ARRIAGA, Poncius, & alij, qui mordicè, vt dixi, volunt, omnes conditiones Commutatiuæ iuſtitiæ inter Deum, & hominem ſuſtinere; reſpondent argumento; nullam afferre imperfectionem, Deum eſſe debitorem præmij noſtris meritis; ſicuti non dicimus, Deum ſubire aliquam imperfectionis labem, ſi debitor fiat è promiſſo; Imò apud Principes maior nota ſubitur, ſi verbo promiſſionis non ſtent, quàm ſi mercedem debitã negent; & quidem ſunt æquales virtutes, Iuſtitia, & Veritas, ſeu fidelitas: Ergo æqualem inducunt obligationem. Hoc verò debitum è promiſſo, ante exhibitionem operis oneroſi, dicunt eſſe rigoroſæ iuſtitiæ; tametſi promiſſio ſit è liberalitate. Itaque Deus dum promiſit laborantibus in vinea mercedem, tenetur ex rigoroſa iuſtitia. ideò dicit *Matth. 20. Ite & vos in vineam meam, & quod iuſtum fuerit dabo vobis*, vt concedit hoc eodem exemplo Maſtrius *n* 171. dum conatur ſoluere Poncij reſponſum. Quod ſane miror.

HÆC tamen leuia ſunt. Nam obligatio fidelitatis 19 ſolam liberalem promiſſionem, & ſuorum bonorum exhibitionem dicit; vnde magnum quidem dedecus eſt Principibus deeſſe verbo promiſſionis, & à Legibus etiam prouidetur huic culpæ; ſicut aliis aliorum generum criminibus. Imò maius cenſetur, quàm in Commutatiua debitum non ſoluere; at hæc dicit obligationem rei non ſuæ; ſed alienæ, & ideò dedecus magnum affert Deo, qui eſt omnium rerum Dominus, vt aliqua ſint, quæ non ſint eius; ſed ea debeat alij tanquam Domino; ſoluere verò ex fidelitate, eſt immutabilitatem ſuam ſeruare. Quod verò non afferat dedecus hominibus principibus, debitores eſſe alicuius rei, prouenit ex eo, quòd non ſunt vniuerſales domini, vnde multa ſunt aliorum ſub dominio; at Deum non eſſe omnium Dominum, magnum eſt dedecus. Eſt autem in Iuſtitia commutatiua etiam repaſſio, vt docet Ariſt. 5. *Eth. c. 5.* ita vt aliquid ſuum, fiat alterius. Quare ſi præmia ſunt ex iuſtitia commutatiua, nobis debita, iam non ſunt Dei; & Deus ob merita recepta rẽpatitur amiſſionem dominij gloriæ collatæ; & dominium transfertur ad nos. Ideò enim dicitur Iuſtitia commutatiua; quia fit commutatio dominij; vt emens Equum, Verbi gratia 100. aureis, commutat cum venditore dominiũ centum aureorum, propter dominium equi, hoc ad venditorem, illo ad emptorem per commutationem tranſeũte. Nos autem nullius rei dominium valemus Deo conferre, cùm ſit omnium Dominus, nec ipſe alicuius rei dominio ſe priuare, ad nos transferendo; immutabiliter enim Dominus regnabit in æternum, & vltrà in omnia dominabitur.

Arriaga, alijquè dicunt, poſſe Deum ſoluere emeritis 20 debitum gloriæ, retinendo eiuſdem præmij dominium; cùm non implicet dominium duorum in ſolidum. Sicut enim poſſunt eſſe duo debitores in ſolidum; ità & duo creditores, & domini. Quod probatur ſecundò. Nam Principes habent dominium altum in bona ciuium, qui in eadem bona habent dominium, ſeu ius baſſum.

VERVM hæc non ſunt ſolida. Nam loquendo ad rem non poſſunt eſſe duo dominia adæquata eiuſdem rei in ſolidum, vt habetur *l. poſſideri, §. ex contrario, ff de acquirenda, vel admittenda poſſeſſione.* Ratio eſt. Quia vel neuter diſponere poſſet ſine altero; vel quilibet altero inuito. Itaquè ſi Petrus, & Paulus eſſent Romæ domini in ſolidum, & Petrus vellet eam reædificare, & Paulus nollet, iam vtrinque eſſet bellum iuſtum.

QVOD verò dicebant de debitoribus in ſolidum, non eſt ad rem. Nam ſunt debitores totius in ſolidum: diſtinctim, vno deficiẽte; non coniunctim. Quare ſi vnus ſoluit, alter non eſt debitor; at dominium eſſet plurium coniunctim in caſu noſtro. Id verò, quod dicebatur de dominio *alto & baſſo*, multò minùs viget. Nam Principes habent dominium altum ſolùm in caſu neceſſitatis publicæ, quo caſu ciuis non habet ius in illis bonis, publicè debitis neceſſitati præualenti.

21 Ex his etiam ſuit id, quod tertiò opponunt de paupere, qui in extrema neceſſitate rapit panem, vel triticum, quod eſt Pauli, & tunc vterque habet ius in illa bona.

Reſpondetur, eo caſu pauperem non habere ius in panem Pauli, titulo iuſtitiæ; ſed neceſſitatis, quod verè non conſtituit pauperem dominum illius panis; ſed neceſſitas conſtituit panem communem, qui ſit primo occupantis. Vnde ſi Paulus eo caſu panem inopi denegaret, non peccaret contra iuſtitiam, ſed contra charitatem, ſecundùm plurimorum ſententiam. Secundò dico, panem tunc eſſe ſolius pauperis, qui ex iuſtitia, iure habet dominium, vt oſtendam 2.2. *diſputat.* 10. *quæſt.* 6.

Verum Arriaga *d.* 30. *ſec.* 2. Hurtad. *de Incar. d.* 12. *ſec.* 5. Cardin. de Lugo *ibidem d.* 3. *ſec.* 1. & alij Recentiores contendunt, in creatis pro vno inſtanti poſſe eiuſdem rei reperiri dominium in ſolidum, penes duos, licèt non pro tempore ſequenti. Ponunt exemplum in Angelis, qui in inſtanti loquuntur. Deus dicat Michaëli, Dono tibi Romam, & eodem inſtanti loquatur Michaël Gabrieli, Ego tibi dono Romam, tunc eo inſtanti Gabriël ſimul cū Michaële ſunt Romæ domini. Quod patet. Nam Michaël donat. Ergo rem ſuam. Eodem inſtanti Gabriël accipit in donum. Ergo eodem inſtanti ſunt duo domini Romæ in ſolidum. Hinc reſpondet Arriaga Iuriſtis, eos conſideraſſe tranſlationem dominiorum, quæ fit ſucceſſu temporis; non eam, quæ fit in inſtanti.

22 Hæc tamen ſunt magis Metaphyſicè excogitata, ad morale dominium nil conferentia; & ideò a Legis peritis deriſa. At quidem etiam Metaphyſicè ſumpta nil probant. Quamuis enim Deus, donans Michaëli Romam, ſit cum Michaële Dominus, quia donatio Dei, non eſt dominij ſui deſtructiua, attamen dum Michaël per donationem transfert dominium; profectò debet in altero eſſe forma dominij; in altero priuatio, cùm in tranſmutationibus omnibus ita eueniat. Donatio autem ſit tranſmutatio in dominio, quod palpo conſtat, ſi Michaël eo inſtanti velit Romam, quam donat reædificari; & Gabriël velit in inſtanti, quo eſt donatarius, eam deſtrui. Tunc enim erit bellum vtrinque iuſtum? Igitur ſicut in generationibus naturalibus forma genita vno inſtanti introducitur; & alia incompoſſibilis corrumpitur; ita tamen, vt inſtans illud ſit vni extrinſecum, & alteri formæ intrinſecum: ita & in donatione; quæ eſt mutatio acquiſitiua, & deperditiua formæ dominij, inſtans donationis eſt donanti intrinſecum, quia donatio eſt exercitium, & actus talis dominij; nemo enim dat, quod non habet. At donatario extrinſecum eſt, & tunc Gabriël non eſt adhuc Dominus Romæ, & immediatè poſt erit.

23 Aliam ſolutionem adhibet P. Bellotus *d.* 7. *de Incar. quæſt.* 5. *artic.* 1. dicens, in quolibet adæquato dominio duplex reperiri dominium, nempè dominium *rei*, quod eſt facultas vtendi ipſa re; & dominium *iuris* eiuſdem rei, quod eſt poteſtas donandi illam, ſic, Verbi gratia beneficium eſt facultas vtendi redditibus Eccleſiæ, & poteſt dici eius rei: ob poteſtatem autem conferendi beneficium non idcircò dicitur dominus redditibus, niſi remote; niſi ſibi ipſi conferat beneficium. Ita in inſtanti donationis, donator habet dominium iuris, quod exercet in donando; non tamen habet dominium *rei*, quod à ſe abdicat; ſed hoc eſt in donatario, & immediatè ſequitur etiam dominium *iuris*.

Alias reſponſiones alij adhibent huic argumento, adeò à Recentioribus exagerato, quas vide in Maſtrio *num.* 178.

24 Probatur ſecundò è D. Bonaueotura *l.* 5. *Compend. Theol. c.* 34. etiam ex omnibus ſuprà allatis doctrinis.

Obiectum formale, quod communiter aſſignatur à Philoſophis, ac Theologis Virtuti Iuſtitiæ Commutatiuæ, quæ ab aliis omnibus virtutibus differt, vt æqualitas dati, & accepti. Sed inter Deum, & creaturam aliquam non poteſt eſſe æqualitas dati, & accepti: Ergo. Hac ratione vtuntur D.T. *quæſt.* 21. *art.* 1. Decanus Louanij, & Hoſius. Maior probatur à D. Bonauentura *l.* 5. *Compend. cap.* 37. & *ad* 17. *Lucæ*, & D.T. *art.* 3. ex vnanimi Sapientum conſenſu.

Est autem Ariſtotelis 5. *Eth. cap.* 2. vbi diſtinguit 25
virtutem ſpecialem Iuſtitiæ, à iuſtitia generali, quam dicit reperiri in omni virtute. Quia ſpecialis verſatur circa tria tantùm bona. Pecuniam, Honorem, & ſalutem. Et in his æqualitatem conſtituit, omniſque in his rebus inæqualitas, ſpecialis iniuſtitia eſt, & niſi hoc pacto diſtinguamus Iuſtitiam ſpecialem; ſequitur, in omni virtute eſſe iuſtitiam ſpecialem; vel iuſtitiam eſſe ſolùm generalem virtutem, quoniam omnis virtus ſeruat in ſua operatione æqualitatem cum ſuâ regulâ. Ergo cùm ſit ſpecialis virtus, ſpecialē iuſtitiam conſtituit. Deinde Ariſtoteles 5. *Eth. cap.* 4. aſſignans iuſtum 26
commutatiuum, dicit, eſſe in emendandis commerciis, ſiue ſponte factis, vt in contractibus; ſiue, quæ fiunt hominibus inuitis, vt in rapina, furto, &c. Et *cap.* 5. In omni commutatione, quam dicit eſſe materiam, & obiectum iuſtitiæ proprium, docet, eſſe repaſſionem. Nam, qui aliquid ab alio accepit, retribuendo pecuniam, tantundem à ſe abdicando patitur; ſicut ille, à quo rem, putà equum accipit. Nec vllus adhuc antiquus Theologus, aut Philoſophus aliter obiectum Iuſtitiæ Commutatiuæ aſſignauit, vt notat Ribas. Minor eſt D.T. 1.2. *quæſt.* 114. *artic.* 1. *ad* 2. & in hoc articulo, Driedonis *de captiui: & redempt. generis, hu-* 27
mani, cap. 2. *p.* 3. *art.* Probatur autem à D.T. *loco cit.* Decano, Hoſio, ac Vaſquez, ex illo Rom. 11. *Quis prior dedit illi, & retribuetur? Quoniam ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia.* Obſeruat autem S. Bonauentura *in* 1. *d.* 36. *dub.* 4. rationem Apoſtoli, nempè omnia eſſe ex Deo, tanquam è primo principio immoto: omnia per Deum, tanquam principium ſufficientiſſimum, & tanquam in fine perfectiſſimo, omnia in ipſo; ità vt neque aliquid primò accipiat, neque accipere queat, vt ſit debitor.

Probatur verò à D. Bonauentura *in* 2. *d.* 27. *ar-* 28
tic. 2. *quæſt.* 3. in argumentis oppoſitis, additis reſponſis ex illo Rom. 5. *Gratia Dei vita æterna*, vbi non vult negare merita noſtra ad vitam æternam; ſed oſtendere, nos de noſtro non dare æquale gloriæ. Et ideò Rom. 8. *Non ſunt condigna paſſiones huius temporis ad futuram gloriam, &c.* Et confirmat ex illo *Lucæ* 17. ſuprà allata de ſeruo, qui, cùm fecerit omnia, adhuc nil è iuſtitia à Deo poteſt exigere. Vnde infert, non eſſe inter Deum, & nos rationem æqualis dati, & accepti ex natura rei debiti; ſed ex mera benignitate, qua voluit promittere ſeipſum diligentibus ſe. Neque me- 29
ritum condigni ponit obligationem in eo retribuente; ſed ponit ſufficientem ordinationem eius, qui remuneratur ad ipſam remunerationem, mediante aliqua laudabili operatione. Vnde concludit, Deum in rigore non eſſe obligatum ex iuſtitia, penſatâ propriâ vtilitate, quæ in commutatione interuenit, cùm non ſit commutatio, quoties non datur, & accipitur aliquod vtile, vt notat Vaſquez *num.* 19. ſed obligari ſolùm ex benignitate, penſatâ ſeruientis fidelitate. Vnde infert S. Bonauentura, magis mereri apud Deum, qui ſeruit ex amore filiali, & liberali, nempè, vt placeat Deo, quàm qui ſeruit ex amore mercenario, ob retributionem.

Hinc apparet, Seraphicum concedere aliqualem 30
iuſtitiam in dato præmio, pro accepto merito. Sic

Paulus

Paulus 2. *Tim. vlt.* coronam vocat Iuſtitiæ, & Pſal.17. ait Rex: *Retribuet mihi Dominus ſecundum iuſtitiam meam*; vt oſtendit S.Bonau. *loc. cit. Compend. cap.*37. Ideò & Rom.4. *Merces imputatur ei, qui operatur non ſecundùm gratiam; ſed ſecundùm debitum.* Et 1. Cor.3. *Vnuſquiſque mercedem accipiet ſecundùm ſuum laborem.* Et Heb.6. *Non enim iniuſtus Dominus, vt obliuiſcatur noſtri operis*; ſed addimus, non adeſſe conditiones omnes Iuſtitiæ commutatiuæ, vt diximus, & infrà dicemus.

31 Ex hac Seraphica doctrina corruunt, quæcunque opponuntur.

Non negauerim tamen cum Vaſquez *num.*20. aliquam Deo vtilitatem ex operibus noſtris obuenire. Si vtilitatem ex actionibus moralibus eleuemus; ſunt enim opera noſtra ad Dei gloriam; vt ait Apoſtolus 2. Tim.2. *Si quis emundauerit ſe ab his, erit vas in honorem ſanctificatum, & vtile Domino.* Quamuis enim intrinſecè nihil Dei augeant; augetur tamen extrinſecè, & hoc eſt pretio æſtimabile, vt benè concedo Arriagæ d.31. *ſect.*5. Valentiæ *quæſt.*21. *p.*1. ſicuti 1.2. *tract.*3. *qui de Peccato, diſp.*1. *quæſt.*3. *&* 4. probabo contra Vaſquez, peccatum ex oppoſito, honori, & gloriæ Deo debitæ detrahere. *Oppoſitorum autem eadem eſt ratio*; Non tamen ob id ſequitur, actum meritorium eſſe infiniti meriti; ſicuti offenſa eſt infinita; nam offenſa ſumitur relatiuè à dignitate perſonæ offenſæ, at meritum è dignitate operantis; & cùm operans bonum, ſit creatura, meretur finitè. Prætérquam quod meritum è finito principio gratiæ venit præcisè; offenſus autem eſt Deus infinitus.

32 Qvod verò opponit Arriaga noſtro argumento, repaſſionem in iuſtitia commutatiua eſſe per accidens; falſum eſt, vt conſtat ex ipſo commutatiuæ nomine. Quod verò addit; in donationibus non eſſe repaſſionem donatarij; non eſt ad rem. Nam donationes non ſunt è natura rei debitæ ex iuſtitia, ſed ex fidelitate; tametſi leges obligent, & dent ius etiam in hæredes, vt infrà oſtendam *in tertio argumento.* Leges enim alia quoque ordinant, quæ è natura ſua non ſunt obiectum iuſtitiæ, vt non ludere tali tempore. Fruſtrà verò adducuntur humanis legibus inſtituta, vt illis includatur Deus, qui eſt ſupra omnes leges humanas. Quod addunt de dominio duorum in ſolido, iam ſuprà reiectum eſt.

33 De · toqve libet obſeruare circa materiam, ſeu obiectum Iuſtitiæ commutatiuæ ſuprà allatum, quod eſt commerciorum, ſeu contractuum commutatio; Ouiedum, tametſi pro ſententia Vaſquez acerrimè pugnet; tamen ſimul cum Maſtrio *num.*198. eam rationem ſpernere. Quia, licèt commutatiua ordinaria inter homines ſit circa materialia; tamen etiam circa ſpiritualia eſſe poſſet; ſicuti circà illa eſt dominium proprietatis. Vnde poteſt quis obligari ex iuſtitia ad orandum, ad faciendum ſacramentum pro alio; & non ſolùm laborem impendere corporalem in celebrando; ſed etiam applicationem ſacrificij, quæ eſt purè ſpiritualis, poſſe ex iuſtitia eſſe debitam, ſi ex contractu duo Sacerdotes permutatim ſtatis diebus paſciſcerentur, alterum pro altero Miſſam applicare. Quod etiam vrget Bellutos *quæſt.*5. *art.*1. Itaque inferunt, commutatiuam non excludi à Deo, ob illam rationem, quia deſit illi obiectum ab Ariſtotele aſſignatum, nempè commercia, & contractus materiales.

Vervm nuſquam Ariſtoteles dixit, contractus reſtringi ad corporalia. Ille verò, quo duo Sacerdotes paſciſcuntur de applicatione Miſſæ mutuâ, nonne eſt contractus? Cætera verò ſuprà allata, ſunt quoque materialia, puta labor in orando, &c. Quare noſtra hæc ratio ex eo capite non infirmatur.

Hinc D.Bernardus *ſerm.* de quadruplici debito: 34
Ecce in ianuis eſt, qui fecit cælum, & terram, & Creator tuus eſt. Tu creatura. Tu ſeruus: ille Dominus. Ille figulus: tu figmentum. Totum ergo quod es, illi debes, à quo totum habes, illi præcipuè Domino, qui & te fecit, & benefecit tibi, qui tibi miniſtrat ſyderum curſus, aëris temperiem, fœcunditatem terræ; fructuum vbertatem. Huic reuera totis medullis, totis viribus ſeruiendum, ne fortè indignationis oculo te reſpiciat, & deſpiciat, & conterat in æternum. Deinde alludens ad id 1. Cor.6. *Empti enim eſtis pretio magno, glorificate, & portate Deum in cordibus veſtris*, ait: *Primò Chriſto Ieſu debes omnem vitam tuam, quia ipſe vitam ſuam poſuit pro tua, & cruciatus amoris ſuſtinuit, ne tu perpetuos ſuſtineres.* Et tandem hoc Epiphonemate claudit. *Cùm ergo ei donauerim quidquid ſum, quidquid poſſum; nonne iſtud eſt, ſicut ſtella ad Solem: gutta ad fluuium: lapis ad montem: granum ad aceruum?*

Confirmatur à Cornelio à Lapide ad illud. *Serui inutiles ſumus.* Vbi Græcus χρεῖοι infirmi, inepti, inhabiles, nullius bonæ frugis. Et è D.Cyrillo in Catena ad eum locum, vbi ait. *Sic & Deus petit quidem à nobis famulatum iure ſeruitij; verum quia clemens, & bonus eſt, honores laborantibus pollicetur, & ſupereminet ſudoribus ſubiectorum beneuolentia magnitudo. Vincit namque bonitas eius, quod iuſtum, & æquum eſt.* 35

Probatvr tertiò à D.Bonau. *ad* 1. *Lucæ*, & alibi, vt in *fundamentis.* Inter ſeruum, & Dominum non intercedit vera iuſtitia, cùm ſeruus ſit Domini pars, ex Ariſtotele 5. *Eth. cap.*6. Eodem modo filius non mancipatus, eſt pars patris; nihil autem ad ſe, vel ad ſua iuſtitiam ſeruat; ſed ad alterum; at creatura rationalis ſe habet ad Deum, vt ſeruus ad Dominum; vt filius ad patrem, vt oſtendi ex Patribus: Ergo. Minor probatur *ex* 3. *fundamento.* Confirmatur. Nam Deus eſt Dominus vniuerſorum, nec poteſt à ſe dominium abdicare alicuius rei; & gratia, qua merita noſtra mercamur, eſt à Deo gratis. Imò & opera ex præcepto, Deus exigit tanquam ſibi debita, præcipiens Legis obſeruantiam ſub reatu æternæ damnationis. Atque adeò opera illa non ſunt ſub dominio noſtro. 36

Nec valet reſponſio Arriagæ *ſect.*4. *ſubſect.*3. ea 37
opera eſſe in noſtra libertate, quatenus non in omni inſtanti ſunt præcepta. Et ideò ſemper fit liberè, vt actus amoris Dei.

Contra primò eſt D. Ambroſius ad 17. Lucæ: *Sicut tu non ſolum dices ſeruo tuo recumbe; ſed exigis ab eo aliud miniſterium, & gratias non agis; ita nec in te patitur dominus vnius vſum eſſe operis, aut laboris, quia dum viuimus, debemus ſemper operari. Ergo agnoſce, te eſſe ſeruum, plurimis obſequiis deſeruientem. Non te præferas. Quia filius Dei diceris; agnoſcenda gratia; ſed ignoranda natura; neque te iactes, ſi benè ſeruis; ſi quod facere debuiſti. Obſequitur Sol. Obtemperat Luna: ſeruiunt Angeli.*

Contra ſecundò. Quia ipſi volunt mereri de con- 38
digno in eo inſtanti, quo præceptum exequuntur. Itaque tandem Arriaga ſuccumbit concedens, ea opera non eſſe de condigno meritoria ex iuſtitiæ rigore. Ex quo ſequetur, neque mortem Chriſti eſſe talem. Quia Chriſtus ex obedientia mortuus eſt. *Philip.*2. ex Arriaga, qui addit, poſſe Dominum, ſe reddere ſeruo ſuo debitorem, ob aliquod opus iniunctum, v.g. dicendo. Si opus hoc promptè feceris, ſoluam tibi talentum auri. Sed de hoc 3. *p. tract.*1. *d.*3. *q.*9. *&* d.22. *quæſt.*3.

Verùm hæc obligatio ex fidelitate oritur; non ex iuſtitia; ideò non eſt ad rem, vt dixi.

39 At ſi ità incedit, iam ſub ea ratione non eſt ſeruus; vnde multò minùs exemplum eſt ad rem; at Deus non poteſt ſe dominio rei alicuius priuare. Ideò enim iure Cæſareo, filius habet dominium aliquorum bonorum, V. g. Caſtrenſium, & quaſi Caſtrenſium, vt habetur *l. cum patet. C. de bonis, quæ liberis.* Et *Inſtit. Per quas perſonas, cuique. §. Igitur liberi.* Imò inter ſeruum, & Dominum iure Cæſareo eſt hoc ius. Poteſt enim ſeruus mercedem petere, vt concedo aduerſariis; hoc autem euenit, quia non eſt per omnia ſubiectus. In nobis autem, reſpectu Dei, non poteſt eſſe penitus aliquod dominium, cùm in omnibus ſubiecti ſimus, & ità, quæ acquirimus ſunt peculium Dei gratis conſtituentis habiles ad merendum. Quare non poſſumus Deum nobis ex iuſtitia debitorem inclamare. Eſto enim vtamur libero arbitrio; hoc tamen nobis à Deo datum eſt, & valor meriti eſt à gratia Dei; imò ſine Deo in nihilum redigeremur. Itaque obligatio rigoroſa eſt tantùm fidelitatis; & latè ex iuſtitia.

40 Dices. Etiam obligatio ex fidelitate tranſit ad hæredes, ſecundùm iura; & ideò datur actio contra hæredes eius, qui promiſit; ac proinde eſt debitum iuſtitiæ.

Respondetvr, hanc contra hæredes actionem eſſe ſolo humano iure conſtitutam; nam iure naturæ, qui promittit, ex ſolâ fidelitate tenetur. Addit verò lex, hanc obligationem ad aliqua mala remouenda. Ideò non ſunt ad rem illa exempla, quæ ſolâ humanâ lege fundata ſunt.

41 Aliqui reſpondent argumento, conditiones has requiri inter homines; non autem inter nos, & Deum. Quia dicunt imperfectionem.

Contra tamen arguit ipſe Arriaga *ſect.4. ſubſect.1.* è noſtro primo fundamento, & ſecundo. Ea enim, quæ intrinſecam dicunt imperfectionem, nequeunt Deo conuenire formaliter. Talis eſt commutatiua, quæ has conditiones exigit, vt res datæ ſint ſub dominio dantis per commutationem.

Reſpondent alij, opera noſtra, vt vitalia, & libera, eſſe in noſtra poteſtate, & dominio; non autem Dei. Idem ferè indicant reſpondentes, opera noſtra *in fieri*, eſſe ſub dominio noſtro, licèt non *in facto* eſſe.

Contra. Tum quia libertas noſtra non adimit dominium Dei. Tum quia nihil operatur abſque diuina motione. Tum quia ad iuſtitiam ſufficit, ſi illa actio, tametſi ex genere libera, iuſtè exigatur, & eas etiam *in fieri* exigit Deus, & adiuuat.

42 Reſpondent alij, in ſolutione pro bonis realibus requiri, vt pretium non fuerit ſub dominio creditoris, non tamen id requiri in ſatisfactione, aut merito per obſequia: ad hanc enim ſolùm attenditur, vt tantum honoris exhibeatur, offenſo, quanta fuit iniuria, ſiue in illum transferatur dominium; ſiue non. Ita Suarez *d.4. ſect.6 §. Ad priorem partem.* Hoc autem, *§. ſequenti*, extendit ad meritum, quod dicit poſſe reperiri, etiamſi nihil ponatur ſub dominio præmiantis, ſed ſolùm ipſi offeratur obſequium.

Contra. Quia non ſoluitur difficultas. Nam ſi tantum, taleque obſequium debeatur, titulo ſeruitutis, à ſeruo Regis, & poſteà ille ſeruus offendat Regem tali offenſâ, quæ tantundem obſequij ex ſatisfactione exigat, nemo ſanæ mentis dicet, ſeruum, illo primo obſequio, debito e ſeruitute, ſatis etiam facturum pro compenſandâ iniuria, ex rigore iuſtitiæ. Ratio eſt, quia noua iniuria dat Regi nouum ius ad obſequium, non anteà ſibi debitum.

Reſpondet ergo Arriaga, nos eſſe dominos noſtrarum actionum, nam illis poſſumus mereri, & ſatiſfacere aliis hominibus. Quod ſi illa opera non eſſent ſub noſtro dominio, non poſſemus alij homini ſatisfacere per ea opera, ſicut Petrus ſeruus, qui debet opera ſua domino, V. g. Paulo, non poteſt mereri per illa ab Andrea; alioqui, ſi labores impendat Andreæ, tenebitur ad reſtitutionem Paulo domino. 43

Enim verò laborat in æquiuoco. Nam alio dominio potitur homo in ſuis operibus, ex Diuina permiſſione in ordine ad ſe alendum; non verò loquendo abſolutè. Ideò non poteſt per ea opera meritum morale ab homine prætendere; hoc enim dominium è gratia procedens non modo eſt Dei; ſed etiam non eſt hominis, qui gratiam gratis à Deo accipit, vt valeat mereri.

Reſpondet ſecundò, etiamſi Deus titulo creationis, & alio quoque habeat ius ad noſtra opera exigenda, tamen ſi his titulis cedat, volens nos rogare, vt ea ſibi exhibeamus, poſſe nos per ea opera ſatisfacere, & mereri, quod etiam in humanis conſtat. Nam ſi Dominus concedat ſeruo, vt, ſi libet, vno anno otietur, poteſt ſponte laborando in Domini vinea ſatisfacere ipſi Domino, pro debito annui laboris, anteà contracto, vel etiam in aliena vinea laborando, & acceptam mercedem ſoluendo ſuo Domino, pro debito labore vnius anni. 44

Hæc tamen ſupponunt, Deum non exigere a nobis opera noſtra, cùm ea præceperit, & cùm poſſimus abſque gratia eius, quæ nunquam eſt noſtra, operari. Ad conſilia autem implenda manet adhuc obligatio. Quia Deus dat nobis gratiam, quæ omninò eſt neceſſaria, vt eâ vtamur ad bona opera, neque vnquam inuenies, Deum cedere iuri iſti, cùm neque poſſit cedere.

Aſſero ſecundò, Deum remunerare merita non è ſolo fidelitatis motiuo. 45

Probatvr primò Scripturis à D. Bonau. *l. 5 Compend. Theol. cap.37.* Secunda Tim.4. *Repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iuſtus iudex.*

Obſeruat autem Seraphicus in Diæta *tit.5. cap.8.* Coronam gloriæ, quæ redditur meritis, tametſi multis aliis præfulgeat gemmis; tamen ab hac denominari, virtute Iuſtitiæ, quippè quæ viciniùs exprimat rationem remunerationis Dei, pro meritis noſtris.

Idem probat S. D. *loc. cit. Compend.* & Pſal.17. *Reddet mihi Dominus ſecundùm iuſtitiam meam.*

Deinde probat S. D. id opuſc. *de ſex alis Seraphim, cap 5.* in calce ex 1. Cor.3. *Vnuſquiſque mercedem propriam accipiet ſecundùm ſuum laborem.* vbi obſeruat, labori proportionatam dari à Deo mercedem. Id confirmat S. Bonau. *in 4. d.46. art.2. quæſt.1.* è Pſal.61. *Reddet vnicuique ſecundùm opera eius.* Et obſeruat ſumpſiſſe menſuram præmij, non è promiſſione, nec aliundè, quàm ex operum quantitate, quod eſt iuſtitiæ quoad compenſationem æqualem, tametſi ad rigoroſam iuſtitiam deſint aliæ conditiones.

Neqve ſatisfaciunt dicentes, hanc vocari coronam iuſtitiæ mercedem debitam è promiſſo Dei; non enim loquendi congruitatem aliquam ſecum fert. Nam etiam contrito Deus promiſit gratiam. Pſal.50. *Cor contritum, & humiliatum Deus non deſpicies.* Et Zach.1. *Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos;* & tamen non vocatur merces, vel iuſta retributio. Sicuti vocatur corona, quæ iuſtis imponitur. Ergo aliquod ſtrictius obligationis eius intercedit, vt acutè arguunt Maſtrius *num.153. & ſequenti*, & Belluus 46

d.7.

d.7. quæſt.5. art.3. ſic dando gratiam contrito, dicitur fidelis; & conferendo gloriam, dicitur à Paulo iuſtus iudex. Eodem argumento vtitur Caſpenſis *tract. de Gratia, d.6. ſect.6.* qui conatur inde inferre rigoroſam commutatiuam: ſed fruſtrà. Nam non omne *magis* mutat ſpeciem, & in aliam transfert.

47 Hoc idem indicat S.Bonau. *4. d.17. p.1. dub.4.* vbi hanc differentiam aduertens dicit, Iuſtificationem per gratiam non eſſe ex merito, ſicut gloria, & illam dici iuſtificationem à iuſtitia generali; non à iuſtitia Cardinali; meritum verò ſtrictiori iuſtitiæ relinquit, tametſi non formaliter Cardinali, ob imperfectiones, quas diſcutit *d.46. & alibi.* Idem exprimit S.D. *in 1. d.41. quæſt.1.* dum Prædeſtinationem conſiderat, quæ eſt præparatio gratiæ, & gloriæ, ex D.Aug. vt dixit *d.40.* ac proinde promiſſa eſt electis gratia, & gloria; ſed differenter, etenim gratia non dicitur emerita, merces, &c. ſed gloria ex meritis eſt volita: Ergo datur alia obligatione arctiori, quàm fidelitatis, quæ contrahi valet, etiamſi nulla res, vel ſaltem leuis fuiſſet accepta.

Idem colligitur è S.D. *3. d.11. quæſt.1.* vbi conſiderans illud Rom. 8. *Quos prædeſtinauit conformes fieri imagini filij ſui; quos autem prædeſtinauit, hos & vocauit; quos vocauit, hos & iuſtificauit; quos autem iuſtificauit, hos & glorificauit,* perpendit, nos conformes fieri Filio Dei in iuſtificatione, quæ eſt gratia; & in gloria, ſed hanc, non gratiam, ſed præmium meritorum, vocari.

48 Et *in 4. d.17. dub. cit.* vbi obſeruat Iuſtificationem non poſſe haberi per meritum condigni, quo acquiritur gloria; ſed ſolùm congrui, ac proinde iuſtificationem longiùs diſtare à iuſtitia Cardinali, quam meritum, quod obtinet gloriam. Ex quo ſequitur gloriam pluſquam è fidelitate obtineri; quod cogitur fateri Ouiedo *tract.9. controu.8. p.11.*

E quibus corruunt, qui mercedem gloriæ ſoli fidelitati adſcribunt, vt Smiſing *num.70* vbi id inuitus fatetur, quod dixit Seraphicus, nempe in merito condigno inueniri quoddam contrapaſſum, & rationem dati; & accepti; ac quandam meriti condignitatem, quæ non reperitur in merito congrui. Verùm enim verò, fatendum eſt, fidelitatem declinare à proprio obiecto iuſtitiæ commutatiuæ, quia in eo non reperitur contrapaſſum; nec debitum ſimpliciter, neque æqualitas abſolutè, vt ſuprà diximus.

Ex his facilè corruent argumenta primæ ſententiæ, & quæ ſunt pro doctoribus illis ſecundæ, qui ſolam fidelitatem Dei in præmiis agnoſcunt.

49 Obiicies primò cum prima ſententia Scripturas. *Secunda Tim. vlt. Matth.20. Heb 6.* Tridentinum quoque Concil. *ſeſſ.6. cap 6* ac plurimos Patres apud Suarez *Relect. de libert. Diuina, d.1. ſect.2.* quæ teſtimonia exprimunt, Dei iuſtitiam propriam in remunerandis meritis. Neque verò obſtare videtur aliqua Imperfectio, ne propriè dicantur de Deo. Nam ſeruare ius ſuum ex obligatione operis oneroſi impoſiti, eſt honeſtum, & hoc ex libera voluntate ſubire, nullum Deo imperfectionis næuum inurit. Neque maculat Deum, amittere dominium alicuius creaturæ. Quia dum creatura deſtruitur, Deus amittit eius dominium abſque labe.

50 Respondeo ſatis oſtenſum, quo ſenſu loquantur Scripturæ, & Patres; nempè non de iure ſtricto, ſecundùm formalitatem Iuſtitiæ commutatiuæ, quæ næuis ſcatet ſuprà oſtenſis. Et gratias ago obiicientibus Sacrum Concilium, quod meam ſententiam aſtruit ea *ſeſſ.6. cap.16.* illis verbis: *Bene operantibus vſque in finem, & in Deo ſperantibus proponenda eſt vita æterna, & tanquam gratia filiis Dei per Chriſtum Ieſum miſericorditer promiſſa; & tanquam merces ex ipſius Dei promiſſione bonis ipſorum operibus, & meritis fideliter reddenda.* Obſecro ruminentur verba, & noſtram declarare ſententiam conſitebimur. Aio igitur, pluribus titulis dari vitam æternam. Primò: *Tanquam gratiam filiis*, id eſt hæreditatem filiis ex gratia per adoptionem, quippe non è noſtro iure, vel noſtro pretio, ſed adoptione datâ nobis gratiæ filiatione, per Chriſtum elargitâ, vt facti filij per gratiam mereremur. Secundò: *titulo mercedis*, quæ non exigit ſtricto iure, ſed ſicut titulus primus eſt hæreditas: *miſericorditer repromiſſa*; ita & ſecundus titulus non eſt ſtrictæ commutatiuæ, ſed: *Tanquam merces ex ipſius Dei promiſſione*; addita. Et ſicut primus titulus eſt filij in Patrem, ità ſecundus eſt ſerui operarij in Dominum, inter quos non eſt propriè commutatiua. Et ſicut prior in Chriſti Patris gratia fundat hæreditatem; ita hic in eadem gratia fundat meritoriè operari. Et vt intelligas, non eſſe iuſtitiæ ſtrictæ redditionem, concludit: *Fideliter reddendam meritis, & operibus*, quippè, cum reddatur operibus Deo debitis, reddatur meritis è gratia cumulatis, magis dabitur ex virtute fidelitatis: *Fideliter*, quam debiti commutatiuæ. Hæc ad ò ſi enti, & obuio ſenſu noſtram ſententiam tradunt, vt ſæpè, ac ſæpius miratus ſim, aduerſos hæc auſos opponere. Quod verò muſſitant, non maculari Diuinum ius ex promiſſione tranſlatum in alios; eſto & amiſſum; cùm & in rerum deſtructione, Deus, abſque præiudicio earum, amittat dominium; eſt leue momentum in ſtatera. Iam enim oſtendi, debitum iuſtitiæ inducere ſummo Domino maculam, qui rerum, quæ non ſunt, non amittit ius, cùm valeat eas reproducere. Læditur verò, ſi alicuius rei exiſtentis non ſit Dominus Deus.

Obiicies cum ſecunda ſententia. Creatura nullum in Deum ius habet, vt clamant Patres apud Smiſing, eſt enim abſolutus omnium Dominus.

Dico, ius aliquod latum Diuina promiſſione In noſtris operibus, admitti à Scriptura, & Patribus, vt oſtendi, non autem ſtrictum debitum.

Remitto & iſtos ad Sacrum Concilium,

QVÆSTIO II.

An ſit in Deo Iuſtitia diſtributiua.

IAm dixi initio quæſtionis primæ, Iuſtitiam commutatiuam ſeruare æqualitam Arithmeticam rei 51
ad rem, vt tantum detur, quantum accipitur: Diſtributiuam verò ſeruare æqualitatem, non Arithmeticam tanti pro tanto; ſed proportionis, quæ dicitur Geometrica, nempè proportionis rerum ad perſonas; vt quantum vna perſona in meritis, aliis præcellit; tantò res, quæ ei diſtribuitur, præcellat rei datæ aliis. Ità Ariſtoteles *5. Eth. cap.3.*

Svnt multi præclari Theologi Iuſtitiam diſtributiuam Deo attribuentes. Ita D.Th. *p.1. quæſt.21. art.1.* & *1. cont. G. cap.93.* quem ſequuntur Thomiſtæ antiqui, & moderni. Capreol. *1. d.45. quæſt.1. art.1. concl.14.* & *art.3. ad argumenta* contra eandem concluſionem. Ferrar. *1. cont. G. cap 93.* Caietanus *p.1. quæſt.21. art.1.* & *2.2. quæſt 61. art 4* Sotus *l. 3. de Iuſt. & iure quæſt. vlt. art.5 ad 1.* Nazarius *quæſt. 21, art.1. controu. vnica.* Idem ſentit Scotus *4. d.46. q.1.* quem ſequuntur Scotiſtæ communiter apud Vulpem *d.43. art.9.* Maſtrium *in 3. d.2. quæſt 5. art.6. num.220.* ſubſcribentes. Conſentiunt Richardus *4. d.46. art.1. quæſt.5.*

*quæſt.*1. Valentia *tom.*1. *d.*1. *quæſt.* 22. *p.*1. Hurtad. *d.*12. *à* §. 228. Hoſius in Confeſſ. Polonicâ, *cap.*73. Suarez *opuſc. vlt.* Arriaga *d.*31. *ſect.*7. vbi alios adducit. Caſpenſis *tract. de Gratia, d.*6. *ſect.*6. Ruiz *d.*58. vbi innumeros ſecum recenſet, præcipuè D. Thomam, quos tamen pro nobis ſtare probat Smiſing. infrà citandus *num.*45.

52 Secvnda tamen ſententia negat Deo Iuſtitiam diſtributiuam. Ita D. Bonau. *in* 4. *d.*46. *art.*2. *quæſt.*1. & *in* 2. *d.*27. *quæſt. vlt.* Durand. 4. *d.*46. *quæſt.*1. & *in* 2. *d.*27. *quæſt.*2. Palud. 4. *d.*46. *quæſt.*2. *art.*1. Gabriel *in ſupplem.*4. *d.*49. *art.*3. *dub.*3. Idem videtur ſentire Alenſis *p.*1. *quæſt* 39. *m.*1. & D. Thom. 1.2. *quæſt.*114. *art.*1. & 2.2. *quæſt.*61. *art.*2. quem ſequuntur Zumellus, & Ripa, Vaſquez *p.*1. *d.* 82. & *p.*2. *d.*223. Alarconius *tract.*3. *de Voluntate*, *d.*8. *cap.*11. Coninch. *l.*1. *de Virtutibus*, *d.*8. *dub.*5. Trigoſ. noſter *quæſt.*17. *art.*1. *dubio* 1. *concl.*2. vbi aſſerit, eſſe D. Bonauenturæ ſententiam, quia negat debitum Dei ad creaturas, quod etiam in Diſtributiua continetur. E Scotiſtis ſequitur Smiſing. *d.*6. *quæſt.*5. *à num.*72. cum Scoto 4. *d.*46. *quæſt.*1. §. *Non improbando.* Idem ſentit Morandus *Apend. de Iuſtitia Dei, quæſt.*2. Præpoſit. *loc. cit. ſupra, quæſt.*1. *dub.*1. Subſcribunt Corjolanus & Baudunius, citati *quæſt.*1. ex D. Bonau. Ribas *cap.*4. adducens Seraphicum, & alios.

53 Fvndamentvm primum, è D. Bonau. *locis adductis eſt.* Omnis iuſtitia ſpecialis debitum ſimpliciter inuoluit iuſtitiæ; hinc diſtributor bonorum Reipublicæ ſeruat Iuſtitiam Diſtributiuam diſpenſando multis bona Reipub. ſecundùm proportionem meritorum cuiuſcunque; quia ex obligatione ad id tenetur; eò quòd bona illa non ſunt ſimpliciter diſtribuentis, ſed communitatis. Ex quo fit, vt non ſeruando hanc proportionem incurrat culpam acceptatoris perſonarum; quod ſi illa bona eſſent ab eo ex liberalitate diſpenſata, nullam acceptationis notam incurreret: at quia bona non ſua, ſed Reipublicæ, diſpertitur; ideò, ſub reatu acceptatoris perſonarum, tenetur ſeruare illam proportionem meritorum. Non tamen oritur hæc obligatio è commutatiua accepti principatus, vt ad menſuram dignitatis acceptæ, diſpenſator teneatur bona conſignata diſtribuere in publicam vtilitatem, vt malè diſſerunt nonnulli. Nam diſtributio illorum bonorum Reipublicæ non eſt æquale Arithmeticum dignitati Principis, imò inferius, vt plurimum. Deinde per accidens omninò hoc eſt, vt patet in Rege per ſucceſſionem, vel abſoluto Monarcha non electo; ſed iure belli dominante. Cùm igitur Deus ſit abſolutiſſimè Dominus, independens; neque ſuum altiſſimum, & vniuerſalè dominium poſſit abdicare, quocunque modo diſpenſet bona ſua, non diſpertietur ea ad diſtributiuæ regulas ſub reatu acceptationis perſonarum, ſi Geometricam proportionem violaret. Hinc iure ait Matth. *Nonne poſſum quod volo facere?*

54 Fvndamentvm ſecundum ex D. Bonau. 4. *d.*46. *art.*2. *q.*1. *in corpore eſt.* Deus bona ſua diſtribuit rationabiliter, non ex obligatione rigoroſa, ſed ſecundùm decentiam ſuæ Sapientiæ, & Bonitatis, additis fideliſſimis nonnunquam promiſſis, vt ait Apoſtolus. *Vnicuique dedit ſecundùm menſuram donationis Chriſti.* Quoniam verò Chriſtus pro omnibus mortuus eſt, & Pater acceptauit illam mortem, quoad condignitatem, ſanè ſuperabundantem; aliquo modo tenetur omnes velle ſaluos, eiſque media neceſſaria exhibere pro meritis Chriſti. Itaque, ſi vni non daret, quod eſt neceſſarium, eſſet acceptator perſonarum, vt infert Petrus, *Act.*10. vt habet *S. Bonau.*1. *d.*41. *quæſt.*2. & dicam *diſp.*21. *quæſt.*12. Et hoc debitum oritur è pacto inito à Patre cum Chriſto, vt oſtendam 3. *p. tract.*1. *d.*3. *quæſt.*9. Hoc tamen debitum non ad diſtributiuam ſpectat; ſed ad commutatiuam; & neque ad commutatiuam, quam Deus debet ſeruare nobiſcum; ſed cum Chriſto; neque in hac omnes conditiones rigoroſæ iuſtitiæ inueniam *loc. cit.* 3. *partis*; & ſi inuenero; non inuram Deo aliquam debiti, vel alius næui imperfectionem, vt ibi oſtendam.

Profectò acceptio perſonarum, etiam iuſtitiæ commutatiuæ aliquando opponitur. De hac intelligitur id Matth.22. *Scimus, quia verax es, &c. Non enim reſpicis perſonas hominum.* Ibi enim petebant: An dandus eſſet cenſus Cæſari; quòd ad commutatiuam pertinet. Et hoc quoque colligitur è Seraphico in Diæta *tit.*2. *cap.*5. & *Coloſſ.*3. vbi de præmio bonorum, & pœnis malorum, ait Apoſtolus. *Qui iniuriam facit, recipiet id quod inique geſſit; non eſt acceptor perſonarum Deus.* Conſtat enim punitionem delictorum ad commutatiuam pertinere, ex Ariſtot. 5. *Eth. cap.*5. & oſtendit Seraphicus 4. *d.*46. *quæſt.*2. *in corpore*; quia pœna datur ad menſuram culpæ, licèt non omninò Arithmeticam indiuiſibiliter; ſed circa condignum. Hoc verò oſtendit S. Bonau. illo Apoc. 18. *Quantum glorificauit ſe, & in deliciis fuit, tantum date ei luctus, & tormenti.* 55

Eandem æqualitatem ſeruare Deum etiam in præmiis iuſtorum, oſtendit S. Bonau. 4 *d.* 46. *art.* 2. *quæſt.* 1. è Pſal. 61. *Reddes vnicuique iuxta opera ſua.* Intendit enim Deus conſtituere æqualitatem præmij ad meritum vniuſcuiuſque; vt benè ait Vaſque, & fatetur Maſtrius *num.*224. non autem prætereà ſimul intendit etiam proportionem, ſeu æqualitatem Geometricam, vt obſeruo cum Seraphico *ead. diſt. q.*4. *art. primi ad* 3. quia dum præmiat Deus Petrum, non reſpicit proportionem ad Linum; ſed dat Petro quantum meretur: & Lino quantum meretur: & Clementi quantum meretur; vt arguit *fund.*3. Itaque ea proportio Geometrica ſequitur per accidens, vt notat Vaſquez. Neque volumus dicere, eam proportionem ſequi caſu, vt malè infert Maſtrius: ſed dicimus, ſequi voluntate conſequente Dei; non antecedente, & operante primò hac intentione. 56

Infert S. D. ad argumentum ſubſequens, eodem modo ſe habere Deum in remiſſione pœnarum; ſicut in præmio bonorum. Itaque ſicuti, licèt maius præmium det Petro, quàm Lino; non tamen iuſtiùs agit cum vno, quàm cum altero; quia ità Linus eſt dignus ſuo paruo præmio: ſicut Petrus ſuo magno: ad quam æqualitatem præmij cum merito reſpicit Deus: ità etiam, dum remittit duos gradus pœnæ ei, qui merebatur ſex; & quatuor gradus merenti duodecim; tamen proportionaliter remittit tantum vni; quantum alteri, quia eadem eſt proportio ſex graduum ad duos; & duodecim ad quatuor, nempè tripla; & ſic qui in duplo peccauerit, in duplo punitur, & ità non agit iuſtiùs, cum vno, quàm cum altero; hæc tamen conſideratio, licèt in reipſa fundata ſit; tamen non eſt intenta antecedenter à Deo; ſed ſola commutatiua intenditur, ex qua Deus vult ſequi proportionem Geometricam. At, eſto hanc proportionem admittamus à Deo intentam, vt videmur colligere è D. Bonau. Trigoſius *quæſt.*17. *art.*6. non tamen infertur in Deo Iuſtitia diſtributiua, quia deficit debitum ex natura rei ſurgens; ſicuti, licèt det præmium æquale meritis; non reſultat tamen commutatiua; Quia deeſt debitum, & æqualitas neceſſaria, vt dixi *quæſt.*1. 57

Ex his facilè erit eruere argumenta pro nobis; & reſponſa ad oppoſitiones. Aliam remiſſionem pœnæ Geometricam refellit S. Bonau. 4. *d.*46. *q.*1. *in corpore.*

Asseren

58 ASSERANOVM, Deum non ſeruare Iuſtitiam diſtributiuam ad nos.

PROBATVR primò è D. Anſelmo *in Proſol. cap.*10. vbi Deum alloquitur: *Iuſtus es, non quia reddis debitum; ſed quia facis, quod decet te ſummè bonum.* Hoc axioma ſæpè indicat S.Bonau.4. *d.*46. *art.*2. *q.*1. & alibi. Cùm igitur iuſtitia ſine debito eſſe non poſſit, & D. Anſelmus debitum excludens, iuſtitiam Dei dicat in eo poſitam, vt faciat, quod decet bonitatem diuinam; ſequitur in eo non eſſe Iuſtitiam propriè. Quòd verò debitum à Deo excludatur, ſatis oſtenſum eſt *quæſt.*1. *& hîc, fundamento primo.*

59 PROBATVR ergò ſecundò ratione à ℞. Bonau. Omnis Iuſtitia, ſiue commutatiua, ſiue diſtributiua, intrinſecè includit rationem debiti, ex naturâ rei ipſius. Sed Dei nullum eſt debitum ad nos, ortum ex naturâ rerum, quas nobis diſpertitur. Ergo. Minor conſtat è *fundamento primo.*

AMBÆ præmiſſæ conceduntur à Suarez, vt aduertit Arriaga *ſect.*7. *ſubſect.*2. cuius etiam reſponſio allata *num.*64. corruit ex dictis. Ouiedo autem ob hanc rationem fatetur, in Deo non eſſe Iuſtitiam diſtributiuam; tametſi contra Vaſquez probet, Deum in diſtributione bonorum gerere ſe ad modum Geometricum cum proportione.

MASTRIVS *num.*228. reſpondet, ad Iuſtitiam ſufficere, Deum è beneplacito ſuo conſtitui debitorem, ſuppoſitâ promiſſione præmiandi, ex condignitate operum iuxta formam Iuſtitiæ diſtributiuæ. Quam formulam promiſſionis collegit *num.* 221. ex illo Ioan. 14. *In domo Patris mei manſiones multæ ſunt.* Rom. 2. *Non eſt acceptio perſonarum apud Deum.* Loquitur autem de remuneratione, quam dicit eſſe ſine vitio acceptationis, oppoſito Iuſtitiæ diſtributiuæ. Inanis autem eſſet ratio Apoſtoli ad probandam Dei Iuſtitiam immunem ab acceptione perſonarum, niſi eſſet Iuſtitia diſtributiua; cui acceptio illa opponitur. Hoc igitur debitum ex beneplacito, ſuppoſitâ promiſſione tali, ſufficere, ait, ad inducendam in Deo Iuſtitiam diſtributiuam. Sicut (ait) in Iuſtitia commutatiua ſufficit; non enim debitum magis requiritur, & viget hîc, quàm in commutatiua.

60 Sed tenebatur Maſtrius recordari, ſe totâ quæſtione præcedenti, præcipuè *num.*182. *& ſequentibus*, iniunxiſſe, ad Iuſtitiam propriè dictam exigi debitum, reſpondens iuri ſtricto alterius, orto è natura rerum, non è ſponſione, vel liberalitate; ac proptereà ibi recuſauit admittere Iuſtitiam commutatiuam propriè in Deo; cur ergo non manente eodem debito, vt concedit, auſus eſt admittere propriè diſtributiuam? cum vtrobique eodem modo requiri admoneat; & in Deo addere imperfectionem non neget.

FIRMIVS reſpondet Nazarius *loc. cit.* §. *Iam verò*; negando, ad Iuſtitiam diſtributiuam intrinſecè requiri debitum in diſtribuente. Nam ſi inæqualitas dignitatum, & meritorum tota fuerit accepta à Principe; poterit is ad libitum bona diſpenſare, vel potiùs diſtributionem omittere. Prætereà ideò diſtributiua in hominibus habet obligationem adnexam; quia nullus hominum ſic præſidet multitudini, vt nullam habeat legem ſuperiorem, illum obligantem circa regiminis actus exercendos. Deus autem, cùm ſit ſupremus omnium Princeps, nulla poteſt lege ſuperioris adſtringi; ſed ſuæ tantùm ſapientiæ, & voluntatis decreto. Omnis igitur obligatio in hoc diſtributore, ex ipſius voluntate oritur.

61 AT neque is firmiter refellit argumentum. Pro quo ſuppono cum ipſo, §. *Reſolutio*, formales rerum rationes non eſſe pro libito ſtatuendas, ſed quæ fuerint communi ſapientum, antiquorum, præſertim iudicio comprobatæ, erunt veræ, legitimæque. Quam regulam ait non obſeruaſſe Suarez; & ideò in aſſignanda ratione formali iuſtitiæ aberraſſe, ſicuti neque Iuſtitiæ definitionem ſincerè expoſuit. Iam verò definitio Iuſtitiæ, quam ex Vlpiano refert S.Thom.2.2. *quæſt.*58. *art.*1. & ipſe Nazarius *loc. cit.* recipit cum
D. Bonau. & omnibus, vt dixi *quæſt.*1. ea eſt. *Iuſtitia* 62
eſt conſtans, & perpetua voluntas, ius ſuum vnicuique tribuens. Itaque ad rationem Iuſtitiæ requiritur, vt is, cui datur res, habeat ius ſtrictum, non modò reſpectu rei accipiendæ, ſed etiam in dantem; vt ipſe Nazarius explicat. Quare ſine hoc iure ſtricto in dantem, cui reſpondet, vt correlatiuum, debitum ſtrictum in dante, debitum (inquam) ortum ex rerum natura; non è libertate; vt ipſe Nazarius fatetur; nulla erit iuſtitia. Quapropter in diſtributiua eſt tale debitum, quod violatum, inducit vitium acceptationis perſonarum, vt docet D. Th. 2.2. *quæſt.*63. ac proinde ſine hoc non erit Iuſtitia diſtributiua; alioqui vitium acceptationis perſonarum non opponetur per ſe Iuſtitiæ diſtributiuæ. Nam ſecundùm Nazarium poteſt eſſe iuſtitia diſtributiua ſine hoc debito, quod ſeruatum, excludit acceptationem.

HINC ergo, Principem, qui diſtribuit iuxta dig- 63
nitates à ſeipſo collatas, V. g. ſignifero, Duci, Generali, liberaliter creatis, bona æqualia, non exercere actum iuſtitiæ diſtributiuæ; ſed Liberalitatis, vt ipſe Nazarius *loc. cit.* cogitur fateri. Hinc verò prætereà ſequitur, Deum non eſſe capacem Iuſtitiæ diſtributiuæ. Quia omnia dat liberaliter, nullo iure adactus; nullo debito erga quemuis adſtrictus. Dicere ergò, Deum exercere Iuſtitiam diſtributiuam abſque hoc debito, eſt dicere, Deum exercêre diſtributiuam abſque eſſentia eius; vel nouam illi Iuſtitiæ eſſentiam excogitare, quod Nazarius reprehendit in Suarez: Similiter dicere, Iuſtitiam diſtributiuam non includere tale debitum, quia exercetur à Deo ſine debito; eſt petere principium; aſſumendo id, quod erat probandum.

PROBATVR ſecundò. Iuſtitia diſtributiua reſpi- 64.
cit diſtributionem bonorum Reipub. iuxta dignitatem perſonarum, ex omnium vnanimi ſententia, vt docet Ariſtoteles 5. *Eth. cap.*3. At nulla dignitas creaturæ rationalis cogit Deum ex iuſtitia: Ergo. Minor probatur. Nam quoad homines ſunt naturâ filij iræ; & etiam in ſtatu innocentiæ totam dignitatem à Deo acceperant. Quoad Angelos etiam totum à Deo quoque acceperant, nec habebant, per quod digni fierent, niſi per creationem, & per gratiam, quæ reddit dignos, accedente Diuina acceptatione, ex origine gratiæ conceſſâ.

ADDIT Arriaga *ſubſect.*3. *num.*73. debitum Iuſti- 65
tiæ diſtributiuæ oriri ex dignitate; dignitates verò ſumi à quibuſdam pro nobilitate; ab aliis pro diuitiis; ab aliis pro virtute. Eam verò dignitatem, quæ ex meritis oritur, non eſſe obiectum diſtributiuæ; non quia in meritis ſit contrapaſſum, vt vult Hurtadus, quippè miles dat Reipublicæ labores, & Reſpublica à ſe alienat ſtipendia; ſed quia remuneratio è meritis eſt rationis diuerſæ. Hæc tamen non omninò placent.

MIRATVR quoque Arriaga, *d.*31. *ſec.*7. *ſubſec.*3. aliquos ponentes ius Iuſtitiæ Diſtributiuæ eſſe laxius, & minus, quàm commutatiuæ; & tamen vnum, idemque ius fundare veramque Iuſtitiam; ſed alij magis mirantur illum, *d.*30. *ſec.*1. *num.*3. diuidere Iuſtitiam, quæ nititur iure ſtricto in commutatiuam, & diſtributiuam, & tamen aſſerere; hanc non includere ius in rigore, eò quòd reſpiciat dignitatem.

RESPON

Respondet, *diſp.*31. *num.*75. licèt ille, qui recipit, non habeat ius præ aliis condignis; tamen habere ius præ dignis. Sed hæc ſunt cacumina pyramidum, diſtributiua enim Geometricam omninò ſeruat proportionem ad omnes.

Secundò, ipſe *num.*77. aſſerit, diſtributiuam poſſe vnum ſolum reſpicere, abſque reſpectu ad alios: Ergo ille reſpectus non eſt intrinſecus illi.

Tandem, *num.*79. concludit, Deum in remuneratione, dum attendit ad titulum meritorum, exercêre propriam Iuſtitiam diſtributiuam, quod ſuprà dictis ab eo repugnat, dum aſſeruit remunerationem ex meritis, eſſe diuerſæ rationis à diſtributiua; vt dixi.

66 Probatvr tertiò à Vaſquez ratione ducta è *fundamento* 2. *D.Bonauent.* Æqualitas, quam Deus ſeruat in reddendis præmiis, & pœnis infligendis, non eſt diſtributiuæ Iuſtitiæ: Ergo neque ipſa diſtributio, ſeruans prædictam æqualitatem, ſpectabit ad Iuſtitiam diſtributiuam. Probatur Antecedens à Vaſquez. Nam in his omnibus non reſpicit Deus proportionem meritorum, vel demeritorum cum aliis; ſed ſola merita iuſti, & demerita impij; vt oſtendi Scripturis, & oſtendit S.Bonauentura 4. *d.*49. *quæſt. vltim. ex Matth.*20. vbi ſinguli ſingulos denarios acceperunt, & eodem modo dicitur Ioan. 14. *In domo Patris mei manſiones multæ ſunt.*

67 Reſpondet, Deum primò quidem reſpicere ad commutatiuam; attamen non excludere proportionem; vt indicat Parabola talentorum, & decem minarum. In pœnarum verò inflictione dicitur *Act.*1. de Iuda, vt abiret in locum ſuum. Quòd autem ſimul ſtare poſſint commutatiua, & diſtributiua, probant aliqui. Quare argumentum hoc, quod Vaſquez vnicum clamat, ab Arriaga contemnitur, & ab aliis. Intentam verò eſſe Diſtributiuam, probant Maſtrius, & Nazarius; Quia id, quod magis intendit Deus in diſtributione donorum, eſt perfectio, & Simmetria vniuerſi, ex Ariſtotele 12. *Met. t.*52. Hæc autem in proportione perfectionum ſecundùm cuiuſque ſtatum poſita eſt.

68 Eqvidem non abnuo, in naturalium rerum conſtitutione, de qua ſolâ Ariſtoteles loquebatur; vt ait Nazarius, diſtributionem ad Geometricam proportionem eſſe neceſſariam; vt enim fiat mixtio, oportet ſeruetur proportio in elementis miſcibilibus, quoad virtutem, & molem, vt quantum de igne, qui eſt actiuior apponitur; tantum de aquæ mole; & ſic de cæteris; at quæſo, vbinam Ariſtoteles dicit, hanc diſtributionem ad Iuſtitiam pertinere? Vocatur quidem mixtum, temperamentum ad Iuſtitiam; at ſumitur ibi Iuſtitia pro æquâ portione virtuali, & proportione neceſſariâ ex parte miſcibilium naturali; ex parte verò Dei prouida, ac liberali. Verùm cùm Iuſtitia verſetur in reddendo iure debito; hoc autem non ſeruetur in præmiis, aut in pœnis; non eſt cur Iuſtitiã extra Sphæram extrahentes, eam conſtituant, veluti Anaxagoræ Calcodæam, omnia facientem, omniumque non modò virtutum; ſed & operationum principium. Quare ad debitum iuris recurrendum eſt, vt argumentum vrgeat: Ex quo argumenta oppoſita corruunt.

69 Obiicies primò cum Caietano, & aliis. Ad Iuſtitiam Diſtributiuam pertinet vnumquemque in ſuo loco collocare. Sed Deus vnumquemque in ſuo loco collocat, reddendo pœnas, & præmia: Ergo.

Respondet Vaſquez primò, negando formam argumenti; Quia ex puris particularibus, iiſque affirmatiuis, eſt in ſecunda figura, in qua debet altera præmiſſa eſſe negatiua.

Vervm maior habet vim vniuerſalis, vt fiat argumentum *in Darij.* Vbi adeſt actus collocandi in ſuo ordine, ibi eſt Iuſtitia Diſtributiua eſſentialiter. Talis diſtributio eſt in Deo: Ergo.

Reſpondet, collocare in proprio loco, ſpectare etiam ad commutatiuam, vt ſuprà. Attamen datâ etiam tali diſpoſitione, quam gratis conceſſero, adhuc deeſt eſſentia, id eſt, debitum; & ità loquuntur Scripturæ ſuprà, & D. Dionyſius, *cap.*8. *de Diu. nom.* qui per iuſtitiam intelligit æquitatem Diuinæ bonitatis. Eſto enim, vt ait Arriaga, *num.*67. & Hurtadus, ſecundùm dignitatem gratiæ det gloriam; attamen quia gratia eſt ipſius Dei donum, non oritur ius proprium in iuſto ex natura rei, nec in Deo debitum. Ex quo ſoluitur Soti argumentum, & aliorum Thomiſtarum, quod magni pendit Maſtrius, *n.*225. quod eſt.

Ad meritum de condigno requiritur dignitas perſonæ in gratia conſtitutæ, Dei filiæ, quod in humanis non exigitur: nam ſi in agro meo laboret extraneus, vel inimicus, eodem modo ei ſoluere teneor mercedem, ſicut amico, quia meretur ex iuſtitia commutatiua, quæ non attendit dignitatem merentis, ſed æqualitatem operis. Cùm igitur apud Deum neceſſaria ſit dignitas perſonæ; ſequitur, agi potius iuxta Diſtributiuam. 70

Respondetvr, dignitatem perſonæ, quæcunque illa ſit, reſpici etiam à commutatiua, quia in foro Dei agitur in ordine ad præmium ſupernaturale quod requirit agens ſupernaturaliter conſtitutum; quod non euenit in laborante circa vineam.

Deinde adhuc dignitas conſiderata non eſt ſufficiens obiectum Diſtributiuæ, niſi etiam fiat Geometricè, ſeruando proportiones multorum, quod in Diuino iudicio non inuenitur, vbi dato etiam vnico ſancto, putà Francisco, adhuc eodem præmio ditaretur, nullo habito ad alium proportionis reſpectu. Atque ipſe Soto fatetur, dari iuſto præmia Arithmeticè. 71

Tandem, vt dixi, etiamſi hæc omnia interueniant, adhuc deeſſet debitum in Deo, & ius ſtrictum in remunerandis. Quia dignitas eorum, gratiâ nititur Dei, quod eſt dicere; eſt eis collata à remunerante, ſeu diſtribuente; quod tollit debitum, vt dicebat Nazarius. Itaque adeſt ſolùm latè ſumpta. 72

Obiicies tertiò. Vitium acceptionis perſonarum opponitur diſtributiuæ Iuſtitiæ, vt docet D.Bonauentura 1. *d.*41. *quæſt.*2. & D.T.2.2. *quæſt.*63. Deus autem dicitur dare; ita vt non ſubeat hanc culpam *Rom.*2. *Actorum* 10.

Respondeo cum Seraphico, *loco cit.* quod vt probaui ſuprà, eâ proportione negatur in Deo omnis acceptio perſonarum, quâ diſtributiuam exercet, nempè lato modo, vt dicam *quæſt. ſeq.* ſecluſo debito, cùm omnia bona ſint eius; non autem communitatis creaturarum: quamuis autem reſpectu Chriſti concedantur ex meritis commutatiuæ; non tamen nobis ea bona ſunt debita, ſed adhuc ſeruatur inter ea ratio gratiæ, reſpectu hominum, & Angelorum; & quæ dantur meritis, vt gloria, non diſtribuuntur Geometricè; vt oſtendi, ſed ex iuſtitia latè commutatiuâ, non ſanè Metaphoricâ; vt dixi cum D Bonauentura, etſi quæ ſequitur, ſit diſtributiua latè; vt ait Vaſquez *d.*86. *c.*4. Ribas *num.*36. Quare non ſubit acceptationis perſonarum diſcrimen, niſi latè, & impropriè ſumptum; & hoc ſenſu loquuntur Scripturæ, & Patres. Non negabo tamen Angelico Doctori, minùs repugnare Deo diſtributiuam, vt perfectiorem. 73

QVÆSTIO

QVÆSTIO III.

An ſit in Deo Iuſtitia generalis.

74 QVIA Iuſtitiam ſpecialem à Deo excluſi ; & generalem quandam admiſi, quæ dicit decentiam bonitatis, iuxta doctrinam D. Anſelmi *cap.*10. *Proſol.* ad quam communiter dicunt pertinere dona decenter diſpertiri, obſerua è D Bonau. *ad cap.*12. *Sap.* & *in* 4 *d.*46. *quæſt.*2. & *Opuſc. Reductio artium ad Theologiam* in calce: & Scoto 4. *d.*40. *quæſt.*2. cui Suarez *opuſc. vltimo* acclamat, nempè nimis amplè iuſtitiam Dei explicari per meram decentiam bonitatis. Ratio Seraphici eſt, quia Iuſtitia, eo modo ampliata, complectitur etiam miſericordiam; imò & alia attributa, & opera, quæ ambiunt decentiam Diuinæ bonitatis. Ideò eam communiſſimam vocat S. D. Itaque aſſignanda videtur aliqua iuſtitia generalis, media inter ſpecialem rigoroſam, & vniuerſalem decentiam bonitatis, de qua S.D. 5.*p. Breuil. cap.*4.

COMMVNITER aſtruitur in Deo quædam Iuſtitia generalis Prouidentialis ab Alenſi, D Bonau. D.Th. Scoto, & diſcipulis. Alij verò ponunt Iuſtitiam Legalem, eliciti uam talium actuum. Ita Rebell. *de oblig. Iuſt.l.*1. *quæſt* 4. *ſect.*4.

75 SCITO è D. Bonau. in Diæta *tit.*5. *cap* 8 & *l.*5. *compend. Theol. cap.*17. Iuſtitiam generalem tripliciter diuidi. Alia enim eſt vniuerſalis prædicatione, ſic omnis virtus dicitur Iuſtitia, quia ſeruat in ſuo medio debitam proportionem. Secundò dicitur Collectio omnium virtutum, qua ratione dicitur Iuſtus, qui virtutibus omnibus fulget, & ideo Iuſtitia Chriſtiana dicitur gratia cum virtutum omnium concentu, & donorum infuſorum harmoniâ, vt inſinuat Concilium Trident. *ſeſſ.*6. *cap.*7. Tertia dicitur vniuerſalis in materia, & cauſalitate, & dicitur Legalis, de qua eſt quæſtio: An diſtincta ſit ab obedientia, qua legibus paremus, & à pietate, qua parentibus obſequia præſtamus, & à charitate, qua poſt Deum commune bonum Reipublicæ diligimus.

76 ET probabilius eſt, eſſe diſtinctam: Nam habet ius, & obiectum diſtinctum, ideſt reddere ius Principis alto dominio, quod habet aſſumendi bona ciuium; imò & vitam illorum in communibus Reipublicæ neceſſitatibus. Quod ſanè ius tenentur ſinguli reddere, non ſubtrahendo bona, aut vitam diſ-
77 crimini pro ſalute Reipublicæ. Dicitur verò generalis, ſiue quia omnes complectitur; ſiue quia ad bonum vniuerſale totius Reipublicæ rectè dirigitur; ſiue etiam cauſalitate, quia poteſt omnes alias virtutes imperare ſub hac ratione ad hoc bonum vniuerſale Reipublicæ ſartumtectum ſeruandum; ordinat ergo partes Reipublicæ ad bonum totius. Ità Suarez *opuſc. de Iuſt. ſect.*4. initio; Leſſ. *de iuſt. cap.*1. *d.*1. Ribas *tract.*5. *d.*13. *cap* 5.

Dicitur etiam Legalis, non præcisè, quia pareat legibus; ſed quia commune bonum neceſſariò reſpiciat; ſicuti & Leges, quæ non ſunt leges, niſi ad bonum publicum ordinatæ

78 Verùm hæc Iuſtitia non capitur in Deo. Nam hæc eſt ad alterum tanquam ſupremum, totum, reſpicitque aliquod dominium, & ius eminentius in partes Reipublicæ: Deus autem nullius eſt pars, vel inferior.

SERAPHICVS ad ea verba Pſalm.118. *Iuſtus es Domine*, hoc tantùm ſenſu admittit in Deo Legalem Iuſtitiam; quia Iuſtitia iuſtas condit leges, omnem iniuſtitiam prohibentes.

ASSERENDVM, admitti generalem in Deo iuſti- 79
tiam, quæ dicit conuenientem proportionem datam rebus, V. g. Humanitati Chriſti collatam beatitudinem: Beatæ Virgini Immaculatam conceptionem, &c.

EXPLICATVR egregiè à S.Bonau. *ad cap.*11. *Sap.* 80
ad ea verba: *Omnia in numero, pondere, & menſura diſpoſuiſti.* Et quidem quoad creationem corporeorum diſpoſita ſunt elementa, habentia numerum, pondus, & menſuram determinata. Vel ſecundùm Auguſtinum *lib.* 6. *Hypognoſticon*, creaturis data eſt quantitas, qua ſiunt magnæ, vel paruæ. Data eſt qualitas, qua à cæteris diſtinguantur, quæ dicitur numerus: datum eſt pondus, ideſt proprietas, qua in ſuo loco conſiſtant. Vnde ſecundùm D. Auguſtinum *lib.*4. *de Geneſ. ad litt. cap.*3. Menſura idem eſt ac modus; & ſpecies idem eſt cum numero; & ordo idem eſt ac pondus; quæ tria in creaturis ediſſerit Sanct. Bonauent. *in* 1. *d.* 3. *pag.* 1. *dubit.* 7. *litter.* & *in* 2. *d.* 35. *artic.* 2. *toto*, & nos agemus *tractat.* 3. *diſputat.* 2. & 1. 2. *tract.* 3. qui de Peccatis. His regulis omnes creaturæ concinnatæ ſunt in omnibus, quæ eorum ſtatus prærequirit.

QVOAD inflictionem pœnarum, explicat Sera- 81
phicus Doctor *ad cap.* 11. *Sap.* nempè infligi in pondere; non iuxta vim totam potentiæ Dei: in numero; vt non excedatur numerus culparum: in menſura non vltrà, quàm culpa mereatur. Quòd puniat in menſura, probat S. Bonauent. ex Apoc.18. *Quantum glorificauit ſe, &c.* Iſaiæ 27. *In menſura iudicabit eam.* Lucæ 6. *Quâ menſurâ menſi fueritis, remetietur vobis*: vbi etiam remuneratio meritorum exprimitur. Quòd verò in numero, probat Apoc.18. *Duplicate ei duplicia, ſecundùm opera eius: in poculo, quo miſcuit, miſcete illi duplum.* Iſa. 40. *Suſcepit de manu Domini duplicia pro omnibus peccatis ſuis.* Quod etiam ſecundùm pondus, probat ex Sap. 6. *Exiguo conceditur miſericordia: potentes potenter tormenta patientur.*

ITAQVE vindicta, qua Deus dicitur iuſtus. 82
Rom. 1. *&* 2. *Secunda Theſſal.* 1. *Apoc.*19. ſpectat ad Iuſtitiam Prouidentialem, contra Suarez *in opuſc. de Iuſtit. ſectione* 5. vbi aſſerit, ad nullam virtutem pertinere; & contra dicentes, illam ſpectare ad Iuſtitiam, vt Capreol. Conan. apud Suarez, *numero* 12. neque enim eſt commutatiua, cùm non reddat ſuum ius alicui. Poteſt tamen dici commutatio negatiua, quatenus non excedit culpas; non eſt tamen Iuſtitia; quia poſſet Deus ampliùs punire; vnde non eſt toto rigore, vt monet D. Bonauent. 4. *diſt.* 46. *quæſtione* 2. & *ſequentibus*, præcipuè *quæſtione vlt.* Quod autem ampliùs non puniat, oritur ex miſericordia, vt probat Seraphicus 4. *diſt.* 46. *art.* 2. *quæſtione* 4. & cum eo Arriaga *diſt.* 31. *ſectione* 9. Neque ſeruat diſtributiuam, quia ſaltem debitum non inuenitur; ſeruatur tamen æqualitas aliqua Arithmetica, & aliqua Geometrica.

Addit S. Bonauent. *in compend. Theol. cap.* 33. dici Deum iuſtum, etiam quando perficit imperfectum; vt cùm impios iuſtificat.

OBIICIES cum Rebellio. Qui ex affectu Iuſtitiæ legalis procurat, vt ciues ſeruent, tanquam partes, ius debitum toti Reipublicæ, is Iuſtitiam legalem ſeruat. Deus monitis, præceptis, Legibus procu-

rat, vt ſinguli, tanquam membra, hoc ius ſeruent toti Eccleſiæ: Ergo. Maior probatur. Eiuſdem virtutis eſt ius ſeruare, & procurare vt ſeruetur. Minor eſt D. Bonau. vt dixi *num.*78.

Respondeo, negando maiorem; alioqui poneret in Deo etiam pœnitentiam, dum eam monitis in impio procurat ex affectu ſanè illius, vt Scripturæ dicunt. Deinde requiritur, vt reſpiciat formale obiectum eius virtutis, puta Iuſtitiæ Legalis, nempè, vt pars ordinetur ad totum Imperium ſuperius, quod Deo repugnat.

QVÆSTIO IV.

An in Deo ſit Miſericordia.

D. Bonau. in 4. d 46. art. 2. q. 1.
D. Thom. p. 1. quæſt. 21 art. 3.

83 Misericordia definitur à D. Bonau. opuſculo declaratorio: Terminorum Theologiæ: *Eſt compaſſio miſeria, & indigentia proximi.* Et in Centil. 3. p. ſect. 44. *Miſericordia eſt virtus, per quam animus ſuper calamitate afflictorum mouetur.* Laiùs *in Diata ſalutis*, *titulo* 7. *cap.* 4. explicat naturam miſericordiæ, quæ in duobus poſita eſt. Primum eſt promprimdo ad ſubleuandas alienas miſerias; alterum eſt compaſſio.

Idem diſtinguit *in* 4. *diſt.* 46. *art.* 2. *quaſt.* 1. *ad* 1. Et proptereà promptitudinem effluentem è Diuina bonitate ad aliorum calamitates ſubleuandas in Deo admittit; non tamen compaſſionem, quæ includit imperfectionem paſſionis, cum miſero communicantis.

De eadem agit, *lib. primo Compendij Theologia*, *cap.* 34. vbi primò Ethymologias tres miſericordiæ refert. Prima Miſericordia eſt, quaſi miſerias cordis diuidens. Secunda Miſericordia, quaſi mittens ſeorſum cordis rigorem. Tertiò dicitur Miſericordia, quaſi mira ſuauitas rigans corda: & hoc ſenſu, ait D. Bonauent. eſſe maximè in Beatis, & Deo. Itaque propria miſericordia eſt etiam ſine imperfectione compaſſionis; ac proinde non repugnat, attribui Deo, iuxta regulam latam, *quaſtione* 1. *initio.* Quia imperfectio non eſt intrinſeca miſericordiæ.

84 Asserendvm primò, in Deo eſſe Miſericordiam.

Probatvr à D. Bonauent. loco nuper adducto, è Pſal. 84. *Miſericordia, & veritas obiuauerunt ſibi.* Et Pſal. 102. *Qui propitiatur*, *&c.* *Qui coronat te in miſericordia*, & aliis Scripturis. In ſpeculo B. Virginis, *lect.* 9. id probat è Pſalm. 85. *Tu Domine ſuauis, & mitis, & multa miſericordia.* Et in Soliloquiis, cap. 4. è Pſalm. 88. *Miſericordias Domini in aternum cantabo.* Et in Meditationibus vitæ Chriſti, cap. 86. è Pſal. 129. *Apud Dominum miſericordia.* Et ad 2. Lucæ, ex illis verbis: *Per viſcera miſericordia*; vbi ait: *Viſcera miſericordia ſunt nimia dilectio.* Epheſ. 2. *Deus, qui diues eſt in miſericordia, propter nimiam charitatem conuiuificauit nos.* Iſa. 63. *Vbi eſt Zelus tuus, multitudo miſericordiarum tuarum?*

Qvoad compaſſionem verò, eam aſſumpſit in Incarnatione, in qua notat S. Bonau. Chriſtum veluti alterum Ioſeph potuiſſe dicere: *Commota eſſe viſcera ſua*: Geneſ. 41. Hinc Apoſtolus, Hebr. 2. *Debuit per omnia fratribus aſſimilari, vt miſericors fieret*; ideſt, vt compaſſionis affectum ſentiret, ad cuius exemplum, Apoſtolus, Coloſſ. 3. ait: *Induite vos ſicut electi Dei, viſcera miſericordia*; Compaſſio enim in Deo non eſt, vt refricat D. Bonauentura, & omnes docent; vt notat Arriaga *diſp.* 31.

Multis aliis è Scripturis probat Seraphicus in Deo miſericordiam. Pſal. 50. *Miſerere mei Deus, ſecundum magnam miſericordiam tuam.* Pſalm. 93. *Miſericordia tua adiuuabat me.* Pſalm. 118. *Miſericordia tua multa Domine*: præcipuè Pſalm. 135. vbi verſibus intercalaribus miſericordiam Dei acclamat. Tandem Lucæ 7. *Eſtote miſericordes, ſicut & Pater veſter miſericors eſt.* Vide *ibi* Doctorem Seraphicum.

Itaque *loco adducto Compend.* concludit; quamuis 85
Deo conueniat etiam eſſe iuſtum; tamen exclamari: *Deus, cui proprium eſt miſereri*, ſic remittit peccata, ipſeque in Iſaia ſe acclamat. *Ego ſum, ego ſum, qui deleo peccata*, remunerat ſupra meritum; Punit citra condignum. Sic non modò in terra, & in cælo ſed etiam in inferno Diuina effunditur miſericordia. Hæc S. Bonauentura.

Probatvr ſecundò ratione à S. D. *in corpore, & ad* 1. Quod eſt nobilitatis ſimpliciter, eſt Deo attribuendum: ſed bonitatem miſeris communicare, eſt ſimpliciter nobilitatis, in qua conſiſtit miſericordiæ actus: Ergo.

Observat autem Seraphicus, cum D. Thom. affectum compaſſionis ſpectare ad materiale, non ad formale miſericordiæ; & ideò concludunt, Deum miſericordem in effectu operantem, non quoad affectum, qui in noſtra imperfecta miſericordia reperitur.

QVÆSTIO V.

An in aliquo Dei opere ſit Miſericordia, & Veritas.

D. Bonau. d. 46. art. 2. q. 1.
D. Th. 4. d. 46. q. 2. art. 4.

Observat D. Bonau. *hic*, & *in Compend. Theol.* 86
l. 1. *cap.* 34. per Veritatem ſæpe intelligi Iuſtitiam. Sic Pſalm. 84. *Miſericordia, & Veritas obiuauerunt ſibi*: Dicitur autem Iuſtitia Veritas; primò à nonnullis, quia ſicuti Veritas eſt adæquatio perfectiſſima intellectus ad rem intellectum; ità & Iuſtitia eſt adæquatio perfectiſſima debiti cum iure. Deinde, quia Diuina Iuſtitia habet aliquam rationem Diuinæ fidelitatis, quæ veritate nititur; vt notat Arriaga *d.* 31. *ſect.* 8. cum D. Bonau. *hic*, Sæpè igitur Veritas pro Iuſtitia accipitur. Pſalm. 83. *Miſericordiam, & Veritatem diligit Deus*: Pſalm. 24. *Vniuerſa via Domini, Miſericordia, & Veritas.*

Assero primò, in aliquo opere Domini eſſe Iu- 87
ſtitiam; ſed ſine debito; vt dixi *quaſt.* 1. & 2. & miſericordiam, ſine compaſſione.

Da Iuſtitia probatur à D. Bonauent. Pſalm. 61. *Reddes vnicuique iuxta opera ſua.* De hoc ſatis ſuprà. De Miſericordia, Lucæ 6. *Eſtote miſericordes; ſicut & Pater veſter miſericors eſt.* De quo *quaſtione* 3.

De vtraque probatur, Prouerb.20. *Miſericordia, & Veritas cuſtodiunt Regem.*

Confirmatur. Quia eorum omnium, quæ ſunt perfectiones in nobis; ſunt exemplaria in Deo: ſed iuſtè operari, ſecluſo debito; & miſereri, ſecluſa paſſione, dicunt perfectionem: Ergò.

88 Dices. Cunctis in operibus Dei deberet eſſe Iuſtitia, ſi Deus eſſet Iuſtus.

Respondet, Iuſtitiam eſſe conditionem, quæ reſpicit operantem ſecundùm actum, non ſecundùm naturam; ideò non communicatur omni rei productæ, ac proinde non eſt neceſſe, vt ſi Deus ſit iuſtus, omnia opera Dei ſint ex iuſtitia, & iuſta; ſicuti, quia Deus eſt bonus, omnia opera eius bona ſunt; quia bonitas eſt conditio, quæ reſpicit naturam, non operationem præcisè; vt ait Boëtius, *l. de Hebdom.*

QVÆSTIO VI.

An in eodem opere Domini ſit Miſericordia, & Veritas.

D Bonau. 4. d. 46. art. 2. q. 2.
D. Thom. loc. cit.

89 Advertit S.Bonau. Miſericordiam, & Veritatem ſumi tripliciter. Primò igitur Miſericordia ſumitur latiſſimè, pro Diuinæ bonitatis affluentia. Secundò communiter dicit benignam ſupererogationem donorum. Tertiò dicitur Pietas in ſubleuatione miſerorum.

Iuſtitia pariter, primò ſumitur latiſſimè pro bonitatis condecentia. Secundò, pro liberali retributione meritorum. Tertiò, pro ſeueritate in punitione malorum.

Hanc diſtinctionem trimembrem ponunt etiam Alenſis *p.1. quæſt.*39. *m.*2. *&* 3. Albert. *p.*1. *tract* 20. *quæſt.*80. *art.*4. *particula* 2. D.Th. *p.*1. *quæſt.*21. *art.*4. Poſſunt tamen hæc tria membra ad duo reduci cum Richardo *d.*46. *ad ſecundum quæſitum*, *quæſt.*3. & Durando *ead. quæſt.* Miſericordiam dupliciter ſumi. Primò large, pro omni voluntate benefaciendi alteri. Secundò, pro voluntate ſubleuandi miſeros, præter eorum merita. Sic Iuſtitia. Primò pro condecentia Diuinæ bonitatis. Secundò ſtrictè accipitur, pro voluntate retribuendi, ſecundùm exigentiam meritorum. Idem vult S.Bonau. licèt ſubdiuidat ſecundum membrum ad maiorem claritatem.

90 Assero primò. In eodem opere; imò in omni, ſunt Miſericordia, & Veritas latiſſimè.

Probatvr. Quia omnia ex affluenti bonitate facit, & nihil facit, niſi id, quod eam decet.

Assero ſecundò, etiam ſecundo modo, reperiri in eodem opere Miſericordiam, & Veritatem.

Probatvr à D. Bonau. quia cùm Deus retribuit bona, non retribuit niſi merenti, & ſupra condignum.

Assero tertiò, etiam tertio modo in eodem opere eſſe Miſericordiam, & Veritatem.

Probatvr; quia dum punit, exercendo actum Iuſtitiæ; punit citra condignum.

Addit verò D.Bonau. Miſericordiam, & Veritatem eſſe in eodem opere, ſecundùm diuerſas rationes.

QVÆSTIO VII.

An in omni opere, maximè Iuſtificationis, ſit Miſericordia, & Veritas inſeparabiliter.

D.Bonau quæſt. 3. & 4.

In nonnullis Seraphici exemplaribus erat titulus: 91
An in Iuſtificatione ſit Miſericordia, & Veritas. Eſt enim de hac præcipuè difficultas. Quo pacto in ea ſit Iuſtitia aliquo modo propriè.

Assero primò, in Iuſtificatione eſſe Miſericordiam, & Iuſtitiam. De Miſericordia probatur, quia remiſſio ſit peccatorum; de qua Pſal. 50. *Miſerere mei Deus ſecundùm magnam miſericordiam tuam.* Quod etiam ſit Iuſtitia probatur, Quia obligat peccatorem ad pœnitentiam, & pœnalitates, etiam in Baptiſmo, dum pœnalitatibus vitæ exponitur.

Assero ſecundò, in Incarnatione eſſe Iuſtitiam, 92
& Miſericordiam. Ideò D.Auguſt. 13. *de Trin. cap.* 11. dicit, eſſe opus ſummæ miſericordiæ, & ſummæ iuſtitiæ. De quo Pſal. 84. *Miſericordia, & Veritas obuiauerunt ſibi.* Ad Titum 3. *Secundùm ſuam miſericordiam ſaluos nos fecit.* Et 1. Cor. 1. *Factus eſt nobis iuſtitia.* Idem aſſerunt Damaſcenus, *l.*3. *de fide*, Anſelmus *l.*1. *Cur Deus homo*, & ratio eſt clara; nam per Incarnationem liberati ſumus à ſummis miſeriis, & hoc ex rigoroſâ Chriſti ſolutione.

Assero tertiò, in Glorificatione eſſe Iuſtitiam, 93
vt dicit æqualitatem meritorum: eſſe quoque Miſericordiam. Quia ſuperabundantiùs ſit remuneratio.

Assero quartò, in damnatorum punitione vtramque ſeruari.

Quoad Iuſtitiam probatur à S. D. locis adductis 94
*quæſt.*1. *ex Apoc.*18. & aliis Scripturis.

Quoad Miſericordiam probatur à S.D. *d.*46. *dub.*3. *litt.* & *quæſtione* 2. ex illo Pſal.76. *Nunquid obliuiſcetur miſereri Deus; aut continebit in ira ſua miſericordias ſuas?*

Probatvr ſecundò à D. Bonau. *ibi*, & *quæſt. vlt.* Primò, quia Deus non poteſt ſeipſum negare 2. *Tim.*2. Sicut ergo non poteſt, non punire malos, quia negaret ſuam Iuſtitiam, quæ eſt ipſe Deus; ità neque poteſt non miſereri; quia negaret ſuam miſericordiam, quæ etiam eſt ipſemet. De vtraque dicitur: *Vniuerſa via Domini, miſericordia, & veritas.*

Secvndò. Quod eſt proprium, non poteſt ſeparari: ſed miſereri proprium eſt Dei; vt dicit Eccleſia: Ergo.

Tertiò. Quia peccatum, cùm ſit offenſa infinita, 95
meretur pœnam infinitam: Ergo cùm finitam recipiat impius, & infra condignum, miſericordiam Dei experitur. Quod verò peccatum ſit offenſa infinita, oſtendam 1. 2. *tract.* 3. *qui de Peccato*, *d.*1. *quæſt.*4. Ideò oſtendam, illud puniri pœnâ æternâ. Eſt tamen difficultas, quo pacto ſeruetur miſericordia in pœna damni, quæ omnibus videtur æqualis, vt dicam 1.2. *tract.* 3. *d.*5. *quæſt.*2.

Dicerem, pœnæ damni adnexam eſſe triſtitiam maiorem in eo, qui maiores gratias habuit, & potuit maiorem gloriam adipiſci, & hanc etiam miſericordiâ temperari. Sed hoc definiam *tract.* 4. *diſp.*8, *quæſt.*9.

Assero quartò, in damnatione paruulorum, 96
ob ſolum originale, exerceri Miſericordiam, & Iuſtitiam.

De Iuſtitia patet, quia non videbunt faciem Domini in æternum, vt oſtendam *tract. cit. de peccatis, diſp.5.quæſt.4.* Quod verò ſit etiam Miſericordia, probanit. Quia, vt *ibi* oſtendam, nulla ibi erit pœna ſenſus, vt iuſtè poſſet eis infligi. Adde ſecundùm multos Theologos, ibi adducendos, Infantes, illos beatitate naturali fruituros, vitamque in gaudiis, & exoltatione, atque diuinis laudibus immortalem traducturos, abſque vlla perditæ ſupernaturalis beatitudinis triſtitia, quippè illam non cognouerint.

97 Assero quintò, in pœnis temporalibus, quæ alicui ob peccatum alterius infliguntur, ſeruari etiam miſericordiam: Probatur, quia tales pœnæ infliguntur ad excutiendam negligentiam, ad exercitium patientiæ, & ad coronam. Sic pro peccato Cam puniti ſunt filij: *Geneſ.9.* pro culpa Achan, flagello cæſus eſt populus: *Ioſuè 7.* Pro peccato Dauid, percuſſus populus: 2. *Reg. vlt.*

98 Assero ſextò. In vocatione gentium, & Iudæorum ſeruata eſt Iuſtitia, & Miſericodia. Ita Trigoſius *quæſt.17. art.4. dub.1. dubitatione 4.* Iuſtitia quidem non propriè, ſed ea decentiâ Diuinæ bonitatis, ne ſinat Deus ex ſe, aliquos redemptos; imò creatos ad beatitudinem, perire: Miſericordia autem explicatur: *Rom.15.* tamen Iudæorum vocationem adſcribit etiam fidelitati promiſſionis. Hinc tamen non rectè Trigoſius infert aliquam iuſtitiam. Tum quia fidelitas non eſt iuſtitia: Tum quia etiam gentibus promiſſa eſt ſalus, vt ipſe Apoſtolus teſtatur, Rom.1. *Iudæo primùm, & Græco.* Quod colligit idem Apoſtolus *Act.13.* cum Barnaba, ex illo Iſa.49. *Dedi te in lucem gentium.* Imò præcipuè Gentibus præuisâ Iudæorum veſaniâ; vt ibi teſtantur Apoſtoli.

99 Assero, etiam in Prædeſtinatione, & Reprobatione reſplendère vtramque, vt docet D. Aug. *l.2. de bono perſeuer. cap.11.* vbi ait: *Miſericordiam eius in his, qui liberantur: & iuſtitiam in his, qui puniuntur, ſine dubitatione credamus.* Condecens enim eſt Diuinæ ſapientiæ, vt Deus det illi gratiam, quem ſcit eâ benè vſurum; & hoc præſtat Deus: *Rom.9.* Sed hæc latiùs ad cribrum diſcutienda *diſp.21.* & *1.2. tract. de Gratia.*

100 Tandem. In opere creationis relucère latè Diuinam Miſericordiam, & Iuſtitiam, videtur indicatum *quæſt.3.* Idem dico de diſpenſatione bonorum temporalium. Dum enim flagella immittit, miſericordiam exercet. Quia malos ad Deum ire compellunt, vt ait S. Gregorius 26. *Moral. cap.9.* Sic inopia Lazarum rectè in cælum traduxit.

101 Similiter Iuſtitia exercetur cum Miſericordia in diuites, vt diuitiis vtantur ad ſalutem; & obſtinati fruantur bonis temporalibus in præmium operis obſoleti; vt dicatur: *Fili recepiſti bona in vita tua: & Lazarus ſimiliter mala. Nunc autem ille lætatur: tu verò cruciaris*, vt aduertit S. Bonau. ad eum locum cum D. Auguſt. *ſerm.2. de tempore.* Hic enim fuit ea illis, de quibus Matth 6. *Amen dico vobis receperunt mercedem ſuam.* Vide ibi Seraphicum, egregiè diſſerentem.

102 Adde verò cum S. D. *d.47. dub.1.* magis proprium Deo eſſe miſereri, quàm punire; quia ad miſerendum ſola bonitas eius ſufficit: ſed ad puniendum requiruntur noſtra demerita.

Tandem aduertit idem S.Bonau. 1. *d.43. dub.7. litt.* Deum, ſicuti non poteſt contra Iuſtitiam facere; ita neque contra Miſericordiam: Vnde neque Petrum damnare, neque Iudam ſaluare è lege ordinaria poteſt.

Affert autem ibi in contrarium decantatam Trajani ſalutem, quam S.Bonau. non audet negare, quippè aſſertam à S. Damaſceno. Sed de hoc *3.p. tract.1. diſp.40. quæſt.12.* agetur.

QVÆSTIO VIII.

Vtrum Deus iuſtiùs agat cum vno, quàm cum alio.

D Bonau.d 46.quæſt 4.
D.Th.4.d.46.q.1.art.2.

Assero primò, Deum ſeueriùs agere cum vno, quàm cum alio. Patet.

Assero ſecundò, non agere iuſtiùs cum vno, quàm 103
cum alio. Quia ſecundùm merita ſingulorum dependit. Vide Seraphicum Doctorem.

Observa, actum Dei non eſſe intenſiorem erga 104
vnum, quàm erga alium, cùm ſit ſimpliciſſimus, indiuiſibilis: effectum verò non poſſe eſſe iuſtiorem erga vnum, quàm erga alterum; Quia ſeruat quoad omnes debitam æqualitatem; ſanè, quia nos difficile inuenimus medium iuſtitiæ, vt habetur 2. *Eth. cap. vlt.* hinc vnus alio iuſtiùs agit. Eadem ferè D.Thomas affert. Cætera ſunt clara.

QVÆSTIO IX.

Vtrum Deus Miſericordiùs agat cum vno, quàm cum alio.

D Bonau. d. 46.
D.Th.1 c.q.1.art.2.
quæſtiuncula 4.

Assero primò, Deum non miſereri maiori actu; 105
vt dixi etiam de Iuſtitia; ſed maiori effectu. Hoc probatur Rom.9. *Cui vult miſeretur, & quem vult indurat.* Secundò, quia maior eſt miſericordia erga eos, qui è maiori miſeria ad maiorem fœlicitatem eriguntur: ſed hoc operatur Deus erga aliquos: Ergo.

Aliqua verba notanda ſunt in D. Bonau. *hic, in corpore*, vbi dicit, quod ſimpliciter Deus magis miſeretur in præſenti eius, cui magis vult, & in futuro magis eius, qui magis indiget. Vnde magis miſero plus condonabit ſecundùm quantitatem abſolutam; non tamen ſecundùm quantitatem relatam. Hæc verba perpendens Dionyſius Carthoſianus 4. *d.46.* in fine ſecundæ quæſtionis, ait. *Hoc verbum vltimum S. Bonauenturæ intricatum videtur, niſi forſitan referatur ad exiſtentes in Purgatorio, qui per ſuffragia diuerſimodè adiuuantur, vel ad damnatos, quantùm ad hoc, quòd citra condignum torquentur.*

Verum hæc verba explicuit S. Bonauent. *quæ- 106
ſtione 4. ad 4.* vbi aduertit, Deum inæqualiter inæqualibus peccatoribus remittere in ſe, ſed proportione datâ æqualiter. Sint duo peccatores, quorum alter meretur quatuor gradus pœnæ: alter duodecim; & primo remittat duos gradus, & ſecundo quatuor: profectò abſolutè plures gradus remittit ſecundo, quàm primo; attamen proportionaliter vtrique æqualis iuſtitia inceditur, ſicut enim ſe habet demeritum quatuor graduum ad demeritum duodecim; ita remiſſio duorum, ad remiſſionem quatuor.

Argumenta in contrarium ſolùm probant, Deum, ſi ageret ad modum naturalium, non acturum miſericordiùs cum vno, quàm cum alio. Vel probant,

probant, Deum ex parte ſui actus, vel ſuæ miſericordiæ (quod S. Doctor. vocat per modum habitus) non poſſe agete miſericotdiùs cum vno, quàm cum alio: at verò quis non videt, effectus eſſe maiores in Paulo; quàm in Iuda? In Iacob; quàm in Eſau? Quæ affero ſolùm exempli gratia. Nam hæc etunt alibi altiùs penſitanda.

Ex dictis his duabus quæſtionibus tefellitur id, quod adeò Trigoſius in Scoto acclamat, relatum *num.47. diſputationis* 17.

DISPVTATIO XX.

De Prouidentia Dei.

1 PROVIDENTIA ſtatuitur pars integralis Prudentiæ, è Tullio t 1. *Rhetor. de Inuentione*. Tres enim ſtatuuntur partes Prudentiæ. Memoria, Intelligentia, & Prouidentia, quæ quidem in futuris præcauendis, & ordinandis verſatur. Ita D. Bonau. 3. *d.* 33. *dub.*2. *litt.* & 3. *p. Centil. ſect.* 41. referens quoque Senecam idem aſſerentem. Et *in Pharetra l.*2. *cap.*30. multos adducit Patres, idem edocentes. Idem habet Ariſtoteles, 6. *Eth. cap.* 2.

2 DEFINITVR Prouidentia à Boëtio 4. de conſol. *Eſt ratio ordinandorum in finem*. Ita etiam D.Th. *quæſt.*22. *art.*1. *&* 2. A Damaſceno l.2. de fide, cap.29. *Prouidentia eſt voluntas Dei, per quàm res omnes aptè, congruéque gubernantur*, vt refert D.Bonau. *ad* 14. *Sap. citandum quæſt.* 2. *argumento* 1. Hæ definitiones diſcutiendam quæſtionem excitant.

QVÆSTIO I.

An Prouidentia ſit actus Intellectus; vel Voluntas.

D.Bonau.d 40 quæſt.2.
D. Th. quæſt.22. art.1.

PRIMA opinio eſt, Prouidentiam eſſe actum Intellectus, ſed relatum ad Voluntatem. Ità Alenſ. *p.*1. *quæſt.*28. *m.* 1. *art.*2. loquens de Prædeſtinatione, quæ eſt ſpecialis Prouidentia citca media ſalutis, & differt à generali Prouidentia, ſicut particulare ab vniuerſali. Idem ſentiunt omninò Durandus 1. *d.*41. *quæſt.*1. D.Th. *quæſt.*22. *art.*1. & *quæſt.*23. *art.*1. vbi Caietanus, aliique Thomiſtæ. Nazarius verò remittit *ad quæſt.*23. *art.*1. vbi de Prædeſtinatione agens, quæ eſt pars prouidentiæ *controu.* 1. vtramque in intellectu ponit. Sic & Capreolus 1. *d.*40. *quæſt.*1. *art.*1. *concluſ.*1. *&* *art.*2. *concluſ.*2. Molina *quæſt.*22. *art.*1. *d.*1. Valentia *quæſt.*22. *p.*1. Bellarminus *l.*1. *de Gratia, & lib arb. cap.*9. Richardus 1. *d.*39. *art.*2. *quæſt.*1. Aureolus 1. *d.*40. *quæſt. vn. art.*2. & *d.*41. *quæſt.* 1. *art.*3. licèt ibidem Prædeſtinationem in Voluntate conſtituat, Marſilius *in* 1. *quæſt.* 41. *art.*1. Trigoſius *quæſt.*18. *art.*2. *dub.*1. vbi ad intellectum ſpectare ait Prouidentiam; Prædeſtinationem verò ad Voluntatem. Vnde non vult Prædeſtinationem eſſe ſpeciem Prouidentiæ; ſed eam ſupponere. Fallitur; vt dicam *quæſt. ſequenti*, & eſt contra Apoſtolum 1. *Cor.*9. vbi diſtinguit Prouidentiam generalem, quæ etiam de bobus eſt; & eſt phyſica; à ſpeciali, quæ deducit hominem ad beatitudinem, quæ aliquid morale includit. Tannerus verò *d* 3. *quæſt.*1. *dub.*1. dicit, tametſi hæc quæſtio ſit de nomine, vt notarunt Suarez *l.*1. *de Prædeſt. cap.*17. *num.*12. Vaſq. *d.*87. *cap.*3. magis tamen placere ſententiam D. Thomæ, ſeu modum eius dicendi. Sic & Leſſius *diſp. de præd. Ang. & hominum, ſect.*1.

SECVNDA ſententia eſt, Prouidentiam, & conſequenter etiam Prædeſtinationem, eſſe in Voluntate; connotare tamen, & dicere ordinem ad intellectum futura ordinantem, & diſponentem. Ita D. Bonau. 1. *d.* 40. *quæſt.* 2. quem ſequuntur Scotus *d* 40. *quæſt* 1. cum Scotiſtis. Gregorius *quæſt* 1. *art.*1. Suar. *l.*3. *de attrib. poſit. cap.*10. & *l.*1. *de præd cap.*17. vbi, licèt quoad Prædeſtinationem problematicus ſit; tamen Prouidentiam ad Voluntatem ait ſpectare. In hanc Propendet Ribas, infrà citandus. 3

TERTIA ſententia eſt, eam eſſe Intellectus, & Voluntatis. Ita Molina *quæſt.*22. *art.*1. *d.*1. Becan. *cap.*13. Inclinat Ribas *tract.* 6. *d.*1. *cap.*1. referens Alenſem *quæſt.*26. Marſilium *loc. cit.*

ASSERO cum ſecunda ſententia, quæ eſt Damaſceni ſuprà, vbi definit, Prouidentiam eſſe voluntatem, &c.

PROBATVR ergo primò à D. Bonau. *locis citandis quæſt.*2. Prouidentia dicit ordinationem, curam, & gubernationem rerum omnium ad finem, ſed hæc ſpectant ad Voluntatem: ergo. Maior probatur à D. Bonau. multis Scripturis referendis *quæſt.*2. Minor eſt euidens. Hoc argumento vtuntur Ribas, aliique multi apud Vaſquez. Hoc adamuſſim argumentum eſt D. Damaſceni, vt conſtat in definitione allata ab illo, l.2. cap. 29. *Prouidentia eſt Voluntas Dei, per quam res omnes aptè, congruéque gubernantur.* Hoc nititur S. Bonau. *ad* 14. *Sap. citandum, quæſt.*2. *argumento* 1. 4

HINC ſumitur à Seraphico aliud argumentum ad probandum, voluntatem eſſe principalem Prouidentiæ Sedem; contra Alenſem, Durandum, Marſilium, & alios, dicentes, eſſe actum intellectus, qui præcedit voluntatem, & dictat, ſeu proponit, quæ debet decernere, & communiter iudicium appellatur.

ARGVIT igitur S. D. *d.*40. *quæſt.*2. *arg.vlt.* Quandocunque aliqua duo conſtitutiua ſunt alicuius rei, tunc id, quod vltimò complet, dat ei eſſe formale: Sed intellectus, & Voluntas interueniunt ad Prouidentiam conſtituendam: Ergo quod vltimum eſt, dat differentiam, & eſſe formale; ſed Voluntas eſt poſt intellectum: Ergo. Complet verò obiectum formale prouidentiæ diſponendo, & applicando media, vt notat Ribas *num.*5. qui ait ſibi inuiſum, dari primum locum intellectum ad prouidendum. 5

QVÒD verò non ſit ab intellectu, ſubſequente voluntatem, habente rationem imperij. Probatur à S.Bonau. *in* 3. *d.*17. *quæſt.*1. *ad* 3. quia imperium eſt voluntatis; non intellectus, vt dicam 1.2. *tract.*1. *d.*13. *q.*1. Nam ipſa eſt Regina ſuperior; vt oſtendam *tract. de Anima, qui eſt nonus, diſp.*11. *quæſt.*1. 6

Deinde talis operatio intellectus fruſtrà additur voluntati ad curam rerum; ſufficit enim voluntatis affectus ſubſequens iudicium intellectus ad operandum, vt aduertit Arriaga *d.*32. *ſect.*1. *ſubſect.*1.

7 Præterea, eſto daretur in nobis aliquod intellectûs Imperium erga voluntatem; nullum tamen in Deo poteſt admitti; non enim aliqua ſuperioritas, vel præeminentia conceditur intellectui Diuino, reſpectu voluntatis, vt conceduntur, & aduertit Arriaga *loc. cit.* Imò neque nos nobis præcipimus, V.g. dicendo *impero; fac hoc*, quia debet eſſe diſtinctio realis imperantis, & obedientis. Ideò pronomen *ego* in nullo idiomate habet vocatiuum, nec habet primam perſonam ſingularem imperatiui modi.

8 Probatvr tertiò à D. Bonau. *in corpore.* Eadem eſt ratio Prouidentiæ, quæ eſt etiam Prædeſtinationis, quoad eſſe genericum. At Prædeſtinatio eſt actus voluntatis: Ergo. Probatur Minor: nam Prædeſtinatio eſt propoſitum miſerendi, è D. Auguſt. *l. de prædeſt. Sanct. cap.*10. *&* 16. Deffinitur enim voluntatis propoſitum deducendi, è miſeriis ad finem ſalutis, creaturam rationalem. Quæ definitio eſt D. Pauli *Rom.*9. & *Epheſ.*1. vt fatetur Trigoſius *quæſt.*18. *art.*1. *margine ad fundamenta*; licèt neget vſquam in D. Aug. reperiri *ibi* ad litteram, vt iacet. Rom. quidem 9. ait: *Cui vult miſeretur*, & Epheſ. 1. *Prædeſtinauit nos ſecundùm propoſitum voluntatis ſuæ.*

9 Definitvr etiam Prædeſtinatio *l. 2 de fide ad Petrum, cap.*3. à D. Fulgentio inter opera D. Aug. *Prædeſtinatio eſt gratuita præparatio donationis.* Et à D. Aug. l. 2. de bono Perſeuer. cap. 14. *Prædeſtinatio eſt præparatio, & præſcientia beneficiorum Dei, quibus certiſſimè liberantur, quicumque liberantur*, vbi præſcientia eſt ſolùm additiua, nihil operans; ſed ſolùm ſpeculatiuè intuens iam prouiſa futura: & ſubdit, eos ſolos venire ad Chriſtum, quibus eſt datum; & eis dari, qui electi ſunt ante mundi conſtitutionem; & addit, hanc eſſe S. Cypriani definitionem. Ex quo luce clariùs meridiana conſtat, Prædeſtinationem principaliter dicere voluntatem. Hæc S. Bonau. Hac ratione vtitur Vaſquez *cap.*3.

Obiicies. Prouidere, & prædeſtinare, eſt ordinare in finem, quod ad intellectum ſpectat. Confirmatur; nam Prouidentia eſt pars Prudentiæ, quæ eſt in intellectu. Itaque prædeſtinare, eſt præordinare, *ex l.*6. *Hypognoſticon, cap.*1.

10 Reſpondet D. Bonau. 1. *d.*40. *quæſt.*2. *ad* 1. quòd ordo, prout dicit diſpoſitionem rerum in vniuerſo, appropriatur intellectui; attamen ordinare, propriè eſt Voluntatis, decernentis ad finem. Et hic eſt actus adſcriptus bonitati, ac voluntati; & hoc modo eſt de ratione prædeſtinationis, ac cuiuſque prouidentiæ. Hanc reſponſionem, & doctrinam ſequitur Ribas *num.*5. Vaſquez *num.*15. eamque Scoto adſcribit 1. *d.*6. *quæſt.*1. & *quodl.*17. Eſt autem prouidentia gubernatio actiua in actu primo, ſeu in habitu reſpiciens res in potentia; ſicuti in actu ſecundo tranſiens eſt actu ſuper obiecta in tempore, vt docet etiam Vaſquez *num.*35. & D. Th. *quæſt.*22. *art.*3. & *quæſt.*103. *art.*6. & concedit Tanner. *num.*10. Quapropter concedere tenetur ad voluntatem pertinere Prouidentiam, cùm etiam voluntati conueniat gubernatio.

Ad confirmationem, Vaſquez reſpondet, Prouidentiam, quæ ſonat præuidentiam, eſſe partem Prudentiæ; at hæc dicit curam, & ſtudium rerum agendarum, quod ad voluntatem pertinet.

11 S. Bonav. *loc. cit. ad* 2. reſpondet meliùs; Prudentiam, licèt in genere cognitionis ſit in intellectu; addere tamen aliquid trahens ad genus virtutis, quod reſpicit voluntatem; vt oſtendit *in* 3. *d.*33. *quæſt.*3. & nos 2. 2. dicemus *diſp.*20.

QVÆSTIO II.

An rerum omnium Deus habeat Prouidentiam.

Philosophos omnes antiquos, fidei lumine deſtitutos, circa Dei Prouidentiam aberraſſe, vel eam omninò, vel ſaltem in rebus paruulis denegaſſe, aſſerit Michaël Medina *l.* 2. *de recta in Deum fide, cap.*2. quorum errores refert Vaſquez *p.*1 *d.*87. Tanner. *d.*3. *quæſt.*1. *dub.*1. 12

Non referam Atheiſtas, qui conſequenter omnem abolent Prouidentiam. Epicurus, Democritus, & Heraclitus Deum confitentes, attamen improuidum proclamabant; omnia ea neceſſitate naturæ euenire dicentes. Ita referunt Lactan. *l.*1. *de ira Dei, cap.*9. *&* 10. Nyſſ. *l.*8. *Phil. cap.*3. Boucrius noſter *Aphoriſmo* 1. *demonſtr.*1.

Deinde Cicero apud D. Auguſtinum 5. *de ciu. c.*9. diſputans *l.*2. *de Diuinatione*, ſcientiam futurorum contingentium, è libero arbitrio prouenientium, à Deo abſtulit; ac proinde etiam Prouidentiam de iſtis. Sed D. Bonau. videtur, eum; vt dicam, ad bonam frugem deducere, optaſſe.

Vtroque errore conſpurcati dicebant illi *Iob* 22. de Deo: *Nubes latibulum eius; nec noſtra conſiderat, circa cardines cæli perambulat.*

Hoc ſecundo errore videtur lapſus Ariſtoteles; imò & circa alias res, quæ à libero arbitrio non pendent videtur negaſſe prouidentiam, vt ei adſcribunt Clemens Alexandrinus *Strom. lib.*5. Epiphanius *de hæreſibus, hæreſi vltima*, Nazianzenus *oratione* 33. *num.*34. Ambroſius *lib.*1. *offic. c.*3. Theodoretus *lib* 6. *Græcan. affect.* Saluianus *lib.*1. *de Prouidentia*; Nyſſenus *lib.*8. *Phil. cap.*3. *&* 4 Euſebius *l.*1. *de præparatione Euangelica, cap.*4. & Nicetas in Orationem citatam Nazianzeni. 13

Fateor in Ariſtotele non reperiri euidenter hunc errorem; tametſi ea ipſo colligatur. *It,* 12. *Metaphyſica, cap.* 6. *textu* 37. ait, *Deum mouere primum corpus, & ab hoc alia moueri*, & *cap.*9. dicit, *abſurdum eſſe primam mentem de quibuſdam cogitare, & melius eſſe quædam non videre, quàm videre*; ſed videtur ſolùm immediatam gubernationem excludere rerum minimarum, quam indecoram exiſtimauit in Deo, & hoc ſolùm vult etiam *lib. de mundo ad Alexandrum*, quo maximè nititur Vaſquez *num.*3. Sed nota hunc librum eſſe incertum, quòd non obſeruat Vaſquez.

In libro verò Magnorum Moralium *cap.*8. ait. *Si fortuitus caſus eſſet Deo tribuendus, eſſet iniuſtus, cùm frequenter accidat, flagitioſos homines fortunatos eſſe, & res omnes benè illis euenire: contrà verò ſtudioſis plura aduerſa tam in bonis fortunæ, quam vitæ accidant.*

Quibus verbis ſolùm negat, res non euenire caſu, Deo non conſiderante, ſicuti volebant aliqui priſci, ex concurſu caſuali atomorum, omnia fieri dicentes. itaque vult, hos extraneos euentus, Deo prouidente, euenire. Hinc, 7. *Ethica ad Eud.* ait: *Diuino numine omnia moueri, & fortunam eodem numine inſtructam operari.* Similiter 10. *Ethica cap.* 8. ait: *At verò, qui mente operatur, & eam colit, diſponit optimè is, & amiciſſimus Diis immortalibus eſt Nam ſi Dij curam humanarum rerum (vt exiſtimatur) aliquam habent, rationi ſanè conſentaneum fuerit, ipſos eo gaudere, quod eſt optimum, maximéque ſibi* 14

ſibi cognitum, hoc autem fuerit ipſa mens. Vbi non benè infert Vaſquez, Ariſtotelem aſſerere in Deo ſolam de quibuſdam magnis rebus prouidentiam; ſed acutè arguit. Cùm omnes res ſint à Deo prouiſæ, ſecundùm Sapientum veram ſententiam, hoc debent omnes concedere amici Deo, qui mentem colunt. Si qui diſcurrunt, non ſint ex omoinò perditis; ſed aliquam ſanè prouidentiam Deo concedant, ſaltem de rebus præcipuis. Arbitror, Sanctos Patres antiquos, ex aliis operibus Ariſtotelis, quæ non extant, id collegiſſe, vel è Platonicis, vt illo Attico, & aliis, qui errores plurimos Ariſtoteli adſcribunt, vt par pari referant, eumque modeant, qui ſuo Platoni tot errores inuſſit.

15 · Platoni etiam hunc errorem adſcribit Marſilius Ficinus, *in argumento Protagora*, & Nyſſenus *loco cit.* Deum curam habere de vniuerſalibus, & incorruptibilibus; de cæteris verò per miniſtros dæmones. Verùm Plato *l.34. de Legibus, Dial.*10. aſſeuerat, Deum de rebus etiam minimis prouidum, non ſecùs, ac exactiſſimus aurifex minima ramenta cuſtodit. Veriùs hic error eſt Plinij *lib.2 hiſt.naturalis, cap.7.*

Hos errores validè expugnarunt Ambroſius *l. 1. off. cap.13.* Chryſoſtomus *homil.9. ad pop. Antioch.* & in ſex libris de hac re. Auguſtinus 5. *de ciu. cap.9. & 10. & lib.3. de lib.arb.* Saluianus *octo libris de Prouidentia,* Nyſſenus *loco cit.* D.Thomas 3. *contra Gent. a cap.71. ad 75.* Et D.Bonauentura paſſim; vt dicam.

Eos etiam Scholaſticos, qui aliquas actiones à Deo ſingillatim non fuiſſe ab æterno definitas dicebant, tanquam circa Diuinam Prouidentiam non benè ſentientes, exploſimus *diſp.16.q.5.*

16 Assero de fide, Deum habere de omnibus rebus Prouidentiam.

Probatvr primò à D.Bonauentura *ad 14. Sapientia,* ex illis verbis. *Tua autem, Pater, prouidentia gubernat omnia ab initio.* Hic aduertit Doctor Seraphicus, hanc prouidentiam definiſſe Damaſcenum *lib.2. de fide, cap.29.* Adnotat etiam, Deum vocari Patrem ſollicitum, prouidentiſſimè propterea curantem omnia, quæ ad nos ſpectant.

17 Probat ſecundò Seraphicus ibi, ex illis verbis, Iudith 9 *Iudicia tua, in tua prouidentia poſuiſti,* quaſi dicat. Quidquid operaris ab æterno, diſpoſuiſti tuâ prouidentiâ. Pergit verò, multa Dei opera enarrare. Tranſitum mirabilem Hebræorum per Erythræum, *Exod.* 14. Per Iordanem, *Ioſue* 3. aquis cedentibus. Ambulationem Petri per Mare, *Matthei* 14. &c. ac concludit, Pſalm. 103. *Omnia in ſapientia feciſti:* ac proinde, ſicuti omnia ſunt à Deo; ità omnia à Dei prouidentia ab æterno ſunt ordinata, iuxta id, Iudith 9. *Tua iudicia in tua prouidentia poſuiſti.*

18 Probat tertiò *ibi* argumento Platonis *in Timeo,* nihil caſu euenire Deo; ſed omnia à Deo præuiſa. Ea, quæ ſufficientem habuere ſui eſſe cauſam, debent eſſe ordinata à prima cauſa, motrice aliarum, ad proprios fines. Sed omnia, quæ ſunt, habuêre ſufficientem cauſam ſui eſſe: Ergo. Maior eſt euidens. Minor probatur, quia alioqui non fuiſſent producta.

19 Probatvr quartò *ibi* argumento Ciceronis, *l.1. de Diuinatione.* Meliùs adminiſtrantur, quæ fuerint à prouidentia, quàm quæ à caſu. Sed mundus optimè adminiſtratur: Ergo à Prouidentia Dei, quæ eſt prima cauſa.

Totum confirmat ad id Sap.8. *Attingit à fine vſque ad finem fortiter, & ſuauiter diſponens omnia.* Vide illum *ibi.*

Et quidem, quoad ea, quæ caſu videntur accidere, è Diuina prouidentia oriri, probatur à Seraphico *ad 4. Sap.* illis verbis: *Raptus eſt ne malitia mutaret intellectum eius, aut ne fictio deciperet animam illius.* Idem proſequitur S D. ad id Ioan.9. *Rabbi, quis peccauit, hic, aut parentes eius, vt cæcus naſceretur? Neque hic peccauit, neque parentes eius: ſed vt manifeſtentur opera Dei in illo.* Ipſum vide. Quare abſonè loquitur Iulius Sirenius *l.2. de Fato, cap.25.* dicens, hos defectus caſu euenire, etiam Deo; & graui dignus eſt cenſurâ. Negare enim, Deum non concurrere applicando cauſas inuicem oppoſitas, vnde iſti defectus, vel monſtra oriantur; eſt hæreticum, vt notant Vaſquez *q.22.art.2.* & Tannerus *d.3.q.1.dub.2.n.7.*

20 Probatvr ſextò à D. Bonauentura *ad Pſal.*146. Nam Pſalmiſta aſtruit Deum ad omnia prouidum, quippè ab *vno* debet eſſe omnis numerus: Ab immutabili omne mutabile. Ideò aduertit *ibi*, Deum aſſeri. *Qui numerat multitudinem ſtellarum.* Minutiſſima quoque animalcula Dei prouidentiæ ſubiacere; & ideo dici Pſalm.146. *Qui dat iumentis eſcam ipſorum; & pullis coruorum inuocantibus eum:* adeò vt ſingulos volantium pullos, eos præcipuè, qui egent, curet. Affert verò in exemplum coruulos à parentibus in nidulo derelictos, donec nigreſcant, quos interim, numeratis roris cæli guttulis, paſcit ad ſatietatem Deus.

21 Probatvr ſeptimò Diuina prouidentia à D.Bonauent. ad 12 *Luca,* argumento irrefragabili, ſumpto è prouidentiâ erga creaturas rationales; erga vegetabiles.

E primo capite ſic arguit cum Chriſto ipſo arguente. Qui prouidus eſt in maioribus, non deerit in minoribus. Sed anima plus eſt eſcâ, & eſca pluſquam veſtimentum: Ergo, qui prouidet animæ, & corpori, prouidet etiam victum, & veſtitum. Vnde infert. *Nolite ergo ſolliciti ſtis.* Confirmat autem S. D. illationem Apoſtoli, Philip.4. *Nihil ſolliciti ſitis, ſed in oratione petitiones veſtra innoteſcant apud Deum.* Et prima Petri 5. *Omnem ſollicitudinem veſtram proicientes in eum, quoniam ipſi eſt cura de vobis.* Et Pſalm 54. *Iacta ſuper Dominum curam tuam & ipſe te enutriet.* Quod carmen in ore Seraphici P. S. Franciſci perpetuò voluebatur. Hoc argumentum fatetur S. D. ſe ſumpſiſſe è D. Ambroſio *l.7. in Lucam* ad hunc locum, vbi arguit. Abſurdum eſt, vt victus copiam nobis defuturam putemus, qui viuendi iugem ſubſtantiam à Deo conſequimur; anima enim, & corpus ſunt partes hominis conſtitutiuæ, propter quem factæ ſunt cæteræ creaturæ, ſecundùm illud Geneſ. 1. *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram, & præſit piſcibus, &c.*

Idem colligit è D. Chryſoſtomo *homil.8. in cap.1. Geneſ.* vbi ait: *Omnia fecit Deus propter hominem; hominem autem propter ſe.* Et Sap.6. *Puſillum, & magnum ipſe fecit, & æqualiter eſt illi cura de omnibus.* Et è D. Auguſt. lib. de agone Chriſt. cap.8. *Rationales animas per ſeipſum Deus curat, & Angelos; cætera verò per ipſos gubernat.* Hæc S. Bonauentura. Alludit S. Aug. ad prouidentiam Dei in ordine gratiæ, in quo magis per ſe, nos gubernat, & regit, tametſi immediatè nos in omnibus etiam naturalibus regat, licèt ad hæc iam cauſis ſecundis vtatur, quod latè proſequitur S.D. *ad 6. Sap.* allegatum.

22 Secvndvm caput argumenti, quo Chriſtus Diuinam ſuadet prouidentiam, ſumitur è prouidentia, quam habet de ſenſibilibus, & minutulis paſſerculis. Ideo & Matth.6. *Reſpicite volatilia cæli. Nonne duo paſſeres aſſe veneunt? &c.* Affert verò præcipuè Coruum, qui ſane eſt maximè edax, vt propterea egreſſus ex Arca non reuerteretur, cadaueribus inhians, Geneſ.8. & Pſalm. 146. *Qui dat iumentis eſcam ipſorum,* & relatis iumentis addit coruulos: *Et pullis coruorum inuocantibus eum.* Et Iob.38. *Quis præparat coruo eſcam, quando pulli eius clamant ad Deum, eò quòd non*

habeant cibum? Afferuntur verò in exemplum Coruuli è nidulo crocitantes : quippè derelicti à parentibus, donec plumæ nigreſcant, aluntur à Deo. Sic igitur arguit Chriſtus : Deus prouidus eſt in ſenſibilibus,& minutulis, vt conſtat de coruulis, à parentibus derelictis. Ergo multò magis veſtri, qui plures eſtis ; quippè propter vos ſenſibilia omnia facta ſunt. Vnde Gloſſa, hic. *Pluris eſtis propter immortalitatem, quæ vobis promittitur, plus valetis. Propter quod, prima Cor.9. dicitur comparatiuè ad nos, videri nullam Dei prouidentiam de ſenſibilibus. Vnde ait. Nunquid Deo cura eſt de bobus?*

Addit aliud argumentum, ne ſollicitudine temporalium rapiamur. *Quis autem veſtrum cogitans poteſt adijcere ad ſtaturam ſuam cubitum vnum.* Et prima Cor.15. è prouidentia, quam habet de ſeminibus emortuis, vt reuiuiſcentia repullulent, eruit argumentum ſuæ prouidentiæ, erga noſtrum corpus, quod in vtero matris compegit nobis, vt dicitur 2. *Machab.*7. Vnde immortalitatem nobis prouidere oſtenditur.

23 Hinc tertium caput ſumitur argumenti à Chriſto, è vegetabilibus, quæ è ſeminibus corruptis progignuntur, veſtiuntur, aluntur, conſeruantur. Sumit autem præ manibus Chriſtus lilium, vt puritatis amans, & quia præ cæteris floribus, nulla agricolarum incumbente ſollicitudine, tanta venuſtate præfulget, tanta redolet fragrantia, tam præclaris, & odoratis emicat exuuiis, vt nec Salomon inter Reges ditiſſimus, inter opulentiſſimos curioſiſſimus, tot, tantiſque theſauris, è quibus ibi millia quadringenta aureorum, millia millium ad Templum conſtruendum à Patre legata acceperat, additis totidem, ac pluribus redundans, tantâ maieſtate, & gloriâ præfulgurans, quæ ex Auroræ hoſpitio raptam ad ſe Imperatricem, extra ſe rapuit præ ſtupore ; nullatenus aſſequi poſſet, vt byſſum cum eo comparandum, quo veſtiuntur lilia, purpuram, qua Roſa vernans induitur, ſibi contextam præcingeret. Tametſi ſubtiliſſima ex Hollandiæ brumis lina reuelleret ; viuaciſſimas ex ardentibus Indiarum fluctibus purpuras expiſcaretur ; pretioſiſſima è temperatis Phœnitiæ moris oloſerica raperet, ac Tyriis ancillis, Sydoniiſque Aracnibus traderet contexendas. Quod Beda in hunc innuit clamans. *Quæ purpura Regum, quæ pictura textricum poteſt floribus comparari?*

24 Hinc arguit Chriſtus. Deus floſculis prouidet tam pretioſa, qui mane vegeti, florentes viuaciſſimè ; serò flaccidi, tanquam fœnum aridum inueniuntur, clibano tradendum, vel iumentorum dentibus, ac pedibus conterendum ; quantò magis de veſtra erit incolumitate ſollicitius. Hoc argumento vtitur Valentia *d.*1. *quæſt.*22. *p.*2.

Stringit autem S.D. *loco cit.* cum Chriſto argumentum, illis verbis. *Nonne quinque paſſeres veneunt dipondio, & vnus ex illis non eſt in obliuione coram Deo?* Eſt autem hæc moneta duos obulos reddens, ſeu duobus aſſibus conſtans. Quod autem in numeris eſt Vnũ; in ponderibus eſt As. Ideò Matth.10. *Nonne duo paſſeres aſſe veneunt?* Parui igitur pretij cùm ſit paſſer, non eſt tamen longè à Diuino patrocinio. Et ideo ſubdit. *Et vnus ex illis non eſt in obliuione coram Deo.* Neque id prima Cor.9. *Numquid Deo eſt cura de bobus?* repugnant ; ibi enim à iumentis excludit eam prouidentiam ſupernaturalem, quæ ad nos reſpicit, non autem naturalem. Ideò aduertit S. Bonauentura ſubd: *Vnus ex illis non eſt in obliuione coram Deo,* quia nil illis euenit extra ordinem Diuinæ prouidentiæ: Vnde dicitur Matth.10. *Vnus ex illis non cadet ſuper terram ſine Patre veſtro.* Acutè autem S.D. aduertit, paſſeres frequenter caduco morbo laborare, & tamen ne pluma quidem eorum mouetur, Deo non prouidente. Hinc deducit Chriſtus, etiam de ſingulis hominum capillis, Deum eſſe prouidum. *Sed & capilli capitis veſtri omnes numerati ſunt.* Hinc Gloſſa Bedæ ad hunc locum. *Vt de maſſa corporis taceam, nam & minutula particula Dei prouidentia conſeruantur, vnde numeratio refertur, non tam ad cognitionem, quàm ad diligentiſſimam conſeruationem.* Confirmat S. D. ex illo 21. cap. infrà. *Capillus de capite veſtro non peribit.* Hinc infert Chriſtus concluſionem. *Nolite ergo timere, multis paſſeribus pluris eſtis vos.* Hoc vrget D. Baſil. *ad pſ.*32.

Idem argumentum roborat D. Bonauentura, ad locum allegatum *Lucæ* 21. vbi præclara Sanctorum PP. effata refert ; præſertim S. Auguſtin. *in Enchir. capite* 88. & factum illud in medium affert *Dan.*3. vbi Rex, & Satrapæ admirati ſunt, non modò capillos ; ſed etiam veſtes trium puerorum in æſtuanti fornace illæſas, non ab ignis ſolùm voracitate ; ſed etiam fumi odore, eò quòd de his prouidentiam Deus oſtentare voluiſſet. Ex quo eruit argumentum, quo vtitur Arriaga *d.*32. *ſec.*3. Nam indiuiduatio rerum requirit etiam hæc accidentia, Verbi gratia paſſerem volitare deorſum, vt capiatur, ideò hæc omnia debuiſſe à Deo eſſe prouiſa, vt euenirent, ob rationem ſuprà allatam ex Platone. 25

Hinc aliæ rationes, ſeu illationes à Seraphico eruuntur. Prouidentia eſt ordinatio rerum in finem : Sed Deus omnia ordinat, nempè irrationabilia ad hominem, & hominem ad Deum : Ergo. Hoc argumento vtitur D. Thomas. 26

Secundò. Quando cauſæ ſecundæ proportionatæ deficiunt, & tamen res deducuntur ad ſuos fines, ſignum eſt, altiorem cauſam de his habere prouidentiam ; ſed hoc euenit in mundo, vt in nutritione animalium, puta coruulorum, vt dixi : Ergo.

Tandem liceat mihi argumentum Tullij cum D. Bonauentura *ad* 14. *Sap.* apponere rurſum pro coronide. Optimus gubernator non à caſu, vel fortuna, res ſibi ſinit euenire. Sed Deus eſt optimus Gubernator : Ergo. Minor patet. Maior probatur: Nam ea, quæ eueniunt ex prouidentia, ſanè magis ordinata ſunt, quàm ea, quæ caſu, vel fortuna : Ergo à meliore cauſa eueniunt, magis verò ab optima. 27

Vltima ratio ſit D.Bonauentura è *prima parte Breuil. capite nono.* Primum principium, primaque cauſa eſt ſummè nobilis, & voluntatem habet, ac intellectum, ac perfectiſſimo modò operatur. Cùm autem Voluntas dicat id, quod in agentibus à propoſito attenditur regula rectitudinis, & efficacia operationis, neceſſe eſt, vt voluntas Dei ſit regulata, & regula rectiſſima, & efficaciſſima : Ergo debet eſſe dirigens ſecundùm condecentiam ſuæ bonitatis, quæ eſt finis omnium : Ergo vnuſquiſque fateri, ac venerari tenetur Diuinam Prouidentiam. Hæc ratio à Valentia *d.*1. *quæſt.*22. *p.*1. vocatur demonſtratio, quam innuit etiam S.Thomas, *artic.*1. Hæc Bouerius proſequitur, *art.*12.

Multa ex his adducit Trigoſius *quæſt.*14. *artic.*6. *dub.*1. proprio veluti è penu, innominato S.Bonauentura.

QVÆSTIO III.

Quæ Prouidentia ſit Dei circa mala.

D.Bonau. d.47. quæſt.2.

SPECIALIS inſtat difficultas circa mala culpæ. Et quidem, ea non eſſe à Deo volita, oſtendi *diſp.*16. *quæſt.*12. multò minùs prædeterminata; imò neque quoad materiale. Idem negandum, oſtendi *diſp.citata, quæſt.*17.

ILLIS igitur quæſtionibus oſtendi, mala ſubdi aliquo modo Diuinæ Prouidentiæ, non tanquam ſint effectus; ſed vel tanquam terminus impediendus, vel deſtruendus per Diuinam Prouidentiam, vel tanquam materia circa quam, & cuius occaſione aliquid faciendum ordinat Deus; veluti pœnitentiam agendam, aut iuſtam pœnam ſubeundam, vel ſatisfactionem ſuſcipiendam: ita vt circa illa quidem, & de illis prouidere quippiam Deus rectè dicatur; ſed non illa abſolutè prouidere: licèt vtique permiſſionem eorum Deus Prouideat. Ita S. Bonauentura *d.*46. *&* 47. pluribus quæſtionibus, D.T. *quæſt.*14. *art.*16. & *quæſt.*5. *de verit.art.*5. Alenſ. *p.p. quæſt* 36. *m.*4. *art.*1. Durandus 1. *d.*39. *quæſt.*3. *num.*10. Aureolus 1. *d.*40. *quæſt.*1. *art.*2. Ferrar. *l.*3. *cont. Gent. cap.*71. Valentia *quæſt.* 22. *p.*2. Molina, Vaſquez, alijquè expoſitores D.Thomæ *quæſtione* 22. *art.*2. Inter Thomiſtas verò Nazarius volumen ferè contexit, vt prædefinitionem perſtrepentem perſuaderet. *Suarez l.*3. *de attrib. cap.*10. *num.*8. Tannerus *d.*3.*q.*1.*dub.*2.*num.*10. Trigoſius *q.*14 *art.*6. per multa dubia, & communiter Theologi. Tandem Fulienſis, *cap.*18.

28 Eruitur è D.Auguſtin. in Enchir.cap.11. *Deus omnipotens, nullo modo fineret malum aliquod eſſe in operibus ſuis, niſi vſque adeò eſſet omnipotens, & bonus, vt benefaceret etiam de malo.*

SI dicas. Optimus prouiſor debet omnia mala impedire, ſi poteſt, cur ergo Deus mala permittit?

RESPONDETVR ex dictis *diſput.*16. *quæſt.*12. cum D.T. *p.p.q.*22. *art.*2. *ad* 2. & D. Bonauent. *diſt* 47. *quæſt.*3. Prouiſorem vniuerſalem totius entis debere permittere in tota ſerie generationum imperfectiones aliquas, quæ licèt ſint contra naturam particularem; ſunt tamen ad bonum vniuerſi. Sic etiam admittuntur à natura corruptiones, quæ è generationibus ſequuntur. Debent autem omnes cauſæ exercêre ſuos actus, ità vt liberæ ſinantur liberè agere; ac deficere, ſi velint; ſicuti & naturales deficere naturaliter; vnde oriantur monſtra, Quia è defectibus iſtis particularibus eruitur bonum vniuerſi.

29 Et ad hoc allegat Seraphicus D. Auguſt. 11. *de ciu. Dei, cap.*17. *&* 18. vbi ait: *Deus nullum faceret, quem malum præſciret, niſi pariter naſſet, quibus bonorum vſibus accommodaret.* Proſunt autem mali bonis, eos in virtute exercitando. Et ideo dicit *de lapſu mundi*, quod permiſit, plures eſſe malos, quia ſi pauci eſſent, non auderent exercêre bonos. Diuina etiam laus non exigit, quia occaſione mali ſummè manifeſtatur Diuina miſericordia in Filij vnigeniti donatione; in ſalute bonorum; in punitione improborum; & in maiori exaltatione eorum, qui à malis exerciti ſunt; & maiori malorum confuſione. Has antitheſes eleganter proſequitur Seraphicus *ad* 5. *Sap.* ad ea verba. *Tunc ſtabunt iuſti in magna conſtantia, aduerſus eos qui ſe anguſtiauerunt. Videntes turbabuntur timore horribili, &c. pœnitentiam agentes, & præ anguſtia ſpiritus gementes: Hi ſunt, quos habuimus aliquando in deriſum, &c. Nos inſenſati vitam illorum æſtimabamus inſaniam, & finem illorum ſine honore: Ecce quomodo computati ſunt inter filios Dei, & inter ſanctos ſors illorum eſt. Ergo errauimus à via veritatis, &c.* Vide quæſo ipſum Seraphicum, plurimas eleganter ad hoc Scripturas afferentem.

30 MVLTA alia paſſim in Opuſculis Inuenies, quibus explicantur querelæ Prophetarum lamentantium, malos dominari, præualere, &c. *Hierem.*12. *Eccleſ.*10. vbi dicitur. *Eſt malum, quod vidi ſub ſole, poſitum ſtultum in dignitate ſublimi; & diuites ſedere deorſum,* ideſt, ſapientes. Hoc autem præclare expoſuit S.Bonauent. in *Comment.* oſtendens Diuinam Prouidentiam in his permittendis, nempe ad exercitium bonorum id concedi; & ad correctionem etiam malorum; ſin verò ad pœnam, vt infrà.

ASSERO primò, Deum non habere prouidentiam peccati, ſecundùm eius eſſe formale.

31 PROBATVR à D.Bonauentur *d.*46. *quæſt.*5. Id, quod eſt obiectum Diuinæ Prouidentiæ eſt per ſe ordinabile in finem. Sed peccatum non eſt ordinabile per ſe. Ergo: Maior probatur ex definitione Prouidentiæ. *Eſt diſpoſitio ordinandorum in finem.* Minor probatur à S.D. Quod eſt ordinabile per ſe, eſt ita ens, & bonum, vt coniungatur cum vltimo fine, quod eſt ſummum Bonum. Confirmatur. Quod eſt ſubiectum Diuinæ Prouidentiæ eſt volitum; non ſic peccatum.

ASSERO ſecundò. Peccatum, ſecundùm materiale, eſt obiectum Diuinæ Prouidentiæ.

32 PROBATVR Quia eſt ens, & bonum volitum à Deo, vt oſtendi *d.*16. *quæſt.*17. Ergo propter finem, eſto voluntate peccatoris detorqueatur.

ASSERO tertiò, permiſſionem peccati eſſe obiectum Diuinæ Prouidentiæ. Ita S. Bonauentura *d.*47. *quæſt* 3.

PROBATVR primò à S.D. è D.Gregorio *l.*23. *Moral. cap.*24. & eiſdem Libris ſæpè, & ex D.Aug. *locis ſuprà citatis.*

33 PROBATVR ſecundò. Quia ordo vniuerſi ob finem boni communis id requirit, vt dixi. Quia inde maius bonum Deus elicit, ſicuti è morte Chriſti, omnium eduxit ſalutem. Alias rationes attuli ſuprà.

INSTANT aliqui. Nam perfectius foret vniuerſum, ſi eſſet ſine peccatis: ſicuti vidimus B.Virginem perfectiorem, quia Immaculatam.

DE hoc agit S. Bonauentura *d.*46. *quæſt.*6. Et reſpondet, malum ex ordinatione ad bonum, reddere mundum decorum è D.Auguſt. 11. *de ciu. Dei, cap.*18. Primò ratione ſubiecti, quod ad redemptionem, & maiorem gloriam ex gratia, atque pœnitentia inſigni, vel ad pœnam ordinatur, in quo Diuina reſplendeat iuſtitia. Deinde ratione Diuinæ bonitatis enixæ per quandam antiperiſtaſim, dum à malitia inuaditur, vt patet.

34 Incarnationis, & Redemptionis altiſſimo myſterio, & beneficio, è peccatorum occaſione collato, adeò vt clamet Eccleſia. *O fœlix culpa, quæ talem, ac tantum meruit habere Redemptorem.* Hinc & B. Virgo tam præclara facta eſt, vt eſſet Mater Redemptoris peccatorum. Fatetur quidem Seraphicus, perfectionem vniuerſi ſublimem, eſſe ſine peccato; attamen accidentalem addi occaſione peccati, vt dixi *diſput.* 16. *quæſt. citata.*

ADDIT S. Bonauentura malum reddere, ex oppoſitione, bonum pulchrius, quia oppoſita iuxta ſe poſita magis eluceſcunt.

Denique ad prouidentiam Dei pertinere, cauſas om-

nes

nes varias ſinere effectus ſuos, modis connaturalibus producere. Ex hac enim varietate, vt fert vulgatum ſermone prouerbium; naturâ gratipti pulchritudine, & venuſtate emicat.

Dices, malum culpæ eſſe infinitum. Ergo nullo bono inde eruto compenſatur; ac proinde non videtur Prouidentia bona permittere malum, vt bonum inde eruatur.

35 Omissis duobus Trigoſij reſponſis, quæ mihi non probantur. Dicam cum D. Bonauentura, bonum ex Diuina ordinatione, ac præpotenti bonitate, ac prouidentia maius eſſe. Vis enim Diuina eliciens bonum præpotens eſt malo; & ideò bonum, quod inde eruit, præualet bono, quod malo corrumpitur, quare plus valet nunc mundus; vnde clamat Eccleſia. *O Felix culpa, &c.* Affert exemplum Scyphi integri qui frangitur, & religatus filo aureo, pulchrior euadit. Hoc maximè elucet in mundo, redempto ſanguine pretioſiſſimo, ac meritis infinitis Ieſu Chriſti, de quibus, *Apud Dominum miſericordia: & copioſa apud eum redemptio.* Maius enim bonum, eſt Incarnatio, & mors Chriſti, quàm ſit bonum peccato deſtructum. Hæc S. Bonauent. *quæſt. cit.* cum his Suppone etiam, malum merè permiſſum.

36 Plvrima bona è malis eruta à Diuina Prouidentia recenſet Trigoſius *quæſt.* 14 *artic.* 6. *dub.* 4. ex Alenſ. *p.p. quæſt.* 38. *in* 3. Ægidio *in* 1. *d.* 46. *quæſt.* 3. & præcipuè S. Damaſceno *l.* 2. *de fide, cap.* 19. & 26. quæ omnia partim hîc, partim *diſputat.* 16. præcipuè *quæſt.* 12. narrata ſunt.

Innvmeras ferè Scripturas S. Bonauentura recenſet in Opuſculo, *Biblia pauperum, cap.* 2. innumeros caſus, innumera facta extrauagantia, quibus elucent Diuina Prouidentia in bonis erutis è malis, & Diuinorum iudiciorum arcana. Ipſum legito, vbi omnia ferè, quæ de hoc edici poſſunt, diſcurrit. Quæ ad capita quædam reducta indicabo. Et primò de bonis erutis, e malis pœnæ.

Primò, è Moyſis fuga, & exilio, elicuit Deus, vt ad ſolitudinis Madian, ad contemplationem, ac reuelationes Moyſen ſublimaret, indeque populi liberationem, & Ægyptiorum punitionem aggrederetur. *Exod.* 2. & 3. Ex hortationibus, & legationibus Moyſis ad Pharaonem, tametſi illud noſſet, oleum, & operam perdere; elicuit liberationem populi; oſtenſionem Iuſtitiæ in Ægyptos; & in Moyſe augmentum ſanctitatis. *Exod.* 5. *& ſequentibus.*

E prolixis tribulationibus Hebræorum in Ægypto, eorum ſalutem aucupatus eſt Deus. *Exod.* 1. *& ſequentibus.*

37 Devs indoluit vicem, Hebræorum pœnitentiam agentium, & lætatus eſt, ex eorum tribulationibus emolliri ceruices, tam diù peruicaces, *Iudic.* 16.

E comminationibus, humiliationem Achab eduxit, vt differrentur pœnæ, 3. *Regum* 21.

E captiuitate ſceleſtiſſimi Manaſſe, eduxit eius pœnitentiam, & ſalutem, 2. *Paral.* 33. Machabæorum gloria, es eorum tribulationibus *primo, & ſecundo Machab.* emicuit.

E virtutibus Tobiæ cæcitatem: è cæcitate patientiam prouidè Deus elicuit. *Tob.* 2. Idem de Iob.

Mirabile fuit, Apoſtolos à Diuina prouidentia permiſſos in carceres conijci, primo naſcentis Eccleſiæ exordio, cùm fundaretur Eccleſia; & tamen maior profectus, non modò eorum; ſed etiam Eccleſiæ, & multitudinis fidelium incrementum, & robur *Act.* 5. 7. 12. 13. 18. vſque ad finem. Miratur verò Seraphicus, Paulum Doctorem gentium conſtitutum tot annis clauſum carceribus, quo tempore mundum, veluti Sol, illuſtrare debebat. Sed inde maxima bona eruit, vt litteris, remotiſſimas gentes; vicinas, hortationibus ſolidiùs animaret ſuorum vinculorum exemplo, quàm miraculis, & prædicatione præſtitiſſet. Vide ibi Seraphicum.

Secvndo loco recenſebo cum D. Bonauentura bona eruta à Diuinâ Prouidentiâ, è culpis. Primò admiratur, Deum creaſſe hominem, & in Paradiſo collocaſſe, cùm ſciret lapſurum cum totâ progenie. Sed cedat admiratio; inde enim maximum Redemptionis bonum elicere decreuerat. Ideò enim fecit, Quia ſe recuperaturum cognouit; vt docet etiam *in* 3. *d.* 1. *art.* 2. *quæſt.* 1. *ad* 5. 38

E ſæua fratrum venditione elicuit Deus Ioſeph gloriam, ipſorumque ſalutem, *Geneſ.* 37. 41.

E Labani auaritiâ, & fraudibus, ſicut & es Eſau crudelitate, diuitias Labano, & Iacob virtutes adauxit; *Geneſ.* 30. *& ſequentibus.*

E Pharaonis tyrannide, & pernicieciâ, ac Ægyptiorum ſeuitiâ, operatus eſt flagella portentoſa in eos; & ſalutem Hebræorum. *Exod* 1. *& ſequent.*

Ideò ait Exod. 9. *Idcirco poſui te, vt oſtendam in te fortitudinem meam, & narretur nomen meum in omni terra.* Hinc vulgus promiſcui innumeri conuerſio.

E longa, atque aſpera peregrinatione Iudæorum, obmurmurantium per deſerta, eorum eruit ſalutem; multaque beneficia contulit, ac glorioſos, atque triumphantes in terram promiſſionis induxit.

E peccatis Iudæorum in terrâ Chanaan, flagella: è flagellis eruit conuerſionem frequentem. *Iudic. lib.*

E Necromantiâ Pytoniſſæ, ſuſcitauit Deus ſamuelem, vt corriperet Saulem, 1. *Reg.* 28.

E peccato Dauid, & morte infantis, ſecura eſt ipſius pœnitentia.

E legatione impia duorum quinquagenariorum Regis Iſraël, nota fecit oſtenta ſuæ Iuſtitiæ, eos comburendo. Regemque increpando, & puniendo, 4. *Reg.* 1.

Mirabile profectò, quod Deus tot cladibus, tot captiuitatibus percuſſerit gentem, tot miraculis ex Ægypto liberatam, tot beneficijs ditatam, de tot nationibus triumphantem, mirabiliter glorioſam, tradiderit ob peccata, quaſi oues, ad occiſionem venditos, redactos in captiuitates inter Chaldæos, Ægyptios; Perſas. 39

Profectò mirabilem in hoc Dei Prouidentiam enarrat Tobias, cap. 13. *Confitemini Domino filij Iſrael; quoniam ideò diſperſit vos inter gentes, quæ ignorant Deum, vt vos enarretis mirabilia eius, & faciatis ſcire eos, quia non eſt alius Deus omnipotens præter eum.*

E crudelitate Antiochi, *Machab.* 1. & 2. acta virtutum in Machabæis eduxit, malorum punitionem, quorundam correptionem, vt habetur 2. *Machab.* 6. vbi dicitur. *Obſecro autem, &c.*

Es Innocentium ſæuiſſima clade, & Herodis crudelitate, honorem contulit infantibus incompatabilem, vt Martyres triumpharent, *Matth.* 2.

E Deicidio execrabili, redemptionem humani generis, velut es abditiſſimis latebris, protulit in lucem.

E Petri negatione, eius in fide maiorem ſoliditatem, ac in peccatores commiſerationem, atque benignitatem in fidelibus regendis, edoxit.

Ex infidelitate Thomæ, maiorem in fide firmitatem, & teſtimonium nobis Chriſti reſurrectionis confirmauit; Atque ex vtroque exemplum, parum fidendi noſtris virtutibus, vel acceptis donis. Similiter è Iudæ præcipitio documentum, *Qui ſtat, videat ne cadat.* Matth. 20. omnibus obtulit. 40

E Sæuiſſima morte, Stephano illatâ. *Act.* 7. eius gloria.

gloria, & triumphus glorioſiſſimus, Paulique conuerſio emanauit.

E perſecutione, exorta poſt mortem Stephani. *Act.*8. quâ omnes Chriſti diſcipuli ad internecionem conquerebantur, factum eſt, vt per prouincias diſperſi, nomen Domini, & Euangelium notum facerent.

Ex obſtinatione Iudæorum, anſam acceperunt Apoſtoli (Deo prouidente) diuertendi ad gentium conuerſionem, *Act.*13.

E diſſenſione Pauli, & Barnabæ, eſto culpa aliqua admitteretur venialis, factum eſt, vt diuiſi, pluribus gentibus prædicarent.

Ex Iudæorum, & Paganorum in Paulum crudelitate, ortum eſt in eo magnum gratiarum augmentum, & maximus profectus. Alia vide in S. Doctore.

41 TERTIVM caput eſt euentuum admirabilium, qui iudicia Dei paſſim omnibus ſtupenda, & arcana proclamant.

Quòd Ioſeph Sanctus à fratribus impiis tradi permiſſus, & opprimi. *Geneſ.*37. Quod è filiis eius Iacob cancellatis manibus, Deo mouente, Minorem prætulerit maiori, *Geneſ.*48.

Quòd fideles Hebræos à ſordidiſſimis Ægyptiis Infidelibus opprimi permiſerit.

Quòd Moyſes optimus, inter Deum, & populum, toties efficax mediator, ob leuem culpam non valuerit veniam habere, ſed fuerit damnatus morte. *Numer.*10. Vbi extra terram promiſſam coactus eſt occumbere.

Quòd Reges, & populi Chanaan, videntes miracula, adhuc indurarentur. Ioſue 11. *Dei ſententia fuit, vt indurarentur corda eorum, & pugnarent contra Iſraël, & caderent.*

Quòd Gedeon poſt reuectos de Paganis mirabiles triumphos, cùm humillimus honores tantos recuſaſſet, tamen poſteà ſibi conſuerit Sacerdotalia ornamenta ad ruinam, *Iudic.*8.

42 Quòd Sampſon de ſterili conceptus, nunciante mirabilem eius vitam Angelo; tandem mulierum amore pellectus, miſerrimè delapſus ſit, *Iudic.*16.

Quòd filij Iſraël iuſtum bellum ineuntes contra Beniamitas, bis debellati profligati fuerint; at ipſi Beniamitas ad internecionem tandem deleuerunt, *Iudic.*20.

Quòd exercitus Iſraël à Philiſtæis trucidatus, Arca teſtamenti capta; vt miracula multa patraret Deus, & Philiſtæos vlciſcens occideret, deiectisquinquaginta millibus popularibus, & ſeptuaginta magnatibus eorum, 1. *Reg.*4.5.

Quòd Saul primò optimus, electus in Regem, fuerit à Deo proiectus, iam factus impijſſimus, 1. *Reg.*15.

Quòd Dauid, & filios eius, tot præconiis à Nathan ex ore Dei celebrati, tam turpia patrarint, 2. *Reg.*7.

Quòd Saul pro ſimplici omiſſione demolitionis Amalech, & ſacrificio, ſimplici mente ablato, reprobatus, & cum tota poſteritate confractus ſit: Dauid verò ob adulterium, homicidium, & turpiſſimam proditionem, & pro tot ſceleribus tam leuiter punitus. Dixerim hunc pœnitentem ſuas iniquitates ſibi portandas impoſuiſſe, vnde ait. *Sicut onus graue, grauatæ ſunt ſuper me*; at Saul dicebat Samueli, *Porta peccatum meum*, 1. *Reg.*12.

43 Quòd Dauid moriens præceperit mortem Semei, cui iurauerat veniam, nec reprehendatur à Deo; ſed ſanctorum faſtis adſcribatur, 3. *Reg.*2.

Quòd Salomon tantâ è cælo præditus ſapientiâ, cui Dominus æternum iurauerat patrocinium, in ſenectute ſua deprauatus ſit, 3. *Reg.*11.

Quòd Leo virum Dei, miraculorum in Bethel patratorem, occiderit, 3. *Reg.*13.

Quòd Hebræam nationem, tot miraculis educatam, perdiderit.

Quòd virum ſanctiſſimum Iob tot flagris Deus percuſſerit, *Iob* 1.

Quòd Ionæ ſubuerſionem prædicandam præceperit, cùm decreuiſſet Niniuem non ſubuertere, *Ionæ* 3.

Quòd Ieſus voluerit ab Herode fugere, *Matth.*2.

Quòd audita fide Centurionis Gentilis, ſententiam illam protulerit. *Multi venient ab Oriente, & Occidente, & recumbent cum Abraham, Iſaac, & Iacob, in regno Cælorum: filij autem regni eijcientur, &c.* Matth.9.

Quòd Scribam volentem ſequi, Chriſtus reiecerit; 44
alium verò ferè renuentem inuitauerit, qui dicebat, *Dimitte me ſepelire patrem meum*, Lucæ 9. Matth.8.

Quòd fecerit virtutes in Corozaim, & Bethſaida, vbi parum profuit; & non fecerit in Tyro, & Sidone; vbi profuiſſet, *Matth.*11.

Quòd permiſit, Ioannem ſanctiſſimum, ab Herode, viliſſimo adultero, decollari, inſtante Meretrice, *Matth.* 11. *Marci* 6. Neque in Euangelio legantur ſacrilegi homicidæ puniti.

Quòd permiſerit, Petrum negare; Thomam non credere; Filium occidi; Apoſtolos omnes, quaſi pecora lacerari. *Matth.*25. *Ioan.*10. *Act.*7.12. & infrà.

PRÆCIPVA verò Quæſtio eſt: CVR MALI BONIS DOMINENTVR. Vbi mirare.

Quòd vt (refert S. Bonauentura) Pharao tyrannicè oppreſſerit Hebræos.

Quòd populo ſuo Regem conſtituerit Ieroboam peſſimum; quem ſciebat, tracturum Hebræos ad Idolatriam, & conſultò ſceptrum è manu Roboam extorſerit; cùm iuraſſet imperium in poſteris Dauid fore æternum, 3. *Reg.*11.

Cur Iehu Regem ſubſtituerit Filiis Achab; cùm 45
ſciret, eum in peccatis graſſantem, cum Ieroboam ambulaturum, 4. *Reg.*10.

Cur Manaſſen peſſimum quadragintaquinque annos Regnare voluerit, & orantem audierit, 2. *Paral.*33. Et Ioſiam Regem ſanctiſſimum à barbaro Rege Ægypti, poſt pauciores annos, morte violenta, atque crudeli, occidi permiſerit, 2. *Paral.*35.

Cur tot Reges impios in Iudæa deſtinauerit, & tandem barbaros Aſſyrios, Perſas, Meduſque dominari his conceſſerit, 3. *Reg.* & 4.

Cur tot Regna Holoferni, & Idololatriæ Nabucodonoſor ſubiecerit, *Iudic* 2.

Cur Aman ſuper centum viginti ſeptem Prouin- 46
cias creatum præfecerit, *Eſth.*3.

Cur impios Iudæos à ſceleratioribus Regibus, & populis voluerit flagellari, Quos vocat virgam furoris ſui, *Iſaiæ* 10.

Cur Reges, etiam infidos, tam fixè Regno Iudeæ deputauerit; vt Chriſtos ſuos appellet, *Iſaia* 45.

Cur Antiochos peſſimos tyrannidem exercere in Iudea conceſſerit, atque Machabæos miſerabiliter rapi, 2. *Machab.*6. Hinc plura habes bona elicita.

Cur viros ſanctiſſimos occidi permiſerit. Iudam à 47
Bacchide 2. *Machab.*9. Ionatham, & filios, à Tryphone, 2. *Machab.*13. Simonem, à Ptolæmeo, *cap.*15. Eleazarum, & ſeptem fratres miſerrimè tortos, & interfectos, & totum fidelem populum tyrannide agitatum.

Quòd impijſſimos Iudæorum Principes conceſſerit regnare, & duodecim Paganos Cæſares in orbe Eccleſiam perſequi; Idololatriam terra, marique diſſeminare.

Quòd

Quod mirabilius eſt, ſæpè Imperatores mitiores è medio ſuſtulerit; ſæpè etiam Catholicos rapuerit; & impios viuere, & imperare conceſſerit; vt conſtat in filiis, & nepotibus Magni Conſtantini.

OBSECRO quid mirabilius, quàm Ottomanos, Mahometi ſpurciſſimos Turcimanos, toti ferè Aſiæ, Africæ, & Europæ plurimis imperare Prouinciis? Neq; adhuc apparere, vnde corruant; cùm anteactæ Barbarorum Monarchiæ concitatioribus annis de Medio ſublatæ in profundum abierint. Eſto enim non ſint Idolatræ (vt Lyrano conceſſerim) attamen Sanctiſſimam Trinitatem negant: Filij Deitatem impugnant præcipuè; eique agaſonem, omni flagitiorum genere conſpurcatum, præferunt.

48 HÆC miratur S. Bonauenturæ *loco citato, in Bibliis pauperum.*

Deinde *in* 10. *Eccleſiaſte* perpendens illud. *Eſt malum, quod vidi ſub Sole, quaſi per errorem egrediens à facie Principis: poſitum ſtultum in dignitate ſublimi, & diuites ſedere deorſum.* Diuites (ait) bonis moribus, ſcientia, & gratia. Mirum! hominem ignauum, ignorantem, præcipitem, ſæpè etiam inter nos principari: at ſapientem, ſtudioſum, iuſtum, prudentem, in infimis iacere. Videtur ſanè error; ſed eſt magna Dei prouidentia ad populos puniendos. Stolti ſunt, qui tales eligunt, de quibus dicitur, Prouerb. 26. *Sicut, qui mittit lapidem in aceruum Mercurij; ita, qui tribuit inſipienti honorem.*

49 SCRVTATVR autem S. Bonauentura *ibi:* An iuſtum ſit, ignorantes, & malos principari. Et quidem ità fieri, & à Deo conceſſum, probat Rom 13. *Non eſt poteſtas, niſi à Deo.* Et Ioan. 19. idem fatetur Chriſtus Pilatum alloquens *Non haberes poteſtatem, niſi datum tibi eſſet deſuper.* Deſuper explicat S. Auguſtin. *l.* 1. *ad Simpl. quæſt.* 1. ideſt, à Deo. Et ex illo 1. Petri 2. *Subditi eſtote, non tantùm bonis, & modeſtis, ſed etiam diſcolis*, & reddit rationem, *Propter conſcientiam.* Ideo Iob 34. dicitur Deus. *Qui facit regnare hypocritam propter peccata.*

50 E contrà verò videtur non eſſe à Deo tale dominium; vt dicitur Oſeæ 8. *Ipſi regnauerunt, & non ex me. Principes extiterunt; & ego non cognoui.* Præterea ſeruitus eſt peccato inflicta pœna: Ergo peccatoribus tantùm infligitur: Ergo & dominium tantùm iuſtis eſt proprium. Præterea nil eſt à Deo, niſi iuſtum; ſed poteſtas impiorum eſt iniuſta: Ergo non eſt à Deo.

RESPONDET *ibi*, & *in* 2. *d.* 34. *artic.* 1. poteſtatem Principum legitimorum eſſe à Deo; at tyrannidem, ſiue in poteſtate, ſiue in exercitio eius, eſſe permiſſam, ſiue ad exercitium bonorum, ſiue ad punitionem malorum, Diuinâ Prouidentiâ ita diſponente.

PLVRIMAS ſubinde Scripturæ Sacræ hiſtorias recenſet eodem Opuſc. *cap.* 100. 101. *&* 102. quibus prouidentia Dei circa bonos, & malos principes recenſetur. Vide Seraphicum, nolo enim his tœdium legenti inferre.

QVÆSTIO IV.

Vtrùm ſufficiat Prouidentia ordinare res in finem, An verò debeat finem ipſum conſequi.

51 PRIMA opinio eſt Caietani *p. p. quæſt.* 21. *artic.* 1. dicentis, ad perfectionem Diuinæ Prouidentiæ requiri, vt res prouiſæ fines ſuos ſemper conſequantur. Adducit quoque D. Thomam 3. *cont. Gent. cap.* 94. & *p. p. quæſt.* 22. *art.* 2. *ad* 1. *& art.* 4. Idem ſentiunt Bannes, Nazarius, & Zumellus ibi, ac Morandus, *Append. de Prouidentia Dei, q.* 3.

SECVNDA ſententia cenſet, ſufficere, ſi res à Diuina prouidentia ſint ritè ordinatæ ad fines, quamuis eos non aſſequantur. Ità Durand. 1. *d.* 39. *quæſt.* 3. & *d.* 40. *quæſt.* 1. Capreol. *d.* 40. *quæſt.* 1. *art.* 3. *concl.* 2. Ferrar. 3. *cont. Gent. cap.* 94. D. T. *quæſt.* 6. *de verit.* Valentia *d.* 1. *quæſt.* 22. *p.* 1. Arriaga *d.* 42. *ſec.* 4. Vaſquez *p. p. d.* 87. *cap.* 4. Suarez *l.* 3. *de attrib. poſit. cap.* 10. & *l.* 1. *de eſſentia prædeſt. cap.* 18. *num.* 5. *& ſequentibus*, Nazarius *q.* 22. *art.* 1. *controu. vnica*, Molina, & Syluest. ſuper *eodem artic. D. Thomæ*, qui cenſet hanc differentiam poni à D. T. inter Prouidentiam, & Prædeſtinationem, quòd Prouidentia dicit ordinem ad finem; prædeſtinatio autem dicit ordinem ad finem, & euentum, cum finis aſſecutione. Verùm de ſententia D. T. decertant diſcipuli: nam Caietanus, & alij nonnulli cenſent, D. Thomam retractaſſe ea, quæ dixerat *quæſt.* 6. *de verit.* & *in* 4. *d.* 40. *quæſt.* 1. *art.* 2. ad primam ſententiam rediiſſe. Nazarius verò, & alij primæ ſententiæ negant, Angelicum vſquam palinodiâ cecinisſe; ſed idem ſemper concinnaris apertis verbis eum aſſeueraſſe dicunt.

TRIGOSIVS *p. p. quæſt.* 14. *art.* 6. *dub.* 1. §. *Tertio nota*, 52
conciliator accedens, ait, ad concordiam ſic redigi allatas opiniones dicendo: Primò, prouidentiam in genere dicere ſolam ordinationem ad finem, non autem finis aſſecutionem, vt notat Ferrar. *loco cit.* & hoc modo intelligi D. Thomam, & Durandum.

SECVNDÒ, prouidentiam particularem, qualis eſt prædeſtinatio, ſemper ſuum finem aſſequi, & hoc omnes concedunt.

Tertiò, Prouidentiam Dei omnem dicere aſſecutionem finis, à Deo intenti in ordine ad manifeſtandam ſuam Bonitatem, Iuſtitiam, Miſericordiam, &c.

QVARTÒ, ſi loquamur de fine particulari rerum, prouidentiam aliquando conſequi finem, vt, *Verbi gratia*, in his, quæ efficaciter diſponit; aliquando verò non; vt conſtat in ordinatione omnium ad ſalutem.

TANDEM vniuerſaliter loquendo ait, ordinationem Diuinæ Prouidentiæ eſſe infallibilem, vt eueniant res eo modo, quo diſpoſuit, alioqui eſſe inefficax. Hanc dicit eſſe D. Bonauenturæ ſententiam, *d.* 46. *quæſt.* 6. ad argumenta. Eodem ferè modo definit Marcus noſter *quæſt.* 22. *d.* 5.

Verùm ibi ſolùm ait Seraphicus; quod ordinatio mali facit ad complementum accidentale mundi; non ad ſubſtantiale; nec aliquid redolens hoc apponit.

EIVS igitur ſententia deducitur, *d.* 46. *quæſt.* 1. vbi 53
docet, ordinari omnes ad ſalutem à Deo, prout antecedenter vult omnes ſaluos fieri. *Velle autem conſequenter*, connotat ordinationem ſimul cum ſalute ipſa obtenta. Et quidem omnibus vniuerſaliter ordinatis ad ſalutem, Deus ſuâ Prouidentiâ, ordinauit media, nempè naturæ, & gratiæ ad finem ſalutis, quam tamen non connotat illa diſpoſitio.

Sentit ergo ad prouidentiam omnem Dei, non requiri aſſecutionem finis ad quem adhibentur media illa; tametſi obtineatur finis oſtenſionis Bonitatis, Miſericordiæ, vel Iuſtitiæ; vt innuit *loco cit.* à Trigoſio: at verò Prouidentiam efficacem voluntaria conſequentia, qualis eſt prædeſtinatio, attingere ſemper etiam finem, vt docet *fundamento tertio.*

DEINDE colligitur è *p. p. Breuil. cap.* 9. vbi eadem 54
ferè dicit, nempè Diuinam Prouidentiam eſſe diſpoſitionem omnium, quæ in vniuerſo eueniunt, & quia nil fit, quod ex aulâ ſummi illius Imperatoris, aut non iubeatur, aut non permittatur; hinc ſequitur, omnia fieri prout efficaciter ad finem vniuerſi ordinata, vel permiſſa ſunt: tametſi fines particulares, ad quos vo-

luntate

luntate beneplaciti antecedente, media ordinantur, nonnunquam fruſtrentur; tamen quia voluntas Dei eſt omnipotens, quidquid abſolutè vult, finem aſſequitur.

55 Hinc ſequitur id, quod ait S. D. *d.46. quæſtione* 1. Deum aliqua ordinare ad finem, dando media ad illum, ità tamen, vt non connotetur, finem ipſum eſſe futurum. Ratio eſt, quia media prouidè relinquuntur nobis liberè. Sic Deus dat omnibus auxilia neceſſaria ad ſalutem; non tamen iſta diſpoſitio auxiliorum, ſeu mediorum connnotat finem, & reſpicit illum efficaciter, quia dantur dependenter à noſtrà liberà cooperatione. Hinc eſt, quòd prouidentia non ſemper decernat finem, vt notat etiam Vaſquez, hanc doctrinam adſcribens Ferrarienſi, qui vult idem, quod intendit Seraphicus, dicens, illam non connotare finem.

56 Seqvitvr ſecundò id, quod docet S.Bonauentura *d.47. quæſtione prima*, ſemper Deum conſequi ſuâ prouidentiâ aliquem finem. Nam in reprobis, quos ad beatitudinem ordinauit, dans naturam capacem beatitudinis, & gratiam, Deum aliquem finem conſequitur ſibi præſtitutum; & ità, ſi homo non facit, quod Deus vult, voluntate antecedente, Deus facit de ipſo, quod vult, voluntate conſequente, putà oſtendere ſuam Iuſtitiam. Ità aduertit etiam Vaſquez. Forſan hoc voluit Caietanus dicens, Deum ſemper conſequi ſuum finem intentum, voluntate ſaltem conſequenti, quod veriſſimum eſt; vt dixi cum D. Bonauentura, & ſequitur Valentia *loco cit.* & eruditus Becanus, *cap.*13.

57 Scito adhuc, duplicem eſſe Prouidentiam Dei. Alia eſt generalis, quæ phyſica dicitur, & conſiſtit in conſeruatione rerum, vt notat Seraphicus ad *Sap.* 11. *Quomodo poſſet aliquid permanere, niſi Deus voluiſſet?* Et dicit concurſum Dei cum omnibus operationibus cauſarum ſecundarum, & ſic dicitur veſtire lilia, paſcere coruos: vt dixi *quæſtione ſecunda*, cum S. D. *ad* 17. *Lucæ*, & dicit ordinationes cauſarum ad proprios fines, & hoc modo, Prouidentia omnes creaturas complectitur, etiam boues, vt dixi *quæſt.*2. In his quoque res ſuis finibus fruſtrantur, ſic ignis deſtinatus ad aſcendendum, detinetur; vt notat Valentia.

58 Alia verò eſt Prouidentia ſupernaturalis, quæ moralis dicitur, & ſpecialis vocatur, à qua Apoſtolus 1. *Cor.*9. excludit beſtias, & multò magis his inferiora. Hæc verò complectitur homines, & Angelos ducendos ad finem beatitudinis ſupernaturalem, additque ſuper generalem expreſſiones, & ſigna ſuæ voluntatis per præcepta, prohibitiones, conſilia. Addit & media ſupernaturalia ad hunc finem.

Et quidem de his habet ſpecialem prouidentiam. Quia optimè noſcens, quantùm conducant ad illum finem, atque de his facit iudicium eaque voluntate ſua rectiſſima ordinat atque diſponit S. Bonauentura *loco cit. Breuil.* & cum eo Suarez, *loco adducto.*

59 In hac prouidentia obſeruat Seraphicus, *loco relato Breuil.* mira euenire, vt vnus ſaluetur, alius non; imò plures damnentur, quàm ſaluentur, quippè, cùm omnes de maſſâ ſint damnatorum; ideò plures relinquuntur, quàm prædeſtinentur; vt oſtendat, damnationem eſſe ſecundùm iuſtitiam ordinariam; electionem verò eſſe gratiam. Sed hîc ſiſtens pedem S. Bonauentura ſe ipſum incuſat, & quemcunque de illa conquerentem; exclamans: *O altitudo diuitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei! quam incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius!*

Mira in hac vita eueniunt, vt vidimus *quæſtione tertia*, iuſtos ſæpè in hac vita affligi, impios gaudere, innocentes opprimi, nocentes triumphare; vt habetur *Lucæ* 16. in hiſtoria Epulonis, & Lazari; vbi vide Seraphicum, mira de Diuina Prouidentia ſupernaturali indicantem. Et ad *Sap.*3. ad ea verba. *Viſi ſunt oculis inſipientium mori; illi autem ſunt in pace.* Impij verò. *Ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt.*

Ex his patet ſoluta quæſtio.

Assero igitur primò, Prouidentiam Dei ſimpliciter non ſemper attingere fines rerum.

Probatvr à D. Bonauentura *loco citato. Breuil.* 60
circa finem. Quia Deus ità ſuaui prouidentia mundum gubernat, vt cauſas omnes ſuos agere proprios motus ſinat; & ſic cauſas liberas ſinit cadere à fine, quia non mouet eas cogendo; ſed operando cum eis ad modum earum, vt patet in reprobis, quibus prouidit media ad ſalutem æternam, quâ tamen fruſtrantur. Eadem ratione vtitur quoque Vaſquez *loco citato*, Fulienſis *l. primo*, *capite* 18.

Conclvdo, ſuppoſitâ Diuinâ prouidentiâ ſu- 61
pernaturali, in ordine ad finem beatitudinis, quam probat Suarez *lib. tertio citato*, *numero nono*, cum D. Bonauentura *loco adducto Breuil.* è perfectiſſima ſcientia Diuina omnium actuum moralium, & eorum, quæ ad ipſos conducunt, & ità poteſt de omnibus rectiſſimum iudicium ferre. Habet etiam potentiam diſponendi omnia, ac rectè ordinandi; habet pariter voluntatem rectiſſimam, quâ, ſine ſui mutatione, poteſt velle bonum; & odiſſe malum. Eſtque ſupremus Dominus, & Princeps, ad quem pertinet leges ferre; & præmia, ac pœnas pro ratione operum conferre. Denique, quia omnia ab eius efficaci voluntate ità pendent, vt ſine, ipſo vel volente, vel permittente fieri non poſſint. Concludo inquam; vt dixi, Deum habere Prouidentiam etiam moralem omnium actionum liberarum, vſque ad minimam.

Ex his inquam ſequitur, ea, quæ Deus voluntate 62
conſequente ordinat, ſuos etiam fines ſemper attingere: Quod probat D. Bonauentura *ibi* è Diuinæ voluntatis efficacia inuiolabili, conſequente ſcientiam conditionatam, quâ poſitâ, effectus ſuauiter, & infallibiliter conſequuntur. Ipſum conſule.

Deinde id eleganter oſtendit S. D. *ad* 8. *Sap.* ad ea verba. *Attingit enim à fine vſque ad finem fortiter, & ſuauiter diſponens omnia.* Eundem vide. Idem eiſdem ferè mediis defendit Tannerus *d.*3. *quæſt.*2. *dub.*4.

Qvoad modos verò huius prouidentiæ ſupernaturalis, conſonos noſtræ libertati: An actus noſtros prædefiniat ab æterno, & quo pacto; ſatis dictum eſt *diſputat.*16. multis quæſtionibus, & dicetur: *Diſputat. de Prædeſtin. quæſt.*20. & *Tract. de Gratia* 1. 2. *d.*1. *quæſt.*4.

DISPVTATIO XXI.

De Prædeſtinatione.

1 MERITÒ ſanè Diuinam Sapientiam Prædeſtinationis molem à ſæculis conſtituentem, Prouerbiorum auctor, Diuino Spiritu aſlatus, ſuſpiciens, deſcribit cælos præcelſos præparantem, & Abyſſorum voragines, circino Architectonico mirabili Geometrico vallo concludentem. *Quando præparabat cælos aderam, quando certa lege, & Gyro vallabat abyſſos:* ſeu vt alij perlegunt. *Cùm circino deſcriberet in ſuperficie voraginis.* Altum, atque profundum huius molis emenſus Apoſtolus erupit: *O altitudo diuitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei!*

VERVM enim verò elabentibus Aquilis, noctuæ cartilaginoſas alas, oculoſque audent cæcutientes atollere. Magna ſanè humilitate, ac fide greſſus ſinguli apponendi, non vt incomprehenſibilia perſtringamus; ſed vt Altiſſimi arcana contemplantes, ſumma animi veneratione recolamus. Ne Promethei fabula, verè de nobis enarretur, qui ſacros ignes è Solis gremio raptos perſenſerat, inter rigentia Caucaſi iuga, illum abſumentes.

De hoc igitur altiſſimo Arcano, vt (quantum mortalibus licèt) diſſeramus; ſanctorum veſtigiis, ne lato quidem vngue, pedem altiùs inſigentes, eorum doctrinas pro Ariadnæ filo adhibebimus, vt quondam Cretæ fertur Labyrintho, nè à Minotauro deſpectati deglutiamur. Per ſinuoſos anfractus cineres diſſeminabimus, vt ex Ægypti altero Labyrintho remeandum, ſapiens edocuit; ita quidem ſpatia emetiemur tortuoſis renodata Mæandris, & poſtquam audacium infauſtas calcantes reliquias abierimus, Templum occurret; non quidem, vt ibi Nemeſis, meritorum contingenter remuneratricis, ac demeritorum punitricis, fictitium recognoſcamus Numen, ſed vt Diuinæ Maieſtatis, merita nobis, atque demerita ad aſſem rependentis, pro operantium arbitrio coaceruata, inſerutabilem iuſtitiam demiſſis oculis Agnoſcamus; quam vt coluerimus, ad immenſæ deducti centrum circumferentiæ, Dei ſimulachrum hominis in ſtaturâ è ſmaragdo intuiti, Deum Patrem miſericordiarum læti admirabimur, atque ambabus, vt aiunt, vlnis amplectentes, ad noſtra reuertemur, vt ſummâ ſpe animati, ad promiſſa nobis in cælo beatitatis bona, corruptibilibus peſſundatis, alacres euolemus. Igitur Prædeſtinationis Myſterium contemplabimur. Et primò Naturam. Deinde cauſas: Poſtremò effectus eius perſcrutabimur.

QVÆSTIO I.

An detur Prædeſtinatio.

D.Bonau 1.d.40.

ASSERO de fide, dari Prædeſtinationem contra eos, qui ſolùm factum admittebant, negantes Prædeſtinationem. Eos egregiè confutarunt D. Aug. *l.2. de bono perſeuer. cap.14.* S. Proſper *ad obiectiones Gallorum, c.1.* 2

PROBATVR primò à D.Bonauentura *l.1. Compend. Theol. capite* 30. ex Apoſtolo *Rom.8. Ephеſ.1. Cor.2.* quibus in locis Prædeſtinationem Diuinam aſtruit; & ſub aliis etiam nominibus *Electionis, Propoſiti, Præſcientiæ*; vt probat S. Bonauentura *d.40. & 41.* & Sanctorum expoſitionibus confirmat. Quod ſupponit Concilium Tridentinum *ſeſſ.6.capite* 12. *& can.16.* dum definit, neminem eſſe poſſe certum de ſua prædeſtinatione, niſi ei ſpecialiter reueletur.

PROBATVR etiam ratione à Seraphico, *d.40. quæſtione* 1. & *quæſtione* 2. *argumento primo*, ſignificat enim prædeſtinatio præcedentem, ante ſecula, deſtinationem aliquorum, atque æternam ad finem ſupernaturalem. Sed hæc datur: Ergo. Minor probatur à S.D. *artic.2. quæſtione* 1. *fundament.2.* Agens per rationem diſcretè, & ordinatè, eſt agens per electionem, præordinando res, per media opportuna, ad ſuos fines optimos. Sed Deus eſt talis: Ergo. Hac ratione vtitur Durandus 1. *d.40. quæſt.1.* Suarez *l.1. de prædeſtin. capite* 1. 3

ALIA ratio ſumitur *d.30. quæſtione* 1. *fundament.3.* Prædeſtinatio eſt propoſitum miſerendi, vt elicitur ex Apoſtolo *Rom.9. Epheſ.1.* (loquendo de prædeſtinatione hominum, qui in miſeriis iacent) ſed propoſitum dicit actum proponentis, præcedentem ipſam rem, eamque prædeterminantem: Ergo.

PROBATVR tertiò à D. Bonauentura *loco citat. in corpore.* Prædeſtinatio eſt præparatio beneficiorum Dei, & tranſmiſſio ad beatitudinem mente concepta, & decreta. Cùm igitur multi diuinis ditati beneficiis tranſmittantur ad beatitudinem; ſignum eſt, id à Deo prouiſum anteà fuiſſe, profectò ab æterno, ne mutetur Deus, vt dicam *quæſt.3.* 4

QVÆSTIO II.

Quid ſit Prædeſtinatio.

QVATVOR Prædeſtinationis definitiones affert S. Bonauentura *l.1. Compendij Theol. cap.30.* è *D. Aug.* Prima eſt. *Prædeſtinatio eſt præſcientia, & præparatio beneficiorum Dei.* Ita S.Aug. *l.2. de bono perſeuer. cap.14.* Eandem habet D.Bonau. *diſt.40.q.1.* 5

OBSERVAT autem Suarez *l.1.de præd.cap.2. num.6.* cum D.Bonau. *d 40. quæſt.1. ad 5.* agentia creata tunc ſolùm dici præparare res ad opus, quando congregant materiam, Verbi gratia Architectus parat lapides, calcem, &c. Cùm enim agentia creata agant

è

è præiacente materiâ, non dicuntur præparari, quando præciſè volunt; at Deus, qui, prout vult, abſque materiæ indigentiâ operatur; ex tunc dicitur præparare, quando in ſe diſponit, atque decernit. Sic prædeſtinatio dicitur præparatio interior Dei ad dandâ nobis beneficia pro ſalute; Latiori quidem ſignificatione dicitur quis paratus ad reſpondendum, quando iam mente didicit reſponſa. Similiter paratus ad dandum, quando deliberauit iam dare. Nam illa dicitur præparatio ad actionem, non ad factionem; hîc verò impropriè dicitur paratus, niſi facultates ſoluendas habeat in promptu, quod in priori exemplo exigitur, nempè vt libros, ſeu lectiones parauerit.

Secvnda Definitio. *Prædeſtinatio eſt ad gloriam præordinatio.* Ità D.Auguſt. *l.1. de prædeſt.SS. cap.*10. *&* 16.

In hac definitione aſtruit præceſſionem in æternitate, vt notat D. Bonauentura *quæſt.cit. in corpore*, & *fundamentis*; & ordinem aliquem inter actus Dei concurrentes ad prædeſtinationem. Et quidem præceſſio diuinæ prædeſtinationis in æternitate eſt de fide; vt notat etiam Suarez *cap.*1. cum Seraphico: Ordo verò actuum, ſecundùm prius, & poſterius rationis, eſt Theologicæ diſputationis; tametſi detur hic ordo, vt oſtendi *diſp.*16.*q.*7.

6 Tertia definitio, quam affert etiam *quæſt.*1.*d.*40. in corpore. *Prædeſtinatio eſt propoſitum miſerendi*, eamque allegat è D.Auguſt. *de prædeſtin.SS. cap.*10.*&* 16. vbi non habetur ad litteram, vt notat Trigoſius in margine *quæſt.* 18. *artic.*1. ſed ſenſus tantùm. Verùm habetur à D.Paulo *Rom.*9. vbi ait: *Cui vult miſeretur*, addito cap.8.Rom. *Secundùm propoſitum. Quos prædeſtinauit, hos & vocauit, &c.* Et Epheſ.1. *Prædeſtinauit nos ſecundum propoſitum in laudem gloriæ ſuæ, in qua habemus Redemptionem, &c.* Eadem ferè habet S.Aug. *allegatus locus.*

Hanc definitionem habet S.Auguſt. etiam *l.6.Hypognoſt.* vbi quaſdam ponit antitheſes inter eos, quos in miſeriis reliquit; & eos, quorum miſeretur; & ſubdit. *Hos eſſe prædeſtinatos ſecundùm propoſitum Dei, vt habetur* Epheſ.1.

Et *lib.de fide ad Petrum, cap.*35. inter opera D.Aug. S.Fulgentius ait. *Eos prædeſtinatos, qui vaſa miſericordiæ facta ſunt, ante conſtitutionem mundi, nec perire poſſe.* Ecce propoſitum miſerendi.

7 Qvarta definitio habetur loco cit. de prædeſt. SS. *Prædeſtinatio eſt gratiæ, & gloriæ præparatio.*

Hæ definitiones ita ordinate explicat *loco cit. Compendij.* Operans rationabiliter, ex intentione, primò ſcit, & cognoſcit: Ideò in prima definitione prædeſtinationis, quæ ſpectat ad agens rationabile, recenſetur ſcientia, & cognitio. Quia verò ſecundo loco eligit voluntate deliberatâ. Ideò in ſecundâ, electionis; in tertiâ, voluntatis meminit. Quia tandem opus dirigit ad finem, Ideò in quarta finem apponit. Ita explicatur etiam ab Alenſi *p.p.q* 28 *m.*1.*art.*1.

8 In primò autem Sent. vbi primam, & tertiam definitionem refert, & addit illam. *Eſt præparatio beneficiorum Dei*, ex lib. de fide ad Petrum cap.35. ità diſcurrit. Tria in operatione artificis creati ſolent concurrere, ideſt, ſcientia, ſeu Idea, ad cuius ſimilitudinem operatur: Voluntas, quæ eſt cauſa efficiens, & Potentia executiua. Simili modo in operibus Dei ad extra hæc tria concurrunt, quæ quidem ſunt in Deo formaliter vnum. Ideſt, ſcientia, tanquam ordinans, & diſponens ſeriem rerum. Vnde dicitur. *Quos præſciuit, & prædeſtin.* Rom.8. vbi etiam interuenit præſcientia motiui prædeſtinationis ſingulorum, & hoc modo dicitur Prædeſtinatio *Præſcientia beneficiorum Dei.* Concurrit etiam Voluntas, Rom.9 *Cui vult miſeretur*, & ſic definitur: *Propoſitum miſerendi.* Tertiò aduenit Potentia exequens: Et hoc modo definitur Prædeſtinatio: *Præparatio beneficiorum Dei* iuxtà Iſaiæ 64. *Oculus non vidit, auris non audiuit, in cor hominis non aſcendit, quæ præparauit Deus his, qui diligunt illum.*

Hæ definitiones magis in quæſtionum examine patebunt.

QVÆSTIO III.

An Prædeſtinatio ſit actus immanens æternus.

{ D.Bonau. d.40. quæſt.1.

Assero primò, Prædeſtinationem eſſe actum immanentem. 9

Probatvr; Quia eſt præordinatio Dei de futuris ſaluandis: Ergo dicit in eo quicquid ad præordinationem huiuſmodi eſt neceſſarium, nempè actum cognitionis, & deliberationis, qui ſunt immanentes.

Assero ſecundò, eſſe actum æternum.

Probatvr primò à Seraphico ex 1. Epheſ. *Elegit nos ante mundi conſtitutionem*, & ſubdit. *Qui prædeſtinauit nos.* Certum eſt autem, quòd quicquid Deus operatus eſt ante mundi conſtitutionem, fuit ab æterno, quia omnia fuere immanentia. Itaque quicquid voluit, & cognouit; cognouit, & voluit actu æterno; alioqui darentur actus immanentes in Deo ex tempore; & ideò cognouiſſet, & voluiſſet, quod ab æterno non cognouerat; neque voluerat. Igitur fuiſſet mutatus, vt arguit Seraphicus 1. *d.*39. *dub.*5. *litter.*

Probatvr ſecundò à S. D. *Prædeſtinatio eſt præſcientia, & præparatio beneficiorum Dei*; è D.Auguſtin. relato *quæſtione ſecunda*, & Apoſtolo Rom.8. *Quos præſciuit, & prædeſtinauit conformes fieri imaginis filij ſui; quos autem prædeſtinauit, hos & vocauit: & quos vocauit, hos & iuſtificauit: quos autem iuſtificauit, illos & glorificauit.* Itaque prædeſtinatio præſcientiam includit, & volitionem, quæ debent eſſe æternæ, ne mutetur Deus; vt arguit etiam Suarez *l.*1. *cap.*2. *de prædeſtin.* 10

Probatvr tertiò à D.Bonauentura *fundament.*3. *&* 4. particula (*præ*) dicit anteceſſionem diuinæ prædeſtinationis ad effectus illius, qui ſunt gratia, & gloria; ſed illa anteceſſio non poteſt eſſe in aliqua duratione temporis. Quia nil poteſt Deo conuenire in tempore, præter denominationes extrinſecas Creatoris, &c. Et relationes rationis prouenientes ex actuali productione, ſeu exiſtentia creaturarum. Prædeſtinatio autem non dicit tales denominationes, vel relationes, cùm præcedat exiſtentiam creaturarum. Neceſſe eſt ergo, vt conueniat ab æterno; alioqui fieret Deus è non prædeſtinante prædeſtinans. Sic & Suarez arguit. 11

Obiicies primò. Prædeſtinatio dicit relationem inter prædeſtinantem, & prædeſtinatum; relatio autem dicit extrema correlatiua ſimul: Ergo tunc eſt prædeſtinatio, quando & creatura prædeſtinata eſt actu; eſt autem actu ſolùm ex tempore: Ergo & prædeſtinatio. 12

Respondet S. Bonauentura prædeſtinationem dicere relationem in potentia: Et ideò non eſſe neceſſe, vt extrema ſint actu. Ità etiam Richardus *d.*40. *q.*2. *ad* 3. Ægid. *q.*1. *art.*1. *ad* 2.

Obiicies ſecundò. Omnis actio ſupponit paſſum. Prædeſtinatio eſt actio: Ergo ſupponit etiam prædeſtinatum. At prædeſtinatus eſt ſolùm in tempore: Ergo & prædeſtinatio.

Respondet Seraphicus, actionem tranſeuntem includere paſſum; at prædeſtinatio eſt actio immanens, reſpiciens futurum, vnde ſicut poteſt id, quod non eſt, cognoſci: ita & prædeſtinari, vt notat S.D. etiam *d.*39.*q.*1.*ad* 3. D.T. *d.*40.*q.*1.*art.*1.*ad* 1.

Obiicies tertiò. Prædeſtinatus, vt talis formaliter, dicit ordinem ad prædeſtinantem, ſed exiſtit ſolùm in tempore. Ergo & Prædeſtinatus eſt in tempore.

13 Respondet S. Bonauentura importare, ordinem eo modo, quo eſt, nempè in futuro, ſeu ſecundùm durationem. Ità quoque Richardus *loco cit. ad* 1.

Obiicies quartò. Omnis actio tranſiens extra à Deo, eſt in tempore. Talis eſt prædeſtinatio: Ergo.

Respondeo, tranſire ad extrà in aliquid futurum pro tempore; Non pro præſenti neceſſariò exiſtens.

QVÆSTIO IV.

An Prædeſtinatio ſit Deo libera.

14 Assero, Prædeſtinationem eſſe Deo liberam.

Probatvr primò à D. Bonauentura *d.*40. *dub.*3. *litt.* Quia prædeſtinatio dicitur *beneplacitum voluntatis.* Epheſ.1. Ità etiam Suarez *l.*1. *de prædeſt. cap.*3. & *in Relec. de libertate Dei.*

Probatvr ſecundò à S. D. *d.*40. *artic. tertio, quæſtione ſecunda.* Electio eſt à voluntate libera, accipiente alteram partem contradictionis. Sed prædeſtinatio eſt electio, vt notat Magiſter, ibi adductus, ex 1. *ad Epheſ.* Ergo. Sic & Suarez *num.*2.

Probatvr tertiò à Seraphico *d.*40. *artic.*2. *quæſtione* 1. *in corpore.* Quicquid Deus extrà cauſat, non cauſat ex neceſſitate; ſed liberâ voluntate. Sed Deus per Prædeſtinationem extrà cauſat: Ergo. Suarez huic quoque ſubſcribit.

Obiicias. Prædeſtinatio eſt actus Dei, qui eſt ipſe Deus ſimpliciter neceſſarius.

Respondeo S. Bonauentura *in corpore, & artic.*2. *quæſt.*1. actum prædeſtinationis eſſe neceſſarium, ratione principalis, at liberum, ratione connotati, ſuper quod cadit.

QVÆSTIO V.

An Prædeſtinatio ſit actus Intellectus, vel Voluntatis.

D. Bonau. d.40. quæſt.2.
D. Th. q.23. art.1. ad 2.

15 Svppono cum Seraphico *ad* 17. *Lucæ,* prædeſtinationem eſſe partem prouidentiæ, vel ſubiectiuam, quaſi ſpeciem eius, vel obiectiuam integralem, ita vt Prouidentia vno ſimpliciſſimo actu etiam Prædeſtinationem includat, diſtinctam ſolùm ex parte obiectorum, ad quæ extenditur, & multiplicationem inuenit. Igitur Prouidentia, tanquam vniuerſalis, extenditur ad omnia ordinanda; at prædeſtinatio eſt prouidentia ſpecialis, reſpiciens ſolas creaturas rationales, ad finem tantùm ſupernaturalem beatitatis.

Igitvr quotquot Prouidentiam eſſe actum voluntatis cum Seraphico aſſeruêre *q.*1.*d.*20. iidem *hic* cum S.D. idem de Prædeſtinatione confirmant.

Assero primò, Prædeſtinationem eſſe actum Voluntatis.

Probatvr primò à D. Bonauentura. Electio, & Propoſitum ſunt actus Voluntatis. Prædeſtinatio eſt electio, & propoſitum miſerendi. *Epheſ.*1. *Rom.*9. vt dixi *quæſt.*2. Ergo. Confirmatur. Hoc enim pacto affertur definitio Prædeſtinationis etiam ab Alenſi, D. T. & aliis ferè omnibus, vt notat Suar. *l.*1. *de præd. c.*17. 16

Probatvr ſecundò *in corpore.* Prædeſtinatio dicit effectum infallibilem productum, *quo liberantur quicunque liberantur,* vt ait D. Aug. *l. de bono perſeuer. c.*14. Sed hæc determinatio effectus eſt à voluntate: Ergo. Sic probatur etiam à Suarez *loco cit. num.*10. & Scoto *d.*40. *q.*1. Confirmatur. Nam actus intellectus purus eſt ſcire, non eligere. Iam id vſu firmatum ait Ribas *tract.*7.*d.*1.*c.*2. Annuit Macedo. *Coll.*12.*diff.*1.*ſec.*4.

Assero ſecundò, interuenire etiam actum Intellectus, qui ſit iudicium practicum præcedens voluntatem, vt notat D. Bonauentura *ad vlt.* & ſequitur Suarez *num.*14. Arriaga *d.*33.*ſec.*2. poſt D. Aug. *l. de bono perſeuer. cap.*17. & 18. Probatur. Quia voluntas fertur in cognitum. 17

Neque verò eſt imperium aliquod intellectus. Non enim in voluntatem ſuperiorem ſe habet imperium, vt dicam *tract.*9. qui de Anima, *diſp.*11.*q.*1.

Et ſi daretur in nobis; tamen in Deo non capitur, in quo nulla eſt ſubiectio vnius attributi ad aliud.

Eſt igitur cognitio, quaſi inuitans diuinam voluntatem, quæ ſupponitur Prædeſtinationi, vt dicitur Rom.8. *Quos præſciuit, & prædeſtinauit;* & docet D. Bonau. *d.*41.*q.*2.

Svpponitvr verò ſcientia electioni. Vnde S. Aug. *l. de bono perſeuer. cap* 14. definit Prædeſtinationem eſſe præſcientiam, & præparationem beneficiorum Dei; ſic actus intellectus ſupponitur, qui præparat, diſponitque ſtudioſam voluntatem. 18

Supponitur autem prædeſtinationi ſcientia ſimplicis intelligentiæ, & præſcientia alicuius motiui in prædeſtinando ad gratiam, vt dicam *quæſt.*12. & meritorum ad gloriam; vt dicam *q.*7.

Similiter interuenit cognitio media futurorum conditionalium; cùm enim prædeſtinatio ſit præfinitio indiuiduorum, tam gratiæ, quàm gloriæ in determinatis gradibus, ac ſingulorum auxiliorum à prima vocatione, vſque ad extremum halitum perſeuerantiæ; non poteſt negari, quin hac ſcientiâ præcognoſcatur, Quid facturus ſit homo tali, vel tali auxilio, & tali tẽpore. Nullus enim prouidus poteſt abſoluto decreto ſuæ voluntatis ſtatuere, vt aliquid fiat; vel proponere conſequi aliquem finem; niſi prius certus ſit, ſe poteſtatem habere faciendi id, quod vult; vel ſaltem ſciat, ſe habere media, quibus talem finem ſibi valeat comparare. Quia non poteſt intendere, niſi id, quod ſibi poſſibile iudicat, nec poteſt iudicare, ſaltem prudenter, & ſine temeritate, ſibi eſſe poſſibilem effectum, niſi præcognoſcendo poteſtatem in ſe; vel in mediis, quæ ab ipſo poſſint applicari; quod ſi voluntas prædeſtinantia talis ſit, vt infallibiliter conſequatur ſuum effectum; debet omninò habere etiam ſcientiam certiſſimam de illa efficacia mediorum ad talem finem. In hac autem ſcientia includitur illa conditionalis cognitio. 19

Observandvm autem, actum voluntatis ſequentem, qui eſt: Prædestino, & Græcè *Orizo*, quod ſignificat Definire, Statvere, poſtremam prædeſtinationi manum imponere; & ideò dare veluti formam prædeſtinationi. 20

QVÆSTIO

QVÆSTIO VI.

An Prædeſtinatio ſit Electio.

D.Bonau.d.40.art.3.q.1.& 2.
D.Thom. artic.4.

21 NOTA è D. Bonauentura *in corpore*, *& ad* 2. tria diſtingui in Deo, prout ad præſens ſpectat. DILECTIO, ELECTIO, & PRÆDESTINATIO, licèt realiter idem ſint. Dilectio eſt, qua vult bonum alicui, vt ſic. Electio eſt voluntas cum diſcretione, qua vult bonum huic, excluſis illis. Prædeſtinatio dicit voluntatem deſtinantem in finem, per media gratiæ.

22 PRIMÒ igitur Deus habet propoſitum communicandi aliquibus ſuam beatitudinem. Hinc intellectus practicus (noſtro modo concipiendi) innuit voluntati, quaſi ad modum conſilij, iudicium ferendo, quibus non ſit communicanda; & qui ſint excludendi. Hoc autem veluti conſilium, ſequitur Electio, qua aliqui ſeliguntur; aliis in delicto manentibus. Rurſus conſiliũ Diuinum determinato fine non facit iudicium nouum de mediis ad eum finem, ad quem priùs deſtinati ſunt aliqui, vt putant nonnulli Theologi; imò potiùs in electione ipſa finis, media intrinſecè includuntur, nam præparatur gloria, vt corona, brauium, merces, vt latiùs *quæſt. ſequenti* diſſeram. Hæc igitur media ſunt merita, vt dixi *diſp. de Voluntate Diuina.* Quia verò merita ex gratiâ procedunt; ideò debet eſſe prædeſtinata gratia ex liberalitate, quæ omnia erunt nobis probanda, *quæſt*.12.

23 EX his etiam liquet, non diſtingui in hoc Electionem à Prædeſtinatione, è iudicio antiquorum Scholaſticorum, quòd Electio ſit finis; prædeſtinatio verò ſolùm circa media; vt putat Vaſquez *ad art.cit.D.T.* Neque hoc benè deducit è D.Aug. *lib.1.de præd. SS.* Ibi enim non ſola media gratiæ; ſed etiam gloriam includit, vt dixi *q.*2.& notat Seraphicus, ibi adductus.

Confirmatur. Nam prædeſtinatio ſæpè pro electione ſumitur, præcipuè à D.Paulo. *Epheſ.*1. & alibi, vt notat S. Bonauentura *d.*40.*q.*1. Eodem modo ſumitur à Magiſtro, vt notat idem Seraphicus *hic* initio quæſtionis.

24 ASSERO primò, Electionem realiter eſſe Prædeſtinationem Diuinam.

PROBATVR à D.Bonauentura ex Apoſtolo, & Magiſtro adductis.

Omitto, omnia in Deo eſſe idem realiter ipſum Deum, vt ait S.Bonauentura.

Deinde, quia oppoſitum per oppoſitum elueſcit, & vnum vni opponitur: Ergo quorum oppoſita ſunt eadem; & ipſa ſunt idem. Sed oppoſitum Electionis eſt reprobatio; & hæc eſt etiam oppoſitum prædeſtinationis: Ergo.

ASSERO ſecundò, differre ratione in Deo.

25 PROBATVR à Seraphico. Quia ſi nulli eſſent mali, omnes eſſent prædeſtinati, & nullus electus, nam electio dicit diſcretionem boni à malo in negotio Diuinæ ordinationis. Aduertit verò S.D. *q.*1.*ad* 3. tunc non futuram ſelectionem bonorum, è malis; ſed meliorum è bonis.

EX his definitur illa prima quæſtio *d.*40. *artic.*3. An Electio ſit æterna. Cùm enim ſit idem ac prædeſtinatio realiter; debet eſſe vtraque ſimul, vt arguit *fund.*3. Hoc igitur probat è 1. Epheſ. *Elegit nos ante mundi conſtitutionem.* Cætera ſunt facilia.

QVÆSTIO VII.

An Electio ad gloriam ſit primus actus Prædeſtinationis; an verò priùs ſit præuiſio meritorum.

D.Bonau. d.41. quæſt.1
D.Thom. quæſt.23 ar 4.

QVONIAM in deliberationibus intentio finis dicitur prima, & antecedere media. 26

HINC magna oritur quæſtio. An in Prædeſtinatione primus actus Dei fuerit electio aliquorum ad finem beatitatis, adeò vt ante præparata auxilia, & merita præuiſa, ex auxiliis manantia, Deus primò gratis elegerit nonnullos ad gloriam. Hæc quæſtio celebris eſt, & antiqua; vt notat Faſolus infrà citandus; Neque primu glorioſè à Vaſquez agitata, vt clamat Turrianus *opuſc.6. de voluntate efficaci*; ſed antiquitùs hinc inde agitata, vt videre eſt in Scoto *d.*41. *quæſt. vnica*; vbi in fine corporis dat ſuis diſcipulis facultatem alterutram opinionem è vulgatis amplectendi; dummodò ſeruetur libertas Diuina, ſine aliqua iniuſtitia; & libertas noſtra. Quarè non rectè Maſtrius *d.*5. *quæſtione* 2. *numero* 57. ait, ſententiam aſſerentium electionem ad gloriam, factam ex meritis, eſſe nouam, Et in hoc ſolùm Vaſquez, eſſe Coriphæum.

OBSERVA ſecundò, quæſtionem non eſſe: An ele- 27
ctio efficax, & abſoluta ad gloriam ſit ante merita, conditionaliter præuiſa tantùm per ſcientiam mediam; non tamen influentia ad decretum; id enim ad ſaluandam libertatem aſtruunt Theologi Societatis Ieſu, vt innui *q.*6. cùm tamen plerique ex eis dicant, primum actum prædeſtinationis fuiſſe electionem ad gloriam, ante præuiſa merita, non modo abſolutè futura; ſed etiam conditionalia influentia. Nam, licèt è futuris meritis electionem ad gloriam plurimi admittant Catholici: tamen electionem abſolutam, è meritis conditionalibus, admittere renuunt, ne cum ſemipelagianis conſpirent, qui dicebant, infantes morientes fuiſſe prædeſtinatos, vel reprobatos ex operibus, quæ fuiſſent executi, ſi vixiſſent: Abſit enim hoc à noſtris, qui agnoſcunt merita huiuſmodi conditionalia, nullam vim obtinere, ad decretum Dei abſolutum extorquendum, vt aduertit Herize apud Arriagam *diſp.*35.*ſec.*1.

QVARE falsò nonnulli allegant Molinam præci- 28
puum eſſe inter aſſertores ſcientiæ mediæ, & alios pro ſententia dicente, electionem ad gloriam factam è præuiſis meritis. In quo deceptus eſt valdè inter alios Vulpes *d.*38. *artic.*3. *num.*10. allegans pro ea ſententia Theologos Societatis Ieſu, eò quòd dixerint, decretum electionis ad gloriam eſſe poſt præſcientiam conditionatam meritorum: nam omnes eam tantùm ſupponunt ad libertatem ſaluandam, ne, ſi ante hanc cognitionem conditionatam, *Verbi gratia* quid faceret, vel facturus ſit Petrus, ſi in tali occaſione, tali auxilio ponatur; Deus abſolutè decerneret ipſum ad gloriam; libertas Petri ad gratiam recipiendam, vel renuendam, tolleretur; at nullus eorum vult, ſupponi merita conditionalia, tanquam influentia ad decretum abſolutum.

OBSERVA tertiò cum D.Bonau.*d.*41.*art.*2.*q* 1 *& in* 29
2.*d.*28. non eſſe quæſtionem. An decretum abſolutũ ad gloriam ſit ex meritis, ſolo libero arbitrio comparatis. Sic enim dicentes turpiùs laberentur in Pelagianiſmum; omnes enim Catholici agnoſcunt à Dei gratia

bonum vſum arbitrij ad meritum; vt dicitur Hierem. 3. *Conuerte me, & conuertar.* Threo. 5. *Conuerte nos Domine ad te, & conuertemur.* Philip. 2. *Deus eſt, qui operatur in nobis & velle, & perficere, pro bona voluntate,* alioqui periret Apoſtoli dictum. *Quis autem te diſcernit?*

30 QVÆSTIO ergo eſt de meritis è gratia acquiſitis. Neque eſt quæſtio: An merita illa cauſent actum decreti, quia eſt ipſe Deus, vel in eum influant, ſed ſolùm: An influant in decretum, prout liberè terminatur ad rationales creaturas, in ordine ad eleuandas illas in gloriam.

TANDEM controuerſia eſt potiſſimum de adultis, qui ſoli ſunt capaces meriti. De infantibus verò vnuſquiſque loquitur conſequenter ad id, quod de adultis dixerat; nam, qui dicunt electionem ad gloriam, eſſe ex eorum meritis præuiſis, dicunt etiam paruulos eligi ex præuiſione finalis iuſtificationis eorum; qui verò aſſerunt eligi ad gloriam adultos, ſine reſpectu ad merita, dicunt etiam, paruulos eligi abſque reſpectu ad illam finalem iuſtificationem. Dantur autem duæ ſententiæ extremæ, & tertia media.

31 PRIMA opinio eſt, omnes primo actu electos ad gloriam, nullâ præcedente præuiſione meritorum per modum cauſæ. Ità Magiſter *in* 1. *d.* 40. *&* 41. Albert M. *ibi*, S. Thomas *ibi*, & *p. p. quæſt.* 23. *art.* 4. *&* 5. & ad Rom. 9. *lec.* 3. & *l.* 3. *contra Gentes, cap.* 161. *&* 163. & 6. *de ver. art.* 1. *&* 2. S. Antonin. 4. *p. tit.* 14. *de profund. iudic. Dei, cap.* 12. §. 4. Sixt. Sen. *l.* 1. *Bibl. annot.* 248. Viguer. *Inſt. Mor. cap.* tit. *de Incar.* § 8. Hotanr. *l.* 3. *loc. c.* 6. Ferrar. *l.* 3. *cont. Gent. c.* 161. 163. Heru. *p. d.* 41. Cape. de Za *ibi*, Sot. *in recognit. ad* 4 *ſent.* & *in cap.* 9. *ad Rom.* Caiet. *p. p. quæſt.* 23. Vbi Ban. Ripa, Nazar. Zumel. Salmat. *t.* 5. *de Præd. d.* 8. Machin. *d.* 46. *ſec.* 6. Gonzal. *d.* 73. *ſec.* 2. Ioan. à S. T. *d.* 8. Ledeſ. *Libr. de Aux. d. de elec.* Aluarez, *l.* 5. *de Aux. d.* 37. & alij PP. Dominicani, Scot. 1. *d.* 41. *quæſt. vnic.* & *in Report. ibidem à num.* 6. & *in* 3. *d.* 32. *quæſt. vn.* Rich. *p. d.* 41. *art.* 2. *quæſt.* 2. Liran. in *cap.* 9. ad *Rom.* & *in Luc.* 12. ad id *Complacuit, & c.* Alphonſ. à Caſtro *v. Prædeſtinatio*, *v. Libertas*, Carthagen. *de Prædeſt. diſcur.* 10. Cordub. *quæſt.* 59. *Libr.* 1. Lychet. *p. d.* 41. Mairo, Baſſol, Barg. Tatt. *ibi*, Smiſing. *t.* 3. *d.* 6. *quæſt.* 8. Vulpez, *d.* 38. Caoell. *in Schol.* Maſtrius *d.* 5. Macedu, *Collat.* 11. *differ.* 4. *ſec.* 3. Baudun. *quæſt.* 23. *art.* 4. Refertur etiam S. Bonauentura 1. *d.* 41. *quæſt.* 2. vbi ait: *Cùm quæritur, vtrum Dei electio motiuum rationem habeat, quantùm ad ordinationem volitî ad eius voluntatem*, reſp. negatiuè. *Si quæritur ratio cauſalis, vel mercatoria; reſpondetur, dari non poſſe.* Sic ait Maſtrius intelligi etiam à Trigoſ. *quæſt.* 18. *art.* 6. *dub.* 2. Hi ſunt è noſtro Ordine. Sequuntur è Societate Ieſu, Suarez *tract. de Præd. l.* 1. *cap.* 8. *& l.* 2. *toto*, præſertim à *cap.* 20. Henriquez *l. de vlt. fine, cap.* 11. *&* 12. Bellar. *l.* 2. *de Gratia, & lib. arb. cap.* 10. Maldon. 24 *Matthæi*, Tol. *in cap.* 9. *Rom.* Salmero *ad Rom.* 8. *d.* 21. Perer. *ibi d.* 23. Arrub. *d.* 73. *cap.* 3. Ribas *tract.* 7. *d.* 3. *cap.* 1. Ruitz à *d.* 6. *ad* 13. Granad. *p. p. tract.* 7 *d.* 4. 5. Tanner. *tom.* 1. *d.* 3. *quæſt.* 5. *dub.* 4. *&* 5. Iuſtinian. *in cap.* 9. *ad Rom.* Lorin. *in ep.* 2. *Petri verſ.* 10. Arriaga *d.* 36. *ſec.* 4. Faſol. *tom.* 2. *in p. p. quæſt.* 23. *art.* 1. *diſp.* 3. Anton. Perez, *tom. vnic. de* Prouid. *d.* 1. *quæſt.* 4. *n.* 58. Franciſcus de Lugo, *de Deo trino, & vno: d.* 39. *cap.* 2.

32 Ex variis Religionibus, Cabrera *in* 3 *p. q.* 1. *art.* 3. *d.* 1. *à num.* 173. *ad plurimos*, Corneio *de Præd. art.* 4. *d. vn. dub.* 2. Auerſa *p. p. quæſt.* 22. *ſec.* 2. Thom. del Bene *de Præd. d.* 8. *q.* 6. Morand. *p. p. tr.* 5. *q.* 2. Lezana *tract.* 4. *de Præd. d.* 9. *q.* 5. Fulienſ. *l.* 1. *c.* 20.

Ex antiquis Durand. *p. d.* 41. Ægid. *ibi*, *d.* 40. Altiſiodor *ibi, cap.* 9. *quæſt.* 2. Vldaric. *ſumma, l.* 2. *apud* Dionyſ. Cath. 1. *d.* 41. *quæſt.* 2. Aliac. *ibi quæſt.* 12. Gerſon. *p.* 3. *d.* 1. *de conſolat. Theol. proſa.* 3. Arim. *p. d.* 41. *quæſt.* 1. *art.* 4. Marſil. *ibi art.* 2. Maior *d.* 4. *quæſt. vnic.* & *d.* 41. *quæſt.* 2. Toſtat. Exodi 4. *quæſt.* 6. 7. *&* 8. & in Ioſue *quæſt.* 79. 80. 81. & *in cap.* 20. Matth. *quæſt.* 21. & *cap.* 22. *quæſt.* 115. Palac. *p. d.* 41. *d.* 1. Rayner. 1. *p. v. Electio, cap.* 9. Sequuntur Tapper. *art.* 7. cont. Luther. Driedo *de concord. arbitrij cum Præd. p.* 1. *cap.* 3. Eſtius 1. *d.* 41. *à* §. 1. *ad* 12. Curiel. *contr.* 4. *in cap.* 2. *ep.* 2. Petri, Philip. Diez *v. Prædeſt.* Villeg. *contr.* 13. § 4.

Hanc ſententiam Romæ, & in tota Italia, Hiſpania, Luſitania, Gallia, Germania, Belgio acclamari, oppoſitâ exſibilatâ, clamat Tannerus, acriter eam inſectatus, cuius fautoribus temeritatis notam inurit Echius *in Chryſopaſſo, centur.* 2.

OPPOSITA è diametro ſententia fert primum actum 33
Prædeſtinationis, non fuiſſe electionem ad gloriam, ſed eam ex meritis factam. Ità Henricus *quodl.* 4. *quæſt.* 19. Baccon *p. d.* 41. *quæſt. vn. art.* 2. Aureol. *d.* 40. *art.* 1. *& d.* 41. *art.* 3. Pighius *l.* 8. *de lib. arb. c.* 8. Stapleton. *antid. & in cap.* 9. *ad Rom.* Michaël Medina *de recta in Deum fide, cap.* 1. Sixtus Sen. *l.* 4. *Biblioth. adnot.* 251. Molina *p. p. quæſt.* 23. *art.* 2. Valentia *p. p. d.* 1. *quæſt.* 23. *p.* 4. & *in Controu. l. de prædeſt. cap.* 2. *&* 3. Coninch. *d.* 20. *de ſpe, d.* 13. *num.* 119. Moncæus *in ſelect. diſp.* 3. *cap.* 4. Sparza *l.* 1. *de Deo, de Prædeſt. quæſt.* 31. Alarcon. *tract.* 4. *de præſt. d.* 2. Vaſquij diſcipulus, cum Turriano acerrimus, ſuo Magiſtro huius ſententiæ glorioſam adſcribentes, propugnatam altiſſimam Arcem, cum P. Macedo, bis amicinæ ſacro vinculo apprime coniuncto, qui eam Vaſquio plurimùm debere affirmat, tanquam Præpugnatori, quòd ab exercitu aduerſariorum illam ſeruauit incolumem *p. p. d.* 89. *&* 90. & 3. *p. d.* 23. *c.* 7. *& ſequentibus*, Becan. *tract.* 1. *cap.* 14. *quæſt.* 4. Arriag. *T.* 1. *d.* 15. *ſec.* 4 qui longâ teſſerâ alios affert. Merac *d.* 41. Luiſius Turrian. *opuſc. cit.* & Franciſcus Turrian. *opuſc. de Electione*, Leſſius *diſp. de prædeſt ſec.* 2 *& ſequentibus*, Pennottus *l.* 6. *Propugnac. c.* 21. qui pro ſe adducunt Alenſem *p. p. quæſt.* 28. *m.* 2. D. Bonauentura 1. *d.* 41. *quæſt.* 2. adde *in* 3. *d.* 4. *art.* 2. *quæſt.* 1. *in corpore, & ad* 2. *&* 3. Argent. 1. *d.* 41. *art.* 2. Cameratium in Dialogo, *cap.* 5. Oſorium *l.* 9. *de Iuſtitia*; Vuillelmum, Rubionem 1. *d.* 41. *quæſt.* 1. *art.* 1. *& art.* 2 Maiorem *d.* 40. *quæſt.* 2. Eamque probabilem fatetur Caſpenſis. Et, quod præcipuum eſt, Scotus, loco ſuprà relato. Quare ſequuntur inſignes Scotiſtæ. Faber 1. *d.* 38. *cap.* 4. Puncius *d.* 7. *quæſt.* 3. *Curſus Theol.* Matthæus Ferchius *in Epitome Theologico, in* 1. *d.* 41. Saxius in ſua Cataſtroſi *t.* 2. *d.* 10. *q.* 3. *artic.* 1. Imò antiqui Scotiſtæ agnouerunt Scotum problematicum. Ita Lichetus, Vigerius, Paulus ſcriptor, & Tartaretus. Hanc ſententiam in toto Chriſtiano orbe, plauſu receptam, canit Vaſquez, Tanneri Antagoniſta.

TERTIA ſententia media eſt, in toto quidem genere 34
præuiſionem meritorum fuiſſe priorem electione ad gloriam; aliquos tamen eximiè dilectos ante omnem meritorum præſcientiam præelectos ad gloriam enumerant, B. Virginem, Ioannem Baptiſtam; Apoſtolos, & his ſimiles. Ità docent Ocham 1. *d.* 41. *quæſt.* 1. Gabr. *ead. diſt. quæſt.* 1. *art.* 2. Catherinus, *opuſc. de præd. Dei, l.* 1. *c. vlt.* & *l.* 2. *cap.* 1. *&* 2. *num.* 94. Quam opinionem, quoad poſteriorem partem ſaltem, laudat eruditiſſimus Ioannes Echius in Cryſopaſſo, *centur.* 2. *n.* 94. Leſſius quoque ſaltem de B. Virgine id aſſerendum, dicit. Eandem è Catherino refert, & olim ſe fuiſſe ſecutum, teſtatur Sixtus Senenſ. *l.* 6. *Bibliot. n.* 248.

SENTENTIA D. Bonau. ea eſt, hominem ex meritis prædeſtinari ad gloriam. Ita clarè *in* 1. *d.* 40. *art.* 2. *quæſt.* 2. *ad vlt.* vbi ait: *Non prædeſtinat homines ad ſalutem, niſi per merita.* Communiter verò allegatur 1. *d.* 41. *quæſt.* 2. *num.* 16. vbi ſic loquitur. *Si quæratur,*

quare

quare magis voluit ſaluare Petrum, quàm Iudam: reſpondetur; quod iſte habuit bona merita; non ille. Loquitur autem de voluntate intentionis, de qua eſt quæſtio, & non de ſola voluntate executionis, vt malè dubitat Maſtrius *num.* 63. Quærit enim S. D. Vtrum æternum Dei propoſitum, ſiue electio, & reprobatio, motiuam rationem habeat; & reſpondet, quoad gloriam habere merita: quoad gratiam verò iuſtificationis, motiuum congruitatis. Eandem ſententiam habet pluribus in locis; vt in aſſertione probanda videbimus. Quod videns Trigoſius *quæſt.* 18. *art.* 6. *d.* 2. *concl.* 1. fatetur, Seraphicum videri pro hac ſententia; tametſi promittat explicare illum *quæſt.* 18. *art.* 9. vbi malè ait, idem ſentire cum D. Thom. & aliis. Nam, licèt dicat, non dari cauſam actus Dei; ait tamen dari cauſam ratione connotati, id eſt gloriæ, etiam in Diuina electione. Itaque ſecunda nobis eſt opinio probanda, quam eſſe Seraphici agnouit & Corjolanus *quæſt* 23. *art.* 6.

36 Et ſanè oppoſita ſententia aſperrima eſt. Nam ſi ante præuiſa merita homo fuit electus; iam in tuto cùm ſit, poteſt vitiis effrænem vitam laxare; & deſperationis, ne dum mæroris in barathrum multi iuſti decident, vt teſtatur Leſſius *ſect.* 2. *ratione* 9. Neque dicat Maſtrius *num.* 59. nos imò potiùs animari, ac ſpe ſalutis firmati, dum ſalutem noſtram in Dei miſericordiam proiicimus; quàm ſi noſtris in meritis illam collocauerimus, vt dicebat S. Auguſt. *l. de bono Perſeuer. cap.* 17. Nam S. Auguſt. ibi loquebatur de electione ad gratiam, quæ non poteſt eſſe ex meritis, & nemini negatur à Deo, ſola ſua voluntate, quæ omnes vult ſaluari, quos ſanguine redemit: at dicere, electionem primo actu fieri ad gloriam gratis, nullo meritorum reſpectu; eſt habenas vitæ deſperatæ relaxandas proiicere.

Neque tamen mihi admodum probatur Pennotti Zelus, qui primam ſententiam omni probabilitate ſpoliatam clamat; atque eam fuiſſe hæreticorum ſententiam, qui *prædeſtiniani* vocabantur; & nunc etiam Caluiniſtis charam: nam hæretici alio ſenſu eam tuentur, inducentes neceſſitatem in prædeſtinatis ad gloriam, & in reprobis ad infernum, ante omnem præuiſionem operum.

Aſſero electionem ad gloriam factam ex meritis.

37 Probatvr à D. Bonau. primò Scripturis plurimis relatis *d.* 11. *quæſt.* 16. vbi de fide ſtatuitur, inæqualem fore gloriam pro meritis. Quia ipſa datur vt corona, brauium, & merces: Sic Lucæ 6. & Matth. 5. *Gaudete, & exultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in cælis.* Sic & *cap.* 20. & 25. vbi proponitur parabola operariorum in vinea, qui omnes mercedem receperunt.

Et ne aduerſarij ad aſylum ſibi conſtitutum confugiant; obſeruat, mercedem in tempore iam paratam præſenti, tametſi in executione labores ſint futuri, & confert illud Sap. 5. *Apud Dominum eſt merces eorum; ideò accipient coronam*, vbi in intentione vocatur merces iam præparata, profectò vt debita operibus.

38 Ad quem locum *Sap.* 5. obſeruat quoque Apoſtolum 2. Tim. 2. *Repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ*; ideſt ab æterno parata eſt gloria, vt corona iuſtitiæ, debita meritis.

Deinde ad idem caput Lucæ: *Erit merces veſtra multa.* Hoc noſtrum aſſertum confirmat illo Pſal. 30. *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quàm abſcondiſti timentibus te!* vbi de æterna intentione arcana loquitur: deinde de executione: *Perfeciſti eis, qui ſperant in te.* Confirmat adhuc intentum ex *Iſa.* 64. quo vtitur Apoſtolus 1. Cor. 2. *Oculus non vidit, auris non audiuit, in cor hominis non aſcendit, quæ præparauit Deus diligentibus ſe*: Ecce præparatio beneficij gloriæ dicitur ob meritum charitatis.

Idem confirmat S. D. *ad* 14. *Ioan.* vbi ex inæqualitate gloriæ dandæ meritis, elicit diuerſitatem meritorum, quibus paratæ ſunt manſiones in gloria. Eas verò diuerſas iam à Deo ordinatas, probat illo: *In domo Patris mei manſiones multæ ſunt.* Conferens verò locum hunc cum illo: *Vado parare vobis locum*: quærit, qua ratione iam paratæ manſiones dictæ ſint; cùm hic dicantur parandæ. Et reſpondet cum D. Aug. tract. in Ioan. *Manſiones, quas præparauit prædeſtinando, præparat operando*, ſicut dicitur: Eccleſiaſte 1. *Quid eſt, quod futurum eſt? vbi alia littera: Fecit, quæ futura ſunt*, fecit prædeſtinando, quæ facturus eſt operando, ſic ex parte iſta manſiones ſunt, vt ait, hic in prædeſtinatione; ſed nondum in operatione. Parat enim manſiones, manſionibus parando manſores. Hæc S. Bonau. è D. Auguſtino. 39

Ex his elicitur argumentum illud, quod magni pendit Vaſquez *hic, cap.* 9. & 3 *p. d.* 22. & 23. & Faber *d.* 58. *cap.* 4. gloriatur à ſe excogitatum fuiſſe, quo ait, ſe coniunctum in noſtram aduolaſſe ſententiam; tametſi Scoto non admodum conſentaneam, quodque forte, ait, ſe mox inueniſſe in Vaſquez, & lætatum. Quo vtitur etiam Valentia *tom.* 1. *d.* 1. *q.* 23. *p.* 4. §. 6 & *tom.* 4. *d.* 1. *quæſt.* 2. *p.* 8. qui oſtendit eſſe argumentum Sanctorum, D. Fulgentij, D. Auguſt. & D. Thomæ, quorum auctoritates tenuit §. *præcedenti*, & à nobis referentur *quæſt.* 12. in probationibus ex authoritate Sanctorum Hoc igitur ſoliſſi- 40
mum argumentum D. Bonau. *ad* 14. *Ioan.* eſt tale. Eo modo Deus exequitur in tempore, & operatur, quo ab æterno decreuit operari. Sed in tempore dat gloriam, vt mercedem, coronam, & brauium meritorum: Ergo & ſic in æterna electione voluit, atque decreuit facere. Probatur ex allatis Scripturis. Vt autem argumentum hoc acceptum Seraphico referatur, alia loca referam, quibus S. D. illud adhibet.

Et quidem *primo, d.* 41 *quæſt.* 2. initio, vbi arguit, Deum prædeſtinaſſe, & elegiſſe Abrahamum ex meritis, vt eſſet donis cæleſtibus fœlix æternis, eò quòd ita in tempore teſtatus eſt Deus *Geneſ.* 18. ſe ea beneficia exequi velle, ex ipſius meritis. Eodem argumento vtitur *d.* 45. *quæſt.* 1. *arg.* 3. addito reſponſo. Eo modo (ait) quo Deus ab æterno, voluntate efficaci, ſeu electione voluit; exequitur in tempore, ſed ab æterno non elegit omnes ad gloriam: Ergo neque in tempore omnes ſaluantur; ſed hi, qui ex meritis ad gloriam ab æterno electi ſuere.

Confirmatvr à S D. *in Diæta, tit.* 10. *cap.* 2. ex allegato illo *Iſa.* 64. quo vtitur Apoſtolus 1. Cor 2. *Oculus non vidit, auris non audiuit, in cor hominis non aſcendit, quæ præparauit Deus diligentibus ſe.* Sunt autem obſeruanda verba: *Præparauit diligentibus ſe*, quæ ſenſum faciunt, vt facta ſit ab æterno præparatio, præuiſis diligentibus, ſicut hoc reſpectu datur in tempore. Ad quem modum Rex pararet coronam ei, qui vrbem Regiam liberaret Sic ait S. Bonau. paratam, ac venditam coronam Petro, crucem ſcandenti, Paulo iugulum præbenti. Vbi obſeruat periodum Apoſtoli. *Loquimur Dei ſapientiam, quam prædeſtinauit Deus ante ſecula in gloriam noſtram, quam nemo principum huius ſeculi cognouit* Et ſubdit: *Sed ſicut ſcriptum eſt. Quod oculus non vidit, &c.* Ecce de prædeſtinatione æterna loquitur. Particula enim (*ſed*) reſumit illam prædeſtinationem, quatenus ignotam, & probat ex Iſaia. *Oculus, &c.* 41

Probatvr ampliùs hic ordo diuinæ electionis, 42

 aſſumptus

aſſumptus in argumento à D.Bonau. *loc. cit.* ex illo Matth.25. *Venite benedicti Patris mei, poſſidete regnum paratum vobis à conſtitutione mundi.* Vbi aduertit eos electos ab æterno reges, quibus Deus ſeruiat. Lucæ 2. *Præcinget ſe, &c.* & cap.5. aduertit, reddi rationem talis coronæ paratæ: *Eſuriui enim, &c.* vbi ratio eſſet inualida, niſi complecteretur, cur detur regnum; & cur paratum ſit ante ſecula. Vbi Chryſoſt. *homil.*80. *in Matth.* exponit loquens in perſona Christi, *Nam, quia ſciebam, vos, antequam nati eſſetis, huiuſmodi futuros; hæc vobis à me præparata fuère.* Neque dicant, ibi Chriſtum loqui de ordine executionis; ſiue externo in tempore, ſiue interno à ſeculis æternis; non de ordine intentionis. Nam eodem modo loquens de reprobis ait: *Diſcedite à me maledicti: Eſuriui enim, &c.* vbi ex malis operibus, reddit rationem non ſolùm executionis pœnarum; ſed etiam intentionis æternæ eas exequendi; alioqui; Si quis diceret, Deum ab æterno decreuiſſe aliquos ad pœnas æternas ordine intentionis ante præuiſa demerita, laberetur in Caluiniſmum.

43 QVOD verò Maſtrius, & alij extorquent particulam (*enim*) nun reddere rationem æternæ præparationis, à Patre factæ; ſed temporalis dationis. *Venite, poſſidete regnum; eſuriui enim, &c.* floccidum eſt. Nam ſic ratio Chriſti eſſet mutila; vt dixi.

QVOD verò ait, loqui conſequenter etiam de voluntate æterna executiua & remuneratiua tantùm, qua decreuit dare ex meritis gloriam iuſtis: & impiis, è demeritis pœnas, falſum eſt; nam loquitur ibi de intentione, vt notatur ex verbo *paratum*; eſt enim prædeſtinatio, *præparatio beneficiorum Dei*, &c.

SIMILI ordine loquitur Chriſtus *Matth.*20. duobus fratribus petentibus regnum, quibus neceſſitatem operum in potatione calicis oſtendit. *Poteſtis bibere calicem?* & concludit. *Sedère autem ad dexteram, vel ſiniſtram, non eſt meum dare vobis; ſed quibus paratum eſt à Patre meo.* Quem locum Chryſoſt. Theophylact. Ambroſius, Cyrillus, Epiphanius, & alij Patres exponunt de præparatione æterna, per merita, nimirum ab æterno præuiſa.

IOAO S.D. *in Diæta, tit.*2. *cap.*1. & *tit.*7. *cap.*7. ait. Per patientiam currendum ad propoſitum nobis terminum, ad exemplum Chriſti, & Eccleſiæ primitiuorum, qui conſcripti ſunt in cælis, vt hortatur Apoſtolus *Heb.*2, nempè opera bona patrando, quæ calicis nomine propoſuit Chriſtus Iacobo; & Ioanni *Matth.*20. Vnde & gratis petentes expulit. *Neſcitis quid petatis.*

ADDIT quoquè Seraphicus *tit.* 10. *cap.* 2. illud *Rom.*8. quo arguit *in* 3. *d.*11. *quæſt.*1. vbi Apoſtolus proteſtatus prædeſtinatam nobis gloriam; *Si tamen compatimur, vt conglorificemur*, facti in meritis conformes Chriſto.

44 Itaque obſoleta illa aduerſariorum reſponſio, hæc vera eſſe de voluntate executiua, corruit.

TANDEM probatur ex Chriſto ipſo arguente. *Lucæ* 22. à D. Bonau. ibi: *Vos autem eſtis, qui permanſiſtis mecum in tentationibus meis: Et ego diſpono vobis regnum, ſicut diſpoſuit mihi Pater.* Tunc ſic. Eodem modo fatetur ſe diſponere, & præparare Apoſtolis regnum, & gloriam, quo Pater æternus ab æterno diſpoſuit; ſed ipſe profitetur diſponere, quia permanſere in tentationibus merendo: Ergo eodem modo, & ex eâdem causâ Pater ab æterno diſpoſuit. Et ſanè doctrina, & argumentum S.Bonau. ſuprà, eſt iure, ac meritò à Patribus celebratum, cùm ſit ipſius Chriſti argumentum.

Huic tamen conantur aduerſarij reſpondère, tametſi luce meridiana euidentiori, vt doctè proſequuntur Becanus, Pennottus, & Vaſquez.

RESPONDANT igitur, voluntate intentionis eligere *gratis*; ſed voluntate executionis *ex meritis*. Itaque ad argumentum negant Maiorem, eodem modo, Deum ab æterno exequi in tempore, quo intendit ab æterno. Quod probat Suar. primò. Quia in eodem ſigno, quo Deus prædeſtinauit hominem Deum, prædeſtinauit illum glorioſum in anima, & corpore; vt ſumitur è D.Auguſt. *tract.*105. *in Ioan.* cùm tamen in tempore non habuerit gloriam corporis, ſine meritis. 45

SECVNDÒ. B. Virgo fuit electa Mater Dei, ante omnem meritorum præuiſionem, cùm tamen dignitatem illam non obtinuerit abſque conſenſu libero, & ſine aliquo merito, ſaltem congruo. 46

TERTIÒ. Deus ante præſcientiam meritorum Virginis, prædefiniuit Verbum carnem ſumere in particulari, idest ex hac fœminâ. Idem argumentum currit de prædefinitione aſſumendi carnem, ex Abrahæ Stirpe.

PRÆTEREA argumentum laborat in æquiuoco, eo termino (*gratis*) quo fit tranſitus ab actu, qui gratis vult, ad obiectum datum gratis. Habet enim Deus gratis hanc intentionem dandi gloriam; at verò obiectum vult dare per merita, quæ non præuidet, ſed potiùs præparat. Itaque non repugnat, quod Deus in æternitate gratis eligat ad gloriam, ſecundùm ordinem intentionis; & tamen in tempore detur ex meritis, vt patet in exemplis allatis. Eadem vrgent Maſtrius, & Ribas.

AFFERT quoque Suarez aliud exemplum. Si aliquis habet voluntatem dandi equum amico, tunc vult dare gratis, ita vt illud *gratis* cadat ſuper actum, & ſuper obiectum; at voluntas vendendi equum non eſt voluntas dandi gratis; ipſa tamen voluntas poteſt haberi gratis, ſi velim, Petro, eò quòd mihi ſit amicus, vendere equum; & non aliis, qui meum equum emere vellent; tunc voluntas mea vendendi Petro, eſt gratis; at prout fertur in obiectum, non eſt gratis. Sic igitur actus electionis, vt terminatur ad talem perſonam eſt gratis; ſed, pro vt ad tale obiectum, non eſt gratis. 47

HÆC tamen friuola ſunt. Et primò ſanè Chriſtum prædeſtinatum ad gloriam eodem ſigno, quo prædeſtinatus eſt filius Dei, eſt falſum, nec habetur in D. Auguſt. ſolùm enim ait. *Secundùm hanc ergo prædeſtinationem*, de qua Rom. 1. *Qui prædeſtinatus eſt filius Dei, & glorificatus eſt, antequam mundus fieret*; in prædeſtinatione autem eius multa ſigna interuenère, vt dicam 3. *p. de prædeſt. Chriſti.* Sicuti ergo, 48 49
ſi dicerem: Petrus eadem prædeſtinatione prædeſtinatus eſt ad gratiam, & ad gloriam; non benè inferres vtrumque in eodem ſigno; ità & in hoc caſu loquitur D. Auguſt. imò dixit ſuprà. *Sic enim nos electi, quomodo & ipſe clarificatus eſt in Dei electione.* Sicut ergo ex decreto Dei ſtatutum eſt, *Chriſtum pati, & ita per merita intrare in gloriam ſuam*; ita etiam nos. Sic arguit cum D. Auguſt. Seraphicus ex illo Rom.8. *Quos prædeſtinauit conformes fieri imaginis Filij ſui.* Cùm ergo prædeſtinauerit conformes fieri in gloriâ; ſequitur prædeſtinaſſe conformes fieri in merito gloriæ: Ergo in æterno decreto fuit electio ad gloriam ex meritis. Sic deducunt S. Ambroſius, & alij Patres hìc.

QVOAD B. Virginem reſpondent cum D.Bonau. *in* 3. *d.*4. *art.*2. *quæſt.*2. quod in ſua electione fuit præparata per merita, quod probat S.D. ex illa. Oratione. *Omnipotens ſempiterne Deus, qui glorioſæ Virginis Matris Mariæ corpus, & animam, vt dignum Filij* 50

Filij habitaculum effici mereretur, Spiritu Sancto cooperante præparaſti. Præparatio autem dicit æternam Dei voluntatem, vt oſtendit S.Bonau. relatus *quæſt.* 2. circa quartam definitionem prædeſtinationis. De hoc 3. *p. Tract.* 1. *diſp.* 6. *quæſt.* 6.

51 Qvod verò Chriſtus ſit determinatus naſci ex tali ſanguine Mariæ, & Abrahæ.

Reſpondetur, non eſſe neceſſe, vt ſit determinata perſona, quæ eſſet Mater, antequàm congrua fieret, vt notat Seraphicus *in corpore.* Nam debuit quidem Filius Dei determinare ſibi carnem indiuiduam, ſed dignam, ex matre digna, ideò non intelligitur electa caro cum omnibus circumſtantiis, niſi præparata tanto Filio.

52 Discvrsvs verò Suarez eſt fragilis. Nam actus ab obiecto ſpecificantur ſecundùm ipſum *l.* 1. *de prædeſt. cap.* 4. *initio.* Vnde eatenus eſt gratis, quatenus tranſit ſuper obiectum. Itaque voluntas vendendi, equum non eſt voluntas gratis, niſi intelligatur gratis, ideſt libera. Quo ſenſu luditur. Nam ſic etiam omnes actus voluntatis liberæ erunt gratis. Deinde malè applicant: Nam Deus in tempore non habet illum actum gratis; ſed ille actus eſt neceſſarius, non ſolùm in ſe, quia Deus eſt; ſed etiam in connotato, quia eſt voluntas dandi gloriam promiſſam meritis. Quòd ſi nudum actum accipias tam in æternitate, quàm in tempore abſque obiecto, nihil aliud eſt, quàm nuda voluntas Diuina ſimpliciter neceſſaria.

53 Cætervm illa voluntas dandi gloriam gratis, euertit illam dandi gloriam è meritis. Si enim prior voluntas eſt efficax: Ergo neceſſariò ſequitur donatio gloriæ: Ergo non datur ex meritis, vel ſi datur ex meritis, frangitur primum decretum; ſicuti, qui decerneret dare gratis Petro Vrbem; & poſteà vellet, Petrum ſibi acquirere illam ſudoribus. Hoc enim eſt vnum velle efficaciter in æternitate; & in tempore velle oppoſitum efficaciter, quæ quidem ſunt paradoxa, vt concludit Pennottus *l.* 6. *cap.* 21.

54 Neqve ſatisfacit Maſtrius *num.* 150. dicens, non repugnare hoc ſecundum decretum; primò, quia, licèt Deus ex vi prioris decreti non reſpexerit merita ex parte obiecti; non tamen illa formaliter, & poſitiuè excludit.

Contrà enim eſt. Merita formaliter, & poſitiuè excluſit eo ipſo, quod liberaliter, & gratis voluit dare gloriam: Nam opponuntur ratio donationis, & ratio mercedis.

55 Instat, nos fruſtrà opponere repugnantiam inter titulum liberalitatis, & iuſtitiæ. Nam & nos admittimus, Deum habere voluntatem complacentiæ liberalem dandi gloriam omnibus; Quia vult omnes homines ſaluos fieri; neque tamen vult, nos obtinere gloriam ſine meritis; alioqui haberet voluntatem repugnantem ſuo decreto. Id vrget & Ribas *num.* 90.

56 Varvm reſpondet Vaſquez *d.* 23. *cap.* 11. *num* 138. diſcrimen magnum inueniri: Nam voluntas inefficax conſummatur interiùs; ideſt non requirit cauſalitatem extrinſecam, & effectum; at voluntas efficax conſummatur extrà, & requirit cauſalitatem extrinſecam, & effectum. Non poteſt autem idem effectus eſſe liberalitatis, & iuſtitiæ.

Respondetvr meliùs, voluntatem beneplaciti eſſe antecedentem quidem, non tamen velle gratis gloriam; ſed ex meritis, vt notat Seraphicus *diſt.* 46. *quæſt.* 1. Ita verò, vt eodem beneplacito optet finem, ſed media meritis, ad quæ efficaciter præparat auxilia neceſſaria, volens eam antecedenter, vt *brauium.*

57 Replicant Morandus, & Maſtrius, ab æterno diſpoſitum fuiſſe in ordine executionis internæ, dari in tempore gloriam ex meritis, & hoc ſenſu executionem in tempore correſpondêre voluntati æternæ. At ſecundùm intentionem finis, Deum voluiſſe nobis gloriam, abſque præuiſione meritorum. Neque tamen fuit voluntas donandi; nam ſic in ſecundo decreto non poſſet velle eam comparari ex meritis; alioqui violaretur primum decretum, ſed virtualiter tantùm reſpicit ſub ratione præmij, quatenus implicitè claudit voluntatem dandi merita ei, cui efficaciter intenditur beatitudo. Igitur Deus elegit Petrum ad gloriam, quam vult eum conſequi per merita; non autem elegit Petrum ad gloriam propter merita. Sic & Ribas *num* 90.

Contra. Nam ſequitur, primam illam electionem eſſe confuſam, quia nec habet rationem doni, 58
nec rationem iuſtitiæ; & tamen illa voluntas eſt abſoluta efficax. Ergo determinata, vel ſi eſt illa intentio dandi merita gratis, non poteſt decerni voluntas rurſus dandi propter merita.

Reſpondent, negando conſeq. ſolùm enim ſequi aiunt, abſtrahere, quia non determinat media, quæ eam gloriam ſint effectura, perinde, ac quando iuſſit ſibi offerri par Turturum, aut duos pullos columbarum.

Contra. Nam ſequitur primò, eam primam vo- 59
luntatem eſſe inadæquatam, & hoc concedit Maſtrius: Ergò non eſt perfecta electio, neque gratuita; de quo eſt controuerſia, ſed ſolùm voluntas quædam dandi gloriam in abſtracto; ac proinde nullam habet indiuiduam executionem reſpondentem; cùm tamen clament aduerſarij, eſſe intentionem effectricem finis. Quod ſi virtualiter includit merita: Ergo eſt ex meritis, neque finitur actus ille volendi gloriam, niſi merita, per quæ eſt obtinenda, definiatur, quæque in tempore eiſdem meritis acquiritur.

Respondet Ribas, eam voluntatem Dei antece- 60
dentem diſtinctè ferri ſuper electos efficaciter, & in reliquos inefficaciter. Sic autem intelligi, ait id Pauli, *Deus vult omnes ſaluos*, idque à ſe probatum *tract.* 5. *d.* 10. *cap.* 2. At oppoſitum oſtendi *diſp.* 16. *quæſt.* 9. *& hic.*

Resvmit verò cum Suarez *l.* 3. *de aux. cap.* 19. Tannero *d.* 3. *quæſt.* 5. *dub.* 4. *num.* 66. Maſtrio *cit.* illud decretum factum gratis, quoad actum; at in ordine ad obiectum obtinendum per merita, Iterum adducunt equum eludum gratis exhibitum; ſed obtinendum certamine, quæ iam exploſi. Exponunt autem proprio Marte cætera.

Verum enim verò implicat, in eodem ſigno ele- 61
ctos aliquos ad gloriam titulo iuſtitiæ, & tamen gloriam eſſe volitam gratis. Sunt enim duo tituli oppoſiti. Exempla verò non ſunt ad rem: nam Rex ille, & pater familias antecedenter efficaciter ſeligunt: at Deus omnibus antecedenter vult ſalutem; omnibus proponit eam; parat media, & voluntate ſola conſequenti ſeligit, vt mox dicam. Afferatur ergo exemplum ſimile cum Dei electione ad gloriam. Quòd Rex proponat præmium aliquod omnibus, qui benè operati fuerint eâ lege, vt non daretur, niſi in præmium ei, qui opus conficeret, quamuis eum amaret, & antecedenter ei præmium deſideraret, antequam victorem videret. Profectò non eſſet exhibitum gratis, neque gratis daretur; niſi quatenus ille Rex poterat nulli velle dare præmium, nec opus proponere, quod potuit, & Deus nolendo homines aſſumere ad gloriam. Itaque ille Rex nunquam vellet huic magis, quàm illi dare, niſi expectato exitu; excepto caſu, quo præuideret euentum, tunc enim præuidens, hos benè

acturos;

acturos; illos non poſſet diſcernere bos ad præmium, præ illis. Ità ergo Deus.

Hoc argumentum latiùs inſequitur Vaſquez 3.*p.* *d.*23. *num.*107. vbi hanc controuerſiam prouocatus reſumit.

62 Probatvr ſecundò à D. Bonau. 1. *d.*41. *quæſt.*1. *arg.*2. *&* 3. ratione ducta ex aliis Scripturis, quam plurimi faciunt, Fauentinus, Amicus, Vaſquez. Deus ex ſe ſinceram habet voluntatem ſaluandi omnes, vt dicitur 1. Tim. 2. *Deus vult omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* Et 2. Petri 3. *Nolens aliquos perire; ſed omnes ad pœnitentiam reuerti.* Accedant Scripturæ, quibus Deus omnes inuitat ad ſalutem, & æqualiter, ità vt neminem excludat à gratia vocationis (addo) congruè, ideò quia ſe acceptatorem perſonarum non eſſe teſtatur: *Act.*10. *Rom.*2. *Epheſ.*6. *Coloſſ.*3. *prima Petri* 1. ac proinde hominibus inurit, quòd vocati non veniant. *Iſa.*5 *Oſea* 13. Sed hæc nullatenus verificari poſſunt, ſi Deus pro mero ſuo beneplacito, & abſque reſpectu ad bona electorum opera, vt abſolutè futura, certos quoſdam, & quidem pauciores elegit, poſthabitis, ſeu negatiuè reprobatis cæteris: Ergo ante præuiſionem meritorum non ſelegit aliquos ad gloriam.

63 Maior argumenti, quòd Deus vera volitione complacentiæ velit antecedenter omnium ſalutem; probatur ex dictis *diſp.*16. *quæſt.*9. Et eſt communis Theologorum ſenſus etiam apud aduerſarios. Ità Suar. *l.*4. *de prædeſt. cap.*1. *&* 2. Faſolus *p.*1. *quæſt.*19. *dub.*1. Arriaga *d.*25. *ſect.*3. *ſubſect.*3. Auerſa *p.*1. *quæſt.*23. *ſect.*2. Lezana *tom.*1. *tract.*4. *d.*9. *quæſt.*4. Smiſing. *tract. de Deo vno*, *d.*5. *quæſt.*2. quos refert cum aliis, & ſequitur Pennottus *l.*5. *Propugnac. cap.*10. Maſtrius *d.*5. *quæſt.*1. *num.*7. allegans Scotum 1.*d.*46. qui raptis ferè verbis à D. Bonau. *d.*46. *quæſt.*1. ad vnguem ei adhæret, vt ipſe Maſtrius teſtatur *num.*6. idem ſenſit D. Th. *p.*1. *quæſt.* 19. *art.*6. *ad* 1.

Præclara S. Proſper *l.* 2. *de vocat. gent. cap.*19. ait: *Illud de bonitate Dei piiſſimè creditur, quod velit omnes ſaluos fieri.* Et cap.25. dicit. *Sine nouiſſima contemplemur ſecula, ſeu prima, ſeu media, rationabiliter, & piè creditur, omnes homines ſaluos fieri, Deum velle, ſemperque voluiſſe, & hoc non aliunde monſtratur, quam de iis beneficiis, quæ vniuerſis generationibus communiter, atque indifferenter impendit.* Et l. ad

64 capitula Gallorum, Sent.8. *Qui dicit, quòd non omnes Deus velit ſaluos fieri; ſed certum numerum prædeſtinatorum; durius loquitur, quàm loquendum eſt de altitudine gratiæ Dei, qui & omnes vult ſaluos fieri, atque in agnitionem veritatis venire; & voluntatis ſuæ propoſitum in eis implet, quos prædeſtinauit.* Vbi aduerte, Proſperum initio libri profiteri ſe has propoſitiones ponere ad mentem D. Auguſt. Idem docent alij Patres ad ea verba Apoſtoli. D. Ambr. ſuper illis verbis, cùm propoſuiſſet quæſtionem. *Si Deus omnipotens omnes homines vult ſaluos fieri, cur non impletur eius voluntas?* Reſpondet. *Quia conditio latet, vult enim omnes ſaluos fieri; ſed, ſi accedant ad eum; non enim ſic vult, vt nolentes ſaluentur; ſed vult illos ſaluari, ſi & ipſi velint.*

S. Clemens Rom. Pontifex *l.*2. *conſt. Apoſtolic.* cap.59. *Ex ore Domini noſtri Ieſu Chriſti audiuimus, & perfectè ſcientes dicimus, quæ ſit voluntas Dei bona, placens, & perfecta per Ieſum Chriſtum nobis demonſtrata, vt nullus intereat; ſed vniuerſi homines vnanimi ſententia credentes ei, & vnanimem laudem ferentes, in eum viuant in æternum.* Sic loquuntur Chryſoſtomus, Hieronymus, vt omittam Damaſcenum adductum à D. Bonau. D. Thom. & Scoto; vt vidimus *diſp.*16. *quæſt.*9.

Hanc voluntatem Chryſoſtomus vocat primariam, & ingentem ipſius, propenſamque voluntatem erga nos cum flagranti deſiderio *homil.* 1. *ad Epheſios.* Vt caudam reſtringat Vulpes ganniens *tom.*2. *p.*1. *d.*33. *art.*10. dicit, illam voluntatem tantùm ad media aſſeri à Patribus.

Probatvr verò Ipſo contextu Apoſtoli, vt ar- 65
guebam diſp.16. quæſt.9. *Deus vult omnes ſaluos fieri; quia vnus mediator dedit ſemetipſum redemptionem pro omnibus.* Sed Chriſtus mortuus eſt pro omnibus, & ſingulis, nullo excluſo: Ergo eodem modo vult ſingulos ſaluos. Hoc autem de vera Dei voluntate exponunt Patres; alioqui Deus non ſincerè nobiſcum ageret.

Confirmatur. Quia Deus reprobis non ſolùm negatiuè voluit beatitudinem, vt gannit Vulpes, ſed poſitiuè omnes ad beatitudinis finem ordinauit, præparans ad illam media.

Hanc autem voluntatem, ordinantem omnes ad ſalutem, habuit Deus etiam poſt peccatum Adæ, nam, vt ait Apoſtolus; Deus vult omnes ſaluos, quia redempti à Mediatore. Et hanc eſſe non nudam complacentiam, ſed proſecutionem probat Seraphicus. Quia dat media. Igitur ex parte Dei eſt efficax. Quicquid Arriaga *d.*25. *num.*76. dicat.

Mvltæ obiectiones opponuntur, præcipuè. Quia multis non dat media ſufficientia, vt infantibus mortuis in vtero, barbaris obcæcatis, &c. Sed de his erunt quæſtiones infrà *diſp.*12. *quæſt.*5. *&* 6.

Minor verò argumenti principalis probatur eui- 66
denter: Nam electio, vt ait Seraphicus, eſt diſcretio aliquorum; aliis reiectis, vt omnes concedunt; ac hæc negat omnibus vniuerſaliter ſalutem ex parte Dei; Si illa ſelectio eſt primus actus Dei, ante merita præuiſa: quomodo antecedenter Deus vult omnes ſaluos? Quomodo nullum vult perire? Quomodo ſincerè omnes vocat; inuitat? ſi iam in primo actu maiorem partem ſaltem negatiuè reprobauit? ſi alios tantùm paucos efficaciter vult?

Respondent Maſtrius, & Macedo, etiam aduerſarios hoc argumento premi; Nam aſſerunt, Deum antecedenter ex beneplacito mero inclinari magis in electos, dando eis maiorem gratiam. Verùm in ſententia Seraphici, Deum aſtruimus antecedenter erga omnes æqualiter affectum; & è motiuo congruo prædeſtinare aliquos, vt dicam *quæſt.*12. omnibus tamen dare gratiam ex ſe efficacem, vt oſtendam *t.*2. *tract.*5. *d.*2. *quæſt.*4. Quare inconcuſſum manet argumentum, quod licèt à D. Bonau. afferatur ad oppoſitum; tamen quoad rem noſtram illud concedit.

Ex his corruit quoque reſponſio Nazarij, & alio- 67
rum, voluntatem antecedentem eſſe non modò eam generalem; ſed etiam peculiarem, qua quibuſdam determinat gloriam. Contrà. Si voluntas antecedens de noſtra ſalute reſpicit omnes, ſignum eſt, non eſſe electionem efficacem ſolùm paucorum.

Caspensis reſpondet *num.*82. non eſſe abſonum circa æquales, Deum inæqualiter ſe habuiſſe in ſecundo ſigno.

Contra. Nam certum eſt, decretum abſolutum eligens aliquos, ideſt prædeſtinando excluſiſſe alios; & ſi excluſiſſe dicas poſitiuè; laberis cum Caluino: ſi negatiuè, ſequitur noluiſſe antecedenter ſaluos omnes.

Respondet Caſpenſis, excluſiſſe non eligendo 68
efficaciter. Contrà. Vbi ergo eſt in Deo voluntas conſequens diſcernens ex ſuppoſitione demeriti, non antecedenter, quam cum cæteris admittit Caſpenſis *tract. de Voluntate Dei*, *d.*7. *ſect.*5. *numero octauo?* Et *num.*7. ſic explicans: Vellem ſalutem omnium efficaciter,

citer, ſi non obſtarent peccata. His refellitur & Ribæ reſponſum *num.*80.

Ex dictis ad ima defluit etiam reſponſio P. Macedi dicentis *ſect.*5. voluntatem Dei generalem ſalutis omnium niti beneuolentia eius, vt author eſt naturæ noſtræ; at voluntatem efficacem eligentem perpaucos, oriri ex motiuo gratiæ, quæ non tenetur naturæ.

Hæc reſponſio repugnat Apoſtolo, qui generalis illius voluntatis cauſam exhibet amorem & merita Chriſti mediatoris, qui dedit ſe morti Redemptorem omnium; non vt crearemur: ſed vt gratia ſaluaremur, vt denſis illationibus arguit S. Auguſt. contra Pelagium.

Repugnat etiam SS. Patribus allegatis, qui ex hac voluntate Dei inferunt Deum prouidiſſe gratias omnibus.

69 Probatur tertiò à S.D. *d.*40. *art.*2. *quæſt.*1. *corp.* argumento valido, quo vtuntur Vaſquez, Faber, & alij; Decretum Dei efficax, ante præuiſa merita, non relinquit arbitrio libertatem ad acquirendam gloriam, & illam recuſandam. Sed hoc repugnat Scripturæ teſtanti ſalutem eſſe in noſtra libertate; & nos ad eam debere pergere per opera, eaque negligendo iri præceps ituros. *Matth.*22. *Apoc.*3. 1. *Cor* 9. & ſexcentæ aliæ clamant. Quod oſtendit S. Bonau. *in argumentis quæſtionis ſecundæ, articuli citati.*

Hoc argumentum nouum eſſe aſſerunt aduerſarij. Et *Vaſquez* 3. *p. loc. cit.* ait, nullum antiquum hinc arguiſſe è libertatis violatione. Sed audite Seraphicum in corpore. *Prædeſtinatio non infert neceſſitatem ſaluti, nec infert neceſſitatem libero arbitrio, quoniam prædeſtinatio non eſt cauſa ſalutis niſi includendo merita,*
70 *& ità ſaluando liberum arbitrium.* S. Doctorem ſequuntur plurimi inferentes, Deum non elegiſſe Virginem in Matrem, antequam eius merita præuidiſſet. Sed de hoc 3. *p. tract.* 1. *d.*6. *quæſt.*6. *in fine.* Ibi *q.*5. *&* 6. voluntatem illam à Suarez confictam refutabo. Hoc igitur ſatis erit, induci per illud decretum voluntatem antecedentem, quam D. Anſelmus, libero arbitrio inimicam clamat, vt vidimus *diſp.*16. paſſim, & videbimus *quæſt.*20.

Respondent Suarez, Faſolus, Albiz, Caſpenſis, Arriaga, & alij aduerſarij ſcientiæ mediæ aſſertores, hanc electionem non inducere neceſſitatem antecedentem, ab Anſelmo excluſam, quæ non dicit reſpectum ſaltem ad aliam ſuppoſitionem conſequentem; nam decretum præcedens præſcientiam abſolutam meritorum decernit, ſuppoſita ſcientia conditionali eorundem meritorum, ſine qua, non poſſet Deus habere decretum illud de actibus liberis. Itaque decretum illud antecedens includit ſuppoſitionem conſequentem, nempè liberum arbitrium, tali modo liberè voliturum ea media, ſi applicata fuerint. Ex quo tenetur Deus ea applicare, quibus voluntatem liberè mouendam nouit.

71 Dolent Vaſquez *num.*96. Pennottus *l.*6. *cap.*23. Herize apud Arriagam *d.*35. aduerſarios abuti ſcientia media, quæ in caſu noſtro non facit ad rem. Nam hoc eſt aſſerere, gloriam abſolutè deſtinari ob merita conditionalia, quæ dicuntur à Patribus merita ficta, & ſic labi in errorem Maſſilienſium. Deinde quia adhuc efficax decretum dandi gloriam præcedit liberam noſtram cooperationem, vt futuram abſolutè, & ità adhuc tollit libertatem.

72 Verum hæ, & ſimiles oppoſitiones non vrgent aduerſarios illos, qui ad ſcientiam mediam confugiunt. Ac primò non conſpirant Maſſilienſibus; nam illi volebant eligi aliquos ad gloriam ob merita, quæ acquiſiuiſſent, ſi vixiſſent; ipſi tamen non erant victuri, vt patet de illo Sap.4. *Raptus eſt, ne malitia mutaret cor illius*, ideò dicuntur merita conficta; at aſſertores ſcientiæ mediæ hoc non dicunt; neque eligi ex meritis vllis conditionalibus, & præuiſis in ſequenti ſigno abſolutè futuris; ſed ſolùm adhibent ſcientiam mediam, vt libertatem tueantur, aſſerendo, decretum abſolutum ad perſeuerantiam, & gloriam editum eſſe ſuppoſitâ ſcientiâ conditionali; iuſtumque voliturum vltimò ſaltem perſeuerare; ne præuentus abſoluto decreto, libertate priuatus, determinatus ſit ad vnum, nec poſſit oppoſitum velle.

Quomodo verò à decreto libertas lædatur, adhuc 73
ſuppoſitâ ſcientiâ, mediâ non video; alioqui lædere deberet & in vocatione, & aliis effectibus liberis, & ità ſcientia media ad nihil ſeruiret. Itaque argumentum noſtrum vrget tantùm aſſertores prædefinitionum Thomiſtas; vt patet: Nam in eorum ſententia poſito illo decreto abſolutè prædeterminante abſque ſcientia conditionata; iam remanet electus libertate carens.

Vrget & Scotiſtas aſſerentes concomitantiam de- 74
creti, vt viſum eſt *d.*16. *q.*3. vrget quoque aſſertores decreti prædeterminantis, ibi reiectos, hoc enim prædeterminatur, vt nequeant recuſare ſaltem in fine vitæ, ne decretum temeretur. Neque dicat Macedo *ad* 4. Deum noſſe modum operandi cum voluntate, non prædeterminare phyſicè, ſed excitare moraliter; quod verò iam decretum ſit, nihil obeſſe, nam & nos dicimus illud eſſe æternum.

At non ſoluit: nam decreta à nobis conceſſa non prætereunt, vt dicam *quæſt.*20. at eſto. Sunt poſt præuiſionem concurſus noſtri; at decretum Sentieum antecedit phyſicè immutabiliter, nec vales operari, vt mutetur.

Confirmatur. Si decretum eſt, me ſaluandum ante 75
merita præuiſa, poſſum tutos canere: *Venite fruamur bonis*, & lora vitiis laxare, & indignè electi ſaluarentur, vt arguit Seraphicus argumentis ſecundo loco *quæſt. adducta*; aut decretum efficax eſſet infringendum, quod fieri non poteſt, vt latè proſequitur Seraphicus *d.*47. *quæſt.*1. ex Geneſ. vlt. *Num poſſumus Dei reſiſtere voluntati?* Rom.9. *Voluntati eius quis reſiſtit?* Et probatur ratione. Quia eſt cauſa omnipotens, immutabilis. Quæ argumenta conuincunt Thomiſtas, & Scotiſtas; non tamen aſſertores ſcientiæ mediæ, vt aduertit Arriaga *d.*35. *ſect.*4. *num.*42. & Maſtrius *num.* 223. Idem enim Inconueniens poſſet alioqui induci contra cæteros aſſertores ſcientiæ mediæ dicentes, prædeſtinationem ad gratiam præcedere præſcientiam alicuius operis. Quare fruſtrà Vaſquez *hic*, & 3. *p. locis adductis* iraſcitur.

Quod ſi è contrà Deus eſt tota cauſa ſalutis antecedenter, vt arguit S. Bonau. *d.*40. *art.*2. *quæſt.*1. imponeretur antecedens neceſſitas ſaluti; at ea, quæ oritur, viſa operatione arbitrij, eſt conſequens.

Probatur quartò argumento ſumpto à poſteriori è ratione meriti. Eſt autem S. Bonau. *d.*40. *art.*2. *q.*1. *in fundamentis.* Et *l.*1. *Compendij*, *cap.*30. eoque vtuntur Vaſquez *cap.*11. Herize *d.*23. *cap.*1. *&* 2. Si Deus 76
primo actu eligit ad gloriam non præuiſis meritis; ſequitur, merita nihil facere ad conſecutionem gloriæ. Et ità homo poſtea ſiue habeat merita, ſiue non, nihil refert.

Et ſi ea non habuerit, adhuc ſaluabitur. Quia decretum de danda gratis ei gloriâ iam ante firmatum eſt; at eſto ea merita habeat, adhuc non erunt cauſa gloriæ. Tum quia ſunt poſteriora ipsâ gloriâ; ea autem quæ eſt poſterior effectu, & ſine qua effectus adhuc eſſet, non eſt cauſa neceſſaria. Datur exemplum. Si aliquis Rex eligeret Petrum in Marchionem gratis,

& poſteà videns merita ; non eligitur ex meritis ; ſed manet electus è liberalitate. Itaque, ſi poſteà experiatur ignauum, & reiicere velit, oportet, vt mutet primum decretum. Ità etiam Deus eligens antecedenter è liberalitate ; ſemper ad gloriam volet è liberalitate, ſiue poſteà ſit meritum gloriæ, ſiue non ; niſi velit decretum mutare.

Hoc argumento aduerſarij torquentur ; & ideò multimodè diſtrahuntur.

Respondent multi, illud decretum non fuiſſe gratis, neque etiam è meritis ; vnde non ſequitur beatitudinem, prædeſtinatum à Deo, gratis donari.

77 Verùm omnis donatio rationabilis aliquod motiuum debet habere, vel liberalis, vel grati animi, vel iuſtitiæ, vel ex conuenienti, quaſi ex merito. Deinde per hoc non effugiunt. Nam ſi è nullo motiuo eliguntur ad gloriam : Ergo neque in tempore ex meritis ad eum euehuntur.

D. Thomas, Suarez, & alij reſpondent, Deum in æternitate, ordine intentionis eligere ad gloriam, quæ eſt finis, & primus in intentione ; at verò in executione, media ſunt priora ; ſicut etiam inter nos accidit.

Veruntamen nihil proficiunt. Nam voluntas illa dandi gloriam habuit pro obiecto gloriam in tempore dandam. Quod ſi ab æterno decreuit nobis hunc finem gloriæ conferendum gratis abſque meritis, fuit dicere : Volo in tempore dare gloriam illam gratis abſque meritis.

78 Respondent Suarez, & poſt eum Arriaga *ſect.* 2. volitionem illam eſſe gratis, & liberalem quoad actum ; non autem quoad obiectum. Hoc autem exemplis declarant. Primò. Si ſciam meum equum fore gratum Petro, eum illi vendere decerno. Hæc volitio eſt gratioſa ; nam vt velim vendere, nullus me cogit ; nec datur mihi pecunia, vt velim vendere ; attamen ex parte obiecti ea volitio non eſt gratioſa, quia volo vendere ; non donare, & pretium dignum exigo. Sic Deus gratis mihi vult vendere gloriam ; ſed non vult dare gratis, ſed propter merita. Hinc non apparet nobis gloria, niſi per merita. Quia licèt voluntas illa non ſit formaliter poſt merita ; eſt tamen virtualiter ex parte obiecti ; quatenus non niſi per merita vult dare gloriam.

79 Hæc reſponſio eſt primò extra chorum. Nam quæſtio noſtra eſt : An determinetur obiectum, ideſt gloria, gratis ; an ex meritis. Eo ipſo autem, quòd Deus vult vendere, nunquam habuit voluntatem dandi gratis ; quod verò ſpontè decernat gloriam, non neceſſariò ; quid quæſo ad rem ?

Certe in omnium ſententia Deus non coactus ab aliquo merente, voluit creare hominem, aut glorificare ; attamen non reſpondetur ad quæſtionem, quæ talis eſt etiam apud Arriagam : An electio ad gloriam ſit ante præuiſa merita. Vnde hic author quæſtiones de nomine, à ſe toties profligatas, exagitat.

Vrgeo ex doctrina ipſius *d.* 35. *ſect.* 4. Hic primus actus Dei gratioſus volentis vendere gloriam homini, eſt liber nobis, atque adeò neque poteſt ſub noſtris meritis cadere ; eſt enim actus Dei ; non autem exercitium noſtræ libertatis, vt ipſe clamat. Itaque eatenus tantùm gloria eſt libera, ac proinde meritoria, quatenus ſunt nobis libera, & quatenus opera noſtra, quibus gloriam promereamur. Hæc porrò voluntas vendendi gloriam non habet pro executiuâ volitionem vendendi gloriam nobis liberam ; ſed eſt adhuc prima intentio Dei, quæ ſemper dixit : volo vendere gloriam. Quod verò gratis ſe applicuerit ad hoc volendum è generali modo operandi ad extrà, ad rem non facit ; ſicuti ex eo, quòd liberè voluit mundum redimere, non facit, quin ſemper voluntas ſaluandi fuerit redemptio, exigendo pretium. Chimæricum eſt ergo, vt illud (*gratis*) cadat ſuper actum, vt argumentum vitetur.

Exemplum verò non iuuat : Nam velle contrahe- 80
re ex ſua ſpontanea, & liberali voluntate, non eſt actus gratis, ideſt ex liberalitate, cùm hæc virtus verſetur in largitionibus, è quibus nihil ſperatur ; fateor neque ad iuſtitiam ſpectare, neque erit gratitudinis, niſi velit huic vendere, vt remuneret acceptum beneficium. Erit igitur illius virtutis, in quam peculiariter fertur venditurus, iuxta finem ſtudioſum, quem habet. Cæterum cuiuſcunque virtutis ſit, erit eiuſdem virtutis velle contrahere, & ipſum *contrahere* ; traditio porrò ad iuſtitiam pertinebit.

Ex his ruit aliud exemplum, quod afferunt de 81
Rege, qui ſpontè vult exponere præmia certantibus ; & hoc liberale eſt, quamuis poſtea diſtribuere præmia, ſpectet ad iuſtitiam diſtributiuam.

Reſpondetur enim, duos affectus in Rege reperiri. Alter liberalitatis, qui eſt largiendi de ſuo aliquid victoribus ; alter tribuendi victoribus in præmium res aſſignatas. His affectibus reſpondent duæ rationes. Altera eſt expoſitio præmij, per quam Rex abdicat à ſe dominium, & transfert in vniuerſitatem, vt vincentibus res dentur in præmium ; altera eſt ipſa datio præmij : prior affectus eſt liberalitatis ; Similiter, & actus poſterior gratitudinis, vel iuſtitiæ. Ita affectui voluntatis, & actui eadem virtus conuenit : De quibus ſuprà etiam dixi.

Itaque voluntas illa dandi gloriam, fuit dandi 82
ex meritis ; ſicuti datio ipſa omnium conſenſu ex meritis eſt ; & ità etiam in humanis fit ; vt qui eligit pro anno ſequenti ad dignitatem è mera liberalitate, abſque reſpectu ad merita, det etiam eodem affectu ; niſi mutetur.

Neque fundamentum illorum maximum vrget de fine, qui primus eſt in intentione ante media ; licèt vltimus in executione ; hoc enim verum eſt de rebus phyſicis ; at in fine morali, res longè aliter abit ; media enim moralia nihil operantur phyſicè ad finem moralem ; ſed relata tantùm ad voluntatem illius, qui vult dare finem, & eatenus operatur, quatenus intuitu talium mediorum vult talem finem, vt præmium conferre. Ideò ſi quis ſtatuit eum finem dare gratis, eo quoque modo executioni mandabit decretum, niſi mutet voluntatem. Igitur Deus, ſi elegit Petrum ad gloriam abſque reſpectu ad merita, profectò eam illi, eo modo confert in tempore, niſi mutetur (quod abſit.) Vel dic ; & neceſſariò dic, Deum habere etiam aliam voluntatem dandi in tempore ex meritis, & quia volitio Dei eſt æterna ; ſequitur, ſimul habuiſſe voluntates oppoſitas, alteram dandi gloriam gratis ; alteram dandi non gratis ; ſed vi meritorum. Hæ profectò inſtantiæ è D. Bonau. eliciuntur *locis adductis*.

Reſpondent alij, in illo primo ſigno, Deum non elegiſſe ex meritis ; ſed neque ſine illis ; ſed implicitè connexa fuiſſe merita.

At quamuis in his, quæ ſunt neceſſariò connexa, 83
vt cauſa, & effectus ; implicitè includatur in poſitione cauſæ, & effectus ; attamen in his, quæ ex merâ voluntate connectuntur, non valet. Itaque cùm gloria poſſit eſſe & ſine meritis ; imò ſecundùm aduerſarios ſit liberaliter deſtinata ; non video quo pacto hanc nectant catenam : Sunt enim tituli oppoſiti ; nimirum *dare liberaliter* ; & *dare ex meritis*.

Atque fruſtrà nititur colligere Maſtrius *num.* 155. hos duos titulos adeſſe in collatione gloriæ. Alterum liberalitatis ex parte actus ; alterum remunerationis

ex

ex parte obiecti è Concilio Trident. *ſeſſ.6. cap.16.* vbi ait: *Benè operantibus vſque in finem proponenda eſt vita æterna, & tanquam gratia filiis Dei per Chriſtum Ieſum miſericorditer promiſſa; & tanquam merces ex ipſius Dei promiſſione bonis ipſorum operibus, & meritis reddenda.*

84 Respondetvr enim cum Vaſquez *num.*108. gloriam dici gratiam, ac miſericorditer promiſſam, quatenus datur meritis in gratia fundatis, quâ ratione dicitur à D. Auguſt. *gratia pro gratia*; vel gratia è radice. Hoc indicat Concilium Trident. ſubdens, quòd: *Chriſtus in iuſtificatos virtutem influit, quæ bona eorum opera antecedit, comitatur, & ſubſequitur, ſine qua nullo pacto grata, & meritoria eſſe poſſent.*

Hoc oſtendam cum D.Bonau. *ad argumenta aduerſa*, vbi conſtabit hæc à Seraphico, è D. Auguſt. fuiſſe ſumpta, qui ſæpè ità loquitur.

Adversarii autem aſſumunt nudam gloriam, vt terminum electionis, & dicunt, eſſe deſtinatam non ex meritis, quod falſum eſt. Ideò Con-
85 cilium attentiùs legendum. Sic igitur diſcurrit: *Iuſtificatis* (vtique per gratiam) *ſiue gratiam perpetuò conſeruauerint; ſiue amiſſam recuperauerint, proponenda Apoſtoli verba. Abundate in omni opere bono, ſcientes, quod labor veſter non eſt inanis in Domino. Non enim iniuſtus eſt Deus, vt obliuiſcatur operis veſtri* 1. Cor. 15. Et. *Nolite amittere confidentiam veſtram, quæ magnam habet remunerationem.* Et infert. *Atque ideò benè operantibus vſque in finem proponenda eſt vita æterna, & tanquam gratia filiis Dei* (vtique reſpicit ad prima verba Iuſtificationem factam per gratiam.) *Et tanquam merces*; vt probauit ex Apoſtolo; & iterum probat 2. Tim. 4 *Hæc eſt illa corona iuſtitiæ, &c.* Hanc verò gloriam volentibus non defuturam, probat è Chriſti promiſſis de aſſiſtentia perpetua ſuæ gratiæ.

86 Novam verò apponit monitionem; nempè, omnia quidem opera, etiam poculum aquæ, Chriſti amore datum, non caritura æterna mercede; attamen ne vllus ſua iuſtitia glorietur; ſed in Domino, cuius eſt tanta bonitas erga homines, vt eorum velit eſſe merita, quæ ſunt ipſius dona. Quibus verbis vltimis adhuc oſtendit; quare vita æterna dicatur gratia Dei, & miſericorditer promiſſa. Quia non innititur nudo noſtro arbitrio; ſed habet radicem in gratià; non autem ſolùm, quare opera noſtra ſint meritoria vitæ æternæ, vt putat Maſtrius; eiſdem enim loquitur ſuprà, & hîc; nempè omnibus iuſtificatis, quibus ex parte Dei parata eſt finaliter gloria, ſi in iuſtitia perſeuerauerint. Non enim quando ait, proponendam gloriam, & per modum gratiæ, & per modum mercedis; proponendam, benè operantibus vſque in finem, loquitur de electis ſolis, vt putat Maſtrius. Sed proteſtatur omnibus iuſtificatis proponendam, quia omnes poſſunt vſque in finem perſeuerare, vt luce clariùs patet in *textu*. Hæc enim omnibus iuſtificatis (inter quos ſunt multi reprobi; vt de
87 fide eſt) proponit Concilium. Deceptus eſt autem Maſtrius, quia dixit idem Concilium; *Atque ideò benè operantibus vſque in finem, proponenda eſt vita æterna, &c.* Et non vidit his verbis continuare diſcurſum, ac velle dicere; perſeuerantibus, ideſt iis; qui non renuerunt perſeuerare: ipſe autem credit verti apoſtrophen ad ſolos electos, quod falſiſſimum eſt.

At (eſto in his vltimis verbis ſolùm intenderet probare merita è gratia oriri; quid tum? Iam principio capitis de hoc teſtimonium reddit.

Allatvm argumentum adhuc ampliùs roboratur. Decretum gloriæ, efficax includit quoque gradus omnes gloriæ, dandos cuilibet diſtinctè, & inæqualiter pluribus. Sed hæc diſtinctio, & inæquitas eſt ex meritis: Ergo & decretum gloriæ. Maior probatur à Diuo Bonauentura *de ſeptem Itineribus, diſt.* 2. ex Hugone *lib.* 1. *in cap.* 1. *Angelica Hierarchia.* Eandem probat S. Doctor. ad illud Ioan. 14. *In domo Patris mei manſiones multæ ſunt.* Ex Diuo Auguſtino *tractat.* 68. *in Ioan.* vbi ait: *Elegit nos ante mundi conſtitutionem prædeſtinando; elegit vocando. Sic & manſiones præparauit; quas præparauit prædeſtinando, præparat operando.* Hoc innuit Sanctus Bernardus *ſermone* 24. *in Cant.* Eandem ſententiam tuetur Suarez *lib.* 1. *de prædeſtinat. cap.* 10. Vulpes *diſp.*36. *artic. vltim.* Smiſing. *quæſtione* 8. *numero* 574. Lezana *diſt.*9. *quæſtione* 5. *concluſione* 2. Cornejo; citati ab ipſo Maſtrio *numero* 209. cum Scoto *d.* 7. *quæſtione* 3. Licherum *ibi litt. A.* qui vult in eo ſigno eligi ſolùm ad gloriam; non autem eam gloriam in tali perfectione; ſed eam eſſe deſtinatam poſt merita præuiſa. De hoc erit *quæſtio* 9. vbi Maiorem probabo. Minor probatur. Quia gloria reſpondet gradibus charitatis. Alioqui ſummus tepor gigneretur, & diceret quiſque: Quorſum enitor apicem virtutum attingere; ſi tota gloria ante meritorum præſcientiam ſtatuta eſt?

Respondet Ribas *num.* 88. Sat eſſe, eodem ſigno decerni talem viſionem, & merita. At fallitur; quia merita ſunt cauſa, & gloria effectus poſterior. Quod verò ait, merita eſſe obiectum viſionis ſecundarium; nihil ad rem.

Reſpondet Maſtrius ad Minorem, id ordine execu- 88
tionis verum eſſe; non intentionis. Sed hoc ſæpiùs refutatum eſt. Ad id de tempore ait; idem vrgere contra nos; nam & mea conuerſio pendet è tali gratia.

Vervm in noſtra ſententia non vrget, vt dicam *prima ſecunda, tract.* 5. *diſp.* 1. *quæſt.* 4. Nam poſſumus noſtrâ diligentiâ reddere vocationem efficacem; & ità aſſignat diſparitatem Herize apud Arriagam.

Probatvr quintò alio argumento, ducto è D. Bonauent. *d.*41. *quæſt.*2. *fund.*6. & *d.*46. *quæſt.*1. *fund.* 2. & *ad* 15. *Ioan.* Fundatur autem in Scripturis, quæ continent Diuinas promiſſiones perpetuæ aſſiſtentiæ, Ioan.15. *Qui manet in me, & ego in eo,*
hic fert fructum multum. Si quis in me non manſe- 89
rit: mittetur foras ſicut palmes, & areſcet, & cum in ignem mittent, & ardet. Si manſeritis in me, & verba mea in vobis manſerint: quodcumque volueritis petetis, & fiet vobis. In hoc clarificatus eſt Pater meus, vt plurimum fructum afferatis. Eccleſiaſtici 15. *Ante hominem vita, & mors.*

Et ad caput decimum Ioan. conſiderat illud. *Ego ſum oſtium. Per me ſi quis introierit, ſaluabitur: & ingredietur, & egredietur. Ego veni, vt vitam habeant, & abundantiùs habeant.*

Rvrsvs: *Oues meæ vocem meam audiunt, & ſe-* 90
quuntur me: & ego vitam æternam do eis, vbi S. Bonauent. poſtillat; præmiando. *Et non eos rapiet quiſquam de manu mea*; vbi infallibilitatem ſalutis deducit ex eo, quòd nos velimus ſequi vſque in finem veſtigia Chriſti; & ſi manſerimus in Chriſto, ſi perſeuerauimus, &c. Quod ſi decretum gloriæ abſolutum præceſſit, debebat conditionem apponere. Si ego

antecedenter vos elegi ad gloriam. Imò ridiculè hæc nobis commendatur. Eſt enim ſenſus: Vobis dabo vitam æternam ſeruantibus legem meam, perſeuerantibus; ideſt, ſi vos elegi ad vitam æternam, & ſimilia, quæ indicant Deum elegiſſe paucos, & fucatis poſteà verbis, ac magnifico promiſſionum phalerato dicterio nobis promittere ingentia; ſi nos velimus; vt perditionem in nos coniiciat.

Respondet Maſtrius *num.* 220. retorquendo ſequelam in nos, ſimili ratione. Nam etiam nos concedimus, decretum abſolutum Dei, ſuppoſita præſcientia meritorum, quo ſuppoſito exhortationes, promiſſiones, minæ, ſunt puerilia terriculamenta, & ludrica crepundia. Similiter nos concedimus, neminem perſeuerare ſine Dei gratia; & tamen non exponimus illo modo. Si *perſeueraueris*, ideſt, ſi voluero, vt *perſeueres*.

Deinde dato, hunc eſſe noſtræ ſententiæ ſenſum (ait Maſtrius) non fore ſenſum ridiculum, quia nullus ſaluabitur, cui ſalus non ſit præfinita.

91 Miror ſubtilem Theologum in his tam grandes diuerſitates non diſtinguere; & primò quidem cum præſcientia nihil ponat in rebus, erunt effectiua, prout ante præſcientiam ſunt futuri. Cùm igitur antè ſupponantur à libero arbitrio cum gratiâ euentura merita vſque ad conſecutionem gloriæ, nulla noxia ſequitur illatio; qualis ſequitur in ſcientia aduerſa, quæ omitem noſtram diligentiam apponit præuentam decreto efficaci. Neque dicant illud decretum eſſe vniuerſale. Nam falſum eſt; cùm ſit efficax eorum tantùm, qui ſaluandi ſunt, à cuius efficacia excluſi ſunt, qui non ſaluabuntur; at eſto vniuerſale ſit, aut ſaltem non excludens alios; tamen, qui antecedenter ſunt incluſi, ſoli ſaluabuntur; & decretum electionis anteceſſit, ſiue perſeuerent, ſiue non; etiam cæteri, quibus non eſt gratis conſtitutum decretum, non ſaluabuntur. Vnde gloria promittitur, & decernitur certò antecedenter; ac proindè ea, quæ poſteà decernuntur, dependent ab illo primo decreto; neque vllum effectum habebunt ſine illo. Vnde illationes rectè factæ ſunt. Alias rationes omitto.

92 Verum enim verò quia doctrinam hanc Sanctis Patribus, maximè verò D. Auguſt. contrariam clamant aduerſarij, oportet eam ſigillare Patrum conſenſu. Et quidem Patres omnes, qui ante exortum Pelagianiſmum ſcripsère, gloriam vnanimes ex meritis deſtinatam confitentur. Eos recenſet Sixtus Senenſis *lib.* 6. *Bibliotheca ſancta*, *adnotat.* 251. 252. & Vaſquez *hic*, *cap.* 3. Eos verò poſtmodum referemus.

93 Audiamus primò gratiæ defenſorem S. Auguſtinum, quem nobis aduerſum conclamant aduerſarij, etiam noſtrorum teſtimonio, vt præcipuè exaggerant Tannerus, & Maſtrius.

Sed oportet primò auream regulam prælibare, quàm tradidit D. Bonau. *in* 2. *d.*33. *art.*3. *quæſt.*1. *ad* 1. & Scotus ibidem, *quæſt. vnica*, ac Maſtrius *d.*2. *quæſt.*2. *num.*68. monet altiùs pectori imprimendam in Theologicis controuerſiis: Eſt autem hæc: Sicuti ſecundùm Philoſophum in motibus via deueniendi ad medium, eſt aliqualiter procedere vltra medium, verſus extremum 2. *Eth. cap. vlt.* ita frequenter ſancti, vt extinguerent hæreſes contra ſe pullulantes exceſſiuè locuti ſunt, declinantes ad alterum extremum oppoſitum, vt ad medium peruenirent; ac proinde oportet videre, contra quos hæreticos ſancti ſunt locuti. Hoc igitur præſtitiſſe S. Auguſtinum, dum contra Pelagium diſputaret, aduertit *ibi* S.D. abundanter enim exprimit plus dicens, & minùs volens intelligi ad euellendam hæreſim Pelagij, qui omnia libero arbitrio adſcribebat; & nihil gratiæ. Ipſe 94
igitur magnificat admodum gratiam, & operibus arbitrij, quantùm poteſt, detrahit. Igitur non modò contra Pelagium neceſſitatem gratiæ iniungit, & contra Semipelagianos neceſſitatem gratiæ præuenientis; ſed etiam videtur ampliùs gratiæ adſcribere, nempe illam præmotionem, & præuenientiam phyſicam eſſe electionem ad gratiam abſque alio motiuo, quàm ſupernæ rationabilis voluntatis; cùm tamen ſolum meritum excludere intendat; vt ipſe Seraphicus aduertit *d.*41. *artic. primo* indicat electionem ad gloriam ex gratia, cùm tamen id ſolum conatur, ne dum merita noſtra intuemur, obliuiſcamur radicis meritorum, quæ eſt gratia, vt etiam dicebat S. Concil. Trident. ſuprà *ſeſſ.*6. *cap.*6. & latiùs oſtendit Vaſquez, qui hâc peracutâ obſeruatione textus omnes D. Auguſt. contra nos iactos exponit. Cæterùm habemus præclara S. Auguſtini teſtimonia, quibus ſincerè profitetur, ſe ſemper electionem ad gloriam ex meritis confeſſum cum Sanctis Patribus præceſſoribus ſuis.

Primo *l. ad Simpl. quæſt.*2. exponens illud Rom. 9. 95
Vt ſecundùm electionem propoſitum maneret; ait: *Non electio præcedit iuſtificationem; ſed electionem iuſtificatio. Nemo enim eligitur, niſi iam diſtans ab illo, qui reiicitur. Vnde quod dictum eſt. Qui elegit nos ante mundi conſtitutionem, non video quomodo ſit dictum, niſi præſcientiâ.* Vult igitur ex præſcientia bonorum operum nos electos ad vitam æternam, diſtinguens in hoc electionem ad gloriam à præparatione gratiæ, quæ antecedit præſcientiam meritorum.

Eodem ſenſu ibidem diſtinguit electionem à pro- 96
poſito, cùm ait: *Non ergo ſecundùm electionem propoſitum Dei manet; ſed ex propoſito electio; ideſt; non quia inuenit Deus opera in hominibus, quæ eligat; ideò manet propoſitum iuſtificationis ipſorum; ſed quia illud manet, vt iuſtificet credentes; ideò inuenit opera, quæ iam eligat ad regnum cælorum.* Hîc præclariſſimè docet, propoſitum dandi gratiam non eſſe propter noſtra præcedentia bona; hoc tamen propoſitum præire electionem ad gloriam factam è futuris operibus bonis poſt prædictum propoſitum. Et ne vllus eſſet nobis ambigendi locus; id probat à priori ex ipſa electionis ratione. Quia electio præſupponere debet aliquam diuerſitatem inter eos, inter quos ſit electionis diſcretio, quam rationem affert etiam *propoſitione ſexageſima ad Romanos.*

Eandem doctrinam docet *ſermone* 7. *de verb. Do-* 97
mini ſecundùm Matthæum, vbi rurſum admittit duplex genus electionis; ad gratiam ſine examine; & ad gloriam per examen operum. Idem docuit S. Auguſtini diſcipulus fidus, S. Proſper *l.*2. *de vocat. gent. cap.*35. Profectò hoc vnicum teſtimonium eſt inſtar omnium.

Grauiſſima hæc S. Auguſt. teſtimonia variè conantur eludere aduerſarij. Bellarm. *l.* 2. *de gratia, cap.*15. Faſolus, & alij dicunt S. Auguſtinum hæc ſcripſiſſe cùm adhuc iunior eſſet, ſed retractaſſe in operibus, quæ ſenior ſcripſit *epiſt.* 105. *&* 106. *lib. de prædeſt. Sanct. lib. de bono Perſeuer. De corrept. & gratia.* Subſcribunt Granado *tract.*7. *d.* 4. *ſectione* 3. & alij.

Hoc tamen validè refellunt Vaſquez, Turrianus, 98
Pennottus, Faber, & ex aduerſariis Hertze *d.* 23. Suarez *l.*3. *de aux. cap.*18. Vulpes, & Smiſing Nam S. Auguſt. eiuſdem Libri meminit *lib. de prædeſt. Sanct.*

Sanct. cap.4. & *l.2. Retract. cap.1.* vbi eam doctrinam traditam Simpliciano confirmat, & Maſſilienſes ad eam legendam remittit; ſi veram de gratia ſententiam intelligere velint.

Reſpondent igitur Suarez, & Vulpes, S. Auguſtinum locutum de ordine executionis interno, ſeu de executiua intentione æterna. Subſcribit Ribas cum Ioan. à S.Th.

99 Hæc tamen vanè aſſumuntur, vt notat Vaſquez *à num. 52.* Nam D. Auguſt. nullibi meminit duplicis electionis æternæ ad gloriam: ſed duplicis electionis, quarum altera ad gratiam; altera ſit ad gloriam.

Respondet Maſtrius *num.174.* etiam eam recenſeri à D. Auguſt. nam interdum dicit gloriam nobis è meritis conferri; quandoque nos gratis ad regnum æternum electos; & vt oſtendat, ſe non loqui de electione ad gratiam; vtitur his terminis ad *vitam æternam*; ad *beatam vitam*; ad *regnandum cum Deo.* Addit verò, retractaſſe illud principium, quod electio non detur, niſi inter diſtantes. Sic epiſt.106. ait. *Electionem proculdubio gratia, qua eligendos facit ipſe, non inuenit.* Et de Prædeſt. Sanct. cap. 17. circa finem. *Eligendo facit diuites in fide; ſicut hæredes regni. Rectè quippè in eis hoc eligere dicitur, quod vt in eis faciat, eos elegit.* Idem habet l.1. Retract. cap. 23. *Nondum diligentiùs quæſieram, nec adhuc inueneram, qualis ſit electio gratiæ; de qua dicit Apoſtolus. Reliquiæ per electionem gratiæ ſalue factæ ſunt, quæ vtique non eſt gratia; ſi eam merita vlla præcedant, ne iam, quod datur, non ſecundùm gratiam; ſed ſecundùm debitum reddatur potiùs meritis, quàm donetur.*

100 Hæc tamen faciliùs reſpuuntur. Nam S. Auguſt. nullibi docet, electionem ad vitam æternam, ſeu ad regnum præcisè eſſe ex ſola gratia, ſed vocat ex gratia radicaliter; vel loquitur de electione ad vitam æternam mediatè, ideſt mediante gratia. Porrò electio illa noua, quam apponit, quæ non inuenit inæquales; ſed æquales; eſt ad gratiam, vt conſtat ex allegatis verbis S. Auguſt. Neque retractat electionem propriè, quæ eſt ad gloriam, de qua dixerat quæſt. ad Simplicianum, eſſe inter inæquales, & diſtantes; ſed aduerſarij tumultuariè omnia ſuſdeque vertunt.

Reſpondet P.Macedo *ſect. vlt.* D.Auguſt. *in Lib. ad Simplicianum* pro nobis ſtare in priori parte quæſt, qua partes ſuſtinet arbitrij, ſed in *ſeq.* aliter loqui, vt eruitur *è lib.2. retract. initio.* Affert verò aliquas periodos S. Patris, quibus ſolam prædeſtinationem ad gratiam ex meritis negat. Audi: *Non ergo ſecundùm electionem propoſitum Dei manet, ſed ex propoſito electio: ideſt non quia inuenit Deus opera bona in hominibus, quæ eligat, ideò manet propoſitum iuſtificationis ipſius: ſed quia illud manet, vt iuſtificet credentes, ideò inuenit opera, quæ iam eligat ad regna cælorum.* Nihil clariùs dici poſſe clamat. Hoc omnibus ſuis operibus illum intendiſſe, ideóque huc omnes remitti ait; vt habes *l. de præd.SS. cap.3.* & *l. de bono perſeu. cap.21. loc. cit. Retract.*

His aureis dictis habeo primò D.Auguſtinum velle prædeſtinationem ſanè ad gratiam ſine meritis: electionem verò ad gloriam ex meritis, è radice gratiæ. Hæc legenti ſunt obuia. Deinde habeo id illum vbique ſenſiſſe. Quare ex ipſa P. Macedi confeſſione ſoluo, quæ diffusè è Diuo Auguſtino opponit.

Ad aliud *è ſerm.* reſpondet cum Suar. *l.3. de Aux. cap.18.* Salmatic. *tract.5. d.9. dub.2.* Ioan. à S.Thom. *d.8. art.4.* Maſtrio *d.5. quæſt.2. art.3. num.179.* S.Patrem loqui ordine executionis: At quia hoc à nobis reiectum videt, addit aliud reſponſum nobis ineluctabile. Deum elegiſſe: *Secundùm gratiam ſuam, & illorum iuſtitiam*, hoc eſt ſecundùm gratiam, quæ eſt iuſtitia illorum, quàm iuſtitiam, ſeu ſanctitatem mea gratia in eis effecit.

Hæc equuleo torta, diſtractaque expoſitio ſic abiicitur dictis Auguſtini: *Elegit autem, ſicut dicit Apoſtolus, & ſecundùm ſuam gratiam, & ſecundùm ſuam iuſtitiam.* Hic non ſolùm diſtinguit, ſed opponit ſuam gratiam, & noſtram iuſtitiam, vt conſtat: quo igitur pacto, dicit Macedo eſſe gratiam iuſtitiam ſanctificantem? En diſtinctio. Affert dictum Eliæ apud Apoſtolum; talia enim ſunt verba Apoſtoli; *Attendite inquit, quid dixit Elias: omnes prophetas tuos occiderunt, &c. & ego relictus ſum ſolus, &c.* Sed quid dicit illi diuinum reſponſum? *Reliqui mihi ſeptem millia virorum, qui non curuauerunt genua ante Baal: ſolum te putas ſeruum benè laborantem, &c. Quid eſt reliqui mihi? Ego illos elegi, quia vidi mentes eorum de me præſumentes, non de ſe, nec de Baal.* Pergit verò oſtendens hæc bona opera eſſe ex gratia. Hic claudit. *Caue ò Chriſtiane, caue ſuperbiam.*

Respondet Macedo cum Ruitz *d.10. ſect.5.* loqui non de meritis ex gratia, ſed de conſeruatione in eadem gratia, vt ab ea non exciderent, qui ad eam fuerant electi.

At contra: ait enim reliquos electos per gratiam ex operibus ſaluandos, & applicat *cap.10. ad Rom*, vbi de electione agitur.

Hæc reſponſa videns, in D. Auguſt. volutatus Macedo, inconcinna, aliud eum excogitaſſe ait, illis retractatis. Dicit ergò ſeorſum genuinum eſſe: *Elegit ſecundùm ſuam gratiam*, prædeſtinatos ad gloriam. *Et ſecundùm eorum iuſtitiam*, reprobos ad pœnam. Loquitur enim ibi de diſcretione electorum à reprobis.

At contra primò, nam iuſtitia non ſignat peccata, eſto imperfectam operationem, adduo *noſtram*, nonnunquam ſonet, & iuſtitiæ ex gratia opponatur apud Apoſtolum, & Auguſtinum. Neque *hic ſermone 45. de verb. Domini*, ſecundùm Ioan. iuſtitiam Phariſæorum vocat proteruiam; ſed ait velle ſibi iuſtitiam adſcribere, eſſe proteruiam, quippè velit homo ſe ipſum ſanctificare.

Deinde vox: *Elegit*, non quadrat in malos, vt ait D. Auguſt. *quæſt. 117. in Geneſ.* vbi ait Macedo, excludi ad malum culpæ electionem; at etiam ad pœnam vix dici poſſe ait, cùm electi dicantur prædeſtinati, vt oſtendam *quæſt.12.*

Iam oſtendo ita hoc loco intelligi; ait enim, ſe electionem intelligere ad conditum Apoſtoli. *Sicut dicit Apoſtolus:* Rom.10. *Reliquiæ per electionem ſalue factæ.* En electio ad gloriam. Addit Dei electionem hanc excludere excæcatos: *Electio conſecuta eſt; cæteri verò excæcati.* Quare expoſitio P. Macedi, ſudoribus empta, flocci venditur.

Tertivs locus D.Auguſtini *l. de gratia, & lib. arb. cap.8.* vbi hanc noſtram quæſtionem reſoluit in terminis, dicens. *Si vita æterna operibus bonis redditur; ſicut dicit Scriptura; quomodo gratia eſt vita æterna?* 101
Rom. 6. Reſpondet. *Iſta quæſtio nullo modo videtur mihi poſſe diſſolui, niſi intelligamus ipſa bona opera noſtra, quibus æterna redditur vita, ad gratiam Dei pertinere.* Quam reſolutionem habet etiam *de corrept. & gratia, cap. 13.* Hæc vrget Pennottus. Sic enim recurrit S. Auguſtin. ad gratiam, quæ eſt

radia meritorum, non ad decretum gratuitum gloriæ ad quod recurriſſet; ſi daretur ad explicandum: Gratia eſt vita æterna.

Respondet Arriaga *ſect.*4. gloriam eſſe gratuitam etiam ea voluntate antecedente ſecundùm nos etiam; ideò debuiſſe D. Auguſt. ad eam etiam recurrere, & dicere, etiam ex eo capite gloriam eſſe gratuitam, quia ſaltem remotè prouenit è voluntate antecedente.

102 Sed hoc inualidum eſt. Cùm enim loquatur de electione efficaci aliquorum, non debuit recurrere ad gratuitam voluntatem antecedentem, quæ eſt vniuerſalis, & inefficax; alioqui ſi dixiſſet. *Gratia Dei*, id eſt voluntas gratuita antecedens eſt vitæ æternæ principium, potuiſſet dici. Cur ergo ab æterno non electi ſunt omnes efficaciter?

Reſpondet ſecundò, licèt voluntas dandi gloriam ſit gratioſa ex parte actus; tamen quia eſt oneroſa ex parte obiecti, dicitur ex meritis; ſicuti ſi ego, vt morem geram Petro, ei vendam equum; non diceretur habere equum gratis, ſi emit; diceret verò, in eo caſu, quo ego donaſſem Petro pecuniam ad emendum equum, vt eſt in caſu noſtro de meritis, quæ nobis donat Deus ad emendam gloriam.

At reſponſio hæc non eſt ad rem, vt fatetur Maſtrius *num.*180. non enim ſoluit difficultatem, neque mentem S Auguſtini aperit.

Reſpondet ipſe, quæſtionem hanc eſſe de retributione facta in tempore; non de æterna electione; Idemque velle *libro de corrept. & gratia.*

103 Contra. Nam initio fatetur, ſe loqui de propoſito æterno, dicens. *Hæc de his loquor, qui prædeſtinati ſunt in regnum Dei.* Et claudit. *Numerus ergo Sanctorum per Dei gratiam Dei regno prædeſtinatus, donata etiam vſque in finem perſeuerantia illuc integrè perducetur*; è quibus verbis malè colligit Maſtrius, electionem ad gloriam eſſe gratuitam; non enim dicit: *Gratia*, vel *ex gratia.* Sed *per gratiam.* Hanc autem eſſe auxilia; non gratuitam voluntatem Dei, liquidè patet verbis ſequentibus: *Donata etiam perſeuerantia*, vbi connectit auxilia. Hanc ſubtilitatem eiicio è Diuus Bonauent. *d.*51. *dub.*2. *littera.*

Hinc defluit etiam reſponſum Ribæ *num.*59. Auguſtinum per gratiam intelligere etiam gratuitam electionem. Ideò paulò infrà addere. *Ipſius enim ſumus figmentum creati in Chriſto Ieſu in operibus bonis, quæ præparauit, Deus, vt in illis ambulemus.*

At verbum *præparauit* mihi fauet, ponens meritorum præparationem per opera bona. Addo hæc ſequenti periodo poni.

104 Qvartvs locus affertur à Fauentino, & Pennotto ex D. Auguſt. *l. de prædeſt. Dei, cap.*2. & 3. vbi docet, prædeſtinationem ad præmium eſſe è præuiſione noſtrorum operum. Maſtrius reſpondet, Bellarminum *lib. de Scriptoribus Eccleſiaſticis*, & Louanienſes *in cenſura operum D. Auguſt.* negare, eum librum eſſe Auguſtini. Idem negare quoque Eraſmum; ſed oppoſitum oſtendit Vaſquez *num.*77.

Reſpondet deinde, loqui ibi de prædeſtinatione executiua, quam vocat remuneratiuam, dicens: *Ex præſcientia igitur offenſionis vltionem, vt iuſtus index prædeſtinauit, ſicut e præſcientia virtutis, prædeſtinatio ſolet fieri remunerationis.*

105 Varvm non aduertit Maſtrius antitheſes S. Aug. Nam de eadem loquitur, quæ opponitur prædeſtinationi vltionis, quæ fit omninò præuiſis demeritis. Deinde obſeruo, non dicere, prædeſtinationem *remuneratiuam*; ſed *remunerationis*, ſicut dixerat *vltionis*; hæc autem nihil aliud exprimit, quàm intentionem remunerandi, ſicut illa ſignificat ſententiam vlciſcendi, ſuppoſitis demeritis. Alioqui, quo nomine volebat Maſtrius eam vocari: Num Prædeſtinationem intentionis? at vitioſè idem replicabit.

Addit Pennottus, alium locum D. Auguſt. *l. de* 106
*gratia, & lib. arb. cap.*6. vbi ait: *Sed cum dicunt Pelagiani, hanc eſſe ſolam, non ſecundùm merita noſtra gratiam, qua homini peccata dimittuntur: illam verò, quæ datur in finem, id eſt æternam vitam meritis noſtris præcedentibus reddi; reſpondendum eſt eis; ſi enim merita noſtra ſic intelligerent, vt ipſa etiam dona Dei eſſe cognoſcerent; non eſt reprobanda iſta ſententia; quoniam verò merita humana ſic prædicant, vt ea ex ſemetipſo hominem dicant, &c.*

Vbi reprobat ſolum, id quod dicebant Pelagiani, prædeſtinationem ad gloriam factam è meritis nudi arbitrii, vt fatetur Maſtrius. At prædeſtinationem ex meritis, niſi gratiâ factam, hoc ſi dicerent; concludit, non eſſe reprobandos, ſed hoc ſuſtineri tutò poſſe. Rideo ſubtilitatem Maſtrij *num.*182. vbi dicit, D. Auguſtinum ſolùm admittere noſtram ſententiam, vt tutam in fide; non tamen eam approbare; quia non dicit, eſſe approbandam; ſed ſolum non reprobandam. Vide alia in Vaſquez. Apparentiùs reſpondet Ribas *num.*56. loqui ordine executionis. At dicens: *Repoſita* refert intentionem ex meritis.

Circa alios Patres, qui ante Pelagium ſcripſe- 107
runt, monet S. Auguſt. eos benignè explicandos. Quia toti erant in defendendo libero arbitrio, vt ait Maſtrius *num.*191. & ità nos eâdem regulâ cum D. Bonauent. ſuprà citato, quem ruſus *hic* refert Maſtrius, poſſumus monêre; ſi quid exceſſiuè locutus videatur D. Auguſt. contra Pelagianos, diſputans pro gratiæ neceſſitate, eum, extremum verſus declinaſſe, vt illos fortiùs vrgeret.

Iam igitur clamat Maſtrius, nos aggregatas verſare auctoritates aliorum Patrum, tam multas, quàm multâ grandine nimbi culminibus crepitant.

Plvrimi ſunt Patres *in cap.*8. *Rom.* ad ea verba. 108
Quos præſcit, & prædeſtinauit, qui hanc noſtram ſuſtinent ſententiam. Sanctus Hieronymus: *Quos præuidit conformes in vita, voluit fieri conformes in gloria.*

Ambrosivs. *Quos præſciuit futuros ſibi deuotos, ipſos elegit ad promiſſa præmia capeſcenda.*

S. Fvlgentivs ad Monim. cap.14. *Prædeſtinauit ad regnum, quos ad ſe præſciuit rediturus.*

S. Prosper *ad Capitula Gallorum ad tertiam obiectionem*, & *l.*2. *de vocatione gentium, cap. vlt.* qui clarè loquitur, electos ad hoc operari, vt ſint electi. Itaque aſſerit, merita eſſe cauſam electionis ad gloriam; non autem ſolius effectus, vt fingit Maſtrius. Hi duo Patres exhibent verum D Auguſtini, ſui magiſtri, ſenſum.

Theodoretvs. *Præparauit Deus ad gloriam, quos dignos cognouit per fidem.*

Damascenvs aduerſus Manichæos. *Bona agere contendamus, vt in eorum ſimus numero, quos Deus bonos fore præuouit, atque ad æternam vitam præordinauit.*

Hilarivs in Pſalm.64. *Non res indiſcreti iudicij electio eſt; ſed ex meriti delectu facta diſcretio eſt.*

Beda lib. var. quæſtionum, quæſt.13. *Cùm Dominus bonos ad vitam prædeſtinauit, ita eos prædeſtinauit, vt ipſa ſua prædeſtinatio meritis, & precibus noſtris obtineatur.* Quod de impetratione ad gloriam arguit S. Bonau. *d.*41.*q.*1. Si alij ſuis meritis poſſunt iuuare noſtram electionem: Ergo multò magis nos, ſi ſimus iuſti, poſſumus eam mereri.

Chrysosto

109 CHRYSOSTOMVS in id Matth. 25. *Eſuriui enim, &c.* Nam antequam nati ſitis, quia ſciebam vos huiuſmodi futuros, hæc vobis à me præparata fuere.

Omitto alios Patres, qui in prædeſtinatione ad gratiam colligunt è *loco cit. Rom.* 8. dari rationem congruam. Eos referam *quæſt.*12.

110 ADVERTE autem, non loqui de executione in tempore tantùm, neque de ſolâ voluntate executiuâ; ſed de intentione ipsâ, de quâ profectò Apoſtolus loquitur, enarrans totam ſeriem prædeſtinationis, quæ foret manca, ſi de ſolâ executione, vel executiuâ voluntate loqueretur.

Neque ſolam præſcientiæ cum prædeſtinatione concomitantiam componit, vt fingit Maſtrius; alioqui ordo Apoſtoli eſſet vitioſus. Ponit enim præſcientiam ante prædeſtinationem: Deinde vocationem, iuſtificationem, glorificationem. Profectò aliquis ordo inter hæc omnia conſtituendus, non durationis. Quia præſcientia, & prædeſtinatio ſunt coæternæ: Ergo dependentiæ.

111 QVOD demum ait Maſtrius cum Riba, ſumi ſæpè præſcientiam pro prædeſtinatione, quomodo certè viſa eſt; (ſicuti ait D. Auguſt. *de bono perſeuer. cap.*18.) ſumi ab Apoſtolo Rom.9. *Non repulit Deus plebem ſuam, quam præſciuit.* Hoc inquam extra chorum eſt *in epiſt. Rom.*8. quam allegati Patres pro nobis exponunt; alioqui ſenſus eſſet. Quos prædeſtinauit, & prædeſtinauit, quod eſt ridiculum; cùm Apoſtolus in omnibus enumeratis ponat cauſalitatem, ac proinde diuerſitatem ab effectu, cùm nihil valeat ſe ipſum cauſare. Eia, nunc aduerſariorum argumenta accedamus.

112 OBIICIVNT primò multa Scripturarum loca.

Primus eſt apud Suarez *loc. cit.* & Bellarminum *l.*2. *de grat. & lib. arb. cap.*15. Matth. 11. *Confiteor tibi, Pater, Domine cæli, & terræ, Quia abſcondiſti hæc à ſapientibus, & reuelaſti ea paruulis. Ita Pater: quoniam ſic fuit placitum ante te.* Idem vrgent Lyranus, & Toletus *ibi.*

RESPONDET D.Bonau. *ad* 2. *Lucæ*, ibi loqui Chriſtum de dono ſapientiæ, vel de electione ad gratiam, quæ non ex meritis, ſed è beneplacito Dei; licèt habeat motiuum congruum. Cur autem aſſignetur ſolum beneplacitum; dicam ad tertium locum.

113 SECVNDVS, quem plurimi pendit Arriaga *d.*36. *ſect.*2. *eſt Matth.*24. Maldonat. ad eum locum, & Tannerus citandus. *Propter electos breuiabuntur dies illi.* Cui ſimilis eſt, Sap.4. *Raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum eius.* Si ergo electio eſt cauſa, vt electi ad gloriam eruantur è periculis, & deducantur tuti in finem: Ergo eſt ante præſcientiam operum, & perſeuerantiæ. Ita quoque Suar. *lib.*3. *de aux. cap.*16. Tanner. *d.*3. *quæſt.*5. *dub.*4. *num.*10. Ribas *num.*26.

RESPONDETVR è D. Bonau. *ad locum cit. Sap.* ibi reddi rationem, de qua electione loquatur. *Quoniam gratia Dei in ſanctos eius, & reſpectus in electos eius.* Vbi S.D. Quoniam gratia Dei tribuitur ad benè operandum, & ad liberandum de malis; & reſpectus in electos ad præmium conſequendum. Loquitur igitur de electione ad gratiam, qua ducuntur, & diriguntur etiam inter pericula, rapiuntur ad præmium meritis conſequendum. *Placita enim erat anima illius.* Vbi Seraphicus. Ecce cauſa conſummationis, ſcilicet gratia, & dilectio diuina. Placita per fidem, & alias virtutes (ait S.D.) non autem placita, quaſi gratis electa, vt dicit Maſtrius *num.*70. Ità exponit etiam D.Aug. *l. de prædeſt. Sanct. cap.*14. inde enim colligit contra Pelagium, gratiam nobis gratis dari, vt obſeruat Amicus.

TERTIVS locus, quem magnifacit Maſtrius *n.*65. 114
Maldonat. ad eum locum, Tanner. *loc. cit.* eſt Lucæ 12. *Nolite timere puſillus grex, quia complacuit Patri veſtro dare vobis regnum.* Vbi Maldonatus ait, obſeruari ab omnibus, regnum cælorum ſolâ gratuitâ Dei benignitate donatum ſine noſtris meritis. Id enim obſeruant (inquit) Theophylactus, S. Bonau. Hugo Cardinalis, Lyra, Dionyſ. Carthuſ. Tolet. Ianſenius *in concord. cap.*86. Barrad. Beda, & Cyrillus apud D.Th. *in Catena.*

RESPONDETVR, falſum omninò eſſe, ab omnibus, præcipuè à D. Bonauent. ſic explicari locum illum.

PRIMÒ igitur poteſt puſillus grex (ait) intelligi ſolùm numerus prædeſtinatorum in comparatione reproborum puſillus; & his complacuit Patri dare regnum, quia humiles ſunt, de quibus ait Matth. 19. *Sinite paruulos venire ad me, talium eſt enim regnum cælorum. Humilem enim ſpiritu ſuſcipiet gloria. Qui humiliatus fuerit, erit in gloria.* Iob 27. Itaque Patri complacuit dare regnum puſillis, id eſt pauperibus ſpiritu, de quibus Matth. 5. *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum.* Et Matth. 19. *Qui reliquerit patrem, &c. vitam æternam poſſidebit.* Ideò dicitur Pſal. 146. *Beneplacitum eſt Domino ſuper timentes eum: & in eis, qui ſperant ſuper miſericordia eius.* Igitur non vult hanc complacentiam eſſe gratuitam; ſicuti neque ſuper timentes eum. Ità exponit etiam Pennottus, qui id confirmat. Quia Chriſtus ſubdit. *Vendite ergo, quæ poſſidetis, & date eleemoſinam.* Vt per bona opera regnum cælorum acquirant. Obſeruat autem D. Bonauent. *in* 1. *d.*41. *quæſt.*2. *ad* 1. ſæpè Deum aſſignare beneplacitum ſuum pro ratione, maximè cum de electione ad gratiam agitur, quia ea tantùm ſcribit, quæ vtilia ſunt nobis. Vtile eſt autem nobis ſcire, Diuinum beneplacitum eſſe originem omnium noſtrorum bonorum, vt diſcamus eum timère, & nihil nobis arrogare.

RESPONDETVR ſecundò cum eodem D. Bonau. 115
per gregem Chriſti intelligi populum fidelem, in quo ſunt etiam reprobi. De quo Ezech. 34. *Vos autem greges mei, hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego iudico inter pecus, & pecus arietum, & hircorum.* Ex quo grege multos perire dixerat; ſunt autem hirci, idest reprobi, de quibus Matth. 25. *Separabit oues ab hædis.* In grege enim Chriſti erat Iudas. His igitur dicit paratum regnum, ſicuti dixerat, paratas Sedes ad iudicandum, vt eos ad ſe alliceret. Itaque complacentia ſonat voluntatem gratuitam volendi omnes ſaluos. Ita Becanus *ad* 5.

Confirmatur ab Amico *num.*114. Quia ſi de efficaci electione loqueretur, iam reuelaſſet eis prædeſtinationem, quod non eſt veriſimile, cùm hoc hominem ſuperbum, & ad opera ſalutis reddat ſocordem, vt docet idem S.Bonau. 1.*d.*41. *quæſt.*2.

INSTAT Maſtrius, reuelationem prædeſtinationis animare, & accendere àd ſalutem. Sed Seraphicus non admittit hoc; ſed promiſſionem, quam Deus ſincerè omnibus facit inducere ſpem, & auferre puſillanimitatem; ſpes autem etiam reprobis præcepta eſt.

QVARTVS locus valdè celebris eſt, Epheſ. 1. *Elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem, vt eſſemus ſancti, & immaculati in conſpectu eius in charitate. Qui prædeſtinauit nos in adoptionem filiorum per Ieſum Chriſtum in ipſum ſecundùm propoſitum voluntatis ſuæ.* 116

RESPONDENT plurimi cum D.Bonau. 1. *d.*41. *q.*2. *ad* 4. & ad ea verba Ioan. 15. *Non vos me elegiſtis;*

ſed ego elegi vos. Cum D.Auguſt. *l. de prædeſt. Sanct. cap.*19. & D.Hieronymo ad eum locum. Ideò dicere. *Elegit nos, vt eſſemus ſancti*, ideſt iuſti per præſentem iuſtitiam, vt iterum exponit Seraphicus ad id Sap.4. *Et reſpectus in electos illius*; Hæc autem electio ad gratiam, tametſi habeat motiuum; vt dicam *quæſt.*12. non eſt tamen ex merito. Idem quoque reſpondet Vaſquez *num.* 114. qui *num.* 112. aduertit, omnia loca, ab aduerſariis è Scriptura adducta, intelligi à Patribus de electione ad gratiam; nec vllum ex illis de electione ad gloriam; ſed ſolùm Scholaſticos ſuo cerebro, vt opinionem ſuam firmiùs tueantur, illa detorquere; etſi Chryſoſtomum ſibi fauère putant.

INSTANT Suarez *l.*1. *de prædeſt. cap* 8. *num.*34. Faſol. *dub.*3. *num.*54. Maſtrius *num.*67. & 68. Ribas *num.* 12. nam ibi dicitur: *Elegit nos, vt eſſemus ſancti, & immaculati*, id eſt in gratia perfecti, & conſummati. Ita videtur exponere etiam D.Bonau. *in Compend. Theol. cap.*30. Deinde cum loquatur de prædeſtinatis; ſequitur loqui de ſanctitate finali vſque ad gloriam. Cùm ergo elegerit, vt eſſemus ſancti; ſequitur, electionem ad gloriam præiuiſſe merita, & ſanctitatem. Hinc D.Auguſt *Non quia tales nos futuros ſciuit, ideò elegit; ſed vt tales eſſemus.* Igitur Paulus nectit hæc verba cum præcedentibus. *Benedictus Deus, qui benedixit nos omni benedictione ſpiritali in cæleſtibus.* Vult igitur dicere: Omnem benedictionem, ſub quâ etiam gloria profectò comprehenditur, nobis eſſe deſtinatam gratis antecedenter.

RESPONDETVR cum Seraphico *allatis locis* præcipuè *ad* 4. *Sap.* loqui Apoſtolum de electione ad gratiam, quam etiam intelligit nomine benedictionum, virtutum, & gratiarum; vt notat S. Bonau. *in ſpeculo B. Virginis, lect.*14. *poſt initium*; neque verò neceſſe eſt, vt in hoc dicto includar omnes effectus prædeſtinationis, vſque ad gloriam incluſiuè; ſed ſufficit includi gratiam ſanctificantem præcisè, quæ eſt radix ſanctitatis. Quamuis autem electio ad gloriam ſequatur ad gratiam finalem, ad quam ſequitur gloria; non tamen cadit æqualiter ſuper gratiam, & ſuper gloriam, quia ſuper gratiam cadit immediatè; ſuper gloriam verò cadit propter gratiam, & merita per ipſam facta; vt aduertit Faber *num.*152. *cum D. Bonau. d.*41. *quæſt.*1. *in reſolut.* Vnde ruit argumentum, quo àdeò fixè nititur Maſtrius *num.* 68. Neque verò Seraphicus *in Compend.* dixit, electionem ad gloriam eſſe gratis, vt eſſemus tales. Confirmo cum Cornelio à Lapide, non enim eſt credibile, Paulum velle omnes Epheſios reddere certos de ſuâ prædeſtinatione. Neque ſolùm ominatur, vt putat Ribas: ſed poſitiuè aſſerit: *Elegit.*

117 QVINTVS locus aduerſariis in ſumma æſtimatione eſt Rom.9. *Cùm nondum nati fuiſſent, nec aliquid boni, vel mali egiſſent* (vt ſecundùm electionem propoſitum Dei maneret) *non ex operibus; ſed ex vocante dictum eſt ei: Quia maior ſeruiet minori, ſicut ſcriptum eſt: Iacob dilexi, Eſau autem odio habui.*

SVPPONIT autem Smiſing. *quæſt.*8. *cit. num.*493. Apoſtolum, ſub metaphorâ hæreditatis temporalis, agere de hæreditate æternâ, idque ſatagit confirmare ex Patribus. Hoc autem mihi nullo modo probatur; alioqui eodem modo ſequeretur reprobatum Eſau ab æterna hæreditate abſque cauſa, vt inferunt Becanus, Penoottus, Amicus, & alij cum D. Bonau. *d.*41. Quod verò dicunt Bellarminus *l. de gratia, & lib. arb. cap.*16. Suarez *lib.*5. *de reprob. cap.*4. & *l.*2. *de aux. cap.*5. Molina *p.*1. *quæſt.*23. *art.*5. *d.*3. & alij, comparationem fieri inter electionem Iacob, & reprobationem merè negatiuam Eſau, quæ in hoc conſiſtit; vt eo ſigno, quo Deus elegit gratis Iacobum, omiſerit Eſau, non quidem deſtinando æterno exilio; ſed non eligendo; confutabitur *diſp.*22. *quæſt.*3.

Neque rectiùs reſpondet Vaſquez *cap.* 8. Faber *cap.*11. & alij, ſenſum eſſe, Eſau abſque demerito vllo reiectum à gratia, quo ſigno electus eſt Iacob; vt dicam *quæſtione allegata.*

SENSVS igitur eſt, Iacobum electum ad hæreditatem temporalem, reiecto Eſau. Ex qua ſanè electione, & reiectione arguit Apoſtolus à minori ad maius: Si Eſau abſque motiuo reiectus eſt ab hæreditate temporalis principatus; ne admiremini, reiici ab hæreditate æterna Iudæos, & alios ob incredulitatem. Ita exponunt Patres Græci apud Sixtum Senenſem. Nam ibi Apoſtolus affert hoc teſtimonium Malachiæ, quod de temporali hæreditate loquitur ad probandum id Geneſ.25. *Maior ſeruiet minori*, quod itidem de temporali dominio loquitur: De æterna verò hæreditate intelligit per deductionem arguendo. Hinc Ribas corruunt argumenta.

MVLTA alia loca opponunt ex eodem Apoſtolo. *Galat.*4 *Epheſ.*2. *Tit.*2. *Rom.* 3. & 4. vbi habet, gratiam non ex operibus eſſe; electionem autem ad vitam eſſe gratiam. Vnde Rom.11. ait. *Sic ergo reliquiæ ſecundùm electionem gratiæ ſaluæ fient. Si autem gratia, non ex operibus.*

RESPONDETVR, iis in locis loqui de electione ad gratiam. Ita S.Bonauentura *d.*41. *dub.*2. *litt.* Sic exponitur à D.Auguſtino *l.*1. *de prædeſt. Sanct. cap.*16. Ac *ſerm. de verbis Domini*, ſecundùm Matth. *reliquias*, ideſt, opera mereri gloriam, ex gratiâ à Deo conceſſâ, exponit.

D.BONAVENTVRA *in* 3.*d.*37. *quæſt.*1. *ad vltim.* ait, Deum voluiſſe nos acquirere per merita gloriam; vnde noſtra merita non detrahunt Diuinæ liberalitati, propter quod Apoſt. ait. *Gratia Dei vita æterna.* Hæc S.D. egregiè proſequitur, *Prologo in* 3. *ſent.*

SEXTVS locus Ioan.15. habetur. *Non vos me elegiſtis: ſed ego elegi vos.* Sic D.Auguſt. *l.*1. *de prædeſtin. ſanctorum, cap.*17. & 19. Vrgent hunc locum, maximè Tannerus, & notant, gratis electos etiam ad perſeuerantiam: Ergo & ad gloriam. Hæc eſt continua; ſed falſa illatio aduerſariorum, quæ infrà refelletur. 118

RESPONDET D.Bonau. *d.*40. *art.*2. *quæſt.*1. *arg.*1. ibi ſermonem eſſe de electione ad Apoſtolatum. Ideò etiam addit. *Ego ſcio, quos elegerim.* Nam Iudas non erat electus. Id etiam *in Ioannis Comment.* exponit de electione ad gratiam, & adducit D.Aug. *tract.*86. *in Ioan.* vbi ait: *Mali enim eramus, & electi ſumus, vt boni per gratiam eligentis eſſemus.* Et affert illud *Epheſ.*1. & *Rom.*8. Confirmatur è D.Auguſt. *de præd. Sanct. cap.* 17. vbi ait: *Rogo, quis audiat Dominum dicentem. Non vos me elegiſtis: ſed ego elegi vos, & audeat dicere, credere homines, vt eligantur, cum potiùs eligantur, vt credant.*

SEPTIMVS locus eſt Act.13. *Crediderunt, quotquot erant præordinati ad vitam æternam.* Vbi Diuus Chryſoſtomus *homil.* 30. Præordinati, ideſt *præfiniti.* Sic etiam Lorinus. Ibi aſſignatur electio ad gloriam, vt cauſa conuerſionis, & ſanctitatis vſque ad finem. Sic quoque vrgent Tanner. Maſtrius, aliique. 119

OMISSIS variis reſponſis Turriani *d.*1. *dub.*2. *ad* 6. ex Leſſio, Vaſquez & Becano. Dicerem cum Amico *num.* 113. ex D. Bonauent. *ad Ioan.*12. neque electionem ad gloriam eſſe cauſam operum bonorum,

incipiendo

incipiendo à conuerſione, neque reprobationem aliquam antecedentem eſſe cauſam reſiſtentiæ ad conuerſionem, & fidem; ſed eſſe tantùm effectus, & ſigna. Ita vt velit ibi dicere. Conuerſi ſunt illi, aliis renuentibus: Quo indicatum eſt, hos eſſe præordinatos in vitam æternam, Quia. *Qui ex Deo eſt, verba Dei audit. Propterea vos non auditis, quia ex Deo non eſtis.* Ioan.8. vt obſeruat D. Bonauentura ibi, addens illud Ioan.38. *Omnis, qui eſt ex veritate, audit vocem meam.*

120 Adversarii, vt nos opprimant, volumina S. Auguſt. in nos conijciunt, atque vt fortiùs percutiant, prælibant doctrinam huius S.D. *de gratia & arbitr.* à S.Eccleſia Canonizatam in Concilio ſecundo Araus: & *ep.67.* Hormiſdæ P. ac Cæleſtini I. ad Epiſcopos Galliæ; maximè verò commendant ea opera, quæ ad Proſperum, & Hilarium miſit, nempè de *Prædeſtin. Sanctorum, & de Bono perſeuer.* quæ habentur *tom.7.* vbi etiam præcurrunt epiſtolæ Hilarij, & Proſperi ad Auguſt. de Semipelagianis erroribus, ac de obiectionibus doctrinæ aliorum librorum in hoc ſubiecto. Igitur ea illis præcipuè libris, profitentur auctoritates contra nos ſumendas. Inter aduerſarios eloquentiſſimus Maſtrius *artic.3. citata quæſtionis* hæc aggreditur, ſed obſecro ſuum non reſpuat documentum, quod *d.2. quæſt.2. num.68.* nobis alta mente monuit reponendum, & in *hac q.* refricat *n.191.* & à nobis ſuprà eſt appoſitum cum Seraphico, & Scoto; Patres, ſcilicet, in cōtrouerſiis cum hæreticis exceſſiuè loqui in oppoſitâ extremitate, vt aduerſarios ſuos ad mediocritatem traherent. Itaque dum nos pro noſtra ſententia attulimus grandinando Patres antiquis S.Auguſtini, aduertit, eos egiſſe contra Manichæos negantes liberum arbitrium, & in altero extremo ſtantes, exceſſiuè locutos pro libertate, operibuſque noſtris tuendis; ac proinde aliquid gratiæ detraxiſſe. Recordetur igitur prudens Maſtrius, D. Auguſtinum acriter pugnaſſe tunc cum reliquiis Pelagij, faſtidioque vexatum, quippè inter nos, aliquos inueniſſet ei ea parte fauentes; plurima exceſſiuè pro gratia elocutum, & aliquid viſum fuiſſe ſoli gratiæ adſcribere. Scio, diceret Maſtrius, hunc Patrem ab Eccleſia in his doctrinis approbatum: Sed aduertat primò, Hormiſdam alia quoque D.Augin. opera in hoc approbare: Deinde id, in quo laudat præcipuè libros ad Hilarium, & Proſperum, eſſe in controuerſia cum Semipelagianis, quoad gratiam præuenientem; non autem quoad id, quod amplificando muſitaſſet de hac quæſt. at neque de hac aliquid contrarium nobis ſenſit, vt ſuprà oſtendi ex *l.de gratia, & lib.arb.cap.6.* & Maſtrius *num.182.* ferè concedit. Denique cùm hæc noſtra quæſtio eſſet extra controuerſiam fidei, & faueret gratiæ ſententia nobis contraria; eò minùs admiror S.Patrem aliquid pro ea ea abundanti protuliſſe.

121 Caterum omnia S. Auguſtini teſtimonia Pennottus *l.6. cap.25. vnica diſt. S.Bonau. d.41. quæſt.1.* reſoluit. Si quando D.Auguſt. aliquid dixit, tinniens electione ſine præuiſis meritis; locutus eſt, vel de electione ad gratiam; vel ſi de electione ad gloriam, excludit tantùm merita nudi arbitrij; vt aduertit ipſe S.Auguſt. *loco nuper adducto*, & fatetur ingenuè Arriaga *d.36. ſect.2. num.12.* dicens. De electione ad gloriam ante, vel poſt præuiſa merita ſupernaturalia, nihil ibi Proſper, vel Auguſtinus diſcuſſit, quia nulla erat tunc in Eccleſia controuerſia. Itaque hac ſolutione nititur etiam Amicus *ſect.4. num.137.* & Vaſquez *cap 4. & 8.*

Hæc clariùs elucebunt, ſi errores Pelagianorum, & Semipelagianorum, confutatos à D.Auguſt. obſeruemus.

Pelagius igitur, vt refert S. Bonauentura *2.d.28.* paſſim, & cæteri Scholaſtici *ibi*, & Vaſquez *hic, cap.4.* negabat omninò gratiæ neceſſitatem ad legem ſeruandam, atque ad perſeuerandum. vt colligitur ex *epiſtola 90. & 95. 105. & 106.* S.Auguſtini, & ex Concilio Mileuitano *can.4.* Et Africano *cap.79.* Addebat, vtilem ſanè eſſe gratiam ad perfectiùs operandum. Ita colligitur è D.Augugin. *ep.106. & can.5. Concil. Milenit. & 80. African.* Tandem dicebat, hanc gratiam noſtris nudis meritis dari ad faciliùs operandum. Hunc errorem ſubdolè retractauit in Concilio Paleſtino, intelligens per gratiam Dei, quam fatebatur ſine meritis dari, donum creationis, vt conſtat ex *ep.90.91. & 105. D. Auguſtini.* Itaque ſicuti non negabat Pelagius, gloriam dari ex meritis; ſed ſolùm ex meritis gratiæ: ita neque S.Auguſt. hoc contra Pelagium tractauit; imò *loco ſuprà adducto de gratia, & lib. arb.* proteſtatur, illud à nemine reprobandum; ſi admitteret electionem ad gloriam per merita ex gratia.

Quid verò Semipelagiani, qui fuère Pelagianorum reliquiæ, adhuc de Pelagij farina retinerent, habetur in Caſſiano, *collat.13.* qui fuit anteſignanus illorum; & in Proſpero qui contra Collatorem ſcripſit: Nam illi admittebant neceſſitatem gratiæ abſque æquiuoco per Chriſtum; ſolùm autem retinebant, non eſſe neceſſariam præuenientem inſpirationem; ſed initium ſalutis à nobis exordiri; Deum autem, facienti quod in ſe eſt, non deeſſe. Fuère tamen aliqui cum Caſſiano admittentes aliquando præuenientem Dei motionem, vt refert Proſper *l.contra Collatorem, cap.5.* Ita etiam ſentiebant Maſſilienſium aliqui; imò verò alij etiam gratiam præuenientem omninò neceſſariam fatebantur; vt refert D.Auguſt. *l.1. de prædeſtin. ſanct. cap.1.* attamen fallebantur adhuc dicentes, Deum ſuâ præſcientiâ præparaſſe gratiam iis, qui ea ſe aliquo modo inciperent. De electione verò ad vitam æternam, è meritis gratiæ nihil contra D.Auguſt. docuère; vt conſtat ex *l.de prædeſtin. ſanctorum*, atque ideò S.Auguſt. nunquam eos de hoc redarguit. Itaque neque Proſper, neque Hilarius, quorum epiſtolas latè refert Maſtrius, aliquid de hoc tractant: nam hi duo Patres ſcribunt de his, quæ malè apud Semipelagianos in Doctrina D. Auguſt. olebant, nempè de electione ad gratiam; de gratia præueniente, &c. de quibus erat inter eos, & D.Auguſtinum diſceptatio. Itaque fruſtrà epiſtolas illas Maſtrius, redactas in ſcheleton, nobis opponit. Omitto, epiſtolam illam non eſſe D.Hilarij; vt teſtatur Bellarminus ipſe ex Hilario *de Scriptoribus Eccleſiaſt.* His & Ribas ruit.

Obiicit præcipuè Suarez *l.3. de aux. cap.10.* aliqua loca D. Auguſtin. è quibus præcipua referam; & refellam.

Vnus inter alios conſpicuus acclamatur à Maſtrio 123 *num.91. ex lib. de correpi. & gratia* (quem vrget Ribas *num.32.* Illic loquens de cauſa diſcretionis electorum, è maſſa perditorum, ait. *Diſcernuntur autem, non meritis ſuis, ſed per gratiam Mediatoris. Quicunque ergo ab illa originali damnatione, iſta diuina gratia largitate ſunt diſcreti, non eſt dubium, quod & procurantur eis audiendum Euangelium; & cùm audiunt, credunt, & in fide, quæ per dilectionem operatur, vſque in finem perſeuerant. Hæc omnia operantur in eis, qui vaſa miſericordiæ operatus eſt eos, qui & elegit eos in Filio ſuo, ante mundi conſtitutionem, per electionem gratiæ.* Igitur per electionem gratuitam ſecerni, vult, & perduci uſque ad finem, & vt ſciatis, includere etiam gloriam, ſubdit: *Profectò electi ſunt per electionem gratiæ, non præcedentium meritorum, electi ſunt ad regnandum cum Chriſto. Illos elegit ad obtinendum regnum ſuum, regnum electorum, beatam vitam.* Vbi per electionem

gratiæ in genitiuo, intendit electionem gratuitam, non ad gratiam, vt aduertit S.Bonauentura *d.41.dub.2. litt.* in ſimili loco S. Auguſtini. Quare non valet reſponſio Pennoti *l.6. c.25. num.4.* & Amici *num. 118.* Auguſtinum loqui de electione ad gratiam.

124 RESPONDETVR cum Leſſio, & Pennoto, ibi loqui de electione ad gloriam; hanc verò dicere gratis factam ad excludenda merita naturæ; non gratiæ. Tunc enim agebat contra Pelagianos, vt ingenuè fatetur Maſtrius, & notat Leſſius. Igitur electionem gratuitam ad regnandum reuocat ad primam radicem meritorum; atque adeò vocat gratuitam radicaliter, non formaliter, vt putat Suar.& Maſtrius. Hoc patet è concluſione S. Aug. *Electi ſunt (ait) per electionem gratiæ, non præcedentium meritorum: quia gratia eſt illis omne meritum.* Vult dicere. *Quia gratia* (in ablatiuo cauſali) omne meritum eſt illi. Vnde à poſteriori probat electionem eſſe è gratiâ. Quia ſcilicet merita, quibus comparant regnum gratiâ nituntur, & radicantur. Quæ verba callidè omittunt aduerſarij. Id verò. *Electi autem ſunt ad regnandum cum Chriſto*, non eſt epiphonema concludens præcedentem diſcurſum; ſed alium nouum incipiens: Ait enim poſt punctum: *Electi autem ſunt ad regnandum cum Chriſto non quomodo electus eſt Iudas ad opus, cui congruebat; ab illo quippè electus eſt, qui nouit benè etiam malis vti.* Vnde S. Auguſt. *hic* loquitur de electione ad gratiam vſque in finem. De quâ electione præcipuè erat intentum S. Auguſtini, vt dixi, & innuit Pennotus. Quod colligo cum D.Bonauentura *in cap 7. Ioan.* ad ea verba. *Ego elegi duodecim.* è D.Auguſt. *tract.27.in Ioan. & 18.de ciu. Dei, cap 49.* Id verò infero ex verbis, è quibus aduerſarij colligunt oppoſitum. Concludit enim. *Alios ex oppoſito per miſericordiam electos ad obtinendum regnum.* Vbi non ait: *ad regnum* ſed *ad obtinendum* meritis, è gratiâ. Hæc non vidit Maſtrius, vel Suarez malè etiam addens, electionem eſſe ad finem; non ad media. Fruſtra & Ribas à *num.40.* addit, *omnia merita*; quia Auguſtinus ibi vocat hanc electionem gratiæ, quia gratia eſt omne meritum. En mea reſponſio in ratione Auguſtini, qui agit contra Semipelagianos, & tradit hæc, tanquam fide certa in Scripturis, neque poſſe aliquem reclamare dicit *cap. 19. de Dono Perſeuer.* ac certè noſtram ſententiam eſſe multorum Patrum ſciebat, nec vllibi damnat, vt fatetur ipſe Ribas *num.43.* cum Suarez *l.3.de Aux. cap.19.* Imò neque eam vllibi carpit; imò paſſim ipſi arridet.

125 OPPONIT deinde Suarez *cap.1.* & Maſtrius *num.88.* è *l.de bono perſeuer. cap.8.* & aliis locis, vbicumque D.Auguſtin. tractat de prouidentia ſpeciali, quâ Deus protegit prædeſtinatos; & rationem ſcrutatur. Cur Deus cum his ita ſe gerat, vt paruulum hunc aſſumat; illum verò relinquat. Iſte adultus ita vocetur, vt vocantem ſequatur: ille verò non ſic. Et quod mirabilius cenſet; è duobus iuſtis, huic det perſeuerantiam, quam illi non dat, recurrit ad inſcrutabilia iudicia Dei veneranda, & rationem reddit; *Quia vnus eſt è prædeſtinatis; alter non.* Vrgent. Si ratio electionis ad gloriam eſt meritum; profectò inſcrutabilius eſſet iudicium in caſu duorum infantium, quàm in caſu duorum adultorum piorum. Nam in his poſſet reddi cauſa diuerſitatis. Quia huius præuiſa ſunt merita vſque in finem; at in infantibus nulla eſt inequalitas. Vnde iudicia Dei in iſtis eſſent altiora; & tamen S.Auguſt. admirabiliora in adultis clamat. Hæc eſſe luce clariora ait Ribas *num.44.*

126 OBSERVA, id habere S. Auguſtinum *l.de corrept. & gratia cap.8.* præcipuè, ex quo deduco reſponſum. Igitur conſequenter ad dicta *cap.7.* ſuprà explicito, nititur oſtendere, perſeuerantiam non eſſe ex meritis; neque tamen vult procedere à ſola Dei voluntate, vt huic det perſeuerantiam, quam alteri negat; alioqui neque D. Auguſtin. neque Apoſtolus ad iudicia Dei occulta confugerent, quæ non eſſent occulta, ſed voluntaria; & facilè eſſet reſoluere dicendo, id Deum feciſſe, quia voluit, vt obſeruat Seraphicus *d.41.quæſtione 2.in reſolut.* Igitur aliquam diſpoſitionem ſupponit in perſeuerante, vt indicat etiam epiſtolâ creditâ D.Hilarij ad S.Auguſt. Minùs ergo mirandum, cur voluntariè vnum infantem iuſtificet: alium non; quàm, quod ex diſpoſitione placente occulta, hunc iuſtum ad finem perducat fæliciter; & ex obſtruſa, & incognita indiſpoſitione, alteri neget perſeuerantiam. Neque tamen benè vrget Suarez, & Maſtrius illud ſuum fundamentum. Si perſeuerantia eſt abſque merito: Ergo & gloria, quæ ſequetur. Eſt enim nimia diuerſitas inter gratiam, quâ operamur; & inter opera ex gratiâ. Igitur S. Auguſtin. intendit probare id, de quo diſputat cum Pelagianis; nempè perſeuerantiam eſſe ex gratiâ: at verò de gloriâ nil dicit ibi, vel ſimilibus in locis, & vt video voluntariè peccant aduerſarij, non referentes fideliter textum. His reſpondetur etiam aliis locis, quæ congerunt. 127

TERTIÒ vrgent Suarez, Maſtrius, & alij, ſententiam D.Auguſtin. eo tempore ſic intellectam, ideò S. Proſperum *in ep. citata* quærere à D.Auguſt. vt declaret tria dubia, in quibus oſtenditur talis eſſe ſenſus D. Auguſt. apud Gallos; neque tamen id negat S. Doctor; tametſi tot rumores inde reſonarent. Idem ſentit S. Fulgentius *l.1. ad Monim.c.8. & 13.* vbi ait: *Quos prædeſtinauit ad gloriam, prædeſtinauit ad iuſtitiam.*

RESPONDETVR, hoc vltimo verbo, quo vtitur etiam S.Proſper, nobis reſponſum porrigi. Loquuntur enim de prædeſtinatione, prout ſuper electionem dicit etiam directionem per gratiam ad vitam æternam; non autem de ſola electione ad gloriam. Igitur quia S.Auguſtin. dixerat, hanc prædeſtinationem ex gratia Dei venire, vt aliquos prædeſtinauit, & præordinaret in vitam æternam, præparans vocationem, & conſequenter etiam perſeuerantiam eo modo, quo ſuprà dixi, & non ex meritis præuiſis, vt volebant Semipelagiani, turbabantur dicentes. Igitur non pendet ex me prædeſtinatio, & ſi non ſum prædeſtinatus, actum eſt; ſi verò prædeſtinatus; mihi dormienti ſunt omnia parata. Ideò poſtulat explicationem.

128 QVOD autem iſte ſit ſenſus quæſtionis S.Proſperi, colligo euidenter è principio; vnde anſam ſumit quærendi, dicens. *Vnde quia in iſtis Pelagianæ prauitatis reliquiis non mediocris virulentia fibra nutritur; ſi principium ſalutis malè in homine collocatur, ſi diuinæ voluntati impiè humana voluntas præfertur; vt ideò quis adiuuetur, quia voluit; non ideò, quia adiuuatur velit; ſi originaliter malus receptionem boni non a ſummo bono; ſed a ſemetipſo inchoare malè creditur; tribue, vt quæ in iſtis quæſtionibus obſcuriora, quàm lucidiſſimis expoſitionibus digneris aperire.* Igitur de prædeſtinatione ad gratiam erat ſeries controuerſiarum.

QVARTÒ opponunt Epiſtolam illam D. Hilarij, vbi inter alia opponebant Galli doctrinæ D. Auguſtini. Quòd omnes homines in duas claſſes diuideret Electorum; & Electorum, eoſque ità è ſola Dei voluntate diſcerneret, vt ab vna claſſe ad aliam non eſſet tranſitus. Item egregiè ferebant, S. Auguſtinum exponere illud Apoſtoli. *Deus vult omnes ſaluos fieri,* de ſolis prædeſtinatis, itavt antecedenter efficaci voluntate vellet ſaluos ſolum nonnullos gratis, cæteris reiectis.

129 RESPONDETVR ex verbis illius epiſtolæ haberi Gallos ſic argumentatos. *Si Deus ante merita aliquos eligit: alios reycit: Ergo tota ratio ſalutis in electionem,*

vel

vel reiectorum eſt proyicienda. Loquuntur autem de electione ad gratiam, vt conſtat legenti. Volebant autem ipſi, aliquos electos è merito fidei ad gratiam; nuſquam verò de electione ad gloriam locuti ſunt in noſtro ſenſu. Sic volebant, Deum velle omnes ſaluos, ſed ampliùs volebant diſcretionem, quâ aliqui efficaciter ſunt voliti ad ſalutem, fieri ea meritis fidei.

Obiicit adhuc Suarez D. Gregorium *l. 5. in 1. Reg. cap. 4.* vbi eundem Apoſtoli locum de ſolis prædeſtinatis exponit, quam prædeſtinationem vult primò eſſe ad vitam æternam, indeque habere, vt media ad eum finem præſtituantur.

Respondetvr, hoc non legi apud S. Gregorium; & ſi legeretur, iam iuxta ſupradicta exponendum.

130 Inter aduerſarios ardentiſſimus Adamus Tannerus *d. 3. quæſt. 5.* auctoritatum aciem nobis ordinatam opponit, ac primò decem, & nouem loca Scripturarum; ſuamque ſententiam è cælo diuinitus elapſam gloriatur: noſtram verò in aëre volitare Icari plumis, magnifico proſequitur diſcurſu. Referam, quæ ipſe ſeorſim è ſcripturis corraſerit.

Non dubitat primò nobis opponere locum illum *Matth. 25.* quo vſi ſumus ad noſtram ſententiam firmandam. *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum paratum vobis a conſtitutione mundi.* Hinc arguit Electis paratum eſt regnum ab æterno, ſcilicet priùsquàm conſtitutum eſt creari mundum, imò antea prioritate rationis, è D. Bonauentura *in 3. d. 1. art. 2. quæſt. 1. ad 5.* vbi ait. Ideò fecit mundum, quia ſe recuperaturum cognouit: Ergo antequam media creata deſignarentur, electi erant: Neque verò illa ratio, *Eſurivi enim*, redditur eorum verborum *paratum regnum ab æterno*: ſed eorum: *Venite poſſidete regnum.* Confirmat expoſitionem è Chryſoſtomo *homil. 54. in Matthæum.*

Respondetvr facilè, ordinem ſupernaturalem magis fuiſſe intentum, quàm naturalem, quippè hic ad illum ordinabatur. Ideò præuiſo per mediam ſcientiam, hominem prudenter redimendum, ſi creatus laberetur, vt videtat lapſurum; decreuit creare lapſurum, vt redimeret. Itaque merita è redemptione priùs voluit, quàm ipſam ſtructuram mundi, & licèt media meritorum omnia penderent ab eſſe; tamen priùs volita ſunt, vt merita, quàm vt entia in ordine naturæ.

Ad Chryſoſtomum dico eum tantùm dicere, Deum noſtra opera non expectaſſe ad parandum regnum cælorum, ſed illud creaſſe, antequàm operaremur; quia ſecundùm ſuam largitatem ſe applicuit, vt hominem crearet ordinatum ad beatitudinem; attamen illam voluiſſe, deſtinatam, ſicuti & datam ex meritis. Propterea (ait) *eos tamdiu laborare facit, donec digni efficiantur regno cælorum.*

131 Post alia loca ſuprà ſoluta *Matth. 24. Luca 12.* Obijcit è Ioan. 6. *Hac eſt autem voluntas Patris, vt omne, quod dedit mihi, non perdam ex eo; ſed reſuſcitem in nouiſſimo die.* Senſus autem videtur, vt colligi poteſt è D. Auguſtino *tract. 25. in Ioan.* Eos, quos per æternam electionem mihi, veluti peculium, Pater deſignauit, eos docendo, gratiâ meâ ſic dirigam, vt perueniant ad vitam prædeſtinatam. Vbi prædeſtinatio ſupponitur ad voluntatem mediorum.

Respondetvr è Seraphico ad eum locum cum D. Auguſtin. ſenſum eſſe; Eos, quos Pater ab æterno Filio deſignauit ſaluandos, tanquam ſaluatori; non ſinit perdere, ſed dat media, quibus mereantur vitam æternam, ſicuti ſtatutum eſt, ex meritis. Hoc acutè deducit Seraphicus è ſequentibus verbis. *Hac eſt voluntas Patris; vt omnis, qui videt filium, & credit in eum habeat vitam æternam.* En explicat, eam eſſe æternam Patris voluntatem, vt per fidem, & charitatem, vt ibi exponit S. Auguſt. *tract. 26* habeant vitam æternam. Itaque locus iſte pro nobis ſtat.

Opponit ſextò id Ioan. 10. *Vos non creditis, quia non eſtis de ouibus meis. Oues meæ vocem meam audiunt,* 132
vbi ex eo, quòd ſunt deſignatæ oues ad dexteram gloriæ, ſequi ait, vt operentur rectè, vt exponit D. Auguſt. *tract. 25. in Ioan.* & Beda.

Respondetvr cum Seraphico ad eum locum, ex D. Auguſt. *tract. 48 in Ioan.* Illos non credidiſſe, dicit, quia ſicut vidit iſtos ad interitum ituros; & meritò propterea deſtinatus; ità in effectu eueniebat, vt non audirent: Abſit enim, vt antecedenter deſtinatos ad interitum, cum Caluino, homines aliquos aſſeramus; ita igitur ſequitur, *Oues meæ vocem meam audiunt, & ego vitam æternam do eis,* infallibiliter; ſicuti præuidi ab æterno, eos me ſequendo à me abſolutos peruenturos ad gloriam. Et quòd ita ſit, probat S. D. ſequentibus verbis, *ſequuntur me: & ego vitam æternam do eis*, ideſt, ſicuti vitam deſtinaui in præmium; ſic præmiando in tempore do eis vitam æternam; ſicuti alij à me deuiando ibunt in interitum. Vnde Ioan. 5. *Procedent, qui bona egerunt, in reſurrectionem vitæ; qui verò mala in reſurrectionem iudicij.* Sic obſeruat S. D. & ità locus pro nobis eſt.

Opponit ſeptimò poſt illud Ioan. 15. *Non vos me elegiſtis* ſuprà explicitum; id Ioan. 17. *Non pro mundo rogo, ſed pro his, quos dediſti mihi, quia tui ſunt.* 133
Vbi ad electionem ſequebatur hoc tam validum medium orationis Chriſti pro electis ſegregatis à maſſa aliorum, quos mundi nomine comprehendit. Ergo priùs electi, quàm media parata ſint.

Magna aduerſariorum inaduertentia, vt non videant, ſe confundere electionem æternam, cum temporali executione, quod ipſi in nobis iniuſtè reprehendunt. Igitur medium orationis Chriſti, & alia media profectò ſequuntur æternam prædeſtinationem. Itaque ſenſus eſt. Sicuti ab æterno decreuiſti homines ad ſalutem æternam, mediis orationibus meis, & eorum meritis; ità conſequenter applico nunc eas pro illis, quia tui ſunt iſti electi ad gloriam, mediis meis, & illorum meritis. Ita D. Bonauent. ad eum locum, vbi hanc expoſitionem ſolidat è D. Gregorio *l. 1. Dial. cap. 18.* circa medium, vbi ait. *Ipſa perennis regni prædeſtinatio, ita eſt ab omnipotenti Deo diſpoſita, vt ex labore perueniant electi ad illud, ſicuti electi, & prædeſtinati ſaluabuntur opere redemptionis Chriſti, quod conſummauit, ſicut redempti ſunt, & ſic oratione ſua accepta.* Itaque locum hunc adducit pro nobis Tannerus contra ſe.

Opponit octauò id 1. Ioan. 2. *Ex nobis prodierunt, ſed non erant ex nobis. Nam ſi fuiſſent ex nobis, permanſiſſent vtique nobiſcum.* Ex quo colligitur cum D. 134
Auguſtino *l. de bono perſeuer. c. 8.* cauſam perſeuerandi eſſe electionem æternam. Ergo eſt prior omni effectu. Id vrget Ribas *num. 44.*

Respondetvr ex ſuprà dictis cum Seraphico, argui à ſigno; non à cauſa. Sicut dicitur. *Qui ex Deo eſt, verba Dei audit.*

Opponit prætereà id Rom. 8. *Scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum his, qui ſecundùm propoſitum vocati ſunt ſancti. Nam quos præſciuit, & prædeſtinauit conformes fieri imaginis filij ſui. Quos prædeſtinauit; hos & iuſtificauit; & glorificauit.* Vbi ex propoſito, & electione Dei, ait, ſequi hæc omnia, etiam gloriam. Hoc latiùs opponit Ribas *num. 20.*

Respondetvr cum D. Bonauentura *d. 11. quæſt. 1. in corpore*, loqui de tota ſerie prædeſtinationis, prout incipit ab eductione è maſſa perdendorum, quod ex

gratia eſt; tametſi aliquod motiuum inueniatur, vt ducet *in* 1 *d.*41. *quæſt.*2. His autem verbis reddit rationem, cur diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum his, qui ſecundùm propoſitum vocati ſunt ſancti. Quia ſic ex liberatione è maſſa perdita euenit. Cæterùm, cùm ait, *diligentibus Deum*, &c. indicat, ſupponi merita, vt ad gloriam perueniatur. Itaque loquitur de iuſtis ſanctificatis volentibus, & ſequentibus vitam æternam His enim omnia cooperantur ad ſalutem obſequentia; vt notat Seraphicus *in Diæta, tit.*5. *c.*1. & *tit.*7. *c.*7. vbi oſtendit, quo pacto, omnia aduerſa viro iuſto patienti, & feruenti inſeruiant, & obediant ad coronam. Sic ſterilitas agrorum, & penuria implet animæ eius cellaria. Hoſtes fabricant coronam, perſequendo. Febres parant medicinas ſalutares, &c. Hæc autem ità ab æterno ordinata ſunt; & ideò obſeruat S. D. diei Matth.5. *Beati, qui perſecutionem patiuntur: quoniam ipſorum eſt*, ideſt, paratum iam eſt *regnum cælorum*. Sic enim iam eſt Rex, cui parata eſt corona ab æterno. Itaque pro nobis ſtat Apoſtolus.

VRGET Tannerus *toto cap.*9. *ad Rom.* Sæpè repeti electionem, & prædeſtinationem ſemper miſericordiæ, & voluntati Dei adſcribi; nunquam verò aliquid de meritis muſſitari, quod tamen aliquando fieri oportebat; ſi electio ad gloriam ex meritis eſt; quandoquidem gloria eſt potiſſimus terminus prædeſtinationis. Ita & Ribas.

136 RESPONDETVR cum D. Bonauentura *d.*41. *quæſt.*2. propoſitum Apoſtoli eſſe agere de electione ad gratiam, ad quam inuenit quidem motiuum, ſeu rationem; non tamen meritum; noluit autem quæſtiones confundere, vt faciunt aduerſarij: cùm variæ admodum ſint: Vna nempè electio eſt ex gratia; altera ex meritis.

INSTAT ex 11. ad Rom. *Reliquiæ ſecundùm electionem gratiæ ſalua facta ſunt. Si autem gratia, iam non ex operibus.* Cùm ergo ſalutem vniuerſaliter neget ex operibus præuiſis: Ergo neque gloria, quæ eſt ipſa ſalus, & terminus ſalutis, erit ex operibus præuiſis.

RESPONDETVR cum D. Bonauentura *d.*41. *dub.*2. *litt.* Apoſtolum loqui de ſalute ſecundùm ſubiectum ſermonem electionis ad gratiam, vnde ſalus incipit; ſic enim & Chriſtus dicitur omnium Saluator, tametſi non omnes in ſalutem reducat. Dicitur ergo ſalus, quia ex parte Dei eſt electio ad ſalutem.

137 OBIICIT adhuc *Epheſ.*1. vbi dicitur, *Elegit nos ante mundi conſtitutionem, vt eſſemus ſancti: qui prædeſtinauit nos ſecundùm propoſitum voluntatis ſuæ, in laudem gloriæ gratiæ ſuæ*, hæc autem eſt electio etiam ad gloriam: vel ſi dicatis de electione ad gratiam locutum eſſe; ſaltem includit etiam perſeuerantiam: Ergo & gloriam, quæ immediatè ſequitur. Hæc illatio eſt carmen intercalare aduerſariorum, præcipuè Caſpenſ. à *n.*47. ad plurimos; Ribæ *c.*2.

RESPONDETVR cum D. Bonauentura *ad cap.*15. *Ioan.* eodem ordine, & modo narrari ſeriem electionis à Paulo *hìc*, & à Chriſto *Ioan.*15. illis verbis. *Non vos me elegiſtis: ſed ego elegi vos, & poſui vos vt eatis, & fructum afferatis; & fructus veſter maneat.* Video hilares aduerſarios exiſtimantes, me dexteram dare; ſed falluntur. Loquitur ergo Apoſtolus de electione ad gratiam. Quod probat Seraphicus è D. Auguſtin. *tract.*86. *in Ioan.* vbi ait: *Non vos me elegiſtis: ſed ego elegi vos. Hìc certè vacat vana illorum ratiocinatio, qui præſcientiam Dei defendunt contra gratiam Dei: & ideo dicunt nos electos ante mundi conſtitutionem, quia præſciuit nos futuros bonos, non ſeipſum nos facturum bonos. Non enim electi ſunt, quia boni; alioquin gratia iam non eſt gratia, ſi præceſſiſſe contendimus merita. Eſt autem gratia. Hæc igitur non inuenit, ſed efficit merita. Ego elegi vos, vt eatis, & fructum afferatis, & fructus veſter maneat. Nonne iſte eſt fructus, de quo iam dixerat. Sine me nihil poteſtis facere? &c. Maneat ergo dilectio, ipſa enim eſt fructus noſter.* Hæc D. Auguſtinus. Subdit Seraphicus. Poſui vos inſtituendo, vt eatis proficiendo, & fructus veſter maneat perſeuerando; vt quodcunque petieritis det vobis in regno gloriæ beatificando. Hæc omnia indicant electionem ad gratiam progredi vſque ad perſeuerantiam; ita tamen, vt meritis, & orationibus obtineamus gloriam adiuti, imò præuenti gratiâ. Ideò quoque ſubditur (ait S. Bonauentura.) *Hæc mando vobis, vt diligatis. Magna ergo merces charitatis, & magna clementia Dei ſic eligentis, & dantis gratiam ad eligendum.* Quibus verbis reſpondet illationi obiectæ ſuprà. Quamvis enim electio ad gratiam, & ad perſeuerantiam non ſit merces, atque adeò perſeuerantiæ donum non concedatur meritis; attamen fructus perſeuerantiæ, ideſt meritum operum, præcipuè verò charitatis, exigit gloriam, tanquam mercedem debitam meritis ex gratia profectis: & hoc diſpoſuit Deus in electione. Idem infert Seraphicus *d.*41. *quæſt.*1. *ad* 5. Opponit etiam Concilium Valent. *anno* 855. quod tantùm vult, electionem ad radicem habere in gratia, quatenus per gratiam implenda. Sic etiam Concilium Trid. *ſeſſ.*6. *c.*16. Ita Pennotus *l.*6. *c.*24. & Saxius *q.*3. *cit. art* 3.

ADDIT pro epiphonemate Tannerus locum *Eccleſiaſtici* 33. vbi ſolum habetur, vias noſtras in Dei manu poſitas eſſe, & conſtitutas. Iam ad rationes venio.

PRIMVM argumentum, quod Tannerus: inſolubile acclamat, & omnes teſtantur, eſſe præcipuum fundamentum ſuæ molis; ſuæque phalangis Achillem, ſumitur è D. T. *quæſt.*23. *artic.*4. Scoto 1. *d.*41. §. *Poteſt aliter dici.* Omnis ordinatè volens prius, vult finem, quàm media ad finem conſequendum conducentia. Sed Deus eſt ordinatiſſimè volens: Ergo priùs vult finem prædeſtinationis, qui eſt gloria, quàm media ad illam conſequendam, quæ ſunt merita. Maior eſt Ariſtotelis 7. *Metth. t.*23. & probatur primò. Quia delectus mediorum fit propter finem, *Verbi gratia* medicinæ propter ſanitatem, cibi propter vitam; atque adeò prius eſt volita ſanitas, quàm medicina; prius vita, quàm cibus. Nam propter quod vnum quodque tale, & illud magis. Sed propter finem media ſunt volita, quippè quæ eatenùs ſunt bona, quatenùs vtilia, & conducentia ad finem: Ergo multò magis eſt volitus finis. 139

HOC argumentum ſumpſère è D. Bonauentura *ſerm.*5. *de S. Agnete*, vbi acutè obſeruat ea verba, Apoc.19. *Venerunt nuptiæ Agni, & vxor eius præparauit ſe*, obſeruat autem, narrari hæc, ordine inuerſo. Primò enim debuiſſe dicere videtur. *Præparauit ſe*: deinde *Venerunt nuptiæ*. Nam præparatio eſt ante nuptias. Sic *Eſter* 2. Aſſuerus parauit conuiuium illud per magnificum ad nuptias ſuas. Aduertit Seraphicus, finem eſſe priorem intentionem his, quæ media ſunt ad finem, licèt in executione ſit poſterior. Cùm igitur nuptiæ Agni ſint beatitudo, & præparatio ad eas ſit per merita; primò ponit, Nuptias volitas; deinde ſponſam ad eas meritis ſe præparaſſe, cordis munditia, carnis maceratione, patientia in tormentis, quibus glorioſiſſima Agnes ad Agni glorioſiſſimas nuptias ſe diſpoſuit. Ita videtur etiam Deus primò elegiſſe ad nuptias gloriæ: deinde merita præparaſſe. Hoc affert Gregorius Ferrarius *ad capite* 3. *Apoc. ep.*4. *quæſt.*2. 140

Verum enim verò ibi reſponſum etiam appoſuit nempè id verum eſſe de fine,quem intendens vult ſibi; & ſic ſucceſſit in B.Agnete; at reſpectu agentis, qui intendit finem illum, non ſibi; ſed alij, non eſt neceſſe, vt priùs intendat finem: Talis eſt Deus in volenda nobis beatitudine, priùs enim vult media meritorum; deinde gloriam, vt præmium, vel ſaltem ſimul.

Et hoc probat S. D. ibi ex 64. Iſaiæ. *Oculus non vidit, auris non audiuit, in cor hominis non aſcendit, quæ præparauit Deus diligentibus ſe*, vbi Intentio æterna Dei,& præparatio gloriæ eſt ex meritis, quæ charitate præcipue æſtimantur. Hoc reſponſum deſumpſit Ocham *loco cit.* & Vaſquez c. 13.

141 Non negauerim tamen Maſtrio,etiam eum, qui vult finem alteri, aliquando prius intendere finem. Sic Medicus prius ſanitatem, quàm pharmaca intendit ægroto; ſed dico, non eſſe neceſſe, maximè in fine morali, qui pendet à libera voluntate, quæ poteſt velle finem ſolum, vt in mediis incluſum, *Verbi gratia* gloriam ſub titulo mercedis; & tunc vna eſt voluntas mediorum, & finis, vt acutè obſeruat S. Bonauentura *in* 2. *d.*38. *dub* 4. *litt.* & Suarez initio concedit. Cùm igitur Deus affectu etiam ſimplicis complacentiæ antecedente velit primò gloriam; non ſimpliciter; ſed vt emeritam; ideò omnibus præparat media ſufficientia, vt docet S.D. 1.*d.*46. *quæſt.*1. Nam ad hanc ſuam intentionem merita aptiſſima videns media eſſe, ſimul cum fine præparauit,vt oſtendit S.D.*in* 3.*d.*37. *quæſt.*1. & ſeligit aliquos voluntate conſequenti, vt emeritos, & ità vult eis gloriam, non ſimplicem, ſed vt brauium, coronam, & præmium: cuius ſignum eſt, cæteros excludere non emeritos. Ità reſpondent noſtri Theologi.

Riba *n.* 68. inſtat, hunc ordinem non eſſe neceſſarium, neque admitti, quando aſſecutio finis eſt in poteſtate proponentis, vt eſt in Dei poteſtate vita æterna, quam nobis proponit. Ideò ex præparatione mediorum habes præuelle efficaciter finem.

At obſerua cum D.Bonauentura in ea verba Ioan. 1. *Vt omnes crederent per illum*, Pennotto, Arriaga, Amico, Fabro, & Vaſquez, Eum,qui vult alteri finem dependenter ab eius libera operatione, non poſſe velle finem efficaciter ante præuiſam operationem. Ita D. Bonauentura *d.*41.*q.*2.

142 Vrget; hæc ſcientiâ mediâ ſtatim præintelligi. At eſto ea viſio ſufficiat,vt ſartatecta ſeruetur libertas;non tamen, vt ſaluentur cætera ad meritum, iuxta ea, quæ nobis reuelata ſunt.

Instat è D.T. *quæſt.*29.*de ver.art.*6. præmium, vt tale, poſſe mouêre, vt finem ad meritum. Sed æquiuoco ſcatet. Poteſt ſanè bonitas rei, quæ concipitur, putà beatitatis, præmouêre. At in ratione præmij intrinſecè includit eſſe intentam ex merito.

Vrget cum Auerſa *quæſt.*27.*ſec.*9.Smiſing.*num.*563. Maſtrio cit.hunc modum prouidentiæ, Deo non conuenire. At, imò oppoſitum oſtendi.

Instat Maſtrius *num.*115. nos petere principium, dum aſſumimus ordinem agendi negatum.

143 At ipſi potiùs in hoc incidunt, dum opponunt id, quod iam ſolidiſſimè probatum eſt, nempè hunc modum agendi eſſe aptum,quia eo vtitur Deus, vt è Scripturâ, & Patribus, & rationibus eſt oſtenſum; nos igitur iure negamus hîc priùs finem intendi. Huius rationem reddimus. Quia volens aliquem finem ſub tali ratione formali, in qua conſtituitur per media, non poteſt velle finem ante media; ſed debet conſtitutiuum, quod eſt prius conſtituto, velle priùs, vel ſaltem ſimul. Talis autem (inferimus) eſt Deus, qui vult nobis gloriam, non vtcunque; ſed vt per merita conſtitutam in eſſe formali mercedis, quæ cùm liberam etiam noſtram cooperationem requirat,à qua poteſt reddi inefficax conſecutio,vt aduertit D.Bonauentura ad 1. Ioan. *loco cit.* ideo meritò abſque petitione principij negationem pro oſculo exhibemus. His planè ſatisfit omnibus replicantibus, è quibus Maſtrius profuſiſſimè vnus eſt.

144 Ex allatis reſponſionibus oritur alia, quam adhibent Vaſquez, Arriaga, Amicus, Turrianus, Becanus, Pennotus, Faber, aliique ex D. Bonauentura *d.*46. *quæſt.*1. Quod quando finis pendet ex alio cooperante,non eſt neceſſe, vt efficaciter ſit volitus ante media. Nam Pater mittens filium ad ſtudia, dat ei media efficacia,quæ nouit; nec tamen vult filium efficere doctum,ſed ſolùm quantum ex ſe. Deus igitur non vult efficaciter gloriam ante media efficaciter volita,vt clarè patet; Nam omnibus dat media ex ſe ſufficientia,& efficacia ad ſalutem; nec tamen omnibus efficaciter vult gloriam. Sic vides falsò Poſnanienſem *lib* 1. dicere *cap.*3. *quæſt.*6. nullum huic argumento ſatisfacere.

Quod verò illa media ſint efficacia,oſtendam Maſtrio neganti, 1.2.*tract.*5.*diſp.*1.*q.*4.

Obijciunt ſecundò. Nam Patres cum Apoſtolo altitudinem huius Myſterij admirantur, inter quos eminet Auguſtinus *cap* 9. *de prædeſtin. ſanctorum*; *cap.*8. *&* 16. *de Bono perſeuer.cap.*8.*&* 13. *de corrept. & gratia.* Hi clamant, ſe admirati, & huiuſcè rei cauſam ignorare. At ſi electio eſſet ex meritis,iam ratio in meridie elucetet.

145 Occurrit S. Bonauentura *d.*41. *quæſt.*2. *in corpore*, id potiùs contra aduerſarios eſſe: Nam ſi Deus elegit, quia vult; clarè omni vetulæ elucet, notaque eſt cauſa, neque iudicia Dei mirabilia ſunt, ſed voluntaria.

Ferchius loco adducto ſic infert: Eſſent ergo Diuina iudicia non occulta; ſed manifeſta, voluntaria, non prudentia, ideſt, non ratione aliquâ prouidentiæ inuoluta. Neque verò id refert ſolùm è Seraphico, vt malè ei imponit Maſtrius *num.*101. paululum commotus, quia à Scotiſtarum acie ad Seraphicum diuertit. Seraphici Collegij prouentibus alitus Romæ,num migraret ad Afros?

146 Oportet aduertere, S. Auguſtinum præcipuè admirari electionem ad gratiam, quæ ex motiuo occulto eſt; electionem verò ad gloriam ſolùm conſequenter, vt videre eſt in S.D. de ſpiritu, & *litt.* *cap.*34. *ep.*105. *& de prædeſtinat. ſanctorum,præcipuè cap.*9. *ac de bono Perſeuer.* c.8. Nam D.Auguſt. ſicuti agitabat tantùm quæſtiones de gratia contra Pelagianos; ita Myſteria occurrentia in eis mirabatur.

Flebilis eſt autem ratio Maſtrij *num.* 105. qua conatur hanc admirationem meliùs in ſua ſententia inuenire. Quia miranda eſt electio ad gratiam,& etiam ad gloriam. Miſereor, quia nihil habet ſolidius.

Instat Ribas *num.*71. cum Suarez: Vnde nam incipit electio ſaluandorum? Non à ſerie auxiliorum, vt putant Vaſquez *d.*89. *cap.*13. Leſſius *ſec.*5. *ad* 5, quia ſupponunt finem volitum: Sanè volens dare hæc efficacia media,dare vult gloriam; alioqui non diſcernet à reprobis. Neque diſcernit conditionatè, vt putat Herize *d.*23. *c.*13. quia & reprobis vult ſalutem hoc pacto inefficaci; at electi dicuntur ſecundùm propoſitum, vt notat D.Bonauentura.

147 Respondeo è Seraphico 1. *d.*40. *artic.*3. *quæſt.*2. & *d.*41. *quæſt.*2. Deum omnibus redemptis volentem ſalutem, vt dicit *d.*46. *quæſt.*1. quippè ſint opera ſua ad hunc finem condita,& ſanguine pretioſo acquiſita; gloriam voluiſſe indifferenter,quam ſuiſquiſque meritis impetraret per gratiam omnibus exhibitam: ſed

videns

videns in aliquibus maiorem reſpondentiam, congruè eos propoſuit è maſſa perditorum educere, & gratiam continuare, quam nec reprobis denegat; tametſi videns hos renitentes, in fine ſtatuit illis perſeuerantibus in merito dare gloriam in præmium; cæteris excluſis, & ità in tempore operatur. Hæc eſt doctrina clara D. Fulgentij *l. de Incarn. & gratia Ieſu* in epilogo illius. *Deus enim, qui hominem condidit; ipſe prædeſtinatione ſua, & donum illuminationis ad credendum, donum & perſeuerantia ad proficiendum, atque permanendum, & donum glorificationis ad regnandum, quibus dare voluit, præparauit. Quique non aliter perficit in opere, quàm in ſua ſempiterna, atque incommutabili habet voluntate diſpoſitum.* Ita diſcretio eſt à gratia, vt ipſe Apoſtolus, inquit, & in illa conſiſtit præparata ab æterno, & data in tempore. *Quis te diſcernit? Quid habes, quod non accepiſti?* Quæ vero opponunt, ſoluam *quæſt.12.n.272.*

Qvæ reliqua opponit Tannerus, & Ribas, contrita iacent. Opinio verò Catherini, etſi attrita., quippè vniuerſim loquuntur Scripturæ, & Patres, adhuc eſt explodenda.

QVÆSTIO VIII.

An ſaltem aliqui eximiè dilecti Sancti, aut Angeli fuerint ad gloriam electi ante præuiſa merita.

148 Svppono primò è D. Bonauentura *d.40. dub.1.litt.* tametſi aliquando res inanimes dicantur prædeſtinari, propriè tamen ſolis rationalibus conuenire. Quod ſi *prima Cor.2.* habes, *ſapientiam prædeſtinatam*, quod Suarez *l.1. de prædeſtin. cap.4.* explicat, de ſapientia Euangelica; tamen id intelligit etiam de Christo, vt Gloſſæ exponunt, & multi alij. Propriè igitur ſolæ creaturæ rationales prædeſtinantur. Quia prædeſtinatio eſt ordinatio ad finem ſupernaturalem, cuius ſoli homines, & angeli ſunt capaces. Ita probat S. Bonau. citato loco; cuius rationem aſſumit Suarez *num.7.* & idem de electione dicendum; quæ eſt ordinatio ad gloriam, cùm ſit beatitudo ſpiritualis.

149 Svppono ſecundò, prædeſtinationem primò cadere in perſonam, & ratione huius in naturam. Probatur à Seraphico *in 3.d.7.art.2. quæſt.1.* quia prædeſtinatio eſt ordinatio ad gloriam, quæ in actibus intellectus, & voluntatis conſiſtit, qui ſunt perſonæ operantis. Hinc argumentatur S.D. ibi, non poſſe dici filium Dei prædeſtinatum; id eſt, ante deſtinatum ad beatitudinem; Quia eſt beatus ab æterno per eſſentiam. Idem habet *d.11.quæſt.1. in corpore*, & Suarez *n.8.* Quare nec ipſa gratia, aut gloria ſunt prædeſtinatæ, vt docent alij cum D.Bonau. *d.40.dub.1.littera.*

150 Svppono tertiò, terminum *ad quem* prædeſtinationis non eſſe peccata. Ideò dicit D.Auguſt. *l.1. de prædeſt. ſanctorum, cap.*10. Deum præſciuiſſe mala; ſed non præparaſſe, vt notat Magiſter *d.36.* & D. Bonauentura ibi *artic.3. quæſt.1.* eſt definitum in Concilio Arauſic.2. *can.25.* ſumiturque ex Tridentino *ſeſſ.6. capite* 17. alioqui Deus eſſet author peccati, vt arguit Seraphicus, & Suarez *l.1.de Aux.* & *l.1. de prædeſtin. capite 5.* Neque propriè dicitur Deus prædeſtinare ad pœnam, licèt ita loquatur S.Auguſtinus *c.100. Enchir.* & *l.15. de ciu. cap.1.* & *l.21. cap.24.* Si autem admittitur, ſumenda eſt illa particula, *præ*, vt dicit anteceſſionem æternitatis ad tempus; non voluntatis Diuinæ ad præſcientiam. Quia, licèt in æternitate prædeterminet Iudam ad gehennam; tamen neminem Deus poteſtate ſua ad malum prædeterminauit, vt definiere Concilia Arauſic. & Trid. Non tamen negant, quin ob cauſam iuſtam demeritorum aliquos definierit ad pœnas, vt docet D.Bonau. *d.41.q.1.*

Svppono quartò, terminum prædeſtinationis eſſe bonum ſupernaturale, vt docet Seraphicus *d.40. dub.1. litt.* & in quæſtionibus paſſim, & *d.41. quæſt.1. & 2.* D. T. *quæſt.23. artic.1.* cum omnibus ſcholaſticis, & elicitur ex Apoſtolo *Rom.1. Prima Cor.2.* de gratia vnionis; atque de bonis gratiæ ſanctificantis vſque gloriam incluſiuè *Rom.8.Epheſ.1.* Ratio eſt; quia ad finem naturalem ferimur naturali impetu. Quare non eſt neceſſe eò tranſmitti ab alio extrinſeco. 151

Istvd autem bonum eſt gratia, & gloria; vt docent Theologi cum D.Bonauentura *d.40. & 41. & in dubiis litt.* & *in 3.d.7. art.2. quæſt.ad 1.* Quod ſit præordinatio ad gratiam, probatur à D.Bonauentura è D. Auguſtin. *l.2.de bono Perſeuer. cap.14.* & ex omnibus fere operibus ſeptimi tomi D.Auguſtini, vbi cum Pelagianis decertat: & ex D. Fulgentio *l. de fide, cap 37.* Deinde idem probat *art.3. quæſt.1.* ex Epheſ.1. *Elegit nos ante mundi conſtitutionem, vt eſſemus ſancti.* Quare *hic* malè negant Ocham, Gabriel, Rubion *d.40.* & Catharinus *opuſc. de prædeſtin. l.1.c.vlt.* vt notat Suarez eiſdem authoritatibus cum D.Bonauentura, probans intentum.

Qvod verò prædeſtinatio ſit non modò ad media, ſed etiam ad finem, probatur à Seraphico *d.41. q.1. in corpore*, è D.Auguſtio. *l.2.de bono Perſeuer. cap.14.* vbi dicit, eſſe præparationem beneficiorum Dei, inter quæ eſt etiam gloria, vt notat quoque Suarez *num.13. cap.5. lib.1.* 152

Probatvr ſecundò à S.D. *d.40. artic.3. quæſt.2.* ratione, qua vtitur ipſe Vaſquez *d.94. cap.5. num.38.* Idem eſt electio, & prædeſtinatio, è D.Auguſtin *l.de prædeſtinat. ſanctorum, cap.17.* dum ait: *electi ſunt eâ prædeſtinatione*, ſed electio ducit ad gloriam: Ergo & prædeſtinatio. Quare non rectè Vaſquez *ad artic.4. D.T.* cum Durando *d.41. quæſt.1.ad 1.* negat prædeſtinationem eſſe etiam ad finem gloriæ; & aiunt eſſe tantùm ad media. Io hoc verò diſtingui fateor, quod electio, præter ordinationem, dicit diſcretionem vnius, præ aliis. Ita S.Bonauent. qui falsò pro ſe adducitur à Vaſquez cum cæteris antiquis Theologis.

Svppono quintò cum Seraphico *d.40. dub.2.* tam homines, quàm Angelos eſſe obiectum prædeſtinationis, & electionis, quippè qui ordinabiles ſunt ad finem ſupernaturalem gloriæ per gratiam, cum hoc tamen diſcrimine, quod terminus *à Quo* Angelorum, eſt natura ad gratiam, & gloriam: terminus vero *à Quo* hominis, eſt miſeria: eſt enim prædeſtinatio liberatio, & ſeparatio aliquorum è maſſa perdendorum. Vide Trigoſium *q.18.art.2.dub.3.concl.2.*

Iam verò Catherinus, adductus *quæſt. præcedenti*, geminam electorum claſſem diuidit, alteram ſingulariter electorum, & prædeſtinatorum; & hos ante præuiſionem meritorum aſſerit prædeſtinatos ad gloriam. Alteram eorum, quos ſaluandos appellat, quos ait relictos communi prouidentiæ, & auxiliis ordinariis adiutos; & ſiquidem gratiæ reſpondent, & bona opera faciunt, ad gloriam deducit. Hos negat prædeſtinatos; ſed ſolùm poſt præuiſa merita decretos ad gloriam. Neque horum numerum eſſe vult determinatum; ſicuti determinatus eſt numerus prædeſtinatorum; reprobos verò dicit eos, qui, ordinariæ relicti prouidentiæ, malè gratiæ reſpondent, & neque horum dicit conſequenter eſſe numerum præciſum; neque reprobari vſque ad mortem. Sic docet *l.1.de prædeſtin. in c.vlt.* & *l.3. cap.1. & 2.* Eum in hoc præciſè multi 153

ſequuntur,

ſequuntur, quod eximiè prædeſtinati nullis præuiſis meritis fuerint electi. Eos retuli *quæſt. præcedenti.*

Eundem omninò ordinem, quem in hominibus diſtinxit Catharinus; multi Recentiores conſtituunt inter Angelos.

Asserо primò, omnes, etiam eximiè dilectos, fuiſſe ex meritis electos ad gloriam.

154 Probatvr argumentis, & auctoritatibus allatis *quæſt. præced.* quæ vniuerſaliter probant, imo neque potuiſſe aliter eligi; ſi verè in executione detur gloria, vt merces. Et quoniam non modo homines, ſed etiam Angeli receperunt gloriam, vt mercedem meritorum; ſequitur eos ita etiam electos fuiſſe ab æterno, nec potuiſſe liberaliter eligi.

155 Probvtvr ergo argumento illo D. Bonauenturæ allato *q. præc.* & à Modernis acclamato. Eodem modo Deus, quo in tempore exequitur, decreuit ab æterno. Sed in tempore dat omnibus, etiam Angelis gloriam, vt mercedẽ: Ergo. Maior probata eſt ibi. Minor quoad omnes homines probatur Scripturis, præcipuè, quia omnibus in die iudicij dicitur, *Venite, poſſidete regnum. Eſuriui enim, & dediſtis mihi manducare,* iuxta aduerſariorum expoſitionem. De Angelis verò oſtendetur *tract. 4. de Ang. d. 5. & 6.* Interim probatur à Seraphico *2. d. 5. q. vlt.* è D. Aug. *l. de correp. & gratia, c. 11.*

156 Probatvr ſecundò eo præcipuè argumento Seraphici, allato *quæſt. præced.* Quia ſi eximiè prædeſtinati eſſent abſolute electi ad gloriam, & non ex præſcientia item conditionata meritorum, ſequeretur eis imponi neceſſitatem perſeuerandi in gratia, & ab illa non poſſe excidere. Et ita ablata libertate, tolleretur quoque ratio meriti. Hanc rationem grauiter vrget Ioannes a Banonia, qui ſæpè eam Catharino coram oppoſuit, qui conuictus reſpondebat, concedens ſequelam; ſed negabat id eſſe abſurdum. Probatur tamen abſurditas ſequelæ. Nam Paulus iudicio Catharini eximiè prædeſtinatus dicebat 1. Cor. 9. *Ne fortè reprobus efficiar.*

Hvivs ſequelæ diſſonantiam, vel parui pendunt, vel forte negant Soto *in c. 9. ep. ad Rom.* Corduba *l. 1. q. 58.* & Camerarius *in Dialogo Catholico, cap. 10.* qui reliquas Catharini propoſitiones acriter reprehendunt.

Qværes. Quid ergo ampliùs habent eximiè prædeſtinati? Nam confirmati in gratia nequeunt perire.

157 Respondetvr cum D. Bonauentura *d. 40. art. 2. quæſt.* [illegible] dari in prædeſtinatis præter gratiam, & in aliquibus, etiamſi abundantiſſima ſit, non infert aliquam libero arbitrio neceſſitatem, ſed ſolùm protectionem, & adiutorium, vt dicam *q. 20.* ideo antecedenter non erant impeccabiles (excipe Chriſtum.)

Cæterum de omnibus iuſtis, & inſignibus canit Eccleſia id Eccleſiaſtici 31. *Qui potuit tranſgredi, & non eſt tranſgreſſus*

Deinde de ſancto inſigni dicitur Sap. 4. *Raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum eius,* vt obſeruat S. Bonauentura in Commentario.

Dignvs eſt etiam reprehenſione Catharinus, dum negat, omnes, qui ſaluantur, prædeſtinatos eſſe, nam hoc eſt contra modum dicendi Conciliorũ, & Patrum: contra etiam Apoſtolum, qui infert, eos omnes qui glorificantur, eſſe prædeſtinatos *Rom.* 8. vbi vniuerſaliter Apoſtolus loquitur de omnibus iuſtis, qui adoptantur in filios Dei, vt conſtat legenti, & obſeruat Seraphicus *in 3. d. 10. art. 2. q. 2. ad 4.*

Id verò, quod intimis ſenſibus me commouet, eſt, Catharinũ adeò in D. Aug. inuectiua & dicteria profundere, quem Cæleſtinus I. & Hormiſda Pontifices, laudant, & quem Concilium Arauſic. Mileuitanum, & cætera, ſummoperè venerantur.

QVÆSTIO IX.

An electio hominum, & Angelorum ad gloriam fuerit determinata ad tales perſonas, & ad tot gradus gratiæ, & gloriæ.

NOs ſuprà *quæſtione ſeptima,* argumentabamur, 158
gloriam deſtinari ex meritis. Quia decretum gloriæ dandæ, eſt ex ſpeciali Dei prouidentia exquiſitâ; ac proinde debet eſſe ſancitum determinatè pro talibus perſonis ad talem gloriam, in tali gradu, quam in tanta gratia antecedenter fundari fatendum eſt. Hoc autem aſſumptum contra Lichetum *3. d. ſeptima, quæſtione tertia,* & alios nonnullos ibi defendimus cum Molina *quæſtione 14. articul. 13. diſputat. 18. m. 3.* Suarez *lib. primo, de prædeſtinat. cap* 10. Vulpe *d. 36. artic. vltim.* Smiſing. *quæſtione octaua, numero* 574. Lezana *d. nona, quæſtione quinta, concluſ. ſecunda,* Cornexo apud eum; Maſtrio *d. quinta, quæſtione ſecunda, numero* 208. Trigoſio *quæſtione* 18. *artic. ſexto, dub. tertio,* & cum Seraphico, & Theologis aſſerentibus, electionem ad gloriam è præuiſis meritis, quos retuli *quæſtione ſeptima,* vbi tamen prædeſtinationem, & electionem efficacem ad gratiam, in qua tanta gloria fundatur, antecedenter ad aliqua noſtra merita factam ſuppoſui, de quo agendum *q. 11.*

Assero, electionem ex meritis ad gloriam factam determinatè talium perſonarum, ad tantam gloriam. Ita S. Bonauentura *de ſeptem Itineribus, d. 2.*

Quòd fuerit talium perſonarum conſtat ex allata ratione, ſumptà è Diuina prouidentia.

Probatvr verò vtrunque à D. Bonauentura *loco* 159
citat. ex illo Ioan. 14. *In domo Patris mei manſiones multæ ſunt.* Ad quem locum addit expoſitionem D. Bernardi *ſerm. 23. in Cant.* qua vtitur Suarez, vbi ait: *Non omnibus vno in loco frui datur grata, & ſecreta ſponſi præſentia, ſed vt cuique paratum eſt à Patre. Non enim nos ipſum elegimus; ſed ipſe elegit nos, & poſuit: & vbi vnuſquiſque à Deo poſitus eſt, ibi eſt.* Vide ibi Seraphicum præclara diſſerentem.

Affert quoque expoſitionem Hugonis *l. 1. in c. 1. Angelicæ Hierarchiæ,* vbi ait: *ſecundùm illam namque proportionem, qua nunc dona gratiæ differenter percipimus, meritò poſteà, vel hîc per mentis contemplationem, vel illic per retributionem in numerum, id eſt, in manſiones tranſimus Angelorum.* Eadem refert S. Bonauen. ex eius libro *de clauſtro animæ, c. 26.* & D. Gregorio *homil. 34.* in Euang. Porrò in Cõmentario Ioan. mouet quæſtionem cum D. Aug. *tract. 68.* Si in domo Patris manſiones multas iam diſtinctas, & paratas dixit, cur ſubdit. *Vado parare vobis locum?* Reſpondet cum S. Aug. *manſiones, quas præparauit prædeſtinando, præparat operando.* Affert etiam D. Gregorium *l. 4. Moral. cap. 31.* & *homil. 19. in Euang.*

Rvrsvs quærit *ibidem.* Quomodo variæ manſiones ſint electis deputatæ, cum in denario fiat ſingulis æqua ſolutio. *Matth.* 22.

Respondet cum D. Aug. *tract. 67.* vnum eſſe om- 160
nium denarium, quia vna datur omnibus viſio eiuſdem Dei, ſed tamen Diuinâ prouidentiâ factum, vt ſingulis ſingulæ ſedes in eadem gloria pro varietate meritorum parari debuerint, ſcil. clarior viſio, &c. Idem reſpondet è D. Greg. ſuprà. E quibus eruitur ratio initio indicata. Ad perfectum Dei prouidentiam, maximè circa ſupernaturalia grauiſſimam, ſpectat exactè omnia diſponere. Sed manſionum gloriæ diſpoſitio, quæ eſt prædeſtinatio, eſt pars præcipua Diuinæ Prouidentiæ ſu-

pernaturalis: Ergo ad eam ſpectat omnia exactiſſimè diſponere, quoad perſonas, gloriæ gradus, &c. Hac ratione vtitur Suarez *loco cit.* Ribas *tract.7.d.3.cap.*10. Neque verò impeditur ob id libertas: Nam merita præparantur dependenter à notitia conditionata noſtræ cooperationis ad gratiam.

DICES Si tot gradus gloriæ ſunt determinati: Ergo impeditur profectus ad vlteriores. Reſpondetur negando id. Nam gratiæ adaptantur iuxtà prouidentiam, quam Deus habet de hominum vitâ.

161 Ex his colligitur primò, etiam electionem ad gratiam fuiſſe determinatam ad quoſdam gradus; è gratiæ etenim gradibus, menſura gloriæ pendet.

Colligitur ſecundò, nobis non obeſſe decretum Concilij Viennenſis, *Clement. Ad noſtrum*, quo decernitur, non poſſe hominem ad eum gradum charitatis peruenire, vt nequeat vltrà proficere. Quia decretum noſtræ gloriæ ſequitur præuiſionem noſtrorum meritorum totius vitæ præuiſæ, in quibus noſtra operatio libera continetur. Aduerſatij verò *quæſtione ſeptima*, recenſiti illaqueantur, dum volunt, decretum gloriæ firmatum ante præuiſa merita, atque adeò libero arbitrio in vita non relinqui, aliquid augmenti meritis ad gloriam addere.

QVARE malè ſe expedit Trigoſius *quæſtione* 18. *articul. ſexto, dub. tertio, ad ſecundo*, dicendo id ſolùm decreto Concilij ſancitum, poſſe ex parte gratiæ, & liberi arbitrij creſcere meritum ad gloriam, ſed ſuppoſita diuina prædeſtinatione, & prædeterminatione non poſſe. Obſecro enim, quàm ridiculum eſſet tale decretum Concilij ad praxim? Sed quæſtionem diſcutiam 2.2.*diſp.*8.*quæſt.* 12.

QVÆSTIO X.

An omnes homines ſimul cum Angelis fuerint electi.

162 SVPPONO in prædeſtinationibus poſſe dari ordinem dependentiæ vnius ab alia, ac proinde etiam prioritatis, non quidem realis, cùm omnes ſint æternæ, ſed rationis. Ita D. Bonauentura 3. *d.* 11. *quæſtione* 2. *ad* 1.

NEQVE verò hîc agitur de prædeſtinatione etiam Chriſti. Ille enim, vt caput hominum electus eſt ante omnes. Ita communiter Theologi cum D. Bonauentura, *in tertio*, *d.*11. vbi S. D. *artic. primo, quæſtione tertia*, Richardus *artic. quarto*, *quæſt. vltim.* Durandus *quæſtione tertia*, Palud. *quæſtione prima*, *artic. tertio*, & cæteri cum D. Thom. 3.*p. quæſtione* 24. *artic. quarto*, vbi Thomiſtæ. Alenſis verò 3.*p. quæſtione tertia*, *m.*5. Albertus *d.*10. *artic. vltim.* & alij, qui docent, Prædeſtinationem Chriſti eſſe cauſam exemplarem, & finalem independentem noſtræ præ-
163 deſtinationis; ex quo ſequitur, præcedere ſuos effectus, quæ probabo *quæſtione* 13. *&* 14. Idem aſtruunt dicentes, Chriſtum promeritum noſtram prædeſtinationem, quoad omnes effectus. In his ſunt Vega *l.*4. *in Tridentin. ſeſſ.*5. Viguerius *Inſtitut. Theol. capite* 20. §. 8. Ecchius in *Chryſopaſſo*, *centur. tertia*, *numero* 34. Valentia *quæſt.* 23. *punct. quarto*, §. *primo*, Suarez *l.*2. *de prædeſtinat. capite* 21. *&* 24. *&* 3. *p. d.*41.*ſec.*4. Vaſquez *d.*91. *&* 94. cum D. Bonauentura, vt oſtendam *quæſt.*13.

Denique idem aſtruunt omnes dicentes, Chriſtum incarnandum, etiam non peccante Adamo; & aliqui etiam ex oppoſitum ſentientibus, vt refert Tannerus *d.*3.*q* 5.*dub* 7.

QVOAD cæteros. Prima opinio cenſet, omnes ho- 164
mines, & Angelos eodem ſigno rationis prædeſtinatos, ante præuiſum peccatum originale; & ante voluntatem permittendi illud. Hanc docet Suarez *l. primo, de prædeſtinat. capite* 22. eſſe communiorem ſententiam inter Theologos, allegans D. Thom. *quæſtione* 23. *articulo primo*, *ad tertium*, & *artic. quarto*, Scotum 3. *d. ſeptima*, *quæſtione tertia*, & indicaſſe aduertit etiam *in primo*, *d.*41. vbi Heruæum quoque *d.* 40. Ægidium, Gregorium, Capreolum, & Marſilium *quæſtione* 91. Ecchium *l. de prædeſtinat centur. prima, numero* 36. Eſt autem communis Scotiſtarum ad loca cit. Scoti præcipuè Baſſolis *d.*41. *quæſt. vnica*, *artic. quarto*, Smiſing. *d. ſexta*, *numero* 778. Adde Vaſquez *d.*91. *numero* 13. Tannerum *d. tertia*, *quæſtione quinta*, *dub. octauo*, *& nono*, allegantem, præter ſupradictos, etiam omnes, qui cenſent homines electos ante præuiſionem mediorum particularium, quibus eſſent ad beatitudinem perducendi. Sequitur Morandus *tract.*5.*q.*5. Ribas *tract.*7. *d.*3.*c.*10.

SECVNDA ſententia ſuſtinet, non fuiſſe electionem 165
prædeſtinatorum omnium in eodem ſigno, prædeſtinationemque hominum factam poſt præuiſum peccatum Originale. D. Bonauentura multis in locis, quæ referam in argumentis, D.T. *quæſtione* 23. *artic. primo*, *ad tertium*, & non ſolùm hi, qui nobiſcum *quæſtione* 7. aſſeruère. electionem ad gloriam poſt præuiſa merita, & media ſalutis, inter quæ eſt quoque iuſtificatio à peccatis; ſed etiam oppoſitum ſentientes plurimi, præſertim Thomiſtæ, qui docent, Incarnationem Filij Dei futuram non fuiſſe, Adamo non labente. Idem ſentiunt Valentia *quæſtione* 14. *p.*4. Bellarminus *l.*2. *de gratia*, *& lib. arbitr. capite nono*, Molina *quæſtione* 23. *artic. quarto*, *& quinto*, *diſputat. prima*, *m.*7. Vaſquez *d.*93. *numero* 43. Zumel. *quæſtione* 23. *articul.* 2. *d.*1. Nazar. *quæſtione* 23. *artic.*1. *controu.*2. ad mentem D. Thomæ. Eſt omnium, qui tenent filium Dei non venturum, Adamo non peccante.

ASSERO primò, prædeſtinationem hominum fa- 166
ctam poſt præuiſionem peccati originalis. Probatur à S. Bonauentura primò, *d.*40.*dub.*2. quia Prædeſtinatio eſt liberatio à malo. Ideò ab Apoſtolo *Rom.*8. *Epheſ.*1. definitur *propoſitum miſerendi.* Et eodem modo eiſdem ferè verbis definitur è D. Auguſt. vt vidi *quæſt.*2. Tunc ſic. Propoſitum miſerendi ſupponit miſeriam peccati, à qua liberantur prædeſtinati, Prædeſtinatio eſt propoſitum miſerendi: Ergo.

RESPONDANT Suarez, & Tannerus, prædeſtinationem ſpectatam in ordine ad ſuos effectus, quos in electis habet, non eſſe factam ante præuiſionem peccati, ſed quoad aliquos effectus ſupponere præuiſionem peccati; non quoad omnes.

OMITTO nunc, media omnia prædeſtinata ante 167
electionem ad gloriam, vt oſtendi *quæſt.*7. Conſidero intentionem Dei in prædeſtinatione, apud Apoſtolum Rom.9. *Vt oſtenderet diuitias gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ.* Vocat vaſa miſericordiæ homines prædeſtinatos, quatenus è miſeria eruuntur. Ergo in prima Dei intentione ordinata eſt prædeſtinatio ad eruendos aliquos è miſeriâ Roboratur argumentum phraſi Apoſtoli, quâ reprobos vocat vaſa iræ, facta in contumeliam, eruta ex eadem maſſa, ex qua fiunt vaſa in honorem. Certum eſt autem maſſam hanc eſſe genus humanum, iam peccato corruptam; alioqui dicere ex maſſa intemerata Deum facere vaſa in contumeliam, eſt labi cum Caluino, & Beza; vt aduertit Bellarminus *tomo quarto*, *l.*2. *de amiſſ. gratiæ*, *capite* 12. Et eſt contra expoſitionem Patrum. Vnde D. Auguſt. ep. 105.

168 ep.105. ait. *An non habet poteſtatem figulus, ex eadem maſſa, vtique merito, iureque damnatâ, facere vas aliud in honorem indebitum, propter miſericordia gratiam; aliud in contumeliam debitam, propter iuſtitiam?* Rurſus ibi ait. *Quamuis itaque Deus faciat vaſa iræ in perditionem, vt oſtendat iram, & demonſtret potentiam ſuam, qua benè etiam vtitur malis, & vt notas faciat diuitias gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ, quæ facit in honorem, non debitum damnabili maſſa, ſed ſua gratia largitate donatum: tamen in eiſdem iræ vaſis propter meritum Maſſæ in contumeliam debitam factis, idiſt, hominibus propter natura bonum creatis, ſed propter vitia ſupplicio deſtinatis iniquitatem, quam rectiſſimè veritas improbat, damnare nouit ipſe, non facere.*

169 Et ep.106. *Hæc maſſa (inquit) ſi eſſet ita media, vt quemadmodum nihil boni, ita nec mali aliquid mereretur, non fruſtra videretur iniquitas, vt ex ea fierent vaſa in contumeliam: Cùm verò per liberum arbitrium primi hominis in condemnationem vniuerſa deſtruxerit, procul dubio ex ea fiunt vaſa in honorem, non ipſius iuſtitia, qua gratiam nulla præceſſit; ſed Dei miſericordiæ. Quod verò in contumeliam; non iniquitati Dei, quæ abſit, vt ſit apud Deum; ſed iudicio deputandum eſt.*

170 Cvm igitur obiectum prædeſtinationis ſit maſſa corrupta, vt ait Apoſtolus, & explicat D. Auguſtin. profectò non video, quo fundamento aduerſarij prædeſtinationem ſimpliciter in intentione factam negent, poſt peccatum, ex quo orta eſt corruptio maſſæ. Alia his ſimilia teſtimonia habes *l.1. contra duas epiſtolas Pelagy, capite ſeptimo, de prædeſtinat. & gratia, capite tertio, libro primo, ad ſimpl. quæſtione ſecunda, in Enchir. capite 49 de prædeſtinat. ſanctorum, capite nono, l. de bono Perſeuer. capite octauo.* Idem ſignificat D. Thom. *quæſtione 23. artic. primo, ad 3.* quatenus dicit, terminum à *Quo* prædeſtinationis hominum eſſe miſeriam peccati. Idemque colligitur è definitione prædeſtinationis, in qua habetur vocula (*liberantur*), &c.

Neqve replicet Tannerus, explicari prædeſtinationem per effectum. Nam explicatur per obiectum totum in termino à *Quo* intentionis Dei, vt conſtat in Apoſtolo ex particulis; *vt faciat, &c.*

171 Ex quo etiam ſequitur, Apoſtolum, & Sanctos Patres loqui de prædeſtinatione reſpectu certorum mediorum. Nam ſecundùm Tannerum, & alios aduerſarios, loquitur de obiecto prædeſtinationis in termino à *Quo*, vt eſt obiectum profectò primi actus, qui eſt intentio finis, in quo non adhuc de mediis cogitatur, vt ipſi clamant, quæſtione noſtra ſeptima.

Ex dictis ruit alia Tanneri reſponſio *dub. nono, numero 15.* Sanctos Patres explicare prædeſtinationem per liberationem è maſſa corrupta. Quia ſic eſt aptior capacitati rudium. Miror hoc reſponſum. omiſſis enim aliis Patribus; S. Auguſtin. *allegatis locis* agebat Theologicè diſputando punctum fidei cum aduerſariis, qui argumentis, diſtinctionibuſque ſubtiliter contendebant oppoſitum.

172 Probatvr ſecundò à D. Bonauentura *d.40. artic. tertio, quæſtione prima*, ex illo *Epheſ. primo*, cuius prima tantum verba refert, ſed & ſequentia ſupponit in quæſtionis proceſſu. *Benedictus Deus. & Pater, qui benedixit nos omni benedictione in Chriſto. Sicut elegit nos ante mundi conſtitutionem, vt eſſemus ſancti, & immaculati in conſpectu eius: qui prædeſtinauit nos in adoptionem filiorum per Ieſum Chriſtum, ſecundùm propoſitum voluntatis ſuæ, in laudem gloriæ gratiæ ſuæ, in qua gratificauit nos in filio ſuo. In quo habemus redemptionem per ſanguinem eius, remiſſionem peccatorum, in quo & nos ſorte vocati ſumus, & prædeſtinati.* His verbis oſtendit Apoſtolus, electionem eſſe actum efficacem diſcernentem aliquos, virtute redemptionis efficacis è maſſa perdita, ac proinde ſupponi præſcientiam peccati; vt acutè obſeruat *ad 3.*

173 Argvo igitur validiſſimè, ſolis Apoſtoli propoſitionibus. Eodem modo cumulat nos Deus omni benedictione gratiæ, & gloriæ; ſicut in æternitate elegit ſecundùm propoſitum, ideſt, intentionem. Sed in tempore benedictionibus cumulat gratiæ, & gloriæ, virtute redemptionis Chriſti, in ſanguine, quatenus pretio ſanguinis è captiuitate nos extraxit in libertatē filiorum Dei: Ergo & ab æterno ſub hac formalitate, ex hoc motiuo nos elegit; alioqui non eſſemus prædeſtinati à Chriſto vt Redemptore, virtute paſſionis, & ſanguinis eius. Hoc argumentum validè demolitur illud fundamentum Suarez, & aliorum *quæſtione ſeptima*, aduerſantium, & clamantium, Deum alio ordine ab æterno intendiſſe; & alio ordine exequi. Quare fruſtrà nobis continuato murmure reſonant obſoletam illam ſuam diſtinctionem de ordine *intentionis*, & *executionis*; quæ ad rem noſtram non facit, vt ibi oſtendi.

174 Qvod verò Apoſtolus loquatur de ordine intentionis; non autem de ordine executionis interno, vt ſolent reſpondēre aduerſarij; meridiana eſt luce clarius verba legenti, dum *propoſitum* nominat, & *finem*, in laudem gloriæ in Chriſto Ieſu Redemptore, & in ſanguine eius. Sic igitur adhuc firmiùs pugno ratione Apoſtoli: Deus ab æterno elegit nos, vt eſſemus immaculati in Chriſti ſanguine, & hoc præparauit prædeſtinando ſecundùm oppoſitum voluntatis ſuæ, ſeu intentionem finis ad gloriam ſuam in Chriſto, ſicut in eo gratificauit eruendo è captiuitate per redemptionem: Ergo in primo actu Dei, quo finem aſpexit, ſecundùm aduerſarios, non adhuc cogitans de mediis, vel de executione, elegit ſub formalitate redemptionis in ſanguine filij è captiuitate peccati.

175 Confirmatvr ergo ratione D. Bonauentura *in 3. d. 1. artic. ſecundo, quæſtione ſecunda.* Nos electi ſumus per redemptionem Chriſti, ſed redemptio deſtinata eſt in remedium peccati originalis. Ergo & prædeſtinatio, & electio noſtra ſub hac formalitate facta eſt Intrinſecè; & non ſolùm in effectibus.

Confirmatvr adhuc à D. Bonauentura *in 3. d. 11. quæſt. 1.* ex *cap 8 ad Rom.* vbi tractans prædeſtinationis reconditum myſterium, poſtquam redemptionis meminit. *Scimus (ait) quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, iis, qui ſecundùm propoſitum vocati ſunt ſancti. Nam quos præſciuit, & prædeſtinauit conformes fieri imaginis filij ſui, vt ſit ipſe primogenitus in multis fratribus, &c.* vbi alludit ad illud, quod Hebræis ſcripſit. *Debuit per omnia fratribus aſſimilari, vt miſericors fieret.* Infert igitur, prædeſtinationem noſtram factam virtute meritorum Redemptoris Chriſti, nobis in carne mortali, & tormentis aſſimilati, vt nos è miſeriis erueret, factus compaſſione miſericors, atque adeò prædeſtinationem factam eſſe ſuper obiecta in miſeriis peccati deuoluta, vt probat S. Bonauentura ex Gloſſa, atque hinc obſtruat in argumentis, prædeſtinationem à Paulo vocari *propoſitum miſerendi*; vt oſtendi *quæſt. 2.* & à D. Auguſtino paſſim definiri ſub hac formalitate; tametſi non eadem verba adhibeat, vt ſuprà retuli.

176 Arguo ſecundò, prædeſtinationem hominum celebratam, poſt prædeſtinationem Angelorum.

177 Probatvr primò à D. Bonauentura *in tertio,*
d.3. artic. ſecundo, quæſtione tertia, Epbeſ.1. *Propoſuit*
Deus inſtaurare omnia, ſiue quæ in cælis, ſiue quæ in
terris, vbi aduertit ita exponi à Patribus, Deum præ-
deſtinaſſe homines ad reſtaurandas Angelorum rui-
nas. Ita Gloſſa ibi, S.Auguſtin. *in Enchir. capite* 26.
& 29. Bernardus *ſerm.1. de Adu.* Anſelmus *l.1. Cur*
*Deus homo, cap.*16. *&* 17. Ergo homines fuêre electi
poſt præuiſum peccatum Angelorum.

Respondent Tannerus *numero nono*, Ribas *nu-*
mero 101. cum Suarez *numero* 12. ſola executione
id eſſe verum; non intentione. Addit Morandus An-
ſelmum elucidaſſe illud Auguſtini *Enchir. capite* 29.
ſed malè; vt oſtendam.

Fallvntvr ſanè. Nam Apoſtolus loquitur de
Intentione, vt ſuprà oſtendi, correſpondente execu-
tioni in tempore. Confirmatur: Nam rurſus eam
conformitatem intentionis repetit dicens: *Vt notum*
faceret nobis ſacramentum voluntatis ſuæ ſecundum be-
neplacitum eius, quod propoſuit in eo in diſpenſatio-
ne plenitudinis temporis inſtaurare omnia in Chriſto,
quæ in cælis, & quæ in terra ſunt in ipſo. In quo etiam
nos ſorte vocati ſumus prædeſtinati ſecundùm propo-
ſitum eius, qui operatur omnia ſecundùm conſilium vo-
luntatis ſuæ, vt ſimus in laudem gloriæ eius, &c.

178 Deinde idem D.Auguſtin. capite 62. *Ex ipſa ho-*
minum redemptione ruina illius Angelica detrimenta re-
parantur, propter quod ait Apoſtolus. Propoſuit in-
ſtaurare omnia, quæ in cælis; quoniam ſicut idem
Apoſtolus ait, Coloſſ.1. *Complacuit per eum reconci-*
liare omnia in ipſo. Vbi executionem reſtaurationis
in æternum reducit complacentiam diuinæ volunta-
tis. Quare fruſtra nititur Suarez hunc locum ad ſolam
executionem trahere, & cum eo Arriaga *d.*56. *ſec.*5.
Ribas *num.*101.

179 Probatvr ſecundò à D. Bonauentura ad illud 15.
Lucæ *Gaudium eſt in cælo ſuper vno peccatore, &c.*
Ita dico vobis gaudium erit coram Angelis Dei. Vbi
aduertit S D. eſſe concluſionem parabolæ Paſtoris, qui
è centum ouibus vnam perdidit. Hoc autem fuit ab
initio præuiſum, & prouiſum.

Idem probat S.D. *ſerm.2. de Reſurrec.* vbi obſeruat
illud Pſalm. 101. *Tu exurgens miſereberis Sion: quia*
tempus miſerendi eius. Quoniam placuerunt ſeruis
tuis lapides eius, &c. Quia ædificauit Dominus Sion:
& videbitur in gloria ſua. Itaque reſtauratam Sion
cæleſtem in gloria aſſerit Chriſti meritis, dum homi-
nes ſubſtituti ſunt ad ſedes, vnde Angeli mali corrue-
rant in veſtibulo. Vide Seraphicum ibi egregiè diſ-
ſerentem; vbi introducit Patrem alloquentem Chri-
ſtum atque è ſepulchro vocantem, eo Pſalm. 56.
Exurge gloria mea, Exurge pſalterium, & cithara.
Euocat tanquam peritiſſimum muſicum, vt ad con-
ſonantiam redacto corpore iam veluti chordis attra-
ctis harmonico in Crucis ligno ſupernæ Hieruſalem
choros ad ſimphoniam reuocaret; non vt fictus Or-
phæus, ſponſam Eccleſiam ex inferis harmonico iam
concentu in Cruce audito reduceret; non vt fabulo-
ſus Amphion, lapides viuos ſcalpri ſalubris ictibus
quadratos ad ſupernæ Thæbis mœnia ædificanda ra-
peret mirabiliter. Hæc omittunt aduerſi, id ſulùm li-
bantes Pſal.119. *Implebit ruinas.*

180 Obiicies primò homines, & Angeli ſunt æquè
beatitudinis capaces, & ad vnam æquè ciuitatem im-
plendam deſtinati è D.Auguſtino. Imò homines ma-
gis, quàm Angeli, quia ratione Chriſti magis ſunt in-
tenti, quàm Angeli.

Respondetvr, nuſquam D.Auguſtinum negaſſe
ordinem in prædeſtinatione hominum, & Angelo-
rum, vt dicit Suarez. Quod enim 12. *de ciu. capite*
nono, neceſſitatem gratiæ æquè ad homines, & an-
gelos dicat pertinêre, nihil facit, quin Angeli prius
ſint ad gratiam deſtinati. Neque aliis locis allegatis
à Suarez, nempè *lib.*11. *de ciu. capite nono*, & *l.*12.
capite primo, & *l.*15. *capite* 5. ordinem negat; quod
ſi non apponit; non faciebat ad rem; ſicuti in *En-*
chir. vbi ordinem conſtituit, Neque in Enchir. S.
Auguſtin. *capite* 29. aſſerit, maiorem futurum nu- 181
merum hominum, quàm Angelorum, vt refert Mo-
randus cum Suarez; ex quo perperam infert, non
fuiſſe homines ad ruinas angelorum reparandas præ-
deſtinatos; imò ait S.Auguſtin. *Alia verò creatura*
rationalis, quæ in hominibus erat, quod angelica ſocie-
tati diabolica ruina minuerat, ſuppleret. Hoc enim
promiſſum eſt reſurgentibus ſanctis, quod erunt æquales
angelis Dei. Itaque ſuperna illa Hieruſalem nulla ci-
uium ſuorum numeroſitate fraudabitur; ſed vberiore
etiam copia fortaſſe regnabit. Igitur æqualitatem ho-
minum cum Angelis ex ordine naturæ prouenire ait.
Deinde aſtruit homines ad ruinam angelorum re-
parandam deſtinatos. Quod verò dicit, forſan plu-
res fore homines, quàm ſint angeli lapſi: eſt dictum
dubiè; nec detrahit, quin multitudo hominum ad
hunc finem ſic deſtinata; eſto Dei bonitas, forſan
alios addere vellet; vt vbi abundauit malum, re-
dundet eximiè, Deo prouidente, bonum inde eru-
tum.

Ad id D. Anſelmi dico, hoc enim Deo remittere,
& ſolum indicare copioſum numerum hominum à
Deo forſan addendum ex bonitatis vbertate. Id ſanè
Deo remittendum faretur è D. Auguſtino Moran-
dus.

Obiicies ſecundò. Electio hominum non pendet 182
à permiſſione peccati.

Respondet D. Bonauentura *d.*40. *artic. tertio*,
quæſtione prima, ad tertium, negando; nam præuiſio
lapſus Dei bonitati inſeruit, vt inde bonum ſalutis
eruat. Sic *in* 3.*d.*1.*art.*2.*q.*2.

Assero tertiò, prædeſtinationem omnium ſan-
ctorum factam ſimul poſt Chriſtum. Contra Trigo-
ſium, qui ordinat ſigna diuinæ prædeſtinationis ex-
tra chorum doctrinæ Seraphici. Sic igitur ordinan-
tur ſigna è D.Bonauentura 3. *d.*1.*artic. ſecundo, quæ-*
ſtione ſecunda, ad 5. In primo ſigno affectu compla-
centiæ placuit Deo ſe ad extra communicare. In ſe-
cundo vidit congruam communicationem fore, ſi
fieret creaturis rationalibus ad beatitudinem ordina-
bilibus. In tertio ſigno vidit, quod ſi tales creaturæ
crearentur, & in talibus circumſtantiis ſuæ Diuinæ
Prouidentiæ conuenientibus, laberentur. In quarto
ſigno vidit, creaturam humanam reparabilem decen- 183
ter fore, quippe tentatione, & ſuggeſtionibus exter-
nis ex infirmitate laberetur; Angelus verò decenter
relinquendus, quippe è mera interna malitia corrue-
ret; dato etiam quod accederet Luciferi ſeditio. Igi-
tur in quinto ſigno ſtatuit: Creemus homines, & An-
gelos, nam reparabo hominem, cùm lapſus fuerit, &
deſerens Angelos lapſos, prædeſtinabo homines in
ſanguine filij, ad ruinas Angelorum reparandas; & in-
ter homines eligatur Virgo, vt inſeruiat Mater Re-
demptoris; & hæc inter cæteros homines altiùs gra-
tiis, & gloria cumuletur.

QVÆSTIO XI.

An totius Prædeſtinationis detur cauſa meritoria.

{ D.Bonau. d.41.quæſt 1.
{ D.Thom.q.23. artic.5.

184 RECENTIORES nonnulli vnica quæſtione diſcutiunt: An totius Prædeſtinationis detur cauſa meritoria. Et: An ſaltem detur aliquod motiuum in prædeſtinato. Nos ſecuti Doctorem Seraphicum, quæſtiones geminas inſtituentes; in hac quærimus: An detur cauſa meritoria: in ſequenti: An detur ſaltem ratio motiua.

OMNES in limine aduertunt, non eſſe quæſtionem. An detur cauſa actus Diuini formaliter: Quia cùm ſit ipſemet Deus, non poteſt eſſe cauſatus. Tota ergo diſputatio cadit ſuper effectus, à prædeſtinatione procedentes. Ita Seraphicus, & D.T. *hic*, & *3.p.q.24.art.3.* Richardus *1.d.41.art.2.quæſt.1.* Valentia *d.1.q.24.p.4.* Vaſquez *d.91.c.1.* Driedo *l.de concordia,c.3.* Vnde cùm prædeſtinationis effectus ſit ipſa gratia, ſeu gratiæ donatio, teſte D.Aug. *de bono Perſeu. c.14.* Et *de prædeſt. ſanctorum,c.10.* fit, vt quærere prædeſtinationis cauſam, nihil aliud ſit, quàm quærere cauſam donationis gratiæ,

SVAREZ tamen *l.3.de Prædeſt.cap.1.* volt, quæſtionem eſſe. An etiam actus diuini detur cauſa. At miror, eruditum virum non perſpicere, in acto Dei nil aliud reperiri, quàm ipſam Diuinam ſubſtantiam, & connotatum, ideſt, effectu; Et diuinam ſubſtantiam nullam habere poſſe cauſam; ſed Suarez quæſtiones prolixas ingeminat arbitratus, aliam eſſe rationem actus diuinæ intentionis in æternitate; aliam in executione pro tempore, quod eſt refutatum *quæſtione ſeptima.*

185 QVÆSTIO autem eſt de cauſa tantùm morali, ſeu meritoria, quam Ariſtoteles, ad efficientem reuocat; nam certum eſt, gratiam à ſolo Deo, vt efficiente phyſico, dari ob finem gloriæ ſuæ, & noſtræ ſalutis. Igitur de omnibus ſimul effectibus Prædeſtinationis eſt quæſtio. An ſit ex meritis. Et quia omnes à primo, qui eſt Vocatio, pendent; ideò de hoc erit quæſtio: Quod ſi huius non detur cauſa, neque dabitur ſequentium donationom gratiæ.

186 TRIPLEX autem meritum D. Bonauentura *hic* partitur. Condignum, Dignum, & Congruum. Condignum eſt æquale præmio. Dignum dicit ex parte æqualitatem; vt cùm iuſtus orat pro iniquo; vbi adeſt dignitas in orante; ſed indignitas in eo, pro quo orat. Congruum dicit ſolam decentiam. Eâdem diuiſione vtitur etiam Alenſis; tametſi alij meritum digni ad alterutrum membrum reducant, quod & facit S. Bonauentura *d. 27. artic. ſecundo, quæſtione ſecunda.* Igitur quærimus: An aliquis poſſit mereri primam gratiam ſibi. An verò aliquis illam mereri valeat alteri, diſputabitur *quæſtione 15.* Quæſtio autem hæc eſt de merito condigno, quod ſolùm propriè eſt meritum, vt docet D. Bonauentura *hic.*

187 PRIMÒ autem Manichæus, qui liberum arbitrium negabat, prædeſtinationem omnem, eiuſque effectus in ſydrum influxus, in fatum, hominiſque temperamentum proijciebat. Idem aſſeruere Priſcilianiſtæ damnati à Leone I. *epiſt. nona.* Hunc errorem euerteruot Sancti Patres. Auguſtin. *l. primo, ad Simpl. q.2.* Hieronym. *epiſt.8.* Proſper *l.1 de vocat.gent.c.14.* Gregor. *homil.10. in Euang.* Seraphicus *2.d.14 q. vlt.* præcipuè euentu illorum gemellorum Eſau, & Iacob, qui ſub eodem ſydere nati adeo varij fuêre, vt alter electus eſſet; alter reprobus, vt dicitur *Geneſ.25. Rom.9.* Idem experimur in aliis eodem puncto, eodem loco natis, qui adeò ſunt exitu diuerſi. Profectò non homines ſtellis; ſed hominibus ſtellæ ſubijciontur; de quibus etiam dicitur. *Sapiens dominabitur aſtris.* Hinc ſtella ad Chriſtum euolauit; non Chriſtus ad ſtellam. Ita teſtatur *Deuter.4.* Quod ſi omnia à Fato deſcenderent, fruſtrà exhortationes, conſilia, præcepta, nuſquam verò laudes virtutum; vituperationes ſcelerum, locum haberent. Sed de his *tract.de Anima,d.9.c.5.q.3.* & *in tract.de cœlis,d.2.q.17.*

SECVNDO loco, Origenes prædeſtinationem, & reprobationem adſcribebat operibus ante hanc vitam actis, quibus in corpora, vel ad vitam, vel ad mortem deſtinaremur. Id docet *l. primo, Periarch. capite 7. 8. & 9.* & *l. tertio, capite 10.* Vide Suarez, *l.2. capite quarto.* Hunc errorem damnauit ſexta Synodus generalis, *act.12.* & Concil. Later. ſub Leone X. *ſeſſ.8.* Eundem errorem Manichæis adſcribit S. Bonauentura *2. d.28. artic. ſecundo, quæſtione ſecunda*, & confutat eo præcipuè teſtimonio Rom.9. *Antequam quidquam boni, vel mali egiſſent; Iacob dilexi, Eſau autem odio habui*, quo teſtimonio vtitur Suarez *loco citat.* & Vaſquez *capite ſecundo, d.91.* Neque valet Origenis reſponſio; *Priuſquam boni, vel mali aliquid egiſſent in corpore mortali*; nam Paulus abſolutè loquitur, quia ſuppponit ante natiuitatem nulla eſſe merita; ideò ſubdit. *Non ex operibus; ſed ex vocante.* 188

DEINDE, ſi in carcerem coniectj eſſent mali, tanquam in ergaſtulum, libenti animo naturaliter egrederentur; & tamen oppoſitum experimur. Adde, quod animæ illæ deſcenderent violenter in corpora; non autem naturaliter vnirentur. Tandem ſi animæ ante natiuitatem vixiſſent alibi, aut ſolæ, aut cum alio corpore; de quo videtur anceps Origenes; profectò multa ab infantia ſciremus, cùm tamen enaſcamur tanquam tabula raſa.

TERTIVS error ad rem noſtram præcipuus fuit Pelagij, & Cæleſtij, qui prædeſtinationem meritis nudi arbitrij attribuebant. Paruulos verò ad vitam æternam prædeſtinatos dicebant per Baptiſmum, quo tamen negabant, ablui ab Originali. Hi errores damnati ſunt in Conciliis Mileuitano, & Arauſicano, infrà allegandis; & eos refellit S.Auguſtin. *l.1. de peccat. merit. & remiſſ. capite 18. & 20.* vbi etiam refert eoſdem hæreticos dicentes, paruulos ſine Baptiſmo vita æterna fruituros; non quidem ſupernaturali, ſed inferiori, & hoc innuit etiam *ep.106.* 189

HIC error, quoad adultos, damnatur in Concilio Mileuit. *can 3.4.& 5.* & *ep 90.* Auguſtini, quæ eſt Concilij Carthaginenſis ad Innocentium, & in Africano circa tempora Bonifacij I. Quoad paruulos verò, damnatur in Concilio Mileuit. *can.1.* & Arauſicano *2. can.2.* quod fateor ſanè potiùs contra reliquias Pelagianorum congregatum.

ALIVM errorem Pelagio nonnulli adſcribunt nimirum paruulis, qui decedunt, conceſſum, vel negatum eſſe baptiſmum; ac proinde ſalutem vel damnationem ob bona, vel mala opera, quæ erant patraturi, ſi vixiſſent. Hic error refertur, atque refellitur à D.Auguſt. *epiſt.105. & 106.* & *l.1. de prædeſt. Sanct. cap.12. & 13.* & *l.2. de bono perſeuer. cap.9. & 10.* Proſpero, & Hilario in epiſtolis, quæ ſunt in operibus D. Auguſt. ante librum de *prædeſtin. Sanctorum* Hunc tamen errorem adſcribunt Semipelagianis. Re- 190

ſellitur verò à ſanctis adductis, præcipuè ex 14. Rom. 2. Cor. 5. *Omnes ſtabimus ante tribunal Chriſti, vt referat vnuſquiſque, prout geſſit.* Non ait; prout geſturus erat. Sap. 4. *Raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum eius.* Hinc infert S. Auguſt. hunc errorem Deo tyrannidem inurere, quaſi puniat pro culpis non patratis.

191 Remanent errores Maſſilienſium, quos accuratiùs referam, tum quia malè à quibuſdam referuntur: Tum etiam, quia multi Sancti Patres cum eis immeritò involuuntur à quibuſdam Modernis. Fuerunt aliqui Maſſilienſes, quorum Dux fuit Caſſianus Scriptor Collationum, inter veteres Patres, vt conſtat ex litteris Proſperi, & Hilarij ad Auguſtinum, vbi appellantur *Pelagianorum reliquia*, contra quos, Proſper Aquitanus huius diſcipulus librum contexuit, & Cæleſtinus I. decreta edidit. Horum ſententiam ſecuti ſunt nonnulli Catholici Epiſcopi in Gallia, quorum obiectiones Proſper confutauit *l. ad capitula Gallorum, & ad obiectiones Vincentianas.* Hi omnes viri quippè Religioſi contra Pelagium, & Cæleſtium aſſerebant neceſſitatem gratiæ Chriſti non ſolùm externæ prædicationis, quam fatebatur etiam Pelagius neceſſariam; ſed etiam internæ inſpirationis, quam Pelagius impugnabat. Addebant tamen, in nobis eſſe initium ſalutis ex proprio noſtro labore, ſine vlla gratia mouente interiùs, quibus incipientibus, & facientibus quod in ſe eſt (aiebant) Deus dat gratiam; ſic referunt à Proſpero, contra collatorem, ex *collat.* 13. Ideò inter eos hæc vertebantur proloquia. *Labori humano ſubiungitur gratia: Conatus noſtri irriti ſunt, niſi gratiâ adiuuentur. Inuitat Deus volentem; attrahit deſiderantem, erigit adnitentem.* Hæc dicta damnantur in Concilio Arauſicano *can.* 6. vbi improbantur dicentes, ſine gratia credentibus, volentibus, deſiderantibus, conantibus, laborantibus, ſtudentibus, pulſantibus, petentibus dari miſericordiam Dei; vel qui humilitari, aut obedientiæ humanæ ſubiungit Dei adiutorium. Hæc enim verba ferè vſurpat Caſſianus *l.* 12. *de Inſtitut. Cænob. cap.* 14. Fauſtus Epiſcopus Rheg. *l.* 1. *&* 2. *de gratia, & lib. arb.* multis locis, quæ refert, & damnat Hormiſda Pontifex Maximus. Conſequenter verò ponebant in viribus noſtris initium totius prædeſtinationis; ac proinde cauſam meritoriam omnium effectuum illius. Hoc autem meritum videntur aſſeruiſſe pluſquam cõgruum, & ſaltem quoad promiſſionem, condignum; & quoad formale meriti, ſupra condignum.

Hanc doctrinam hauſtam eſſe è Græcis Patribus præſertim è S. Ioanne Chryſoſt. (quem Magiſtrum habuit Dei beneficio Caſſianus, licèt eius doctrinâ abuſus ſit.) Aſſerunt auctores vitæ S. Proſperi, & ſimulati inuentores epiſtolæ, quæ nuper è latebris erumpens affixa eſt vitæ S. Proſperi (vt eius legitima) in editione nuperrimâ Louanij.

192 Et ipſi Maſſilienſes multa loca Chryſoſtomi afferebant contra S. Auguſt. vt referunt Proſper, & Hilarius, epiſtolis allegatis. Hunc S. Doctorem cum multis aliis Græcis, & Latinis infarciunt, cum Maſſilienſibus, nonnulli Moderni, è quibus Vaſquez *d.* 89. *cap.* 4. *&* 91. *cap.* 8. De hoc mecum iure conqueruntur Fauentinus *d.* 58. *num.* 126. Suarez *l.* 2. *de prædeſt. cap.* 8. Tannerus *d.* 3. *quæſt.* 4. *dub.* 3.

Notat autem Vaſquez *d.* 89. *cap.* 5. primò, quod Semipelagiani admittebant, Deum nonnunquam ſua gratia præuenire noſtros actus, vt habetur in Caſſiano *collat.* 13. *c.* 12. *&* 15. vbi ait. Zacchæum primum pulſaſſe, & ſua ſollicitudine præueniſſe: at verò Paulum, & Matthæum à Deo præuentos. Hanc doctrinam impugnat S. Proſper *l. cont. Collatorem, cap.* 13.

Secundò aduertit, nullum illorum dixiſſe, noſtram præparationem condignè gratiam mereri; ſic enim quis non videt, eam non futuram gratiam. Hoc fatetur ingenuè Caſſianus *l.* 12. *de Inſtitut. Cænob. c.* 11. *&* 13. & *collat.* 13. alioqui fuiſſent Pelagiani. Nam præcipuus inter Pelagij errores hic erat, dari gratiam meritis condignè; at Maſſilienſes quoad principales errores Pelagij erant immunes. Video tamen ſanctos Auguſtin. Proſperum, & Fulgentium induxiſſe in has ſequelas, gratiam non fore gratiam; quia iam redderetur debita noſtro labori; quam ſequelam negat Caſſianus *collat.* 13. *cap.* 13. ſed non miror. Nam multa implicantia aſſeruit Collator, vt oſtendit S. Proſper *cap.* 33. contra illum. 193

Neque deſtruitur gratia à merito *congrui*, vt Vaſquez fatetur, & docet D. Bonauentura *hic.* Quare arbitror, eos aliquando meritum *digni* aſſeruiſſe ad gratiam.

Neque verò aliqui, putet, me hæc adijcere, vt Seraphicum è Semipelagianis ſubtraham; quippè qui meritum aliquod ad iuſtificationem admittat congruum, nam ipſe illud admittit ex auxilio gratiæ, quæ eſt doctrina S. Auguſtin. *ep.* 105. vbi ad probandum contra Pelagium, dandam eſſe aliquam gratiam ſine meritis, aſſumit, hanc non poſſe eſſe gratiam remiſſionis peccatorum, & rationem aſſignat his verbis. *Neque remiſſio peccatorum ſine aliquo merito eſt ſi fides hanc impetrat: neque enim nullum eſt meritum fidei, qua fide ille dicebat; Deus propitius eſto mihi peccatori.* Concedit ergo S. Auguſtin. aliquod meritum congruum auxilio Dei in peccatore ad gratiam. Idem docuit S. Bonauentura 1. *d.* 41. *q.* 1. *& in* 4. *d.* 15. *p. p. art.* 1. *q.* 3. Et nos oſtendemus t. 2. *tract.* 5. qui de Gratia, *diſp.* 4. *q.* 9. 194

Cæterum, noſter Seraphicus contra Semipelagianos pugnat 2. *d.* 28. *art.* 2. *quæſt.* 1. & alibi, exponens illud: *Facienti quod in ſe eſt, auxilio Dei, non denegatur gratia*; in hoc enim perpetuò ſiſtit, nullum abſque Dei auxilio per Chriſtum poſſe facere quod in ſe eſt, vt aduertit Suarez, contra quem rurſus obſeruo, fruſtrà congeri loca D. Auguſtini ad inferendam gloriam deſtinatam abſque meritis. Nam D. Aug. de hoc non habuit controuerſiam cum Pelagio, vel aſſeclis; ſed de meritis nudi arbitrij. 195

196 Iam verò Sanctos Patres à Pelagianiſmo inſontes probare aggredior contra Vaſquez, qui mihi identidem occurrit, medicæ in ſanctos Patres obſeruantiæ. Primò quidem Vincentium Lirinenſem non eſſe Semipelagianum, neque eum, quem S. Proſper impugnat *lib. ad obiec. Vincentianas*, oſtendo primò: Quia in libello ſuo *de hæreſibus, cap.* 34. ſententiam Catholicam indicat: & clariùs *cit. vlt.* refert, epiſtolam Cæleſtini, contra errores Maſſilienſium; eamque profitetur veram, & ſanctam. Quid clariùs? Hunc à Semipelagianorum cataſta alienum libenter oſtendo, quia inter viros illuſtres cenſendus numeratur à Gennadio *de viris illuſtribus, cap.* 64. Vincentius autem ille, contra quem ſcribit S. Proſper, eſt diuerſus; de quo Gennadius, *cap.* 80.

Quo ad Patres verò antiquiores Auguſtino, incredibile eſt, eos tam malè ſenſiſſe, cùm præclara Pauli teſtimonia contra Semipelagianiſmum perlegiſſent, vt notat Suarez *l.* 2. *de prædeſt. cap.* 8. vbi pietate motus Sanctos Patres perbenignè interpretatur, cum Tannero *d.* 3. *q.* 4. *dub.* 3. 197

Primò quidem Cæleſtinus Papa *ad Gallos*, confirmans doctrinam S. Auguſtin. reprehendit contradictiones Maſſilienſium, vt nouitates contrarias doctrinæ Patrum. 198

Deinde Concilium Arauſicanum, quod inuoluit

auctoritatem

auctoritatem S.Leonis Papæ in principio, & fine Canonum,ait, doctrinam illam S. Auguſtini acceptam à Patribus. Idem habet Vincennus Lirinenſis *l. contra prophanas nouitates, c.vltimo.*

199 Tertio. Epiſcopi Orientales in Concilio Paleſtino, vnanimi conſenſu, vt refert S.Auguſt. *ep.*106. damnarunt Semipelagianorum doctrinam, antequam eſſet exorta; & tamen ibi aderant multi Epiſcopi Græci,qui ſuorum Patrum doctrinam non condemnaſſent, vt experimento viſum eſt,etiam in illa controuerſia de emanatione Spiritus Sancti à filio. Hoc maximè conuincit de S.Chryſoſtomo,qui eo tempore viuebat; & forſan aderat Concilio, vt multi aſſerunt, vel ſaltem miraculis corruſcans, in omnium ſumma erat exiſtimatione,defunctus. Quare fruſtrà inſudat Vaſquez,vt probet, Chryſoſtomum non affuiſſe Concilio. Quia & abſens reclamaſſet, cùm eſſet inter Orientales Patriarcha præclariſſimus. Eique multi Epiſcopi adhæſiſſent.

200 Qvartò S.Auguſtinus *eadem epiſt.* ad calcem ait, Eccleſiam Catholicam ſemper hanc doctrinam tenuiſſe: & l. *de prædeſtinat. ſanctorum, cap.*14. reſpondens ad hanc obiectionem è Patribus, ait. *Quid opus eſt, vt eorum ſcrutemur Opuſcula, qui priuſquam hæc hæreſis oriretur,non habuerunt neceſſitatem in hac perdifficili quæſtione verſari, quod profectò facerent, ſi reſpondere talibus cogerentur. Vnde factum eſt, vt de gratiâ Dei quid ſentirent,breuiter, & tranſitoriè attingerent.* Quare falsò Vaſquez *num.*58. ait, S. Auguſtinum conqueri, Patres ſibi in hoc fuiſſe contrarios; qui aliis in locis benè interpretantur Patres antiquiores ſe; maximè S.Chryſoſtomum *l. de natura & gratiâ, capite* 64. *l.*1.*contra Iulianum,cap.*6. & 7.& *l.*2. *cap.*6. Quæ loca non adduco, quaſi ibi de Semipelagianis agat; ſed vt oſtendam, S. Auguſtinum allaturum fuiſſe contra ſe Patres, præcipuè Chryſoſtomum, etiam in hac controuerſia;ſi eos ſibi contrarios perſenſiſſet.

201 Mvlta autem Chryſoſtomi teſtimonia recenſebo, quibus oſtendam, illum à Semipelagianis remotiſſimum. *Homil.*28. *in Geneſ.* finem verſus,egregie declarat,quomodo per diuinam gratiam fides hominibus ſuadetur, & cum propoſuiſſet multa impedimenta, ſubdit. *Præterea gratia ſuſtulit hæc omnia.* Et homil. 58. ait de Cananæa. *Quandoquidem cùm ſupplicaret, ac diceret:* miſerere mei Domine, *neque reſponſo eam dignatur Miſericors.& Clementiſſimus Dominus; aliàs qui preces noſtras ſemper præueniens*: Vult dicere: Tametſi clementiſſimus Dominus eam ſuâ gratiâ præueniſſet; vt aſſolet omnes præuenire; tamen mirum in modum diſſimulans, non reſpondet, vt eam magis cogat orare. Prætereà homil. 12. in 1.Cor.ad ea verba cap.4. *Quid habes quod non accepiſti? Acceptum habes (ait) non hoc, aut illud; ſed omnia, quæ habes, non hæc rectè facta tua ſunt; ſed Diuina gratia; & ſi fidem dicis; ea extitit ex vocatione.* Quid clariùs? Multa alia ſimilia habet *homil.*8. in eandem epiſtolam ad ea ver-
202 ba. *Vnicuique ſicut diuiſit: dicens. Neque enim hoc ipſum, & ſi paruum ſit, à ſe; ſed à Dei benignitate acceperunt*, & vt oſtenderet, ſe loqui de gratiâ ſubdit. *Hoc ab exhibitore Deo acceperunt.* Et hoc totum eſſe oſtendit maximè ſecundùm gratiam Dei, ne ſcilicet diſſentiat *Et homil.*8.*ad Philip.*ad ea verba: *Deus operatur in nobis velle, & perficere*, ait: *Et propenſionem voluntatis ipſe nobis præbet,& operationem.* Et homil.4. in 2. cap ad Epheſ. in illa verba. *Gratiâ enim ſeruati eſtis per fidem, & hoc non ex nobis*, ait. *Ac ſi diceret; ne fides quidem ipſa ex nobis eſt. Si enim non veniſſet, ſi non vocaſſet, quinam in ipſum potuiſſemus credere?* Homil.36 ad popul. *Oportet humiliari in te,quod alios prætergreſſus in te Deus inclinauit.* Et homil.6. in 2. ad Cor. cap.3. in ea verba: *Non quod ſimus ſufficientes cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis; ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt*; ait: *Hoc eſt, non ità dicebam; fiduciam habemus, vt id partim ſit noſtrum; partim ſit Dei; ſed totum illi attribuo, acceptumque fero.* Sexcentis aliis ſimilibus, aureo illo ore pronunciatis, conſperſa ſunt illius opera.

Respondet Vaſquez à *num.*56. etiam alios ſemipelagianos confiteri merita omnia, etiam fidem eſſe à Deo. Sicuti fatetur Chryſoſtomus.

Verùm S. Patriarcha amplius intendit, & dicit, 203
etiam *ipſum velle*, & *ipſam inclinationem* eſſe à Dei gratiâ, quod Semipelagiani negabant.

Videamus nunc ea, quæ magnâ colluuie coacervat Vaſquez, vt Sanctiſſimum Antiſtitem in Semipelagianorum cloacam præcipitem agat.

Ante omnia aduerto, quod ſæpè monui, præcipuè *quæſt.*7. Sanctos Patres attentè obſeruandos, quibuſcum diſceptent. Nam, vt errores euellant, ſolent ad alterum propendere extremum, vt medium inueniant. Igitur Chryſoſtomus, & alij PP. ante ſerpentem Pelagianiſmum, eiuſque reliquias; contra Manichæos diſputarunt, qui negabant liberum arbitrium; ac proinde exceſſiuè locuti videntur, vt videantur aliquod initium ſalutis arbitrio ferre acceptum; vt obſeruat Maſtrius *d.*5. *quæſt.*2. *num.* 191. ex regula D. Bonau. 2. *d.*35. *art.*3.*quæſt.*1. *ad* 1. & Scoti, ibidem *quæſt. vnica.* Ita Scripturas intermiſcent, quæ videntur indicare, Deum expectare à nobis initium ſalutis 1. Reg. 5. *Præparate corda veſtra Domino.* Pſal.118. *Præueni in maturitate, & clamaui.* Iſaiæ 30. *Expectat Dominus, vt miſereatur veſtri.* Et his ſimilia, quæ affert Concilium Trident. *ſeſſ.*6. & admonet, nos his admoneri libertatis noſtræ, & excitari, vt benè vtendo vnâ gratiâ; aliam impetremus.

Sic *homil.*17. *in Ioan.* & 12. *Heb.* ait: *Deus no-* 204
ſtras non præuenit voluntates, ne noſtram temeret libertatem. Vult dicere, Deum non prædeterminare phyſicè. Et hoc idem aſſeruit Damaſcenus *l.*2. *de fide*, *cap.*29. & 30. & *l.*4 *cap.*25. dicens, Deum non præfinire, ſeu prædeſtinare hos actus; vt explicat D. Thomas.

Imo ipſe Chryſoſtomus teſtatur, ſe non excludere 205
præuentionem moralem. Vnde homil.5. in Pſalm.50. ait. *Prouocat nos Deus dicens; da & tu aliquid*, & homil.23. in Geneſim,circa finem, optimè de gratiâ præueniente aſſerit. Et homil. 44. in Ioan. dicens: *Generoſi cuiuſdam animi eſt, inſpirationes Diuinas non abijcere.* Rurſus ibi habet hæc verba: *Per quem vocati eſtis.*1.*Cor.*7. Et *Beatus es Simon Bariona, quia caro, & ſanguis non reuelauit tibi*; quod ſignificat, non paruam rem eſſe fidem; ſed ſuperno indigêre auxilio, quod per totum Euangelium generoſæ cuiuſdam animæ, & inſpirationis diuinæ, eſſe contendit. *Homil.* quoque 17. *in Ioan.* tuetur, fidem Petri, & Andreæ ex vocatione Chriſti eſſe ortam, cùm ait: *Venite poſt me, &c.* Hinc ſubdit, Deum ſuis beneficiis non præuenire noſtras voluntates; ſed porrigere inſpirationes quidem ad beneficia. Vult dicere, Deum non præuenire phyſicè, ſed tantùm inſpirare. Et cum nos moralibus motionibus reſpondemus, tunc phyſicè coadiuuare ad iuſtificationem. Itaque non negat inſpirationes, quæ ſunt gratia antecedens. Vbi aduerte, Chryſoſtomum aſſerere, gratiam iuſtificationis inter cæteras propriiſſimè dici gratiam, cuius rationem reddit; Quia hæc eſt ſanctificans, & ita cùm dicit ibi, Deum expectare noſtrum conſenſum ad gratiam; loquitur de conſenſu ad ſanctificationem formalem; & ideò ſubdit. *Cùm nos promptos ad gratiam adoptionis vides ſuſcipiendam, porrigere multas occaſiones merito-*

rum ad ſalutem conſequendam. Itaque nibil cum Maſſilienſibus de gratiá præueniente negat.

206 *Homilia verò* 12. *ad Heb.* eodem tenore loquitur de diſpoſitione ad gratiam ſanctificantem, & ad meritum. Sic enim ait. *Omnia quidem Dei ſunt; ſed non ita, vt liberum arbitrium lædatur. Si igitur Dei ſunt omnia, quid ergò nos culpamur? Propterea dixi, vt liberum arbitrium noſtrum non lædatur. In noſtro igitur arbitrio eſt, & in Deo. Oportet quippè nos primò eligere, quæ bona ſunt; & tunc ipſe, quæ ſua ſunt introducit*, ideſt gratiam ſanctificantem; *nam introducere ſua, eſt permanentes inducere habitus. Non antecedit noſtras voluntates, ne lædatur liberum arbitrium; ſed ſolùm offert; cùm autem nos elegerimus, nobis affert auxiliationem, ideſt ad meritum gloriæ.* Hoc autem rectè colligitur ex verbis S. Patriarchæ, dum ait. *Paulum adſcribere Deo totum dicendo: Non volentis, &c. Si enim deſuper non adueniat adiumentum, omnia in vano erunt. Veruntamen quicquid adeptus fueris eorum, ad quæ feſtinas, manifeſtum eſt, quia currendo, & volendo adipiſceris. Neque enim Deus totum ſuum eſſe voluit, ne videatur coronare nos ſine cauſa.* Loquitur ergo *hic* de iuſto, in ordine ad meritum, credens, etiam gratiam habitualem habere virtutem auxilij, in ordine ad coronam gloriæ; & alia auxilia habere.

207 TIMENS igitur libertatis læſionem, phyſicam iemouet præmotionem, & ſolam vocationem moralem præmittit in peccatore, quæ ſecundùm ipſum è conſenſu arbitrij, fit efficax ad obtinendam iuſtificationem; vnde, licèt ſimul cooperetur; tamen ad efficaciter operandum phyſicè expectat arbitrium, prima motione excitatum; & tunc Deus infundit ſua, nempè habitus; & dat merita ad coronam. Maximè verò eum locutum de iuſtis colligo è D. Aug. *l.*1. *contra Iulianum*, vbi ait, *Loqui Ioannem fidelibus, vt eos ad bonum promoueat.*

INSTAT Vaſquez non poſſe Chryſoſtomum trahi ab bonum ſenſum. Quia aſſerit generaliter, nos incipere negotium ſalutis, & ſequi Dei beneficia.

208 RESPONDETVR, falſiſſimum eſſe; vt ſuprà oſtendi; & licèt non diſtingueret; tamen ex eius diſcurſu luce clariùs elicitur, admittere gratiam moraliter præuenientem. Deinde, ſi fidelibus loquebatur ad eos promouendos ad vitam æternam, quæ eſt maximum beneficium, vt ſuprà cum D. Auguſt. explicitum eſt; cur pro ſubiecta materia non benè dixit, Deum expectare noſtras operationes? Certè & ipſe Vaſquez gloriam ex meritis agnoſcit. Quantùm enim ad vocationem peccatorum, eos præueniri à Deo aſſerit *homil.*2. *in Pſal.*50. *homil.*9. *in Geneſ. homil.*19. *in Acta, &* 4. *in epiſtolam ad Epheſ.*

209 OBIICIVNT ſecundò, S. Chryſoſtomum plus adſcribere, quàm deceat, naturæ, & operibus eius. Nam homil.42. in Geneſ. dicit. *Abraham non per fidem à parentibus acceptam; ſed per ſcientiam à natura acceptam adeò profecit.* Et homil.3. in 1. ad Cor. ait: *Aliquos philoſophos per lumen rationis non ſolùm præcepta ſeruaſſe; ſed etiam ſuperaſſe.*

RESPONDETVR, attentè legenti patête intentum S. Patris. Vult enim ſuos ad feruorem promouêre, & verecundiam ingerere exemplo Abrahæ, qui ante legem gratiæ, & ſcriptam, inter Paganas turbas tam fideliter ſecutus ſit Deum, lege ductus naturæ, Deo tamen mouente; cùm nos è contra, aurea ſub lege Euangelij, & gratiæ tam vecordes in Deo colendo inueniamur. Quòd autem diuinæ vocationi totum adſcribat, liquidò conſtat ab *homilia* 31. vbi de vocatione Abrahæ agens præmittit illud Apoſtoli. *Gratiâ Dei ſum id, quod ſum* (& ait) *ego quidem tantâ ferebar inſaniâ; ineffabilis autem bonitas eius remiſſionem dedit.*] En fatetor abſque diſpoſitione præuentum. Hoc igitur Abrahæ applicans deſcendit ad eius conuerſionem percurrendam. Mox deſcendit ad beneficium iuſtificationis, & ad merita, vocationem conſequentia.

OBIICIVNT tertiò, eum dixiſſe homil.31. in Matth. *Deum vocare peccatores, quando videt reſponſuros, ſic ait vocaſſe Matthæum, & Paulum.*

RESPONDETVR S. Patrem ſolùm aſſerere Dei prouidentiam in opportuna occaſione cognita per ſcientiam conditionalem. Similia habet *l.*1. *de compunctione cordis*, & *homil. de conuer. Pauli.* Magna profectò gratia eſt, vt vocet opportunè; vt aduertit etiam Bellarminus *l.*2. *de Gratia, & lib. arb. cap.*14. Quod igitur vocauerit Matthæum, famâ miraculorum perdomitum, nonne Deo attribuitur? Eadem obiiciunt *homil.*96. *in Matth.* Sed homiliæ Chryſoſtomi non ſunt plures quàm 89. 210

OBIICIVNT *ex homilia* 17. *&* 42. *in Geneſ.* vbi ait, Deum exigere à peccatore pœnitentiam, quæ per ſe non ſufficit ad tollendum peccatum, ſtatim verò accedente Dei gratiâ, remitti peccata: Ergo prærequirit pœnitentiam è nudo arbitrio; nam ea, quæ eſt à gratiâ, eſt ſufficiens tantùm, vt remittantur peccata.

RESPONDETVR, exigere pœnitentiam è Diuino auxilio, qualis fuit pœnitentia Dauid, & Latronis, quos affert in exemplum; at non ſufficere ad formaliter pellendam culpam; ſed requiri gratiam ſanctificantem, quæ eſt forma ſanctificans. Idem habet Caſſianus *collat.*20. *cap.*8. qui in hoc non errat. Habet autem S. Pater initio homil. illius ſeptimæ hæc verba: *Cæterùm, vt vidit, vtroſque peccando tranſgreſſos* (ideſt Adamum, & Euam) *neque tunc tamen à miſericordia ſua ceſſat; ſed ſemper ſui ſimilis, quaſi clementiſſimus Pater Filium indignum, non illius conſilij inopem, & auxilio deſtitutum, ſinit; ſed iterum ſuum agit officium, à leuitate liberatum, ſanitati reſtituens.* Et pergit deſcribere quomodo eos gratia præuenerit; quod ponderat maximè in illa Dei vocatione. *Adam vbi es?* Et notat quod Adamum prouocat, vt miſericordiam poſtulet; imò perfidè ſe excuſantem non deſerit; ſed clamat, & vocat, vt conuertatur, vt ei gratiam ſanctificantem reſtituat. Neſcio, an D. Auguſt. magis heroicè de gratiâ eloquatur. 211

Addam, hunc Sapientiſſimum Doctorem contexuiſſe aliam homiliam de Adam, & Eua, in qua doctrinam de Gratiâ egregiè tradit, eamquè tranſcribit Cæleſtinus *epiſt. ad Gallos*, vt eorum reprobet Semipelagianiſmum; & quamuis aliqui dubitent: An ſit Chryſoſtomi, tamen ſi cum hac conferatur, quæ procul dubio eius partus agnoſcitur, videbitur germana. Quid ergo aureum os auguſtiſſimi Doctoris calumniatur, quaſi Maſſilienſium fæces euomat? 212

INSTAT Vaſquez *num.*56. Si Chryſoſtomus catholicè ſenſiſſet, idem tenuiſſet Caſſianus, eius dicipulus. Dicat mihi Vaſquez vbinam Caſſianus muſſitet, ſe id hauſiſſe à Chryſoſtomo, cuius authoritatem in medium attuliſſet, ſi eam ab illo ebibiſſet. Deinde dicat mihi Vaſquez, num ipſe opiniones omnes ſuorum Magiſtrorum ſequatur, qui omnium ſententias inſectari non deſinit? Addo, Hæreſiarchas habuiſſe Magiſtros Catholicos, & à fide defeciſſe. Pelagius enim Monachos in Anglia, Arrius Præſbiteros Alexandriæ, fideles habuêre præceptores; alioqui non ipſi; ſed præceptores fuiſſent hæreſiarchæ. Addam, lacrymis obuolutum, epiphonema. Tot ne ſudores ad Eccleſiæ Doctores calumniandos? 213

Cum Maſſilienſibus Vaſquez inuoluit Marcum celebrem Orientalem Heremitam *l. de Paradiſo*, cuius 214

opera

opera habentur *Tom. 2. Bibliot. Patrum.* Hunc & Chryſoſtomum Semipelagianis deteriores clamat, dum Semipelagiani fatebantur, Deum aliquando præuenire; at iſti omninò negant, ne lædatur arbitrium. De Chryſoſtomo iam ſatis. Addo *homil. 17. in Geneſ.* vbi docet, Deum feciſſe cum Adam id, quod ſemper facit; eum autem præueniſſe dixerat. Venio ad Marcum. Is initio allegati libri de Paradiſo, & Lege ſpirituali, doctrinam de gratia egregiè tradit dicens: *Primum omnium certò ſcimus, Deum totius boni eſſe auctorem*, quod rectè proſequitur per octo prima capita, & cap. 40. ait: *Omnis virtutis initium eſt Deus*, cap. verò 53. hoc memorabile dictum profert. *Omne bonum opus, quod per noſtram naturam operamur tantùm equidem facit, vt à contrario malo, aut vitio abſti-*
215 *neamus. Cæterum extra gratiam Sanctificationis acceſſionem nobis facere non poteſt.* E libro autem de Paradiſo adducto habentur hæc verba: *Quod per gratiam donatur, non iam meriti debemus pro modo, & merito antecedentis infirmitatis, ſiquidem gratia, iam non eſſet gratia.* Loco igitur adducto à Vaſquez id ſolùm vult, quod vult D. Auguſt. poſſe habere fidem, naturæ eſſe; eam autem habere, eſſe opus gratiæ; voluntatem que ipſam, eſſe adiutorium gratiæ, non eo ſenſu, quo dicebat Pelagius gratiæ creationis dans nomen gratiæ, vt probat Vaſquez, ſed quia ſine voluntate, gratia non operatur efficaciter opera ſalutis; & voluntas habet naturalem inclinationem ad bonum honeſtum, & ad cooperandum gratiæ; quod verò non loquatur pelagianicè patet. Nam de voluntate actuali ſic loquitur: *Si ad ſalutem perficitur, non poſſe inchoari, aut perfici niſi per gratiam.* Loquendo verò de potentia voluntatis, ibi loquitur, dum ait; eſſe inſtrumentum diuinæ gratiæ.

216 PRÆTEREA in hunc errorem Marci inclinare (ait) Clementem Alex. *l. 7. Strom.* Cyrillum *l. 3. contra Iulianum, & Damaſcenum l. de duabus Chriſti voluntatibus*, & in hiſtoria Barlaam *cap. 15.* vbi concedere videntur initia aliqua præcedere in tempore, vt gratiæ auxilia conferantur. Ergo ità ſentiunt; & de æterna prædeſtinatione, Deum illarum habuiſſe rationem, vt gratiam nobis prædeſtinaret. Ideò enim Cyrillus *l. 3. in Ioan. ait*, Deum vocare eos, qui digni ſunt.

RESPONDETVR, hos Patres ſolummodò velle, initia aliqua ſalutis, non ex arbitrio nudo, præcedere, ſed ſimul cum gratia ad iuſtificationem; de qua ipſi loquuntur; non de vocatione.

Quoad Cyrillum loquitur de vocatione ad Apoſtolatum, & alia Eccleſiaſtica munera: Catholicè verò de præuentione gratiæ loquitur *l. 1. in Ioan. cap. 20.* & *l. 10. cap. 25.* & *l. 5. in Iſaiam, cap. 25.* Idem habet Damaſcenus *l. 2. de fide, cap. 30.* vbi vocat Deum omnis boni principium, & addit: *Deum incipere: in nobis autem eſſe, ſequi Deum vocantem.*

217 Cùm Maſſilienſibus commiſcet Vaſquez etiam Nazianzenum *orat. 31.* quæ eſt in *cap. 19. Matth.* ibi enim explicans illud: *Non omnes capiunt verbum iſtud, ſed quibus datum eſt*, ait: *Quibus datum eſt, adde, volentibus datum eſt, atque iis, qui ea animi propenſione*, &c. Vrget Vaſquez hæc verba, tanquam Caſſiani *l. 12. Inſtit. Canob. cap. 14.* recitari, & damnari In Concilio Arauſicano 2. *can. 6.*

VERVM (vt ipſe Vaſquez fatetur) ibi explicat, *illud velle*, non eſſe ex nobis, & ideo dictum Rom. 9. *Non eſt volentis, neque currentis, ſed Dei miſerentis.* Præterea habitudinem illam naturalem comparat Silici, quæ ignem non emittit, niſi excitetur chalybe: ſic etiam voluntatem egere gratia excitante. Simili modo S. Proſper voluntatem, vt torrem extinctum dicit, & excitari gratiâ. In quo inuenio magno myſterio afferri duriſſimam Silicem, è cuius ſinu aqua, cæleſti virgâ percutiente, miraculo erupit. Sic enim conuertit diuina manus, percutiens *Petram in ſtagna aquarum & rupem in fontes.* Igitur illis verbis ſolùm intendit, gratiam non diſponere adultum, ſine libera eius cooperatione, & hanc liberam cooperationem, quæ inchoat in homine primam moralem diſpoſitionem boni, vocat initium, ex parte hominis, ad modum, quo Concilium Arauſic. *can. 5.* vocat voluntatem credendi, *fidei initium*, vel ſalutis; tamen ante ſuppoſuit diuinam excitationem, vt dixi.

Quinimò S. Auguſt. *l. de bono Perſeuer. cap. 19.* 218
contra Semipelagianos adducit Nazianzenum *orat. 44. de Paſchate.*

PRÆTER hos numerat Vaſquez cum Semipelagianis Hilarium *in Pſal. 118.* ad ea verba: *Inclina cor meum*, vbi ait: *Eſt ergo in nobis, cum oramus, exordium, vt munus ab eo ſit: Deinde, quia de exordio noſtro munus eſt eius, ex noſtro rurſum eſt, vt exquiratur, & obtineatur, & maneat.* Addit Vaſquez, illum poſſe explicari ad bonum.

CÆTERVM non loquitur de homine, ſolis naturæ viribus, operante, vel orante; ſed etiam gratiâ aliquâ præuento; nam ad ea verba eiuſdem Pſalmi. *Et ne auferas de ore meo &c.* (ait.) *Omnia vult à bonitate ſua inchoari.*

EXTORTA eſt autem explicatio Vaſquez, dici à D. Hilario exordium orationis ex nobis, quatenus oratione Dei dona conſequimur; & ità nos exordimur impetrando; nam è Concilio Arauſicano initium orationis non ſumitur ab impetratione; ſed à virtute orationis ad impetrandum, quæ eſt à Deo. Quòd ſi hic Hilarius eſt ſcriptor epiſtolæ, laudatæ à Cæleſtino, contra Semipelagianos, mirandum, alicui, poſſe hunc Heroëm eſſe ſuſpectum.

SVSPICARI videtur Vaſquez etiam de D. Ambroſio *l. 2. de Abraham, cap. 10.* vbi ait: *Talem te ergo prabe bonorum ſtudiis, & promptum fide, vt Deus tui miſereatur, & vocet te; ſicut Eccleſiam vocauit. Palam factus ſum quærentibus me.*

RESPONDETVR, velle Ambroſium, nos incipere, non ad primam gratiam; ſed ad vberiorem, iam à gratia præuentos, nos diſponere poſſe. Locus autem ille *Iſa. 65.* eſt negatiuè proferendus. *Inuentus ſum à non quærentibus me.* Sic adducitur *Rom. 10.* Ex quo loco Concil. Arauſ. 2. *can. 3.* damnat Maſſilienſes, qui dicebant inuocatione humanâ propriis viribus gratiam Dei obtineri. Eodem modo explicandus Ambroſius *in Pſal.* 118. Addit Vaſquez alium Ambroſij locum in cap. 8. epiſt. ad Rom. & in cap. 9. *Miſereor, cui miſerebor*, vbi ait; gratiam præuenientem dari dignis. Et in hoc loco (ſi Ambroſij eſt) ait Vaſquez S. Doctorem Semipelagianis fauere. 219

MIROR, quomodo afferat cum Maſſilienſibus S. Ambroſium, quem S. Auguſt. *l. de bono Perſeu. cap. 19. & 23.* adducit contra eos. Deinde hunc locum explicat *l. 1. de Abraham, cap. 7.* vt notat Suar. cap. 8. num. 13. *Non eſt volentis, &c. Ne te ipſum iuſtificares; ſed omnia Deo tribueres, qui te vocauit.* Eum explicat S. Bonau. *d. 41. quæſt. 2. fund. 2. relato in corpore*, quod afferat prædeſtinationis motiuum, non meritum. 220

Addit Vaſquez, poſſe referri pro Semipelagianis etiam S. Hieronymum *Dial. 3.* contra Pelagianos, vbi ait. *Noſtrum ſit rogare, eius tribuere; noſtrum incipere, illius perficere.*

VERVM S. D. negat, principium boni eſſe ſine gratia, vt latè probat *l. 1.* contra Pelagianos; neque tamen omnia opuſcula moralia à gratiâ agnoſcit, vt 221
putat

putat Vaſquez & dicam 1.2. *tract.*5. *d.*1. *quæſt.*10.

TANDEM ait, poſſe afferri Optatum Mileuit. *l.*2. *contra Parmen.* vbi ait: *Noſtrum eſt velle, noſtrum eſt currere: Dei autem perficere.*

VARVM ſolùm dicit, noſtrum *velle* eſſe ex Dei gratiâ ſuppoſitâ ad meritum: *Dei autem perficere* in alia vita, dando perfectam ſanctitatem.

222 CVM Maſſilienſibus admiſcet Vaſquez *cap.* 10. etiam eos ſcholaſticos, qui diſpoſitionem aliquam ad iuſtificationem ex nudo arbitrio aſtruunt. Similiter eos omnes, qui eam aſſeuerant propoſitionem. *Facienti quod in ſe eſt*, vtique viribus naturæ, *Deus non denegat gratiam.* Quos omnes referam, & exponam quæſt.ſequenti, vbi allegaorut pro quinta ſententia dicentium, dari motiuum totius prædeſtinationis è viribus nudi arbitrij; ſed immeritò. Vnde & illud. *Facienti quod in ſe eſt*; intelligunt, *Dei gratiâ.*

223 PORRO illam propoſitionem. *Facienti quod in ſe eſt*, &c. contra Maſſilienſium errorem egregiè expoſuerunt multi Theologi præcipuè D. Bonau. *in* 2. *d.*28. *art.*2. *quæſt.*1. *ad* 4. D.Th. 1.2. *quæſt.*109. *art.*6. *ad* 2. & *q.*112. *art.*2. *&* 3. & alij relati à Vaſquez *loc. cit. num.*63. Suarez *l.*2. *de prædeſt. cap.*9. vbi tamen grauiter aberrat io alia re. Obiicit enim ſibi pro Semipelagianis: *Deus vult homines ſaluos fieri* ex Apoſtolo. Hinc colligitur, Deum eſſe paratum ad dandam gratiam, non ponenti impedimentum, & benè vtenti ſuâ libertate: Ergo quilibet poteſt, nullâ gratiâ præuentus, ſe diſponere ad gratiam, ſi benè vtatur libero arbitrio.

224 RESPONDET, ſecundùm aliquos, ſine auxilio gratiæ non poſſe aliquid fieri, niſi peccatum ſit, & illc, qui nullâ gratiâ ſit præuentus, non poteſt ſe diſponere; quia quodcunque egerit, erit peccatum. Addit Suarez, hanc reſponſionem videri omnes ſupponere qui explicant illam propoſitionem: *Faciens, quod in ſe eſt, Deus non denegat gratiam*, intelligendam de homine præuento à gratiâ, & illâ benè vtente; nam ſi præuentus non ſit, potiùs impediet gratiam. Ita ait ſentire D.Bonau. *loc. cit.*

FALLITVR tamen toto cælo Suarez; nam, vt ait D. Bonau. *in* 1. *d.*46. *quæſt.*1. Deus antecedenter ex bona voluntate, quâ vult omnes ſaluos, dat omnibus auxilia ſufficientia, incipiendo à vocatione; quo fit, vt non expectet liberum arbitrium operari, quantùm in ſe eſt, nudis viribus naturæ, vt ſe ad gratiam diſponat; nec ſequitur, eum, qui non eſt præuentus, ponere obicem peccaó ex hoc capite; neque authores adducti à Suar. vnquam in viſione noctis hæc cogitarunt: ſed ſequitur ſolùm priuatio diſpoſitionis, id eſt, non ſe diſponere, quod apertè docet D Bonau.
225 *in* 2. *d.*28. *loc. cit.* Imò addit Seraphicus, deſtitutum gratiâ, poſſe facere opus moraliter bonum, quod non ſolùm non ſit peccatum, ſed opus ſtudioſum, quod, qua ratione ſit Diuinæ gratiæ impedimentum, non video.

IAM verò contra Semipelagianos ſunt primo loco Scripturæ aſſerentes, initium ſalutis, & omnem operationem ad ſalutem ducentem, eſſe à Deo.

Probatur à D.Bonau. ad 15. Ioan. ex illo: *Sine me nihil poteſtis facere.* Et ex illo 2. Cor.3. *Non quod ſimus ſufficientes cogitare aliquid à nobis, quaſi à nobis; ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt.* Et illud 1. Cor.4. *Quid habes quod non accepiſti?* Philip.2. *Deus operatur in nobis velle, & perficere.*

226 AFFERT proinde illud. *Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos, vt eatis, & fructum afferatis, & fructus veſter maneat*, & expoſitionem D. Auguſt. tract.86. in Ioan. *Mali enim eramus; & electi ſumus, vt boni per gratiam eligentis eſſemus.*

Addit & illud Epheſ.1. *Elegit nos ante mundi conſtitutionem, vt eſſemus ſancti.* Ita etiam *ſerm.*2. *in Conuerſ. S. Pauli.*

DEINDE in Concilio Arauſ. confirmato à Leone P. damnati ſunt Semipelagiani *à can* 4. per multos ſequentes, vbi ſtatuitur, *neminem poſſe credere ſine Dei auxilio, vt oportet, vt ad iuſtificationem diſponatur.* Idem definitur in Concilio Trident. *ſeſſ.*6. *cap.*5.6. *&* 13. *& can.*3.

PRÆTEREA Cæleſtinus P. *epiſt. ad Epiſcopos Galliæ*, grauiter eos reprehendit, iubetque coërceri, & doctrinam S. Auguſt. oppoſitam, Zelumque Proſperi, & Hilarij laudat. Vide S. Auguſt. *tom.*10. *l. de prædeſt. Sanct.* & *l. de bono Perſeuer.* Proſperum in epiſt. quæ habetur ante librum S.Auguſt. *de prædeſt. Sanct.* & *l. de vocat. gent.* & *l. contra Collatorem.* Illius ſcripta à Gelaſio P. approbantur, vt habetur *in cap. Sancta Romana*, *d.* 15. D. Fulgentium *l.*1. *ad Monimum*, Gregorium *homil.* 9. *in Ezech.* Bernardum *l. de gratia, & lib. arb.* & alios impugnantes.

PRÆTEREA ſic arguit Valentia *d.*1. *quæſt.*3. *p* 4. 227
oſtendens tale initium non eſſe cauſam prædeſtinationis. Cauſa prædeſtinatioois ſemper inducit infallibiliter effectum ſalutis, ſed initium quodcunque ſalutis, V. g. fidei, &c. etiamſi vſque ad extremum halitum perſeueret, non ſemper coniungitur ſaluti. Nam multi etiam fideles damnantur: Ergo non eſt cauſa prædeſtinationis. Hæc breuiter contra Semipelagianos, qui tot ſæculis iacent proſtrati, quos tamen conati ſunt erigere nonnulli Lutherani confeſſioniſtæ, vt legitur *in lib. Concordia Lypſia*, edito anno 1580. *tit. de libero arb. pag.*628. qui tamen ab ipſis etiam cohæreticis deridentur, qui in altero extremo, effectos prædeſtinationis, ab omni noſtra operatione independentes aſſerunt, vt nullum libero arbitrio locum ad aliquid operandum aperiant; vt videre eſt apud Caluinum *l.*2. *Inſtit. cap.*3. & *l.*3. *cap.*20. *ſect. vlt.* & *cap.* 22. & *in confeſſ. Auguſt. eiuſque Apol. art.* 18. & *in l. concord. art.* 2. quos aptè refellam *tract.*9. qui de Anima, *d.*1. *quæſt.*3. *capitis quinti.*

OMITTO nunc ſententiam Ocham, & Gabrielis *d.*41. Oſorij *l.*9. *de iuſtitia*, Catharini, & aliorum, qui eùm ſolam glorificationem inter effectus prædeſtinationis agnoſcant, dixere, prædeſtinationem eſſe ex meritis condignis. De hoc enim egi *quæſt.*7. Ipſi autem non loquuntur ad normam Theologorum, qui omnes gratificationem inter effectus prædeſtinationis enumerant. Vide Smiſing. *d.*6. *quæſt.*4. *à n.*192. opiniones, maximè antiquorum, elucidantem.

ASSERO, non dari meritum condignum prædeſti- 228
nationis. Ita SS. DD. *hic.* Alenſis *p.*1. *quæſt.*28. *m.*3. *art.*3. & *quæſt.*30. *m.*3. Scotus 1. *d.*41. *quæſt. vn.* Richard. *ea diſt. art.*2. *quæſt.*1. Ægid. ibidem *quæſt.*2. *art.*1. & cæteri cum Magiſtro *d.*41. poſt D. Auguſt. *tom.*7. in multis operibus, maximè *de prædeſt. Sanctorum, & de bono Perſeuer.* & *de corrept. & gratia.* Proſperum *l.*1. *&* 2. *de vocat. gent.* & *ad capitula Gallorum*, & ad *obiectiones Vincent.* & *contra Collatorem*; & hoc omnes Catholici tenent.

PROBATVR primò à D. Bonau. *d.*41. *dub.*1. ratio- 229
ne D. Auguſt. *l.*1. *Retract. cap.* 23. Si prædeſtinatio eſſet ex meritis condignis; iam non eſſet gratia, ſed hoc dicere, eſt hæreticum, contra Apoſtolum; tota ferè epiſtola ad Rom. præcipue cap.9. *Vt ſecundum electionem propoſitum Dei maneret, non ex operibus; ſed ex vocante Deo.* Quo teſtimonio vtitur S. Auguſt. *l.*1. *ad Simpl. q.*2. & Epheſ.2. *Gratia enim ſaluati eſtis per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum eſt; non ex operibus, vt ne quis glorietur. Ipſius enim factura ſumus creati in Chriſto Ieſu in operibus bonis, quæ*

prępara

preparauit Deus , vt in illis ambulemus. Idem habetur
Y. *Tim.* ad *Titum , cap.*3. *&* 1. *Cor.*4.
230 Hanc maſſam authoritatum, quibus hæc ratio
formatur , quæ eſt vltima etiam *in quæſt.*1. *S. Bonau.*
adhibet Valentia ſic , idem dicendum de prædeſt.
æterna , & de primo effectu eius, qui eſt prima gra-
tia ; ſed gratia non eſt ex meritis ; alioqui non foret
gratia, vt infert Apoſtolus *Rom.*11. Ergo.
231 Probatvr ſecundò à Seraphico authoritatibus,
& rationibus *quæſt.*2. Exod. 33. *Miſerebor , cui mi-
ſerebor ; & miſericordiam præſtabo , cui miſerebor.* Hac
authoritate argumentatur Apuſtolus *Rom.*9. vt exclu-
dat meritum prædeſtinationis condignum ; & ideò
concludit: *Non eſt volentis , neque currentis ; ſed Dei
miſerentis* , & toto illo capite Apoſtolus in hoc in-
ſiſtit. De quo vide S. Auguſt. *epiſt.*105.
Probatvr tertiò , illo Matth. 11. *Confiteor tibi
Pater , quia abſcondiſti hæc à ſapientibus , & prudenti-
bus ; & reuelaſti ea paruulis. Ita Pater , quoniam ſic fuit
placitum ante te.*
232 Qvarto arguit S. D. cum Apoſtolo. *Dicis itaque
mihi. Quid adhuc quæritur ? Voluntati enim eius quis
reſiſtit ? O homo tu quis es , vt reſpondeas Deo ? Num-
quid dicit figmentum ei , qui ſe finxit ; quid me feciſti
ſic ? An non habet poteſtatem figulus luti ex eadem maſſa
facere aliud vas in honorem , aliud in contumeliam ?*
Hoc ita explicat Vaſquez. Quinimò dicis , & confite-
ris (ſic in Græco habetur.) Quid adhuc conqueritur
homo ; quòd Deus eligat , quem vult ? Cùm non te-
neatur ex iuſtitia hunc , vel illum eligere. Miror ver-
bum. (Queror) Scribi à Vaſquez , & aliis cum di-
phtongo, cùm non ſit paſſiuum verbi. (Quæro ;) ſed
deponens (queror,) à quo conqueror, *lamentarſi*. Ita-
licè.
233 Probatvr quintò à D. Bonau. cum D. Auguſt.
l. de prædeſt. Sanctorum , cap. 19. ex illo Epheſ.1.
Elegit nos ante mundi conſtitutionem , vt eſſemus ſancti.
Vbi S.Auguſt. *Non quia tales nos futuros præſciuit ;
ideò elegit ; ſed vt tales eſſemus.*
Probatur ſextò à S. Doctore *in corpore* argumento
S.Auguſt. *l. de præd. Sanct. cap.*12. *& ſeq.* & *l. de bo-
no perſeuer. cap.*9. 10. *&* 11. & *epiſt.* 105. *&* 106.
234 exemplo prædeſtinationis paruulorum. Nam eadem
ratione , quâ Deus immunis eſt ab iniquitate etiamſi
paruulos quoſdam abſque meritis ipſorum per Baptiſ-
mum prædeſtinet ; & alios non ; æquali ratione , ſi
aliquos adultos prædeſtinet , hoc non euenit ex meri-
tis, & ſi non prædeſtinat , nullam iniuriam facit,
quæ propriè ſit contra rigorem iuſtitiæ diſtributiuæ,
cui opponitur acceptio perſonarum.
Probatvr ſeptimò à S.D. 3. *d.*11. *quæſt.*1. *arg.*4.
ſumpto è D. Auguſt. *de prædeſt. Sanctorum , cap.*15.
quod S. Bonau. repetit. *quæſt. ſeq. fund.*2. & *hic* con-
ceditur quoad hoc. Prædeſtinatio Chriſti eſt perfe-
ctiſſimum exemplar prædeſtinationis Sanctorum, qui
ſunt membra eius. Sed Deus abſque vllis meritis præ-
deſtinauit Chriſtum , vt eſſet filius Dei , vt ait Apo-
ſtolus *Rom.*1. Ergo & alios ſanctos abſque meritis
235 prædeſtinauit. Maior probatur à D. Bonau. quæſt.
ſeq. ex 8. ad Rom. *Quos præſciuit , & prædeſtinauit
conformes fieri imaginis filij ſui.* Minor probatur à S.D.
in 3. *d.*4. *art.*2. *quæſt.*1. Principium meriti, non ca-
dit ſub merito. At vnio hypoſtatica fuit principium
omnis meriti Chriſti. Ergo non potuit cadere ſub me-
rito eiuſdem. His omnibus authoritatibus , & ratio-
nibus vtuntur Gregorius de Valentia *d.*1. *quæſt.*23.
*p.*4. *§.*4. & alij.
Obiiciebant primò Maſſilienſes (ait Vaſquez)
ſi Deus non expectat noſtrum liberum arbitrium,
ſed , prout libet , præuenit , videtur inferre vim libe-
ro arbitrio. Sic enim gratia non erit in noſtra poteſta-
te. Hoc argumento ait , vſum fuiſſe Chryſoſtomum,
Marcum Heremitam , & Fauſtum Rhegienſem.
Respondetvr , Chryſoſtomum vſum hoc argu- 236
mento contra ponentes phyſicam prædeterminatio-
nem , vt dixi. Cæterùm contra nos nihil facit ; neque
enim ſtat noſtra libertas in hoc , vt nos primò inci-
piamus , neque morali inſpirationis influxu excite-
mur.
Obiiciunt ſecundò. Si Deus non expectat meri-
ta. Ergo prædeſtinat iure tyrannico ; & ita non præ-
deſtinati, naſcuntur iam condemnati.
Respondet Vaſquez non eſſe tyrannidem , ſi 237
vni præparet gratiam congruam : alteri non , quia eſt
eius gratia ; non debita iure creationis.
Vervm hoc non ſufficit. Quia non ſolùm creauit;
ſed creauit ad beatitudinem , & redemit : Ergo dat
vnicuique remedia congrua ad finem. Igitur nullus na-
ſcitur damnatus : Quia vnicuique ſunt præparata au-
xilia opportuna ad ſalutem , cùm antecedenter velit
omnes ſaluos fieri , vt dicam *quæſt.*12.
Obiiciunt alij. Poteſt homo facere opus bonum
morale ex ſuis viribus ; hoc autem poteſt eſſe princi-
pium ſalutis.
Respondetvr , nullum opus bonum morale ſo- 238
lius arbitrij poſſe mereri prædeſtinationem , vt pro-
bat S.Bonau. *d.*28. *art.*2. *quæſt.*1. quod optimè pro-
bat ibi *tertio fundamento*. Diſpoſitio debet eſſe eiuſdem
ordinis cum forma , ad quam diſponit. Sed forma ad
quam tendit eſt gratia ſanctificans , quæ eſt ordinis
superni : Ergo talis eſſe debet & diſpoſito. Addo ne-
que opus bonum morale ex gratia poſſe mereri con-
dignè ; alioqui non eſſet gratia.
Illvd addendum eſt , pro expoſitione textus 239
S.Bonau. multos ei adſcribere tractaſſe de prædeſtina-
tione , diuerſo modo à D. Auguſt. & aliis Patribus ;
quia videtur duos tantùm effectus ponere prædeſtina-
tionis , nempe Iuſtificationem , & Glorificationem ;
atque omittere Vocationem , quàm omnes etiam
Theologi ponunt primum effectum prædeſtinationis.
Ita opponit Vaſquez *diſp.*91. *cap.*5. Ribas *tract.*7.
*d.*5. *num.*12. Soar. *l.*2. *de prædeſt. cap.*23. *num.*5. & vi-
detur ſupponere Trigoſius *quæſt.* 18. *art.*9. *dub.*1. in
noua opinione , quæ eſt S.Bonau. referenda. Et Cor-
jolanus *quæſt.*23. *art.* 9. *§. opinio S. Bonauenturæ.*
Vervm enim verò , ex eo textu , id non colligi- 240
tur , vt obſeruat Tannerus *d.*3. *quæſt.*3. *dub.*1. & *q.*4.
*dub.*4. *calce.* Et quidem S. D. nihil clarè dicit , vnde
id colligant , vt ingenuè fatetur Suarez *l.*3. *cap.*5. *n.*3.
Nam effectus diuidit in Gratificationem , & glorifi-
cationem ; neque nominat iuſtificationem , aut gra-
tiam remiſſionis , quæ propriè apud D. Auguſt. eſt
Sanctificatio , vel iuſtificatio , ſed eam quater appel-
lat temporalem gratificationem , prout opponitur
actui Dei , qui eſt ipſe Deus æternus. Quare in grati-
ficationis nomine includit totum connotatum ab
actu Dei , ſpectans ad ordinem gratiæ , & conſequen-
ter etiam vocationem , quàm vbique admittit S. D.
Ideò *in* 1. *d.*40. *art.*3. *quæſt.*1. *ad vlt.* ait , eſſe effectum
conſequentem prædeſtinationem ; loquitur autem de
vocatione , non qualibet & communi , de qua dixe-
rat aſſeri Matth.22. *Multi ſunt vocati, pauci verò electi.*
Quare ibi hoc fundamentum iacit. Vnde *l.* 1. *Com-
pend. Theol. cap.* 30. eam enumerat inter effectus præ-
deſtinationis. Sed ne ab his quæſtionibus diſcedamus.
Certum eſt , nomine gratiæ iuſtificationis , vel in
qua iuſtificamur, comprehendi etiam Diuina auxilia
præuenientia , vtpotè ad iuſtificationem diſponentia,
vt obſeruat Vaſquez *d.*88. *cap.*1. è D.Auguſt *epiſt.*90.
95. *&* 105. *&* 106. è Concilio è Mileuit. *can.*3. *&* 5.
Cæleſtino

phicum deſerens, ad hanc euolat, tanquam probabiliorem, & ambabus vlnis amplectendam.

247 HANC tenuêre Marſilius *in* 1. *quæſt*. 41. *art*. 2. Gregorius *d*. 41. *quæſt*. 1. Ægidius *d*. 41. D. Antoninus 4. *p. tit*. 14. *cap*. 12. Abulenſis *Matth*. 20. *q*. 25. & *Matth*. 22. *quæſt*. 111. & expoſitores frequenter *ad Rom*. 9. Corduba *l*. 1 *quæſt*. 56. Caſpenſis verò *tract. de prædeſt. d*. 2. *ſect*. 1. agens de electione ad gloriam; idem habet *de prædeſt. ad gratiam*. Morandus *tract*. 5. *quæſt*. 3. Ribas *tract*. 7. *d*. 5. *cap*. 4.

QVO autem fundamento Tannerus ſuprà adducat pro hac opinione D. Bonau. *d*. 41. *quæſt*. 1. & 2. ſanè non video, cùm in oppoſita ſtet ſententia, & ità ab omnibus allegetur. Magis miror, Marcum noſtrum à Baudunio *quæſt*. 23. *art*. 5. in hanc ſententiam ſecum illum trahere, cùm luce clariùs ſtet pro contraria, vt ipſe recitauit initio.

248 SECVNDA claſſis eſt Theologorum dicentium, dari rationem aliquam motiuam congruam totius prædeſtinationis. Hi tamen, quia variis modis ſuam explicant ſententiam, diſtinctè referentur. Eos vide in Smiſing. *d*. 6. *quæſt*. 4. vbi à ſuſpicione erroris oſtendit indemnes. Quia omne motiuum gratiæ acceptum ferunt cooperanti.

PRIMO quidem aliqui dixêre, bonum vſum futurum gratiæ, præciſum eſſe Deo motiuum prædeſtinandi. Ita Alenſis *p*. 1. *quæſt*. 28. *m*. 3. *art*. 3. Albert. M. 1. *d*. 41. *art*. 2. *in ſecto tertio*. Videtur fauêre Magiſter *in* 2. *d*. 5. *cap. vlt*. Altiſiodorenſis *l*. 3. *tract*. 1. *cap*. 5. Refertur quoque Echius *centur*. 3. *num*. 16. Sed clarè oppoſitum docet *centur*. 2. *num*. 32. Enim verò Alenſis videtur eam ſententiam retractare 3 *p*. *q*. 69. *m* 5. *art*. 2. §. 3. vbi negat, gratiam dari ex bono vſu futuro illius. Quare non erat cur Carthuſianus 1. *d*. 41. *quæſt*. 1. timore concuterentur, tanti viri opinione, quam, eſto, non retractaſſet, non ſaperet Pelagianiſmum, vt aliqui carpunt; nam ponit illum bonum vſum præuiſum, eſſe ex gratia; & eſſe congruitatem; non autem meritum condignum: at Pelagius volebat bonum vſum arbitrij nudi, eſſe cauſam meritoriam condignè prædeſtinationis, vt etiam aduertit Tannerus *d*. 3. *quæſt*. 4. *dub*. 4. *num*. 9. Neque labitur in Semipelagianiſmum. Nam cenſet, principium congruum prædeſtinationis eſſe bonum vſum gratiæ, non autem arbitrij nudi cum Semipelagianis, vt aduertit Tannerus *numero ſexto*. Hanc ſententiam refellunt S. Thomas hîc, & D. Bonau. 2. *d*. 27. *art*. 2. *quæſt*. 1. Quare miror Suarez *l*. 2. *de prædeſt*. *cap*. 23. Seraphicum inuoluere in hac opinione, allegando illud *in* 1. *d*. 41. *art*. 1. & 2. vbi ſi ali-aliquid muſſitat, offam perdam.

249 Secunda opinio eſt Henrici *quodl*. 4. *quæſt*. 19. & *quodl*. 8. *quæſt*. 5. & Ioannis à Bononia *de prædeſt. prima*, & 2. *parte*, Camerarij *in Dial. Catholico*, *cap*. 4. Sadoleti *l*. 2. *in epiſt. ad Rom*. 8. & aliorum, qui pro ſe allegant rurſus Seraphicum. Hi dicunt, quòd, non repugnantia liberi arbitrij diuino auxilio, eſt cauſa motiua, ſeu conditio, ſine qua non, prædeſtinationis ad gratiam; eò quòd totus effectus prædeſtinationis non compleatur ſine noſtra cooperatione. Cum his Trigoſius admiſcet Oſorium, Catharinum, & Gabrielem, qui extra cauſam ſunt, quippe ſolam glorificationem inter effectus prædeſtinationis agnoſcunt, vt dixi *quæſt. præcedenti*. Videtur tamen etiam Alberti Pighij *l*. 8. *de libero arbitrio*, *cap*. 8.

250 TERTIA opinio eſt Valentiæ *diſp*. 1. *quæſt*. 23. *puncto* 4. quam ſic explicat in ſecunda aſſertione. *Quamuis neque cooperatio prædeſtinati, neque aliquod omninò opus ipſius ſit ratio, ſiue conditio, ſeu cauſa vllo modo meritoria totius prædeſtinationis; tamen Deus nullum adultum ordinario modo prædeſtinat, niſi cum reſpectu quodam diuinæ ſuæ præſcientiæ, ad cooperationem perſeuerantem ipſius prædeſtinati, vt eſt ex gratia auxilio, & ex libero arbitrio, tanquam ad vnum quendam effectum, & medium prædeſtinationis, cum quo reliqui omnes prædeſtinationis effectus ſunt connexi; ita quidem, vt licèt verum non ſit, Deum ideo prædeſtinare, quia præſcit ab æterno eos cooperaturos, quaſi hæc cooperatio ſit totius prædeſtinationis ratio, ſeu conditio, vel cauſa; veriſſimum tamen ſit, Deum eos adultos omnes, & ſolos ordinariè prædeſtinare, quos ab æterno præſcit diuina gratia cooperaturos cum perſeuerantia finali.* Hanc aſſertionem dicit eſſe D. Th. *quæſt*. 22. *art*. 4. & *quæſt*. 23. *art*. 6. Alenſis *p*. 1. *quæſt* 28. *m* 3. *art*. 3. D. Bonau. 1. *d*. 41. *quæſt*. 2. qui etiam ob id aiunt eſſe rationem quandam motiuam prædeſtinationis ex parte quidem præſcientiæ Dei; licèt non ex parte prædeſtinati, quoad omnes prædeſtinationis effectus. Huius ſententiam, quem prima claſſe collocaui, referre hic volui, quia videtur ad nos inclinare.

VERVMTAMEN miror, tot Modernos trahere Se- 251
raphicum ad id dicendum, quod apertè dicere recuſauit, nempè, quodnam ſit motiuum prædeſtinationis; cùm ipſe in fine fateatur, ſe neſcire quodnam ſit. Præterea D. Bonau. vt clarè conſtat, conditionis, *ſine qua non*, nunquam meminit. Præterea S. D. ponit motiuum prædeſtinationis, antecedens prædeſtinationem in præſcientia, quæ ſaltem vocationem debet præſupponere apud Valentiam; niſi vellet prædeſtinationis effectus, apud S. Bonau. incipere à iuſtificatione, quod ſuprà confutatum eſt *quæſt*. 11. in fine. Adhuc S. Bonau. ponit motiuum in prædeſtinato, vt conſtat legenti; alioqui quomodo poſſet in Deo præſcientia conducere ad decretum prædeſtinationis formandum? Profectò magna hæc controuerſia nulla eſſet, ſi nihil poneremus in prædeſtinato præuiſum; aut, ſi præuiſio eſſet concomitans decretum, ita vt, licèt vocatio ſit ſtatuta ante omnem præuiſionem cooperationis, tamen tota prædeſtinatio non compleretur ſine præuiſione illius cooperationis; omnes enim concedunt præparata ad ſalutem media pendêre à noſtra cooperatione.

Quare arbitror cum Naxario *q*. 23 *art*. 5. *controu*. 2. §. *Quintò aduerte*, Secundùm Valentiam, non ſeruari formalem quæſtionis terminum. Illud tamen addiderim, Valentiam cum Seraphico in argumentis ſtare; tametſi aſſertionem timidiùs; & quàm par eſt, cautiùs poſuerit. Eius enim argumenta ſunt D. Bonauenturæ.

QVARTA opinio eſt Aureoli 1. *d*. 41. *quæſt. vn. art*. 1. 252
dari, ex parte prædeſtinati, totius prædeſtinationis cauſam, per modum remouentis obicem; ſeu potiùs per modum carentiæ obicis. Itaque non poteſt obicis carentia eſſe effectus prædeſtinationis.

Obiicit verò ſibi. Infans habet à prædeſtinatione vt ſit baptizatus; atque adeò carentia obicis eſt effectus prædeſtinationis; non cauſa.

Reſpondet, hoc potiùs ſequi curſum naturæ. Si enim puer ex complexione mori debeat ſtatim natus; non perueniet ad Baptiſmum, nec erit hoc ex reprobatione; ſed quia Deus non vult propter ipſum facere nouum miraculum; imò ipſum relinquit naturali curſui. Similiter etiam ſi fuerit natus è parentibus infidelibus, non baptizabitur: ſi verò è fidelibus, baptizabitur; hoc autem non debet alteri imputari, ſed ordini naturali, ſecundùm quem hic naſcitur ex his: ille ex illis; nec propter hoc, vt ille baptizetur, Deus debuit ordinare, vt ex aliis parentibus naſceretur.

QVINTA opinio eſt, cauſam prædeſtinationis, quo- 253
ad omnes effectus, eſſe opera bona moralia prædeſtinati, antecedentia gratiam. Pro hac ſententia referuntur

Argentina *in* 1.*d*.41. *quæſt.vn.art*.2. Ocham *ibi*, Iauell. *opuſc. de prædeſt.* appoſito primæ parti D. Th. editæ Lugduni, anno 1581. Hic allegans Seraphicum, D.Thomam, & alios, fatetur quidem hunc bonum vſum liberi arbitrij, præcedentem gratiæ, eſſe à ſpecialibus Dei auxiliis; ſed tamen ordinis naturalis, quibus eliciat actus aliquos moraliter bonos, vt temperatè viuere, &c. Quod ſi res ità ſe habet, malè Iauellus cum D. Bonau. ponitur etiam à Vaſq. *cap*.5. vbi tamen vult, eum bonum vſum liberi arbitrij; gratiæ excitanti acceptum referri à Iauello, & ad iuſtificationem tantùm, non ad vocationem præcedere; quod docuêre etiam, quotquot aſſerunt, iuſtificationem fieri è meritis congruis, auxilio gratiæ Dei factis; ſicuti docent viri Catholici doctiſſimi, Marſilius 2. *q*.18. *art*.3. S. Th. 2.*d*.27. *art*.4. *ad* 4. nec ab hac ſententia abhorret 1.2.*q*.114. *art*.5. Alenſis 3.*p.q*.69. *m*.5.*art*.2. §.1. B. Laurentius Iuſtinianus *l. de contemptu mundi, cap*.9. Ferrar. 3. *contra Gent. cap*.149. Roffenſis *art*.1. *contra Lutherum* §. *Nec tertia ſimilitudo*; Andreas de Vega *opuſc. de iuſtificatione*, *quæſt*.7. & ſuper Concilium *l*.8. *cap*.8. Iodocus Tiletanus *in Apol. pro Concilio Trid. ſuper cap*.8. *ſeſſ*.6. §. *Verum hanc calumniam*;
254 vbi hoc meritum appellat impetratorium. Franciſcus à Dauentria *in Exegeſi contra confeſſionem Aug. fol*.46. §. *Rurſus dicent*. Vaſq. *hic*, *n*.26. & 1.2. *q*.114. *art*.5. & eſt ſententia quidem D.Bonau. vt dixi *quæſt*.11. circa finem, poſt D.Aug. Quare non benè à Trigoſio damnatur hæreſi; tamen non adhuc Seraphicus bene cum Iauello componitur: primò, Nam S.D. non inchoat effectus prædeſtinationis à iuſtificatione; ſed à vocatione, vt dixi *quæſt*.11. *circa finem*. Deinde S.D. in ſtatione humilitatis perſiſtens, fatetur ingenuè, ſe neſcire quodnam ſit motiuum prædeſtinationis. At Iauellus, cùm prælibaſſet, motiuum prædeſtinationis à nullo eſſe deciſum, & quidem Apoſtolum relinquere totum inſcrutabile, clamando: *O altitudo diuitiarum &c.* Neque S.Aug. hanc quæſtionem determinaſſe, neque D.Thomam, neque Scotum, neque alium quemquam diſcuſſiſſe: Vtrum ſit aſſignanda aliqua ratio, pro qua Iacob eſt prædeſtinatus; Eſau reprobatus. Subdit: Illam opinionem nos ſequi decet, quæ rationabilior appareat, & apertiùs ſeruet rectitudinem diuinam. Suſtentet ſpem fidelium; occaſiones deſperationis tollat; defenſet prædeſtinationis certitudinem cum libero arbitrio.

255 Quibus verbis non vult dicere, liberum ſibi eſſe à ſententia Apoſtoli, Auguſtini, & D.Thomæ recedere, vt opponit Tannerus *d*.3.*q*.4. *dub*.5.*n*.15. laudans acerbam in illum inuectiuam Bannesij *q*.23.*art*.5. vbi ſic loquitur: Quis non rideat maximam temeritatem auctoris huius, cum arrogantia coniunctam? Nam quæſtionem, quam neque Paulus, neque Auguſt. neque D.Th. definiuit, hic auctor vult definire, & aſſignare nobis rationem ſufficientem huius differentiæ, quare hunc Deus prædeſtinauerit; & non illum, è quibuſdam meritis parui momenti præſcitis à Deo; cùm tamen Apoſtolus ſolùm aſſignauerit rationem quandam congruentem huius differentiæ, in communi, ex parte omnipotentiæ Dei, qui voluit oſtendere maximè miſericordiam, & iuſtitiam ſuam vindicatiuam. Cæterùm in particulari, quare iſtos homines, iſtumue populum elegerit: aliumque reprobauerit, reiicit omninò in abyſum diuitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei. Eandem doctrinam ſecutus Auguſt. gratiæ Dei teſtis inſignis, dixit nobis. *Quare hunc trahat, illum non trahat; noli velle inueſtigare, ſi non vis errare.* Eandem doctrinam ſecutus eſt D.Thomas, & ſequuntur omnes, qui humiliter progrediuntur in via Dei.

Eqvidem fateor, hæc acerbiora. Non enim contra Apoſtolum, aut Auguſtinum quidquam ſtatuit, neque audet hoc, vel illud opus ſtatuere rationem motiuam prædeſtinationis; ſed more aliorum Scholaſticorum omnium inquirit: An detur motiuum prædeſtinationis. Et cum pluribus eruditiſſimis tuetur partem aſſertiuam; quippe rationabilior apparet, &c. ſicut Bannes, Tannerus, & alij oppoſitum definiunt; neque tamen tam acrem expectant reprehenſionem. Quod enim Apoſtolus exclamet: *O altitudo, &c.* ſignificat occultam quidem eſſe rationem motiuam ſpecialem; ſed tamen dari aliquam, alioqui non exclamaret Apoſtolus iudicia Dei inſcrutabilia; nulla enim eſt anus, nullus ruſticus, qui non caperet rationem, quam afferunt Thomiſtæ, & eorum ſectatores omnes, Deum prædeſtinaſſe Iacob, non Eſau, quia ſic voluit; vt obſeruat Ferchius *d*.41. poſt D.Bonau. *hic in corpore*. Quare potius excedunt Thomiſtæ, negantes id, quod Paulus affirmat. Et D.Aug. illâ ſententiâ inſinuat. *Quare hunc trahat, &c.* oſtendens, aliquam adeſſe rationem, quamuis occultam. Fateor cum S.Bonauentura *d*.41. *dub*.1. *litt*. temeritatis eſſe notam in eis, qui diſtinctè prætendunt rationem reddere adæquatam.

Qvod verò Iauellus cum plurimis Scholaſticis ſectentur hoc motiuum adhuc in genere ſubalterno; ſanè non eſt temerarium. Si enim detur tale motiuum, profectò debet eſſe aliquid in poteſtate prædeſtinati; alioqui, ſi eſſet aliquid naturæ, totum rediret in Dei voluntatem meram; addere verò eſſe aliquod bonum opus ex auxilio Dei ſpeciali, maximè gratiæ, præcipuè verò ſolam præcedens iuſtificationem; quid obſecro patrauit criminis hic auctor? Modeſtiùs quidem loquitur D.Bonau. confeſſus cum Apoſtolo, motiuum illud inſcrutabile in ſpecie atoma; ſed tot Scholaſticos non reor vituperandos tam acerbè, ſi iſtud in genere tentent aſſignare ſubalterno. Profectò Iauellus aſſerit, id ſolum indeciſum, quod neque D.Bonau. neque Scotus, neque Alenſis ſcriptum reliquerunt; at iſti, & alij plurimi, motiuum prædeſtinationis aſſerunt. Audiamus Scotum in fine quæſt. *De iſtis opinionibus omnibus, quia Apoſtolus videtur diſputans de iſta materia ad Rom.* in fine, quaſi totum imperſcrutabile relinquere: *O altitudo* (inquiens) *diuitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei, & quis conſiliarius eius fuit? Ideòne ſcrutando de profundo, eatur in profundum, eligatur, quæ magis placet, dum tamen ſaluetur libertas Diuina ſine aliqua iniuſtitia, & alia, quæ ſaluanda ſunt circa Deum, vt liberaliter eligentem, & qui aliam opinionem tenuerit, reſpondeat ad ea, quæ tacta ſunt contra eam.* Quare multi Scotiſtæ hac vſi licentia noſtram tuentur ſententiam, vt Fauent. 1.*d*.58. Poncius *d*.7.*q*.3. Ferchius *d*.41. Saxius in ſua Cataſtrofi *tom* 2. *d* 10.*q*.3. *art*.1. imò ipſum Scotum problematicum affirmant eius expoſitores *ibi*. Lichetus, Vigerius, Paulus Scriptor, & Tartaretus.

Ex dictis *hic*, *& q. præced.* licèt colligere, quid dicendum de Scoto *loc.cit.* Gabr.*d*.41.*art*.2.& *in* 2.*d*. 27. 257
q.1.*art*.2. *&* 3. *dub*.4. & *in* 3.*d*.27.*q*.1.*art*.3.*dub*.2. Caietano *tom*.1. *opuſc.tract*.4.*q*.1. quos Vaſq. *cap*.10. recenſet cum quinta ſententia recitata, dicentium, vſum arbitrij præcedentem gratiam, eſſe Deo motiuum congruum noſtræ prædeſtinationis; eò quòd dixerunt, poſſe hominem dolere de peccatis propter Deum, ſuper omnia dilectum ex propriis viribus; & hanc eſſe vltimam diſpoſitionem ad gratiam ſanctificantem, & meritum ad illam non condignum; ſed congruum.

At non poſſum in animum inducere, Scotum, & alios non vidiſſe meritum illud; ſi quod eſt, impertinens eſſe ad prædeſtinationem, cùm multi illud habuerint, qui non fuêre prædeſtinati, cùm tamen fuerint iuſtificati; & multi illud non habuerint, qui

fuêre

fuêre prædeſtinati, vt aduertit Bannes *loc. cit.* & Tanner. *num.*3. Addo, Scotum altiùs ſentire videri de prædeſtinatione, & potiùs negare motiuum aliquod, vt ſuprà vidimus.

258 Cvm eadem ſententiâ infarcit Vaſquez omnes illos Scbolaſticos, qui eam defendunt propoſitiooem. *Facienti quod in ſe eſt ex viribus naturæ, Deus non denegat gratiam.* Hi ſunt Richardus 2.*d.*28.*art.*1.*quæſt.*2. Durand. *quæſt.*5.*num.*7. Gabr. *in* 2. *d.*27. *quæſt.*1.*art.*2. *&* 3. Caiet. 1 2.*quæſt.*109. Sotus *l.*1. *de natura, & gratia, cap.*3. Driedo *Opuſc. de concord. prædeſt. & lib. arb. p.*2. *cap.vlt.* & *de captiu. & redemp. tract.*5. *cap.*2. *p.*2. Ruardus Taper. *art.*7.

Vervm enim verò qoamuis doceant, poſſe fieri aliquid remotè diſponens ad gratiam, plerique tamen negant, dari aliquod motiuum prædeſtinationis, vt de Richardo, Durandn, Driedone, Caietano, Soto notauit ipſemet Vaſquez *cap.* 10. *&* 11. Idem libet videre in Molina, qui licèt *in Concordia ſua*, & *in diſputationibus* ex ea ſelectis *quæſt.*14. *art.*13. cum ſuprà allegatis ſenſerit, quoad naturalem Dei dilectionem: tamen *quæſt.*23. *art.*4. *&* 5. *diſp.*1. *m.*11. diſertè negat, dari aliquod motiuum prædeſtinationis totius, ſeu omniom effectuum eius, quem ità etiam ſequuntur, & defendunt nonnulli Recentiores, ſpeciatim Leſſius *de gratia efficaci, cap.*10. *& append. ſequenti.* Qui etiam aſſignant rationem. Quare auctores illi opus bonum morale, conducens ad gratiam, eo ipſo cenſent, eſſe effectum prædeſtinationis, & profectum à ſpecialibus auxiliis ordinis naturalis, quæ dicunt ſpectare ad gratiam præuenientem.

259 Qvod magis doleo eſt, quòd Vaſquez, *cap.*10. hos omnes, qoos pro quinta ſententia allegat cum Semipelagianis confundit, quod ſanè perperam facit, vt oſtendent Suarez *Opuſc. de aux. l.*3. *cap.*2. *num.*6. & *l.*2. *de prædeſt. cap.*6. *num.*10. *& cap.*7 *& cap.*18. *num.*3. Leſſius *cap.* 10. & *append. de gratia efficaci*, & Tannerus *loc. cit. num.*5. Sinïſing. *à n.*192. Tum quia ſolòm volunt, non ponentibus obicem, Deum non denegare gratiam ex ſua liberalitate: Tum quia nullum meritum gratiæ ex viribus naturæ aſſerunt; neque negant ſpecialia Dei auxilia in Diuina Inſpiratione, & directione poſita, liberi arbitrij vſum antecedentia; ſicuti negabant Semipelagiani, ſolam gratiam creationis ordinariè admittentes; inſuper & aſſerentes meritum gratiæ è ſolis naturæ viribus, ſiue condignum, vt eis adſcribunt Toletus, & Vega *in cap.*11. *ad Rom.* ſiue congruum, vt exponunt communiter; ſiue quia vario modo locuti, vt dixi *quæſt. præcedenti*: modò congruum, modò condignum aſſerebant. Vide allegatos Doctores, quorum pietati refero defenſionem. Verè autem eſt deplorandum, tam facilem, ac pronum videre Doctorem Catholicum ad alios proiiciendos cum hæreticis.

260 Vltima ſententia eſt D. Bonau. dari motiuum prædeſtinationis, in prædeſtinato antecedens in Diuina cognitione decretum Diuinum, è cuius præſcientia ſit prædeſtinatus hic; vel ille, præ cæteris non prædeſtinatis ad primam gratiam, quæ eſt Vocatio. Hoc tamen motiuum eſſe nobis occultum. Quare Sanctiſſimus, & modeſtiſſimus Doctor hoc epiphonemate concludit. *Quia non fuit nobis expediens ad ſalutem iſta cognitio, ſed vtilior fuit ignorantia, propter humilitatem; ideo Deus noluit reuelare; & Apoſtolus non eſt auſus inquirere; ſed oſtendit defectum noſtræ intelligentiæ, cùm exclamanit. O altitudo diuitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei, quam incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius!* Non negat tamen (reſpondet *ad* 6.) poſſe in adultis eſſe aliquod opus liberi arbitrij, vtique iuxta ſua fundamenta ex gratia, ſed non audet præcisè definire. Cum Seraphico loquitur P.Mathæus Ferchius, Oraculum Patauij *in ſuo aureo Epitome*, *d.*41. Corjolanus *q.*23. *art.*10. vbi tamen malè conciliat SS.DD. dicens, D. Thomam non admittere rationem adæquatam; ſed inadæquatam, quam admittit S.Bonau. ſed D.Th. admittit rationem ex parte Dei; quia rationabiliter vult; at S.Bonau. ex parte noſtri. Qua ratione malè citat cum Seraphico etiam Bellarminum *l.*2. *de gratia, & lib.arb.cap.*9. vbi eſt cum D.Th. Cum Corjolano eodem modo deflexit etiam Marcus noſter.

Hanc ſententiam ſolidiſſimis nixam baſibus, ac fundamentis communiam ſuſtinebo, quam tuetur Gregorius Ferrarius *in cap.*2. *Apoc. epiſt.*4 *q.*2. 261

Fvndamentvm primum è D.Bonau. 1.*d.*40.*art.*2. *quæſt.*2. *ad vl.* & *d.*46. *quæſt* 1. Deus voluntate beneplaciti propriâ vult, omnes ſaluos fieri antecedenter ad præuiſionem inæqualitatis in illis, 1.*Tim. cap.*2. ſic Apoſtolum exponunt Damaſcenus *l. cont. Manichæos*, aliquantulum ante finem, & *l.*1. *de fide, cap.*29. Chryſoſtomus *homil.*1. *in epiſt. ad Epheſ.* D.Aug. *l. de ſpiritu, & litt. cap.*33. & *l. ad articulos falſo ſibi impoſitos, cap* 2. vbi ait: *Sinceriſſimè tenendum eſt, atque profitendum, Deum velle, vt omnes homines ſalui fiant; ſiquidem Apoſtolus, cuius eſt iſta ſententia ſollicitè præcipit; quod in omnibus Eccleſiis fideliſſimè cuſtoditur, vt Deo pro omnibus hominibus ſupplicetur.* Quæ verba habes quoque in Proſpero *ad obiect. Vincentianas, reſp.*2. Supplicatur autem de ſalute, vt obtinenda pro omnibus ex parte Dei.

Hanc porrò eſſe veram Dei voluntatem beneplaciti aſſeuerant Patres Græci *hîc*. Chryſoſt. Oecumen. Theophylactus Et ex Latinis Hieronymus, & Ambroſius, & alij *ibidem*. Proſper *l.*2. *de vocat. gentium cap.*19. *&* 21. aliàs 7. *&* 8. & in *ſecunda reſp. ad obiect. Vincent.* Athanaſius *l.*3. *de aſſumptione hominis*, Chryſoſt. *homil.*1. *ad Epheſ. &* 7. *in Ioan.* ad ea verba: *Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Damaſcenus *l.*2. *de fide, cap.*29. D.Th. *p.*1 *q.*19. *art.*6. *&* 3. *contra G. cap.*159. quibus ſubſcribunt Suarez *l.*4. *de prouidentia ſupernaturali Dei, circa æternam ſalutem reproborum, cap.*1. Vaſquez *d.*79. *cap.*9. Faber *d.*58. *num.*58. & cæteri ferè Scholaſtici. Hanc autem voluntatem fuiſſe in Deo etiam poſt præuiſum peccatum Originale, conſtat: Nam reddens rationem Apoſtolos, ob quam Deus velit omnes homines ſal- 262
uos fieri, ait: *Vnus enim Deus. Vnus mediator Dei, & hominum, homo Chriſtus Ieſus, qui dedit ſemetipſum redemptionem pro omnibus.* Et ob id orandum pro omnibus, *Vt vitam quietam, & tranquillam agant in omni pietate, & caſtitate, quia hoc acceptum eſt coram Deo, & Chriſto Ieſu, qui vult omnes ſaluos fieri, &c.* Igitur cùm hæc voluntas oriatur in Deo ex redemptione factâ à Chriſto mediatore, qui maximè venit ad Originale peccatum, quo adhuc ſuppoſito, optat ex corde, nos rectè operati, vt ſaluemur; quis obſecro negare poteſt (vt infert Vaſquez *d.*83. *cap.*2.) Deum, etiam conſequenter ad peccatum Originale, omnium ſalutem velle? Idem pro explorato tenet Suarez *n.*10. idque ait aſſertum à PP. ſuprà allegatis, quibus addit Dionyſium *cap.*2. *de Diu. nom.* & 9. *de cæleſti Hier.* Irænœum *l.*4. *contra hæreſes, cap.*71. vbi affert alia loca Scripturæ; & Scholiaſtes congerit alia loca Patrum. 263

Profectò multæ Scripturæ id teſtantur. Sic Dei iuramentum ſolemne Ezech. 18. & 33. *Viuo ego dicit Dominus. Nolo mortem peccatoris: ſed vt magis conuertatur, & viuat. Numquid voluntatis meæ eſt mors impij, dicit Dominus Deus, & non vt conuertatur à viis ſuis, & viuat?* Legito ea capita, quæ profectò oſſa arida ſuſcitarent ad reſpirandum in Dei 264

benignitatem. Sic *Apoc.* 3. proteſtatur, ſe ad oſtium omnium ſtantem pulſare; & ſi quis aperuerit intraturum, & cœnaturum cum eo. Sic Ioan. 1. ait: *Illuminat omnem hominem,* Oſeæ 13. *Perditio tua ex te Iſraël; tantùm ex me auxilium tuum.* Matth. 22. *Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum Gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſti.* 2. Petri 3. *Patienter agit, nolens aliquem perire.* Ideò concludit Suarez; concluſionem eſſe extrà omnem controuerſiam; Quia eſt ſatis Scripturis expreſſa; Et communi Sanctorum Patrum conſenſu recepta. Id vrget denuò Gregorius Ferrarius *in cap.* 13. *Apoc. epiſt.* 6. *quæſtione* 13.

PROBAT Suarez: Quia præuiſo peccato Deus prædeſtinauit Redemptionem omnium. Vnde Apoſtolus reddit rationem, cur vult omnes ſaluos, *Vnus eſt enim Mediator Chriſtus, qui dedit ſemet ipſum redemptionem pro omnibus.* Ita voluit hoc medio parare media gratiæ, & finem proſequi Et hoc ita explicat D. Aug. *de ſpiritu & litt. cap.* 33. & D. Proſper *ad cap. Gallorum, ſent.* 8. & *l.* 2. *de voc. gent. cap.* 25. Quæ verò opponit Baſilius Ponc. de Leon. refellit Ribas *d.* 9. *cap.* 5. validè; eius autem expoſitionem, quod velit media, non finem; implicatam, ac Patribus eſſe diſſonam, iamque meritò ſepultam, probat.

265 QVÆ cùm ita ſint (infert grauiter Vaſquez *d.* 89. *cap.* 9.) ſequitur, Deum in eo ſigno æqualiter ſe habuiſſe circa omnes ſaluandos, & noluiſſe ſe ſalute, vel de ſpectantibus ad ſalutem magis vni, quàm alteteri; magis Petro, quàm Iudæ. Quapropter falſiſſimum eſt, Deum in eo ſigno aliquos antecedenter prædeſtinaſſe, cæteris relictis. Conſequenter falſum eſſe conuincitur, Deum præparaſſe quibuſdam gratiam congruam antecedenter ad aliquos infallibiliter ſaluandos: aliis verò paraſſe incongruam; quàm certò
266 præuidit non habituram effectum. Multò magis falſum eſt, Deum prædefiniſſe phyſica auxilia prædeterminantia ad ſalutem aliquos; cæteris derelictis, ſola gratia quadam, qua poſſent ſaluari; ſed non eſſent infallibiliter ſaluandi. Quo enim pacto volens omnibus ſalutem antecedenter; tamen media ita diſtribuit, quibus aliqui ſaluarentur; alij (dixero) non poſſent ſaluari: cùm auxilia efficacia, quibus antecedenter decreuit eos priuare, ſint procul dubio ad ſalutem neceſſaria. Non inficior, gratiam eſſe eius donum, & ita poſſe vberiorem dare cuicunque vult; at ſuppoſita voluntate omnes ſaluandi, debet omnibus ſaltem neceſſariam.

267 FVNDAMENTVM ergo ſecundùm è D. Bonau. *loc. cit. d.* 46. quod ex dictis deducet *d.* 50. *art.* 2 *q.* 2. *ad vlt.* Si Deus antecedenter, ſeu antequam aliquam rationem motiuam videret in vno, quàm non in alio, omnes indifferenter, & æqualiter voluit ſaluos; ſequitur, præparaſſe omnibus media opportuna ducentia ad finem ſalutis; & nulli negaſſe auxilia congrua, quæ aduerſariorum confeſſione ſunt ad ſalutem neceſſaria; qualis enim eſt voluntas finis; talis eſt etiam voluntas mediorum, vt grauiter aduertunt omnes ferè aduerſarij *quæſt.* 7. allegati eum Suarez *l.* 1. *de prædeſt. cap.* 8. Sicut autem Deus non voluit tantùm omnes homines poſſe ſaluos fieri; ſed ſaluos fieri quantùm ex ſe eſt; vt dixi eum Patribus; ita non ſolùm dat gratiam illam, quàm aliqui dicunt ſufficientem, qua poſſent ſalui fieri; ſed qua ſalui fient efficaciter ex parte Dei; ſi ipſi velint; alioqui ſi aliquibus determinaſſet gratiam profectò neceſſariam efficacem, ſiue phyſicè prædeterminantem, ſiue congruam; eamque antecedenter cæteris negaſſet, non fuiſſet in Deo antecedenter voluntas, ſeu intentio ſincera ſalutis omnium, etiam peccatorum, ſed ficta, & ſimulata, quæ maximè à Deo ſimpliciſſimo adeò abhorret, vt cùm vellet populum Hebræum ad internecionem vſque delere in Arabiæ deſertis, ob infandum Idolatriæ facinus; atque Moyſes mediator non inueniens, quo medio diuinam ſedaret iracundiam, & iuſtitiam frænaret, tandem oppoſuerit. *Ne quæſo dicant Ægyptij: callide eduxit eos, vt interficeret in montibus.* *Pla-* 268
catuſque eſt Dominus, ne faceret malum, quod locutus fuerat aduerſus populum ſuum. Exod. 32. Quem locum ponderans Tertullianus infert, Deum voluiſſe potius ſincerè, ſe teneri Deum papyraceum, Boue Api inferiorem, quàm Deum verſipellem. Obſecro aduerſarios: An non eſſet Deus verſipellis declarans ineffabilem in omnes charitatem, ob quam non modò creauit capaces beatitudinis; ſed lapſos, Incarnatione, & morte ſui Vnigeniti voluiſſe copioſiſſimè redimere, gratias pretioſiſſimo ſanguine emere; cuius vna gutta theſaurum valet infinitum; vt definit Clem. VI. *in Extrauag. Vnigenitus*; his verò ſtantibus auxilia efficacia, omnium confeſſione, neceſſaria antecedenter, denegaret pleriſque? Quin addo, præceptorum omnium efficacem obſeruantiam imponeret vſque ad extremum halitum, cum promiſſionibus vitæ æternæ, quibus tota perſonat Scriptura, cùm tamen antecedenter decreuiſſet negare auxilia neceſſaria ad ea præcepta, vſque ad finem obſeruanda: An non crudelis eſſet Deus imponens iugum intolerabile, præcipiens impoſſibilia: quod dicere, ex vnanimi conſenſu Patrum, anathemate percutitur in Concilio Trid. *ſeſſ.* 6. *can.* 18. Quæ obſecro eſſet culpa reproborum, ſi deſtituti auxilio efficaci neceſſario ad perſeuerantem mandatorum obſeruantiam deficerent? Profectò Deus eſſet illis Medicus ineptus, pharmaca eis incongrua præuolens: Ergo gratis tam copioſum pretium ſanguinis. Cur, ſi pro his profuſus eſt, vt æquè ſaluentur; excluſi ſunt, mediaque cum aliis congrua eis denegata? Id vrget P. Alemannus in ſuo manuſcripto, quo exploditur Ribas *d.* 3. *cap.* 7.

FVNDAMENTVM tertium, roborans præiacta è D. Bonau. in Diæta Salutis *tit.* 10. *cap.* 2. quo maximè 269
nititur Valentia *loc. cit. arg.* 6. & Suarez ſuprà *cit.* vtebatur Chriſtus pro omnibus hominibus peccatoribus mortuus eſt, & redemit pretio magno, vt dicitur 1. *Cor.* 6. & 1. *Petr.* 1. protulitque ſuperabundans pretium, vt nobis gratias compararet, maximè ad ſalutem, neceſſarias. Iam verò arguam cum Apoſtolo Rom. 8. *Qui proprio Filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum; quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit?* Neceſſaria maximè ad ſalutem? Imò quomodo media inopportuna, & incongrua antecedenter pleriſque præparauit? Profectò Chriſti redemptio non fraudatur à Patre. Quod ſi antecedenter pauci tantùm ſunt electi, aut Chriſtus non eſt pro omnibus mortuus, aut eius mors pretioſiſſima debito pretio fraudatur ad Dei tribunal, quorum vtrumque dicere impiiſſimum eſt, vt infert Valentia, & indicat Seraphicus *loco cit.* Dicamus igitur ſecurè, Deum antecedenter omnes, quantumuis peccatores, redemptos, voluiſſe adhuc ſaluos fieri, eiſque media opportuna ad ſalutem, meritis Saluatoris debita præparaſſe.

FVNDAMENTVM quartum è D. Bonau. *d.* 40. *dub.* 3. 270
& D. Auguſt. paſſim. Prædeſtinatio optimo ordine deſcribitur à Paulo, Rom. 8. *Quos præſciuit, & prædeſtinauit conformes fieri imaginis filij ſui: quos autem prædeſtinauit, hos & vocauit: quos vocauit, hos & iuſtificauit: quos autem iuſtificauit, illos & glorificauit. Quid ergo dicemus ad hæc? Si Deus pro nobis, quis contra nos? Qui etiam proprio filio ſuo non pepercit, ſed pro omnibus nobis tradidit illum: quomodo*

non etiam cum illo omnia nobis donauit? Vbi ex æterni decreti ſerie colligit quoque executionem. In decreto autem æterno, præſcientia præcedit prædeſtinationem, vocationem, (quæ eſt primus effectus) ne dum iuſtificationem, &c. Igitur ex alicuius motiui præſcientia præparauit quibuſdam prædeſtinationem, & eius effectus. Hoc docuit S. Auguſt. *de bono perſeuer. cap.* 14. vbi definiens prædeſtinationem, ait. *Hæc prædeſtinatio ſanctorum nihil aliud eſt, quam præſcientia, & præparatio beneficiorum Dei, quibus certiſſimè liberantur, quicunque liberantur.* Et cap. 10. de prædeſt. Sanctorum dicit. *Quæ præparauit Deus, vt in illis ambulemus, prædeſtinatio eſt, quæ ſine præſcientia non poteſt eſſe.* Et cap. 17. *Electi ſunt ante mundi conſtitutionem ea prædeſtinatione, in qua Deus futura ſua facta præſciuit.* Et lib. de Spiritu, & litt. cap. 5. ait: *Per Spiritum Sanctum diffundit charitatem in cordibus eorum, quos præſciuit, vt prædeſtinaret.*

Neque ſuffragatur communis reſponſio, Auguſtinum loqui de præſcientia, ſequente decretum. Nam S. D. definit prædeſtinationem per præſcientiam, & hanc dicit eſſe non poſt prædeſtinationem; ſed ad prædeſtinandum.

271 Consvlto autem retuli illud *de prædeſt. Sanct. cap.* 17. Quia Maſtrius *d.* 5. *quæſt.* 2. *num.* 188. putat illo cæteris reſpondere. Sic igitur D. Auguſt. loquitur. *Electi ſunt ante mundi conſtitutionem, ea prædeſtinatione, in qua Deus futura ſua facta præſciuit*, vbi non vult præſcientiam hanc in decreto fundatam, illud ſubſequi; ſed illâ ſuâ contra Pelagianos perpetuâ phraſi, quâ omnia noſtra ad ſalutem ordinata, vocat opera Dei, vult prædeſtinationem fundatam illa præſcientia, qua vidit futura ſua facta, ideſt opera ex gratia facta, quibus motus aliquos diſcernens à reliquis, prædeſtinaret, vt conſtat legenti. Addo cum Amico, Auguſtinum *de corrept. & gratia, cap.* 7. docere, prædeſtinatos diſcerni à non prædeſtinatis, præſcientiâ. Primus igitur effectus prædeſtinationis præſcientiâ nititur, ſicuti, & ipſum decretum, niſi velimus, Apoſtolum ordine inuerſo omnia narrare, quod eſt falſiſſimum. Nam etiam reliqua ordinatè incedunt, nempè prædeſtinatio ante vocationem; vocatio ante iuſtificationem, &c. Cùm autem vocatio ſit primus effectus prædeſtinationis, etiam iuxta Seraphicum, vt oſtendi *quæſt.* 11. *in fine*, oportet motiuum illi adinuenire: Cæteris enim inuentum eſt: Nam glorificationi merita aſſignauimus pro ratione condigna *quæſt.* 7. Iuſtificationi cooperationem, pro ratione congrua *quæſt.* 11. *cit.* Vocationi ſanè debetur, quæ eſt effectus prædeſtinationis; non enim omnis vocatio, etiam efficax, eſt effectus prædeſtinationis; multi enim ſunt vocati etiam ad iuſtificationem efficaciter, & vltimò damnati ſunt. Ex quo fit, neque omnem iuſtificationem eſſe prædeſtinationis effectum; ſed eam vocationem, & iuſtificationem, quæ perducit ad finem. Hoc ſanè motiuum poſſe eſſe aliquod opus bonum, è gratia procedens, atque præcedens primum effectum prædeſtinationis, concedit Vaſquez *cap.* 16. in fine; vel aliquam rationem negatiuam in libero arbitrio ex gratia; puta quòd non errauerit tantâ malitiâ. Ità enim ſibi eueniſſe teſtatur Apoſtolus 1. Tim. 1. *Qui priùs fui perſecutor, blaſphemus: ſed miſericordiam conſecutus ſum, quia ignorans feci in incredulitate.* Et hæc aſſerere non eſt ſuſpectum alicuius erroris, vt fatetur ingenuè Vaſquez *num.* 145.

272 Fvndamentvm quintum. Quodcunque ſit motiuum illud, debemus dicere, eſſe in poteſtate prædeſtinati illud habere; vel eo carère, ita vt poſſit ſemper prædeſtinari, qui non eſt prædeſtinatus: & qui eſt prædeſtinatus, reprobari, vt oſtendam *quæſt.* 15. Infallibilitas verò prædeſtinationis in eo ſtat, vt Deus præuiderit, prædeſtinatum nunquam eo motiuo cariturum; reprobum verò nequaquam habiturum. Hinc porrò fiet, vt prædeſtinatus quippè magis diſpoſitus, maiora quoque dona *gratiæ*, & auxilia obtineat; non quidem merito aliquo, ſed congruitate quadam, quam non audet negare Suarez *l.* 3. *de auxil cap.* 13. *num.* 9. Hinc fit, vt licèt etiam reprobus ex parte Dei accipiat gratiam congruam ſuæ ſaluti; tamen ex obſtinata ſua voluntate eam reddat incongruam. Et quamuis Deus poſſit alia efficaciori illum excitare; tamen ſuo iuſto iudicio id non facit, quia etiam præcedenti inuenit rebellem: prædeſtinatus verò non ſic; ideò pleniori ſemper gratia exuberat, & eâ diſcernitur à reprobo, vt ſi Paulus eum interroget. *O homo, quis autem te diſcernit? quid habes, quod non accepiſti?* teneatur genu reflexo confiteri: *Dei benignitate diſcernor.* Nam etiamſi ſit motiuum aliquod; diuinâ tamen benignitate, & gratia diſcernor. De qua latius *p.* 2. *tract.* 5. *d.* 1. *quæſt.* 4 Quare deſinant iam aduerſarij, facti clamoribus rauci, nos increpare, quaſi prædeſtinato adſcribamus diſcretionis à reprobo cauſam, & fundamentum. Nam S. Bonau. catholicè loquitur, eumque ſequitur propterea Tolet. *ad cap.* 8. *Rom. not.* 11. & alij permulti etiam aduerſarij, eum catholicè, & probabiliter locutum fatentur.

Asssro, dari motiuum aliquod in prædeſtinato congruum totius prædeſtinationis. 273

Probatvr primò à D. Bonau. *d.* 41. *quæſt.* 1. *arg.* 3. quod ſanè, quoad hoc, admittit, & *quæſt.* 2. *fund. ante penult. & d.* 46. *q.* 1. *è fund. primo.* Voluntas æqualiter ſe habens ad omnes circa finem; æqualiter vult & media neceſſaria, circa conſecutionem eius. Sed Deus antecedenter vult omnes æqualiter ſaluos fieri: Ergo omnibus æqualiter dare media primæ gratiæ, &c. maximè, quia: *Miſerationes eius ſuper omnia opera eius.* Sed aliqui per vos maiores gratias habent; imò ſimpliciter neceſſarias, quæ ſont efficaces, quibus infallibiliter ſaluentur, quibus carent cæteri, & tandem illi deſtinati ſunt ad gratiam cum perſeuerantia; cæteri verò non: Ergo debet dari aliquod motiuum magis in illis, quàm in cæteris.

Respondet Bellarminus *tom.* 4. *l.* 2. *de grat. & lib. Arbitr. c.* 15. *ad* 5. quòd prædeſtinatio ſupponit peccatum Originale. Cæterùm, cùm totum genus humanum damnationem iuſtiſſimam per peccatum primi hominis incurriſſet, magna Dei miſericordia eſt, quòd multis indebitam gratiam dare voluerit. Cur autem, cùm poſſet poſt peccatum omnes liberare, minorem partem liberandam decreuit; rationem dat S. Auguſt. *epiſt.* 157. Vt intelligamus, quid omnibus debetur. 274

Reſpondet ſecundò *l.* 2. *cap.* 3. ad octauum argumentum, ſolùm concludere, Deum neminem impedire à ſalute; imò remedia pro omnibus inſtituiſſe in communi.

Hæ tamen reſponſiones debiles ſunt, vt oſtendi in primo fundamento. Nam etiam poſt præuiſa peccata omnia, à quibus Chriſtus nos liberauit, Deus retinet eandem bonam voluntatem ſalutis omnium; imò videtur magis accenſa; eò quòd omnium Mediator eſt Chriſtus, qui dedit ſemetipſum redemptionem pro omnibus; Chriſtus autem pro omnibus profectò mortuus eſt, vt ait ibidem Apoſtulus, & Ioan. *epiſt.* 1. *cap.* 2. Quapropter etiam, atque etiam miror, Bellarminum adeò, à communi Sanctorum Patrum expoſitione ſuprà relatâ, aberrare. 275

Reſpondet Vaſquez, Deum in illo ſigno ſtatuiſſe dare etiam reprobis auxilia ſufficientia, licèt incongrua ex malo vſu eorum, atque adeò incongruitate conſequenti. Ita etiam Suarez.

276 Sed hæc reſponſio implicat. Si enim Deus in primo ſigno præparat aliquibus media congrua; cæteris verò incongrua, ſignum eſt, iam decreuiſſe, & quibuſdam velle efficaciter finem gloriæ; cæteris verò non, in ſententiâ Suarez; imò illis nolle ſalutem, dum præparat medicinas eorum arbitrio ineptas. Probatur ſeq. Nam intentioni finis, adaptatur proportionata mediorum electio, vt vrget Suarez *l.1. de præd. cap.8.* Itaque præparans his media efficacia; cæteris verò incongrua, illos vult ſaluos; iſtos autem deridet, vt aduertit P. Alemanus.

Suarez inſumit totum caput nonum *l.2. de prædeſt.* ad hoc declarandum; Deum velle omnes ſaluos; dum vult omnibus dare gratiam, vt excitati faciant, quod in ſe eſt; nam ſine gratia, non poſſunt id facere.

277 Verum equidem dum antecedenter huic præparat gratiam, quæ ſit effectus prædeſtinationis; illi verò non; ſed incongruam tantùm, qua non conſequetur finem ſalutis, quæque non eſt effectus prædeſtinationis; luce clarius meridiana conſtat, velle eum ſaluum: hunc autem non; quia gratia efficax eſt neceſſaria ad ſalutem, & huic antecedenter eſt denegata; ac proinde Deus antecedenter eum voluit ſaluum, vt concedit Suarez *l.3. de auxiliis, cap.14. n.13.*

Reſpondet poſt numerum 15. Deum primò velle omnes ſaluos, & poſitiuè nolle aliquem perdere; hoc enim indignum eſt Diuina bonitate (& citat ſeipſum *l.2. cap.4. & 5.*) Cùm autem innumeris modis, quos habet in theſauro ſuæ ſcientiæ procurare potuiſſet; tamen hunc modum elegit, quo vidit, tot homines eſſe damnandos, ſeruato hoc prouidentiæ genere, quod non repugnat voluntati ſaluandi. Quia prouidit media ſufficientia.

278 Obsecro quòd genus prouidentiæ hoc? Si Medicus agnita infirmitate omnium iacentium in Xenodochio, quibuſdam remedia efficacia neceſſaria, pretioſiſſima, Bezaar, confectionum, Alchermes, Hyacintinarum, atque è margaritis, & auro pararet; cæteris verò eadem lue iacentibus potionem aquæ à ſe agnitam inefficacem, ſecretò pararet, intra ſe dicens. Iſti, ſi voluerint, poterunt emere à pharmacopoiis Bezaar, & pretioſas confectiones; vel de his habent, ſi volunt infundere, cum ipſi neſciant, quid ſibi opus ſit; quæ prouidentia hæc? Num diceres, eum medicum voluiſſe omnes ſaluos? Equidem non potero riſum cohibêre. Certius enim certo eſt, hoc eſſe irridêre. Quod ſi decreuit, præuidens reiectorum abvſum; & motiuum.

Scotus, qui prædeſtinationem aſtruit ante præuiſum Originale, cogitur aſſerere, Deum noluiſſe omnes ſaluos fieri vllo ſigno, ſaltem poſt Originale, ſed in primò voluiſſe aliquos ſaluos; alios reieciſſe, quod ſanè *d.46. quæſt. vnica ad* 1. admittit, & malè contra Sanctorum PP. ſententiam, & Apoſtoli dictum.

279 Hoc argumento multò magis premuntur Thomiſtæ, qui dicunt Deum prædeſtinaſſe antecedenter, quibuſdam auxilia phyſicè prædeterminantia neceſſaria; cæteris autem illa denegaſſe. Hoc profectò eſt etiam illis neceſſitatem imponere ſalutis; iſtis autem damnationis, vt oſtendi *d.53. quæſt.7.* In quam ſententiam abiit quoque Trigoſius *quæſt.18. art.4. dub.3.* qui quidem *ead. quæſt. art.6. dub.1. concl.1.* exponit hunc locum Apoſtoli de voluntate antecedente præſcientiam peccati Originalis; & quod miror, apponit ad hoc probandum alia loca à nobis ſuprà allata, præcipuè *Ezech.18.* vbi Deus proteſtatur, ſe velle ſalutem hominum poſt peccata, non modo Originale; ſed actualia, ad quæ neceſſaria eſt pœnitentia, vt ipſe Trigoſ. vrget. Neque ſatisfacit præ cæteris Nazarius dicens, modificari gratiæ influxum à noſtra libertate, antequam impellat. Qua enim ratione modificatur, ſi noſtro non expectato arbitrio efficaciter operatur? Neque eſt eadem ratio de præſcientia, vt putat Nazarius, qui tamen benè hoc argumentum vrgêre oſtendit contra tenentes, auxilia incongrua antecedenter parari reprobis.

280 Vnica mihi oppoſitio reliqua eſt, quam è D. Bonau. hîc hauſit Suar. *l.4. de Prouidentia ſupernaturali æterna, circa reprobos, cap.4. num.6.* Si Deus etiam poſt præuiſum Originale voluit ſalutem omnium. Ergo debuit omnibus dare media; at paruulis, qui in vtero obeunt non dantur media congrua ſalutis. Ergo illos Deus noluit ſaluos.

Svppono primò etiam paruulos includi in illa propoſitione, vt docet D. Auguſt. *l.4.* contra Iulianum, vbi ait: *Numquid paruuli non ſunt homines, vt non pertineat ad eos id, quod dictum eſt: Vult omnes ſaluos fieri?* Ex quo ad oppoſitum deduco è fundamentis Suarez: Ergo Deus illis dedit media ad ſalutem, quod oſtendam cum D. Bonau. & Suarez *d.22. quæſt.5.*

281 Deinde admoneo, quod Seraphicus, qui in hanc ſpinam, etiam Auguſtini pedibus acutam, impegerat; eò magis confirmatus eſt, motiuum eſſe occultum, & ſanè in paruulis poteſt eſſe meritum aliquod dignum parentum, vel aliorum iuſtorum, qui pro illis impetrent medium ad ſalutem, id eſt Baptiſmum, vt innuit *d.41. quæſt.1.* Itaque S.D. ingenuè fatetur, in infantibus non eſſe tale motiuum prædeſtinationis in ipſis, vt aduertit quoque Suar. *l.2. de prædeſt. cap.23. num.5.* Et ita, niſi ſit aliquod motiuum ex alicuius iuſti impetratione, nullum aliud inuenies: quoad eos verò paruulos, qui relinquuntur in Originali, etiamſi conceſſero, non habere media congrua ad ſalutem; attamen aduerto differentiam eorum ab adultis: Nam prædeſtinatio adultorum præ aliis adultis dicit eorum electionem ad gloriam; reliquorum autem multitudinem perditioni æternarum pœnarum, & ideò oportet initio inuenire in illis cauſam talis diſcretionis. Et quamuis etiam paruuli excludantur à gloria; attamen quia probabilius eius amiſſionem non ſentient; imò ſecundùm aliquos, vitam agent perpetuò iucundam, ac naturaliter beatam, non adeò ſolliciti eſſe debemus, vt ſi in ipſis non inueniamus motiuum, qui ſunt incapaces; idem dicendum concedamus in adultis, qui ſunt capaces, & vel ad gloriam; vel ad infernum cruciandi deſtinantur. Parum eſt autem aliquos gloriâ ſupernaturali, ex gratiâ conceſſâ, priuari; dummodò à pœnis ſenſus liberi, neque damnum ſentiant priuationis gloriæ. Sed hoc diſcutiam *diſp.22. quæſt.5. & 6.*

282 Alivd quoque prælibare ſtatuo, ne aduerſarij perſtrepant, nos vti eiſdem argumentis, quibus vtebantur Semipelagiani. Nam ij abutebantur ad inducendum meritum, ſine gratiâ; nos autem ſolùm motiuum; eſto etiam meritorium, tamen congruum ex gratia, quibus ab eorum errore longiſſimè fugimus. Quod ſi id nobis nocet; valeant omnes Scripturæ; quibus hæretici abutuntur, Catholici verò vtuntur ad ſalutem.

Probatur ergo ſecundò aſſertio à D. Bonau. *hîc fund.3.* ratione D. Petri. *Act.10.* Cùm enim vidiſſet linteum, è cælo diuinitus elapſum, immundiſſimis refertum animalibus; & iuſſus eſſet ex eis comedere, atque intimis ſenſibus perculſus animoque exhorrens recuſaret, dicens. *Nunquam manducaui commune, & immundum*; audiit. *Quod Deus purificauit, tu commune ne dixeris.* Mox à Cornelij nuntiis certior factus, Paganis euulgandum Euangelium, & Baptiſmum concedendum omneſque gentes etiam barbaras, & immundiſſimas, bruti illis adumbratas, ad ſalutem euocandas; erupit. *In*

veritate

veritate comperi, quòd non ſit acceptio perſonarum apud Deum, Vbi infert, Deum futurum fuiſſe acceptatorem perſonarum, niſi etiam Paganos vocaret; atque adeò prædeſtinaſſet. Probatur illatio. Tunc eſt acceptio perſonarum contra iuſtitiam diſtributiuam, quando ex bonis Republicæ non ſit diſtributio omnibus habentibus ius ad illa. Cùm igitur merita Chriſti ſint pro ſalute omnium depoſita, profectò aliqua illis inferretur iniuria, ſi aliquibus antecedenter denegarentur. Hoc argumento vtitur Valentia.

283 Reſpondent gregatim aduerſarij, acceptationem perſonarum eſſe contra iuſtitiam; at Deum nulli debere donum prædeſtinationis, cùm ſit gratiarum origo.

At non percipiunt vim argumenti, quod vrget hoc debitum è meritis Chriſti; non autem noſtris. Bellarminvs *l.1. de gratia, & lib. arbitr. capite 3.* dicit, hoc eſſe argomentum Pelagianorum, & Semipelagianorum, & reſpondet cum Arriaga *d.3. ſec.1.* non ſolùm prædeſtinationem, quæ eſt primæ gratiæ origo, non eſſe acceptationi perſonarum obnoxiam; ſed neque iudicium diſtribuens bona gloriæ. Ideò *Matth.20.* ait Dominus, *Amice non facio tibi iniuriam. An non licèt mihi quod volo facere?* Eodem modo reſpondet *cap.13.* & cum eo Trigoſius *hîc* in fine.

284 At longiùs aberrat. Non enim eſt argumentum Pelagianorum, ſed Catholicorum efficax. Non enim merita è nudo libero arbitrio, ſaltem inchoata exigimus, ſed è meritis Chriſti, & gratiâ eius, qui ſanguinem depoſuit ad nobis ſalutem acquirendam, quod Catholicum eſt, & à Paulo adhibitum 2. *ad Galat.* vbi de ſui vocatione, qui fuit blaſphemus, vt dixerat *c.1.* ait, ſe à Deo electum. *Non enim accipit Deus perſonam hominum*, & in fine oſtendens ſuum ius ad peculium, ait: *In fide viuo Filij Dei, qui tradidit ſemetipſum pro me.* Hinc Petrus Apoſtolus diſertè ſuam Epiſtolam exorditur. *Electis aduenis Ponti, Galatiæ ſecundùm præſcientiam Dei Patris, in ſanctificationem ſpiritus, in aſperſionem ſanguinis Ieſu Chriſti.* Vbi aſſignat cauſam, cur tot gentes Paganas diſperſas elegerit, ex alicuius nempe motiui præſcientia, ideò autem neminem exceperit, quantùm ex ſe eſt; quia omnes aſperſi ſunt ſanguine Chriſti pretioſiſſimo. Dicit autem electos ſecundùm præſcientiam, vt cauſam. Itaque S. D. non arguit fundamentis Pelagij, ſed Apoſtolorum. Quòd verò Pelagius eo abuteretur, vel eo vteretur Presbyter Æthyopum Ioannes; aut Sophi Perſarum, non ſum ſollicitus.

285 Quoniam verò Bellarminus *lib.2. cap. 3. de gratia & lib. arbitr.* iubet, nos ad Auguſtinum ire, & epiſtolam 105. poſt initium, & librum ſecundum ad Bonifacium *cap.7.* conſolere.

Respondetvr, quòd illis locis agit ſolum contra Pelagianos volentes, Deum meritis nudi arbitrij condignis, teneri dare media omnia ad ſalutem; alioqui fore acceptatorem perſonarum, quod latè ibi proſequitur, vt dixi etiam *quæſt.11.* nos autem debitum prætendimus, non nobis, ſed Chriſto ſoluendum; congruitatem verò, ſeu motiuum qualecunque in nobis ſit, adhuc omnia gratiæ Dei accepta referre profitemur; neque è nudo arbitrio profectum, ſed è Diuinæ gratiæ auxilio.

286 Illud ſolùm mihi moleſtum eſt, quod ſi ratione meritorum Chriſti tenetur Deus omnibus dare æqualiter ſalutem, quantum in ſe eſt, ſequitur, eſſe acceptatorem perſonarum, dum ea media negat infantibus, qui in vtero moriuntur, quibus profectò medium neceſſarium Baptiſmi denegatur. Sed de hoc *diſput.22. q.5.* Interim dico, quòd Deus præparauit media omnibus, ſeruato curſo naturali, nolens miraculis alligari. Ita enim ſuauem prouidentiam decuit. Itaque infantibus medium Baptiſmi parauit, ſed modo dicto, nec amplius debuit; ſicut neque adultis ordinariè, mediantibus miraculis, auxilia porrigit neceſſaria.

Probatvr tertiò à D. Bonauentura *d.40. quæſt.1. & 2.* ex duabus prædeſtinationis conditionibus neceſſariis, altera eſt, vt non imponat neceſſitatem: altera, vt ſit certa. 287

Harvm conditionum prior, nempè prædeſtinationem non inferre arbitrio vim, definita eſt à Cæleſtino Papa in defenſionem doctrinæ S. Auguſtini, à S. Proſpero relatæ ad Sedem Apoſtolicam, vt patet in eius epiſtola, quæ eſt ante librum S. Auguſtini *de prædeſt. Sanctorum.* Definitur etiam in Concilio Conſt. *ſeſſ.15.* & in Tridentino *ſeſſ.6. can.17.*

Præclarè verò probatur omnibus Scripturis, quæ omnibus indifferenter præcipiunt obſeruationem mandatorum Dei vſque ad finem; promittunt præmia perſeuerantibus; conteſtantur tranſgredientibus pœnas: Laudant bonos; malos vituperant. Hæc enim omnia funditùs ruerent, ſi ex neceſſitate prædeſtinationis, vel reprobationis operaremur, vt aduertit S. Bonauentura *l.1. Compend. Theol. capite 30.* & nos *diſp.13. quæſt.11.* & diſſeremus *q.20. tract.9.* qui erit de Anima, *diſp. de libero arbitrio.*

Altera verò conditio, nempe vt prædeſtinatio ſit certa, probatur à Seraphico ad Ioan. 13. *Ego ſcio quos elegerim.* 2. Tim. 2. *Nouit Dominus, qui ſunt eius.* 1. Ioan. 2. *Ex nobis prodierunt, ſed ex nobis non erant. Nam, ſi ex nobis fuiſſent, permanſiſſent vtique nobiſcum.* Quem locum latè proſequitur D. Auguſtin. qui etiam definit Prædeſtinationem, l. de bono Perſeuer. capite 14. *Eſt præparatio, & præſcientia beneficiorum Dei, quæ certiſſimè liberantur, quicunque liberantur*, & nos oſtendemus *quæſt.21.* 288

His ſuppoſitis arguit S. Bonauentura *loco cit. & in Compend. Theol. cap.30.* Si Deus antecedenter ad omne meritum ex parte noſtra liberum prædeſtinaſſet; ſequeretur vnum è tribus ingentibus abſurdis, nempè tale decretum, aut non eſſe certum; aut poſſe in executione impleri ſine prædeſtinati cooperatione; aut imponere prædeſtinato neceſſitatem ad cooperandum. Probatur ſequela: Nam ſuppoſito illo decreto, vel poteſt adhuc prædeſtinatus non cooperari; vel non. Si poteſt adhuc non cooperari. Vel poteſt illud decretum non impleri, ac proinde eſſe incertum; vel ſi nihilominus certum eſt, & implebitur, poterit impleri ſine cooperatione prædeſtinati. Si autem neceſſariò ex hypotheſi illius decreti cooperabitur: Ergo illud decretum imponit neceſſitatem prædeſtinato cooperandi; nam neceſſitas actus ex aliqua tali hypotheſi, quæ neque eſt ipſe actus, neque includit in ſe reſpectum ad exercitium eius, eſt neceſſitas ſimpliciter; vt 289

ſi ex hypotheſi, quòd Sol mouetur; tu deberes neceſſariò loqui; profectò tibi neceſſarium ſimpliciter eſſet, loqui, eò quod illa hypotheſis eſt omninò antecedens, nullum includens in ſe certum aliquem reſpectũ ad tuam locutionem, vt exercendam tua libera poteſtate: ſecus verò eſt, cùm neceſſitas actus exiſtit ex tali aliqua hypotheſi, quæ vel eſt ipſe actus, vt cùm dico Petrus, poſito quòd currit, neceſſariò mouetur: vel includit certum reſpectum ad actum, vt cùm dico, Petrus neceſſariò currit, ſuppoſito quòd Ioannes vidit eum currentem; aut ſi in propoſito noſtro diceretur, Petrus neceſſariò cooperatur; poſito quòd ab æterno fuit prædeſtinatus, cum certo reſpectu diuinæ præſcientiæ ad eius futuram cooperationem, vt exercendam eius libero arbitrio; tales enim neceſſitates non ſunt neceſſitates actuum ſimpliciter, ſed ſecundum quid, & conſequentiæ, quæ cum libertate conſiſtunt. Poteſt autem huius diſcriminis ratio ex ipſa definitione liber- 290

291 tatis aſſignari. Actus enim liber is eſſe definitur, qui poſitis alus tebus quibuſcunque, poteſt adhue exerceri; & noo exerceri. Hine igitur ſequitur, actum illum non eſſe liberum, qui non poteſt non exerceri, poſitâ aliquâ hypotheſi, in qua ipſe actus non ſecundùm ſe, nec ſecundùm alicuius reſpectum ad ipſum ponatur: eſſe verò liberum ſimpliciter, qui poſſit non exerceri, poſitâ aliquâ hypotheſi, in qua ipſe, vel aliquis reſpectus ad ipſum includatur, nam hoc non obſtante, antecedenter, erit in noſtra poteſtate. Ratio verò, cur hoc ſecundo modo, non deſinat eſſe liber, eſt ea, quam attulimus *d. 13. quæſt. cit.* ſuprà, quia ſola illa implicatio includitur; quòd, quando res eſt, neceſſe eſt eſſe: at dum eſt, non adeſt aliqua cauſa antecedens ipſam rem determinans. Iam ergo, ſi ita res ſe habet, vt neceſſe ſit cooperari, ſuppoſito, quòd prædeſtinatio includat reſpectum ad prædeſtinationem; non tollitur, quin liberè cooperaretur; at verò ſi neceſſe ſit cooperari ex hypotheſi prædeſtinationis abſolutè præcedentis noſtrum arbitrium; iam neceſſitas hæc, cùm ſit antecedens, ità alligat arbitrium, vt non poſſit non cooperari; vel certè ſi poterit non cooperari, reddit, vel ſupponit decretum antecedens, non eſſe certum, & infallibile; vel ſi certum eſt, poterit impleri ſine cooperatione prædeſtinati.

292 Hinc præcluditur effugium Thomiſtarum, quod intentat etiam Trigoſius ad ſecundam rationem, & alij prædeſtinatum neceſſariò cooperaturum, atque ad ſalutem peruenturum, neceſſitate conſequentiæ, & conſequentis, quæ eſt neceſſitas antecedens; ſeu in ſenſu compoſito; non in ſenſu diuiſo. Contrà eſt enim. Nam ſenſus compoſitus dicit ſimul poſitum decretum cum operatione, vt oſtendam t. 2. *tract. 5. d. 1. quæſt. 4.* non eſt autem ſenſus compoſitus in caſu noſtro, vbi decretum antecedit libertatem, ac proinde eſt cauſa influens neceſſitatem, vt etiam dixi *d. 13. quæſt. 7.* Neceſſitas enim hæc non componitur cum libertate, ſeu cum actu eius, ſed illam omninò antecedit cauſalitate; & ideò inducit illam neceſſitatem antecedentem inimicam libertatis.

293 Respondet ſecundò Trigoſius cum nonnullis Scotiſtis, illam neceſſitatem eſſe meram extrinſecam, quæ non violat intrinſecam libertatem voluntatis, quæ eſt potentia intrinſecè ſeipſum determinans; extrinſecè verò neceſſariò id ſit, quatenus non potuit non eſſe. Sit exemplum in obſtinatiſſimo peccatore, qui ſe tandem in puteum projicit, & in vltimo inſtanti habet contritionem, & ſaluatur, quia prædeſtinatus eſt. Illa igitur contritio ſecundùm naturam voluntatis fuit libera, quia licèt tunc non potuerit ſimul habere actum oppoſitum; non tamen repugnat illi habere actum oppoſitum, loquendo de ſimultate potentiæ.

294 Hæc reſponſio refutata eſt *d. 13. quæſt. 7.* ac multis ſcatet infirmitatibus. Primò enim in prædeſtinatis, ſaltem ordinariis, ſaluanda eſt potentia contradictionis; vt definit Concilium Tridentinum, ità vt in illo vltimo inſtanti poſſit velle, & nolle ſalutem; ad hanc autem libertatem non ſufficit intrinſeca voluntatis facultas, ſed requiritur ne ab extrinſeco neceſſitatem patiatur. Nam illud etiam multi hæretici admittent, è quibus Philippus Melanchthon; vt dixi *d. 13. quæſt. 11.* cùm de concordia præſcientiæ Dei cum libertate noſtrà egimus. Neceſſitas enim extrinſeca eſt vera neceſſitas; imò vera violentia venit ab extrinſeco, vt docet Ariſtoteles. Itaque ſi hæc neceſſitas præcedit actum, & in eum influit, quomodo is poteſt exire liberè eo modo, quo deffiniunt CC. Senonenſe, & Tridentinum? Neque in exemplo allato eſt ſola neceſſitas ſenſus compoſiti, qui eſt ex ſuppoſitione, quod ille velit liberè illum actum contritionis, ità vt eatenus tantùm ſit neceſſariò, quatenus neceſſe eſt, rem eſſe, quando eſt, ſed antecedenter in ſenſu diuiſo iam determinatus eſt ille actus in æterno decreto, & ei infuſus ante omnem operationem eius. Itaque antecedenter eſt in tali ſtatu, vt ei non minùs repugnet, eum recuſare, quam repugnet voluntatem efficacem Dei abſolutam, irritam fieri. Quo ruit etiam reſponſio Nazarij, motionem Dei recipi in voluntate ad modum eius, ideò non violari libertatem; ſed perfici. Hæc eſt mera cæremonia.

Respondet Vaſquez *d. 99. cap. 6.* Bellarminus *l. 2. de gratia, & voluntate, cap. 15. ad ſecund.* Arriaga *loco citat.* & alij, quòd præfinitio, vel prædeſtinatio Dei non præcedit ordine cauſæ noſtram determinationem, ſed illam comitatur; & ità neceſſitas, quæ ſequitur prædeſtinationem Dei, eſt comitans, aut ſequens noſtram liberam determinationem: ſicuti enim neceſſitas, quæ ſequitur è ſcientia Dei, noſtram non temerat libertatem, quia conſequitur noſtram determinationem; eodem modo neceſſitas, quæ ſequitur ex decreto Dei, non lædit illam, quia ipſam ex ſe determinatam ſupponit. Deus enim antecedenter ſolùm mouet moraliter alliciendo: at in conſenſu, ſeu applicatione phyſica, non antecedit, ſed comitatur; & cùm idem ordo ſeruetur in executione, & in diuina prædeſtinatione, ſequitur, quod ſi gratia in tempore non lædit libertatem; neque eam lædat prædeſtinatio ad illam. Quæ ſanè præfinitio non ſtaret ſimul cum libertate, niſi præcederet in Deo ſcientia conditionalis, qua nouit quid facturus ſit quilibet tali, vel tali auxilio; cùm autem nouerit omnes iſtas combinationes auxiliorum cum libero arbitrio, in primo ſigno decernit, aliquem tali auxilio præuenire, cui reſponſurum fore iam nouit conditionaliter, ſi præueniatur. 295

In ſecundo ſigno decreuit cum determinatione voluntatis, quam ſub conditione nouerat, abſolutè cooperari, ac proinde noſtram determinationem ſuo decreto non antecedit, ſed comitatur: Ita ſe expediunt aſſertores ſcientiæ mediæ. Ex quo infert Bellarminus, poſſe illum in extremo vitæ nolle gratiam, ſed dari congruam, qualis non reijcietur infallibiliter.

Hæc tamen reſponſio deficit. Eſto enim decretum præueniendi Petrum ſit dependens à ſcientia media, qua videt eum in tali ordine poſitum reſponſurum; ac proinde hinc non temeretur libertas, ſicuti non temeratur in ipſa temporali vocatione, vt etiam aſſumit Valentia; attamen electio, ſeu prædeſtinatio dicit abſolutum decretum ſecundùm aduerſarios, nullo nixum reſpectu, nulloque motiuo determinans ad totum negotium ſalutis; atque adeò nullum reſpectum dicere debet ad concurſum eius, ſeu quia ſecundùm aliquos, antecedenter vult abſolutè finem prædeſtinati, & poſteà media decernit: vel ſaltem ſecundùm alios ex noſtris aduerſariis, vult finem ſub tali formalitate meriti, includens media. Itaque media volet poſt decretum; alioqui noſter concurſus aliquo modo deberet Deum mouêre ad prædeſtinandum; ac proinde motiuum prædeſtinationis concedent, eſſe conditionalem concurſum, non quidem nunquam futurum, vt obloquebantur Semipelagiani; ſed futurum, qui in decreto gratiæ intelligitur. Neque enim prædeſtinatio ad gratiam (vt ipſi fatentur) præcedit noſtrum concurſum futurum; ſed comitatur. Atque adeò ſi libertatem ſaluare volunt, cogentur motiuum prædeſtinationis concedere. 296

Neque dicat Vaſquez voluntatem mediorum efficacem poſſe præcedere voluntatem efficacem finis, poſſeque ex complacentia ſimplici finis prædeſtinare media efficaciter. Quia hoc à plurimis etiam ſuæ ſenten- 297

tiæ

tiæ refellitur: Quia eadem proportione eſt volitum medium ad finem, quâ ipſe finis eſt volitus.

298 Dicant, motiuum influens debet præcedere; non comitari, at concurſus præuiſus tantùm comitatur, neque poteſt influere; Quia priùs eſt voluntas efficax ſalutis cauſaliter; at concurſus comitatur tantùm, non influit. Contrà, Quia aduerſarij aſtruunt gratiæ decretum ſopponere, quòd Deus per ſcientiam mediam videat concurſum, quo fit, vt prius intelligatur voluntatis concurſus futurus, expurgatus à conditione, quàm decretum compleatur, & conditione inductus præcedat, atque adeò incipiat ſe ipſam voluntas diſcernere, cùm ſeparetur à reprobo, per hunc ſuum concurſum præuiſum. Fateor aſſertores ſcientiæ mediæ hoc argumento æquè non conuinci. Sed de hoc *quæſt.* 20. agam.

299 Probatur quartò à D. Bonauentura *in corpore, & fundamento primo*. Eodem modo ſe habet Deus in æterna prædeſtinatione, quo ſe habet in executione: Sed in tempore dat gratiam ex aliquo motiuo: Ergo & ab æterno. Maior probatur à S.D. *d.*40. *quæſt.*1. Primò è D. Auguſtin. *locis ſuprà citatis*, vbi definit, prædeſtinationem, Eſſe præparationem beneficiorum Dei, vt dixi etiam *quæſt.*2. propterea, *lib. de bono perſeuer. cap.* 15. ait. In prædeſtinatione Deum quodammodo contuliſſe prædeſtinatis illa, quæ ſuo tempore ipſis confert. Idem probatur à Seraphico *loco citat.* è D. Fulgentio de fide ad Petrum, *capite* 35. vbi idem aſſerit, & *l.*1. *ad Monim.* è D. Auguſtini ſententia, de eiſdem donis ait. *Hæc autem Deus ſicut in prædeſtinatione ſemper habuit; ſic per gratiam, ſicut prædeſtinauerat, facit* & *l. de Incarnatione, & gratia Chriſti, cap. vlt.* in fine ait. *Non aliter perficit in opere, quàm in ſua æterna voluntate habet diſpoſitum.* Hoc latè probaui *quæſt.*7. Minor probatur à Seraphico in corpore, ex illo, prima Cor 3. *Dei enim adiutores ſumus, & idem teſtantur alia ſcripturæ, quæ ab homine exigunt, vt ipſe quoque ſuam ſalutem operetur.* Iſaiæ 45. *Conuertimini ad me, & ſalui eritis*, capite 52. *Solue vincula colli tui captiua.* Hieremiæ 4. *Laua à malitia cor, vt ſalua fias.* Ezech. 18. *Facite vobis cor nouum.* Philip. 2. *Cum metu, & tremore veſtram ſalutem operamini.* Secunda, Petri 1. *Satagite, vt per bona opera veſtra certam veſtram vocationem, & electionem faciatis.* Hæc & ſimilia non inducuntur, vt nobis initium ſalutis adſeribamus, vt putat Vaſquez; ſed vt oſtendant, eſſe in nobis aliquid, vnde noſtra ſalus incipiat. Hoc autem nobis à Deo reconditum ait S. Bonauentura, vt ad ſollicitam nos vigilantiam excitaret. Idem habent SS. PP. omnes ante Auguſtinum. Ita Chryſoſt. *homil.* 51. *in Matth.* & *homil.* 16. *in ep. ad Rom.* Theodoretus *in capite* 9. *ad Rom.* Hieronymus *in cap.* 1. *ad Galat.* & *ad* 1. *Malach.* Proſper etiam, & Hilarius *in epiſtolis ad librum de prædeſtinat ſanctorum D. Auguſtini*, qui hos, & alios ſibi in hoc conformes teſtatur *l. de Gratia Chriſti, capite* 44. *l. de natura, & gratia, capite* 61. & idem docet D. Auguſtinus ipſe, vt oſtendit D. Bonauentura, & infrà exhibebo ſeorſim, quia eius auctoritas magni ponderis eſt, & ab aduerſariis nobis denegata. Neque verò meritum aliquod prædeſtinationi aſtruunt; ſed oſtendunt, initium noſtræ ſalutis à nobis quoque pendere, etiam primam vocationem, non modò in cooperatione; ſed in alio præcedenti (ſemper diuinâ aſſiſtente gratiâ.)

300 Hæc autem omnia ita ſe habere oſtendo etiam in Prædeſtinatione, vt inferebam in conſequentia argumenti *Rom.*8. Apoſtolus exactè prædeſtinationis ſeriem, & totam diſcurit rationem, Sic autem procedit, vt obſeruat Seraphicus *in Diata ſalut.* tit. 10. *c. vltim.* & *ad caput* 10. *Ioan.* in ea verba. *Non peribunt*, &c. *Quos præſciuit, & prædeſtinauit, hos & vocauit: quos vocauit, hos, & iuſtificauit: quos autem iuſtificauit, illos & glorificauit.* & poſtquam prolixè diſputauit, ne meritum inducatur prædeſtinationi, rurſum fatetur aliquod motiuum Dei præſcientiæ notum, capite 11. *Non repulit Deus plebem ſuam, quam præſciuit.* Et Petrus 1. capite 1. *Electis aduenis ſecundùm præſcientiam Dei Patris, &c.* Profectò præſcientia reſpicit res futuras; vt teſtantur, D. Auguſtinus paſſim, Proſper *epiſtola, cit.* & obſeruat Suarez de Trinit. *l.*9. *cap.*7. *num.*4. Vaſquez *p.p. d.*68. aſſerens *num.*28. D. Auguſtinum *l.*3. *de lib. arb. cap.*4. & *num.*37. eundem D. Auguſtin. 5. *de ciu. cap.* 15. Origenem in id Rom. 8. *Quos præſciuit, & prædeſtinauit*, Iuſtinum *l. quæſtionum* à gentibus Chriſtianis *poſitarum q.*58. Chryſoſtomum *homil.* 60. ſuper Matth. Damaſcenum *l. contra Manichæos* non longe à fine; Cyrillum *l. in Ioannem, c.*10. Hieronymum in id Ezech. 2. *Hæc dices ad eos*, & in illud Hierem. 23. *Noli ſubtrahere verbum*, Boëtium *l.*5. *de conſol. proſa* 3. Bedam *tom.*8. *l.*9. *q. quæſt.*13. Certum eſt igitur, præſcientiam reſpicere res futuras. Cùm igitur prædeſtinatio ſupponat in prædeſtinato aliquod futurum ad eam ſpectans, vt dicit Apoſtulus; quid ampliùs id negant aduerſar j.

301 Rsspondent Bellarminus *cap.*13. Vaſquez *cap.*18. Trigoſius *ad* 1. Nazarius 5. *Tertio dico*, ſenſum eſſe. Quos præſciuit ſcientia approbationis, ſeu quos dilexit, hos prædeſtinauit. Nam præſcire, pro *approbare*, interdum ſumitur, vt Rom. 11. *Non repulit plebem ſuam, quam præſciuit*, 2. Tim. 2. *Nouit Dominus, qui ſunt eius*, Matth. 23. *Non noui vos.* Ioan. 10. *Cognoſco oues meas.* Hic exultat Morandus *num.*479. ſenſum innatum acclamans.

302 At nunquam inuenio præſcientiam cum approbatione confundi, neque hic benè ſonat. Quos approbauit, hos prædeſtinauit; eſſet enim vitioſa Battologia, inaniſque repetitio: Nam prædeſtinatio eſt approbatio, vt probat Vaſquez *num.*142. *è D. Aug. lib. de bono perſeuer. cap.*18.

Dicit verò, fieri repetitionem more Scripturæ. Dicat mihi Vaſq. vbinam Scripturarum hoc modo loquendi diſtinctiuo fiant iſtæ repetitiones, vt *Verbi gratia* dicat: Quos cognouit, etiam cognouit, & ſimilia? Multò minùs conuenit illi Rom. 11. *Non repulit plebem ſuam, quam approbauit*; eſſet enim lepidum Doctoris gratiani dictum: Non reprobauit, quos approbauit.

303 Rssponost ſecundò Vaſquez *num.* 143. ſenſum eſſe. Quos præſciuit futuros conformes imaginis filij ſui, etiam prædeſtinauit conformes fore; & ità infert, eos ita præſcitos à Deo, vt etiam fuerunt prædeſtinati, cùm alioqui multa præſciat Deus, quæ non prædeſtinat; vt peccata.

304 Hæc reſponſio inualida omninò conuincitur. Dico ergo, ſuperfluam eſſe hanc cautelam, nempe aduertendo, prædeſtinationem reſpicere opus non malum, ſanctorumque ſanctitatem, & gloriam non eſſe inter peccata computandam, & vt talem præſciri quidem poſſe, non autem prædeſtinari; maximè verò cùm prædeſtinatio ad conformitatem cum filio Dei ſit adeo ſancta, vt ridiculum ſit eam à peccatis diſtinguere. Igitur iocoſa eſt expoſitio. Quos præſciuit conformes fieri imagini filij ſui, hos etiam prædeſtinauit fieri conformes, quia hæc conformitas non eſt peccatum; & ideò potuit præſciri, & prædeſtinari.

305 Rasponost tertiò Vaſquez, ſenſum planum è præcedentibus haberi. Dixerat enim ſuprà, filios Dei hæredes eſſe regni cæleſtis, ſi tamen compatiantur Chriſto, vt & conglorificentur, quod eſt ipſi conformes fieri. Deinde, vt oſtenderet vim, & meritum laborum, dixit. *Diligentibus Deum, omnia cooperantur in bonum:*

Intelligi

quentiam prædeſtinationis, poſt præſcientiam, ſicuti eadem conſequentia infertur in ſequentibus: *Quos prædeſtinauit, hos etiam vocauit, &c.* in quibus apertus eſt ordo. Nam primò eſt vocatio: ſecundò iuſtificatio cum perſeuerantia: vltimò glorificatio. At veniant præclari iſti viri docere Apoſtolum ordinatè loqui. Imò obſeruat S. Bonauentura *ad loc. cit. Ioan.* ſic legendum. *Quos præſciuit, hos & prædeſtinauit*, ſicut infrà dicit: *quos prædeſtinauit, hos & vocauit*, &c. quæ particula dat vim. Quicquid dicat Maſtrius *n.* 74. poſt Caietanum.

Replicat Trigoſius, particulam (*&*) ſumi cauſaliter, nempe *quia* prædeſtinauit, ideò & præſciuit; ſicut cùm dicitur, *Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui.* Quod explicandum: Tu benedicta, quia benedictus fructus ventris tui. Et Iſaiæ 64. *Tu iratus es, & peccauimus*, ideſt. Quia peccauimus, iratus es. Sic. Quia prædeſtinauit, etiam præſciuit.

314 Hæc tamen expoſitio extorta eſt. Nam Apoſtolus hîc non diſertiorè, ſed ſubtiliùs agit de ordine prædeſtinationis; & ſicut in cæteris non peruertit, ita neque in hoc, alioqui idem ſignificabit in ſequentibus ſic: Quos vocauit, ideſt, quia primò iuſtificauit; ideo vocauit, atque eoſdem iuſtificauit, quia prius executione glorificauit; quæ eſſent ridicula: vel particulas (*&*) (*etiam*) duarum linearum termino æquiuocè accipit; neque verò eſt vllus Patrum ita exponens; è contra verò tot Patribus noſtra fulcitur expoſitio. Neque illæ duæ Scripturæ ſunt ad rem. Nam locus ille 1. Lucæ, *Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui*, nullam rationem reddit, ſed gradatione Oratoria acclamat Benedictam virginem, quam ſalutat, & aliùs filium eius, quem portabat, vt acutè exponit Seraphicus *ibi*.

315 Ille autem Iſaiæ 64. poteſt intelligi ſic: Te irato, & nobis peccantibus perſtitimus in noſtris miſeriis, vt elicitur ex Hebræo apud Pagninum. Vel iratus es: ſubtrahens nobis, ob culpas noſtras, ampliora auxilia, & peccauimus, ita vt peccata ſint effectus pœnales iræ Dei permittentis reprobos labi, iuxta id. *Qui in ſordibus eſt, ſordeſcat adhuc.*

Quòd verò ait Nazarius, ſumi præſcientiam pro ſimplici intelligentia, falſum eſt, & contra Patrum ſenſum, apud Sixtum, & *diſp.* 13. ſolidatum.

Alias reſponſiones Trigoſij omitto, quia leniores ſunt.

316 Probatur quintò à D. Bonauentura ex Apoſtolo ad Rom. *cap.* 8. *& ſequentibus*, quibus abutuntur aduerſarij. Ibi enim ex propoſito diſputat de prædeſtinatione. Ibidem autem prudenter enititur, vt & Gentiles, & Iudæi iudicia diuina humiliter venerentur. Quoniam verò Iudæi ſolito ſupercilio, ac faſtu Abrahamitæ origine elati, Gentes ſpernebant; eos terruit exemplo Eſau ex Abrahamico ſtipite reiecti ab hæreditate, ac reprobati: Gentes verò, quia Iudæos à Deo abiectos arbitrabantur ad ima, vocat argumento à maiori. Quod ſi Iudæos ſancto, ac domeſtico ſtipite detruncauit, moltò id ſibi magis timêre debent Pagani, Syluatico è germine erumpentes, ſeu oleaſtri inſiti, ne iuſtè recidantur. Proſequitur Iudæos, aſſerens,

317 ex eorum incredulitate anſam acceptam patefaciendi aditum vocationi Gentilium, qui priua Iudæos ſpernebant. Infert, Deum omnia incluſiſſe in incredulitate, vt omnibus miſericordiam exhiberet; ac proinde permiſiſſe, Iudæos fieri incredulos; vt ad gentes conuerterentur ſpreti ab illis Apoſtoli; ſicut ante permiſerat Gentium infidelitatem, vt Iudæorum miſereretur. Quia quantum ex ſe eſt volens omnes ſaluos fieri, vellet omnium miſereri. Hîc Apoſtolus vocem attollit: *O altitudo diuitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei: quàm incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius! Quis enim nouit ſenſum Domini? Aut quis conſiliarius eius fuit? Aut quis prior dedit illi, & retribuetur ei? Quoniam ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia: Ipſi gloria in ſæcula.*

Hæc verba miro modo è præcedentibus hauſta 318 ſunt. Exclamat admirabundus Oceanum diuitiarum ſapientiæ Dei. Cùm enim anteà oſtendiſſet diuitias meritorum in ſanguine Chriſti; vmbrarum antiquarum admirabile complementum; legis Moſaycæ in Euangelium tranſmigrationem; mutationem in Chriſti prædeſtinatione; & Incarnatione, tranſmiſſionem veteris in nouum teſtamentum; & voluntatem Dei omnibus miſerendi; attamen tot reprobos fieri, vt plurimis è vocatis, pauci electi fuerint: Admiratur tot theſaurorum profuſionem. Vult quidem certiores nos facere, debitum nullum à Deo nobiſcum è noſtris meritis contractum; ſed arcanas rationes motiuas, ob quas tam pauci, in facie infinitæ bonitatis, auidè cupientis omnium ſalutem in abyſſo maris pretioſiſſimi ſanguinis, copioſa fruantur redemptione, ac plurimi pereant. Sanè non Dei ſolam adducit voluntatem; alioqui non eſſent Dei iudicia inſcrutabilia, ſed voluntaria, cuique rudi clara, vt ait Ferchius cum Seraphico; neque cum voluntate omnium miſerendi, neque cum tot meritorum impenſis conſona eſſent. Sed obſtupeſcit in ſanguinis pretioſiſſimi pelago; in charitatis Diuinæ flammigero Ætna tot perire; tamque paucos arcanis motiuis diſcerni.

Et hic quidem ſenſus aduerſariorum confeſſione eſt Patrum Sanctorum votis vnanimiter conclamatus; excipiunt autem D. Auguſtinum. Sed ecce oſtendo illum cum cæteris conſentire.

Igitur S. Auguſtin. *de natura boni aduerſus Manichæos, cap.* 30. *tom.* 6. ait: *Item quia cuique culpa quanta, & qualis debeatur pœna diuini iudicij eſt, non humani. Sic Scriptum eſt. O altitudo diuitiarum, quam inſcrutabilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius!* Pergit verò oſtendere Dei bonitatem, merita ſanguinis Chriſti, vt Apoſtolus ait *ibi* in eos, qui vocati ſunt, & electi; poſt quæ allatam effundit exclamationem. Profectò vult aliquo motiuo id fieri, vt pauculi prædeſtinentur, cùm ex parte Dei omnibus ſit volita ſalus.

In Soliloquiis *cap.* 28. *tom.* 9. ait: *Mundas autem de nobis filiis hominum eos, in quibus tibi complacuit inhabitare: quos ab inacceſſibilibus profundis ſecreti iudiciorum incomprehenſibilium ſapientia tua, ſemper iuſtorum, licèt occultorum, ſine eorum meritis prædeſtinaſti ante mundum, vocaſti de mundo, iuſtificaſti in mundo, & magnificas eos poſt mundum. Non omnibus autem hoc facis; quod admirantur tabeſcentes omnes ſapientes terræ. Et ego Domine hoc conſiderans expaueſco, & obſtupeſco de altitudine diuitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ tuæ, ad quam ego non pertingo; & incomprehenſibilia iudicia iuſtitiæ tuæ: quoniam ex eodem luto alia quidem facis vaſa in honorem, alia verò in contumeliam ſempiternam.*

Obſerua admirari iudicia incomprehenſibilia, quæ 319 vocat iuſtitias non voluntaris, quibus aliquos eligit; alios relinquit. Et vt oſtendat, non eſſe iuſtitiæ propriè, vocat vtroſque ex eadem maſſa; non quia ex æqualibus abſque motiuo ex parte iſtorum eos prædeſtinet, vt malè exponit Vaſquez, admonens nos, vt ſtemus in Metaphora einſdem Maſſæ. Cui expeditè reſpondeo, admonens eum ex D. B. *d.* 41. nos, ſtando ſimilitudini ad vnguem, lapſuros in Caluiniſmum. Nam Caluinus, exemplo maſſæ niſus, vult, nos merè paſſiuè haberi ad ſalutem. In hoc igitur ſtat ſimilitudo. Quod, cùm ſimus omnes ex eadem maſſa;

omnes rei mortis, aliquos tamen eligit iuſtè ob motiuum, quod non eſt meritum. Idem vult *l.1. de bono perſeuer. cap.11.*

320 Clarivs *de gratia, & lib arb.ad Valcminum,c.22.* explicat *tom.7.* hæc Apoſtoli verba. Poſtquam autem retulit exemplum de paruulis, quorum aliqui baptizantur;alij non poſſunt baptizari; ait. *Fiunt verò iſta per occultam Dei prouidentiam, cuius inſcrutabilia ſunt iudicia, & inueſtigabiles viæ: quod vt Apoſtolus diceret, quid prædixerit intuemini. Agebat enim de Iudæis, & Gentilibus, cùm ſcriberet ad Rom. ideſt, ad Gentes, & ait: Sicut enim aliquando vos non credidiſtis Deo, nunc autem miſericordiam conſecuti eſtis in illorum incredulitate: ita & hi nunc crediderunt in veſtra miſericordia, vt & ipſi miſericordiam conſequantur: concluſit enim Deus omnes in infidelitate, vt omnium miſereatur. Et cùm attendiſſet quid dixerit, admirans ſententiæ ſuæ certam quidem veritatem, ſed magnam profunditatem, quomodo concluſerit Deus omnes in infidelitate, vt omnium miſereatur, quaſi faciens mala, vt euenirent bona, mox exclamauit: O altitudo diuitiarum, &c. quàm inſcrutabilia ſunt iudicia eius.* Et pergit magnificare Diuinam miſericordiam;ideóque dictum ait: *Pſalm.100.* Miſericordiam primò, & ſecundò iudicium cantabo. *Prius enim non venit filius hominis in mundum,vt iudicet mundum, ſed vt ſaluetur mundus.*

321 Præclare verò id habetur *l.83. quæſt.68.* vbi ait: *Hic fortaſſis conturbatur ad illam quæſtionem redis: Cuius vult miſeretur,& quem vult indurat. Quid adhuc conqueritur? Voluntati enim eius quis reſiſtit?* Cui reſpondet S. Auguſtin. *Sed hæc voluntas Dei iniuſta eſſe non poteſt; venit enim de occultiſſimis meritis, quia & ipſi peccatores cùm propter generale peccatum vnam maſſam fuerint, non tamen nulla eſt inter illos diuerſitas.*

322 Respondet Soto *in cap.9. ad Rom.* & Corduba *l.5. quæſt 56.* retractatùm hoc à D.Auguſtin. Sed hoc refellit Vaſquez *num.148.* & meritò. Trigoſius *ad 2.* vagam dat reſponſionem,S. Auguſtinum id retractaſſe *l.de bono perſeuer. cap. 19. vel alibi.* Inueniat igitur textum,qui nullibi citatus habetur.

Reſpondet igitur ibi Vaſquez cum Bellarmino *l.2. cap.14.* D.Auguſtinum id explicuiſſe *l.1.Retract. c.26.* venire ex occultiſſimis meritis,non reſpectu vocationis, ſed reſpectu iuſtificationis, quam præcedunt merita congrua,& poſt iuſtificationem.

Attamen *loco cit. Retractationum,* vbi non ſolùm quæſtiones iſtas,ſed etiam periodos, & comas,ac verbula ad trutinam auſteram reuocat, nihil de hac ſententia dicit; ſed ſolùm de quibuſdam aliis, quibus viſus erat aſſeruiſſe, voluntatem priùs eſſe bonam, & poſtea pacem recipere; vnde dicatur. *In terra pax hominibus bonæ voluntatis,* quod Maſſilienſis phraſim ſapiebat. Hinc autem merita non prætendit S.Auguſt. propria,neque congrua eſſe è nodo arbitrio cum Maſſilienſibus: ſed nonnullum tamen motiuum. Hoc verò ſatis apertè declarat immediatè ſequentibus verbis, *non tamen nullam, &c.* vt adnotat Palatius *d.4. diſp.1.* Trigoſius *hîc,concl.9.*

323 Vbi etiam illud aduertendum, S. Auguſtinum eadem doctrina, qua & *l.de bono perſeuer.* & *l.de prædeſtinat. ſanctorum,* retundere Maſſilienſes, ſupponendo, nullum in nobis eſſe poſſe meritum viribus nudis naturæ nixum. Quia omnes ſumus è maſſa perditionis. Itaque ſi aliqua eſt differentia,oritur à gratia.

Præterea S. Auguſtin. *l.1. ad Simplicianum q.2.* circa medium, explicans ea verba. *Numquid iniquitas apud Deum?* Sic loquitur de prædeſtinatione: *Sit igitur fixum, atque immobile in mente ſobria pietate, atque ſtabili fide, quod nulla eſt iniquitas apud Deum: atque ità tenaciſſimè, firmiſſiméque credatur idipſum, quod Deus cuius vult miſeretur; & quem vult obdurat, eſſe alicuius occultæ,atque ab humano modulo inueſtigabilis æquitatis: eorum autem non miſeretur, quibus miſericordiam non eſſe præbendam, æquitate occultiſſima iudicat. Inſcrutabilia enim ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius.*

Concludit,quòd licèt de eadem maſſa extrahantur,tamen iuſtiſſimo,& æquiſſimo iudicio aliquos eligit, aliis relictis. Si autem ſola voluntate id faceret, nil de iudicio æquitatis inſcrutabili dicendum eſſet; ſed ſolùm id voluiſſe. Semper tamen meritum proprium etiam ex gratia excludit à motiuo prædeſtinationis. Et hoc idem voluit *l.1. Retract. cap.23.* quem refert S. Bonauentura cum Magiſtro *d.41. dub.1.* & *in hac quæſt. in corpore.* Retractans enim S.Auguſtin. id, quod dixerat in epiſtolam ad *Rom.8.* Ideo Deum elegiſſe Iacob, quia talem futurum præſciuit, qui in eum crederet;ſolùm retractat, quod præcedant merita propria deſtruendo gratiam, & congrua è nudo arbitrio; vt obſeruat Seraphicus *dub.1. d.41.* Addit verò, eum etiam audaciorem,qui vult motiuum prædeſtinationis deſignare,cùm ſit occultum. 324

Deinde *l.2. Retract. cap.1.* examinans quæſtionem ſecundam lib. primi ad Simpl. ait: *In huius quæſtionis ſolutione (nempe de prædeſtinatione Iacob, & reprobatione Eſau) laboratum eſt pro libero arbitrio voluntatis humanæ; ſed vicit Dei gratia. Nec niſi ad illud potuit perueniri, vt liquidiſſima veritate dixiſſe intelligatur Apoſtolus. Quis enim te diſcernit? Quid autem habes quòd non accepiſti? Si autem accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis?* In eo autem libro, eaque quæſtione diſcutiens illud. *Non ex operibus; ſed ex vocante dictum eſt ei. Maior ſeruiet minori,* infert: *Ergo ante omne meritum eſt gratia. Etenim Chriſtus pro impiis mortuus eſt:* Rom.5. *Ex vocante igitur minor accepit, non ex vllis meritis operum ſuorum, vt maior ei ſeruiret, vt etiam, quod ſcriptum eſt* Iacob dilexi, *ex vocante ſit Deo,non ex operante ſit Iacob.* 325

Igitur S.Auguſtinus ſola merita excludit,& ad hoc peruenit dicens. *Iam enim diſcernitur fidelis ab impio. Quid enim habes,inquit,quod non accepiſti? &c.* 326

Altiùs verò conſiderandum dictum S. Auguſtin. *Nemo eligitur,niſi iam diſtans ab illo, qui reijcitur.* Vnde quia dixit. *Elegit nos ante mundi conſtitutionem; non video quomodo ſit dictum, niſi præſcientia.* Igitur dummodo confiteamur nos gratiâ Dei diſcretos ante electionem per aliquod ſanè motiuum, non meritum, optimè ſaluatur id 1. Cor.4. *Quis autem te diſcernit?* Quæ cum ita ſint,concludit S.Auguſtin. *Sit igitur hoc fixum,atque immobile, atque ita tenaciſſimè,firmiſſiméque credatur, quòd Deus, cuius vult miſeretur, & cuius vult non miſeretur, eſſe alicuius occultæ, atque ab humano modulo inueſtigabilis æquitatis, quæ in ipſis rebus humanis, & terrenis contractibus animaduertenda eſt. In quibus niſi ſuperna iuſtitiæ quadam impreſſa veſtigia teneremus,nunquam in cubile ſanctiſſimum ſpiritualium præceptorum, noſtræ infirmitatis inhiaret intentio.*

Tandem concludit. *Sine exigatur, ſine donetur,nulla eſt iniquitas; eorum autem non miſeretur, quibus miſericordiam non eſſe præbendam æquitate occultiſſimâ, & ab humanis ſenſibus remotiſſimâ iudicat. Inſcrutabilia ſunt iudicia eius,& inueſtigabiles viæ eius.*

E quibus optimè deducit S. Bonauentura Apoſtolum aſſerere,dari motiuum prædeſtinationis (vt exponit S. Auguſtinus)quo appareant Deo ante electionem differentes aliqui, & aptiores, & decentiores, vt eligantur; tametſi illud, quo diſcernuntur à reliquis,debeat eſſe non meritum ex iuſtitia; ſed congruum quid meritulum imperfectum,gratiâ Dei innixum,quo diſ- 327

cernamur,

cernamur, vt ſuſtineatur dictum Apoſtoli. *Quis te diſcernit?* Hoc autem motiuum ab Apoſtolo, & Auguſtino occultum, & à noſtro captu remotiſſimum aſtruitur, quod æquitatis aliquid contineat, ſeu rationabilitatis, vt Iacob præ Eſau eligeretur, & hoc ex iuſtitiæ humanæ ſimilitudine explicat, quæ eſt diuinæ participatio. Nam creditor, ſi miſeretur huius debitoris, non illius, ſi non facit iniuriam. Quia quod eſt ſuum, remittit; attamen ſemper rationem aliquam habet in mente, ob quam rationabiliter huic remittit; illi verò nequaquam.

S. Doctor hoc ſolidiſſimo niſus fundamento S. Apoſtoli, iuxta explicationem S. Auguſtin. eximij gratiæ defenſoris, aſſertionem ſuam poſuit, quam inſulsè nonnulli Theologi erroris, aut temeritatis notâ conſpurcarunt, vt iuſtè deplorant Trigoſius, hic, *concl.9.* Coriolanus *in Commentario*, & alij.

328 Hinc quoque videbis id, quod neque Trigoſius, neque Coriolanus perſenſerunt. Cur S.D. inſiſtat hanc aſſertionem à D. Auguſtino traditam in ipſa operum cenſura extrema, poſt omnes retractationes. Nam licèt hæc aſſerat *in lib. ad Simpl.* qui fuit primum opus ab eo contextum in Epiſcopatu; tamen, quia *in l.2. retract. cap.1.* in cenſura exactiſſima confirmatur, vt dixi, ſolùm ea conditione, vt initium, & motiuum prædeſtinationis, non ſine gratia ponatur, vt permaneat dictum Apoſtoli. *Quis autem te diſcernit? &c.* & in libris de bono perſeuer. & prædeſtinat. ſanctorum, quos vltimò contra Semipelagianos ſcripſit, eos admonet, vt pro ſana doctrina diſcenda conſulant ſuos libros ad Simplicianum. Ideò iuſtè inconcuſſum ſibi in D. Auguſt. fundamentum, & irreuocabile placitum aſtruit ſuæ ſententiæ, quæ eſt pietati conſentanea, & ad ſpem excitans, & ad opera vigilanter pro ſalute patranda accendit.

329 Valeat igitur Bellarminus, qui *l.2. cap.15. de gratia, & lib. arb.* dixit S. Auguſtinum aliter *in ep.105. & 106.* docuiſſe. Hæc enim cum in libris poſtremis deſcriptis ſunt confirmata, credam multò minùs in præcedentibus læſa; vel ſi aliter explicita, nil lædit Seraphicum, qui vltimo S. Auguſtini nititur teſtamento.

Ex Apoſtolo, & D. Auguſtino eruit S. Bonauentura aliquas rationes.

Prima ratio eſt. Omnis voluntas perfecta, eſt in ſuo actu rationabilis, habens aliquod motiuum ſemper, & aliquam rationem ſuarum operationum, Voluntas Dei eſt perfectiſſima: Ergo in omnibus actibus agit aliqua ratione: Ergo & prædeſtinando. Maior eſt D. Auguſtini, & Damaſceni apud Alenſem. Minor eſt clara. Porrò argumentum ferè conceditur à Bellarmino, *cap.9.*

330 Respondent communiter *argumento quinto*, ad oppoſitum D. Bonauenturæ, voluntatem Dei ſatis ſibi eſſe pro ratione, cùm ſit prima regula rectitudinis.

Argvo contra è D. Auguſtino *loc. cit. ad Simplicianum, ſupra.* Participantes de prima regula rectitudinis, ſequuntur eandem primam regulam. Sed homines in ſuis commerciis, quamuis creditor plurium remittat huic; non cæteris; non eſt iniuſtus, attamen huius differentiæ habent aliquam rectam rationem. Ergo & Deus. Confirmatur. Si enim non lateat aliqua ratio, non erit actus æquitatis etiam late, qualem S. Auguſtinus admittit in humanis commerciis, & in Deo. Hæc eſt Seraphici inſtantia *in corpore.*

331 Secvnda ratio. Electio requirit diſparitatem in his, qui præ cæteris recti eliguntur. Vnuſquiſque enim prudens eligit, quod melius eſt. Sed Deus rectè eligit aliquos, præ cæteris: Ergo differentes in aliquo bonò præ cæteris. Hoc argumentum habetur fundamento 4. & 5. & eſt D. Auguſtini *loc. cit. ad Simpl.* in illis verbis. *Nemo eligitur, niſi iam diſtans ab illo, qui reycitur, vnde quia dixit: Elegit nos ante mundi conſtitutionem, non video quomodo ſit dictum, niſi praſcientia.*

Respondet Bellarminus *cap.15.* S. Auguſtinum aliter explicuiſſe *ep.105. & 106.* atque dixiſſe, electione ipſa fieri diſparitatem; non autem ſupponi. Quamuis autem S. Auguſtinus, floridiori ætate id dixiſſet, tamen iam ſenex, & prudentior id retractauit. Ita reſpondent etiam Faſolus *p.1. quæſt.23. artic.1.* Maſtrius *d.5. q.2. n.176.* 332

Fallvntvr tamen, nam vt obſeruat Vaſquez Pennotus, Turrianus, Faber, & alij apud Maſtrium *n.174.* Suarium *l.3. de auxil. c.18.* Smiſing. & Vulpem ſupra; S. Auguſt. eiuſdem libri meminit *l. de præd. ſanct. c.4. & l.2. Retract. capite primo,* neque modo eam doctrinam non retractat, ſed eam commendat, & ad eam legendam remittit, ſi veram de gratia ſententiam habere cupiant.

Qvoniam autem Bellarminus, *c.15.* Maſtrius *loc. cit.* affert loca D. Aug. *ep.105. & 106.* & *l. de præd. ſanct. cap.3.* vbi ait: Electio facit eligendos. & *l.1. retract. c.23.* vbi gloriatur Maſtrius, S. Auguſt. retractaſſe, referam verba ipſa S. Doctoris. *Nondum diligentius quæſieram, nec adhuc inueneram, qualis ſit electio gratiæ: de qua idem dicit Apoſtolus, Reliquiæ per electionem gratiæ ſaluæ factæ ſunt, quæ vtique non eſt gratia, ſi eam merita vlla præcedant, ne iam quod datur non ſecundum gratiam, ſed ſecundùm meritum, reddatur potius meritis, quàm donetur.*

Observandvm grauiter hic, S. Doctorem retractare id, quod dixerat, *prop.60. Epiſtola ad Rom.* vt ipſe Sanctus fatetur: Deum elegiſſe Iacob ex meritis, quia talem futurum præuidit, & hoc vidit etiam D. Bonauentura *d.41. dub.1. & 2. litt.* cum Magiſtro *eadem diſt. cap.2.* at nihil ad rem noſtram. Nil enim tale dixit in libris ad Simplicianum; ſed meram congruitatem aſtruit motiuam, quam S. Auguſtinus admittit; dummodò gratia non excludatur, quæ det virtutem actui motiuo prædeſtinationis, vnde ſtet Apoſtoli propoſitio, 1. Cor.4. *Quis autem te diſcernit? &c.* nec amplius cautionis ad illos libros apponit. 333

Qvoad alia loca, quæ affert Maſtrius, oportet aduertere, ibi agere contra Pelagianos, & Semipelagianos, qui volebant, aliquos eligi ex diuerſitate meritorum, non ex gratia; ſed nudi arbitrij, ita vt nullo modo Deus faceret diuerſitatem inter Iacob, Eſau, Abelem, & Cainum; ſed eam inueniſſe vel condignam, vel ſaltem congruam ex meritis nudi arbitrij. Itaque ibi hoc ſenſu non admittit, electioni præſupponi diuerſitatem inter homines eligendos, & reijciendos; at in libro ad Simplicianum, vult eam diuerſitatem oriri ex arbitrio adiuto à gratia. Quod ſi directè *in l. de prædeſtinat. ſanctorum,* retractaſſet illam doctrinam *cap.3.* non remiſiſſet poſtmodum *c.4.* ad eos libros, vt veram de prædeſtinatione doctrinam haurirent.

Sed proferam verba S. Patris *loc. citat.* vbi cum expoſuiſſet iſtam quæſtionem de electione, & prædeſtinatione; conqueritur, ſe cogi ad rurſus ſcribendum; cum iam dudum ſcripſiſſet, quid ſentiendum; ſed ſubdit, hoc euenire; Quia vel non curant in lectione ſuorum librorum proficere; Et ſubdit: *Nam ſi curaſſent, inueniſſent iſtam quæſtionem ſecundum diuinarum Scripturarum ſolutam in primo lib. duorum, quos ad beatæ memoriæ Simplicianum ſcripſi Epiſcopum Mediolanenſis Eccleſiæ, S. Ambroſij ſucceſſorem, in ipſo exordio Epiſcopatus mei: niſi fortè non eos nouerunt. Quod ſi ità eſt, facite vt nouerint. De hoc primo duorum illorum libro, in ſecundo retractationum primò locutus ſum, qui ſermo meus ita ſe habet* 334

& refert verba ſuprà allegata ex Retractationibus, vbi nihil detrahit, ſed eadem confirmat ſenſu D. Bonauenturæ, nempe dari motiuum prædeſtinationis, nixum tamen gratiâ.

335 Hinc S.D. gloriatur, hanc ſuam ſententiam à D. Auguſtin. confirmatam in Retractationibus, & poſt omnes retractationes, ideſt, in hoc *l.* 1. *de prædeſtinat. ſanctorum*, qui fuit Scriptus poſt ipſas retractationes, vt ſuprà oſtendi ex verbis S. Auguſtin. qui mox ait, verum ſenſum verborum illorum 1.Cor.4. *Quis enim te diſcernit?* illum eſſe, quem ad Simplicianum ſcripſit. Hæc ſunt verba. *Ecce quare dixi ſuperiùs, hoc Apoſtolico præcipuè teſtimonio etiam me ipſum fuiſſe conuictum: cùm de hac re aliter ſaperem, quam mihi Deus in hac quæſtione ſoluenda, cùm ad Epiſcopum Simplicianum, vt dixi, ſcriberem, reuelauit. Hoc igitur Apoſtoli teſtimonium, vbi ad reprimendam hominis inflationem dixit: Quid enim habes, quod non accepiſti? non ſinit quemquam fidelium dicere, habeo fidem, quam non accepi; reprimiturque omnino his Apoſtolicis verbis tota huius reſponſionis elatio. Sed ne hoc quidem poteſt dici: Quamuis non habeam perfectam fidem, habeo tamen eius initium, quo in Chriſtum primitùs credidi: quia & hîc reſpondetur: Quid autem habes, quod non accepiſti? Si autem accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis? Illud verò, quod de hac fide putant non poſſe dici: Quid enim habes quod non accepiſti? Quia in eadem natura remanſit, licèt vitiatâ, quæ priùs ſana, & perfecta donata ſit: nihil ad id, quod volunt valere, intelligitur.* Et proſequitur S. Auguſtin. è propoſito inſectari Semipelagianos, qui initium prædeſtinationis à natura auſpicabantur. De doctrina verò illa ad Simplicianum ne pilum quidem decerpſit. Hoc videns S D. & retractationibus S. Auguſtini examinatis, concludit ſuam ſententiam à S. Auguſtin. poſt omnes retractationes aſſeueratam, quod ſuprà ſatis oſtendi.

336 Reſponſiones verò aliorum, quod ibi ad Simplicianum loquatur de executione; non de intentione, ſatis eliſæ ſunt *quæſt.* 7.

In illis porrò litteris 105. & 106. clare explicat idem omninò, quod ſuprà. Nam ep. 105. ait: *Vt ſecundùm electionem propoſitum Dei maneret, electionem ſcilicet gratiæ, non debiti electionem, quæ eligendos facit ipſe, non inuenit; non ex operibus, ſed ex vocante.* En S. Auguſtinus ſolùm debitum in Electione refellit, & catenus negat diſcretos eſſe eligendos. In ep. etiam 106. ait: *Non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſſe intelligatur, vt ſecundùm electionem propoſitum Dei maneret, non meritum hominis anteiret.* Adde S. Doctorem illis operibus, quæ contra Pelagianos, & Semipelagianos edidit, ad extremum pro gratia declinare. Quare cùm in illis ipſis ſententia inueniatur Seraphici, non eſt cur de illa ſuſpicentur aduerſarij.

Tertia ratio habetur *fundamento penultimo.* Si Deus antecedenter alios prædeſtinat; alios reprobus relinquit è ſua mera voluntate. Ergo iſtos creat ad ſupplicium.

337 Respondet Bellarminus, & alij, Deum iuſtè relinquere illos in maſſa perdita abſque iniuſtitia, alios eruendo. Quia dona ſua poteſt, cui vult dare, & debita repetere ab eo, à quo vult.

Contra. Nam eo ipſo, quod hi relicti ſunt antecedenter in maſſa perditionis, eis negat gratiam ſaluationis; de qua *fundamento primo, & ſequenti*, efficacem neceſſariam ad ſalutem, dans ſolùm incongruam, qua non poteſt obſeruari Diuina Lex neceſſaria ad ſalutem; atque adeò crudeliter illis iugum efficaciter imponitur legis, iniuſtéque non obſeruantes, punientur: fruſtra exhortationes, & promiſſiones congeruntur: Quia iacta eſt alea; cùm decretum firmatum inuiolabile ſtet, non dandi eis gratiam congruam neceſſariam ad ſalutem. Fateor, hæc mihi duriſſima eſſe. Neque verò admittere volunt mutationem poſſibilem in decreto; ſed actum eſſe dicunt; ac proinde iam res acta eſt ad eorum ruinam, vt arguit S. Bonau. *d.40.art.2.quæſt.*1. & 2. & *l.*1. *Compend. Theol. cap.*30. Vrgeo. Quomodo redempti hi?

Neque mihi reſonet Bellarminus, potius ſpem erigi, & mentem animari ad ſalutem. Quia Deus prædeſtinauit homines, vt per hæc media pertingant ad ſalutem. 338

Hoc ſanè eſt petere principium, & illudere. Nam quomodo miſeri tunc reprobi animantur ad opera ſalutis, quæ nequeunt adimplere? Video hoc omninò in deſperationis abyſſum illos deturbare.

Fateantur igitur aliquod motiuum reconditum in æterna beatitudine reuelandum, vt ait D. Auguſtinus *in Enchir. capite* 95. cui ſubſcribit Bellarminus *l.*2. *de gratia*, & *lib. arb. cap.*9. vt notat Coriolanus *q.*23. *artic.*10.

Hanc autem rationem motiuam conſtanter negamus habere rationem meriti, vt etiam agnouêre Vaſquez hîc, *cap.*5. Sotus *l.*2. *de natura, & gratia*, Toletus *adnotat.* 31. *in cap.*8. *ad Rom.* & quotquot ſapiunt. Vide Coriolanum, qui tamen timidiùs hanc ſententiam ſuſtinet, neque conatur, vt poterat illam argumentis Seraphici confirmare.

Non nulli aſſertionem noſtram probare etiam nituntur, parabola illa *Matth.*25. vbi Paterfamilias dicitur diſtribuiſſe vnicuique talenta iuxta cuiuſque propriam virtutem. Aduertit autem S. Bonauentura *in* 2. *d.*9. *quæſtione tertia*, non poſſe ſumi diſpoſitionem illam, etiam ſolùm congruam, in hominibus ex præparatione factâ viribus naturæ, ſed cum auxilio. Quod etiam obſeruat D.T. 1. 2. *quæſt.* 24. *art.* 3. *ad.* 2. & Bellarminus *c.*13. 339

Respondet Vaſquez *numero* 140. hoc nil facere ad parabolam, cuius intentum erat, deſcribere exactionem talenti gratiæ Chriſti, & creationis.

At obſeruandum in parabolis, ea, quæ conſultò adijciuntur, nec inttant hiſtoriam de plano, conſultò apponi ad myſterium. In hac igitur parabola, ſi clauſula, *ſecundum propriam virtutem*, non eſſet de corpore parabolæ, profectò non referretur adeò ex profeſſo, ſicuti apponitur, dum dicitur. *Homo peregrè proficiſcens, vocauit ſeruos ſuos, & dedit illis bona ſua. Et vni dedit quinque talenta, alij duo, alij vnum*; & ſubdit. *Vnicuique iuxta propriam virtutem.*

Probo adhuc aſſertionem cum Seraphico D. *ad* 12. Lucæ, vbi poſtquam dixerat. *Nolite timere puſillus grex. Quia complacuit Patri veſtro dare vobis regnum*; nempe quia gratiam ad illud acquirendum præparauit ex miſericordia; ponit antitheſes prædeſtinatorum, qui ſe Dei auxilio præparant, cum illis, qui non ſe præparant. Supponit autem debere nos Dei gratia nos diſponere, vt dicitur Prou.16. *Hominis eſt animam præparare.* Et 1.Reg.7. *Præparate corda veſtra Domino.* Itaque eos, qui non ſe diſponunt, dici Rom.1. *Tradidit Deus illos in deſideria*; & ideo ibi Lucæ 12. dicitur. *Qui cognouit, & non fecit, vapulabit*; & peccantem ex ignorantia minùs eſſe dignum, qui reprobetur, & proijciatur. Affert ad hoc probandum illud Apoſtoli 1.Tim.1. *Miſericordiam conſecutus ſum, quia ignorans feci.* Teſtatur autem Apoſtolus, ex motiuo ſuæ minoris malitiæ ſe prædeſtinatum ad miſericordiam per gratiam, quod dummodo adſcribatur arbitrio protectò à Diuina gratia, ne peccet ex malitia 340

vel

vel ſaltem ex maiori malitia ; concedit Mocandus *numera* 486. & Vaſquez *num.* 145. poſſe dici, dari motiuum prædeſtinationis huiuſmodi ; Quia ſic ſupponuntur omnes æquales adhuc ex eadem maſſa, vt vult Apoſtolus, diuino mediante brachio diſcerni. Exiſtimat autem Vaſquez, hoc eſſe paruulum, & tenue motiuum, ſed mihi (& quod caput eſt) D.Bonauenturæ ſatis videtur. Non audet tamen S.D. definire vniuerſaliter hoc motiuum eſſe ad prædeſtinationem. Vide & Amicum *loc.cit.* & *tract.3.d.26.ſec.11.n.417.* Ruiz *tract.3.d.56.*

341 Probatur præterea à Seraphico ad 10. Ioan. ex illis verbis: *Oues meæ vocem meam audiunt, & ſequuntur me, & ego vitam æternam do eis, & non peribunt in æternum, & non rapiet eas quiſquam de manu mea*; vbi ex vna parte infallibilitatem ſalutis prædeſtinatorum obſeruat; ex altera verò eorum libertatem, qua poſſunt peccare, & perire, quia neque in gratia confirmati ſunt, neque aliqua coacti neceſſitate. Quare etiam Apoſtolus Petrus 2. capite 1. *Satagite, vt per bona opera veſtra certam veſtram vocationem, & electionem faciatis. Hoc enim facientes, non peccabitis aliquando.* Oportet igitur, prædeſtinationem gratiæ Dei eſſe in poteſtate prædeſtinati, quod ſanè concedunt etiam ex aduerſariis: alij verò concedunt ea probari, prædeſtinationem eſſe in noſtra poteſtate, tanquam in conditione, ſine qua non; ſed non tanquam in cauſa; ſed Vaſquez *d.92.cap.3.* oſtendit, concedentes primum; cogi concedere etiam ſecundum. Addit verò, ſolùm inferri complementum prædeſtinationis; non autem totam prædeſtinationem eſſe in noſtra poteſtate; & ita velle dicere; *bonum facientes, non cadetis.*

Attamen non eſt hoc ſuam vocationem, & electionem certam facere, ſed ſolam ſanctificationem. Infert autem cauſalitatem in ipſam vocationem, & progreditur vſque ad electionem.

342 Obiiciunt primò illud Rom.9. *Antequam quidquam boni, vel mali egiſſent; Iacob dilexi, Eſau autem odio habui; vt propoſitum Dei maneret.*

Vaſquez *d.95. capite octauo*, nos expedit dicens; ibi ſermonem eſſe, non de electione, vel de prædeſtinatione ad gratiam, aut gloriam; ſed de electione ad primogenituram. Sumptus eſt enim locus hic è *Malach. primo*, vbi de temporaria loquitur hæreditate: at Bellarminus, Suarez, Trigoſius, & alij vehementer hunc vrgent: è quibus Maſtrius *numero* 76. vocat locum valdè celebrem apud ſuæ opinionis conſortes. Totus autem diſcurſus Apoſtoli id vrget, qui talibus dictis refertus eſt apertè conclamantibus, ibi loqui de prædeſtinatione ad gratiam, & gloriam, eamque è mera Dei voluntate prodire. Sic: *cuius vult (ait) miſeretur, & quem vult indurat. Non eſt volentis, neque currentis, ſed Dei miſerentis. Dicis itaque mihi: Quid adhuc queritur? voluntati enim eius quis reſiſtit? & ſubdit. O homo, tu quis es, qui reſpondeas Deo? Nunquid dicit figmentum ei, qui ſe finxit: Quare me feciſti ſic? An non habet poteſtatem figulus luti, ex eadem maſſa facere aliud quidem vas in honorem; aliud verò in contumeliam?* Confirmatur à Vaſquez. Nam homo comparatur maſſæ luti, quæ non modò efformatur, ſed emollitur à figulo, & præparatur ab eo ſolo, vt dicitur etiam *Hierem.18.*

343 Respondet D.Bonauentura *d.40. articulo quarto, quæſtione 1. & 2.* & *d.41. dub.1. & 2.* & *quæſtione 1. & 2.* agere quidem Apoſtolum de hac prædeſtinatione, quæ eſt ſententia omnium PP.Græcorum, & Latinorum, omniumque veterum, epiſtolæ huius interpretum; vt fusè oſtendit Smiſing. *tract.3.d.6. quæſt.8. num.493.* Sed incipit admonere S. D. cauendum ne prædeſtinationem abſque cauſa aſtruamus; alioqui ſecuturum, etiam Eſau abſque cauſa damnatum. Certum eſt igitur aliqua ex culpa Eſau reprobatum iuſtè, vt oſtendit S.Bonauentura *d.41. quæſtione prima*, ex Gloſſa. Quare in ſententia aduerſariorum ſequetur, reprobationem ad mortem Eſau factam nulla ex cauſa, vt inferunt Becanus, Pennottus, Amicus, & alij. Neque 344
dicat Maſtrius *numero* 77. ibi ſumi odium negatiuè, pro non dilectione; quo ſenſu exponitur etiam à Bellarmino *cap.16.* Suarez *l.5.de Reprob.cap.4. numero 9.* & *l.2.de auxil.cap.1.num.7.* Molina *p.p.quæſt.23.art.5. d.3.ad 1.* & aliis. Verùm hinc liquidò ſequetur, miſerrimum Eſau priuatum connotato diuini amoris: amor enim Dei non ſtat in affectu aliquo erga vnum, qui non ſit in Deo erga alios; ſed in actu Diuino ad omnes identiſſimo; ſed vario in connotatis. Igitur ſi Eſau eſt ordo habitus: Ergo non habuit aliquod connotatum gratiæ, ac proinde iniuſtè damnatus eſt. Igitur debuit intelligi motiuum arcanum, propter quod Deus rationabiliter Iacob dilexerit, Eſau odio habuerit, vt ſuprà latè oſtendi ex ipſo Apoſtolo. Iam verò aſſignat S. D. rationem, ob quam abſconderit hæc motiua prædeſtinationis, vt & Iudæos humiliaret generatione elatos Abrahamicâ, vt dixi; & ideò debitam ſibi prædeſtinationem præſumebant. Exhibet autem Eſau Abrahæ nepotem reprobatum arcano Dei conſilio; vt & ipſi, Gentes vigilanter ſaluti incumberent, ac timeant ipſæ Syluarieum germen; cum videant domeſticam oliuam Iudaicam reciſam. Ea verò ſcripſit Spiritus Sanctus, quæ ad noſtram ædificationem conducunt.

Quare ſicuti prædeſtinationem nobis occultam voluit; ita etiam illius rationes motiuas. Eodem modo explicat S.D. illud Exodi 22. *Miſereor, cui Miſerebor.* Et illud Matth.11. *Ita Pater, quoniam ſic placitum fuit ante te*, ſic reſpondet etiam Pater Alemanus noſtro ſæculo florentiſſimus Lector: Et eſt vnanimis expoſitio PP. Græcorum; inſuper Hieronymi, Ambroſij, qui nolunt merita inducere, vt malè carpit Suarez *l. ſecundo, de prædeſtinat. cap.23. numero 25.* ſed ſolùm motiuum. Idem de S.Auguſtino oſtendi.

Instat Suarez primò. Si hæc ita eſſent, non ad- 345
miraretur Paulus altitudinem arcani. Idem opponunt Tannerus, & alij.

Sed iam cum S. Bonauentura reſpondi, quòd imò potiùs in ſententia aduerſa non eſſent iudicia Dei admiranda; ſed euidentia. Quia merè voluntaria. Quale enim obſecro arcanum illud: Prædeſtinat Petrum, quia ità vult?

Instat ſecundò cum Vaſquez. Si daretur motiuum in Iacob, Petro, &c. non eſſent ex eadem maſſa cum Iuda, Eſau, &c. Debet autem ſtare ſimilitudo.

Equidem amicè admoneo illos, ne adeò premant hanc ſimilitudinem adamuſſim; ita enim in rigore ſumpta pertrahit ad inſaniam Caluini, qui hac ſimilitudine volebat, homines, ſicut maſſam luti, ſe omninò habere paſſiuè ad ſalutem, & Eſau à Deo in ruinam actum.

Obiiciunt ſecundò illud 1. Cor.4. *O homo, quis* 346
te diſcernit? Quid autem habes, quod non accepiſti? ſi autem accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis? ſi autem daretur motiuum, iam prædeſtinatus ſe ipſum, ſe ipſo diſcerneret à reprobis.

Reſpondetur ex dictis, motiuum non excludere gratiam Dei, quâ diſcernitur prædeſtinatus à reprobo. Hic verò locus vrgetur à D. Auguſtino, locis celaris, contra Semipelagianos, qui meritis ſui nudi arbitrij diſcretionem à reprobis adſcribebant.

347 Obiiciunt tertiò Epheſ.1. *Elegit nos ante mundi conſtitutionem, vt eſſemus ſancti.* Non ait elegit nos, quia futuri eramus ſancti, vt monet D.Aug. *l.de præd. ſanct.cap.9.*

Respondet D.Bonauentura, Apoſtolum negare prædeſtinationem factam ex meritis. Nam motiuum non excludit gratiam.

Vrget Trigoſius hunc locum. Quia additur, ſorte nos vocatos, id eſt, non noſtrâ induſtriâ, quæ enim ſorte exeunt, non ſunt à meritis.

Respondetur, ſorte euenire etiam ea, quæ non ex cauſa adæquata conſurgunt, vt ſi ego iacerem ſaxum, & ſuper illud conſurgeret templum. Iam hoc templum diceretur miraculo extructum: Ita igitur in caſu noſtro; Motiuum, quod nos prædeſtinationi apponimus, eſt veluti ſecundum ſaxum ad templum Dei viuum ædificandum. Hoc argumentum latiùs diſcutiam *quæſt.13.ad 2.*

348 Obiiciunt quartò Epheſ.2. *Ipſius factura ſumus creati in operibus bonis, quæ præparauit Deus, vt in illis ambulemus.* Duo igitur docet Apoſtolus. Alterum eſt, nos creatos in operibus bonis, ex nihilo noſtræ diſpoſitionis, id eſt, nulla noſtræ diſpoſitionis entitate præexiſtente; ſicuti quod creatur ad eſſe naturæ, eſt ex nihilo naturæ. Alterum eſt, bona opera præordinata eſſe à Deo, antequam electi ad ordinationes bonas deuenirent.

Respondetur, ex totum eſſe hunc ſenſum. Verus igitur ſenſus Apoſtoli eſt, nos in ſpiritu regeneratos in nouam creaturam; non quod nihil remaneat de termino *à Quo*; aut nihil præextiterit; nam etiam animalia creata dicuntur; quæ præexiſtebant, quoad materiam, alioqui debuiſſet dicere, Chriſtum meruiſſe, vt daretur nobis liberum arbitrium; & ita crearemur ex nihilo naturæ, Fateor, nihil gratiæ præextitiſſe. Nam *eramus natura filij iræ*, & ſi quid diſpoſitionis eſt, computatur in illa recreatione. Nam & motiua diſpoſitio eſt virtute gratiæ. Quòd verò opera anteceſſione temporis fuerint præordinata; non obeſt; ſatis eſt nobis, illa fuiſſe præuiſa, vt ſunt motiuum, & diſpoſitio ad electionem.

349 Obiiciunt quintò *Eccleſiaſtici* 33. vbi habetur, Deum quibuſdam benedixiſſe, ſeparando à cæteris: atque aliis maledixiſſe, eò quòd omnes ſunt quaſi lutum in manu eius. Adducunt autem D.Auguſt. *l.1.ad Simplicianum,q.2.*& 11.*de ciu.c.*18.

Respondetur ex eodem D. Auguſtino locis adductis, in Epiphonemate colligi eius intentum. Intendit enim oſtendere, Deum quibuſdam antithetis mundum repleuiſſe ex eadem maſſa corrupta luti Adæ, alios iuſtè relinquendo in ſuo ſtercore. Et hinc ortam pugnam malorum cum bonis. Deum verò non quidem malos voluiſſe; ſed ordinaſſe ad ſalutem aliorum. Ità reſpondet D. Bonauentura *in 2.d.3.p.2.quæſt.1.ad 1.* De reliquo id ſolum indicat, quod omnes eramus filij iræ indigni miſericordiâ, & quod non ex meritis facta eſt aliquorum electio, ſicut & de Apoſtolo dixi.

350 Obiiciunt ſextò. Bellarminus, Valentia, Suarez, Vaſquez, Trigoſius, alijque Concilium Arauſic. Epiſtolam Cæleſtini P.ad Epiſc.Galliarum, Innocentium *ep.ad Concilium Carthag.* D.Auguſtinum paſſim, præſertim *l.1.de prædeſt. ſanctorum,cap.*17.*&* 18. *& lib.2. de bono perſeuer. cap.*19. & *l.contra articulos ſibi falsò impoſitos,*& *lib.1. Retract.cap.*23. quem ſecuti ſunt alij Patres. Proſper. Hilarius, Fulgentius, Gregorius Papa, Bernardus. Addunt etiam Chryſoſtomum ad ea verba 2. Philip. *Deus operatur in nobis velle, & perficere,* & ad id 2.Tim.1.*Quis nos liberauit, &c.*

Respondetur ex dictis, Concilium Arauſic. & alios Patres nil penitus contra nos decernere, ſed ſolùm contra Semipelagianos adſcribentes ſuis viribus nudis initium ſalutis: at D. Bonauentura ſanctiſſimè fatetur, nil ad gratiam diſponere, quod non ſit eiuſdem ordinis, vt vidimus *quæſt.*15. ac proinde rationem congruam motiuam prædeſtinationis acceptam fert diuino auxilio. Itaque nullus ſanæ mentis Seraphicum inuoluet cum Semipelagianis. Eadem reſponſio eſt ad reliquos Patres.

Obiiciunt ſeptimò rationes. Prima eſt Vaſquez *toto cap.*14. Arriagæ *d.*37.*ſec.*1.*ſubſec.*2. Homo eſt ex ex ſe indifferens, nec determinatur ex ſe ad bonum, præuia cognitione aliqua naturali; atque ideò oportet cogitationem ſanctam à Deo habere, qua de ſupernaturalibus inſtruamur. Hæc autem cogitatio, quæ nos ad Deum ſupernaturaliter ducit, vnde excidimus, quis non videt debere eſſe gratiæ per Chriſtum? & hoc habetur in D.Aug.*ep.*90.95.& alibi, & in Concilio.Trid. *ſeſſ.6.cap.*16. 351

Respondetur primò, falſum eſſe noſtram voluntatem non poſſe determinare ſe cognitione ſua naturali ad bonum aliquod morale, de quo 1.2. *tract.*5. *d.*1. *quæſtione* 10. Confiteor verò, opus bonum diſponens ad gratiam habere eſſe eiuſdem ordinis; vt dixi; attamen non ſequitur, quod non detur aliquis actus voluntatis noſtræ è diuina inſpiratione, qui ſit ante omnem effectum prædeſtinationis, & diſpoſitio ad eam, ac Deo ratio motiua prædeſtinandi: Neque verò Seraphicus ponit hanc diſpoſitionem in nudo libero arbitrio.

Obiicit octauò Vaſquez *toto capite* 15. Si auxilium, quo ad iuſtitiam promouemur, daretur nobis, occaſione accepta alicuius operis noſtri, illud non eſſet gratia; ſed debitum ex operibus emeritis. Neque debet inuehi meritum de congruo, quaſi non deſtruat rationem donationis. Natura enim donationis omninò liberalis in eo ſita eſt, vt nullâ ex cauſa oneroſa, vel propter beneficium acceptum fiat; ſed ſolo intuitu donandi, & beneficiendi; & hæc dicitur donatio omninò gratuita. Nam ea, quæ fit aliqua ex cauſa, vel propter aliquod beneficium acceptum, vel cum aliquo onere; dicitur donatio antidotalis, id eſt remuneratiua; & ſi beneficium acceptum non ſit æquale remunerationi: aut dicitur donatio ob cauſam: Si ergo daretur aliqua cauſa electionis, iam gratiæ, & paſſio Chriſti eſſet antidotalis, & remuneratiua, & ſic non eſſet opus miſericordiæ: Donatio enim ex animo remunerandi non eſt dicenda donatio ex *l. Aquilius, ff. de donationibus.* Porrò autem donationem gratiæ non eſſe antidotalem probatur Rom.11. *O altitudo diuitiarum ſapientia Dei.* Explicans verò in quo diuitiæ iſtæ reluceant, ſubdit. *Quis prior dedit ei, & retribuetur?* Retributionis autem nomine intelligit quamlibet remunerationem, & donationem antidotalem; adiecit enim. *Quoniam ex ipſo, per ipſum, & in ipſo ſunt omnia.* Idem habetur *Iob* 41. Igitur excludit omnia opera noſtri arbitrij, quæ vel nimirum habent rationem meriti, cauſæ, vel occaſionis, ob quam Deus gratiam ſuam antidotali donatione largiretur, & hoc meritum congruum enititur S.Auguſtinus contra Semipelagianos remouêre. 352

Hoc argumento Vaſquez nihil probat contra nos, & multis ſcatet infirmitatibus. Primò quidem probat ſolùm de operibus nudi arbitrij, quæ repellit Apoſtolus etiam *Rom.*3. *&* 4. *Galat.*2. *&* 3. At D. Bonauentura vult, eſſe aliquod opus ex gratia. Quod verò S.D. admittat gratiam vocationis eſſe antidotalem; negatur. Nam antidotale donum, vel remuneratio venit è pari beneficio accepto; non è quocunque; eſt enim Gratitudo pars poteſtatiua iuſtitiæ, vt docet Seraphicus Doctor. 353

Nam

Nam ruſticus, qui rapam obtulit Regi, & accepit Principatum, non dicitur eum accepiſſe ob gratitudinē; ſed ex liberalitate. Adde, eſto in donis, quæ tota ſunt donatoris hoc eueniret; non ita eſt in caſu noſtro, in quo, & motiuum illud ex gratia oritur. Vellent nos aduerſarij vncinis rapere ad Semipelagianos. Hoc igitur tantùm Apoſtolus, & Iob voluerunt. Locus verò Apoſtoli *Rom.* 11. extorquetur: Quia non reddit rationem Apoſtolus altitudinis diuitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei, eò quòd omnia ex ipſo ſunt; nam ibi per diuitias non intelligit profuſiſſima bona creaturis elargita, vt Vaſquez credit, ſed arcanos conſiliorū theſauros; Propter quod ſubdit. *Quam incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius!* ſic exponitur communiter ab omnibus, & ab ipſo Vaſquez, vt dixi *d.* 11. *quæſt.* 27. Quare extra rem eſt, quod ideò det omnibus creaturis omnia, quia eius iudicia altiſſima ſunt; ſed ratio redditur illis verbis. *Quis enim nouit ſenſum Domini? aut quis conſiliarius eius fuit?* Ex alia verò parte, vult omnem remunerationem arcère meritorum; non tamen omne motiuum, omnem congruitatem eliminat, quâ poſitâ adhuc gratia, eſt gratia. Neque vt clamat Vaſquez, anathematizantur congruitates ex gratia; ſed merita è nudo arbitrio ad ſummum; quando autem dicitur *meritum* abſque addito, debet intelligi propriè pro merito condigno, vt docet D. Bonauentura *d.* 41. *quæſt.* 1. non autem congruitas, vt fingit Vaſquez.

354 Obiicit nonò, Suarez argumentum D. Thom. & Scoti, quo vtitur etiam Trigoſius. Dilectio finis præcedit dilectionem mediorum. Sed finis ſupernaturalis eſt gloria. Ergo nobis eſt volita, antequam de medio aliquo eſſet conſultatio; media autem ſunt opera: Ergo prædeſtinatio facta eſt, nullis præuiſis operibus noſtris.

Respondeo, falſum eſſe aſſumptum, & confutatum eſt *quæſt.* 7. latiùs. Vide *ibi*.

Obijcit decimò Trigoſius. Illud opus, quod eſt motiuum prædeſtinationis, vel eſt opus nudi arbitrij; vel ex gratia: Non nudi arbitrij; quia hoc eſt Semipelagianum; non gratiæ; gratia enim eſt effectus prædeſtinationis.

355 Responderem ei libenter id, quod P. Theodorus Foreſtus, Magiſter meus, aliquando reſpondit. D. Bonauentura confitetur, ſe neſcire, quodnam, vel quale ſit motiuum prædeſtinationis; imò Apoſtolus id ſe ignorare fatetur; & nos præſumimus velle ſcire: Sapienter Seraphicus *d.* 41 *dub.* 1. temeritatis notâ obſignat volētes hoc motiuum exprimere. Satis ſit, dari, quod probatum eſt. Verùm, vt aduerſario Commentatori Seraphici ſatisfiat; dicam cum D. Bonauentura ad argumenta, poſſe eſſe opus aliquo modo liberi arbitrij; dum autem dicit *aliquo modo*, infert non eſſe ſolius arbitrij, ſed cum auxilio Dei; neque verò illud auxilium eſt effectus prædeſtinationis, & hoc arguere, eſt petere principium; eſt enim id, de quo eſt controuerſia: An ſit effectus, vel cauſa. Lacrymis hoc arcanum proſequitur ſapiens macedo. Vnde ſubſtitit latro; Iudas corruit? Vnde è 40. Martyribus Armenis vnus perijt, ei arreptâ à ſatellite laureâ? Exclamat ideo: *O altitudo!* inuitus motiuum faſſus incognitum. Aliqua verò quæſitat. Cur tam paucis congrua dat auxilia? Cur his perſeuerantiam non concedit, quæ ex dictis elucent.

Obiicit vndecimò Trigoſ. cum Scoto. Si datur motiuum, iam homo eſt origo prima ſuæ ſalutis.

Respondeo non velle motiuum inducere è nudo arbitrio, ſed ex gratia.

Obiicit duodecimò, nullo in genere cauſæ hoc motiuum influere valet in prædeſtinationem.

Respondetur, eſſe motiuum rationabile, quod reducitur ad efficientem moralem, vt notat S. Bonau. *in* 3. *d.* 11. *q.* 3.

Obijcit tertiodecimò. Si Deus non prædeſtinaret ex mera liberalitate, pauciſſimi ſaluarentur, quia ſumus proni ad malum.

Reſpondetur, nos & in illo motiuo adiuuari gratiâ per Chriſtum. 356

Obijcit quartodecimò. Deus eligit multos ad altiſſimas dignitates abſque motiuo meriti congrui in electis.

Respondetur, negando paritatem, nam hæc electio eſt ad bonum ſummum, quo priuari eſt ſummum malum, ideò Chriſtus pro hoc mortem ſuam obtulit, non vt dignitates conſequamur; & ideò debemus & nos cooperari. Sumus enim coadiutores Dei, vt notat S. Bonau. *in corpore*, & *d.* 40 *art.* 3. *q.* 2.

Obiicit quintodecimò, Ex effectibus conuinci; 357
nullum dari motiuum prædeſtinationis: Videmus enim aliquos ab infantia præueniri benedictionibus; & tota vita ſanctos conſeruari; Videmus alios relinqui tota vita in ſceleribus. Nonnullos ſanctè vſque ad ſenectam viuere, & in morte damnari: alios toto vitæ curſu laxis habenis viam latam excurrere; & vltimò ſaluari. Videmus plurimos infantes perire abſque baptiſmo; alios verò baptizari, & quibuſdam etiam modis mirabilibus ſubueniri, cùm alij, præſentibus etiam aptis miniſtris, & aquâ miſerrimè pereant. Aliquibus prædicari Euangelium, & tot media communicari; plurimos verò inter Scythiæ iuga, & inter maris inſulas remotiſſimas relinqui abſque prædicatione, inter Idola, & hæreſes educari, enutriri; nihil vnquam de vera fide illis inſtillari. Vnde hæc? Profectò non caſu fiunt; ſed ex arcanâ diuinæ voluntatis prouidentiâ, qui, cui vult, ſua bona elargitur. O quot inter hæreſes, & peccata iacentes ſunt à Deo efficaciter vocati, etiam miraculis obiectis. angelorum elapſu? Hæc omnia non caſu euenire probat S. Auguſtin. *de prædeſtinat. ſanctorum*, & *ep.* 105.

Respondetur cum D. Bonauentura *in corpore*, 358
hinc potiùs elici, dari prædeſtinationis motiuum, cùm Deus omnes ad beatitudinem creauerit; pro omnibus filium ad mortem obtulerit, omnium ſalutem exoptet. Aliquorum ſalutem vidimus habere ad extrà motiuum, vt ſalus Pauli in orationibus Stephani; aliorum verò in meritis parentum, ob quæ infantes multi baptizantur. Aliqui, licèt ſancti viderentur, erant mali; ideo derelicti. Deus enim non deſerit; niſi prius deſeratur, vt monet Concilium Tridentinum. Aliqui ſceleſtiſſimi ignorantia multa premebātur; alij verò iuuenes etiam multa ex malitia peccabant. Quales conſiderat S. Clemens Papa. Manaſſem in omnibus abominationibus vſque ad canitiem deductum, tandem ſaluum: filium verò Ammonem adoleſcentem ad orcum raptum. *Cogitauit Amon cogitationes tranſgreſſionis malas* (ait S. Clemens) *Pater meus à iuuentute multa fecit iniquè, & poſtea conuerſus eſt; ſic & concupiſcet anima mea, & poſtea conuertar ad Dominum. Et peccauit ſuper omnes, qui fuerunt ante ipſum, & exterminauit eum Dominus à terra bona, & irruerunt in eum ſerui eius, & occiderunt.* Quod Deus priuilegiis quibuſdam, ac vocationibus exquiſitis aliquos euocet; Dominus eſt, nullus conqueri poteſt; ſi omnibus det congrua ad ſalutem auxilia. Quòd pueros aliquos baptiſmo donet; forſan ob orationes aliorum; quid tum? De reliquis iam dixi, & dicam *d.* 1 *a. q.* 5. & 6. Denique Seraphicus propterea motiuum daudum inuenit; ſed occultum.

Obiicit tandem Trigoſius etiam à D. Bonauent. 359
aſſignari pro ratione Diuinam voluntatem.

Reſpondetvr, aſſignari voluntatem vt cauſam in genere, & etiam in particulari. In genere quidem, vt oſtendat in aliis miſericordiam; in aliis iuſtitiam, vt ait D. Auguſtinus. In particulari verò, quia tametſi detur in nobis ratio congrua; hæc tamen non eſt meritum, aut ex pacto obligans diuinum placitum, attamen aliud motiuum inuenit D. Bonauentura. Nam cùm Diuina voluntas omnium ſalutem ſe velle teſtetur; & tamen pauci ſaluentur, oportet non ex parte diuinæ voluntatis, ſed ex parte noſtri defectum euenire. Verum certè verò tale motiuum occultum eſt; non enim arcana diuinæ voluntatis licèt aſſerere, non reuelata. Ex his habes, prædeſtinationem eſſe in noſtra poteſtate, quia, licèt eam non poſſimus mereri; tamen ſi fecerimus, quod poſſumus cum exhibito auxilio conuertemur; iuſtificabimur, & perſeuerabimus. In quo deceptus Trigoſius *quæſtione* 14. *articul. nono*, putat, D. Bonauenturam *d.* 41. *quæſtione prima*, aſſerere perſeuerantiam cadere ſub merito, quod non dixit. Obiecerat enim ſibi: Qui poteſt in vnum conuertibile; poteſt etiam in alterum: ſed eſſe prædeſtinatum, & perſeuerare vſque in finem ſunt conuertibilia; & homo poteſt mereri perſeuerantiam: Ergo & prædeſtinationem.

360 Respondet, malè arguere aduerſarium hoc medio termino: Qui poteſt mereri vnum conuertibilium, poteſt & alterum; ſicuti falſum eſt. Qui poteſt producere vnum, poteſt & alterum: nam ſubiectum, & propria paſſio conuertuntur, *Verbi gratia*, rationale, & riſibile; & quidem rationale poteſt producere riſibilitatem, neque tamen poteſt ſe ipſam producere. Obtruncat ergo Maiorem, at verò ad Minorem non concedit, poſſe hominem mereri perſeuerantiam; eſt enim gratia, vt definit Concilium Tridentinum *capite* 16. *& can.* 22. Niſi velis Trigoſius, poſſe meritu congrui aliquem mereri ſuam perſeuerantiam, ſed tenebatur adnotare, ibi loqui Seraphicum de merito propriè. Quam decorus is Commentatur!

QVÆSTIO XIII.

An Prædeſtinatio noſtra facta ſit ex meritis Chriſti.

¶ D. Bonau. 3. d. 12. quæſt. 3.

361 Iam vidimus, cauſam intrinſecam merituriam prædeſtinationis nullam dari; tametſi detur aliqua ratio motiua obiecta Deo, ex qua prædeſtinauerit aliquos. Nunc videndum; An detur aliqua cauſa meritoria extrinſeca. Et quidem in hac quæſtione agimus: An ex meritis Chriſti: in XV. verò diſputabimus: An meritis alicuius ſancti poſſit adſcribi prædeſtinatio alicuius.

362 Prima igitur opinio eſt, prædeſtinationem noſtram eſſe omninò effectum Diuinæ miſericordiæ; vt nullus, etiam Chriſtus, eam mereri potuerit. Citatur Adamus Sasbout. in Epiſtolam ad Epheſ. in id cap. 1. *Elegit nos in ipſo.* Sed, vt video, fuit ſecundæ opinionis, quam referam. Verè quidem habet aliam opinionem *in cap. 1. ad Philip.* & *in 2. Petri, cap.* 1. quòd ſcilicet fides, & aliæ diſpoſitiones ad iuſtificationem dentur ex mera Dei voluntate, non è meritis Chriſti, vnde ſequitur, quod ſi primus effectus prædeſtinationis non eſt ex meritis Chriſti, neque ipſa prædeſtinatio ab eiſdem meritis cauſetur. Eam tamen tenuêre ſententiam Ioan. Driedo *de captiuitate, & redemp. generis humani, tract.* 2. *cap. 2. p. 3. art. 4. ad primam obiec.* & *tract. 4. cap. 5. p. 8. m.* 3. Ruardus *art. 6. §. Iterum obijcitur*, Capreol. 3. *d.* 18. *q. 1. art. 3. ad argumenta Scoti, contra 4. concl.* Ferrar. 4. *cont. Gentes, c.* 55. Franciſcus Sonnius Epic. Antuerpæ *l. 2. demonſt. Chriſtianæ Religionis, tract. 3. de Paſſ. Domini, & fructibus eius, c.* 19.

Secvnda ſententia eſt, Paſſionem, ſeu merita Chriſti fuiſſe quidem cauſam prædeſtinationis noſtræ, pro vt eſt dilectio, qua Deus voluit nobis hoc bonum beatitudinis; non tamen, vt eſt electio, ideſt, pro vt dicit dilectionem aliquorum, præ cæteris (hoc enim diſcrimen inter dilectionem & electionem conſtituunt S. Bonauentura allegatus *quæſt.* 2. D. Thom. *quæſt.* 23. *artic.* 4. Itaque concluditur, Deum quidem prædeſtinaſſe ab æterno, vt gratia, & gloria non darentur niſi ex meritis Chriſti, & in tempore dari. (Sic enim propter merita ad obiectum refertur) at verò quod hi potiùs, quàm illi fuerint electi, dicunt prouenire è Dei beneplacito. Ita Suarez *l. 2. de prædeſtin. cap.* 24. *&* 3. *p. d.* 41. *ſec.* 4. Vulpes *p. p. tom.* 2. *d.* 38. *art* 8. 4. *p. d.* 19. *art. vltim.* Aretinus 3. *d.* 19. *artic.* 5. Tannerus *d.* 3. *quæſt* 4. *dub.* 2. *n.* 10. Caſpenſis 3. *p. tract.* 20. *d.* 10. *ſec.* 4. *num.* 29. cum Bannes, Ribas *d.* 6. *c.* 5. 363

Tertiam ſententiam refert Suarez veterum Scholaſticorum diſtinguentium, actum prædeſtinationis diuinum à connotato, ità vt merita Chriſti fuerint cauſæ connotati, ideſt, effectuum; non autem ipſius actus æterni. Allegat D. Bonauentura 3. *d.* 11. *quæſtione* 3. Albert. *d.* 10. *artic.* 3. Richardus *articul.* 4. *quæſt. vltim.* Durandus *quæſt.* 3. Alenſem 3. *p. quæſt.* 3. *m.* 5. Hos omnes ait Suarez obſcurè locutos. Sed clarè nimis locutos inuenio, præcipuè D. Bonauenturam, qui diſtinguit prædeſtinationis actum Diuinum; quod eſt principale prædeſtinationis, à connotato. Ita 1. *d.* 40. *quæſt.* 1. *&* *d.* 41. *quæſt.* 1. *&* 2. *in corpore*, & *in* 3. *loc. cit.* Data illa diſtinctione ait, prædeſtinationem Chriſti non eſſe cauſam noſtræ, pro vt dicit actum Dei, quia ambæ ſunt vna ſubſtantia (ideſt, *Deus.*) Sic aduertit etiam Coriolanus *q.* 23. *art.* 9. 347

Neqve verò hæc diſtinctio eſt inſufficiens ad quæſtionem reſoluendam, vt notat Suarez *p. p. loc. cit. num.* 11. Nam eo ipſo, quod diuiditur prædeſtinatio in actum, qui eſt principale eius, & in connotatum; ſufficienter diuiſa eſt prædeſtinatio, quam diſtinctionem admittit ipſe Suarez *l. 2. de præd. cap.* 1. Satis etiam deciditur quæſtio, dum negatur de ſolo actu, quod poſſit eſſe ex meritis Chriſti, & conceditur de toto connotato, & eſt dicere, prædeſtinationem quoad omnes effectus omnimodè eſſe à meritis Chriſti, non ſolùm quo ad executionem; ſed etiam in intentione Dei, quæ eodem ordine incedunt, vt dixi *q. 7. &* 12.

Ratio etiam, qua D. Bonau. & alij probant, prædeſtinationem quoad actum non eſſe cauſatam: Quia nimirum prædeſtinatio eſt æterna, eſt optima ad excludendum ſolùm actum Diuinum; neque aliquis, etiam ſciolus, diceret illam adhiberi ad probandum, non poſſe dari cauſam effectuum ab æterno in præſcientia Dei ordinatam. Itaque non eſt ratio adæquatè aſſumpta ad probandum, prædeſtinationis ab æterno non dari cauſam; nam prædeſtinatio quoad connotata potuit ab æterno ordinari, vt cauſetur. Et ſi illa ratio eſt inadæquata, probans ſolùm de actu Dei, pro vt eſt Deus; vt dicit Suarez: Ergo benè, & clarè Scholaſtici diſtinguunt prædeſtinationem in principale, & connotatum, & apertè negant meritum de principali; & aſſerunt de omnibus connotatis, de quibus ſolis ſanè poteſt eſſe quæſtio; vt etiam Vaſquez obſeruat; ſed Scholaſtici illi antiqui, ad declarationem quæſtionis, diſtinctionem afferunt, & rationem aſſignant. Quare non poſſit dari cauſa actus, nempe quia eſt ſubſtantia æterna Dei. 365

QVARTA

366 Qvarta igitur ſententia negat, Chriſtum nobis emeritum prædeſtinationem, ſiue ad gloriam; ſed ſolam executionem eius cadere ſub merito Chriſti: Quia quicquid gratiæ, & gloriæ nobis datur; per Chriſti merita datur; tametſi prædeſtinationis ad gratiam, aut gloriam fuerit cauſa ſola Dei voluntas; non autem Chriſti merita. Ità expreſsè Scotus *in 3. d.19. quæſt. vnica,§. In iſta quæſt. & §. ſequenti: ad 2,* quam ſequuntur Scotiſtæ paſſim tam veteres, quàm recentes. Tartareus, Lichetus, Baſſol, Faber, Arretinus, Gallus, Bellutus, Smiſiog. aliique etiam recentiores apud Maſtrium ſequacem *3.p.d.3. quæſt.*13. *num.*471. Eadem videtur eſſe Almaini *d.*19. *quæſt.*1. *poſt 4. concl.* Maioris *quæſt.*1. in tertio argumento.

367 Perantiqva, & communis ſententia eſt, quam tertio loco retuli, cenſurâ à Suarez vellicata, Chriſtum non ſolùm meruiſſe nobis, vt à Deo diligeremur, & prædeſtinaremur per gratiam eius ad gloriam; ſed etiam vt eligeremur ex maſſa perditionis electione gratiæ. Ita D.Bonau. *hic*, D.Th. *3.p. q.*24. vbi Thomiſtæ Caietanus, Bannes, Nazarius, &c. Molina, Valentia, Vaſquez *d.*77. Granado, Hrrize *d.*29. Lugo *d.*27. *ſect.*3. Tanner *quæſt.*7.*d.*5. Morand. *3.p. tract.*1. *de Incar. quæſt.*44. Mrrac. *d.*47. *ſect.*3. Becan. *cap.*14. *quæſt.*5. Paſqualigo *d.*98. *ſect.*5. Arrubal *d.*78. Catharinus, Auerſa, Amieus, Poncius, & alij apud Maſtrium *num.*471. Marcum *quæſt.*23. *art.*4. *d.*2. In eâdem ſententiâ ſunt Alenſ. Albertus, Richardus, Durandus, relati è tertia ſententia.

368 Att verò Vaſquez *p.*1. *d.*94 *cap.*2. non dfiniſſe iſtos expreſsè: An Deus meritis Chriſti eruerit prædeſtinatos è maſsâ perditâ. Id tamen ait aſtruere Vegam *l.4. in Trident. cap.5.* Vigner. *de Inſtit. Theol. cap.*10. §.8. Catharinum *l.*1. *de eximia Chriſti prædeſt.* ſub finem, & *l.*2. initio, Gaſparum Caſſalium *l.*1. *de quadripartitâ Iuſtitiâ*, *cap.*4. Sed hic author cenſet, Chriſtum meruiſſe etiam actum ipſum in mente Dei, quod aliqui Modrrni ſequuntur, nec video quo-odo.

Enim verò S.D. negat ſolùm, actum Diuinum emeritum à Chriſto; cæterum totam rationem connotatorum non modò in executione, ſed etiam in intentione meruiſſe docet, etiam prælectionem; Ita habet *in fundamentis* præcipuè, quem ſequuntur Trigoſ. *quæſt.*18. *art.*10. *dub.*10. Corjolanus *quæſt.*23. *art.*9. Arriaga *d.*37. *ſect.*5. Herize *d.*25. *cap.*3. Vaſq. *loc. cit.* & alij huius ſententiæ ſuprà relati.

369 Assero primò, noſtram prædeſtinationem, atque ipſam electionem eſſe ex meritis Chriſti.

Probatur primò à D.Bonau. *fund.*1. Et 1. ad Epheſ.1. *Prædeſtinauit nos in adoptionem filiorum per Ieſum Chriſtum.* Dixerat autem antè immediatè. *Sicut elegit nos in ipſo* (ideſt Chriſto) *ante mundi conſtitutionem, vt eſſemus ſancti.* Et pergit. *Qui prædeſtinauit nos in adoptionem filiorum per Ieſum Chriſtum in ipſum, ſecundùm propoſitum voluntatis ſuæ, in laudem gloriæ gratiæ ſuæ, in qua gratificauit nos in dilecto filio ſuo. In quo habemus redemptionem.* His verbis oſtenditur clarè Id, in quo inſudat Vaſquez, quòd particula (*in eo*) dicat cauſalitatem meriti, quod Adamus, & Suarez (non tamen reſolutè) negant, contra expoſitionem Patrum omnium Græcorum, qui aſſerunt particulam (*in*) Græcè ἐν, eo loco, cauſam ſignificare, & poni pro particula διὰ hoc eſt (*Per*) quem ſenſum ex Latinis ſequuntur S.Ambroſius, & D.Th.

370 Ego autem validiùs id è textu demonſtro. Nam continuat, electionem Dei, & adoptionem filiorum per Chriſtum eſſe factam; eſt autem adoptio extraneorum, & in caſu noſtro, inimicorum in filios electio, vt ſæpè docet Concilium Trid. cum Concilio Francoford. Præterea prædeſtinare in adoptionem, eſt ad æternam hæreditatem efficaciter eligere per media gratiæ vocantis, ac iuſtificantis, quæ eſt forma adoptionis; & ideò, vt omnia dona includat, ait: *Benedixit nos omni benedictione ſpirituali in cæleſtibus in Chriſto.* Et ità habetur etiam *in epiſt. Cæleſtini Papæ,* vbi definit, omnia gratiæ beneficia euenire nobis è Chriſti meritis. Tunc ſic: Prædeſtinati ſunt per Chriſtum in adoptionem filiorum efficaciter hæredum, vt vocarentur: vocati iuſtificarentur: iuſtificati glorificarentur, ordine, quo Paulus *Rom.*8. enarrat: Ergo omnia Dona, incipiendo ab ipſa ſeparatione ex maſſâ perditorum, & electione præ illis vſque ad gloriam, ſunt è meritis Chriſti.

Vrgeo; prædeſtinati ſumus in adoptionem per Chriſtum ea ratione, qua electi ſumus in Chriſto. Sed prædeſtinati ſumus in adoptionem per merita Chriſti: Ergo.

Quod etiam particula illa: *Elegit nos* de electione 371
è maſſa perditorum intelligatur, conſtat è ſerie diſcurſus Apoſtoli. Nam infrà ait, hos prædeſtinatos per redemptionem, quæ eſt ſeparatio efficax, & liberatio electorum è maſſa captiuorum. Ita communiter explicatur ab omnibus expoſitoribus; vt notat Vaſqurz *d.*89. *cap.*12. & *d.*94. *cap.* 2. vrgens hoc Seraphici argumentum, quo nihil clariùs eſſe poſſe, clamat.

Frvstra verò Ribas *num.*311 intelligi implicitam ſeparationem; quia eo actu alios non elegit. Nam cùm aliquos dilectos habuerit, nonnè fuit horum ſelectio, præ reliquis relictis? *Elegit*, ait Apoſtolus.

Respondet Adamus, particulam (*per Chriſtum*) referri, non ad verbum *prædeſtinauit*, ſed ad illud (*in adoptionem filiorum*) vt ſenſus ſit: Prædeſtinauit nos per adoptionem, quam per Chriſtum eramus adepturi. Et adducunt aliqui D. Hieronymum *In Magnis commentariis huius loci*, Chryſoſtomum, & Oecumenium.

At nihil hoc valet effugium, ni textus laceretur. Loquitur enim de prædeſtinatione ad adoptionem, quæ non eſt ipſa adoptio; ſed præparatio iuſtificationis, & adoptionis æterna, quæ duo ſunt diſtincta, vt ſæpè D.Auguſt. *l. de prædeſt. ſanct.* iniungit. Porrò ſi adoptio nobis datur per Chriſtum, profectò debet dari ſic & electio ad eam; vt latè oſtendi *quæſt.*7. & 12.

Neqve repugnat D. Hieronymus, qui ſolùm excludit merita noſtra; Oecumenius verò fatetur quidem, nos aſſecutos adoptionem per Chriſtum; at electionem ipſam non negat. Chryſoſtomus verò dicit tantùm, Deum ſolum prædeſtinare, loquens de cauſa efficiente, vt docet etiam D. Bonau. *In corpore*, iuxta Id: *Gratiam, & gloriam dabit Dominus.* Quòd verò non excludat Chriſtum, vt cauſam moralem; probatur, nam ſubdit, *Chriſti fuiſſe reconciliare.*

Respondet Suarez à *num.*14. hîc latère æquiuo- 372
cum: Nam ſi particulam (*per Chriſtum*) cadere velimus ſuper obiectum, conceditur; ſic enim ſenſus eſt, Deum ab æterno habuiſſe voluntatem ſaluandi in tempore per merita Chriſti; & ſic fecit: at verò, ſi Illa particula (*per merita Chriſti*) cadat ſuper actum Ipſum diuinæ voluntatis terminatum ad talem gratiam, vt in tempore conferendam efficienter; ita vt talis determinatio fuerit ex meritis Chriſti, falſum eſt.

At quis non videt acerbiùs In æquiuoco laborare Suarez? Nam is arguit de actu, vt eſt Diuina eſſentia; nos autem ſupponimus actum ſubſtantialiter eo modo non poſſe eſſe ex aliqua cauſa; ſed ſolùm vt

cadit ſuper obiectum ; at quis non videt, actum ipſum terminationis, intrinſecè ad obiectum tendere, & hoc modo meritis poſſe eſſe cauſatum, ſicuti ipſa executio? Excitatur enim Diuina voluntas, vt ait D.Bonau. vt feratur ſuper tale obiectum liberum, tametſi actus ipſe ſubſtantialiter, qui eſt Deus, formaliter nequeat habere cauſam.

Reſpondet Maſtrius, hæc ſignificare tantùm, Chriſtum eſſe cauſam exemplarem, & finalem, non autem meritoriam ; & ſi meritoriam, ſolùm in executione. Hæc reſponſio ruet è dictis.

373 VRGET cum D.Bonau. *in 3. quæſt. vlt.* Amicus *loc. cit.* Quia Chriſtus eſt caput Eccleſiæ : Ergo influit omnes gratias.

Reſpondet Maſtrius *num.*485. influere executionem gratiarum, & hoc ſatis eſſe. Contrà, ex dictis *quæſt.*7. Idem ergò de intentione dicendum, & eò magis, quòd prædeſtinatio eſt initium omnis gratiæ.

PROBATVR ſecundò à D. Bonau. efficaciora ſunt merita Chriſti, & magis ad ſalutem noſtram ordinata, vtpotè merita Redemptoris, quàm orationes ſanctorum : ſed iſtæ aliquid influunt diſpoſitionis in noſtram prædeſtinationem, è D.Gregorio *l.*1. *Dial. cap.*8. vt oſtendam *quæſt.*15. Ergò multò magis merita Chriſti.

Probatur tertiò à S. D. Sicut ſe habet Chriſti Reſurrectio ad noſtram reſurrectionem ; ſic prædeſtinatio Chriſti ad noſtram prædeſtinationem : ſed Reſurrectio Chriſti eſt cauſa noſtræ reſurrectionis, vt habetur 1. *Cor.*15. & habet Gloſſa : Ergo, &c.

374 PROBATVR quartò à Seraphico Doct. argumento, quod eſt Achilles Vaſquij Per eum ſumus prædeſtinati, per quem ſaluati : At ſaluati ſumus per Chriſtum ad Tit. cap.3. *Secundùm miſericordiam ſaluos nos fecit, per lauacrum regenerationis, & renouationis Spiritus ſancti, quem effudit in nos abundè per Ieſum Chriſtum.* Et Epheſ.4. *Aſcendit, vt impleret omnia.* Loquitur autem Apoſtolus de electione è maſſa perdita ; nam *loc. cit.* habet : *Propter quod dicit : Aſcendens in altum captiuam duxit captiuitatem* : Captiuitas autem eſt multitudo eorum, qui efficaciter liberati ſunt è maſſa perdita. Et *loc. cit. ad Titum* præmittit, quod eramus in maſsâ perditâ odibiles : Ergo & ab æterno per merita eiuſdem Chriſti fuimus ſelecti. Probatur conſeq. quæ eſt Maior argumenti. Nam D.Auguſtinus diſputans cum Maſſilienſibus ſemper idem infert de gratia & de electione ad illam, vt infert Vaſquez *d.*89. *cap.*4. & *d.*91. *cap.*3. & 5. & oſtendam *quæſt.*15.

375 RESPONSIO Suarez iam confutata eſt ; & iterum retunditur è D. Auguſt. *l. de prædeſt. Sanct. cap.*15. & *l. de bono Perſeuer. cap. vlt.* vbi ex eo quòd iuſtificamur abſque noſtris meritis colligit, nos etiam prædeſtinari ſine meritis ex gratia per Chriſtum. Subſumo : At certum eſt de fide, nos iuſtificari ex meritis Chriſti : Ergo ſequitur nos ex iiſdem prædeſtinari. Sed de hoc ad tertium argumentum loquar. Quod verò iuſtificemur per Chriſtum, patet Rom.3. *Iuſtificati gratis per gratiam ipſius, per redemptionem, quæ eſt in Chriſto Ieſu*, & cap.5. *Commendat autem charitatem ſuam Deus in nobis : quoniam cùm adhuc peccatores eſſemus, ſecundùm tempus Chriſtus pro nobis mortuus eſt : multò igitur magis nunc iuſtificati in ſanguine ipſius, ſalui erimus ab ira per ipſum.* Idem habetur paſſim in nouo teſtamento.

276 QVOD verò diſtinguit Maſtrius cum Suarez, Deum quidem prædeſtinaſſe dare in tempore gratiam ex meritis Chriſti ; non autem prædeſtinaſſe ab æterno ex meritis Chriſti, ſed gratis, inane eſt. Nam prædeſtinare *dare in tempore ex meritis*, eſt præparare hoc ab æterno è meritorum Chriſti motiuo ; alioqui erunt duæ voluntates repugnantes. Altera prædeſtinans è nullo motiuo dare gratiam : altera prædeſtinans ex meritis Chriſti ; vterque enim actus cadit ſuper obiectum ; vt dixi *quæſt.*7. Quòd etiam electio ad gloriam ſit ex meritis Chriſti, conſtat è dictis *quæſt. citata.* Nam ſi ſit ex meritis noſtris, profectò ſit ex meritis Chriſti, ſine quibus noſtra merita non ſunt.

Obiicies primò. Si Deus eligit aliquos efficaciter de maſſa perdita ex meritis Chriſti : Ergo redemptio Chriſti eſt manca reſpectu cæterorum, qui in ea maſſa remanent. Hoc autem detrahit vniuerſali redemptioni Chriſti.

EQVIDEM miror aduerſarios hoc adhibere argu- 277
mentum : Quia ſi ſequitur hoc abſurdum ex electione ; ſequitur etiam in prædeſtinatione, quæ eſt idem quoad hoc : Nam & prædeſtinatio eſt liberatio non omnium, ſed aliquorum efficax, & ita eſt deficiens meritum Chriſti, reſpectu aliorum. Quare Maſtrius *num.*479. ait, diſtinctionem Suarez hîc eſſe chimæricam.

Reſpondet igitur Vaſquez primò, negando ſequelam. Nam ſufficit, Chriſtum pro omnibus merita exhibuiſſe non applicando huic, vel illi ; & quod ex eius meritis Deus hos elegerit ſua voluntate (addo ego, ex motiuo) ſic enim Chriſto acceptam fateri debent electionem, vt docent Sancti Patres, Leo I. *ſerm.*1. *de paſſ.* & *epiſt.*13. Auguſt. *ſerm.*8. *de verb. Apoſtoli*, Fulgentius *l. de Incar. & gloria*, *cap.*7. Photius *in epiſt. de ſeptem Synod.* quæ habetur *tom.*1. *Conciliorum* initio, vel *tom.*3. ante ſeptimam Synodum.

RESPONDET deinde, Chriſtum etiam hoc præ- 278
ſtitiſſe, vt & quibuſdam noui tantùm teſtamenti applicuerit ſingulariter ſuas orationes, & merita, vt Lucæ 22. ait : *Rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua.* Et Ioan.17. cùm orauit pro Apoſtolis. *Non pro mundo rogo, ſed pro his, quos dediſti mihi.* Quis autem neget, Chriſtum meruiſſe quibuſdam ſingulares electiones ad eximias gratias? Hoc tamen ſuppoſito motiuo aliquo, præſtitit nam antecedenter omnes, voluit æqualiter ſaluos ; vt dixi *quæſt.*12.

NEQVE allegata loca oſtendunt, Chriſtum ante omne motiuum exhibuiſſe pro quibuſdam efficaciter merita. Et quidem locus *Lucæ* 22. eſt oratio facta, non pro ſola perſona Petri, vt aliqui volunt Theologi, Bellarmino coætanei, inter quos erat Vaſquez ; neque ſolùm pro Eccleſia, excluſâ perſonâ Petri ; vt docebant aliqui Pariſienſes ; ſed pro perſona Petri, vt erat caput Eccleſiæ, & pro ſucceſſoribus in ordine ad rectam, & indeficientem fidem illibatam, vt docent multi Patres, qui inde colligunt, Pontificem è Cathedra non poſſe errare. Loco autem *Ioan.*17. Orat pro omnibus, dicens : *Non pro eis autem rogo tantùm, ſed pro omnibus, qui credituri ſunt, vt omnes vnum ſint, &c.*

RESPONDET Vaſquez orationem illam non fuiſſe 279
efficacem : ſicut illa pro Apoſtolis, quod eluret. Quia non omnes fideles perſeuerant.

At non probat id antecedere omne motiuum.

D.Bonau. *in cap.*22. *Lucæ* vtrumque locum componens, ait, oraſſe Chriſtum pro capite Eccleſiæ in ordine ad intemeratam fidem tuendam, quod tamen non eſt electio ad gratiam finalem, eſto principaliter orauerit pro Apoſtolis. Idem docet *ad cap.*17. Ioan. nempe Chriſtum oraſſe pro omnibus, & excluſiſſe mundum, ideſt mundanos, deuios ex motiuo. Hoc ſenſu Seraphicus probat *ad cap.*17. *allegatum Ioan.* Chriſtum ſuis meritis, & orationibus emeritum fuiſſe electiones omnium prædeſtinatorum ; aliquas etiam, quæ exiſtant inſignes, vt Magdalenæ, Pauli, Matthæi. Neque enim ad emerendas electiones prædeſti-

natorum

natorum fuit neceſſe, vt peculiariter pro eis intercederet, non intercedendo pro aliis; ſed ſatis fuit, effundere merita, & preces pro omnibus, & aliqitos ob motiuum ſeligi ex meritis Chriſti; aliis ob cauſam relictis. Sicuti mihi accidit cum oraui pro quibuſdam militibus, morte damnatis, Excellentiſſimum Ducem exercitus Veneti, qui mihi aliquos conceſſit, ſorte eligendos, qui taxillis iactis vberiorem numerum promererent.

380 Displicet mihi illud quoque dictum Vaſquez, non potuiſſe Chriſtum ſuis orationibus mereri ſingulari interceſſione pro antiquis Patribus. Cùm enim Deus ob merita, profectò Chriſti, dederit gratias omnes, & exquiſitas Patribus illis, non quidem ob merita iam profuſa; ſed in præſcientia effundenda; cur id non potuit, ob ſingulares orationes applicandas? Quod ſi non petuntur gratiæ prætetitæ; cur non aguntur pro eis gratiæ? Cùm enim *Ioan*.17. Orationes perſoluit ſingulariter: *Pro his, quos dediſti mihi*, ideſt pro electis; vt fatetur Vaſquez; quis dicet exclusiſſe datos ſibi antiquitus? Quod enim ait Vaſq. *num*.24. Deum non potuiſſe ſperare maiores gratias magis pro vno, quàm pro alio beneficio, nam pro omnibus infinitæ gratiæ erant reddendæ à Chriſto, infinitàque merita effundenda; dicitur abſque fundamento, & contra ipſum: Cùm enim ſuprà aſſeruerit in vltima cœna, aliquas orationes emiſſas tantùm pro quibuſdam, V. g. Apoſtolis, non pro cæteris; cur his applicatis etiam pro antiquis Patribus, non potuêre ſpecialiter agi gratiæ, ſiue finitæ, ſiue infinitæ ſint; & has gratiarum actiones cur non potuit Deus expectare à Chriſto peculiariter pro Dauide, Iob, & Abele, ſicuti pro Petro, Paulo, &c? Quare ſecum ipſe pugnat Vaſquez, vt etiam Arriaga vidit *diſp*.37. *ſect*.3.

381 Obiicies ſecundò. Chriſtus *loc. cit.* orauit pro illis, qui ſibi iam dati fuerant, ideſt iam erant electi: Ergo non fecit vt eligerentur. Ant. patet Ioan.17. *Pater manifeſtaui nomen tuum hominibus, quos dediſti mihi: Tui erant, & mihi eos dediſti*, quem locum Adrianus I. *epiſt*.1. *ad Epiſcopos Hiſpaniæ*; explicat de iis, quos Deus electione ſua dedit Filio.

Item *Heb*.2. de prædeſtinatis intelligit Apoſtolus id Iſa.8. *Ecce ego, & pueri mei, quos dedit mihi Dominus*, vbi particula (*dedit*) ſignificat eos non meritis reddi. Similiter Epheſ.1. dicitur: *Elegit nos in ipſo ſecundùm propoſitum voluntatis ſuæ*. Ergo ex ſola voluntate. Similiter Matth.20. *Sedère autem ad dexteram meam, vel ſiniſtram, non eſt meum dare vobis, ſed quibus paratum eſt à Patre meo.* Confirmatur ex Epheſ.1. *In quo ſorte vocati eſtis*: Ergo non ex meritis. Nam quod ſorte fit, non fit ex intentione, vel meritis. Tandem premit Maſtrius ea omnia loca, quæ prædeſtinationem voluntati, & miſericordiæ Dei adſcribunt, & negant factam ex meritis. *Rom*.9. *Epheſ*.1. *&* 2.

382 Respondet D. Bonau. ad locum illum 17. *Ioan.* circa medium, Electos ſic eſſe prædeſtinatos, vt redemptione electi è maſſa perdita fuerint: eos verò dici à Patre datos Chriſto, quatenus pretium datum eſt redemptionis eius, ipſis etiam volentibus; tametſi non merentibus. Eodem modo intelliguntur alia loca ſimilia; neque alicuius Patris expoſitionem ſuo ſenſui inuenire valebunt. Quod verò Epheſ.1. dicitur: *Secundùm propoſitum, &c.* Concedo, ſignificare voluntatem iuſtificandi, ſed tamen ex meritis Chriſti; vt ſuprà in primo argumento oſtendi. Quod verò dicuntur: *Sorte vocati*, excludit tantùm merita eorum; non autem Chriſti, ſicuti cùm ego interceſſi pro militibus modò relatis; ſorte quidem taxillorum electi ſunt ad vitam, abſque ſuis meritis; attamen hoc factum eſt meis precibus, non excludo tamen aliquod motiuum à ſorte, ſicuti milites illi potuêre aliqua induſtria cooperari, vt taxilli bono numero cumulati prodirent.

Ad illud *Matth*. 20. reſpondetur, non dixiſſe Chriſtum, non eſſe ſuum, dare regnum electis. Nam Lucæ 22. ait: *Et ego diſpono vobis regnum, ſicut diſpoſuit mihi Pater*; ſed: *Non eſt meum dare vobis*, iuxta cognationis, vt petitis. Datur enim regnum a Patre iuxta merita mea; ſed cooperantibus electis adultis. Sic exponunt PP. Græci. Et ideò illud, quod dicitur: *Sicut diſpoſuit mihi Pater*, exponit S.Bonau. ibi, ideſt, ſicuti Pater mihi dedit Regnum, & exaltationem, per humiliationem, vt dicitur Philip.2. *Humiliauit ſemetipſum. Propter quod & Deus exaltauit illum.* Et Lucæ 24. *Nonne hæc oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam.* Ideò & Ioan.10. dicitur: *Si quis mihi miniſtrat, me ſequatur.* Et 2. Tim.2. *Nam ſi commortui ſumus, & conregnabimus.* Quid plura? ibi præmiſit. *Vos autem eſtis, qui permanſiſtis mecum in tentationibus meis: & ego diſpono vobis ſicut diſpoſuit mihi Pater regnum.* Habebat igitur Chriſtus poteſtatem diſponendi Apoſtolis regnum ſuis meritis; ſed modo à ſe exhibito. Quapropter, & hoc adducto illis propoſuit. *Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum?* vt obſeruat S. Bonau. ad locum indicatum 24. *Lucæ* Vnde cùm ſubdit. *Calicem quidem bibetis; ſedère autem ad dexteram meam, vel ſiniſtram, non eſt meum dare vobis, ſed quibus paratum eſt à Patre meo.* Non vult dicere ibi, non eſſe ſuum dare regnum etiam bibentibus calicem ſuum; ſed ſenſus eſt. Vos prætenditis primatum, dexteram, & ſiniſtram throni mei. Hæc ſanè præminentia non datur extra merita, iure conſanguinitatis. Idem obſeruat in Diæta *tit*. 7. *in fine*. 383

Cæteræ verò authoritates excludunt tantùm merita noſtra; vt reſpondet Amicus *d*.26. *ſect*.12. cum D. Bonau. hîc. Neque aliud ſolidum replicant Maſtrius *num* 47. vel Smiſing. *loc. cit.* 384

Obiicies tertiò causa, & effectus coincidunt in vnum, ſed merita Chriſti ſunt effectus noſtræ prædeſtinationis: Ergo non ſunt cauſa. Minor probatur: Nam. Chriſtus prædeſtinatus eſt ad vnionem hypoſtaticam, quæ eſt principium meritorum ex præuiſione peccati ad eius remedium, ac noſtram ſalutem, vt finem; ſic habetur in Symbolo: *Qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de cælis, &c.* Ergo non potuit nobis meruiſſe prædeſtinationem.

Trigosius hoc argumento territus muſſitat, difficile eſſe in via D. Bonau. reſpondère, qui docet, Incarnationem prædeſtinatam in remedium peccati, & ad noſtram ſalutem; Quo fit, vt merita Chriſti incarnati ſint effectus prædeſtinationis noſtræ ſalutis, non cauſa. 385

Reſpondet tamen, prædeſtinationem Chriſti eſſe priorem noſtrâ; ſed id non probat.

Respondet ſecundò, prædeſtinationem Incarnationis, vt eſt actio Dei, eſſe poſteriorem noſtrâ prædeſtinatione, quippe quæ fuit ordinata vt medium ad noſtram ſalutem: at verò vt eſt bonum noſtrum, eſſe priorem, quippe cauſando ſalutem.

Hæc ſanè diſtinctio apta non eſt, nec reprimit argumentum. Nam meritum Chriſti debet hîc conſiderari, non vt actio Dei, ſed vt ad nos refertur; & inde videndum: An ordinetur ad bonum noſtrum, & quomodo. Si igitur aſſeramus, Deum prædeſtinaſſe Incarnationem, & merita Chriſti in remedium peccati; ſequitur voluiſſe priùs noſtram ſalutem vt finem; 386

finem ; noſque elegiſſe, & poſteà ordinaſſe merita Chriſti, vt media ; ac proinde merita Chriſti non potuiſſe eſſe cauſam electionis ; ſed media.

387 Vasqvez ſagaci fugâ argumentum vitare conatur, & primò ait, quæſtionem eſſe vocum ; non tetum : An merita Chriſti dicenda ſint effectus noſtræ prædeſtinationis, tunc nolla merita erunt cauſa alicuius prædeſtinationis, (Verumtamen ait, iuxta phraſim Scripturæ, & Patrum, non eſſe dicendum, Incarnationem, & merita Chriſti eſſe effectus noſtræ prædeſtinationis, quod probat è methodo diſputationis D. Auguſt. cum Pelagio & aſſeclis.

Tanoer, vt aliquo modo ſatisfaciat argumento, diſtribuit ſigna diuinorum decretorum. Et primò ſupponit, Incarnationem prædeſtinatam ex præuiſo peccato Adæ. Hoc ſuppoſito ſic diſtribuit inſtantia. In primo Deus voluit creaturis ſe communicare ex voluntate ſimplicis affectus, quo deſiderauit illis gloriam ſuam. Secundo ex hac voluntate largiri decreuit dona gratiæ in ſtatu innocentiæ, permittens etiam, vt homo in peccato laberetur. Tertio volens remedium homini lapſo, prædeſtinauit Incarnationem, & merita Chriſti. Quarto, ex meritis Chriſti præuiſis, quoſdam prædeſtinauit, & elegit ad gratiam vſque ad perſeuerantiam, nullâ ex ipſis exiſtente causâ. Quinto, perſeuerantibus decreuit ex meritis gloriam, quam ante merita gratiæ præuiſa nunquam præfinierat, vt dictum eſt *diſp.* 89. Hæc ſanè parùm conducunt ad ſoluendum argumentum.

388 Primo quidem non eſt de nudis vocibus quæſtio: An merita Chriſta ſint cauſa noſtræ ſalutis ; ac proindè prædeſtinationis, de qua eſt eadem ratio è D. Auguſt. vt fatetur Vaſq. *cap* 5. quod ſi de nudis vocibus eſt controuerſia ; vt quid tam prolixa diſputatio ? Series verò, & intentum D. Auguſt. cum Pelagianis, & Semipelagianis non ſufficit, vt ſoluatur argumentum. Nam S. Auguſt. agit cum illis ſolum de meritis noſtris. An ſint initium noſtræ ſalutis, ac prædeſtinationis ; de meritis autem Chriſti non fuit vlla contentio cum Pelagio, & aſſeclis. Quoad ordinem verò ſignorum multa falſâ admiſcuit.

389 Et primò quidem ſupponit, Chriſtum non eſſe primum inter creaturas in mente Dei primogenitum omnis creaturæ, & caput prædeſtinatorum, quod eſt expreſsè contra Apoſtolum *Coloſſ.* 1. Neque valet reſponſio Vaſquez *cap.* 3. *d.* 10. Chriſtum dici primogenitum honore, & dignitate ; nam in ordine ſignorum ponit Vaſquez Incarnationem, vt medium ad ſalutem aliorum ; medium autem eſt ignobilius fine, quippe totam bonitatem habet à fine, quatenus ad eum conducit *ex* 2. *Phyſ.* Sanè dicitur 1. Cor. 3. *Omnia veſtra ſunt : vos autem Chriſti, Chriſtus autem Dei*, vt notat Fauentinus *in* 3. *d.* 20. *cap.* 3. *num.* 21.

390 Secvndo quis credat, Deum prædeſtinaſſe Chriſtum in remedium hominum, & vt medium efficax ad noſtram ſalutem ; & poſtea homines prædeſtinaſſe ? Profectò merita Chriſti, efficaciter ordinata ad hominum ſalutem, ſupponunt eam volitam vt finem prædeſtinationis Chriſti ; niſi dicamus Deum ignoranter, & improuidè merita Chriſti prædeſtinaſſe. Quod autem ſorte datur non eſt donum, cui gratias habere teneamur, vt fatetur Vaſquez *num.* 4.

Omitto, prædeſtinationem ex motiuo factam ; quod ipſe negat.

Svarez timens hanc rationem reſpondet, Chriſti merita priùs eſſe volita, vt primam originem meritorum, & vt perfectiones Chriſti.

Inſtat Maſtrius *num.* 482. cum Belluto. Quia meritum, vt meritum, ſemper refertur ad præmium : Ergo quando eſt volitum, ſemper eſt volitum vt medium.

Facillimè in via Seraphici argumentum refellitur, 391 aſſignando ſigna cum S. D *in* 3. *d.* 1. *art.* 2. *quaſt.* 2. *ad* 5. Primò Deus habuit voluntatem ſe communicandi ad extrà ; & quia decens erat, vt ſe communicaret creaturæ ſibi ſimili ; complacuit ei in creaturâ rationali liberâ. In ſecundo ſigno, vidit creaturam rationalem ſuo arbitrio relictam ; ſi crearetur, lapſuram. In tertio ſigno vidit, poſſe creaturam rationalem lapſam reparari, & inter modos ſanè ingenioſos, & diuinæ bonitati, amorique conſonos, agnouit aſſumere eandem carnem humanam, & inter homines amantiſſimè viuere, & pro illis mori. In quarto ſigno decretum firmauit. Creemus igitur tam nobilem creaturam ad noſtram gloriam, eamque ad filij mei gloriam ordinabo, dum incarnatus ſaluabit homines. Hoc fuit idem, ac dicere. Creemus, vt lapſos redimatur à filio incarnato. Itaque prius in intentione fuit reparatio lapſi, quàm conditio, ſeu creatio eius ad lapſum poſſibilis. Ideò primò fuit prædeſtinatus Chriſtus, eiuſque merita : deinde ex eius meritis facta eſt electio, & prædeſtinatio hominum. Hæc enim fuêre præuiſa, & potuerunt ordinari ad ſalutem noſtram, & conſequenter ita factum eſſe, credendum eſt, cùm hoc redundet in maiorem Chriſti gloriam, vt arguit Poncius *d.* 38. *quaſt. vlt.* Quicquid alij Scotiſtæ dicant.

Obiicias quarto. Nihil creatum eſt cauſa alicuius 392 increati. At diuina prædeſtinatio eſt actus increatus : merita Chriſti creata : Ergo hæc non poſſunt eſſe cauſa prædeſtinationis.

Reſpondet Vaſquez è D. Bonau. merita Chriſti non eſſe cauſam actus Diuini, qui eſt principale in prædeſtinatione ; ſed eſſe cauſam ordinationis effectuum. Sic exponitur à Scholaſticis communiter id, quod dicunt antiqui, actum Diuinæ prædeſtinationis non poſſe eſſe cauſatum.

Errat autem Gaſpar Caſſalius cum aliis non nullis dicens, Chriſtum meruiſſe actum prædeſtinationis ; nam ſi propriè loquatur, erit ſenſus, meruiſſe exiſtentiam actus illius ; at verò hoc eſt impoſſibile : Quia eſt ens neceſſarium ſimpliciter, ipſeque Deus, vt arguit S. Bonau. *hic ad* 2. & *in* 1. *d.* 40. *quaſt.* 1. & *d.* 41. *quaſt.* 1. & 2. & poſt eum Scholaſtici, quos refert, & ſequitur Vaſquez *cap.* 4. *à num.* 31.

Obiicies quinto. Nullum contingens eſt cauſa 393 neceſſarij. Sed ante aduentum Chriſti erant neceſſariò prædeſtinati omnes, qui deceſſerant in gratia ; at Chriſtum incarnari poſt eorum obitum fuit contingens ; atqueadeo non mereri poterat : Ergo prædeſtinatio eorum non fuit è meritis Chriſti.

Respondet S. Bonau. contingens poſſe eſſe cauſam neceſſarij ex ſuppoſitione, quòd eatenus tantùm eſt neceſſarium, quia factum eſt. Tales erant Patres defuncti quoad ſalutem, quæ erat neceſſaria ſolùm ex ſuppoſitione ſui eſſe, ex meritis quidem Chriſti præuiſis, quæ quidem, ſuppoſito æterno decreto, non erant contingentia, vt poſſent non eſſe, ſed erant neceſſaria antecedenter ad ſalutem veterum, quæ erat effectus eorumdem meritorum in Diuina præſcientia, & in decreto.

Opponit Ribas *num.* 31. Eatenus electio aliquorum potuit eſſe è meritis Chriſti, quatenus eis applicuit aliqua opera ſpecialia præter communia reprobis ; at id ſupponit iam electos, quibus applicaret.

Dico, priùs eſſe volita ea ſpecialia merita, vt illi è motiuo congruo ex gratia, applicatione illa eligerentur directè ; alioqui, ſi poſt electionem applicita ſunt, non erunt cauſa prædeſtinationis, etiam vt dilectio, cùm iam ſint mediis communibus ordinari ad gloriam.

Quamuis

Quamuis enim prius ſit electio è maſſa; poſteà prædeſtinatio, quæ eſt ordinatio mediorum in finem, vt ait S.D. *d.40. art.3. quæſt.2.* tamen Chriſtus non eſt poſt noſtram electionem; eſſet autem effectus eius, ſi verum aſſumptum: ac proinde nequiret eſſe cauſa noſtræ prædeſtinationis.

Instat: Deus applicans ſpecialia media his, ſupponitur hos præ aliis velle.

Dico, imò potius applicationem reddere electos.

Inſtat *num.35.* Merita Chriſti ſcceperunt electionem, vt præmium; at quod alij relicti ſint in maſſa perdita, non eſt præmium Redemptoris omnium.

Dico, aſſumi falſum; non enim applicantur ſpecialia merita eligendis, vt cæteri perdantur, ſed hi, reddentes ſe indignos, ſeipſos priuant, abutentes auxiliis per Chriſtum datis.

Opponunt Scotiſtæ, homines prædeſtinatos eſſe ante deſtinationem mortis Chriſti. Sed hoc refellam *3.p. tract.1.d.4. quæſt.1.*

QVÆSTIO XIV.

An Chriſti Prædeſtinatio ſit cauſa finalis, & exemplaris noſtræ.

D.Bonau in 3.d.11 q.1.& 2.
D.Th 3.p. quæſt.24. art.4.

394 Seraphicvs *quæſt.1.* parallelos ducit inter Prædeſtinationem Chriſti, & noſtram. Ex parte quidem efficientis, qui eſt Deus nulla eſt diuerſitas: Ex parte cauſæ efficientis moralis, eſt diuerſa ratio; nam prædeſtinationis noſtræ cauſa meritoria eſt Chriſtus: at prædeſtinationis Chriſti nulla eſt cauſa meritoria: Quia ipſa eſt principium omnis meriti, quod ſub merito cadere non poteſt. Neutra ſanè eſt ex meritis propriis prædeſtinatorum; vt docet D.Auguſt. *l. de prædeſt. ſanct. cap.15.* Ex parte ſubiecti eſt diuerſitas. Nam ex nobis prædeſtinantur perſonæ, & conſequenter natura, ad gratiam, & gloriam: at Chriſti ſola natura humana prædeſtinata eſt ad gratiam, & gloriam. Ex parte termini *a quo*, eſt diuerſitas. Nam noſtra prædeſtinatio eſt è maſſa perdita; non ſic Chriſti. Ex termino *ad quem* differt. Nos quidem ad gratiam, & gloriam prædeſtinamur, ſicuti & Chriſtus; eſt enim prædeſtinatio *præparatio gratiæ, & gloriæ*; ſed nos ſucceſſiuè promouendi; at Chriſtus ſimul ad vtrumque. Deinde Chriſtus prædeſtinatus eſt etiam ad gratiam vnionis hypoſtaticæ, & ad gratiam Capitis. Reſtat videre: Num comparentur inuicem, vt finis, & media: vt exemplar, & exemplatum?

Asserendvm primò, prædeſtinationem Chriſti eſſe finem noſtræ prædeſtinationis. Patet ex dictis *quæſt.13.*

395 Probatvr primò à D.Bonau. *in 2.d.36. quæſt.2.* Idem eſt finis hominis, & legis. Sed *finis legis Chriſtus* Rom.10. Ergò & fœlicitatis hominis; ac proinde eius prædeſtinatio eſt finis noſtræ prædeſtinationis.

Probatvr ſecundò à D.Bonau. in Prol.3. ſent. è Coloſſ.1. *Qui eſt primogenitus omnis creaturæ: Quoniam in ipſo condita ſunt vniuerſa in cælis, & in terra, &c. Omnia per ipſum & in ipſo creata ſunt: & ipſe eſt ante omnes, & omnia in ipſo conſtant. Et ipſe eſt caput corporis Eccleſiæ, qui eſt principium, primogenitus ex mortuis. vt ſit in omnibus ipſe primatum tenens, quia in ipſo complacuit, omnem plenitudinem inhabitare: & per eum reconciliare omnia in ipſum.* Et obſeruat S.Bonau. nos ſaluatos, atque pacificatos in Chriſto, per Chriſtum, & ſecundùm Chriſtum, vt innuitur *Rom.5.* & omnia reconciliare complacuit in ipſum, tanquam in finem referendo omnes è maſſa inimicorum liberatos, & Deo reconciliatos.

Sic Heb.2. *Decebat enim eum, propter quem omnia, & per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem ſalutis eorum per paſſionem conſummare.* Et hoc innuit Concilium Trid. *ſeſſ.6.cap.7.* vbi definitur: *Cauſam finalem noſtræ iuſtificationis eſſe gloriam Dei, & Chriſti.* Idem docent SS PP. Auguſt. *l. de prædeſt. Sanctorum, cap.18.* Chryſoſtomus *homil.1. in cap.1. ad Epheſ.*

Innvit S.Bonau. *in 3.d.13. art.2. quæſt.1.* argumentum nouiter à Medicis inuentæ circulationis ſanguinis. Dicitur enim *Coloſſ.1.* Chriſtus principium, & caput, ſeu cor Eccleſiæ, influens in eam ſpiritum, & alimentum. Et in *cap.8. Ioan.* obſeruans ea verba Chriſti: *Ego principium*; eaque componens cum illis Apoc.1. *Ego ſum α, & ω, principium, & finis*; deducit cum Apoſtolo *Rom.11.* Eundem eſſe, à quo omnia, per quem omnia, in quo omnia; ideſt idem principium, qui & finis; at Chriſtus eſt principium noſtræ prædeſtinationis, vt oſtendi *quæſt.13.* Ergo & finis. Sumitur autem ratio ex nouiter inuenta ſanguinis circulatione apud Harueum, Valæum, Bartolinum, & alios Anatomicos. Inuenerunt enim, ſanguinem totum per Aortam diffundi ad corpus, & per anaſtomoſes penetrare venas; & iterum redire per venam Cauam ad dextrum latus cordis. De quo *tract. de Anima, diſp.3. quæſt.3.* agam. Iam verò cùm Chriſtus ſit veluti Cor Eccleſiæ, diffundens ſpiritus, & gratiam, ipſamque meritoriè prædeſtinationem; eſt etiam finis, ad cuius gloriam ordinatur. Obſeruat autem S.Bonau. *in 3. d.13. art.2. quæſt.3. ad 1.* Principium vitæ eſſe Cor, ſecundùm Philoſophos, qui intimiùs ſcrutantur naturæ arcana; licèt Medici dicant eſſe caput, cui ſanè comparatur Chriſtus magis, quam Cordi. Quia caput eſt notius, eminentius, & ſedes intellectus. 396

Assero ſecundò, prædeſtinationem Chriſti eſſe cauſam exemplarem noſtræ, non ad quam reſpexerit Deus in hominibus prædeſtinandis; non enim extra ſe reſpexerit; ſed ad quam nos componamur. Ità D.Bonau. *quæſt.2.* vbi aduertit, omnes prædeſtinationes eſſe in vnâ Diuinâ eſſentiâ exemplari. 397

Probatur à S.D. primò Rom.8. *Quos prædeſtinauit conformes fieri imaginis filij ſui.* Illud autem, cui aliquid conformari debet, eſt huius exemplar. Secundò è D.Auguſt. de prædeſt. Sanct. cap.15. vbi ait. *Præclariſſimum lumen noſtræ prædeſtinationis, eſt Ieſus Chriſtus.* Tertiò idem probat illis Scripturis, quæ nobis Chriſtum proponunt, vt exemplar imitationis ad ſalutem *Heb.12. primæ Petri, 2.*

Argvmenta in oppoſitum ſolùm probant, prædeſtinationes omnes in exemplar vnicum Diuinæ eſſentiæ referri; tamen inter alias, prædeſtinationem Chriſti eſſe exemplar aliarum; quia aliæ ad illam debent aſſimilari, tanquam originem meritoriam, & finem aliarum; ſicuti liber primò factus ab artifice eſt exemplar, quod imitantur alij libri poſteà faciendi, vel facti. Quamuis autem Chriſtus fuerit poſt multos prædeſtinatos, quoad durationem, tamen in fide reſpiciebant ad Chriſtum. Ideò ipſe Ioan.8. dixit: *Abraham exultauit, vt videret diem meum.*

Ex his habes, Chriſti prædeſtinationem fuiſſe ante prædeſtinationes hominum. Ita D.Bonau. hîc cum D.Th. Alenſis *1.p. quæſt.3.m.5.* Albertus *d.10. art. vlt.* quos ſequuntur Richardus *art.4. quæſt. vlt.* Durand. *quæſt.3.* Palud. *quæſt.1. art.3.* & quotquot aſſerunt, 398

Chriſtum

Chriſtum venturum etiam non peccante Adam; ſed etiam plures ex aliis; vt Albertinus *tom.1. princ.6. corol.1. num.25.* Molina *quæſt.23. art.4. & 5.d.1.m.8.* Valentia *quæſt.23.p.4.5.1.* Vaſquez *d.91. num.1. & d.94. cap.2.* & cum his Tannerus *d.3. quæſt.5. dub.7.* De ea agam *3.p.diſp.26.*

399 ADDO, prædeſtinationem Chriſti eſſe priorem, etiam prædeſtinatione Angelorum. Quamuis enim in ſententia Seraphici *in 3.d.13. art.2. quæſt.3.* Chriſtus non influat in illos gratiam, & gloriam eſſentialem; tamen hæc influit in eos, & eſt eorum caput probat S.D. *ex 1. Epheſ. Coloſſ.1.* Sed de illa quæſt. agam *3. p. tom.1. d.13. quæſt.4.* Id tradunt S.Th. *in cap.1.Ioan.* & alij plurimi.

Concludit verò Tannerus prædeſtinationem Chriſti, vt Redemptoris, fuiſſe poſt noſtram prædeſtinationem, & dicit eſſe communem, & certam Doctorum ſententiam cum D.Th. *3.p. quæſt.1. art.3.* quia Chriſtus, vt Redemptor, fuit prædeſtinatus poſt præuiſionem peccati, cùm tamen prædeſtinatio noſtra ſit prior permiſſione peccati. Sed hoc refutatum eſt *quæſt.10.*

QVÆSTIO XV.

An Prædeſtinatio noſtra iuuari poſſit meritis Sanctorum.

¶ D.Th quæſt 23. art.8.

400 SVPPONO hîc, nullum Sanctum poſſe condignè mereri alteri prædeſtinationem totam, ſeu omnes effectus eius, aut aliquem effectum, puta vocationem, aut iuſtificationem, aut gloriam; vt latè oſtendam *3.p.tract.1.d.3. quæſt.3. & ſeq.* hoc enim teſtatum eſt Chriſto, ratione infinitæ dignitatis, qua conſtitutus eſt Saluator, & Mediator. Quamuis enim Sanctus ſit Deo charus, & mereatur exaudiri, tamen ille, pro quo orat, eſt peccator, & indignus, & ideò neque vocationem, neque iuſtificationem poteſt ei condignè mereri, vt notat D. Bonau. *d.41. quæſt.1.* Quoad gloriam verò ſtatutum eſt, vt detur adultis ob propria merita ex gratia; non ex meritis alterius, præterquàm Chriſti, quæ in ipſa gratia communicantur.

Quæſtio eſt autem: An congruè, vel dignè valeant ſancti mereri alicui prædeſtinationem, quoad omnes effectus; & quoad ipſum decretum.

401 PRIMA opinio vtrumque negat. Videtur D.Th. hîc, vbi Thomiſtæ communiter, Durand *1.d.41.q.3.* Suar. *l.2. de prædeſt. cap.21. & 24.* Tanner. *d.3. q.4. dub.2.*

SECVNDA aſſerit non modò effectus, ſed & actum electionis, poſſe eſſe emeritos. Vaſquez *d.94. cap.5.* & qui cenſent ſolam iuſtificationem, & glorificationem eſſe effectus prædeſtinationis, relati *quæſt.12. & 13.* Ideò his ne dit Trigoſius *quæſt.18. art.10. d.3.* Seraphicum; ſed immeritò; vt dixi *quæſt.11.*

TERTIA ſententia eſt, poſſe emereri omnes effectus à vocatione ad gloriam. Non tamen omnes ſimpliciter nunc mereri, quia non merentur orationem, vel opus, quibus merentur vocationem. Deinde non mereri actum Diuinæ intentionis; imò neque executionis, quoad vocationis decretum, ſed quoad ſequentia tantùm habere rationem aliquam: Et quamuis id Dei potentiæ non repugnet, non tamen fieri. Ita Ludou. Ribas *tract.7. d.5. cap.8. & d.6. à cap.1. ad 4.* Omitto alios ad ſua principia variè ab his ſentientes alios conciliantes, qui tenebris quæſtionem effundunt.

NOTA primò è D.Bonau. *3. d.11. quæſt 3. & in 1.* 402
d.41. quæſt.1. ad 4. Alenſ. *p.1. quæſt.18. m.3. art.2.* D.Th. *hîc, & in 1. d.41. quæſt.1. art.4.* & aliis, decretum Dei principaliter dicere actum Dei, qui eſt ipſe Deus, atque adeò incauſabilis: at ſecundò accipitur relatè, ſeu in ordine ad connotata, & hoc ſenſu authores ſecundæ ſententiæ dicunt illud cadere ſub merito. Sicut enim effectus connotati producuntur in tempore, ita æternè ſtatuti ſunt, vt dixi *quæſt.7.* Quare non rectè pro prima ſententia adducitur S. Bonauentura.

NOTA ſecundò, effectus prædeſtinationis in præ- 403
deſtinato intrinſecè incipere à vocatione: vt ait Apoſtolus *Rom.8.* & D Fulgent. *l.1. ad Monim. cap.11.* cum D.Auguſt. paſſim. Itaque non debemus ab extrinſecis exordiri, qui non ſemper adueniunt. In quo aberrant Trigoſ. *loc. cit.* Arrubal *d.79. cap.3.* Ribas *n.64.* Inchoari igitur oportet primum effectum à primo dono recepto in prædeſtinato. Eſt enim prædeſtinatio: *Præparatio donorum Dei, quibus liberantur certiſſimè, quicunque liberantur*, vt ait D.Auguſt. *l. de prædeſt. Sanct. cap.10.* qui preſſiùs *l. de bono Perſeuer. cap.22.* ait: *Siqui ſunt nondum vocati, pro eis vt vocentur oremus.* Et l.1. ad Simpl. *quæſt 2. & ſerm.1. & 4.* de S. Stephano ait, hunc meruiſſe Saulo vocationem, à qua exorditur dona in prædeſtinato, vndecunque extrinſecus adueniant. Idem ſenſit D.Bonau. allatus *quæſt.11. & quæſt.18.*

ASSERO primò. Omnium effectuum prædeſtina- 404
tionis poteſt dari cauſa congrua in meritis, & orationibus iuſtorum.

PROBATVR à D. Bonan. *d.41. quæſt.1. ad 4.* è D. Gregorio *l.1. Dial. cap.8.* vbi ait: *Obtineri nequaquam poſſunt, quæ à Deo prædeſtinata non fuerunt; ſed ea, quæ viri ſancti efficiunt ità prædeſtinata ſunt, vt precibus ipſorum obtineantur; nam ipſa quoque perennis regni prædeſtinatio ita eſt ab omnipotenti Deo diſpoſita, vt ad hoc electi pro labore perueniant, quatenus poſtulando mereantur accipere id, quod eis Deus ante ſecula diſpoſuit donare.* Id autem probat D.Gregorius è Scriptura. Quia multiplicatio ſeminis ſancti Abrahæ fuit prædeſtinata per Iſaac, vt dicitur *Geneſ.21. Vocabitur tibi ſemen. Multiplicabo ſemen tuum, ſicut ſtellas cæli, &c.* Et tamen Iſaac impetrauit orationibus à Deo, vt Rebecca, quæ erat ſterilis, conciperet Iacob, qui ad hoc prædeſtinatus fuit, vt habetur *Geneſ.25.* Non autem fuiſſet impleta prædeſtinatio Iacob, ſi natus non fuiſſet: Ergo omninò Iſaac meruit de congruo prædeſtinationem Iacob.

PROBATVR ſecundò à D. Bonau. ibi è D. Auguſt. 405
l.de bono Perſeuer. cap.22. vbi ait: *Si qui nondum ſunt vocati, pro eis oremus, vt vocentur; quia fortaſſe ſic ſunt prædeſtinati, vt noſtris orationibus concedatur, vt eandem gratiam accipiant, quà electi velint eſſe, & ſint.* Eſt autem vocatio primus effectus, à quo reliqui exoriuntur.

ASSERO ſecundò. Etiam ipſum prædeſtinationis decretum æternum ratione connotatorum poteſt de congruo cauſari meritis ſanctorum.

Probo cum D.Bonau. *loc. cit.* eiſdem locis SS. Au- 406
guſtini, & Gregorij, quibus Suarez *num 1.* & Tannerus *num.16.* clamant, oppoſitum apertè aſſeri, & probari.

ET quidem D.Gregorius non vult dicere, homines iam prædeſtinatos iuuari ad effectum; non autem in decreto, vt iſti arbitrantur cum Trigoſio *aſſert.3.* ſed vult primò, non poſſe iuuari orationibus non præuiſis, vt prædeſtinentur aliqui, qui non ab æterno prædeſtinen

prædeſtinentur. Cæterùm, prædeſtinationem vult ita eſſe ab æterno diſpoſitam, vt electi per orationes mereantur accipere, quod eis Deus ante ſæcula dare diſpoſuit. Tunc ſic arguo: Dare in æternitate, decernere, & accipere in tempore, apud D. Gregorium, ſunt correlatiua: Ergo eodem modo, quo in tempore dat ex meritis ſanctorum effectus prædeſtinationis, ità diſpoſuit ab æterno. Maior latiùs etiam oſtenſa eſt *quæſt* 7.

407 Valdeus autem id probat S. Bonau. è D.Auguſt. Nam dicit. Ideò orandum pro vocatione peccatorum obtinenda. Quia ſic forſan prædeſtinati ſunt, vt vocatio noſtris orationibus concederetur eis, & efficiantur electi: Reddit rationem vocationis temporalis. Deus enim, qui omnia, quæ prædeſtinauit, impleuit; ideò & pro inimicis fidei orare nos voluit, quod etiam ipſe infidelibus donet, vt credant, & volentes ex nolentibus faciat. Vult igitur dicere: Deus id implet in tempore, quod ab æterno prædeſtinauit: Sed in tempore vocat multos peccatores orationibus, & meritis Sanctorum: Ergo ab æterno etiam prædeſtinatio ad hanc vocationem facta eſt ex eodem motiuo, & diſpoſitione eorundem meritorum.

408 Hoc ampliùs confirmabo, ſi oſtendero, eundem ordinem; & omninò idem aſſerere D. Auguſtinum de vocatione in tempore, & de electione æterna Dei; quod diligenter obſeruauit Vaſquez *d* 89. *cap*.4. *d*.91. *cap*.3. & 5. & *d*.93. *cap*.5. Definit enim *l. de prædeſt. Sanctorum, cap*.10. prædeſtinationem, *Eſſe præparationem gratiæ, & donorum Dei*: gratiam verò eſſe effectum ipſius prædeſtinationis; prædeſtinatione quippè ea præſciuit, quæ erat facturus. Itaque eundem ſeruatum modum in executione aſſerit, quem in prædeſtinatione habuit. Quare ſi diſpoſuit dare ſine meritis; dat etiam ſine illis; alioqui alium ordinem apponere, eſſet peruertere. Et *l. de dono Perſeuer.cap*.14. vbi vult oſtendere, Deum quidem dare, vt ad eum veniamus; & tamen à nobis petere, vt id præſtemus, ait: *An quiſquam dicere audebit Deum non præciſſe quibus eſſet daturus vt crederent? Quæ vtique ſi præſciuit, profectò beneficia ſua, quibus nos dignatur liberare, præſciuit. Hæc prædeſtinatio Sanctorum nihil aliud eſt, quàm præſcientia ſcilicet, & præparatio beneficiorum Dei, quibus certiſſimè liberantur, quicumque liberantur.* Vbi certitudinem ſecuturam circa prædeſtinationem colligit ex ipſo decreto.

Afferunt aduerſarij D. Proſperum *l*.2. *de vocat. gent. cap. penult.* vbi ait: *Deus erga iis, quas elegit ſine meritis, dat vnde ornentur & meritis.* Et fruſtra dicitur, quod ratio operandi non ſit electis, cùm ad hoc operentur, vt electi fiant; hoc eſt, tales, quales per electionem præfiniti ſunt. Et infrà. *Quamuis erga quod ſtatuit Deus nulla poſſit ratione non fieri; ſtudia tamen non tolluntur orandi, nec per electionis propoſitum liberi arbitrij ſtudium relaxatur, cùm implendæ voluntatis Dei ita ſit præordinatus effectus.*

409 At diſcipulos Auguſtini. Magiſtrum imitatus, eundem modum ſeruatum docet in prædeſtinatione, qui & in executione ſeruatur; vt quod ex meritis datur; fuerit ex meritis prædeſtinatum. De hoc ſatis, *quæſt*.7.

Addam alium S. Auguſt. diſcipulum, S. Fulgentium *l*.1. *ad Monim. cap* 9. vbi ait: *Sicut erga præparata eſt per prædeſtinationem voluntas à Domino, qua bonum velimus; ſic etiam opera bona præparauit Deus, vt in illis ambulemus.* & cap.11. ait: *Hæc autem omnia, ideſt vocationis noſtræ initia, & iuſtificationis augmentum, & glorificationis præmia in prædeſtinatione Deus ſemper habuit*: Reddit rationem. *Quia & in vocatione, & in iuſtificatione, & in glorificatione ſanctorum gratiæ ſuæ opera futura præſciuit.* Ecce vocationem, qua velimus, & iuſtificationem, aſſerit eſſe prædeſtinationis effectus, eodem modo decretos in æternitate.

Fundamenta aduerſariorum ſoluta ſunt *quæſtione ſeptima, & duodecima.*

QVÆSTIO XVI.

An Prædeſtinatio habeat aliquos effectus.

D. Bonau d. 40. dub. 8.
D. Th. quæſt. 23. art. 2.

Postqvam de cauſis prædeſtinationis actum; iam de effectibus eius agendum. Hæc eſt quæſtio, quam ponit S. Bonauent. *d*.40. *dub*.8. & D. Thom. *quæſt*.23. *art*. 1. An prædeſtinatio ponat aliquid in prædeſtinato, non quidem formaliter, ſic enim eſt in Deo ſolo, vt actus eius; ſed cauſaliter, ſeu effectiuè.

Assero prædeſtinationem habere aliquos effectus. Ita S. Bonau. *loc. cit.* & *in Compend. Theol. lib.* 1. *cap*. 30. & cæteri Theologi cum D. Auguſt. *lib. de prædeſt. Sanctorum, cap*.10. & *de bono Perſeuer. cap*.14. 410

Probatvr à D. Bonauent. *dub. cit.* Quia vt homo ſalutem conſequatur, multa beneficia illi ſunt à Deo conferenda, quibus Deus eum dirigat ad finem gloriæ: Ergo hi ſunt effectus prædeſtinationis cauſati à Deo, illis actibus intellectus, & voluntatis, in quibus prædeſtinatio poſita eſt, & conſtituta. Hac ratione vtitur Suarez *l*. 3. *cap*. 1.

Vbi nota è D. Bonau. *in* 3. *d*.40. *dub*.7. prædeſtinationem eſſe formam, vel ad modum formæ, prout dicit in Deo actum voluntatis Diuinæ, & intellectus practici; eſt enim actus vitalis Dei: at verò prout dicit ordinationem, eſt cauſa efficiens effectuum, nempe Vocationis, Iuſtificationis, & Glorificationis.

Probatvr à D. Bonauent. *in* 3. *d*.11. *quæſt*.3. ex illo Pſalm. *Gratiam, & gloriam dabit Dominus.* Eſt autem Deus horum effectuum cauſa eminentiſſimo modo complectens omnes perfectiones meras cauſarum efficientium. Sic eſt cauſa eminenter vniuerſalis extendens ſe ad omnes effectus; excludit verò inefficaciam. Eſt eminenter particularis, quatenus efficax, & immediata; ſed tamen non reſtringetur ad vnum, vel aliquos effectus: eſt cauſa eminenter contingens, habens libertatem abſque mutabilitate: Eſt eminenter neceſſaria, habens immutabilitatem, ſed excludens ineuitabilitatem. 411

Adverte ſecundò, vnum effectum prædeſtinationis poſſe eſſe ab altero. Sic glorificatio eſt cauſa finalis, ad quam alij effectus ordinantur. Iuſtificatio eſt finis Vocationis. In genere autem efficientis, Vocatio eſt cauſa Iuſtificationis; & Iuſtificatio eſt cauſa meritorum, quæ gloriam adipiſcuntur: Vocatio quoque diſponit ad contritionem, contritio ad ſanctificationem, ſanctificatio ad gloriam, & hæc eſt veluti materialis cauſa. In genere autem cauſæ formalis vnus effectus, non eſt cauſa aliorum. Sola enim gratia habitualis eſt forma ſanctificationis; ſed non computantur, quaſi duo effectus. Et in hoc deceptus eſt Suarez *cap*. 1. dicens, in omni genere cauſæ iſtos effectus eſſe ſibi inuicem reſpectiuè cauſas, & effectus; ſicuti in effectibus naturalibus omnia genera cauſa- 412

rum interueniunt. Sanè & in hoc effectu ſupernaturali interuenit cauſa efficiens propriè, ideſt Devs. Materia, ideſt Homo. Forma, ideſt Gratia. Finis, ideſt Gloria.

QVÆSTIO XVII.

Quæ conditiones requirantur, vt ſit aliquis effectus Prædeſtinationis.

413 Prima conditio eſt, vt ille effectus ſit à Deo productus. Ita S. Auguſt. *lib. de prædeſt. Sanctorum, cap.* 10. vbi ait, Deum prædeſtinaſſe, quæ eſſet ipſe facturus. Ideò infert, latiùs patere præſcientiam, quàm prædeſtinationem. Quia Deus præſcit, quæ non facit, ideſt peccata; ſed tamen è contra, omnia, quæ facit, præſcit. Idem repetit S.Bonau. *d.*45. *q.*2. & alibi. Et D. Fulgentius *l.*2. *ad Monim.* initio ait, *Prædeſtinatio nihil aliud eſt, quàm præparatio operum eius.* Vide Tannerum *d.*3. *quæſt.*3. *dub.*1. Ribam *d.*4. *cap.*1.

Ratio D.Bonau. *d.*40. *dub.*3. *litt.* eſt; quia prædeſtinatio eſt Diuinæ voluntatis abſolutum beneplacitum erga aliquem, vt arguit etiam Suarez *lib.* 1. *de prædeſt. cap.*2.

414 Secunda conditio effectus prædeſtinationis eſt, vt ſit à prouidentia ſupernaturali, & ſub ordine gratiæ aliqua ratione contineatur. Ideò D. Auguſt. *l. de præd. Sanct. cap.*10. eam vocat gratiæ præparationem. Probatur à D. Bonau. *d.*40. *dub.*1. & 2. Nam prædeſtinatio eſt præordinatio ad finem ſupernaturalem gratiæ, & gloriæ. Idem habet in dubiis ſequentibus, & *quæſt.*2. Debet autem ideò effectus eſſe nobis per Chriſtum acquiſitus, vel eius morte, vel oratione, vel aliquo eius merito.

415 Tertia conditio eſt, vt ille effectus ſit datus ea intentione deducendi hominem ad finem ſupernaturalem gloriæ. Nam etiam reprobis dantur vocationes, & iuſtificationes, quæ tamen non ſunt effectus Prædeſtinationis. Dantur verò voluntate antecedenti ſaluandi eos, ſi voluerint. Hinc habes remedia generalia, vt ſacramenta, &c. non eſſe effectus prædeſtinationis, quia ſunt omnibus communia, vt notat Tannerus *loc.cit.* cum Suarez *l.*3. *cap.*2. *num.*8. Vaſq. *d.*94. *num.*37. contra Durandum 3. *d.*11. *quæſt.*3. Molinam *quæſt.*23. *art.*5. *d.*2. Valentiam *quæſt.*23. *p.*4. §. 1. Herizium *d.*3. *cap.*1.

416 Qvarta conditio, vt ſit vita æterna, vel conferat ad eam efficaciter conſequendam; nam etiam reprobi interdum veram iuſtitiam conſequuntur, vt definit S. Concilium Trid. *ſeſſ.*6. Satis autem eſt, vt duret vel in ſe, vt Perſeuerantia; vel in radice, vt Vocatio efficax.

QVÆSTIO XVIII.

An vocatio, Iuſtificatio, & Glorificatio ſint tres effectus Prædeſtinationis.

417 Primo enim ſunt aliqui negantes, Vocationem eſſe effectum Prædeſtinationis. Adducitur D. Bonau. *d.*41. *q.*1. & 2. à Vaſquez *d.*91. *cap.*4. & 93. *cap.*1. Trigoſio *q.*18. *art.*10. *dub.*1. & *ſequentibus*, timidiùs verò à Suarez *l.*3. *de præd. cap.*5. & Tannero *d.*3. *q.*3. *dub.*1. qui ingenuè fatentur id apertè non legi in S. Bonauentura; tametſi videatur fauère, dum ait, gratificationem, quam inter effectus primam nominat, cadere ſub merito congruo, quod de Vocatione non poteſt dici. Hoc verò ſatis refutatum eſt *q.*11. *ad calcem.*

Alii dicunt, Prædeſtinationem eſſe voluntatem dandi gloriam; atque adeò excludi gratiam Vocationis, & Iuſtificationis, quæ etiam reprobis communes ſunt. Ita Gabriel *d.*41. *art.*2. *q.*3. *d.*1. Ocham *d.*41. *q.*1.

Tertia ſententia eſt Durandi 1. *d.*41. *quæſt.*1. *num.*10. Sola media ad finem ſupernaturalem, non autem ipſam executionem beatitudinis per ſe, ac propriè, eſſe effectus prædeſtinationis, cùm prædeſtinatio ſit pars prouidentiæ, verſantis totùm circa media. Idem tuentur nonnulli Recentiores; & fauet non nihil D.Th. *quæſt.*23. *art.*4. cùm ait, Prædeſtinationem ſupponere dilectionem, & electionem ad gloriam. 418

Qvarta ſententia eſt, duplicem eſſe prædeſtinationem. Vnam ad gratiam; alteram ad gloriam: & prioris quidem effectum eſſe gratiam; poſterioris autem gloriam. Ita Turrianus *opuſc. de electione, ſiu de prædeſtinatione.*

Vera, & vniuerſalis ferè Theologorum ſententia eſt, tres eſſe effectus Prædeſtinationis, ideſt, Vocationem, Iuſtificationem, & Glorificationem. Ita Seraphicus *locis adductis quæſt.* 11. D. Th. *quæſt.*23. *art.*5. & Scholaſtici antiqui 1. *d.* 40. & 41. & Recentes: Valentia *quæſt.*23. *p.*3. Molina *quæſt.*23. *art.*2. *d.*3. & *art.*5. *diſp.*1. *m.*6. Suarez *l.*1. *de præd. cap.*5. & *l.*3. *à cap.*3. Bellarminus *l.*2. *de Gratia, cap.* 15. Bannes *quæſt.*23. *art.*2. Zumellus *ibidem, quæſt. vnica*, Nazarius ibi. Vaſquez *d.*91. *cap.*4. & *d.*93. *cap.*1. qui, licèt aliàs dixerit, prædeſtinationem immediatè ſolùm ad media terminari, nihilominus concedit, conſecutionem quoque gloriæ eſſe eius effectum, quia ex immediato eius effectu, qui eſt gratia, ſequitur. 419

Assero cum hac ſententia.

Probatvr à D. Bonau. *in Compend. Theo. l.*1. *cap.*30. & *cap.*8. ad Rom. *Quos præſciuit, & prædeſtinauit, hos & vocauit: quos vocauit, hos & iuſtificauit: quos autem iuſtificauit, hos & glorificauit.* Sic exponitur ab Origene *hîc*, Auguſt. *l.*1. *de prædeſt. Sanctorum, cap.*17. & *ſerm.*16. *de verbis Apoſtoli*, Fulgentio *l.*1. *ad Monim. cap.*11. Bernardo *in Pſal.* Qui habitat, *ſerm.*7. Lyrano, & aliis Gloſſis cum D. Auguſtin. *in Pſal.*150. Caietano, & aliis adductis *q.*12. 420

Vasqvez *d.*93. *cap.*1. dicit, hoc loco parùm probari intentum. Nam multi Patres intelligunt per glorificationem, non beatitudinem; ſed magnificationem in hac vita.

Sed hoc latiùs reuulſum eſt *quæſt.*11. ex ipſis Patribus, allegatis à Vaſquez, qui loquuntur quidem & de magnificatione Sanctorum in hac vita; ſed de glorificatione etiam futura. Vnde D.Th. ad eum locum aduertit, vtramque glorificationem includi ab Apoſtolo; cùm enim hortaretur ad tolerantiam paſſionum, quæ non ſunt condignæ ad futuram gloriam, profectò etiam de ea loquitur. Idem habet D. Anſelmus *ibi*, & poſt eos Suarez *l.*3. *de præd. cap.*3. vbi oſtendit, Patres per *magnificationem* accipere eam, quæ fit per adoptionem ad hæreditatem filiorum in gloria.

Probatvr verò de ſingulis; & primò de Vocatione.

Sed priùs ſcias, quòd cum Vocatio efficax ſit communis etiam reprobis; illa vocatio dicitur à D.Aug. effectus prædeſtinationis, quæ eſt ſecundùm propoſitum. Ita *l.*2. *contra duas epiſtolas Pelagij, cap.*9. & *de prædeſt. ſanct. cap.*16. & 17. *l.*1. *ad Simpl. quæſt.*2. Idem habent Proſper *in libro de vocat. gent.* Fulgentius *lib.*1. *ad Monim.* Anſelm. *in cap.*8. *ad Rom.* Sumiturque ex illis verbis: *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, his, qui ſecundùm propoſitum* 421

vocati

vocati ſunt ſancti. Intelligitur autem de propoſito Dei; vt habetur etiam 2. Tim.1. *Vocauit nos, non ſecundùm merita; ſed ſecundùm propoſitum ſuum*, vt notat D.Auguſt. qui locus non obſcurè, vt putat Suarez; ſed clarè à D. Auguſt. explicatur *l.2. contra duas epiſtolas Pelagij. Ipſi ergò* (ait) *ſecundùm propoſitum vocati, qui electi ante conſtitutionem mundi.* Id verò explicat adhuc in *l. de prædeſt. Sanctorum*, & quæ electio ſit hæc; & ait, eſſe illam; de qua Epheſ. primo. *Elegit nos, &c.* Nun ergò alios, ſed quos prædeſtinauit, hos & vocauit, iuſtificauit, & glorificauit. Elegit ergo prædeſtinando nos. Igitur illa vocatio eſt ſecundùm propoſitum; quæ datur à Deo illo propoſito ſaluandi. An verò hæc vocatio, quoad entitatem ſit alia à vocatione reprobi, diſſeram 1.2. *tract.5. d.1. quæſt 4.* Nunc dico, ſaltem eſſe talem, vt è præſcientia infallibilem ſortiatur effectum.

422 PROFECTO vocatio illa, quæ eſt cauſa iuſtificationis perſeuerantis vſque in finem, non eſt reprobo communis.

VOCATIONEM ergò huiuſmodi eſſe effectum prædeſtinationis, probatur à D.Bonau. *loc. cit. Compend.* ex adducta authoritate Apoſtoli: *Quos prædeſtinauit, hos & vocauit.* Confirmatur è Concilio Valentino celebrato, imperante Lothario *cap.3.* vbi dicit: *Deum ea tantùm ſtatuiſſe prædeſtinatione ſua, quæ vel gratuita miſericordia ſua, vel iuſto iudicio facturus erat.* Certum eſt autem quòd etiam vocatio fit gratuita Dei miſericordia. Idem colligit Seraphicus *loco adducto*, ex definitione Auguſtini. *Prædeſtinatio eſt præparatio beneficiorum Dei, & propoſitum miſerendi*; vt dixi *quæſt.2.* Hinc infert, vocationem eſſe effectum prædeſtinationis, quia eſt vnum è beneficiis deſignatis, è propoſito miſerendi, & ſaluandi.

EST autem ſententia D. Auguſt. *epiſt.105.* & *l. de prædeſt. Sanct. cap.10.* & *l.2. de bono Perſeu. cap.14.* D. Fulgentij *l.1. ad Monim. cap.9. &* 10. Quòd ſi Vaſquez Seraphicum vidiſſet, non diceret, modum eius loquendi à Sanctorum PP. phraſi diſſentire.

423 PROBATVR etiam à D. Bonau. *loc. cit.* ratione S. Auguſtini quæ Suarezio viſa eſt efficax *lib.3. de prædeſt. cap.6.* Ille eſt prædeſtinationis effectus, qui confert efficaciter ad vitam æternam conſequendam. Talis eſt Vocatio ſuprà explicata: Ergò. Maior eſt clara. Minor probatur à Seraphico: Nam vocatio retrahit à malo, oppoſito illi fini gloriæ.

424 DE Iuſtificatione probatur à S. D. *loc. cit.* ex illo *Rom.*8. vbi Iuſtificatio nominatur ex Prædeſtinatione conſequi, ſicut ex prædeſtinatione ipſa cauſatur Vocatio. Et quidem de Iuſtificatione perſeuerante certum eſt eſſe effectum prædeſtinationis. In hoc enim diſcrepat à iuſtificatione reproborum, quæ non perſeuerat. Eſt autem difficultas: An etiam prima iuſtificatio, vel quæ mortali eſt interrupta, prædeſtinationis ſint effectus. Aiunt Valentia *p.3.* Suarez *lib.3. cap.4.* Herize *d.10. cap.4.* Granado *tom.2. controu.4. tract.6. d.3.* Ribas *d.4. cap.4.* Tum quia Apoſtolus abſolutè Iuſtificationem ſic aſtruit: Et ita Patres ad eum locum *Rom.*8. exponunt, præſertim. Chryſoſtomus. Tum quia prædeſtinatus reſurgens reaccipit amiſſam gratiam, & ita: *cooperantur omnia in bonum his, qui ſecundùm propoſitum vocati ſunt ſancti*, vt ibi ait Apoſtolus, ſicque prior iuſtificatio manet in ſuo effectu; ſi tamen excipias Adamum, cuius prima gratia non ſpectet ad prædeſtinationem eius, quæ tota fuit è meritis Redemptoris: hæc vltrà non premo. His ſoluuntur, quæ opponit Vaſquez *diſ.93. cap.3.*

INSVPER opera ſupernaturalia, etiam vt à libero arbitrio, ſint effectus (excipe illud, quod eſt Deo

motiuum prædeſtinandi.) Ita Valentia *quæſt.23. p.4.* Suar. *l.3. cap.5.* Herize *d.30. cap.3.* Gonzal. *d.71. ſect.4.* Granad. *tom.2. controu.4. tract 6.d.4.* Ribas *d.4. cap.3.* cum D. Bonau. infrà *cit.* contra Henricum *quodl.4. quæſt.19.* & *quodl.8. quæſt.5.* Molinam *q.23. d.1. m.9.* qui id concedunt eſſe talia ſolùm quoad Dei concurſum.

PROBATVR, quia ſicut præfinitur gratia ab æter- 425
no, ſic præfinitur ad opera, vt ſalutem conſequatur, V.g. conſenſus ad vocationem, eſt effectus ipſius vocationis, &c. Ita S.Bonau. *d.40. dub.7. litt. & q.2.* & *d.41.q.1. &* 2. & *in Compend. loco citato.*

FALSO igitur nonnulli Seraphico inurunt, eum ponere primum effectum prædeſtinationis eſſe ſolam vltimam diſpoſitionem ad iuſtificationem.

PROBATVR verò de omnibus operibus ex gratia. 426
Quia licèt ſint à nobis; tamen habent ſuum eſſe, & ſuam virtutem à gratia, ſic conſenſus datus vocationi,&c. Ideò S.Fulgent. l.1.ad Monim. c.8. & 10.*Omnia* (inquit) *& vocationis noſtræ initia, & iuſtificationis augmenta, & glorificationis præmia in prædeſtinatione ſemper Deus habuit.*

Ex his colligere potes, etiam perſeuerantiam eſſe prædeſtinationis effectum, eſt enim ipſa iuſtificatio, vt permanens; ſeu eſt iuſtificationis conſeruatio. Hanc autem eſſe præcipuum effectum prædeſtinationis docet D. Auguſt. *libris de prædeſt. Sanctorum*, & *de bono Perſeuer.*& *de corrept. & gratia, cap.12. & 13.* eamque ſupponunt Proſper, & Hilarius in epiſtolis ad S.Auguſtinum.

PROBATVR à D. Bonau. *Opuſc. de ſeptem donis:* 427
de dono Fortitudinis *cap.3.* ex illo Matth.10. *Qui perſeuerauerit vſque in finem hic ſaluus erit.* Deinde è D.Bernardo *epiſt.129.* vbi ait: *Ipſa enim eſt nutrix ad meritum, mediatrix ad præmium. Tolle perſeuerantiam, nec obſequium mercedem habet, nec beneficium gratiam. Sola eſt enim, cui æternitas redditur, ſeu potiùs, quæ æternitati hominem reddit, dicente Domino: Qui autem perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit.*

HINC habetur ratio efficax. Id, quod efficaciter conducit ad gloriam, eſt effectus prædeſtinationis; Talis eſt perſeuerantia: Ergo. Qua ratione vtitur S. Doct. etiam *in Diæta, tit.8. cap.2.* & *de perfectione vitæ ad ſorores, cap.* 8. & *lib.2. Pharetræ, cap.34.* Idem definit Concilium Trident. *ſeſſ.6. cap.13. & can.22.*

INFANTES verò non ſunt quidem capaces perſe- 428
uerantiæ, quæ à nobis etiam pendet, ſed mors immatura in gratia eſt eis loco perſeuerantiæ. Habetur Sap.4. *Raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum eius*, quia raptus etiam adultis eſt remedium nonnullis ad perſeuerantiam, ne cadant, vt oſtendit S. D. ad eum locum

MIROR autem Tannerum *num.14.* hunc locum adducere ad probandum, vocationem eſſe effectum prædeſtinationis, non enim raptus ex hac vita, eſt vocatio, de qua Apoſtolus loquitur, diſponens ad iuſtificationem, quæ potius in iuſto ſupponitur.

TANDEM totam ſeriem gratiæ conducentem efficaciter ad effectum beatitudinis eſſe prædeſtinationis effectum, probatur ex Epheſ. 1. *Prædeſtinauit nos in adoptionem filiorum. Elegit nos, vt eſſemus ſancti.* Et confirmatur ex definitionibus prædeſtinationis, latis à D. Auguſt. l.1. de prædeſt. Sanct. cap.10. *Eſt gratiæ præparatio.* Et l. de bono Perſeuer. cap.10. *Eſt præſcientia beneficiorum Dei.* Cui conſentiunt Fulgentius, Proſper, & alij.

VLTIMO aſſero, etiam Glorificationem eſſe effe- 429
ctum prædeſtinationis.

Probatvr à D. Bonau. *loc. cit. Compend. ex* 8. *Rom.* adducto. *Quos iuſtificauit, hos & glorificauit.* Deinde probatur *Rom.*9. vbi prædeſtinati dicuntur vaſa miſericordiæ in gloriam præparata. Conſentiunt D. Auguſt. *libris cit.* Fulgentius *l.*1. *ad Monim.cap.*11. Eccleſia Lugdunenſis aduerſus Erigenam, & alij Patres.

Probatvr ratione, quia conſecutio finis in conſultatione eſt maximè intentus in electione mediorum.

Hinc auxilia inefficacia non ſunt effectus prædeſtinationis ex Valentia *quæſt.*23. *p.*3. Becano *de prædeſt. cap.*14. *quæſt.*3. quia non conferunt ad finem contra Suarez *l.*3. *cap.*6. At Ribas *d.*4. *cap.*2. ait, id verum, vt præcisè inefficacia.

QVÆSTIO XIX.

An bona naturalia, & moralia nudi arbitrij, ipſaque peccati permiſſio, ſint effectus Prædeſtinationis.

430 Qvoad naturalia aliqui omninò negant, nec abeſt Morandus *num.*488. & Vaſquez *d.*93. *cap.*4. Alij verò abſolutè affirmant apud Ribam *d.*4. *cap.*7. qui videtur ſubſcribere, ſed declarat id verum, quando conferuntur à Deo, vt ſaluti inſeruiant, vt de facto ad hoc conferri mirâ videntur prouidentiâ. Idem volunt Suarez *l.*3. *cap.*7. Amicus *d.*15. Idem vult ferè Arrubal *d.*81. dicens id verum, ſi ſint ſubſtantiæ, ſeu eſſentiæ addita ſuper exigentiam naturæ, & conducant ad ſalutem æternam; nam eſſe rationale, riſibile, non habet præcisè quid ſelectum ad illam. Idem vult Herize *d.*30. *cap.*5. vbi ſubſtantiam prædeſtinati tunc eſſe effectum prædeſtinationis ait, cùm ad ſalutem æternam confert. Ita P. Macedo *Coll.*12. *Diff.*1. *ſect. vlt.* hoc pacto Doctores à ſe allatos conciliat.

Assero primò Naturalia vt ſic, non eſſe prædeſtinationis effectum.

431 Probatvr primo à D. Bonau. 2. *d.*28 *dub.*1. Quæ ad prædeſtinationem ducunt, ſunt gratiæ ſupernæ per Chriſtum, & ſupra naturam, vt diſſerit Apoſtolus ad Romanos, Epheſios, &c. & D. Auguſt. *de nat. & grat.* de gratia Chriſti cont. Pelag. maximè *l.*4. *cap.*3. *L. de præd. & gratia de bono perſeu. cont. Semipel.* adſcribentes naturæ initium ſalutis. Et *epiſt.*95. & 105. Sed bona naturæ non ſunt huiuſmodi, ſed ordinis inferioris, vt aiunt PP. Africani *epiſt.*95. *cit.* & *l.*1. *ad Simpl.* & *l.*1. *de pecc. mer. cap.*21. Vnde 2. *Cor.*1. arguitur: *Videte vocationem, &c. quia non multi ſapientes, &c.* neque enim pro his bonis Chriſtus mortuus; eſt è *Rom.*5. *Epheſ.*1. *p. Cor.*1. 15. D. Auguſt. *epiſt.*105.

Probatvr ſecundo à D. Bonau. 1. *d.*40. *d.*1. *litt.* ratione D. Auguſt. *epiſt.*105. ex Apoſtolo, qui non, vt eſſemus, Chriſtum induit emeritum; ſed vt è malis, in quibus eramus, erueremur; ideò Redemptor dictus.

Assero ſecundò. Naturalia, vt prouidentiæ Dei ex propoſito inſeruiunt ad finem ſalutis noſtræ, eſſe effectus prædeſtinationis. Eſt communis apud Tannerum *d.*3. *quæſt.*3. *dub.*2.

Ita verò Dei prouidentiam ea aſſumere probat S. D. *ad cap.*8. *Sap.* illis verbis: *Habebo immortalitatem, &c.* quibus finem gloriæ æternæ intendens, media ſubdit: *Puer autem eram ingenioſus, & ſortitus ſum animam bonam. Et cùm eſſem magis bonus, veni ad corpus incoinquinatum*, vbi naturalia eximia, indolis egregiæ donum, ſorte Diuinæ electionis ſibi exultat impertita ad immortalem in cælis beatam vitam capeſcendam. Vide S. Doctorem, & cum eo Tannerum *num.*3. Hinc enim ordinem gratiæ ad primum effectum auſpicator vocationis, & ad ſecundùm iuſtificationis, & ad perſeuerantiam in bono, maximè continentia; in qua periculoſius certamen: *Et vt ſciui quoniam aliter non poſſem eſſe continens, &c.*

Et quidem hæc ita ordinari ex altæ Dei prouidentiæ modo, quo gratia naturam perficit, non leuiter coniicio. Cùm enim Deus ex voluntate beandi, hominem condiderit, vt docet S. Doctor. *in* 3. *d.*1. *art.*1. *quæſt.*2. *ad* 5., probabile eſt naturæ dotes adaptari, vt gratiæ inſeruiant. Sic egregias humanitatis Chriſti dotes ad vnionem hypoſtaticam direxit. Eſt autem Chriſtus noſtræ prædeſtinationis Exemplar.

Assero tertiò, etiam actus morales arbitrij, 432
poſſe adhiberi à Deo, vt conferentes ad prædeſtinationem. Ita Suarez *l.*3. *cap.*8. Arriaga *d.*38. *ſect.*1. Ribas *num.*37.

Probatvr, quia vt ait Apoſtolus Rom.8. *Omnia cooperantur in bonum his, qui ſecundùm propoſitum vocati ſunt ſancti*: Ergo ex propoſito Dei aſſumuntur etiam aliqua bona naturalia, & moralia ſolius arbitrij.

Assero quartò. Mala naturæ, ſeu pœnæ, ſæpè 433
ſunt effectus Prædeſtinationis. Ita communiter cum D. Thom. *quæſt.*23. *art.*8. & D. Bonau. *in* 2. *d.*33. *art.*3. *quæſt.*1. *ad* 3. quod probat Seraphicus exemplis Tobiæ, & Iob, qui, pœnalitatibus à Deo immiſſis, ad ſalutem properarunt. Hac ratione vtitur Suarez *lib.*3. *cap.*8. Tannerus *d.* 3. *quæſt.* 3. *dub.*3. Quia effectus prædeſtinationis eſt quicquid ex efficaci intentione ſaluandi prædeſtinatos fuit præordinatum à Deo. Sed pœnalitates ſic ſunt non rarò præordinatæ: Ergo.

Probatvr ſecundò à Tannero cum D. Bonau. ad 4. Sap. vbi dicitur: *Raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum eius, &c.* vbi apertè oſtendit, Deum è ſingulari prædeſtinatione intuliſſe mortem immaturam, ne ille iuſtus caderet.

Probatvr tertiò à S. D. *ad* 14. *Lucæ* ex illa para- 434
bola conuiuij, qua multis renuentibus intrare, dixit ad ſeruum. *Exi in vias, & compelle intrare, vt impleatur domus mea.* Compelle, nempè terroribus, pœnalitatibus vrgendos iubet. Quia, vt ait D. Gregorius in Gloſſa, & *homil.*36. in Euangelia. *Mala, quæ nos hic comprimunt, ad Deum ire compellunt.* Vbi adducit S. Bonau. & id Pſalm.77. *Cùm occideret eos, quærebant eum.* Hoc autem fit, ait S. D. *Vt impleatur domus, numero prædeſtinatorum*, vt exponit Gloſſa, qui numerus non manebit incompletus, iuxta id *Apoc.*6. vbi iubentur mortui clamantes ſuſtinere modicum, donec impleatur numerus fratrum ipſorum, & adducit id Deut.32. *Conſtituit terminos populorum, iuxta numerum filiorum Iſrael.* Alia verſio dicit: *Iuxta numerum Angelorum.* Vnde ait Gregorius: *Tot ſaluabuntur, quot Angeli ſteterunt.* Ità & Tannerus.

Non inferri autem vim compulſu Dei, oſtendit eximiè Seraphicus *ſerm.*4. *Dom.*2. *poſt Pent.* vt referam *tract.*9. *d.*9. *cap.*5. *quæſt.*3.

Probatvr quartò à D. Bonau. *ad cap.*9. *Ioan.* vbi 435
obſeruat, cæcum illum à natalibus, cui commiſerantes diſcipuli dixerunt Chriſto: *Rabbi, quis peccauit, hic, aut parentes eius, vt cæcus naſceretur:* Reſpondit autem Dominus: *Neque hic peccauit,*

neque

neque parentes eius; ſed vt manifeſtentur opera Dei in illo. Igitur (ait S.Bonau.) ob ſalutem hominum, quæ in gloriam Dei tendebat, voluit hunc naſci cæcum. Profectò etiam ob augmentum meriti, vel ad pœnitentiam promouendam, hæc Deus immittit. Eodem loco nititur Tannerus.

QVÆSTIO autem aliqua vertitur: An mala culpæ, vt permiſſa, poſſint eſſe effectus prædeſtinationis. Proculdubio culpa ipſa non poteſt eſſe talis. Ita ſupponit D.Bonau. *d.*40. *&* 41. Quia ea tantùm ſunt effectus prædeſtinationis, quæ ſunt à Deo volita, & ordinata: ſed peccatum non eſt à Deo volitum, vt definit Concilium Trident. *ſeſſ.*6. *can.*7. & latè probaui *diſp.*16. *quæſt.*13. Idem aſſero de actu, cui intrinſecè coniuncta eſt malitia; licèt enim Deus ad illum concurrat; non tamen à ſe illum intendit, vel præfinit, vt oſtendi *diſp.*16. *quæſt.*17.

Quoad ipſam permiſſionem negant Vaſquez *d.*93. *cap.*2. Arrubal *d.*82. *cap.*2. Becan. *cap.*14. *de præd. quæſt.*3. *num.*15. Villeg. *contr.*15. Leſſ. *l.*11. *de præd. cap.*6. Macedo *Coll.*12. *diff.*1. *ſect.*4. eos lenit Herize *d.*30. *cap.*6. dicens, id poſſe, ſi prædeſtinato innoteſcat. Morand. *num.*490.

436 ASSERVNT D.Thomas, & alij *quæſt.*23. Suar. *l.*3. *de Præd, cap.*4. Ruiz *d.*23. Herice *d.*30. *ſect.*6. Gonzal. *d.*77. *ſect.*4. Granado *tract.*6. *d.*5. Salmat. *tract.* 5. *de præd. d.*6. Ioan. à S.Th *d.*19. *art.*6. Zumel. *quæſt.*23. *art.*2. Et cæteri Thomiſtæ, Ribas *d.*4. *cap.*8. Trigoſ. *quæſt* 18. *art.*2. *d.*4. Corjol. *quæſt.*22. *art.*1. Baud. *q.*23. *art.*2. *d.*2.

SENSVS D.Bonauent. conciliat, concedens permiſſionem vt ordinatam ad ſalutem, eſſe prædeſtinationis effectum. Conueniunt Granad. & Macedo afferens ſuum D.Auguſt. *l. de corrept. & grat.*9. *de nat. & grat. cap.*24.28. *l.*14. *de ciu. cap.*3. & *in Pſal.*82.

ASSERO cum hac ſententia, permiſſionem peccati, vt ad ſalutem ordinatam, eſſe prædeſtinationis effectum.

437 PROBATVR primò à D. Bonau. *in* 1. *d.*46. *quæſt.*3. Quod ad finem ſupernaturalem conducit, eſt effectus prædeſtinationis. Talis ſæpè eſt permiſſio peccati: Ergo. Maior probatur. Nam prædeſtinatio eſt tranſmiſſio ad gloriam. Minor probatur à Seraphico ex 8. Rom. *Omnia cooperantur in bonum his, qui ſecundum propoſitum vocati ſunt ſancti.* Vbi Gloſſa ait: *Etiam ipſo caſus.* Ita exponunt etiam D.Anſelm.& D.Thom. quam Gloſſam aduertit Adamus non eſſe ſpernendam. Ita arguit etiam Suarez, idque refricat S. Bonau. *& in* 3. *d.*31. *quæſt.*3. *arg.*2.

RESPONDET Vaſquez ad effectum prædeſtinationis exigi, vt ſit aliquod donum Dei; nam prædeſtinatio ex D.Auguſt. eſt præparatio donorum Dei; at permiſſio peccati eſt ſubtractio donorum.

AT nos non dicimus, permiſſionem peccati eſſe effectum prædeſtinationis, prout eſt ſubtractio gratiæ; ſed ratione ſequentis boni, quod inde Deus trahit. Permiſſio verò ipſa, ſeu ſubtractio auxilij eſt bona; & poteſt eſſe intenta ad humiliandum hominem. Itaque fateor cum D.Bonau. *loc. cit.* meliorem eſſe perſeuerantiam, quàm promotionem ad bonum è malo decerptam à Deo.

438 ADVERTE autem, vt aliquid ſit prædeſtinationis effectus, non eſſe neceſſe, vt ſit intrinſecè formaliter gratia, ſed ſufficit, quòd ſit aliquid à Deo ordinatum ad ſalutem prædeſtinati.

PROBATVR ſecundò à D. Bonau. *in Diæta. tit.*7. *cap.*1. è 2. *Reg.*16. vbi Semei ictibus, & grauiſſimis contumeliis perculſus Dauid, dixit, volenti vlciſci: *Dimitte eum, vt maledicat: Dominus enim præcepit ei, vt malediceret Dauid: & quis eſt qui audeat dicere quare ſic feceris?* Et infrà: *Dimitte eum, vt maledicat iuxta præceptum Domini: ſi fortè reſpiciat Dominus afflictionem meam: & reddat mihi Dominus bonum pro maledictione hac hodierna.* Vbi præceptum Domini dicitur voluntas permittendi maledictionem Semei, efficaciter ordinatam ad ſalutem ipſius Dauid.

439 SIC etiam Act.5. *Ibant Apoſtoli gaudentes à conſpectu Concilij, quoniam digni habiti ſunt pro nomine* IESV *contumeliam pati.* Sic Deus permittit Tyrannorum barbariem ad Martyres euehendos ad gloriam, vt ſæpiùs aduertit S.Bonau. paſſim, maximè *in* 1. *d.*47. *quæſt.*3. & clarè oſtendit etiam in permiſſione horrendi Deicidij à Iudæis patrati.

440 PROBATVR tertiò à D.Bonau. multis S. Auguſt. teſtimoniis. Et quidem loco mox allegato refert D. Auguſt. *l.* 11. *de ciu. Dei, cap.*17. *&* 18. vbi ait; quòd *Deus nullum faceret, quem malum præſciret, niſi pariter noſſet, quibus bonorum vſibus eum accommodaret.* Eadem habet *in Enchir. cap.* 11. *cap.*25. *& ſeq.* & *in Pſal.*54. vt habetur *fer.*5. *in Cœna Domini in Officio.* Addit plures permitti malos; quàm bonos (vt ait D. Auguſt. de lapſu mundi) quia ſi reprobi eſſent pauciores electis, non auderent illi hos exercere.

SIC idem Seraphicus *in* 1. *d.*46. *quæſt.*3. *arg.*1. addita expoſitione *in corpore*, affert D. Auguſt. *l.*14. *de ciu. cap.*13. dicentem: *Audeo dicere, ſuperbis eſſe vtile cadere in aliquod apertum, manifeſtumque peccatum, vnde ſibi diſpliceant.* Idem habet S. Auguſt. *l. de natura, & gratia*, cap.28. *Deſerit* (inquit) *aliquando Deus, vnde ſuperbis; vt ſcias non tuum, ſed eius eſſe, & diſcas ſuperbus non eſſe.* Has authoritates vrgent alij; præcipuè Tannerus, & Arriaga. Vide ipſum Diuum Auguſtinum, ibi congerentem Scripturas ad hoc probandum.

IDEM habet D.Bernardus *ſerm.*54. *in Cant.* vbi ait. Deum aliquando ſubtrahere, vel retrahere gratiam electis, ne in ſuperbiam efferantur.

441 PROBATVR quartò à D. Bonau. 1. *d.*46. *dub.*3. *litt.* Id, quo magis excitatur aliquis ad ſalutem efficaciter, eſt effectus prædeſtinationis. Talis eſt permiſſio peccati. Ergo. Minor probatur à D.Bonau. è D.Gregorio *homil.*31. *in Euang.* vbi docet, miſeriam, & lapſum magis ſæpè excitare ad Dei amorem. Ideò permiſſum eſſe Petri lapſum, vt fortior reſurgeret. Et Ambroſius obſeruat illud Matth.16. *Super hanc petram ædificabo. Quare non ait ædifico? Quia oportebat, vt petra magis ſolidaretur, vt ad tanti ædificij molem non nutaret.* Rurſus quærens, quandonam ſolidior euaſerit? *Dum peccat, dum plorat, dum pœnitet, obdurnit, & inſtar marmoris obfirmatur; vt ei facilè Eccleſia ædificium credi poſſit.*

442 PROBATVR quintò à S. D. ea *diſt. quæſt.*3. *arg.*3. *addita reſponſo.* Ille cuius vſus bonus eſt; ipſum quoque bonum eſt, ex Ariſtotele 2. *Top. cap.*24. Sed vſus permiſſionis malorum factorum eſt bonus, conducens ad ſalutem electos: Ergo permiſſio eius ad hunc finem eſt bona. Minor probatur è D. Auguſt. 11. *de ciu. cap.*18. vbi ait: *Neque enim Deus vllum, non dico Angelorum, ſed vel hominum crearet, quem malum futurum eſſe præciſſet, niſi pariter noſſet, quibus eos bonorum vſibus commodaret, atque in ordinem ſæculorum, tanquam pulcherrimum, è quibuſdam veluti antithetis honeſtaret.*

CONFIRMATVR à D. Bonau. *d.*46. *quæſt.*6. *arg.*2. ex eodem loco D.Auguſt. vbi oſtendit, permiſſionem ſcelerum, contumeliarum, calumniarum erigere iuſtos ad gloriam; vt ait Apoſtolus 2. Cor.6. *Per infamiam, vt ſeductores, &c.*

Reſpondet Vaſquez Scripturam, & Patres vulgari modo loqui, aſſerendo, bonum elicitum ex peccato eſſe effectum prædeſtinationis, quod ſanè bonum non eſt permiſſio peccati; ſed aliquid poſteriùs volitum. Id elicit è D.Auguſt. 11. *de Geneſ. ad litt. cap.*22. vbi quærit: Quare Deus creauit Dæmonem; cùm ſciret futurum malum? Et reſpondet, quòd non vt bonis pro eſſet tentando, cùm creauit dæmonem; ſed cùm ſciret bonis inſidiaturum, decreuit eius tentationes bonis prodeſſe.

443 CONTRA. Nos enim non dicimus, peccatum eſſe à Deo intentum ad profectum; vt notat D. Bonau. *d.*46. *quæſt.*2. ſed permiſſionem peccati, ſuppoſita præuiſione voluntatis prauæ illius hominis. Hæc autem permiſſiu; vt oſtendi è D.Auguſt. eſt bona, volita ob finem profectus prædeſtinati, ac proinde non eſt priùs volita permiſſio, & poſtea bonum prædeſtinati; imò priùs eſt volitum bonum prædeſtinati tanquam finis; & ex eo fine permiſſio, vt medium ad illud bonum intentum conſequendum eo modo, quo dicam in fine. Locus verò ille è D. Auguſt. allegatus à Vaſquez, non eſt ad rem allatus; nam S.Auguſt. intendit ſolum exponere illud *Iob* 40. *&* *Pſal.*103. vbi dicitur: Diabolus creatus, vt illudatur à ſanctis & ſic explicat. *Initium autem figmenti diuini dictus eſt, quod fecit vt illudatur ab Angelis eius, non quia ipſum initio malum condidit; ſed quia, cùm ſciret eum ad hoc propria voluntate malum futurum, vt bonis noceret, creauit illum ad hoc, vt de illo bonis ipſe prodeſſet: Hoc enim eſt vt illudatur ab Angelis; quoniam ſic illuditur, cùm ſanctis proſunt tentationes eius, quibus eos deprauare conatur.*

444 QVARE falsò aiunt Vaſquez, & Suarez; D.Aug. reſpondère quæſtioni: Quare Dæmon à Deo creatus eſt, cùm ſciret eum futurum eſſe malum: Sed quæſtionem mouit: Quo pacto Dæmon dicatur à Deo creatus, vt tentans, & ſuperatus illudatur à Sanctis; & reſpondet, non condidiſſe ipſum malum vt tentaret ſanctos; ſic enim intendiſſet peccatum eius; ſed creaſſe bonum; at cùm videret eum ſua voluntate deprauatum intentaturum inſidias, ſi crearetur; creauit illum ad hoc, vt de illo, ideſt de peccato illius, bonis prodeſſet. Non vult dicere, hanc intentionem fuiſſe poſt præuiſionem, atque adeò futuritionem peccati, vt putat Vaſquez, qui non obſeruat totum gyrum Auguſtini: Dicit enim, non creaſſe, vt eſſet malus; ſed præuidens eum futurum malum, ſi crearetur; creauit, & decreuit permittere eius malitiam, vt gloriam Diuinam, & confuſionem ipſius diaboli inde hauriret.

VASQVEZ autem ità diſcurrit, ac ſi præſcientia abſoluta iam futurum peccatum permiſſum aſſeratur à D. Auguſt. quæ eſt manifeſta implicantia. Quia illa ſcientia iam ſupponeret decretum factum creandi tales dæmones; cùm tamen S.Auguſt. quærat: An Deus voluerit creare Angelos, vt illuderentur eis; vel (vt ipſe dicit) cur voluerit creare eos Angelos, quos præſciuit futuros malos, vt aduertit Suar. *num.*9. atque ſolâ ſcientiâ conditionatâ videns qualis futurus eſſet dæmon, ſi crearetur, iam decreuit creare, videns eum peccaturum; & hinc ſtatuit permittere malitiam, quam videbat ſecuturam, ſi Lucifer crearetur, & hanc voluit permittere ad bonum. At Vaſquez agilis ſaltat ab extremo ad extremum, non tranſiens per medium.

OBIICIT Vaſquez. Vt aliquid ſit effectus prædeſtinationis non ſolum debet conducere ad beatitudinem, ſed etiam voluntate Dei præfiniri. Sed Deus non decreuit permittere peccatum electi, vt eum ad beatitudinem conducat: Ergo. Probatur Minor: nam ſi remotè voluit permiſſionem peccati ad gloriam prædeſtinati; debuit proximè velle medium eruendi hunc profectum, tanquam finem permiſſionis peccati ad pœnitentiam, & ſic velle, eum in peccatum labi, vt pœnitentiam ageret, quod eſt abſonum. Nam priùs vellet abſolutè peccatum, ſine quo pœnitentia haberi non poteſt. Etenim, qui aliquid vult, vult etiam id, quod ad illud neceſſariò requiritur; cùm autem ad pœnitentiam prærequiratur peccatum, ſequitur illud primò à Deo volitum, quod eſt abſonum: Imò ſequeretur etiam peccatum neceſſariò ſecuturum.

RESPONDETVR cum D.Bonau. *d.*46. *quæſt.*5. quod 445
cum malum culpæ non habeat bonitatem, non poteſt eſſe intentum, & cauſaliter ordinari (nam ordo bonitatem rei ſupponit) Igitur eſt ordinabile ſolùm occaſionaliter, ratione boni, quod Deus elicit ſuâ benignitate; vnde non eſt neceſſe, vt malum ſit volitum in ordine ad illud bonum. Non enim eſt medium ad illud, ac propterea non eſt amatum; ſed potiùs ſolùm præuiſum eſt in mala voluntate, ex eo, quòd Deus debet ſinere cauſas liberas agere ſuos actus liberè. Igitur non eſt medium ad pœnitentiam, humiliationem, &c. cùm potiùs per ſe ſit contrarium, & impedimentum pœnitentiæ, & humiliationi: ſed Deus, ſuâ bonitate, præuisâ illâ malâ voluntate, ſi in tali occaſione relinquatur, in qua Deus ex ordinaria prouidentia deberet eum ſinere operari liberè; odit quidem peccatum; ſed prouidentiâ adactus ſinit cadere, vt bonum eliciat. Vnde non prædefinit remedium abſolutè; ſed quando permittit peccatum, ſolùm habet voluntatem dandi pœnitentiam, ſuppoſitâ malâ voluntate illius, præcognitâ, vt reſolutâ ad lapſum. Itaque ſicuti merita ſunt effectus prædeſtinationis, neque tamen ſunt prædefinita ante præuiſam determinationem liberi arbitrij; neque etiam prædeniuntur ex efficaci voluntate ſalutis eorum; ſiquidem electionem ad gloriam, quæ eſt finis, vult nobiſcum Vaſquez eſſe ratione poſteriorem prædeſtinatione meritorum, vt dixi *quæſt.*7. ità non video quo fundamento conſequenti velit, vt pœnitentia, quæ, vt dixi, non eſt finis peccati, ſed bonum elicitum occaſionaliter, ſit priùs volita abſolutè tanquam finis ante præuiſam malam voluntatem, ex quo inferre poſſit, ſequi, volitum eſſe etiam peccatum implicitè.

IGITVR ſuppoſitâ ſcientiâ Diuinâ conditionali, 446
quod ille, ſi in tali ordine, vel occaſione ponatur, eſt lapſurus; & ſuppoſitâ notitiâ, quòd ſi labatur, poteſt per pœnitentiam, & per merita Chriſti reuocari ad ſalutem; vult Deus ponere hominem in tali ſtatu, & permittere eum labi, vt inde benignitate ſua pœnitentiam eliciat, vt docet D.Bonau. *in* 3. *d.*1. *art.*2. *quæſt.*2. *ad* 5. Sic etiam è peccato Adæ voluit elicere redemptionem; neque tamen voluit peccatum, vt eliceret bonum. Sed vult malum, vt cognitum, permittere; non vt amatum, vt benè aduertit Arriaga.

FATEOR, quod ſi abſolutè prædefinerentur pœnitentia, & cætera bona, quæ intrinſecam habent connexionem cum peccato inſeparabilem; vt eſt etiam redemptio è lapſu Adæ; ſalus ipſa è peccato Iudæorum, non præcognita voluntate peccantis, ſi in tali ſtatu ponatur, Diuinæ prouidentiæ congruo, deberet forſan volitum eſſe etiam peccatum neceſſariò adnexum; at ſuppoſitâ eâ cognitione, poteſt Deus vnum velle, ideſt pœnitentiam, non volito altero, ideſt peccato: Quia adnexum illud eſt volitum voluntate conſequente permiſſiuâ; non autem antecedente. Vnde poteſt velle pœnitentiam,

tiam, non volendo peccatum. Hoc explicat Seraphicus *in 1.d.46.quæſt.2.ad 4.* exemplo: Volo aliquem, qui cecidit, ſurgere, ita tamen, vt non vellem eum cecidiſſe; & cum poſſem ſuſtinere, ne caderet; non tamen ſuſtentaui, cùm non tenerer, & ipſe alioqui vellet cadere. Neque vlla voluntas ob id in me virtualis, ſeu interpretatiua caſus illius reperitur. Et hoc modo ſæpè D. Auguſtin. indicat præſcientiam peccati non abſolutam; ſed conditionatam, eſſe priorem illo bono, cuius peccatum erit occaſio; vt aduertit Tannerus in fine.

QVÆSTIO XX.

An, & quomodo è Prædeſtinatione non temeretur noſtra libertas.

D. Bonau. d. 40. art. 2. q. 1.
D. Thom. q. 23. artic. 6.

447 INTER effectus Prædeſtinationis admiſcent nebulones hæretici neceſſitatem repugnantem libertati, tum ad operandum meritoriè; tum ad peccandum. Noſtrum erit exponere noſtram libertatem intemeratam; atque ea, quo pacto conſiſtat, oſtendere.

PRIMÒ ſuppono, eandem eſſe difficultatem de Prædeſtinatione, atque de Voluntate, & Prouidentia Dei; & ideò huc quæſtionem retuli: de ſcientia verò, de qua eſt minor difficultas, egi *diſp.13.q.11.*

FVERE primò aliqui glorioſiores, qui ſe prædeſtinatos acclamabant, qui libertatem noſtram nihil ad prædeſtinationem conducere aſſerebant; ita vt nec piè viuentibus opera proſint, ſi ad mortem ſunt deſtinati; nec impiis obſit vita praua, ſi ad vitam ſint prædeſtinati. Eos referunt Sigibertus *in Chronic. anno* 415. Valdenſ. *tom.1.artic.1.cap.21.* Sanderus *l.7. de viſibili Monarchia*, Vaſquez *d.99.* ſecuti ſunt hunc errorem, in Hollandia, & Friſia, nonnulli *anno* 1548. & damnatur inter errores Vuicleph. & Ioan. Hus in Concilio Conſt. *ſeſſ.15.* & Tridentino *ſeſſ.6.can.7.*

FVIT alius error Iouiniani, vt refert D. Auguſt. *de hæreſ.cap.82.* Hieronymus *l.1. aduerſus Iouin. poſt numerum ſeptimum*, qui aſſerebat, baptizatum non poſſe ampliùs peccare. Damnatur in Concilio Trident. *ſeſſ.6.can.23.* vbi vniuerſim anathema dicitur ei, qui dixerit ſemel iuſtificatum iam ampliùs peccare non poſſe. Quo percellitur etiam Caluinus id ſentiens *l.3. Inſt.c.2.§.11. & 12.*

448 INTER Catholicos indubitatum eſt, Dei voluntatem, prouidentiam, & prædeſtinationem nihil prorſus obeſſe noſtræ libertati contradictionis, quâ poſſit velle; & non velle: & contrarietatis, quâ poſſit velle, & nolle; velle hoc, & ei contrarium.

ASSERO primò opera bona prodeſſe, & mala obeſſe electis, & reprobis.

Hoc manifeſtè oſtenditur illis omnibus Scripturarũ teſtimoniis, quibus ſuadentur, & præcipiuntur opera bona electis, vt ſaluentur; & reprobis mala opera diſſuadentur, & prohibentur, ne pereant. *Geneſ.4.* ait Dominus Caino. *Nonne ſi benè egeris, recipies; ſin autem, in foribus peccatum aderit?* ſiuè, vt legit Seraphicus *de ſex alis Seraphim, cap.7.* cum LXX. ſenioribus. *Nonne ſi rectè offeras; rectè autem non diuidas,*
449 *peccaſti?* Vbi aduertit iniungi neceſſitatem bonorum operum, non quorumcunque, ſed ſuis circumſtantiis ornatorum. Matth.5. *Niſi abundauerit iuſtitia veſtra plùſquam Scribarum, & Phariſæorum, non intrabitis in regnum cælorum.* Obſeruat autem D. Bonauentura in *Diæta tit.10.cap.2.* iniungi perfectam iuſtitiam perſeuerantem, ac proinde reprobos, qui munditia caſtitatis abundant, vt virgines, nec fortes, nec perſeuerantes fuerunt in amore Chriſti; ſicut Martyres, nec veritatem portauerunt in ore, vt Doctores, aureolum non recipere: Eadem ferè habet *Opuſc.* de regimine animæ, vbi plures ad hoc affert Scripturas. Ad Titum 2. *Abnegantes impietatem, &c. ſobriè, & iuſtè, & piè viuamus in hoc ſeculo, expectantes beatam ſpem.* Pſal.44. *Propter veritatem, & manſuetudinem, & iuſtitiam: & deducet te mirabiliter dextera tua.* Prima Tim.4. *Pietas autem ad omnia vtilis eſt, promiſſionem habens vitæ, quæ nunc eſt, & futuræ.* Matth.19. *Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata.* Obſeruat autem S. Bonauentura *in Diæta, tit.3. cap.1.* promitti ingreſſum ad vitam omnibus obſeruantibus præcepta, viuis tamen vita gratiæ, cui reſpondet vita gloriæ. Et ſerm.1. *de decem præceptis* aduertit his verbis Saluatoris explicari nobis ſummam totius ſalutis, quoad meritum, & quoad præmium. Eundem locum aduertit in expoſitione
Miſſæ *cap.2.* Et *cap.1.* affert id Matth.5. *Beati, qui per-* 450
ſecutionem patiuntur; quoniam ipſorum eſt regnum cælorum. Rom.8. *Si ſecundùm carnem vixeritis, moriemini; ſi autem ſpiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis*, quem locum ad id proſequitur S. Bonauentura *de ſeptem donis*, de dono Conſilij, *cap.7.* & in *Append. Diæta*, pro Dominica 8. poſt Pent. & de *ſeptem Itineribus Æternitatis, itinere 2. diſt.5.* Plurima ad id Scripturæ teſtimonia addit S. Bonauentura *in Diæta paſſim*, præcipuè *tit.10.* vbi præmia bonorum, & pœnas malorum operum eleganter proſequitur, vt Lucæ 22. *Vos eſtis, qui permanſiſtis mecum in tentationibus meis: & Ego diſpono vobis regnum ſicut diſpoſuit mihi Pater, &c.* Matth.19. *Vos, qui ſecuti eſtis me, ſedebitis ſuper ſedes, &c.* Matth.5. *Beati, qui perſecutionem patiuntur*, 2. Tim.2. *Si commortui ſumus, & conuiuemus*, Rom.8. *Si tamen compatimur, vt & conglorificemur, Exiſtimo enim, quod non ſunt condigna paſſiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis*, *Matth.5.* vbi octo afferuntur benè operantibus beatitudines. Pſalm. 65. *Tranſiuimus per ignem, & aquam: & eduxiſti nos in refrigerium*, Matth. 11. *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis; & Ego reficiam vos.* Sap.4. *O quàm pulchra eſt caſta generatio, &c. immortalis eſt enim memoria illius*, Matth. 25. *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum, &c. Eſuriui enim, & dediſtis mihi manducare.* Vbi aduertit, ſic adimpleri Diuinam prædeſtinationem, & ideò dici, *Percipite regnum paratum vobis ab origine mundi.* Ex Rom.8. *Hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti: ſi tamen compatimur, &c.* Plurima alia tum in expoſitione Scripturæ, tum in quæſtionibus habet S. Bonau. quæ collegerunt Bellarminus *tom.4. l. de Iuſtif. cap.12.* & alij.

ASSERO ſecundò, prædeſtinatum non eſſe ſemper in gratia.

PROBATVR à D. Bonauentura *ad 3. Ioan.* ex illis 451
verbis: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non poteſt introire in regnum Dei.* Sic enim infantes, non baptizati, extra gratiam ſunt. Similiter tot infideles, qui poſteà conuerſi, ſaluati ſunt, inter quos Saulus perſecutor Eccleſiæ, qui 1. *Tim.1.* clamat. *Miſericordiam conſecutus ſum, quia ignorans feci in incredulitate.* Sic de Matthæo, Magdalena, & aliis, vt latè proſequitur Seraphicus *in ſermonibus.*

ASSERO tertio, Iuſtum etiam prædeſtinatum, ſemel iuſtificatum, poſſe à iuſtitia excidere.

PROBATVR à D. Bonauentura ex profeſſo *in 3.* 452
d.31.quæſt.1. vbi hunc errorem Caluini inſaniam pro-

clamant. Primò exemplis veteris teſtamenti. *Primo Reg.9.* Saul dicitur iuſtus adeò, vt non eſſet melior illo; & tamen infrà peſſimus effectus deſcribitur, perſecutor iniquus *cap.15.& 16.* Quare mentitur Caluinus dicens, Saulem nunquam fuiſſe iuſtum. Eum verò damnatum aſſerunt SS. Auguſtinus *l.2. ad Simpl.q.1.* & Cyprian.*l.1.ep.5.* Sanctus Dauid *Act.13.* & 1.*Reg.16.* & *Pſalm.88.* & tamen quis negabit eum aliquando à gratia excidiſſe? Id profectò *pſalmus pœnit.* teſtatur ipſe.

453 SALOMON fuit aliquando iuſtus. Nam 2. *Reg.7.* dicit Deus. *Ego ero illi in Patrem, & ipſe erit mihi in filium,* & cap.12. *Vocauit nomen eius Salomon, & Dominus dilexit eum. Miſitque in manu Nathan prophetæ, & vocauit nomen eius, Amabilis Domino, eò quod Dominus diligeret eum.* Denique filius erat Dauid viri ſancti. Igitur ſecundùm doctrinam Caluini erat Sanctus. Hunc autem virum in ſenectute à gratia excidiſſe, Scriptura teſtatur 3. Reg. 11. *Cumque iam eſſet ſenex, deprauatum eſt cor eius, vt ſequeretur Deos alienos.* Idem lege *Eccleſiaſtici* 47. Eiuſdem verò damnatum exiſtimant plurimi Patres apud Pinedam *de rebus Salomonis*, Serlogum *in Antel.* alioſque. Adam, & Eua nonne iuſti erant; & poſteà lapſi ſunt?

454 DEINDE id probat S. Bonauentura è nouo teſtamento. Petrus enim erat iuſtus, vt dicitur Ioan.13. *Qui lotus eſt, non indiget niſi vt pedes lauet, ſed eſt mundus totus,* & Matth.16. dicitur: *Beatus eſt Simon, &c.* Hic autem proculdubio lapſus eſt, negans Chriſtum, & periurio negationem deturpans; & hoc fuit lethale peccatum; vt docet D. Auguſt. *tract.66. in Ioan.* & *tract.113.* Chryſoſtomus *homil. 83. in Ioan.* Gregorius *homil.21. Euang.* apud D. Bonauenturam *ad cap. 18. Ioan.*

ADMONET autem S. Bonauentura *ad 22. Lucæ* è D. Chryſoſtomo *homil. 83. in Matth.* permiſiſſe Deum, labi Petrum, vt confunderetur Marcion; addidiſſet profectò etiam Caluinum.

SIMON Magus baptizatus credidit, & ſequebatur diſcipulos Chriſti, vt dicitur *Act.8.* & tamen Hæreſiarcha factus, periit. Credidit quidem verè, vt ait ibi D. Lucas. Quicquid latret Caluinus.

455 IVDAS erat iuſtus, & factus eſt perditus. Sic Ioan. 17. dicitur: *Pater quos dediſti mihi cuſtodiui; & nemo ex eis periit, niſi filius perditionis.* Cùm igitur priùs datus Chriſto à Patre dicatur; & poſtea filius perditionis; ſequitur eum priorò iuſtum; mox reprobum extitiſſe, quòd & Matth.26. dicitur: *Melius erat ei, ſi natus non fuiſſet.*

E x his Adam, Petrus, & Dauid, prædeſtinati gratiam amiſerunt; ſed eam recuperarunt. At Saul Iudas, & Simon Magus verè iuſtificati; reprobati poſteà ſunt in æternum.

Addit S. Bonauentura alia exempla diſcipulorum, qui anteà Chriſtum ſequebantur; & poſteà abierunt *Ioan.6.* Apoſtolorum, qui dubitauerunt in fide: *Marci, & Lucæ vltimo* qui videntur charitatem perdidiſſe.

456 PROBATVR deinde à D. Bonauentura è Scripturis, 1.Cor.10. *Qui ſtat videat ne cadat.* Apoc.2. *Charitatem primam reliquiſti.* Ezech.18. *Cùm auerterit ſe iuſtus à iuſtitia ſua, & fecerit iniquitatem, morietur in illa.* Lucæ 8. *Nam quod ſuper petram, qui cum gaudio ſuſcipiunt verbum: Et hi radices non habent: qui ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt,* vt rectè explicat ad eum locum Seraphicus Ioan.15. *Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum.* Igitur palmes, qui Chriſto viti coniunctus, tanquam palmes vigore charitatis, aliquando tollitur, & in ignem mittitur æternum; vt notat ad eum locum S. Bonauentura.

Ex quo ruit etiam error Petri Martyris, ex *c.8. ad Rom.* & Kemnitij *in Examine Concilij, Trid.* qui dicunt, poſſe iuſtitiam amitti à iuſtis; ſed tamen ſemper ante mortem redimi, Matth. 24. *Quoniam abundabit iniquitas, refrigeſcet charitas multorum. Qui autem perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit.* Prima Cor.9. *Caſtigo corpus meum, & in ſeruitutem redigo: ne fortè cùm aliis prædicauerim, ipſe reprobus efficiar.* Prima, Tim 1. *Quidam circa finem naufragauerunt,* & cap.4. *In nouiſſimis diebus diſcedent quidam a fide,* Hebr.6. *Impoſſibile eſt, eos qui ſemel ſunt illuminati, guſtauerunt etiam donum cæleſte, & participes facti ſunt Spiritus Sancti, guſtauerunt nihilominus bonum Dei verbum, virtuteſque ſæculi venturi, & prolapſi ſunt; renouari iterum ad pœnitentiam.* Itaque contra Kemnitium, & Pſeudomartyrem clamat Apoſtolus difficiliſſimum, & rarum eſſe, lapſos à fide, reuerti. Idem habet Apoſtolus *c.10.* & Petrus 2. *cap.2.*

457 PROBATVR tertiò à D. Bonauentura manifeſto experimento. Infantes omnes per Baptiſmum verè iuſtificantur, & fidem accipiunt, etiam teſtimonio Lutheranorum; imò etiam ſine Baptiſmo, è ſententia Caluini, Petri Martyris, & Bucceri, Filij fidelium naſcuntur ſancti: At quis credat omnes filios fidelium, vel certè omnes, qui in infantia baptizantur, eſſe prædeſtinatos, & non poſſe peccare, vt vult Caluinus; vel non poſſe damnari, vt vellent Buccerus & Martyr? Nonne videmus multos in infantia baptizatos, cùm adoleuerint, grauiſſimè peccare, & à fide deficere? Adde, quòd ſi verum eſſet paradoxum iſtorum, omnes Catholici, qui in infantia baptizati ſunt, prædeſtinati eſſent ad vitam, & perire non poſſent, quos tamen iſti proclamant membra Antichriſti, & infideles.

458 PROBATVR quartò à S.D. hîc, & *ad 18. Ioan.* in ea verba. *Dixit ancilla Petro.* Nam fides, quæ ſecundùm Caluinum hæret immobiliter in corde prædeſtinati, non eſt actus, ſed habitus: at verò habitus non tollit libertatem ad actum contrarium. Ita profectò fiet infidelis, amittens habitum fidei; & ſicuti poteſt amitti fides; poterit amitti & charitas, quod facilius eſt; & ſi poteſt charitas acquiri, poterit etiam deperdi; vt infert Seraphicus *in corpore, & ad 4.* & poſt eum Bellarminus *tom.4.l.3. de Iuſtific. cap.14.* vbi omnia ferè ſuprà allata argumenta, & auctoritates è D. Bonauentura coaceruauit. Hæc rurſum oſtendam *t. 2. diſp.8. quæſt.15.*

ASSERO quartò, Prædeſtinationem nullam inducere libero arbitrio neceſſitatem.

PROBATVR primò è Scripturis, quæ omnibus adultis iniungunt cooperationem ad iuſtificationem, & hortantur vt velint conuerti, & ſaluari; vt retuli *quæſt.15.* Ergo inferunt cooperationem eſſe liberam ad Iuſtificationem: Ergo nulla eis neceſſitas antecedens è iuſtificatione venit; ſed prædeſtinatio ex Iuſtificatione pendet, quoad executionem: Ergo nec ipſa prædeſtinatio neceſſitatem imponit antecedentem. Hoc eſt argumentum S. Bonau. *d.41. q.2.* quo vtitur Suarez *l.3. de Prædeſt. c.9. n.7.*

459 PROBATVR ſecundò à S.D. *hic, fundament. 1.* Prædeſtinatio non habet effectum ſine meritis, ſicuti nec reprobatio ſine demeritis. Itaque prædeſtinatio non facit vt ſaluentur indigni, ſed non eſt meritum, vel demeritum, niſi ſit liberum: Ergo.

460 PROBATVR tertiò à D. Bonau. *fund.2.* quo Suarez *cap.10* & alij modum aſſignant concordiæ liberi arbitrij cum prædeſtinatione. Prædeſtinatio nil ponit in prædeſtinato, niſi gratiam: ſed gratia nullam arbitrio infert neceſſitatem: Ergo. Ita quoque Tannerus *d.3. q.6. dub.3. n.5.*

Probatvr quartò à S.D. *fundament.*3. Si prædeſtinatus neceſſariò ſaluaretur: Ergo in quocunque caſu contingente, neceſſe eſt, eum ſaluari: Ergo ſiue vitam peragant honeſtam; ſiue culpis conſputcatam, omnes ſaluabuntur, nec ab vlla iniquitatum colluuie bis timendum, qui non poterunt damnari.

462 Probatvr quintò *fundament.*4. Laus, & vituperatio non infertur, niſi ob actiones liberas, vt docet Ariſtoteles 3. *Eth. cap.*1. Sed Sancti ſunt laudandi ob eorum geſta, vt dicitur Eccleſiaſtici 40. *Laudemus viros glorioſos, &c.* Similiter & iniqui in Scriptura vituperantur: Ergo ob actiones liberas. Eſt argumentum D.Gregorij Nyſſeni *l.5.Phil.c.*1.

Probatvr ſextò *in corpore.* Prædeſtinatio dicit duo: Decretum, & præſcientiam: Ergo infert neceſſitatem vel vt cauſa, vel vt præſcientia: ſed vt præſcientia non infert neceſſitatem, quia præſcientia eſt poſterior futuritione rerum, & ob alias cauſas allatas *diſp.*13.*q.*11.

463 Qvòd neque, vt cauſa, inducat neceſſitatem, probatur. Quando aliquis effectus pendet à duabus concauſis, altera vniuerſali; altera particulari contingente, effectus educitur contingens; etiam ſi cauſa vniuerſalis eſſet neceſſaria; vt oſtendam *d.24. quæſt.6.* Sed prædeſtinatio, quoad executionem, pendet à Deo vt Cauſa vniuerſali, qui agit ſolùm infundendo gratiam, & à libero arbitrio: Ergo liberè euenit; etiam dato, quòd Deus neceſſariò operaretur.

464 Obiicit primò Caluinus l.3. Inſt.c.2. ex Cant.8. *Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem*: Ergo prædeſtinatio, & gratia inducunt neceſſitatem.

Respondet D. Bonauentura *in Diæta, tit.5.cap.2.* ibi loqui de charitate ab omni humanarum rerum cura perfectè abſtracta, quæ ab aquis oppoſitis colpæ non poteſt tolli, niſi velimus nos eam expellere, dum eſt in nobis. Vel loquitur de tribulationum fluctibus; vt notat Ambroſius *l.1.de Iacob c.7.* Gregorius hîc.

Respondet ſecundò D. Bonau. vt infrà dicam in *ſeptima reſponſione ad tertium.*

Obiicit ſecundò, Ioan.4. dicitur: *Qui biberit ex aqua hac, non ſitiet in æternum; ſed fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam.*

Respondet D.Bonauentura *ad 4. Ioan.* quòd gratia Dei in eo, in quo manet, dat delectari in Deo, & ſimul dat faſtidium rerum caducarum; & quod gratia eſt ſufficiens nos beare, niſi ſponte velimus præcipites ruere. Quod ſi aquis carnalium delectationum ingurgitemur, maiori ſemper ſiti æſtuabimus, vt dicitur *5.ad Galat.*

Obiicit tertiò illud Rom.8. *Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? Certus ſum, &c.*

465 Respondet D.Bonauentura 1. *in Diæta, tit.5. c.2.* explicari efficaciam charitatis, quæ dum adeſt, vincit omnia aduerſa, & eſt funis, qui nec ferro, nec igne ſcinditur; atque ſemper adeſt, niſi velîmus nos eam abeſſe. Sic ex ponit etiam D. Auguſt. *l.1.de moribus Eccleſiæ, cap.*11.

Respondet ſecundò S.D. in Opuſculo de ſex alis Seraphim *cap.2.* hîc, loqui de perfectis viris, qui debent ſtabilire cor, neque leuiter à tramite virtutis auelli: Tamen arduum exiſtimat, tales reperiri.

Respondet tertiò eodem Opuſculo *cap.7.* admoneri prælatos aſperrima ſibi potiùs quæque ſubeunda, quàm culpam aliquam, vel corruptelam in ſe, vel in ſubditis permittere. Sic enim Paulus proteſtabatur tormenta ſe omnium ſubiturum potius, quàm Chriſtianorum ſalutem diſcrimini Tyrannorum manibus derelinquere abſque debitis admonitionibus.

466 Respondet quartò *eodem tract.cap.*8. quòd deuotio charitati iuncta reddit conſtantem contra aduerſa, iuxta id Pſalm. 26. *Dominus illuminatio mea, & ſalus mea: quem timebo?* Ideò & Paulus ait: *Quis nos ſeparabit, &c.*

467 Respondet quintò, *De ſeptem Itineribus Æternitatis, diſt.6.* ſenſum Apoſtoli eſſe, quòd manentes in charitate Dei, & Ieſu Chriſti feruido amore, ac in eius vulneribus aſylum conſtituentes, non poterimus ſeparari quacunque aduerſitate.

Respondet ſextò, *Itinere 4.diſt.5. art.1.* hanc eſſe perfectionem aliquorum paucorum, qui ita contemplatione in Deum trahuntur, vt ſemper ſtimulis agitentur ad quærendum Deum, quo gradu eminebat Apoſtolus.

Respondet ſeptimò ibidem *diſt.5.art.2.* è Richardo de S.V. *tract. de charitate*, illam eſſe perfectionem aliquorum, quibus adeò ſe Deus communicat, vt nihil eis ſatisfacere queat: Quia ſemper illis Deus quaſdam communicationes effundit, vt poſſit dari Cant.8. *Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem.* In ſupremo verò apice, cum Apoſtolo clamant. *Quis nos ſeparabit, &c.* Vnde fit anima quodammodo ſupernaturaliter immortalis, quia à ſua vita ſeparari non poteſt à Deo, qui eſt vita; vnde fit etiam quodammodo impaſſibilis ad dolores.

Respondet octauò *Opuſc. Incendium amoris, c.2.* Securitatem illam Apoſtoli eſſe effectum ebrietatis, quæ eſt ingens inundatio donorum Dei, ità vt veluti ebrius amore exiſtimet, ſe non poſſe à Deo ſeparari, cùm gratiâ Dei fretus ſtatuat, millies potiùs mori. Certum eſt autem, neminem à Deo deſeri, quin priùs ipſe Deum deſerat.

Obiicit quartò, 1.Cor.13. *Charitas nunquam excidit.*

468 Respondet D.Bonauentura 3. *d.31.art.2. quæſt.5. ad argumenta, art.3. quæſt.1.* & *d.33.art. vnico, quæſt.6.* ibi Apoſtolum comparare ſtatum gloriæ, cum ſtatu viæ. Itaque aſſerit charitatem poſt viam manere in patria, licèt ceſſet fides, & ſpes. Ideò illud (*nunquam*) ſignificat in tota æternitate; in hac autem vita non excidere, id eſt, non cadere ex ſe, niſi velint. Sic enim permanet in infantibus; & etiam in adultis, niſi velint peccare lethaliter.

Obiicit quintò illud 1.Ioan.3. *Qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit, nec poteſt peccare.*

469 Respondetvr ex D.Auguſtin. *tract.5. in Ioan. epiſtolam*; & Hieronymo *l.1.contra Pelag. & l.2.in Iouin.* iuxta id, quod ſupradixit D. Bonauentura non poſſe peccare in ſenſu compoſito, quamdiù vult ſtare. Ex hoc reſponſo ſatisfacit Seraphicus argumentis *loc.cit. in 3.* non enim inſeparabilitas ineſt ratione ipſius habitus in via.

Obiicit vltimò illud *Ioan.*10. vbi loquens Chriſtus de prædeſtinatis, ait: *Nemo poteſt rapere de manu mea.*

470 Respondet D. Bonauentura ad eum locum cum D.Auguſtino. *tract.48.in Ioan.* hæc aſſeri ſuppoſitâ præſcientiâ donorum, quæ collaturus eſt Deus, & cooperatione arbitrij, vnde prævidet, ſe daturum eis finalem gratiam. His reſponſionibus vtitur Bellarminus *loco cit.* & alij.

Obiicit verò ſibi Seraphicus *in 3. loc. cit.* cum Magiſtro multas authoritates ſuprà relatas, & eas confirmat ratione, quia amor naturalis vnit inſeparabiliter: Ergo magis diuinus.

471 Respondet ad authoritates, vt ſuprà. Ad rationem negat conſequentiam, quia charitas eſt regulatiua arbitrij ad meritum, quod eſt liberum nobis in via, libertate contradictionis; & ideò ad oppoſita liberos relinquit; amor verò naturalis eſt determinatus ad vnum, ideoque neceſſarius.

Obiicit ſecundò. Fortior eſt charitas ad bonum, quàm peccatum ad malum: Ergo non poteſt pelli per peccatum.

Respondet S Bonauentura charitatem non pelli à peccato, quia fortius ſit; ſed quia ipſa pendet à Deo quidem influente, & à libero arbitrio: & quia liberum arbitrium vult deficere à Deo, ideò deficit charitas.

Obiicit tertiò. Omne peccatum oritus ex amore malo, vel timore, ſed hæc pelluntur à charitate: Ergo.

472 Respondet S.Bonauentura, hæc non poſſe ſtare cum charitate in ſenſu compoſito, ſed poſſe ingredi in hominem volentem, & ſic charitatem pellere.

Obiicit quartò. Voluntas ſequitus affectum prædominantem: Sed Charitas omnibus affectibus prædominatur: Ergo

Respondet S.Bonauentura, voluntatem ſequi affectum prædominantem in actu; at Charitas prædominatur habitu tantùm, quo habitus pellitur, non quidem modo naturalium, ſed ea conditio.

Grandis autem difficultas ſurgit, quo pacto decretum Dei æternum de ſalute, vel de condemnatione noſtra firmatum, relinquat adhuc liberum arbitrium indifferens, vt poſſit velle vtrumlibet.

Primum modum aduertit Vaſquez *d.*99. *cap.*2. in via Durandi, qui in 1.*d.*5. *quæſt.*5. dicit, Deum non cooperari cum cauſis ſecundis immediatè, ſed tantùm conſeruare illarum virtutem datam ab initio ad operandum. Ex quo facilè intelligi videtur, Deum non habuiſſe aliam voluntatem, quàm conſeruandi liberum arbitrium ad ſua opera, ac proinde nullum decretum illi neceſſitatem inferre, ſicque difficultatem enodari.

473 Verum, quia Durandus concedit neceſſitatem gratiæ operantis, atque habitualis, cumque modum concurſus Dei per meram conſeruationem virtutis, ſolùm in cauſis naturalibus admittit, & in ordine naturæ, data etiam opinione Durandi, non ſequitur ſolui difficultatem, vt putat Vaſquez, quia ordo gratiæ requirit concurſum Dei cum voluntate immediatum.

Secundus modus eſt Ioannis Medinæ apud Cordubam, infrà citandum, qui dixit, Deum non operari media intellectione, & voluntate, ſed proximè per eſſentiam, per quam ex ſe indifferens eſt ad operandum, & concurrendum cum omnibus cauſis ſingularibus? Ex hac verò indifferentia, nulla arbitrio inducitur neceſſitas, nec modus proprius operandi variatus, quem ex ſe habet arbitrium.

474 Cæterum, quamuis Deus non intelligat, & velit per actus elicitos diſtinctos ab eſſentia; tamen quia ipſamet eſſentia Dei, quatenus rationem habet intellectionis, & voluntatis, eſt principium rerum omnium, vt oſtendi *diſp.*16. Difficultas adhuc manet, quo pacto cum eſſentia Dei, quatenus habet rationem intellectionis, & voluntatis, atque decreti, per quod eſt cauſa operationum noſtrarum, libertas noſtra conſtare queat, ſiquidem tali voluntati, & decreto nullo modo valet repugnare.

Tertius modus eſt Caietani *p.p.quæſt.*22.*art.*4. Et decreto Dei non ſequi euitabilitatem, aut ineuitabilitatem noſtræ operationis, ſed quid medium, quod eſt ineffabile. Hunc modum prædicatores extollunt, præcipuè eruditus Emmanuel Orcos, *concione de Prædeſtinatione*.

475 Verum Caietanus ludit vocabulis, vt difficultatem effugiat. Non hoc ineffabile ſilentium indicis, nec ſoluit. Deinde arguo: Euitabile, & Ineuitabile ſunt duo contradictoria; ſicut poſſibile, & Impoſſibile. Itaque ſicut non datur quid medium inter hæc, ità neque inter illa. Igitur ſtante diuino decreto, vel poſſumus euitare opus, vel non ſi poſſumus: Ergo decretum Dei eſt mutabile: ſi non poſſumus: Ergo inducitur ex decreto neceſſitas antecedens ad modum cauſæ.

Quartus modus eſt antiquorum Scholaſticorum, 476
Dei voluntatem, & prouidentiam tantæ virtutis, & efficaciæ eſſe, vt licèt nulla potentia creata illi valeat reſiſtere, tamen omnia ſuauiter moueat iuxta cuiuſque naturam, aut neceſſariò, aut liberè. Ita reſpondet D.Thom *quæſt.*19. *art.*8. *& quæſt.*22.*art.*4. Durand.1. *d* 46.*quæſt.*1 *num.*7. Dionyſ. Carthuſ. *d.*39.*quæſtione* 2. Capreolus *d.*45.*quæſt.*1.*concl.*5. Ferrar.1.*cont. Gentes cap.*85 Driedo *Opuſc. de concordia liberi arbitrij, & prædeſtinationis* 2.*p.cap.*3.*ad* 1. Quorum ſanè doctrina multis Theologis mirum in modum probatur; atque ex ea inferunt contingentiam, & libertatem operationum noſtrarum.

Attamen, cùm Dei voluntas præcedat abſolutè decernendo, non video quo pacto relinquat arbitrium in libertate, cùm decretum voluntatis ſit immutabile (eſto infinitæ virtutis, eſto ſuauiter decernens, ac liberè) Itaque non poterit eius effectus impediri per vllam noſtram potentiam; ac proinde nulla nobis libertas remanebit.

Augent difficultatem Thomiſtæ recentes, qui volunt, Deum determinaſſe noſtros actus voluntatis, non modò bonos; ſed etiam prauos quoad materiale, ante omnem liberi arbitrij concurſum. Hinc autem oritur neceſſitas antecedens infenſa libero arbitrio, vt docet D.Anſelmus relatus *d.*16. *quæſt.*17. Quæ enim libertas ad contradictoria, aut contraria, reliqua erit phyſicæ præfinitioni Diuini decreti, atque operationi; niſi decretum Dei fruſtretur, aut voluntas mutetur? vt arguit S.Bonau. *hîc*, & *d.*47.*q.*1. in fundamentis, & in corpore, & cum eo Vaſquez *c.*3.*n* 11.

Possibili enim poſito in eſſe, non ſequitur inconueniens, vt docet Ariſtoteles 1. *Priorum*,*cap.*12. Ponamus ergo, hoc à Deo decretum, & præuiſum fore, & tamen non ſequi; iam Diuinus intellectus decipitur, & voluntas Diuina ſeparatur, vt arguit D. Bonau. *d.*32. *art.*5.*q.*1. & cum eo Vaſquez *loc. cit.* vbi latè confutat eorum reſponſa, quæ ſatis à nobis eliſa ſunt, *diſput.*13. *q.*11. & *diſp.*16.*q.*16. *&* 17. 477

Alii Theologi, vt ſeueritatem huius ſententiæ moderentur, aiunt cum Gregorio Arim.2.*d.*28. *quæſt.*1. *art.*3. *ad* 8. *&* 12. motionem Dei ordine cauſæ priorem eſſe cooperatione, & determinatione noſtrâ, in operibus bonis; at in operibus malis etiam quoad materiale priorem eſſe noſtram determinationem, & eodem ordine ſe habere in decreto æterno.

Veruntamen hæc diſtinctio nil conducit ad rem. Etenim ſi motio Dei ad opera bona antecedens noſtram operationem ſtat cum noſtra libertate; cur non ſtabit etiam in actibus malis? Itaque ſi Deus, ſuppoſita etiam præfinitione, liberam relinquit voluntatem; non eſt cur hi timeant ne peccatum Deo adſcribatur, Quod ſi in actibus malis ex præfinitione oritur, vt actus in Deum referatur, eò quòd non ſit liberè à nobis; idem dicendum erit de actibus bonis; & verè ita res ſe habet, vt ſuppoſita præfinitione, non maneat nobis libertas. Vide Vaſquez *c.*4.

Quintus modus eſt, noſtrum liberum arbitrium 478
à Deo primò excitari moraliter; attamen determinationem eſſe primò à libero arbitrio in omnibus actibus bonis, & malis. Ex quo colligunt priùs prædeſtinari noſtram determinationem, quàm operationem Dei. Ita Catharinus *Opuſc. de præſcientia, & prouidentia Dei.c. vlt.* Corduba *l.*1. *quæſt.*55. *dub.*10. Iulius Sirenius *l.*8.*de Fato*, *à cap.*11.*vſque ad* 14. Oſorius *l.*9. *de*

de Iuſtitia. Et quoad mala opera idem ſentit Marſil. 8.*quæſt.*45.*art.*2. Et omninò inclinat cum his Authoribus Ruardus Tapet. *art.*7.§. *Decima propoſitio.* Ex quo deducunt noſtram libertatem nullo modo lædi à Diuina operatione, & conſequenter neque à decreto æterno, quod eodem ordine incedit.

Hos Auctores tanquam Semipelagianorum fautores proclamant nonnulli. Eos verò excuſat Vaſquez, eò quòd Diuinam concedant præmotionem, quam Semipelagiani negabant.

479 Verum mihi videntur malè ſapere, quippe qui operationem, ſeu conſenſum efficacem phyſicè primò à ſolo libero arbitrio aſſerunt elici, ità vt non ſit in primo illo ſigno etiam à gratia, quod peius mihi videtur, quàm quod Semipelagiani dicebant, noſtram liberum arbitrium incipere quandam remotam diſpoſitionem. Sic etiam nos facimus, vt Deus faciat. Quia è noſtra cooperatione Diuinam cooperationem elicimus.

Sextò, alij, hac preſſi difficultate, dicunt, Deum ab æterno non determinaſſe ſingula opera noſtra; ſed tantùm in genere, & in vniuerſum, ſe paratum exhibendo ad cooperandum cum quolibet. Verùm hoc detrahit Diuinæ Prouidentiæ, quæ ſicut in tempore ſingulis actibus cooperatur, & non tantùm in genere; ità debuit ab æterno præfiniſſe operari. Ita habent D. Gregorius M. *l.*12. *Moral. cap.*2. vbi ait: *Cuncta Deus præſciens, ante ſæcula decreuit, qualiter per ſæcula diſpoſuit.* Elias Cretenſ. in primam orationem Nazianzeni in ea verba. *Sed ne omnium voces, &c.* S. Fulgentius *l.*1. *ad Monim. c.*14. D. Auguſt. paſſim (vt notat Vaſquez) & Concilium Valentinum, ſub Lothario *capite* 3. vt oſtendi *diſp.*16.*q.*15.

480 Septimò, Scotiſtæ plerique ad concomitantiam Diuini decreti cum noſtra voluntate confugiunt, ità vt voluntas Diuina, quæ continet perfectiſſimè eminenter creatam voluntatem ſecundùm omnem eius inclinationem, & modum agendi omnia, quæ à nobis facienda ſunt, liberè concomitanter determinet cum noſtra voluntate; vnde ſi nos aliter voluiſſemus in tempore ab eo, quod ſumus volituri, id conſequenter ab eo eſt determinatum, aliter etiam ipſe nobiſcum determinaſſet ab æterno. Eſt autem ſententia Scoti 1.*d.*40. *ad* 2. vt aduertit Maſtrius *d.*4.*q.*4. *art.*3. *n.*89. Sed hic modus confutatus eſt *diſp.*13.*q.*7.*n.*204. *& ſequentibus.*

481 Octavus modus eſt D. Bonauenturæ hîc, *fund.*2. & *ad argumenta*, quem ſequuntur omnes ſcientiæ mediæ aſſertores, nec renuit Maſtrius. Sic autem explicant quo pacto ex decreto Dei, nulla neceſſitas in liberum arbitrium inducatur. Quia quicquid ponit prædeſtinatio in nobis intrinſecè, eſt cooperatio gratiæ, quæ phyſicè non præmonet liberum arbitrium, ſed tantùm moraliter excitat, & phyſicè cooperatur; ex quo ſequitur, neceſſitatem ortam è prædeſtinatione, & operatione Dei, eſſe ſolùm comitantem, & ſequentem noſtram operationem, cùm præfinitio Dei non antecedat, ordine cauſæ, noſtram operationem, ſed illam comitetur, & ideò non importat neceſſitatem antecedentem, quæ etiam dicitur *conſequentis*; ſed ſolam conſequentem, ſeu *conſequentia*, eo ferè modo, quo & præſcientia. Et hæc eſt ſententia expreſſa D. Anſelmi *Opuſc. de concordia Præſcientiæ, & Prædeſtinationis cum lib. arb. cap.*2. vbi ait: *Pariter igitur, quamuis neceſſe ſit fieri, quæ præſciuntur, & quæ prædeſtinantur; quædam tamen præſcita, & prædeſtinata non eueniunt ex neceſſitate, quæ præcedit rem, & facit; ſed eam, quæ rem ſequitur.* Intelligit autem de operibus, quæ ſunt in noſtra libertate, non euenire neceſſariò neceſſitate antecedente, quam *cap.*1. docuerat lædere libertatem. Idem omninò ſentit D. Bonauentura remittens ſe ad ea, quæ cum D. Anſelmo docuerat *d.*38. *art.*2. *quæſt.*2. & ad Damaſc. quem ſequitur *d.*46. *q.*1. qui *l.*2. *de fide c. vlt.* idem aſſerit.

482 Iam verò ſicut Deus operatur in tempore; ità ab æterno decreuit operari. Cùm autem in tempore præmoueat ſolùm moraliter alliciendo, inuitando, & phyſicè ſolùm cooperetur: ità ab æterno ſtatuit facere; & ſicut cooperatio Dei in tempore nil lædit arbitrium, ita decretum Dei æternum, quod quidem ſuum concurſum extrinſecum ordinauit ex media ſcientia, qua videns, quid liberum arbitrium eſſet facturum tali, vel tali vocatione excitatum: Et quia innumeras omnes combinationes vocationum cum libero arbitrio optimè nouit, & quid cum qualibet earum arbitrium ſit facturum: In primo ſigno decernit tali vocatione præuenire, cui reſponſurum eſſe, iam ſcientiâ conditionali nouit. In ſecundo verò decreuit cum determinatione voluntatis, quam ſub conditione nouerat, cooperari abſolutè, atque adeò noſtram determinationem ſuo decreto non antecedit, ſed comitatur; & neceſſitas, quæ tali è comitantia oritur, nullo pacto lædere poteſt noſtri arbitrij libertatem, quæ ſimul cum præfinitione poſita eſt; vt dixi.

483 Hoc; vti obſeruat ritè Vaſquez, vult S. Bonauentura *loc. cit.* dum ait; non obſtante Diuina prouidentia præfiniente; actus noſtros voluntarios eſſe liberos. Quia Diuina voluntas non eſt tota cauſa; ſed ſimul cum libero arbitrio, quod cùm ſit proxima cauſa, modificat concurſum primæ, quod non eſſet verum, ſi efficacia Dei prior eſſet determinatione noſtra; at verò quia ſimul eſt, & ei concurſus Dei contemperatur; Ideò in nullo arbitrium lædit: Quia Deus Scientiâ mediâ iam vidit in quam partem noſtra voluntas, & operatio inclinantur, vt ait S Bonauentura *ad argumenta.* Ibi S.D. per ſcientiam mediam ſoluit difficultatem, & argumentum; vt acutè aduertit etiam Maſtrius *loc. cit.* quam ſolutionem ferè ad verbum deſumpſere Theologi Societatis Ieſu, vt vidère eſt in Vaſquez *cap.*6. Arriaga *d.*37.*ſec.*1. *ſubſec.*3. Tannero *d.*3.*quæſt.*5.*d.*6. Molina *p.p.q.*14.*art.*13.*d.*18. Suar. *l.*3. *de prædeſt. c.*10. & *l.*3. *de Auxil.* Gregorio de Valentia *d.*1. *q.*23.*p.*4. §.6. in quarta probatione ſecundæ Aſſertionis.

484 Hanc tamen doctrinam reprehendit D. Thom. *quæſt.*19. *art.*8. dicens, hinc ſequi, liberum effectum eſſe præter intentionem Dei, ſi ex particulari cauſa modificante primam, ratio liberi arbitrij ſumenda eſt.

Sed, vt rectè notat Vaſquez, non apparet ratio, ob quā D.T. hoc inferat. Nam quod effectus exeat liber, quia à libera cauſa producitur, non obeſt quo minùs ex voluntate Dei eueniat, quandoquidem ipſe decreuit cum concauſa libera, iuxta id, quod illa poſtulat, concurrere; hoc autem ſatis eſt, vt effectus non ſit præter Dei intentionem.

Certiſſimum autem eſt, rationem liberi non conuenire voluntati noſtræ, & actibus eius per reſpectum ad primam cauſam operantem, neque ideo eſſe liberos, & humanos, quia à ſolo Deo decreti ſint fieri; & ab ipſo ſolo producti, ſed potiùs per reſpectum ad modum operandi cauſæ creatæ.

485 Aliqui tamen moderni Theologi dicunt, voluntatem noſtram à prima cauſa ità determinari, vt noſtra voluntas efficaciam primæ cauſæ non modificet. Id verò definitum eſſe putant in *Concilio Arauſic.* 2. *can.*4. vbi damnatur, qui dixerit, voluntatem noſtram à Deo expectari, & non potiùs præueniri.

Cæterum hi ignaros ſe produnt intenti Patrum Concilij illius: Nam illud Concilium collectum eſt contra Semipelagianos, vt dixi *quæſt.*7. & 12. Damnat

ergo

ergo eorum errorem, quòd ſcilicet noſtrum arbitrium primum incipiat opus ſalutis, & quòd Diuina gratia expectet, quod nos incipiamus; ità vt facienti quod in ſe eſt, Deus poſteà non deneget gratiam: at verò nos concedimus præmotionem Diuinæ vocationis mutabilem, at in conſenſu dicimus gratiam cooperari arbitrio, nec ante phyſicè præmouêre, ne voluntatem lædat. Hoc autem nunquam in animum induxerunt Patres damnare.

486 HANC igitur doctrinam ſic probat Seraphicus *fundament.2.& in corpore.* Prædeſtinatio nil ponit intrinſecum in nobis, præter gratiam, neque extrinſecum præter decretum. Sed gratia, è ſupràoſtenſis, non lædit libertatem, quippè quæ moraliter tantùm præuenit, & phyſicè ſolum cooperatur; Decretum verò dandi gratiam correſpondet executioni; at executione nulla libertati læſio obuenit, quippe firmatur decretum vocandi, ſuppoſita cognitione conditionali, vt dixi: Ergo.

487 PROBATVR ſecundò à D. Bonauentura *in corpore.* Effectus proueniens à duplici cauſa, Alterâ etiam neceſſariâ; alterâ contingente, eſt contingens; multò magis ſi à duplici cauſa libera; ſed prædeſtinatio eſt à duabus cauſis liberis; Altera, quæ eſt creata voluntas libera ad contradictoria: altera, quæ eſt Deus, per gratiam liberè agens, ſe voluntati adaptans: Ergo. Hoc argumentum ſuprà roboratum eſt aſſertione quarta, argumento ſexto: & oſtendetur loco ibi adducto.

488 VERVM enim verò, ſi decretum iam præteritum eſt, atque æternum, & immutabile, vt communiter volunt Theologi, ſcientiæ mediæ ſectatores, in fine, Molina præcipuè *lib de concordia liberi arb.in fine p.p.* & abſque dubitatione aſſerendum, oſtendit Maſtrius *l. c.* adhuc non videtur ſatis argumento factum. Quia quod Deus ab æterno decreuit, non poteſt non euenire. Sed ab æterno Deus prædeſtinauit omnes ſuos electos: Ergo eſt impoſſibile id non euenire; & aliquē damnari: Minor probatur Ad id, quod præteritum eſt, non datur potentia. Sed decretum Dei tranſiit in præteritum; Ergo. Maior patet. Minor probatur. Quia tot iam ante ſæcula firmatum eſt decretum. Sicut ergo non poteſt eſſe, quin fuerit diluuium, & creatio mundi; & cætera, quæ præterita ſunt; ita quoque decretum prædeſtinationis. Quapropter Pennotus in *ſuo Propugnaculo humanæ libertatis l.4. cap. 23.* in fine dicit, hanc concomitantiam Diuini decreti, quam ſtrenuè libris anteactis deffenderat, non ſufficere; nam etiamſi demus, Deum non decreuiſſe independenter à nobis, & à noſtrâ libertate; tamen ſi ſemel conceſſerimus decretum ab æterno iam factum, & immutabile, vti concedunt relati Theologi, nulla ad oppoſitum erit noſtra libertas, quia ad præteritum non eſt potentia, & hoc argumentum tritum quidem, ſed omnibus formidabile aſtruit, quod vrget Caietanus *quæſt.22. artic.4.*

489 ITAQVE ad Seraphicum confugit, quo duce argumentum optimè ſolui clamat, cuius doctrinam ſecutus eſt Scotus *d.40. quæſt. vnica, ad 1.* Faber *d.54. cap.5. num.50. & d.56. cap.2. num.29.* Eſt autem doctrina à Concionatoribus eruditiſſimis adhibita, eamque Maſtrius fatetur à ſe, è ſuggeſtu acclamatam; nunc tamen laxis eam habenis inſectatur cum Vulpe, *d.32. artic.3.* & Macedo *Collat. 12. diff 4.* negantes eſſe doctrinam D. Bonauenturæ, aut Scoti, quæ eſt etiam SS. Chryſoſt. *homil.75. in Ioan.* Cyril. *in Ioan.l.10. cap.6.* & Conc. Trid. apud Ruitz *d.55. ſec.5.* Eſt & D.Th. *q.22. art.4. & p.2. q.10. art.4.* apud Fabrum.

490 NOTAT autem primò Pennotus cum Seraphico *hic*, neceſſarium omninò eſſe, res propriâ menſurâ dimetiri, vt eorum naturam comprehendamus. Nam ſi menſuris vtamur inapplicabilibus, implicabimur, veluti ſi congio vtar ad menſurandum pannum. Sunt autem multa, quæ difficillimè poſſunt menſurari. Ideò Angelus, Eſdræ l.4. cap.4. ait: *Vade, pondera mihi ignis pondus.* Multò minùs ſi menſuram oppoſitæ rationis adhibeas. Cùm igitur tempus, quod eſt numerus motus ſecundùm prius, & poſterius, ſit menſura primò quidem motus tranſeuntis, deinde rerum, quæ motui ſubiacent, profectò ad dimetiendum æternum, quod eſt indiuiſibile fixum, ridiculè aſſumetur. Nam menſura, & menſuratum debent eſſe eiuſdem rationis. Actus autem Intellectus, & voluntatis Dei menſurantur eâ menſurâ, quâ & ipſe Deus, cum quo ſunt vnum; nempe æternitate, quæ tota ſimul eſt; ac proinde dum explicantur tales actus etiam in Scriptura per tempora præterita, & futura, explicantur iuxta captum noſtræ intelligentiæ, cùm in ſe temporis differentias non agnoſcant. Ideò cùm audis: *Quos præ-* 491
deſtinauit, Rom.8. *Elegit nos.* Epheſ.1. debes cautè aduertere, Spiritum Sanctum eloqui mortalibus, qui non percipiunt, niſi modo humano. Nam in ſe actus ille ſemper eſt præſens; quod probat Pennotus ex Platone, Auguſtino, Beda, Gregorio, Nazianzeno, & Euſebio Cæſarienſi. Itaque decretum Diuinæ ſententiæ non eſt concipiendum ad modum rei præteritæ, neque etiam pendentis, vt falsò clamant à nobis aſtrui Molina, Maſtrius, alijque; ſed vt actus Dei perfectiſſimus, ſemper præſens, non tranſiens in præteritum, niſi ratione connotati, cùm iam effectum obtinuit ſalutis, vel ruinæ.

IGITVR actus Dei conſiderandus eſt, vt ſemper 492
præſens in ſua menſura, nec cum tempore fluens, & abiens in præteritum ad modum actus noſtri, qui nunc editus tranſit in præteritam horam, tum quia finitus, tum quia eſt motus. Quod ſi eo modo Deum concipiamus, iam actus Dei præteritus reddet Deum mutabilem, vt, qui anteà decernebat, nun ampliùs decernat; & ex volente factus eſſet non volens, ſicut & nobis accidit. Itaque Deus ſemper eſt in actu perfectiſſimo, & libero prædeſtinandi, non libertate ad oppoſitos actus, alioqui mutaretur; ſed ad oppoſita obiecta, & oppoſitos effectus eodem actu; vnde mutatio fit ſolùm in obiectis, & in effectibus, non in Deo. Vno ergo actu prædeſtinat Petrum, & reprobat Iudam, & ſic poteſt Petrum prædeſtinare, & reprobare pro diuerſis temporibus; ſolâ factâ mutatione in obiecto Petro, qui mutatur ex iuſto in periurum; & ex periuro in contritum, manente actu Diuino ſemper in actu præſenti. Dari poteſt exemplum generationis æternæ, quæ ſemper eſt præſens, Vnde Pater ſemper generat. *Ego hodie genui te*, Pſal.2. & Hebr.1. Quia tamen æternitas omnia tempora comprehendit, poteſt omnibus temporum differentiis ſignificari, vt docet D. Auguſtinus *tract.99. in Ioan.* Eſt tamen diffe- 493
rentia inter generationem filij, & prædeſtinationem; quia generatio filij habet eſſe neceſſarium; at verò prædeſtinatio habet effectum liberum, ideò ſemper eſt liberè prædeſtinans; non tamen mutatur; ſed mutatio fit in connotato, nempe homine, dum ex impio fit iuſtus, vel è contrà; ad cuius mutationem Deus, qui eſt independens, nec ad connotatum refertur, manet immotus. Ità vt Petrus ex dilecto fiat exoſus, & ſic mutetur; Deo non mutato. Quod ſi ex decreto, quo Deus exoſum, ſecundùm præſentem iuſtitiam, habet peccatorem, liceret inferre: Hic actus eſt perfectus, & pertranſijt, nec poteſt retractari: deberet homo ſemper manere exoſus; alioqui in ſententia aduerſariorum mutaretur Deus. Eſt autem profectò homo aliquando amicus, aliquando inimicus, & poteſt ſemper elicere actum pœnitentiæ, & conuerti; vt definit Conci-

lium

lium Tridentinum *ſeſſ. ſexta*, atque adeo fieri è reprobo à Deo prædeſtinatus ſecundùm præſentem iuſtitiam. Cur ergo & in fine non poterit perſeuerando, vel ſe conuertendo, fieri prædeſtinatus finaliter? Quoniam omnis actus Dei, quo vult, ſemper eſt præſens; nec admittit *fuiſſe*, vel *futurum*, vt docent D. Gregorius *l.9. Moral.c.26.* Beda *l.8.q.q.q.13.* Anſel. *de concord.præd.& lib.arb. cap.1.* vbi id ponit tanquam fundamentum ad concordiam conciliandam; & ex eo profitetur S. Bonau. hanc doctrinam ſe deſumpſiſſe.

494 Probo igitur hanc veritatem primò è Scripturis, 1.Cor.9. *Caſtigo corpus meum,& in ſeruitutem redigo: ne fortè cum aliis prædicauerim, ipſe reprobus efficiar.* Et 2. Petri 1. *Satagite, vt per bona opera certam veſtram vocationem, & electionem faciatis.* Apocal.3. *Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam.* 2. Tim.2. *Si quis emundauerit ſe ab his, erit vas in honorem.* Vocat autem vas in honorem prædeſtinatum. *Rom.9.*

Tandem plurimæ Scripturæ reſtantur, hominem non naſci iudicatum; ſed iudicandum, prout ipſe ſe geſſerit liberè. Hinc exhortationes, interpretationes in Scriptura.

495 Respondet Maſtrius *num.*85. ea loca Scripturarum non negare ſalutem noſtram ab æterno firmiter decretam; ſed nos non habere talium decretorum notitiam; & ideò ſemper cum timore operibus noſtræ ſalutis incumbendum; & id probat è D. Auguſt. *l.de. correp. & gratia*, *capite* 13. & *de bono Perſeuer. capite ſeptimo.*

At D Auguſt. *l.de correp & gratia,cap.*13. nullum ex allatis locis ita exponit de immutabilitate abſoluta decreti ex parte Dei, vt putat Maſtrius, ſed de ſola præſcientia, quæ nunquam fuit negata à nobis. Quid enim prohibet, Deum videre quæcunque facturi ſumus vſque in finem? Ideò S Bonauentura eam admittit cum mutabilitate decreti. Quod verò S. Auguſtin. loquatur de ſola præſcientia, oſtendo ex verbis, quæ refert Maſtrius ex eodem D. Auguſt. *Hinc, & Apoſtolus dicebatur, ſi manſeritis in me; dicente illo, qui illos vtique ſciebat eſſe manſuros.* Ita hunc, & ſimilia loca exponit D. Auguſtin. non autem ea, quæ attuli, quorum non meminit, niſi illius Apocal.3. *Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam*, quem locum inducit ad probandum numerum determinatum electorum dicens. *Si enim alius non eſſet accepturus, niſi iſte perdiderit, certus eſt numerus*: Quem locum explicat ſanè etiam D. Bonauentura *d.40. artic. ſecundo, quæſtione ſecunda, ad primum*, non tamen eo ſenſu, quo putat Maſtrius, vt dicam, reſpondens eius oppoſitionibus. Hinc ergo malè Morandus *numero* 495. ait, dici exaggerando, vel de operibus acquiſitis, non de gloria finali. In altero autem loco de *bono perſeuer.* nil contra nos muſſitat D. Auguſtinus. Reſponſio verò Maſtrij non eſt valida. Nam Apoſtolus Paulus timet reprobus fieri; non autem: Ad reprobus ſit. Et abſolutè docet, poſſe fieri aliquem vas in honorem, ideſt, prædeſtinatum; & reprobum prædeſtinatum. D. autem Petrus non ex notitia, ſed ex arbitrij concurſu petit firmitatem electionis.

Ad alias verò Scripturas, quæ teſtantur, hominem non naſci iudicatum, ac proinde hortantur ad bonum; corripiunt malos, &c. reſpondet Maſtrius *num.*85. cum Vaſquez *diſput.*89. *n.*7. hoc eſſe argumentum Fauſti Rhegenſis Semipelagiani *l.1. de gratia, & lib. arbitr. cap.4.*

496 Respondet igitur. Si arguens prætendit, nil ab æterno decretum de ſalute electorum, non poſſe ſana fide aſtrui: Quia iam: *Nouit Dominus, qui ſunt eius*, medio ſanè decreto prædeſtinationis, vt docet D. Auguſt. *cap.10. de prædeſtin. ſanctorum*, & *in ſoliloquiis, cap.26.* & *l.de correp.cap.9.* Si verò prætendat, prædeſtinationem executioni non mandari abſque noſtra cooperatione, profectò non naſcuntur homines iudicati. Quia vnuſquiſque iudicabitur (vt ait Apoſtolus) *pro vt geſſit in corpore.*

Hæc verò non ſoluunt argumentum, quod neutro ex allegatis modis vrget; ſed ſolùm inſtat, decretum non tranſijſſe in præteritum; alioqui iacta eſſet alea. Et ſi noſtra argumenta ſunt Fauſti Semipelagiani; & eius reſponſa adhibet Caluinus *l.2. Inſt.* vt dicam *quæſtione* 22. At fauſtus inferebat, nos viribus nudis Deo præire.

Probatur ſecundò ex oratione Eccleſiæ, in Miſſis Quadrageſimæ: *Deus, cui ſoli cognitus eſt numerus electorum in ſuperna fœlicitate locandus: tribue quæſumus, vt omnium fidelium nomina beatæ prædeſtinationis liber adſcripta retineat.* Vbi Eccleſia ſupponens, poſſe prædeſtinatos deleri de libro vitæ, orat vt nomina eorum non deleantur. Ad quod reducitur etiam id, quod orabat Moyſes. Exod.33. *Aut dimitte eis hanc noxam, aut dele me de libro tuo.* Eodem medio Concilium Mileuit. vtitur ad probandum, nos poſſe orationibus impetrare liberationem à tentationibus, dum oramus. *Et ne nos inducas, &c.* 497

Respondet Maſtrius ideò orari: Quia Deus vult hoc beneficium peti, vt cum metu noſtram ſalutem operemur; non autem quia nomina prædeſtinatorum valeant deleri.

At hoc eſſet ludere. Potiùs enim deberemus, agere gratias, quòd ſcripti ſint prædeſtinati in libro vitæ; non autem, ne deleantur, deprecari.

Probatur tertiò, apud S. Aug. *l.6. Hypognoſt.* 498 in fine, vbi ait: *Nemo glorietur, nemo deſperet: Solus enim Deus ſcit qui ſunt eius. In quantum autem poſſumus in conſpectu Dei nos humiliemus dicentes. Fiat voluntas tua. Ipſius erit poteſtatis, iudicium in nobis debitum damnationis mutare, & gratiam prædeſtinationis indebitam prærogare. Iudicium profectò mutare non eſt, niſi mutare decretum.* Hinc eruitur dictum illud S. Aug. adſcriptum. *Si non es prædeſtinatus, Ora Deum vt prædeſtineris.* Ideò tract.26. in Ioan. habetur. *Si non traharis, ora vt traharis.*

Conqueritur Macedo, Vulpem, & Maſtrium errare, allegando *Fac vt traharis* pro *ora*; quaſi vera allegatione eneruemur, at ſi orare debemus pro hoc. Ergo id poſſumus obtinere. Sic arguit Conc. Mileu. in eo, quod oramus, ne inducamur in tentationem. Idem probo è D. Aug. *l. de bono perſeu.cap.22.* vt dixi *quæſt.*15. cùm enim dixiſſet aliqua ſonantia, decretum præteritum eſſe; ſubdit. *Cur non potius dicimus; & ſi-qui ſunt nondum vocati, pro eis, vt vocentur, oremus. Fortaſſim enim ſic prædeſtinati ſunt, vt noſtris orationibus concedantur, & accipiant eandem gratiam, qua volunt eſſe, atque efficiantur electi.*

Respondet Maſtrius, ſenſum D. Auguſtin. eſſe 499 Diuina decreta; licèt non tranſeant in præteritum, attamen fixa eſſe, atque immutabilia. Ita 12. *de ciu. Dei, capite* 17. ait: *Poteſt ad opus nouum, non nouum adhibere conſilium, ſed ſempiternum*, & l.11. capite 21. *Ille non ex hoc in illud cogitatione mutata; ſed omninò incommutabiliter videt*, & l.13. Confeſſ. capite 16. *Qui es incommutabiliter, & ſcis incommutabiliter, & vis incommutabiliter*, & l.2. de lib. arbitr. capite 3. ait: *Iam ſemel ſtatuit Deus quemadmodum feratur ordo vniuerſitatis, quam condidit. Neque enim aliquid noua voluntate adminiſtrat.* & lib. quinto, de Trinitat. capite octauo, ait: *Abſit, vt Deus temporaliter aliquando diligat, quaſi noua dilectione, quæ*

in ipſo ante non erat, apud quem nec præterita tranſeunt; futura iam facta ſunt: Itaque omnes ſanctos ſuos ante mundi conſtitutionem dilexit, ſicut prædeſtinauit. Quem locum exponens D. Bonauent. 3.*d.*32. *dub.*2. *litt.* ait; Intelligendum de dilectione, quæ eſt prædeſtinatorum; non de approbatione. Quia illa poteſt eſſe temporalis. Idem habet Magiſter. Itaque volunt, dilectum æternaliter, ſemper diligi tali electione; nec oppoſitum ſuccedere. Hinc S. Auguſtin. veritatem prædeſtinationis immobilem vocat *l. de prædeſtinat. ſanctorum, cap.* 37. & *l. de prædeſtin. & gratia, cap.* 5. idem habetur. Ideò Concilium Valentinum capite 3. ait: *Apud Deum, vt S. Auguſtinus ait, de omnibus rebus iam fixa eſt ſententia, quàm certa præſcientia.* Hinc noſtram ſententiam D. Auguſtino non poſſe inniti altè clamat. Locum verò D. Auguſtin. ex Hyppognoſt. explicat ſecundùm præſentem iuſtitiam; non autem de æterna electione.

500 Omnia, quæ nobis obijcit Maſtrius, in æquiuoco laborant, confundendo certitudinem cum neceſſitate, aut non ſunt ad rem. Nam D. Auguſtin. agnoſcit quidem certam in Deo de rebus præſcientiam, quæ ſupponit iam res futuras; voluntatem autem immutabilem, quoad ſubſtantiam actus, ſeu principale, quod eſt Dei ſubſtantia; & in hoc ſolo immutabilitatem ponit; at verò in ordine ad connotatum concedit, mutari poſſe; vt conſtat de fide mutari ſecundùm præſentem iuſtitiam, ſecundùm quam aliquis iuſtus cadit, & reſurgit; ea autem eſt differentia inter dilectionem electionis & approbationis, vt docet D. Bonauentura loco adducto cum D. Auguſtino, quod dilectio electionis eſt æterna; at dilectio approbationis, licèt æterna ſit quoad actum: tamen ratione connotati eſt temporalis; & quidem de prima intelligit S. Auguſtinus. Hoc verò S. Bonauentura alio modo explicat, quod diligere, vel ſignificat actum principalem, & ſic eſt æternus, & hoc modo ait intelligere D. Auguſtinum, quod probat ex verbis eiuſdem S. D. ait enim. *Vt Deus temporaliter aliquem diligat, quaſi noua dilectione, quæ in ipſo ante non erat. Si autem intelligatur quoad connotatum, ſic temporaliter aliquem diligit.* Hæc S. Bonauentura. Quare non diſtinguit inter actum prædeſtinationis, & temporalis approbationis, ſecundùm eandem rationem, vt putat Maſtrius, ideſt, ſecundùm actum; ſed electionem ſumit ſecundùm actum Diuinum: approbationem autem, prout dicit connotatum, puta Iudam, qui in tempore è iuſto fit impius. Quapropter nihil ad rem ex hoc loco colligit Maſtrius. Et in his tertio quoque verbo decipitur, confundens certitudinem è præſcientia cum neceſſitate ex decreto, & actum Diuinum cum connotato. Idem impingit Macedo vrgens, à *l. de correp. & gratia, c.* 7. & 9. *De bono perſeu. c.* 17. *Enchir. c.* 10.

501 Qvod verò reſpondit Maſtrius, ſic intelligi locum *Hypognoſt.* orandum eſſe, vt Deus prorogando vitam, dum ſumus rei ſecundùm præſentem iuſtitiam, proroget etiam gratiam prædeſtinationis indebitam; vnde ait legendum (*prorogare*) pro (*prærogare*) adeò ſine fundamento eſt, vt nullos inueniatur textus D. Auguſtini ita excuſus. In qua lectione deceptus eſt etiam Vulpes. Significat igitur, orandum Deum, vt mutet ſententiam. Ipſius enim eſt gratiam prædeſtinationis indebitam prærogare, quod non ſignificat hic precibus impetrare, neque anticipatè ſoluere, ſed præ debito, ideſt, vltra debitum, vel ante debitum erogare, ideſt, largiri. Sic enim *erogare* ſignificat; ſic erogantur eleemoſynæ. Cautior Vulpes diſſimulat. At Macedo, *ſec.* 2. legens nobiſcum, ſe ipſum fecit ſua expoſitione.

Probatvr quartò è D. Ambroſio *l.* 2. *in Lucam* in ea verba: *Et Zacharias Pater eius*, vbi ait: *Nemo veterum conſcius delictorum præmia Diuina deſperet. Nouit Dominus mutare ſententiam; ſi tu noueris mutare delictum*, & habetur de pœnit. d. 1. c. *Nouit.* Sic *cauſa* 22. *quæſtione quarta, c. Incommutabilis*, habetur. *Quandoque Deus immutabilis ſua mutat ſtatuta.* Et D. Hieronymus *ad caput* 9. *Amos*: relatus de pœnit. c. *Si agamus*, ait: *Si agamus pœnitentiam, ipſum quoque pœnitebit ſuæ ſententiæ.* Hæc S. D. *ſerm.* 2. *de plur. Martyribus.*

Mastrivs *numero* 84. ſolùm refert Ambroſium, 402
& dicit, ea verba à nonnullis negari, eſſe Ambroſij. Sed hæc eſt frigida reſponſio. Nam Commentaria in Lucam abſque dubio ſunt Ambroſij, vt fatetur Eccleſia in Offic. D. Ioannis Baptiſtæ. Deinde alia, quæ ſilentio Maſtrius obtegit, ſunt Patrum, & in Decretis depoſita Canonicis.

Probatvr quintò. Si Deus non poſſet mutare decretum iam factum, ſequeretur, vt non fieret vlla mutatio dilectionis Dei, dum peccator conuertitur; aut dum iuſtus cadit lethaliter, quod eſt abſonum, & contra *Ezech.* 18. Hoc eſt argumentum S. Bonau. 3. *d.* 32. *dub.* 2. quo nititur Pennottus.

Respondet Maſtrius, hinc potius noſtrum euerti fundamentum. Dum enim volumus decretum Dei mutari, oportet fateamur, non menſurari æternitate; ſed tempore, quod eſt contra noſtrum fundamentum. Reſpondet igitur directè, mutari decretum ſecundùm præſentem iuſtitiam. Quia voluntas Diuina pro inſtanti, quo Petrus peccat, vult eum puniendum, & hoc volitione conditionatâ tantùm, ideſt, ſi fiat in termino. Itaque tranſitus ab vno ad alium non eſt ad oppoſita. Vnde negat paritatem de odio æterno, & de temporali; & rurſum allegat D. Aug. qui *l. de correp. & gratia, capite* 13. negat, prædeſtinatum peccantem fieri reprobum, ait enim. *Qui ſecundùm propoſitum ſunt vocati, iuſto Dei iudicio interdum permittuntur labi.*

Hæc, vt ſuprà monui, oriuntur ex praua Maſtrij 503
intelligentia. Dicimus enim, actum Dei duo includere, vt refricat D. Bonauentura *hic*, in quæſtione, & *in tertio loc. citat.* Primum principale, quod eſt ipſa ſubſtantia actus; & hic menſuratur æternitate. Secundum eſt connotatum, & ratione huius dicimus actum mutari; at Maſtrius vtrumque confundit. Itaque ſtat noſtrum fundamentum, & euertitur aduerſum, quo nullent decretum mutari in connotato. Profectò enim mutari debet, dum homo iuſtus cadens, fit peccator. Tunc enim non modò conditionaliter fit reus damnationis, ſi finaliter duret in peccato; ſed abſolutè nunc ſecundùm præſentem iuſtitiam eſt Deo odioſus, cùm antea eſſet charus; ſicuti nunc eſt maculatus, & priuatus gratia, cùm antea eſſet gratioſus. Quo fit, vt tranſitus fiat ab oppoſito contradictorio ad oppoſitum. Non enim peccatum ſolam affert reitatem pœnæ, vt oſtendam *s.* 2. *tract.* 3. *diſp.* 5. *q.* 1.

Probatvr ſextò. Diabolus optimè nouit natu- 504
ram Diuini decreti. Si ergo nouit tranſijſſe in præteritum, & immutabile eſſe, & rem actam: cur adeò anxiè tentat, & ſollicitat ad peccata? Profectò hoc eſſet ſtulto labore conſumi.

Respondet Maſtrius primò, argumentum valère non minùs ratione præſcientiæ diuinæ, quàm decreti. Licèt enim Diabolus noſcat præſcientiam Dei eſſe infallibilem (quod ſanè aſſerit) Apoſtolus 2. Tim. 2. *Firmum fundamentum Dei ſtat, habens ſignaculum hoc: nouit Dominus qui ſunt eius,*

non

non ſequitur, vanos eſſe conatus eius, vt ad ruinam electos deducat. Sed non aduertit Maſtrius diſparitatem: Nam decretum factum ab æterno, non pendet à rebus; ſed res ponit in eſſe; at præſcientia pendet à rebus ipſis, ità vt eatenus præſciat, quatenus iam præſcitum futurum eſt.

505 Respondet ſecundò, Dæmonem, etiam ſuppoſito Diuino decreto, fruſtra non tentare; Quia, vt docet D. Bonauentura *d.40. artic.2. quæſtione prima, in reſol. quæſt.* prædeſtinatio non infert ſalutis neceſſitatem, quia non eſt cauſa ſalutis, niſi includendo merita, quæ à noſtro pendent arbitrio libero, adiuto à Diuina gratia. Quare dæmon conatur, nec ſtultè, ea opera ac merita impedire, cùm ſint in noſtra poteſtate. Addit, dæmonem non tentaturum fruſtra, etiam ſi noſſet, ſe non poſſe prædeſtinationem, & ſalutem impedire; poſſet enim retardare, vt poſt mortem in purgatorium irent.

506 Hæc tamen ſunt effugia: Quia ſtatuto ſemel decreto, ſiue cum operibus; ſiue abſque illis, neceſſe eſt euenire ſalutem, atque adeò, ſicut ſtatuta eſt ſalus; ita ſtatuta ſunt opera, vt quamuis non ſint præfinita ante noſtrum conſenſum, hoc parum refert. Nam decretum, iam nunc firmatum, eſt immutabile. Quod verò de Purgatorio addit, profectò eget purgari. Nam Diabolus tentat directè de rebus lethalibus, & non de ſolis venialibus; vt experimentis conſtat. Adde, decretum omnia includere.

Denique. Si ante omnem præuiſionem alicuius noſtri meriti, aut actus, factum eſt decretum prædeſtinationis, vt aſſerunt aduerſarij, non video, quid noſtræ libertati ſit reliquum: Cùm & prima auxilia ponantur in nobis ſine nobis, etiam ad prima opera. Nec ſatisfacit Maſtrius *numero 90.* dicens, requiri tamen ad effectum etiam noſtrum conſenſum; nam ante omnem conſenſus præuiſionem decretum eſt.

507 Obiicit verò multa, & primò quidem, hanc doctrinam non eſſe Scoti, aut D. Bonauenturæ aut D. Auguſtin. Et quidem quoad D. Auguſtinum ſatis oſtendi oppoſitum. Quoad Scotum *in 1.d.40. quæſt. vnica, ad* 1. eam docet, vt notat Faber *loc.cit.* Quoad Seraphicum *in 1.d.40. artic.2. quæſtione 1. ad* 4. apertè id docet, vt obſeruauit Pennotus *cap.24.* Faber *loc.cit.* tametſi Trigoſius *quæſt.18. art.3.* & Coriolanus *q.23.* non percipientes perfectè mentem Seraphici, imperfectè exponant.

508 Sic autem loquitur S. Bonauentura. Ad illud, quod quæritur: vtrum prædeſtinatus poſſit damnari, dicendum, quòd ſic ſine diſtinctione, &c. Poteſt autem intelligi, ſi præſupponamus quatuor vera. Primum eſt, quod præſens diuinæ æternitatis circumplectitur omne tempus idem, & vniforme: quod ſi hoc non eſſet, mutaretur præſens æternitatis. Secundum eſt, quòd Deus vno & eodem modo cognoſcit omnia. Tertium eſt, quando dicitur Diuina cognitio, & voluntas ordinari ad hoc cognoſcibile, & ad illud non, ponitur ordo, vel reſpectus in Dei actu; ſed in habitu: nec de præſenti; ſed de futuro. Quartum eſt, quod futurum ſub ratione futuri, quod ponitur ſemel eſſe verum, ponitur ſemper fuiſſe verum: & ideò cùm ponitur poſſe eſſe, non ponitur mutari, nec incipere. His præſuppoſitis facilè eſt intelligere; quod prædeſtinatus poteſt eſſe præſcitus. Etenim quia præſens totum eſt, & nihil tranſijt in præteritum, & nihil factum eſt, quod ſit neceſſarium eſſe factum; hinc eſt quod ſicut poteſt cogitari verè potuiſſe, & non prædeſtinaſſe ab æterno; ita etiam quòd poſſit nunc in ſuo ſcilicet *nunc æternitatis*, non prædeſtinaſſe: & hoc dicit Magiſter *in littera.* Actus tamen æternus Diuinæ cognitionis non poteſt cogitari non fuiſſe, vel ad hoc futurum contingens ordinatum non eſſe, & ſi hoc non ponitur, non ponitur mutatio in æterno præſenti: Quia nulla ponitur ſucceſſio, nec ponitur mutatio in cognitione, &c. Et totum clariùs aperitur, ſi veniatur ad ſignificationem horum vocabulorum, *præſcitus, & prædeſtinatus.* Prædeſtinatus enim, & præſcitus, quantùm ad principale, important Diuinam eſſentiam: quantùm ad connotatum, important futura contingentia. Quoniam verò connotata ſunt de futuro, quæ nihil ponunt actu, poſſunt non ineſſe, vel eſſe ſine mutatione. Hæc S. Bonau.

Quibus oſtendit, quo pacto ſine actus mutatione, poſſit decretum æternum immutari, nempe ratione 509
connotatorum, quæ quia adhuc non habuère effectum ſalutis, poteſt eis conferri. Secundò, quia actus Dei prædeſtinantis, qui eſt in æternitate, nunquam tranſit in præteritum, ità vt ſemper actu prædeſtinet; ac proinde ſicut ab æterno potuit non prædeſtinare; ità & nunc in ſuo ſcilicet *nunc æternitatis*, poteſt intelligi non prædeſtinaſſe, ideſt, actus non præteriſſe, quia æternitas eſt tota ſimul. Itaque malè Maſtrius exponit de libertate ad oppoſita in æternitate diſiunctiuè. Hoc ſenſu potuit non prædeſtinare; non autem quòd poſſit ſucceſſiuè immutare decretum. Si enim ità loqueretur; inanis eſſet ratio Seraphici, nempe id euenire, quia æternitas ſemper eſt præſens; nec eius duratio tranſit in præteritum. Senſus enim eſſet. Sicut ab æterno potuit non prædeſtinare Petrum, & ita poteſt cogitari non prædeſtinaſſe Petrum; at Seraphicus ità loquitur. Quia totum præſens eſt, & nihil tranſijt in præteritum, hinc eſt quòd ſicut poteſt cogitari, verè potuiſſe, & non prædeſtinaſſe ab æterno; ità & quòd poſſit nunc, in ſuo ſcilicet *nunc æternitatis*, non prædeſtinaſſe. Senſus autem germanus eſt, quòd ſicut poteſt cogitari ab æterno potuiſſe, & non prædeſtinaſſe, ità & nunc poteſt cogitari in ſua duratione ſemper prædeſtinare, nec id præteritum abijſſe. Quare fruſtrà Maſtrius gloriatur, oppoſitum noſtræ ſententiæ ex illis verbis colligi.

Obiicit deinde Seraphicum *eadem quæſt.* dicere: 510
Prædeſtinatio infert ſalutem, nec poteſt caſſari, nec diſcordare a libero arbitrio, & quia præſcientia nullam imponit neceſſitatem conſequentis, ſed ſolùm conſequentiæ; ſimiliter nec prædeſtinatio. Et quæſt.2. in corpore dicere: *Prædeſtinatio eſt certa, certitudine immutabilitatis; Quia Diuina diſpoſitio, & ordinatio non variatur, vt modo eligat vnum, modò alium; ſed qui ſemel electus eſt, ſemper fuit, & erit, & non alius.* Et in reſponſione ad primum. *Quando alicui debetur locus ſecundum prædefinitionem æternam, poteſt quidem cadere, & locum perdere, & alius, qui non eſt prædeſtinatus, poteſt acquirere; ſed tamen hoc nunquam eueniet.* Et d.44. artic.2. quæſt. vnica, planè non denegat Deo potentiam ad volendum oppoſitum illius, quod ab æternitate voluit, negat tamen oppoſitum poſſe ſuccedere ei, quod ex æternitate voluit, & hoc propter immutabilitatem Diuinę diſpoſitionis. Idē habet 3 *d.3.q.1.* (ait Maſtrius.)

Hæc omnia ſimul retuli; Quia eodem modo explicanda ſunt.

Sciendum igitur, Seraphicum duas quæſtiones 511
diſcutere *d.40.art.2.* Prior eſt; An prædeſtinatio inferat neceſſitatem. Poſterior verò; An ſit certa. Et quidem in priori, vt tollat neceſſitatem, utitur hac noſtra doctrina: & *in corp* decernit, prædeſtinationē, neq; vt cauſam neque vt ſcientiā, inferre neceſſitatem. Non vt cauſam. Quia eſt ſimul cum libero arbitrio, & ideò eſt contingens: ſubdit verò, & præter rationē cauſæ importat ra-

tionem præſcientiæ, & præſcientia quidem totum includit in cognitione,ſcilicet liberum arbitrium,& eius cooperationem, & vertibilitatem. Et præterea non eſt, niſi veri, & etiam de vero contingente eſt infallibilis; ideò prædeſtinatio infert ſalutem, & non poteſt caſſari, nec diſcordare à libero arbitrio. Precor autem Maſtrium,vt obſeruet,vnde Seraphicus eliciat, & inferat prædeſtinationem non poſſe caſſari,nempe vt dicit præſcientiam, quia eſt infallibilis, cum ſit de rebus iam futuris; ſicuti,quoad decretum, eſt contingens,vt ait S. D. quod clariùs aſſerit *quæſt.*2. vbi concludit, certum eſſe euentum noſtræ ſalutis certitudine infallibilitatis, quia Diuina præſcientia non fallitur;& ideò euenit, vt præſciuit. Addit verò, certam eſſe electionem certitudine immutabilitatis: Quia Diuina diſpoſitio non variatur, vt modò eligat vnum,modò alium; ſed qui ſemel electus eſt, ſemper fuit, & erit, & non alius;quia, vt arguit *fundament. vltimo*, Deus ordinatiſſimè omnia diſpoſuit; & quidem electio eſt ex præuiſis meritis,quo fit,vt ſuppoſitis illis, quæ Deus præuidit in hoc,& non in illo, maneat immutabiliter decretum infallibiliter; eſto in omni inſtanti valeat mutari, nec neceſſitatem ponat. Et hoc quidem vult *in reſponſione ad* 1. nempe electionem Petri eſſe certam, Quia benè operabitur, & merebitur gloriam; & in ordine ad prædeſtinationem habebit motiuum bonum;quæ omnia non erunt in Iuda, quamquam poterit, ſed nolet. Itaque immutabilitas hæc ſequitur, ſuppoſitâ futuritione rerum. Idem docet aliis locis allegatis à Maſtrio, qui ſemper confundit certitudinem cum neceſſitate;de quibus diſtinctas habet Seraphicus quæſtiones.

Obiicit tertiò. Vel decretum Dei ità aſſeritur ſemper præſens, vt non ſit vltimatè completum vſque ad
512 finem vitæ Petri, in quo omnes effectus complentur. At tunc incerta eſſet Diuina prædeſtinatio;aut ſi certa eſt,redit eadem difficultas. Quo pacto non obſit libertati. Si enim Deus ſcit certò, *qui ſunt eius*, vt aſſerit Apoſtolus; manet adhuc difficultas: Quomodo liberè adhuc ad prædeſtinationis metam perueniat; quod ſi Deus ignorat,vel incertè cognoſcit, iam eius cognitio erit fallax, & imperfecta. Vel ſecundò aſſeritur tale decretum Dei, vt poſſit in tempore reprobare, quem ab æterno prædeſtinaret, & è contrà: At tunc ſequeretur in Deo mutatio. Vel tertiò ità aſſeritur decretum, vt ſemper egrediens à Diuina voluntate;& licèt fuerit ab æterno; nunquam tamen in præteritum tranſierit, ſed ſemper ſit præſens;at cùm decretum ſit immutabile,adhuc non eſt ſoluta difficultas. Quo pacto maneat homini libertas, vt ſi non eſt prædeſtinatus, poſſit prædeſtinari; & ità hæc doctrina ad quæſtionem ſoluendam eſt inutilis.

Respondetvr, nos ità ſentire. Decretum Dei ex parte actus ſemper eſſe præſens, & nunquam tranſire
513 in præteritum; & quia in decreto includitur connotatum ſuper quod tranſit; ideò ratione eius non completur, niſi dum ponitur effectus in fine vitæ. Nam anteà non erat completum, quia non ponebat in eſſe completum effectum, vt ait D.Bonauentura, & obſeruat Trigoſius *loc. cit. ad* 4. Itaque actus Dei pro vt cadit ſuper connotatum, ſemper eſt decernens liberè ſalutem hominis; ſicuti ſemper eſt in æternitate, vt obſeruat cum S. Bonauentura etiam Coriolanus loco adducto. Ad id, quod obijcitur: An Devs præſciat certò effectum illum.

Respondetvr, actum Diuinæ ſcientiæ ſemper eſſe præſentem, non minùs quàm voluntatis: nam vterque eſt actus Diuinus, qui menſuratur æternitate, & ſemper certò videt præſenter effectum, non ità, vt ille effectus ſit Deo realiter præſens, ſed obiectiuè; ſed quia præſcientia eſt poſterior effectus futuritione, hinc eſt, vt hæc certitudo cadat ſuper effectum ſalutis Petri, vel Abelis, vt ſit; & ſicut decretum non infert neceſſitatem, quia non tranſit in præteritum;ita multò minùs præſcientia. Et in hoc impingit Maſtrius.

Contra hanc doctrinam inſurgit Molina *p. p. quæſt.*14. *artic.*13. *d.*16. ſequeretur, dari potentiam ad 514
præteritum, quoad effectus, qui ſunt extra cauſas. Sed hoc eſt falſum: Ergo. Probatur ſequela. Certum eſt, Deum voluiſſe creare mundum in *nunc* æternitatis, pro eo *nunc* temporis,quo de facto creauit. Tunc ſic. Si illa volitio non tranſijt in præteritum; ſed ità hodie eſt in libero egreſſu à voluntate Dei, ſicut fuit ab æterno. Poteſt ergo Deus decernere oppoſitum,ideſt, non creare mundum: Ergo poteſt facere, vt mundus factus,non ſit factus.

Respondetvr, effectum ipſum, qui menſuratur tempore, tranſire in præteritum; non verò actum; & ita Deus in actibus nil ponentibus in tempore, ſemper eſt in actu, non autem reſpectu effectuum, qui iam poſiti,tempore menſurantur, & tranſeunt in præteritum. Neque inde aliquod ſequitur abſurdum. Actus enim Diuinus ſemper eſt quidem præſens in ſe, nondum effectu poſito; quod ſi partus eius ſit neceſſarius, & ponitur in æternitate, ſemper erit productus neceſſariò ab æterno,vt conſtat de generatione Verbi. Itaque Pater ſemper eſt neceſſariò generans de præſenti; alioqui ſi tranſiret in præteritum,ſequeretur,vel nunc ampliùs non generare,& ità mutatum: vel alios filios generare.

Fallitvr verò Molina, quia partitur *nunc* æter-
niratis ad partitionem temporum: ita mundus, quia 515
eſt effectus menſuratus tempore, tranſijt in præteritum ſecundùm propriam menſuram, non reſpectu actus Diuini conſiderati in propria menſura, argumentum autem ſupponit, mundum in æternitate indiuiſibili exiſtere. Sicut ergo Deus,quoad actus ſuos eſt immutabilis,& ait: *Ego Deus & non mutor.* Ita ratione effectuum,actus mutantur. Ideò Hier. 18. ait: *Si egerint pœnitentiam: agam pœnitentiam & Ego ſuper malo, quod cogitaui.* Et hoc ſenſu dicitur Deus *nunc* prædeſtinare; *nunc* reprobare. Vnde S. Damaſcenus *l. cont. Manichæos, c.*302. ait: *Adnitamur ergo facere quod bonum eſt, vtque boni fiamus, vt ſimus ex numero bonorum, qui prædeſtinati ſunt ad vitam æternam.* Itaque reſpondetur ad argumentum, negando ſequelam. Nam tranſit ab actu Dei, vt eſt in æternitate, ad effectum, qui verè præteritus eſt, & menſuratur tempore. Prædeſtinatio autem non ponit effectum niſi in fine vitæ, quem reſpicit vt terminum; vnde actus Diuinus mutabilis eſt in ſuis effectibus ratione temporis, licèt in æternitate ſit ſemper idem Deus.

Instat Molina. Ergo Deus pendet à rebus connotatis.

Deinde. Si nunc poſt effectum, non eſt ampliùs indifferens: Ergo eſt mutatus; vel ſi eſt indifferens, poteſt adhuc non creare mundum.

Respondetvr, in euentu eſſe duo, ideſt actum
Diuinum; & connotatum, & altero deficiente non 516
poteſt poni in eſſe. Actus quidem Diuinus eſt indifferens ratione connotati; non in ſe; quia eſt Diuina eſſentia expreſſa per modum veræ voluntatis, ideò effectu adhuc non poſito, poteſt poni: at ſi iam effectus poſitus eſt in actu, non eſt ampliùs Deus indifferens ad eum ponendum. Itaque non mutatur Deus; ſed effectus, à quo non pendet Deus ipſe, niſi quatenus vult ità eſſe; nam ſuppoſito,

quod

quod vellt aliquam rem eſſe in tempore, quod tranſit in præteritum, non poteſt velle oppoſitum non fuiſſe. Quia non poteſt Deus velle implicantia.

Obicit ſecundò. Deus fuit ſanè indifferens in æternitate ad prædeſtinandum, & non prædeſtinandum; tamen poſtquam prædefiniuit, manet determinata voluntas. Ergo ſi in tempore reprobat prædeſtinatum, iam mutatur: Quia ab æterno determinauit; & nunc eſt indifferens.

517 Respondetvr, pariter arguere è falſa imaginatione, exiſtimando actum illum tranſijſſe in præteritum. Decreuit ſanè Deus creare mundum pro tali tempore, vel vocare Petrum ad gloriam tali hora; at verò actus ille, licèt apprehendatur à nobis vt præteritus, & verè coexiſtat tempori præterito; tamen in ſe, & in æternitate non eſt præteritus; differentiæ enim illæ temporum competunt illi, ratione effectuum connotatorum, qui temporibus menſurantur.

Obicit tertiò. Deus in æternitate nouit in quam partem ſe inflectet voluntas Petri: Ergo nunquam eſt futurum, vt voluntas Petri in oppoſitum flectatur, ac proinde non erit mutabilis conuerſio, & ſalus Petri, vt vos ſupponitis.

518 Respondetvr, Deum ſcire, quid acturus ſit Petrus, ſuppoſito quòd ità acturus ſit; actus tamen Dei, ſicuti eſt ſemper præſens, ità reſpicit actum Petri vt præſentem ſemper; licèt non exiſtat, niſi in tali tempore. Itaque actus Dei non tranſit in præteritum, vt præuiderit, ſed quaſi è ſpecula in puncto æternitatis comprehendit omnes effectus in tempore futuros, vt præſentes ac ſi tunc fierent. Itaque non poteſt dici, Deus iam præſciuit: ſicuti non poteſt dici, iam decreuit. Imò, ſi decretum eſt præſens, & mutatur ratione connotati; multò magis præſcientia (dixerim ſcientia) quia videt rem ſicuti eſt, & non aliter, ſemper præſentem.

Obicit quartò. Si ſcientia non tranſijt in præteritum, & ſemper in actu eſt, ſed dependenter à rebus; ſequitur cognitionem Dei eſſe pendulam; ac proinde non poſſe Deum certò prædicere peccatum Petri. Hic Molina excandeſcens, doctrinam Seraphici errorem proclamant.

519 Sed obſecro mitiùs de S.D. loquatur. Ego pacatus reſpondeo, negando ſequelam, nam actus Diuini intellectus ſemper eſt præſens, vt conſtat in generatione filij; eſt etiam infinitus, vt comprehendat totam ſeriem futurorum euentuum.

Obicit quintò. Tolleretur hoc modo prouidentia Dei. Sic enim præſcientia Dei eſſet poſt euentum rerum, non ab æterno Similiter decretum Diuinum tunc tantùm decerneret, quando liberum arbitrium determinaret ſe ad opera. Quod ſi ità res ſe haberet, non poſſet Deus prouidere media: & ita tolleretur prouidentia, & prædeſtinatio. Quid enim poſſet Deus prædeſtinare?

Respondetvr, quòd licèt ille actus non tranſeat in futurum, tamen eſt perfectiſſimus comprehendens omnia, & ideò poteſt futura prouidere, & reſpectu eorum dici præſcientia.

510 Obicit ſextò è Scripturis, quæ ponunt in Deo determinatam ſcientiam, etiam præteritam. 2. Tim. 2. *Nouit Dominus, qui ſunt eius.* Epheſ. 1. *Elegit nos ante mundi conſtitutionem.* Act. 13. *Crediderunt quotquot, præordinati erant in vitam æternam.* Rom. 8. *Quos prædeſtinauit, &c.*

Respondetvr, Scripturam loqui pro captu noſtro de actibus Dei, prout à nobis tempore menſurantur; ſicut ponuntur in Deo manus, pedes, cor, &c. Vide Seraphici fundamentum.

Obicit ſeptimò. Sequeretur, prædeſtinationem dari ſecundùm merita. Probatur ſequela. Nam prædeſtinatio eſſet ſecundùm operum mutationem: Hoc autem eſt Semipelagianum.

Faber reſpondet, negando ſequelam. Quia Semipelagiani adſcribebant prædeſtinationem meritis liberi arbitrij; non autem operibus ex gratia.

Respondetvr, prædeſtinationem pendere à motiuo, quod non eſt meritum: & ità prout mutatur motiuum, mutatur & prædeſtinatio. Hoc quoque motiuum erit infallibiliter in fine vitæ.

Obicit octauò, Tolli prouidentiam, quæ ducit omnia ad ſuos fines: Ergo licèt actus Diuinæ prouidentiæ non tranſeat in præteritum; tamen priùs natura eſt illa præfinitio Diuinæ prouidentiæ. Præterea Deus præfinit aliquos actus, vt conſenſum B. V. in conceptione filij. Confirmatur. Quia prædeſtinatio, & prouidentia Dei eſt infallibilis, & immutabilis: Ergo tranſit in præteritum. 521

Respondetvr, quòd præfinitio actuum non tranſit in præteritum; ſed concurrit vnà cum voluntate creata ſimul tempore, & naturâ, & priùs ſolùm dignitate.

Sic reſolutum manet argumentum illud terribile: Ex quo inferebatur. *Iacta eſt alea*, ſi iam decretum eſt de me ad ſalutem, vel ruinam.

Ex dictis etiam reſoluuntur à D. Bonauentura ea, quæ inferunt, prædeſtinationem inducere neceſſitatem. Omnia enim inferunt neceſſitatem conſequentiæ; non conſequentis, quæ eſt antecedens, iuxta dicta in aſſertionibus cum Aſſertoribus ſcientiæ mediæ.

QVÆSTIO XXI.

An, & quomodo prædeſtinatio ſit certa.

D.Bonan. d.40 art.1.q.2.
D.Thom q.23.art.6.& 7.

ASsero primò, prædeſtinationem, & numerum prædeſtinatorum eſſe Deo certa. 522

Probatvr à D. Bonauentura primò ex Ioan. 13. *Ego ſcio quos elegerim.* Deinde è 2. Tim. 2. *Nouit Dominus qui ſunt eius.* Et ex 1. Ioan. 2. *Ex nobis exierunt, ſed ex nobis non erant.* Quem locum D. Auguſtinus ità allegat *l. de bono perſeuer. cap.* 8 vbi aduertit, fuiſſe quidem in gratia aliquando; non tamen fuiſſe præuiſos finaliter ſaluandos.

Probatvr ſecundò à S.D. è D. Auguſt. *l. de bono perſeu. c.* 14. vbi definit prædeſtinationem. *Eſt præſcientia beneficiorum Dei, qua certiſſimè liberantur, quicunque liberantur.* Et l. de corrcp. & gratia, vbi ait: *Certus eſt numerus electorum, qui non poteſt minui, nec augeri.*

Probatvr tertiò ab eodem S.D. *in fundamentis, & in corpore.* Quia Diuina prouidentia eſt exactiſſima circa omnia, & multò magis circa ſupernaturalia, quæ ſunt grauiora. Ideò Ioan. 14. ait: *In domo Patris mei manſiones multæ ſunt.* Ergo ſicut manſiones prouidit indiuiduas; præuidit qui eſſent futuri habitatores. Hac ratione vtitur Valentia *quæſt.* 23. *p.* 3. qui hinc colligit, perperam Catharinum aſſerere, aliquos ſaluari, qui non ſint prædeſtinati; ac proinde negare Diuinam Prouidentiam.

Probatvr quartò à D. Bonau. *in corpore.* Certum eſt enim, Deum ſua ſapientia attingere à fine vſque ad finẽ; & ideò videre, qui perſeueraturi ſint, & qui caſuri, at hoc ſuppoſito debet ſcire, qui, & quot ſunt electi. 523

Addit *in corpore.* S. D. certum eſſe numerum electorum certitudine immutabilitatis, quia Diuina diſpoſitio, & ordinatio non variatur, vt modò eligat

vnum ; modò alterum, ſed qui ſemel electus eſt, ſemper electus fuit,& erit.

524 Quibus verbis, vt Maſtrius allegatus *quaſt. praced.* ait, Seraphicus videtur negare doctrinam illam de mutabilitate decreti ibi allatâ,& fauere Molinæ.

VERVM ibi iam reſpondi, Seraphicum non fauere aduerſariis. Vult enim dicere, quòd cùm prædeſtinatio pendeat è Deo, & nobis; & Deus ſua præſcientia videat totum futurum curſum hominum vſque ad finem viiæ, & videat omnes, qui perſeueraturi ſunt ad finem, conſequenter præſuppoſitâ præſcientiâ motiui prædeſtinationis, & ſui beneplaciti; ſuppoſitâ etiam ordinatione mediorum, nempe vocationis ex ſcientia media cognitorum, quæ præparat, & concurſus arbitrij; certa fit prædeſtinatio; neque enim è nuda præſcientia effectuum prædeſtinationis habetur à Deo certitudo prædeſtinationis; alioqui tolleretur ipſa Diuina prouidentia circa prædeſtinationem, & præſcientia eſſet cauſa prædeſtinationis; & prædeſtinatio non eſſet per electionem, vt docent Scripturæ, *Rom.9. Epheſ. primo*, *Matth* 24. *Ioan.*6. 13. & 15. *Act.*1. & 13. quibus locis prædeſtinari vocantur electi, vt benè arguit S. Thom. *quaſtione ſexta, de ver. artic. tertio*, & infert S. Bonauentura *hic.* Quare non benè ait Nazarius ſuprà; Omnes aſſerentes, ſcientiam conditionatam actuum liberi arbitrij eſſe Deo neceſſariam ad prædeſtinandum, vt ſit infallibilis Diuina prouidentia; conſequenter aſſerere, nullam certitudinem prædeſtinationis aliter habere, quàm à præſcientia.

525 Hoc inquam malè aſſerit. Etenim non ſolùm qui ſcripſêre poſt Molinam, vt Suarez *l.*1. *de eſſentia prad. capite* 7. & 13. Valentia *hic, loc.cit.* & Vaſquez, quos ſanè concedit Nazarius admittere duplicem in prædeſtinatione certitudinem: Alteram è præſcientia; alteram ordinis ſecundùm cauſalitatem moralem, qua ſcilicet Deus per congrua media mouet infallibiliter liberum arbitrium creatum ad actus bonos, & effectus à Deo intentos; ſed etiam D. Bonauentura, qui eſt princeps aſſertorum ſcientiæ mediæ, in hac quæſtione idem aſſerit. Ibi enim *in corpore*, duplicem ponit certitudinem: Alteram è præſcientia; alteram ex decreto: Eo tamen modo, & ordine, quo dixi, *quaſtione pracedenti.* Scientiam autem mediam, *quaſtione pracedenti, ad argumentum*; aſſeruit, vt notat Maſtrius, ibi allegatus. Hæc tamen certitudo non fundatur in prædeterminatione phyſica, vt malè infert Nazarius ſuprà; hæc enim prædeterminatio à nobis eſt validè confutata *diſputat.*13. *quaſtione* 7. Et refellitur 1. 2. *tract.*4. *d.*1. *quaſtione* 4. Neque id probat argumentis, quæ ſolùm inferunt, certitudinem fundatam in Diuina diſpoſitione, provt à ſcientiæ mediæ aſſertoribus aſtruitur. Hoc pacto hæc immutabilitas non infert neceſſitatem arbitrio, vt Valentia aduertit. Quia non eſt antecedens, ſed comitans, ratione diſpoſitionis directæ per ſcientiam mediam, & ratione præſcientiæ operationis noſtræ conſequentis. Neque fauet opinioni Molinæ: Tum quia vix aliam certitudinem prædeſtinationis admittit, quàm præſcientiæ, ſi Nazario credas; tum maximè, quia & præſcientia, & decretum ſunt ſemper in actu, vt dixi *q.*20.

526 SIC autem certam eſſe prædeſtinationem, probatur à D. Bonau. *ad c.*10. ex illis verbis Chriſti: *Oues mea vocem meam audiunt, & ego vitam aternam do eis, & non rapiet eas quiſquam de manu mea. Quod dedit mihi Pater, maius omnibus eſt, & nemo poteſt rapere de manu Patris mei.* Vult dicere: Pater communicauit mihi ſuam eſſentiam, & omnipotentiam, ideo ſi oues meæ velint me audire, nemo poteſt rapere extrinſecus, ſiue latro, ſiue lupus. Idem probatur ſuprà allatis Scripturis.

Ex his habes etiam quo pacto certitudo hæc prædeſtinationis ſtet.

Remanet ſuiùm dubium: Quinam ſit numerus prædeſtinatorum?

S. Bonauentura in Diæta *tit.* 16. *c.*6. aſſerit, nume- 527
rum prædeſtinatorum eſſe nobis ignotum; ſed Deo ſoli notum, vt dicit Apoſtolus 2. Tim. 2. *Firmum fundamentum Dei ſtat, habens ſignaculum hoc, Nouit Dominus, qui ſunt eius.*

In *ſermone primo de Natiuitate Domini* ait, tot eſſe prædeſtinatos homines; quod Angeli ceciderunt.

OBIICIES primò multas authoritates, quæ indicant incertitudinem prædeſtinationis, vt Apocal. 3. *Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam.* Vbi Gloſſa. *Dum vnus labitur, alius ſubintrat ad coronam.* Et D. Gregor. ad id Iob 34. *Conteret multos*, ait, *Locum vita aliis cadentibus, alij ſortiuntur.*

RESPONDET S. Bonauentura, poſſe quidem ità fieri;
quia decretum ſemper eſt præſens, & fieri mutationem 528
ſecundùm præſentem iuſtitiam, quod eſt ſignum hæc mutare decretum, abſque Diuinæ immutabilitatis præiudicio; non tamen fieri finaliter, & hoc certum eſſe ex Diuina præſcientia vidente, quid acturi ſunt prædeſtinati, & reprobi; mutatio autem in præſcientia non fit, niſi ratione connotatorum.

OBIICIES ſecundò Gloſſam ad id Lucæ 5. *Rumpebatur rete*, vbi ait: *Non tot intrant de Iudais, quot ſunt pradeſtinati.* Ergo pauciores ſaluantur, quam ſint prædeſtinati. Et Deuter. 1. dicitur. *Addat Deus ad hunc numerum multa millia*, vbi Gloſſa: *Ad hunc numerum praſinitum in praſcientia Dei, qui nouit, qui ſunt eius.* Ergo ſi Deus addit numerum, non eſt definitus numerus prædeſtinatorum.

RESPONDET S. Bonauentura, intelligi ſecundùm 529
præſentem iuſtitiam: Sic prior Gloſſa intelligitur de tempore primitiuæ Eccleſiæ: Quia multi intrabunt tempore finalis Eccleſiæ. Altera Gloſſa intelligitur, vt plures vocentur, ac iuſtificentur, iuxta regulam latam *quaſt.*20.

OBIICIES tertiò, ſit numerus prædeſtinatorum A.B.C. & reproborum D.E.F. tunc poteſt A damnari; ſicut & è contrà, non minùs poteſt ſaluari D, quàm A. Ergo nulla eſt certitudo, quoad perſonas. Rurſus poteſt A damnari; & tunc remanent duo tantùm prædeſtinati: Ergo incertus eſt etiam numerus.

RESPONDET S. Bonauentura, non eſſe certitudinem neceſſitatis, ſed infallibilitatis; quia licèt poſſint eſſe plures, tamen nunquam erunt, & ſi eſſent, eſſent prædeſtinati.

OBIICIES quartò. Si certus, & immutabilis eſt numerus prædeſtinatorum: Ergo nullus curare debet opera bona facere, nec mala timêre, quia certò ſaluabitur; quod ſi non ſit iam prædeſtinatus, iacta eſt alea.

RESPONDETVR ex dictis *quaſt. pracedenti*, decretum 530
eſſe ſemper præſens, & in ſe mutabile, tametſi non fiat mutatio ex defectu voluntatis prauæ, quæ non mutatur in bonum, quia non vult. Itaque Seraphicus reſpondet, hoc eſſe argumentum inſanum, quod oſtendit à ſimili; Deus prædeſtinauit; An ſis victurus vſque ad annum 1690. Ad quid ergò comedes? Nonne ſic arguens, argueretur dementiæ? determinauit enim Deus, te victurum debitis mediis, non autem in omnem euentum.

RVRSVS certum eſt, nullum bonum abire irremuneratum: nec malum impunitum. Ergo nullus laborat ſine fructu: Nullus torper ſine damno. Itaque argumentum deficit arguendo, ac ſi Deus prædeſtinet in omnem euentum; at Deus non prædeſtinat hominem ad ſalutem, niſi per merita; nec reprobat,

niſi

niſi demeritos; & ideò ſalus noſtra eſt ex parte Dei quidem, ſed etiam ex parte noſtra: Et cùm ipſe velit omnes ſaluos fieri, & omnibus gratiam impertiri; ſolùm ex noſtra malitia venit defectus noſtræ ſalutis.

QVÆSTIO XXII.

An poſſit aliquis in hac vita ſcire: An ſit prædeſtinatus.

531 ASSERO de fide, neminem, citra ſpecialem reuelationem, poſſe certò ſcire, ſe prædeſtinatum. Ita definit Concilium Trident. *ſeſſ.6. cap.12. & 13.* & *can.15.* contra Caluinum, Kemnitium,& alios hæreticos, quos refellit Bellarm. *l.3. de Iuſtific. cap.3.* cum D. Bonau. *in 1. d.17.* aliiſque ſcotentiariis. Et D.Th. 1.2. *quæſt.112. art.5.* & aliis controuerſiarum ſcriptoribus. Quo decreto arbitror damnari etiam opinionem Catharini, qui cenſet, nos poſſe habere certitudinem, quamuis non de fide. Et quidem quoad id, quòd nemo ſcit: An ſit in gratia; latè oſtendetur 1.2. *tract.5. diſp.2. quæſt.7.* & 2.2. *diſp.8.*

532 QVOAD prædeſtinationem probatur à Seraphico *in 1. d.41. quæſtione 2.* ex illo Rom. 11. *O altitudo diuitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei, quàm incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius! Quis enim nouit ſenſum Domini?* Hunc locum vrget S.D. etiam *4.d.46. sub 4. litt.* afferens quoque illum 1. Cor.2. *Quis enim hominum ſcit, quæ ſunt hominis, niſi ſpiritus hominis, qui in ipſo eſt? ita & quæ ſunt Dei, nemo cognouit, niſi ſpiritus Dei.*

DEINDE id probat S.D. in Pſal.2. ex his: *Apprehendite diſciplinam, ne quando iraſcatur Dominus.* Addit è Pſal.18. *Delicta quis intelligit?* Et 1. Cor.4. *Nihil mihi conſcius ſum, ſed non in hoc iuſtificatus ſum.* Neque id dixit, quaſi confiſus fide, non iuſtitiâ operum, vt ganniunt hæretici; ſed quia neſcit illud in Dei iudicio poſitum. Ideò addit: *Qui autem iudicat me, Dominus eſt.* Sic exponunt Ambroſ. *lib. de Nabut. c.13.* Baſil. *l.Conſtit. cap.2.* Chryſoſt. *in Pſal.18.* Hier. *l.2. in Pelag.* Greg. *in cap.3. & 5. Iob.* Theodoret. *hîc.*

PROBATVR tertiò à S.D. *1.d.40. art.2. quæſt.2.* ex Apoc.3. *Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam.* Bell. *cap. 12.*

RESPONDENT tamen Caluinus *l. 3. Inſt. cap.2.* Kemnitius *in Exam. Concilij Trid.* hæc dici ad excutiendum torporem eis, qui non ſunt certi; at iis, qui certi ſunt, iniuria inferretur eorum fidei.

PROFECTO, ſi vera eſſet hæc reſponſio, Deus hortaretur ad dubitandum de his, quæ ſunt de fide; ſicuti ſi quis hortaretur, vt dubitet: An Chriſtus ſit Deus. Nam eadem certitudine aſſerunt verum eſſe vtrumque, vt aduertit ibi Bellarminus.

533 VERE quidem dicitur. *Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam*; quod aſſeritur etiam *Rom.11. 1.Cor.10. Philip.3. & Ioan. epiſt.2.* verè inquam hæc dicuntur ad excutiendum torporem, vt notat Seraphicus *hîc*; quod ſanè ineptum eſſet, ſi nobis certa, & inamiſſibilis eſſet prædeſtinatio: Ideò maxima Dei prouidentia factum ait, vt prædeſtinationem non ſciamus, vt ſollicitè operemur; ſicuti monent Scripturæ. Certum quidem eſt, prædeſtinatum ſaluandum, non tamen neceſſarium eſt, ſed à nobis pendens. Suppoſito autem noſtro concurſu certum eſt, nos ſaluandos, & licèt ex his aliqui cadant, tamen in fine reſurgent, ſicuti præuiſum eſt, modo dicto *quæſt.20. & 21.* Poſſe verò eum, qui eſt nunc iuſtus, perdere coronam, oſtendit S. Bonau. exemplo Saülis, & quadrageſimi Martyris SEBASTE, quibus rectè dici poterat. *Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam.* Hoc ſenſu allegatur locus ille à D.Auguſt. *l. de correp. & gratia, cap.13.* vt dicam *argumento ſexto.*

PROBATVR quartò à D. Bonau. *in 1. d.17. p.1. quæſt.3.* Prædeſtinatio nunquam habet effectum ſine iuſtificatione; Rom.8. *Quos prædeſtinauit, hos & vocauit, iuſtificauit, &c.* Sed nemo ſcit, ſe eſſe iuſtificatum. Minor probatur à S. D. ex Apoſtolo ſuprà adducto, & Eccleſiaſte 9. *Nemo ſcit vtrum odio, vel amore dignus ſit.* Hunc verò locum hoc pacto à PP. antiquis lectum, conqueritur Kemnitius clamans, fuiſſe deprauatum à Papiſtis. Sed iniuſtè conqueritur Nam antiquitùs fuit vera Eccleſia, vt ipſe fatetur. Et inter omnes Patres linguarum eruditiſſimus S. Hieronymus ita legit, quem proinde Papiſtam confitetur. Idem probabo latiùs 1.2. vt ſpopondi. 534

PROBATVR quintò à D. Bonau. *ex Apoc.3.* vbi Antiſtes ille, qui habebat veram fidem, & putabat ſe in gratia; & tamen fallebatur. Ideò dicit ei Chriſtus: *Quia tepidus es, incipiam te euomere de ore meo, quia dicis: diues ſum, & locupletatus, & nullius egeo: & neſcis, quia tu es miſer, &c.* Hinc arguit S. D. Hic erat Eccleſiæ Laodiceæ Epiſcopus, vt ait Chriſtus. Erat fidelis, nec fidem fingebat, vt dicit Caluinus, & putabat, ſe in gratia, & prædeſtinatum; & tamen oſtenditur ignorans. Et certè cum prædeſtinatio pendeat è perſeuerantia, & aliis Dei donis, non poſſumus eſſe certi, niſi Deus reuelet nobis illa dona nobis collata, vt arguit etiam Bellarminus. 535

PROBATVR ſextò à D.Bonau. *in corpore* ratione D.Auguſt. *l. de correp. & gratia, cap.13.* vbi aſſumens illud Apoc.3. *Tene quod habes, &c.* ait: *Quod autem etiam perſeueraturis ſanctis iſta dicuntur, quaſi eos perſeueraturos habeatur incertum, non aliter hoc audire debent, quibus expedit, non altum ſapere, ſed timere. Quis enim ex multitudine fidelium, quamdiu in hac mortalitate viuitur, in numero prædeſtinatorum ſe eſſe præſumat; quia id occultari opus eſt in hoc loco, vbi ſic cauenda eſt elatio, vt etiam per Sathanæ angelum ne extolleretur, tantus colaphizaretur Apoſtolus:* Igitur ſic Deus voluit, occultam eſſe prædeſtinationem, ne ſancti ſuperbiant. 536

OBIICIT primò Bucerus, Iacobi 1. *Poſtulet autem in fide nihil hæſitans.* Ideò vult, nos firmiter credere obtenturos ſalutem. Et Marci 11. *Qui non hæſitauerit in corde ſuo, ſed crediderit, quia quodcunque dixerit, fiat, fiet ei.*

RESPONDET Seraphicus *opuſc. de profectu relig. cap.57.* hanc deuotæ mentis confidentiam, quæ eſt donum Dei, non tamen phyſicam habere certitudinem, ſed moralem. Non enim ſcimus; An illa omninò ſit Deo accepta, vt aduertit S. D. *1.d.17. loc.cit.* Ideò Paulus, ſe ad orandum inſufficientem fatebatur, vt notat S. Bonau. in Biblis pauperum, verbo ORATIO. *Nemo enim poteſt dicere Dominus Ieſus, niſi in ſpiritu ſancto*; vt ait Apoſtolus *Prima Corinth.12.* & adnotat D Bonau. *1.d.46. dub.8. littera.* 537

OBIICIT ſecundò 1. Ioan.1. *Hæc ſcribo vobis, vt ſciatis, quia vitam habetis æternam, qui creditis in nomine filij Dei.* Vrgent alij id cap.4. *Fiduciam habemus ad Deum; & quodcunque petierimus accipiemus.* Et Rom.8. *Ipſe ſpiritus ſanctus teſtimonium reddit, quòd ſumus filij Dei; ſi autem filij, & heredes.* 538

RESPONDET S. Bonau. *Opuſc. de ſex alis Seraph. cap.8.* nos dono Dei erigi in fiduciam ſalutis, ità vt per Deum non ſtet quin ſaluemur; quia liberalis, ideò diffundit Spiritum ſanctum, & Sacramenta in Eccleſiam; dat in Scripturis promiſſiones de futura

ſalute; omnes tamen conditionales, ſi per nos non ſtabit, nempe dependenter ab operibus noſtris. Matth.5. *Niſi abundauerit iuſtitia veſtra pluſquam Scribarum, & Phariſæorum, non intrabitis in regnum cælorum.* Matth.19. *Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata.* 2. Timot.2. *Non coronabitur, niſi qui legitimè certauerit.* Quid plura? Eo ipſo loco *Rom.*8. quo ait Kemnitius iam pandi fundamentum de fide huius certitudinis, habetur: *Si tamen compatimur, vt & conglorificemur.* Docemur quidem certò, qua via æternam vitam proſequamur, vt ait Ioannes loco citato: *Vnctio Spiritus ſancti docebit vos*; quòd verò certò ſimus prædeſtinati, non docuit, ne efferamur; vt explicat Seraphicus 1.*d.*17. *loco cit.*

539 Obiicit tertiò Caluinus. *Signati eſtis ſpiritu promiſſionis ſancto, qui eſt pignus hæreditatis noſtræ.* Epheſ.1. At qui habet pignus, certus eſt de hæreditate: Ergo.

Respondet D. Bonau. *in Dieta, tit.*5. *cap.*1. pignus hoc eſſe gratiam, quæ Eccleſiæ promittitur, & ſingulis, qui ſint diſpoſiti. Itaque, qui habet gratiam, habet pignus gloriæ; At quis ſcit ſe eſſe in gratia? Profectò multi decipiuntur, putantes ſe iuſtos. Ideò dicitur Antiſtiſti illi Apoc.3. *Suadeo tibi emere aurum ignitum*, ideſt charitatem, vt notat Seraphicus, *capite ſequenti.*

540 Obiicit quartò. Prima Theſſal. cap.1. *Scientes fratres dilecti a Deo electionem veſtram, quia Euangelium noſtrum non fuit ad vos in ſermone tantùm, ſed in virtute, & Spiritu ſancto.*

Respondet S. Doctor 1. *diſt.* 45. *art.* 3. *quæſt.*1. Paulum ibi exponere tantùm è ſignis poſſe coniici eorum prædeſtinationem. Ideo *cap.*4. ait. *Hæc eſt enim voluntas Dei ſanctificatio veſtra.* Et cap.1. multa ſigna probabilia congerit, vnde ſinguli colligant ſalutem, quæ certò omnibus promittitur, facientibus Dei voluntatem. Vel dic loqui de electione ad veram fidem, quæ miraculis confirmata eſt.

541 Obiicit quintò Kemnitius id Rom 8. *Quos prædeſtinauit, hos & vocauit; quos vocauit, hos & iuſtificauit: quos iuſtificauit, hos & glorificauit.* En (ait Kemnitius) de fide eſt, vocatum de ſua prædeſtinatione eſſe certum.

Respondet D. Bonau. primò *d.*40. *art.*3. *quæſt.*1. *argumento vltimo*, non omnem vocationem eſſe effectum certum prædeſtinationis; ſed ſolùm illam, quæ eſt ſignum propoſiti æterni, ſeu quæ eſt ex propoſito. Nam vt dicitur Matth. 22. *Multi ſunt vocati, pauci electi.* Itaque argumentum Kemnitij à Chriſto redarguitur. Hæc eſt reſponſio D. Auguſtini *l. de Bono Perſeuer. cap.*13 & Seraphici *l.*1. *Compendij Theol. cap.*30. vbi dicit. Prædeſtinationem eſſe propoſitum miſerendi, cuius effectus eſt vocatio efficax ad illud conſequendum. Idem habet *in Dieta, tit.*5. *cap.*1. Quare de his dicitur Rom.8. *Omnia cooperantur in bonum his, qui ſecundùm propoſitum vocati ſunt ſancti.* Tandem addo, ibi *Rom.*8. loqui Apoſtolum conditionaliter. *Si tamen compatimur, &c.* vt dixi.

542 Obiicit ſextò. Ioan.10. *Nemo rapiet eas de manu mea.*

Respondet S. Bonau. in Commentario, hinc ſolùm haberi certitudinem in Diuina præſcientia, non autem in ſcientia noſtra; ſtultè enim arguitur. Deus ſcit prædeſtinatos non rapiendos ſibi: Ergo nos ſumus abſque dubio prædeſtinati, & de fide hoc nouimus.

Obiicit ſeptimò 1. Corinth.1. *Confirmabit vos vſque in finem.*

Respondet S. Bonauent. *in Appendice Dieta Dom.*18. *poſt Pentecoſt.* hæc dici, quia finis ſolus eſt, qui coronabitur. Ideò hortatur ad perſeuerandum in ſanctitate, ſperando non defuturum ex parte Dei, ſi nos partes noſtras exequamur. His ferè reſpondet & Bellarminus.

Sanè promiſſa Dei vbique ſunt conditionata. Quid ergo blaterant hæretici Pauones? Infanda verò eorum vna quam ſecuritatem exhibet? Sectariorum abominationes è grauibus collectas Authoribus ſcribit P. Zacharias Bouerius in aureo opere fidei ſanctæ.

Sana è bonis operibus vſque in finem pendet ſalus, vt clamant Scripturæ. Id autem ignoramus: an facturi ſimus. Ideò Chriſtus Matth.24. *Qui autem perſeuerauerit, hic ſaluus erit*, & Apoc.3. *Tene quod habes, &c.* & Paulus 1. Cor.10. *Qui ſtat videat, ne cadat.* Ideò iuſtis etiam minatur *Deut.* 28. *Ezech.* 33. *Pſal.*2. Ecquis igitur certus eſſe poteſt abſque reuelatione? infert D. Auguſt. *l.*11. *de ciu. cap.*12.

Profecto. *Non coronabitur, niſi qui legitime certauerit.* At militia eſt vita hominis trepidanda *Iob* 31. Quamdiù in certamine nulla eſt certa victoria, vt ait D. Hier. cont. Pelagianos.

DISPVTATIO XXII.

De Reprobatione.

Oppositorvm naturalium eadem eſt ratio, & ità ex vno oppoſito alterum agnoſcitur.

Reprobatio ſanè eſt Prædeſtinationi oppoſita, ſed moraliter; & ideò licèt non omnia ex prædeſtinatione colligantur, quæ de reprobatione dicenda ſunt; multa tamen deducuntur.

QVÆSTIO I.

An detur Diuina Reprobatio.

Reprobare eſt rem aliquam abiicere, tanquam malam. Ideò etiam nomine reproborum mali intelliguntur; de quibus Eccl.9. *Speciem mulieris multi admirati reprobi ſiunt*; Et 1. Cor.9. *Caſtigo corpus meum, ne reprobus efficiar.* Hoc pacto reprobi dicuntur *vaſa iræ.* Rom.9. *Vaſa in contumeliam.* 2. Tim.2. vt notat D. Bonau. *d.*41. *quæſt.*2. *arg.*3. *ad opp.* Odio à Deo habiti, & quidem, vt odium Dei includit reprobatio, aliqui dixère ſolùm metaphoricè eam eſſe in Deo; eò quòd in Deo non ſit propriè odium. Ità Aureol. 1. *d.*41. *art.*3. *prop.*4. Sed hæc confutata ſunt *diſp.*18. *quæſt.*1. 1

Assero, dari in Deo abſolutè reprobationem. 2

Probatvr à D. Bonau. 1. *d* 41. *quæſt.*1. ex illo Rom.9. *Eſau odio habui*, vbi Gloſſa *Eſau, ſubtractâ gratiâ, per iuſtitiam eſt reprobatus.*

Probatvr ſecundò *arg.*2. *& corpore.* In reprobatione tria includuntur noſtro modo concipiendi. Odium æternum, Obduratio temporalis, & finalis Damnatio, ex D. Auguſt. Sed hæc omnia dantur: Ergo. Idem habet Seraphicus *l.*1. *Compend. Theol. cap.*30. vbi è D. Auguſt. *Reprobatio dicitur præſcientia iniquitatis quorundam, & præparatio damnationis eorum.* Circa quæ verba conſiderat S. Bonau. *d.*40. *dub* 3. *litt.* hoc nomen præſciti, quamuis etiam prædeſtinatis conueniat,

conueniat, vt dixi *diſp.21.quæſt.2.* & habetur Rom.8.
3 *Quos præſciuit, & prædeſtinauit*; attamen ſpeciali ratione reprobis adſcribi, quia in negotio reprobationis Deus ſe habet conſequenter in operando, & ex præſcientia operationum, ipſeque nihil operans reprobat; vnde ſe habet potiùs videndo, quàm operando è placitò: at in prædeſtinatione ſcientia Dei magis trahitur ad praxim; quia Deus circa totum effectum operationum bonarum operosè ſe habet; ideò electio horum dicitur prædeſtinatio; at reprobatio illorum dicitur præſcientia, quia præſcientia dicitur cognitio etiam eorum, quæ non fiunt à præſciente. Ideò ad ſignandum Deum eſſe cauſam omnium bonorum, quæ electis adueniunt; dicitur prædeſtinatio; at verò vt oſtendat Deus, ſe non eſſe cauſam malorum, quæ reprobis adueniunt, vocat eam præſcientiam. Idem reſpondet D.Th. 1. *d.40. quæſt.4.* Alenſis *p.1. quæſt.29.m.1.*

QVÆSTIO II.

Quid ſit Reprobatio.

4 PROFECTO hæc eſt actus Dei immanens. Aliqui dicunt eſſe actum ſolius intellectus. Ita Thomiſtæ nonnulli, & Granadus *Tom.2. controu.4. tract.5. d.2.*

Alij volunt, eſſe actum præcipuè intellectus. Ità Suar. *l.5. cap.4.* Ribas *d.7. cap.2.* referentes Angelicum *art.3.* Alij volunt conſiſtere in vtroque: Ità Alenſis *p.1. quæſt.29. m.2.* Richard. *d.41. art.1.* Videtur D.Thomæ *loc. cit.*

Seraphicus vult eſſe actum præcipuè voluntatis. Oppoſitorum enim eadem eſt ratio: At approbatio eſt voluntatis præcipuè: Ergo. Sic *d. 40. quæſt. 2.* D.Thom. *quæſt. 6. de verit. art.1.* Durand. *diſt.40. quæſt.2.*

ASSERO cum hac ſententia, reprobationem eſſe præcipuè actum diuinæ voluntatis.

PROBATVR à D. Bonau. Quando plura ad actum conueniunt, id dat eſſe formale, quod dat eſſe vltimum. Sed ad reprobationem concurrit intellectus reiiciens, & voluntas, contraria approbanti, & hæc complet: Ergò.

NON tenuit tamen S.D. ſecundam opinionem; ſic enim & reprobatio alicuius opinionis practicæ intellectûs præcipuè dicit actum.

5 DEFINITVR Reprobatio à D. Auguſt. *l. 1. ad Simpl. quæſt.2. epiſt.105.* & alibi apud D Bonau. *l.1. Compend. Theol.* cap. 31. *Eſt præſcientia iniquitatis quorundam, & præparatio damnationis.* Seu: *Eſt propoſitum non miſerendi.* Hinc opinio Seraphici elucet: Definitio autem quæſtionibus explicabitur.

QVÆSTIO III.

An detur in Reprobis cauſa Reprobationis.

6 PRÆNOTANDA eſt diſtinctio illa vulgaris Reprobationis, in Poſitiuam, & Negatiuam. Negatiua eſt carentia electionis ad gloriam, quàm aliqui vocant permiſſiuam, eamque admittunt præcipuè omnes, qui dicunt, primum actum Prædeſtinationis fuiſſe electionem ad gloriam, ex mero beneplacito, nullis meritis. Itaque illo primo actu Deus eligens aliquos ad gloriam, reprobauit cæteros negatiuè, quatenus elegit aliquos; cæteros non. Reprobatio autem poſitiua, eſt poſitiua condemnatio reproborum.

HANC diſtinctionem admittunt Scotus 1. *d. 41. §. contra iſtud*, & antiquiores Scotiſtæ ibidem, præcipuè Lichet. Baſſolis *quæſt vn.* Smiſing. *d.6.quæſt.11.* Poſnan. *l.1. cap.3. quæſt.6.* Vulpes *d.40. art.2. & 3.* & cæteri relati *d.21. quæſt.12.* qui ſuſtinent prædeſtinationem ante præuiſa merita, præſertim Suarez *l.5. de Reprob. cap.4.* Faſolos *p.1. quæſt.23. art.3.* citans multos, etiam Thomiſtas. Lezana *tract.4 d.12. q.1.2. & 3.* Macedo *Collat.12. Differ.1.* Perez *de Prædeſt.* plurimos adducentes, maximè S. Auguſtinum, Maſtrius *d.5. quæſt.3. art.3.* Tannerus *d.3. quæſt.7. dub.1. num.12.* Corduba *l.1. quæſt.56. opin.5.* Bellarm. *l. 2. de gratia, cap.16.* eſſeque diſtinctionem plauſu acceptam, etiam in ſchola D. Th. aſſerit Vaſquez *d.95. cap.2.* Eam etiam accipit Trigoſius *quæſt.18. art.10. dub.4.not.5.* & Corjolanus *quæſt.23. art.8. §. Tertiò notandum*, ait multò magis admittendam hanc diſtinctionem in via D.Thomæ, & D. Bonau. Nam ſuppoſito, quòd prædeſtinatio facta ſit poſt præuiſionem peccati Originalis, cùm è maſſa perditionis eruit Petrum; non Iudam, negatiuè ſe habet circa iſtum pro eo inſtanti rationis. Eam videtur admittere S. Auguſt. paſſim, quam nonnulli dicunt factam ante præuiſionem omnium peccatorum; pro hac verò acta reprobatione damnationis in completa, quæ eſt negatiua; Citatur *de bono perſeuer. cap 9.* vbi eam vocat non 7
electionem; *de correp. & grat. cap.7.* vbi eam vocat, non prædeſtinationem. *De bono Perſeu. cap.9. & 14.* & *de correp. & gratia cap.9. & 13.* vocat non diſcretionem, à maſſa perdita, & damnata. *De prædeſt. Sanct. cap.3. 16. & 18.* De *bono perſeu. cap.8. & 9.* vocat eam, non conſecutionem ſortis: hanc verò ſeparationem prædeſtinatorum, & reproborum refert in ſapientiſſimam, & inſcrutabilem Dei voluntatem, non quia ex nullo motiuo viſo in illis, vt putant omnes ferè ſuprà relati; ſed quia non adhuc elucent propriè merita, ſed ſolùm aliqua ratio congrua nobis occulta, nec Deum obligans; vt docet D. Bonau. *d.41. quæſt.2.* Altera verò reprobatio, quæ poſitiuè excludit à regno cælorum, & damnat; vocatur à D. Auguſt. Iuſtum Dei iudicium, ſeu iudicialis ſententia *l. de correp. & gratia, cap.10. De bono perſeu. cap 8.11.12.14.* & aliis locis. Vbi obſerua pro ſententia Seraphici, reprobationem etiam negatiuam vocari à D.Auguſt. locis primò allegatis, *Iuſtum Dei iudicium*; vt oſtendat eam non ex mera Dei voluntate fieri.

QVARE frigida eſt Maſtrij expoſitio *d.5. quæſt.3.* 8
num.249. & 259. id vocari *iuſtum Dei iudicium*, quatenus Deus, ne videatur iniquus, neminem à regno cæleſti pro eo ſigno excludit, & ad pœnam deſtinat; ſed ſigna poſteriora expectat, in quibus eorum demerita præuidens, eos poſitiuè reprobat, & pœnis deſtinat. Profectò illud non eſſet iudicium diſcretiuum æquitatis, ſi nihil amplius videret in Petro, quàm in Iuda; & illum eligeret cum cæteris, relinquendo Iudam voluntate efficaci hunc nunquam eligendi, ſeu diſcretionem illam immutandi, qua iſte certiſſimè non eſt liberandus. Quod enim eo inſtanti Deus dicatur habere voluntatem complacentiæ eos ſaluandi, parum iuuat; dum antecedenter abſque motiuo aliquo à ſalute omninò eos excludit, quam conſequentiam optimè vidit Cornexo. Neque verum eſt, quod aiunt Maſtrius *num.261.* & Lichetus *d.41. ad ſecundum dubium*, Deum ità ſuſpensè circa reprobos pro eo inſtanti ſe habere, vt poſſit poſteà eligere reprobos. Hæc enim ſunt inauramenta: nam primum illud decretum non eſt abſtractiuum, vel imperfectum, ſed determinat quotquot ſaluandi ſunt; & ità numerus ſaluandorum ibi determinatur.

QVAPRO

9 Qvapropter ita in primo ſigno elegit hos; vt nolit eligere illos, vt notat Suar. *l.5.cap.4.* & Scotus *in 1. d.47. quæſt. vn. §. Reſpondeo*; vbi ait. Deum pro illo inſtanti habere actum reflexum ſuper iſtam negationem electionis ad gloriam, vel gratiam, quo actu reflexo noluit eligere reprobum, dum elegit prædeſtinatos; ac proinde electionem illorum habere concomitantem voluntatem non eligendi cæteros, vt aſſerit etiam Smiſing.*concl.5.*& concedit Maſtrius *n.266.* cum Tannero *d.3. quæſt.7.dub.1. num.18.* Faſolo *q.23. art.3.* & aliis. Quo tamen conceſſo, implicat id, quod concedunt Suar. *loc. cit.* Bannes *quæſt.23. art.3.* Nazar. *controu.1. §. Tertiò diſtinguenda*; & alij, Deum pro eo inſtanti habuiſſe voluntatem complacentiæ de reproborum ſalute, vt arguit Arriaga *d.39. ſect.2. num.24.* Quo enim pacto eos, quos efficaciter ſtatuit antecedenter non eligere, adhuc vult eligere quantùm ex ſe eſt?

10 Similitar implicat id, quod ait Maſtrius *n.266.* actum illum reflexum non eſſe terminatum ad gloriam, ſed ſolùm ad non electionem; ac proinde pro eo ſigno nihil determinari de reprobo. Obſecro enim; actus reflexus nonne habet adnexum actum poſitiuum concomitantem. *Nolo dare illis gloriam?* Inaue enim eſt, actum illum terminari ad non electionem efficaciter, & non terminari ad gloriam, cùm electio ſit correlatiua gloriæ, quam reſpicit vt obiectum; & ſine qua non eſt electio. Cuius enim eſſet electio? vel ad quid? forſan nullius, & ad nihil. Hæc profectò relatiua ſunt, atque adeò ſemel conceſſu, actum illum terminari ad non electionem; terminatur concomitanter, & conſequenter ad homines non eligendos ad gloriam.

11 Neqve Seraphicus eam reprobationem nudam negatiuam admittit, ſed cum actu poſitiuo volendi non eruere, quam in quæſt. demeritis reprobi inurit; licèt de prædeſtinatione aliter loquendum doceat, quod probat in corpore *quæſt.2.* argumento, quo nititor & Valentia. Nam permiſſio, à qua incipit effectus reprobationis, eſt iuſtiſſima: Ergò ex culpa: Ergò & reprobatio iuſtiſſima cenſenda eſt.

Sciendvm ſecundò, Reprobationem eſſe actum Diuinæ prouidentiæ; atque adeò ſuos effectus habere, qui profectò debent eſſe effectus Dei.

12 Ex quo deducit Seraphicus *d.40. quæſt. vlt.* & alij Theologi ibi cum Magiſtro, & D.Th. *quæſt.23. art.3.* peccatum non poſſe eſſe effectum reprobationis, quia non poteſt eſſe effectus Dei. Reprobatio enim eſt actus immanens Dei, ac proinde effectus eius debent à Deo eſſe. Hanc ideò differentiam conſtituit S. Bonau. *d.40. dub.3. litt. & d.41. quæſt.1.* inter prædeſtinationem, & reprobationem, quod cùm merita ſint cauſa vltimi effectus prædeſtinationis; & demerita ſint cauſa vltimi effectus reprobationis; nihilominus merita ſunt effectus prædeſtinationis: demerita verò non ſunt effectus reprobationis; quia merita ſunt è Diuina intentione, & præparatione; demerita autem non ſunt hoc modo à Deo, quia repugnant Divinæ Bonitati, & voluntati eius. Hæc eſt doctrina omnium Catholicorum calculis ſancita, vt notat Suarez *l.5.cap.1.* & Tannerus *d.3. quæſt.7. dub.2.*

Impia proinde horribilis blaſphemia eſt Caluini *l.1. Inſt. cap.18. ſect.2. §.7.* Zuinglij *tom.1. ſerm. de Prouid. Dei*, & Sectariorum, poſt Lutherum *art.36.* & *l. de ſeruo arbitrio*; Peccatum eſſe effectum Dei reprobantis, mouentis, & impellentis reprobos ad peccata. Hanc ſatis exploſi *d.16. quæſt.13.* Et manifeſtis Scripturæ teſtimoniis refellitur Pſal. 5. *Non Deus volens iniquitatem tu es.* Sap.14. *Similiter ſunt odio Deo impius, & impietas.* Eccl.15. *Non dicas ille me implanauit: non enim neceſſarij ſunt ei homines impij.* Iacobi 1. *Nemo, cùm tentatur, dicat: quoniam à Deo tentatur Deus enim intentator malorum eſt; ipſe autem neminem tentat.* Ideo errorem illum fulmine impetit Concilium Trident. *ſeſſ.6. can.6.*

13 Ex eo errore Caluinus infert *l.1. Inſt. cap.18. §.4. & l.3. cap.21. §.25. & cap.22. §.3. & cap.23. §.2. & 3. & cap.24. §.2.* nullam ex parte reprobi dari cauſam reprobationis negatiuæ, aut poſitiuæ, nec quoad vltimum effectum, qui eſt damnatio æterna, & pœna, tam ſenſus, quàm damni. Quæ eſt ſæua nimis in Deum blaſphemia, vt oſtendit Bellarm. *l.2. de ſtatu peccati, & l.2. de gratia*, & damnatur in Concilio Trident. *ſeſſ.6. can.4.5. & 6.* *Quoniam Deus mortem non fecit; nec lætatur in perditione viuorum.* Sap.1. vt ibi latè oſtendit S. Bonau.

De hac quæſtione tres claſſes dantur opinionum. Duæ extremæ, & tertia media: quæ tamen maiori ex parte ſunt de nomine; ſi credas Vaſquio *d.95.*& Tannero *d.3. quæſt.7. dub.3.*

14 Prima opinio extrema eſt eorum, qui exiſtimantes, omnem permiſſionem peccati in reprobo eſſe effectum reprobationis; aſſerunt, nullam reprobationis dari cauſam in reprobo; ſed eodem ſigno Deum prædeſtinare aliquos ad gratiam, vel ad gloriam; & alios excluſiſſe poſitiuè. Huius opinionis videtur D.Th. *p.1. quæſt.23. art.5.* Nam in *ſolutione tertij*, videtur in hoc æquiparare reprobationem prædeſtinationi. Ità Caietanus, & Bannes: Idem tenent Ferrar.3. *cont. G. cap.161.* Durand. *1.d.41. quæſt.2. n.14.* Gregor. Arim. *quæſt.2. concl.4 & 5.* Marſilius *q.41. art.2.* Driedo in Concord.*p.1.cap.3.* Adamus Saſbout *ad 9. Rom.* Salmaticenſes *quæſt.23.art.5.* Aluarez *l.11. de auxil. d.110.* Nazar. *quæſt.23. art.5. concl. vlt.* Itaque non ſatis conſequenter ad ea, quæ dixit *art.3.* ſuprà cit. Deum abſolutè neminem excluſiſſe à gloria, niſi per ordinem ad peccatum, quod repetit *hic, concl.4.* mox aſſerit *concl. vlt.* ſimpliciter abſolutè loquendo, ſicut non datur cauſa prædeſtinationis ex parte prædeſtinati; ità nec reprobationis ex parte reprobi. Quam ſententiam ſuſtinent etiam Zumel. ibi *d.4. concl.2.* & alij recentes Thomiſtæ. Hanc opinionem grauiter reprehendunt Daniël *d.40. cap.2.* Cathatinus *l.2. de prædeſt.* à principio; Horantius *l.3. locorum Catholicorum*; Viguer. *Inſt. cap.20.* Pennottus *l.7. cap.3.* aliique apud Soarez *l.5. de reprobatione, cap.3. num.6.* Macedum *ſect.1.*

15 Inter alios verò reprehenditur Granado *tract.6. d.2.* vbi vult, Deum, vt ſuam iuſtitiam punitiuam, & ſingularem affectum erga prædeſtinatos oſtenderet, eam voluntatem efficacem damnandi reprobos, habuiſſe etiam ante præuiſa peccata eorum; imò & ante voluntatem eos creandi: Ex eo enim fine, vt damnarentur, ad oſtenſionem iuſtitiæ eos creatos fuiſſe, arbitratur; non minùs quàm ex animo efficaci, vt ſaluarentur, prædeſtinati fuêre producti. Vnde concludit, etiam ſumptâ reprobatione pro voluntate efficaci damnandi ad pœnam, non habuiſſe vllam ex parte noſtra cauſam. Hanc opinionem cum hæreticorum ſententia, re, & verbis conſentire clamat Maſtrius *d.5. quæſt.3. art.1. num.235.* Verùm non aſſerit Granado, Deum reprobos impellere ad peccatum, vt notat Arriaga *d.3.* Attamen id etiam ſequi, vrget Maſtrius *num.237.* Nam ſi Deus antecedenter reprobaſſet efficaciter, etiam ad damnationem, quæ ſine peccato non incurritur, conſequenter ſequitur, Deum prouocare debere efficaciter, vt reprobus peccet, ne Diuina voluntas fruſtretur, quæ efficax præſupponitur. Equidem arbitror cum Arriaga, non aſſeruiſſe Granado hoc ſenſu.

16 Propterea omnes communiter ſentiunt, Deum non reprobare poſitiuè aliquem è mero ſuo beneplacito. Alenſis *quæſt.28. m.3. art.1.* D.Bonau. *d.41. q.1. & 2.* quem ſequuntur D.Th. *quæſt.6. de verit. art.1. ad vlt. & p.1. quæſt.23. art.3. & 5.* vbi conſtanter docet hominem, prout obiicitur reprobationi poſitiuæ, ſupponi dignum irâ propter peccata; vt aduertit Smiſing. *d.6. quæſt.11. num.693.* neque vſquam illam ſententiam primam aſtruit; ſed ſolùm nullam dari cauſam, ob quam hic potiùs prædeſtinetur; alius non. Quæ eſt propoſitio etiam Driedonis, & Durandi, vt obſeruat Vaſquez. ſequitur Scotus *d.41. quæſt. vn. §. Poteſt aliter dici*; vbi Mauro *quæſt.4.* Baſſol. *quæſt. vn. art.4.* Faber *d.59.* Poſnan. *1.d.41. diſp.vn.* Poncius *d.7. quæſt. vlt.* Vulpes *d.40. art.4.* Suarez *l.5. de reprob. cap.3.* Vaſquez *d.95.* Molina, & Valentia *p.1. quæſt.23. art.5.* Amicus *d.16. ſect.2.* Lezana *tract.4. d.12. quæſt.2.* Pennottus *l.7. cap.3.* Nazar. ſuprà *concl.4.* Auerſa *ſect. 29.* Tannerus *d.3. quæſt.7. dub.3. num.27.* Maſtrius *d.5. quæſt.3. art.1. num.240.* Morandus *num.501.* Macedo afferens S. Thomæ præclara teſtimonia *in cap.9. Rom. lect.3. De ver. loc. cit.*

17 Plurimi verò adhuc non ſatis habentes, ad extremum tendunt dicentes, omninò totius reprobationis, & omnium effectuum dari cauſam. Ità D. Bonauent. *d.41. quæſt.1.* quem ſequuntur Henricus *quodl.4. q.19. & quodl.8. quæſt.5.* Heruæus *1.d.40. quæſt. vn. art.2.* Gabriël, & Ocham *1.d.41.* Echius in Chryſopaſſo *centur.3. num.51.* qui & *centur.1. num.91.* multos alios pro hac ſententia refert. Sotus *in cap.9. ad Rom.* Molina *hîc, quæſt.23. art 5. d.3.* Zumel *quæſt.23. art.5. d.4. concluſ.4.* licèt paulò infrà aliam ſtatuat concluſionem, dicens: Simpliciter, & abſolutè loquendo, ſicut prædeſtinationis non datur cauſa ex parte prædeſtinati; ità neque reprobationis datur cauſa ex parte reprobi. Hoc autem contradicit ſupradictis, vt indicat Maſtrius *num.267.* quem errorem antèa obſeruaui ego in Nazario, qui eiſdem ferè verbis vtitur. Nam ſic arguo. Ità ſe habet per te prædeſtinatio, ſicut & reprobatio: Sed prædeſtinatio actiua eſt, & in tota ſua entitate poſitiua nullam per te habet cauſam in prædeſtinato: Ergo neque reprobatio. Ita igitur omnes, qui tenent dari cauſam prædeſtinationis, idem aſſerere tenentur de reprobatione, eos verò adduxi *diſp.21. quæſt.20.*

18 Media verò ſententia docet reprobationis quidem poſitiuæ dari cauſam in reprobo; non tamen negatiuæ, & huius ſententiæ videtur Princeps Scotus, quem omnes ferè Scotiſtæ ſecuti ſunt apud Maſtrium ſuprà. Suar. *l.5. cap.3.* plures referens; Vaſquez *d.95.* Becan. *cap.15. quæſt.3.* Arrubal *d.88. cap.2.* Herize *d.33. cap.3.* Ribas *d.3. num.97. & d.7.* Caſpenſ. *d.5. ſect.2.* Trigoſ. *quæſt.18. art.10. d.4.* Corjolanus *quæſt.23. art.9.* Hi duo poſtremi Commentatores D.Bonau. ad hanc ſententiam illum protrahunt. Hoc autem oſtendere ſe putat Corjolanus, quia S.Bonau. *in corpore* ait: *Simpliciter loquendo quoad principale ſignificatum, neque prædeſtinatio, neque reprobatio cadit ſub merito.* Hæc autem oppoſitum aſtruunt: nam per principale prædeſtinationis intelligit S.Bonau. ſubſtantiam actus; vt eſt Deus, qui non poteſt habere cauſam. At ratione connotati, ideſt reprobi, vel prædeſtinati, dari cauſam, clariſſimè reſonat.

19 Aliqui diſtingunt dicentes, reprobationis à gloria dari cauſam ex parte adulti, nempe peccata; at reprobationis à gratia congrua negant dari cauſam. Ita Vaſquez *cap.5. & 6.* & ait Tannerus id aſſerere debere omnes, qui dicunt, prædeſtinationem ad gratiam congruam fieri ante præuiſa merita; ad gloriam verò non niſi ex meritis.

Qui itaque docent dari cauſam reprobationis, varij ſunt in ea aſſignanda. Aliqui enim dicunt, eſſe peccatum Originis. Ità in peccati huius, quamuis remiſſi, pœnam aſſerunt denegari omnia auxilia actualia, quæcumque non conceduntur reprobis.

Refertur pro hac ſententia D.Th. *quæſt.6. de verit. art.2. ad 9. & in cap.8. epiſt. ad Rom. lect.3. & 4.* Valdenſis *tom.1. p.1. l.1. cap.27.* & fauère videtur S August. *epiſt.105. & 106. in Enchir. cap.57. de prædeſt. Sanct. cap.14. l.5. in Iulian. cap.15. l. de corrept. & grat. cap.13.* Quare ſapiens Macedo *ſect.2.* ait, neminem de eo dubitare; ideo potiùs S.Patrem à nonnullis carpi. Quod ſanè fundamentum Romæ iaciunt pro tota Societate Patres illi doctiſſimi aſſertores, ex mente Auguſtini *in L. prop.13.* Eandem teneri defendere optimos Thomiſtas, imò & Scotiſtas, ait Macedo, qui miratur, Maſtrium profitentem in veſtigiis Auguſtini, & Scoti, pedem figere, ab eis deuiare *d.5. quæſt.3. art.4. num.269.* eumque corrigendum tradit Suario *l.5. cap.3.* vbi probabile cenſet, Deum, præuiſo originali, negaſſe quibuſdam gratiam congruam largiri; non tamen præparaſſe conſultò incongruam. Quod redolet paradoxum. Itaque reprobationis negatiuæ cauſam exiſtimat, vel Diuinam voluntatem ſolam, vel peccatum Originis. Reprobationis autem poſitiuæ eſſe peccata: & quidem in paruulis eſſe Originale, prout durans ad finem vitæ: in adultis verò eſſe peccatum finale. Ità & Fulienſis *l.1. cap.20.*

Alii docent, cauſam illam eſſe, non peccatum Originis à ſingulis contractum, ſed peccatum primi Parentis. Ob hoc enim iuſtè denegari putant omnem gratiam efficacem, quæcunque denegetur. Ità Vaſquez *num.16.*

Alii docent; cauſam totius reprobationis, quoad vtrumque effectum, ideſt permiſſionem peccati, & pœnam æternam in adultis, eſſe peccata actualia eorum, in finem durantia, ob quæ damnantur; ſupponunt autem non quamlibet permiſſionem peccati; ſed illam, quæ in pœnam præcedentis peccati ſtatuta eſt, & vocatur obduratio, eſſe effectum reprobationis. Ità Gregor. de Valentia *quæſt.23. p.2. puncto 3.* vbi allegat Seraphicum, Angelicum, & alios. 20

Sententia Seraphici adeò clara eſt, vt mirer eius Commentatores aberrare. Duas autem quæſtiones de hac re inſtituit *d.41. art.1.* vbi ſuam promit ſententiam. In priori quærit: An prædeſtinatio, & reprobatio cadat ſub merito. Et reſpondet, quoad reprobationem, non cadere ſub merito quoad actum propoſiti, quia eſt Diuina entitas æterna; cadere tamen ſub merito quoad connotatum; nam duo effectus reprobationis, qui ſunt obduratio, ſeu permanentia in peccato vſque ad finem; & pœna æterna, ſunt effectus peccati. Itaque concludit reprobationem habere cauſam, ideſt, malum meritum. 21

In altera verò quæſtione diſcutit: An prædeſtinatio, & reprobatio negatiua habeat rationem motiuam. Rurſus autem ſupponit, actum æternum, qui eſt Deus, non poſſe à nobis aliquâ diſpoſitione congruâ, ne dum condignâ, mereri. Mox refutat opinionem dicentium, reprobationem negatiuam, nullum habere motiuum, & habet hanc rationem. *Si enim non eſſet alia ratio, quare iſtum eligit; & illum non, niſi quia placet, certè iam non occulta dicerentur Diuina iudicia; ſed manifeſta, cùm quilibet hanc rationem capiat; nec dicerentur mirabilia, ſed potiùs voluntaria. Et propter hoc eſt dicendum, quod propoſitum illud æternum, ſicut dicit D. Auguſt.* I.1. Retract. cap.23. *& habetur in littera. & voluntas illa eſt rationabiliſſima, & rationem habet, & ſicut ab æterno fuit; ità ab æterno rationem habuit, non aliam propter eſſentiam, ſed* 22

propter

*propter connotatum. Quid autem ſit illud in electione ho-
minum, vel reprobatione, nobis non eſt omninò notum,
nec omninò ignotum.* Eadem habet *in Compend. Theol.
cap.31.* Ità verò diſtinguit, vt prædeſtinatio habeat
cauſam motiuam, quæ non excludit miſericordiam;
& reprobatio habet cauſam iuſtam, quæ eſt demeri-
tum: vnde confirmat de reprobatione id, quod dixe-
rat quæſt. præcedenti.

23 QVOAD infantes, ſentit, Deum, etiam præuiſâ
labe originis, voluiſſe eos ſaluare, vt potes colligere
è S.D. *d.46. quæſt.1.* vt oſtendi *diſp.16. quæſt.6. &
diſp.21. quæſt. 12. in fundamentis*, & mox reſci-
cabo.

Itaque reliquum eſt, vt peccatum Originis in in-
fantibus ſit cauſa reprobationis; non vt ſemel con-
tractum; alioqui non præparaſſet illis remedium ſa-
lutis, vt oſtendam *quæſt.5.* ſed pro vt durat in finem
vitæ, ex occulto Dei iudicio, quod inter cætera ad-
mirandum docet D.Auguſtinus.

24 SIC igitur inſtantia, aut ſigna rationis in mente
Dei conſtituuntur è D.Bonau. *hic, & in 3. d.1. art.2.
quæſt.2.* In primo ſigno habuit Deus voluntatem com-
placentiæ communicandi ſuam bonitatem, & qui-
dem modis expreſſis, inter quos occurrit creatio in-
tellectiuæ, & liberæ creaturæ, Imaginem Dei ha-
bentis; nempe Angeli, & hominis. In ſecundo ſigno
vidit, tales creaturas, ſi conderentur, lapſuras. In
tertio ſigno vidit Angelum non eſſe congruè redi-
mendum; ſed hominem, quippe minori malitiâ pec-
caret tentatus. In quarto ſigno edidit decretum. *Crea-
bo hominem*, vt, ſi ceciderit, redimendo meam oſten-
dam bonitatem, quam maximè exercere voluit in
Filij Incarnatione; & ità voluntatem habens com-
placentiæ de omnium ſalute, præparauit omnibus
merita Chriſti; vt ait D. Bonau. *d.46. quæſt.1.* In
quinto ſigno vidit aliquos benè vſuros mediis con-
gruis; alios malè: & illos elegit, tamen miſericor-
diter; relinquens iſtos demeritos. In ſexto ſigno de-
creuit, benè vtentibus dare perſeuerantiam, & ex
meritis gloriam; reliquos autem peccatis mortalibus
lapſos, adiuuare quidem, ſed in malitiâ permanentes,
pœnis æternis deſtinare.

25 QVOAD infantes verò aliquos vidit in quinto ſig-
no, relictos curſui naturæ, non eſſe aſſecuturos me-
dia ſalutis, ideſt Baptiſmum in teſtamento nouo; vel
Circumciſionem in veteri pro Iudæis; ſed morituros
labe Originis conſputcatos. Eos igitur à regno cælo-
rum proſcripſit; ità tamen, vt nihil ſenſu patiantur,
nec damnum priuationis gloriæ agnoſcant; ſed natu-
rali ordine lætentur, aut ſaltem nihil pœnæ ſenſus
patiantur, terram incolentes. Hæc eſt D. Bonau. ſen-
tentia, vt omnes ferè illi adſcribunt. Sic enim conſe-
quenter loquitur. Vnde ait Vaſquez *num.64.* Non
miror, ſi Bonauentura, Alexander; & Henricus fa-
teantur, eſſe in noſtra poteſtate non prædeſtinari,
quando ipſi affirmant, ex nobis eſſe cauſam, aut
conditionem, vt ſimus prædeſtinati, cùm vtriuſque
eadem ſit ratio. Idem refert Tannerus *num.23.* cum
Seraphico eſt recens Gregor. Ferrarienſis *in cap.3.
Apoc. epiſt.6.*

26 FVNDAMENTVM primum D.Bonau. 1. *d.46. q.1.*
præcipuè *arg.2. addito reſponſo*, ſumptum è D. Da-
maſceno *l. 2. de fide, cap. penult.* & ex Apoſtolo 1.
Tim.2. *Deus vult omnes homines ſaluos fieri*, & regno
ſuo potiri; non enim ad puniendum plaſmauit nos
Deus, hæc autem Dei amica voluntas permanet etiam
poſt præuiſum Originis peccatum, vt exponunt Pa-
tres adducti *diſp.16. quæſt.9.* & patet manifeſtè ratio-
ne, quam ibi ſubdit Apoſtolus. *Vnus eſt enim media-
tor Dei, & hominum, homo Chriſtus Ieſus: qui dedit
ſemetipſum redemptionem pro omnibus.* Vult dicere.
Quoniam poſt lapſum redemit omnes ſuo pretioſo 27
ſanguine, quantum in ſe eſt, vult, omnes pretio
frui ſuæ redemptionis.

Idem teſtantur aliæ Scripturæ, quæ proteſtantur
Dei bonam voluntatem erga peccatores. Tob.3. *Non
delectatur in perditionibus noſtris.* Iſa.65. *Expandi ma-
nus meas tota die ad populum incredulum*, quem locum
allegat Apoſtolus *Rom.10.* poſtquam de prædeſtina-
tione, atque de reprobatione diſputauit Exech.18.
Numquid voluntatis mea eſt mors impij? Oſeæ 13. *Per-
ditio tua ex te Iſraël: tantummodo ex me auxilium
tuum.* Matth.11. *Venite ad me omnes.* Matth.23. *Quo-
ties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina
congregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſti?* Rom.1. *Be-
nignitas Dei ad pœnitentiam te adducit.* 2. Petri 3. *Pa-
tienter agit, nolens aliquem perire; ſed omnes ad pœni-
tentiam reuerti.* Apoc.3. *Ego ſto ad oſtium & pulſo, ſi
quis aperuerit intrabo, & cænabo cum illo.* Præclara
ſunt etiam illa, quæ addit S. Bonau. ad cap.1. Sap.
*Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione viuo-
rum. Creauit enim, vt eſſent omnia. & ſanabiles fecit
nationes orbis terrarum: & non eſt in illis medicamen-
tum exterminij, nec inferorum regnum in terra. Iuſtitia
enim perpetua eſt, & immortalis; iniuſtitia autem mor-
tis eſt acquiſitio. Impij autem manibus, & verbis accer-
ſierunt illam.* Vbi aduertit Seraphicus, Deum nolle 28
perditionem alicuius, tum ex innata ſua bonitate,
qua omnes ad beatitudinem condidit, & nihil odit
eorum, quæ fecit; tum quia lapſos ſanabiles reddi-
dit ſua redemptione. Quod ſi Prou.1. minatur: *Ego
quoque in interitu veſtro ridebo.* Cæterùm non delectari
Deum noſtrâ perditione, oſtendit S. Bonau. ex illa
Dei lamentatione, Iſa.1. *Heu, conſolabor ſuper hoſti-
bus meis, & vindicabor de inimicis meis.* Vbi D. Hie-
ronymus ait: *Plangit delinquentes.* Inſignia autem de
hoc teſtimonia eruit Sanctus Bonauentura è 18.
& 33. Ezech. *Numquid voluntatis mea eſt mors impij?
Viuo ego dicit Dominus, Nolo mortem peccatoris, ſed
vt magis conuertatur, & viuat.* Conſolatur me hoc
Diuinæ miſericordiæ effatum, iuramento firmatum
Altiſſimi. Ideò inſanabilitas e peccatoribus obſtinatis
oritur, vt oſtendit Seraphicus, ex 30. Hierem. *Inſa-
nabilis eſt fractura tua, peſſima eſt plaga tua;* cùm iam
proteſtaretur. *Tecum ego ſum, ait Dominus, vt ſaluem
te; te non faciam in conſummationem: ſed caſtigabo te
in iudicio, vt non videaris tibi innoxius. Quia hæc di-
cit Dominus. Inſanabilis fractura tua, &c.* Ideo, qui
Baruch.3. dicuntur exterminati, ſunt extra terminos
Paradiſi à ſeipſis poſiti. Igitur proteſtatur iuramento
Deus Optimus Maximus, ſe & titulo Creatoris opera
ſua non reprobare; & titulo Redemptoris ſaluos om-
nes prætendere, quos ſanguine redemit. Egregia autem
ſunt verba D.Clementis P. & Martyris *l.2.* Conſtit. 29
Apoſt. cap.99. *Nos igitur, qui digni facti ſumus, vt
eſſemus teſtes aduentus ipſius, cum Iacobo fratre Domi-
ni, & aliis ſeptuaginta duobus, & ſeptem Diaconibus
eius, ex ore Domini noſtri Ieſu Chriſti audiuimus, &
perfectâ ſcientiâ didicimus, qua ſit voluntas Dei bona,
& benè placens, & perfecta per Ieſum Chriſtum demon-
ſtrata, vt nullus intereat; ſed vniuerſi homines vnani-
mi ſententia credentes, & vnanimem ei laudem feren-
tes, in eum viuant in æternum.* Porrò fundamentum to-
tum iacit etiam Valentia ſuprà. Confirmatur à D.Bon.
ad 3. Ioan. ex eo. *Sic Deus dilexit mundum, vt filium
ſuum Vnigenitum daret: vt omnis, qui credit in ipſum
non pereat; ſed habeat vitam æternam;* vbi proteſtatur,
ſe nolle excludere peccatores à regno. Multò minùs
ante præuiſum peccatum, quod oſtendit illud *Sap.1.*
ſuprà relatum.

CONFIR

30 Confirmatvr à Suarez ex Conciliis Arauſ. *can.* 25. & Trident. *ſeſſ.* 6. *can.* 17. vbi damnant dicentes, Deum prædeſtinaſſe aliquos ad malum; ſicut prædeſtinauit alios ad bonum, quod intelligitur de prædeſtinatione ad malum pœnæ, ne dum culpæ. Ideò Patres dum diſtinguunt prædeſtinationem ad vitam, & ad mortem; differentiam conſtituunt, quia priorem ſcribit ex ſe; poſteriorem autem ex demeritis præuiſis, vt videre licèt in Concilio Valentino, Imperante Lothario, *cap.* 5. in Fulgentio *l.* 1. *ad Monim. cap.* 13. Auguſt *l. de prædeſt. Sanct. cap.* 10. vbi affert illud Pſal. *Miſericordiam, & iudicium cantabo tibi Domine*, quia prædeſtinatio ad vitam ex miſericordia eſt; reprobatio autem eſt iudicium ex demeritis. Ideò *epiſt.* 105. & 106. & *l.* 3. *contra Iulianum, cap.* 18. & *l.* 11. *de Geneſ. ad litt. cap.* 11. & alibi ſæpè ait, Deum non prius eſſe vltorem, quàm homo in peccato ſit; quam doctrinam ſequitur Seraphicus *in his quæſtionibus. d.* 41. *art.* 1.

31 Neqve dicas, noluiſſe quidem Deum antecedenter damnare pœna ſenſus; ſed tantùm voluiſſe excludere à regno, quia gratis datur; hoc inquam refutatum eſt illo Ioan. 3. *Sic Deus dilexit mundum, vt filium ſuum Vnigenitum daret: vt omnis, qui credit in illum non pereat, ſed habeat vitam æternam.* Ibi enim peccatoribus vitam æternam adhuc paratam oſtendit; alioqui ad quid Redemptio? aut quid meretur nomen redemptionis? Sic & *cap.* 17. *Ioan.* ait Chriſtus. *Ego vitam æternam do eis.* Loquitur autem de peccatoribus reuertentibus, vbi ſanè de executione loquitur, quæ tamen cum intentione conformatur, vt oſtendi *diſp.* 21. *quæſt.* 7. Potiò locus ille *Ioan.* 3. de intentione loquitur; vt clarè oſtendit particula: *Dilexit, vt*: & rurſus, *vt omnis.* Sic adnotauit Seraphicus ad ea loca Ioan. Confirmatur ratione. Nam pœna damni eſt grauiſſima: Ergo non datur ante præuiſum peccatum.

32 Ex quo deduco, Deum, qui non modò ante præuiſum peccatum, ſed etiam poſt præuiſum habet adhuc voluntatem ſaluandi omnes, non poſſe efficacem voluntatem habere reprobandi negatiuè, idest, non dandi eis regnum; vt obſeruat Arriaga *d.* 39. *ſect.* 2. *ſubſect.* 4. quamuis enim cum voluntate inefficaci de aliqua re, poſſit eſſe efficax voluntas, priuans ſe illa re; vt cùm aliquis, neceſſitate coactus, merces ſibi charas proiicit in Mare; tamen illa proiectio eſt coacta, habens de involuntario; volita verò adueniente nouo motiuo periculi ſui. Itaque cùm Deus poſt præuiſum peccatum adhuc retineat voluntatem complacentię ſaluandi omnes, nec aliud nouum motiuum adueniat; & voluntas Dei efficax non habeat mixtum involuntariũ, quod eſt imperfectionis; ſequitur non ſtare ſimul voluntatem efficacem excludendi à regno, quæ in negatione illa prædeſtinationis excluditur; vt ſupra oſtendi.

Obiicit ſibi verò Arriaga *ſubſect.* 4. Deus antecedenter voluit negare omnibus reprobis auxilia congrua, hoc autem non poteſt eſſe ex fine intento priuandi eos gloria.

Respondet, non eſſe hunc finem, ſed alium, idest; vel vt oſtendat ſingularem erga electos amorem; vel quia non tenetur: & ideò vt oſtendat illam eſſe gratiam, quam poteſt dare cui vult; vnde etiam electis in aliqua occaſione negat auxilia congrua. Hac reſponſione etiam Maſtrius *num.* 270. ait, afferri rationem ex parte Dei, cur aliquos prædeſtinet; alios verò non.

33 Verum hæc reſponſio eſt labilis: nam reprobis, quibus vult beatitudinem, negaret eam pro tempore neceſſario ſalutis; neque eſt conueniens dicere, Deum, qui omnes creauit ad beatitudinem, & qui antecedenter omnes vult indifferenter ſaluos, negatiuè ſe habere ad illam; vel negare media neceſſaria, vt arguit Zumellus, ac velle amorem nonnullis demonſtrare, in aliorum ruinam. Itaque negandum, Deum antecedenter negare auxilia congrua reprobis, vt oſtendam *q.* 5. & 1. 2. *tract.* 5. *diſp.* 1 *quæſt.* 4.

Fvndamentvm ſecundum, præcipuè contra ſententiam Suar. & Vaſq. poſito (quod veriſſimum è Scripturis, & PP. oſtendi) Deum poſt etiam præuiſum peccatum Originale, voluiſſe omnibus ſalutem; vt fatetur Suar. *l.* 5. *cap.* 3. *n.* 11. & 12. ſequitur, falſiſſimum eſſe id, quod transfuſum in poſteros, quo merebantur omnes priuari gratiâ; nam cùm hoc peccatum ſit prius transfuſione, quæ eſt effectus eius; ipſa autem transfuſio euertur in Baptiſmo, adeò vt nihil damnationis ſit his, qui ſunt renati in Chriſto Ieſu; vt definit Concilium Trident. cum Apoſtolo; non video qua ratione pœna hæc grauiſſima infligatur, vt gratiâ congruâ priuentur. Vellem autem ſcire quot peccata in nos ex Adam transfundantur? Vnum ſanè, quòd antequam transfunderet culpam, non potuit transfundere pœnam. 34

Præterea, ſi peccatum primi parentis ſpectet ad redemptionem, certè Chriſti merita redemerunt iacturam; vt ideo dicat Apoſtolus, Deum adhuc velle omnes ſaluos, quippe omnium Redemptor ſit. Præterea peccatum primi parentis, vt abſtrahit à transfuſione in filios, eſt perſonale, ac proinde chimæricè Vaſquez illud adſcribit poſteris; quod ſi hoc licèt; dicat etiam omnes actualiter mortaliter cum Parente deliquiſſe. Quapropter chimærica eſt illa Vaſquez diſtinctio. 35

Seqvitvr ſecundò falſum eſſe id, quod aiunt Suar. *cap.* 5. & Vaſq. *loc. cit.* & *d.* 83 *n.* 92. Deum voluiſſe in primo ſigno negare quibuſdam gratiam congruam, & tamen voluntate beneplaciti appetiiſſe eorum ſalutem; nam ſi efficaciter noluit eos ſaluos ex ſeipſo antecedenter, quomodo potuit ex ſe antecedenter voluiſſe eos ſaluos? Hæ enim duæ voluntates non ſtant ſimul, niſi ſub diuerſis motiuis; quorum alterum reddit quodammodo alterum involuntarium; vt cùm quis tempeſtate territus merces ſibi charas efficaciter ablegat, proiiciendo eas in Mare. Ita fatetur & Vaſq. *n.* 19. In hoc ſe implicat & Ribas *d.* 7. *n.* 17. & *d.* 9. *cap.* 1. 36

Præterea, media aſſumpta indicant, quæ ſit voluntas circa finem; vt docet Suar. *l.* 1. *de prædeſt. cap.* 8. *num* 40. Quare, cùm Deus ſcienter media incongrua antecedenter præparauerit reprobis; ſignum eſt non habuiſſe voluntatem aliquam de eorum ſalute, cùm auxilia congrua ſint ad ſalutem neceſſaria. Certè mihi nunquam placuit excogitatio gratiæ incongruæ conſequenter, ſed antecedenter præparatæ. Cùm enim Deus ſapiens videat apta remedia; quæ potens exhibere, profitetur ſua bonitate omnibus velle ad ſalutem eis deſideratam, emptam pretio ſanguinis infinitæ æſtimationis; dato carnificibus Filio ad lanienam; non video quomodo non omnia nobis omnibus donabit neceſſaria; vt arguit Apoſtolus *Rom.* 8. 37

Neqve dicas, vidiſſe Deum, etiam in tuâ ſententiâ, inutilia fore impiis auxilia; at ea paraſſe, cùm haberet efficacia, nam præceſſit in reprobis abuſus congruorum, quæ ea culpa proiecêre, cùm eſſent ægritudini congrua, loco, & tempori apta; vnde in effectu à datis electis ſolum differunt. Imò pro grauitate morbi ſæpè altiora. Obſeruo, datam Iacob benedictionem: *De rore cæli*; at Eſau: *De rore cæli deſuper.* per *Rorem*, gratiam multi Patres intelligunt; vt referam in opere conceptuum ad conciones è D. Bonau. Eſau ſanè aſperior, ad vitia proclivior, altiori gratiæ rore perfuſus eſt.

Qvod ſi libet, Deum adeò propenſum ſe noſtræ ſaluti

exhibēre , qualem à *num.*26. andioimos , hîc verò antecedenter aliquos ſaluos non velle , in maſſa perdita relictos , ſelectis paucis , gratiâ his congruâ exhibitâ , priuatos ad ſalutem neceſſariâ , timeo ne in inferno perſtrepant : *Callidè eduxit de Ægypto.* Qui cælom exhibens illud claudit. Simile dicterium facilè euulgandum audiens Deus à Moyſe, ſi Idololatras ex Ægypto erutos ad internecionem iuſtè deleret ; placatus eſt , ſuſtinens , ſe potius Deum credi *Boni Api* cedentem , quàm *verſipellem* exiſtimari , vt ait Tertullianus.

Asserо , reprobationis totius dari aliquam cauſam in reprobo.

38 Probatvr primò, è primo fundamento , vbi plurimis Deus teſtatur Scripturæ teſtimoniis , ſe velle omnes, etiam peccatores , ſaluos fieri. Cum hac autem voluntate , ſi ſincera ſit , ac ingenua , vt certò eſt ; non illuſoria , & ficta , alia voluntas conſiſtere nequit , quòd Deus ex ſe , nullaque cauſa ex parte hominum adiuncta , velit aliquos excludere à ſalute ; vt ſuprà oſtendimus , & obſeruat Maſtrius *n.*236. & 241. Hoc fundamento vtuntur Valentia , Tannerus , Suar. aliique pro reprobatione poſitiuà , & abſolutè nobiſcum ſentit Faber ; at Ribas *num.*32. variat.

Respondet Aluarez , Scripturas intelligi ſic ; Deum non excluſiſſe à gloriâ aliquem , ſub ratione pœnæ ; nec damnaſſe pœnâ ſeorſus ante culpas præuiſas. Idem reſpondet Comexo.

39 Contra enim. Quia cùm omnes ſimus ordinati ad ſupernaturalem beatitudinem , vt docet D. Thom. *quæſt.*23. *art.*3. & ex tali ordinatione contulerit Deus remedia opportuna , vt millies Scripturæ clamant ; ſi aſſeramus excluſos aliquos antecedenter à gloria , dicimus repugnantia , & pœnam maximam , quæ eſt damni , eſſe nobis inflictam. Quæ cùm ità ſint , ſi nolunt concedere reprobo auxilia efficacia ; debent ſaltem antecedenter concedere , Deum noluiſſe illum eſſe excluſum à regno æterno.

Respondent authores tertiæ opinionis , hæc teſtimonia probare, Deum poſitiuè non voluiſſe antecedenter horum perditionem.

40 At ſuprà oſtendi , hanc negatiuam reprobationem eſſe coniunctam cum poſitiua , & excludere poſitiuè à regno , ſaltem indirectè. Loca etiam Scripturæ oſtendunt clarè , Deum ex ſe velle nobis poſitiuè ſalutem ; & negationem eius cauſari à nobis. Nec ſatisfacit Tannerus *num.*22. dicens cum Vaſquez *cap* 9. ea loca ſolùm teſtari gratiam ſufficientem , quâ poſſimus ſaluari.

Contra enim. Quia teſtantur velle finem gloriæ nobis , & conſequenter etiam media , quantùm ex ipſo eſt. Sanè dato actu efficaci Dei volendi in gloriâ aliquos , non inuenitur voluntas ſalutis omnium ; vt fatentur Arriaga *ſect.*2. *num.*23. Aueiſa *ſect.*16. Montac. §.5. Morand. *num.*502.

41 Probatvr ſecundò à D. Bonau. *d.* 41. *quæſt.*1. *arg.*1. quod in *reſponſ.* ſolidat , ex Apoſtolo *Rom.*9. vbi multis modis oſtendit , peccata reprobi eſſe cauſam reprobationis. Ideò enim eam vocat odium Dei ; Deus verò nihil odit in homine , niſi peccata ; vt argumentatur D. Auguſt. *epiſt.*105. & *l.*1. *ad Simpl. q.*2. ad ea verba : *Eſau odio habui.* Ideò concludit. *Non igitur Deus Eſau hominem odit ; ſed odit Eſau peccatorem.* Vbi & Gloſſa ait : *Subtractâ gratiâ per iuſtitiam eſt reprobatus.* Sed iuſtitia reſpicit merita : ergò. Hac ratione vtitur etiam Scotus. Dicere autem cum Riba *num.*36. & aliis , odium ibi ſignare minorem Dei amorem erga ſibi exoſos , eſt gratis dictum ; excludit enim eos æternè , & poſitiuè à ſua Beatitudine.

Deinde Apoſtolus ibi ſignificat , Deum indurare priuando gratiâ ; hæc autem ſupponit peccatum reprobi , qui in eo induratur. Tandem in toto illo capite , & ſequenti oſtendit , cauſam reprobationis Iudæorum eſſe illorum infidelitatem.

Probatvr tertiò ex Conciliis. Concilium 42
Arauſ.2. definit can.25. *Aliquos ad malum diuinâ poteſtate prædeſtinatos eſſe, non ſolùm, non credimus , ſed etiam , ſi ſunt , qui tantum malum credere velint , cum omni deteſtatione in eos anathema dicimus.* Idem repetit Tridentinum *ſeſſ.* 6. *can.* 17. Valentinum etiam cap.3. *Fidenter fatemur , prædeſtinationem aliquorum ad vitam , & prædeſtinationem impiorum ad mortem ; in electione tamen ſaluandorum miſericordiam Dei præcedere meritum bonum ; in damnatione periturorum , meritum malum præcedere iuſtum iudicium Dei.* Quæ ſunt verba D. Bonau. *d.*41. *quæſt.*1. deſumpta ex eo Concilio , quod tempore Lotharij fuerat celebratum, centum antea , & plures annos. Concilium etiam Trident. *ſeſſ.*6. *cap.*11. & 13. docet cum D. Auguſt. & aliis Patribus , neminem à Deo deſeri ; quin prius deſeruerit Deum. Idem docent Patres adducti pro motiuo prædeſtinationis *d.*21. *quæſt.*12.

Præcipva verò D. Auguſt. paſſim , ſicut hortatur 43
prædeſtinatos ad agnoſcendam gratiam ſine ſuis meritis , ſic reprobos ad agnoſcendam iuſtitiam ex demeritis. Refert autem D. Bonau. loca è D. Auguſt. *l.*1. *ad Simpl. quæſt.*2. & *l.*1. *Retract. cap.*23. quæ refert etiam Valentia , & Tannerus.

Præclarus eſt locus *l.*1. *ad Simpl.* vbi ait : *Noluit ergo Eſau , & non cucurrit ; ſed & ſi voluiſſet , & cucurriſſet , Dei adiutorio perueniſſet , niſi vocatione contemptâ, fieret reprobus.* Et loc. cit. Retract. reminit ſe ad ea , quæ ſcripſerat ad Simplicianum. Et epiſt. 106. ad Paulinum ait : *Quemquam verò immeritum , & nulli peccato obnoxium, ſi Deus damnare creditur , alienus ab iniquitate non creditur.* Et l.3. contra Iulianum cap.28. *Bonus eſt Deus. Iuſtus eſt Deus. Poteſt aliquos ſine bonis meritis liberare , quia bonus eſt ; non poteſt quemquam ſine malis meritis damnare , quia iuſtus eſt.* Eſt autem damnatio, ſecundum Auguſtinum , etiam abſoluta excluſio à beatitudine , vt aduertit Tannerus *num.* 29. Clara ſunt ea loca , quæ affert S. Bonauent. *quæſtione* 2. *in corpore , ex primo de Ciuitate cap.*12. & *Enchir. cap.*99. vbi ait : *Si remanerent omnes in pœnis iuſtæ damnationis , non appareret miſericors gratia redimentis.* Rurſus. *ſi omnes transferrentur de tenebris ad lucem ; in nullo appareret ſeueritas vltionis : in qua propterea multò plures , quàm in illa ſunt , vt ſic appareret, quid omnibus debebatur.*

Insignis quoque eſt locus *l.* 6. *Hypognoſt.* qui 44
cenſetur D. Auguſt. à Vaſquez , num. 26. *Quia verò iuſtus , & miſericors Deus , præſciuſque futurorum , ex hac damnabili maſſa, non perſonarum acceptione, ſed iudicio æquitatis ſuæ , quos præſcit , miſericordia gratuita præparat , id eſt , prædeſtinat ad æternam vitam ; cæteros autem pœna punit , quos ideò punit , quia quicquid eſſent futuri, præſciuit ; non tamen ipſe fecit puniendos , vel prædeſtinauit.* Et ibidem poſt medium. *Tenenda eſt inconcuſſè huius diſputationis regula , quæ diuinis teſtimoniis claruit , peccatores in malis propriis , antequam eſſent in mundo , præſcitos eſſe tantum , non prædeſtinatos , pœnam autem eſſe eis prædeſtinatam , ſecundùm quod præſciti ſunt.* Sequuntur iiſdem verbis ferè D. Proſper *ad* 12. *reſp.* & ad *Capit. Gallorum, cap.*3. & D. Fulgentius 1. *ad Maxim. cap.* 23. ne tranſuerſo quidem vngue è Magiſtri veſtigiis aberrantes.

Probatvr quartò à D. Bonau. *q.*1. *arg.*2. Peccata 45
reprobi, ſunt cauſa omnium effectuum reprobationis : ergo & totius reprobationis Diuinæ , vt reſpicit illos effectus.

effectus. Antecedens patet. Nam duo ſunt effectus reprobationis, ideſt obducatio, & Damnatio. Et quoad obdurationem probatur *Exod.9. Sap.2. Iſa.1. & 42. Rom.1. & 2.Theſſal.2.* Quoad damnationem autem probatur ex forma ſententiæ, Math.25. *Diſcedite maledicti: eſuriui enim, & non dediſtis, &c.*

46 Probatvr quintò à D. Bonau. *arg.3. quæſt.1.* & *arg.6. quæſt.2.* & alibi, quo vſus eſt Ecchius. Si Deus non propter peccata hominum, ſed ſponte ex ſe reprobat; ſequitur pauciores fore reprobos; imò nullos; ſed hoc eſt falſum: Ergo & Antecedens. Probatur ſequela: Nam è ſcripturis adductis clarum eſt, Deum propenſiorem eſſe ad miſerendum, quàm ad deſerendum, iuxta id Pſal.144. *Suauis Dominus vniuerſis; & miſerationes eius ſuper omnia opera eius*, vt proſequitur D.Bonau. *in Diata, tit.7. cap.4.* & *de regimine animæ, initio.* Minor probatur: Nam Math.17. & 22. *Multi ſunt vocati, pauci verò electi.* Hoc argumentum ait Valentia eſſe optimum.

47 Probatvr ſextò à D. Bonau. *quæſt.2. ratione ſexta, & ſeptima.* Summè bonum, & liberalem, non decet reprobare eos, quos condidit ad beatitudinem, niſi ex cauſa; alioqui eſſet crudelitas, quia creaſſet eos ad ſupplicium. Hoc argumento vtitur etiam Scotus *loc. cit.* Faber, Horantius, & alij ſuprà, & eſt argumentum D. Auguſt. *epiſt.106.* ſuprà relati.

48 Probatvr ſeptimò à S. D. *arg 5. quæſt.1.* & *in corpore, quæſt.2.* quo vtitur etiam Concilium Trident. *ſeſſ.6. cap.11.* Omnis reprobus poteſt ſe ad iuſtificationem præparare, atque iuſtificatus perſeuerare vſque ad finem. *Qui autem perſeuerauerit vſque in finem, ſaluus erit.* Neque vnquam deſeretur, niſi ipſe priùs Deum deſerat: Ergo ſine ſua culpa non priuabitur gratiâ finali: Ergo nec ſine culpâ reprobatur. Si autem ſine culpa reprobatus eſt à gratiâ congrua ad ſalutem, vt volunt Suarez, Vaſquez, & alij; & tamen obligatur efficaciter ad ſeruandam legem Dei vſque ad finem: Ergo ad impoſſibilia obligatur; & in fine innocéns damnatur. Probo ſequelam: Quia ad ſeruanda efficaciter præcepta, neceſſaria eſt gratia congrua ſecundùm illos.

Respondent, illam gratiam non eſſe incongruam antecedenter, ſed conſequenter fieri talem à libero arbitrio malè vtente.

49 Vervm præparare arbitrio gratiam incongruam, ideſt, quæ non eſt ei profutura, cùm poſſit aliam profuturam præparare, quæ eſt neceſſaria, videtur mihi actus medici crudelis, & callidè agentis, dum profitetur, ſe iſtius miſerrimi, ſuo ſanguine redépti, velle ſalutem; & hortatur, & promittit; quod fruſtra fit: dum conſultò parat auxilium, quod non proſit. Quorſum emptus tanti?

50 Deinde quæro: Cur non perſeuerabit ille reprobus, qui eſt iuſtus: Numquid Deus aufert illi antecedenter gratiam? Abſit. Ergo ſuâ culpâ cadet; vt probat S. Auguſt. *toto lib. de bono Perſeuer.* & obſeruat Valentia. Ergo ita etiam ab æterno decretum eſt, vt ex culpa reprobetur. Ex his ruit quoque reſponſio Tanneri *numero 22.* eam gratiam eſſe neceſſariam ſolùm vt ſaluetur; non autem, vt queat ſaluari. Hæc ſunt effugia Leporum. Nam Deus præcipit non modò vt poſſimus, ſed vt efficaciter obſeruemus Legem vſque in finem. Ideò dat conſequenter gratiam neceſſariam, vt efficaciter obſeruemus vſque in finem; atque ſaluemur.

51 Probatvr octauò à S. Doct. *in 4. d.46. art.2. quæſt.3. arg 1.* addito reſponſo è Pſal.100 *Miſericordiam, & iudicium cantabo tibi Domine.* Quo vtitur D. Auguſt. *lib. de bono Perſeu. cap.10.* ſuprà allegato, vbi pro prædeſtinationis cauſa ponit miſericordiam, & pro reprobatione iudicium, ſeu iuſtitiam, quod & vbique facit, vt obſeruat Valentia *p.3.* cum Seraphico *1.d.41. quæſt.2. corpore*, vbi quoque adnotauit, S. Auguſtinum id aſſeruiſſe poſt omnes retractationes; quia libellus de bono Perſeuer. fuit à S. Auguſt. contextus poſt retractationes, quod manifeſtum eſt; in eo enim meminit ſuarum retractationum. In eo igitur libro *cap.11.* ait. *Ininueſtigabilis ergo eſt eius miſericordia, qua, cuius vult, miſeretur, nullis eius præcedentibus meritis: & ininueſtigabilis veritas* (ideſt iuſtitia) *qua, quem vult, indurat.* Et ibidem. *Igitur miſericordiam in his qui liberantur, & veritatem in his qui puniuntur, ſine vlla dubitatione credamus.* Præmiſerat enim initio capitis id Pſal.24. *Vniuerſa via Domini miſericordia, & veritas*, & ibidem aſſerit, Deum reprobare ex meritis. Idem habet de prædeſt. & gratia, cap.14. *Dic, quicunque damnaris, Iuſtus es Domine in omnibus, quæ feciſti nobis; in veritate enim, & iudicio omnia hæc ſuperinduxiſti, propter peccata noſtra.* Itaque ſi Deus nulla de cauſa reprobaret, vbi eſſet miſericordia? quinimò, vbi iuſtitia? Eodem argumento vtuntur Scotus, & Henricus.

Tandem probatur à Seraphico *quæſt.2. in corpore è D. Auguſt. loc. cit. de bono perſeuer. cap.11.* vbi allegat illud Pſal.100. *In eo ergò, quòd aliis gratiam dat, aliis non dat, cur nolunt* (ideſt Pelagiani) *cantare Domino miſericordiam, & iudicium? cur autem illis dat, & illis non dat; inſcrutabilia ſunt iudicia eius.* Obſeruat autem ibi Sanct. Bonauent. D. Auguſtin. ponere iudicium pro ratione, cur reprobo non dat, ſeu negatiuè reprobat; hoc autem inſcrutabile aſſerit Seraphicus cum Apoſtolo, Rom.11. *O altitudo diuitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei, quàm inſcrutabilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius?* quibus ſolidè S. D. deducit, neque prædeſtinationem; & multò minùs reprobationem negatiuam fieri ſola Dei voluntate; alioqui neque Apoſtolus, neque Auguſt. iudicia Dei inſcrutabilia exclamarent: ſed ea nota & manifeſta, dicerent. Quæ enim vetula hanc rationem non caperet. *Deus hoc fecit, quia voluit?* Sic obſeruat cum Seraphico etiam P. Ferchius 1. *d.41.* Itaque iudicia eſſent manifeſta, & nota. Oſtendit igitur aliquod arcanum, ſoli Diuinæ ſapientiæ patens, interuenire, quo is reprobatur abſolutè, ſeu is non prædeſtinatur; & hoc vult D. Auguſt. *l. de bono Perſeu.* allegato, & alibi, vt obſeruat Valentia *p.3. arg.4.* pro ſe adducto. Hinc Patres obſeruant, Deum impoſuiſſe in ſummitate Arcæ teſtamenti duos Cherubim, & dici. *Qui ſedet ſuper Cherubim*; quia ex iudiciis profundiſſimis ſuæ ſapientiæ hæc omnia peragit. Quod ſi aliter fieret, iam eſſent iudicia eius non inſcrutabilia, ſed voluntaria, atque notiſſima. Hoc autem è D. Auguſt. colligimus, qui ideò *loc. cit.* hæc iudicia ad iuſtitiam, & veritatem, prout à miſericordia diſtinguitur, reducit. 52 53

Hanc verò cauſam reprobationis, non eſſe peccatum Originale probatur à D. Bonau. *loc. cit.* quia multis remiſſum eſt: Imò nonnullis in vtero, vt Ioanni, & Hieremiæ. Similiter & omnibus ſanctis, qui ſunt in cælo (excepta B. V. & multò magis Chriſto, qui non contraxere hanc labem) remiſſum eſt; & ſunt prædeſtinati omnes. Imò è ſanctis aliqui fuere magni peccatores; vt Paulus, Matthæus, Magdalena, & alij. Vnde etiam colligitur, cauſam reprobationis non eſſe quodcunque peccatum actuale mortale, ſiue primum, ſiue ſequens; ſed peccatum illud, in quo reprobus vult permanère vſque in finem; nam pro omnibus culpis lauacrum ſanguinis pretioſi exhibet. 54

Arguo autem. Si cauſa reprobationis eſt peccatum originis; hinc ſequitur, non reprobari baptiſmi lauacro ſemel ablutos, & ſanctificatos, quibus nihil remanet damnationis; vt definit Apoſtolus *Rom.* 3. & *ſeſſ.* 5. Concil. Trident.

Respondet P. Macedo *ſect.* 2. manere in renatis fomitem inclinantem ad peccata vlteriora, & eum, vt cauſam, & radicem, cauſare alia peccata, quæ Deus permittit, reſpiciens ad radicem, & propter illa præuiſa reprobat. Dat exemplum febricitantis, qui à medico liberatur; ſed ob reliquias febris moritur.

Hæc nihil iuuant. Primò, quia ſic reprobatio ex actualibus præuiſis oritur. Dicere autem, Deum reſpicere ad fomitem, eſt ponere in renatis aliquid damnationis, cum ad exercitium ſolum, & ad coronam ſinatur; vt ait Concilium.

At eſto; iam vià ordinarià omnibus ruinam in culpis permitteret: exemplum verò non eſt ad rem, quia fomes non eſt in eodem genere culpæ, ſicut languor à febri relictus. Præterea plurimi acti concupiſcentià vitam traxère fœdiſſimam, nec tamen reprobati ſunt.

55 Ex dictis colligo, non dari reprobationem merè negatiuam, ſed cum actu poſitiuo ſemper eſſe coniunctam; vt monent etiam Valentia, & Faber. Conſiſtit autem in decreto non dandi auxilium altius, quo ſaluaretur. Quæ reprobatio *Exodi* 9. dicitur obduratio; vnde Rom. 9. *Cui vult miſeretur, & quem vult, indurat.* Et D. Auguſt. *l.* 1. *ad Simpl.* quæſt. 2. *Obdurare, eſt nolle miſereri*: Nec vſquam allatis locis nudam accipit negationem, ſed iunctam actui poſitiuo, quo iuſtè demerita punit, vt docet etiam D. Bonau. *in corp. quæſt.* 2. & confirmat è D. Auguſt. *allegatis locis.* Roboratur ex ipſo D. Auguſt. *l. de bono perſeu. cap.* 8. vbi ait: *Qui liberatur, gratiam diligat; qui non liberatur, debitum agnoſcat.* & l. de prædeſt. Sanctorum cap. 14 *Gratia Dei gratis datur, cui datur; iuſto autem Dei iudicio non datur, cui non datur*, quod ſæpiùs repetit, & ex eo tranſumpſit S. Proſper *lib. ad Capitula Gallorum, obiectione ſeptima.*

Nec ſatisfacit Tannerus *num.* 22. dicens, Auguſtinum loqui de hominibus infectis peccato Originali. Ex quo aſſignatur cauſa iuſtæ derelictionis à Deo. Contra enim oſtendi, homines quoque poſt præuiſum Originale, volitos ad ſalutem, nec vllo modo reprobatos.

Est autem inſignis locus S. Proſperi 3. *reſpon. ad capit. Gallorum*, vbi ait: *Non neceſſitatem puniendi habuèrunt, quia prædeſtinati non ſunt; ſed ideò non prædeſtinati, quia tales futuri ex voluntaria præuaricatione præſciti ſunt.* Similia habet reſponſione ſeptima.

Neque ſatisfaciunt Suarez *l.* 5. *cap.* 5. *num.* 7. Vaſquez *num.* 61. *d.* 95. Tanner. *loc. cit.* dicentes, Proſperum vti termino negatiuo (*non prædeſtinati*) pro poſitiuo (*reprobati*) ſiquidem, & ex illà voculà puniendi, & ex contextu conſtat, eum loqui de reprobatione poſitiuà.

56 Hinc enim potiùs colligitur eadem eſſe negatiua, & poſitiua reprobatio; ſeu negatiuam cum poſitiuà eſſe coniunctam. Ibi enim S. Proſper è mente D. Auguſt. quam profectò aſſecutum teſtatur Cæleſtinus I. ad Epiſcopos Eccleſiæ Gallicanæ, ſubtiliùs de reprobatione loquebatur: in ea enim conſiſtebant difficultates oppoſitæ doctrinæ S. Auguſtini. Oſtendi quoque ſuperiùs, eam negatiuam reprobationem ſemper cum voluntate poſitiua nolendi dare ſalutem coniungi. Quamuis enim non negauerim, poſſe dici ſignum rationis, in quo Deus deliberet de aliquo; non deliberando de cæteris; attamen dum aliquod decretum generale efficax includens aliquos firmat, nec aliud decretum de aliis includendis vult habere, vt in caſu noſtro euenit, quo Deus in illo ſigno homines in duas claſſes diuidit, ſeligens aliquos, quos ſolos vult prædeſtinatos, & ſaluos, nec alios vult prædeſtinare: profectò nunquam in animum aliquis cordatus inducet, Deum non deliberaſſe de cæteris poſitiuè ſtatuendo, Illos nolo eligere. Quare dum probaui, Reprobationem poſitiuam omninò habere cauſam in reprobo; de negatiuà etiam idipſum oſtendi.

Obiicies primò cum authoribus primæ ſententiæ illud Rom. 9. *Cui vult miſeretur, & quem vult, indurat.* Et addunt exemplum Eſau ibi allatum; de quo ibi dicitur: *Non ex operibus, ſed ex vocante Deo dictum eſt. Antequàm quidquam boni, vel mali feciſſent, Iacob dilexi, Eſau autem odio habui.* Confirmant exemplo allato ibi, ſicut enim figulus aliqua vaſa facit in contumeliam, ſuâ ſolâ voluntate; neque tamen vaſa illa conqueri poſſunt: ità & in caſu noſtro reprobi. 57

Respondet D. Bonau. *d.* 41. *quæſt.* 1. *arg.* 1. & *quæſt.* 2. *ad prima tria argumenta*, Apoſtolum aſſignare beneplacitum Dei, pro ratione prædeſtinationis, excluſis quidem meritis; non tamen ratione motiua, quam tacuit, quia Scriptura ordinatur ad noſtram vtilitatem; vtiliùs autem erat nobis ad humiliationem aſſignari Diuinum beneplacitum. Et de hoc beneficio collato ipſi Iacob fuit directa intentio Apoſtoli diſſerendi, vt Romanos ad humilitatem inclinaret; quibus apponit etiam exemplum Iudæorum, qui cùm ad iura primogenituræ eſſent electi, reiecto Eſau iure naturæ hærede; ità ob eorum incredulitatem reiecti ſunt & ipſi, quamuis è germine Sanctorum, veluti oleæ domeſticæ, ac fructiferæ aptæ ciuitati illi ſupernæ Hieruſalem pacis; inferebat Apoſtolus, Romanis quoque timendum, quippe ex oleaſtro germinati, ne ob eorum peccata reprobarentur. Quod autem directè de ſolo Iacob loqueretur, conſtat ex verbis: *Vt propoſitum Dei maneret, non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt ei. Quia maior ſeruiet minori, ſicut ſcriptum eſt: Iacob dilexi, Eſau autem odio habui.* Ex quo etiam conſtat, hunc locum, qui elicitur ex Malachia, vbi de iure primogenituræ loquitur; non de electione ad gratiam, aut gloriam; hic rurſus ab Apoſtolo ad idem arguendum afferri; nam affert illum ad probandum illud Geneſ. 25. *Maior ſeruiet minori.* Quod multi non aduertentes dixerunt, Malachiam quidem loqui de iure temporali primogenituræ; at Apoſtolum de electione Dei ad gloriam, vel ad primam gratiam. Quoad reprobationem verò Eſau à gratiâ, & gloriâ, addit Seraphicus; ſi de ea loquitur, eam adſcribere iuſtitiæ Diuinæ ex eius demeritis, vt dicit Gloſſa; & idem docet vbique D. Auguſt. præcipuè *epiſt.* 105. & *lib.* 1. *ad Simpl. quæſt.* 2. Cæterùm videtur magis, quoad Eſau, loqui de reprobatione temporali, nam ibidem componit Eſau, & Iſmaëlem reprobatos; & ex altera parte Iſaacum, & Iacobum electos. At Iſmaël ſaluus eſt, vt aduertit Toſtatus, nam de eius morte, ſicuti de morte aliorum ſanctorum ſcribitur. *Appoſitus eſt ad Patres ſuos.* 58

Non tenuerem etiam expoſitionem Suarez, illud: *Eſau odio habui*, non ſignificare odium, ſed minorem amorem Dei, quàm erga Iacob. *Deus enim nihil odit eorum, quæ fecit*, vt dicitur Sap. 11. & *diſſimulat peccata hominum propter pœnitentiam*; vt dicitur *Ezechiel.* 18. Nullum autem odio habet reprobando, abſque culpa, vt notat ibi S. Bonau. 59

S. Bonau. non enim odit facturam ſuam, ſed vitam eius. Vnde ait: *Iniquos odio habui.* Pſal.118. & *odiſti omnes, qui operantur iniquitatem.* Pſal.5. & *Altiſſimus odio habet peccatores.* Eccl.12. Vnde ſubdit: *Parcis autem omnibus; quoniam tua ſunt Domine, qui amas animas.* Itaque non modò non reprobat poſitiuè; ſed neque negatiuè animas, abſque earum culpa. Vnde non dicitur Eſau odio habitus; ideſt minùs dilectus, eò quòd negauerit illi gratiam congruam, vt malè exponunt Vaſquez, Pennottus, Faber, Arriaga, ob rationes ſuprà allatas; neque id tenent quicunque defendunt, prædeſtinationem ad gloriam fieri ex præuiſis meritis, vt dicit Maſtrius *num.*247. nam D. Bonau. hanc interpretationem non admittit, neque multi alij; ſed dicitur minùs dilectus, quia minores gratias accepit.

60 Neqve de odio, ſeu reprobatione negatiuâ benè exponunt Bellarminus *lib.2. de gratia, & lib. arbi. cap.*16. Suar. *l.5. de reprobatione, cap.4. num.9. &* 10. & in opuſc. *l.2. de auxiliis, cap.5. num.7.* Molina *p.1. quæſt.23. art.5. d.3.* & alij, qui ità arbitrantur euitare argumentum Caluini, quod ex hoc loco acriùs vrget. Suprà enim oſtendi, odium negatiuum eſſe cum poſitiuo coniunctum.

61 Neqve rectiùs exponunt de electione ad gloriam, vel reprobatione ab illa. Smiſing. *quæſt.*8. & Maſtrius *loc. cit. num.*248. vt dixi *d.21. quæſt.7.* Quod oſtendo è D.Auguſt. *l. de corrept. & gratia, cap.7.* vbi ea, quæ hîc vocantur vaſa honoris, vocat vaſa miſericordiæ, ideſt, in quibus ſuam ponit miſericordiam, & gratiam; nam prout ordinantur ad gloriam, vocantur vaſa iuſtitiæ; vt ipſe fatetur Maſtrius. Neque rectè ità exponunt, Deum elegiſſe Iacob gratis ad gloriam; & abſque alia cauſâ negaſſe iſtam electionem Eſau, ex mera ſua voluntate Diuina; hoc enim refutatum eſt *diſp.21. quæſt.7.*

Ad ſimilitudinem figuli reſpondet D.Bonau. *d.41. quæſt.2. & ad cap.12. Sap.* Deum adeo iuſtè punire, vt nulla relinquatur cenſuræ anſa; vt latiùs dicam *ad* 2.

Obiiciunt ſecundò illud Sap.12. *Neque Rex, neque Tyrannus inquirent de his, quos perdidiſti. Cùm ergo ſis iuſtus, iuſtè omnia diſponis: ipſum quoque, qui non debet puniri, condemnas, & exterum æſtimas à tua virtute.* Ergo Deus, ante præuiſionem culparum, aliquos damnauit.

62 Idem videtur aſſerere Apoſtolus Rom.9. *Quod ſi Deus volens oſtendere iram, & notam facere potentiam ſuam, ſuſtinuit in multa patientia vaſa iræ, apta in interitum, vt oſtenderet diuitias ſuas in vaſa miſericordiæ.* Et ſubintelligitur. *Quid adhuc conqueritur homo?* eſt enim in ſermone Eclypſis. Ergo prius vult oſtendere iram, ideſt homines ad pœnas deſtinauit, & ad hoc permiſit labi, & ſuſtinuit.

Confirmatvr exemplo, quod affert, Pharaonis. Dicit enim Scriptura Pharaoni. *Quia in hoc ipſo excitaui te, vt oſtendam in te virtutem meam*, ideſt ad hoc permiſi, te labi; vt infligerem tibi pœnam ab æterno paratam.

63 Respondetvr, illum textum *Sap.* in editione; excuſâ iuſſu Sixti V. ſic habere: *Ipſum quoque, qui non debet puniri, condemnare, exterum putas à tua virtute.* Et hoc modo ſenſus eſt pro nobis, vt aduertit etiam Vaſquez *cap.7.* Arriaga *ſect.2.n.22.* Maſtrius *num.*251.

Attamen ipſe Pontifex, quia etiam opera D.Bonau. recudi iuſſit, antiquam editionem in eo conceſſit, vt eius expoſitio, quæ apta omninò eſt, remaneret. Sic autem exponit. Cùm præmiſiſſet ſapiens. *O quam bonus, & ſuauis eſt Spiritus tuus in omnibus, ideoque eos, qui exerrant, corripis, & de quibus peccant, admones; vt relictâ malitiâ credant in te Domine.* Statim addit, iuſtificationem Diuinæ cauſæ in exterminio Chananæorum, qui erant peſſimi, & tamen dabat eis Deus locum pœnitentiæ, etiamſi ſciret eos peruicaciſſimos, adeoque æquitatem ſeruabat, vt nullus videns punientem iuſtè poſſet ſciſitari: *Quare ſic agis?* ſicuti *Rom.9.* dicitur: *Numquid dicet lutum figulo: Quid facis?* Quia ſicut maſſa ſpurca non poteſt prætendere fieri in vaſa menſæ Regiæ; Sic neque maſſa peccatorum, maximè infandorum, quales erant Chananæi, conqueri valent de Dei iuſtitia, vt dicitur Iob 9. *Si æquitas iudicij quæritur, nemo audet teſtimonium dicere.* Subdit: *Quis tibi imputabit, ſi perierint nationes, quas tu feciſti? Neque Rex, neque* 64
Tyrannus in conſpectu tuo inquirent de his, quos perdidiſti. Cum ergo ſis iuſtus, iuſte omnia diſponis. Itaque nemo, ſiue Princeps, ſiue Tyrannus iuſtitiam Dei carpere poteſt, quia iuſtiſſimus eſt; quod probat Pſal.118. *Iuſtus es Domine, & rectum iudicium tuum.* Tob.3. *Iuſtus es Domine, & omnia iudicia tua iuſta ſunt.* Pſal.118. *Iudicia Domini vera, iuſtificatá in ſemetipſa.* Et ſubdit: *Ipſum quoque, qui non debet puniri*, ideſt, qui adeò peruicax, vt fruſtrà flagelletur, vel corripiatur in hac vita, condemnas tanquam incurabilem in aliâ vitâ; atque hunc exterum putas à tuâ pietate, quia ſe omninò indignum tuâ pietate reddit recalcitrando paternis verberibus, ſicuti Pharao. Ità etiam Maſtrius *loc. cit.*

Secvndo exponit ſic. Eum, qui non debet puniri pœnâ æternâ, condemnas ærumnis huius vitæ, & agis ac ſi exter eſſet à tua pietate; ità æſtimare facis eum exterum à tua bonitate, ſicut contigit in Tobia, in Iob, & dicitur Heb.12. *Flagellat omnem filium, quem recipit.* Mundani enim videntes aliquos Dei ſeruos ærumnis contuſos, æſtimant eos à Dei pietate excluſos, ob eorum culpas. Sic amici Iob ſanctiſſimum virum proclamabant. Sic Melitenſes inſulani Apoſtolum, à vipera morſum, conclamabant. Ita etiam Lyra *ibi*, & Maſtrius *loc. cit.*

Locvs autem *Rom.9.* infert (vt ait S. Bonau.) 65
Pharaonem, & alios reprobos, ſuppoſita Dei præſcientia de eorum culpis, deſtinari iuſtiſſimis pœnis. Sicut & gentes illæ Chananæorum maledictæ, ex præſcientia fuère, vt exponit Gloſſa ad illud Geneſ.9. *Maledictus Chanaan.* Hæc S.Bonauentura.

Obiicivnt tertiò. Cauſa reprobationis debet eſſe ante primum effectum reprobationis, ſed primus effectus reprobationis, eſt primus effectus culpæ, & ante hanc non datur alia culpa, præter Originalem, quæ poteſt eſſe ablata per Baptiſmum: Ergo. Maior probatur ex Ariſtotele 8. *Phyſ.* Nam mouens, eſt ante motum.

Respondet S. Bonau. primum effectum reprobationis non eſſe primam permiſſionem peccati, ſed permiſſionem illius peccati, quod durat in finem, & hoc in adultis ſemper habuit aliam cauſam, in alio peccato præcedenti. Quod autem non ſit prima permiſſio, probatur. Nam multi ſancti peccauerunt; & tamen ſalui ſunt. Eadem doctrinâ, vt dixi, vtitur Valentia.

Obiicivnt quartò. Si daretur cauſa reprobationis in reprobo, & hæc eſſet voluntaria; ſequeretur in poteſtate reprobi eſſe non reprobari: Ergo & prædeſtinari. Nam, qui non reprobantur, ſunt prædeſtinati.

Respondet S.Bonau. conſequenter ad ſua fundamenta; vt fatetur Vaſq. *n.64.* in noſtra poteſtate eſſe non reprobari, quia poſſumus à culpis abſtinere Diuino auxilio, quod præſto eſt. Similiter & prædeſtinari; 66

quia, licèt non poſsîmus mereri prædeſtinationem, tamen in nobis eſt aliquid liberum, quod ſit motiuum prædeſtinationis, vt oſtendi *quæſt.*12. *d.*21. vbi ſatisfactum eſt etiam bis, quæ hic refricat Vaſquez.

Obiicivnt quintò. Si demerita Eſau fuère cauſa reprobationis: Ergo & merita fuere cauſa prædeſtinationis Iacob, è D. Auguſt. *l.*1. *ad Simpl. quæſt.*2.

67 Respondetvr, ibi D. Auguſtinum hoc, & alia dubitando obiicere; attamen, vt notat D. Bonau. *quæſt.*2. in reprobo demerita nouit; at in prædeſtinato ſolum motiuum occultum; vt dixi *d.*21. *quæſt.*12. Aliquando etiam S. Auguſt. accipiens prædeſtinationem, & reprobationem coniunctim, dicit, non fieri ex meritis; intelligit autem vtramque non fieri ex meritis; ſed ſolam reprobationem. Aliquando etiam comparatiuè loquitur, quærens: Cur hic potſus prædeſtinetur, quàm ille, ad ſola Dei iudicia appellat; quia, licet prædeſtinatio fiat ex aliquo motiuo; tamen occultiſſimum eſt; & ſæpè ille, qui prædeſtinatus eſt, plura peccata committit, quàm alius, qui erit aliàs magis malitioſus; vt obſeruat Toſtatus de Amon iuuene, & Manaſſe eius Patre, omni flagitiorum genere coinquinato; è quibus tamen hic ſaluatus, ille damnatus eſt; quia, vt ait S. Clemens Papa: *Cogitauit Amon cogitationes tranſgreſſionis malas. Pater meus à iuuentute multa fecit iniquè, & ſic concupiſcet anima mea, & poſtea reuertar ad Dominum. Et peccauit ſuper omnes, qui fuerunt ante ipſum; & exterminauit eum Dominus à terra bona, & irruerunt in eum ſerui eius, & occiderunt.* Sæpè etiam ille, qui minora patrauit, in illis duriùs, obſtinatiúſque permanet, & hæc eſt prima proles reprobationis. Idem reſpondet D. Bonau. *d.*40. *ad litteram Magiſtri.*

68 In omnibus vbique hortatur Seraphicus cum D. Auguſt. & Apoſtolo; vt exclamemus venerabundi: *O altitudo diuitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei, quam incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius!* & D. Auguſt. *tract.*26. & cum eo D. Bonau. ad 6. Ioan. *Quare hunc trahat, illum non trahat, noli quærere, ſi non vis errare.* Ideò ſæpius *epiſt.*105. *l. de bono Perſeuer. cap.*11. & *l.*1. *ad Simpl. quæſt.*2. & *de corrept. & gratia, cap.*5. vbi quærit: cur hunc potiùs liberet, quàm alium: ſed ad iudicia Dei inſcrutabilia confugit.

Alivd quoque in D. Auguſt. oportet grauiter aduertere, in quod impingunt aduerſarij. Sæpè S. Aug. dicit, prædeſtinationem eſſe liberalem, & gratuitam liberationem de maſſa perditorum. Ex quo deducunt, cauſam reprobationis; ſi quæ datur, eſſe peccatum Originale, quod omnes in mortis æternæ cataſtam coaceruauit.

69 Respondetvr tamen, S. Patrem adſcribere quidem remotam originem perditionis peccato Originali, vt notat Trigoſius citandus; attamen non ſoli, ſed etiam actualibus. Ideò epiſt. 105. ait: *Ac per hoc inexcuſabilis eſt omnis peccator, vel reatu originis, vel additamento propriæ voluntatis.* Similia habet de maſſa iſta *l. de bono perſeuer. cap.*14. & ad idem pertinet id, quod habet, cap. 19. Enchir. *Creatura rationalis, quæ in hominibus erat, peccatis, & originalibus, & proprijs tota perierat.* Itaque maſſa illa totam peccatorum colluuiem claudit, vnde eruuntur peccatores ad ſalutem, vt obſeruat etiam Gregorius de Valentia *p.*3. ante quintam probationem ſuæ aſſertionis, cum D. Bonau. *d.*41. *quæſt.*2. *in corpore.*

70 Igitvr primus effectus prædeſtinationis non eſt originale peccatum, quia ab eo mundati tot prædeſtinati ſalui ſunt; imò plurimi quoque è reprobis ita emundati, vt nihil eis damnationis remanſerit. Neque ſunt prima peccata actualia; nam & tot ſancti, qui nunc beati ſunt, mortalia patrarunt. Porrò non negaſſe antecedenter Deum reprobis auxilia efficacia ex parte ſua, oſtenditur. Quia Deus conqueritur, eos non veniſſe efficaciter. *Prouerb.*1. *Iſa.* 65. *Hierem. Matt.*23. & ſexcentis locis. Neque vllo modo hominibus eſt negatum auxilium congruum, ſed neque Angelis reprobis, & ideò illorum reprobatio non eſt reijcienda in meram Dei voluntatem, vt putant Suarez, & Maſtrius. Sed in eorum malam voluntatem, abutentem gratiâ congruâ.

Alioqvi, ſi Deus antecedenter, non dicam, negaret gratiam congruam; ſed negatiuè ſe haberet; ſequeretur non creaſſe Angelos, & homines ad finem beatitudinis, atque eorum perditio inciperet à Deo, cùm tamen omnes poſitiuè condiderit ad beatitudinem, quod patet; nam non creauit ad damnationem; (hoc enim eſt Caluini deliramentum;) neque creauit ad nullum finem, hoc enim eſſet agentis improuidi; & ſi homo non eſſet ordinatus ad gloriam, non eſſet illi pœna carêre beatitudine. Præterea quorſum dat media ad ſalutem reprobo? Cur Sacramenta? Cur admonitiones? Ita arguit Zumelius, non ſatis quidem ad ſuam doctrinam conſequenter: ſicut nec ſatis conſequenter ſoluit Nazarius *quæſt.*23. *art.*5. *contron.*3. vt notat Maſtrius *num.*272. 71

Hvc poteſt reuocari argumentum S. Bonau. ſolidiſſimum allatum *d.*21. *quæſt.*12. Sequi, Deum eſſe acceptatorem perſonarum, dum aliquos prædeſtinat, alios abſque cauſa non vult prædeſtinare. Quo argumento vtuntur alij apud Vulpem *d.*40. *art.*3. *n.*10. 72

Respondet Maſtrius *num.*277. non dari acceptationem perſonarum, vbi non interuenit debitum, ex D. Aug. *l.*2. *cap.*7. contra duas epiſtolas Pelagianorum.

At non affertur ad rem locus D. Auguſt. qui negat ſolùm acceptationem perſonarum eo ſenſu Pelagianorum, qui volebant gloriam nobis ex natura debitam eſſe abſque gratia, & prædeſtinationem eſſe nobis præparatam ex præuiſis noſtris meritis, vt notat etiam Trigoſius *quæſt.* 18. *art.* 10. *dub.*4. §. *Quarto nota*; vt ipſe Auguſtinus ibi exponit; at nos inducimus ſequelam hanc, ſuppoſitis diuinis promiſſionibus, ſuppoſitâ gratiâ; & quod caput eſt, ſuppoſitis Chriſti meritis pro toto hominum genere depoſitis. Itaque concludendum, negationem prædeſtinationis ſub hac formalitate, eſſe acceptationem perſonarum.

Imo vrgeo cum Fabro, hanc eſſe vltionem ante culpam; nam excluſio illa, ſeu, vt malunt, negatio prædeſtinationis, eſt maxima pœna, & radix omnium ruinarum; nam inde oritur, vt præparet, ſecundùm aduerſarios, gratiam incongruam, vt ſinat cadere finaliter; ex quo ſequitur damnatio.

Neqve valet fuga aduerſariorum, quos memur Maſtrius *num.*277. quòd duplex eſt negatio prædeſtinationis: alia ſimpliciter, & abſolutè dicta, & eſt voluntas abſoluta nunquam eligendi; ſed à gloria reijciendi: alia ſecundùm quid, & eſt voluntas non eligendi pro vno determinato ſigno, ſeu potiùs ſuſpenſio electionis pro eo ſigno, quæ non excludit voluntatem eligendi pro ſequentibus ſignis, ſi impedimentum non ſuperueniat ex parte noſtra. Prima negatio eſt cauſa omnium malorum, & perditionis noſtræ; nam hæc opponitur directè prædeſtinationi, quæ eſt cauſa noſtræ ſalutis; non autem alia negatio, quæ ſuſpendit pro vno ſigno tantùm, nec eam excludit in aliis ſequentibus ſignis, & huius non datur cauſa in reprobo. 73

Hæc tamen doctrina ſuprà confutata eſt. Rurſus verò eam refelio. Et primò ex doctrina D. Aug. quæ valdè vrget; nam vbicumque locis allegatis aſſignat prædeſtinationis aliquorum decretum; opponit ei ſaltem negationem prædeſtinationis reliquorum, & ei cauſam aſſignat, 74

aſſignat ; vt patet legenti. Et dum ſcrutatur finem in prædeſtinando, aſſignat & in reprobatione negatiua, quam ſuſpenſionem vocant aduerſarij : Ergo intentionem etiam circa reprobos Deus habet, nec vllo ſigno manet ſuſpenſus.

Afferam loca D. Auguſt. quæ ipſi aduerſarij afferunt pro reprobatione negatiua. Primò, Maſtrius num.268. affert hæc loca D. Auguſt. Tract.26. in Ioan. *Cur hunc trahat, illum non trahat, noli iudicare, ſi non vis errare*. Ep.105. circa medium. *Cur autem iſtum potius quàm illum liberet, ſcrutetur, qui poteſt, iudiciorum eius tam magnum profundum; veruntamen caueat præcipitium*. Idem habet *cap.9. de prædeſt. ſanctorum*, & alibi frequenter, dum cum Apoſtolo exclamat. *O altitudo, &c*. Et *O homo, tu quis es, qui reſpondeas Deo? An non habet poteſtatem figulus luti, ex eadem maſſa facere aliud vas in honorem; aliud verò in contumeliam*. Quæ verba (ait Maſtrius) accipienda ſunt de reprobatione negatiua.

75 Hæc eadem, & ſimilia affert Tannerus *d.3. quæſt.4. dub.1.* vbi de fine prædeſtinationis agit, quæ loca repetit *q.7. dub.3. aſſert.1. n.18.* pro reprobatione negatiua. Eadem loca affert Suarez *l.5. de Reprobat. cap.5.* Eadem omninò loca afferunt ferè cæteri.

Deinde illa ſignorum diſtributio, fictitia conuincitur, quod nempe in primo ſigno aliquos prædeſtinauerit, negans hoc beneficium cæteris, quibus expectanda eſſent ſequentia ſigna, ne impedimentum occurrat. Quis enim neget, Deum in hac electione iſtorum tantùm habuiſſe finem indiuiduum, & conſequenter etiam in negatione huius beneficij cæteris? Num fortuitò reprobos pro ſequentibus ſignis exponit diſcrimini alicuius impedimenti? Præterea omnes fuiſſe ſimul, oſtendi *d.21. quæſtione* 10. Itaque primò facta eſt liberatio omnium quotquot liberandorum, vt ſæpè indicat D. Auguſt. Gratis expectant iam ſegregatis electis.

Tandem ex ordine ſignorum ad Scoti regulam, infertur, non eſſe rectā Dei voluntatem in reprobos. Nam in primo ſigno reſpiciens Deus præſentes Petrum, & Iudam; decreuit efficaciter, Petrum beare, antequam eius merita præſciret: circa Iudam verò nihil de gloria decreuit, ſed negatiuè; vt aiunt, ſe habuit. Secundò ſtatuit vocare Petrum, & gratiam ſuam illi dare: at circa Iudam, negatiuè adhuc ſe habuit. In tertio præfiniuit permittere, vt Iudas laberetur in peccatum vſque ad vltimum vitæ, & ex duabus illis negationibus poſitis, ipſum præuidit in peccato moriturum. In quarto præuidens Deus vtriuſque exitum, decreuit Petro dare gloriam; & Iudam æterno ſupplicio punire.

76 Primò quidem eſt manifeſta contradictio: nam quo pacto Deus ſolummodo ex duabus illis negationibus electionis ad gloriam, & deſtinationis ad gratiam, præuidit, Iudam in peccato moriturum, ſi negatiuè tantùm ſe habuit circa illum; & nil in Iuda vidit? Secundò ſi tantùm ex defectu illo electionis, & collationis gratiæ hanc ſecuturam vidit ruinam; ſequitur, Deum eſſe damnationis Iudæ authorem. Præterea ſequitur, Deum eâ intentione negaſſe electionem ad gloriam; & collationem gratiæ, vt Iudam perderet. Præterea non poteſt eſſe, Deum in collatione gratiæ, ſe habuiſſe circa Iudam merè negatiuè, ſed potius ſtatuit negare gratiam efficacem, quâ deficiente permittitur peccatum poſitiuè; vt infert Vaſquez *numero* 11. Vbi igitur eſt voluntas, vt omnes ſalui fiant? Omitto primum ſignum falsò aſſignari, vt oſtendi *d.21. q.7.* Sanè primò electionem compleuit, alios non electurus.

77 Ex dictis habetur, qui ſint effectus reprobationis, qui variè aſſignantur, pro varietate opinionum de cauſa reprobationis.

Primò enim peccata, etiam ſi admittantur data eſſe in pœnā, non ſunt effectus reprobationis, vt ſuppoſui à principio. Similiter nec obſtinatio, & perſeuerantia in peccato. Ratio allata eſt initio; Quia Reprobatio eſt actus Dei immanens, atque adeò effectus illius ſunt à Deo; at peccatum non poteſt eſſe à Deo; vt dixi. Ita Seraphicus *d.40. art.3. q.2.*

Secundò neque permiſſio peccati Originalis, neque peccatorum actualium, ſunt effectus reprobationis. Probatur. Quia hæc fuêre in ſanctis plurimis, qui tamen prædeſtinati ſunt. 78

Igitur primus effectus eſt permiſſio vltimi peccati, & durationis eius in finem, & hoc in pœnam iuſtiſſimam alicuius præcedentis, vel peruicaciæ in illo vltimo, à quo poſſet liberari peccator Diuino auxilio cōgruo non deficiente; ſed non vult, iuxta id Rom.2. *An diuitias bonitatis, patientiæ, & longanimitatis contemnis? Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? ſecundùm autem duritiem tuam & impœnitens cor theſaurizas tibi iram in die iræ, & iuſti iudicij Dei*.

Permiſſio autem peccatorum, quæ ante finem remiſſa ſunt non eſt effectus reprobationis, niſi quatenus in aliquo effectu, puta habitu permanentia ſimul cum aliis, ſunt cauſa perditionis. Ita communiter Doctores apud Tannerum *d.3. quæſtione 7. dub.2. num.17.* 79

Cæterum, cùm Deus ex parte ſua, etiam poſt præuiſa peccata, habeat voluntatem ſalutis omnium, eò quòd omnium eſt Redemptor; vt dicitur 1. *Tim.2.* Et omnibus det gratiam ex parte ſua congruam; tota ratio primi effectus reprobationis adæquata reducitur ad iuſtiſſimam permiſſionem permanentiæ in peccato, & immiſſionem mortis. Vnde ſequitur ſecundus reprobationis effectus, ideſt, æterna damnatio, quam omnes Theologi aſſerunt eſſe ſecundum effectum reprobationis cum Magiſtro *d.40.* & D. Thom. *artic.3. quæſt.23.* Per damnationem autem non intelligunt Theologi ſententiam Dei, ſeu decretum: nam hæc potiùs eſt ipſa reprobatio. Sed intelligunt ipſam perditionem reprobi, & in Infernum præcipitium. Et hic eſt effectus præcipuus reprobationis. 80

QVÆSTIO IV.

Quo pacto obduratio ſit culpa, vt à reprobo; & ſit pœna, vt à Deo.

{ D. Bonau. d.40 art 4. q.1. & 2.
D. Thom p.1. q.79 artic.3. & in 1. d.40. q.2. artic 3.

Obduratio, quæ in Scriptura *excæcatio*, & *reprobus ſenſus* dicitur, dupliciter ſumitur, vt ait D. Bonauentura hîc. Primò pro ipſo peccato, quo vocationi Dei reſiſtitur. Secundò pro ſubtractione gratiæ, vel permiſſione durationis in peccato. 81

Fuit hæreſis antiquitus emortua, à ſectariis ab Inferis excitata, Deum ita eſſe cauſam obdurationis hominum, ſicuti & gratiæ. Eos vide in Bellarmino *l.2. de amiſſ. gratiæ*. Hic error damnatus eſt in Concilio Trid. *ſeſſ.6. can.6.* & anteà in Arauſ.2. *can.25.* & in Valentino *cap.3.* imperante Lothario. Et hoc ipſum obijciebant Pelagiani S. Auguſt. tanquam eius è doctrina conſequens, à quo ſe expurgat *l. de articulis*, ſibi falsò impoſitis, qui tamen liber editus creditur à S.

Proſpero acerrimo in hac etiam cauſâ ſui Magiſtri Auguſtini propugnatore ad *capitula Gallorum*, *cap.*6. & *ad* 6.& 11.*obiec. Vincent.* Quem errorem refutauimus etiam *d.*16.*q.*13.

Assero primò, Deum non eſſe cauſam obdurationis contra ſectarios.

82 Probatvr primò à D. Bonauentura *quæſt.*1. ex Apoſtolo *Rom.*2. vbi in peccatorem eaoſam reijcit. *Secundùm autem duritiam tuam, & impœnitens cor theſaurizas tibi iram in die iræ.* Vbi Gloſſa. *Induratio eſt perſeuerantia mentis in malitia pertinaci.*

Probatvr ſecundò à S. D. è D. Auguſtin. *l. de præd.SS.* Obduratio eſt reſiſtentia mandatis Dei exhibita; hoc autem eſt agere contra voluntatem Dei præceptiuam, vt aduertit D. Ambroſius *l.de Paradiſo*, *cap.*8.

83 Probatvr tertiò à S.D. Id, quod reſiſtit, & opponitur gratiæ Dei, eſt culpa, nec eſt à Deo. Talis eſt obduratio: Ergo. Minor eſt certa. Maior probatur; nam Deus ſuâ gratiâ quærit emollire, & hortatur, ne nos obduremus, Pſalm.90. *Hodie ſi vocem Domini audieritis, nolite obdurare corda veſtra.*

84 Probatvr quartò. Id, quo aliquis ſe liberè ponit in eſſe aliquo, eſt ab eo, non extra. Sed obduratione, vnuſquiſque ſe talem conſtituit: Ergo. Maior eſt D. Auguſtin. *l.de vera relig. capite* 22. Minor pariter eſt eiuſdem S. Auguſtin. *l. de gratia, & lib. arbitr. cap.*23.

85 Probatvr deinde à Seraphico *quæſt.*2. & primò authoritatibus, quibus proteſtatur Deus, ſe neminem excludere ab aditu ſalutis. Ioan.6. *Omnis qui venit ad me, non eijciam foras.* Apoc.3. *Ego ſto ad oſtium, & pulſo; ſi quis aperuerit, intrabo, & cœnabo cum illo.* Secundò ex Ioan.1. *Illuminat omnem hominem*, vbi D. Auguſtin. tract.1. *Sicut cæco lux eſt præſens; ipſe autem eſt abſens luci; ſic omni iniquo præſens eſt ſapientia: ipſe tamen eſt abſens.* Confirmatur ex D. Anſelmo *l.de lib. arb.* Vide alios Patres in Bellarmino *l.*2. *de amiſſ. gratia*, *cap* 9.

86 Probatvr ſecundò à S.D. ratione. A bono per eſſentiam, non poteſt eſſe malum. Deus eſt bonus per eſſentiam; & obſtinatio eſt mala: Ergo. Quá ratione vſus erat Plato *Dial.*2.*de Rep.* dicens. *Bonorum quidem ſolus Deus eſt cauſa dicendus: malorum autem quamlibet aliam, præter Deum, cauſam quærere decet.* Et infrà. *Malorum alicui cauſam eſſe Deum, cum bonus ſit, refellendum eſt omninò, nec permittendum hoc quemquam dicere in ſua ciuitate, ſi bonis inſtrui legibus ciuitas debet.* Fuit ratio etiam Mercurij Triſmegiſti in *Pimandro, c. vltim.* vbi ait: *A Deo factore nihil turpe, nihil malum prodire.*

87 Fvit quoque ratio D. Athanaſij, orat. contra Idola. *Id* (ait) *abſurdum, & impoſſibile fuerit. Non enim eſt ex bono malum, neque in eo eſt, neque per eum; alioqui pro bono haberi non poſſet, cum aut Miſcellaneam, aut contrariam naturam haberet, aut cauſa, auctorque malorum exiſteret.* Eandem rationem tribuit D. Antonio in eius vita.

88 Fvit etiam ratio D. Gregorij Nazianzeni *orat.*1. *in Iulianum*, ante medium, vbi ait: *A quibus ille conſiliis (diuinæ prouidentiæ) non ille quidem ad malum excitatus eſt; Deus enim nullo modo cauſa eſt mali, quippe naturâ bonus, vitiumque eius eſt, qui elegit, haud tamen ab impetu ſuo, animique propoſito repreſſus eſt.* Eadem ratione vtitur S. Epiphanius, hæreſi 66. *Abſurdum eſt* (*ait*) *malitiam Deo tribuere, & Diuina, ac Eccleſiaſtico Scriptura character hoc conſitetur, Deum penitus alienum, & impermixtum a malo eſſe. Deus enim nil mali fecit, ſed omnia valdè bona, vt qui bonus ſit naturâ.*

89 Eandem adhibet S. Cyrillus Alex. *l.*3. *in Iulianum* circa medium. *Igitur bona quidem, & benè operans, imò ipſa bonitas eſt, Diuina, & ineffabilis natura; non ignorauit autem malum, ſed nouit non practicè.* Ità etiam Tertullianus, l. de Trinit. *Nec enim poteſt fieri, vt ſit initiator, aut artifex alicuius mali operis, qui nomen ſibi perfecti vendicat, & parentis, & iudicis.*

Itidem S. Auguſtinus *l.*6. *Hypognoſt.* circa medium. 90
Abſit hoc à ſummo bono, Iudice, auctore omnium bonorum Deo, damnatore verò cunctorum malorum, quia mala Iudæ; vt prædixi, præſciuit; non fecit. Idem habet *l.*3.*de lib. arb. cap.*16. infià citando. Et D. Fulgentius *l.*1.*ad Monim.* præ refellit errorem Caluini, & concludit, cap.21. *Et ſicut competit Deo bono, vt cauſa ſit totius operis boni; ſic incongruum eſt, vt reputetur cauſa cuiuſlibet operis mali.*

Probatvr tertiò ea quæſtione à D. Bonauentura 91
Dei perfecta ſunt opera. Deuteron.32. Ergo, quod intrinſecè dicit imperfectionem, non poteſt eſſe à Deo. Talis eſt obſtinatio: Ergo. Maior probatur à D. Bonauentura: Quia cauſa producit, ſecundùm quod ipſa eſt. Minor probatur: Quia eſt defectus rectitudinis, & dicit deficiens arbitrium. Hac ratione vtebatur Gentilis ille Maximus Tyrus, *ſerm.* 25. vbi agens de causâ mali moralis ait. *Eius nomen eſt improbitas, cauſamque ab eligentis arbitrio nanciſcitur, Deo ſemper extra omnem cauſam conſtituto.* Eſt ratio quoque Tertulliani *loc.cit.* Et D. Hieronymus *in cap.*7. *Eccleſ.* explicans ea verba. *Deus creauit hominem rectum*, ait: *Ne videretur Deum authorem mali facere, arguto præcauit, & ait, bonos nos à Deo creatos; ſed quia libero ſumus arbitrio derelicti, vitio noſtro ad peiora delabi.*

Et D. Auguſtin. l.12. Confeſſ. cap.11. *Hoc ſolum* 92
à te non eſt, quod non eſt, motuſque voluntatis à te, quâ eſt ad id, quod minùs eſt, quia talis motus delictum, atque peccatum eſt. Idem habet *l.de ſpiritu, & litt.cap.*31. & *l.*3.*de lib.arb.cap.*16. eleganter *Omninò non inuenio, nec inueniri poſſe, & prorſus non eſſe confirmo, quomodo tribuantur peccata noſtra Creatori noſtro Deo; quando & in ipſis eum laudabilem inuenio, non ſolùm, quod ea punit; ſed etiam quod tunc fiunt, cùm ab eius veritate receditur.* Et D. Gregorius 29. *Moral.cap.*21. idem infert dicens. *Dominus author eſt naturæ, non culpæ.* Hoc argumento vſus eſt etiam Scotus *d.*41. *quæſt. vnica*, quod S. Bonauentura, tanquam validiſſimum *in corpore* confirmat.

Assero ſecundò, obdurationem, prout eſt ſubtra- 93
ctio emollientis gratiæ, eſſe à Deo.

Probatvr à D. Bonauentura, primò ex illo Rom.9. *Cui vult miſeretur, & quem vult indurat.* Vbi D. Auguſt. l.1. ad ſimpl. quæſt.2. *Obduratio eſt nolle miſereri.* At Deus non vult miſereri aliquorum, vt dicit D. Aug. *l.de gratia, & lib.arb.* Ergo.

Confirmatur à Seraphico ex illo Exod.4. *Ego indurabo cor Pharaonis*, Vbi D. Aug. *Indurauit Deus cor Pharaonis iuſto iudicio.* Ex quo fit, indurationem, vt eſt à Deo, eſſe pœnam.

Hvc aduocat S. Bonauentura *ad cap.*12. *Ioan.* illud. 94
Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Iſaias. Excæcauit oculos, & indurauit cor eorum. Hoc autem, quod dicitur, non potuiſſe eos credere, obſeruat S. Chryſoſtomus, *homil.*57. *in Ioan.* non eſſe cauſale, ſed euentum præſcitum; ſcilicet eos non potuiſſe; ſuppoſito quòd vellent in ſua obſtinatione perſiſtere. Excæcare autem dicitur non illuminando, quo ſenſu dicitur Iob 34. *Inducit noctem, & conterentur*, vt exponit D. Gregor. 25. *Moral. cap.*9. propè finem, vbi multa de hoc habet. Et D. Aug. *l.de Geneſ.cont. Manichæos*, *l.*1. *cap.*3. ait: *Deus dicitur facere tenebras, quia lumen non dat.* Eodem ſenſu Iob 12. *Si incluſerit hominem, nullus eſt, qui aperiat.* Vbi D. Gregorius *l.*11. *Moral. cap.*5.

ait:

ait: *Includere Dei, eſt clauſis non aperire; & obdurare per iuſtitiam dicitur, quando cor reprobum non emollit.* Et D.Bernardus, l.1. de Conſider. *Cor durum eſt, quod non compunctione ſcinditur, nec pietate mollitur, nec mouetur precibus.* Vide Seraphicum *ibi*.

95 Observat autem D. Bonau. *quæſt.* 1. obdurationem è rebus corporeis eſſe tranſlatam. In rebus autem corporeis Durum eſt, quod eſt inhabile ad ſuſcipiendum; ſtabile ad perſiſtendum; forte ad reſiſtendum; vt patet in ſaxis. Sic & peccator obſtinatione redditur inhabilis ad aquam gratiæ ſuſcipiendam, & eſt pœna conſequens culpam. Secundò eſt in peccato ſtabilitus; & hoc modo eſt culpa, ſeu effectus, & diſpoſitio inducta à peccato præcedenti. Tertiò obduratus reſiſtit, & rebellis impugnat Dei gratiam, & hoc modo eſt ſpeciale peccatum in ſpiritum ſanctum. Cùm autem Deus permittit hominem ſic peruerſum, & rebellem in ſua iniquitate permanère, nec influit ampliorem gratiam efficaciſſimam; vt emolliat, tunc punit peccatorem obdurando. Quare non indurat poſitiuè; vt blaſphemat Caluinus, influendo ad perſiſtendum in peccato; ſed ſolùm ſubtrahendo emolliens auxilium. Neque Deus in hoc iniuſtus eſt, vt aduertit S.D. *q.* 2. *ad argum.* Sicut ſi aliquis eſſet dignus morte, ac fame perire, & poſſet iudex eum paſcere, & nollet cibum porrigere. Si quæreretur, quis occidit? Reſponderetur, eum ſibi mortem emeritum; Iudicem autem permiſiſſe; & quidem iuſtè; multò verò magis id permittit Deus, qui gratiam non denegat neceſſariam, & ex ſe efficacem; ipſe autem obſtinatus eam repellit. Itaque Deus non dans gratiam ampliorem, non eſt incuſandus.

96 Hinc obſtinati meritò reprehenduntur à Deo; quia cùm poſſint conuerti, quippe auxilium ſatis, ſuperque ſufficiens habeant, conuerti nolunt. Quare etiam obduratus Pharao ſæpè increpatus eſt Exod. cap. 6. 7. 8. & 9. *Vſquequò non vis ſubyci mihi? Dimitte populum.*

Certitudo autem iudicij Diuini de peruicacia obſtinati non nititur in eo, quòd Deus velit negare auxilium congruum, vt putant Bellarm. ſupra, alijque: ſic enim antecedenter eſſet à Deo, quippe negante auxilium neceſſarium ad conuerſionem; ſed conſiſtit in præſcientia, qua Deus vidit futuram peruicaciam peccatoris, vt docet D.Bonau. *d.* 40. *art.* 1. *q.* 2. *in reſolutionibus.*

97 Melchior Cano *l.* 2. *de locis, cap.* 4. *&* 7. ait, Deum indurare non modo ſubtrahendo ſuauitatem gratiæ, ſed etiam vtendo miniſterio Satanæ, vt inſtrumento. Sed vt notat Seraphicus *in* 2. *d.* 10. *dub.* 1. & *d.* 37. *art.* 2. *quæſt.* 1. explicans id 3. Reg. vlt. *Quis decipiet Achab?* & ſpiritui ſe offerenti reſpondit Deus. *Egredere, & fac ità; decipies, & prævalebis.* Et Vaſquez *d.* 95. *c. vlt.* Deus quidem concedit poteſtatem Satanæ, ſed vſum non præcipit; ſed tantùm permittit. Ideò dæmones non dicuntur angeli Dei propriè, quia à Deo non mittuntur, ſed potius dicuntur angeli Satanæ, quia ab illo diriguntur.

98 Addit Cano, Deum eiſdem luminibus obcæcare peruicaces, ſicut ſol eodem lumine, quo emollit ceram, indurat lutum; ſed neque hoc ſubſiſtit; Nam, vt ait D.Bonauentura, gratia emollit, non indurat: illuminat, non excæcat; excæcatur autem, qui peruicaciter lucem fugit, neque enim gratia eſt cauſa vniuerſalis effectuum ad modum Solis.

99 Driedo de *capt. & redempt. tract.* 5. *cap.* 4. addit, Deum obdurare offerendo aliquas occaſiones, quibus ſcit indurandum, ſicuti fecit ſigna coram Pharaone. Qua doctrinâ ſuppoſita explicat Vaſquez *d.* 95. *c. vlt.* D. Auguſtinum *l.* 1. *contra Iulianum, cap.* 3. & *l. de gratia, & lib. arb. cap.* 21. dum ait: *Deum tradere in reprobum ſenſum non modò deſerendo; ſed etiam inclinando, iuxta id* Prou. 21. *Cor Regis in manu Domini; quocunque voluerit, inclinabit.* Sed neque hic modus, ſic nudè explicitus, placet, niſi addatur, Deum offerre occaſiones, vt reſipiſcant peccatores, ſicuti offerebat ſigna Pharaoni, vt crederet.

Val addendum, Deum deſerere, & inclinare quidem in actus, qui non ſunt peccata; ſed tamen ſunt in damnum. Hoc autem deduco ex ipſo D. Auguſtino qui affert illa 2. *Reg.* 17. cùm Deus infatuauit conſilium Architophel, & quidē vt Abſalonem puniret, & 3. *Reg.* 12. cùm Roboam non audiuit conſilium ſeniorum; in hoc tamen Roboam non peccauit, quia non tenebatur imperioſis capitulationibus ſubditorum ſubiacère. Et illud 2. *Paral.* 21. vbi dicitur, Deum ſuſcitaſſe ſpiritum Philiſtijm, vt inuaderent terram Iuda ob peccata Ioram, in quo Deus eſt Dominus abſolutus. Sicut excitauit Iſraëlitas ad priuandos regnis Chananæos. 100

Illud verò etiam affert 4. *Reg.* 14. vbi Amaſias non audiuit conſilium Ioas, ſed voluit bellum: & redditur ratio. *Quoniam conſilium Dei erat, vt traderetur in manus eius*; hoc enim explicatur ſic, Deum non dediſſe lumen illi, vt videret ſuum exterminium, ſed permiſit, eum decipi, & arma arripere, vt ſic puniretur ob peccata. Idem ſignificat *Ezech.* 14.

Ex his omnibus corruunt obiectiones hæreticorum, quas reſpui etiam *d.* 16 *q.* 13.

Observat etiam Vaſquez *loc. cit.* cum D. Bonauentura *hic, quæſt.* 1. *fundam.* 4. Deum dici obcæcare, auferendo illuminationes; obdurare, non dando motiones; aggrauare aures, non inſpirando, ſumptâ ratione, quâ nos inſtruimur ordinariè ad operandum per viſum, & auditum ad cor. 101

Sumpta igitur obduratione, aut obcæcatione pro ſubtractione gratiæ, Deo attribui poteſt, vt docent D. Bonauentura *hic*, D. Th. 1. 2. *quæſt.* 79. *art.* 3. Sotus, *l.* 1. *de natura, & gratia, cap.* 18. *& in* 4. *d.* 15. *quæſt.* 1. *art.* 1. Canus *loc. cit.* Roffenſis *artic.* 36. contra Lutherum. Driedo de *concord. lib. arb. cap.* 1 & *vlt. ad* 4. quos refert Vaſquez *loc. cit.* neque tamen cauſa eſt in Deum proijcienda, quod ex ſolutione argumentorum *quæſt.* 2. conſtabit. Et quidem authoritates expoſitæ ſunt, nempe Deum eſſe cauſam obdurationis; vt dicit negationem gratiæ.

Obiicies adhuc. Omne ens eſt à Deo. Obduratio eſt ens: Ergo.

Respondet D.Bonauentura obdurationem, quæ eſt induratio in corporibus, eſſe aliquod poſitiuum; ſed in ſpiritualibus eſſe carentiam, ſeu defectum habilitatis ad diuinas influentias ſuſcipiendas. 102

Obiicies ſecundò. Qui habet curam alicuius, & eum ſinit perire, eſt cauſa perditionis. Deus eſt omnium Pater, & poteſt emollire peccatores, & non emollit: Ergo eſt cauſa eorum ruinæ.

Respondet S. Bonauentura eum, qui tenetur ſuccurrere, eſſe in cauſa; at Deus non tenetur ampliorem dare gratiam vnicuique; minùs autem peruicaci, qui ordinariam repellit. 103

Obiicies tertiò. Si aliquid eſt cauſa alicuius; & oppoſitum eſt cauſa oppoſiti, vt ſi habere pulmonem eſt cauſa reſpirationis, non habere pulmonem eſt cauſa, vt non reſpiretur; ſed velle miſereri, eſt cauſa gratificationis: Ergo nolle miſereri, eſt cauſa obdurationis.

Respondet S. Bonau. Maiorem veram eſſe de ea, quæ eſt cauſa proxima, & tota cauſa; at licèt Deus ſit cauſa gratificationis, requirit tamen conſenſum arbitrij; quo fit, vt ſubtractio gratiæ non ſit tota cauſa

obdura

obdurationis; ſed liberum arbitrium deficiens à rectitudine, & nolens Deo ſubdi; vnde meretur ſubtractionem amplioris gratiæ.

Obiicies quartò. Si aliqua duo ſint ſimilia, nulla proprietas conueniet vni, quæ etiam alteri non competat, vel ſi alteri conueniet, extra adueniet ex Ariſtotele 2. *Phyſ.* t.30. Eſau, & Iacob ſunt ſimiles in natura, & meritis. Ergo cùm Eſau ſit obduratus, non Iacob, oportet è cauſa extrinſeca id aduenire. Sed non datur, talis cauſa, niſi Deus: Ergo.

105 Respondet Trigoſ. *q.*18.*art.*8. de mente Seraphici, ambos eſſe Originali peccato infirmos; & Eſau iacère in propriâ infirmitate: Iacob autem releuari Dei virtute: vnde obduratur, quia Deus eſt cauſa ſubleuationis vnius, & peccatum Originale eſt cauſa obdurationis alterius.

106 Hæc tamen reſponſio non eſt ad mentem Seraphici: Quia reſpondens ad *vltim.* dicit, cauſam obdurationis in adultis eſſe peccatum actuale. Dei autem voluntas non eſt cauſa, niſi ordinans illato pœnam pro illa culpa, & ſic cauſa obdurationis ſemper reducenda eſt in liberum arbitrium. Quare infert Trigoſius in *Margine* cum S. Bonauentura, non poſſe obduratum de Deo conqueri, quia propria culpa obduratur, & hoc fatetur Trigoſius poſt paucas lineas reſpondens cum D. Bonauentura *ad vlt.* Addit verò Trigoſius, peccatum Originale eſſe cauſam reprobationis tantùm in pueris. Quo magis eius implicantia apparet: & prætereà D. Bonauentura non definit, Originale in pueris vniuerſaliter eſſe cauſam reprobationis. Nam multi ſalui ſunt; ſed eſſe Originale, vt manet vſque ad mortem, iuxta curſum naturæ, cui Prouidentia Dei ſe accommodat, quod poſteà docet *d.*41. *quæſtione* 2.

QVÆSTIO V.

An Deus omnibus paruulis prouiderit media neceſſaria ad ſalutem.

107 Prima opinio eſt, paruulis naturaliter morientibus in vtero, vel vbi non eſt aqua, Deum non prouidiſſe media ſufficientia. Id ſenſiſſe omnes vſque ad ſuam ætatem clamat Vaſquez *d.*96 *cap.*2. multos non ritè afferens: Becan. *cap.*10. *quæſt.*6. Heſſel. *com. in Paulum*, Cæſar Vaninus, *execr.*6. Alarc. *de præd. d.*1. *cap.* 8. Eſtius *in Paul.* Ioan. à S. Thom. *quæſt.*23. *art.*3. Ruitz *d.*49. *ſec.*3. Macedo *Coll.*12. *diff.*3. *ſec.*2. Remig. cum Logdun. *cenſ.*3. *Conuent. Cariſiaci*, Prudentius Epiſcopus *op. Pariſ.* Lupus Seruat. *ep. ad Carol. R.* Amolo *ep. ad Goteſch.* Ratramnus *de præd. l.*1. Florus *aduerſ. Erigenam, cap.*18. Dried. *de capt. tract.*5. *cap.*3. Toſt. *in* 4. *Exod. quæſt.*12. Caiet. in 19. Io. Roff. *art.*26. Tapper. *in artic.*7. Bannes *quæſt.*23. *art.*8. *d.*3. Gonzal. *d.*77. *ſec.*5. Aluar. *l.*15. *de Aux. d.*12. dicens eſſe communem Thomiſtis, Michaël Medio. *de recta fide, l.*3. Villegas *contron.*16. *d.*2. *cap.*3. Ex his multi extenduntur etiam ad adultos.

Hanc magis obuiam Patribus ait Tapper. Addit Macedo eſſe D. Auguſtini, quod probare conatur. Sed iam reſpondi *d.*16. *quæſt.*9 *d.*21. *quæſt.*7. & 10. *art.*12. *& diſput. hac quæſt.*3.

109 Oppositam ſuſtinent quotquot *d.* 16. *quæſt.*9. allati explicant *ad* 1. *Tim.*2. *Deus vult omnes homines ſaluos*: At paruuli ſunt homines, vt annuit D. Bonauent. *d.*46. *quæſt.*1. Auguſtino *l.*4. *in Iul.* vt ibi oſtendi cont. Macedum, qui eam ante Vaſquez à multis acclamatam refert. Ità D. Bonauentura *loc. cit. & d.*40. *art.*4. *quæſt.*2. & *in* 3. *d.*25. *quæſt.*2. *ad vlt.* Alenſ. *p. p. quæſt.*28. *m.*1. *ar.*2. D. Thom. *in* 4. *d.*6. *quæſt.*1, *artic.*1. *ad* 1. & 3. *cont. Gen. cap.*159. & *lec.*5. *in cap.*6. *Ioan.* & *lec.*2. *in cap.* 10. *Rom.* Sic adducitur à noſtris, Scotus *p. d.*46. *quæſt. vnica*, & *in* 2. *d.*37. & *in* 4. *d.*20. *quæſt.*1. vt referunt Ruitz *d.*40. *ſec.*3. Faber *p. diſp.*62. *cap.*2. Vulpex *d.*41. *art.*5. *&* 6. Maſtr. *d.*9. *quæſt.*1. Adr. 4. *quæſt.*1. *de Pœn.* Capr. 1. *d.*46. *quæſt. vnica, art.*3. *d.*3. Rich. 2. *d.*28. *art.*1. *quæſt.*3. *ad* 4. Dur. 3. *d.*25. *quæſt.*1. Feſt. *loc. cit. contr. Gent.* Soto *l.*1. *de nat. & gratia, cap.*18. Vega *lib.*5. *in Trid. c.*6. Bellarm. *l.*2. *de Grat. cap.*5. Suarez *l.*4. *cap.*3. Trigoſ. *quæſt.*18. *art.*8. *d.*5. *dubit.*1. vbi oppoſitam temeritatis notat Arriaga *d.*39. *ſec.*3. dicens, eſſe in Societate Ieſu communem, Caſp. *de præd. d.*5. *ſec.*4. Smiſing. *d.*6. *ſec.*4. Tanner. *d.*4. *de Gratia, quæſt.*2. *d.*2. Morand. *de repr. quæſt.*5. Herize *d.*35. Ribas *d.*9. *cap.*4. Pennot. *l.*7. *cap.*21. Valent. *p.*2. *d.*8. *quæſt.*3. *p.*4. Leſſius *de præd. ſec.*6. Arrub. *d.*9. Braoc. *d.*27. *quæſt.* 10. Lez. *t.*1. *tract.*4. *d.*9. *quæſt.*4. Faſol. *d.*1. Aueiſ. *d.*25. *ſec.*3. *ſubſ.*3. Turrianus *op.*1. *diſput.*4. Ex his multi vniuerſim locuti, qui & Patres referunt; SS. Dionyſ. *de cæleſt. Hier. c.*9. Clem. Alex. *l.*2. *ſtrom.* Chryſoſt *hom.*7. *in Ioan.* & *hom.*26. *ad Hebr.* Naz. *or.*21. *de laud. Ath.* Cyrill. Theophil. Euthym. aliiſque apud D. Bonauentura *in id Io.*1. *illuminat omnem hominem*; Maldon. *ibi*; ait hunc eſſe omnium Græcorum conſenſum. Ex Latinis Cypr. *Ep.*59. Hilar. 2. *Trin.* Ambr. *ſerm.*8. *in pſ.*118. Hier. *in ep ad Tit.* Arnob. *l.*2. *adu. Gent.* Oroſius *Apol. pro libert.* Alios etiam citat Ruitz *d.*39.

109 Fundamentum tertium S. Bonauenturæ, eſt ſolida huius opinionis baſis, 1. Timot. 2. *Deus vult omnes homines ſaluos fieri*, quod iecimus *d.*16. *quæſt.*9. *& d.*21. *quæſt* 7. 10. *&* 12. & *hîc, quæſt.*3. Hanc in Deo fuiſſe etiam præuiſo lapſu originis, ibi oſtendi, ex ratione Apoſtoli. *Vnus eſt enim mediator Dei, & hominum, homo Chriſtus Ieſus, qui dedit ſemetipſum redemptionem pro omnibus*; alioqui gratis eſſet mortuus pro paruulis. Vnde idem Apoſtolus Rom. 5. *Sicut per vnius delictum in omnes homines in condemnationem: ſic per vnius iuſtitiam in omnes homines in iuſtificationem vitæ*, vt aduertit Caſpenſis cum D. Bonauentura è D. Auguſt. *lib.*4. *in Iulianum, cap.*8. vbi reſtringit quoad efficaciam ly *in omnes* etiam ad paruulos, ſufficienter enim quis neget, ad eos id ſpectare?

110 Hic non ſatisfacit Vaſq dicens, Deum habuiſſe hanc voluntatem antecedentē beneplaciti, attamē efficacem habuiſſe non ſaluandi; nam oportet, vt facta ſit immutatio in illa voluntate beneplaciti ex parte alicuius obiecti, vel in Deo, vel in connotato; vt arguit ipſe Vaſquez *d.*82. *c.*5. *&* 6. Sed in paruulis non eſt facta aliqua mutatio, ſecundùm Vaſq. Nam perſeuerarunt cum ſolo Originali; neque in Deo. Minùs valet alia ſolutio Vaſquez, Apoſtolum loqui de ſolis adultis, eò quòd ſubdit; *ad cognitionem veritatis venire*, quod paruulis non poteſt conuenire; hoc enim eſt contra D. Auguſt. *l.*4. *cont. Iulianum*, vbi paruulos includendos ait, quos dicit venire ad agnitionem veritatis per Baptiſmum, infunditur enim eis habitus fidei. Confirmatur ex 2. *Reg.* 14. *Omnes morimur, &c. nec Deus vult perire animam.* Et 1. Ioan. 2. *Ipſe eſt propitiatio pro peccatis totius mundi.*

111 Vasqvez fatetur, ſe credere Deum non denegare vllis paruulis fructum ſuæ paſſionis. Ex quo infert Faber cum D. Bonauentura *loc. cit.* Ergo nec denegat media ſufficientia.

112 Respondet ſecundò, Chriſtum oraſſe pro paruulis illis, conformando ſe Patris voluntati, à quo non eſt oratio exaudita.

At non minùs voluntate Diuina, quàm humana, voluit

voluit omnium ſalutem, Ioan. 3. *Sic Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret: vt omnis, qui credit in ipſum, non pereat, ſed habeat vitam æternam.* Et 1. Tim. 2. *Deus vult omnes homines ſaluos fieri. Vnus eſt enim mediator Dei, & hominum Chriſtus Ieſus.* Ergo Deus pro omnibus oblationem Chriſti acceptauit.

113 SIMILITER ergo falſum eſt, quod ait Vaſquez, non oraſſe Chriſtum pro paruulis, qui fuerant ante aduentum ſuum. Contra enim eſt, quod ait Apoſtolus Rom. 3. *Omnes peccauerunt, & egent gloria Dei. Iuſtificati gratis per gratiam ipſius, per redemptionem, quæ eſt in Chriſto Ieſu, quem propoſuit Deus propitiationem per fidem in ſanguine ipſius ad oſtenſionem iuſtitiæ ſuæ, in remiſſionem præcedentium delictorum.* Confirmatur. Ideò enim in Apoc. dicitur. *Agnus occiſus ab origine mundi;* Sicut autem Deus, reſpiciens merita futura Chriſti, potuit exhibère remedia ſalutis infantibus illis; ita etiam reſpiciendo futuras eius ſupplicationes, ac eò magis, quò orationes erant meritorum applicationes.

ASSERO, Deum dediſſe omnibus paruulis remedia ſufficientia ad ſalutem.

114 PROBATVR ex iactis fundamentis, quibus omnia aduerſariorum argumenta corruunt. Confirmatur. Alioqui Chriſtus non eſſet eorum Redemptor contra Apoſtolum *Rom. 5. Prima Tim. 4.* Nec ſatis eſt reſpondère, ob id fuiſſe illorum Redemptorem, quia pretium erat ſufficiens etiam pro eis; nam erat ſufficiens etiam pro dæmonibus, nec tamen eſt eorum Redemptor.

OBIICIVNT primò. Infantes, qui moriuntur in vtero matris, nequeunt vlla via recipere Baptiſmum neceſſarium ad ipſorum ſalutem.

115 CAIETANVS 3. *p. quæſt.* 68 *artic.* 2. & 11. aſſeruit, poſſe abſque Baptiſmo ſaluari, ſigno Crucis, aut inuocatione Trinitatis, aut alio modo; ſed hic in editione Romana expunctum eſt, iuſſu Pij V. Nam firmum eſt illud Ioan. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non poteſt intrare in regnum Dei.*

GABRIEL *in* 4. *diſt.* 1. *quæſt.* 2. *dub.* 2. ait, Deum ſuâ potentiâ, quæ non alligatur Sacramentis, fortaſſe aliquos ex his paruulis ſaluare. Alij dicunt poſſe mulierem illam, per Martyrium, ſalutem puero acquirere; vel ſinere ſe ſecari, vt infans baptizetur, tametſi impoſſibile ſit, ſuppoſita tali cauſarum ordinatione.

VRGET Vaſquez, eam cauſarum ordinationem eſſe à Deo: Ergo Deus efficaciter impedit media neceſſaria ad infantis ſalutem.

116 ATTAMEN hoc ſolùm conuincit, Deum voluntate efficaci, non voluiſſe eorum ſalutem, ſed ſolùm ſufficienti, quâ ordinauit media ſalutis; accomodando tamen ſe curſui cauſarum ſecundarum, quibus alia etiam aptauit. Neque verò ad generalem prouidentiam ſpectat immutare concurſum cauſarum ſecundarum. Itaque *Deus ſic res adminiſtrat, vt res proprios motus ſinat agere,* vt docet D. Auguſt. & hoc eſt, quod aiunt Suarez, & Herize cum Morando, paruulos pereuntes habuiſſe media ſalutis remotè. Addunt & cum Caſpenſi, ea media præparata infantibus in ipſis parentibus, qui ſi meliores fuiſſent, vel oraſſent pro infantulo recepiſſet ille ſalutem. Quam doctrinam probabilem exiſtimat Arriaga *diſp.* 39. *ſec.* 3.

117 RESPONDENT Ribas, Caſpenſis, nullum eſſe infantem, qui non potuerit baptizari. Nam, qui ab adultis occiduntur, poterant baptizari. Deinde, qui in vtero intereunt manifeſtâ parentum culpâ, moriuntur. Quod ſi ob debilitatem virtutis ad fœtum deducendum ad terminum deficiunt, hoc etiam vitari potuit; nam per ſe eſt, vt quæ concipit, poſſit etiam fœtum incolumem edere. Quare, quæ non parit viuum, aliquam dedit occaſionem; ſeu quia aliquas illuſtrationes Dei non audiuit, aut conſilia non admiſit eorum, quorum interuentu, Deus infanti ſalutem procurabat, potuiſſent enim inſpirari, per preces, ſiue Medicum adeuntes, imbecillitati matris ſubuenire.

ANNVIT Herize *d.* 35. *cap.* 1. addens *cap.* 3. *D. Auguſtinum, ep.* 107. *l. de natura, & gratia, cap.* 8. *& de bono perſeuer. c.* 12. id non negare, ſed velle, contra Pelagianos, eos iuſtè damnari.

QVÆSTIO VI.

An Deus prouiderit omnibus reprobis adultis media ſufficientia ad ſalutem.

D. Bonau. 1. d. 40. art. 4. q. 3. & d. 41. q. 1. & in 4. d. 14. p. 2. art. 1. q. 2.
D. Thom. 3. p. q. 82. art. 1. & 10.

PELAGIVS omnibus dabat auxilia, quia datur natura, ſic explicans id 1. *Tim.* 2. omnibus notum: eum ſecuti ſunt alij. Et tandem Sectarij apud Macedum *Coll.* 12. *differ.* 3. abutentes eo: *Deus vult omnes ſaluos fieri.* Montanus verò, lapſis tantùm poſt baptiſmum negabat gratiam: Nouatus autem apoſtatis à fide. Sed Armac. *l.* 9. *err. Armen.* nonnullis. 118

Multi ſanè Catholici, allati *quæſt.* 5. aiunt, negari nonnullis ſufficiens auxilium, adultis ſanè. De infidelibus ait Eccleſia Lugdun. cum Remig. quos refert, ac ſequitur Macedo §. 2. hac victus ratione. *Facienti quod in ſe eſt viribus naturæ, Deus gratiam non negat; & non facienti, negat.* Sed aliqui non faciunt: Ergo. Sanè hoc Semipelagianorum eſt; cui dico, Deum expectare, vt faciamus præuenti ſuo auxilio; vt dicam 1. 2. *tract. de Gratia, d.* 1. De Chriſtianis induratis aiunt multi *loc. cit.* Sed præcipui hoc circunferunt falsò, nam Henric. *quodl.* 8. *quæſt.* 5. ſubdubitat. Ruardus cum Roffenſi non aſtruunt firmè. Fateor id ſentire Gregor. *d.* 46. Adrian. *quæſt.* 3. *de Pœnit.* Toſtatum, & Caietanum latos *quæſt.* 5.

COMMVNE tamen Scholaſticorum placitum fert, nulli reprobo negari in via ſufficiens adiutorium. Eos retuli *quæſt.* 5. pro noſtra ſententia, Præcedunt SS. Doctores hic cum aliis, quos ſecutus retulit P. Macedo *in Cortina in mente Innocentij, in Scrinio Auguſtini,* præcipuè *cap.* 11. *in Conuentu Euchologico in Harmonia exercitiorum S. Ignatij, cap.* 22. Sequuntur multi ex his, qui infantibus negant; vt Aluar. *d.* 102. Vaſquez *d.* 98. Driedo *cap.* 3. & 5. Hanc Morandus *quæſt.* 5. ait Patrum, & Theologorum calculis eſſe receptam. Ideò Trigoſ. *quæſtione* 18. *artic.* 8. *d.* 5. oppoſitam erroris inſimulat. Et P. Rhodes, *T.* 1. *q.* 2. *ſec.* 2. & Comptonus *p. d.* 58. *ſec.* 8. ambo Ieſuitæ, grauiter inuehuntur in illam, & in reſtringentes voluntatem Dei circa noſtram ſalutem; de qua 1. *Tim.* 2. Memini P. Theodorum Foreſtum, Magiſtrum meum, Lectorem vniuerſæ Religionis, dixiſſe, oppoſitam ſententiam altè tumulandam, maximè in concionibus, neque nominandam, quippe quæ peccatores à Deo, & à pœnitentia auerſos efficiat.

ASSERO primò, poſſe quemlibet viatorem in hac vita ſaluari. Eſt de fide definitum in Concilio Niceno *can.* 8. & in Concilio Romano ſub Cornelio Papa, contra Nouatum, vt refert Euſebius *l.* 6. *Hiſt. c.* 8. 119

ASSERO ſecundò conſequenter, nulli reprobo negari auxilia ſufficientia ad ſalutem. Multi multa ad hoc congerunt argumenta; ſed ſatis ſuperque ſunt argumenta Seraphici, cuius nemo meminit; neque ipſe Trigoſius Commentator.

PROBATVR

121 PROBATVR primò à D. Bonauentura *ad ſap.* 15. ex illis verbis: *Miſereris omnium, quia omnia potes, & diſſimulas peccata hominum propter pœnitentiam. Diligis enim omnia, quæ ſunt, & nihil odiſti eorum, quæ feciſti: Parcis autem omnibus: quoniam tua ſunt Domine, qui amas animas.* Obſeruat autem S.D. hîc, ſermonem eſſe de Ægyptiis, & Chananæis, quos (ſapiens ait) potuiſſet Deus punire immittendo Leones, Vrſos, & ad nihilum redigere, & tamen animalculis duexaſſe miſericorditer, ne in æternum puniret; ſicuti etiam infandos tempore Noë non ſtatim occidit, ſed dedit centum annos pœnitentiæ, & proteſtatus eſt. *Non permanebit ſpiritus meus in hominibus iſtis in æternum, quia caro ſunt.* Rationem duplicem reddit. Prima eſt: quia omnes ſunt Dei facturæ; altera: quia Dei infinita eſt miſericordia, vnde & maximos peccatores diligit, & expectat, nemine excepto. Non excipit Ægyptios, nec Regem eorum obſtinatiſſimum ac adamante duriorem; non Chananæos, non Aſſyros, non Holofernem, Senacheribum, Amanum, aut aliquem huius farinæ obſtinatum. Itaque omnes obduratos includit, vt aduertit S.D. omnes enim complectitur infinita Dei miſericordia; quia *Miſerationes eius ſuper omnia opera eius.* Pſalm. 144. *Vniuerſa via Domini miſericordia, & veritas.* Pſalm. 24. *Miſericordia Domini plena eſt terra.* Pſal. 145. *Ideo omnes expectat, vt ait Apoſtolus.* Rom. 2. *Ignoras quòd benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit.* Et Ezech. 18. *Si egerit impius pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis: vitâ viuet, & non morietur.* Idem habetur *Eccleſ.* 14. & 15.

122 ALTERA etiam ratio, quæ ſumitur ex titulo creationis, roboratur à D. Bonauentura, illis verbis Sap. *Diligis omnia, quæ ſunt; & nihil odiſti eorum, quæ feciſti.* Etenim. *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona.* Geneſ. 1. Vbi Gloſſa. *Bonus Opifex opus ſuum diligit.* Vnde infert, Deum velle deſtruere peccatum, non peccatorem; quia peccata remittere proprium eſt Dei, vt orat Eccleſia: *Deus, cui proprium eſt miſereri ſemper, & parcere,* nam peccatores ſunt res Dei. *Quoniam tuæ ſunt;* & hæc eſt ratio, quam affert etiam Deus, Ezech. 18. *Quoniam animæ meæ ſunt.* Ideò ſubdit rationem ſapientia. *Quia animas meas. Pro illis* (enim) *tradidit animam ſuam.* Ioan. 19. *Maiorem* (autem) *charitatem nemo habet, quàm vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis.* Ioan. 15. Vbi D. Bernardus *ſerm. de Paſſ. Domini* non procul ab initio *Tu maiorem habuiſti, eam ponens pro inimicis tuis.* Ideò media præparauit omnibus, etiam remotiſſimis, & barbaris. Marci vlt. *Prædicate Euangelium omni creaturæ.*

123 Ex his omnibus deducit S. Bonau. intentum Sapientiæ, nempe nulli deſperandum; quia, ſi Dei miſericordia adeò ſe extendit in obſtinatiſſimos, quales erant Ægyptij obduratiſſimi, vt dicitur *Exod.* 9. & Chananæi, qui etiam ipſi obdurati erant, vt dicitur *Ioſue* 11. multò magis omnibus aliis confert media ſaluti neceſſaria. Quod argumentum mox reſiicat.

PROBATVR ergo ſecundò à S.D. *ad caput* 12. *Sap.* ex illis verbis: *Si enim inimicos ſeruorum tuorum, & debitos morti cum tanta cruciaſti attentione, dans tempus, & locum, per quæ poſſent mutari à malitia; cum quanta diligentia iudicas ſeruos tuos?* Hoc argumentum efficaciſſimum eſt, vt teſtantur Herize *d.* 34. Arriaga *ſubſec.* 5. Suarez *num.* 2. Bellarminus, alijque. Hic enim agit de Ægyptiis adhuc, vt aduertit Seraphicus; & arguit à minori ad maius. Si Deus expectauit ad pœnitentiam Pharaonem, & Ægyptios, deditque eis media, vt ad pœnitentiam conuerterentur (quod inde

124 ſequitur, vt notat Bellarminus); ita vt Pharao ipſe obduratiſſimus poſſet conuerti; vt ipſe fatetur dicens. *Ego impius Peccaui.* Et Deus ipſe obijcit. *Vſquequo non vis ſubijci mihi?* quantò certiùs alios expectabit, vocabit, adiuuabit? Hinc infert S. Bonauentura, omnibus dati media ad pœnitentiam, vt dicitur *Apocal.* 2. *Iob* 24. *Matth.* 12. Et tandem 2. *Petri* 3. vbi clamat. *Deus patienter agit, nolens aliquem perire.* Quòd verò Ægyptios ita Deus expectarit, eiſque dederit locum pœnitentiæ, conferendo auxilia neceſſaria, ſine quibus non poſſent conuerti. Probatur adhuc ex illo loco Sap. *Qui autem ludibrijs, & increpationibus non ſunt correpti, dignum Dei iudicium experti ſunt.* Dum igitur aſſerit punitos ex Ægyptiis eſſe illos, qui correctionibus non ſunt emendati, infert, aliquos emẽdatos, quos refert ſequentibus verbis. *In ipſis, cùm exterminarentur, videntes, illum, quem olim negabant, verum Deum agnouerunt.* Idem repetit cap. 18. *De omnibus enim non credentes propter veneficia, tunc verò primum cùm fuit exterminium primogenitorum, ſpoponderunt populum Dei eſſe.* Quare *Exodi* 12. legitur, exiiſſe cum Iudæis vulgus promiſcuum innumerabile; vt aduertit Toſtatus. Etiam Gabaonitæ fœdere iuncti ſunt cum Hebræis, *Ioſue* 9. vt notat S. Bonauentura. Igitur etiam alij cognouerunt Deum: ſed noluerunt glorificare, quod de reprobis ait: Apoſtolus Rom. 1. *Reuelatur enim ira Dei de cælo, ſuper omnem impietatem, & iniuſtitiam hominum eorum, qui veritatem Dei in iniuſtitia detinent: quia quod notum eſt Dei, manifeſtum eſt in illis. Deus enim illis manifeſtauit: inuiſibilia enim ipſius à creatura mundi per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur. ſempiterna quoque eius virtus, & Diuinitas: ita vt ſint inexcuſabiles.* 125

SI igitur inexcuſabiles ſunt Barbari Pagani, ſignum eſt habere media ad ſalutem; alioqui ſi carerent mediis neceſſariis ad Deum colendum, excuſabiles eſſent, nec peccarent. Idem ſequeretur de cæteris; vt latè diſſerunt Aucrſa *quæſt.* 29. *ſec.* 5. Amicus *d.* 28. Quod ſi aliqui ex obduratiſſimis conuerſi; vt dicitur *loc. cit. Sap.* Ergo & alij habuêre media vt conuerterentur, & ideò inexcuſabiles iuſtum Dei iudicium ſubiêre; vt dicitur ibi *Sap.* 12. & Apoſtolus 1. *Rom.* idem deducit. 126

PROBATVR tertiò à D. Bonauentura *ad* 13. *Sap.* ex illis verbis: *A magnitudine enim ſpeciei, & creaturæ, cognoſcibiliter poterit Creator horum videri.* Et concludit. *Iterùm autem nec his debet ignoſci.* Intelligit autem eos, qui adorauerunt Solem, & Aſtra, qui excuſabiliores erant cæteris, adorantibus beſtias, & alia inferiora. Si ergo inexcuſabiles ſunt; ſequitur eos omnes, etiam Barbaros, adorantes idola, habere tantum à Deo lumen, vt ex ipſis creaturis ad Deum cognoſcendum exurgere poſſint. Id ruſus confirmat S.D. ex illo Act. 17. *Fecit ex vno vniuerſum genus hominum inhabitare ſuper vniuerſam ſuperficiem terræ, quærere Deum, ſi fortè attrectent eum, &c.* 127

Idem confirmat ex illo Ioan. 1. *Illuminat omnem hominem.* Et Matth. 5. *Solem ſuum oriri facit ſuper bonos, & malos; & pluit ſuper iuſtos, & peccatores,* quod de ſole, & pluuia gratiæ intelligit D. Ambroſius *ſerm* 8. *in Pſalm.* 118. Ignorantia ergo eorum non eſt inuincibilis, cui datur miſericordia; de qua Apoſtolus 1 *Tim.* 1. ſe excuſatum ait, vt prædeſtinaretur, & vocaretur. *Miſericordiam conſecutus ſum, quia ignorans feci.* ſed ait, fuiſſe ignorantiam craſſam; de qua 1. Cor. 14. *Ignorans ignorabitur.* Id autem probat, quia Idolum è ligno de Sylua exciſo, dolato, ſculpto, depicto, egenum fulcimenti, inſenſibilem truncum ſibi altè exponunt adorandum: thura emporant, victimas mactant, & ſuam in eum ſpem collocant. Vide Seraphicũ. 128

Ex his omnibus deducit, hos Barbaros in extremis etiam Peruani ſinus plagis, & Iſponiæ inſulis degentes, reos eſſe Diuini iuſtiſſimi iudicij.

Iterùm

Iterùm autem nec his debet ignoſci. Quod ſi media ſufficientia ad Deum adorandum, atque colendum non haberent, profectò non eſſent rei.

Neque tamen omni momento hæc auxilia danda monent Bellarminus *cap.*6. Driedo, Richardus *loc.cit.* Tannerus *num.*32. Smiſing *num.*164. Arriaga *num.*42. Morandus *num.*510. Ribas *num.*23. ſed quoties vrget neceſſitas præcepti implendi.

129 PROBATVR quartò à S.D. *ad* 14.*Sap.* vbi narratur Idolatriæ origo, cui omnium ſcelerum, atque abominationum origo adſcribitur, quas recenſet. Mox verò omnibus enumeratis ſceleribus, atque adeò ſceleratis. Infert. *Vtraque ergo illis euenient dignè*, nempè malum culpæ, quia ſic volentes permittuntur cadere: & malum pœnæ, quia iuſtè puniuntur. Vbi S.D. obſeruat particulam (*dignè*) Profectò enim non punirentur dignè, ſi peccarent ex defectu auxilij neceſſarij ad non peccandum. His capitibus *Sap.* probari optimè aſſertionem, obſeruat etiam Bellarminus.

130 PROBATVR quintò à D. Bonauentura *ad caput* 1. *Ioan.* ex illis verbis. *Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, vbi nullum penitùs excludit à lumine ſupernaturali, neceſſario ad ſalutem; vt obſeruat S.Bonauentura cum D.Auguſt. *tract.*1. *in Ioan.* vbi infert, eos, qui non illuminantur, ſponte oculos claudere, & in Sole cæcutire; de quibus Ioan.3. *Qui mala agit, odit lucem.* Et Pſalm.81. *In tenebris ambulant.* Idem docet Chryſoſt. *homil.*7.*in Ioan.* & alij Patres ibi. Lepidè Clem. Alex. orat. ad Gent. *Audite qui longè, qui propè, nulli celatum eſt verbum. Lux eſt communis, illuceſcit omnibus, nullus eſt in verbo Cimerius.*

131 PROBATVR ſextò à S.D. *d.*46.*quæſt.*1. & aliis locis adductis *quæſt.*3. *&* *d.*21.*quæſt.*12. maximè è ſanguine Chriſti pro omnibus peccatis effuſo; dedit enim pro omnibus pretium pretioſiſſimum ſui ſanguinis: Ergo nullum peccatum, nulluſque peccator manet, qui à Chriſto non habeat remedia ſalutis parata.

132 PROBATVR ſeptimò à D. Bonauentura *in* 3. *d.*31. *quæſt.*3. ex illo Ezech. 18. *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis, omnium iniquitatum eius non recordabor amplius. Conuertimini, conuertimini, &c.* eadem habet *cap.*33. Qua authoritate validè probari aſſertum, aduertit Arriaga *num.* 44.

PROBATVR octauò à S.Bonauentura *fund.*3. *in* 4. *loc. cit.* Nulli præcluditur via ſalutis, dum eſt in via. Ergo habet vnuſquiſque reprobus media neceſſaria. Anteced. eſt de fide ex Conciliis, Nicæno, & Romano, allegatis ſuprà.

133 PROBATVR nonò à S.D. *in ep.*25. *Memor.* Ex illo Matth. 11. *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos. Tollite iugum meum ſuper vos.* Vbi S.Bonauentura. *Ecce inuitat omnes inimicos, hortatur reos, allicit ingratos. Venite ad me omnes. O verba dulcia, verba Deifica, & penetrabiliora omni gladio ancipiti, vſque ad diuiſionem animæ pertingentia! Expergiſcere nunc anima Chriſtiana. Certè qui iſta non ſentis, infirmus eſt, alienatus eſt, iam proximus morti. Mirabilis prorſus infirmitas, miſeraque peruerſitas. Iam omnes inſenſibiles facti ſumus, & quaſi deteriores ſimulachris, habentes oculos & non videntes; aures & non audientes; rationem & non diſcernentes.* Iſaiæ 6. His, & aliis mellificis verbis ex eo loco oſtendit S.D. omnes etiam teterrimos peccatores à Deo vocari, & adiuuari: eorum verò obdurationem, de qua *Iſaia capite ſexto, &* *Ioan.*12. aſſeuerant, adeò ſtupidos reddere, vt nec oculis videre, nec auribus audire; nec corde queant intelligere; non ex defectu diuini auxilij; ſed ex eorum libera obſtinatione. Hac authoritate nituntur Vaſquez *num.*18. Suarez *n.*2. Bellarminus ſuprà, & alij.

CONFIRMATVR à D.Bonauentura 1.*d.*40. *artic.*4. 134
quæſtione prima, quia ipſe Deus nobis præcipit, Pſalm. 94. *Hodie ſi vocem eius audieritis, nolite obdurare corda veſtra.* Ergo nulli ipſe eſt cauſa obdurationis, negando auxilia ſufficientia neceſſaria. Hinc Apocal.3. *Ego ſto ad oſtium, &c.* quod ità declarant Concilia, Trident. *ſeſſ.*6.*c.*12.*&* 13. Senon. *decret.*15.

PROBATVR decimò à D. Bonauentura *ad* 6. *Ioan.* 135
ex illis verbis: *Omne quod dat mihi Pater ad me veniet: & eum, qui venit ad me, non eyciam foras.* Vbi S.D. ſibi obijcit. Ergo non eſt culpa non credentium, quia ſi dati Filio eſſent à Patre, veniſſent. Deinde videtur aliquos eijcere foras; vt dicitur de Eſau *Hebr.* 12. Reſpondet, quod Pater dicitur dare per æternam prædeſtinationem, & temporalem vocationem, Rom. 8. *Quos prædeſtinauit, hos & vocauit.* Deus quidem vocauit omnes; ſed increduli noluerunt venire; vt habetur *Lucæ* 14. in parabola cœnæ, à qua ſe excuſarunt voluntariè reprobi. Ad illud de Eſau, reſpondet cum D. Gregorio *lib.* 11. *Moral. capite quinto,* Eſau planxiſſe hæreditatis temporalis iacturam; non autem Diuinam gratiam deperditam, ideò non inueniſſe locum pœnitentiæ. Idem reſpondet S. Bonauentura *in quarto, d.*14. *p.*2. *quæſtione tertia*, & cum eo
Faber *loc. cit.* Suarez *in* 3.*p. loc. cit. aſſert.*1. & eodem 136
modo reſpondet Seraphicus *ibi* de Antiocho, qui non erat miſericordiam conſecuturus ſuorum delictorum, quia deplorabat amiſſam valetudinem, de qua deſperatus, Vota Deo ingeminabat; non dolebat autem pro peccatis, ideò quid mirum ipſum non fuiſſe exauditum?

OBIICIT ſecundò 1. *Ioan.* Eſt peccatum ad mortem, non pro illo dico, vt roget quis. Ergo datur aliquod peccatum, cui non datur amplius auxilium.

RESPONDET D.Bonauentura *in* 2.*d.*43. *dub.*1. *litt.* 137
duplex eſſe peccatum ad mortem. Alterum efficaciter ducens ad eam; eò quòd peccator obſtinatè perſiſtit vſque in finem, & non vult remedia, & hæc eſt finalis impœnitentia, quæ ſanè irremediabilem perditionem incurrit: alterum eſt peccatum diſponens ad mortem, qualia ſunt crimina aliquorum peruerſiſſimorum, habitu firmata, & de his ait: Non dico, vt pro hoc peccatore oret quis; cùm enim ſupra dixiſſet, omnes fideles orare debere cum fiducia pro fratre, ſperantes veniam illi obtinere; ſubdit, de quibuſdam peccatis enormibus aliorum, difficile eſſe de huiuſmodi veniam conſequi, quia inter incorrigibiles iacent, de quibus dicitur Matth.18. *Si te non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus, & publicanus*, ideò non eſt vniuſcuiuſque tantùm impetrare veniam. In neutro tamen ſenſu, ſumpto peccato, prohibet orare, ſed ſolùm admonet, ſuam hortationem ad rogandum pro proximo difficilè extendi ad huiuſce farinæ peccatores; ac proinde non omnis hominis eſſe pro quolibet ſceleſto orare. Hæc expoſitio maximè probatur Vaſquez *d.*97. *cap.*1. quam adſcribit Caietano, & indicatam ait à D. Hieronymo *Dial.*2. *contra Iouinianum.* Sic & Ribas *num.*26.

OBIICIT tertiò Matth. 12. *Qui dixerit verbum in Spiritum Sanctum, non remittetur ei in hoc ſæculo, neque in futuro.*

RESPONDET D. Bonauentura *in* 2. *d.*43. *artic.*2. 138
quæſtione ſecunda, peccatum iſtud eſſe finalem impœnitentiam, durantem vſque ad vltimum finem; & hoc, quis non videt eſſe irremiſſibile, cùm in termino extra viam duret? Ita exponit D.Auguſt. in Commentariis imperfectis *ep. ad Rom. cap.*11.*&* *epiſt.*50. prope finem. Et *lib.*4. *contra Creſconium capite* 8. & *de correp. &*

gratia, capite 12. Et hanc fuiſſe D. Auguſtini ſententiam vſque ad mortem, oſtendit Bellarminus *l.2. de pœnit. capite* 16. quia Enchiridium eſt poſtremò ſcriptum, & in eo idem aſſerit: & in *Retract. lib.* 1. *capite primo.*

Respondet ſecundò, quod ſi de blaſphemia in Spiritum Sanctum intelligitur; vt videtur Chriſtus intelligere, dum opponit verbum prolatum in Spiritum Sanctum, verbo prolato contra filium hominis. Et exponunt Athan. *orat. 2. in Arrianos*, Baſilius *in regulis Breu. reſp.* 253. Chryſoſtom. *homil. 42. in Matth.* Athanaſ. *in q. q. quæſt.* 68 quæ habentur ſecundo Tomo Bibliot. & Gloſſa relata à Seraphico; Reſpondet S. D. non eſſe abſolutè irremiſſibile, ſed difficilis remiſſionis. Quippè fidei veritas, & ſalutis baſis eo impugnatur, conuiciis impetitur, ſicuti tunc in Belzebub, &c. Sic & Ribas diſcurrit.

Respondet. Ergo, voluntatem obſtinatam in malo, & Spiritu Sancto rebellem, hîc aſſeri moraliter irreconciliabilem, quippè quæ, non modò gratiæ, ſed etiam diſpoſitioni ad gratiam obſtinatè reſiſtit. Ità reſpondet etiam D. Chryſoſt. quibus ſubſcribit Vaſq. *loc. cit.* Bellarminus *l.2. de pœnit. cap.* 16. oſtendens, eſſe communem Sanctorum PP. Sic & Ribas.

Obiicet quartò ex 6. ad Hebr. *Impoſſibile eſt, eos, qui ſemel illuminati ſunt, iterum renouari ad pœnitentiam.* Omitto nomen *impoſſibilis* pœnitentiæ, ab Anſelmo exponi *difficilis*; ſicut & 19. *Matth.* vt ait Ribas.

139 Respondet D. Bonauentura *in 4. d. 6. p. 1. quæſt. vlt. in corpore*, cum Ambroſio, Hieronymo, Oecumenio, Chryſoſtomo, Theophylacto, Theodoreto ad hunc locum, & D. Auguſtin *l. de vera, & falſa pœnit. cap.* 3. Apoſtolum hic loqui de renouatione per ſecundum Baptiſmum, quæ eſt impoſſibilis. Hæc autē aduerſus de Hebræis, qui ſemel baptizati ad iudaizandum reuertebantur, ne nouo baptiſmo ſperarent, ſe renouandos, & ait: non poſſe eos renouari ad pœnitentiam, ideſt, pœnitendo, & rurſum baptiſmū recipiendo reſtitui ad totalem innocentiam. Hinc ait, hos velle rurſum crucifigere Chriſtum, qui cum pro vno merendo baptiſmo laborauit, & paſſus ſit; iſti volunt rurſum, Chriſtum pro alio ſecundo baptiſmo mortem ſubire, cùm enim Baptiſmus nos cum Chriſto mortuo ſepeliat; vt dicitur *Rom.* 5. is, qui ſecundùm prætendit Baptiſmum, vult, Chriſtum ſecundò in Cruce deludi, & rurſus ſepeliri. Hoc ſenſu explicatur etiam illud Hebr. 10. *Voluntariè enim peccantibus, non relinquitur pro peccatis hoſtia*, à Theophylacto, Chryſoſtomo, Anſelmo, & aliis. Cùm enim Chriſtus ſemel obtulerit ſe hoſtiam pro vnico Baptiſmo, non relinquitur alius ſecundus Baptiſmus, quippè non fuit à Chriſto morte acquiſitus.

Vasquez *cap. 1. num.* 6. fatetur, hanc expoſitionem continêre doctrinam veriſſimam, non tamen cohærentem Apoſtolo. Quare, dum eam diſſonam oſtendere laborat, aliam ſuo marte diſcordantem confingit.

140 Nos igitur expoſitionem Seraphici, quam ex PP. eſſe ſolidiſſimam oſtendi, quam ſequuntur etiam Gloſſæ omnes. Lyrani, Ordinaria, & Interlinearis, concinnā probabimos cum Bellarmino *l. 1. de Baptiſmo, cap.* 18. *& l. 1. de Pœnit. cap.* 13. vbi obſeruat certò de Baptiſmo exponendum, quod Sacramentum fluminis à PP. appellatur. Scopus igitur Apoſtoli eſt admonêre Hebræos, qui ad ſuos ritus ad morem facilè reuertebantur, ac rurſum baptiſmo renouandos ſe ſperàbant; Chriſtum vnam hoſtiam pro vnico Baptiſmo obtuliſſe; ac proinde non dari alium baptiſmum ad regenerandum. Ità etiam repugnare nouum Baptiſmum, ſicuti noua Chriſti mors non erit.

Obiicit quintò Eccleſiaſt. 7. *Nemo poteſt corrigere, quem Deus deſpexerit.*

Respondet D. Bonauentura ad id, hoc verum de eo, qui volens reprobatur. Hæc ſanè reprobatio Deo 141
non eſt adſcribenda, quia is nequeat corrigi; ſed conſequenter. Sic & Morand. *n.* 519. Tannerus *n.* 26. Becan. *p. p. cap. 15. de Reprob. quæſt.* 17. Bellarminus *loc. cit.* vbi aducitur, D. Aug. in Enchir. *loc. cit. & l. de Pœnit. capite quinto*, retractaſſe, ſi quid anteà oppoſitum dixiſſet.

Obiicit ſextò è D. Iſidoro *l. de ſummo bono, cap.* 15. vbi ait: *Nonnulli ita à Deo deſpiciuntur, vt deplorare ſua mala non poſſint.* Similia habet D. Auguſtin. *l. 1. ad Simpl. quæſt.* 2. Et *de Prædeſt. ſanctorum, cap. 6. &* 8. Et *de bono Perſeuer. cap. 8. & 14.* Et *de prædeſt. & gratia, cap.* 15. De *natura, & gratia, cap.* 18. Et *in Enchir. cap.* 103.

Respondet D. Bonauentura *in 1. d. 40. art. 2. q. 1.* 142
& 2. S. Aug. loqui de impoſſibilitate præſcientiæ, ſuppoſita obſtinatione illorum, qui vocantur, D. autem Iſidorus tantùm difficultatem aſtruit, vt notat Ribas *num.* 27.

Vasquez alia loca D. Auguſtin. refert, quibus ait oſtendi, S. Patrem eſſe contra noſtram ſententiam, quod de illius etiam diſcipulis Fulgentio, & Proſpero aſſerit.

Id primò conatur oſtendere ex iis locis D. Auguſt. quibus aſſerit, neminem à Deo deſeri, qui prius Deum non deſeruerit. Ità in reſponſionibus ad articulos ſibi falsò impoſitos, *artic.* 7. vbi ait: *Qui* (ideſt Deus) *niſi priùs deſeratur, neminem deſerit; & multos deſertores ad ſe conuertit.* Quam reſponſionem habet etiam D. Proſper *ad obiec. Vincentianas, reſp* 7. & Fulgentius *l. 1. ad Monimum, cap.* 13.

Eandem ſententiam habet Concilium Tridentinum, *ſeſſ. 6. cap.* 11. vbi ait: *Deus namque ſuâ gratiâ iuſtificatos non deſerit; niſi ab eis deſeratur.*

Hoc autem profectò intelligitur de gratiæ auxilio; non de habitu gratiæ. Idem Concilium, *ſeſſ. eadem, capite* 13. ex eiuſdem Auguſtin. doctrina ſic loquitur de Perſeuerantia. *Nemo ſibi aliquid abſolutæ certitudine polliceatur, tametſi in Dei auxilio firmiſſimam ſpem collocare omnes debent. Deus enim, niſi ipſi eius gratiæ defuerint, ſicuti cœpit opus bonum, ità perficiet, operans velle, & perficere.*

Hvc ſpectare, ait Vaſquez, id, quod dixit S. Auguſt. 143
eodem lib. ad articulos ſibi falsò impoſitos, *artic.* 15. Et Proſper deſumpſit ad obiec. Vincent. reſp. 15. *Nemini autem Deus correctionis adimit viam, neque quemquam boni poſſibilitate diſpoliat. Quia, qui ſe a Deo diuertit, ipſe etiam velle quod bonum eſt, & poſſe, ſibi ſuſtulit.*

Respondetvr ex D. Bonauentura *loc. cit.* Augu- 144
ſtinum loqui de deſertione actuali conſequente eorum actualem obſtinationem. Falſum eſt enim, quod aliquis deſeratur in tota vita, & eſt contra D. Aug. *l. de correp. & gratia, c. 12. & ſequentibus*, & aliis locis. Senſus igitur eſt, ſuppoſita actuali deſertione hominis, Deum, qui eſt promptus dare auxilium, non poſſe ob pertinacem arbitrij reſiſtentiam. Hoc autem ſignificatur illis verbis D. Auguſtini. *Et multos deſertores ad ſe conuertit.* Signum ergo eſt; iſtos deſertores hàbere auxilium opportuno tempore, vt non modò poſſint; ſed etiam conuertantur, ſi velint; cùm multi de facto conuertantur. Concilium verò Tridentinum vult, Deum quidem iuſtificatis exhibêre auxilia ſufficientia ad obſeruanda mandata, & ad perſeuerandum, eamque ex parte Dei non deficere; ſed, ſi deficiunt à ſua efficacia; hoc eſſe ex actuali hominis reſiſtentia. Addo,

loqui

loqui Concilium etiam de gratia habituali, quæ non ſolùm ſanctificat, ſed etiam adiuuat ad opera ſancta; vt colligitur è Concilio Mileuitano,& oſtendam 1.2. *tract. de Gratia, d.*1. paſſim. Senſus ergo eſt. Niſi homo velit perdere gratiam recedendo à Deo; neque Deus illam ei adimit. Similiter: Niſi negligat petere donum perſeuerantiæ, & reſpondère Deo, poteſt homo perſeuerare. Hæc verò luce clariùs in Sacro Concilio extitent.

Omnia igitur vera ſunt conſequenter ad actualem arbitrij reſiſtentiam. Nam Concil. Trid. *ſeſſ.6.cap.*14. & tota *ſeſſ.*14. Et Concilium Lateranenſe *in c. Firmiter*, aſſerunt, ſemper dari in tota vita locum pœnitentiæ; vt monet Ribas à *num.*17.

145 Obiicit deinde Vaſquez aliam claſſem locorum D.Aug. quibus aſſerit, hominem ita aliquando deſeri, vt non ei imputetur, non obtemperare. Ità in expoſitione quarundam propoſitionum *ep.ad Rom.cap.*62. loquens de Pharaone, & *l. de corrept. & gratia, capite* 11. vbi aſſerit; quòd iis, quibus deeſt adiutorium Dei,non imputatur ad culpam; ſed ſolùm pœna peccati eſt.

Respondetur D.Auguſtinum non poſſe eo ſenſu explicari; alioqui ſecum pugnaret. Nam *l. de perit. mediis, capite quinto*, haber illam propoſitionem. *Adhuc in hac vita es.* Et *ep.* 59. *quæſtione ſecunda*, vniuerſaliter ait: *Voluntas Dei nunquam in hac vita deficit iuſtitia,pietatique mortalium.* Et *l. de prædeſtin. & gratia, capite* 14. ſub nomine Auguſtin. dicitur. *Si piè de Deo ſentiamus, etiam Pharaoni non denegauit miſericordiam ſuam.* Et *capite* 15. ſubdit; non tantùm interiùs vocaſſe; ſed etiam exteriùs eum flagellaſſe. Et *l.* 2. *de peccatorum meritis, & remiſſ. capite* 17. ait: *Hominem non recipere gratiam adiuuantem in ipſo eſſe, & non in Deo.* Et *l.de correp. & gratia, cap.*5. *&* 6. aſſerit, Deum non denegare ſufficientia auxilia, ſaltem per cauſas ordinarias.

146 Ad loca reſpondet Suarez 3. *p. loc. cit.* huiuſmodi homines ità eſſe prauè affectos,vt cum ordinariâ prouidentiâ ſit eis difficillimum conuerti.

Addit, Deum ità ſe gerere cum iſtis operando aliqua ad eorum ſalutem, quod tamen eos præuidet accepturos in malum, & abuſuros, & tamen permittit, vnde ideò dicitur eos deſerere.

Hæc tamen non adhuc ſoluunt id, quod opponitur, nempè aliquos ita deſerios à Deo;vt eis non ampliùs ad culpam imputetur obſtinatio.

147 Respondetur, quòd S. Auguſtinus id ſolùm vult, non fuiſſe continuè imputatum Pharaoni ad nouam culpam, dum in ſua peruicacia permanebat; ſed ſolùm cùm nouis iterùm excitamentis à Deo vocabatur. Et rurſus dicitur, ſe ipſum induraſſe: Deus igitur opportunè eum exeltabat; vt conſtat ex capitibus Exodi, à quinto, ad duodecimum; & in ſingulis ferè vocationibus aſſeritur, eum peccaſſe, quod vel Deus illi obijciebat;vel ipſe confitebatur:Quæ omnia ſigna ſunt, etiam ipſum habuiſſe auxilium ad conuerſionem ſufficiens, opportunum quidem loco,tempori, occaſionibus,tentationibus,aliiſque circumſtantiis.

An id de *Correptione, & gratia* reſpondetur; S.Auguſtinum comparaſſe Adamum cum Angelis,& vtroſque nobiſcum, eoſque habuiſſe adiutorium, quo non ſolùm poſſent, ſed etiam vellent; ſicuti & datur nobis; vt ipſe S. Auguſtin. in concluſione teſtatur, & ideò loquitur de gratia efficaci, quæ non habuit ſuum effectum in angelis malis ex eorum arbitrio; ſicuti boni per arbitrium ſteterunt; quibus autem deeſſet hoc auxilium, non eſſe imputandum ad peccatum, ſi nolint, quia non haberent gratiam ſufficientem,

quæ etiam eſt efficax ex parte Dei, & eadem dat *poſſe, & velle.* Et ſi nos ei conſentire, non velimus, culpa noſtra eſt. Et per hoc ſoluitur inſtantia Vaſquez, quòd ſcilicet, ille; qui caret auxilio efficaci, & ſuo peccato illud amiſit; non dicitur abſtuliſle ſibi, poſſe facere bonum ad ſalutem.

Respondetur, ſecundò, quòd ſi mordicùs Vaſquez perſiſtat, non eſſe idem apud D.Auguſtinum, auxilium ſufficiens, & efficax: adhuc ſoluitur obiectio; nam, qui carent auxilio ſufficienti, ait eſſe in eodem ſtatu cum Dæmonibus, iam extra viam in inferno,quibus obſtinatio eſt ſolùm ad pœnam,non ad culpam. 148

Hinc D. Auguſtinus de *Pœnitentia Medicina, capite quinto*, clamat. *Quidquid feceris, quæcunque peccaueris, adhuc in hac vita es. Vnde te Deus ſi ſeruare nollet, auferret.* Tandem fatetur Macedo *locis cit.* ipſum non ſenſiſſe hoc, quod nobis opponunt, eiſi de paruulis vrgeat *Coll.* 12. *diff.*3. *ſec. vltim.* ſed perlege, & videbis, negari ſola auxilia efficacia, non valente cooperari voluntate;præſertim *lib.*4. *in Iulian.* quo baſes firmat P.Macedo, vt oſtendi *quæſtione* 9. *diſputat.* 16. id enim enititur contra Pelagianos, non ideò nos conuerti,& ſaluari, quia id noſtro volumus arbitrio, ſine gratia. His opponit paruulos vagientes: *En nos baptizamur, non volente voluntate, & ſaluamur;* cæteri verò clamant. *En nos perimus, non renitentes arbitrio.* Hinc noſtræ aſſertores ſententiæ eum pro nobis afferunt, vt dixi *d.cit.*

DISPVTATIO XXIII.

De Libro vitæ.

Theologi duplici ſenſu Librum Vitæ accipiunt. Altero pro Dei notitia circa prædeſtinatos: altero pro virtute Diuina, quæ omnibus reuelabit quicquid egerunt, conſcientias patefaciens. Et priori ſenſu agunt *hic*, poſteriori autem *tertia parte*; tametſi Sententiarij de vtroque agant *in* 4. Vbi Magiſter.

QVÆSTIO I.

An Liber Vitæ ſit Dei notitia circa prædeſtinatos.

D. Bonauept. in 4.d.43. artic.2. quæſt.1.
D.Th.quæſt.24.art.1.

Asserendvm, Librum vitæ eſſe notitiam, quam Deus retinet de prædeſtinatis. Sic dicitur Lucæ 10. *Gaudete, quia nomina veſtra ſcripta ſunt in cælis*, nempe in Dei notitiâ, quæ metaphoricè dicitur *Liber*, ſumptâ nominatione à rebus humanis. Quando enim aliqui eliguntur ad aliquam dignitatem ſolent conſcribi in Libro. Ideò olim apud Romanos inter Senatores numerati, dicebantur *Patres conſcripti.*

conſcripti. Igitur,qui prædeſtinati ſunt, dicuntur conſcripti in Libro, quia in notitia Dei ſignantur ad ſalutem,ac Principatum cæleſtem.

Dicitvr etiam notitia Dei *Liber Vitæ*; quia ſicut in libro firmiter retinentur res deſcriptæ; ità in Dei notitia res manent indelebiles. Ità S.T. *hic*, & S.Bonau. *hic,& ad* 10.*Luca*. Hinc *Apoc*.20. dicitur. *Libri aperti ſunt, & alius Liber apertus eſt, qui eſt vitæ*. Vbi exprimitur vterque ſenſus Libri vitæ,initio prælibatus. De hoc autem Libro dicuntur eradi impij, Pſ.68. *Deleantur de libro viuentium; & cum iuſtis non ſcribantur*, vt oſtendit ibi S.Bonau. Qua ratione verum ſit,oſtendam *quæſt*.3.

2 Hts autem locis exprimi Librum vitæ,qui eſt notitia Dei, de prædeſtinatis obſeruant Gloſſæ, apud D. Bonau. Obſeruat autem S.D. *quæſt*.2. Librum prædeſtinationis eſſe notitiam Dei,vt extra operantis,ſeu vt Deus eſt vnus; attamen adſcribi filio,qui eſt ſapientia Patris: ſicut enim filius dicitur ars,& exemplar rerum faciendarum; ità dicitur ſapientia,& notitia cognitarum, in qua conſiſtit Liber vitæ;prout dicit notitiam de electis.

Ex quibus deducitur, Librum vitæ non eſſe prædeſtinationem. Nam prædeſtinatio apud D.Bonau. dicit quidem actum Intellectus Dei; ſed formaliter eſt actus Voluntatis. Liber autem vitæ eſt notitia. Imò deducit Vaſquez *ad eum articulum*, etiam in ſententia D.Th. prædeſtinationem non eſſe Librum vitæ, quia Liber vitæ eſt mera notitia de prædeſtinatorum electione; At verò prædeſtinatio eſt cognitio practica,ordinata ad ſupernaturalem prouidentiam circa illos. Quare dum S.Thom. in Titulo quærit. *An Liber vitæ ſit prædeſtinatio*: Et Reſpondet, eſſe notitiam; inde quæſtionem ſoluit indirectè.

QVÆSTIO II.

An in Libro Vitæ *omnia ſcribantur*.

D.Bonauentura quæſt.2.
D.Thomas artic.2.

3 SEraphicvs, ex more, plurima reſoluit ſub hoc titulo, quæ Alenſis per multos articulos diſtinxit.

Notandvm primò cum S.Bonau. & Alenſi *q*.33. *m*.1.*art*.2. Librum duo dicere: Alterum eſt Scriptura deſcripta; alterum habitudo ad notificandum alijs id, quod ſcriptum eſt: ſeu dicit Scripturam;& lectionem. *Liber vitæ*, vt dicit Scripturam,in qua deſcripti ſunt electi, ſignificat notitiam, & ſapientiam Dei, quæ tamen appropriatur Filio,quatenus ipſe eſt expreſſio totius intelligentiæ Patris. Quod ſi illa ſapientia,ſeu notitia,& Scriptura accipitur, prout ab alio, tunc ſignificat propriè Filium,qui eſt Verbum Patris,ab eo conceptum; vt ait Alenſis. Conſideratus verò *Liber vitæ*, in ordine ad exprimendum legentibus, conuenit toti Trinitati, quia in ea notitia eſt Deus ipſe, & beati legunt ſeriem Diuinæ prouidentiæ circa electos; & quamuis appropriari poſſit Filio in ordine ad nos;non tamen reſpectu Patris, qui non eſt ſapiens ſapientiâ genitâ; vt docet S.Auguſtinus.

4 Notandvm ſecundò, quòd cum Liber vitæ ſit Scriptura exprimens ſeriem Diuinæ prouidentiæ circa prædeſtinatos; non deſcribit cætera, quæ ſpectant ad generalem Dei prouidentiam; ſed ea ſolùm, quæ ad peculiarem ſupernaturalem electorum pertinent, quod ſignificat S. Bonauentura dicens, exprimere creaturas, non vt egredientes à Deo per creationem; ſed vt reuertentes ad eum per gratiam, & gloriam. Et quia gratia ſe habet ſolùm vt medium:gloria verò vt finis, qui eſt vita æterna, ideò *Liber vitæ* dicitur principaliter, vt deſcribit electos ad vitam æternam in gloria. Et hoc eſt, quod S.Thomas definit: nam qui deſcribuntur in aliquo Libro, deſcribuntur in ordine ad finem. Sic milites non deſcribuntur ad hoc, vt armentur,ſed vt pugnent,& triomphent.

Ex quo etiam deducitur,non omnes,qui ſunt in gratia deſcriptos eſſe in Libro vitæ, quia,licèt pro tunc ſecundùm præſentem iuſtitiam ſint ad gloriam deſtinati; tamen ſi cadant à gratiâ, & efficaciter non perueniant ad gloriam, deficiunt à fine prædeſtinationis, ac proinde à fine conſcriptionis. Soli igitur ſaluandi ſunt in Libro vitæ deſcripti;de quibus Apoſtolus Philip.2. *Quorum nomina ſcripta ſunt in Libro vitæ*. Vbi Gloſſa. *Quorum merita, & præmia ſcripta ſunt, &c.* Igitur ait S. Bonauentura eos, qui ad tempus ſunt in gratiâ, nec finaliter ſunt perſeueraturi, deſcriptos in Libro vitæ ſecundùm quid, non ſimpliciter: Electos autem ſimpliciter; licèt ſecundùm quid aliquando deleantur,quando ſunt in peccato mortali. 5

Notandvm tertiò; hæc metaphoricè vocari *Librum Vitæ*. 6

Assero, in Libro vitæ non deſcribi omnia,neque omnes,ſed ſolùm electos è propoſito.

Probatvr:quia Liber vitæ eſt notitia prouidentiæ circa eos, qui ad finem ſupernaturalem ſunt ad Deum reducendi; vt dixi.

QVÆSTIO III.

An aliquis deleatur de Libro Vitæ.

D.Bonauentura loc.cit. & in 3. d.31. dub.2. litt.
D. Thomas quæſt. cit. artic 3.

HÆc quæſtio eadem eſt cum illa: An prædeſtinatus poſſit damnari, aut damnetur. Quæ ſuprà *diſput*.21. tractatæ ſunt. Igitur reſpondent communiter illâ tritâ diſtinctione, non poſſe in ſenſu compoſito: poſſe verò in ſenſu diuiſo, & non neceſſitatem vllam eſſe;ſed meram infallibilitatem,de quâ ſatis ibi. Hanc autem diſtinctionem eſſe omnibus acceptam aduertit Bargius 1.*d*.40. §. *Quantum ad Logicam*. Et Maſtrius *d*.5. *quæſtione quarta*, vbi ſatis miratur, Scotiſtam quendam dicentem, eſſe controuerſiam inter Scotiſtas. *An prædeſtinatus poſſit in ſenſu compoſito damnari*. 7

Miratvr verò magis eum ſic definire,prædeſtinatum in ſenſu compoſito poſſe damnari,ſumpta prædeſtinatione præcisè, vt dicit electionem ad gratiam, & gloriam; quia alioqui non præberet liberè aſſenſum gratiæ vocanti, contra Concil.Trid. *ſeſſ*.6. *can*.4. Deinde ſi prædeſtinatus in ſenſu compoſito non poſſet damnari,ſequitur eſſe confirmatum in gratia,nec poſſe peccare. Tertiò affert authoritates Concil. Trident. *ſeſſ*. 6. *can*. 17. & alias à nobis allatas *diſputat*. 21. *quæſt*. 20. quibus oſtendimus, poſſe decretum Dei mutari.

Hæc tamen oriuntur è praua acceptione ſenſus compoſiti:Nam ſenſus compoſitus attenditur per coniunctionem vtriuſq; formæ ſimul aſſertæ in eodem ſubiecto,vt ſedens ambulat. Et ſi propoſitio illa ſit modalis, 8

tunc

tunc modus prædicari debet de tota propoſitione correſpondente dicto, vt: ſedentem poſſibile eſt ambulare; ſenſus erit: ſedentem ambulare eſt poſſibile; vnde ſenſus eſt: ſedens eſt ambulans, vt infert Scotus 1. *d.* 39. Itaque ſenſus compoſitus attendi debet ex coniunctione formarum oppoſitarum in eodem ſubiecto, & pro eodem tempore, non autem ex coniunctione vnius formæ in ſubiecto cum potentia ad oppoſitam, vt colligitur è D. Bonau. *d.* 40. *art.* 2. *q.* 1. *ad* 4. Et ex Ariſtotele 1. *Poſter. c.* 6. Et 2. *de Gener. s.* 68. Et indicat cum eo S. D. *d.* 42. *q.* 3. *in reſol.* vt omnes ſummiſtæ concedunt, allegati à P. Maſtrio de Medula *p. p. Inſtit. tract.* 2. *cap.* 5. *num.* 63. & *tom.* 1. *Theol. d.* 5. *quæſt.* 3. *num.* 331. Iam verò ex eo, quòd prædeſtinatus liberè præbeat aſſenſum gratiæ excitanti, non ſequitur, eum aſſentiri eodem tempore, qui eſt ſenſus compoſitus, vnde & ſequeretur in ſenſu compoſito, poſſe peccare, atque damnari; ſed ſolùm ſequitur, eum aſſentiri cum potentia ad diſſentiendum, qui eſt ſenſus diuiſus; vt ille Scotiſta ex Doctore ſuo definit.

9 Vai aduerte, nos non poocre ſenſum compoſitum, quando ſunt in voluntate omnia prærequiſita ad agendum, ſenſum verò diuiſum, quando abſunt; nam hoc pacto etiam Hæretici fatentur libertatem, quando non adſunt neceſſaria auxilia ad operandum; vt obſeruat Vulpes *d.* 36. *artic.* 6. *num.* 4. & Maſtrius *numero* 284. ſed ſenſus compoſitus eſt, dum voluntas conſentit gratiæ; quo poſito, neceſſitate conſequentiæ implicat non conſentire.

Neque etiam aliæ authoritates oſtendunt, prædeſtinatum in ſenſu compoſito poſſe damnari, ſed ſolùm, non eſſe aliquam neceſſitatem in ſenſu diuiſo; ſed ſolam infallibilitatem, & neceſſitatem ſolam conſequentiæ.

10 Qvapropter; ſi in ſenſu compoſito poſſet prædeſtinatus damnari; ſequeretur eum poſſe eſſe prædeſtinatum ad gloriam, & præſcitum, damnatumque ſimul ad inferoum; vt communiter arguitur. Et hoc idem ſequeretur è ſimili propoſitione: Prædeſtinatus poteſt deleri de Libro vitæ. Quo argumento nititur D. Bonauentura *d.* 40. *artic.* 2. *quæſtione* 1. *argument.* 4. *addito reſponſo.* Eo vtuntur Scotus, Baſſiolis, Mayro, Rubion, & alij Scotiſtæ apud Maſtrium *num.* 291. *quæſtione citata.*

11 Respondet ille Scotiſta, poſſe adeſſe duplicem voluntatem. Alteram antecedentem ſaluantem; alteram conſequentem reprobantem.

Sed, vt citò truncem eius reſponſum, dico ex omnium Theologorum conſenſu. Voluntas prædeſtinans non eſt ſimplex complacentia antecedens; ſed eſt conſequens, abſoluta, & efficax; cui alia voluntas efficax reprobationis implicat.

Addit etiam fruſtrà, & falsò negando, Deum velle voluntate antecedente reprobos ſaluare; quod falſiſſimum eſt, ex communi Theologorum placito, vt oſtendi *diſputat.* 16. Eſt etiam fruſtrà, quia ad ſoluendum argumentum non inſeruit. Nos enim non conſideramus reprobum nudum; ſed reprobum prædeſtinatum, ſeu in ſenſu compoſito efficaciter amatum ad gloriam, & efficaciter ab ea reprobatum, & quærimus: An ſtent ſimul? non autem: An amatus voluntate meri beneplaciti, vel ſigni, poſſit eſſe efficaciter reprobus, voluntate conſequenti, hoc enim concedimus omnes, etiam ſi voluntate antecedenti, non ſola voluntate ſigni, velit eius ſalutem. Vnde reſponſio eius non eſt ad rem.

12 Debebat oſtendere, hominem efficaciter volitum, & non volitum ad gloriam, eſſe poſſe à Deo. Hoc iterùm ſibi opponit argumentum, quod eſt D. Bonauentura *loc. cit. & quæſt. ſequenti*, quo vtuntur Scotus, & Scotiſtæ, & alij Theologi; vt notat Maſtrius *n.* 293. ſed nunquam ad rem ſoluit, quaſi duabus ex illis voluntatibus. Altera efficax: altera inefficax ſit; & ſuâ ſe implicat obſcuritate.

Igitvr eodem modo, quo *diſputat.* 21. diximus, 13
prædeſtinatum in ſenſu compoſito non poſſe damnari, ſimpliciter tamen poſſe; attamen infallibiliter nullum prædeſtinatum damnandum: ità & in hac quæſtione dico, poſſe ſcriptum ex eo Libro vitæ deleri, tamen infallibiliter noo eſſe abſolutè delendum; tametſi fiat aliquando mutatio ſecundùm quid, quoad præſentem iuſtitiam, dum prædeſtinatus, vel reprobus peccant mortaliter, & dum conuertuntur; ſic enim delentur, & rurſum ad gloriam ſcribuntur ſecundùm quid in ſua cauſâ, ideſt, gratiâ.

Observa tamen, deletionem de Libro vitæ oon 14
referri ad notitiam Dei; ita vt Deus primò aliquid præſciat, & poſteà neſciat; ſed ad rem ſcitam, quia Deus ſcit aliquem prius ordinari ad vitam; & poſteà non ordinari, cum deficit à gratia; vt notat S. Thom. *in corpore*, & D. Bonauentura 4. *d.* 43. *artic.* 2. *quæſt.* 2. *ad* 3.

Probatvr verò à D. Bonauentura, *in* 3. *d.* 31. *dub.* 2. *litt.* prædeſtinatos nunquam ſimpliciter deleri, ex 3. Apocal. *Non delebo eum.* Vbi Gloſſa. *Liber vitæ eſt præſcientia Dei, in qua omnia ſunt conſtantia.*

Probatvr ſecundò à S. D. *locis adductis*, ex im- 15
mutabilitate Dei, quæ ratio intelligenda eſt iuxta dicta *diſp.* 21. *quæſt.* 10.

Obicies primò *Exod.* 33. ait Moyſes Deo. *Aut dimitte eis hanc noxam, aut dele me de Libro tuo.*

Respondet D. Bonauentura nunquam eum deleri, qui eſt prædeſtinatus. Ex quo ait patere ad obiectionem. Vult dicere, Moyſen ſciuiſſe, ſe non delendum, ſi erat prædeſtinatus; attamen poſtulaſſe ſperantem, ſe, alteram quippe partem poſitam in alternatiuâ deprecatione obtenturum, vt dimitteretur populo noxa. Ita exponit D. Aug. *q.* 257. *in Exodum.*

Respondet ſecundò *Itinere* 4. *Æternit. d.* 3. hæc dixiſſe Moyſen è Charitatis exceſſu, cupiendo abſque culpa ob liberationem, & ſalutem populi, priuari ad tempus Dei viſione. Ita exponit D. Hieronymus *q.* 9. *ad Algaſiam*, Toſtatus ad eum locum, Lyranus, & Carthuſianus *ibi.*

Vasqvez palato peregrino maximè guſtat expo- 16
ſitionem Burgenſis. Moyſem petere deleri de libro illuſtrium virorum. Cui videtur fauère D. Hilarius *in Pſalm.* 68 Verùm D. Hilarius oon ſic intelligit, & locus à PP. de Libro prædeſtinationis intelligitur; vt conſtat è Dei reſponſo. *Non, ſed qui peccauerit, delebo eum de libro meo.* Quaſi dicat. *Solum peccantem delebo de libro prædeſtinationis.*

Vasqvez reſpondet, poſſe intelligi: ſic de Libro virorum inſignium, qui dicuntur iuſti, deleo [illegible] peccatores.

Contra eſt etiam, quod in eo libro iuſſit Dauid, 17
poni etiam Saulem, laudibus cumulatum; vt dicitur 2. *Reg.* 1. cùm tamen reprobus, & peſſimus fuerit.

Et 3. Reg. 16. n. 20. *Reliqua autem ſermonum Zambri, & inſidiarum eius, & tyrannidis nonne hæc ſcripta ſunt in Libro verborum dierum Regum Iſrael?* Hic ſe occidit ſicut Saul; vt dicitur *num.* 18. & mortuus eſt in peccatis ſuis. Idem habetur de Ioram 4. *Reg.* 8. ſcriptum in lib. Reg. Iuda. Idipſum de aliis dicitur.

Obicies 2. Rom. 9. *Optabam ego ipſe anathema eſſe Chriſto pro fratribus meis.*

Respondet D. Bonauentura 3. *d.* 29. *q.* 3. *ad vlt.* 18
quòd optabat ſeparari à Chriſto ad tempus. Hæc expoſitio ſumitur ex D. Hier. *q.* 9. *ad Algaſiam*, iuxta id.

Qui perdiderit animam ſuam, ſaluam faciet. Volebat autem dicere, quod ſicuti Chriſtus factus eſt anathema, ideſt maledictus, pro nobis; vt ipſe Paulus dixit *Galat.* 3. ſic ipſe deſiderabat fieri anathema à Chriſto, ideſt, poſt Chriſtum, particula enim (*a*) aliquando ſignificat *poſt*.

Respondet D. Bonauentura ſecundò *ibi*, Apoſtolum optare eſſe anathema; ſi liceret ſine culpa id optare. Ita Chryſoſt. *lib. de compunctione cordis*, & *lib. tertio, de pœnitent.* & homil. 16. *in epiſtolam ad Rom.* Igitur (*optabam*) ſumitur pro perfecto futuro (*optauerim*) ideſt, ſi poſſet fieri ſine culpa, ſine Chriſti fruitione priuarem. Ita Origenes, Chryſoſt, Theophylactus, & D.Th. in Commentario.

19 Aliam expoſitionem habet S. D. *Opuſc. de gradibus virtutum, cap.* 18. ex altiſſimo charitatis exceſſu id optaſſe. Idem ſentit Origenes ibi; D.Hieronymus *quæſt.* 9. *ad Aglaſiam.*

Aliam expoſitionem de Paulo, ac Moyſe ſimul indicat Seraphicus *ſerm. primo, in Conuerſ. S. Pauli.* Optaſſe vtrunque mortem pro ſalute proximi. Sic exponit Anſelmus *ibi* cum D. Hieronymo *ad Aglaſiam, epiſt.* 151. *quæſtione ſexta*, inſuper optaſſe non à Chriſto, ſed à mundo toto deteſtari, & deleri de vita. Addit Ribas *diſp.* 10. cum Vaſquez, Paulum loqui de tempore ante conuerſionem, & hos PP. adducit.

Obiicies tertiò id Pſalm. 68. *Deleantur de libro viuentium.*

20 Respondet S. Bonauentura 3. *d.* 31. *dub ſecundo, litt.* eos deleti de libro vitæ, ideſt, non ordinari ampliùs ad gloriam, quoniam peruicaces ſunt, & demeritis indigni vitâ æternâ. Itaque non admittantur ad numerum electorum. Ita exponunt Hieronymus, & Hilarius; & idem ſentire videtur D.Thom. vt notat Vaſquez. *ad eum articulum.*

Obiicit verò ſibi *in quarto*, d 43. *artic. ſecundo, quæſtione ſecunda, argument. ſecundo.* Nihil deletur, niſi quod eſt ſcriptum; ſed mali delentur de Libro vitæ; vt dicitur *Pſalmo cit.* Ergo ſunt in eo ſcripti.

Respondet, deleri quoad præſentem iuſtitiam, ſecundùm quam etiam ſcripti ſunt, dum eſſent iuſti, qua ſcriptione ordinabantur tunc ad gloriam.

21 In expoſitione autem illius Pſalmi aduertit, tribus modis aliquem ſcriptum in libro vitæ. Primò ſecundùm propoſitum, & præſcientiam. Sic electi, qui licèt aliquando cadant, non tamen peribunt, ſed reſurgent. Et hoc modo ſcriptus erat Moyſes, qui dicebat Exod. 33. *Dimitte eis hanc noxam, aut dele me de libro tuo.* Alij ſcribuntur ſecundùm cauſam præſcientiæ, vt qui aliquando ſunt iuſti; de quibus *Lucæ* 10. aiebat Chriſtus. *Gaudete autem, quoniam nomina veſtra ſcripta ſunt in cælo.* Alij tandem ſcribuntur ſecundùm opinionem; de quo *hic* loquitur; vt ſenſus ſit: Ipſi ſperant, & opinantur, ſe electos. Iam Innoteſcat eis, qui ſint. Sic enim in Scripturæ phraſi, res aliquando dicuntur fieri, quando innoteſcunt. Hæc eſt expoſitio Auguſtini, Ruffini, Caſſiodori, & Gloſſæ Ordinariæ, ac Vaſquez.

DISPVTATIO XXIV.

De Omnipotentia Dei.

D.Bonau. à d. 42. ad 45.
D.Thom. quæſt. 25.

Postqvam egimus de Intellectu, & Voluntate Diuina, agendum eſt de omnipotentia ipſius Dei; ad hæc enim principia reducuntur omnes effectus ad extra producti.

QVÆSTIO I.

An præter Voluntatem neceſſaria ſit Deo Potentia *ad operandum.*

D.Thom quæſt. 25 art 5.
D.Bonau. d. 45. artic. 2.

Qvæstio noſtra eſt: An ad phyſicè operandum immediatè ad extra ſufficiat Deo Voluntas, quæ omnia, quæ vult, faciat. An verò exigatur potentia executiua, virtualiter diſtincta. 1

Prima opinio aſſerit præter voluntatem imperantem dari potentiam executiuam operis, cuius actus eſt poſt actum voluntatis. Allegantur Durandus 1. *d.* 38. *quæſt.* 1. Aureol. *d.* 42. *art.* 2. *prop.* 2. Rubion. *q.* 1. *artic.* 1. quatuor ſequuntur Faſolus *quæſt.* 25 *art.* 1. *concl.* 2. Arriaga *d.* 40. *ſec.* 1. Lezana, *tract.* 4 *d.* 13. *q.* 2. Auerſa *q.* 25. *ſec.* 2. Tannerus *d.* 2. *q.* 11. *dub.* 2. Trigoſ. *quæſt.* 20. *art.* 9. *dub.* 1. ad confirmationem primi. Fauet D. Th. *art.* 5. *ad primum*, vbi ait: *Potentia intelligitur vt exequens: Voluntas vt imperans; & Sapientia vt dirigens.* Item. *Ideò Deus aliquid facit quia vult, non tamen ideò poteſt quia vult, vel quia talis eſt in ſua natura.* Idem docet *q.* 5. *de verit. artic.* 1. Sequuntur & alij apud Ruitz *de Volunt. Dei, d.* 14. *ſec.* 4. Adde Morandum, *de Potentia*, Fulienſem *l.* 1. *c.* 16.

Secvnda ſententia non ſolùm negat potentiam executiuam à voluntate diſtinctam; ſed aſſerit, ipſam Dei eſſentiam eſſe formaliſſime eius potentiam; ità vt Deus extrà agat immediatè per eſſentiam ſuam, tanquam per rationem proximam agendi phyſicè, concurrentibus tamen intellectu, & voluntate: illo tanquam dirigente; hac verò tanquam applicante eſſentiam. Ita Suarez *d.* 30. *Met. ſec.* 17 *num.* 45. vbi citat Durandum, & D.Thomam. 2

Tertia ſententia eſt, ſolam Diuinam voluntatem eſſe cauſam immediatam, & potentiam executiuam, qua Deus operatur extrà; intellectum verò concurrere, vt principium directiuum. Ita Molina *p.* 1. *quæſt.* 25. *art.* 1. *d.* 2. Valentia *quæſt.* 19. *p.* 6. & *quæſt.* 25. *p.* 1. Vaſquez *d.* 102. *cap.* 3. Amicus *d.* 27. *ſec.* 1. Becanus *tract.* 5. *cap.* 17. *quæſt.* 2. Addunt verò nonnulli Thomiſtæ, intellectum quoque immediatè concurrere etiam phyſicè imperando. Sed in hoc eos aberrare, cæteri omnes clamant. 3

Porrò hanc tertiam ſententiam ſecutus eſt Scotus. Nam *quæſt.* 4. *Prol.* negat, hanc potentiam executiuam diſtingui à voluntate, & aſſerit, nullam in Deo eſſe potentiam executiuam, præter voluntatem, & *in* 1. *d.* 39. 4

d.39. litt. L. & *in 2. d.1. q.2. ad primum princ.* & *d.37. §. contra iſtam*, idem omninò aſſerit, quem ſequuntur fideliores Scotiſtæ. Bargius *1.d.43. §. ſed contra iſtam.* Vulp. *tom.2. p.1. d.42. art.2.* Scherius *d.3.q.1. art.1.* Nulanus *quæſt.18.* Smiſing. *tract.3. d.7. quæſt.2.* Baſſol. *1. d.45. q.1. art.4.* Paulus Scriptor *q.4. Prol.* Brancaſius *tom.1. d.14. q.5.* Maſtrius *d.4. q.6. n.108.* Poſnanienſis *l.1.cap.3.quæſt.7.*

5 Video tamen, Scotum *1.d.38.* & *d.43. litt.*B. dubitaſſe. An hæc potentia executiua in Deo ſit ipſa voluntas; vel alia potentia formaliter diſtincta & *d.37.* dubitans ait; *ſi potentia eſt voluntas, ad cuius velle ſequitur rem eſſe, &c.* Et ideo Mairo *1.d.43.q.5.* & *d.48. quæſt.2.* recedit ab hac ſententia, & in primam abit.

6 Cæterum adhuc inter authores tertiæ ſententiæ diſſidium eſt: An quando dicitur potentia proximè, & adæquata eſſe voluntas ſola, intelligatur de volitione, quæ eſt actus voluntatis; An verò de facultate ipsâ volendi. Molina vult, intelligi de actu volitionis, & hoc ait velle Scotum *1. d.3* . eum ait: *Omnipotentia eſt voluntas ad cuius velle ſequitur rem eſſe*; & ita ſentit etiam Smiſing. *num.18.* Oppoſitum tenent Vaſquez *num.9.* Maſtrius *num.121.* Volunt igitur, Deum cauſare immediatè ipsâ facultate voluntatis; eſto actus volitionis ad id requiratur, vt conditio ſine qua non.

7 Quoad D. Bonau. arbitror eſſe cum prima ſententia. Nam *in 2. d.45. art.2. quæſt.1. ad 2.* eadem ferè verba habet cum D. Thoma ſuprà, dicens: *Voluntas ſignificat Deum, vt cauſam actualem; Vnde in voluntate primò inuenitur ratio actualitatis. Potentia enim, & ſcientia etſi habeant rationem cauſæ habitualis, non tamen actualis, niſi per voluntatem; vnde Voluntas facit de ſcientia diſpoſitionem; ſicut facit ſcientiam eſſe diſponentem, & potentiam exequentem.*

8 Adverte reſponſionem *ad* . in qua poſſes opinari, Seraphicum eſſe pro tertia ſententia. Erat argumentum oppoſitum. Aut De voluntas eſt cauſa propter virtutem agendi, aut propter modum. Non propter virtutem agendi, quia hæc non eſt voluntas ſed potentia: neque propter modum, quia modus agendi per voluntatem eſt modus agendi ſecundùm artem liberè, ac liberaliter; at hic modus eſt imperfectior modo agendi per naturam, quo ſimile omninò producitur.

Respondet, voluntatem eſſe cauſam rerum propter virtutem, quia producere diuerſum in natura, eſt modus agendi Voluntatis; ſic Polycletus arte producit ſtatuam: è contra, modus agendi per naturam producit ſimile, ſic Polycletus generat hominem; neque modus agendi naturalis eſt in Diuinis perfectior, quàm modus agendi per voluntatem; quia voluntas, ita eſt omnipotens ſicut natura.

Deinde addit, Deum ad intrà operari, & iam modo naturali, vt cùm Pater gignit filium, & etiam voluntate, vt in ſpiratione; neque tamen altera productio eſt perfectior altera, quia vtraque infinita, ſic infinita eſt etiam ex parte agentis ratio producendi ad extrà; eſto effectus ſint finiti, nec comparandi cum terminis emanationum ad intrà infinitis.

9 Cùm igitur dixit, voluntatem eſſe cauſam rerum, ratione virtutis, quia ei velle, eſt poſſe, non vnificat ratione voluntatem cum potentia; ſed ſolùm realiter & formaliter. Itaque vult dicere, Voluntatem eſſe cauſam rerum, quia non emendicat virtutem realiter diſtinctam; ſicut in creatis euenit, quibus voluntas imperat potentiis à ſe diſtinctis, eiſque indiget; ſed ipſa voluntas eſt vna entitas cum potentia. Idem habet *quæſt.2. fund.2.* Addit verò *quæſt.1.* voluntatem magis propriè eſſe cauſam rerum, ratione modi agendi ſecundùm artem; quia voluntas non eſt virtualiter potentia, vnde propriè dicatur agere per virtutem; ſed benè voluntas eſt artefactiua.

Eandem ſententiam exerit *in corpore*, vbi explicat, quo pacto voluntati Diuinæ adſcribatur operari extrà, quia eſt ea, quæ eſt ratio communicandi bonitatem, & coniungit efficientem cum fine. Aduertit tamen (& in hoc, corpus quæſtionis inſumit,) quod Diuina eſſentia, licèt ſit vnum quid ſimpliciſſimum, tamen eſt pelagus ſubſtantiæ infinitum. Et ideò omnia, quæ in nobis diuerſa ſunt, reperiuntur in Deo per omnimodam identitatem. Vnde ſicut in nobis ſapientia, potentia, & voluntas verè eſt ens, & cauſa rerum, quæ à nobis ſunt; ſic & in Deo ſunt; ſed tamen vnum ſunt. Pergit verò oſtendere, hæc diſtingui virtute, & ratione ratiocinata, ſicuti & cætera attributa, v. g. Bonitas, Æternitas. Sed hoc remitto ad dicta *diſp.3. quæſt.8.* 10

Eandem ſententiam docet *art.2. cit. quæſt.2.* vbi contra ſuam concluſionem, quâ ſtatuerat, Voluntatem Dei eſſe immediatam rerum cauſam, obiicit aliqua; neque vnquam excludere tentauit potentiam ipſam, ſed ſolùm docere voluit, reſpectu omnium effectuum, eſſe cauſam immediatam Dei voluntatem, inclusâ etiam potentiâ; at comparando voluntatem cum potentiâ, vbique docet, voluntate reduci potentiam ad actum executionis.

Aſſero primò, Voluntatem non ſe ſolâ operari ad extrà immediatè, & vltimò; ſed ad hoc neceſſariam eſſe potentiam executiuam, virtute diſtinctam. 11

Probatur primò à D. Bonau. *d.45. quæſt.1. in corpore* Attributa Diuina, quæ formaliter in Deo exiſtunt, diſtingui debent, ſumptâ proportione è rebus creatis. Sed in nobis voluntas, & potentia executiua diuerſæ ſunt: Ergo in Deo vnificatæ, rationem virtualem diſtinctam retinent. Hac ratione vtuntur Tannerus *num.5.* & alij apud Baſſulum *loc. cit.* adde Motandum.

Respondet Maſtrius, eas ſolas Dei perfectiones diſtingui, quæ ſe mutuò excludunt; ſicuti Intellectus, & Voluntas; at potentiæ productiuæ in vnam coëunt potentiam infinitam. Itaque ſi aliqua diſtinctio remanet inter potentiam, & voluntatem, ea eſt *includentis, & incluſi*; non autem adæquata. 12

Contra tamen arguit Faſolus è D. Bonau. *loco primò allegato*. Quia potentia volitiua in nobis excludit executiuam; neque enim aut Intellectiuum, aut volitiuum in nobis dicunt, aut includunt exequi; cùm habeant modum intentionalem tantùm; non realem.

Respondet Maſtrius. Datu ita eſſe in nobis; tamen voluntas infinita dicit etiam potentiam executiuam in ſuo conceptu.

Contra, ex D. Bonau. *d.45. quæſt.1. in corpore*; quia ſimplicitati Dei repugnat eſſe quidem plura in eo infinita; ſed eſt vna eſſentia, quæ eſt pelagus infinitum. Itaque dum diſtinguimus attributa ratione ratiocinatâ, non poſſumus cuique attributo infinitatem adeò adſcribere, vt abſorbeat perfectiones aliorum; aliquæ enim conueniunt perfectiones Deo ratione vnius perfectionis, quæ ratione alterius non conueniunt. Itaque hoc ſolùm habemus, voluntatem eſſe infinitam, vt voluntas; ita quidem, vt ſit vnum infinitum formaliter cum potentia, & cum intellectu; ita tamen, vt non omnes perfectiones entis, genere diuerſi, ei ratione adſcribemus. Itaque adſcribere poſſumus voluntati infinitatem in ratione volendi, non tamen in ratione exequendi; alioqui poterimus ei attribuere etiam infinitatem ſciendi, immutabilitatem, æternitatem, &c. quæ omnia ad infinitam

virtutem condocunt. Debet ergo inter ea omnia admitti diſtinctio rationis ratiocinatæ.

Deinde; Maior illa primi argumenti probatur argumento Scoti *d.8. quæſt.4.* quod vrgent acriùs Scotiſtæ, præcipuè Maſtrius *d.2. quæſt.2. num.43.* Ea, quæ diuerſas apud nos definitiones habent, diſtinguuntur in Deo; ſed voluntas, & potentia apud nos definitionibus diſtinguuntur: Ergò. Quæ ſanè diſtinctio in ente infinito eſt tantùm virtualis, quia in Deo vniuntur ea, quæ inter nos ſunt ſparſa.

13 Vbi obſeruandum, Scotiſtas non admittere eam noſtram reſponſionem; ſed adhuc velle ea retinere diſtinctionem formalem, etiam in ente infinito. Solùm probanda eſt minor, quam fortè negabunt.

Probatvr primò. Quando duo ſe habent, alterum vt determinans: alterum vt determinabile, ſignum eſt, ea eſſe diſtincta, ex Maſtrio *n.45.* at voluntas ſe habet vt determinans potentiam ad executionem; vt ſuprà dicebat S. Bonau. Ergo.

14 Probatvr ſecundò Minor, ex Ariſtotele 3. *de anima, cap.10.* vbi voluntatem diſtinguit à potentia motiua executrice; hanc verò ſubiectam eſſe ait, & parère appetitui, ac proinde determinari: Ergo & in Deo.

Neqve ſatisfacit Vaſquez *num.7.* negans, id fieri in ſubſtantiis ſeparatis, tametſi in homine eueniat, in quo ſunt duæ ſubſtantiæ. Hoc inquam non facit ad rem; nam potentia motiua eſt in anima, eſto egeat inſtrumentis corporis ad executionem. Subiectio autem eſt in potentia animæ; vbi potentiæ inferiores, puta motiua, & executiua, obediunt ſuperioribus, ideſt voluntati, & hoc etiam in Angelis reperitur, vt potentia motiua cælorum ſit diſtincta à voluntate; nam de ratione voluntatis nullibi capitur eſſe, *exequi, mouere, operari*; ſed ſolùm elicere actus voluntarios, & imperare cæteris potentiis; ſic enim actus voluntatis adæquatè diuiduntur in elicitos, & imperatos. Et quidem eliciti ſunt, *amare odiſſe*, & ſimilia, quæ ſunt velle; non autem operari; vt rectè monet Apoſtolus *quæſt.25. art.1.* Reſponſio verò Maſtrij *num.13.* negans de voluntate infinita, iam eliſa, rurſus eliditur. Nam infinitas è Scoto non mutat rerum naturas, etiam in Diuinis; vt vidimus *d.3. q.8. de Attributis.*

15 Probatvr ſecundò. Quando vnum ordine ſupponit alterum, nequeunt eſſe vnum; ſed in anima voluntas ſupponit ſcientiam; & hæc potentiam quoad actus internos, quia prius eſt poſſe ſcire, quàm ſcire; & poſſe velle, quam velle; in ordine autem ad opus, licèt poſſe operari ſit ante ſcientiam, tamen operari ſequitur cognitionem: Ergo ſunt diſtincta. Ita arguit S. Bonau. *in 3. d.14. art 3. quæſt.3. arg.2. addita ſolutione.* Aduertit autem Tanner. id fieri in Deo abſque ſubiectione.

16 Probatvr tertiò à D. Bonau. *hic, d.45. art.2. q.1. arg.1.* ad oppoſitum cum reſponſo. Quando ſunt aliqua principia, quorum alterum connotat neceſſariò effectum; alterum verò nequaquam, ea ſunt diſtincta. Talis eſt voluntas, & potentia Dei: Ergo. Maior eſt certa, quia illa ſunt duo genera, diuerſa toto genere operandi. Minor probatur: Nam Deus volendo ſe, non connotat aliquem effectum; ſed potentia executiua connotat effectum. Quod ſi voluntas connotaret effectum, vel Deus non poſſet velle ſe, aut volendo, ſe produceret. Hoc argumento vtuntur Mayron. Faſolus ſuprà, & alij apud Baſſolim.

Respondet Maſtrius, negando omnipotentiæ conuenire actionem tranſeuntem formaliter, ſed tantùm virtualiter, & ſimilitudinariè, quatenùs ad ipſa ſequitur immediatè effectus ad extrà.

Verum quicquid ſit de hoc, de quo agemus *tract.3. diſp.1. quæſt.2. & 3.* non ob id ſoluitur argumentum, quia adhuc altera facultas, ideſt potentia, connotat effectum; voluntas verò non, debet autem in tempore aliquid dari, quod ponat rem in eſſe; eſt enim verè Deus agens in tempore; vt ibi oſtendam. Quòd verò ſit agens propria actione tranſeunte, non refert; ſed ſufficit verè agere, vt effectus ſit connotatus: Deus enim, cùm ſit ſua actio infinita, poteſt immanens producere effectus extrà. Cùm igitur iſtæ cauſæ ſint diuerſæ toto genere, in modo operandi, ſequitur eſſe diuerſas. Profectò voluntati nunquam attribuitur producere extrà, ſiue accipiatur in ratione voluntatis; ſiue in ratione infinitæ voluntatis; vt monent Faſolus, & alij; neque enim, vt infinita, poteſt continere ampliùs, quàm id, quod competit potentiæ volitiuæ in ratione volitiuà, quæ eſt intentionalis; non autem continet rationem potentiæ phyſicæ executiuæ, vt malè reſpondet Maſtrius.

Confirmatvr argumentum ab Arriaga, quia modus diuerſus tendendi in obiectum, ac terminum ſufficit ad diſtinguendas potentias; vt conſtat de intellectu, & voluntate: at hoc ipſum reperitur in caſu noſtro; vt arguit S. Bonau. Nam producere ad extrà rem phyſicè, quod eſt idem ac connotare effectum, longè diuerſus eſt modus, à modo, quo voluntas fertur in rem nudè amando, atque decernendo, vt fiat; ſic enim connotatur effectus ſolùm obiectiuè; non quo ad eſſe actu; Non enim adhuc producitur effectus: Multò minùs cùm fertur in obiectum Diuinum amando, tunc enim nullum effectum poteſt etiam intentionaliter connotare. 17

Probatvr quartò à S.D. *d.45. art.1. quæſt.2.* Potentiæ diſtinguuntur, aut ſaltem agnoſcuntur diſtinctæ per actus, & obiecta, ex Ariſtotele 2. *de anima, t.33.* vt ſæpe refricat S. Bonau. *1.d.7. quæſt.1. ad argumenta*, & *quæſt.3. ad argumenta*; & *l.2. d.7. p.1. art 2. quæſt.1. ad argumenta*; & *d.24. p.1. art.2. q.1. ad argumenta*; & *l.3. d.23. quæſt.3. ad argumenta*; & *d.26. quæſt.2. ad argumenta.* Taceo, actus voluntatis noſtræ ferri etiam circa malum culpæ, non autem ſic actus potentiæ actiuæ. Quare velle malum, eſt velle; at poſſe malum non eſt poſſe; ſed defectus potentiæ actiuæ. Hic autem ſecludo potentiæ creatæ imperfectiones. Potentiæ executiuæ actus differunt à volitiuis; nam actus voluntatis ſunt immanentes; at potentiæ actus ſunt tranſeuntis. Deinde Diuinæ voluntatis obiectum eſt ens creatum, & increatum; at obiectum potentiæ adæquatum eſt ens creatum tantùm. Similiter & Dei potentia fertur in omne poſſibile, at voluntas ſolùm in id, quod ſapientia, & Prouidentia dictat. Quare Deus non eſt omniuolens, ſicut eſt omnipotens; quia omnipotentia non ſolùm aliqua producit; ſed infinita poteſt. Sic & Tannerus, atque Morandus. 18

Respondet Maſtrius, voluntatem quidem finitam eſſe huiuſmodi; at voluntatem Dei infinitam habere virtutem, & amplecti totum obiectum, quod potentiæ adſcribitur.

Contra, quia infinitas perfectionis non ſufficit ad vnificandum formaliter; vt docet Scotus *quod. l.5.* alioqui inferrem vanum illud argumentum Scoti *d.8. quæſt.4.* Si bonitas infinita eſſet formaliter ſapientia; ſequeretur etiam bonitatem in genere eſſe ipſam ſapientiam in genere, quia infinitas non deſtruit rationem formalem illius, cui additur; nam linea infinita, adhuc eſt linea. Hinc igitur infero, ſi voluntas infinita eſt ipſa potentia; ſequeretur etiam voluntatem in genere eſſe potentiam in genere, quia infinitas non tollit quidditatem rerum; & ita etiam eſſet in nobis; quod ab omnibus negatur. 19

Respondent Scotiſtæ nonnulli, non dari potentiam executiuam in genere abſtractam à creata, & increata; ſed ſolam creatam; quia ſoli voluntati creatæ neceſſaria eſt; eò quòd illa, cùm ſit impotens eget potentiâ executiuâ. Itaque non poteſt aſſignari potentia executiua diſtincta à voluntate infinitâ.

Mastrius num.142. ait, falſum eſſe, non dari conceptum potentiæ actiuæ executiuæ, communem Deo, & creaturæ.

Reſpondet ergo; potentiam executiuam, & volitiuam abſtractam, nec ſe includere, nec excludere: contractas verò ad Deum, & creaturas ſe excludere, vel includere.

Ad illud argumentum, ſumptum ex infinitate Diuinæ voluntatis, reſpondet, ſe non deducere vnificationem diuinæ potentiæ cum voluntate ex infinitate Diuinæ voluntatis, vt ſic, in genere potentiæ volitiuæ. Sic enim argumentum retorqueretur; ſed hoc deducit ex infinita efficacitate, ſeu virtute in genere potentiæ actiuæ phyſicæ, ratione cuius debet includere omnes perfectiones potentiæ actiuæ, ſparſas in inferioribus. Hoc autem non poteſt fieri in attributis diſtinctis; quia non conueniunt in latitudine alicuius perfectionis genericæ. Quare vna ratio formalis excludit; ſeu non includit aliam in ſuo conceptu formali; vnde ſuperueniente infinitate non poſſunt identificari formaliter.

20 At ſuprà oſtendi, eas in genere ſe excludere, cùm habeant diuerſos actus, diuerſa obiecta, & diuerſum genere modum operandi, diuerſas eſſentias; & in creaturis ſe excludere. Quapropter iuxta Scoti principia non iuuat infinitas ad eas formaliter identificandas in Deo.

Quod etiam addit: Vnde Scotus ſignat infinitatem voluntatis? inane eſt. Debet enim ſumi non in tota latitudine virtutis, ſed in tota latitudine virtutis volitiuæ; ſicuti infinitas lineæ non facit, vt in linea includantur extranea, puta ratio ſuperficiei, aut corporis. Quod ſi voluntas omnem virtutem actiuam comprehenderet quatenus eſt in Deo, deberet continêre etiam virtutem generandi filium; profectò enim intellectus, & voluntas in hoc conueniunt, vt ſint virtutes actiuæ; attamen diſtinguuntur ſecundùm rationes proprias: quia aliud eſt poſſe intelligere; aliud poſſe velle; & ſecundùm hanc rationem non minùs diuerſum eſt poſſe exequi; & producere ad extrà, vt notat Tannerus num.5. cum D. Bonau. *allegatis locis.* Et ſanè ob id ponimus diſtinctum attributum à Scriptura, & Patribus.

21 Probatur quintò à S. D. *d.45. art.2. quaeſt.1. arg.1.* Vel attribuitur voluntati Dei producère extrà, ratione principalis ſignificati, quod eſt ipſa entitas Diuina; vel ratione connotati. Si ratione principalis: Ergo non minùs potentia debet dici cauſa; ſi ratione connotati, quod eſt effectus, iam eſt cauſa ab effectu; Si verò ratione principalis rei ſic ſignificatæ per modum voluntatis. Tunc ſic: Deus, vt cauſa, ſecundùm vnam rationem aſſimilatur vni effectui; non alteri. Sic lapidi aſſimilatur vt ens; aquæ vt infrigidat: igni vt ignem producit: animali vt viuit: homini vt intelligit, & vult; in quo eſt diſſimilis bruto, & lapidi: Ergo virtus volitiua differt à virtute productiua in Deo. Probatur conſequentia ab Arriaga. Quia ideò color diſtinguitur à nigredine, quia in ratione coloris conuenit nigredo cum albo, & rubro; in ratione verò ſpecificâ differt: Ergò. Similiter, quia Deus conuenit in potentia producendi frigus cum ſaxo, & ignem cum igne, & à nobis in eadem differt: è contrario autem nobiſcum conuenit in vi amatiua, qua differt à lapide, & igne, differt eius potentia operatiua à voluntate.

Respondet Maſtrius, Voluntatem, dum conſideratur ſine virtute productiua, concipi inadæquatè: Similiter & virtutem productiuam, dum conſideratur ſine volitiua: atque adeò hinc non argui diſtinctionem adæquatam.

Verum, ſi adæquatè ſumptis his potentiis, altera includit alteram, non poſſet eſſe abſoluta affirmatio, & negatio. Deus ſecundùm voluntatem eſt ſimilis nobis; non igni; ſed ſimilis erit igni in voluntate; ac proinde ignis voluntate producit.

Probatur ſextò à S. D. *ibidem ad 2.* Id, quod reducit aliud ad actum operandi, eſt ab eo diſtinctum. 22 Voluntas deducit potentiam ad actum operandi: Ergo. Maior probatur. Nam actus, & potentia diſtinguuntur; at quod reducit aliud ad actum, debet eſſe ens actu; quod autem reducitur, eſt ens potentia: Ergo. Minor probatur. Nam potentia ſignificat virtutem per modum habitus: Voluntas autem per modum actus; vnde reducit potentiam ad actum operandi. Ideò dicitur: *Omnia, quæcunque voluit, fecit.* Pſal. 113. vt obſeruat S.Bonau. *quæſtione præcedenti, fund.1.* non autem fecit omnia, quæ poteſt.

Probatur ſeptimò à S.D. Quorum eſt ratio generica agendi diuerſa, eſt etiam diuerſa ratio virtutis: 23 Sed ratio agendi propria voluntatis, eſt modus artis: at potentia etiam agit, vt natura, è propria ſua ratione: Ergo differunt. Hoc autem eſſe etiam in Deo, patet.

Probatur etiam ab aliis apud Baſſolim. Si creare eſt *velle*, & non ſit ibi aliqua potentia; ſequitur, 24 quòd ſicut *velle* eſt æternum; ità & creatio fuit æterna.

Hæc tamen ratio eſt inualida; quia, licèt creatio ſit volita ab æterno, non tamen eſt volita pro æterno, ſed pro tempore, quo producitur; vt obſeruat Maſtrius *num.135.* è D. Bonau. *d.45. art.2. quæſt.2. ad 2.* Ex quo tamen colligit S. D. quòd quia poſitâ causâ in eſſe, non ſequitur effectus; ſed requiritur, vt ponatur in operari. Ideò, licèt voluntas Dei voluerit ab æterno; non tamen fuit eius operatio ex tunc, ſed in tempore ratione potentiæ exequentis; alioqui ſi nihil noui fuit, non eſt maior ratio, cur non fuerit mundus ab æterno productus; Quia profectò productio fuit aliquid reale nouum; vt dicitur Geneſ.1. *In principio creauit Deus cælum, & terram.* Et ſic retorquentur argumenta, quæ iaculatur Maſtrius *num.126.* De quibus *tract.3. d.1. quæſt.3.* latiùs diſſeram.

Assero ſecundò, Deum non agere ad extrà per 25 eſſentiam ſuam, tanquam per rationem proximam, & immediatam agendi phyſicè, concurrente Voluntate ſolùm per modum applicantis ad operationem: intellectu verò per modum dirigentis. Eſt D. Bonauenturæ 1. *diſt.45. art.1. quæſt.1. & 2.*

Probatur à S.Bonau. primò *quæſt.1. fund.2.* Id, quod producitur per naturam, producitur ſimile in natura. Sed creaturæ non producuntur ſimiles Deo in natura. Similiter producerentur naturaliter, non liberè, quod eſt hæreticum. Hoc vrget Poſnanienſis *lib.1. deciſ. cap.3. quæſt.7.*

Probatur ſecundò à S.D. authoritatibus Scrip- 26 turæ, & Patrum, quæ teſtantur, Deum omnia voluntate produxiſſe. Hilarius lib. de Synod. *Omnibus creaturis ſubſtantiam Voluntas attulit: ſed Filio natura dedit.*

D.Augustinus, lib.1. contra Manichæos, cap.2. *Reſpondendum eſt eis, qui voluntatem Dei noſſe deſiderant, quòd voluntas Dei, omnium quæ ſunt ipſa ſit cauſa.*

Et

Et l. de Speculo cap.7. & l. Medit. cap.29. *Voluntas tua opus eſt, cur velle eſt poſſe, qui omnia, quæ ex nihilo creaſti, ſola voluntate feciſti.* Addit quæſt.2. Seraphicus id S. Auguſtini 3. de Trin. cap 4. *Voluntas Dei eſt prima, & ſumma cauſa omnium ſpecierum, & motionum.* Ibi affert etiam Gloſſam *ad Pſal.* 114. S.Leo ſerm.2. de Natiu. *Deus, cuius natura bonitas; cuius voluntas potentia.* Id, quod ſæpe; vt dixi, infert S. Bonau. dicens. *Cuius velle eſt poſſe.* S. Athanaſius orat.4. in Arian. ait. *Solo nutu voluntatis agere.* Idem è Scripturis oſtendit Seraphicus d.45. quæſt.1. ex 1. Ephes. *Omnia operatur ſecundum conſilium voluntatis ſuæ. Omnia operatur ſecundum propoſitum voluntatis ſuæ.* Idem probat ex Ariſtotele 12. *Met.t.*39. vbi ait. *Voluntas eſt actus ipſius Dei.* Quamuis autem textus dicat. (*Voluptas*;) tamen idem vult ſignificare; quia actus perfectiſſimus voluntatis eſt ſpiritualis voluptas beatifica.

27 Hæc oſtendunt, non ſolùm Deum agere liberè, ſed præcipuè voluntatem interuenire vt cauſam; alioqui ſi ſolam libertatem operis ſignificaret, dixiſſet. *Voluntariè*, non verò *voluntate* Deum creaſſe.

Adverte autem, magis nominare voluntatem, quàm potentiam, non quia voluntas ſit ratio adæquata producens, vt putant aduerſarij; ſed quia voluntas eſt, quæ decernit, & ad actum executionis deducit potentiam; & ideò illi adſcribitur opus tanquam cauſæ originariæ; vt notat Seraphicus *art.*2. *quæſt.*1. *ad* 2.

Addit Maſtrius *n.*109. tribuere potentiam eſſentiæ, prout diſtinctæ ab attributis, eſſe de medio tollere inſigne attributum omnipotentiæ. Addo & ego, idem facere ipſum, dum potentiam in voluntate includit.

28 Probatvr tertiò à S. D. *quæſt.*1. *eiuſd. litt. diſt.*45. *quæſt.*1. *ad* 3. Modus agendi ſecundùm artem, quo producuntur effectus diſſimiles cauſæ, eſt proprius voluntatis. Deus in producendis creaturis ſe habet vt artifex; & ob id Filius dicitur: *Ars plena formis, ſeu Ideis*; vt notat S. Bonau. *d.*35. *quæſt.*2. *&* 5. ex D. Auguſt.6. *de Trin. cap.*10. *& l.*83. *qq. quæſt.*46.

29 Probatvr quartò à S.D. 1. *d.*10. *quæſt.*1. *fund.*4. In generatione æterna Pater intellectu producens Filium, omnia in eo facienda diſpoſuit; & in productione Spiritus Sancti, Pater cum Filio voluntate perſonam produxit, in qua omnia vellet, & donaret. Ergo voluntate Deus res condidit. Sicut enim non eſſentia generauit, aut ſpirauit; ità neque creauit; vt arguit etiam Poſnanienſis *loc. cit.*

Ex quo etiam refellitur reſponſio Suarez, Voluntatem interueniſſe, vt applicantem eſſentiam. Nam ad intrà productiones, quæ fuêre ratio productionum ad extrà, fuêre ab intellectu, & voluntate. Confirmatur à D.Bonau. tertiò: Omnis modus nobilis agendi ad hos duos reducitur. Sic omne agens, aut agit naturaliter, aut per Voluntatem.

30 Advertit autem S. D. Spiritum ſanctum non procedere à voluntate per modum liberalitatis, quia talia extrà exeunt; ſed ſicut ipſa liberalitas. Sicuti & filios non vt ab arte, aut per modum artis, ſed vt ars ipſa emanat; quæ enim ab arte fiunt, extrà producuntur.

Ex hoc quoque deducitur, quâ de cauſâ ad productiones ad intrà neceſſe ſit interuenire eſſentiam; non in productionibus ad extrà. Nam perſonæ ad intrà producuntur conſubſtantiales, atque ideò in productione Filij concurrit eſſentia cum Intellectu; & in emanatione Spiritus ſancti eſſentia cum Voluntate; at de ratione creaturæ ſolùm eſt, quod contingenter ab ente Increato procedat, quale eſt diuina Voluntas etiam, vt ab eſſentia virtute ſecernitur. Quare poteſt in ſe habere rationem immediati principij productiui, etiamſi eſſentia ſolùm in ratione radicalis principij concurrat.

Obiiciunt primò Scripturas, quæ dicunt volun- 31
tate Dei omnia fieri. Epheſ.1. *Operatur omnia ſecundum conſilium voluntatis ſuæ.* Pſal.121. *Omnia quæcunque voluit Deus fecit.* Pſal.148. *Ipſe dixit, & facta ſunt, &c.* Addunt Patres ſuprà allegatos; E quibus deducunt, ſolam Voluntatem, abſque additâ potentiâ, eſſe cauſam rerum.

Respondetvr cum D. Bonau. *d.*45. *quæſt.*5. & aliis locis ſuprà adductis, id ſolum aſtrui, omnia dependenter eſſe à voluntate Dei producta; at non eſſe aliam potentiam exequentem, ſicut in nobis, non colligitur; vt fatetur Vaſq. *num.*9. Smiſing. *loc. cit.* Faſolus *num.*3. Cùm autem dicunt D. Auguſt. *l. Medit. cap.*29. S. Leo loc. cit. *Dei velle, eſſe poſſe*, quod etiam S.Bonau. dicit *d.*45. *art.*2. *quæſt.*1. *ad* 3. ſolùm volunt, Deum non cogi extrà è creaturis virtutem emendicare; ſed quodcunque voluerit ſuâ virtute, & potentiâ, quæ eſt formaliter voluntas, ſolâ virtute diſtincta præſtare poſſe; non tamen excludunt alia operandi principia, alioqui excluderetur etiam ſapientia; cùm tamen dicatur: *Omnia in ſapientia feciſti.*

Reſpondet Maſtrius *num.*112. recenſeri etiam ſapientiam, vt cauſam directiuam, nuſquam verò aliam potentiam executiuam aſtrui.

At dum Scriptura dicit: *Omnia quæcunque voluit, fecit*; apponit executiuam potentiam; alioqui diceretur: *Omnia quæcunque voluit, voluit.*

Obiiciunt ſecundò Vaſquez *cap.* 3. Maſtrius 32
*num.*113. & alij. Infinita Diuinæ voluntatis efficacia non admittit neceſſitatem alterius potentiæ ad opus; alioqui imperfecta ponetur.

Respondetvr ex dictis, Infinitatem efficaciæ voluntatis non eſſe applicandam ad omnia: ſed in ratione voluntatis; vt notat Faſolus; eſt autem actus intentionalis.

Inſtat Maſtrius, etiam Voluntatem habere ſuam 33
actionem phyſicam, quæ dicitur *Volificatio.* At etſi in creatis voluntas habeat ſolos effectus intentionales, tamen in Diuinis voluntas producit Spiritum Sanctum.

Reſpondetur, voluntati fœcundæ concedi intrà amorem, qui ſit perſona Diuina; non tamen concedi ad extrà creaturam, quia hæc non poteſt eſſe terminus volitionis, neque volificationis, cùm ſit omninò ad extrà.

Obiicit tertiò Maſtrius. Nequit voluntas Diuina 34
aliquid ad extrà liberè velle; niſi per connotationem effectus à ſe dependentis: Ergo potentia productiua neceſſariò voluntatem includit in ſuo conceptu.

Respondetvr cum D.Bonau. *d.*45. *art.*2. *quæſt.*1. *&* 5. Voluntatem connotare effectum modo ſibi proportionato, vt volitum, ſeu obiectiuè; at poni in eſſe, dùm voluntas ipſa potentiam exequentem operi applicat.

Obiicit quartò cum Baſſolio. Potentia iſta executiua, à voluntate diſtincta, æterno tempore fuit ſine actu: Ergo in tempore producens mutata eſt. Ita arguit & Caſpenſis.

Respondetvr cum D.Bonau. *loc. cit. & in* 2. *d.*1. 35
*p.*1. *quæſt.*2. *ad* 4. *&* 5. Cauſam operantem per voluntatem, operari per ſapientiam, & diſcretionem; & ideò Deum ab æterno quidem voluiſſe creare; ſed pro tali tempore; ſicut ego volo cras audire Miſſam. Fuit quidem ab æterno cauſa actu in ſe ſufficiens producere, ſed non producens. Sicuti ſi Sol ab æterno

eſſet

eſſet lucens, ſed non illuminans, quod ſi poſtea illùminaret, mutaretur ſolùm id, quod illuminandum ei obiiceretur. Quòd ſi aliqua mutatio Soli aduenirer, ea eſſet, quia eius actio eſt aliquid additum agenti: At Deus, qui eſt ſua actio, cui nihil aduenit; cùm producit, nec aliquid acquirit; nec operando perficitur; ideò non operando, non eſt otioſus; nec cùm de non operante fit operans, mutatur de otio ad actum.

36 Sic Deum faſſi ſunt Philoſophi, quia ſimpliciſſimum agnouerunt. Itaque eam rationem ſtultam appellat S.Bonau. ſiue ergo agat voluntate, ſiue potentiâ, certum eſt in tempore agere, & producere creaturas, cùm ab æterno ſolùm decreuiſſet facere; non autem fecerit. Quod exemplo manuducente explicat: Homo, vt faciat vas luteum, eget manibus. Angelus, qui eſt perfectior ſuâ potentiâ, idipſum ſine manibus faciet; quantò magis Deus ſimpliciſſimus ſuæ voluntatis imperio, quæ non eſt aliud, quàm ipſe, poteſt omnia producere in tempore, operando id, quod ab æterno decreuit, abſque ſui mutatione, cùm ſit perfectiſſimus, & ſimpliciſſimus. Itaque eodem modo ſoluendum eſt argumentum, tam ſi voluntas eſt diſtincta à potentia, quàm ſi eſt idem; vt aduertit Faſolus, quia etiam voluntas ab æterno voluit quidem creare, ſed creauit in tempore actione vera. Recurrendum igitur ad Diuinam ſimplicitatem, non ad vnitatem voluntatis cum potentia.

37 Instant Caſpenſis, & Maſtrius cum Baſſolio, & Scoto 1. *d.*39. §. *Iuxta prædicta in fine*: nam idem omninò eſt actus voluntatis vt vult, & vt exequitur; quia dicitur velle, quatenus ei tribuitur ab æterno; & dicitur creare, pro vt tribuitur in tempore; & creatio dicitur noua, ratione nouitatis creaturæ, hoc autem non poteſt dici, ſi creatio ſit actus potentiæ diſtinctæ executiuæ; nam tunc actus eſſet nouus, non modò ratione nouitatis creaturæ, ſed ratione actus creantis. Et non poteſt vitari otioſitas per totam æternitatem, in qua fuiſſet hæc potentia ſuſpenſa ab actu, vſque ad tale tempus. Confirmatur. Nam Scriptura & Patres non diſtinguunt executionem ab actu imperij. Ergo eodem omninò actu Voluntas imperat, & exequitur. Imperat ab æterno, ſed imperat pro tali tempore. Anteced. probat. Nam dicitur. *Ipſe dixit, & facta ſunt*, *&c.* & alibi. *Dic tantum verbo*, *& ſanabitur puer meus*. Et Athanaſius *loc. cit.* & Gregor. *homil.*28. *in Euang.* aiunt. *Solo nutu Voluntatis Deum creare*. Obſeruat autem *num.*120. cum Baſſolo *loc. cit.* Vaſquez *cap.*3. Becano *quæſt.*2. potentiam productricem eſſe voluntatem, non ſimpliciter; ſed vt efficacem ad producendas creaturas. Ex quo infert cum allegatis; voluntatem à potentia executiua differre aut per connotatum rationis; vt ait Baſſulus; vel vt *includens*, & *incluſum*; vt aiunt Becanus, & Vaſquez.

38 Contra eſt tamen, Quia non ſtat diſtinctio voluntatis, & executionis in aliqua attributione, quæ eis adſcribatur extrà; ſed in reali varietate. Quia voluntas ab æterno vult, atque decernit, nec tamen creat tunc, ſed in tempore; & oportet in tempore dare executionem, quæ non fuit ab æterno, cùm in tempore prodeat effectus, qui ab æterno non fuit. Itaque debet cauſa in tempore efficaciter operari, quod non eſt operata ab æterno; vt notat D.Bonau. & hoc luce clariùs teſtantur Scripturæ, Geneſ. 1. *In principio creauit Deus cælum, & terram. Dixit Deus: fiat*

39 *Lux. Dixit Deus: fiat firmamentum.* Quæ verò authoritates afferuntur ab aduerſariis, non ſunt ad rem; ſolùm enim innuunt, Deum non eguiſſe aliquo externo auxilio; ſed ſolo nutu voluntatis, imperando ſuâ potentiâ, eduxiſſe omnia è nihilo. Itaque oportet nouitatem concedere in executione, quam optimè explicuit ſuprà D. Bonau. ex Diuina ſimplicitate. Si enim voluntas ab æterno fuiſſet executiua: iam tunc fuiſſet effectuum multitudo: Nec ſatisfacit dicendo voluiſſe pro tali tempore. Quia pro tali tempore fuit vera creatio; vt Geneſis teſtatur. Dicere autem, Voluntatem eſſe executiuam vt efficax eſt; nihil eſt aliud, quàm dicere eſſe efficacem, non ſeipſa, ſed potentiâ executiuâ.

Obiicies primò cum Suarez. Deus non agit extra, vt eſt infinitus intelligens, aut volens; ſed vt eſt ens infinitum. Ergò actio ad extrà competit illi ex infinitate eſſentiæ, non ex infinitate voluntatis. Confirmatur, quia Deus non eſt omnipotens, quia ſciat omnia; neque poteſt creare mundum quia vult; ſed ideò vult, quia poteſt creare; & poteſt velle, quia poteſt creare. Ergo virtus creatiua præcedit voluntatem. 40

Respondet Maſtrius *num.*128. cum D. Bonau. *in* 4. *d.*14. *art.*3. *quæſt.*3. *ad* 2. materialiter quidem requiri infinitatem eſſentiæ, vt voluntas creare poſſit; attamen formaliter Deum poſſe creare, quia poteſt velle: quod ſi non poſſet velle creare mundum; neque poſſet creare. Sicut ergo *velle* præcedit creationem, iuxtà id. *Omnia quæcunque voluit fecit*; ità *poſſe velle* eſt prius, quàm *poſſe creare*.

Obiicies ſecundò. In aliis cauſis natura eſt principium operandi, vt V.g. in igne, &c. Ergo & in Deo. Confirmatur; nam ideò poteſt Deus producere creaturas, quia eas continet eminenter in ſua eſſentia. 41

Respondet Maſtrius *num.*132. negando paritatem. Nam actio Dei non eſt per naturam, ſed ad modum artis, vt ſuprà dixi, ex D. Bonau. *d.*45. *q.*1. *&* 2. Ideò principium, & ratio agendi non eſt natura, ſicut in agentibus per naturam, ſed voluntas. Ad confirmationem reſpondetur, Deum eſſe omnipotentem non quatenus continet in eſſentia omnes perfectiones formaliter; ſed quatenus in ratione principij, in omnipotentia omnes creaturas virtute continet.

QVÆSTIO II.

An Potentia Dei ſit infinita.

{ D.Bonau.d 42.& 43.
{ D Thom. q.25.art.2.

Infanovs ille Caluinus *lib.*1. *Inſt.cap.*23. §.12. & *ad* 11. *Iob. conc.* 43. & *ad* 23. *Iſaiæ*, negat, Deum eſſe omnipotentem.

Potentiam Dei infinitam omnes Catholici fatentur; hæc autem infinitas adeò conuenire debet ipſi Potentiæ, vt ipſa præciſa à cæteris attributis ſit infinita, non autem ſolummodò prout ſimul cum aliis eſt Deus ens infinitum, quem, quoad eſſentiam, probauimus talem *diſput.*6. nec tamen poſſe producere infinitum. 42

Assero, Infinitam eſſe Dei potentiam.

Probatvr à D. Bonau. primò *ad* 11. *Sap.* illis verbis: *Non enim impoſſibilis erat manus tua, quæ creauit orbem terrarum ex materia inuiſa, immittere illis multitudinem Vrſorum, aut Leones.* Vbi Sapiens, à productione rerum ex materia; & creatione materiæ ex nihilo, arguit infinitam Dei potentiam. Quo argumento vtitur S. D. *hic*, *arg.*4. *fundamentali*, & *l.*1. *Compend. Theol. cap.*27. Quæ ratio erit confirmanda *tract.*3. *diſput.*1. *quæſt.*6. *&* 7.

Probatvr

PROBATVR deinde à S.D. *ad* 18. *Sap.* illis verbis: *Omnipotens ſermo tuus Domine à regalibus ſedibus veniens, &c.*

PROBATVR tertio à D. Bonau. *d.*43. *quæſt.*3. & D.Thom. *quæſt.*25. *art.*1. ex Angeli effato, Lucæ 1. *Non erit impoſſibile apud Deum omne verbum.*

Inſolens Beza *l.*2. *aduerſ. Tilm.* ait, nec credendum, nec vniuerſim recipiendum hoc dictum; Ità Sathanæ credit, qui in Caluino loquebatur magiſtro.

43 QVONIAM tamen Scotus 1.*d.*42. *quæſt.*1. cum diſcipulis præcipuè Herrera 1. *d.* 21. *quæſt.*1. Gabr. ibi *q.*1. tametſi concedant, probari poſſe potentiam primæ cauſæ ad omnia, vel per ſeipſam, vel remotè cum ſecundis cauſis; non tamen naturaliter oſtendi poſſe, Deum poſſe per ſeipſum facere omnia, quæ poteſt per ſecundas cauſas, & alioqui non implicant, quo ſenſu à Theologis accipitur omnipotentia. Afferemus multas de hac rationes, oſtendendo infinitam eius potentiam rationibus naturalibus; & ità manebit probatum intentum. Nam ſi potentia eſt infinita, nullus effectus poterit eam ſubterfugere; vt notat Vaſq. *d.*104. *cap.*1.

Multas rationes congerit, quaſi ſuas, Trigoſius *q.*20. *art.*4. *dub.*2. quæ tamen omnes ſparſim à D. Bonau. afferuntur, & à D.Th. 2. *cont. Gent. cap.* 22. & 25. Eas breuiter proſequar, & alias quoque ex eodem Seraphico addam.

44 PLVRAS rationes affert S. Bonauentura *quæſt.* 1. *d.*42. Prima ratio eſt. Inter omnia attributa Dei, Bonitas infinita Deo conceditur. Nam Deus concipitur ens optimum. Tunc ſic. Omne bonum eſt diffuſiuum, & communicabile aliis; ac proinde à proportione Bonum infinitum habet actum infinitum diffuſiuum, & communicatiuum, hunc autem actum debet habere à ſe ſecundùm ſuam potentiam; alioqui ſi ſecundùm alienam potentiam id cogeretur facere, non eſſet bonus per eſſentiam. At Deus eſt Bonus per eſſentiam infinitè: Ergò poteſt in omnem effectum, in quo eſt communicabilis bonitas, quæ eſt idem cum ente: Ergo in omne ens per ſe poteſt: Ergo infinita eſt eius potentia.

45 SECVNDA ratio. Quidquid eſt perfectionis, Deo eſt attribuendum: Debet enim concipi Deus perfectus in tota latitudine entis; atque adeò infinitè; vt dixi *d.*6. *quæſt.*1. At omnis actus potentiæ actiuæ ad omnia dicit aliquam perfectionem: Ergo eſt Deo attribuendus poſſibilis. Idem habet *p.*1. *Breuil. cap.*7.

46 TERTIA ratio. Deus eſt naturaliter cognitus, & concipiendus Ens ſupremum, & per eſſentiam, à quo omnia entia agnoſcant participationem omnis eſſe, à quo omnia expectentur, & in quo omnes excellentiæ colantur, & adorentur. Sed talis perfectio claudit potentiam ad omnia, & hæc ad infinita poſſibilia non ſolùm indiuidua, ſed etiam ſpecie infinitas poſſibiles, quas oſtendam *quæſt.*6. poſſe fieri in infinitum ſemper perfectiores: Ergo.

47 QVARTA ratio. Id, quod eſt ſummum ens, habet totam rationem entis, ac proinde & bonitatis, quæ cum ente conuertitur. Eſt autem Bono infinito proprium, vt ſit finis potens omnia terminare. Sed Deus eſt finis infinitè terminans, cùm ſit Bonus per eſſentiam, atque adeò infinitè. Ergo & omnia poteſt in ratione principij; alioqui ſi daretur aliqua actio in tota latitudine entis, quæ à Deo non poſſet eſſe; ſequeretur Deum non poſſe eſſe finem illius, eamque terminare, ac proinde non eſſet Bonus per eſſentiam.

48 QVINTA ratio habetur *in corpore.* Potentia, identificata cum eſſentia infinita, eſſet infinita. Talis eſt potentia Dei: Ergo. Minor oſtenſa eſt *diſp.*6. Hac ratione vtitur & D.Thomas *quæſt.*25. *art.*3.

ADVERTE, nos non accipere rationem formalem infinitatis potentiæ, ex ratione formali infinitatis eſſentiæ formaliter, ſed ſolùm radicaliter, quia eſſentiæ infinitæ identificatæ potentia eſſe debet infinita.

VASQVEZ *d.*103. *num.*6. conatur hanc rationem eneruare, dicens, eam ſanè oſtendere infinitam potentiam in ſe; non tamen extendi ad obiectum poſſibile infinitum, quod poſtulet infinitam potentiam, cùm non conſtet adhuc, dari tale obiectum, poſtulans infinitam potentiam.

HÆC tamen ſubtilitas in inane abit; Nam cùm potentia ſit relatiua ad obiectum, vt notat ipſe Vaſq. *d.*104. *cap.*1. *in fine*, profectò oſtenſâ illâ infinitâ, manet oſtenſum, eam ad obiectum infinitum extendi, & tale obiectum eſſe poſſibile, vt acutè obſeruat D.Bonau. *ad vltimum.* Quare nimis timidè Nazarius *quæſt.*25. *art.*2. *contrmisc. vn. concl.*4. concedit, hîc non omninò probari in ordine ad obiectum, prout requiritur ad infinitum.

SEXTA ratio habetur *reſponſione ad* 2. Illa potentia, quæ eſt omninò independens ab alio, eſt illimitata, & infinita. Talis eſt potentia Dei. Maior probatur. Quia potentia independens eſt purus actus, & idem cum eſſentia, quæ conſequenter eſt purus actus: Ergo nihil ei perfectionis poteſt addi; ſed omnes potentiæ actiuæ perfectiones inſunt. Probatur Minor. Eſt enim Deus purus actus. Idem probat S. Bonau. ratione fide nixâ. Quia ex nihilo ſubiecti creat, quæ ratio roborabitur *Tract.*3. *diſput.*1. 49

PROBATVR quartò à D. Bonau. *ad* 3. illa Minor. Quia Dei potentia, ſicut etiam eſſentia conſtituunt Deum ſimpliciſſimum: Ergo excludentem omnem compoſitionem actus, & potentiæ; ac proinde nihil plus eſt habens, quando agit, quàm cùm non agit.

ADVERTIT autem Seraphicus *ad vlt.* quod potentia connotat poſſibile; & poſſibile applicatur ad ens, & non ens; & ſicut poſſibile extenditur; ità & diuerſitas connotari correlatiui potentiæ. Et ideò non ſolùm dicitur poſſe in aliud, quia poteſt in id, quod eſt; ſed quia poteſt id, quod non eſt, ad eſſe deducere. Dicitur tamen circa non ens verſari potentia denominatiuè; non realiter, quatenus non ens eſt, ait Vaſquez: ſed de hoc infrà. 50

ALIAS rationes affert *eadem diſt.*42. *quæſt.*2. 51

PRIMA ratio ſumitur ex conceptu vniuerſali de Deo, vt, nihil virtutis ei denegetur, atque adeò concedatur omnipotentia.

SECVNDA ratio accipitur ex conceptu de Deo, vt ſit omniſciens. Deum enim infinitè ſapientem omnes ſapientes fatentur: Ergo & omnipotentem. Probatur conſequentia. Quia virtus actiua reſpondet cognitioni in agentibus per Intellectum. Dices: Deus plura poteſt ſcire, quàm facere: Ergo obiectum alterum eſt finitum, nempe, quod exceditur: Ergo & potentia circa illud obiectum verſans, eſt infinita. 52

Reſpondet S.Bonau. exceſſum obiecti ſcientiæ eſſe ſcire malum culpæ, quod ſcire quidem eſt ſcire, & auget obiectum ſapientiæ; at non facit ad obiectum potentiæ, quia non eſt poſſe, & ita non minuitur infinitas eius obiecti, vnde ratione obiecti, non exceditur.

TERTIA ratio. Propter quod vnum quodque tale, & illud magis, ex Ariſtotele 1. *Poſt. cap.*2. *t.*5. Sed Deus eſt primum poſſe, à quo omne poſſe: Ergo eſt omnipotens. Minor probatur. A quo eſt omne eſſe; eſt etiam omnis potentia; Quia eſſe eſt radix potentiæ; at Deus eſt primum eſſe, à quo omne eſſe, eſt enim ens per eſſentiam: Ergo. 53

Obſeruat autem S. D. *in corpore*, ex Ariſtotele 5. *Met.*

*Met. t.*17. quod quædam ſunt, quæ dicunt potentiam quoad modum dicendi; dicunt tamen impotentiam à parte rei, & ideò diſtinguenda ſunt ea, quæ
54 dicuntur poſſe fieri. Sunt enim aliqua, quæ poſſe, eſt potentiæ ſimpliciter, vt *diligere*, *operari*: ſunt alia, quæ poſſe, eſt potentiæ, ſed imperfectæ, vt poſſe *currere*, *ambulare*, *vegetare*. Iſtæ enim actiones dicunt cum actione ſimul imperfectionem, vel paſſionis, vel compoſitionis, vel ſimiles. Sunt denique alia, quæ poſſe, dicit meram imperfectionem, vt poſſe *peccare*, *deficere*, &c. Igitur cùm Deus ſit perfectiſſimus, debet etiam potentia eſſe perfectiſſima; atque adeò illa poteſt facere in ſe, & per ſe; quæ poſſe facere dicit perfectionē ſimpliciter; vt *intelligere*, *& operari*. Illa verò, quæ habent mixtam imperfectionem, poteſt Deus per ſe, ratione eius, quod dicit perfectionem: id enim vt prima cauſa operatur, non tamen in ſe, ratione admixtæ imperfectionis; ſic enim poteſt in ſe currere, vegetare, &c. Ea tandem, quæ dicunt ſolam imperfectionem, Deus nullo modo poteſt. Hinc colligit, non minui Dei omnipotentiam ex eo, quòd non poſſit imperfectiones, quæ poſſe, non eſt potentia, ſed defectus. Sic aliqua ſoluuntur obiecta.

55 In quæſtione tertia alias rationes incidenter addit. Alia ratione hæc diſtinguit *lib.* 1. *Compend. cap.*27. dicens, Aliqua Deo attribui ſecundùm eſſentiam, & cauſalitatem; vt *ſcire*, quia ſcit, & facit ſcire; & hæc ſunt perfecta ſimpliter. Quædam ſecundùm eſſentiam, non ſecundùm cauſalitatem; vt *creare*, quia licèt creet, nequit tamen communicare vim creatiuam. Hæc tamen perfectiſſima ſunt. Quædam ſecundùm cauſalitatem; non ſecundum eſſentiam, vt *comedere*, *currere*. Quædam nullo modo; vt *peccare*.

56 Prima ratio eſt. Eſſe Dei tranſcendit omne ens. Itaque eius poſſe tranſcendit omnem intellectionem, quæ eſt ens. Hinc dicitur Lucæ 1. *Non erit impoſſibile apud Deum omne verbum.* Epheſ. 3. *Ei autem, qui poteſt facere ſupra id, quod poteſtis intelligere.* Et D. Hilarius 9. de Trin. *Perfecta poteſtatis eſt, id naturam poſſe facientis, quod poteſt ſignificare ſermo dicentis.* Et D. Baſilius, lib. de fide. *Plus poteſt Deus facere, quàm tu poſſis intelligere.* Et hoc dictat etiam ratio naturalis. Si enim Deus non poſſet facere, niſi quod nos poſſumus capere; iam eius potentia eſſet à nobis terminata, nec eſſet ens primum per ſe. Cùm igitur poſſit intellectus rationabiliter capere alia, & alia entia poſſibilia; ſequitur, Deum ea poſſe, & alia, & multa infinita, abſque eo, quòd exhauriatur potentia illius.

57 Secvnda ratio habetur *in corpore.* Deus apprehendi debet ens in ſumma perfectione, neque à nobis, aut ab aliquo extrinſeco limitatum; ac proinde quicquid non implicat in ratione entis, totum id poteſt; hoc autem eſt infinitum, quia ens infinitum eſt obediens ſuà potentià paſſiuà. Dices hæc potentia paſſiua non poteſt conuenire Deo. Ergo potentia Dei eſt infinita, quia vincitur à materia. Reſpondet S. Bonau. potentiam materiæ eſſe imperfectionis.

58 Hanc rationem exactiùs vrget S.D. *quæſt.*4. *in corpore*, & *ad argumenta*, & *d.*43. *quæſt.*1. *in corpore*, & *d.*44. *quæſt.*1. *ad* 3. quam vnicam afferri poſſe dicit Arriaga, *d.*40. *ſect.*3. *num.*23. Naturaliter ſcitur, potentiam creaturæ paſſiuam eſſe infinitam ex parte materiæ ad omnia naturalia; & ex parte tranſmutabilitatis ad omnia poſſibilia: Ergo debet ei reſpondêre potentià actiuà; alioqui potentia paſſiua eſſet fruſtrà; ſed talis potentia actiua; ſi datur, debet eſſe in primo ente: Ergo, &c. Antecedens probatur à D. Bonau. ex libro de cauſis, prop 16. *Omnes virtutes infinitæ pendentes ſunt per vnum infinitum primum, quod eſt virtus virtutum.* Dices: Ergo & potentiæ paſſiuæ debet reſpondere actiua, actu operans; alioqui eſſent fruſtrà.

Respondet D. Bonau. *d.*43. *q.*3. *ad* 3. negando 59 conſequentiam. Hoc enim verum eſt tantùm de potentia, quæ perficitur per actum; at potentia Dei inde nullam accipit perfectionem, & ità non erit fruſtrà, etiamſi non exerat totam ſuam virtutem.

Ex profeſsò autem id oſtendit *d.*43. *quæſt.*1. multis argumentis.

Primvm argumentum eſt. Potentia, quæ non in- 60
uenit terminum, eſt infinita, ex Ariſtotele 3. *Phyſ. t.*24. Talis eſt potentia Dei: Ergò. Minor probatur. Ea potentia, quæ non alligatur generis alicuius effectui, eſt interminata. Talis eſt potentia Dei. Probatur Minor. Nam in tota latitudine entis debet dari *poſſe*; ſicut datur & *eſſe*, ſed hoc debetur Deo, cui debetur & *eſſe*: Ergò. Confirmatur: Quia ſicuti continuum v.g. eſt diuiſibile in infinitum; ità debet dari potentia, quæ poſſit eius infinitatem paſſiuam proſequi, & adæquare; at hoc euenit in entibus, quæ poſſunt in infinitum mutari: Ergo.

Secvndvm argumentum. Potentia actiua, quæ 61
poteſt in effectus infinitos, eſt actu infinita. Talis eſt potentia Dei. Probatur Maior. Potentia, actu puro conſtituta, nihil poteſt incrementi accipere: Sed talis eſt potentia, quæ poteſt in effectus infinitos: Ergo. Hæc Maior probatur: Quia purus actus nihil habet de potentialitate. Minor probatur, quia debet virtute ſuà actuali omnes effectus illos actu continêre. Minor verò principalis argumenti probatur: Quia Deus poteſt producere ſemper alia, & alia indiuidua, & alias ſpecies rerum. Hanc rationem ait Vaſq. *d.*103. *cap.* 1. probare intentum, dato quòd Deus poſſet alias, & alias in infinitum ſpecies rerum producere; non autem ſi ſola indiuidua. Quia (ait) ſi Sol ab æterno fuiſſet, & infinitas ranas, vel muſcas è putri materia produxiſſet, adhuc eius potentia non eſſet infinita in ratione potentiæ; ſed ſolùm in ratione durationis. Hinc colligit, Durandum *in* 1. *d.*43. *q.*1. *num.* 3. malè hoc medio vti ad hoc probandum. Quia *d.* 44. *q.*1. negat nouas in infinitum ſpecies produci poſſe ſemper perfectiores; ſed ſola indiuidua; hæc enim oſtendit ſolam extenſionem potentiæ ad indiuidua vnius ſpeciei; quæ eſt infinitas ſecundùm quid; at verò infinitas potentiæ extenſiua ſimpliciter exigit, vt extendatur ad omnes ſpecies poſſibiles: & intenſiua ad alias ſemper perfectiores; vt notat Suarez *l.*3. *de attributis, cap.*9. quem fruſtra reprehendit Nazarius *q.*25. *art.*2. *controu. vnica*, §. *Ex dictis.* Non enim vtramque infinitatem confundit, ſed extenſiuam ponit in multitudine: intenſiuam in perfectione ſpecierum.

Tertivm argumentum. Omnis potentia, quæ 62
poteſt in actum infinitum, ſi omninò eſt in actu, eſt ſimpliciter infinita. Sed Diuina virtus eſt huiuſmodi: Ergo. Maior probatur. Sicut ſe habet potentia ad potentiam; ita actus ad actum. Sed actus infinitus infinitè excedit finitum: Ergo & potentia potentiam: Ergo ſi potentia eſt omninò in actu, eſt infinita. Minor probatur. Quia Deus ſe totà æternitate conſeruat, & poteſt conſeruare, & mouêre creaturam infinito tempore. Hoc ferè eſt argumentum Ariſtotelis, 8. *Phyſ. cap.*10. *&* 2. *Met. cap.*7. vbi probat infinitam potentiam Dei, ſeu primæ Intelligentiæ mouentis cœlum ex infinito tempore, quo mouet; quam latè proſequitur Gregorius 1. *d.* 43. *quæſtione* 3. *art.*1. Scotus *primo*, *diſtinct.*2. *quæſtione* 2. §. *Oſtenſit igitur*; & Vaſquez *d.*103. *cap.*1. qui cum Scoto addit, ea

ſolum oſtendi infinitatem potentiæ Dei ſecundùm durationem, quæ eſt infinitas æternitatis, & Angelo poſſet communicari ſaltem toto æuo, & ideò hac ratione non probari infinitatem potentiæ Dei.

63 Addvnt verò Scotus, & Durand. rectè hac probari infinitatem potentiæ Dei intenſiuam, ſi addamus primam cauſam ita infinito tempore mouère, vt à ſe moueat, non ab alio; ſed replicat Vaſquez, hos gradus infinitatis eſſe potiùs eſſentiæ, quàm potentiæ, & per accidens eſt ei potentiæ, quæ eſt à ſe, mouere finito, vel infinito tempore; & ità eſſe à ſe arguit infinitatem, etiamſi finito tempore moueat.

64 Sed quicquid de illis ſit, oſtendo rationem S. Bonauent. eſſe validam: Quia fundat infinitatem potentiæ Dei non modò in mouendo, ſed principaliter in conſeruando creaturas infinito tempore; ad hoc autem requiritur virtus infinita, quæ non poteſt Angelo communicari; quia & ipſe eſt ens, ab alio dependens. Sicut igitur ſuprà fatetur Vaſquez poſſe producere creaturarum ſpecies infinitas, arguere ſimpliciter infinitatem potentiæ Dei; ità idem arguet conſeruare; quia conſeruatio eſt continuata productio: Hinc fit, animam, licèt formaliter duret toto æuo, eſſe tamen finitam; vt notat D. Bonau. *d.43. quæſt.3. ad vlt.*

65 Qvartvm argumentum ſumit è creatione. Potentia, quæ valet ſuper extrema infinitè diſtantia, eſt infinita. Talis eſt potentia Dei, quæ poteſt creare de nihilo. Inter nihil autem, & ens, eſt infinita diſtantia. Sed de hoc *Tract.3. diſp.1. quæſt.7.*

Dices. Creatura quoque poteſt aliquid deducere ex eius contradictorio, vt generare non exiſtentem.

Reſpondet Seraphicus illa infinitè non diſtare, quia habent commune eſſe ſubiecti; At ens, & nihil non habent aliquid commune.

66 Qvintvm argumentum eſt. Potentia, quæ eſt ipſa Dei eſſentia, eſt infinita. Huiuſmodi eſt potentia Dei: Ergo. Maior probatur *ex lib. de cauſis, prop.18.* Virtus quantò magis vnita, tantò magis eſt infinita: Ergo, quæ maximè eſt vnum cum ſuà eſſentiâ infinitâ, eſt infinita, quia eſt in centro, & radice virtutis.

67 Porro alia argumenta ſparſim viget, præcipuè hoc, quod laudat Vaſquez *d.104.* & eo vſus eſt Gregorius. Illa potentia eſt infinita, quæ producit effectus, quibus virtus finita non ſufficit. Talis eſt reſurrectio mortuorum, & cætera miracula, quæ naturaliter videntur, licèt ſupra naturam fiant. Hanc rationem refricat S.D. omnibus ferè allegatis quæſtionibus.

Aliquæ ex his rationibus impugnant directè Scoti opinionem, vt conſtat. His argumentis vtitur & Bouerius *demonſtr.1. in Atheiſtas.*

QVÆSTIO III.

An Deus poſſit facere in omni agenti creato impoſſibile.

D.Bonau.d 42. quæſt.3.
D.Th.1.d 42 q.1. art.5.
p.1. quæſt.25. art.4.

Mvltas quæſtiones de hac re ſparſim trado. Quod non poſſit facere infinitum actu *diſp.6. quæſt.2.* Quod non potuerit creare mundum ab æterno *tract.3. diſp.1. quæſt.12.*

Præcipva quæſtio eſt hic; An poſſit facere, vt præterita non fuerint.

Prima opinio eſt Antiſiodor. *l.1. ſumma cap.11. quæſt.6.* Gilberti ſuper Boëtium *l.1. de Trin. cap.9.* quam Corduba *l.1. quæſt.55. dub. vlt.* putat probabiliorem, in Deo eſſe potentiam, vt faciat præteritum non fuiſſe. Citatur etiam Alenſis, ſed falſo; vt dicam, & Gregorius; ſed eſt problematicus. 68

Opposita ſententia eſt D. Bonau. *hic, & p.1. Breuil. cap.7.* D.Th. *p.1. loc. cit.* quem omnes Thomiſtæ ſequuntur. Et 2. *cont. Gent. cap.25. num.11.* vbi Ferrar. Capreol. *d.42. quæſt.1. art.3. ad argumenta.* Gregorius *contron.6.* Zumellus, Nazar. ad eundem articulum cum Molina. Trigoſius *quæſt.20. art 4. dub.3.* Eſt communis; vt notat Smiſing. *d.7. quæſt.5.* Morandus *in calce libri de Deo Vno.*

Vasqvez *d.105.* conciliator accedens ait, authores prioris ſententiæ nolle dicere, poſſe Deum facere; vt præteritum, poſtquam præteritum in ſenſu compoſito, non fuerit; ſed poſſe facere, vt res præterita non fuerit, ſi potentia Dei referatur ad rem ipſam ſecundum ſe, antequam ponatur fuiſſe, vel non fuiſſe in ſenſu diuiſo: at authores ſecundæ ſententiæ locutos in ſenſu compoſito. Hoc pacto Ariſtoteles *6. Eth. cap.2.* refert ex Agathone hæc verba.

> *Hoc etiam ipſe Deus, ſoloque carere videtur.*
> *Infectum, vt faciat, quod factum eſt, atque peractum.*

Hoc ſenſu D. Auguſt. *l.26. contra Fauſtum, cap.5.* dixit: *Impoſſibile eſt præterita non fuiſſe.* Et D. Hieronymus epiſt.22. *Firmiter credo, Virginem poſt ruinam, a Deo reparari non poſſe*; ideſt non poſſe virginitatem non amiſiſſe. Quæ verba referuntur *in cap. ſi Paulus 33. quæſt.5.* quas authoritates allegat etiam S Bonau. eandem varietatem conantur conciliare Valentia, & Suarez.

Profecto Gilbertus Porretanus primam ſententiam ſuſtinuit; vt notat D.Bonau. nec non Altiſiodorenſis; vt vidit Trigoſius. In ſenſu verò etiam diuiſo id negaot Morandus *loc. cit.* Aueřſa *ſect.7.* Arriaga *ſect.4.*

Præter authoritatem affert S. Bonau. & rationem fundamentalem tertiam. Oppoſita non poſſunt 69
eſſe ſimul vera, & hoc fatentur omnes diſciplinæ, ac propterea hoc vocat impoſſibile, ſecundùm diſciplinam. Sed hoc ſequitur, ſi præteritum non eſt præteritum. Nam ſi Deus vult hoc facere, oportet vt aliquid operetur circa præteritum: Ergo iam præteritum, adhuc eſt. Deinde ſequitur, illud fuiſſe, & non fuiſſe. Hanc rationem viget Arriaga, & inſolubilem credit Morandus.

Probatvr à D.Bonau. ſecundò. Sicut ſe habent 70
oppoſita ad vnionem; ita vnita ad diuiſionem. Sed Deus non poteſt facere, vt duo, & duo, non ſint quatuor, quia hoc eſt verum veritate æterna, quæ non incipit, nec deſinit; vt docet D. Auguſt. *lib.3. de lib. arb. cap.16.* Ergo neque poteſt facere, quod oppoſita ſint ſimul vera: at præteritum, & non præteritum ſunt oppoſita: Ergo.

Ex his deducit Vaſquez verum eſſe, quod docuit 71
D. Bonau. 1. *d.49. art.2. quæſt.1.* quem imitatur Durand. 1. *d.44. quæſt.4.* Deum non poſſe nunc omnia, quæ potuit. Potuit enim aliquando non ſuſcitare Chriſtum; nunc autem non poteſt non ſuſcitaſſe; quamuis enim potentia Dei non mutetur; tamen mutatur in connotatis. Sic relata ad diuerſa tempora, dicitur poſſe diuerſa. Ex quo infert Alenſis *pag.1. quæſtione 21. in 4.* quod quamuis verum ſit hoc. *Deus nunc habet quamcumque potentiam,*

tiam, quam habuit; hæc tamen propoſitio vera non eſt. *Deus nunc habet potentiam cuiuſcunque rei, quam anteà habuit.* Neque hæc. *Poteſt Deus facere quicquid potuit.* Ratio eſt quam attulit S.Bonau. quia, cùm res ſit in aliqua differentia temporis, ſequeretur rem ſimul eſſe nunc, & non eſſe, quod eſt abſurdum; ſicuti ſi quis dicat. Petrus nunc eſt viuus, & mortuus. Paulus nunc eſt, non eſt. Qua ratione vtuntur Vaſq. *loc. cit.* Valentia, & cæteri.

Ad argumenta reſpondetur, Deum poſſe facere omnia, quæ non implicant; hæc enim facere, eſt nihil facere, & implicare.

QVÆSTIO IV.

An Deus poſſit facere, vt præteritum ſit præſens.

QVOAD permanentia omnes Theologi concedunt, poſſe idem corruptum reproduci. Vide D. Bonau. *d.*43. *quaſt.*4. & *d.*44. *in dub. litt.* Vaſq. *d.*34.*cap.*3.*p.*1. Suarez *d.*50. *Metaph.ſect.*9. & alios, præcipuè P. Galitium *p.*1. *Phil. l.*3. *tract.*2. *quaſt.*3.

72 QVÆSTIO autem eſt de ſucceſſiuis: An poſſit reproducere idem tempus, & eundem motum præteritum.

CAPREOLVS *in* 2. *d.*3.*quaſt.*1. *ad* 4. negat de mente D. Th. quem vnanimes Thomiſtæ ſequuntur. Videtur inclinare D.Bonau.4. *d.*43. *quaſt.*4. *ad vlt.* Eandem ſententiam reſolutè ſequuntur Vaſquez *p.*1. *d.*34. *num.* 19. Areſius *de Gener. d.*5. *quaſt.*47. *ſect.*5. *ad* 2.

OPPOSITA ſententia eſt D.Bonau. *loc. cit.* & *in* 1. *d.*42. *quaſt.* 3. vbi ait. Poſſe quod præteritum eſt, rurſum fieri præſens; etſi quod præteritum eſt, fieri non poteſt, quod non prætericrit. Et hoc ſenſu loquitur *loco adducto* pro prima ſententia.

73 ASSERO cum hac ſententia, quam multi ſequuntur, inter quos Suar. *d.*6. *Met. ſect.*9. *num.*6. Hæc facilè probabitur, ſi ſenſus eius explicetur, non aſſerere tempus, & motum abſtractè ſumpta cum ſuis differentiis *præteriti*; ſed pro entitate illa motus, & temporis concreta, quæ à Deo poteſt eadem reſtitui, ac reproduci non minùs quàm ſi nunquam fuiſſet.

PROBATVR ergo. Quæcunque res etiam ſucceſſiua, puta tempus heſternum, vel motus præteritus Solis, ſi nunquam fuiſſent, poſſent à Deo produci; At non minùs poteſt res produci, quæ non eſt, nec fuit, quam quæ olim fuit. Nobis igitur ſatis ſit nullam inueniri implicantiam.

74 OBIICIES primò. Quod tranſiit, non poteſt non eſſe tranſactum: Ergo non poteſt fieri præſens. Probatur conſeq. Quia eſſe præteritum, & eſſe præſens ſunt oppoſita. Confirmatur ab Aureolo. Quia eſſe præteritum eſt prius eſſe præſenti eſſentialiter; ſi ergo tempus præteritum fieret præſens, iam quod eſt prius, non eſſet prius.

RESPONDETVR, motum præteritum præteriiſſe; attamen entitatem eius poſſe reuocari. Neque verò id, quod eſt prius ſit poſterius; nam tempus nunc productum non habet relationem ad præteritum. Eſt enim aliud diſcontinuatione ab illo; idem tamen entitate, neque enim ſecundum productum habet relationem ampliùs ad ſuum præteritum eſſe, vt colligitur è D.Bonau. *in* 4. *loc. cit.*

75 OBIICIES ſecundò. Probo, quod ſequeretur idem eſſe prius, & poſterius. Sit motus ſuper lineam A. B. C. prior eſt motus ſuper lineam A, quàm ſuper lineam B. & prius eſt ſupec lineam B, quàm ſuper lineam C. Ergo erit poſterior motu, qui eſt in B. & ſimul cum hoc.

RESPONDETVR, arguentem ſupponere vnitatem continuitatis: nos verò dicimus, eſſe vnum entitate, non continuitate. Fit ergo reparatio entitatis præteritæ, in qua illa pars, quæ prior erat, nunc eſt prior in reparatione.

Dices. Ergo ſi non eſt continuus, non eſt vnus.

RESPONDETVR, negando ſequelam. Nam identitas entitatiua eſt alia ab entitate continuationis.

Dices. Tempus eſt eſſentialiter continuum.

RESPONDETVR eſſe ſecundùm entitatem vnum poſt aliud; poteſt autem ſumi ea entitas deſtructa diſcontinuata à cæteris partibus, quæ abierunt; & vna, V.g. hora reuocari.

QVÆSTIO V.

Qua ratione Deus ſit omnipotens.

MVLTA hic explicanda ſunt obuia, nempe obiectum omnipotentiæ. Conſequentia ad creaturas. Modi operandi omnipotentiæ, quæ laconicè claudam.

QVOAD obiectum omnipotentiæ, Trigoſius *q.*24. *art.*4. *dub.*2. *concl.*2. cum Gabriele *d.*43. *quaſt.*2. docet, rationem, propter quam Deus eſt omnipotens, eſſe quia poteſt omne poſſibile abſolutè dictum. Hunc modum declarandi obiectum omnipotentiæ adſcribit D. Bonauent. D. Thom. Alenſi, & aliis. Dixerat tamen in explicatione articuli §. *Tertiò nota.* Eſſe idem ac id, quod non implicat contradictionem. 76

ET quidem D.Thomas *quaſt.*25. *art.*2. apertè hunc modum dicendi refellit dicens, committi circulum. Eſt enim idem ac dicere: Deus poteſt omnia, quia poteſt omnia, qui eſt circulus vitioſus, vt fatetur Trigoſius, & ſic refertur bis ad obiecta, quod damnat Ariſtoteles 5. *Metaph.cap.*15. vt aduertit Vaſquez *d.*104. *cap.*2. Vult igitur res omnes eſſe obiectum omnipotentiæ prout in ſeipſis non implicant contradictionem. idem aſſerunt de mente D.Thomæ Caietanus, & omnes Thomiſtæ ibi, Valentia *quaſt.*25. *p.*3. Vaſq. *cap.*5. Soarez *l.*3. *cap.*9. Tannerus *d.*2. *quaſt.*11. *dub.*3. *num.*7.

QVOAD D. Bonauenturam, quem Trigoſius allegat *p.*1. *Breuil. cap.*7. & *in* 2. *d.*42. *quaſt.*2. ſolùm dicit, Deum poſſe omne id, quod poſſe, eſt poſſe ſimpliciter: Hoc autem ait Trigoſius eſſe idem cum aliis verbis. 76

FALLITVR tamen; Quia his non redditur ratio omnipotentiæ, cur ſit talis; ſed ſolum ponitur materialiter obiectum eſſe omne id, quod tale eſt in ſe, vt illud facere ſit facere; hoc autem eſt id, quod in ſe non implicat, quale eſt facere rem eſſe, & non eſſe. Facere peccatum, quia facere peccatum non eſt facere, ſed deficere; vt ipſe S.D. vbique clamat, præcipuè in ea quæſt. allegata.

Hoc idem profitetur Maſtrius *d.*3. *quaſt.*2. *num.*57. de mente Scoti 1. *d.*2. *q.*7. vbi docet, creaturas poſſe ideò dici habere eſſe ex ſe, quod ſignificat formaliter poſſe eſſe, quia ex ſe non implicant; attamen non dici rectè creaturas poſſe habere eſſe à ſe, quia hæc phraſis ſignificat habere eſſe à ſe, tanquam efficiente, in quo errauit Poncius *tom.*1. *Curſus Phil. d.*18 *q.*5. Sed neque phraſis Scoti placet; vt ſæpè dixi, & 77

mox dicam. Neque verum eſt, quod docent Scotiſtæ cum ſuo Magiſtro 1. *d.*43. *quæſt. vn.* vbi ait, Potentiam quidem, vt relatam ad creaturas dici reſpectu creaturarum poſſibilium; neque tamen inferri circulum, quia cenſet creaturas eſſe poſſibiles non ab ipſa potentia Dei; ſed ab intellectu, quatenus illas cognoſcit, & illas producit ſub eſſe diminuto. Omitto, illud *eſſe diminutum* à multis grauiter reprehendi. At eſto ſumatur pro eſſe obiectiuo, adhuc falſum eſt inde accipere creaturas, vt ſint obiectum omnipotentiæ Dei. Sicut enim non ideò futuræ ſunt, aut talis naturæ, quia ſciuntur futuræ; ita neque poſſibiles ſunt, quia ſciuntur poſſibiles; ſed ideò cognoſcuntur poſſibiles, quia ſunt poſſibiles, id eſt. Ideò cognoſcuntur poſſe eſſe, & nullam implicare contradictionem, quia verè poſſunt eſſe, vt notat Tannerus.

79 Ille igitur priùs ait res in ſe tales eſſe, vt non habeant implicantiam, vt poſſint fieri, & reſpici à Dei potentia, & poſteà obiici, vt obiectum eiuſdem potentiæ, ſicut prius eſt eſſe colorem, quàm oculum referri ad illum (ait Vaſquez *d.*104. *num.*11.) Hoc tamen omninò non probatur. Quia diſpar eſt ratio; nam omnipotentia reſpicit creaturas vt faciendas, ſeu factibiles; at oculus non reſpicit colorem, niſi vt obiectum videndum. Deinde etiam illa non implicantia, eſt aliquid poſitiuum participatum à Diuina eſſentia, quæ eſt creaturis participabilis.

Neque verò difficile hinc erit ſcire, quomodo Dei potentia reſpiciat non ens. Poteſt autem dupliciter ſumi non ens. Primò eſſentialiter, quod nec habet eſſentiam nec poteſt habere, quia implicat eſſe; & circa hoc ens Dei potentia verſatur, nec producendo, nec deſtruendo; neque poteſt illud facere, vt ait D.Thom, *quæſt* 25. *art.*2. & 2. *cont. G. cap.*22. vbi Ferrarienſis. Obſeruat autem Henricus *quodl.*8. *q.*3. cum D.Bonau. *d.*42. *quæſt.*2. non ens, ſeu id, quod eſt eſſentialiter non ens, non poſſe fieri à Deo, non ob defectum potentiæ in ipſo Deo; ſed potius ob perfectionem potentiæ Dei. Quia facere illud, non eſt facere. Vnde concludit S.D. Deum poſſe id tantùm, quod poſſe facere denotat potentiam. Neque vult inferre id, quod extorquet Trigoſius ſuprà.

80 Altero verò modo dicitur non ens ea ſola negatione exiſtentiæ, cùm tamen alioqui eſſentiam dicatur habere. Hoc ens non implicat ex ſe contradictionem. Hoc modo roſa in hyeme dicitur non ens, & hoc modo eſt obiectum Diuinæ potentiæ non per productionem tantùm; ſed etiam per negationem, quia poteſt, & producere illam, & deſtruere. Ità Vaſquez *num.*17. quam doctrinam hauſit è D.Bonau. *in* 2. *d.*7. *p.*2. *art.*2. *quæſt.*1. vbi ideò ait. Roſam quoad eſſentiam non produci, ſed quoad modum exiſtentiæ.

81 Hic verò grauiter monent Theologi, nullam ob id relationem realem eſſe in Deo ad creaturas poſſibiles. Ità abſolutè negat S.Bonau. 1. *d.*30. *quæſt. vlt.* vbi id probat præcipuè *fund. vlt.* ratione illa, quam Trigoſ. *quæſt.*8. *art.*7. *dub.*3. *concl.*1. aſſerit eſſe extra rationes D.Bonau. eſſeque rationem fortiſſimam Scoti, quam Vaſq. *d.*104. *cap.*6. §. *Tertiò manifeſta ratione*, aſſerit eſſe inſtar omnium, eamque eſſe Scoti 1. *d.*30. §. *Ad ſecundam quæſtionem*. Quod enim relationem realem dicit ad aliud, pendet ab illo, & ita eſt cum eo connexum; vt ſine eo eſſe non poſſit. Deus autem vt ſit, non pendet à creatura aliqua, etiam poſſibili, quia prius neceſſarium eſt eſſe Deum, quàm creaturas poſſe à Deo fieri. Vtrunque verò æquè neceſſe eſt; vt dicam *tract.*2. *d.*9.

Opponit autem Vaſquez *num.*27. reſponſum aliquorum ex eo, quòd creaturæ non ſint poſſibiles, colligi per locum intrinſecum, Deum non eſſe, quia ſi non eſſent poſſibiles creaturæ, non eſſet Deus omnipotens, & ideò non eſſet Deus.

82 Respondet autem ipſe, Deum vt ſit, non poſtulare, vt aliqua creatura ſit poſſibilis; ſed ſufficere talis virtutis eſſe, vt ſi aliqua creatura non implicet contradictionem, eam producere valeat: Non poſſe autem producere, quæ implicant contradictionem, nihil adimit Deo perfectionis, & omnipotentiæ. Quare ſi aliqua creatura ex his, quæ fieri poſſunt, implicaret contradictionem, imò, etiamſi nulla eſſet poſſibilis, Deus in ſe ipſo eſſet æqualis & eiuſdem perfectionis, cuius nunc eſt. Hanc puto (ait Vaſquez) eſſe naturalem demonſtrationem, qua contraria ſententia manifeſtè refellitur.

83 Hæc tamen reſponſio nulla eſt; nam Deus intrinſecè omnipotens eſt, & ablatâ omnipotentiâ, ſeu alio attributo, non erit Deus, vt oſtendit S.Bonau. *d.*8. *p.*1. *quæſt.*2. Omnipotentia autem intrinſecè extenditur ad omne, quod non implicat, neque poteſt eſſe, quin Deus poſſit aliqua, quia hoc eſt perfectionis, vt dicit D.Bonau. *d.*42. & 43. nulla autem perfectio poteſt à Deo abeſſe. Non dico de ratione omnipotentiæ eſſe, vt poſſit creaturam tali, vel tali modo, puta *ſimiam ſine cauda*, vt exemplificat Vaſq ſed dico pro nunc, debere poſſe talem producere extrà. Itaque non ſtat independentia Dei in hoc, imò in hoc creaturæ pendent à Deo; non Deus à creaturis; quia potentia ſtat in poſſe, quod eſt prius. Scio etiam omnipotentiæ ſupponi eſſentiam, vt aliqua attributa; vnde per locum intrinſecum omnibus modis Deus eſt prior eſſentialiter, & ideò magis hoc ſenſu neceſſarius; tamen comparatâ omnipotentiâ ſolâ, ità eſt neceſſarium, Deum poſſe creaturas; ſicut eſt neceſſarium Deum eſſe omnipotentem; & quia ablatâ omnipotentiâ, tollitur ſumma perfectio, ità hac deficiente, Deus deficit. Hæc diſcutiam *tract.* 2. *loc. cit.*

84 Ratio igitur ob quam Deus etiam ab æterno non refertur ad creaturas realiter, eſt, quia Deus eſt independens; vt dicebat S.Bonau. Quia neque ex omnipotentia aſſeritur pendère à creaturis, nec aliquid poteſt quis ex eius immutabilitate accipere ex eo, quòd ſecum affert poſſe creaturas producere; quod patet; nam producendo, nihil ſibi addit; ſed ſtabilis manens *das cuncta moueri*.

Porrò omnem relationem realem à Deo aufert vbique S.D. non ſolum ex tempore, in quo conſentiunt omnes ſanæ mentis Theologi; vt aduertunt Vaſq. & Trigoſius ſuprà, ſed etiam ab æterno, quem ſequuntur D.Th. *p.*1. *q.*13. *art.*7. & Caietanus ibi §. *Quoad quartum.* Et idem S. D. 2. *cont. G. cap.*12. vbi Ferrar. §. *Circa iſtam.*

Henricus *quodl.*9. *q.*1. Scotus 1. *d.*30. §. *Ad ſecundam quæſtionem.* Capreol. *q.*1. *art.*31. *concl.*3. & *ad* 2. Gregorius Deza Hiſpal. *art.*1. *concl.*3. ſi cum quinta conferatur, & *art.*4. *ad* 1. *Gregorij, contra quintam concluſionem.* Vaſquez *d.*104. *num.*24. Hoc idem docet S. Bonau. *d.*42. & 43. dum ſæpè Deum, vt omnipotentem, aſſerit independentem à creaturis; Hæc enim eſt ratio, ob quam relationes reales Dei ad creaturas negat.

85 Circa modum operandi omnipotentiæ, quam Theologi dicunt iuſtitiæ alligari, vt non poſſit, niſi quod iuſtum eſt; oportet obſeruare cum D.Bonau. *d.*42. *dub.*1. & 2. D.Th. *art.*5. *ad* 1. Alenſi *q.*21. *m.*2. § 1. *ad* 1. Durand. 1. *d.*43. *q.*5. Gabr. Biel *q.* 1. *art.* 4. & Gabriele Vaſq. *d.*106. *c.*1. Duplicem eſſe neceſſitatem Dei in operando. Altera eſt, quæ vocari ſolet quoad ſpecificationem: altera dicitur quoad exercitium. Prior neceſſitas

in

in eo poſita eſt, vt Deus nihil poſſit facere, quod non ſit iuſtum. Si ergo de hac neceſſitate ſermo ſit; adhuc de iuſtitia poſſumus bifariam loqui. Primom vt includit debitum; & hoc modo non incumbit ſemper neceſſitas quoad ſpecificationem non faciendi, niſi quod iuſtum eſt. Nam, licèt aliqua faciat ex debito; quia verbo ſuo promiſit; multa tamen facit ex nulla obligatione. Deinde loqui poſſumus de iuſtitia, quatenus ſolùm eſt conuenientia, & decentia Diuinæ bonitatis, & hoc ſenſu illud eſt iuſtum, quod decet Diuinam bonitatem; & hoc ſenſu Deus omnia iuſtè operatur, quia nil poteſt operari indecens ſuam bonitatem.

86 Altera neceſſitas iuſtitiæ eſt quoad exercitium, qua ſcilicet ita operatur aliquis, vt non operari non poſſit. Nulla autem neceſſitate iuſtitiæ operatur Deus hoc modo, ſi iuſtitia ſolùm ſumatur pro condecentia, quia poteſt Deus multa non producere, quæ, ſi producerentur, decerent Diuinam bonitatem. Si verò iuſtitia dicatur latè debitum, quo Deus teneatur aliquid facere, quandoque operatur ex iuſtitia neceſſariò quoad exercitium, quia aliquid promiſit, & iuxta promiſſionem debet facere.

87 Ex quo D. Bonauentura explicat illud D. Auguſtini l. qq. noui, & veteris teſtamenti, cap. 106. *Omnia quidem poteſt Deus, ſed non facit, niſi quod conuenit veritati eius, & iuſtitia*, & ibidem. *Potuit Deus cuncta facere ſimul; ſed ratio prohibuit.*

Observat enim, iuſtitiam vno modo ſignificare exigentiam meritorum & ſic diuidi contra miſericordiam. Secundò, ſignificare decentiam bonitatis, & hoc modo comprehendere miſericordiam, & iuſtitiam propriè dictam, & ſic accipi in priori dicto ab Auguſtino & differre ait à veritate in ratione dicendi, quamuis ſecundùm rem ſit idem; nam veritas reſpicit vnamquamque rem ſecundùm ſe; ſed iuſtitia reſpicit vnam rem comparatam ad aliam, ſecundùm quod per leges debitas vna alteri colligatur; vnde ratione veritatis, ſeu promiſſionis obligatur ſibi propriè; non autem alteri; vt benè inferunt allegati Doctores contra Vaſquez ſolum. Similiter, & per iuſtitiam, vt dicit bonitatem, tenetur ſibi ad facienda decentia; ratione verò meritorum tenetur alteri, & reſpectu etiam promiſſionis, prout cadit ſupra opera aliquo modo, de quo ſatis egi *diſput.* 19.

88 Ex altero loco D. Auguſtio pedetentim incedimus ad eam diſtinctionem potentiæ Dei, in abſolutam, & ordinatam, quam *ordinariam* communiter appellant. Potentia enim ordinata, eſt quæ eſt ſecundùm decretum ordinata à voluntate ad regulas, Diuinam bonitatem, ſapientiam, &c. decentes, vt damnare in æternum eos, qui moriuntur in peccato mortali, & in hoc voluntas ſtat pro ratione. Potentia abſoluta eſt à decreto voluntatis independens, vt liberare damnatos. Ita etiam D. Thom. *quæſtione* 25. *ad* 1. *&* 3. *contra Gent. capite* 98. Scotus verò *d.*44. *quæſtione* 1. & Maior *d.*3. *quæſtione* 1. volunt, eam eſſe abſolutam, quæ eſt ſoluta à legis ordinatione; tametſi alio decreto ſingulari determinata, vt ſi Deus decreuiſſet aliquem damnatum ex inferno liberare, qui ſecundùm legem debet in æternum pati: Ordinatam verò volunt eſſe illam quæ eſt ſecundùm legem. Ita etiam Bannes, & Zumel. *ad loco citat.* D. Thom. Valentia, & Suarez.

89 Trigosius *quæſtione* 50 *artic.*9. *dub.*1. *notab.*1. diſtinguit ex communi Theologorum doctrina potentiam Dei in abſolutam, & ordinariam. Dicit autem. Illud poſſe Deum facere potentiâ ordinariâ, quod poteſt iuxta ſuas leges, ſeu decreta voluntatis æterna: Illud verò potentia abſoluta, quod poteſt facere abſolutè conſideratâ ſuâ potentiâ & non implicantia in re. Tale eſt omne, quod non implicat contradictionem.

Ex quo deducit, aliqua poſſe Deum facere potentiâ abſolutâ, quæ non poteſt ordinariâ.

90 Vasquez ſic diſtinguit. Vbi Lex promulgata eſt, qualis eſt de pœna æterna morientis in mortali; potentia ordinata dicetur illa, quæ per legem illam, & iuxta legem ordinata eſt: abſoluta verò, quæ non eſt illi alligata, ſed præter, aut contra illam operatur. In his verò rebus, in quibus Deus nullam legem hominibus promulgauit, ordinata potentia erit illa, quæ decreto voluntatis Dei determinata eſt; abſoluta verò, quæ ex ſe conſideratur non alligata, nec directa decreto illius. Itaque ſi nunc erueret Iudam ex Inferno; quia ita decreuiſſet; id faceret potentiâ abſolutâ, priori modo, ideſt, abſolutâ à lege, quam contra damnatos in vniuerſum promulgauit, quo etiam modo dicitur præſeruaſſe Virginem à peccato Originali. Si verò nunc nouam ſtellam crearet, vel circa cælorum curſum aliquid faceret, præter communem ordinem ſeruatum, hoc diceretur facere potentiâ ordinatâ, ideſt, per imperium voluntatis determinatâ.

91 Admonet verò, malè potentiam *ordinatam*, à modernis vocari *ordinariam*, contra modum loquendi antiquorum.

Valentia tamen, qui Scotum initio videtur ſequi, poſtea *ad primum*, dicit, ſe ſtare cum D. Thom. dicens, in Dei potentiam ordinariam, vel ordinatam ea ſola cadere, quæ Deus conſtituit, vel per ſe ipſum ſolum, vel per cauſas ſecundas facere.

92 Nazarius *quæſtione* 25. *controu. vnica*, magnum diſcrimen ponit inter potentiam ordinatam, & ordinariam. Nam potentia ordinata dicitur illa, quæ operatur ex imperio voluntatis, & directione intellectus, & ſapientiæ; vt ait S. Thom. Potentia verò ordinaria eſt, quæ operatur è legis generalis præſcripto. Vnde Princeps ea dicitur poſſe lege ordinariâ, quæ poteſt iuxta rectas legum ſanctiones: At ſecundùm potentiam ordinatam ea poſſe dicitur, quæ ſecundùm rationis dictamen poteſt facere, etiamſi non eſſent à legibus præſcripta: Abſoluta verò diſtinguitur contra vtramque. Primò, vt opponitur ordinatæ, quatenus conſideratur ſecundùm ſe abſque ordine ad directionem intellectus, & decretum Diuinæ voluntatis. Secundò, vt opponitur ordinariæ. Sic dicimr miracula facere, quæ ſunt extra ordinarium; tamen fiunt ſecundùm potentiam ordinatam. Et quia vniuerſa, quæ Deus 93
operatur, ſunt ſiue ſecundùm præſcriptum legum ab ipſo impoſitum, ſiue præter illud, idcircò omne quod operatur ſecundùm leges ab eo præſcriptas, dicitur etiam operari ſecundùm potentiam ordinatam; quo fit vt potentia ordinata quodammodo latiùs extendatur, quam ordinaria; non tamen ſimpliciter, quia non omnis potentia ordinaria dicitur ordinata propriè; nam ordinata propriè dicitur circa ea, quæ ſunt decreta; vt ait D. Thom. *ad* 3. & *in* 3. *d.*1. *quæſt.*2. *artic.*3. At potentia ordinaria ſpectat non ſolùm ad ea, quæ actu fiunt, ſed ad alia etiam, quæ non fiunt, poſſent tamen fieri. Sic Deus ſecundùm legem ordinariam poſſet ſaluare reprobos. Lichetus 2. *d.*1. *quæſtione* 1. docet ex Scoto 1. *d.*44 *&* 2. *d.*7. Deum facere aliquid potentiâ ordinariâ, eſſe facere iuxta decreta æterna; at potentiâ abſolutâ, eſſe facere contra legem prius determinatam. Ex quo infert, poſſe velle in tempore oppoſitum eius, quod ſtatuerat ab æterno.

94 Mastrius tamen 1. *d.*2. *n.*13. dicit, non benè explicari à Licheto mentem Doctoris. Nam tunc dicitur Deus operari ſecundùm potentiam ordinariam, quando agit iuxta leges vniuerſales ab ipſo latas, tam in

ordine naturæ, quàm gratiæ, vt *Verbi gratia*, quod vuit concurrere cum omnibus cauſis ſecundis ad earum effectus; quod omnes homines, ab Adamo naturali propagatione oriundi, labem originariam contrahant, & ſimiles; tunc verò dicitur agere potentiâ abſolutâ, quando in quibuſdam caſibus ſpecialibus operatur præter, vel contra illas leges. Vt cum B. Virginem in ordine gratiæ à labe originis præſeruauit, & in ordine naturæ generalem concurſum negauit igni, ne pueros Babylone combureret; & tunc non reuocat decretum ab æterno factum, quia ab æterno ſtatuit hæc ſingularia præter leges vniuerſales facere.

95 Santantia D. Bonauenturæ 1. *d.*43. *dub. ſeptimo*, ea eſt, non benè diſtingui potentiam Dei abſolutam contra ordinatam. Quia nihil poteſt Deus, quod non poſſit ordinatè. Deinde aſſerit, potentiam abſolutam eam eſſe, qua ſingulariter decreuiſſet aliquid facere contra ordinaria ſtatuta; Vt *Verbi gratia*, liberare Traianum ex inferno; neque potentia abſoluta ſe extendit ad volendum in tempore aliquid, quod ab æterno non voluerit; vnde ſuppoſito, quòd non decreuerit ab æterno ſaluare Iudam, neque poteſt incipere id velle nunc; potentiam verò ordinariam eam infert, quæ eſt ſecundùm leges ordinarias, vt Petro mortuo in gratia, ſicut & reliquis ſimilibus dare gloriam; ſicuti è contra Iudæ, & ſimilibus mortuis in peccato in æternum pœnas infligere. Hæc eſt genuina explicatio Doctoris Seraphici.

Videtur tamen ibi accipere potentiam ordinatam provt omnem inordinationem excludit, non autem ſolùm provt ordinata eſt aliqua lege, ſic eam accipit etiam 3. *p. Cemil. ſec.*4.

96 Prima verò parte Breuil. *capite ſeptimo*, tripliciter diſtingoit Potentiam ordinatam. Primò ſecundùm actum, & includit tantùm ea, quæ ordinata, ideſt, decreta ſunt; ſicuti dicebat etiam Nazarius. Secundò dicitur ordinata ſecundùm aptitudinem ex parte creaturæ; & hoc includit omne quod ex parte creaturæ non implicat. Tertiò provt eſt ordinata aptitudine ex parte Dei; Et hoc claudit totum id, quod Deus ſolus poteſt. Et hoc includit non modo ea, quæ extra ordinem curſus ordinarij ſunt, vt Creatio, Miracula, &c. ſed etiam quæ fierent ſecundùm potentiam ordinariam, vt productio aliorum animalium per generationes.

97 In Compendio Theol. *lib.*1. *capite ſecundo*, diſtinguit potentiam Dei in Abſolutam, & Ordinatam. Potentiam ordinatam eam vocat, quæ operatur omnia, vt actu decentia, & ita ordinata includit ſola decreta à Diuina voluntate; Potentiam abſolutam eam vocat, quæ reſpicit ea, quæ non ſunt ordinata, ſeu decreta ad regulas Diuinæ legis, attamen eſſent ordinabilia; & hæc ſunt omnia, quæ Deus poteſt facere, nec tamen faciet; ſub quibus comprehenduntur omnia non modò, quæ modum requirunt ſuper ordinarium, vt miracula; ſed etiam ea, quæ ordinario modo fierent, neque tamen facienda ſunt, quia non ſunt decreta, ſeu ordinata actu: ſunt tamen ordinabilia. Et ita potiùs diſtinguit Potentiam hîc ad futura, & poſſibilia, vt obiectum Diuinæ potentiæ diuideret, de qua ibi agebat. Hæc recenſui, vt percipiatur, quid vnuſquiſque intelligat per has Dei potentias.

QVÆSTIO VI.

An poſſit Deus alia producere in infinitum.

D. Bonau. d.43. q. vlt. & d.44. q. 1. & ſeq.
D. Th. q.7. art.1. & 2.

Qvæstio noſtra eſt de potentia abſoluta, extra 98
quod ordinatum eſt in Decretis Diuinis. Petrus Abailardus apud Vualdenſem, *tom.*1. *l.*1. *artic. primo*, *capite* 10. quem ſecutus eſt Vuicleph, vt idem author refert, dixerunt, Deum non poſſe alia facere præter ea, quæ fecit, & facturus eſt. Sequitur Caluinus *l.*2. *Inſt. cap.*7. §. 5.

Damnatus eſt autem error Abailardi in Concilio Senon: vbi ipſe reſipuit. Rurſus autem damnatus eſt in Concilio Conſt. *ſeſſ.*8. contra Vuicleph, eumque vocat S. Bonauentura ſtultitiam; & eius authorem nominat Petrum Balardum.

Assero primò, Deum poſſe facere alia præter ea, quæ facit.

Probatvr à D. Bonauentura primò *d.*43. *dub. ſexto*, ex illo Matth. 26. *An putas, quia non poſſum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modò pluſquam duodecim legiones Angelorum?* Alias authoritates cum Magiſtro, ait, poſſe referri; vt Marci 14.

Probatvr ſecundò à S.D. *in alia dub. litt. ibi* è D. Auguſtin. *ep.*3. *& l. de ſpiritu*, *& litt. cap.*1. & *l.*9. *Geneſ. cap.*29. & *lib.*4. *capite* 4. & in Enchir. *cap.*95.
& *l. de natura*, *& gratia*, *cap.*7. vt refert Magiſter. 99

Probatvr tertiò ab eodem S.D. *in quæſtione* Ratio operandi ſequitur rationem eſſentiæ, ſcientiæ, & potentiæ. Sed in Deo eſſentia, ſcientia, & potentia eſt infinita; vt oſtenſum eſt: Ergo. Confirmatur. Si enim agens, qui habet eſſentiam, ſcientiam, & potentiam finitam, poteſt alia agere, quam quæ agit: Ergo Deus habens hæc omnia infinita, poteſt in infinitum.

Hinc igitur Aſſero ſecundò, poſſe Deum in infinita. Hoc probant Vaſquez *d.*106. *capite tertio*, Tannerus *d.*2. *quæſtione* 11. *dub.* 4. alijque *eodem argumento*.

Assaro tertiò, Deum poſſe facere, non modò alia indiuidua, ſed alias ſpecies in infinitum. Id aſſerunt D. Bonauentura *d.*44. *quæſtione prima*, *in corpore*, & *ad* 4. D. Thom. *quæſtione* 25. *artic.*6. Caietanus, alijque Thomiſtæ *ibi*, Molina *ibidem*, Valentia *quæſtione* 25. *p.*3. Suarez *l.*3. *c.*9. *de attrib.* & *in Metaph. d.*3. *ſec.*17. *a numero* 18. Vaſquez *d.*106. *capite* 2. Tannerus *d.*2. *quæſtione* 11. *dub.*4. E Scotiſtis Herrera 1. *d.*15. *quæſtione* 6. Cauellus 2. *Metaph. quæſt.*6. Maſtrius & Bellutus *d.*10. *Phyſ. quæſtione* 2. *artic.*2. Complut. 3. *Phyſ. d.*18. *quæſt.*3. Ancta *quæſt.*43. *ſec.*8. Amicus *tract.*18. *quæſt.*5. *d.*4. Et Recentiorum, maximè Thomiſtarum torrens.

Est contra Durandum 1. *d.*44. vbi tamen ſubdubi- 100
tat. Aureol. *quæſt.*9. Henricum *quodl.*8. *quæſtione* 8. Arriagam *d.*13. *Phyſ. ſec.*3. Fuentem 3. *Phyſ. diſſ.*2. Videtur contra Scotum 2. *Met. quæſtione* 6. & *in* 3. *d.*15. *quæſtione* 1. vbi communiter diſcipuli, præcipuè Poncius *d.*14. *quæſtione ſecunda*, Galuia *p.p. quæſtione* 7. *artic.*4. Caiharen. 3. *Phyſ. quæſtione* 3. *artic.*2. etſi Cauellus 2. *Met. quæſtione* 6. dicat, Scotum eſſe problematicum. Eum ſic tuetur Rabeſanus 3. *Phyſ. d.*3. *quæſtione* 2. Mouentur hi, quia non capiunt generibus finitis ineſſe potentiam, è quâ nouæ differentiæ in infinitum educantur, & putant, deueniendum ad vltimam Deo ſimilem in Diuino intellectu.

Probatvr à D. Bonauentura *d.*43. *quæſt. vltim.*

Primò.

Quandocunque ſapientia eſt infinita continens infinitas Ideas, quæ non ſint adæquabiles à finitis exemplatis, poteſt ſemper aliud, & aliud exemplatum produci. Talis eſt ſapientia Dei: Ergo. Hac ratione vtuntur Tannerus *num.* 3. Vaſquez *num.* 9. Amicus *tract.* 18. *Phyſ. q.* 5. *d.* 4. *art.* 5.

101 Vasqvez dicit, poſſe reſponderi, hoc verum fore, ſi res creatæ aſſimilarentur Deo ſecundùm vnitatem formæ, & vniuocè. Sed quia participant in forma longè diuerſæ rationis, ideò non ſequitur imitationem creaturæ poſſe creſcere in infinitum.

Vervm non rectè arguit. Quia ad infinitum exemplar ſpectat infinita exemplata continere, eſto non diſtincta, eò quòd exemplar ſit ſimpliciſſimum. Itaque exemplar in ratione exemplaris non modò non adæquatur exemplatis finitis, ſed neque infinitis finitæ perfectionis. Quare cùm exemplar, & exemplatum in ratione hac comparentur; ſi datur exemplar infinitum, continens infinitos gradus perfectionis, non poterit adæquari exemplatis finitis, vel finitæ perfectionis, ac proinde poterunt ſemper alia, & alia exemplata perfectiora inde trahi, quæ nunquam adæquabunt infinitos gradus perfectionis exemplaris; vt notat D. Bonauentura *d.* 44. *quæſtione prima, fundament.* 2. & Amicus *loc. cit.*

102 Probatvr ſecundò à S. D. *ibi*. Cuius infinita eſt ratio Idearum, ſeu ſapientiæ, eſt etiam infinita ratio potentiæ ad opera. Sed ratio Idearum in Deo eſt infinita. Ergo & potentia.

Probatvr tertiò à D. Bonauentura *d.* 44. *quæſtione prima, in fundamentis, in corpore, & ad quartum*, quo vtuntur Vaſquez *numero* 10. & Tannerus. Quicquid non implicat contradictionem, eſt Deo attribuendum; at infinitas ſpecies Syncategorematicè creari non implicat: Ergo. Maior probatur. Omni finito à potentia infinita poteſt addi. Omnis ſpecies creata eſt finita: Ergo poteſt ei addi à potentia infinita Dei. Sed quocunque addito gradu perfectionis ſyncategorematicè adhuc ſumma creanda eſt finita: Ergo. Ex quo tollitur implicantia, quam opponunt Durandus, & Scotus: Quod ſi poſſent aliæ, & aliæ ſpecies in infinitum creari, daretur ſumma ſpecies infinitè diſtans à cæteris, ſaltem in Dei intellectu. Imò potius dico, oppoſitum ſequi; vt docet D. Bonauentura. Nam ſi quacunque data ſpecie, alia eſt poſſibilis perfectior; ſequitur, quamcunque actu datam, eſſe finitam; nam infinito non poteſt addi.

103 Addvnt Valentia, & Tannerus, non ſequi debere illas ſpecies fore alias aliis perfectiores. Sed hoc non probatur, quia ſpecies ſunt ſicut numeri, ex Ariſtotele 8. *Met. t.* 10. Et ſi infinitæ ſpecies ſunt poſſibiles, oportet vt aliæ aliis in infinitum perfectiores producantur; alioqui non multitudo ſpecierum, ſed indiuiduorum erit. Hoc autem gratis negat Tannerus. Nam ſi fiat additio gradus eiuſdem rationis eſſentialiter, erit eadem ſpecie eſſentia; ſicuti cùm libræ auri additur vncia eiuſdem auri; vt aduertit Seraphicus *d.* 44. *q.* 2. & D. Th. *hic*.

104 Obiicies primò. Deus eſt purus actus, cuius potentia eſt actus. Ergo quicquid poteſt agit: Ergo nil amplius poteſt. Confirmatur è D. Auguſtino *lib.* 7. *Confeſſ.* vbi alloquitur Deum. *Non cogeris inuitus ad aliquid, quia voluntas tua non eſt maior quàm potentia tua.* Hinc ſequitur, Deum id ſolùm poſſe, quod actu vult.

105 Respondet S. D. *d.* 43. *aſſert. vltim.* hanc eſſe rationem inſipientium, qui neſciunt diſtinguere rationem potentiæ, ab actu eius. Actus enim potentiæ duplex eſt. Alter per modum habitus, ſcilicet poſſe; alter per modum actus, nempè operari. Actus igitur Dei, qui eſt per modum habitus, extenditur ad infinita, & non ſequitur actus adæquatus quoad operari creaturas, qui quidem actus eſt minor quoad connotata, quia ea ſola reſpicit, quæ actu vult. Quamuis igitur Deus ſit purus actus, tamen plurima continet, nempe quicquid continet actus operans, & habitus operari potens, & hæc virtute diſtincta. Quod autem aſſertur è D. Auguſtino, iam patet. Nam quoad actum in ordine ad connotata, maior eſt potentia Dei, quia plura poteſt, quàm ea, quæ actu vult, quoad actum, qui nunc eſt: at quoad actum ſubſtantialiter ſumptum, ſunt æquales, & nil poteſt, quod non velit ſe poſſe.

Ratsoniavs Scotiſtarum dico, non dari vltimam ſpeciem infinitam Deo adæquabilem à parte rei, quia eſſet Deus; ſed neque in Diuino intellectu qui comprehendit res ſicuti ſunt, & ſicut comprehendit continuum diuiſibile in infinitum, non autem habere partes actu infinitas; ità comprehendit creabiles in infinitum ſpecies ſiue per nouas additas generibus exiſtentibus, in quibus latent infinitæ in potentia; ſiue per creata noua genera ſemper adhuc perfectiora, quæ addent nouas perfectiones eſſentiales, ſicut additis numeris nouæ fiunt diſtinctæ ſpecies; vt ait S. Dionyſ. *c. vltim. de Diuinis Nominibus*. Species autem ſunt ſicut numeri apud Ariſtotelem. Numeris verò poteſt addi in infinitum è D. Auguſtin. 12. *de ciu. capite* 18. Et eo modo, quo poſſibiles res ſunt, Deus illas intellectu percipit, & quia non eſt poſſibilis ſpecies infinita, ſic percipit intellectus, qui eſt Prima Veritas. Et cùm nulla res compleat communicabilitatem infinitæ Bonitatis; nullus effectus infinitam potentiam, atque ſapientiam; poteſt Deus plura ſemper in infinitum perfectiora condere ſuæ Bonitati, ſuæque æqualitati ſimiliora. Sic reſpondet S. Doctor. 106

QVÆSTIO VII.

An Deus potuerint Facere mundum ſubſtantialiter meliorem.

{ D. Bonau d. 44. quæſt. 1.
{ D. Th. quæſt. 25. art. 6.

Assero primò, potuiſſe Deum creare alios mundos ab iſto diuerſos, etiam perfectiores eſſentialiter. Ità S. Bonauentura, quem ſequuntur D. Thom. *hic*, & diſcipuli, Gabriel, Maior 1. *d.* 44. Capreol. *d.* 43. Vaſquez *d.* 107. *capite* 2. Tannerus *d.* 2. *quæſt.* 11. *dub.* 4. *num.* 6. contra Ariſtotelem 1. *de cælo, capite* 9. ſequitur ex dictis. 107

Probatvr à D. Bonauentura 1. *fund.* 1. Finito poteſt addi. Mundus eſſentialiter eſt finitus: Ergo poteſt creari alius perfectior in infinitum. Idem vrget *ſerm.* 2. *de B. Virgine*. 108

Probatvr ſecundò, *fund.* 2. Suprema creatura eſt finita: Ergo diſtat à Deo infinitè: Ergo per innumeros gradus poteſt creari multitudo creaturarum inuicem ſubordinatarum. Hic autem eſſet mundus alius perfectior: Ergo.

Probat tertiò. Quia. Ità ſe habet totum ad totum, ſicut pars ad partem. Sed Deus potuit facere, vt parte aliqua principali mundi, putà homine, alia perfectior crearetur, puta Angelus; & Angelo alia nobilior, cùm omnes ſint finitæ, quibus ſemper eſt addere. Ergo potuit & mundum totum, quoad omnes partes, 109

&

& conſonantiam patrum ad inuicem, in quo ratio vniuerſi poſita eſt, ac conſtituta.

110 Asſero ſecundò. Non potuit tamen Deus facere hunc eundem mundum eſſe eſſentialiter perfectiorem.

Probatvr primò à D.Bonau. è D Auguſt. *l.3. de libero arbitrio, cap.5.*

Probatvr ſecundò à S.D. *in corpore*, argumento, quo vtuntur D. Thom. & cæteri allegati. Ita ſe habent eſſentiæ, ſicut numeri, vt ait Ariſtoteles, 8. *Metaph. t.10.* Nam ſicuti ablata vnitate à numero, puta quinario, mutat ſpeciem, & fit quaternarius; ità ablato gradu eſſentiali ab homine, puta rationali, & remanentibus cæteris, erit brutum. Ita eſſet alius. Hoc argumentum vrget Seraphicus *ſerm. ſecundo, B. Virginis.*

111 Asſero tertiò. Potuit tamen facere hunc eundem grandiorem, & virtute etiam ſubſtantiali intra eandem ſpeciem perfectiorem. Quia enim negabit, potuiſſe facere elementa, aut cælos, & ſydera grandiora? Ita D. Bonauentura *fundamento tertio.* Quòd ſi mundus eſſet maior mole, eſſet quoque maior virtute; ſicut enim vncia auri poteſt fieri *marca*, ideſt, octo vnciarum, per additionem eiuſdem entitatis auri; & ſicut puer per additionem carnis poteſt fieri gigas, & tamen ſunt eiuſdem ſpeciei; ità & mundus.

Contra primum aſſertum obijcies primò. D. Auguſtin. *lib.12. Confeſſ.* ait: *Duo feciſti Domine, vnum prope te* (ſcilicet Angelum) *& aliud prope nihil, ideſt, materiam primam.* Tunc ſic. A nihilo ad ſummum Ens eſt diſtantia infinita, ſed ab hoc nihilo conſurgit Angelus, vſque ad vicinitatem cum Deo: Ergo non poteſt fieri alia creatura, aut alius mundus perfectior.

112 Respondet S.Bonauentura. Naturam angelicam eſſe prope Deum, quoad receptionem luminis immediatam; quia eſt capax altiori modo fruendi Deo; non tamen quoad imitationem. Nam adhuc infinitis diſtat gradibus à Diuina perfectione; comparatus verò Angelus ad materiam, dicitur eſſe propè Deum.

Obiicies ſecundò. Materia creata eſt ita capax formarum; ſicut obediens Deo operanti. Sed Deo fuit ſummè obediens: Ergo non poteſt è materia mundus melior creari.

Respondet S. Bonauentura materiam fuiſſe quidem obedientem Deo; attamen Deum agentem liberè non exercuiſſe in materiam totum imperium, quia ſic agebat, vti ſuam ſapientiam decebat.

Obiicies tertiò, cum Ariſtotele. Si crearetur alius mundus; iam terra illius aſcenderet ad centrum huius, ſi mundus eſſet infra hunc.

113 Respondetvr, quòd non quæreret centrum externum, ſed ſtaret in ſuo.

Obiicies contra ſecundum aſſertum. Enti finito poteſt addi. Mundus hic eſt eſſentialiter finitus: Ergo poteſt creari eſſentialiter perfectior.

Respondet D.Bonauentura, fore alium mundum, ſi adderetur nouus gradus eſſentiæ; vt dixi ſuprà.

Obiicies contra tertium aſſertum, ex D. Auguſt. *loc.cit.* Si Pater potuit gignere filium ſibi æqualem, & non genuit; fuit inuidus: Ergo idem infertur, ſi potuit mundum facere meliorem.

114 Respondet D. Bonauentura *d.44. dubit.1.* negando paritatem. Nam ad inuidiæ ſequelam requiritur, vt res ſit capax æqualitatis, & vt id naturâ ſuâ exigat talis fieri. Et ità occurrit in generatione filij; At creatura non eſt capax æqualitatis cum Deo; vnde nec idem exigit; ideò non benè Deo infertur liuor. Quis enim dicat, Sculptorem inuidum, quia non fecit ſtatuam ſibi æqualiter perfectam? Erit tamen inuidus, ſi potens gignere filium perfectum ſibi æqualem, & noluit, quia generatio id exigit.

QVÆSTIO VIII.

An poſſit facere hunc mundum in accidentibus meliorem.

{ D. Bonau. d.44. quæſt.2.
D.Thom.1.d.44. quæſt.1. artic 2.

Observat è Doctore Seraphico, partes vniuerſi in duplici eſſe differentia. Aliæ enim ſunt permanentes de conſtitutione vniuerſi; vt Homo, Angelus, cæli, Sydera, & omnes rerum ſpecies: aliæ verò ſunt tranſeuntes; vt hic homo, hic Leo; ſine quibus mundus aliquando fuit, & erit. 115

Asſero primò, partes mundi tranſeuntes eſſe poſſe accidentaliter meliores.

Probatvr à S. Bonauentura primò: Quia cùm hæ fiant concurſu cauſarum ſecundarum, quæ ſæpè impeditæ deficiunt, nec perfectum producunt; quis negabit, eas poſſe à Deo fieri perfectiores?

Asſero ſecundò, partes permanentes poſſe fieri accidentaliter meliores. Sic *Iſaiæ 30.* dicitur. *Erit Lux Lunæ, ſicut lux Solis, & lux Solis, ſicut lux ſeptẽ dierum.*

Secvndò probatur à S.D. è D. Auguſtin. 11. *de Geneſ. ad litt. cap.7.* Et adducitur à Magiſtro. *Potuit Deus talem facere hominem, qui nec peccare vellet, nec poſſet, & ſi talem feciſſet; quis dubitat eum meliorem fuiſſe?*

Observa, non ſumi, *poſſe peccare*, pro potentia voluntatis. Nam ſic nobilior eſt homo, habens voluntatem, qua poteſt peccare, quam carens illâ, vt ait D.Aug.12. *de Ciu. apud Alenſem, q.21.m.3.art.4.* 116

Ideò S. D. *d.44. dub.2. litt.* concedit, ſimpliciter, meliorem hominem confirmatum in gratia; attamen ſecundùm quid eſſe meliorem, qui eſt vertibilis. Vnde laudatur ille. *Qui potuit tranſgredi, & non eſt tranſgreſſus*, quod tamen eſt accidentale merito; nam Chriſtus meruit infinitè, nec tamen potuit peccare. Igitur accidentaliter ad finem melior eſt voluntas, quæ poteſt peccare, ratione reſiſtentiæ, qua meretur.

Probatvr tertiò. Perfectius eſt incorruptibile, quam corruptibile. Sed aliqua corruptibilia poteſt reddere incorruptibilia: Ergo meliora. 117

Occvrrit pariter dubium; An potuerit facere Chriſtum meliorem.

Respondet S. Bonauentura *d.44. dub.3.* Non poſſe eſſe meliorem, quoad vnionem; Quoad gratiam ſanctitatis verò potuiſſe plus dare; ſed creaturam rationalem non poſſe plus accipere. Quoad dotes naturæ, potuit dare ex tunc immortalitatem, &c. Sed non decuit.

Eſt etiam quæſtio de B.Virgine.

Respondet S.Bonauentura *ibi, dub.4.* non poſſe eſſe nobiliorem Matrem. Quoad gratiam, recepiſſe quantam capere poteſt rationalis creatura. Quoad dotes corporis, habuiſſe quantum decuit. 118

Qvæstio eſt etiam de beatitudine, & hæc quoad obiectum non poteſt eſſe melior; ſed ratione ſubiecti. Vide Trigoſium in fine.

Obiicias primò è D.Dionyſio. Optimi eſt optima adducere. Deus eſt optimus: Ergo debuit omnia optima facere. 119

Respondet

120 Respondet Seraphieus. Optimi eſſe facere optima, ſecundùm capacitatem faciendorum. Itaque ageos ad iotrà Deus Pater optimum gignit filium ſibi æqualem; At operans optimum ſecundùm artem, neqne optimum ſimpliciter facit in atte; ſed quod ſecundùm ordinem eſt. Itaque Seulptor non illicò teneur facere optimam ſculpturam; ſed optimè ordinatam; vt ſi decet fieri talem ſtatuam, faciat eam ſecuodùm ordinem; & hoc idem innuit *d.41. quæſt.1 fundament.*4. Debet igitur optimus Deus optimè ordinare ſua opera ad optimnm finem, ſeu ad ſe.

121 Obiectas ſecundò. Deus vnicuique tei dedit tantum bonitatis, quantum eapere poteſt. Quia ab optimo relegata eſt inuidia. Nam, vt ait S. Auguſtin. lib.4. Geneſ. ad litt. eapite 16. *Si bona facere non poſſet, nulla eſſet potentia; ſi autem poſſet, nec faceret; magna eſſet inuidia.* Ergo pariter ſi poſſet meliora facere, & non faceret, eſſet inuidus.

Rsspondat D. Bonauentura primò, Ab optimo omnia fieri optima, ſecundùm ordinem ad finem.

Respondet ſecundò, Omnia eſſe optima bonitate eſſentiæ; quia eſſentiæ rerum non poſſunt fieri meliores, *Verbi gratia*, melıor Leo eum aliâ eſſentiâ.

Dicit tertiò, dictum Platonis eſſe modnm quendam loquendı. Quia ıta videmus ſæpè inter homines, quando poſſunt benefacere, & nolunt, dicuntur inuidi; quod in Deo non euenit, qui omnia facit ſecundùm prouidentiam, & hoc modo loquitur D. Auguſtin. Deus enim fecit omnia ad optimum finem, optimâ prouidentiâ, provt decet euiuſque ſtatum; quod ſi oon feciſſet, videretur more hominum ob conceptum liuorem rerum exigentiis deeſſe.

Obiectas tertiò. Agens totâ ſuâ ſubſtantiâ facit optimum, quod poteſt fieri, ſi poteutiam nil impedit: Deus eſt agens totâ ſuâ potentiâ, nec poteſt impediri: Ergo.

122 Respondet S. D. falſam eſſe Maiorem de agente ſecundùm artem, & ſapientiam, licèt vera ſit de agente naturali, neceſſariò operante, & ità in Diuinis ſe infinitè diffundit in filij generatione; vt notat S. Bonauentura *ad* 4. Itaque Deus totum producit optimum, quod decet; vnde ſicuti non ſtatim totum exerit, quod poteſt: ita nec tota perfectione præditum opus facit.

Ex quibus etiam ſoluitur illud argumentum, facile quidem, ſed moleſtum nonnullis, & ſolnitur à D. Bonauentura *d. 43. quæſtione tertia, ad quintum.* Agens ſecundùm totam virtutem, producit totum quod eſt poſſibile. Cùm igitur Deus ſit agens virtutis infinitæ, & totâ virtute agens, producet omne poſſibile. Tunc, poſſibili in actu poſito, non ſequitur inconueniens: Ergo dabitur infinitum actu.

123 Respondet S. Bonauentura: Agens infinitum tale eſſe, vt nunquam totus eius effectus poſſit eſſe actu; ſed requiritur, vt ſemper aliud poſſit, ſi eſt agens liberum.

QVÆSTIO IX.

An Deus potuerit mundum facere meliorem quoad ordinem partium.

D.Bonau d.44 quæſt.3
D. Thom. d.44 q.1. artic 4.

Notant Sancti Doctores, duos ordines partium 124
Prior eſt partium in ordine ad totum. Secundus
eſt in ordine ad finem, qui ordines ità ſunt connexi
vt ordo partium in toto ordinetur ad finem. Summe
ex Ariſtotele 12. *Metaph.t.52.*

Assero primò. Ordo partium ad totum vniuerſum conſtituendum eſt optimus.

Probatvr à D. Bonauentura ex 1. Geneſ. *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona.* Vbi Gloſſa Auguſt. *Singula quæque bona in ſe, ſed in vniverſo optima.*

Probatvr ſecundò à S. D. Omnia opera Dei ſunt optimè ordinata, & non minùs vnum opus, quàm reliqua. Sed in opere Redemptionis fuit optimus ordo ad noſtras miſerias ſubleuandas, ex D. Auguſtin. 10. *de Trinit. capite* 10. Ergo & in opere creationis.

Probatvr tertiò à Seraphieo, eleganti ratione. 125
Quatuor ſunt partes mundi principales, ideſt. Natura Intellectualis, ſcilicet Angelica. Natura rationalis, ideſt, Humana. Natura cæleſtis, & Natura Elementaris; ex quatuor autem elementis componuntur inferiora mixta. Si igitur in Elementis probetur eſſe optimus ordo; infallibili conſequentiâ ſequeretur, idem etiam eſſe in aliis ſuperioribus naturis. Quod autem elementa ſint optimè ordinata probat S. D. primò ex formis, quæ ſimplices ſunt. Secundò quoad qualitates, frigus, calorem, humiditatem, & ſiccitatem. Nam ità ſunt connexæ, vt altera ſit in ſummo; altera remiſſa in ſingulis; & quæ ſunt magis actiuæ, habent minus virtutis reſiſtentiæ. Sic ignis in ſummo eſt calidus, & ſiccus remiſsè. Atque calor, qui eſt actiuiſſimus, eſt minimæ reſiſtentiæ; ſicut ſiccitas, quæ eſt minimæ actiuitatis, & minimæ reſiſtentiæ. Aër eſt humidus in ſummò, & calidus remiſsè. Vbi humiditas eſt minoris actiuitatis, quàm calor, ſed maioris reſiſtentiæ. Aqua eſt ſummè frigida, & humida remiſsè; atque frigus babens maiorem actiuitatem, quàm humiditas, habet tamen minorem reſiſtentiam. Terra eſt ſicca in ſummo, & frigida remiſsè. Sunt autem optimè ordinata elementa in ſitu; nam perfectiora ſunt etiam eminentiora, atque inuicem contigua.

Tandem in ordine proportionis ſunt colligata; 126
nam cum vicina ſint ſimbola, ideſt, habentia vnam qualitatem communem, vt *Verbi gratia* Aër, & Ignis calorem; Terra, & Aqua frigus: remota verò diſſimbola; nam ignis eſt calidus, & ſiccus, aqua frigida, & humida. Aër humidus, & calidus. Terra ſicca, & frigida, propter quæ inuicem diſcordia ſubuerterentur, diſſiparentur, conſummarentur. Natura prouida colligauit inuicem extrema cum mediis, & per media; ſicut primi numeri ſolidi cubi quadrati, qui ſunt octo, & vigintiſeptem colligantur per duos, *numero* 12. & 18. nempe 18. ad 12. & 12. *ad* 8. quia vbique eſt proportio ſeſquialtera, ideſt, continens vnam partem cum dimidia. Nam 27. continet 18. & alteram me-

diam partem, nempe 9. & 18. continet nomerum 12. & dimidium; & 12. continet 8. & dimidium, ideſt quatuor Conſimili ratione elementa colligantur qualitaubus ſimbolis; vt ſuprà dixi. Vide Stephanum Brulefer 1.*d.*44. *quæſtione tertia*, & Trigoſium *quæſt.* 20. *artic.*7.

Probatvr quartò à S.D.Sapientis artificis eſt res ordinare. Ergo ſummè ſapientis optimè ordinare. Deus eſt ſummè ſapiens: Ergo.

Assero ſecundò, ordinem partium corruptibilium poſſe fieri meliorem. Quomodo autem id verum ſit, arduum eſt definire.

127 Trigosivs *in Commentario* dicit, has partes corruptibiles meliùs ordinandas. Quia poſt diem iudicij ceſſabunt generationes, & mundus renouabitur, & erit perfectior. Siquidem carebit tunc naturis multis lapidum, metallorum, plantarum, quæ faciunt ad decorem huius mundi. Hæc enim non pertinent ad ſtatum mundi ſimpliciter; ſed ſolum pro tempore generationum. Nullum enim generabile, & corruptibile eſt de ratione eſſentiali vniuerſi. Addit verò, omnia hæc, tametſi non erunt, fore tamen meliùs ordinata in homine, in quo ſunt eminenter.

128 Sed hic modus non probatur. Quia non explicat verè, nec ad mentem S.Doctoris. Quo enim pacto erunt meliores iſtæ partes, ſi deſtruerentur? Profectò in homine ſunt eodem modo, etiam nunc, ſcilicet qoia habet *eſſe* cum lapidibus; *viuere* cum plantis; *ſentire* cum animalibus.

129 Dvm igitur nominat partes corruptibiles eſſe eas, quæ remotè componunt vniuerſum, intelligit eas, quæ à partibus ſubſtantialibus, ideſt, naturis ſuprà enumeratis differunt. Sunt igitur indiuidua, quæ ſunt corruptibilia comparata ad ſpecies, quæ ſunt perpetuæ. Itaque indiuidua meliùs ordinabuntur, quia auferentur ab eis motus, mutationes, generationes, corruptiones, & ideò ordinabuntur nouis qualitatibus ad ſtatum perpetuæ qoietis. Itaque & ſaxa, & metalla, & plantæ erunt ad ornamentum, & decorem perfectum mundi, iam incorruptibilis. Hunc autem ordinem explicat Seraphicus è ſimilitudine citharæ, in qua omnes chordæ concinnatæ ſunt ad melodiam. Tunc enim partes mundi non habebunt deformitates ordinatas ad modum generationum; & ſicut manebunt naturæ, puta ſpecies aquæ, vel aëris; ita indiuidua eorum erunt pulchriora, magis defæcata, diaphana; nec erunt deformitates, & inordinationes, quæ in generationibus, & corruptionibus eueniunt; vt exprimit *in argumentis*.

130 Assero tertiò, ordinem partium ad finem in mundo eſſe optimum.

Probatvr à D. Bonauentura. Quia eſt ad ſummum bonum. Vnde concludit, quod ſicut exiſtentia partium omnium ex nihilo, exprimit potentiam, Et ordo partium concinnatum in toto, ſapientiam; ità ordo totius ad finem exprimit bonitatem, quæ trahit omnia ad ſe.

Ex dictis facilè ſoluuntur à Doctore Seraphico argumenta oppoſita.

QVÆSTIO X.

An potuerit Deus facere mundum antiquiorem.

D.Bonau. d.44. quæſt.4.

Non quæro: An potuerit facere mundum ab æterno. De hoc enim agam *tract.*3. *d.*1.*quæſt.*12. Sed: An potuerit creare antè. De hoc Richardus *d.* 44. *quæſt.*3. Brulefer, & Tarantaſia *ibi, quæſt.*4. Itaque non benè Trigoſius ſolum dicit Richardum. 131

Oportet autem aduertere cum D. Bonauentura, debere anteà extitiſſe etiam tempus; alioqui, ſi tempus non præextitiſſet, inane eſſet quærere: An aliquâ duratione anteriori creaſſet, niſi fortè præexiſteret æuum.

Hoc autem ſuppoſito aſſerit, potuiſſe Deum creare mundum ante principium, in quo creauit cælum, & terram; ante, inquam, mille annos, & alios mille in infinitum ſincategorematicè; nam eum potuiſſe creare ab æterno, quod eſt antè in infinitum categorematicè, falſum eſt; vt oſtendam cum D.Bonau. *loco cit.*

Probatvr à S.D. quia hoc non implicat ex potentia Dei, quæ fuit ſemper; neque ex parte creaturæ; Quia eſt in perfecta obedientia Deo; vt ex non eſſe vocetor ad eſſe, facta mutatione in illa, vt anteà cenſeatur habuiſſe non eſſe. Confirmatur. Quia potuit facere poſt: Cur ergo non antè?

Obiectas primò. Potuit Deus facere mundum antiquiorem quantum voluit, dummodò tempus crearet: Ergo potuit creare ab æterno mundum; ſi tempus creaſſet ab æterno.

Respondet S. Bonauentura negando conſequentiam. Nam creatio antè, & ante, eſt in infinitum ſincategorematicè, quod non infert infinitum categorematicè, nempe in æternitate. 132

Obiictes ſecundò. Principio totius antiquitatis non poteſt aliquid eſſe antiquius.

Respondetvr, nunc quidem eſſe non poſſe mundum antiquiorem; eſſet tamen, ſi tempus anteà creaſſet. Cætera ſunt obuia.

QVÆSTIO XI.

An poſſibile, & impoſſibile dicatur ſecundùm cauſas ſuperiores; an inferiores.

D. Bonau. d.42. quæſt.4.
D.Thom.q.25.art.3.ad 4.

Dvobvs modis aliquid dici poſſibile, aſſerit S. Bonauentura, vel ſimpliciter, vel ſecundùm quid. Illud dicitur tale ſimpliciter, quod abſque alio addito dicitur; vt ait Ariſtoteles 2. *Top. capite* 28. vt ignis dicitur ſimpliciter calidus ſecundum quid; calida dicitur domus ſecundùm partem auſtralem. Igitur in titulo quæritur: An poſſibile ſimpliciter, ſeu, vt ait D. Bonauentura, abſque alia determinatione denominetur à cauſa prima; an à cauſis ſecundis, ita, vt illud dicatur ſimpliciter poſſibile, quod eſt poſſibile ex cauſa ſuprema per abſolutam Dei potentiam. Triplex opinio refertur ab Alenſi *p.p.q.*21.*m.*5.*art.*1. Altiſiodorenſi *lib.*1. *ſumma*, & à D.Bonauenturâ, *hic.* 133

Prima

134 Prima opinio eſt, illud ſolùm eſſe abſolutè poſſibile ſimpliciter, quod poteſt fieri ſecundùm cauſas inferiores; vnde Virginem parere, eſt ſimpliciter impoſſibile, quia cauſis inferioribus eſt impoſſibile.

Secvnda ſententia eſt, id ſolùm eſſe poſſibile, quod ſecundùm cauſas ſuperiores eſt poſſibile. Itaque ſecundùm iſtos benè infertur. Hoc eſt poſſibile Deo: Ergo ſimpliciter poſſibile.

135 Tertia ſententia eſt media, ex vtriſque ſumi poſſibile ſimpliciter, ita vt illud aliquando ſit ſimpliciter poſſibile, quod poteſt fieri à cauſa ſuperiori; aliquando verò id dicetur poſſibile ſimpliciter, quod poteſt fieri à cauſa inferiori ſecundùm diuerſa adiuncta.

Addit S. Bonauentura quartam opinionem, dici poſſibile ſimpliciter; vel impoſſibile ſecundùm diuerſitatem ſcientiarum. Nam in Philoſophia id dicitur ſimpliciter poſſibile, quod à naturalibus cauſis poteſt fieri; illud impoſſibile, quod naturaliter non poteſt fieri: apud Theologos verò, id eſt poſſibile, vel impoſſibile, quod ſecundùm potentiam Diuinam, & ſupernaturalem, eſt tale, quam ſententiam D. Bonauentura non laudat, ea tamen placet Alenſi *loc. cit.* Carthuſiano 1. *d.* 44. *quæſt.* 3. Trigoſio *quæſtione* 20. *articulo* 4.

136 D. Thomas *d.* 42. *quæſtione ſecunda*, *artic.* 3. ait. Illud eſſe ſimpliciter poſſibile, quod non implicat contradictionem, & hoc eſt, quod dicitur poſſibile reſpectu Dei; ſicut illud eſt impoſſibile, quod implicat. Nam cauſis inferioribus non omne illud eſt poſſibile, quod non implicat. Aſſignat verò aliud impoſſibile non in ſe; ſed in ordine ad aliud, ſeu ratione cauſæ actiuæ, vel receptiuæ. Ex primo capite impoſſibile eſt homini creare, ex parte cauſæ paſſiuæ impoſſibile eſt Boui iuſtificari. Id inſinuat S. Bonauentura dicens, poſſibile, quod dicit ordinem ad potentiam actiuam, dici poſſibile ſimpliciter, tam ſecundùm cauſas ſuperiores, quàm inferiores; Quando verò dicatur ſecundùm illas, cognoſci poteſt ex addito; vt dictum eſt. Idem ferè vult Ægydius dicens. Effectuum, qui poſſunt produci tantùm à cauſis ſuperioribus, impoſſibilitatem, vel poſſibilitatem iudicandam ex cauſis tantùm ſuperioribus; & ita hæc ſimpliciter erunt impoſſibilia, ſi à cauſa ſuprema nequeant fieri. Effectuum autem, qui poſſunt educi à cauſis tam inferioribus, quàm ſuperioribus poſſibilitas, vel impoſſibilitas iudicanda eſt ex cauſis inferioribus; Vnde quia viſio, & vita poſſunt eſſe à cauſa etiam naturali, debet iudicari ex cauſa naturali. Quare in cæco erit ſimpliciter impoſſibilis; eo quòd à priuatione ad habitum non detur regreſſus, ſecundùm cauſas naturales.

137 Richardvs *d.* 42. *quæſt.* 7. facilè, definit. Illud dici poſſibile ſecundùm cauſam ſuperiorem, quod poteſt ab ea fieri: illud dicitur poſſibile ſecundùm cauſam inferiorem, quod poteſt ab ea produci. Et hoc eſt, quod dicit D. Bonauentura, cognoſci poſſibile, vel impoſſibile ex adiuncto; & hæc eſt ſententia Seraphici. Nam verum eſt, poſſibile eſſe ſimpliciter, cæcum videre; ſiue id poſſibile ſit à cauſa ſuperiori, ſiue ab inferiori: quia verò potentia actiua reſpicit paſſiuam, ideò ex potentiâ paſſiuâ, hoc modo iudicandum eſt poſſibile, & impoſſibile. Illud erit poſſibile ſimpliciter fieri, ad quod diſpoſitum cùm ſit, ſaltem remotè, poteſt reduci à cauſa aliqua ſiue ſuperiori, ſiue inferiori. Sic ex aëre poteſt fieri ignis, vel ex ligno arido, quod eſt magis diſpoſitum. Illud verò erit poſſibile alteri paſſiuè ſecundùm quid, ad quod nullam habet diſpoſitionem, vt è coſta fieri Euam; de quâ dicit Auguſtin. quòd in ea erat potentia, non ex qua fieret mulier; ſed ex qua fieri poſſet, nempe potentia obedientiæ; quia hoc non eſt ei poſſibile ſimpliciter; ſed virtute ſola ſupernaturali Dei.

Ex qua diſtinctione ſoluit Seraphicus ea, quæ obijciuntur ad probandum, poſſibile ſumendum à potentia Dei, quæ Antonomaſticè eſt potentia; & ideo denominat: hoc enim verum eſt primò actiuè; ſed quia poſſibilitas pendet etiam à paſſiuo, quod reſpicit tam potentiam ſuperiorem, quàm inferiorem; ideò & à potentiâ actiuâ creatâ ſumi debet. 138

Obiicias ſecundò. Creari mundum, eſt ſimpliciter poſſibile; At hoc eſt poſſibile tantùm ſecundùm cauſas ſuperiores: Ergo inde ſumitur poſſibile.

Respondet S. D. id euenire, quia mundus adhuc non eſt, & ideò non habet potentiam paſſiuam; at ea, quæ ſunt, habent potentiam paſſiuam, etiam reſpectu cauſarum inferiorum, ſaltem ratione materiæ, *ex qua*. Sic caro vituli habet potentiam, vt fiat caro hominis per nutritionem. 139

Obiicies tertio. Si antecedens eſt poſſibile, etiam conſequens erit poſſibile. Sed Deus poteſt facere, vt truncus fiat ex vitulo: Ergo hoc poteſt fieri, & eſt poſſibile ſimpliciter. Sed illud antecedens dicitur poſſibile ratione cauſæ ſuperioris: Ergo & conſequens.

Respondetvr latère fallaciam in verbulo (*poteſt*) Nam in antecedente ſumitur actiuè. Deus poteſt ſimpliciter facere; at in conſequente ſumitur paſſiuè quod ſolùm reſpicit potentiam actiuam Dei, non aliam; & ideò poſſibile eſt tantùm ſecundùm quid. Itaque cùm in antecedente, & conſequente non ſit eadem potentia; non ſequitur, ſi antecedens eſt potentia ſimpliciter, & conſequentem paſſiuam eſſe ſimpliciter. Idem eſſet ſi diceres. Deus poteſt ſimpliciter illuminare cæcum: Ergo cæcus habet potentiam ſimpliciter ad lumen. 140

Obiicies quartò. Omne verum eſt poſſibile. Sed cæcum à natiuitate illuminandum, erat verum ante Chriſti natiuitatem: Ergo erat poſſibile. Sed hoc erat tantùm ſecundùm cauſas ſuperiores: Ergo inde ſumitur poſſibile ſimpliciter.

Respondet S. Bonauentura latere fallaciam conſequentis; quia et licèt verum ſit, cæcum illuminandum à Chriſto, miraculum agente, & in eo eſſet potentia actiua; tamen non ſequitur, cæcum ipſum habere potentiam paſſiuam ſimpliciter; ſiue ad eſſe; ſiue ad viſum poſt cæcitatem, quia potentia illa paſſiua non erat poſſibilis recipi ab omni cauſa; & ideò non erat paſſiua ſimpliciter, ſed tantùm ſecundùm quid, ideſt, nullâ diſpoſitione erat receptibilis, niſi ſolùm à Deo. Vnde hæc propoſitio, ſi in re intelligatur, quod in cæco ſit potentia ad viſum, eſt falſa; ſi verò ſenſus in dicto ponatur, vera dicitur. Quia non notatur potentia aliqua paſſiua in cæco; ſed in dicto; ſeu notatur aliqua poſſibilitas, nempe ex cauſa ſuperiori. 141

Ex his arguit Seraphicus, poſſibilitatem ſumi etiam ex cauſis inferioribus, quia ſi ex ſola potentia cauſæ ſuperioris ſumeretur poſſibilitas ſimpliciter, ſequeretur, quòd cùm Deus poſſit ſimpliciter illuminare cæcum; iam cæcus haberet potentiam ſimpliciter ad videndum, & poſſet vidère. 142

Imò cum apud Deum non ſit impoſſibile omne verbum; omnia eſſent iudicanda poſſibilia ſimpliciter, & abſolutè abſque addito, *Verbi gratia*, Virginem parere, &c.

Cùm igitur potentia dicatur à potentiâ actiuâ, & poſſibilitas etiam à paſſiuâ, oportet videre non ſolùm

ium non habêre formaliter in ſuâ perfectiſſimâ, qoam ſuppono, entitate. His prima ratio Maſtrij ruit, & concidit Macedi Achilles.

Asssro. Si Deus ageret neceſſariò, adhuc non tolleretur contingentia.

150 Probatvr primò à D. Bonauent. *in* 1. *d.* 38. *quæſt.* 1. *ad* 2. Sicuti ſe habent duæ propoſitiones præmiſſæ ad cauſandam concluſionem; Ita duæ cauſæ ad vnum effectum producendum. Sed ex præmiſſis alterâ contingente, & alterâ neceſſariâ, cauſatur conſequentia contingens: Ergo & duæ cauſæ, quarum prima agit neceſſariò, altera contingenter, ſequetur effectus contingens. Hac ratione vtitur Caietanus *quæſt.* 14. *art.* 13. & Valentia *quæſtione* 14. *p* 5. §. 3.

Respondet Faber primò, negando paritatem, quia præmiſſæ non influunt verè ad concluſionem.

Contra: Quia ea omnium Dialecticorum conſenſu, ſicuti cauſæ eſſendi influunt ad eſſe; ità cauſæ Inferendi, quæ ſunt præmiſſæ, influunt ad aſſenſum.

Respondet ſecundò, argumentum ſupponere falſum, nempe Syllogiſmum conſtare ex aliqua propoſitione neceſſaria; & ea aliqua contingente. Quia omnes propoſitiones Syllogiſmi debent eſſe neceſſariæ; ſi tamen ſit Syllogiſmus neceſſarius, quoad formam tantùm; ſequetur concluſio contingens ratione formæ, non ratione materiæ.

151 Contra. Quia ſi facias argumentum in eadem forma; ſed in materia neceſſaria, ſequetur concluſio neceſſaria: Ergo hoc prouenit ratione materiæ.

Sit Syllogiſmus in Barbara. Omne animal eſt rationale. Omnis homo eſt animal: Ergo omnis homo eſt rationalis. Fiat in eadem forma, ſed materiæ contingentis. Omne coloratum eſt quantum. Omne animal eſt coloratum: Ergo omne animal eſt quantum. In priori quidem Syllogiſmo, è præmiſſis vtroque modo neceſſariis, ſequitur concluſio vtroque modo neceſſaria; ſed in ſecundo ſequitur ſolùm, quoad formam.

Respondet tertiò, hanc regulam non inueniri in Ariſtotele; ſed hanc ſolùm. Si altera è præmiſſis eſt negatiua; ſequitur concluſio negatiua: & ſi altera eſt particularis; ſequitur particularis concluſio.

Contra. Nam in ſenſu aſſumpto inuenitur in Ariſtotele 1. *Priorum*, *cap.* 10. & aſſumitur à Scoto 3. *d.* 24. *quæſt.* 1. vt aduertit Trigoſius *quæſt.* 1. *dubit.* 1. *argument.* 2. Concluſio ſequitur debiliorem partem. Sed quiſquis id dixerit, comperitur verum.

152 Probatvr ſecundò à D. Bonau. *d.* 47. *quæſt.* 1. *&* 2. ratione, qua vtitur Vaſquez: Sequeretur, libertatem non eſſe intrinſecam homini, ſi ab extrinſeco ità penderet, & nos liberè operari, quia Deus liberè operatur: Ergo noſtra libertas ita eſt à Deo, vt actus noſtri non in noſtra, ſed in Dei ſint voluntate. Nam ſi voluntas noſtra eatenus ſe mouet, quatenus mouetur à Deo, ſicut baculus; ſequitur, nos nullam habere libertatem, nullum noſtrarum operationum dominium: hoc autem eſt contra ſuppoſitionem, quod Deus relinquat voluntatem ad actus ſuos naturales elicitos vitales, qui debent eſſe liberi.

Probatvr tertiò à D. Bonau. *d.* 40. *art.* 2. *quæſt.* 1. *in corpore*. Quia cauſæ agunt non ſolum quia motæ, ſed etiam quia agunt per propriam virtutem: Maximè verò de cauſis liberis hoc eſt de fide ex Concilio Trident. contra Lutherum. Et ita motio primæ cauſæ non pertingit in effectum, niſi recepta in cauſa ſecunda. Quicquid autem recipitur, ad modum recipientis recipitur: Ergo motio primæ cauſæ modificatur à ſecunda; ſed ſecunda eſt contigens: Ergo.

Qvod verò actio primæ cauſæ modificetur à ſecunda, probatur à Seraphico. Quia alioqui ſequeretur, primam cauſam priùs agere in ſecundam efficaciter, & ſic non remaneret libera ad operandum.

Obiicit primò Scotus. Omnis cauſa, quæ mouet in quantum mota; ſi neceſſariò mouetur, neceſſariò mouet: ſed omnis cauſa ſecunda mouet in quantum mota à prima: Ergo ſi neceſſariò mouetur, neceſſariò mouet: Ergo nihil fiet contingenter. Maior patet exemplo baculi, qui neceſſariò mouet lapidem, dum neceſſariò ipſe mouetur à manu. 153

Respondet Vaſquez *num.* 7. cum Caietano, Maiorem eſſe veram, quando cauſa poſtulat ab alio moueri, tanquam præuia forma, ſeu diſpoſitio, qua ipſa moueat, vt apparet in exemplo baculi; at noſtra voluntas certè non eget hoc pacto motione Dei, vt ipſa operetur, & ſe moueat; ſed motionem Dei expoſcit ſolùm, vt adiutricem, & cooperatricem; quia ipſa ſola operari non valet. Hoc autem modo prima cauſa attemperatur ſecundæ, & modificatur, & iuxta modum illius elicit operationem: tantùm abeſt, vt ſi neceſſariò operetur, tollat libertatem ſecundæ cauſæ. Igitur omnes quotquot negant præmotiones Dei phyſicas, negant Minorem. Ita Molina *quæſt.* 14. *art.* 13. *d.* 11. Suarez *d.* 22. *Metaph. ſect.* 2. *num.* 47. & alij PP. Societatis, præcipuè Tannerus, qui reſponſum tulit à Caietano. Quare fruſtra Nazarius trahit Caietanum ad præfinitiones aſſerendas, & falsò ait, eius reſponſo elidi præcipuum argumentum contra præfinitiones, pro quibus potuit Scotum hîc allegare.

Est autem reſponſio horum omnium, ſcientiæ mediæ aſſertorum, accepta è D. Bonau. 1. *d.* 40. *art.* 2. *quæſt.* 1. *in corpore*, vbi ſoluit argumentum tertium, quod deſumpſit Scotus, quaſi Thomiſta.

Obiicit ſecundò. Cauſa prior, & vniuerſalior priùs reſpicit effectum, quam cauſa poſterior. Ergo priùs naturâ attingit effectum, quàm ſecunda; quia cauſa prima immediatiùs operatur immediatione virtutis, & minùs dependet. Ergo ſi cauſa prima eſt neceſſaria in mouendo in illo priori, in quo attingit effectum, communicabit effectui neceſſitatem: Ergò omnis effectus eius erit neceſſarius. 154

Respondetvr è D. Bonauent. in nullo inſtanti priori, etiam naturæ, cauſam primam attingere effectum ante cauſam ſecundam. Eſt quidem prior independentiâ, nedum dignitate, & etiam Influxu in virtutem, quatenus dedit cauſæ illam virtutem agendi; quo fit, vt coagat potiùs, quàm præagat, non tamen primæ dicitur coagere ſecunda, ſed potius prima coagit ſecundæ, quia ab illa dependet in actu, & habet ab ea virtutem agendi; alioqui ſi Deus præageret, non poſſet non ſequi actus. Et hanc doctrinam Caietano acceptam fert Tanner. *num.* 16. eſt autem D. Bonau. *loc. cit.*

Obiicit tertiò. Si primâ cauſâ neceſſariò operante euenirent effectus contingentes; ſequeretur, poſſe primam cauſam neceſſariò efficaciter mouere, & ſecundam non mouendo fruſtrari actionem primæ; ità prima non ageret, quod implicat agenti omnipotenti. 155

Respondet

Respondetvr, negando ſequelam. Quia prima cauſa non agit priùs, ſed ſimul cum ſecunda cauſa, quæ liberè operatur. Itaque ſi ſecunda cauſa libera non agit, neque prima effectum ſortitur; nam actus vitales liberi debent eſſe à potentia libera. Quomodo enim poteſt elicere Deus meum velle, me non volente?

Instat Scotus. Deus ſe ſolo poteſt eſſe cauſa contingentis actus; quia omnis effectus, quem poteſt Deus cum cauſis ſecundis, poteſt etiam ſe ſolo; at verò eo caſu non poteſt produci contingens.

Respondetvr, eo caſu fore neceſſarium, ſi poſſet à ſolo Deo produci; at negatur. actum creaturæ liberum poſſe à ſolo Deo produci, quia de intrinſeco eius eſt, vt ſit à potentia vitali libera.

556 Obiicies quartò. Agens infinitæ virtutis neceſſariò agens, agit ſecundùm totam ſuam virtutem. Sed hoc tolleret, ne poſſet modificari actio Dei à cauſa ſecunda. Quod probatur. Nam Ariſtoteles probat, quòd ſi Deus eſſet agens neceſſarium, moueret corpus in inſtanti, nec poſſet actio modificari concurſu mobilis, vel alterius concauſæ, quæ exigit motum localem fieri in tempore. Id vrget Macedo.

Respondetvr, quod etiamſi Deus ageret virtute infinità, dummodò relinqueret cauſas ſecundas in ſuo eſſe intrinſecè defectibili, & indifferenti, & non mutaret eſſentias earum, adhuc non tolleret contingentiam. Ad Ariſtotelem reſpondetur, eum loqui de cauſis neceſſariis, quæ ex ſe tendunt ad vnum, iſtæ enim contingentes accidentaliter ſunt tales, & eatenus contingentes, quatenus ex ſe inefficaces poſſunt extrinſecè ab alio impediri; Non eſt autem ſimile de cauſis liberis, quæ ex extrinſeco ſe determinant, nec poſſunt cogi, niſi deſtruantur. Licèt enim prima cauſa non pendeat à ſecundis in cauſalitate; tamen pendet ab eis ex hypotheſi, quod intrinſecè ſunt liberæ, & ſanè oportebat Scotum eſſe memorem, ſe oppoſitum docuiſſe *in 2. d.37. quaſtione 1.§. Ad ſimilitudinem*, & *in 4.d.49. quæſt.6. §. Dico primò*, & *in 1. d.19. ratione tertia*. Sic & tota Macedo Ara corruit.

Colliges igitur, contingentiam eſſe principaliter ex cauſis ſecundis, alioqui ſequeretur, noſtram voluntatem non eſſe ab intrinſeco liberam.

Respondet Faber, poſſe à Deo immutari in aliquo caſu, & de non volente fieri volentem; vt patet in Saulo; & ſic voluntatem ſine præiudicio libertatis neceſſitari.

At obſecro, vbi erit libertas? conuerſio autem Sauli non fuit à Deo phyſicè præmouente; vt teſtatur Faber d.1. *de Prædeſtinatione*.

Respondet ſecundò, quod ſi Deus neceſſariò ageret; cogeret ad actus; cùm ſit omnipotens; nec tamen eſſentiam deſtrueret.

Contra: Quia ſic neque potuiſſet facere liberam, quia actus liberi ei implicarent; vt ſupponit Faber.

Hinc habes Scoti ſcholam nec prædeterminationum Thomiſtarum, eſſe nutricem.

DISPVTATIO XXV.

De Beatitudine Dei.

{ D Thom quæſt.26.

De Beatitudine Dei nil occurrit ſpeciale, præter paucula. Nam èx his, quæ dicentur prima ſecundæ *tract.1. diſputat.2. de Beatitudine creatura*, licèt colligere proportionaliter, quæ de Beatitudine Dei veniunt obuia; excepto quòd Beatitudo Deo competit per eſſentiam, neque eſt accidens, neque præmium; vt notat Vaſquez *ad quæſt.26.*

QVÆSTIO I.

An Deus ſit Beatus.

{ D.Thom. artic.1. D Bonau.in Diæta ſalut.tit.10.

Assero. Probatur à D.Thoma ex 1.Tim.6. *Deus beatus, & ſolus potens.* Imò cùm ſit primum Ens, & Obiectum Beatitudinis eſſentiale, eſt ipſa Beatitudo, vt notant D.Thomas *loc. cit.* D. Bonauentura *in Diæta ſalutis tit.10.* & ad Eccleſiaſt.in Proœmio & *ſerm.11. Hexaemer*: vbi duodecim enumerat è D. Auguſtin. Conditiones, Deo proprias *lib.15. de Trinit. capite quarto*, quarum tres primæ includuntur in æternitate patris. Tres ſecundæ in ſapientia filij. Et tres vltimæ in beatitudine Spiritus Sancti. Nimirum Sanctitas, bonitas, & Iuſtitia; Ideo enim, vt egregiè ibi diſſerit S. Doctor, pater eſt immortalis, incorruptibilis & immutabilis, quia æternus: Ideo filius viuus, potens & ſpecioſus; quia ſapiens: ideo denique ſpiritus bonus, iuſtus & ſanctus, quia beatus. 1

Probat Secundò Seraphicus, Deum eſſe beatum *loco citato in Diæta ſalutis*. Non enim Deus alios bearet niſi ipſe beatus in ſe eſſet: quia nullum agens poteſt introducere, aut creare aliquam formam in ſubiecto, niſi illam priùs poſſideat: Deus autem infundit beatis lumen gloriæ, quo poſſident ſummum bonum: Ergo. 2

Probatvr tertio, è patribus, è D.Gregor.Nyſſeno in libro De beatitudine, orat.1. *Quod verè beatum habendum ſit, ipſum diuinum numen eſt*, & D. Greg. M. *libro 32. Moral. capite quinto*, ad illud Pſalm.92. *Dominus regnauit, decorem induit*, inquit, *ipſe glorioſus eſt, dum ſe ipſo perfruitur.*

Probatvr tandem à Valentia *quæſtione 26. puncto vnico*, qui habet bonum perfectum, maximè vnitum naturæ intellectuali, eſt ſummè beatus: ſed Deus habet bonum perfectum, nempè ſe ipſum, maximè vnitum; imò maximè vnum cum ſuo intellectu; cùm in Deo intellectus & natura ſint idem: Ergo. 3

Hinc ſequitur primò, Deum ſe ipſo frui, ſeque

ipſo

ipſo beatum, nullius eatrinſeci boni egere, nec indigentem eſſe vllius laudis ipſi accidentis; vt ait D. Gregor. Magnus *loco cit.* Eſt autem ipſe, in quo omnis creatura Intellectualis beatur, placidéque quieſcit: vnde non mirum ſi ſibi ſufficiat, ſibique ſit ipſe ſua beatitudo: Cùm iuxta philoſophum. *Quod eſt id quo, reſpectu alterius, eſt id quo, reſpectu ſui ipſius.*

4 Sequitur ſecundò creaturam eò magis beatam, quo propiùs Deo ſit vnita; cum beatitudo Dei ſit menſura beatitudinis creaturarum rationalium. Quod enim eſt primum in vnoquoque genere eſt menſura cæterorum. Non tamen hinc infertur creaturam eò beatiorem, quò magis ſe ipſa potitur; imò potiùs, eò eſt inquietior, quo in ſe quietem fruſtrà quærit. Iuxta illud D. Auguſtin. *Feciſti domine ad te cor meum, ideò inquietum eſt, donec requieſcat in te.* Niſi fortè creatura ad ſe è mundi illecebris reuerſa, Deum in ſe quærat, eoque tandem intra ſe placidâ quiete fruatur. Regnum enim Dei; non extra, ſed intra nos latet.

QVÆSTIO II.

An Deus ſit beatus ſecundùm eſſentiam.

D.Thom. art.3.

QVÆSTIO non eſt: An Deus ſit eſſentialiter beatus. De quo nullus eſt, qui dubitet. Cùm omnis accidentalis beatitudo quæ creaturæ ſumma eſt perfectio, tanquam Imperfectio à Deo longè exulet: ſed quæritur: vtrum Dei Beatitudo in ipſius conſtet eſſentia; an verò in aliqua operatione.

5 VIDETVR colligi è D. Thoma *in reſponſ. ad 1. argument.* Deum per ſuam eſſentiam, non verò mediante aliquâ operatione, eſſe beatum. Quamquam ipſe ſe mox explicat, intelligendum Deum eſſe beatum ſecundùm eſſentiam; quia ſecundùm illam eſt infinitè perfectus, nullaque diſtinctio intellectum ab eſſentia realiter diſcernat.

ASSERENDVM tamen, Deum mediante aliqua (velut) operatione, non verò eſſentiâ, eſſe beatum.

6 PROBATVR è Diuo Thoma apud Valent. *quæſtione 26. de Beatitudine Dei.* Quia ad Beatitudinem non ſufficit ſimpliciter præſentia, ſeu quomodocumque poſſeſſio ſummi boni: ſed adhuc requiritur vt poſſideatur modo naturæ intellectuali conuenienti: talis autem modus eſt operatio: ergo. Probatur Maior; quia niſi Deus aduertat ſe frui ſummo bono, eoque gaudeat & delectetur, ad quid conferet eius poſſeſſio? Confirmatur, quia vnumquodque debet poſſideri modo, eius naturæ conuenienti: Talis autem reſpectu ſummi boni eſt Intellectualis naturæ operatio.

7 PROBATVR ſecundò ratione. Deus eſt ſibi ſua beatitudo, eo modo, (ſublatis beatitudinis creatæ imperfectionibus) quo creaturæ rationalis eſt obiectum beatificum. Sed mediante operatione talis creaturæ, non verò ſecundùm ſuam eſſentiam, eſt beatificum obiectum: ergo.

CONFIRMATVR; quia cum creatura intellectualis ſit particeps diuinæ Intellectualitatis in ſua intellectione, diuinæ voluntatis in ſua volitione, & ſic de cæteris Dei attributis; debet quoque eſſe particeps diuinæ beatitudinis eo modo, (quantum decet,) quo Deus ipſe eſt beatus. Sed cùm non participet de beatitudine Dei, niſi mediante aliqua operatione facultatis rationalis. Sequitur, Deum ipſum ita eſſe beatum.

HINC D. Thom. *articulo ſecundo*, ait Beatitudinem eſſe ſummum bonum talis naturæ. Cuius eſt ſuam cognoſcere ſufficientiam in bono, quod habet; ad quid enim Theſauri poſſeſſio, niſi aduertatur, aut ametur?

8 OBIICIES primò *hic* è D. Thom. *articulo primo* beatitudo eſt bonum perfectum naturæ Intellectualis. Sed Deus ſecundùm eſſentiam, abſtractâ etiam omni operatione, eſt bonum perfectum, quod omni appetitui rationali ſatiando & ſaturando poteſt ſufficere: Ergo.

RESPONDET Valentia, eſſentiam quidem Dei eſſe bonum infinitè perfectum, ſed non poſſe poſſideri à natura intellectuali, niſi modo tali naturæ compoſſibili: hic autem modus eſt operatio.

SED contrà; ſi eſſentia Dei eſt bonum infinitè perfectum: Ergo poteſt ſeipsâ vniri naturæ intellectuali, hæc enim eſſet eſſentiæ perfectio, & in ea ſtat intellectualis naturæ beatitudo: Ergo non requiritur operatio.

9 RESPONDETVR itaque immediatam vnionem arguere quidem in re vnita, & poſſeſſa perfectionem, ſed non ſufficere ad beatitudinem, niſi aliud extremum vniens & poſſidens exerat operationem vnitiuam, qua teneat ſuum obiectum & in eo ſibi complaceat; vt explicatur Cantic.cap.2. *Dilectus meus mihi & ego illi*; Quamuis autem in Deo vniens & vnitum ſint vnum, & idem; non poteſt tamen vnio, qua ſe fruatur, vt beatitudinis obiecto, eſſe abſque operatione.

OBIICIES ſecundò Beatitudo creaturæ conſiſtit in aliqua operatione; quia, dum in ſe non habet obiectum beatificum, cogitur operatione aliqua, ſeu extenſione alicuius ſuæ facultatis eam ſibi acquirere, & velut ad ſe trahere. Sed Deus habet in ſe omne bonum, omnemque beatitudinem iuxta illud: *Oſtendam tibi omne bonum:* Ergo.

10 RESPONDETVR è Valentia *loco citato* Deum non eſſe beatum mediante aliqua operatione, ob indigentiam, aut neceſſitatem comparandi ſibi beatitudinem; ſed potius propter ſummi boni infinitam exuberantiam, quæ poſtulat, vt poſſideatur à Deo modo ſibi conuenienti, hic autem modus eſt operatio agentis intellectualis, qua non ſolùm tenet infinitos theſauros, verum inſuper ſe tenere gaudet, & aduertit; eſto in creatura & poſſidendi, & acquirendi ratio duplicem ponat operationem: Nec tamen ideò eſt Beata, quia, vnde beatur, acquirit; Sed quia ſuæ beatitudinis obiectum aduertit & amat: & in eo dulciter placidéque quieſcit.

11 Quæres, in qua operatione conſiſtit Dei Beatitudo.

RESPONDETVR Conformiter ad ea, quæ tradidimus diſputatione de Beatitud. *tractat. primo, ſecunda ſecunda.* Cum enim inuiſibilia Dei per ea quæ facta ſunt conſpiciantur; ſolidè non licèt de Dei beatitudine diſputare, aliter, quàm habita proportione ad Beatitudinem creatam. Hanc autem

tem non conſiſtere in Dei viſione *ibi* probauimus; ad quid enim iuuaret videri ſummum bonum, & non teneri? & ad quid teneri, niſi amaretur, & niſi in eo fruens amor, torrente voluptatis raptus, abſorberetur.

12 Hæc, quæ de Deo vno exaratimus, & è D. Bonauentura elaborauimus, libet ipſius Seraphici Doctoris concluſiuo Epiphonemate finire, omnia in Laudem & gloriam ſummi, Immortalis, & inuiſibilis Dei referendo: *A cuius Diuinitatis Myſterio* (inquit Sanctus Doctor) *enarrando cuncta lingua deficiunt: quia conſummatio ſermonis ipſe eſt. Ei ergo, qui poteſt omnia facere ſuperabundantius, quam petimus, aut intelligimus, ſecundùm virtutem, qua operatur in nobis, ipſi ſit gloria in Eccleſia*, penes cuius intemeratam fidem, & cenſuram infallibilem, quicquid hactenus, aut impoſterum ſcripſero, pronus humiliſque relinquo.

Laus Deo, Intemeratæque Virgini,
S. P. N. Franciſco, ac Seraphico
Bonauenturæ.

INDEX

INDEX
LOCORVM SACRÆ SCRIPTVRÆ
Diſputationum Proœmialium.

Littera P. Paginam: Littera N. Numerum indicat Marginalem.

E TESTAMENTO VETERI.

Geneſis.

Cap. I. *In principio creauit Deus cœlum, & terram.* p.48. n.122
III. *Maledicta terra in opere tuo.* pagina 38. numero 67
Ipſa conteret caput tuum. ibid. n.70
VI. *Cuncta cogitatio cordis intenta eſſet ad malum.* p.38. n.71
XI. *Diuiſit eos Dominus, &c.* p.75. n.11
XIV. *Melchiſedech Rex Salem proferens panem, & vinum, &c.* p.39. n.72
XVIII. *Scio quod Abraham præcepturus ſit filiis ſuis.* p.55. n.3
XLI. *Ecce conſtitui te ſuper vniuerſam terram Ægypti.* p.85. n.63

Exodus.

Cap. I. *Ædificauit illi domos.* p.38. n.69
VII. *Ecce conſtitui te Deum Pharaonis.* pag.85. num. 63
XIII. *Narrabis filio tuo in die illo, &c.* pag. 55. num. 3
XVII. *Scribe hoc monumentum in libro, & trade in auribus Ioſue.* p.54. n.1.
XVIII. *Vltra vires tuas eſt negotium: Eſto tu populo in his, quæ ad Deum pertinent.* p.75. n.8
XIX. *Vos eritis mihi in regnum Sacerdotale, & gens ſancta.* p.63. n.34
Ego ſum Deus fortis, & zelotes, viſitans, &c. p.43 n.101
Congrega ad me populum. p.67. n.52
XXVIII. *Doctrina, & Veritas: Pones in Rationale iudicij doctrinam, & veritatem, &c.* p.49. n.125

Numeri.

Cap. VII. *Omnes viri ducent vxores de Tribu, & cognatione ſua, &c.* p.39. n.73

Deuteronomium.

Cap. XI. *Non addetis ad verbum, quod vobis loquor.* p.31. n.28. & 33. p.32. n.33. p.58. n.17
XVII. *Si difficile, atque ambiguum apud te iudicium perſpexeris, &c.* p.49. n.126. & 127. p.67. num. 39
XXX. *Mandatum, quod ego præcipio tibi hodie, non ſupra te eſt, neque procul poſitum, neque in cœlo ſitum, vt poſſis dicere: Quis noſtrum valet, &c.* p.43. n.100
XXXII. *Concreſcat, vt pluuia doctrina mea, & quaſi ros eloquium meum, &c.* p.49. n.121
Interroga Patrem tuum, & annunciabit tibi. p.55. num. 3
Conſtituit eum ſuper excelſam terram. p.85. n.63

Ioſue.

Cap. I. *Non recedat volumen legis huius ab ore tuo.* p.28. n.11

Regum primus.

Cap. VIII. *Non te abiecerunt, ſed me, ne regnem ſuper eos.* p.74. n.2
XVIII. *In omnibus viis ſuis Dauid prudenter agebat.* p.84. n.56

Regum ſecundus.

Cap. XXIII. *Spiritus Domini locutus eſt per me.* p.27. num. 9
Hæc ſunt nouiſſima verba, quæ locutus eſt Dauid, &c. p.30. n.23

Regum tertius.

Cap. IV. *Locutus eſt Salomon tria millia parabolas.* p.55. n.4
VIII. *In arca autem nihil erat aliud, niſi duæ tabulæ.* p.35. n.49
XI. *Reliquum autem verborum Salomonis, & ſapientia eius, ſcripta ſunt, &c.* p.31. n.33
XXI. *Venundatus eſt, vt faceret malum.* p.24. num. 60

Paralypomenon primus.

Cap. XI. *Tu paſces populum meum Iſraël.* pag.83. num.49

Paralypomenon ſecundus.

Cap. XIX. *Omnem cauſam, qua venerit ad vos, fratrum veſtrorum, qui habitant, &c.* pag. 50. num. 129

Iudith.

Cap. I. *Subiugauerat multas Gentes ſuo Imperio, & gloriabatur quaſi potens.* p. 80. n. 33

Iob.

Cap. V. *Voca ſi quis eſt, qui tibi reſpondeat, &c.* p. 39. n. 74
VIII. *Interroga generationem priſtinam.* p. 55. n. 3
XXII. *Fluuius ſubuertit fundamentum eorum.* p. 43. num. 100
XXVIII. *Profunda fluuiorum ſcrutatus eſt, &c.* p. 19. n. 39
Pietas ipſa ſapientia. p. 19. n. 37
XXXVIII. *Concentum cœli quis dormire facit? Et: Quis facit concordiam in ſublimibus.* pag. 23. n. 59. p. 27. n. 10

Pſalmi.

Pſal. II. *Ego autem conſtitutus ſum Rex ab eo ſuper Sion.* p. 70. n. 72
Apprehendite diſciplinam, ne quando iraſcatur Dominus, &c. p. 39. n. 78
Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te. p. 48. n. 123
XXXI. *Conuerſus ſum in erumna mea, &c.* pag. 40. num. 80
XXXII. *Verbo Domini cœli firmati ſunt, &c.* p. 54. num. 154
XLIII. *Deus auribus noſtris audiuimus: Patres noſtri, &c.* p. 55. n. 3
XLIV. *Lingua mea calamus ſcribæ velociter ſcribentis.* p. 27. n. 10
Pro patribus tuis nati ſunt tibi filij: Conſtitues eos principes ſuper omnem terram. p. 76. n. 13
XLV. *Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei.* p. 43. n. 100
XLIX. *Congregate illi Sanctos eius, qui ordinant teſtamentum eius.* p. 60. n. 3
LXVII. *Qui habitare facit vnius moris in Domo.* p. 40. n. 81
LXXVII. *Quanta mandauit Patribus noſtris nota facere ea filiis ſuis.* p. 55. n. 3
Aperiam in parabolis os meum. p. 46. n. 112. p. 48. num. 120
Et ſuſtulit eum de gregibus ouium: de poſt fœtantes accepit eum. p. 83. n. 49
C. *Redemptionem miſit populo ſuo.* p. 38. n. 65
CXII. *Qui habitare facit ſterilem in domo, matrem filiorum lætantem.* p. 38. n. 69
CXVIII. *Reuela oculos meos, & conſiderabo mirabilia.* p. 41. n. 97
Da mihi intellectum, & ſcrutabor legem tuam. p. 43. n. 97
Lucerna pedibus meis verbum tuum. p. 43. n. 103
CXXXI. *Viduam eius benedicens benedicam.* p. 40. num. 82

Liber Prouerbiorum.

Cap. I. *Parabolæ Salomonis ad ſciendam ſapientiam, & diſciplinam ad intelligenda verba prudentiæ.* p. 46. n. 112
XXV. *Scrutator maieſtatis opprimetur à gloria.* p. 10. num. 7
XXVIII. *Propter peccata terræ, multi principes eius.* p. 73. n. 1

Canticum Canticorum.

Cap. IV. *Fons hortorum, puteus aquarum viuentium quæ fluunt, &c.* p. 43. n. 100
Hortus concluſus, fons ſignatus. pagina 79. num. 29
VI. *Terribilis vt caſtrorum acies ordinata.* p. 70. n. 69. p. 79. n. 28
Deſcendit in hortum ad areolam. ibid. n. 29

Sapientia.

Cap. II. *Sapientia quoque perſeuerauerit mecum.* p. 31. num. 25
Nec prohibui cor meum, quin omni voluptate frueretur. ibid.
VII. *Det mihi Deus eorum, quæ ſunt, veram ſcientiam.* p. 11. n. 13
X. *Dedit illi ſcientiam Sanctorum.* p. 11. n. 13

Eccleſiaſticus.

Cap. III. *Altiora te non quæſieris.* p. 10. n. 7
VI. *Sapientia enim doctrina ſecundùm nomen eſt eius, &c.* p. 19. n. 38
IX. *Neſcit homo an amore dignus ſit, an odio.* p. 39. num. 75
XVI. *Miſericordia faciet locum ſecundum meritum operum.* p. 39. n. 76
XXIV. *Legem mandauit Moyſes in præceptis iuſtitiarum.* p. 29. n. 16
Ego quaſi fluuius dioryx. p. 38. n. 65
XXVI. *Fundamenta æterna ſuper firmam petram, &c.* p. 51. n. 134
XXXII. *Rectorem te poſuerunt, noli extolli.* p. 83. num. 47
XLIV. *Laudemus viros glorioſos parentes noſtros.* p. 23. n. 57. p. 27. n. 9. p. 54. n. 154
Non eſt inuentus ſimilis illi, qui conſeruaret legem excelſi. p. 48. n. 121

Iſaïas.

Cap. XVI. *Emitte Agnum Domine Dominatorem terræ.* p. 46. n. 112
XIX. *Erunt quinque Ciuitates loquentes lingua Chanaan, ibi Altare Domini.* pagina 71. numero 72
XXII. *Dabo clauem Dauid ſuper humerum eius, & aperiet, & non erit qui claudat,* p. 50. n. 132. p. 82. num. 46
XXIX. *In vanum colunt me, docentes mandata, &c.* p. 58. n. 19
XL. *Deus dat ſecretorum ſcrutatores quaſi non ſint.* p. 10. n. 7
XLI *Annunciate quæ ventura ſunt, & ſciemus, quia Dij eſtis vos.* p. 23. n. 54
Sicut Paſtor gregem ſuum paſcet, in brachio ſuo congregabit agnos, &c. p. 83. n. 49
XLIII. *Vos eſtis teſtes mei.* p. 31. n. 49

Hieremias.

Cap. II. *Et nunc quid eſt tibi in via Ægypti, vt bibas aquam turbidam.* p. 27. n. 6

III. *Dabo vobis paſtores, qui paſcant vos ſcientiâ & doctrina.* p.50.n.130. p.63.n.34
Et dixi: Patrem vocabis me, & à me non auertimini. p.87.n.70
XXIII. *Quis conſiderauit verbum illius, & audiuit?* p.44.n.106
XXXI. *Dabo legem meam in cordibus eorum, &c.* p.52.n.146

Ezechiel.

Cap. III. *Omnia ergo, quæ in Volumine legis inueniês, comede.* p.30.n.22
VII. *Et ſaluos eos faciam de vniuerſis ſedibus, in quibus peccauerunt: & erunt mihi populus, & ego ero eorum Deus.* p.87.n.71
XIII. *Væ Prophetis inſipientibus, qui ſequuntur ſpiritum ſuum, &c.* p.54.n.116
XIV. *Si ſteteris in medio Noë, Daniel, & Iob, ipſi in iuſtitia ſua liberabunt animas ſuas.* pag. 30. num. 20
XVIII. *Patres comederunt vuam acerbam, & dentes filiorum obſtupeſcunt.* p.49.n.101
XXXIV. *Væ Paſtoribus Iſraël, qui paſcebant ſemetipſos.* p.51.n.131
Suſcitabis ſuper eas paſtorem vnum, qui paſcat eas. p.83.n.49

Daniel.

Cap. II. *Tu Rex Regum es; & Deus cœli imperium dedit tibi.* p.80.n.36
XII. *Docti fulgebunt ſicut ſplendor firmamenti.* p.44.n.104

Oſeas.

Cap. I. *Et congregabuntur filij Iuda, & filij Iſraël pariter, & ponent ſibimet caput vnum.* p.78.n.23
II. *Multiplicabo eis viſiones.* p.46.n.112

Michæas.

Cap. II. *Congregatione congregabo Iacob totum te: in vnum conducam reliquias Iſraël, &c.* p.78.n.23
V. *Et tu Bethleem ephrata paruulus es, &c.* p.39. num.77
VII. *Paſce populum tuum in virga tua.* pag. 83. num. 49

Aggæus.

Cap. II. *Hæc dicit Dominus Deus exercituum: Interroga Sacerdotes.* p.50.n.129

Zacharias.

Cap. IV. *Hi ſunt duæ oliuæ, & duo candelabra,* p.48.n.119
VI. *Sedebit, & dominabitur; & erit Sacerdos in ſolio ſuo.* p.76.n.16

Malachias.

Cap. II. *Labia Sacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem requirent, &c.* p.50.n.128. p.63.n.33

E TESTAMENTO NOVO.

Matthæus.

Cap. V. *Iota vnum, aut vnus apex non præteribit à lege, donec omnia fiant.* p.31.n.28
Non veni ſoluere legem, ſed adimplere. p.32.n.32
IX. *Non veni vocare iuſtos, ſed peccatores.* pag.40. num.85
XV. *Irritum feciſtis mandatum Dei propter traditiones veſtras.* p.58.n.19
XVI. *Tibi dabo claues regni cœlorum.* p.50.n.132. p.15.n.42
Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. p.51.n.134
Tu es Petrus, & ſuper hanc petram, &c. p.65.n.42. p.70.n.71. & ſeq.
Quodcunque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis. p.81.n.37. p.82.n.45
Simon Ioannis diligis me plus his. p.83.n.48
Vade retro poſt me Sathanas. p.92.n.80
XVII. *Ergo liberi ſunt filij.* p.93.n.83
XVIII. *Si oculus tuus ſcandalizat te, erue eum, &c.* p.47.n.116
Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus, & publicanus. p.51.n.134. p.57.n.12
Vbi ſunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi ero in medio ſui. p.59.n.2. p.67.n.52
XIX. *Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata.* p.32. num. 33
Si vis perfectus eſſe, vade, & vende omnia, quæ habes, &c. p.92.n.80
XX. *Qui ſe humiliat exaltabitur.* p.80.n.83
XXII. *Quid vobis videtur de Chriſto, cuius Filius eſt?* p.30.n.24
Reddite ergo quæ ſunt Cæſaris, Cæſari: & quæ ſunt Dei, Deo. p.93.n.83
XXIII. *Quodcunque dixerint vobis ſeruate, & facite: ſecundum opera eorum, nolite facere.* p.31.n.25 p.37.n.57
Super Cathedram Moyſi ſederunt Scribæ, & Phariſæi: omnia quæcunque dixerint vobis, ſeruate, &c. p.51.n.133
XXIV. *Cœlum, & terra tranſibunt; verba autem mea non tranſibunt.* p.46.n.114
XXVI. *Hoc eſt corpus meum.* p.49.n.123

Lucas.

Cap. I. *Sicut locutus eſt per os Sanctorum, &c.* p.27. num. 9
Exiit edictum à Cæſare Auguſto; vt deſcriberetur vniuerſus orbis. p.80.n.36
II. *Et in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* p.38. num. 68
III. *Congregabit triticum in horreum ſuum.* p.59. num. 2
IV. *Hodie impleta eſt hæc ſcriptura in me.* pag.29. num. 16
V. *Intrauit in vnam, quæ erat Simonis Petri.* p.84. num. 58
IX. *Reſpondens Petrus; dixit: Chriſtum Dei.* p.81. num. 37
X. *Qui vos audit, me audit, & qui vos ſpernit, &c.* p.67.n.57. p.96.n.2
XI. *Tuliſtis clauem ſcientiæ.* p.11.n.132
Omne regnum in ſe diuiſum deſolabitur. p.9.n.4

XII. *Home, quis me conſtituit iudicem, aut diuiſorem inter vos.* p.75.n.9
XXII. *Conuerſus Ieſus reſpexit Petrum.* p.85.n.66
Simon, Simon, ecce Sathanas expetiuit te, vt cribraret ſicut triticum. p.94.n.87
Reges Gentium dominantur, &c. p.77.n.23
Ego autem rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua, &c. p.52.n.134. p.65.n.42
Et tu aliquando confirma Fratres tuos. pag.67. num. 56
Facta eſt contentio inter eos, quis eorum videretur eſſe maior. p.80.n.33
Vlt. *Neceſſe eſt impleri omnia, quæ ſcripta ſunt in in lege Moyſi, &c.* p.29.n.16

Ioannes.

Cap. I. *Hic venit in teſtimonium, vt teſtimonium perhiberet, &c.* p.53.n.147
Tu es Simon filius Iona: Tu vocaberis Cephas. p.81 n.37. p.84.n.55
Ecce Agnus Dei, &c. p.46.n.112
II. *Non neceſſe habetis, vt aliquis doceat vos.* p.53. num. 151
III. *Sicut Moyſes exaltauit ſerpentem in deſerto, ita, &c.* p.46.n.112
Nolite facere domum Patris mei domum negotiationis, &c. p.79.n.28
V. *Ego teſtimonium ab homine non accipio.* pag.53. num. 147
Scrutamini Scripturas. p.37.n.57
Quomodo vos poteſtis credere, qui gloriam ab inuicem accipitis. p.44.n.105
Ego teſtimonium ab homine non accipio. pag.53. n.147. & 148
VII. *Si quis voluerit voluntatem ſuam facere, &c.* p.53.n.148
X. *Oues meæ vocem meam audiunt, &c.* p.53.n.149
Fiat vnum ouile, & vnus Paſtor. p.74.n.3. p.89. num. 28
XIII. *Venit ergo ad Simonem Petrum.* p.85.n.62
XIV. *Spiritus ſanctus ſuggeret vobis omnia, &c.* p.40.n.84
Ille vos docebit omnia. p.53.n.152
XV. *Ego ſum vitis vera.* p.46.n.112
XVI. *Multa habeo vobis dicere, ſed non poteſtis portare modo.* p.56.n.5
Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem. p.67.n.53
XVII. *Non pro eis tantùm rogo, ſed & pro eis, qui credituri ſunt per verbum eorum.* p.67.n.56
XVIII. *Tu dicis, quia Rex ſum ego.* p.70.n.72
XIX. *Non haberes poteſtatem aduerſum me vllam, niſi, &c.* p 93.n.82
XXI. *Paſce agnos meos: paſce oues meas.* p.50.n.130 p.63.n.34. p 83.n.49
Cum ſeneris, extendes manus, &c. p.85.n.62
Vlt. *Sunt autem & alia multa, quæ fecit Ieſus, quæ non ſunt ſcripta in libro hoc.* p.65.n.5

Actus Apoſtolorum.

Cap. V. *Obedire oportet Deo magis quàm hominibus.* p.85.n.63
VI. *Audiuimus eum dicentem, quia deſtruet locum iſtum, &c.* p.54.n.2
Conſiderate viros boni teſtimonij ſeptem, quos conſtituimus ſuper hoc opus. p.79.n.31
XV. *Viſum eſt Spiritui ſancto, & nobis, &c.* p.59. num. 3
Conuenerunt Apoſtoli, & ſeniores videre de verbo hoc. p.63.n.36. & ſeqq.
Tunc placuit Apoſtolis, & ſenioribus cum omni Eccleſia eligere viros ex eis. p.64.n.36

Epiſtolæ D. Pauli Apoſtoli.

Ad Romanos.

Cap. I. *Paulus ſegregatus in Euangelio Dei, &c.* p.23.n.54
Qui prædeſtinatus eſt Filius Dei. p.40.n.85
Qui cùm iuſtitiam Dei cognouiſſent, &c. ibid.n.86
IV. *Lex iram Dei operatur, vbi enim non eſt lex, nec præuaricatio.* p.28.n.12
XI. *O Altitudo diuitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei.* p.19.n.39
Si Gratia non ex operibus, &c. p.40.n.88
XIII. *Plenitudo legis eſt dilectio.* p.17.n.32
Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit p.93.n.82

Prima ad Corinthios.

Cap. I. *Iudæi ſigna petunt; & Græci ſapientiam.* p.19.n.18
II. *Sapientiam loquimur inter perfectos.* p.19.n.38
Spiritualis autem homo iudicat omnia. p.53.n.149
IV. *Et ipſe à nemine iudicatur.* p.63.n.34
Nihil mihi conſcius ſum, ſed non in hoc iuſtificatus ſum. p.39.n.75
X. *Omnia enim illis in figura contingebant.* p.46.n.114
XI. *Laudo vos, quòd ſicut tradidi vobis præcepta tenetis.* p.57.n.11
XII. *Hæc omnia operatur vnus, & idem ſpiritus.* p.53. num. 151
Alij datur ſermo ſcientiæ, &c. p.11.n.13
Non poteſt Caput dicere pedibus: non eſtis mihi neceſſarij. p.87.n.71
XIII. *Siue ſcientia deſtruetur, &c.* p.11.n.13
XIV. *Etenim ſi incertam vocem det tuba, quis parabit ſe ad bellum? Ita, &c.* p.42.n.96
Si orem lingua, ſpiritus meus orat. ibid.
XV. *Ego ſum minimus Apoſtolorum.* p.86.n.68

Ad Corinthios ſecunda.

Cap. III. *Littera occidit; ſpiritus autem viuificat.* p.28.n.12
IV. *Quod ſi etiam opertum eſt Euangelium noſtrum in iis, &c.* p.44.n.105
XIII. *Idoneos nos fecit miniſtros noui teſtamenti, non littera, &c.* p.28.n.12

Ad Galatas.

Cap. I. *Si quis Euangelizauerit vobis, præterquam quod Euangelizatum eſt à me, &c.* p.32.n.33. p.58.n.17
Æmulator exiſtens paternarum mearum traditionum. p.58.n.19
II. *Qui videbantur eſſe aliquid, nulla mihi mandata dederunt.* p.84.n.50

Ad Epheſios.

Cap. II. *Eſtis ciues Sanctorum, & domeſtici Dei, &c.* p.53.n.153
Superædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum. p.76.n.11
III. *Vt innoteſcat principibus, & poteſtatibus per Eccleſiam multiformis ſapientia Dei.* p.67.n.53

IV

IV. *Dedit Paſtores, & Doctores.* p.50.n.130
Alios quidem Apoſtolos, & alios Prophetas. p.80. num.34
Obſecro vos, vt dignè ambuletis, ſolliciti ſeruare vnitatem ſpiritus, &c. p.87.n.71

Ad Philippenſes.

Cap. II. *Inter quos lucetis tanquam luminaria.* p.44. num.104
Omnes quærunt, quæ ſua ſunt, non quæ Ieſu Chriſti. p.68.n.62

Ad Theſſalonicenſes prima.

Cap. II. *Cùm accepiſtis à nobis verbum auditus Dei, accepiſtis illud, non vt verbum hominum.* p.67.n.57

Ad Theſſalonicenſes ſecunda.

Cap. II. *Tenete traditiones, quas accepiſtis, ſiue per ſermonem, ſiue per epiſtolam.* p.54.n.1. p.56.n.6

Ad Timotheum prima.

Cap. I. *Finis præcepti eſt charitas.* p.17.n.32
III. *Hæc tibi ſcribo fili Timothee, vt ſcias quomodo oporteat te conuerſari in domo Dei.* p.67.n.54
Columna & firmamentum veritatis. p.38.n.63

Ad Timotheum ſecunda.

Cap. III. *Omnis ſcriptura diuinitus inſpirata, vtilis eſt ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, &c.* p.17.n.32. p.58.n.18

Ad Titum.

Cap. I. *Oportet Epiſcopum eſſe amplectentem eum, qui ſecundùm doctrinam eſt, fidelem ſermonem.* p.63. num.32
Cuius rei gratia reliqui te Cretæ, vt conſtituas per Ciuitates Presbyteros. p.76.n.11

Ad Hebræos.

Cap. I. *Multifariè, multiſque modis, &c.* p.23.n.54
V. *Omnis Pontifex ex hominibus aſſumptus, pro hominibus conſtituitur in his, quæ ſunt ad Deum.* p.63. n.3. p.76.n.13
Nec quiſquam ſumat ſibi honorem, ſed qui vocatur à Deo tanquam Aaron. p.79.n.27
VI. *Impoſſibile eſt, qui ſemel illuminati ſunt, &c.* p.35.n.47
XIII. *Talibus hoſtiis promeretur Deus.* p.40.n.90

Iacobus.

Cap. V. *Infirmatur quis in vobis, inducat Presbyteros, &c.* p.41.n.90

Prima Petri.

Cap. I. *Redempti eſtis de vana veſtra conuerſatione, &c.* p.58.n.19
II. *Vos eſtis Gens ſancta, regale Sacerdotium.* p.63. num.34
V. *Paſcite qui in vobis eſt gregem, &c.* p.50.n.131. p.63.n.34. p.80.n.32

Secunda Petri.

Cap. I. *Habentes firmiorem propheticum ſermonem, &c.* p.23.n.54
Simon Petrus ſeruus, &c. iis qui coæqualem nobiſcum ſortiti ſunt fidem, &c. p.26.n.2
Spiritu ſancto inſpirati, locuti ſunt ſancti Dei homines. p.27.n.9
Scientes, quòd omnis prophetia Scripturæ propria interpretatione non fit. p.54.n.156

Ioannis prima.

Cap. I. *Quod vidimus, & manus noſtræ contrectauerunt de verbo vitæ.* p.23.n.57
V. *Tres ſunt, qui teſtimonium dant in cælo, &c.* p.53. num.154

Apocalypſis.

Cap. XI. *Michael, & Angeli eius præliabantur.* p.78. num.25
XXII. *Oſtendit mihi fluuium aquæ viuæ procedentem, &c.* p.19.n.39. p.27.n.8

INDICVLVS
RERVM, ET VERBORVM
magis notabilium, quæ habentur in Tomi primi Diſputationibus Procœmialibus.

Prior Numerus Paginam, poſterior Numerum ſignat Marginalem.

C.

Chriſtus.

CHRISTVS Theologiæ argumentatum eſt. pag. ix. num. 5
Eſt firmiſſimum noſtræ fidei fundamentum. p. xxiij. n. 53
Nomina, Chriſtum adumbrantia, Hebraica ſunt. p. xxxvij. n. 15

Concilium.

Concilij nomen. p. lix. n. 1
Concilium non eſt humanum inuentum. n. 2
A Deo in lege veteri inſtitutum. n. 3
Quatuor Conciliorum genera. p. lx. n. 4
Concilia generalia decem, & octo approbata; reprobata verò octo. p. lxj. n. 22
Nec approbata, nec reprobata, tantum Concilium Piſanum. n. 24
Partim approbata, partim reprobata, ſex. ibid.
Concilia generalia non ſunt ſimpliciter neceſſaria, num. 26
Fines concilia conuocandi. n. 25
Ad concilia conuocanda Imperatorum auctoritas, quas ob cauſas neceſſaria. p. lxij. n. 12
In Concilijs ſoli Epiſcopi obtinent ius deciſiuum. n. 33
Ad Concilia Laïcij omnes non conuocandi. ibidem.
In Conciliis alij ab Epiſcopis Prælati ex priuilegio admiſſi. ibid. & p. lxiij. n. 35
Interfuere Imperatores boni, & pij Conciliis, non ad definiendum, ſed ad defendendum. p. lxiv.
In Conciliis, Epiſcoporum decreta pro lege neceſſariò acceptanda. n. 39
Concilium generale approbatum, In decretis fidei, & morum infallibile. p. lxvij. & ſeqq. n. 52
Varia pro primatu Pontificis concilia. p. lxxxviij. num. 73

Cognitio.

Ad finem ſupernaturalem quæ cognitio neceſſaria. p. ix. n. 3

Contradictoria.

Poſſunt contradictoria eminenter in aliquo contineri. pag. xviij. num. 36

D.

Democratia.

DEmocratio, omnium Regiminum deterrima. p. lxxvj. n. 12
Diuiſioni, & tumultibus eſt obnoxia. ibid.

Demonſtratio.

Demonſtratio propter Quid, & Quia, diuerſimodè ex principiis notioribus. p. xij. n. 15

Deus.

Deus loquitur non ſolum per verba, ſed etiam per facta. p. xlv. n. 110
In Deum refertur creatura tripliciter, iuxta triplicem modum intelligendi Sacram Scripturam. ibidem.

E.

Eccleſia.

ECcleſia inter tot tempeſtatum procellas inconcuſſa. p. xxiij. n. 55
Eccleſiæ de tot perſecutoribus victoria. n. 56
Eccleſiæ perſecutorum infauſtus exitus, p. xxiv. num. 64
Eccleſiæ vnitas vnius idiomatis vſu in Sacra Scriptura optimè conſiſtit. p. xlij. n. 95
Eccleſia, controuerſiarum Iudex. p. xlix. n. 124. & ſeqq. p. lxxxj. n. 37
Eccleſia D. Petro credita. p. l. n. 129. & ſeqq.
Monarchica eſt, non Ariſtocratica. p. lxx. n. 72. p. lxxviij. n. 23. & ſeqq.
Democratia in Eccleſiæ regimine reprobatur. pag. lxxv. num. 10
Non gubernatur iuxta poteſtatem ſæcularem. p. lxxvj. n. 17
In Eccleſia caput viſibile eſt neceſſarium. pagina lxxxvij. n. 71. & ſeqq.

Eccleſi-

Eccleſiæ Rumanæ, & vniuerſalis præfectura non duplex realiter diſtincta. p.lxxxviij. n.72. in fine.

F.

Fides.

Fides habet naturalia aliqua, & grauiſſima ſuæ credibilitatis fundamenta. p.xxij. n.51

Duodecim fundamenta credibilitatis Myſteriorum Fidei. p.xxiij. n.53. & ſeqq.

Myſteria Fidei adeo rationabilia, vt reprehendi nequeant. p.xxiv. n.60

Fides à Theologia qualiter diſtincta. p.xxv. n.65. in fine.

I.

Intellectus.

Intellectus circa ſpeculationes ſimplices errare poteſt. p.xvij. n.31

L.

Lex.

Lex Moyſis cur dicta eſt littera, & occidens. p.xxviij. n.12

M.

Materia.

Materia circa quam coincidit cum fine. p.xxij. n.48

Monarchia.

Monarchia Eccleſiæ, apibus comparata. p.lxxiv. num.3

in Monarchia omnes ad vnum ordinati. n.4

Monarchia optimi Regiminis conditiones obtinet. ibid.

Monarchia miſta, optima regiminis forma ob hominum naturæ corruptionem. pag. lxxv. n.8. & ſeqq.

Ibi maior Monarchiæ neceſſitas, vbi maior vnionis difficultas. p.lxxix. n.26

Eccleſiæ Monarchia, variis ſimilitudinibus expreſſa. n.28

A Monarchia Principum ſecularium ex inſtitutione Chriſti eſt diuerſa. p.lxxx. n.33

Monarchia Eccleſiæ Petro data, vide Eccleſia.

Muſica.

Muſica eſt Arithmeticæ ſubalternata, & quomodo. p.xiij. n.18

N.

Neceſſarium.

Neceſſarium multiplex dicitur. p.ix. n.2

Notum.

Notum aliud in ſe, aliud nobis. p.xij. n.15

O.

Obiectum.

Obiecti ratio formalis duplex. p.xiv. n.21

Obiecti à ſubiecto ſcientiæ differentia. p.xx. num.41

Obiectum duplex. ibid.

Obiectum tripliciter ſumitur. n.42

Theologiæ obiectum vniuerſale, integrale, formale, & attributionis. p.xxj. n.43. & ſeqq.

P.

Patres.

Patrum vnanimis conſenſus, firmiſſimum fidei argumentum. p.xcv. n.1

Contra concordem Patrum ſenſum prohibetur Scripturæ interpretatio. ibid.

Patrum etiam traditio vnanimis conſulenda. ibid.

Vnius, vel aliquorum Patrum ſententia argumentum facit probabile. ibid. in fine.

Petrus.

Petrus à Paulo reprehenſus, & Paulus Petro ſubditus. p.xcviij. n.81

Petro ſoli cur ſuper mare ambulare conceſſum. p.l. n.129

Plures Petri prærogatiuæ. p.lxxxiv. n.55

Petri nomen principatum indicat. ibid.

Eius ſeſſio Romæ. p.lxxxvj. n.69

Perſpectiua.

Perſpectiua Geometriæ ſubalternata. p.xiij. n.18

Huius ſubalternationis conditio ex parte obiecti. p.xiv. n.21

Pontifex.

Summo Pontifici ſuprema poteſtas conceſſa. p.l. num.132

Omnium ſæculorum hæreſes damnarunt Pontifices. p.lj. n.135. & ſeqq.

Pontificis ſummi poteſtas, Patrum teſtimoniis propugnata. p.lij. n.144. & ſeqq.

Pontificis munus conuocare concilia. p.lxj. n.27 & ſeqq.

Pontifex Conciliorum ordinarius præſes. p.lxv. n.41. & ſeqq.

Contra Pontificis præſidentiam in Conciliis, Hæreticorum obiectiones retuſæ. p.lxvij. n.48. & ſeqq.

Ita ſuper Concilium Pontifex, vt vi eius coactiuæ nequeat ſe ſubiicere. p.lxix. n.68. & ſeqq.

Cæterorum Eccleſiæ Prælatorum ad Summum Pontificem ſubordinatio. p.lxx. n.69

Pro Principatu Pontificis, Conciliorum, & Patrum auctoritates. p.lxxj. n.74. & ſeqq.

A Pontificibus imperia tranſlata, vel electa. p.lxxvij. n.19. & ſeqq.

Pontifex Romanus Petro continuò ſuccedens. p.lxxxvj. n.70. & ſeqq. & p.lxxxviij. n.72.

Pontificum plures epiſtolæ pro primatu Eccleſiæ ipſis creditæ. p.lxxxix. n.73

Ad Romanum Pontificem ab vbique terrarum conceditur appellatio. p.xcij. n.79

Pontificatus Romani priuilegium perſonale, vel locale. ibid.

Romanus Pontifex nunquam Imperatoribus ſubditus. p.xciij. n.84. & ſeqq.

In foro conſcientiæ poteſt iudicari à Confeſſario. p.xciv. n.85

Quomodo ab hominibus electus. ibid.

Infallibilitatis pontificiæ variæ ſententiæ. n.86

Cum Eccleſiam de fide inſtruit, errare nequit. n.87

Infallibilitatis Pontificum tria ſolidiſſima fundamenta. p.xcv. n.89

Praxis.

Praxis eſt in voluntate, ab intellectu directa. p.xv. num. 23.

Et differt à ſpeculatione eſſentialiter. p.xvj. n.25

Propoſitio.

Propoſitio Theologica duplici è fonte deriuata. p.xiij. n.20

R

Regimen.

Regiminis tres ſpecies. p.lxxiij. n.1

Regiminis mixti quatuor formæ. ibid.

Omnium regiminum Monarchia eſt optima. ibid. & ſeqq.

Regimen Monarchicum, ab ipſis irrationalibus exercitum. p.lxxiv. n.3

Regula.

Regulæ præcipua conditio eſt notitia, & certitudo. p.xxvij. n.8

Fidei regula certiſſima eſt Sacra Scriptura. ibid. & ſeqq.

Tres regulæ dignoſcendi Sacræ Scripturæ ſenſus. p.xlvij. n.117

Reſpublica.

Vbi Reſpublicæ, ibi æmulationes, vt plurimum, & diuiſiones

diuiſiones. p.lxxiv.n.7
Reſpublica Romanorum felicius in Monarchiam mutata. n.5
Reipublicæ Venetorum perennis duratio. n.6

Reuelatio.

Quale medium demonſtrationis fundat reuelatio. p.xv.n.22

S.

Sapientia.

SApientiæ nomen tripliciter acceptum. p.xix. num. 37
Sapientiæ definitio è Dionyſio. ibid.
Sapientiæ conditiones quinque. n.38. & 39

Scientia.

Scientiæ intrinſeca perfectio eſt claritas. p.xj.n.10
p.xij. n.13
Scientiæ ſubalternantis euidentia elucere debet ſubalternatæ. p.xj. n.11. & ſeqq.
Scientia poteſt eſſe de ſingularibus, in Deo conſideratis. ibid. n.12
Scientia in patria, quomodo euacuanda. ibid.n.13
Scientiæ à ſapientia differentia. p.xij. n.13
Scientiæ euidentia duplex. n.15
Alia Scientiæ euidentia ex ſenſibilibus, alia ex vi terminorum. p.xiij. n.16
Scientiæ ſubalternatæ conditiones quatuor. n.18
Scientiæ celebris diuiſio in practicam, & ſpeculatiuam. p.xv. n.23
Scientiæ præſtantia, duplici fundamento nixa. p.xix. n.39.
Diuerſarum ſcientiarum nobilitas, vnde ſumpta. p.xxvj. n.3.
Plurium ſcientiarum ad Scripturam Sacram comparatio. n.4. & ſeqq.

Scriptores.

Scriptorum Canonicorum mira circa fidem concordia. p.xxiij. n.59

Scriptura.

Scripturæ definitio, & definitionis expoſitio. p.xxvj. n.10. & ſeqq.
Scripturæ Sacræ in vtriuſque teſtamenti libros adæquata diuiſio. p.xxviij. n.13. & ſeqq.
Librorum Sacræ Scripturæ triplex ordo. n.14
Duplex Scripturæ claſſis. ibid.
Circa Sacram Scripturam plurium Hæreticorum errores, & reprehenſiones. p.xxix. n.15. & ſeqq.
Scripturæ eloquentia, artificium, & ſcientialis modus. p.xxx. n.20. & ſeqq.
Scripturæ honeſtas. p.xxxi. n.27
Scripturæ Euangelicæ multiplicitas, veritati inſeruiens. n.29
Cur ab Euangeliſtis, non ab ipſo Chriſto, contexta ſit Scriptura. n.31
Sacræ Scripturæ libri, ab Hæreticis inficiati, vindicantur. p.xxxij. & ſeqq. n.34. & ſeqq.
Hebraica Scripturæ editio à Moyſe primitus facta, & ab Eſdra decem punctorum inuentione correcta; ab Hebræis Scriptura non vniuerſaliter deprauata. p.xxxvij.n.51
Scripturæ Caldaïca, Syriaca, & Græca editio, à quibus facta. p.xxxvij. n.59
Aliæ Sacræ Scripturæ editiones quatuor Græcè. num. 61
Vulgaris Latina Sacræ Scripturæ verſio, contra hæreticos propugnata. p.xxxviij. n.62. & ſeqq.
Ad fontes Hebraïcos, & Græcos quatuor de cauſis pro Scripturæ notitia recurrendum. n.64. & ſeq.
Scriptura vulgari idiomate omnibus prohibita. p.xlj. n.92
Scriptura antiquitus apud omnes Nationes Latino idiomate vſitata. ibid. & 94. & ſeqq.
Scriptura, interpretatione indigens. n.97
Fluminibus, & mari comparatur. p.xliij. n.100
Scripturæ obſcuritatem res dictæ, & modus, quo dicuntur, efficiunt. n.101
Libri Scripturæ, in Nouo Teſtamento aperti. p.xliv. num. 106
Senſuum Sacræ Scripturæ diuiſio, ſubdiuiſio, & explicatio. n.107. & ſeqq.
Triplicis ſenſus ſpiritualis variæ ſimilitudines. p.xlvij. n.3
Litteralis, & ſpiritualis Scripturæ ſenſus propugnati. n.112
Tres ſpirituales Scripturæ ſenſus ad tres Theologicas virtutes conducunt. n.115
Litteralis ſenſus non vbique Scripturæ habitus. p.lxvij. n.116
Senſus Scripturæ per accommodationem, qualis. ibid. n.119
Hic ſenſus eſt à miſtico diſtinctus. p.xlviij. n.125
Eiuſdem Scripturæ ſenſus litterales ſunt plures, & varij. n.122. & ſeqq.

Septuaginta.

Septuaginta apud Pharum Ægypti pro noua Sacræ Scripturæ editione congregati. p.xxxvij. n.60
Horum æditio à D. Hieronymo non reprehenſa. ibid.

T.

Theologia.

THeologiæ nominis ethimologia. p.19.n.1
Theologiæ Scholaſticæ neceſſitas contra dicteria hæreticorum. p.ix. n.4. & ſeqq.
Duplex Theologiæ acceptio. p.x. n.8
Non eſt propriè ſcientia. p.xj. n.10. & ſeqq.
Theologia, quo ſenſu ſcientia ſimul, & ſapientia. p.xii. n.13
Eſt cognitio nobiliſſima. n.14
Theologiæ beatorum propriè non ſubalternatur. p.xiij. n.19
Sed aliqualiter Sacræ Scripturæ ſubalternatur. n.20
Theologiæ, vt ſcientiæ, vnitas. p.xiv. n.22
Theologia, ſcientia realis, non rationalis. p.xv.n.22
Magis propriè eſt affectiua, quam practica, & ſpeculatiua. p.xvj. n.28. & ſeqq.
Eius officium eſt arcanas de Deo veritates inquirere. p.xvij. n.31
Theologia, de practico, & de ſpeculatiuo participans. ibid. n.32
Theologia eſt vera ſapientia. p.xix. n.38
Theologia noſtra, in patria euacuanda. p.xxij. n.49
Theologiæ loca quædam communia ad ſuas propoſitiones confirmandas, valde neceſſaria. p.xxv. num.65
Loca hæc Theologica ſeptem ſunt. ibid.

Theologus.

Theologorum vnanimis conſenſus rem arguit de fide certam. p.xcvj. n.8
Etiam extra fidem à communi Theologorum acie in re graui recedere temerarium eſt. ibid.
Theologo ratio naturalis plurimum inſeruit ad fidem confirmandam. ibid. in fine.

Traditio.

Traditionis vera ſignificatio. p.liv.n.5
Traditionis tria genera. p.lv. n.1
Traditio, ad dogmata Eccleſiæ probanda neceſſaria. n.3
Apud Hebræos vſitata. ibid.
Traditiones, à D.Paulo commendatæ. p.lvj. n.6

INDEX

INDEX

LOCORVM SACRÆ SCRIPTVRÆ Quæ in hoc primo Tomo de Deo vno paſſim habentur, & appoſitè exponuntur.

Littera P. Paginam: Littera N. Numerum indicat Marginalem.

E TESTAMENTO VETERI.

Geneſis.

CAP. I. *IN principio creauit Deus cælum, & terram.* pag. 179. n. 132. p. 193. n. 69. p. 465. n. 24. p. 467. n. 38

Dixit Deus: fiat firmamentum, & factum eſt. pag. 179. n. 132. p. 289. num. 168

Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona. p. 38. n. 23. & 27. p. 198. n. 101. p. 306. n. 301. p. 456. n. 122. p. 477. n. 124

Fiat Lux, & facta eſt lux, & vidit lucem quod eſſet bona. p. 268. n. 13

Faciamus hominem ad imaginem noſtram, &c. p. 178. n. 121. p. 355. n. 21

Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas. pag. 66. num. 14

III. *Ne fortè mittat manum ſuam, & ſumat de ligno vitæ.* p. 236. n. 382

IV. *Nonne ſi bene egeris, recipies, &c.* p. 221. n. 275. p. 427. n. 448

VII. *Pœnitet me feciſſe hominem.* p. 66. n. 14. p. 327. num. 470

IX. *Maledictum Chanaan.* p. 449. n. 65

XIII. *Ecce vniuerſa terra coram te eſt.* pag. 63. num. 64

XVIII. *Clamor Sodomorum venit ad me.* pag. 302. num. 239

XXI. *Vocabitur tibi ſemen, &c.* p. 420. n. 404

XXII. *Tentauit Deus Abraham.* p. 302. n. 266

XXV. *Maior ſeruiet minori.* p. 448. n. 38

XXVIII. *Verè Dominus eſt in loco iſto.* pag. 64. num. 72

XXXII. *Cur quæris nomen meum, quod eſt admirabile.* p. 163. n. 13

Vidi Dominum facie ad faciem. p. 107. n. 101. p. 157. n. 402

XLI. *Commota ſunt viſcera eius.* p. 350. n. 84

Ecce conſtitui te ſuper terram Ægypti. pag. 85. num. 63

XLV. *Non veſtro conſilio, ſed Dei voluntate huc miſſus ſum.* p. 306. n. 305

Vos cogitaſtis de me malum: Deus autem vertit illud in bonum. p. 307. n. 308

XLIX. *Non auferetur Sceptrum de Iuda, & Dux de femore eius, donec veniat Meſſias.* pag. 327. num. 471

L. *Num Dei poſſumus reſiſtere voluntati?* p. 306. n. 305. p. 307. n. 309. p. 328. n. 486. p. 371. n. 75

Exodus.

Cap. III. *Ego ſum qui ſum.* p. 2. n. 2. & ſeqq. vſque ad 10. p. 5. n. 19. & 24. p. 82. n. 60. p. 163. n. 18. p. 180. n. 137

Non videbit me homo, & viuet. p. 92. n. 11

IV. *Ego indurabo cor Pharaonis.* p. 452. n. 92

VI. *Nomen meum Adonai, non indicaui eis.* p. 164. num. 22

VII. *Indurauit Deus cor Pharaonis.* p. 309. n. 328

VIII. *Digitus Dei eſt hic.* p. 64. n. 72

IX. *Vſquequo non vis ſubiici mihi?* p. 453. n. 96

Idcirco poſui te, vt oſtendam in te virtutem meam. p. 307. n. 312. p. 358. n. 38

Dominus iuſtus eſt: Ego autem, & populus meus impij. p. 310. n. 336

XII. *Tollat vnuſquiſque agnum, &c.* pag. 222. num. 286

XV. *Iſte Deus meus.* p. 163. n. 18

Omnipotens nomen eius. p. 164. n. 23

Dominus regnabit in æternum, & vltra. p. 74. n. 30 p. 84. n. 68

Fac ſecundùm exemplar, quod tibi in monte monſtratum eſt. p. 208. n. 164

XXI. *Erit ſeruus in ſæculum.* p. 73. n. 24

XXXII. *Ne quæſo dicant Ægyptij, callidè eduxit eos.* p. 400. n. 268

Aut dimitte eis hanc noxam, aut dele me de libro tuo. p.433.n.497
XXXIII. *Non videbit me homo, & viuet: Loquebatur Deus Moyſi facie ad faciem.* p.107.n.101. p.157.n.401
Oſtendam tibi omne bonum. p.39.n.32.p.159. n.409.p.483.n.9
Miſereor cui miſerebor. p.395.n.231
Oſtende mihi faciem tuam. p.157.n.397

Numeri.

Cap. XI. *Palam, & non per figuras os ad os loquor.* p.157.n.401
XII. *Si fuerit inter vos Propheta Domini, apparebo ei in viſione.* p.156.n.393.p.158.n.402.p.533 num. 36
XXIII. *Non eſt Deus quaſi homo, vt mentiatur.* p.326.n.272
XXX. *In arbitrio viri erit ſiue faciat, ſiue non faciat.* p.206.n.272

Deuteronomium.

Cap. I. *Addat Deus ad hunc numerum multa millia.* p.438.n.528
II. *Indurauerat Dominus Spiritum Sehon.* p.506. num. 328
IV. *Cuſtodite ſollicitè animas veſtras, ne forte decepti faciatis vobis ſculptam ſimilitudinem.* pag.237. num. 382
XI. *Oculi veſtri viderunt opera magna, quæ fecit Dominus.* p.286.n.146
XV. *Erit ſeruus in æternum.* p.73.n.24
XVIII. *Prophetam ſuſcitabit tibi Dominus Deus tuus.* p.198.n.101
XXXII. *Videte quòd ego ſim ſolus, & non ſit alius Deus præter me.* p.87.n.15
Conſtituit terminos populorum, iuxta numerum filiorum Iſrael. p.424.n.434

Ioſue.

Cap. II. *Deus in cælo ſurſum, & in terra deorſum,* p.45.n.38
VII. *Anathema in medio tui Iſraël.* p.352.n.97
X. *Obediente Deo voci hominis.* p.294.n.195
XI. *Domini ſententia fuit, vt indurarentur.* p.309. n.328.p.359.n.41
XXIV. *Optio vobis datur, eligite hodie, quod vobis placet.* p.206.n.272

Regum primus.

Cap. II. *Non audierunt vocem Patris ſui, quia Dominus voluit occidere eos.* p.309.n.328
VII. *Præparate corda veſtra Domino.* p.391.n.205
XIII. *Quod ſi non feciſſes, iam nunc præparaſſet Dominus regnum tuum.* p.246.n.448
XXIII. *Tradent me viri Ceilæ: Deſcendet Saul, &c.* p.230.n.342.& ſeqq.

Regum ſecundus.

Cap. VII. *Ego ero illi in Patrem, & ipſe erit mihi in Filium.* p.428.n.453
XII. *Ecce ego ſuſcitabo ſuper te malum de domo tua, & tollam vxores tuas, &c.* p.311.n.340.p.325. num. 459

XIV. *Omnes morimur, & quaſi aquæ dilabimur.* p.454.n.110
XVI. *Dominus præcepit Semei, vt malediceret David.* p.308.n.316
Dimitte eum, vt maledicat, &c. p.425.n.438
XVII. *Infatua Conſilium Achitophel.* pag.453. num. 100
XXIV. *Addit furor Domini iraſci contra Iſraël.* p.308.n.316
Trium tibi datur optio: elige vnum quod volueris. pag.206.n.272

Regum tertius.

Cap. III. *Poſtula quod vis, vt dem tibi.* pag.206. num. 273
VIII. *Si cæli cælorum te capere non poſſunt.* p.45. n.38.p.56.n.31.& 46
XI. *Cumque iam eſſet ſenex, deprauatum eſt cor eius.* p.418.n.453
Rebellauit Ieroboam. p.508.n.316
XII. *A me factum eſt verbum hoc.* p.309.n.323
Non acquieuit Rex populo: quoniam auerſatus fuerat eum Dominus. p.309.n.328
XXII. *Congregauit Rex Iſraël Prophetas, quadringentos circiter viros.* p.68.n.64
Decipies, & præualebis: egredere, & fac ita. p.300.n.316.p.453.n.97

Regum quartus.

Cap. XIII. *Si percuſſiſſes quinquies, percuſſiſſes Syriam vſque ad conſumptionem.* pag.232.n.362. & ſeqq.
XIV. *Non audiuit conſilium.* p.453.n.100

Paralypomenon primus.

Cap. XXIX. *Tua ſunt omnia: & quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi.* p.340.n.11

Paralypomenon ſecnndus.

Cap. XXI. *Suſcitauit Dominus ſpiritum Philiſtiim.* p.453.n.100

Tobias.

Cap. III. *Iuſtus es Domine, & omnia iudicia tua iuſta ſunt.* p.449.n.64
Non delectatur in perditionibus noſtris. p.444. num. 27
XIII. *Ideò diſperſit vos inter gentes, quæ ignorant Deum.* p.358.n.39

Iudith.

Cap. IX. *Dominus eſt nomen tibi.* p.164.n.25
Iudicia in tua prudentia poſuiſti. pagina 318. num. 405

Eſther.

Cap. XIII. *Non eſt qui poſſit tuæ reſiſtere voluntati.* p.316.n.405

Iob.

Cap. V. *Voca ſi quis eſt, qui tibi reſpondeat, & ad*
aliquem

aliquem Sanctorum accelera. p.39. n.74
IX. *Si fortitudo quæritur, robuſtiſſimus eſt.* p.65. num. 3
X. *Manus tuæ fecerunt me, &c.* p.286. n.146
XI. *Excelſior cælo, profundior inferno.* p.45. n.38. p.60. n.46. & 47
Forſitan veſtigia Dei comprehendes. p.92. n.11. p.152. n.367
XII. *Interroga iumenta, & docebunt te, &c.* p.158. num. 408
Si incluſerit hominem, nullus eſt, qui aperiat. p.452. num. 94
XIX. *In carne mea videbo Deum Salvatorem meum.* p.106. n.95. p.107. n.103
Manus Domini tetigit me. p.107. n.100
XXII. *Sublati ſunt ante tempus.* p.362. n.260
Quid prodeſt Deo, ſi iuſtus fueris, &c. p.340. num. 9
Iuxta cardines cæli ambulant. p.354. n.12
XXVIII. *Abſcondita eſt ab oculis viventium omnium.* p.107. n.102
XXXIV. *Qui regnare facit hypocritam propter peccata populi.* p.309. n.322. p.184. n.9
Inducet noctem, & conterentur. pagina 310. num. 338
XXXV. *Porrò ſi iuſtè egeris, quid donabis ei?* p.340. num. 9
XXXVI. *Omnes homines vident eum, unuſquiſque intuetur prope.* p.8. n.34. p.10. n.43
XXXVII. *Subter omnes cælos conſiderat, & lumen illius ſuper terminos terræ.* p.152. n.368
XXXVIII. *Quis præparat corvo eſcam ſuam.* p.355. num. 22.
Concentum cæli quis dormire facit? pag. 11. num. 45
XLII. *Auditu auris audivi te, nunc autem oculus meus videt te.* p.106. n.95. p.107. n.101

Pſalmi.

Pſal. II. *Filius meus es tu: ego hodie genui te.* p.160. num. 422
Qui habitat in cælis, irridebit eos. p.302. n.260
Ne quando iraſcatur Dominus. p.231. n.351
Apprehendite diſciplinam. p.439. n.532
IV. *Uſquequo graves corde, &c.* p.39. n.79
Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine. p.10. num. 43
V. *Non Deus volens iniquitatem tu es.* p.302. n.259. p.442. n.14
VIII. *Admirabile eſt nomen tuum in univerſa terra.* p.161. n.2
XV. *Dixi Domino: Deus meus es tu: quoniam, &c.* p.340. n.13
XVII. *Retribuet mihi Dominus ſecundùm iuſtitiam meam.* p.343. n.30
XVIII. *Cæli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annunciat firmamentum.* p.11. n.50
Præceptum Domini lucidum illuminans oculos? p.43. n.103
Delicta quis intelligit? ab occultis meis, &c. p.439. num. 532
XX. *Poſuiſti in capite eius coronam de lapide pretioſo.* p.126. n.218
XXIII. *Quis iſte Rex gloriæ?* p.148. n.340
XXIV. *Univerſæ viæ Domini, miſericordia, & veritas.* p.350. n.86. p.447. n.51
XXX. *Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ.* p.367. num. 38
XXXIII. *Vultus Domini ſuper facientes mala.* p.302. n.260
Declina à malo, & fac bonum. ibid. n.265
XXXV. *Inebriabuntur ab ubertate tua, &c. In lumine tuo videbimus lumen, &c.* p.115. n.150. p.118. n.165. p.337. n.16
XXXVIII. *Subſtantia mea tanquam nihilum ante te.* p.5. n.13
XL. *A ſæculo tu es Deus.* p.5. n.40
XLIII. *Declinaſti ſemitas noſtras à via tua.* p.309. num. 324
L. *Secundum magnam miſericordiam tuam.* p.350. n.84. p.351. n.91
Malum coram te feci. p.243. n.443
Cor contritum, & humiliatum Deus non deſpicies. p.344. n.46
LIII. *Noluit intelligere, ut benè ageret.* p.9. n.40
LIV. *Iacta ſuper Dominum curam tuam.* p.355. num. 21
LVI. *Exurge gloria mea, exurge Pſalterium, &c.* p.388. n.179
LXI. *Reddet unicuique ſecundum opera eius.* p.344. n.45. p.350. n.87
LXV. *Tranſivimus per ignem, & aquam.* p.427.
Deus Deorum, Rex Regum, & Dominus Dominantium. p.5. n.20. p.84. n.71
LXVII. *Dominus nomen illi.* p.161. n.2
Qui dominatur in virtute ſua in æternum. p.181. num. 145
LXVIII. *Delicta mea à te non ſunt abſcondita.* p.245. num. 443
Deleantur de libro viventium. p.460. n.1. p.462 num. 20
LXXII. *Quàm bonus Iſraël Deus.* p.38. n.26
LXXIII. *Oculi Domini ſuper iuſtos.* pagina 107. num. 100
LXXV. *In Iſraël magnum nomen eius.* p.160. n.423 p.164. n.23
LXXVI. *Numquid obliviſcetur miſereri Deus?* p.351. n.94
LXXVII. *Immiſſiones per Angelos malos.* p.308. num. 319
Cum occideret eos, quærebant eum. pagina 424. num. 434
LXXVIII. *Si populus meus audiſſet me, pro nihilo forſitan, &c.* p.238. n.394
LXXX. *Non erit in te Deus recens, neque adorabis, &c.* p.87. n.15
LXXXIII. *Videbitur Deus Deorum in Sion.* p.90. num. 1
LXXXIV. *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus.* p.158. n.403
Miſericordia, & veritas obviaverunt. p.350. n.84. p.351. n.92
LXXXV. *Multa miſericordia invocantibus te.* p.350. num. 88
LXXXVIII. *Miſericordia Domini in æternum cantabo.* p.350. n.84
XC. *Qui habitat in adiutorio altiſſimi., &c.* p.302. num. 265
XCI. *Delectaſti me Domine in factura tua.* p.159. num. 409
XCIII. *Qui plantavit aurem, non audiet?* p.104. num. 3
XCIV. *Hodie ſi vocem Domini audieritis, nolite obdurare corda veſtra.* pag.302. n.260. p.452. num. 83
XCV. *Omnes dij gentium dæmonia.* pagina 87. num. 14

XCIX. *Ipſe fecit nos, & non ipſi nos.* p.6.n.24. & 68
C. *Miſericordiam, & iudicium.* 447.n.51
CI. *Ipſi peribunt, tu autem permanes: Sicut opertorium mutabis eos, & mutabuntur.* p.5.n.18.p.84. n.68. p.68.n.4
CII. *Qui coronat te in miſericordia, & miſerationibus.* p.350.n.84
CIII. *Omnia in ſapientia feciſti.* p.218.n.251
Draco iſte, quem formaſti ad illudendum ei. p.236. num. 377
Auferes ſpiritum eorum, & deficient. p.67.n.17
CIV. *Conuertit cor eorum, vt obedirent.* p. 309. num.326
CIX. *Tu es Sacerdos in æternum.* p.68. n.2
Ante Luciferum genui te. p.73.n.23
CX. *Magna opera Domini exquiſita, &c.* p.298. num. 208
CXIII. *Omnia quæcumque voluit fecit.* p.306.n.31
CXV. *Quid retribuam Domino, &c.* p.340.n.13
CXVII. *Impulſus, euerſus ſum, vt caderem, & Dominus ſuſcepit me.* p.303.n.269
CXVIII. *Increpaſti ſuperbos.* p.302.n.259
Inclina cor meum, non in auaritiam. pag.308. num. 321
Miſericordia tua multa. p.350.n.84
CXIX. *Implebit ruinas.* p.388.n.179
CXXVI. *Ecce hereditas Domini.* p.126.n.218
CXXXIV. *Satiabor, cum apparuerit gloria tua.* p.90.n.1
CXXXV. *Quoniam in æternum miſericordia.* p.350. num.84
CXXXVII. *Intellexiſti cogitationes meas de longè.* p.216.n.240
CXXXVIII. *Nonnè qui te oderunt Domine, oderam.* p.301.n.258
Si aſcendero in cœlum, tu illic es, ſi deſcendero in infernum ades. p.50.n.1.p.53.n.19. & ſeqq. p.63.n.65
Mirabilis facta eſt ſcientia tua ex me. pag. 152. num. 365
CXLIV. *Magnitudinis eius non eſt finis.* pag.45 num. 33
Miſerationes eius ſuper omnia opera eius. p.447. num.46
CXLVI. *Cuius ſapientiæ non eſt numerus.* p.151. num.361
Qui dat iumentis eſcam ipſorum, & pullis coruorum. p.286.n.146.p.255.n.20. & 22
Beneplacitum eſt Domino ſuper timentes eum. p.377.n.114
CXLVIII. *Statuit ea in æternum.* p.68.n.2
Ipſe dixit, & facta ſunt. p.289.n.168

Proverbia Salomonis.

Cap. I. *Ego quoque in interitu veſtro ridebo.* p.301. n.254.p.444.n.28
VIII. *Dominus ſapientiâ fundauit terram.* p.289. num. 169
Ab æterno ordinata ſum. p.84.n.68
Dominus poſſedit me, &c. antequam quidquam faceret. p.193.n.69
Ego diligentes me diligo. p.335.n.56
Ante omnes colles ego parturiebar. p.82.n.60.p.218 n.151.p.362.n.1
XVI. *Omnia propter ſemetipſum operatus eſt Dominus, impium quoque, &c.* p.307.n.312.p.316. num.385
XX. *Miſericordia, & veritas cuſtodiunt Regem.* p.351. num. 87
XXI. *Cor Regis in manu Domini, quocumque voluerit, inclinabit illud.* p.453.n.99
XXX. *Quod nomen eſt eius.* p.163.n.13

Eccleſiaſtes.

Cap. VII. *Nemo poteſt corrigere, quem Deus deſpexerit.* p.458.n.141

Canticum Canticorum.

Cap. I. *Lectulus noſter floridus.* p.337.n.16
II. *Dilectus meus mihi, & Ego illi.* p.483.n.9
V. *Bibite amici, inebriamini chariſſimi.* p.332.n.30
Dilectus meus, electus ex millibus. p.333.n.38
VIII. *Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem.* p.429.n.464

Sapientia.

Cap. I. *Spiritus Domini repleuit orbem.* pag.159. num.410
Deus mortem non fecit, nec delectatur in perditione viuorum. p.301. n.252. p.318.n.403. p.442. num. 13
II. *Contumelia interrogemus eum.* p.306.n.306
III. *Deus tentauit eos, & inuenit eſſe dignos.* p.302.n.267
IV. *Illos Dominus irridebit.* p.302.n.260
O quàm pulchra eſt caſta generatio. p.427.n.450
Raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum eius. p.230.n.346.p.237.n.282.p.355.n.19.p.377. num. 113
V. *Iuſti in perpetuum viuent.* p.124.n.205
Apud Dominum eſt merces eorum. p.126.n.218. p.367.n.37
Stabunt Iuſti in magna conſtantia. pagina.387. num.29
VI. *Puſillum & magnum ipſe fecit.* pag. 355. num. 21
VII. *Omnium artifex ſapientia.* p.218.n.251
Candor lucis æternæ. p.148.n.5
Omnibus mobilibus mobilior ſapientia. p.65.n.7
VIII. *Attingit à fine vſque ad finem.* p.198.n.101. p.206.n.145. p.317.n.398. & ſeqq. p.355. num. 19
Scit præterita, & de futuris æſtimat. p.200.n.111. p.216.n.236
Signa, & monſtra ſcit antequam fiant. p.198.n.101. & 236
Sortitus ſum animam bonam. p.424.n.431
IX. *Da mihi Domine ſedium tuarum aſſiſtricem ſapientiam.* p.184.n.4
Sapientia tua, quæ nouit opera tua, &c. p.218. num. 251
XI. *Non enim impoſſibilis erat manus tua.* p.464. num. 42
Nihil odiſti eorum, quæ feciſti. p.285.n.199
Diligis omnia, quæ ſunt. p.331.n.16
Quomodò poſſit aliquid permanere, niſi Deus voluiſſet. p.361.n.57
Diſſimilans peccata hominum. p.448.n.59.p.456. num. 121
Omnia in numero, pondere, & menſura diſpoſuiſti. p.317.n.398. p.349.n.80
XII. *O quàm bonus, & ſuauis eſt ſpiritus tuus Domine.* p.39.n.32

Neque

Neque rex inquiret de his, quos perdidiſti. p.449. num. 62
Si inimicos cum tantâ cruciat attentione. p.456. n.123. & 124
XIII. *Vani autem ſunt omnes homines, in quibus non ſubeſt ſcientia Dei.* p.3.n.8. p.9.n.40
A magnitudine ſpeciei, & creatura poterit horum creator videri p.5.n.40. p.158.n.408. p.456. num. 127
XIV. *Abominabiles Deo, impius, & impietas.* p.301. n.258. p.336.n.8. p.442.n.12
Vtraque ergo illis euenient diguè. p.457.n.129
Tu autem Pater prouidentiâ gubernas. pag.355. num. 16
XVIII. *Omnipotens ſermo tuus Domine à regalibus ſedibus veniens.* p.468.n.42
XIX. *Praſciebat enim futura illorum.* p.200.n.100

Eccleſiaſticus.

Cap. IX. *Nemo ſcit, an odio dignus ſit, an amore.* p.439.n.534
Multi reprobi facti ſunt. p.440.n.1
XI. *Altiſſimus odio habet peccatores.* p.336.n.9
Vita & mors à Deo ſunt. p.302.n.253
XII. *Parcis omnibus, quoniam tua ſunt omnia.* p.449. num. 59
XV. *Deus reliquit hominem in manu conſilij ſui.* p.222.n.289
Non dicas: Deus me implanauit. p.303.n.267. p.442.n.12
XVIII. *Quis inueſtigabit magnalia eius.* pag.45. num. 33
Qui viuit in aeternum, creauit omnia ſimul. p.84. num. 68
XXI. *Qui potuit tranſgredi, & non eſt tranſgreſſus.* p.385.n.157
XXIII. *Oculi Domini lucidiores Sole.* pag.183. num. 3
Domino Deo, antequam crearentur, omnia ſunt agnita. p.200.n.110
XXXIII. *Contra bonum malum, &c. intuere omnia opera altiſſimi.* p.306.n.302
Seruum inclinant operationes aſſiduae. pag. 340. num. 9
XXXIX. *Occulta proverbiorum exquiret.* p.198. num. 101
Et in abſconditis parabolarum conuerſabitur. ibidem.

Iſaïas.

Cap. I. *Si volueritis, & audieritis me, bona terra comedetis.* p.221.n.274
Niſi Dominus reliquiſſet nobis ſemen. pag.235. num.375
II. *Heu conſolabor ſuper hoſtibus meis.* pag.444. num. 28
V. *Expectaui, vt vinea mea faceret vuas.* p. 235. num. 404
VIII. *Ecce pueri mei, quos dediſti mihi.* p.417. num. 381
Erit Dominus in lapidem offenſionis. pag. 311. num. 340
XIX. *Miſit in eos ſpiritum vertiginis.* pag. 309. num. 328
XXVI. *Omnia opera noſtra operatus es in nobis.* p.286.n.145
XXVII. *In menſura iudicabit.* p.349.n.81

XXX. *Expectat Dominus, vt miſereatur veſtri.* p.391.n.203
Erit lux Lunae, ſicut lux Solis, & lux Solis, ſicut lux ſeptem dierum. p.471.n.115
XL. *Leuate oculos veſtros, & videte quis creauit haec?* p.158.n.409
Omnes Gentes, quaſi non ſint, ſic ſunt in conſpectu Dei. p.4.n.13
Quis appendit digitis molem terrae. p.340.n.11
Suſcepit de manu Domini duplicia. p.349.n.81
XLI. *Annunciate, quae ventura ſunt.* pagina 216. num. 237
Peribunt viri, qui contradicunt tibi. pag. 311. num. 341
XLV. *Conuertimini ad me, & ſalui eritis.* p.405. num. 299
Ego Dominus creans malum. p.311.n.343
XLIX. *Dedi te in lucem gentium.* pag. 352. num. 98
LI. *Conſolabitur Dominus Sion.* p.149.n.345
LII. *Solue vincula colli tui captiua.* p.405.n.299
LIII. *Poſuit in eo iniquitates omnium.* pag.306. num. 306
LIX. *Iniquitates veſtrae diniſerunt inter vos, & Deum.* p.302.n.261
LXII. *Quis eſt iſte, qui venit de Edom.* pag. 148. num. 340
LXIII. *Quare rubrum eſt veſtimentum tuum.* p.140. n.284. p.325.n.459
Induratum eſt cor noſtrum, nè timeremus. p.309. num. 328
Vbi eſt zelus tuus, multitudo miſericordiarum tuarum. p.350.n.84
LXIV. *Oculus non vidit, auris non audiuit.* p.363. n.8. p.367.n.38
Tu iratus es, & peccauimus. p.467.n.315
LXVI. *Caelum mihi ſedes, & terra ſcabellum pedum meorum.* p.45.n.38

Hieremias.

Cap. I. *Priuſquam te formarem in vtero, noui te.* p.286.n.146
II. *Arguet te malitia tua.* p.302.n.260
IV. *Laua à malitia cor, vt ſalua fias.* pag. 405. num. 299
XII. *Eſt malum, quod vidi ſub Sole poſitum ſtultum in dignitate ſublimi.* p.357.n.30
XIII. *Si poteſt Aethiops mutare pellem ſuam.* p.310. num.335
XVII. *Ego Dominus ſcrutans corda.* p.184.n.4. p.189.n.44
XIX. *Edificauerunt excelſa Baalim, quae non praecepi.* p.302.n.262
XX. *Seduxiſti me Domine.* p.309.n.328
XXIII. *Dabo vos in opprobrium ſempiternum.* p.302. num.260
Caelum, & terram ego impleo. p.45.n.38
XXX. *Inſanabilis eſt fractura tua.* p.444.n.28
XL. *Dominus exercituum nomen illi.* pag. 164. num. 23
LI. *Excitauit Dominus ſpiritum Regum Medorum.* p.308.n.320

Threni.

Cap. III. *Bonus eſt Dominus.* p.38.n.26
V. *Conuerte nos Domine ad te, & conuertemur.* p.366.n.21

Index locorum.

Ezechiel.

Cap. II. *Si fortè audiant, & quieſcant.* pag. 231. num. 351

XVIII. *Facite vobis cor nouum.* p.405.n.299

Cum auerterit ſe iuſtus. p.428.n.456

Numquid voluntatis mea eſt mors impij. p.444. n.27. & 28

Si Impius egerit pœnitentiam. pag.456. n.121. & 132

Quia Anima mea ſunt. ibid. n.122

XXXIII. *Nolo mortem peccatoris, ſed vt magis conuertatur.* p.444. n.28

XXXIV. *Vos autem Greges mei, &c. Ecce ego iudico inter pecus, & pecus arietum.* p.377.n.115

XXXVII. *Et ſcietis, ego Dominus, cum aperuero ſepulchra.* p.111.n.127

Daniel.

Cap. XIII. *Anguſtia ſunt mihi vndique, & quid eligam, ignoro.* p.226.n.272

III. *Capillus capitis non eſt aduſtus.* p.356.n.25

IX. *Nobis confuſio faciei, &c. tibi autem Domino Deo noſtro, &c.* p.340.n.13

Oſeas.

Cap. I. *Vade, ſume vxorem fornicationis.* pag.309. num. 324

VIII. *Regnauerunt, & non ex me.* p.308.n.322. p.360. n.50

XI. *Circumdedit me in negotiatione ſua Ephraim.* p.126. n.218

XII. *Inualuit ad Angelum.* p.158. n.402

XIII. *Diſrumpam eos.* p.302.n.260

Dabo eis Regem in furore meo. p.309.n.322

Perditio tua ex te Iſrael. p.400.n.264. p.444. num. 27

Habacuc.

Cap. I. *Mundi ſunt oculi tui, ne videant malum.* p.189.n.50. p.301. n.259

Zacharias.

Cap. I. *Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos.* p.344.n.46.

Malachias.

Cap. I. *Maior ſeruiet minori, Iacob dilexi, Eſaü autem odio habui, &c.* p.379. n.79. p.411.n.342. & ſeqq.

Ego Deus, & non mutor. p.5.n.18. p.65.n.1

Machabæorum ſecundus.

Cap. VII. *Membra non ego ipſo compegi, ſed mundi creator.* p.287.n.147

E TESTAMENTO NOVO.

Matthæus.

Cap. III. *Ego à te debeo baptizari.* p.128.n.227

V. *Niſi abundauerit iuſtitia veſtra.* p.427.n.448. p.440. n.538

Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum. p.377. n.114

Beati, qui perſecutionem patiuntur. p.382.n.135. p.427. n.450

Beati mundo corde. p.90. n.1

Gaudete, quoniam merces veſtra, &c. p.126.n.218 p.367.n.37

VI. *Fiat voluntas tua, ſicut in cœlo.* pag. 124. num. 206

Receperunt mercedem ſuam. pagina 352. numero 101

Nè nos inducas in tentationem. pagina 325. num. 459

Conſiderate lilia agri. p.355.n.22

Reſpicite volatilia cœli, &c. ibid.

VII. *Qua menſura menſi fueritis.* pagina 126. num. 218

VIII. *Dimitte me ſepelire Patrem meum.* p.359. num. 44

IX. *Multi venient ab Oriente, & Occidente, & recumbent.* ibid. n.43

X. *Veſtri autem Capilli, &c.* p.356.n.24

Vade, vende omnia, qua habes, & da pauperibus. p.126. n.218

Qui perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit. ibidem.

XI. *Si in Tyro, & Sydone facta eſſent virtutes.* p.230. n.348. & ſeqq.

Ita Pater, quoniam ſic placitum fuit ante te. p.411. num. 344

Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis. pag.126. n.218. pag.427. n.450. p.444. num. 27

Inter Natos mulierum non ſurrexit maior. p.127. num. 223

A diebus Ioannis Regnum cœlorum vim patitur. ibid. n.124. p.337. n.11

Qui minor eſt in Regno cœlorum, maior eſt illo. p.335. n.50

Confiteor tibi Pater, &c. p.377. n.112. p.395. num. 331

XII. *Qui dixerit Verbum in Spiritum ſanctum.* p.457. num. 138

XIII. *Simile eſt regnum cœlorum theſauro.* p.126. num. 218

XVI. *Reddet vnicuique ſecundum opera eius.* ibidem.

Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. p.435. n.441

XVIII. *Si te non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus,* p.457. n.137

Angeli eorum ſemper vident faciem Patris mei. p.90. n.1

Videte ne ſcandalizetis vnum de his Puſillis. p.149 num. 344

XIX. *Nemo bonus, niſi ſolus Deus.* p.37. n.18

Vos, qui ſecuti eſtis me, &c. p.126.n.218. p.427. num. 450

Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata. ibid. n.449 p.440. n.538

Moyſes permiſit libellum repudij. p.515.n.379

Sinite paruulos venire ad me, talium eſt enim regnum cœlorum. p.377. n.114

XX. *Ite & vos in vineam meam, &c.* pag. 341. num. 18

Conuentione autem facta de denario. pag. 129. num. 230

Nonne

Nonne poſſum quod volo facere. pag.129. n.231. p.403. n.283
Tolle, quod tuum eſt. p.128. n.230. & 232
Multi ſunt vocati. p.129. n.230. p.393. n.240. p.447. n.46
Qui ſtat, videat ne cadat. p.358. n.40
Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum. p.368. n.43
Sedere autem ad dexteram, &c. p.417. n.381. & 383
XXI. *Auferetur à vobis regnum Dei.* pag. 128. num. 225
XXII. *Voca operarios, & redde illis mercedem.* p.126. num. 218
Scimus, quia verax es. p.346. n.55
XXIII. *Non noui vos.* p.405. n.301
, *Quoties volui congregare filios tuos.* pag. 400. num. 264
XXIV. *De die illa nemo ſcit, neque Angeli.* p.148 num. 340
Niſi breuiati fuiſſent dies illi, non fieret ſalva omnis caro. p.235. n.373
Quoniam abundabit iniquitas, refrigeſcet Charitas. p.428. n.456
Propter electos breuiabuntur dies illi. pag. 377. num. 113
XXV. *Poſſidete regnum paratum, eſuriui enim, &c.* p.126. n.118. p.368. n.43. p.427. n.450
Separabit oues ab hædis. p.377. n.115
Prudentes Virgines, &c. p 126. n.218
Venite benedicti, &c. p.381. n.130
XXVI. *An putas, quia non poſſum rogare Patrem.* p.474. n.98
Melius erat ei, ſi natus non fuiſſet. pag. 428. num. 455

Marcus.

Cap. I. *Initium Euangelij Ieſu Chriſti Filij Dei, &c. ecce ego mitto Angelum meum.* p.128. n.225
XI. *Qui non hæſitauerit in corde ſuo, ſed crediderit.* p.439. n.537
VIt. *Prædicate Euangelium omni creaturæ.* pag.456. num. 122

Lucas.

Cap. I. *Non erit Impoſſibile apud Deum.* p.468. n.42. p.469. n.56
Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus. p 477. n.313. & ſeqq.
II. *Viderunt oculi mei ſalutare tuum.* pag. 106. num. 95
Ecce poſitus eſt hic in ruinam, & reſurrectionem multorum. p.311. n.340
Per viſcera miſericordiæ. p.350. n.48
VI. *Eſtote miſericordes, ſicut Pater veſter miſericors eſt.* p.350. n.87
Qua menſura menſi fueritis, &c. p.349. n.81
VII. *Ite, renunciate Ioanni, cæci vident, &c.* p.111. num. 127
Iuſtificata eſt ſapientia à filiis ſuis. pag.299. num. 237
Maior inter natos mulierum Propheta Ioanne Baptiſta non eſt. p.127. n.223
VIII. *Iudicauit coram omni populo.* p.63. n 64
Nam qui ſupra Petram, &c. p.428. n.456
Vobis datum eſt noſſe myſterium regni Dei. p.127. num. 224
X. *Gaudete, quia nomina veſtra ſcripta ſunt in cœlis.* p.459. n.1
Appropinquauit in nos Regnum Dei. pag. 127. num.224
XII. *Nonne Paſſeres venerunt dipondio.* pag.198. num. 102
Qui cognouit, & non fecit, vapulabit multis. p.410. num. 340
Nolite timere puſillus grex. p.377. n.114. p.410. num. 340
XIV. *Exi in via, & ſepes.* p.424. n.434
XV. *Gaudium eſt in cœlo coram Angelis Dei ſuper vno peccatore pœnitentiam agente.* pagina 140. num.345
XVII. *Quis veſtrum habet ſeruum arantem.* p.340. num. 9
Dicite: ſerui inutiles ſumus. p.19. n.35
XVIII. *Adhuc vnum tibi deeſt.* p.33. n.2
Nemo bonus, niſi ſolus Deus. p.36. n.26
XXII. *Hodie mecum eris in Paradiſo.* pag. 158. num.405
Rogaui pro te Petre, p.416. n.378. & ſeq.
Vos eſtis, qui permanſiſtis mecum, &c. p.368. n.44. p.427. n.450
Et ego diſpono vobis Regnum, vt edatis, & bibatis in regno meo. p 124. n.205
XXIV. *Nonnè opportuit hæc pati Chriſtum.* p.417. num. 383

Ioannes.

Cap. I. *In principio erat Verbum.* p.82. n.60. & ſeqq. p.269. n.19
Quod factum eſt, in ipſo vita erat. p.159. n.411. p.250. n.14. p.253. n.37. p.254. n.41. p.269. n.17. & ſeqq.
Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil. p.218. n.251. p.302. n.260
Illuminat omnem hominem. p.310. n.331. p.400. num.264
Deum nemo vidit vnquam. p.106. n.96. p.157. num.398
Vnigenitus, qui eſt in ſinu Patris. pag. 107. num. 100
III. *Qui male agit, odit lucem.* p.302. n.260
Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto. p.128. n.225. p.427. n.451
Amicus autem ſponſi. p.332. n.31
Sic Deus dilexit mundum, &c. p.335. n.51. p.455. num. 112
Non ad menſuram dat Deus ſpiritum Filio. p.145. n.320. p.335. n.51
IV. *Deus ſpiritus eſt.* p.106. n.96
Qui biberit ex aqua hac, &c. pagina 429. num. 464
V. *Procedent, qui bona egerunt, in reſurrectionem vitæ.* p.181. n.132
Scrutamini Scripturas, quia putatis in ipſis vitam haberi. p.128. n.225
Si crederetis Moyſi, crederetis forſitan & mihi. p.231 n.352
Pater meus vſque modò operatur, & ego operor. p.286. n.146
Si alius venerit in nomine ſuo, illum recipietis. p.235. n.374
Quomodo poteſtis credere. p.310. n.399
VI. *Non quia Patrem vidit quiſquam, niſi is, qui eſt à Deo.* p.157. n.398
Cum cognouiſſent, quia venturi erant, vt facerent eum

eum Regem. p.555.n.51. p.235.n.374
Sciebat, qui eſſent in eum credituri. pag.238. num. 397
Si quis venit ad me, non eiiciam eum. p.302.n.161 p.452. n.85
Hæc eſt autem voluntas Patris mei. pag. 381. num.131
Omne quod dat mihi Pater, &c. p.457.n.135.
VII. *Ego elegi duodecim, &c.* p.380.n.124
VIII. *Antequam Abraham fieret, ego ſum.* p.82. num. 61
Si me ſciretis, forſitan & Patrem meum ſciretis. p.231. n.352
Qui ex Deo eſt, verba Dei audit. pag. 379. num. 129
IX. *Quis peccauit, hic, aut parentes eius.* p.555.n.19 p.424. n.435
Ego veni, vt qui vident, cæci fiant. p.311. n.340. & 342
X. *Si quis mihi miniſtrat, me ſequatur.* pag.417. num. 383
Ego ſum eſtium, per me ſi quis introiuerit. p.373. num. 89
Oues meæ vocem meam audiunt. p.373.n.90.p.438. num. 526
Ego dixi Dij eſtis, ſi ergo illos dixit Deos, &c. p.179. n.132
Vos non creditis, quia non eſtis ex ouibus meis. p.381. n.132
Nemo poteſt eas rapere de manu mea. p.429.n.470 p.440. n.542
XI. *Ego diſpono vobis regnum, vt edatis ſuper menſam meam.* p.138.n.276
XII. *Propterea, non poterant credere.* p.309.n.328. p.352. n.94
XIII. *Ego ſcio, quos elegerim.* p.378.n.118.p.405. num.288
Qui lotus eſt, non indiget, niſi vt pedes lauet. p.428.n.454
Quod facis, fac citius. p.306. n.507. & p.308. num. 316
XIV. *In domo Patris mei manſiones multæ ſunt.* p.151. n.361. p.126.n.221. p.347.n.59. p.367. n.39. p.373. n.87
Oſtende nobis Patrem, & ſufficit nobis. p.108. n.106. p.134. n.257. & ſeqq.
Vos amici mei eſtis. p.332.n.30
Et nunc dixi vobis, priuſquam fiat. pag. 216. num. 237
XV. *Qui manet in me, & ego in eo.* p.64.n.72.p.373. num. 89
Sine me nihil poteſtis facere. p.228.n.156.p.594. num.225
Omnem Palmitem in me non ferentem fructum, &c. p.428. n.456
Vos autem dixi amicos, quia omnia, quæ audiui à Patre, nota feci nobis. p.140.n.287.p.332.n.30. p.333.n.36
Non vos me elegiſtis. pag.377. n.116. & 118. p.381.n.133
Hoc eſt præceptum meum, &c. p.126.n.218
XVII. *Non pro mundo rogo, ſed pro his, quos dediſti mihi.* p.381. n.133
Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te Deum. p.104. num.79
Clarifica me Pater claritate, quam habui, antequam mundus fieret. p.195.n.69
Vt ſint vnum, ſicut & vos vnum ſumus. p.321. num, 17
Nemo ex eis periit, niſi filius perditionis. p 428. num.17
Pater manifeſtaui nomen tuum. p.417. n.381
IX. *Non haberes poteſtatem in me vllam, niſi datum tibi eſſet deſuper.* p.360. n.49
XX. *Quia vidiſti me Thoma, credidiſti.* pag.156. num.394
Simon Ioannes diligis me? p.335. n.54
XXI. *Tu omnia noſti.* p.184. n.4

Actus Apoſtolorum.

Cap. I. *Non eſt veſtrum noſſe tempora.* p.198.n.101
II. *Hunc definito conſilio, & præſcientia traditum, &c.* p.306.n.305
III. *Et nunc fratres ſcio, quòd per ignorantiam feciſtis.* p.306.n.305
IV. *Conuenerunt aduerſus ſanctum tuum Ieſum.* ibid. n.305
V. *Cur tentauit Sathanas cor tuum.* p.302.n.267
Ibant Apoſtoli gaudentes à conſpectu conſilij. p.425. num. 439
VII. *Legem accepiſtis in diſpoſitione Angelorum.* p.157. n.599
X. *Non eſt acceptio perſonarum apud Deum.* p.402. num. 282
XIII. *Qui faciet omnes voluntates meas.* pag.295. num.208
Crediderunt quotquot erant præordinati à Deo. p.378.n.119. p.437. n.520.
XXVII. *Non eſt longè ab vnoquoque noſtrum; in ipſo enim viuimus, mouemur, & ſumus.* p.50. n.1
Fecit ex vno genus hominum inhabitare ſuper vniuerſam ſuperficiem terræ. pag.10. n.41. p.465. num. 127
Quod ergo ignorantes colitis, hoc vobis annuncio. p.52. n.15
Genus ergo cùm ſimus Dei, non debemus æſtimare auro, aut lapidi diuinum eſſe ſimile. p.53.n.6

Ad Romanos.

Cap. I. *Inuiſibilia Dei per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur.* p.6.n.24. p.9.n.40
Benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit. p.444. num. 27
Iudæo primùm, & Græco. pag.352. n.98. p.299. num. 243.
Tradidit eos in paſſionem ignominiæ. p.312.n.353
Tradidit eos in reprobum ſenſum. p.309. n.328
Tradidit illos Deus contumeliis, vt afficiant corpora ſua. p.310. n.334
II. *Non eſt acceptio perſonarum apud Deum.* p.347. num. 59
Secundùm duritiam, & impœnitens cor. pag.452. num. 82
III. *Omnes peccauerunt, & egent gloria Dei.* p.455. num. 115
Iuſtificati gratis per gratiam ipſius. p.416.n.375
IV. *Merces imputatur ei, qui operatur.* p.343.n.30
Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris, &c. p.331. n.17
V. *Commendat autem charitatem ſuam Deus.* p.332. num. 21
Sicut per vnius delictum, &c. p.454.n.109
VI. *Gratia Dei vita æterna.* p.508. n.106. p.542. num. 28.
VIII. *Homo, quid habes, quod non accepiſti.* p.401. num. 272

Quos

Quos prædeſtinauit conformes fieri, &c. pag.345. num.47
Non ſunt condigna paſſiones huius temporis. p.340. num.13
Si tamen compatimur, vt conglorificemur. p.368. n.43. p.427. n.450
Primogenitus in multis fratribus. p.236. n.379
Quomodo etiam cum illo non omnia nobis donauit. p.400. n.269
Ipſe ſpiritus teſtimonium reddit ſpiritui noſtro. p.439 n 538
VIII. *Quis nos ſeparabit à Charitate Chriſti.* p.429 num.465
Quos præſciuit, & prædeſtinauit. p.201. n.118. pag.363. n.10. pag.376. n.108. pag.405. n.300. & ſeqq.
Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. p.306. n.298. p.381. n.134. p.424. n.432
Spes, quæ videtur, non eſt ſpes. p.337. n.13
IX. *Numquid dicit figmentum ei, qui ſe finxit, quid me fecisti ſic.* p.234. n.365
Antequam quidquam boni, vel mali feciſſent, &c. p.411. n.342. p.440. n.2. p.378. n.117
Voluntati eius quis reſiſtit. p.371. n.75
An non habet poteſtatem figulus, &c. p.307. n.312. 314. & ſeqq.
Vt oſtenderet diuitias gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ. p.386. n.167
Vt ſecundum electionem propoſitum Dei maneret. p.394. n.229
Non eſt volentis, neque currentis, ſed Dei miſerentis. p.393. n.217 p.395. n.231
Optabam ego ipſe Anathema eſſe Chriſto. p.461. num.18
Cui vult, miſeretur, & quem vult, indurat. p.309. num 328. pag.352. n.105. pag.363. n.6. pag.448. num.57
Quod ſi Deus volens oſtendere iram. p.449. n.62. & 65
X *Finis legis Chriſtus.* p.128. n.223
XI *Quam incomprehenſibilia ſunt iudicia eius.* p.140. num.284
Si gratia, non ex operibus. p.378. n.117. p.382. n.136
Quis prior dedit ei, & retribuetur. pag.412. num.352
Omnia per ipſum, ex ipſo, & in ipſo. p.159. n.413 p.267. n.3
O altitudo diuitiarum ſcientiæ, & ſapientiæ Dei. p.152. n.366. p.467. n.317
Non repulit plebem, quam præſciuit. p.405. n.300. & ſeqq.
XIII. *Non eſt poteſtas, niſi à Deo.* pag.306. num.49
XIV. *Non eſt enim regnum Dei, eſca, & potus.* p.128. n.225

Prima ad Corinthios.

Cap. I. *Nobis reuelantibus per ſpiritum ſuum.* p.138. num.403
Confirmabit nos vſque in finem. p.440. n.542
II. *Quæ ſunt Dei, nemo nouit niſi ſpiritus Dei.* p.140. n.284. p.152 n.368. p 539. n.532
Oculus non vidit, nec auris audiuit, &c. p.367. n.38. & 41
Nobis reuelauit Deus per ſpiritum ſuum, &c. p.160. n.420
III. *Cùm venerit, quod perfectum eſt, euacuabitur quod ex parte eſt.* p.151. n.353
Dei adiutores ſumus. p.405. n.299
Omnia veſtra ſunt, vos autem Chriſti. pag.291 num.178
Hoc autem dico ſecundùm indulgentiam. pag.315. num.379
Vnuſquiſque propriam mercedem accipiet. p.130. n.237. p.343. n.30
IV. *Quid habes, quod non accepiſti?* p.39. n.33. p.391. n.201
Quis autem te diſcernit? pagina 458. n.326. & ſeqq.
Nihil mihi conſcius ſum, ſed non in hoc iuſtificatus ſum. p.439. n.539
VI. *Qui Deo adhæret, vnus ſpiritus eſt.* pag.124. num.206
An neſcitis, quod non eſtis veſtri. pagina 340. num.12
VII. *Non habens neceſſitatem, ſed poteſtatem habens ſuæ voluntatis.* p.222. n.289
VIII. *Caſtigo corpus meum, & in ſeruitutem redigo.* pag.428. n.456. p.433. n.494 pag 440. num.1
IX. *Numquid de bobus cura eſt Deo?* p.198. n.102. p.189. n.50
X. *Qui ſtat, videat ne cadat.* p.428. n.456
Tentatio vos non apprehendat. p.302. n.252
XI. *Siue manducatis, ſiue bibitis.* p.340 n.11
XII. *Nemo poteſt dicere: Dominus Ieſus, niſi in Spiritu ſancto.* p 439. n.537
XIII. *Tunc cognoſcam, ſicut & cognitus ſum.* p.124. num.207
Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate. p.90. n.1 & p.124. n.207
Charitas numquam excidit. p 429. n.467
XIV. *Ignorans ignorabitur.* p.456. n.128
XV. *Deus omnia in omnibus.* p.125. n.115
Abundantiùs illis omnibus laboraui, non ego, ſed gratia Dei mecum. p.120. n.181
Alia claritas Solis, alia claritas Lunæ, &c. p.127. num.222
Nouiſſimè tanquam abortiuo viſus eſt mihi. p.156. num.394

Ad Corinthios ſecunda.

Cap. III. *Non quod ſimus ſufficientes cogitare aliquid à nobis.* p.391 n.202
Nos reuelata facie gloriam Domini ſpeculantes. pag.96. n.35. p.106. n.95. p.115. n.150. p.150. n.354. p.160. n.421
IV. *Habemus theſaurum iſtum in vaſis.* pag 126. num.218
V. *Omnes ſtabimus ante Tribunal Chriſti.* p.390. num.190
Ambulamus per fidem, non per ſpeciem. p.96. n.35 p.155. n.390
Quandiu ſumus in corpore, peregrinamur à Domino. p.157. n.420
IX. *Qui parcè ſeminat, parcè & metet.* p.126 n.220

Ad Galatas.

Cap. II. *Non accipit Deus hominis perſonam.* p.403. num.184
III. *Lex ordinata per Angelos.* pagina 157. num.399

Ad Epheſios.

Cap. I. *Elegit nos ante mundi conſtitutionem.* p.201. num.118

p.277.n.65.p.382.n.137.p.415.n.369.p.437.num.320
Illuminatos oculos cordis veſtri. p.106.n.95
Secundum conſilium, & ſecundum propoſitum voluntatis ſuæ operatur omnia. pag.270.n.1.p.283.num.130
In qua ſorte vocati eſtis. p.417.n.381
Signati eſtis ſpiritu promiſſionis ſancto. p.440.num.539
Prædeſtinauit nos in adoptionem filiorum per Ieſum Chriſtum. p.415.n.369
Propoſuit Deus inſtaurare omnia, ſiue quæ in cœlis, &c. p.388.n.177
II. *Deus autem, qui diues eſt in miſericordia.* p.306.n.306.p.335.n.50
Ipſius factura ſumus creati in operibus bonis. p.394 n.229.p.412.n.348
III. *Ex quo omnis paternitas in cœlis, & in terra nominatur.* p.18.n.16.p.173.n.94
Vt innoteſcat principatibus. p.140.n.284
Ei autem, qui poteſt facere ſupra id, &c. p.469.num.56
IV. *Vnus Dominus, vna fides, &c.* p.87.n.15
Aſcendit, vt impleret omnia. p.416.n.374

Ad Philippenſes.

Cap. II. *Cum metu, & tremore ſalutem veſtram operamini.* p.40[illegible].n.299
Humiliauit ſemetipſum, &c. p.417.n.383
Deus operatur in nobis velle, & perficere. p.340.n.11.p.366.n.21.p.394 n.225
Quorum nomina ſcripta ſunt in libro vitæ. p.460.num.5
III. *Sequar autem ſi quomodo comprehendam.* p.152.num.365
IV. *Nihil ſolliciti ſitis.* p.355.n.22

Ad Coloſſenſes.

Cap. I. *In quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ.* p.181.n.4
Primogenitus omnis creaturæ. p.236.n.378.p.419.num.395
Complacuit in eo reconciliare omnia. ibid.
II. *In Chriſto inhabitat plenitudo diuinitatis corporaliter.* p.64.n.71
III. *Qui iniuriam facit, recipiet id, quod iniquè geſſit.* p.364 n.55

Ad Theſſalonicenſes prima.

Cap. I. *Scientes fratres, dilecti à Deo, electionem veſtram, quia Euangelium noſtrum non fuit ad vos in ſermone tantum, ſed in virtute.* p.440.n 540
IV. *Hæc eſt enim voluntas Dei, ſanctificatio veſtra.* 300.n.250.p.336.n.10

Ad Timotheum prima.

Cap. I. *Miſericordiam conſecutus ſum, quia ignorans feci:* p.9.n.40.p.411.n.271.p.410.n.340
Quidam circa fidem naufragauerunt. pag 428.num.456
II. *Deus vult omnes homines ſaluos fieri.* p.232.n.362 p.295.n.214. & ſeqq.
Obſecro fieri obſecrationes pro omnibus hominibus. p.298.n.134
IV. *In nouiſſimis diebus diſcedent quidam à fide.* p.428.n.456
Pietas ad omnia vtilis, promiſſionem habet vitæ, quæ nunc eſt, & futuræ. pag.126.n.218. pag.427.num.449
VI. *Quem nullus hominum videre poteſt.* pag.92.num.11
Solus habet immortalitatem. p.4.n.14 p.37.n.18.p.67.n.18
Rex Regum, & Dominus dominantium. pag.12.num.4
Lucem habitat inacceſſibilem. p.106.n.9.p.108.n.106.p.112.n.133.p.152.n.367

Ad Timotheum ſecunda.

Cap. I. *Vocauit nos non ſecundum merita.* pag.425.num.421
II. *Nouit Dominus, qui ſunt eius.* p.403.n.288.p 437.n.520.p.438.n.527
Non coronabitur, niſi qui legitimè certauerit. p.126 n.218.p.440.n.558
Deus negare ſe ipſum non poteſt. pagina 351.num.94
Si commortui ſumus, & conuiuemus. p.417.n.383.p.427.n.450
Si quis emundauerit ſe ab his, erit vas in honorem. p.343.n.31.p.433 n.494
IV. *Repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ.* p.341.n.14 p.344.n.45.p.367.n.38

Ad Titum.

Cap. II. *Abnegantes impietatem.* pagina 427.n.449
III. *Secundum miſericordiam ſuam ſaluos nos fecit.* p.351.n.92.p.416.n.374

Ad Hebræos.

Cap. II. *Nuſquam enim Deus Angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahæ,* p.334 n.48
Debuit per omnia fratribus aſſimilari. pag.350.num 84
Decebat enim eum, per quem omnia, conſummari. p.419 n.395
III. *Moyſes quidem fidelis erat, tamquam famulus.* p.333.n.36
IV. *Omnia nuda ſunt, & aperta oculis eius.* p 184 n.4.p.216.n.240
VI. *Impoſſibile eſt, eos, qui ſemel illuminati, &c.* p 428.n.456: p.458.n.139
Non enim iniuſtus Dominus, vt obliuiſcatur operis noſtri. p.343.n.30
Et hoc faciemus ſi permanſerit Deus. pag.315.num.378
VIII. *Dabo legem meam in cordibus eorum.* p.160.num.423
X. *Non relinquitur hoſtia.* p.458 n.130
XII. *Flagellat omnem filium, quem recipit.* p.449.num.64
XIII. *Ieſus Chriſtus, heri, & hodie.* p.73.n.23

Iacobi Epiſtola.

Cap. I. *Apud quem non eſt transmutatio, nec viciſſitudinis obumbratio.* p.5.n.18. p.65.n.1. p.248.num.465
Si quis indiget ſapientiâ, poſtulet à Deo. p.184.n.4 p.439.n.536
Deus intentator malorum eſt: p.302.n.265.p.442 num.12

Vnus

Vnuſquiſque tentatur à concupiſcentia ſua. p.301. num.167

Prima Petri.

Cap. I. *Electis aduenis ſecundum praſcientiam Dei Patris.* p.405.n.300
In quem deſiderant Angeli proſpicere. p.91.n.5
Redempti eſtis de vana veſtra conuerſatione. p.340 num.12
II. *Subditi eſtote non tantùm bonis, ſed etiam diſcolis.* p.306.n.49
V. *Omnem ſollicitudinem proiicientes.* p.355.n.21

Secunda Petri.

Cap. I. *Habemus firmiorem propheticum ſermonem.* p.160.n.421
II. *Satagite, vt per bona opera certam veſtram vocationem faciatis.* p.405 n.299. p.433.n.494
III *Non tardat Deus promiſſiones ſuas.* pag.299. n.243
Nolens aliquem perire, ſed omnes ad pœnitentiam reuerti. p.370.n.62. p.400.n.265

Ioannis prima.

Cap. I. *Quod fuit ab initio, quod vidimus, & manus noſtra contrectauerunt de verbo vita.* p.156.n.394 p.160.n 422. & 425
Hæc ſcribo vobis, vt ſciatis, &c. p.439.n.538
II. *Ex nobis prodierunt, ſed non erant ex nobis.* p.381. n.134 p.437.n.522
III. *Videbimus eum ſicuti eſt.* p.107.n.102. p.124. n.207. p.134.n.255
Si quis viderit fratrem ſuum neceſſitatem habere, &c. p.334.n.42
Qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit. p.429 n.469
IV. *Deus charitas eſt.* p.331.n.21
Fiduciam habemus ad Deum. p.439.n.538
Deum nemo vidit vnquam. p.92. n.11. p.157. num.398
V. *Eſt peccatum ad mortem, non pro illo dico, vt roget quis.* p.457.n.137

Apocalypſis.

Cap. I. *Qui eſt, qui erat, & qui venturus eſt.* p.73. num.13
Ego ſum Alpha, & Omega. p.419.n.396
II. *Charitatem primam reliquiſti.* p.428.n.456
III. *Tene quod habes.* p.433.n.494. 527. 532. & 536
Et clamauit quatuor Angelis. p.148.n 340
Ego ſto ad oſtium, & pulſo, ſi quis aperuerit, &c. pag.232. n.362. & 365. p.302. n.261. p.310. n.332
Non delebo eum. p.461.n.14
Qui dicis: Diues ſum, &c. p.439.n535
IV. *Viginti quatuor ſeniores ceciderunt.* pag.340. num.13
VII. *Qui ſunt iſti, & vnde venerunt.* pag.140. num.284
XVIII. *Duplicate ei duplicia ſecundum opera eius.* p.349.n. 8
XIX. *Venerunt nuptia Agni, & vxor eius praparauit ſe.* p.382.n.140
XX. *Libri aperti ſunt, & ecce alius liber.* pag.460. num.1.
XXI. *Menſura hominis, qua eſt Angeli.* pag.125. num.214
XXII. *Iuſtum eſt, vt qui in ſordibus eſt, ſordeſcat adhuc.* p.312.n.350

INDEX
RERVM, ET VERBORVM
magis Notabilium, quæ in hoc primo Tomo de Deo vno habentur.

Prior Numerus Paginam, poſterior Numerum denotat Marginalem.

A

Abſtractio.

ABSTRACTIO præſcindit à quocuncumque, quod ſit extra rei abſtractæ entitatem. p.27.n.54
Prædicatio in abſtracto eſt falſa inter identifica etiam realiter. ibid.
Nequit fieri abſtractio vniuoca entis à ſuis inferioribus. p.17.n.10
Abſtractio entis à Deo, & creaturis eſt tantùm analoga, & quomodò. p.18.n.15

Accidens.

Accidens nequit eſſe in Deo. p.19.n.18
Aliqua accidentia nobiliſſima, non ſunt ordinata ad operationem nobilem intelligendi. pag.185. num.15
Potuit mundus quoad accidentia melior creari. p.476.n.115. & ſeqq.
Accidentia non ſunt perfectiones ſimpliciter ſubſtantiæ, ſed ſecundum quid. p.185.n.14

Actio, Actus.

Quantò ens eſt actu, tantò plures habet perfectiones. p.30.n.64
Actio creatiua ſupponit in creante carentiam poſſibilitatis, ſeu purum actum. p.54.n.21
Actio in diſtans eſt ſimpliciter imperfectio, licèt actio in magis diſtans ſit maior perfectio. p.54. num.25
Perfectior eſt actio, qua agens Dominatur paſſo, potiùs ſuppoſito, quàm virtute. ibid.
Non eſt eadem actio, qua res hodiè creatur, & poſt annihilationem cras reproducitur. p.75. num.33
Actio ad cognitionem requiſita, non eſt influxus realis in obiectum. p.63.n.19
Actionis immediatio alia eſt ratione virtutis, alia ſuppoſiti. p.286.n.144
Immediatio ſuppoſiti eſt ſeparabilis, ab immediatione virtutis in actione. ibid.
Inter actus Diuinos datur prioritatis ordo iuxta noſtrum conceptum. p.292.n.182
Ordo Diuinorum actuum deſumitur e ſubordinatione obiectorum. ibid.n.184
Diuinorum actuum ordo. Vide *Ordo*.
Actus Phyſici defficientiæ cauſæ particulari, non vniuerſali adſcribitur, & cur. pag.314.n.365. & ſeqq.
A quibuſdam actibus Phyſicis malitia eſt inſeparabilis. ibid.n.366
In actu odiendi Deum tria ſpeciatim ſunt conſideranda. ibid.
Omnes actus humani, tam boni quam mali, ſunt quoad entitatem à Deo decreti ab æterno. p.317. n.397. & ſeqq.
Si actus noſtri non fuiſſent à Deo prædefiniti, niſi ſuppoſita voluntatis determinatione, Deus non eſſet rerum omnium cauſa. pag. 318. num.407
Prædefinitio actus præcedit tantum ordine durationis, non cauſalitatis. p.319.n.410
Actus moraliter mali dicuntur præſciti, non præuoliti, & cur. ibid.n.412
In actu negandi Deum quatuor ſunt conſideranda in ordine ad ſuam cauſam. p.323.n.438
Vltima actus ratio eſt primum, in quod tendit voluntas. p.323.n.438
Ad actum liberum Deus cum creatura non concurrit, vti duo homines idem onus partialiter portantes. p.324.n.448
Ad actus naturales datur Dei cooperatio, non præuentio. ibid.n.449
Actus omnes entitatiui, etiam culpæ ſubſtrati, ſunt à Deo, non ſolùm permiſſiuè, ſed etiam abſolutè Decreti. p.324.n.453. & ſeqq.
Actus Dei dicunt ſubſtantiam, & connotatum, & ratione connotati poſſunt mutari. pag.434. num.505

Agens.

Agens creatum nequit eſſe vbicumque operatur, non ſic increatum. p.51.n.7. p.54.n.24
Eo virtus agentis eſt operoſior, quo minùs eius potentia à ſubſtantia, non elongatur. ibidem, num.6.
Agens, & paſſum debent eſſe ſimul, & cur. p. 52. num.13
Agens vniuerſale debet eſſe intimè præſens rebus, quas producit, vel conſeruat. p.54. n.21. & 23
Agens, quod eſt ſua actio, agendo non mutatur. p.66.n.11
Agentes optimi non eſt ſemper optimum facere. p.477.n.120

Agens

Agens tota ſua natura operatur ſemper optimum. ibid.n.122

Amicitia.

Amicitiæ definitio. p.330.n.4
Inter Deum, & creaturas rationales, non autem irrationales poteſt dari amicitia. pag.332.n.30. & 33.
Ad amicitiam non requiritur æqualitas,ſed ſufficit ea, quæ ſit proportionis, & condeſcentionis. p.333.n.35

Amor.

Amor, quo Deus amat poſſibilia, neceſſarius eſt, & cur. p.272.n.24
Ex amore creaturarum nulla ſequitur Dei mutatio. p.273.n.29
Amor Dei erga poſſibilia eſt tantum complacentiæ. p.274.n.34. & ſeqq.
Amor complacentiæ, non poteſt eſſe neceſſarius in homine erga poſſibilia; ſecus in Deo, & cur. ibid.n.37
Deus dicitur amare, non tamen velle creaturas poſſibiles, & cur. ibid. n.41
Amor eſt primogenita voluntatis proles. p.330. num.1
Variæ amoris diuiſiones ibid. n.2. & ſeqq.
Amor naturalis, animalis, Angelicus, & Diuinus quid. ibid.n.7. & ſeqq.
Amor poteſt eſſe obiecti, tam præſentis quam abſentis. p.331.n.15
Amor propriè Deo conuenit. ibid.n.16
Amor eſt principium, & terminus omnium affectionum, & quomodò. ibid.n.20
Deus eodem amore creaturas diligit, quo ſeipſum ex parte actus, non ex parte connotati. p.332.n.27
Amor à dilectione, & charitate aliqualiter differt, & quomodò. p.333.n.38
Amor Dei non eſt affectus, ſed actus. p.334. num.43
Amor Dei ad creaturas eſt æternalis, generalis, & æqualis. p.333.& ſeqq. n.39.& ſeqq.
In amore Dei nequit eſſe aliqua inæqualitas ex parte actus. p.334.n.47
Amor Dei erga Angelum eſt maior, quàm erga hominem, quoad bona naturæ, non quoad bona gratiæ. ibid.n.48.& 49

Anima.

Anima cognoſcendo Deum, plus ſe habet ſuſcipiendo, quam agendo. p.93.n.19

Appetitus.

Appetitus elicitus ferri poteſt in impoſſibile, & quomodo. p.91.n.7. & 10
Appetitus videndi Deum remotè,& proximè quomodò conſiderandus. ibid.
Appetitus beatitudinis probat, eam eſſe poſſibilem. ibid.
Appetitus innatus quid. p.871.n.14
Appetitus innatus Deo conuenit reſpectu ſui, & quomodò. ibid.

Attributa.

Attributa Diuina vnde dicta, & ſumpta. p.21. num.32
Attributa Dei, alia ſunt affirmatiua, alia ſunt negatiua. ibid.
Omnia attributa in creaturis ſparſa, in Deo ſunt vnum, & idem, & quomodò. ibid.
Circa Attributorum Dei diſtinctionem variæ referuntur ſententiæ. p.24.n.41. & ſeqq.
Attributa Diuina nequeunt inter ſe formaliter diſtingui. p.26.n.48. & ſeqq.
Formalis attributorum diſtinctio detrahit ipſorum infinitati. p.30.n.65
Attributa ſunt in Diuina Eſſentia quidditatiuè & formaliter. ibid.n.62
Diſtinctio virtualis attributorum benè infert vnum attributum ex alio. p.31.n.68
Attributum Dei præcipuum exprimitur dicendo, qui eſt. ibid.n.70
Contradictoria ſufficienter de attributis Diuinis prædicari poſſunt è diſtinctione tantum virtuali, & quomodo. p.32.n.72
Myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis optimè explicatur diſtinctione virtuali attributorum. ibid. num.74
Scotiſtarum obiectiones pro formali diſtinctione attributorum diſſoluuntur. p.31. & ſeqq. n.67. & ſeqq.
Conceptus obiectiuus vnius attributi, non includitur in conceptu alterius. p.34.n.80.& 81
Omnia Dei attributa videntur neceſſario à Beatis in eſſentia Diuina. p.133.n.250
Diſtinctio formalis attributorum, non impedit quin omnia attributa ſimul, & ſemel à beatis videantur. ibid.n.252
Attributa, vti & ideæ Diuinæ videntur à beatis per modum vnius ſimpliciſſimi. pag. 137. num.271
Nequit quis eſſe beatus, videndo omnia Dei attributa abſque Perſonis Diuinis, vel è contra, p.138.& 139. n.276.& 279

B

Batus Beati.

Beati omnes non vident omnia Decreta Diuinæ voluntatis. p.140.n.284
Singuli Beati, non vident omnia, quæ à Deo determinantur ad eſſe. p.148.n.340
Beati poſſunt videre plura, & plura ſucceſſiuè. p.149.n.347
Beati contemplantur in Deo aliorum beatitudinem, vti & fidei myſteria. pag.150.num.353. & 354
Plura, quæ ad nos tam moraliter, quam naturaliter ſpectant à Beatis videntur. p.151.n.355. & ſeqq.

Beatitudo.

Beatitudo Dei eſt ipſe Deus. p.484.n.1
Beatitudo Dei eſt menſura beatitudinis aliorum, p.483.n.4
Beatitudo Dei, non ſtat in ipſius eſſentia, ſed in aliqua operatione. ibid.n.6
Ad Beatitudinem, non ſufficit obiecti beatifici præſentia. ibid.
Ad Beatitudinem requiritur, vt beatus eliciat aliquam operationem vnitiuam. ibid.n.9
Beatitudo Dei erat in operatione ob aliquam indigentiam, vti accidit in creatura. ibid.n.10

Bonum.

Bonum quomodo paſſio entis. p.37.n.10
Bonitas eſt prior appetibilitate, & conuenientia. p.38 n.13
Bonum non differt à fine intrinſeco, dicitque relationem, non tamen realem. ibid.n.14
Bonitas per eſſentiam, & per participationem Deo, & creaturis quomodo conueniat. ibid. num.18
Bonum per eſſentiam quid: Quanto aliquid eſt bonum

bonum tanto eſt ſui ipſius diffuſivum. p.39. num.33
Bonitas ſimpliciter dicitur de ſolo Deo. ibidem, num.37
Datur bonitas moralis ab entitatiua diſtincta. ibid. num.39
Creaturæ Deo additæ, non faciunt maius bonum etiam extenſiuè. p.40.n.43
Ad bonum aliquid poteſt conducere tripliciter,& quomodo. p.305.n.286
Peccatum eſt occaſio aliquando boni,ſed numquam actiuè. ibid. n.293. p.312.n.350

C

Cauſa.

CAuſa perfectior non ſemper perfectiorem producit effectum. p.103.n.75
Non ſemper creſcit effectus creſcente vna ex eius concauſis. p.132.n.246
Cauſa vniuoca, vti & æquiuoca comprehenditur cognitis omnibus effectibus. p.146.n.328
Continentia realis effectus in ſua cauſa nequit eſſe ratio cognoſcendi talem effectum. pag. 194. num.77
Formalitas effectus continetur in cauſa, non formaliter, ſed effectiuè. ibid n.78
Cauſa vera, & virtualis quid. ibid.n.79
Cauſæ ad vna ſpectantes in triplici ſunt differentia. p.223.n.293
Cauſa neceſſaria, contingens, & libera, quid ibid.
Cauſa vniuerſalis adhibet ſemper influxum perfectum, ex quo in effectu nullus ſequitur defectus. p.314.n.367. & 370
Quod eſt cauſa cauſæ eſt etiam cauſa cauſati,quomodo intelligendum. p.315.n.370
Cauſa alicuius rei per ſui præſentiam, eſt etiam cauſa oppoſiti per ſuam abſentiam, & quomodo. ibid. n.373
Cauſæ primæ ratio in quo præciſè conſiſtat. p.315. n.462
Contingens poteſt eſſe cauſa neceſſaria, & quomodo. p.418.n.393
Cauſa mouens in quantum mota,neceſſariò mouet, ſi ipſa neceſſariò mouetur. p.481.n.133
Cauſa prima dicitur coagere ſecundæ, non autem ſecunda primæ. ibid. n.154

Charitas.

Charitatis efficacia nequit ab aduerſis ſuperari. p.491.n.464. & ſeqq.
Charitas non vnit inſeparabiliter ad modum amoris naturalis. ibid.n.471

Chriſtus.

Chriſtus à Deo plus eſt dilectus,quam totum genus humanum. p.333.n.51
Chriſtus Ioannem plus dilexit quam Petrum quoad beneuolentiæ ſigna, non quoad bonorum infuſionem. ibid.n.54
Chriſtus pro Sanctis Patribus mereri potuit, & intercedere. p.417.n.380
Electi Chriſto dicuntur dati, & quo ſenſu. ibid. num.382
Prædeſtinatio Incarnationis Chriſti,& noſtra quo ordine facta. p.418.n.387. & ſeqq.
Inter Chriſti prædeſtinationem, & noſtram variæ differentiæ. p.419.n.394
Chriſtus eſt cauſa finalis, & exemplaris noſtræ prædeſtinationis. ibid.n.395.& 397

Chryſoſtomus.

D. Chryſoſtomus Semipelagianis nullibi conſenſit. p.391.n.205
Chryſoſtomus gratiam Iuſtificationis aſſerit inter cæteras præcipuam. ibid.n.205
Præmotionem Phyſicam reiicit, & gratiam moraliter præuenientem aſtruit. pag.392.num.207. & 208
A D. Chryſoſtomo errores ſuos non hauſerat Caſſianus,ipſius diſcipulus. ibid.n.213

Cognitio.

Perfectio cognitionis creſcit ex perfectione obiecti Geometricè, non Mathematicè. p.92. n.14. & 15
Cognitio obiecti eſt ſimpliciter imperfectior eius productione. p.93.n.20
Ad cognitionem intuitiuam requiritur præſentia obiecti. p 95.n.28. & 29
Cognitio intuitiua, & abſtractiua differunt ex parte termini, non ex parte principij. ibid.
Cognitio Dei non requirit in beatis ſpeciem aliquam abſtractiuam, vel obiectiuam. p.96.n.33. & 34.
Cognitio intuitiua nequit diſtinguere ea, quæ ſunt indiuiſa. p.135.n.261
Duobus modis poteſt vnius rei cognitio haberi in alio, cauſaliter, & formaliter. pag.140. n.291
Aliquid cognoſcitur formaliter dupliciter. ibid, num.292
Cognitio creaturarum matutina, & veſpertina, in Deo quid. pag 141. n.293. p.142. n.298. & 301
Cognitio naturalis duo requirit. p.160.n.421
Cognitio naturalis ex parte modi eſt clarior, ſed cognitio per fidem intenſior eſt, & extenſior. ibid. n.424
Cognitionis naturalis, & ſupernaturalis modus. ibid.n.425
Cognitio rei ad extra tripliciter conſiderari poteſt. p.188.n.38
Ad cognitionem requiritur aſſimilatio cognoſcentis cum cognito, & quæ. ibid. n.139. p.196. num.89
Cognitio actualis arguit in Deo perfectionem, non autem productio. ibid.n.40.& 42
Diuinæ cognitionis varia nomina, & obiecta. p.189.n.43.& 44
Noſtra de contingentibus cognitio eſt incerta, ſed cognitio Dei certiſſima, & cur. ibid.n.30
Cognitio mali Deo repugnat,benè tamen mali productio. p.190.n.51
Explicatur eſſe cognitum Scotiſtarum ad cognitionem poſſibilium in Deo requiſitum. ibid. n.53.& 54
Variæ referuntur ſententiæ circa cognitionem Dei de rebus poſſibilibus. ibid.n.53. & ſeqq.
Eſſe cognitum Scotiſtarum nequit eſſe aliquid in mente Diuina productum. p.192.n.64 p.235. num.25
Nequit dari cognitio immediata, qua Deus priùs reſpiciat creaturas,quàm ſe ipſum. p.197.n.94. & ſeqq.
Diuina cognitio ab obiecto mediato non perficitur. ibid.n.97
Cognitio Dei à rebus poſſibilibus quomodo dependens. ibid.n.98
Cognitio impoſſibilium,negationum, & priuationum

num datur in Deo, & quomodò. p.244.n.437. & ſeqq.

Compoſitio.

Varia Compoſitionum genera. p.15.n.1

Compoſitio ex materia, & forma, nequit Deo conuenire in ratione corporis. ibid.n.2.& ſeqq. p.16.n.14

Nullum compoſitionis genus Deo poteſt conuenire. ibid.

Ad compoſitionem veram, & realem ſufficiunt realitates Metaphyſicæ. p.29.n.58

Summa vnitas excludit omnem compoſitionem. ibid.n 60

Compoſitio pendet à partibus intrinſecis, non autem à cauſa extrinſeca. ibid n.61

Relationes Diuinæ nullam arguunt in Deo compoſitionem. ibid. n.62

Comprehenſio.

Comprehenſio à rebus quantitatiuis ad ſpiritualia transfertur. p.152 n.365

Comprehenſio rem comprehenſam claudit, & finit, negatiuè, non poſitiuè. ibid.

Deus ſub comprehenſione creatæ cadere nequit. ibid.n.366. & ſeqq.

Comprehenſio requirit æqualitatem intellectionis ad rem intellectam, & quomodò. ibid.n.369

Ad comprehenſionem non ſufficit, vt res tota cognoſcatur, niſi totaliter. p.153.n.370. p.154. num.382

Ratio comprehenſionis non ſumitur ex parte videntis ſubiecti, ſed ex parte Dei viſi. ibidem, num.374

Variæ rationes, cur Deus nequeat comprehendi. ibid.n.375. & ſeqq.

Dei incomprehenſibilitas variis illuſtratur exemplis. p.154.n.382

Comprehenſio in corporeis, quid. p.152.n.365. p.155.n.388

Ad comprehenſionem non requiritur optima rei cognitio. ibid.

Contingentia.

Ratio contingentiæ deſumenda eſt à libertate cauſæ ſecundæ. p.480.n.146

Licet Deus neceſſariò ageret, non tolleretur contingentia actus liberi. ibid.n.149.& 150

Continuum.

Continuum eſt diuiſibile in infinitum, ſed tamen per intellectum. p.49.n 55

Indiuiſibilia copulatiua, & ſolitaria implicant in continuo. ibid.

Duo immediata indiuiſibilia repugnant in eodem continuo. ibid. ad finem.

Continuum indiuiſibilibus nequit componi. p.50. in fine.

Contradictorium.

A contradictorio in contradictorium nequit fieri tranſitus abſque reali mutatione in vno extremorum. p.282.n.p.108

Creatura.

Creatura quælibet nequit à Deo fieri ſub quavis natura. p.42.n.13

Creaturæ imperfectio arguitur, dum eius virtus in agendo ſeparatur à ſubſtantia. p.54.n.26

Creaturas eſſe in Deo, & Deum in Creaturis, non eſt aliquid correlatiuum. p.58.n.38

Creaturæ videntur formaliter in Deo. pag.141. num.295

Creatura continetur in Deo formaliter obiectiuè, non ſubiectiuè. p.143. n.308

Creaturæ habent neceſſariam connexionem cum Dei omnipotentia. p.144.n.309

Viſo Deo, neceſſariò videntur creaturæ, non è contra. ibid. n.312

Creaturæ omnes poſſibiles nequeunt à Beatis in Deo videri. p.145.n.320

Creaturæ repræſentant Deum, vt eius vmbræ, veſtigia, vel imagines. p.158.n 406

Creaturæ ducunt in cognitionem Dei, & quomodò. ibid.n.408

Aliud eſt cognoſcere Deum per creaturas, aliud in creaturis. p.159.n.414

Ante peccatum Deus potuit clarius cognoſci in creaturis, nunc autem obſcuriùs. ibid.n.417

Creaturæ non ſunt Deo præſentes in propria entitate ab æterno. p.199.n.105. & ſeqq.

Creaturæ ante creationem nil fuere. ibid.

In creatura tres ſunt defectus, ob quos in agendo redditur differens. p.314.n.369

D

Decretum.

Decretum Dei non tranſit in præteritum, ſed ſemper eſt præſens æternitati. p.319.& 314. n.414

Decretum conditionatum concurrendi ad omnes actus liberos, ponit actum à ſola creatura, non à Deo. p.320.n.424

Decretum prædefiniens actus liberos ante vſum liberi arbitrij tenerat libertatem. pag.321. num.425

Decretum Dei abſolutum non eſt poſt abſolutam arbitrij determinationem. ibid.n.429

Modus ponendi Dei Decretum abſque libertatis præiudicio. ibid.n.430

Nullum eſt Dei Decretum prædefiniens antecedenter ſubſtratum malitiæ. p.323.n 434

Non obſtante Dei Decreto, Deus poteſt ſemper velle oppoſitum. p.327.n.476.& ſeqq.

Poſito Decreto res decreta infallibiliter euenit. ibid.n.479

Decretum Dei dicit primariò eius actum. p.420. n.402

Deus.

Dei nomen ab operatione ſumitur. p.7.n.32. p.178 num.126

Deus eſt nomen naturæ ſubſiſtentis, & abſolutæ. ibid. n.33

Dei nomen apud Hebræos ineffabile dicebatur. p.8.n.34

Nomen *Deus* tria comprehendit. ibid.

Deo attribuuntur membra corporea, & cur. p.16.n.3. p.107.n.190

Deus nequit ita eſſe in mundo, quin ſit extra. p.61.n.55.& ſeqq.

Si Deus non eſſet extra mundum, ſequeretur, eum poſſe moueri localiter. p.61.n.56

Deus eſt in omnibus rebus tripliciter. Vide *Vbiquitas.*

Varij modi, quibus Deus ineſt ſuis creaturis. p.64. n.71. & ſeqq.

Deus ita eſt vnus, & bonus, vt aliter eſſe nequeat. p.87.n.15. & 19

Ad Deum tanquam perfectum per eſſentiam reducuntur cætera entia. ibid.n.21.

Deus non eſſet perfectiſſimus, ſi non eſſet vnus. ibid. n.23

Vnitas Dei vnde ſumenda. Vide *Vnitas.*

Index Rerum,

Deus nequit producere alium Deum ſibi ſimilem, & cur. p.89.n.36

Deus nequit fieri aliquod vnum cum intellectu Beato. p.104.n.8

Deus eſt tam præſens animæ Beatæ, quam ipſa anima ſibi. p.105.n.86

Deus ſupplet vices ſpeciei intelligibilis efficienter, non materialiter. p.106.n.94

Oculo corporeo Deus nullatenus videri poteſt. p.106.n.96.& 97

Deus nequit videri, quin ſimul videantur tres Perſonæ Diuinæ. p.134.n.257. & ſeqq.

Deus poteſt terminare alienam naturam in vna perſona, non in alia, nequit tamen videri in vna quin videatur in alia. p.136.n.263

Deus multimodè conſideratus varia obtinet nomina. p.164.n.20.& ſeqq.

Deus ſupponit aliquando perſonam, aliquando naturam. p.178 n.127.& 128

Nomen Dei, *Qui eſt*, duo includit. pag.179. num.134

Deus ſeipſum cognoſcit, & comprehendit, & quomodo. p.186.n.18.25. & ſeqq.

Deus ſe, ſuaque attributa cognoſcit, vnica, non multiplici cognitione. p.187.n.25

Cognoſcit Deus alia à ſe, ſed tamen in ſe. ibidem, n.28.& 33

In Deo res dicitur eſſe quadrupliciter. pag.267. num.1

Res omnes poſſunt dici eſſe in Deo, vt in cauſa, & in cognoſcente. ibid.n.4.& 5

Res antè exiſtentiam eſt in Deo ſecundum aliquid ſui, vt in cauſa. ibid.n.7

In Deo tria ſunt ſpecialiter conſideranda. p.268. num.10

Res ſunt veriùs in ſe, quàm in Deo. p.169.n.26

Rerum ſimilitudo eſt veriùs, & perfectiùs in Deo, quam in ipſis rebus. p.270.n.27

Deus dicitur Omnipotens, & omniſciens, non autem omniuolens, & cur. p.274.n.38

Diſtinctio.

Varia Diſtinctionum genera. p.21.n.33

Diſtinctio rationis ratiocinatæ, & rationis diuerſimodè, & ſumitur, & diſtinguitur. ibidem, & ſeqq.

Diſtinctio formalis, quid. p.22.n.34

Ad diſtinctionem formalem tria requiruntur. ibidem.

Diſtinctio modalis, quid. ibid.

Diſtinctio formalis variis modis à Scotiſtis ſumitur. ibid.n.35

Triplex diſtinctio rationis in Deo à D. Damaſceno aſſeritur. p.23.n.36

Diſtinctio Thomiſtica cum Scotiſtica quomodo concilianda. ibid.

Inter animam, eiuſque potentias, quæ ſit diſtinctio. ibid.n.38

Diſtinctio formalis bene arguitur ex entitate formali. p.24.n.38

Diſtinctio formalis Scoti veram compoſitionem in Deo arguit. p.25.n.46

Quæ diſtinctio conueniat Diuinis Attributis. Vide *Attributa.*

Diſtinctio formarum infert diſtinctas definitiones. p.27.n.53

Diſtinctio formalis impedit, ne duo in abſtracto de ſe inuicem prædicentur. p.27.n.54

Dominium.

Dominium eiuſdem rei nequit duobus conuenire in ſolidum. p.341.n.20

Dominium aliud eſt rei, aliud iuris. pag.345. num.33

E

Æternitas, Æternum.

ÆTernitatis nomen vnde ſumptum. pag.68. num.1

Æterni quintuplex acceptio. ibid.n.2

Æternitatis vera differentia ab immutabilitate. ibid. n.3

Æternitatis definitio, & definitionis expoſitio. ibid.n.4. & ſeqq.

Triplex menſura durationis, æternitati comparata. ibid.n.5.& 6

Æternitas exemplis illuſtrata. ibid. n.5

Æternitas tempori oppoſita, & quomodo. p.69. num.7

Æternitas eſt vera, & intrinſeca Dei duratio. ibid. num.8

Æternitas nullum dicit reſpectum ad coexiſtentiam temporis. ibid n.9

Æternitas cum immenſitate comparatur per habitudinem ad tempora poſſibilia. ibid. n.10

Æternitas conueniret Deo, etiamſi tempus eſſet impoſſibile, non ſic omnipotentia, ſi nullus effectus eſſet poſſibilis. ibid.

Æternitas triplicem dicit negationem iuxta Scotum. p.70.n.11

Tota æternitatis eſſentia eſt quid poſitiuum. ibidem.

Duo in æternitate ſunt conſideranda. pag.71. num.11 propè finem.

Æternitas Deo conuenit independenter à creaturis. p.72.n.16

Æternitas non completur per aliquid rationis in obliquo, ſed eſt quid omninò abſolutum. ibid. n.17.& 18

Æternitas non dicit negationem menſuræ. ibid. n.19. & 20

Ita ſe habet æternitas ad æterna, ſicuti tempus ad temporalia. ibid. n.21

Interminabilitas, aliæque negationes, æternitati cur adſcriptæ. ibid.

Æternitatis interminabilitas dicit negationem principij, & finis, non autem menſuræ. p.73. num.22

Æternitas Dei nominibus, & differentiis temporis nonnunquam exprimitur. ibid. n.23

Æternitatis ab æuuo diſtinctio. p.81.n.58

Dei æternitas à nobis concipitur in ordine ad coexiſtentiam temporis. ibid. n.59.& 60

Contradictoria in æternitate quomodo verificantur. p.83.n.63

Variæ differentiæ inter æternitatem, tempus, & Æuum. ibid.n.64. & ſeqq.

Dei æternitas perpetua anni circulatione aptè exprimitur. p.84.n.68

Dei æternitas ſequitur ex eius immutabilitate, & creaturarum perpetuitate. ibid.n.69. & ſeqq.

Deus dicitur æternus rerum conditor, & cur. ibid.n.71

Perſonæ Diuinæ dicuntur externæ, non autem treæ æternæ. ibid. n.73

Æternitas dicens carentiam principij. & finis, ſoli Deo conuenit. p.85.n.74

Æternum in Sacris Scripturis varios obtinet ſenſus. ibid.

Æternitas

Æternitas licèt infinita non comprehendit ſimul omnia tempora, & res. p.199.n.107. & p.202. n.120.
In æternitate res ſunt Deo ſemper præſentes ſecundum cognitionem, non ſecundum veritatem. ibid.n.104
Æternitati non repugnat, aliquid de nouo, & ſucceſſiuè comprehendere, formaliter extrinſecè. p.102.n.121.
Æternitas eſt menſura cognitionis diuinæ, non tamen obiecti cogniti. ibid.n.125
Res non exiſtens nequit menſurari æternitate. ibid.n.126.
Æternitas omnium temporum differentiis poteſt ſignificari. p.432.n.492

Æuum.

Æui ethymologia Græcè, & Latinè. p.73.n.24
Æuum eſt menſura durationis Angelorum, & animarum hominum. ibid.n.25
Æuum eſt ens ſucceſſiuum. p.74.n.26
Æui ſucceſſio exemplo riuuli è fonte manantis explicatur. ibid.n.28
Æuum Angelorum eſt diuiſibile, poteſtque ad Dei libitum truncari. p.75.n.31
Æuum eſt quantitas. p.76.n.35
Æuum differt ab exiſtentia rei æuiternæ. p.77. n 40.
Si æuum eſſet totum ſimul, ſequeretur dari præter Deum infinitum actu. ibid.n.47
In æuo non daretur eſſe, fore, vel fuiſſe; ſi non eſſet ens ſucceſſiuum. ibid.n.44
Æuum non eſt conſiderandum, vt per accidens commenſuratum alteri extrinſeco. pag. 78. n.45.
In æuo datur æqualitas, & inæqualitas. ibidem, n.47.
Poteſt æuum eſſe ſine tempore. p.79 n.47
Æua plurium Angelorum poſſunt eſſe inter ſe æqualia, vel inæqualia, ibid.n.48
Æuum Angelorum explicatur exemplo Radij è ſole prodeuntis. ibid.n.50
Æui duratio quomodò permanens. p.8.n.52

Exiſtentia.

Exiſtentia quid. p.1.n.1
Exiſtentia Dei eſt de quidditate ipſius eſſentiæ. p.2 n.5. & ſeqq.
Exiſtentia creaturæ, non autem Dei, ponit eſſentiam in eſſe actu reali. p.3.n.9
Inter Dei exiſtentiam, & noſtram ſex ſunt principales differentiæ. p.4.n.12.& ſeqq.
Neceſſitas exiſtentiæ Dei nititur eius independentia, immobilitate, immutabilitate, & immortalitate. p.5.n.18.& ſeqq.
Exiſtentia Dei eſt à poſteriori demonſtrabilis, non autem à priori. p.9.n.39.& ſeqq.
Variæ demonſtrationes, probantes Dei exiſtentiam à poſteriori. p.10.n.42.& ſeqq.
Poteſt rei alicuius dari exiſtentia, abſque vlla duratione. p.81.n.54
Exiſtentiæ aliquid reale additur per durationem. ibid. n.55.

F

Futura.

Futura, alia ſunt neceſſaria, alia ſunt contingentia. p.203.n.127
Varia Auctorum placita circa modum, quo futura à Deo cognoſcuntur. ibidem, num.128. & ſeqq.
Futurorum contingentia, alia eſt à cauſa naturali, alia à libera. ibid.n.127
Futurum contingens quomodò Deo certum obiiciatur. p.204 n.131
Futura nequeunt à Deo cognoſci in cauſarum diſpoſitione. ibid.n.132.& ſeqq.
Futura nequeunt, euenire liberè, ſi detur decretum Dei abſolutum, præuium, vel concomitans. p.212.n.204.206.& ſeqq.
Futurum non ideò euenit, quia præuidetur; ſed è contra. pag.412.n.220. & pag.218. n.155. & ſeqq.
Futura ſunt determinatæ veritatis in diuino intellectu. p.216.n.235.& ſeqq.
Ariſtotelis ſententia de futurorum veritate quomodò intelligenda. p.215.n.232.& ſeqq.
Futura non ſunt cauſa eſſendi, ſed tantùm inferendi diuinam præſcientiam. pag.219. n.262. & ſeqq.
Futura quomodò in ſenſu Magiſtri ſint cauſa præſcientiæ diuinæ. ibid. n.260.& 263
Futurorum præſcientia libertati non obeſt. Vide *Scientia.*
Futurum, aliud eſt contingens in cauſa, aliud in actu. p.223.n.294

G

Gilbertus.

Errauit Gilbertus Porretanus, diſtinguendo realiter Dei attributa. p.24.n.41.& 43
Aſſeruit quaternitatem in diuinis. ibid.n.44
Damnatus fuit in Concilio Rhemenſi. ibid. n.43. & 45.
Errauit non ſolum circa diſtinctionem attributorum, ſed etiam relationum. p.25.n.46

Gloria.

Gloria Beatis non conceditur ad menſuram perfectionum naturalium, ſed tantum meritorum. p.126.n.218. 219.& p.130.n.239.
Gloriæ inæqualitas fundatur in inæqualitate meritorum. ibid.n.220
Gloriæ menſura non habetur iuxta antiquitatem vocationis, vel diuturnitatem laboris, ſed ob excellentiam charitatis. p.129.n.232
Gloriæ inæqualitas illis non conuenit, qui propria non habent merita. p.128.n.229
Parabola vinitoris exponitur de æqualitate gloriæ, quoad rationem obiectiuam, non formalem. p.129.n.233
Gloria dicitur gratia, & cur. p.373.n.84
Prædeſtinatio ad gloriam. Vide *Prædeſtinatio.*

I

Idea.

Idea in Deo eſt ratio cognoſcendi creaturas. p.195.n.83.& ſeqq.
Idea non eſt tantùm rei factibilis, ſed etiam faciendæ ſecundùm omnem rei circumſtantiam. p.208.n.161. & ſeqq.
Idea includit circumſtantiam temporis, quo res ſit facienda, ſi agens ſit perfectum. p.209. n.171.& ſeqq.

In artifice creato vna eſt plerumque Idea plurium factibilium, non ſic in artifice increato. p.210. n.184
Idea diuina eſt vera ratio cognoſcendi futura in Deo. pag.208. & 211. n.162. & ſeqq. n.197. & ſeqq.
Ideæ etymologia, & diuerſa nomina. pag.249. n.1. & 2
Idea ab exemplari multimodè differt. ibidem, n.3. & 4
Ideæ diuinæ definitio. p.250.n.5
Ideæ quatuor conditiones. ibid.n.6.& ſeqq.
Idea eſt ſimul practica, & ſpeculatiua. ibidem, num.9.
Idea faciendorum vocatur exemplar. ibidem, num.10
In Deo Ideæ neceſſariò ſunt admittendæ, non tamen ab ipſo diſtinctæ. ibid.n.11.14 & ſeqq.
Variæ referuntur ſententiæ circa quidditatem Diuinæ Ideæ. p.252.n.22.& ſeqq.
Idea creaturarum in Deo non eſt aliud præter Eſſentiam Diuinam cognitam, & participabilem. p.253. n.31. 36. & ſeqq. & p.257. n.65. & ſeqq.
Idea reducitur ad cauſam efficientem, & quomodò. p.255.n.49.& 50
Idea in mente diuina nequit eſſe Eſſentia Diuina, vt præcisè immutabilis, nec poteſt eſſe verbum productum per cognitionem. p.256.n.58. & ſeqq.
Idea nequit ſumi ab aliqua cognitione per accidens. ibid. n.63
Si Idea eſſet creaturarum verbum, ſequeretur, Deum ab eis actuari. ibid.n.63
Ideæ vocantur à D. Auguſtino æternæ, & incommutabiles, & quomodò. pag.257. n.67. 69. & ſeqq.
Ideæ nequeunt eſſe aliter immutabiles, quam formaliter. ibid.n.70
Ideæ Diuinæ tantùm ratione, non realiter, diſtinguuntur. p.259.n.81.& ſeqq.
Idea nequit eſſe quid relatiuum. ibid.n.83
Idea magis reſpicit ideatum, quam artificem. ibid. num.85.
Ideæ Diuinæ vocantur plures formæ, & quomodò, ibid.n.86
Dantur in Deo Ideæ non ſolùm ſingularium, ſed & vniuerſalium, vti & materiæ primæ, formæ, & accidentium. p.261.& ſeq.n.96.& ſeqq.
Idea in Deo nequit eſſe compoſita, licet ideatum ſit compoſitum. p.262.n.111
Idearum in Deo nullus eſt ordo originis, prioritatis, vel nobilitatis. p.264.n.121
Ideæ dicunt ordinem, & reſpectum rationis ad ideata. ibid.n.124.& 126
Relatio rationis, quam important ideæ ad ideata, non eſt ipſis eſſentialis, aut intrinſeca. p.265. n.135.& ſeqq.
Ideæ in Deo multiplicantur, non autem ſpecies intelligibiles, & cur. ibid.n.140.& 141
Ideæ non ſunt ſimpliciter Dei attributa, ſed ab his tripliciter differunt. p.266.n.143
Ideæ ratio conuenit Deo ratione eſſentiæ, & verbo appropriatur. ibid.n.146.& 147
Diuina Eſſentia nequit eſſe Idea Filij, vel Spiritus ſancti, & cur. ibid.n.148

Immenſitas.

Immenſitas facit Deum præſentem, & operantem in rebus omnibus. p 50.n.1.& ſeqq.
Dei Immenſitas ſumitur ex eius operationa tranſeunte, & quomodò. p.52.n.11.& ſeqq.
Dei Immenſitas à D. Paulo aſſerta ex eius vbique præſentia. ibid.n.16.& ſeqq.

Immutabilitas.

Triplex immutabilitatis ſpecies. p.67.n.15
Creaturæ nequit conuenire immutabilitas. ibid. num.16
Immutabilitas ſimpliciter ſoli Deo conuenit. ibid. num.18
Immutabilitas materiæ primæ principiis, & aſſentiis vniuerſalibus, quomodò conuenit. ibid. num.19

Indiuiduum.

Duo indiuidua ſpecie diuerſa poſſunt conuenire in eandem ſpeciem accidentis, & quomodò. p.126.n.217

Indiuiſibile.

Indiuiſibile. Vide *Continuum.*

Infantes.

Infantibus Deus prouidet ſufficientia ſalutis remedia. p.455.n.114
Infantes ante partum morientes, num, & quomodò ſaluandi. ibid.n.115

Infinitas.

Aliquid dicitur infinitum dupliciter. p.40.n.1
Dei infinitas non ſtat in infinito perfectionum numero. p.41.n.4
Vera ratio infinitatis ſtat in negatione receptionis in alio. ibid.n.5
Infinitas Angelis ideò competere non poteſt, quia componuntur ex materia, & forma. ibid.n.7
Infinitas Dei eſt conſummata eius perfectio. p.42. num.10
Infinitas Dei arguitur à poſteriori ex eius Immenſitate. ibid.n. 11
Infinitas eſſentiæ non poteſt communicari, etiamſi communicetur infinitas durationis. ibidem, num.12
Dei infinitas fundatur in eius potentia, eſſentia, & perfectionibus. p.42.n 14.& ſeqq.
Infinitas eſt paſſio non ſolum quantitatis molis, ſed etiam virtutis. p.40.n.1
Infinitas Dei non excludit cætera entia, licet infinitas corporis excludat cætera corpora. p.43. n.22
Infinitum à Deo quomodò comprehenſum, & à Beatis. ibid.n.23.& 24
Duplex infiniti ſpecies. ibid.
Infinitum bonum poteſt permittere aliquod malum. ibid.n.25
Dei infinitas non facit, vt creaturæ æqualiter à Deo diſtent. ibid.n.26
Infinitum actu repugnat dari extra Deum in vllo genere entis. p.44.& ſeqq.n.28.& ſeqq.
Infinitas numeri, ſi datetur, excluderet omne principium, & ordinem vnitatis, & dualitatis. p.45. n.35
Infinitas multitudinis, vti & magnitudinis varias infert implicantias. ibid.n.36.38.& ſeqq.
Infinitum nequit reſultare ex partibus finitis, quantumvis multiplicatis. p.46.n.41
Infinitum corpus, ſi daretur, eſſet omnino immobile. ibid.n.42
Inter partes infiniti corporis ſequeretur infinita diſtantia, & quomodò. ibid.
Infinitas qualitati vndè repugnat. pag.47. n.44. & ſeqq.
Ex Infinitate rei alicuius creatæ ſequeretur, eam à Deo non poſſe transmutari. ibidem, numero 46

Infinitas Diuinæ Potentiæ, nequit inferre infinitatem alicuius effectus. p.48.n.49. & ſeqq.
Infinitas Diuinæ Potentiæ in effectibus finitis quomodo manifeſtatur. ibid.n.51
Inter infiniti productionem, & cognitionem, quæ ſit differentia. ibid.n.55
Infinitas indiuiſibilium quantitatis variis monſtratur exemplis. p. n.55
Vide *Indiuiſibile*,
Infinitum quantitatis nequit capi in finito, ſecus ſi ſit infinitum virtutis. p.93.n.18
Infinitum poteſt à beatis videri, non tamen comprehendi. p.134.n.253
Dei infinitas non requirit, quod infinitè cognoſcatur à beatis, bene tamen infinitas poſſibilium. p.146.n.323
Infinitas paſſiua ſubiecti ad recipiendas plures formas, non infert infinitatem entitatiuam. ibid.
Infinitum actu ab infinito potentia quomodo differt, p.245.n.424
Tota futurorum multitudo dicit quid infinitum, non tamen Cathegorematicè. ibid.n.433
Infinitum Sincathegorematicum à Deo actu cathegorematicè cognoſcitur, & quomodò. ibid. & ſeqq.

Intellectus.

Intellectus eſt voluntate ignobilior. pag. 14. num.6
Intellectus non conſtituit totam naturam rationalem in ratione imaginis Dei. ibid.
Intellectus ideò eget medio ſupernaturali ad ſupernaturale cognoſcendum, quia eſt tantum in potentia ad ipſum. p.91.n.3
Quantò ens eſt perfectius, tantò melius ab intellectu cognoſcitur. ibid.
Intellectus habet naturalem appetitum, ad Deum videndum. ibid.n.5.& 6
Vide *Appetitus*.
Intellectus minus diſtat à Deo, quàm oculus corporeus ab Angelo, & quomodo. pag. 92. num.16
Intellectus cognoſcendo Deum ſupernaturaliter fertur extra modum, non extra ſubſtantiam ſui obiecti. p.93.n.21
Intellectus habet naturalem cognitionem intuitiuam, & abſtractiuam ſimul plurium obiectorum. ibid. n.22
Intellectus indiget proportionari Deo per aliquid ei ſuperadditum. p.108.n.110
Nulli intellectui poſſibili viſio Dei poteſt eſſe connaturalis. p.112.n.131. & ſeqq.
Intellectus naturaliter perfectior Deum perfectius non videt, niſi maiori ſit lumine eleuatus. p.130. n.239. & ſeqq.
Præſtantia intellectus non eſt ſemper prædeſtinationis effectus, p.131.n.243
Intellectus beatus determinatur à lumine gloriæ, etiam quoad intenſionem, vt cauſa vniuerſalis à particulari. ibid.n.245
Intellectus ab extra recipiens notitiam, ab extra etiam perficitur, & actuatur. pagina 187. num.33
Intellectus hominis, & Angeli eleuati lumine gloriæ, ſpecie non differunt. p.126.n.217

Ioannes Baptiſta.

Ioannes Baptiſta à Chriſto laudatur propter eius ſanctitatem, non propter Prophetiam. p.127. n.223. & ſeqq.
Erat primus Præcurſor, & Prædicator Euangelij. p.128.n.225
Fuit à Chriſto Baptizatus. ibid.n.227
Minimus in regno cœlorum fuit Ioanne Baptiſta maior, & quomodo. ibid.n.228

Ira.

Ira Deo non conuenit, & cur. pag.337.n.17. & ſeqq.
Iræ definitio. p.338.n.20

Iuſtitia.

Iuſtitia alia eſt commutatiua, alia diſtributiua. p.338.n.1
Vtriuſque Iuſtitiæ alia eſt æqualitas Geometrica, alia Arithmetica. ibid.
Dei ad homines nulla eſt propriè iuſtitia quo ad debitum. p.339.n.3. & ſeqq. p.341.n.16
Iuſtitiæ variæ definitiones. ibid. n.7
Iuſtitia includit imperfectionem debiti, & quomodo. p.340.n.8
Partes iuſtitiæ, aliæ ſunt ſubiectiuæ, aliæ poteſtatiuæ. p.341.n.15
Debitum Iuſtitiæ à debito fidelitatis quomodo diſtinctum. p.341.n.19
Iuſtitia commutatiua vnde dicta, & cur Deo competere nequit. ibid.
Iuſtitia generalis, non autem ſpecialis, in omni virtute reperitur. p.342.n.25
In iuſtitia commutatiua datur repaſſio, & quomodo. ibid.n.26
Iuſtitiæ commutatiuæ obiectum eſt commerciorum, ſeu contractuum commutatio. pag.343. num.33
Inter ſeruum & Dominum, vel & inter Patrem, & Filium nequit eſſe propria iuſtitia, & cur. ibid. num.36
In iuſtitia diſtributiua facilè committitur perſonarum acceptio. p.346.n.53
Iuſtitia diſtributiua in Deo propriè negatur, & cur. ibid. & ſeqq.
Ad iuſtitiam diſtributiuam intrinſecè requiritur debitum in diſtribuente. p.347.n.60
Iuſtitia generalis tripliciter diuiditur. pag.349. num.75
Iuſtitia legalis ab obedientia diſtinguitur, nec in Deo eſſe poteſt. ibid. n.76.& 78
Iuſtitia generalis in Deo quid. ibidem, num.79. & ſeqq.
Iuſtitia in Sacris Litteris dicitur veritas, & cur. p.350.n 86
Iuſtitia Dei dupliciter accipitur. p.473.n.87

L

Liber Vitæ.

Liber vitæ, quid. p.459.n.1
Liber vitæ dicitur notitia, & cur. pag.460. num.1
Liber duo ſolet includere. ibid.n.3
Libri vitæ duplex conſideratio. ibid.
In Libro vitæ non ſcribuntur ea, quæ ad ſpecialem Dei prouidentiam ſpectant. ibid.n.4
E Libro vitæ nemo ſcriptus poteſt deleri in ſenſu compoſito. ibid. n.7. & ſeqq.
Explicatur ſenſus compoſitus, & diuiſus, quo poſſit quis è Libro vitæ deleri. ibid. num.8. & ſeqq.
Deletio è Libro vitæ, non refertur ad Dei notitiam. p.461.n.14
De Libro vitæ deleri petiit Moyſes, & quo ſenſu, ibid. n.15.& ſeqq.

In libro vitæ aliqui tripliciter ſcribuntur. p.462. num.28

Libertas.

Libertas. Vide *Neceſſitas, Scientia.*

Libertas in Deo verè aſtruitur. pag.275. n.42. & ſeqq.

Varij modi reconciliandi Dei libertatem cum ipſius immutabilitate. pag.275. & ſeq. n.46. & ſeqq.

Libertas Dei in actu ſecundo non eſt accidens, nec perfectio intrinſeca, Deo liberè addita. p.277

Libertatis Dei nullus fuit ab æterno actus. p.277. n.65

Libertas Dei non ſtat in actu tranſeunte, ſed potiùs in immanente. p.278.n.68

Libertas Dei nequit conſiſtere in relatione rationis ad creaturas. ibid.n.73.& ſeqq.

Libertas Dei nequit conſiſtere in neceſſario Diuinæ voluntatis actu, liberè connotante externam productionem. p.279.n.81.& ſeqq.

Libertas Dei verè ſtat in ipſius voluntate, eminenter continente noſtros actus liberos.p.276.n.58. & p.280.n.87.& ſeqq.

Libertas in Deo eſt per modum actus puriſſimi, non aliundè, quàm ab ipſo Deo determinati. ibid. n 88.& 90

Dei libertas reſpectu omnium eligibilium comparatur Dei ſcientiæ reſpectu omnium cognoſcibilium. ibid.n.90.& ſeqq.

Actus Diuinæ libertatis terminatur ad temporalem productionem abſque mutatione, & quomodò. p.281.n.97.& 98

Effectus formalis Diuinæ libertatis eſt ab ea inſeparabilis, entitatiuè, ſed non terminatiuè. p.282.n.104.

Noſtra libertas Diuini decreti mutabilitate non læditur. p.284 n.122.& ſeqq.

Dei libertas non eſt ad actus oppoſitos, ſed ad oppoſita obiecta. p.326.n.466

Libertas cum prædeſtinatione conciliatur. p.428. n.458. & ſeqq.

Varij modi, quibus libertas cum Diuini decreti infallibilitate conſiſtat. p.430. & ſeqq. n.473. & ſeqq.

Ratio libertatis non habetur per reſpectum ad primam cauſam operantem. p.431.n.484

Libertas ex præſcientia Dei non violatur. p.437. n.518.& ſeqq.

Locus.

In loco poteſt aliquid eſſe diffinitiuè, vel circumſcriptiuè. p.55.n.28

Loci definitio. ibid.

Locus non eſt intercapedo rei locatæ. ibid.

Locus dicit duplicem relationem,ad corpus continens, & contentum. ibid.

Æqualitas loci in quo conſiſtat. ibid. propè finem.

Locus ſe habet ad locatum, tanquàm forma adiacens. p.56.n.29

Quatuor loci conditiones. ibid.n.30

Deus non eſt in loco diffinitiuè, vel circumſcriptiuè. ibid.n.29.& 31

Exiſtentia Dei in locis comparatur luci in aëre. ibid. n.32

Deus in omni loco eſt totus, non tamen totaliter, nec poteſt dici localis. p.57.n.33

Lumen Gloriæ.

Lumen gloriæ non eſt ſpecies, vel ſimilitudo impreſſa contra Scotum. p.94.n.24

In lumine gloriæ non interuenit ſpecies quidditatiua, à Scoto aſſerta. ibid.n.25.26.& ſeqq.

Lumen gloriæ non eſt totale principium viſionis. p.115.n.137.& p.120.n.179

Lumine gloriæ proportionatus intellectus Deo tantum finitè. p.114.n.144

Lumen gloriæ à Scoto nunquam fuit negatum. ibid.n.146

Luminis gloriæ neceſſitas probatur. p.115.n.148. & ſeqq.

Lumen gloriæ à Concilio Viennenſi quo ſenſu definitum. ibid.n.152.& 153

Variæ referuntur ſententiæ circa officium luminis gloriæ. p.117.n.159

Luminis gloriæ definitio. ibid.n.165

Modus quo lumen gloriæ cooperatur intellectui. ibid. ad finem.

Lumen gloriæ non eſt tantum ad animæ decorem, nec ſubiectum, vel diſpoſitio ad viſionem recipiendam. p.118.n.166.& ſeqq.

Lumen gloriæ non fungitur præcisè munere ſpeciei intelligibilis. p.119.n.174

Lumen gloriæ neceſſarium eſt ex parte potentiæ, non ex parte obiecti. ibidem, num.176. & 177

Luminis gloriæ proprium, & præcipuum munus eſt, eleuare, confortare, & complere intellectum ad viſionem Dei eliciendam. pag.120. num.122

Lumen gloriæ facit actum viſionis beatæ connaturalem ſibi & intellectui. p.120 n.184

Lumen gloriæ non prærequirit diſpoſitionem aliquam, qua vniatur intellectui. p.121.n.185

Lumen gloriæ dicitur ſimilitudo, & quo ſenſu. ibid.

Lumen gloriæ complet efficaciam intellectus, & quomodò. ibid.n.186

Concurſus ſupernaturalis Dei ad viſionem Beatificam non reddit lumen gloriæ ſuperfluum. ibid.n.187

Vt actus ſit ſupernaturalis, non eſt neceſſe, vt lumen gloriæ, & intellectus eiuſdem ſint ordinis. ibid. n.188

Lux.

Lux in ſenſibilibus eſt principium videndi. p.112. n.134

Lucem inacceſſibilem Deus inhabitat, & quomodò. ibid.

Lux ſolis cur oculo imperceptibilis. pag.113. n.139

Creaturæ dicuntur in Deo lux, & cur. pag.269. n.24

M

Malum.

MAlum aliud culpæ, aliud pœnæ. pag.303. n.251

Malum pœnæ Deus vult per ſe, non per accidens. ibid.n.256

Malum pœnæ nemo ſibi vult per ſe. ibidem, n.253

Malum culpæ nullo modo poteſt à Deo eſſe volitum. ibid.n.258.& ſeqq.

Malum quomodò appetibile per accidens. p.304. n.279

Ad malum nullus à Deo impellitur contra Hæreticos. p.303.& ſeqq.n.2,0.& ſeqq.

Malum culpæ ad nullum bonum eſt vtile. p.305. n.288
Malum facere, vel & malum fieri, nequit habere vllam rationem boni. ibid.n.290.& ſeqq.
Malum ad bonum eſt diſpoſitiuè ordinabile ratione demeriti. p.305.n.297
Ad malum culpæ concurrit Dei potentia, non voluntas, & quomodò. p.307.n.310
Poteſt quis malum non velle, etiamſi bono volito ſit neceſſariò annexum. ibidem, n.311. & 312
Plura mala culpæ, quæ à Deo videntur præcepta, vel volita, explicantur. p.308. n.317. & ſeqq.

Maſſilienſes.

Maſſilienſium error quis. p.390.n.191
Maſſilienſes erant immunes à præcipuis Pelagianorum erroribus. ibid.n.193
Varij Patres à Maſſilienſium erroribus vendicantur. ibid.n.196.& ſeqq.

Menſura.

Menſura quid. p.71.n.12
Pro varietate quantitatis variæ ſunt eius menſuræ. ibid.
Menſura Dei nequit eſſe æternitas. ibidem, n.13. & 14.
Menſura dupliciter ſumpta. ibid.n.15
Menſura eſt vnigenea cum menſurato. p.76. n.38. & p.80.n.51
Menſura durationis Angelorum nequit eſſe tempus. ibid.
Menſuræ duplex conditio. p.77.n.40
Menſura durationis modaliter realiter ab exiſtentia rei durantis diſtinguitur. p.81.n.54
Res nequit eſſe in aliena menſura, niſi prius ſit in propria. p.200.n.108
Propria cuique rei menſurandæ adhibenda eſt menſura. p.327.n.473.& p.432.n.490

Meritum.

Meritum poteſt conſiſtere in actibus, ſub alterius dominio exiſtentibus. p.344.n.44
Meritum non remuneratur à Deo, è ſolo fidelitatis motiuo. ibid.n.45.& ſeqq.
Meritum congrui à merito condigni quomodo diſtinctum. p.345.n.47.& 48
Triplex meriti genus à D. Bonauentura aſſertum. p.389.n.186
Antiquorum Hæreticorum varij errores circa prædeſtinationis cauſam. ibid.n.187.& ſeqq.

Miſericordia.

Miſericordiæ definitio. p.350.n.83
Miſericordiæ tres acceptiones ethymologicæ.ibid.
Miſericordia eſt in Deo. ibid n.84
Miſericordia vti, & iuſtitia ei annexa, tripliciter ſumuntur, & in omni Dei opere reperiuntur. p.351.n.89.& 90
Variæ Dei operationes ad extra, in quibus miſericordia, & iuſtitia Dei ſemper concurrunt. ibid. n.92. & ſeqq.

Moyſes.

Moyſes Dei viſionem non habuit in terris. p.157. n.397
Moyſes in duobus dicitur præcellere cæteris Prophetis. p.158.n.404

Motus.

Motus localis fit per approximationem, & elongationem. p.61.n.50
Motus localis ſucceſſio oritur non ſolum ex reſiſtentia medij, ſed etiam è diſtantia termini. ibid.
Motus omnis localis quadruplici è capite Deo repugnat. p.65.n.3
Motus rectus, circularis, & obliquus, vti naturalis, violentus, & voluntarius Deo myſticè adſcribuntur, & quomodo. ibid.n.4

Motor.

Motor, vt moueat, debet eſſe præſens mobili. p.51.n.5
Motor, quò independentior à mobili, eò perfectius mouet. ibid.

Mundus.

Mundus hic nequit fieri eſſentialiter perfectior, benè tamen alius. p.475.n.107.& 110
Mundi partes in duplici ſunt differentia. p.476. n.115
Partes mundi, tam permanentes, quam tranſeuntes poſſunt fieri perfectiores quoad accidentia. ibid.
Intra mundi partes optimus probatur ordo.p.477 n.124
Mundi elementa qualiter inter ſe ordinata. ibid. n.125. & 126
Mundus quoad partes corruptibiles in fine melior fiet. p.478.n.127.& ſeqq.
Potuiſſet mundus eſſe antiquior, ſi tempus præextitiſſet. ibid.n.131

Mutatio.

Omnis mutatio fit tripliciter. pag.65. num.5. & ſeqq.
A Deo omnis mutatio longè repellitur. ibid.
Mutatio in Incarnatione accidit Humanitati, non Deitati. p.66.n.9.& ſeqq.
Mutatio ex noua volitione in Deo non ſequitur, & quomodò. ibid.n.13
Triplex mutationis genus. p.67.n.15
Sequeretur Dei Phyſica mutatio, mutato minimo eius actu libero. p.326.n.469

N

Neceſſitas.

NEceſſitas, alia eſt abſoluta antecedens, alia reſpectiua conſequens. p.223.n.295
Neceſſitas antecedens libertati repugnat, non conſequens. ibid.
Neceſſitas immutabilitatis libertati non derogat, & cur. p.225.n.308
Quæ ſit neceſſitas, quod Petrus currat, dum curſurus præuidetur. p.224.n.299.& ſeqq.
Neceſſitas conſequens tota eſt ex ſuppoſitione. p.226.n.313
Neceſſitas conſequentis, & conſequentiæ, quid. p.205.n.139
Neceſſitas in ſenſu diuiſo, & in ſenſu compoſito, quomodo intelligenda. p.206. n.143. p.404. num.292
Nulla neceſſitas Deum cogit ad faciendum melius, vel optimum. p.329.n.498
Neceſſitas extrinſeca, eſt libertati contraria. p.404. num.294
Neceſſitas Dei in operando duplex eſt. p.472. n.85. & 86

Nomen.

Nomen ſignificans ſubſtantiam in Diuinis tribus modis ſumi ſolet. p.84.n.73
Nomen verè ſubſtantiuum nequit in Diuinis eſſe numeri pluralis. ibid.
Nomen ſignificat ad menſuram nominantis, non

audientis. p.161.n.4
Nomina ſunt conceptuum ſigna. ibid.
Numen Dei comprehenſiuum nequit à creaturis ipſi imponi. p.162.n.8
Nomen eo modo imponitur, quo res nominata cognoſcitur. p.163.n.15
Nomen compoſitum ex ſubſtantia, & qualitate, quid. ibid.n.18
Decem præcipua Dei nomina, à D.Hieronymo commemorata. p.164.n.22
Nomina abſoluta, negatiua, & relatiua Deo quomodò conueniunt. p.165.n.27. & ſeqq.
Nomina à tempore ſumpta Deo poſſunt conuenire, & quomodò. p.166.n.35. & ſeqq.
Nomen imponitur Deo è creaturis tripliciter. p.173.n.89. & 91
Nominis tranſlatio fit ſemper ſecundum aliquam ſimilitudinem. ibid.n.93
Quædam nomina dicuntur de Deo propriè, quædam Metaphoricè. ibid. n.94. & 98
Circa nomen Dei, *Qui eſt*, varia expoſitorum placita. p.180.n.137
Nominis, *qui eſt*, ſignificatio. ibidem, num.138. & 140
Nomen, *qui eſt*, ſibi Deus impoſuit, & cur. p.180. n.140. p.183.n.157

O

Obduratio.

OBduratio peccatoris eſt quodammodò à Deo, & quomodò. p.310.n.319. p.452.n.99
In obduratione tria ſpeciatim conſiderantur. ibid. n.430. p.453.n.95
Obduratio eſt magna peccatoris punitio, & quomodò. ibid.n.333. & ſeqq.
Obduratio in peccato dupliciter ſumenda. p.451. num.81
Obduratio dicit intrinſecè defectum rectitudinis. p.452.n.90
Obduratio peccatoris non fit eodem medio, quo illuminatur iuſtus. p.453.n.98
Obduratio ab excæcatione, & aggrauatione quomodò diſtinguitur. ibid.n.101
Obdurationis cauſa in adultis refundi poteſt in liberum arbitrium. p.454

Obiectum.

Obiecta inter ſe tripliciter ordinantur, & quomodò. p.291.n.185

Occaſio.

Occaſio alia eſt actiua, alia paſſiua. pag.305. num.287
Malum eſt boni occaſio. Vide *Bonum*.

Odium.

Odium aliud eſt abominationis, aliud inimicitiæ, & quid vtrumque. p.336.n.6
In odio inimicitiæ duplex eſt actus, in odio abominationis duplex reſpectus. ibid.n.7
Odium mali eſt formaliter in Deo. ibidem, n.6. & 8.

Omnipotentia.

In Deo datur neceſſario Omnipotentia, à voluntate diſtincta. p.463.n.11. & ſeqq.
Varij modi explicandi potentiam Dei executiuam. p.462.n.1. & ſeqq.
Infinitas potentiæ Diuinæ, non eſt confundenda cum infinitate voluntatis Diuinæ. pag.463. num.12
Effectus productus, diuerſimodè connotat Dei potentiam, & Dei voluntatem. p.464.n.17
Ratio Diuinæ Potentiæ nequit conuenire Dei eſſentiæ. p.465.n.25. & ſeqq.
Omnipotentia Diuina fuit ab æterno ſine actu, non tamen in tempore ex actu mutata. p.467. n.35. & 36
Omnipotentiæ Diuinæ infinitas vnde ſumenda. p.468. n.44. & ſeqq.
Infinitas potentiæ Dei reſultat ex eius Bonitate, independentia, aliiſque attributis. ibid.n.47. & ſeqq.
Omnipotentia Dei connotat omne poſſibile. ibid. n.50. p.472. n.83
Omnipotentia nequit attingere per ſe ea, quæ redolent imperfectionem. p.459.n.34
Ex infinitate potentiæ paſſiuæ in creaturis colligitur Omnipotentia actiua in Creatore. ibid. num.58
Nequit Omnipotentia Dei facere, vt præteritum non fuerit, licet facere poſſit, vt præteritum ſit præſens. p.470. & 471.n.69. & 73
Omnipotentiæ Diuinæ obiectum quid, & vnde ſumendum. p.472.n.78, & ſeqq.
Omnipotentia reſpicit non ens, & quomodò. ibid. num.79
Inter poſſibilia, & Dei Omnipotentiam nulla reſultat realis relatio. ibid.n.81
Omnipotentia Dei, alia eſt ordinata, alia abſoluta, & vtriuſque definitio, ac diſtinctio. p.473. n.88. & ſeqq.
Potentiæ ordinariæ triplex acceptio. pag.474. num.96
Omnipotentia Dei poteſt attingere finita in infinitum, & quomodò. p.475.n.104. & ſeqq.

Ordo.

Ordo Intentionis, & executionis explicatur. p.292. num.186
Ordo intentionis totus eſt in ratione cauſalitatis, non dignitatis. p.293.n.188
Præter ordinem intentionis, & executionis datur in actibus Diuinis ordo quo ad ſubſiſtendi conſequentiam, & quomodò. p.294.n.204
Ordo prioritatis inter actus Diuini intellectus, & voluntatis, quis ſit. p.295.n.205
Ordo actuum Diuinorum nequit mutari, niſi mutentur obiecta. ibid. n.206
Ordinis capax poteſt aliquid eſſe, aut vt ſuſceptiuum, aut vt diſpoſitiuum, vel vt oſtenſiuum, & quomodò. p.305.n.295
Eorum, quæ in noſtra ſunt voluntate, triplex eſt ordo. p.330.n.20

P

Sancti Patres.

SAncti Patres contra Hæreticos diſputantes, per exceſſum loqui ſolebant, & cur. pag.179. num.120

Peccatum.

Peccatum à Deo cognoſcitur per virtutum ideas. p.245.n.44. & ſeqq.
Peccatum non opponitur formaliter bonitati Diuinæ. p.46.n.448
Peccatum cognoſcere per priuationem, quæ ſit in cognoſcente, eſt imperfectio; ſecus ſi priuatio ſit in cognito. p.213.n.117

Peccatum

Peccatum ad decorem vniuerſi quomodo conducat. p.306.n.299.& ſeqq.
Etiamſi peccatum non eſſet, Dei miſericordia, & iuſtitia manifeſtarentur. ibid. n.304
Permiſſio peccati non eſt volitio eius. p.311. n.348
In peccato aliud eſt actio Phyſica, aliud moralis malitia. p.313.n.363
Peccatum non eſt à voluntate, vt præciſè deliberatiua, ſed potius defectiua. p.315.n.377
Peccati permiſſio. Vide *Permiſſio.*
Peccati permiſſio ad ſalutem ordinata eſt prædeſtinationis effectus. pag. 415. & 426. n.437. & ſeqq.
Peccatum quomodò ordinabile ad bonum. p.426. num.445
Peccatum ad mortem duplex eſt. p.457.n.137
Peccatum contra Spiritum Sanctum, quomodo intelligendum. ibid.n.138

Perfectio, Perfectum.

Perfectum aliud eſt ſimpliciter, aliud eſt in genere. p.34.n.1
Perfectum à bono differt. ibid.
Perfecti definitio. p.35.n.2
Perfectio, alia ſimpliciter ſimplex, alia ſecundum, quid. p.35.n.3
Perfectionis ſimpliciter ſimplicis definitio, & definitionis expoſitio. ibid. & ſeqq.
Ad perfectionem ſimpliciter ſimplicem duæ requiruntur conditiones. ibid.n.7
In Deo tripliciter poteſt eſſe aliqua perfectio. p.36. num.13
In Deo ſunt omnium creaturarum perfectiones eminenter, vel formaliter. ibid.n.14
Formalis, vel virtualis perfectionis continentia, quid. ibid.n.15
Perfectum ens non ſemper producere poteſt ſibi ſimile. p.89.n.36
Perfectio tranſlata à creaturis ad Deum poteſt includere imperfectionem dupliciter. pag.339. num.5

Permiſſio.

Permiſſio Dei, quid. p.316.n.381
Permiſſio non eſt mera hominis libertas, ſed poſitiuus Diuinæ voluntatis actus. ibid. n.384. & ſeqq.
Peccati permiſſio eſt opus iuſtitiæ. ibidem, num.388
Permiſſio peccati eſt bona, & quomodò. ibidem. num.389
Circa permiſſionem peccati Deus dicitur, ſe habere poſitiuè ob tres cauſas. pag.317. n.393. & 394
Vide *Peccatum.*

Perſeuerantia.

Perſeuerantia non eſt ex ſolis Meritis, nec à ſola Dei voluntate. p.380.n.126
Licet perſeuerantia ſit abſque merito, idem inferri nequit de gloria. ibid.

Plato.

Platoni ab Ariſtotele ideæ ſeparatæ falsò ſunt adſcriptæ. p.251.n.17
Non à Platone primò recepta eſt ratio idearum. p.258.n.78

Poſſibile.

Poſſibile aliud Logicum, aliud Phyſicum. p.192. num.65
Vtrumque poſſibile æquè à Dei pendet potentia. ibidem.
Poſſibilia non cognoſcuntur in Deo per eſſe cognitum, ſed per ſolam omnipotentiam. p.193. n.69. & 74
Poſſibilium cognitio. Vide *Cognitio.*
Poſſibilia nomquam futura non terminant Dei cognitionem, ſecundum aliquod eſſe reale, à cauſis diſtinctum. p.244.n.414
Poſſibile, aliud eſt ſimpliciter, aliud ſecundum, quid. p.478.n.133
Poſſibile, vti & impoſſibile ex adiuncto eſt dignoſcendum, & quomodò. p.479.n.137
Poſſibile aliter cognoſcitur in ordine ad cauſam ſuperiorem. ibid.n.136
Poſſibile paſſiuè, quid. ibid.n.137
Ratio poſſibilitatis ſumenda eſt intrinſecè ex ipſis rebus. p 480.n.145

Potentia.

Potentia receptiua comparari poteſt ad actum, quem recipit, ex Scoto. p.110.n.117
Potentia, quæ à Scoto dicitur neutra, reiicitur. ibid. n.118
Potentia naturalis poteſt eſſe ad contrarias formas circa idem ſubiectum. ibid.n.119
Datur potentia obedientialis diſtincta à naturali. ibid.n.123
Potentia naturalis, & violenta, quid. ibidem, n.124
Potentia creaturæ rationalis ad actus ſupernaturales eſt obedientialis, non naturalis. p.111. num.127
Potentia eadem poteſt eſſe naturalis, vel obedientialis ad actus ſupernaturales diuerſimodè ſpectatos, & quomodò. ibid.n.128
Potentia animæ ad gratiam quomodo dicitur naturalis. p.112.n.138
Potentia Dei. Vide *Omnipotentia.*

Prædefinitio.

Prædefinitio, quid. p.325.n.455
Prædefinitio infert quamcumque cauſalitatem in tempore. ibid.n.456.& 457
Prædefinitio. Vide *Decretum.*

Prædeſtinatio.

Prædeſtinationis nomen, & multiplex definitio. p.362.n.3.5. & ſeqq.
In Diuinæ Prædeſtinationis actu tria ſpecialiter interueniunt. p.363.n.8
Prædeſtinatio eſt actus Dei immanens. ibidem, num.9
Prædeſtinatio antecedit omnia tempora, eſtque ab æterno. ibid. n.11
Prædeſtinatio dicit relationem, ſed tamen in potentia. ibid.n.12
Prædeſtinatio eſt Deo libera. p.364.n.14
Prædeſtinatio eſt pars Prouidentiæ, & qualis. ibid. num.15
Prædeſtinatio eſt in voluntate, vt in ſubiecto, requiritque præuium, & practicum iudicium intellectus. ibid. n.16. & 17
Prædeſtinatio prærequirit ſcientiam ſimplicis intelligentiæ

telligentiæ , & ſcientiam mediam. ibidem, num.19.
Modus Prædeſtinandi in Dei volontate. pag.365. num.22
A Prædeſtinatione non differt electio niſi ratione. ibid n.23. & ſeqq.
Status quæſtionis de Prædeſtinatione ante præuiſa merita proponitur,& dilucidatur. ibid.n.26 & ſeqq.
Prædeſtinatio ad gloriam nititur præuiſione meritorum. p.367.n.36.& ſeqq.
Refelluntur exempla , quibus prædeſtinatio ante præuiſa merita inſinuatur. p.368.n.48. & ſeqq. & p.372. n.78. & 81
In Prædeſtinatione interuenit voluntas beneplaciti , ſed non gratuita. p.369.n.56
Prædeſtinatio poſt meritorum præuiſionem illuſtratur exemplo. ibid.n.61
Prædeſtinatio ante præuiſa merita negat, Deum velle omnium ſalutem. p.370.n.66
Ex Prædeſtinatione ante præuiſionem meritorum ſequitur violatio libertatis, & quomodò.p.371. n.69.74. & ſeqq.
Hæc prædeſtinatio facit , vt meritum ſit inane, & ſuperfluum. ibid.n.76.& ſeqq.
Finis in intentione primus, & in executione vltimus non ſaluat prædeſtinationem ante præuiſa merita. p.372.n.82
Prædeſtinatio poſt præuiſa merita D. Auguſtini auctoritatibus propugnatur. pag.374. num.93. & ſeqq.
Prædeſtinatio nequit eſſe gratuita ex parte actus, & oneroſa ex parte obiecti. pag.376. n.102. & ſeqq.
Soluuntur Scripturæ ab Aduerſariis contra Prædeſtinationem ex præuiſis meritis obiectæ. p.377.& ſeq. n.112.& ſeqq.
Auguſtini loca de prædeſtinatione gratuita exponantur. p.379.n.123.& ſeqq.
In prædeſtinatione media prius ſunt volita, quam finis, & quomodo. pag.382. num. 139.& ſeqq. & p.383. n.144
Prædeſtinatio eſt tantum creaturæ rationalis , caditque primo in perſonam, deinde in naturam. p.384.n.148.& 149
Prædeſtinationis terminus eſt gratia , & gloria. ibid.n.151
Prædeſtinatio etiam eximiè dilectorum nequit eſſe,niſi ex præuiſione meritorum.p.385.n.154. & ſeqq.
Abſque prædeſtinatione nemo ſaluatur. ibidem, n.157
Prædeſtinatio fit determinatè ad talem gratiam, talem gradum gloriæ , & ſimilia. ibid. n 159. & ſeqq.
Hominis prædeſtinatio facta eſt poſt peccati originalis præuiſionem. p.386.n.166
Prædeſtinatio ita mandatur executioni in tempore , vti intenta eſt ab æterno. pag. 387. n.173
Angelorum prædeſtinatio peiùs facta eſt , quam hominum. ibid.n.166.& ſeqq.
Angelorum , & hominum prædeſtinatio , quo ſit ordine facta. p.388.n.182
Prædeſtinationis meritum nullum eſt de condigno. p.394.n.228.& ſeqq.
Vocatio computatur à D. Bonauentura inter effectus prædeſtinationis. pag.395. num.239. & ſeqq.
Circa motiuum prædeſtinationis varia referuntur Scholaſticorum placita. p.396. & ſeqq. n.246. & ſeqq.
Nequit prædeſtinatio conduci per ſcientiam mediam ad ſuum finem , niſi præuideatur aliquod motiuum in prædeſtinato. pag. 399. n.260. & ſeqq.
Voluntas Dei antecedens, qua vult omnium ſalutem , præſupponit aliquod prædeſtinationis motiuum. ibid.n.261.& ſeqq.
Niſi concedatur aliquod prædeſtinationis motiuum , ſequetur , Deum æqualia ſalutis media omnibus præparaſſe. p.400 n.267
Reproborum damnatio præſupponit aliquod prædeſtinationis motiuum ex parte electorum.ibid. n.268
Nequit eſſe prædeſtinatio ,niſi ſit præſcientia, & vocatio , nec vocatio abſque motiuo. p.401. n.271
Prædeſtinationis infallibilitas in quo conſiſtit. ibid.n.272
Deus in prædeſtinatione numquàm aliquibus media præparat congrua , & aliis incongrua. p.402. n.276
Prædeſtinatio adultorum à prædeſtinatione paruulorum quomodo differens. ibid.n.281
Prædeſtinatio ſupponens motiuum nullatenus fauet Pelagianis , aut Semipelagianis. ibid. n.282.& 284
Duæ prædeſtinationis conditiones , nempè vt neceſſitatem non inferat , & certa ſit. p.403. n.287
Plura abſurda quæ ſequerentur ex decreto Prædeſtinationis, nullo præſuppoſito motiuo. ibid. n.189. & ſeqq.
Prædeſtinatio abſque motiuo neceſſitat voluntatem , & quomodo. pag.404. num.291. & ſeqq.
Executio prædeſtinationis requirens motiuum , probat etiam motiuum in æterno ipſius actu. p.405.n.299
D. Pauli Textus de Prædeſtinatione amplè exponitur. p.405.n.301.& ſeqq.
Prædeſtinatio ad conformitatem cum Filio Dei, quomodo intelligenda. p.406.n.310
Prædeſtinatio non antecedit , ſed ſequitur præſcientiam. ibid.n.313.& ſeqq.
Iudiciorum Dei incomprehenſibilitas in prædeſtinatione præcipuè elucet. pag.407. num.318. & 319
Meritum non autem motiuum à prædeſtinatione Diuus Auguſtinus excluſit. pag.408. numero 324
Motiuum prædeſtinationis à D. Paulo aſſertum. ibid.n.327
Prædeſtinatio D. Pauli facta eſt aliquo motiuo , & quo. p.410.n.340
Prædeſtinatio poteſt eſſe in poteſtate cuiuſque , & quomodo. p.411.n.341
Prædeſtinatio Iacob , & reiectio Eſau diſcutiuntur. ibid.n.342.& ſeqq.
Prædeſtinationis motiuum gratiam non excludit , poteſtque ſorte euenire. pag.412. numero 347
Motiuum iſtud prædeſtinationis non eſt aliquid naturæ , ſed gratiæ. ibid.n.358
Motiuum prædeſtinationis nil detrahit Diuinæ miſericordiæ , vel liberalitati. ibidem, n.352. & 353

Licet,

Licet, quodnam ſit prædeſtinationis motiuum, ignoretur, illud tamen dari, ex prouidentiæ Diuinæ effectibus, conſtat. pag.413. n.355. & 358
Voluntas Dei totius prædeſtinationis cauſa aſſeritur, & quomodò. p.414.n.359
Prædeſtinatio quoad actum à nullo poteſt cauſari. ibid. n.365
Prædeſtinatio noſtra tota habetur ex meritis Chriſti. p.415.n.369.& ſeqq.
Prædeſtinatio in tempore ex meritis includit præparationem mediorum ab æterno. pag. 416. n.376
Prædeſtinatio ex meritis Chriſti non excludit omne motiuum ex parte prædeſtinati. ibid. n.379. & ſeqq.
Prædeſtinationis effectus, vel etiam decretum ratione connotati poteſt ſub merito congruo Sanctorum cadere. pag.420. num.404. & 406
Prædeſtinatio ab æterno ita eſt diſpoſita, vt orationibus poſſint eius effectus impetrari. p.421. n.407
Varij ſunt prædeſtinationis effectus, poteſtque vnus effectus ab altero cauſari. ibid. n.410. & 412
Vt aliquid ſit prædeſtinationis effectus, quatuor requirit conditiones. pag. 422. num. 413. & ſeqq.
Tres præcipui prædeſtinationis effectus probantur. p.422.n.419.& ſeqq.
Naturalia vt ſic nequeunt eſſe effectus prædeſtinationis, benè tamen vt Diuinæ Prouidentiæ inſeruiunt. p.424.n.431
Alij varij prædeſtinationis effectus diſcutiuntur. ibid. & ſeqq.
Prædeſtinatus non eſt ſemper in gratia, & poteſt ab ea excidere. pag. 427. num.451. & ſeqq.
Inter prædeſtinationem, & generationem Filij, quæ ſemper neceſſariò fit, quæ ſit differentia. p.432. n.493
Prædeſtinatus poteſt à prædeſtinatione cadere, & quomodo. p.435.n.508
Prædeſtinatio, quæ iam eſt, potuit non eſſe in Deo. ibid.n.509
Prædeſtinatio eſt certa certitudine immutabilitatis, & numquam tranſit in præteritum. p.436. n.511
In prædeſtinatione duplex eſt certitudo. p.438. n.525
Prædeſtinatorum numerus eſt certus, & immutabilis, & quomodo. pag.438. num.527. & ſeqq.
Prædeſtinationis ſuæ nullus poteſt eſſe certus. p.439.n.531.& ſeqq.
Prædeſtinationis ignorantia ad ſollicitè operandum debet excitare. ibid.n.533

Prædicamentum.

Prædicamenta quid. p.16.n.5
In prædicamentis ponuntur aliqua tripliciter. ibid.
Ens, quod ponitur in prædicamento, debet eſſe compoſitum ex genere, & differentia. p.17. num.7
Ens prædicamentale eſt aliquid reale, quod non reſpicit entitatem aliorum totum. ibidem, n.7. & 8
Deus nequit poni in prædicamento. ibid. n.8. & ſeqq.
Vltima quinque prædicamenta ſpectant propriè ad res mutabiles, vnde Deo nequeunt attribui; ſecùs quinque prima. p.18.n.17
Prædicamentum non eſt capax recipiendi entis infiniti, & cur. p.44.n.30

Prædicatio.

Prædicatio vnius de alio quinque modis ſolet fieri. p.166.n.37
Prædicatio per ſe dicitur tripliciter. pag.167. num.43

Priuatio.

Priuatio naturalis bonum propriè non corrumpit. p.306.n.303

Proportio.

Proportio Geometrica poteſt dari inter finitum,& infinitum. p.92.n.15

Propoſitio.

Propoſitio per ſe nota, quid. pag.6. num. 28. & ſeqq.
Propoſitio per ſe nota habet euidentiam ex propriis terminis. p.7.n.29
Propoſitiones aliæ ſunt ſolum per ſe notæ, aliæ etiam notæ nobis. ibid.n.31
Propoſitio, *Deus eſt*, eſt nota per ſe, non tamen nobis. p.8.n.35.& 37
Propoſitionis differentia à re. p.248.n.467
Propoſitio ſemel vera poteſt eſſe aliquando falſa contra Nominales. ibid.n.468.& 470
Propoſitio non variatur, ex eo quod pronuntietur in multiplici tempore præſenti. ibidem, n.472
Propoſitiones à Deo cognoſcuntur, & quomodò. p.249.n.474.& ſeqq.

Prouidentia.

Prouidentiæ definitio. p.353.n.2
Prouidentia habet voluntatem pro ſubiecto. ibid. n.4.& ſeqq.
Prouidentia Dei ab Ariſtotele nuſquàm negata p.354.n.13. & ſeqq.
Prouidentia Dei variis Scripturæ teſtimoniis probatur. p.355.n.16.& ſeqq.
Dei Prouidentia ex vegetabilium ordine, & decore colligitur. p.356.n.23
Prouidentia etiam circa peccatum Deo non repugnat. p.357.n.31.& ſeqq.
Varia Diuinæ Prouidentiæ exempla, circa vtrumque malum pœnæ, & culpæ, p.358. n.37. & ſeqq.
Prouidentiæ differentia à Prædeſtinatione. p.360. num.53
Aſſecutio finis, ad quem media adhibentur, non ſemper ſpectat ad rationem prouidentiæ. ibid. n.53.& ſeqq.
Prouidentia Dei alia naturalis, alia ſupernaturalis, p.361.n.57.& 58
Prouidentia Dei ſemper aliquem attingit finem, ibid.n.56.& 60

Q

Quantitas.

QVantitas molis repugnat ſimplicitati, non autem virtutis, & cur. pagina 154. numeru 383

Quidditas.

Quidditas Diuinæ Eſſentiæ tribus modis ſolet inueſtigari. p.12.n.3
Quidditas Dei exprimitur nomine Iehovah. ibidem.
Eſſe Dei non eſt tota ipſius quidditas. pag.13. num.5
Varia attributa ad Dei quidditatem pertinentia. ibid.n.6. & ſeqq.
Diuinæ quidditatis ratio non ſtat in Diuina intellectione. p.14. ad finem.

R

Relatio.

RElatio dicit dependentiam à ſubiecto, & ordinem ad obiectum. p.17.n.11
Relatio prædicamentalis nequit Deo conuenire. ibidem.
Relatio perſonalis differt à relatione fundata ſupra creaturam. p.66.n.10
Relationis triplex genus, & cuiuſque generis deſcriptio. p.167.n.49. & ſeqq.
Ad relationem realem duæ requiruntur conditiones. p.168.n.52
Non datur relatio realis Dei ad creaturas. ibid. n.56. & ſeqq.
Quælibet relatio tria poſtulat. pagina 169. numero 61
Relatio terminat ad abſolutum, non ad relatiuum. ibid.n.62.& 63
Relationis definitio. ibid.n.65
Relatio in Diuinis non habet aliud fundamentum à ſeipſa diſtinctum. p.170.n.77
Ad relationem requiritur dependentia, vel ſaltem ordinatio. p.171.n.70
Sola relatio rationis poteſt eſſe in Deo in ordine ad creaturas, non tamen à Deo, ſed à nobis confecta. ibid. n.80.& 81
Relatio Patris ad Filium in Diuinis eſt realis, non tamen ad creaturas, & cur. p.172.n.83
Relatio cauſæ ad effectum eſt mutua in creatis, non in Deo. ibid.n.85
Relatio realis nequit aduenire abſque aliquali mutatione. ibid.n.87

Reprobatio.

Reprobatio, quid. p.440.n.1. p.441.n.5
Reprobationis actus verè datur in Deo. ibidem, num.2
Reprobatio, non autem prædeſtinatio, dicitur præſcientia, & cur. p.441.n.3
Reprobatio eſt actus præcipuè voluntatis. ibid. num.4
Diuiditur reprobatio in poſitiuam, & negatiuam. ibid. n.6
Datur in reprobatione actus reflexus Diuinæ voluntatis, quo vnum prædeſtinans, alium reprobat. p.442.n.9.& 10
Demerita non ſunt effectus reprobationis, licet merita ſint effectus prædeſtinationis. ibidem, num.12
Nequit reprobatio eſſe abſque ſufficienti cauſa ex parte reproborum. ibid.n.15
Circa veram reprobationis cauſam variæ proferuntur ſententiæ. pagina 443. numero 17. & ſeqq.
In reprobatione actus Diuinæ voluntatis diſtinguendus eſt ab eius connotato. ibidem, num.21
In infantibus peccatum originis ad finem vitæ durans eſt reprobationis ipſorum cauſa. p.444. n.23. & 25
Reprobationis ordo iuxta varia rationis ſigna quomodo tenendus. ibid.n.24
Deus poſt præviſum etiam peccatum, nequit habere actum efficacem reprobationis negatiuæ. p.445.n.32
In reprobatione non interuenit præparatio gratiæ incongruæ antecedenter. ibid. n.37
Totius reprobationis dari aliquam cauſam probat ſincera Dei voluntas, qua vult omnium ſalutem. p.446.n.38
Reprobatio negatiua abſque poſitiua nequit conſiſtere. p.442.n.10 p.446.n.40
Reprobatio non impedit, quin reprobus ſemel iuſtificatus in gratia poſſit perſeuerare. p.447. num.48
Fomes peccati nequit eſſe reprobationis cauſa. p.448 n.54
Reprobatio negatiua à poſitiua non diſtinguitur. ibid.n.56
Reprobatio Eſaü cui cauſæ ſit adſcribenda. ibid. n.58.& 59
Prima peccati permiſſio nequit eſſe primus reprobationis effectus. p.449.n.65
Reprobatio eſt in poteſtate reprobi, & quomodò. ibid. n.66
Reprobatio negatiua probat, Deum homines, & Angelos non condidiſſe ad Beatitudinem. p.450. num.71
Ex reprobatione negatiua ſequitur in Deo perſonarum acceptio, & quomodò. ibid. n.72
Reprobationis duo ſunt effectus, permiſſio perſeuerandi in peccato, & æterna damnatio. p.451. num.80
Reprobatio negatiua ampliùs confutatur exemplis. p.450.n.74. & ſeqq.
Reprobi, quantumvis obdurati, ſufficientia habent ſalutis remedia. p.455.n.119. & ſeqq.

Reuelatio.

Reuelatio tribus modis ordinariè haberi ſolet. p.156.n.394
Modus reuelationis per intellectum eſt cæteris excellentior. ibid.

S

Scientia.

SCientia Dei variis probatur mediis, & præcipuè ſumma Dei immaterialitate. p.184. & 185.n.3.11. & ſeqq.
Scientiæ Diuinæ non repugnat pendere à creaturis tamquam à termino. p.188.n.35
In

Io præſcientia duo ſoot conſideranda. pag.200. n.118

Præſcientia ooo eſt, niſi futurorum. ibidem, n.210

Præſcientia quomodò à SS. PP. in Deo negata. p.201.n.117.& 118

Scientia media ooo ſufficit, vt Deus certò futura cognoſcat. p.212.n.200.& ſeqq.

Scientia Dei in ſe vna, ratione obiectorum eſt multiplex. p.217.n.245

Scientia Dei quomodò ſit rerum cauſa.ibid.n.248. & 249

Præſcientia non tollit effectus contingentiam, nec officit libertati. pag.206. num.268. & ſeqq.

Præſcientia cum libertate conciliatur ratione morali, & naturali. pag.221. oumero 277. & 278

Præſcientia, vt tollat contingentiam, debet ipſam præcedere, & in ipſam influere. ibidem, o.282

Inter ſcientiam ſimplicis iotelligentiæ, & viſionis datur ſcientia media. p.227. o.326. & p.230. n.342. & ſeqq.

Scieotia media variis inſcribitur nominibus.p.228. n.333

Scieotiæ mediæ quis primos iouentor. ibidem, n.329. & p.229. n.336.& 341

Pœnitentia Tyriorum, & Sidoniorum, per quam ſcientiam à Deo præuiſa. pag.230. num.348. & ſeqq.

Scientia media in Deo præcedit omne voluntatis decretum. p.232.n.361.& ſeqq.

Scieotia latiùs ſe extendit, quam voluntas. p.234. n.367

Scientia media, ſeu conditionata quo ſenſu à Sanctis Patribus negata. pag.237. num.383. & 384

Scieutia conditionata nullam pooit in Deo dependeotiam à creaturis. ibid.n.385

Contra ſcientiam mediam variæ ſoluuntur obiectiones. pag. 238. & ſeqq. numero 390. & ſeqq.

Scientia media ouſquam fauet Semipelagiaois. ibid.n.400

Scientia libera latiùs patet, quàm præſcientia. p.241.o.417

Scieotia media partim ſpectat ad ſcientiam viſioois, partim ad ſcientiam ſimplicis iotelligentiæ, & quomodò. ibid.

Scieotia Dei ſe extendit ad infinita poſſibilia, nequitque augeri, benè tamen præſcientia. p.242. n.423.& ſeqq.

Scientia Dei non eſt compoſita. pag.246. oumero 452

Sientiæ Dei immutabilitas, vnde orta. p.247. n.457.& ſeqq.

Obiectorum varietas, & vieiſſitudo ſcientiam Dei, nec variat, nec vitiat. ibidem, oum.459. & ſeqq.

Præſcita poſſunt augeri, non tameo Dei ſcieotia, & cur. p.148.n.463

Diuinæ Scieotiæ mutabilitas exemplo manifeſtatur. ibid.o.466

Scotus.

Scoti *Eſſe cognitum*. Vide *Cognitio*.

Scoti *Eſſe diminutum*, quomodò iotelligeodum. p.251.n.20.& 21

Similitudo.

Inter aliqua duo, triplex poteſt eſſe ſimilitudo. p.252.n.29

Similitudo ſecundum expreſſionem, quæ habetur inter ſpeciem, & obiectum, aliter ſit io Deo, aliter in oobis. p.253.n.30

Simplicitas.

Simplicitas eſt paſſio entis dicens: Quid nobile, & poſitiuum. p.19.n.22.& 23

Omnimoda ſimplicitas Deo cooueniit, & fundatur in eius actualitate. ibid.& ſeqq.

Vbi ſumma ſimplicitas, ibi ſumma actualitas, & quomodò. p.20.n.25

Cum maiori ſimplicitate non eſt ſemper maior actualitas. ibid. n.26

Quæ ſimplicitas ſit perfectio ſimpliciter ſimplex. ibid.

Non omnis multitudo ſimplicitatem deſtruit.ibid. n.27

Simplicitatis definitio. ibid.

Sex ſunt ſimplicitatis modi, à totidem modis compoſitionis cootradiſtincti. ibidem, numero 28.

Summa ſimplicitas nulli creaturæ cooueniire poteſt. ibid.n.29

Dei ſimplicitas temeratur diſtioctiooe formali attributorum. p.28.n.57

Spatium imaginarium.

In ſpatiis imaginariis Deoio capi, duobus modis intelligitur. p.59.n.42

Spatium imaginarium, vt dicit quid locale, nequit Deum capere. ibid. n.43.& ſeqq.

Deus eſt io ſpatiis imaginariis præſentia ſuperexcedeote, & ſubſtantiali. pag.60. num.46. & ſeqq.

In ſpatio imaginario nequit fieri motus, licet fieri poſſit in vacuo. ibid.n.48

Species.

Species quidditatiua repræſentat neceſſariò, tam Dei exiſtentiam, quam quidditatem. pag.95. num.28

Io patria quæ ſit ſpecies requiſita ad Deum cognoſcendum. p.96.n.35.& 36

Species Dei abſtractiua. Vide *Cognitio*.

Species expreſſa in Beatis eſt Verbum. pag.97. oum.38

Species abſtracta Deum clarè repræſentans non repugnat. ibid.n.39

Species eſt per accideos immaterialior obiecto. ibid. n.40

Species naturaliter manans à Deo oon eſt infioita. ibid. o.41

Species expreſſa noo eſt ipſa actio intellectiua. ibid.

Species expreſſa poteſt facere Beatum efficieoter; licet gratia non faciat efficienter Sanctum.p.98. oum.42

Inter ſpeciem expreſſam, & impreſſam nonnullæ diſparitates. ibid.n.43

Species expreſſa Dei ſumitur à ſimilitodine ſpeciei oculi corporei. ibid.n.45

Speciei perfectio creſcit ioxta perfectiooem obiecti aſſimilatiuè, noo æquipareoter. ibidem, oom.47

Inter ſpeciem à Deo prodoctam, & ipſum Deum non

non datur relatio ſimilitudinis adæquatè, ſed proportionis. ibid.n.49
Species non producitur à ſola Dei eſſentia, ſed à concurrente etiam voluntate, vnde eſt limitata. ibid.
Nequit dari ſpecies repræſentans infinita actu obiecta; benè tamen repræſentans Deum, & cur. p.99.n.50
Species repræſentans obiectum, non eſt eiuſdem rationis cum obiecto. ibid.n.52
Speciei impreſſæ neceſſitas, vnde ſumenda. ibid. num.53
Speciei immaterialitas, vndè ſumenda. ibidem, num.54
Refelluntur plura abſurda ab aduerſariis contra ſpeciem Dei impreſſam intentata. p.100. n.57. & 58
Datur quadruplex ſpecies, ſeu ſimilitudo creata, & quomodò. ibid.n.59
Speciei intelligibilis ſex ſunt munera. pag.103. num.76
Varij explicantur modi, quibus Deus à nonnullis creditur vniri Beatis per modum ſpeciei. ibid.n.77.& ſeqq.
Nequit Deus vniri Beato per modum ſpeciei intelligibilis. p.104.n.79

Speculum.

Speculum voluntarium in Deo eſt Diuina Eſſentia, & quomodò. p.96.n.37
In ſpeculo res formaliter non videntur, nec cauſaliter. p.144.n.314

Spes.

Spei definitio. p.337.n.12
Deo ſpes non conuenit, nec eſt circa id, quod videtur. ibid. n.11.& 13

Subſtantia.

Subſtantia ſpiritualis repugnat, niſi ſit cognoſcitiua. p.185.n.14
Subſtantia, quantò eſt à materia corporea abſtracta, & independens, tantò puriores recipit ſpecies, ad cognoſcendum. ibid.

Supernaturale.

Supernaturale, aliud eſt ſecundum modum, aliud ſecundum ſubſtantiam. pag.109. numero 112
Supernaturale ſimpliciter quid. ibid.
Ratio ſupernaturalis non ſumitur ex quavis negatione exigentiæ, vel particularis inclinationis rerum. ibid. n.114
Supernaturale propriè ſumitur in ordine ad ipſam entitatem ſubiecti. ibid.n.115
Supernaturalis ſubſtantia creata repugnat, & cur. p.113. n.138
Accidens ſupernaturale poteſt eſſe, non autem ſubſtantia, & cur. ibid.n.142

T

Tempus.

TEmporis ratio in quo conſiſtens. pag.69. num.7
Tempus eſt menſura mutabilium, & corruptibilium. ibid.n.6
In tempore, cùm tempore, & ex tempore quomodo differunt. p.166.n.34

Tetragrammaton.

Tetragrammaton eſt nomen quatuor litterarum, & ineffabile, & cur. pag.164. numero 22. & 23
Eſt nomen Deo magis proprium, quam nomen, Qui eſt. p.179.n.136
Nomina Tetragrammaton, & Iehoua idem ſignificant. p.181.n.143

V

Vacuum.

VAcuum probatur poſſibile. pag.60. numero 48
In vacuo non eſſet ſimplex negatio, ſed potius vera priuatio. p.61.n.49
Vacuum aliter accipitur ab Ariſtotele, aliter à nobis. ibid.n.50

Vbique, Vbiquitas.

Vbiquitatis quatuor ſunt conditiones. pag.57. num.34
Vbiquitas reſultat ex immenſitate, & ſoli Deo conuenit. ibid.
Vbiquitas nequit conuenire humanitati Chriſti, licet diuinitati ſit vnita. ibid.n.35
Numerus poteſt eſſe in omnibus entibus, non tamen vbique. ibid.
Vbiquitas conuenit Deo ab æterno. ibidem, num.36
Deus nequit eſſe vbique locorum, niſi dum loca exiſtunt. p.58.n.37
Licet Deus fuerit ab æterno vbique, non tamen in hac domo, & cur. ibid.n.39
Vbiquitatis ab immenſitate diſtinctio. ibidem, num.41
Ex vbiquitate locali nulla ſequitur Dei mutatio. ibid.n.39.& 41
Vbiquitas Dei in rebus, & locis per Præſentiam, Eſſentiam, & Potentiam variis modis explicatur. p.62.n.59.& ſeqq.
Vbiquitas præſentialis differt in Deo ab vbiquitate eſſentiali. p.63.n.62
Vbiquitas Dei nequit niti eius ſcientia, vel voluntate, & cur. ibid.n.66
Vbiquitas Dei quomodo vniformis reſpectu rerum omnium. ibid.n.67.& ſeqq.

Verum.

Verum tripliciter comparatur, ad ſuum ſubiectum, cauſam, & ſignum. p.3.n.1
Verum, vt eſt paſſio entis, & in ſubiecto, tripliciter conſideratur. p.4.n.11
Duplex adhuc veri conſideratio. ibid.

Viſio Dei.

Clara Dei viſio eſt poſſibilis. pag.90. numero 1.
Viſionis Dei capax eſt anima rationalis. ibidem, num.2.
Auctoritates negantes Dei viſionem eſſe poſſibilem, quatuor modis poſſunt explicari. p.92. num.11.
Infinitum in ratione entis nequit cadere ſub viſione

viſione intellectus; benè tamen in ratione obiecti. ibid.n.13

Viſio Dei naturalis à Scoto malè probatur. p.94. num.23

In viſione Dei producitur à Beatis Verbum mentis. p.101.n.61.64.& ſeqq.

Verbum in viſione Dei productum non impedit, quin Deus immediatè videatur. pag.102. num.68

In viſione obiecti creati producitur Verbum non ob abſentiam obiecti, ſed propter imperfectionem potentiæ. ibid.n.69

Viſio Beata producitur immediatè ab intellectu beato. ibid.n.72

Dei viſio quadruplex. p.107.n.102

Dei viſio oculo corporeo impoſſibilis. Vide *Deus.*

Dei viſio eſt omninò ſupernaturalis. pag.108. n.106

Viſio Beatifica non eſt libera in Beatis. pag.124. n.205

Viſio Beatifica eſt quidditatiua ſimul, & intuitiua. ibid.n.208

In omnibus Deum videntibus, & viſio eſt eiuſdem ſpeciei. p.115.n.214

Ratio ſpecifica viſionis in omnibus Beatis deſumitur ab eodem obiecto, non à diuerſitate intellectuum. ibid.n.215.& 216

Vita, Viuere.

Aliquid dicitur viuere quadruplicitet. pag.268. num.14

Vita vegetatiua,& ſenſitiua, quid. ibid.

Ratio vitæ Deo potiſſimum conuenit. ibidem, num.15

Viuere aliquandò ſumitur pro eſſe, aliquandò pro operatione vitali. ibid.n.16

In Deo omnia ſunt vita, & quomodò. ibidem, n.17.& ſeqq.

Res dicuntur in Deo vita, non autem Potentia, Sapientia, vel Ars, & cur. p.269.n.22

Vnio.

Vnio alicuius rei poteſt fieri tripliciter. pag.51. num.4

Vnio Dei ad res omnes fit tantum ſecundum eius præſentiam. ibid.

Vnitas.

Vnitas formaliter ſumpta eſt quid poſitiuum. p.86.n.5

Vnitas Dei duobus modis poteſt inquiri. p.85. num.1.

Vnitas non eſt indiuiſio entis, ſed eius cauſa. ibid. num.3.

Vnitas, & multitudo ita opponuntur, vt vna ex his neceſſariò reducatur ad aliam. pag.86. n.5.& 6

Vnitas nequit eſſe priuatio multitudinis. ibidem, n.6.& 8

Vnitas ab entitate diſtinguitur tantùm ratione ratiocinata. ibid.n.9

Vnum in creatis eſt principium multitudinis. ibid. num.12

Dei vnitatem tria hominum genera impugnant. p.87.n.14

Vnitas Dei ſumitur ex eius incommunicabilitate, ſimplicitate, & ratione ſummi boni. ibid. n.15.& ſeqq.

Vnitatem Dei probant eius omnipotentia præcellentia, & immenſitas. pag.88. num.26. & ſeqq.

Si eſſet, vel daretur pluralitas Deorum, & non vnitas, ſequeretur, vnum Deum non poſſe alium, neque intelligere, nec diligere. ibid. n.29.& 30

Vnitas quintuplex datur in toto genere creaturarum, quarum quælibet eſt imperfecta, & quomodò. ibid.n.32

Sola Dei vnitas dicit perfectionem ſimpliciſſimam, & abſolutiſſimam. ibid.

Vnitas tranſcendentalis, non autem numerica de Deo propriè dicitur. p.89.n.36

Vniuocatio.

Vniuocatio, alia eſt Phyſica, alia Metaphyſica, alia Logica, apud Scotiſtas. p.174.n.101

Vniuocationis definitio. p.175.n.102

Deo & creaturis nequit vlla ratio vniuocè conuenire. ibid.n.105

Vniuocatio requirit conuenientiam in definitione, ſaltem quoad genus. ibidem, numero 107. & 108

Vniuocatio requirit æqualitatem in vniuocatis. p.176.n.111.& p.177.n.117

Vocatio.

Vocatio eſt prædeſtinationis effectus. pag.422. n.419

Vocatio quæ datur propter prædeſtinationem vocatur ſecundum propoſitum, & cur. ibid. num.421

Voluntas.

Voluntatis actus, & voluptas apud Ariſtotelem ſunt idem. p.270.n.2

Nequit eſſe agens intellectuale abſque voluntate. ibid. n.5

Voluntatis Diuinæ, & humanæ duplex differentia. p.271.n.9

Voluntas Dei quomodò inuariabilis. ibid.

Ipſe Deus Trinus, & Vnus eſt ſuæ voluntatis obiectum. ibid.n.14

Deus ad extra operatur voluntate, non natura. p.285.n.129.& ſeqq.

Dei voluntas eſt immediatior cauſa rerum ad extra, quàm intellectus. pag.286. num.145. & ſeqq.

Voluntas Dei ita concurrit cum cauſis ſecundis, vt eas ſinat ſuos motus agere. pag.288. n.160, & ſeqq.

Diuina voluntas nullam agnoſcit ſui cauſam, ſicut voluntas noſtra. pag.290. numero 173. & 174

Circa cauſam actuum Diuinæ voluntatis, variæ referuntur opiniones. ibidem, numero 175. & ſeqq.

Diuina voluntas habet ſuam bonitatem pro ſola cauſa ſuæ volitionis. p.291.n.176

Voluntas Diuina vult vnum effectum propter alium. ibid.n.177

Voluntas Dei, alia eſt ſigni, alia beneplaciti, & quid vtraque. p.295.n.209

Hæc Diuinæ voluntatis diuiſio eſt Analogica. ibid.n.210

Voluntas ſigni non ſemper infert voluntatem beneplaciti, nec ſemper ponit aliquem actum in Deo. ibid.n.211.& 212

Voluntatis Dei antecedentis, & conſequentis variæ expnſitiones. p.296.n.217.& ſeqq.
Voluntas Dei antecedens nnn eſt ſemper mera voluntas ſigni, nec mediorum. p.296.n.224
Voluntate antecedenti Deus vult nmnium ſalutem. p.298.n.234.& ſeqq.
Volnntatis antecedentis actus, qno Deus vult omnium ſalntem, eſt abſolutus qunad obiectum, ſed conditionalis quoad efficaciam. p.299.n.241
Voluntas ſigni in Deo quintuplex eſt. p.300. n.245
Volnntas ſigni, vnde dicta. ibid.
Huius quintuplicis voluntatis ratio, & diuiſio, vndè ſumpta. ibid.n.247.& ſeqq.
Voluntas permiſſiua in quo ab efficaci diſtincta. p.325.n.457
In Deo nnlla eſt voluntas culpæ conſequens. p.326.n.456
Voluntas Dei antecedens non ſemper impletur, etiam qnoad effectus naturales. p.328.n.482. & ſeqq.
Voluntas antecedens, & conſequens diſtinguuntur tantùm communiter penes actus liberi arbitrij. ibid.n.483
Vnluntatis Diuinæ efficacis, & inefficacis exemplum. ibid.n.485
Voluntas Dei abſoluta ſemper impletur, & quomodò. ibid.n.487.& ſeqq.
Poteſt quis facere contra triplicem Dei voluntatem prohibentem, præcipientem, & conſulentem; ſed non contra implentem, vel permittentem, & cur. p.329.n.493
Voluntatis differentia, & diſtinctio à Dei potentia. p.464.n.18.& ſeqq.
Volnntatis Diuinæ infinitas ſtat in tota latitudine virtntis volitiuæ, non autem executiuæ. p.465. num.20
A voluntate potentia reducitur ad actum, ibid. num.22

F I N I S.